15. 2. 154

15 · R · 2

Digitized by Google

Donato alla Libreria di S. Michele di Firenze
~~dallo~~ Rev.mo P.re D. Pier Francesco Schianteschi C. R.

Digitized by Google

JURIS CANONICI UNIVERSI COMMENTARIUS PARATITLARIS.

CAJETANI FELICIS VERANI

TOMUS QUINTUS.

Digitized by Google

Google

JURIS CANONICI UNIVERSI COMMENTARIUS PARATITLARIS.

SEU

Dilucida explicatio, nova methodo exhibita, omnium Pontificiarum Decretalium, quæ continentur in quinque libris GREGORII IX. & aliarum BONIFACII VIII. in Sexto; ac Conſtitutionum Recentiorum Pontificum in Septimo. Clementinarum CLEMENTIS V. Extravagantium JOANNIS XXII. & Communium. Explicatúrque quid jure novo per decreta Conciliorum, præſertim Tridentini ſtatuitur.

CUILIBET TITULO

Prætexitur Summarium Exegeticum omnium capitum, quæ in eodem continentur cum præcipuis Gloſſæ Doctrinis: & in calce adjiciuntur plures ſelectæ quæſtiones pertinentes ad materiam ejusdem Tituli.

OPUS

Digeſtum quinque Tomis reſpondentibus quinque libris Decretalium.

TOMUS QUINTUS.

AUTHORE

R. P. D. CAJETANO FELICE VERANI,

Nicienſi Clerico Regulari SS. Theologiæ, & Juris Canonici Profeſſore.

Nunc primùm in lucem prodit. Permiſſu Superiorum, & Privilegio.



MONACHII, Sumptibus, ac Typis JOANNIS JÄCKLINI, Typographi Electoralis, & Biblipolæ,

ANNO M. DCC. VIII.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO
AC
CELSISSIMO
DOMINO, DOMINO
JOANNI
FRANCISCO
Lib. Baroni de ECKHER,
EPISCOPO FRISINGENSI
S.R.I.
PRINCIPI &c. &c.

DOMINO, DOMINO COLENDISSIMO.

POſtremæ huic Canonicarum Lucubrationum parti nominis TUI decus prætexere factu optimum cenſui CELSISSIME PRINCEPS, quò totius operis coronidem nobili TUÆ dignitatis clauderem gemmâ, ex cujus nitore obſcura claritatem, ex nobilitate humilia decus, ex ſoliditate nutantia

tantia firmitatem, & ex pretio puſilla haurirent magnitudinem. Ad id me urſerunt non ſolùm aviti Stemmatis publicata nobilitas; coacervatis meritis acquiſita dignitas; morúmque innata facilitas: verùm etiam propenſa animi Tui Benevolentia, quâ noſtrum proſequeris Ordinem; noſtrósque homines in TUA Friſingenſi civitate munifico recipis hoſpitio, Tuósque efficis commenſales: & præſertim piiſſimus affectus in Patriarcham noſtrum S. Cajetanum, quem præcipuos inter Tuos recenſuiſti Patronos, eiúſque feſtum à die non congruo ad proprium, ut æquum erat, per totam longè, latéque diffuſam Tuam Diœceſim tranſtuliſti: nóſque omnes pluribus affeciſti favoribus. Nemo tot beneficiis devinctus adeo jejunæ eſt fortunæ, ut illi deſit, quo valeat benevolam Benefacientis rependere voluntatem: præſto ſemper eſt ingenua ſaltem illa Confeſſio, quâ alienis devinctus beneficiis debitum fatetur, quod contraxit, gratúmque animum ſuo devovet Benefactori: quippe, *Reſtituit Beneficium* (ait Seneca *L.2. de Benef. c.1.*) *qui libenter debet.* Hac compenſationis formâ uſus Æſchines dixit Socrati, cujus beneficiis ſe cumulatum ſenſerat: Nihil Te dignum, quod dare Tibi poſſim invenio; & hoc ipſo pauperrimum me eſſe ſentio: hoc tamen unum quod habeo do Tibi, me ipſum. Neque cenſendus eſt modicum dare, qui totum quod habet, ceu ſe ipſum ultronea donat voluntate; idque cauſæ fuit Senecæ præferendi oblatum Socrati ab Æſchine munus Alcibiadis profuſis divitijs. Hæc eadem mea eſt conditio; ſenſeram meam Congregationem Tuis auctam beneficiis; ſed anguſtiis preſſus Religioſæ paupertatis, adigor perſonam agere ſolius confitentis ſuſcepta beneficia, & levidenſe hoc munus in animi quaſi teſſeram Tibi devovere; opus nimirum quod licet leve, ac rubiginoſum plurimum tamen ei obtinget ponderis, & ſplendoris ſi Tuis dignabitur manibus. Etiam quæ ſurſum è ſinu telluris beneficio ſolaris radii trahuntur exhalationes nullius ſunt claritatis, nulliúſque ponderis; & tamen ſubvectæ,

&

& in nubes coactæ; quæ obſcuræ antea erant, modò Solis lumine colluſtratæ ſpectabilem exhibent iridem mirâ colorum varietate depictam, aſpectu propterea jucundiſſimam, & cogitatu mirabilem; cum in rorantibus à proxima pluvia nubibus varias ſuſpiciamus ab adverſo invectos colores cæruleum, viridem, purpureum, luteum, igneum admirabili naturæ artificio permiſtos, & confuſione quadam diſcretos. PRINCIPEM hunc æmularis Planetarum cum tot videaris radiis coruſcus, quot virtutibus ornatus, eâ ſcilicet morum ſuavitate, quâ vel aſperos Tibi concilias animos; eâ excultæ prudentiæ ſagacitate, quâ in negotiis peragendis nunquam à rectitudine viſus ſis deflexiſſe; eâ privatæ conſuetudinis comitate, quâ in Tui amorem, & obſequium trahis quotquot Tuo dignantur aſpectu, Tuo gaudent eloquio; mirantur omnes Tuam ſine fuco affabilitatem; ſine lenociniis probitatem; & illam morum harmoniam, ac diſcordem concordiam; quâ nihil gravitatati hilaritate; nihil Majeſtati humanitate; nihil ſerietati familiaritate detrahatur; & præſertim illum excelſæ mentis candorem, quô translucidos ſinceritatis ſinus foras explicas. Noveras Achabum PRINCIPEM Sceptrum in Samaria tractâſſe, ſummíſq; fuiſſe laudibus comendatum; non quia leges ſanciverit, ut Solon; aut Gigantes proſtraverit, ut David; ſed quia domum extruxerit eburneam; non quòd elephantes edentuli epinicium Achabo occinverint, quaſi gloria Samariæ ex ferarum exuviis ab India transmiſſis rediviva reſurgeret: ſed quia domum exhibuit ſpectandam eburneam, dixerim cor candidum, ac ſincerum: cui adeo impensè ſtuduiſti, ut ad infulas Te pertraxerit; non ut ad coronam, & Principatum; ſed ad ſacerdotium, & regimen animarum, quas fortiùs exemplo virtutum, quàm verborum copiâ paſcis, reficis, ac per æternæ ſalutis itinera Te præeunte trahis. Ad id enim eccleſiaſticis Principibus non ſceptrum, ſed pedum in manibus extraditur, quò Paſtoris fungantur officio. Accipe igitur, quæ TUA humanitas eſt, benigna manu, hilari vultu, ſereno animo

mo has meas poſtremas Juris Canonici lucubrationes in meæ obſervantiæ argumentum, meique obſequii fidiſſimum indicem. Pro hac benignitate Deum enixim rogo, ut Te incolumen Diutiſſimè ſervet, omniúmque bonorum cumulet incrementis. Ita voveo

Monachii ex noſtris Ædibus SS. Cajetani, & Adelhaidis Pridie Nonas Decemb. Epocha Chriſtiana Anno 1708.

REVERENDISSIMÆ TUÆ
CELSITUDINIS.

Humillimus Obſequentiſſimus in Chriſto Servus

D. CAJETANUS FELIX VERANI
Clericus Regularis.

APPRO-

APPROBATIO
ORDINARII.

QVia quinque Tomi Iuris Canonici reſpondentes quinque libris Decretalium ab Admodum Reverendo Patre D. Cajetano Felice Verani Clerico Regulari compoſiti, & à Theologis recogniti, nil orthodoxæ fidei, & bonis moribus diſſonum continent; ſed doctrinam omnino ſanam, claram, & nervosè probatam exhibent: datur facultas, ut typis imprimi, & evulgari poſſint. Actum Friſingæ die 23 Junii 1705.

Franciſcus Antonius Begnudellius Baſſus, SS. Theologiæ Doctor. Cathedralis Eccleſiæ Friſingenſis Canonicus Capitularis, Scholaſticus, Vicarius in Spiritualibus Generalis, & Officialis, Librorum Cenſor.

FACULTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

HOc Opus, cui Titulus Juris Canonici Univerſi Commentarius Paratitlaris quinque Tomis reſpondentibus quinque libris Decretalium Pontificiarum digeſtum à R. P. D. Cajetano Felice Verani noſtræ Congregationis ſacræ Theologiæ, & Juris Canonici Profeſſore, cum juxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus fuerit approbatum, ut typis mandetur quod ad nos ſpectat facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes literas manu propria ſubſcripſimus Romæ in Ædibus noſtris S. Sylveſtri Montis Quirinalis pridie Calendas Septembris Anno 1700.

D. Gregorius de Baucio Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.

D. Ioſeph Maria Troncherius Secretarius.

)( )(Con-

CONFIRMATIO
ejuſdem Facultatis.

CUm opus inſcriptum Juris Canonici univerſi Commentarius Paratitlaris quinque Tomis reſpondentibus quinque libris Decretalium Ponficiarum digeſtum à R. P. D. Cajetano Felice Verani noſtri Ordinis ſacræ Theologiæ, & juris Canonici Profeſſore fuerit à meo Prædeceſſore approbatum, ac typis inchoatum, ut continuetur, & abſolvatur, quo ad nos ſpectat facultatem concedimus. In quorum fidem has literas manu propria ſubſcriptas ſolito noſtro ſigillo firmavimus Romæ apud S. Sylveſtrum Montis Quirinalis die 17. Septemb. 1707.

D. Ludovicus Finalis Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.
D. Joſeph Maria Aliprandi Secretarius.

APPROBATIO
Theologorum.

JUſſu Reverendiſſimi Patris D. Gregorii de Baucio noſtræ Congregationis Præpoſiti Generalis accuratè perlegimus quinque Tomos Juris Canonici reſpondentes quinque libris Decretalium Pontificiarum à R. P. D. Cajetano Felice Verani noſtri Ordinis ſacræ Theologiæ, & Juris Canonici Profeſſore Compoſitos: cúmque inoffenſo pede eos percurrerimus; nec quidquam offenderimus orthodoxæ fidei, vel bonis moribus adverſum: imò plurimam in iiſdem deprehenderimus eruditionem, miram claritatem, ac ſolidam doctrinam; ſintque omnia ſumma ingenii ſolertia, ac Doctorum tum Juris Pontificii, tum Cæſarei, ac ſacræ Theologiæ inconcuſſis ſtabilita fundamentis, typis dignos arbitramur, rati omnibus profuturos. Monachii in noſtris Ædibus, SS. Adelhaidis & Cajetani 4. Idus Maii An. Reparatæ ſalutis 1700.

D. Ludovicus Voltolini C. R. Theolog.
D. Antonius Reindorff. C. R. Theolog.

ELEN-

ELENCHVS TITULORUM

Summariorum Exegeticorum, Paragraphorum, ac quæſtionum, quæ in hoc quinto Tomo in quintum librum Decretalium continentur.

TITULUS I. De Accuſationibus, & Inquiſitionibus, & denunciationibus pag. 1
§. I. Quid ſit Accuſatio, & quæ conditiones requirantur ad illam 7
§. II. Quinam accuſare poſſint, & qui ab accuſatione repellendi ſint 9
§. III. Quinam criminaliter accuſari poſſint, vel non 12
§. IV. De effectibus accuſationis, & quomodo Reo accuſato de crimine indici debeat canonica purgatio. 16
§. V. De Inquiſitionibus, & quomodo in iiſdem procedendum 19
§. VI. De denunciationibus, & quomodo in iiſdem procedendum 24
§. VII. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones. 29
TITULUS II. De Calumniatoribus 40
Summarium exegeticum duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur 40
§. I. Quis propriè dicatur calumniator, & ob quas cauſas poſſit excuſari accuſator à calumnia 41
§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 47
TITULUS III. De ſimonia, & ne aliquid pro ſpirituali exigatur, vel promittatur. 47
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 47
§. I. Quid ſit delictum in genere, & quotuplex, & quæ ſint eius cauſæ, & effectus explicatur. 55
§. II. Quid ſit ſimonia, quotuplex, & quæ eius materia 59
§. III. Quomodo ſimoniacum ſit mediante pretio temporali ſibi vitam parare ad ſpiritualia 66
§. IV. De materia ſimoniaca rerum, quæ ſpiritualibus ſunt annexæ. 70
§. V. De ſimonia circa actûs Eccleſiaſticæ Iurisdictionis. 76
§. VI. De ſimonia circa beneficia, & officia eccleſiæ. 80
§. VII. An ſit ſimonia, quæ cõmittitur in modis acquirendi beneficia. 85
§. VIII. An ſit ſimonia pretio redimere vexationem circa beneficia 90
§. IX. De ſimonia, quæ committitur in electionibus, præſentationibûs, & permutatiõnibus beneficiorum. 95
§. X. De ſimonia, quæ committitur in penſionibus beneficiorum. 101
§. XI. De ſimonia confidentiali, quæ in réſignationibus factis ſpe, & confidentia beneficiorum committitur. 105
§ XII. De pretio ſimoniaco, eiúſque diviſione 108
§. XIII. De Titulis excuſantibus, ne contrahatur ſimoniaca labes 113
§. XIV. De pœnis contra ſimoniacos à jure ſtatutis. 116
§. XV. De pœnis, quæ incurruntur ob ſimoniam commiſſam in Ordine ſuſcipiendo, beneficio conferendo, & ingreſſu religionis. 119
§. XVI. De aliis pœnis canonicis jure decretis in ſimoniacos 124
§. XVII. De diſpenſatione pœnarum, quæ in jure ſtatuuntur in ſimoniacos 127
§. XVIII. De reſtitutione eorum, quæ per ſimoniam accepta ſunt. 130
§. XIX. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 135
TITULUS IV. Ne Prælati vices ſuas ſub annuo cenſu concedant. 146
Summarium exegeticum quatuor capitum in hoc titulo contentorum. 146
§. I. Quomodo prohibitum ſit Prælatis eccleſiaſticis ſuam juriſdictionem ſub annuo cenſu,

TITULORUM.

ſu, ſeu pretin aliis concedere 147

§. II. Proponuntur, & dilnuntor aliquot ſelectæ quæſtiones 148

TITULUS V. De magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. 151

Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 151

§. I. Quomodo magiſtri conſtituendi ſint in eccleſiis cathedralibus, & an licitum ſit aliquod exigere pro licentia docendi 153

§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 155

TITULUS VI. De Judæis, & Saracenis, & eorum ſervis 159

Summarium exegeticum omnium capitom, quæ in hoc titulo continentur 159

§ I. Quomodo Chriſtianis prohibeatur communicatio cum Judæis, & Saracenis 160

§. II. De iis quæ jure civili, & canonico promittuntur, & prohibentur Judæis degentibus in terris Principum Chriſtianorum 163

§. III. Quænam prohibeantur Chriſtianis circa Saracenos, alióſque paganos 170

§ IV. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones. 173

TITULUS IV. De hæreticis. 177

Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 177

§. I. Quid ſit hæreſis; & qui hæretici Materiales, & formales 185

§. II. Diluuntur aliquot quæſtiones de iis, qui dicendi ſint hæretici 188

§. III De Pœnis hæreticorum 191

§. §. De Abſolutione ab hæreſi, eique annexa excommunicatione 194

§. V. De aliis pœnis contra hæreticos jure ſtatutis. 200

§. VI. De filiis hæreticorum, eorúmque fautoribus, receptoribus, ac defenſoribus 207

§. VII. De judice competente, déque Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis 210

§. VIII. De criminibus ad quæ ſe extendit Inquiſitorom Juriſdictio 215

§. IX. De proceſſu judiciario in cauſa hæreſis. 223

TITULUS VIII. De ſchiſmaticis, & Ordinatis ab eis. 238

Summarium exegeticum omninm capitum, quæ in hoc titulo continentur. 238

§. I. Quid ſit ſchiſma, quomodo ab hæreſi differat. 178

§. II. An ordinationes, qoæ fiunt à Schiſmaticis validæ ſint; & quæ eorum pœnæ. 241

§. III. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones. 243

TITULUS IX. De Apoſtatis, & reiterantibus Baptiſmum. 246

Sommariom exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titolo continentur 247

§. I. De Apoſtaſia qoid, & quotuplex ſit, & quæ pœna eidem infligenda. 248

§. II. De Apoſtaſia ab ordine Clericali, & religione, ejuſque pœnis 250

§. III De reiterantibus Baptiſmum, eorúmque pœnis 254

§. IV. Proponontur, & diluuntur aliqoot ſelectæ quæſtiones 256

TITULUS X. De his qui filios occiderunt. 259

Summarium exegeticum trium capitum, quæ in hoc titulo continentur 259

§. I. Quid ſit Parricidium. 260

§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 162

TITULUS XI. De infantibus & languidis expoſitis. 264

Summarium exegeticum unici capitis in hoc titolo contenti. 264

§. I. Quinam dicantur liberos ſuos exponere, vel languidos, ſeu infirmos ab aliis nutriendos, & curandos, & quas incurtant pœnas 264

§. II. Proponuntor, & diluuntur aliquot ſelectæ puæſtiones 267

TITULUS XII. De homicidio voluntario, & caſuali. 269

Summatium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 220

§. I. Quid ſit homicidium, quotuplex, & quæ requirantur ad illud 276

§. II. De homicidio inculpabili 278

§. III. De pœnis homicidii injuſti voluntarii directè, & obligatione compenſandi damnum illatum 184

§. IV. De irregularitate, quæ contrahitur ob homicidium voluntariè, & injuſtè patratum. 291

§. V. An ex homicidio neceſſario contrahatur irregularitas 298

§. VI. An & quomodo ex homicidio caſuali contrahatur irregularitas 204

§. VII. De irregularitate quæ contrahitur ob homicidium in bello commiſſum 310

§. VIII. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ qoæſtiones 315

TITULUS XIII. De Torneamentis

Summarium exegeticom trium capitum, qoæ in hoc titulo continentur. 327

§. I. Quid ſint torneamenta, & cur in jure canonico prohibita 327

§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 329

TITULUS XIV. De Clericis pugnantibus in duello 330

Summarium exegeticom omnium capitum, qoæ in hoc titulo continentur 331

§. I. Quid & quotuplex ſit duellum. Cur prohibitum; & quæ pœnæ ſtatutæ contra duellantes. 331

§. II. Proponontur, & diluontur áliquot ſelectæ qoæſtiones 335

TITULUS XV. De Sagittariis. 339

Summarium exegeticum unici capitis in hoc titulo contenti. 340

§. I. Qoid ſint ſagittarii, & Balliſtarii; & quæ pœnæ jure canonico imponantur ſagittariis. 340

§. II.

§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones. 341
TITULUS XVI. De adulteriis, & ſtupro. 344.
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 343
§. I. Quid ſit adulterium, Quomodo accuſandum, & probandum 346
§. II. De pœnis adulterio impoſitis. Deque cauſis ab iisdem excuſantibus 351
§. De ſtupro, eiusque pœnis. 355
§. IV. De reliquis luxuriæ ſpeciebus. 359
§. V. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 864
TITULUS XVII. De raptoribus, incendiariis, & violatoribus Eccleſiarum 373
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 374
§. I. Quid ſit rapina. Quomodo accuſetur, & puniatur. 375
§. II. De incendiariis, & violatoribus Eccleſiarum 379
§. III. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 383
TITULUS XVIII. De Furtis. 385
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 386
§. I. Quid ſit furtum, & quotuplex 487
§. II. De cauſa efficiente, & objecto furti 390
§. III. De Actione civili, & condictione furti 394
§. IV. Pœnis criminalibus furti: deque variis circumſtantiis eas minuentibus 398
§. V. De pœnis Jure Canonico impoſitis furto 403
§. VI. De variis furtorum generibus in utroque jure. 405
§. VII. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 413
TITULUS XIX. De uſuris. 422
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 423
§. I. Quid ſit uſura, & quotuplex. 427
§. II. De pactis, quæ contractui mutui licitè adjiciuntur 433
§. III. An ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis poſſit aliquid exigi ſupra ſortem in mutuo 437
§. IV. An ratione periculi ſortis, vel difficultatum, aut expenſarum, quæ in illa recuperanda metuuntur, licitum ſit aliquid ultra ſortem accipere 447
§. V. An pactum Antichriſeos licitè procedat in mutuo, vel ſit uſurarium 446
§. VI. An lucrum quod ex mutuo percipitur in montibus, qui dicuntur Pietatis ſit immune ab omni labe uſuræ. 449
§. VII. De uſuris in contractibus cenſualibus, venditionis, & emptionis. 455
§. VIII. De obligatione reſtituendi uſuras 461
§. IX. De foro competente criminis uſuræ, & pœnis jure ſtatutis contra uſurarios 468
§. X Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 724
TITULUS XX. De crimine falſi 478
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 479
§. I. Quid ſit crimen falſi, & quibus modis falſentur reſcripta. 481
§. II. De pœnis jure ſtatutis in eos, qui literas Apoſtolicas falſificant. 486
§. III Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 490
TITULUS XXI. De ſortilegiis 494
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 494
§. I. Quid ſint ſortilegia, & non licita. 495
§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 500
TITULUS XXII. De colluſione detegenda.
Summarium exegeticum trium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 507
§. I. Quid ſit colluſio, & quomodo detegenda 507
§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 509
TITULUS XXII. De delictis Puerorum. 510
Summarium exegeticum duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur 510
§. I. Quomodo delicta puerorum puniantur 510
§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 513
TITULUS XXIV. De Clerico venatore 516
Summarium exegeticum duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur 516
§. I. Cur venatio ſit clericis interdicta, & quibus pœnis plectatur 516
§. II. Proponuntur, diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones. 519
TITULUS XXV. De clerico percuſſore 521.
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 522
§. I. An Prælatis eccleſiaſticis licitum ſit alios percutere, & pœnæ jure inflictæ ſint contra clericos percuſſores 522
§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 524
TITULUS XXVI. De Maledicis 528
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 529
§. I. De maledicis contra ſummum Pontificem, & Principes. Deque pœnis contra ipſos jure poſitis 529
§. II. De blaſphemiis in Deum, ſanctos, earumque pœnis 531
§. III. Proponuntur, diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 534
TITULUS XXVII. De clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante 536
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 537
§. I. Quânam pœna plectantur Clerici depoſiti, ſi mini-

miniſtrent, & exerceant actum Ordinis, vel officii ſibi prohibiti: quæ pœna contra clericos excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos ſit jure impoſita, ſi divina celebrent officia. 538
§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 545
TITULUS XXVIII. De clerico miniſtrante non ordinato 555
Summarium exegeticum duorum, capitum quæ in hoc titulo continentur 555
§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 555
TITULUS XXIX. De clerico per ſaltum promoto. 557
Summarium exegeticum unici capitis in hoc titulo contenti 557
§. I. Quid ſit ordinari per ſaltum, & quæ pœnæ jure injunctæ ita promotis 560
§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 462
TITULUS XXX. De eo, qui furtivè ordinem ſuſcepit 566
Summarium exegeticum trium capitum, quæ in hoc titulo continentur 566
§. I. Quis furtivè dicatur ordinem ſuſcipere, & quæ pœnæ jure huic delicto injungantur. 567
§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 570
TITULUS XXXI. De exceſſibus Prælatorum, & ſubditorum 571
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 571
§. I. Quomodo Prælati eccleſiaſtici excedant in ſubditos clericos 575
§. II. De exceſſibus ſubditorum in ſuos Prælatos 580
§. III. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 583
TITULUS XXXII. De novi operis nunciatione 588
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 588
§. I. Quid ſit novi operis nunciatio, & quæ cauſæ, & effectus 590
§. II. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 594
TITULUS XXXIII. De privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum 598
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 599
§. I. Quid ſit privilegium; & quæ requirantur ad eius ſubſtantiam, & quotuplex ſit. 609
§. II. De modis, quibus privilegia acquiruntur 613
§. III. De confirmatione, ſeu Innovatione, & interpretatione Privilegiorum 618
§. IV. De quibusdam clauſulis, ſub quibus ſolent privilegia concedi 623
§. V. De uſu, & effectu Privilegiorum 627
§. VI. De exceſſibus Privilegiatorum, de quibus ſpeciatim agitur in præſenti titulo, & pœnis iisdem injunctis 630
§. VII. De privilegio exemptionis à juriſdictione Epiſcopi, vel Ordinarii 636
§. VIII. De aliis ſpecialibus privilegiis, de quibus agitur in hoc titulo 642
§. IX. De amiſſione privilegiorum ex parte cauſæ 648
§. X. De Amiſſione privilegiorum effectivè per revocationem 651
§. XI. De aliis modis, qoibus privilegia amittuntur. 655
§. XII. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 659
TITULUS XXXIV. De purgatione canonica 663
Summerium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 663
§. I. Quid & quoplex ſit purgatio, quomodo, & quando inducenda 668
§. II. De compurgatorum numero, qualitate, & de effectu canonicæ purgationis, ac pœna deficientium in illa 674
§. III. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 676
TITULUS XXXV. De purgatione vulgari 679
Summarium exegeticum trium capitum, quæ in hoc titulo continentur 619
§. I. Quid ſit purgatio vulgaris, & ex qua cauſa prohibita 680
§. I. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 683
TITULUS XXXVI De Injuriis, & damno dato 683
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 685
§. I. De injuriis, earúmque pœnis 687
§. II. De damno injuriâ dato. 690
§. III. De actione orta, & damnó injuria dato 694
§. IV. De repreſſaliis, ſeu pignorationibus 697
§. V. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 700
TITULUS XXXVII. De Pœnis 705
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur. 705
§. I. De Pœnis in genere, earúmque partitione 709
§. II. De Pœnis ſpeciatim ſumptis, præſertim de pœna privationis, depoſitionis, & degradationis 713
§. III. De pœna conventionali confiſcationis bonorum, & exilii. 718
§. IV. De aliis pœnis particularibus de quibus agitur in hoc titulo 722
§. V. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 727
TITULUS XXXVIII. De pœnitentiis, & remiſſionibus 731
Summarium exegeticum omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur 732
§. I. De pœnitentia, eiúsque variis ſignificationibus 736
§. II. De præcepto ſacramentaliter confitendi; deque

deque ſacramento Pœnitentiæ, eiúſque partibus 738
§. III. De reliquis, quæ ad ſacramentalem confeſſionem requiruntur 743
§. IV. Donantur explicatu quædam alia capitula, quæ continentur in hoc titulo circa pœnitentias injungendas 745
§. V. De altera parte Rubricæ hujus tituli, nimirum de remiſſionibus, ſeu indulgentiis 754
§. VI. De effectu indulgentiarum 759
§. VII. De anno jubilæo 762
§. VIII. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 766
TITULUS XXXIX. De ſententia excommunicationis 775
§. I. Quid, & quotuplex ſit cenſura 793
§. II. Quid, & quotuplex ſit excommunicatio, & quâ formâ ferenda 796
§. III. De cauſis excommunicationis 800
§. IV. De effectibus utriusque excommunicationis majoris, & minoris 803
§. V. De conditionibus præcedentibus, concomitantibus, & ſubſequentibus excommunicationem, ut hæc valida ſit 806
§. VI. Quomodo excommunicatio injuſta ſit, & invalida, & qualis ignorantia, ac metus excuſet ab illa incurrenda 817
§. VII. An ceſſante cauſa ceſſet excommunicatio, quâ quis alligabatur 817
§. VIII. De Abſolutione ab excommunicatione, & aliis cenſuris 720
§. IX. De quibusdam excommunicationibus, de quibus agitur in hoc titulo 824
§. X. Quinam poſſit abſolvere ab excommunicatione canonis ob percutionem clerici 829
§. XI. De quibusdam aliis excommunicationibus comprehenſis in hoc titulo 7[illegible]3
§. XII. De ſuſpenſione, quæ eſt ſecunda ſpecies cenſuræ 841
§. XIII. De interdicto, ut eſt tertia ſpecies cenſuræ. 846
§. XIV. Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones 851
TITULUS XL. De verborum ſignificatione 837
§. I. De verborum ſignificationibus, quæ habentur in capitulis hujus tituli 838
§. II. De verborum ſignificationibus, quæ habentur in ſexto Decretalium, Clementinis, & Extravagantibus 862
TITULUS XLI. De regulis juris 865
§. I. Quid ſit Regula Juris, & quot ex quinque libris decretalium eruantur 865
§. II. De regulis juris Pontificii in ſexto Decretalium 869

TYPOGRAPHUS
LECTORI

OPera Admodum Rev. P. D. Cajetani Felicis Verani Clerici Regularis cuſa Monachii in mea Typographia, quæque venum in mea dantur Officina, ſunt.

Ex Philoſophia univerſa quatuor Tomi in folio.

Tomus I. In Logicam Ariſtotelis, cui adjiciuntur plures quæſtiones Metaphyſicæ. fol

Tomus II. In octo Libros Phyſicorum Ariſtotelis. fol.

Tomus III. De mundi ſyſtemate, corporibus cæleſtibus. elementis, miſtis, & Meteoris.

Tomus IV. In libros de Anima, & in Metaphyſicam. fol.

Ex Theologia Speculativa univerſa dogmatica, & Morali octo Tomi in fol.

Tomus I. De Deo uno, eiúsque Attributis. fol.

Tomus II. De viſione beata, ſcientia & voluntate Dei, déque Prædeſtinatione Sanctorum, & reprobatione impiorum. fol.

Tomus III. De ineffabili myſterio SS. Trinitatis fol.

Tomus IV. De Angelis, & Homine fol.

Tomus V. De Beatitudine. Actibus humanis, eorúmque principio activo, naturali, voluntario, & libero. Morúmque cauſa Morali: ſeu de moralitate, eiúsque bipartita ſpecie honeſtate, & turpitudine De vitiis, & peccatis Recto uſu Probabilitatis juxta Pontificias ſanctiones. De gratia Juſtificatione, & Merito. fol.

Tomus VI. De virtutibus Theologicis. & Cardinalibus Déque earum partibus ſubjectivis, & potentialibus. Vitiisque oppoſitis. fol.

Tomus VII. De ſacroſancto myſterio incarnationis Verbi divini. De cultu ſanctorum abſoluto & reſpectivo. De immaculata conceptione Virginis Matris, & de Legibus f.

Tomus VIII. De Sacramentis in genere, & ſpecie. Déque indulgentiis, Jubilæo, & cenſuris fol.

Ex Iure Canonico univerſo quinque Tomi in folio, reſpondentes quinque Libris Decretalium.

Tomus I. In primum librum decretalium fol.

Tomus II. In librum ſecundum decretalium fol.

Tomus III. In librum tertium decretalium fol.

Tomus IV. In quartum librum decretalium fol.

Tomus V. In quintum librum decretalium fol.

Ex aliis Materiis

Monumentum extremi honoris, perennis virtutis piis Manibus Sereniſsimi Ferdinandi Mariæ Bavariæ Ducis, & Electoris cum emblematis ære inciſis, oratione Funebri, inſcriptionbus, Elogiis ſoluta, & ligata oratione. fol.

Ingreſſus Martio-Nuptialis Sereniſsimi Electoris Ducis Bavariæ Maximiliani Emanuelis Monachium ex Hungaria reducis cum lectiſsima Sponſa Maria Antonia Archidutiſſa Auſtriæ Leopoldi I. Imperatoris filia ex Margarita Hiſpana. fol.

Extra meam Typographicam Author alia edidit opera.

CAJET.

CAJETANI FELICIS VERANI CLERICI REGULARIS *IN* LIBRUM QUINTUM DECRETALIUM PROOEMIUM.

CONgruenter hic liber ſubnectitur præcedentibus: cum enim jus Pontificium ſive ſcriptum, ſive non ſcriptum, verſetur circa perſonas eccleſiaſticas, vel circa res, vel circa judicia; & ea vel civilia, vel criminalia; & in primo libro Pontifex egerit de Jure perſonarum; in ſecundo de univerſa judiciarii ordinis ratione; in tertio, & quarto de ipſa materia, ſeu rebus clericorum, ac laicorum, quæ deducuntur in Judicium eccleſiaſticum: rectè in hoc quinto libro de iis tractat, quæ in judicium eccleſiaſticum criminale veniunt: docétque primò modum, quo actiones, ſeu Judicia criminalia inſtituuntur: poſtea agit de ipſis delictis, quæ ad forum deducuntur eccleſiaſticum; ac demum de pœnis, quibus Rei à Judice eccleſiaſtico afficiuntur; adeout poſtremus hic liber ſit totius Juris Canonici complementum, & connexionem habeat cum prioribus.

TITULUS I.

De Accuſationibus, Inquiſitionibus, & Denuntiationibus.

AGit Pontifex in hoc primo titulo hujus quinti libri de modis inſtituendi actiones, ſeu judicia criminalia, & quo pacto ſuſcipi debeant; & primò de accuſatione, quæ eſt criminis alicujus apud Judicem competentem vindictæ publicæ causâ, inſcriptione interveniente legitimè facta delatio, ut deſumitur *ex l. fin. c. de Accuſat.* Fit autem accuſatio ob vindictam publicam, ſeu bonum commune Reipublicæ, ut alii abſterreantur à criminibus perpetrandis.

Digitized by Google

SUMMARIUM EXEGETICUM,

Omnium capitum, quæ in hoc Titulo continentur,

C. SI LEGITIMUS 1. *h. t. Fælix Papa declarat, quòd ſi Accuſator non ſit legitimus, Reus non debeat moleſtari, nec trahi ad judicium, hinc ſi legitimus non ſit Accuſator, non fatigatur accuſatus. Ubi notat Gloſſa, tres ut illegitimos non poſſe accuſare, ſcilicet criminoſos, inimicos, & qui ſunt mala fama, & ſuſpecti, immo nec poſſe denunciare* c. cum in tua de ſponſ. *Sunt etiam alij plures illegitimi, qui arcentur in jure ad accuſandum. Caterum de jure communi omnes poſſunt accuſare, qui non ſunt prohibiti* l. accuſare ff. de accu *prohibentur verò. Primo ob dignitatem Clerici, & milites. Secundò propter ſtatum filiifamilias, & ſervi, qui non ſunt ſui juris. Tertiò ob defectum ætatis pupilli, & Minores. Quartò ob imbecillitatem ſexus ut mulieres. Quintò ob indignitatem perſona, ut criminoſus, infamis, damnatus. excommunicatus. Sextò propter turpem quæſtum, ut qui pecuniam accipit, ut accuſet, vel abſtineat ab accuſatione Septimò propter defectum fidei, & ſuſpicionem odij, ut inimici capitales, & mendici, quorum fides facilè datur vanum. Octavò ob reverentiam debitam accuſato, ut ſi liberi parentes; ſervi, liberti, aut vaſalli velint accuſare Dominos, vel laicus Clericum. Nonò propter amorem debitum, ut ſi Maritus velit uxorem accuſare, & frater fratrem Hodie judices denunciationem, & querelam accipiunt, à quocunque porrigatur, eò quia ex officio poſſint per inquiſitionem procedere ad querelam à quocunque porrectam: quinimò in utroque foro civili, & eccleſiaſtico publica authoritate conſtituuntur Procuratores fiſci, & Syndici, qui ex officio tenentur crimina deferre. Quamobrem ex hodierna conſuetudine ille accuſator dicitur legitimus, qui habet ſufficientes probationes contra accuſatum, & non deficit in probatione.*

C. SI QUIS EPISCOPUS 2. *h. t. Idem Pont. reſcribit volentem denunciare ſuum Epiſcopum teneri prius ipſum charitativè admonere, ut ſe emendet: alioquin non admittitur ejus denunciatio. Hinc notat Gloſſa, antè denunciationem debere neceſſariò præcedere evangelicam admonitionem. Hodie tamen jure novo ex Concilio Tridentino non ſunt Epiſcopi citandi ut perſonaliter compareant, niſi ex cauſa, ex qua eſſent deponendi, vel privandi* eſſ. 13. de refor. c. 6. *Secundò non eſſe in cauſa criminali recipiendos teſtes contra illos, niſi conteſtes, & bonæ converſationis, exiſtimationis, & famæ fuerint. Quòd ſi odio, temeritate, aut cupiditate aliquid depoſuerint, mandat Concilium, eſſe graviter puniendos* ſeſſ. 13. de reform. c 7 *Tertiò cauſas illorum, quando pro qualitate objecti criminis comparere debent, referendas eſſe coram Pontifice, de per ipſum debere terminari* ſeſſ. 24. c. 5. *Quartò cauſas, quæ neceſſariò committuntur contra Epiſcopos criminaliter accuſatos extra curiam, nemini committi debere niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis ex ſpeciali commiſſione ipſius Papæ manu ſignata eligendis pro ſumenda facti inſtructione, & ſententia definitiva ipſi ſoli reſervatur. Quintò Epiſcopos reſidentes etiam ex atrociſſima cauſa hæreſis, vel læſæ Majeſtatis non poſſe citari, nec moneri ad perſonaliter comparendum, niſi de expreſſa commiſſione ſignata ſpeciali manu Papæ.*

C. ILLA PRÆPOSITORUM 3. *h. t. reſcribit Gregorius Papa Duci Campaniæ, eos tantùm debere accuſare, quorum intereſt, quo pacto Monachi poſſunt Abbatem accuſare, & cauſam eſſe tractandam coram illis, ut Reus abſolvatur, vel condemnetur. Quia ut notat Gloſſa, ſententia definitiva decet eſſe, vel liberatoria, vel condemnatoria: alioquin nullius eſſet valoris. Immo debet etiam eſſe cum certa quantitate alioquin non valet. Ex hoc textu liquet, Abbatem ſeu Prælatum poſſe accuſari à Religioſis ſeu Monachis, quia in hoc Religioſi utilitatem videntur procurare Monaſterij.*

C. OMNIPOTENS 4. *h. t. Idem Pont. reſcribit Conſtantiæ Auguſtæ, accuſatum, vel denuntiatum de aliquo crimine non poſſe interim promoveri ad honorem, donec ſe purgaverit; ex quo textu colligitur, effectum accuſationis legitimè inſtitutæ eſſe ut accuſatione pendente accuſatus non poſſit promoveri ad dignitatem. Quia quamdiu inquiritur, eſt infamatus* c. ult. de teſtib.

C. Nulli Epiſcoporum 5. *h t. Paſcalis Papa reſcribit Epiſcopum non poſſe eos ab accuſatione ſua repellere, quos prius quàm ſciret, ſe ab eis impetendum à ſua communi familiaritate neglexit ſeparare. Ratio eſt, quæ additur à Gloſſa, quia Epiſcopus non poteſt reprobare mores, quos prius approbavit utendo familiaritate talium hominum: etenim Epiſcopus non poteſt alios admittere familiares niſi qui probatæ ſunt vitæ: hinc licèt criminoſus generaliter arceatur ab accuſatione, ſi tamen fuit familiaris Epiſcopi recipitur ejus accuſatio ex vi præſentis textûs, & non poteſt Epiſcopus contra ipſum excipere. Nihilominus Judex ex ſuo officio poteſt illum repellere, ſi non ſit idoneus.*

C. DE HIS 6. *h. t. Ex Concilio Moguntino ſtatuitur, ut accuſatus de uno crimine, ſi de ipſo fuit ſemel abſolutus, non poſſit de eodem ſecundò accuſari. Id tamen procedit, dummodo fuerit legitimè abſolutus. Hinc notat Gloſſa, quòd ſi probato crimine Judex diſpenſavit, & crimen erat diſpenſabile, non poteſt iterum accuſari, ſi eſt legitimè abſolutus, quia*

quia accuſator defecit in probatione: ſolet tamen hæc regula limitari. Primò ut non procedat, quando ſententia abſolutoria eſt lata per colluſionem, ſeu prævaricationem, ut notat Panormitanus in c. fin. de collus. detegen. Secundò neque procedat, quando ſententia non eſt definitiva, ſed tantùm abſolutoria ab obſervatione judicij, ut ſi Judex, vel forum non ſit competens, quia talis ſententia non parit exceptionem rei judicatæ: licèt plures cenſeant; & quidem probabiliter in utroque caſu non poſſe abſolutum iterum accuſari. Tertiò quia licèt abſolutus non poſſit iterum accuſari ab eo qui primò illum accuſavit, eò quia obſtet illi exceptio rei judicatæ; poteſt tamen accuſari ab alio proſequente ſuam, vel ſuorum injuriam, ſi ignoret, accuſationem ab alio fuiſſe inſtitutam, quia ſi ſciat non poteſt iterum accuſare, quia obſtat exceptio rei judicatæ, ut notat Panormitanus hîc. Quartò nec procedit, quando quis eſt abſolutus per tranſactionem factam cum parte, & non per ſententiam: quia ſi tranſactio eſt valida, tametſi ipſe tranſigens non poſſit accuſare, tamen aliquis tertius poteſt de novo accuſare.

C. REPELLANTUR 7. h. t. Declarat Stephanus Papa, cohabitantes cum inimicis alicujus, ſeu Petri eſſe repellendos ab accuſatione contra Petrum. Barboſa hîc n. 3. id etiam extendit ad inimicum reconciliatum, ut nec ipſe poſſit accuſare, niſi cauſa inimicitiæ dudum extincta ſit, & amicitia per diuturnitatem temporis confirmata.

C. ACCUSASTI 8 h. t. ex Burcardo lib. 19. ſtatuitur, ut qui accuſavit aliquem calumnioſè innocentem, adeò ut accuſatus debeat mori (niſi pro pace hoc fecerit) Accuſator debeat pœnitentiam agere in pane, & aqua per 40. dies, quæ pœnitentia carena vocabatur: & per ſeptem ſequentes annos debeat etiam pœnitere: ſin verò innocens mutilatus tantùm ſit, & non occiſus, abeat tunc accuſatus pœnitere per tres quadrageſimas, ut etiam ſi debilitatus ſit. Hic autem textus intelligitur de accuſatione innocentis per calumniam, quæ ſit ſine culpa accuſati: quia ſi quis ſit juſtè accuſatus, & crimine probato ſit capite diminutus, accuſator immunis eſt quantum ad pœnam talionis.

C. EVIDENTIA 9. h. t. Ex D. Auguſtino ſuper Geneſ. de morte Abel declaratur, quòd evidentia patrati ſceleris non indigeat clamore accuſatoris, adeò ut ſi crimen ſit notorium, & per ſe manifeſtum poſſit Judex procedere ſine prævia alia accuſatione ex quo textu deſumitur regula generalis, quòd ſuper evidentia ſceleris poſſit Judex procedere ſine accuſatore, nec illo indigeat, niſi quoad ſententiam, quæ ferenda eſt etiam ſuper notorio, ut docent communiter cum Julio Claro lib. 5. §. fin. q. 9. n. 8. Tunc autem crimen dicitur notorium, vel evidens, cui adjungitur valdè plena notitia inducens indubitatam probationem, non indigentem diſcuſſione. De crimine notorio plura habet Covarruvias lib. 3. variar. c. 3. n. 4.

C. CUM 10. h. t. reſcribit Alexander III. laicum non eſſe admittendum ad accuſandum Clericum, neque eum qui fuit teſtis in uno caſu eſſe admittendum ad accuſandum in eodem caſu, præſertim ſi frater accuſati accuſâſſet prius eodem crimine ſimoniæ eum, qui modo accuſat talem Clericum, & mandat Pontifex, ut accuſatus, quia infamatus, debeat ſe purgare cum tribus ſacerdotibus. Ubi notat Gloſſa, laicos non poſſe accuſare Clericos niſi proſequantur ſuam, vel ſuorum injuriam c. omnibus 4. q. Rurſus accuſantes non poſſe eſſe teſtes in eo caſu niſi in criminibus exceptis ſimoniæ, hæreſis, læſæ Majeſtatis. Cæterum in hoc textu ideo teſtes rejiciuntur quamvis accuſaverint de ſimonia, quia erant inimici. Notandum eſt, contra clericum infamatum, ſeu mala fama, & opinionis, etiam in exceptis admitti laicos infames, & viles, ut notat Hoſtienſis hîc.

C. EX PARTE TUA 11. h. t. reſcribit Pontifex, quòd licèt Monachus non poſſit accuſare alios, poteſt tamen ſuum Abbatem, Præpoſitum, vel Prælatum accuſare, cui etiam adminiſtrari debent expenſæ de bonis Monaſterij, donec cauſa finiatur: ita tamen ut accuſatio non eximat Monachum accuſantem ab obedientia Prælati accuſati; niſi fortâſſis eximatur ex alia cauſa: ubi notat Gloſſa, Monachum non poſſe alios accuſare niſi interſit Monaſterio, & de licentia Abbatis: vel niſi de licentia Prælati eſſet in aliquo negotio, ut in aliqua publica academia cauſâ ſtudiorum, & intereſſet eum accuſare; tunc enim poſſet Prælatum accuſare, ut etiam fraternè corrigere ſine licentia, eò quia ſit de jure divino. Ex hoc textu liquet, non eſſe licitum Religioſo quemquam in judicio accuſare præter proprium Prælatum, niſi concurrant duæ conditiones, ſcilicet licentia Prælati, & utilitas Monaſterij.

C. SI CONSTITERIT 12. h. t. Idem Pont. ſtatuit, quòd ſi Presbyter, cui eccleſia eſt commendata, ſit ebrioſus per totam noctem in taberna; & mane indigeſtus, ſeu non jejunus celebret; ſi de hoc fuerit convictus coram ſuo Epiſcopo, vel accuſatus, fateatur ſpontè, non poſſe amplius repetere eccleſiam, qua propter tale crimen fuit privatus. Si autem eccleſia fuit illi canonicè collata in titulum, & poſtea non fuit convictus de aliquo crimine, ob quod jure ſit ſpoliandus, vel ſi fuit ſpoliatus, poſt appellationem ſit reſtituendus in poſſeſſione pacifica. Ubi notat Gloſſa, eum qui commendat rem alicui non dare eidem poſſeſſionem rei commendatæ; proinde ea non ſpoliari quando privatur. Rurſus confeſſionem coactam non præjudicare.

C. MEMINIMUS 13. h. t. Idem Pont. declarat, eum non poſſe excipere contra aliquem ſi præſumatur ejus manifeſtus inimicus. Ut nec illum, qui in illa, vel in ſimili cauſa fuit teſtis, alio accuſante. Ex quo textu liquet, inimicum non ſolùm repelli ab accuſatione. Verùm etiam ab exceptione voluntaria, ſeu ſpontè oppoſita. Rurſus manifeſtum inimicum

eſſe repellendum ex efficie Judicis, præſertim ſi ſit inimicus capitalis: qui verò dicendus ſit inimicus capitalis, id potius videtur relinquendum arbitrio Judicis, ad quem pertinet diſcernere, an adſint manifeſta indicia, vel tam violenta præſumptiones odij, ut moraliter certum ſit, eum non bono Zelo, nec ſincere animo ferrè ad accuſandum: talis enim cenſetur inimicus capitalis in quacunque cauſa, eo quia ex c. ut cauſæ *videatur impetere per calumniam: hinc inimicus capitalis eſt idem, ac manifeſtus.*

C. LICET 14. h. t. Innocentius III. declarat, quòd qui dixit coram Judice ſe accuſaturum aliquem, poſſit deinde impunè ante inſcriptionem deſiſtere: ſed ſilentium illi imponitur ut non poſſit amplius eum de tali crimine accuſare. Verùm injungitur ab Epiſcopo, ut inquirat ſuper bona fama antequam abſolvatur accuſandus, eò quia jam fuerat infamatus: ex quo textu deſumitur regula, quòd dicens ſe aliquem accuſaturum coram Judice poſſit ab accuſatione reſilire ſine pœna, antequam ſe inſcribat: verùm ſilentium ſuper ipſis imponitur: hinc notat Hoſtienſis, poſt libelli oblationem licitum etiam eſſe ab accuſatione deſiſtere ſine pœna l. quæſitum ff. ad ſenatum conſultum Turpillianum.

C. VENIENS 15. declarat Idem Pont. in cauſa criminali abſente Reo non admitti Procuratorem ad agendum, vel defendendum, quamvis Reus ſe excuſet, quòd non venerit propter aliquas cauſas extrinſecas & leves; & Reum reputari contumacem: ſed eſſe deputandum auditorem, ut intelligat, an poſſet illum excuſare. Rurſus declarat, eum, qui ſemel confeſſus eſt, ſe calumnioſè aliquem accuſâſſe; & eidem jurat, ſe amplius non accuſaturum non eſſe audiendum, ſi accuſet eundem: ſed Reo propter contumaciam, & infamiam eſſe indicendam purgationem, & citationem. Ubi notat Gloſſa in cauſa criminali non intervenire Procuratorem, & id haberi tanquam regulam communem, quâ dicitur, quòd Procurator in criminalibus non ſit admittendus, ſed Reus ipſe debeat perſonaliter comparere: quæ tamen regula non procedit. Primò ſi pars contra Procuratorem in cauſa criminali conſtitutum nihil opponat. Secundò ſi quis detineatur in carcere, vel alio loco extra territorium Judicis. Tertiò neque procedit in univerſitate, ſeu collegio, quia integra communitas vix comparere poteſt, & illi conceditur etiam in cauſa criminali procurator. Quartò fallit, ſi ſervus criminaliter accuſet Dominum; poteſt enim tunc Dominus ſe defendere per Procuratorem. Quintò poteſt etiam in cauſa criminali admitti Procurator non quidem ad defenſionem accuſati, ſed ad allegandas abſentiæ cauſas, & legitima juris, vel facti impedimenta. Sextò fallit in crimine injuriarum ad accuſandum, vel excipiendum, vel quando agitur de crimine non criminaliter; vel in levibus criminibus, vel ſi crimen non excedat pœnam relegationis. Septimò fallit etiam in crimine ſuſpecti Tutoris, & etiam in pluribus aliis de quibus dicitur in c. Reos 23. q. 5.

C. SUPER HIS 16. h. t. Idem Pont. reſcribit, tribus modis poſſe crimen proponi, & opponi, ſcilicet per denunciationem, exceptionem, & accuſationem, & declarat quòd quando denunciatur, non eſt neceſſaria inſcriptio, quia tendit ad correptionem: quando verò accuſatur, eſt neceſſaria inſcriptio, quia tendit ad pœnam: quandò verò excipitur, ſi ad repellendum ob accuſationem, vel teſtificationem, non eſt inſcriptio neceſſaria: ſecus ſi ut excludatur aliquis à promotione officij, vel beneficij; & ante confirmationem objiciatur crimen, non eſt neceſſaria inſcriptio: ſin verò poſt promotionem, ut cum Ordinandus fuerit, vel conſecrandus, tunc eſt neceſſaria inſcriptio, & excipiens eſt compellendus à Judice ad extraordinariam pœnam ſi deficiat in probando, eò quia probando tollat jus acquiſitum. Demum declarat, hanc quæſtionem poſſe tractari per Procuratorem eò quia quamvis agat de crimine, non tamen eſt criminalis. Ubi notandum, talem quæſtionem non eſſe criminalem, quamvis agatur de crimine: quia excipiens non agit ad vindictam publicam, vel pœnam, ſed ſolùm ad repellendum, vel excluſionem actionis alterius neque per ſe intendit illum accuſare, ſed tantùm per accidens. Hinc exceptio propriè, & ſecundùm ſuam naturam tendit ad repellendum jus ab altero prætenſum.

C. QUALITER 17. h. t. reſcribit Idem Pont. Epiſcopo Vercellenſi, quòd ſi Inquiſitores non ſervaverunt debitum inquiſitionis modum debeant ſe corrigere, ſed cautè, & prudenter ſuperſedendo donec inveniatur congrua occaſio, ne eorum authoritas vileſcat. Rurſus declarat formam juramenti dandi in inquiſitione eſſe, ut Clerici jurent, quòd ſuper his, quæ ſciunt, vel credunt etiam in ſua eccleſia reformanda tam in capite, quam in membris dicent meram, & plenam veritatem Inquiſitoribus exceptis criminibus occultis. Ex quo textu colligitur, Judicem, & quemlibet alium prudentem debere errorem ſuum cautè corrigere, adeò ut ſi ſit in authoritate, vel dignitate conſtitutus, non debeat ultro, & palam errorem fateri, ne authoritas vileſcat officij, ſed debere congruam quærere occaſionem emendandi errorem. Quod verò ad formam pertinet juramenti, licèt in diverſis locis diverſa forma juramenti pro Inquiſitione fuerint ex conſuetudine introducta: meritò tamen, forma quam Pontifex exhibet in hoc textu, cæteris videtur præferenda, quia brevis, & perſpicua eſt: excipiuntur tamen crimina occulta, de quibus cùm non præceſſerit infamia non debet inquiſitio fieri, neque teſtes tenentur tale crimen Inquiſitoribus aperire c. inquiſitionis c. qualiter h. t. *ſecus accuſatio poteſt etiam fieri de occultis.*

C. CUM DILECTI 18. h. t Idem Pont. reſcribit, quòd ſi inquiſitus juret, reſpondere ad inter-

interrogata, & confiteatur aliquod crimen, poſſit deinde ſe excuſare interpretando confeſſionem, non tantùm eam perimendo: & ſi ſufficienter probet illas exceptiones ſit liberandus: dummodo poſſit probare, quòd ſub hac forma juraverit, vel ſcripto, vel per teſtes: & quamvis invmatur alia levis culpa, ſit nihilominus ei indulgendum ob pudorem, quem ſuſtinuit: ſin verò non poſſit probare illas excuſationes, vel juravit ſub alia forma dicendi plenam, & meram veritatem, debet puniri. Ubi notandum eſt, inquiſitum jurantem ſe ſolùm reſponſurum veraciter ad inquiſita, non eſſe perjurum, ſi de alijs taceat, vel veritatem non dicat; quantum eſt ex vi talis juramenti: quamvis ex alio capite poſſit teneri, ut ſi judex legitimè interroget: quia ipſe per juramentum tantùm ſe obligavit ad inquiſita, non ad alia. Quòd ſi juraret in forma præcedentis textûs, teneretur reſpondere ad omnia.

C. CUM OPORTEAT 19. h. t. Idem Pont. declarat, non eſſe procedendum ad inquiſitionem criminis alicujus, niſi priùs conſtet de illius infamia. Rurſus ſi ſit procedendum ad inquiſitionem, ejus inimicos non eſſe admittendos ad proſequendam inquiſitionem, imò neque ad teſtificandum, ſed veritatem quærendam eſſe à viris idoneis: quòd ſi nihil grave probatum fuerit contra Epiſcopum; mandat Pont. ut indicetur ei canonica purgatio. Ex hoc textu claret, non eſſe in cauſa criminali recipiendos, neque admittendos teſtes, vel inimicos; quales ſunt etiam conſanguinei, & familiares accuſatoris: imò neque teſtes inhoneſtæ converſationis, etiam ad denunciandum. Quæ verò dicenda ſint ſufficere ad inimicitiam, ut quis arceatur à teſtificando, relinquitur arbitrio Judicis.

C. CUM DILECTUS 20. h. t. Idem Pontif. declarat, publicum concubinarium non poſſe denuntiare, propter quod fuit excommunicatus: neque illum, qui denuntiaturus, priùs non præmonuit denuntiandum, ſeu Epiſcopum de illo delicto: neque illum, qui conſpiravit in denuntiandum. Præterea prohibet, ne Epiſcopi præſumant gravare clericos, quia legitimè appellârunt ad Papam ſuper illo delicto, donec cauſa finiatur per mandatum Papæ. Ex hoc textu colligitur, denuntiationes eſſe repellendas, ſi conſtiterit, quòd eum non præmonuerint, quem denuntiârunt, præmonitione ſcilicet charitativa, ut præſcripſit Chriſtus in Evangelio.

C. INQUISITIONIS 21. h. t. Reſcribit idem Pont. quòd quando crimen alicuius probatum per inquiſitionem deponeret accuſatum criminaliter, & convictum: ſi crimen ſit tale, quod etiam poſt peractam pœnitentiam impediret executionem ſuſcepti ordinis, vel retentionem beneficij, ut homicidium, aut ſimonia in ordine, vel beneficio acquirendo, tunc ſit procedendum, ut in judicio accuſationis: ſin autem non ſit tale, eſt danda pœna arbitraria ſecundùm merita perſonæ, & exceſſus qualitatem. Rurſus ſtatuit Pontifex, quòd ſi contra aliquem non præceſſerit infamia, nec clamoſa inſinuatio non debeant recipi depoſitiones contra eum, tametſi plures juramento affirment, eum deliquiſſe ipſis videntibus; imò nec ſit puniendus aliqua pœna, nec inquirendum ſit ad petitionem eorum, qui in occulto porrigunt libellum infamationis continentem crimina. Rurſus declarat, non eſſe adhibendam fidem dictis teſtium contra aliquem, ſi poſt, vel ante juramentum tacitè, vel expreſſè fatentur ſe eſſe ejus inimicos, niſi ante juramentum præſumatur in fraudem id facere. Demum ſtatuit, ut propter famam, & credulitatem teſtium tantùm non ſit proferenda ſententia depoſitionis contra aliquem, ſed infamato debeat indici purgatio ſecundùm arbitrium Judicis, qui non debet reputare aliquem infamatum propter paucorum dicta, præſertim ſi ejus opinio læſa non videatur apud bonos, & graves viros. Ex hoc textu colligitur, quòd ſi pœna ſit crimini determinata, ſit ad illam deveniendum etiam per viam inquiſitionis, non minùs quàm per viam accuſationis; in alijs verò, quæ innoteſcunt ex ipſa inquiſitione relinqui moderationem pœnæ arbitrio Judicis, ſi non ſit ſtatuta pœna depoſitionis, vel privationis: ratio eſt, quia via inquiſitionis eſt mitior via accuſationis, neque in alijs procedit ad plenum judicium. Rurſus in nullo occulto crimine poſt peractam pœnitentiam impediri executionem ordinis niſi in homicidio c. quæſitum de temp. ordin. & in ſimonia can. de his diſt. 5. Præterea teſtes, ſi dicant de occultis, non valere eorum dicta, quia ſuper his non jurârunt c. de teſt. immo eſſe puniendos, qui in occulto dant libellum infamationis. Præterea Judicem debere teſtem interrogare, an ſit ejus inimicus, non ita, an ſit criminoſus: quòd ſi poſt juramentum dicat ſe eſſe criminoſum, vel inimicum, ei non creditur. Præterea certum eſt, dicta paucorum non facere famam, neque propter talia dicta debere Prælatum moveri ad inquirendum, niſi fama ſit per villam, vel parochiam. Ubi notandum eſt, paucos eſſe dicendos, tametſi ſint numero 40. c. latores de cler. excommun. miniſt. Unde requiritur major pars viciniæ, ut ex hoc ſcandalum generetur, famam enim loci conſtituit major pars viciniæ, ut ex hoc ſcandalum generetur: famam enim loci conſtituit major pars ejuſdem, non verò ſolum aliquorum c. illud de præſumpt. Demum ſtatuit Pontifex, ne temerè credatur infamiam allegantibus, nec infamationibus, niſi infamia à parte rei ſubſit, & apud bonos, graveſque viros invaluerit.

C. AD PETITIONEM 22. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi finito proceſſu conſtet de crimine Abbatis, & hic deponatur non ſervato ordine juris, ſit injuſte depoſitus, quamvis verè eſſet deponendus, adeò ut ob non ſervatum ordinem judiciarium depoſitio ſit injuſta, & depoſitus reſtituendus: immo ſi interim alius ſubſtituatur, eſt etiam injuſtè ſubſtitutus, eò quia primus fuerit injuſtè depoſitus: voluit nihilominus Papa in hoc textu primum Abbatem

batem remanere depoſitum, ut etiam ſecundum ſubſtitutum: verùm quia ſecundus non fuit privatus ob vitium perſonæ, vel defectum ſcientiæ, ſed tantùm ob non ſervatum ordinem juris, Papa voluit ipſum reſtituere in Abbatem. Ex quo textu colligitur, legatum Generalem non poſſe cognoſcere de cauſa alteri commiſſa, proinde non valuit, quod Legatus fecit in depoſitione Abbatis, & ſubſtitutione alterius: & quia Abbas non ſtatim reclamavit, videtur litteris commiſſionis à Pontifice alijs datis tacitè renunciâſſe c. gratum de offic. & poteſt. Delegat. *Rurſus licèt Abbas de jure fuiſſet reſtituendus ob juris ordinem in eo amovendo non ſervatum, eò quia Judex, ſeu legatus non fuerit competens; cum non potuerit ſe intromittere in cauſa alijs commiſſa: nihilominus ex plenitudine poteſtatis illi denegavit reſtitutionem debitam de jure communi ad evitandum ſcandalum.*

C. *ACCEDENS 23. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi aliquis obtinuit à Papa beneficium, & in executione gratiæ excipitur contra illum, quòd ſit criminoſus, ſi non fuit priùs infamatus de illis criminibus, ſit illi beneficium conferendum: ſin autem appareat poſtea legitimus accuſator, & fuerit legitimè crimen probatum, debeat privari beneficio. Sin verò non appareat accuſator, vel apparens non probet, & ipſe interim ſit infamatus de tali crimine; eſt illi indicenda canonica purgatio, in qua, ſi deficit, debet à beneficio removeri, ſin verò ſe purget, debent coërceri contradictores, ne illum moleſtent, imò etiam condemnari ad legitimas expenſas. Hinc notat Gloſſa, quòd ſi alicui electo, & non confirmato, ſeu non habenti plenum jus objiciatur exceptio, debet hæc audiri; non ita, ſi objiciatur inſtituto, & confirmato, niſi ſit infamatus, immò debet ei dari poſſeſſio.*

C. *QUALITER, & QUANDO 24. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi clamor, & fama non à malevolis, ſed ab honeſtis viris ſæpè perveniat ad aures Superioris contra ſubditum, debeat ſuperior ex officio diligenter inquirere veritatem coram ſenioribus eccleſiæ, & mandat id eſſe diligentiùs ſervandum in Prælatis judicandis, quia non poſſunt omnibus placere, cum ex officio increpent, ſuſpendant, ligent cenſuris, proinde incurrant odium, hinc ſtatuit Pontifex, ut accuſatio criminalis tendens ad degradationem non admittatur, niſi præcedat legitima inſcriptio. Quandò verò aliquis eſt infamatus, ut ſine ſcandalo non poſſit diſſimulari, debet tunc procedi ad inquirendum, ut puniantur exceſſus, qui ſi ſint graves; quamvis infamatus non degradetur ab Ordine, privatur tamen adminiſtratione. Rurſus inquiſitus, niſi contumaciter ſe abſentet, debet eſſe præſens, ut illi exponantur capita, ſuper quibus eſt inquirendum, & ſciat dicta, & nomina teſtium, ut ſe defendat: ſunt enim admittendæ exceptiones, & publicationes legitimæ. In exceſſibus non notorijs, ſi procedatur per accuſationem, debet præcedere inſcriptio: ſi per denuntiationem charitativa admonitio: ſi per inquiſitionem clamoſa inſinuatio: circa Regulares autem non eſt tamen exactè hic ordo ſervandus. Nota, famam debere oriri à perſonis fide dignis, & gravibus, & æquè in civilibus, ac criminalibus non facere plenam probationem* l. 3. §. ejusdem ff. de teſtibus: c. illud ne clerico excommun. *Verùm quamvis non faciat plenam, inducit tamen ſemiplenam probationem, ſi originem traxeris ex veriſimilibus conjecturis juxta arbitrium Judicis. Et licèt in civilibus fama cum uno teſte omni exceptione majore, & deviſis, faciat plenam probationem, non ita in criminalibus, quia in his debent probationes eſſe luce meridiana clariores. Bona tamen fama in genere, tollit malam famam pariter in genere de aliquo, & etiam ubi teſtes ſunt utrinque contrarij: quia quilibet præſumitur bonus, niſi probetur malus. Non tamen bona fama in genere tollit ſpecialia indicia delicti ſufficientia ad torturam.*

C. *SICUT OLIM 25. h. t. Mandat idem Pont. ut Metropolitani celebrent ſingulis annis cum ſuis ſuffraganeis Provinciale Concilium, in quo agant de corrigendis exceſſibus, de reformandis moribus, præſertim in clero ſecundùm jura addendo pœnas. Verùm hodie hæc decretalis non videtur ubique locorum ſervari. Concilium tamen Tridentinum* ſeſſ. 24. *c. 2. decernit, non ſolùm ſynodos Provinciales, ſed etiam Diœceſanas eſſe annuatim celebrandas.*

C. *OLIM 26. h. t. Gregorius IX. declarat, cenſuras latas per Abbatem, qui ſuis denuntiatus, vel alium ejus nomine, eſſe relaxandas, ſi latæ fuerunt poſt inceptum negotium: ratio eſt, quia poſt inceptam cauſam inter Prælatum, & ſubditum coram Judice ſuperiori, juriſdictio Prælati eſt ſuſpenſa.*

C. *PRÆLATORUM 27. & ult. h. t. Idem Pont declarat, quòd ſi denuntietur, Prælatum eccleſiam dilapidare, ſit alicui danda commiſſio, ut inquirat veritatem perſonaliter, & interim interdicatur Epiſcopo poteſtas alienandi, & teneatur comparere coram Papa.*

IN SEXTO.

C. *POSTQUAM 1. h. t. reſcribit Innocentius VIII. quòd poſtquam aliquis eſt confeſſus certa crimina coram Judice inquirente, non poſſit ſe excuſare, & dicere non fuiſſe diffamatum in ijs: quia ut notat Gloſſa, id erat excipiendum ante confeſſionem, unde debet ſibi reus imputare.*

C. *SI IS CUI. ult. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi Judex omiſſa inquiſitione infamiæ inquirat de criminibus coram reo præſente, & tacente, non poſſit ampliùs impugnari proceſſus, ex eo, quòd priùs non fuerit quæſitum de infamia: quia ut notat Gloſſa ex eo, quòd tacuerit, creditur renuntiâſſe privilegio ſuo* c. qualiter h. t.

COM-

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit accuſatio, & quæ conditiones requirantur ad illam.

1 DEfinitur accuſatio ab Hoſtien. *alicujus criminis delatio legitimè facta apud judicem competentem inſcriptione interveniente ad publicam vindictam.* Dicitur eſſe *delatio criminis apud judicem competentem*, quia cum in criminalibus alia ſit juriſdictio, & alia in civilibus, ideo requiruntur alij judices, qui de crimine rectè cognoſcant, additur *inſcripitione interveniente*, quia requiritur ad accuſationem inſcriptio, ſeu obligatio ſcripta, quâ accuſator, ſe obliget ad probandum crimen objectum, vel ſi defecerit in probatione ad pœnam talionis, ſeu ad ſubeondam eandem pœnam, quam pati reus debuiſſet, ſi crimen probatum fuiſſet *l. 3. ff. de accuſat. & l. ult. C. eod. tit.*

2 Hodie tamen hæc pœna talionis mutata eſt in arbitrariam, & extraordinariam, eò quia plures per eam deterriti ab accuſando ſe abſtinebant, non ſine gravi reipublicæ detrimento ob delicta, quæ impunita manebant. Demum additur *ad vindictam publicam*, quia accuſatio debet inſtitui ad publicam vindictam: quamvis ex delictis alia ſint publica, quæ ſtatum reipublicæ perturbant, & lædunt, & quorum accuſatio propterea cuivis de populo datur, ut crimen læſæ majeſtatis, homicidij, adulterij, violentiæ publicæ, & alia delicta, quæ recenſentur *in lib. 4. inſtit. de publicis delict.* & alia privata, quæ magis ad privatos homines, quàm ad rempublicam ſpectant, ut ſunt furtum, rapina, damnum injuriâ datum, calumnia: nihilominus ex quolibet delicto etiam privato agi poteſt, non ſolùm civiliter ad compenſationem damni illati ex delicto, vel ad pœnam actori applicandam; verùm etiam criminaliter ad pœnam publica judicis authoritate corpori imponendam, vel ad pecuniam fiſco inferendam. §. *in ſumma 10.* & ibi Doctores *inſtit. de injurijs.*

3 Præterea illæ particulæ *ad publicam vindictam* diſtinguunt accuſatorem propriè dictum ab actore, quia hic, quod ſua intereſt potiſſimè quærit: accuſator verò reipublicæ bonum principaliter intendit, ut ſcilicet ſcelerati homines puniantur, & reſpublica à ſceleribus purgetur. Hinc datur duplex libellus accuſationis unus in criminalibus; & alter conventionis in civilibus. Cæterum non pertinet ad ſubſtantiam accuſationis, ut hæc ſemper ſcripto tradatur, ſed tantùm ad ejus ſolemnitatem: ſufficit enim verbaliter eam proponere, & à Notario excipi, & ſcribi. Debent etiam Notarij nomen; accuſantis, & accuſati; dies, & annus, quo fit accuſatio, imò etiam locus delicti diſtinctè exprimi: ſi tamen hæc omitterentur, non fieret irrita accuſatio, ut notat Farin. *pract. de form. libelli §. quot ſint.*

In libello verò conventionali explicantur circumſtantiæ, quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & à quo: nomen tamen actionis de jure canonico non eſt neceſſè, ut verbis exprimatur *c. dilecti de judic.* ratio eſt, quia ex cauſa petendi intelligi facilè poteſt; ſecus cauſa petendi ſemper exponitur, ſive proxima ſit, ut in actione perſonali, obligatio, & in reali dominium; ſive remota qualis in actione perſonali eſt contractus, in reali factum, ex quo cauſatur dominium, ut quòd res ſit legata, vendita, tradita. Rurſus libellus accuſatorius *inſcriptio* appellatur, & libellus conventionis *poſtulatio:* inſcribere autem dicitur, qui nomen ſuum ſubſcribit, ſcilicet ad pœnam talionis, ſi non probaverit delictum, quod accuſat, quæ tamen pœna hodie ſublata eſt *l. penult. C. de accuſ. l. 2. §. fin de adulter.* 4

Hinc quando dicitur, quòd ſine accuſatione judicium fieri non poſſit, id verum eſt, ſi accuſatio ſumatur laxè tam pro vera, ac formali, quàm pro æquivalente: etenim interdum delictum innoteſcit judici per libellum oblatum, qui accuſationem continet; nonnunquam per denuntiationem, & frequenter per querelam ſimplicem, ut etiam aliquando per evidentiam facti, & tunc fama clamoroſa viam judicij aperit. Moris tamen hodie in pleriſque provincijs eſt, ut conſtituantur Syndici, quorum officium eſt, deferre crimina, quæ merentur vindictam: immo etiam de quolibet delicto poteſt judex inquirere, dummodo rumor præcedat. 5

Quamobrem ſpectato jure communi, ut forma accuſationis valida ſit, plures requiruntur conditiones, quarum prima eſt, ut libellus accuſatorius offeratur in ſcriptis, ut conſtet, quid accuſator probare debeat; & ut in accuſatione non poſſit quidpiam ampliùs mutari, ſi noverit, ſe non poſſe probare, ut tradit Clarus §. *fin. q. 12. n. 7.* Conſuetudo tamen invaluit, ut accuſatio poſſit fieri etiam verbaliter, dummodo Notarius eam in ſcriptis recipiat. 6

Secunda, ut exprimatur annus, & dies, quo porrigitur libellus accuſationis. 7

Tertia, ut etiam exprimantur nomina accuſatoris, & accuſati, imò & judicis, ut ſciatur, an competens ſit, nec ne. 8

Quarta, ut exprimatur etiam ſpecies delicti, ut ſi ſit adulterium, vel homicidium, quia ſuper hoc potiſſimum fundatur intentio accuſantis. 9

Quis

10 Quinta, ut etiam exprimantur circumſtantiæ loci, temporis, anni, menſis, in quo delictum commiſſum eſt *l. libellorum 3. ff. de accuſ.* alioquin accuſatio redderetur incerta, & reo adimeretur facultas ſe defendendi, quia non poſſet probare negativam determinatam ad certum locum, & tempus, nec teſtes convincere falſitatis, ut tradit Clarus *loc. cit. q. 12. n. 8. & 9.*

11 Non tamen requiritur, ut accuſator in libello etiam exprimat diem, & horam commiſſi criminis, ut deſumitur *ex d. l. libellorum 3. ff. de accuſat.* alioquin poteſtas accuſandi, & probandi nimis reſtringeretur, cùm facilè poſſet, quis dici obliviſci, ac hebdomadæ, in qua commiſſum eſt delictum.

12 Sexta; requiritur jure communi inſcriptio, & ſubſcriptio accuſantis, quâ accuſator ſe ſubſcribat ad pœnam talionis ſubeundam, ſi accuſationem non probaverit, quæ tamen ſolemnitas inſcriptionis, & pœna talionis in foro, & judicio ſæculari non eſt ampliùs in uſu teſte Julio Claro *loc. cit. q. 12. n. 17.* quia nunc judex ex officio poteſt procedere, ſi actor defecerit in probatione. In foro autem eccleſiaſtico, & jure canonico adhuc neceſſaria eſt hujusmodi inſcriptio, ut deſumitur *ex c. ſuper his, 16. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd crimen poſſit opponi tribus modis ſcilicet denuntiando, excipiendo, accuſando; & cùm denuntiatur, non eſſe neceſſariam inſcripionem; eò quia tendat ad correctionem: benè tamen, cùm accuſatur, quia tendit ad pœnam; & Hoſtienſis in ſumma ait, jure canonico accuſationem ſine inſcriptione non admitti: excipiuntur tamen quidam caſus, in quibus nec de jure canonico, nec civili inſcriptio eſt neceſſaria, ut ſi crimen leve ſit *l. levia 6. ff. de accuſ.*

Præterea conſuetudo hodie invaluit, ut accuſationi ſucceſſerit ſimplex querela, quæ differt ab accuſatione, quia in iſta ſemper porrigitur ſolemnis libellus, & ſit inſcriptio, non ita in ſimplici querela.

13 An verò ſecreta monitio debeat præcedere accuſationem, plures affirmant, eò quia Chriſtus *Matth. 18.* dixerit, *ſi peccaverit in te frater tuus corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Tum quia charitas fraterna exigit, ut accuſatio fiat cum minimo, quoad fieri poterit, famæ detrimento, & damno proximi: ſed ſi proximus ſecretè monitus vellet ſe emendare, injuria ei fieret, ſi accuſaretur; videntur huic ſententiæ adhærere Cajetanus *2. 2. q. 32. art. 7.* Sotus *lib. 5. de juſtit. q. 5. art. 1.* Sylveſter *V. accuſatio q. 3.* ubi tamen limitat, præcedere tunc tantùm debere fraternam correptionem, quando ex mora non imminet periculum communitati, vel alicui alteri innocenti. Cajetanus verò non diſtinguit correptionem licitam ab ea, quæ eſt in præcepto, & ait, debere fraternam correptionem præcedere, quando quis proſequitur in judicio ſuam, vel ſuorum injuriam tantùm ob id, quod ſuâ intereſt: non ita quando accuſatio eſt in præcepto, tunc ait correptionem fraternam non eſſe præmittendam, ut cùm, quis accuſat reum de crimine, quod probabiliter creditur committendum contra bonum reipublicæ, vel Principis, vel alicujus tertij innocentis.

14 Secunda ſententia, quæ communior eſt, ac verior docet, non eſſe neceſsè, ut fraterna correptio præcedat accuſationem, & huic ſententiæ videtur adhærere D. Thomas *in 4. diſt. 19. q. 2. art. 3. ad 4.* & revera hæc ſententia colligitur ex jure canonico *in c. qualiter, & quando 17. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd ſicut denuntiationem debet præcedere fraterna correptio, ſic accuſationem legitima inſcriptio: Unde Pontifex diſtinguit accuſationem à denuntiatione per hoc, quòd denuntiatio debeat fieri prævia fraterna correptione, non ita accuſatio. Ratio itidem naturalis id videtur ſuadere, quia accuſatio non eſt ad pœnitentiam, & emendationem criminis, ſed ſolùm ad publicam punitionem delicti; ſecus denuntiatio directè; & primariò eſt ad pœnitentiam, & emendationem fratris: unde accuſatio ex natura ſua non videtur exigere hanc præviam fratris correptionem. Tum quia accuſatio non ſolùm eſt de criminibus in futurum committendis, aut de quibus frater non eſt emendatus; ſed etiam de præteritis delictis, & in quibus frater jam eſt ſufficienter emendatus: & ratio eſt, quia accuſatio non fit ob emendationem fratris, ſed ob publicam punitionem, publicúmque exemplum, ut pœnis inflictis delinquentis cæteri à maleficijs deterreantur, & tranquillitas Reipublicæ promoveatur.

15 Hinc patet ſolutio ad fundamentum, quo nititur prior ſententia, quia Chriſtus *Matth. 18.* non dixit, correptionem eſſe præmittendam accuſationi, quæ fieri ſolet de criminibus, ſed denuntiationem, quâ crimen defertur ad judicem ob pœnitentiam, & emendationem privatam fratris: cùm enim hæc denuntiatio inſtituta ſit ob privatam fratris emendationem, debet fieri cum eo minore detrimento famæ, & honoris fratris, quo fieri poteſt, quo pacto ſi ſperetur, ut frater per ſecretam admonitionem ſit ſufficienter emendandus, debet ſecretè corrigi, non denuntiari: ſecus accuſatio cùm non fiat ad emendationem fratris, ſed ob publicam punitionem malefactorum, tunc bonum reipublicæ debet præferri privato; proinde in accuſatione non eſt habenda ratio famæ, vel honoris, ſed boni communis.

16 Non tamen libellus accuſationis eſt ſemper neceſſarius, dantur enim aliqui caſus, in quibus non requiritur. Primò quando ſummariè, & ſine ſtrepitu agitur in cauſis beneficialibus, matrimonialibus, decimarum, & uſuræ *c. diſpendioſa clement. de judiciis.* Secundò ſi reus libellum non deſideret, non eſt tunc producendus. Tertiò ſi cauſæ ſint leviores, & breviores. Quartò ſi conſuetudo in contrarium vigeat. Neque accuſatus compellendus eſt, ut ſtatim reſpondeat libello, quia jure communi illi conceditur ſpatium 20. dierum ad deliberandum, an velit litem inſtituere, & admittere talem judicem; & ut cogitet, ſi adſint

ex-

exceptiones *authent. offeratur C. de litis conteſtat.* Si tamen juſtæ cauſæ ſuppetant, poteſt tale tempus etiam à judice contrahi, vel laxari, ut notat Cardinalis Tuſchus. *concluſ. 301. & 302.* Ut autem à Juriſperitis obſervatum eſt, libellus accuſationis ſyllogiſmum continet juridicum tali pacto: Petrus accuſator dicit: *cuilibet operario ſolvenda eſt merces ſua juxta conventionem factam; ſed Paulus mecum convenit de uno aureo pro tali opere ei à me præſtito: ergo poſtulo, ut det mihi aureum juxta conventionem mecum factam:* in hoc ſyllogiſmo juridico major propoſitio continet regulam generalem: & minor ſpeciem facti, & concluſio petitionem. Probatio aſſumptionis incumbit actori *l. 2. tit. de probat.* quòd ſi reus excipiat factam à ſe jam pridem fuiſſe aurei ſolutionem, onus id probandi in ſe transfert *l. in exceptionibus tit. de probat.* quia ut ait Gloſſa ſicut actor intentionem ſuam; ita reus debet exceptionem probare. Parato hoc libello judex rogatus debet reum citare, eóque præſente actor offert libellum judici, & judex reo, & per hoc cenſetur judicium inchoatum. Lis verò tunc dicitur conteſtata, cùm ad petitionem actoris reſpondit reus animo confligendi *c. dudum eccleſia §. licèt de elect.* & *c. 1. de litis conteſtat.*

17 Cavendum eſt, ne in eodem libello plures ſimul actiones inferantur, ut vitetur obſcuritas; ſed ſi plures ſint actiones, quarum ſingulis teneatur reſpondere accuſatus, ſunt ſeorſim exponendæ, & etiam totidem ſententiæ ferendæ. Quòd ſi actor velit libellum ſuum emendare, ac in melius reformare, debet id efficere ante litem conteſtatam, niſi ipſa mutatio tangat principaliter ipſam rem, ejúſque quantitatem, vel qualitatem in libello petitam. Quòd ſi libellus omnino ineptus fuerit, tunc judex debet reum abſolvere à judicij obſervatione, & damnare actorem ad expenſas: ut autem notat Gaillus *lib. 1. obſer. 66.* tunc ineptus cenſetur libellus, quando in eo non concluditur jus agendi. Sin verò libellus generalis ſit, & incertus tunc reijcitur ex *c. ſignificationibus de libelli oblatione.*

18 Id autem nonnullas patitur limitationes. Primò in petitione fructuum, expenſarum, uſurarum, damnorum. Secundò in civilibus parte non opponente. Tertiò in petitione hæreditatis. Quartò quando incertitudo naſcitur ex parte ipſius rei. Sin verò libellus fuerit dubius, & obſcurus, qualibet induſtria ſublevandus eſt, ut ſuum ſortiatur effectum, & ad hunc finem deligenda eſt interpretatio, quæ menti actoris ſit favorabilior, ut notat Gaillus *lib. 1. obſer. 61. & ſequent.* Tuſchus *concluſ. 305. & 308.*

19 Juvat obſervare, quòd quando utraque pars accuſator, ſeu actor, ac reus ſunt præſentes in judicio, licèt procedendum ſit eodem modo in cauſis criminalibus, ac in civilibus; id tamen intereſt diſcriminis, quia in cauſis criminalibus non eſt neceſſaria concluſio in libello ad certam pœnam; ratio eſt, quia ſi ſemel probetur crimen, pœna non juxta mentem actoris, ſed ſecundùm leges imponi debet, ut notat Weſſenbech. *in paratit. ff. de accuſ. n. 12.* Secundò quia in criminibus evidentiores requiruntur probationes *l. ult. C. de probat.* Tertiò in criminalibus reo permitti debet libera defenſio, quamvis appareat, ipſum juſtam cauſam non habere, & quidem etiam poſt concluſionem in cauſa, ut etiam poſt ſententiam condemnatoriam, ut notat Weſenbechius *loc. cit.* immo contra reum contumaciter abſentem non poteſt ferri ſententia definitiva condemnatoria *l. abſentem ff. de pœnis*; quia inauditâ cauſâ, ſeu defenſione Rei, non debet hic damnari, id enim æquitas non patitur *l. 1. ff. de requir. Reis, vel abſent. dam.* idque de jure canonico, ubi quoad modum procedendi contra criminoſos contumaciter abſentes proceditur etiam cùm diſtinctione. Vel enim lis eſt conteſtata, vel non; ſi primum procedi poteſt ad ſententiam comminatoriam, ſi conſtet de delicto, ut deſumitur *ex c. decernimus 10. cauſ. 3. q. 9.*

Id autem procedit, dummodo ſententia poſſit in abſentem exequi, ut eſſet pœna privationis ab officio, vel beneficio, vel depoſitionis: 20
non ita in gravioribus delictis, pro quibus pœna infligitur, quæ non poteſt in abſentem mandari executioni, eò quia pœna debeat perſonam afficere, ut eſt pœna perpetui carceris, vel mortis, tunc enim non poteſt procedi ad ſententiam condemnatoriam contra Reum contumaciter abſentem, quamvis lis conteſtata fuerit: ſiquidem fruſtra ſententia profertur in abſentem, in quem non poteſt executioni mandari. Sin verò lis nondum fuerit conteſtata; vel etiam quamvis fuerit conteſtata; ſi tamen non conſtet de crimine, regulariter non poteſt procedi ad teſtium receptionem, nec ad ſententiam condemnatoriam, ut notat Gloſſa *in c. veritas 1. V. probatum de dolo, & contumacia.*

§. II.

Quinam accuſare poſſint, & qui ab accuſatione repellendi ſint.

Certum eſt, omnibus licitum eſſe accuſare, quibus jure non eſt interdictum, ut reſpondit Marcellus Juris-Conſultus: unde ijs exceptis, qui ſpecialiter, & expreſſè repelluntur, ſúntque jure prohibiti; poſſunt cæteri omnes accuſare: ratio eſt, quia quod non eſt à jure prohibitum, præſumitur jure conceſſum *c. 2. juxta Gloſſam V. non incurritur de tranſlat. Epiſc.* Solet tamen procedi cum diſtinctione, quia ſi crimen ſit publicum, illúdque puniri ad publicam pertineat utilitatem, tunc quilibet è populo poteſt illud accuſare; ſecus ſi ſit privatum, is tantùm, cujus intereſt, ſeu qui injuriam, vel damnum eſt paſſus. Hinc patet diſcrimen inter crimen publicum, & privatum, illud enim eſt, cujus accuſatio cuilibet conceditur; tale eſt omne id, quod directè ſit contra Deum; vel res divinas; vel bonum commune reipublicæ; dicitur tunc crimen publicum, non quòd omnibus ſit manifeſtum, ſed quia ſit in 1

omnium injuriam, & lædit publicum, ſen communitatem; quapropter datur facultas cuilibet illud accuſandi, ut hæreſis, blaſphemia, everſio templorum, & alia id genus ſacrilegia *l. 4. C. de heret.* ut etiam, ſi ſit crimen læſæ majeſtatis, vel contra bonum reipublicæ, imò etiam illud, quod ſit contra privatam perſonam; ſi lege ſtatutum ſit, ut publicum habeatur, ut crimen homicidij, parricidij, peculatûs: crimen verò privatum is ſolus accuſare poteſt, cujus intereſt, proinde dicitur privatum, eò quia ejus accuſatio ei tantùm conceſſa ſit, qui injuriam, vel damnum eſt paſſus: crimen privatum eſt illud furti, injuriarum, ſtellionatûs, ut habetur *in l. ſi quis 7.* Plures nihilominus in utroque jure arcentur ab accuſando.

2 Primò ratione conditionis, & ſtatûs, Clerici prohibentur criminaliter accuſare laicos *c. ſi enſ 6. cauſ. 2. q. 7.* quia non debent ſe immiſcere negotijs ſæcularibus idque, vel maximè, ſi delictum mereatur mortem, vel membri mutilationem, quia fierent accuſatores illatâ tali pœna irregulares, tanquam cooperatores ad mortem, vel mutilationem alterius, & hoc etiam procedit de Monachis, ut deſumitur *ex tot. tit. ne Clerici, vel Monachi,* quia Monachi non debent ſe immiſcere litigijs hiſce odioſis, & debent potiùs eſſe ſegregati à vita, & actione laicorum.

3 Sin autem agatur de delicto ad proſequendam ſuam propriam injuriam, vel ſuæ eccleſiæ poſſunt clerici accuſare criminaliter laicos, dummodo illi delicto non imponatur pœna ſanguinis; alioquin clericus, vel Monachus fieret irregularis, niſi proteſtaretur, quòd non intendat agere ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis, vel aliam corporalem imponendam: ratio eſt, quia ſi tunc clerici, vel Monachi non poſſent laicos accuſare, daretur ijsdem occaſio impunè delinquendi in clericos, & Monachos. Non tamen excuſaretur ab irregularitate, ſi clericus cum ſimili proteſtatione teſtimonium ferret, & Reus poſtea pœnâ mortis, vel mutilationis plecteretur. Poteſt etiam Parochus, & concionator abſque ſpeciali deſignatione hominis, vel pœnæ in genere monere Magiſtratum, ut pro ſecuritate publica, & ad ſcandalum evitandum juſtitiam adminiſtret, & in malefactores inquirat.

4 Prohibentur etiam laici accuſare criminaliter clericos de aliquo crimine niſi ſuam propriam, vel ſuorum injuriam proſequantur, idque deſumitur *ex c. cum 10. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, non debere laicum admitti ad accuſandum clericum, niſi ut notat Gloſſa, proſequatur ſuam, vel ſuorum injuriam, idque ob reverentiam, quam laici tenentur clericis præſtare, & etiam ob odium, quo plerumque ſolent eccleſiaſticos proſequi *c. oves 3. & c. ſequent. cauſ. 2. q. 7.* hinc laici præſumuntur potiùs moveri odio, quàm zelo juſtitiæ, quando clericos accuſant, ut notant Clarus *loc. cit. in §. fin. q. 14. n. 21.* Farinacius *p. 1. lib. 1. tit. 2. q. 10. n. 13.* Excipiuntur tamen crimina publica, enormia, ut hæreſis, ſimonia, crimen læſæ majeſtatis; ſi enim clerici labantur in hæc crimina, poſſunt à laicis accuſari *c. ſanè 4. cauſ. 15. q. 3.* & *c. cum 10. h. t.*

5 Secundò ob delictum proprium perſonæ repelluntur etiam ab accuſando Excommunicati, infames, publici peccatores, uſurarij, & his ſimiles *c. prohibentur 2. q. 2. l. ſi qui accuſare tit. de accuſ.* Tum quia excommunicatus, ſeu ligatus majori excommunicatione repellitur ab agendo in judicio *c. intelleximus 7. de judic. c. pia de except. in 6.* ergo non poteſt accuſare, quia accuſator in cauſa criminali eſt proprius Actor, ut etiam in foro civili, ut notat Farinacius *loc. cit. n. 26. & 28.* etiamſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequatur. Tertiò ob reverentiam prohibentur etiam liberi, & liberti accuſare parentes, & patronos; excipitur tamen crimen læſæ majeſtatis, quia bonum publicum reipublicæ præferendum eſt bono privato parentum, & patronorum.

6 Rurſus Pagani, & Judæi non poſſunt Chriſtianos accuſare, ut nec etiam hæretici catholicos *c. Pagani 25. c. 2. q. 7.* imò neque in criminibus exceptis. Arcetur etiam ab accuſando pauper, qui in bonis habet minus quàm quinquaginta aureos *l. nonnulli 10. ff. de accuſat.* ratio eſt, quia paupertas cogit ad illicita, & facilè pauperes pecuniâ corrumpuntur. Sin autem conſtet, pauperem eſſe honeſtæ, & bonæ vitæ repelli non debet, ut notat Clarus *loc. cit. n. 19.* Quartò ob defectum ætatis repelluntur etiam pupilli *l. qui accuſare 8 ff. de accuſ. c. prohibentur 14. cauſ. 2. q. 1.* excipitur tamen niſi ſuam, vel parentum ſuorum proſequantur injuriam *l. 2. §. pupillus. de accuſ.* Quòd ſi pupillus ſit major infante, licèt impubes, poteſt accuſare cum authoritate tutoris *argu. l. fin. C. de auth. præt.* Sin verò ſit pubes minor ſcilicet 20. annis, ipſe ſolus ſine Curatoris authoritate non admittitur, niſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequatur, ſecus accedente authoritate Curatoris minores indiſtinctè poſſunt accuſare, dummodo 14. ætatis annum exceſſerint.

7 Quintò mulier etiam ob ſuam fragilitatem & verecundiam arcetur ab accuſando *l. qui accuſare 8. ff. de accuſ. l. de crimine 12. c. qui accuſare non poſſent*: limitatur tamen niſi ſuam, ſuorúmque injuriam proſequatur, quâ ratione poteſt uxor accuſare occiſſorem mariti ſui, ut communiter docent cum Julio Claro *loc. cit. q. 14. n. 8.* immo ſunt etiam alij caſus, in quibus mulier ad accuſandum admittitur, ut in criminibus exceptis, & in caſu annonæ, idque ob publicam utilitatem.

8 Cæterum non poteſt accuſatus criminaliter pendente accuſatione reaccuſare accuſatorem ſuum in pari, vel minore crimine niſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequatur, quia is, qui Reus factus eſt, debet priùs ſe purgare, nec ante poteſt accuſare, quàm fuerit purgatus, ſiquidem Reus non purgatur relatione criminum, ſed oſtenſione innocentiæ *l. is qui 5. in fin. ff. de public. judic.* limitatur tamen quoad majora crimina, de quibus accuſatus poteſt alium accuſare ſaltem extraneum, quia licitum

eſt

eſt majus crimen objicere, nec graviori crimini per minus debet præjudicari, idque ante litem conteſtatam: non verò poſtea, ut notant communiter cum Zœſio *ff. de accuſ. n. 13.*

9 Ob inimicitiam gravem, & capitalem prohibentur accuſare, qui ſunt accuſati inimici, quia tales præſumuntur accuſare non zelo juſtitiæ, ſed privatæ vindictæ causâ, ut notat Julius Clarus *in dict. §. fin. q. 14. n. 17.* quæ verò cenſenda ſit inimicitia gravis ſufficiens ad excludendum accuſatorem, arbitrio relinquitur prudentis judicis. Imò id ampliatur etiam ad conſanguineos, & adhærentes inimicis ipſius accuſati, quia plerúmque affectus amicitiæ invitat ad tales accuſationes in obſequium amici: hinc Stephanus Papa *in c. repelluntur 7. h. t.* reſcribit, qui cohabitant cum inimicis meis repelluntur ab accuſatione contra me: per hunc enim textum præſumitur eſſe alicujus inimicus, qui ejus inimico familiaris eſt, & converſatur cum illo, tametſi non præſumatur eſſe inimicus capitalis, ut notat Farinac. *in praxi crimin. apud Jul. Clar. lib. 5. §. fin. q. 24. n. 6.* & alij apud Barboſam *n. 3.* qui id extendunt etiam ad inimicum reconciliatum, ut nec ipſe poſſit accuſare, niſi cauſa inimicitiæ jam dudum extincta fuerit, & amicitia longo tempore confirmata.

10 Ad contrahendam autem inimicitiam non attenditur, an quis habeat juſtam cauſam litigandi, ſeu accuſandi, an non; adeò ut poſſit quis excipere contra inimicum, eúmque ab accuſatione excludere, quamvis ſuâ culpa cauſam dederit inimicitiæ, niſi per dolum id præſtiterit, ut notat Abbas *in d. c. repelluntur n. 5. h. t.* Quamobrem tam inimici, quàm amici inimicorum excluduntur ab accuſatione: quia propter amorem, & odium perſæpe humanum judicium pervertitur, & accuſatio potiùs vindictæ causâ, quàm juſtitiæ zelo inſtituitur *c. quatuor 78. cauſa 11. q. 3.*

11 Immo neque, qui teſtimonium tulit in cauſa criminali contra aliquem, poteſt poſtea in eadem cauſa accuſare; ratio eſt, quia ex tali teſtimonio præſumitur oriri inimicitia. Idque deſumitur *ex c. cum 10. h. t.* ubi cùm P. Manconella Presbyter ex una, & ex altera parte Bonus Presbyter cum fratre ſuo Joañe laico Papam adijſſent; & dictus Joannes accuſaret Manconellam de ſimonia. Pontifex illum repulit, quia laicus erat, & ſimiliter ejus fratrem Presbyterum, qui illum adduxerat ad accuſandum ſecum Manconellam ſuper ſimonia; de quo crimine, quia Manconella itidem accuſabat Presbyterum; Pontifex utrique Presbytero de objectis criminibus canonicam purgationem indixit, mandavítque, ut uterque ſe purgaret coram tribus ſacerdotibus. Juvat in hoc textu obſervare, Joannem non fuiſſe excluſum ab accuſando, ex eo præcisè, quia fuit laicus (quia ſuper ſimonia ſicut ſuper alijs criminibus exceptis poſſunt etiam laici clericos accuſare) ſed ideo fuiſſe Joañem repulſum ab accuſando, quia accuſatores erant inimici ab invicem; quia Bon⁹ frater Joannis accuſavit Petrum ſuper ſimonia, & viciſſim frater Petri dictum Bonum accuſavit ſuper eodem crimine: unde ob mutuas accuſationes præſumebantur inimici: hinc accuſans aliquem, ſi fratrem ſuum adducat in teſtem, etiam repellitur ab accuſatione tanquam inimicus. Ut autem is, qui teſtimonium fert contra aliquem in cauſa criminali, præſumatur ejus eſſe inimicus, debet teſtis ſe ſponte proterre ad teſtificandum; alioquin ſi ad id adigeretur, & coactus deponeret, non poſſet ab accuſando repelli, ut inimicus in tali, vel alia cauſa, quia tunc ceſſat præſumptio inimicitiæ.

12 Cæterum inimicus non solùm excluditur ab accuſatione, verum etiam ab exceptione voluntaria, ſeu ſponte oppoſita: dicitur exceptio voluntaria, quando quis non moleſtatus, nec provocatus venit ad judicium; ſeu ſpontè ſe offert ad ferendum teſtimonium in cauſa criminali; tunc enim repellitur ab accuſando tanquam inimicus, idque deſumitur *ex c. meminimus 13. h. t.* ubi cùm Pontifex in electione *C. Abbatiſſæ* à ſe confirmata Epiſcopo mandâſſet, ut eam benediceret, Epiſcopus verò, quia quidam H. ad ſedem Apoſtolicam appellans dictam Abbatiſſam de ſimonia accuſabat, benedictionem diſtuliſſet, reſcribit Alexander III. non debuiſſe Epiſcopum appellationem deferre, cùm dictus H. Abbatiſſæ manifeſtus fuerit inimicus, & contra eam teſtimonium tulerit, proinde jubet, illius benedictionem non differri.

13 Hinc inimicus non ſolùm repellitur ab accuſatione vigore hujus textus, eò quia ſit manifeſtus inimicus, ſed etiam ab ipſa exceptione voluntaria, ſeu ſpontè oppoſita, ut notat Panormitanus *in d. c. meminimus n. 3. h. t.* cùm enim iſte H. non moleſtatus, nec provocatus venerit in judicium, ut Abbatiſſam accuſaret, excluditur ab accuſatione, & exceptione voluntaria: habet enim exceptio voluntaria in pluribus vim accuſationis. Secus ſi vocatus, & requiſitus teſtimonium dixiſſet, repellendus tunc non fuiſſet, quia paruiſſet judicis mandato; & obedientia deleviſſet omnem ſuſpicionem calumniæ: ſed quia non requiſitus, non moleſtatus, non provocatus venit ad judicium, ut Abbatiſſam accuſaret, excluditur ab hac exceptione voluntaria, ſeu ſpontè oppoſita.

14 Manifeſtum inimicum eſſe repellendum ex officio judicis, communiter docent Doctores aſſerentes, hujuſmodi inimicum manifeſtum debere eſſe capitalem: verùm quis in ſpecie dicendus ſit inimicus capitalis, id non explicant, unde arbitrio relinquendum eſt prudentis judicis, ut is diſpiciat, an manifeſta adſint indicia, vel tam violentæ præſumptiones odij, ſeu ſiniſtri affectus accuſantis contra accuſatum, ut moraliter certum ſit, eum non zelo juſtitiæ, ſed vindictæ privatæ causâ moveri ad dicendum teſtimonium: quando hæc omnia concurrunt, videntur conſtituere inimicum capitalem in quavis cauſa, quia tunc, qui ſpontè contra alium fert teſtimonium *c. ut cauſæ* per calumniam videtur impetere, adeo ut idem ſit inimicus capitalis, ac manifeſtus: & hic inimicus non ad-

admittitur ad accuſandum, etiam in crimine excepto, ut fuit in caſu textûs *in d. c. meminimus* ſimonia; quia ſi non fuiſſet manifeſtus, ſeu capitalis inimicus, deferendum fuiſſet ipſius appellationi, & potuiſſet electam Abbatiſſam excuſare.

15 Excludendi itidem ſunt ab accuſatione accuſatores inhabiles, & non idonei, tametſi pars nihil contra ipſos excipiat, ut deſumitur ex *c. ſi legitimus 1. h. t.* ubi Felix Papa reſcribit: quando accuſator non eſt legitimus, Reum non eſſe moleſtandum, nec trahendum in judicium, unde Gloſſa ait, ſi legitimus non fuerit accuſator, non fatigetur accuſatus, hoc eſt repellatur accuſator à judice ex officio, & Reus abſolvatur ab obſervatione judicij: niſi fuerit infamatus, quia tunc indicenda eſſet ei purgatio *c. presbyter 13. cauſ. 2. q. 5.* Apud Julium Clarum *in d. §. fin. q. 15. n. 1.* ad inſtituendum judicium quærendum præſertim eſt de legitimatione, ſeu habilitate perſonarum, quæ in judicio litem cupiunt inſtituere *argu. l. ſi quæramus 4. ff. qui teſtam. facere poſſ.* & notat Abbas *in d. c. ſi legitimus n. 1. h. t.* Rurſus quia exceptio de inhabilitate accuſatoris eſt dilatoria, proponi debet ante litem conteſtatam, quia poſt conteſtationem litis non poteſt ampliùs opponi, niſi fortaſſis Reus ignoraverit hanc exceptionem ſibi competere. Cæterum ſi aliquis ex illis, qui accuſare prohibentur de facto aliquem accuſavit, & Reus contra illum non excepit de inhabilitate illius ad accuſandum, proceſſus accuſationis tenet, ſuúmque ſortitur effectum, quia exceptio hæc eſt dilatoria, quæ opponi debet ante litem conteſtatam: unde accuſatus debet ſibi imputare, ſi neglexerit eam opponere, ut notat Clarus *loc. cit. q. 15. n. 4.*

16 Sed contra hoc poteſt objici difficilis textus *in c. nulli Epiſcoporum 5. h. t.* ubi Paſchalis V. reſcribit, non poſſe Epiſcopum aliquem ſuum familiarem etiam inhabilem ob infamiam volentem eum accuſare, repellere ab accuſatione tanquam infamem. Sed reſpondetur, id ſpecialiter ſtatutum fuiſſe in odium, & pœnam Epiſcoporum tolerantium in ſua domo criminoſos, & perſonas inhoneſtas. Ratio itidem aſſignatur, quia Epiſcopus non poterat reprobare mores, quos priùs approbaverat, oſtendo ſcilicet familiaritate talium Hominum. Hinc quamvis generaliter criminoſus non admittatur ad accuſandum, ſi tamen fuerit familiaris Epiſcopi; tunc in pœnam, quòd talem hominem in propria domo toleraverit, ejus accuſatio recipitur vigore hujus textûs; adeò ut non poſſit Epiſcopus contra eum excipere, ut docet Julius Clarus *§. fin. q. 15. n. 2.*

17 Poteſt tamen judex ex officio ſuo tales accuſatores ut viles, ac infames repellere: ratio eſt, quia ex delicto jus acquiritur non ſolùm privato, ſed etiam reipublicæ: undè licèt privatus ob culpam ſuam non admittatur ad repellendum ſuum accuſatorem, poteſt tamen judex ratione reipublicæ, cui acquiritur jus ex delicto repellendi infames, repellere talem accuſatorem, contra quem accuſatus non poteſt excipere: ſiquidem illegitimus accuſator repellendus eſt non ſolùm ob commodum accuſati; ſed etiam ob dignitatem judicis, & commodum reipublicæ, ut notat Gloſſa *in d. c. nulli V. repellere h. t.* & *V. familiaritatem in fin.* Tres ut illegitimi non poſſunt accuſare ſcilicet criminoſi, inimici, & qui ſunt malæ famæ, vel ſuſpecti, imò nec poſſunt denuntiare, ut habetur *in c. cum in tua de ſponſal.* Sunt etiam alij illegitimi, & inhabiles ad accuſandum, qui comprehenduntur his verſibus.

Fœmina, pupillus, delatus, crimine tentus,
Suſpectus, quæſtu corruptus, ſortilegúsque,
Infamis, ſervus, pauper, cum milite princeps.
Libertus, ſocius ſocium, nec non inimici.
Clericus eccleſiam nullus deferre valebit,

§. III.

Quinam criminaliter accuſari poſsint vel non?

GEneratim omnes delinquentes accuſari 1
poſſunt, de quibuscunque delictis abſque ullo ſexûs diſcrimine, dummodo uſum rationis habeant, ſintque capaces delicti; quapropter tam liberi, quàm ſervi; tam viri, quàm fœminæ; tam puberes, quàm impuberes, ſi utantur ratione, & delinquant, accuſari poſſunt criminaliter, ut notat Julius Clarus *in d. §. fin. q. 16. n. 1.* Excipiuntur tamen abſentes, qui inſpecto jure ſcripto de capitali crimine non poſſunt accuſari *l. abſentem 6. C. de his qui accuſ. non poſſ.* Multò minus poſſunt condemnari *l. abſentem 5. ff. de pœnis.* Ratio eſt, quia indefenſus non debet condemnari, ut nec Reus, quin priùs audiatur, ne ſcilicet contingat, innocentes condemnari. Sunt plures, qui propter dignitatem prohibentur accuſari, ut Papa, Imperator, & Rex, ut etiam alij Principes, qui ſupra ſe alium non habent judicem, & vocantur ſupremi. Prohibentur etiam accuſari ad tempus Legati Imperatoris, ut etiam Magiſtratûs populi durante eorum officio *l. hos accuſare 12. ff. de accuſ.*

An verò Prælati, & Abbates Monachorum 2
poſſint à ſuis Religioſis, & Monachis accuſari. Reſpondetur affirmativè, & deſumitur *ex c. ex parte tua 11. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, Monachos, niſi alia cauſa rationabilis impediat, eò quòd ſint de obedientia, & ſubjectione Abbatis, nullatenus eſſe ab ejus accuſatione repellendos: licèt alios accuſare non poſſint; & cum proprium non habeant; de rebus monaſterij expenſas neceſſarias debere, donec cauſa finiatur, illis miniſtrari: unde ex hoc textu liquet, non eſſe licitum Religioſo, quemquam in judicio accuſare præter proprium Prælatum. Ratio verò, cur Prælatus poſſit accuſari de crimine, eſt; quia Monachi accuſantes proprium Prælatum delinquentem, cenſentur procurare utilitatem monaſterij, cujus intereſt, non habere Prælatum malum, & qui potiùs ſit lupus, quàm paſtor: Neque tunc Monachi, quidquam cen-

cenſentur agere contra obedientiam, quia quamvis teneantur in licitis parêre Prælato, non item connivere, & tolerare, ſi malus ſit; quinimò potiùs tenentur eum accuſare, cùm id interſit totius monaſterij; quod maximum pateretur detrimentum, ſi Prælatus non denuntiaretur. Pendente tamen accuſatione tenentur Monachi debita obſequia præſtare Abbati, ac illi parêre, cùm nondum ſit officio privatus: Sin verò Prælatus præciperet Monachis deſiſtere ab accuſatione, non tenerentur tunc iſti Prælato præcipienti parêre, quia tunc tale præceptum foret injuſtum, ut rectè notat Abbas *in d. c. ex parte n. 4. h. t.*

3 An verò Monachi antequam denuntient, & accuſent Prælatum ſuum, teneantur priùs petere, & impetrare veniam, ac licentiam ab eodem. Plures affirmant, eò quia Religioſus non poſſit quidquam inſtituere abſque licentia ſui ſuperioris. Communior tamen ſententia docet, Monachos ad id non teneri; quia tunc Monachi à jure habent hanc facultatem accuſandi proprium Prælatum: unde cùm Pontifex concedat ipſis hujuſmodi licentiam, non eſt neceſſè, quòd eam petant à proprio Prælato, quem intendunt accuſare ob utilitatem monaſterij. Cæterum Monachi præter proprium Prælatum non poſſunt alios criminaliter accuſare, ut deſumitur *ex d. c. ex parte 11. h. t.* quia cum habeantur mortui mundo, non poſſunt ſe immiſcere negotijs humanis; imò nec cenſentur habere liberum arbitrium.

4 Nihilominus poſſunt Religioſi quemlibet etiam extraneum accuſare, ſi duæ concurrant conditiones, ſcilicet licentia Abbatis, & utilitas monaſterij; adeò ut interſit hujus, ut extraneus accuſetur à Monachis *c. Monachi 3. c. 16. q. 1.* Quinimmo ſi Monachus ſit cubicularius Epiſcopi, ſeu ſamilaris, poteſt eundem delinquentem denuntiare, imò & accuſare etiam ſine licentia Abbatis: ratio eſt, quia clerici, vel Monachi conſtituuntur cubicularij Epiſcopi, tanquam teſtes vitæ ipſius *can. cum paſtoralis 54. c. 2. q. 7.* eò enim ipſo, quòd jure canonico Monachi conſtituuntur cubicularij Epiſcopi, conceditur ipſis facultas denuntiandi Epiſcopum delinquentem.

5 Quia verò *in d. c. ex parte 11. h. t.* dicitur, quòd Monachi poſſint accuſare ſuum Abbatem, & expenſæ ſint illis ſuppeditandæ de bonis monaſterij donec cauſa finiatur, id communiter intelligitur non ſolùm de expenſis ad victum, & veſtitum: verùm etiam ad litem, ſeu cauſam proſequendam neceſſarijs; & procedit ſive Monachus tantùm denuntiet Abbatem, ſive illum accuſet, eſt enim utrinque par ratio. Limitatur tamen niſi Monachus accuſans Abbatem proprium haberet peculium, tunc enim expenſæ quoad litem proſequendam non eſſent illi ſuppeditandæ ex bonis monaſterij, quia ceſſat ratio carentiæ pecuniarum in ordine ad proſequendam litem, ideo enim jus præcipit, ut expenſæ neceſſariæ ad proſecutionem litis ei ſuppeditentur ex bonis Monaſterij, quia ſupponit Monachum nil habere proprij, & carere omni peculio: ceſſante autem hac ſuppoſitione, tenetur Monachus, ſi ob propriam cauſam Abbatem accuſat, eò quia plures fuerint in electione etiam ipſi ſuffragati; & electionem Abbatis pati difficultates, in hoc caſu teneretur Monachus ex proprio peculio litem proſequi, ſi tamen dignitas, ad quam uterque eſt electus, ſit extra monaſterium; alioquin ſi Prælatura ſit in monaſterio, tenetur hoc expenſas neceſſarias ad litem motam miniſtrare, cum ejus interſit. Sin verò Monachum alium præter Abbatem accuſet, non debent illi expenſæ ſuppeditari ex bonis Monaſterij, ut notat Gloſſa *in c. cum paſtor 58. cauſa 2. q. 7.*

Rurſus ſi Monachus accuſat ſuum Abba- 6
tem, non ſtatim debet judicialiter admitti ad accuſandum, ſed tantùm poſt præcedentem, ac præviam ſummariam cognitionem cauſæ, quia ſine hac prævia cauſæ cognitione alij non accuſant; proinde neque à fortiori ipſi Monachi debent alios accuſare. Sicut monaſterium tenetur ſuppeditare expenſas neceſſarias Monacho accuſanti ſuum Abbatem; ita etiam Abbati accuſato, ut poſſit ſe defendere: imò id procedit, quamvis Abbas excluſus ſit ab adminiſtratione, vel ab eadem ſuſpenſus. Non ſolùm Monachi ſacerdotes, ſed etiam converſi laici admittendi ſunt ad accuſandum, vel denuntiandum Abbatem ſuum de crimine, quia etiam converſorum intereſt habere bonum Prælatum: licèt enim ſint converſi laici, adhuc non ſunt puri laici, & ſubijciuntur juriſdictioni Abbatis, cui propria præſtant obſequia. Cæterum Prælatus non ſolùm ob delictum dolo patratum, ſed etiam ob negligentiam non doloſam poteſt denuntiari, & accuſari; imò, & deponi, ſi non emendetur, & negligentia adeò ſit gravis, ut ſit monaſterio damno, vel regulari obſervantiæ; ſed tunc vocandi ſunt omnes, quorum intereſt.

Semel tamen accuſatus de uno crimine, & 7
ab eodem abſolutus non poteſt denuò de eodem accuſari, idque deſumitur *ex c. de his 6. h. t.* ubi textus deſumitur ex Concilio Moguntino, & ſtatuitur, ut de his criminibus, de quibus fuit abſolutus accuſatus, non poſſit accuſatio replicari; ex quo infertur, non poſſe ſemel accuſatum, aut inquiſitum, aut condemnatum iterum accuſari, inquiri, aut condemnari, ſi fuerit legitimè abſolutus. Ratio eſt, non quia obſtet exceptio rei judicatæ, cùm res inter alios acta alijs non præjudicet; ſed quia de delicto hominis non debet ſæpiùs quæri *l. licèt 6. §. fin. ff. nauta.* Tum quia, ſi poſſet Reus ſemel abſolutus ſemper iteratò accuſari de eodem crimine, à quo fuit abſolutus, nunquam ei conſtaret ratio ſuæ innocentiæ.

Solet tamen id multipliciter limitari. Pri- 8
mò niſi fuerit abſolutus abſque judicij obſervatione ex defectu libelli non ritè ordinati; vel quia non erat legitimus accuſator *l. 3. §. quòd ſi libelli. ff. de accuſ.* quod tamen procedit, dummodo ſit alius, qui accuſat, non verò idem, qui priùs accuſaverat, quia hic ob præſumptam inimicitiam ortam ex accuſatione; de jure cano-

nico excluditur à ſecunda accuſatione de eodem crimine, ut notat Covarruvias *lib. 2. reſol. c. 10. n. 1.*

9 Secundò niſi ſecundus accuſator probet ſaltem ex ſignis primum accuſatorem defeciſſe in accuſatione, & cùm accuſato colluſiſſe; tunc enim quamvis ſententia abſolutoria lata ſit, quia tamen fuit lata per colluſionem, ſeu prævaricationem, poteſt accuſatio de eodem crimine iterum fieri ab alio, ut notat Panormitanus *in c. fin. de colluſione detegenda*; quia dolus, & colluſio primi accuſatoris non debet præjudicare, nec eſſe impedimento alteri volenti abſque dolo accuſare: tum quia intereſt reipublicæ, ne delicta maneant impunita, onde admittitur in defectu primi ſecundus accuſator de eodem crimine poſt ſententiam abſolutoriam latam per colluſionem.

10 Tertiò limitatur etiam niſi ſecundus accuſator ſuam, vel ſuorum injuriam proſequatur, idque ad probandum ſe ignorâſſe accuſationem ab alio inſtitutam, & tunc ignorantia debet probari per proprium juramentum, quia cum conſiſtat in animo, non poteſt probari per alios teſtes.

11 Quartò, ſi agatur de crimine civiliter judicato ad proſecutionem rei familiaris, quòd Reus abſolvatur; poteſt tunc iterum criminaliter accuſari *l. 1. C. ſi quando civilis actio crimin. præjud.* Excipitur tamen, niſi utraque actio criminalis, & civilis tendat ad vindictam; quia tunc ſi actum ſit civiliter, non poteſt abſolutus ab actione civili poſtea accuſari criminaliter de eodem crimine *l. ait prætor 7. §. 1. ff. de injur.* Quòd ſi actio civilis tendat ad rem familiarem, & accuſatio criminalis ad publicam vindictam, tunc ſi accuſatus fuit abſolutus: quia accuſator non probavit delictum, poteſt iterum accuſari criminaliter *l. 1. C. quando civilis actio crimin. præjud.*

12 Si verò Reus fuerit abſolutus, quia delictum non commiſit, tunc non poteſt iterum criminaliter accuſari de eodem delicto à primo accuſatore, imò neque civiliter; quia tunc competit Reo contra illum exceptio rei judicatæ; poterit tamen ab alio tertio accuſari, ut notat Julius Clarus *in d. §. fin. q. 57. h. t.*

13 Præterea limitatur quintò, ſi Reus per ſententiam judicis ſit abſolutus; ſecus ſi per viam tranſactionis, quæ valida fuerit, tunc enim quamvis non poſſit ampliùs accuſari à primo accuſatore, cum quo tranſegit; poteſt tamen ab alio accuſari ex novo proceſſu, cui per tranſactionem non potuit fieri præjudicium. Quòd ſi prima tranſactio invalida fuit, tunc etiam primus accuſator, poteſt iterum accuſare, ut notat Covarruvias *lib. 2. reſol. c. 10. n. 5. limitat. 3.*

14 Sextò limitatur etiam, quando Reus in judicio tantùm per viam inquiſitionis, & non accuſationis abſolutus fuit, idque de jure canonico, juxta quod non ſolet imponi pœna ordinaria delicti, ſed minor, ut habetur *in c. qualiter. 24. h. t.* Id etiam procedit, ſi Reus fuerit abſolutus per viam denuntiationis, vel exceptionis, quia neutra tendit ad pœnam, ſeu vindictam delicti, & ſi denuntiatus plenè ſatisfecerit de delicto, non poteſt ampliùs accuſari de eodem delicto, ut notat Covarruvias *loc. cit. c. 8. n. 5. limitat. 8.*

15 Septimò limitatur, quando Reus abſolutus eſt à crimine per judicem in foro externo; tunc non poteſt iterum de eodem accuſari. Secus ſi tantùm abſolutus ſit in foro conſcientiæ; & in ſacramentali confeſſione, tunc enim non impeditur accuſatio ejuſdem delicti in foro externo: ratio diſcriminis eſt, quia abſolutio in foro interno tantùm fit ad ſatisfaciendum divinæ offenſæ; accuſatio verò in foro externo fit ad publicam vindictam, & ut ſatisfiat reipublicæ læſæ. Hinc impoſitio pœnæ in foro conſcientiæ non extinguit pœnam imponendam in foro externo, cùm hæ pœnæ diverſos reſpiciant fines, habeántq; diſtinctos effectus; unde qui commiſit grave delictum contra leges civiles, quamvis in ſacramentali confeſſione, & foro interno abſolvatur, & Reus ſatisfaciat Deo offenſo adimplendo pœnitentiam ſibi injunctam; adhuc tamen poteſt accuſari in foro externo, & puniri juxta præſcriptum legis.

16 Quinimò neque per baptiſmum tollitur, quin Reus poſſit accuſari in foro externo, & puniri: ſi enim Judæus occidat Chriſtianum, & poſtea baptizetur, ſi detegatur, quòd fuerit homicida, poteſt accuſari apud Magiſtratum poſt ſuſceptum baptiſmum, & plecti pœna capitis ob patratum homicidium ante ſuſceptum baptiſmum: ratio eſt; quia licèt baptiſmus tollat peccatum, & omnem pœnam peccati, etiam temporalem quoad Deum, & quæ erat infligenda à Deo; non tamen tollit pœnam imponendam à Magiſtratu humano; quia cùm Reus per commiſſum delictum læſerit rempublicam, æquitas exigit, ut puniatur à republica; non enim baptiſmus tollit jus quæſitum reipublicæ in ordine ad puniendum Reum, ut docet Covarruvias *lib. 2. reſol. c. 10. n. 3. limitat. 7.*

17 Rurſus ſi crimen ſit mixti fori, ſeu cujus cauſa poſſit cognoſci ab utroque judice eccleſiaſtico, & ſæculari; tunc limitatur octavò, quia licèt ſuper eodem delicto fuerit Reus accuſatus, & etiam abſolutus poſt cognitionem cauſæ à judice eccleſiaſtico: poteſt adhuc de eodem delicto mixti fori accuſari, & puniri coram judice ſæculari; quinimò ſi ſemel punitus fuerit à judice eccleſiaſtico, poteſt iterum puniri à judice ſæculari, ut deſumitur *ex c. felicis 5. §. per hoc quoque de pœnis*, ut notat Clarus *§. fin. q. 57. n. 57.* quia cùm jurisdictio eccleſiaſtica ſit prorſus ſeparata, & diſtincta à ſæculari; ideò ſententia lata ab una non parit exceptionem rei judicatæ quoad aliam. Tum quia pœna ſpiritualis, non tollit temporalem; neque e converſo.

18 Id tamen non procedit, quando pœna inflicta à judice eccleſiaſtico ſufficit ad punitionem criminis juxta menſuram delicti, tunc enim non poſſet idem crimen bis puniri, niſi fortaſſis delictum eſſet ita enorme, ut exigeret puniri ab utroque judice.

An

19 An verò, qui injuriam paſſus offendenti remiſerit in foro conſcientiæ omnem injuriam, poſſit poſtea offendentem accuſare in foro externo. Reſpondetur cum diſtinctione, ſi remiſſio injuriæ fuit totalis, & plena, adeò ut remiſerit etiam jus eum accuſandi in foro externo, tunc certum eſt, non poſſe ampliùs offendentem accuſare in foro externo; quia cùm ſemel ceſſerit toti juri ſuo, non ei ſupereſt jus accuſandi offendentem in foro externo. Sin verò non remiſit totum jus, ſed tantùm quoad forum conſcientiæ, tunc cum jus accuſandi remaneat in offenſo, poteſt hic offendentem accuſare apud forum externum: ratio eſt, quia tunc remiſſio in foro conſcientiæ tantùm pertinet ad privatam vindictam, non verò ad publicam. Quinimò licèt offenſus remitteret jus accuſandi offendentem in foro externo, adhuc poſſet offenſus agere contra offendentem, ut hic reſarciret damna ſibi illata: quia jus ad hanc reſarcitionem diſtinguitur à jure accuſandi offendentem in foro externo; proinde ſi offendens detrectaret reſarciree damna illata offenſo, poſſet hic uti jure ſuo, & illum per judicem compellere ad illa reſarcienda.

20 Quid verò dicendum ſit de procuratore, an admitti poſſit, ut accuſator loco principalis, cuius vices gerat? Reſpondetur negativè, & deſumitur *ex c. veniens 15. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit: in cauſa criminali abſente Reo non eſſe admittendum procuratorem ad agendum, vel defendendum, tametſi Reus ſe excuſet, quòd non poſſit venire ob cauſas extrinſecas, & frivolas, ob quas reputetur contumax: ſed tunc excluſo procuratore deputatur auditor, ut intelligat, an poſſit illum excuſare: ratio eſt, quia ſi admitteretur procurator, judicium redderetur illuſorium, quia ſi accuſator condemnaretur de calumnia, & eſſet propterea puniendus, cùm accuſator eſſet abſens, non poſſet puniri, neque loco illius procurator; eſt enim contra rationem naturalem, ut unus pro alio puniatur; & procurator pro accuſatore condemnato de calumnia. Quamvis jure novo pœna talionis abrogata ſit; in ejus tamen locum ſucceſſit pœna extraordinaria infligenda ad arbitrium judicis accuſatori condemnato de calumnia: & hæc pœna non poſſet infligi procuratori, cùm unus non ſit puniendus pro alio, neque poſſet accuſatori injungi, eò quia abeſſet. Generatim in cauſis criminalibus, in quibus Reo condemnato imponitur pœna afflictiva corporis, loco Rei, non admittitur procurator, ut notat Clarus §. *fin. q. 32. n. 1.* quia judicium criminale redderetur prorſus illuſorium contra *l. ſi prator 25. ff. de judic.* ſiquidem ſi Reus cognoſceret ſe condemnandum eſſe, non compareret perſonaliter in judicio; ſed reſponderet per procuratorem, & per ipſum totam litem proſequeretur, ſicque ſententia condemnatoria imponens pœnam afflictivam corporis non poſſet exequi, non in ipſo Reo, quia abeſſet; neque in ejus procuratore, quia unus non eſt puniendus pro alio, nec innocens pro nocente.

21 Quamobrem procurator non poteſt tunc admitti ad agendam, vel defendendam cauſam principalem Rei, ſed tantùm ad allegandas cauſas abſentiæ, & ad opponendas exceptiones dilatorias, & alias, quæ ante litis conteſtationem ſolent opponi, ut ſi accuſator eſſet infamis, aut excommunicatus, vel alio modo illegitimus accuſator; tunc admittitur procurator, ut deſumitur *ex d. c. veniens 15. h. t.* Qui verò juravit ſe non accuſaturum aliquem de aliquo crimine, ſi poſtea de eodem velit illum accuſare, non auditur; quia tunc præſumitur malo animo moveri ad accuſandum *argu. c. 1. cauſa 3. q. 10.* & hoc etiam procedit, quando quis ſimpliciter accuſationem remittit alteri, ut habetur *in c. ſi illic. 29. cauſa 21 q. 4.* quia in hiſce caſibus ſemper cenſetur accuſator non juſtitiæ zelo, ſed privatæ vindictæ causâ, accuſationem inſtituere, à qua propterea jura eum excludunt.

22 Secus procurator admitti poteſt, & ſolet etiam in cauſis criminalibus, ſi in ipſis non infligatur pœna capitis, vel afflictiva corporis, ſed pecuniara, vel alia ſimilis, quæ non reddat ex abſentia Rei judicium illuſorium, ut docet Menochius *de arbit. judic. lib. 1. q. 80. n. 119.* quando enim ex juris diſpoſitione non injungitur pœna afflictiva corporis, ſed tantùm pecuniaria, vel alia ſimilis, quia tunc executio ſententiæ non fit in perſona rei, ſed tantùm in bonis ejuſdem, præſertim immobilibus, quæ non poſſunt auſugere, ideo tunc parùm intereſt fiſci, ſi Reus nolit perſonaliter comparere, ſed ſed tantùm per procuratorem.

23 Solent etiam plures recenſeri caſus, in quibus etiam in cauſa criminali procurator admittitur. Primò ſi tantum agatur criminaliter de crimine, pro quo injungitur pœna relegationis, vel alia minor, ut notat Menochius *de arbit. judic. lib. 1. q. 80. n. 103.*

24 Secundò ſi Reus detineatur in carcere, vel etiam extra territorium judicis, quia tunc cùm Reus non poſſit auſugere, nec poteſt judicium criminale eludere, proinde ceſſat ratio, ob quam non admittitur procurator, id tamen Barboſa *in d. c. veniens n 5.* limitat, dummodo incarceratio Rei procurata non ſit eo fine, ut non compareat.

25 Tertiò ſi Reus principalis non poſſit comparere per ſe ipſum ob impoſſibilitatem facti, vel ſi tota reſpublica deliquit; ſive ob impedimentum juris, ut Monialis, quæ à monaſterio prohibetur egredi.

26 Quartò ſi agatur de crimine criminaliter, & aliquis tertius interveniat pro ſuo proprio intereſſe, tunc etiam procurator admittitur, quia quoad tertium judicium non eſt criminale, ſed potiùs civile; quâ ratione Abbas poteſt defendere Monachum accuſatum de crimine, ut etiam pater filium, quia iſti interveniunt pro ſuo intereſſe, conſequenter admittuntur, vel per ſe, vel per procuratorem, ut notat Abbas *in d. c. veniens 15. n. 13. h. t.* Plures alios ſimiles caſus, in quibus admittitur procurator, etiam in criminalibus recenſet Julius

Cla

Clarus §. *fin. q. 32. num. 23. & ſequent.* ipſum conſule.

§. IV.

De Effectibus accuſationis, & quomodo Reo accuſato de crimine indici debeat canonica purgatio.

1 CErtum eſt, principalem effectum accuſationis eſſa, ut Rao legitimè convicto de crimine, ſoper quo ſuir accuſatua, pœna ordinaria, & certa, ſi qua jura ſtatuta eſt, infligatur: vel alia condigna arbitraria, & extraordinaria à judice par ſententiam condemnatoriam imponanda, ut daſumirur *ex c. ſi conſtiterit 12. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd ſi Presbytar, cui acclesia eſt commendata, ſit ebrioſua per totam noctam in tabarna, & manè indigeſtua, ſau non jejunus celebret, ſi da hoa ſit convictna coram ſuo Epiſcopo, val accuſatua fateatur ſpontè, non poteſt rapetere eccleſiam, qua fuit privatus. Quòd ſi acclaſia fuit ei canonicè collata in titnlum, & poſtaa non fuit convictus de aliquo crimina, ob qood jure eſt ſpoliandus; val ſi ſuit ſpoliatoa, poſt appellationem aſt raſtituendos in poſſaſſione pacifica. Ex quo taxto inſertur, Presbyterum pro ſola ebrietata non aſſe privandum banaficio, nac propter ſolum ingreſſum in tabernam; ſed ſi par rotam noctem potando manè indigeſtus, ſan non jejunoa auſus fuarit miſſam calebrara; onde io judicio non ſolùm inquiritur da ebriatate, verùm atiam de noo præmiſſa dormitione, ac digeſtione, ut præſumitur eo ipſo, quòd per cotam noctem fuerit in taberna, tunc enim niſi Prasbyter contrarium probet, nimirùm quòd poſt madiam noctem non ampliùs potaverit, & jarit dormitum in propriam domum, puniendus aſt, ac privandus beneficio.

2 Sin varò id probat, & accuſator daprehendatur calumnioſus; hic præter pœnam talionis, vel aliam extraordinariam ad arbitrium judicis, adhuc poniendos aſt aliâ pœnâ ſtatutâ in jure contra accoſatorem calumnioſum *in c. accusâſti 8. h. t.* ubi Stephanus Papa reſcribit, accuſantem calumnioaè innocanrem, qui par talem accuſationem occiſus ſit, qoadraginta dies in pane, & aqua, qood carena dicitur, in ſaptam ſequentibus annia debere pœnirera, & ſi eſt debiliratua per tres quadrageſimas pœnitare. Hoſtianſis tamen *in d. c.* intelligit taxtom de accuſatione innocentis per calumniam, quæ ſit absque culpa accuſari, quia ſi quia juſtè accuſetur, & probato crimina ſit capite diminutos, immunis eſt accuſator, & exacotor quantum ad pœnam talionis *c. illud 23. q. 4. c. cum homo, qui malos, & plura ſimilia q. 3.* irragularitatam caman etiam juſtus aacuſator incurrit, cùm hæc contrahacur etiam ſine peccato, ut nutat Abbas *in d. c. accusâſti n. 1. h. t.* Quia varò in præfato textu axcipitur, niſi dabilitatus ſit, cui pœnitantia minuitur, & reſtringitur ad trea quadragaſimaa: per dabilitatum is intalligitur, cui mambrum eſt abſciſſum; tametſi propriè debilitari etiam contingat, quando exercitium alicujus membri impeditur, licèt illud non abſcindatur. Quòd ſi a cuſator fuetir in canſa, ut aliquis membro ſuo mutilaretor, hoic injungituc pœnitentia per tres qoadrageſimas, ſcilicat trium annorum ante paſcha, ut communiter ſantiunt apud Barboſam *in d. c. accusâſti n. 4. h. t.* Præterea jejunium injunctum in pane, & aqua par ſeptem ſaqoentes annos *in d. c. accusâſti 8. h. t.* non ita inrelligitur, ot pœnitens dabeat quotidiè jajunare ſolo pane, & frigida, ſed ſufficit, ſi id exequatur par tres feriaa canonicaa in qualibet habdomada, ſcilicat teria ſeconda, quarta, & ſexta.

Secundus accoſationis effectus eſt, ot accuſatus, val denuntiatus de aliquo crimina pandente accuſationa, val denuntiationa non poſſic promovari ad honorem, vel dignitatem, donec canonicè ſe purget, & daſumitur *ex c. omnipotens 4. h. t.* ubi Gregorius I. raſcribit Conſtantiæ Auguſtæ: valdè grave aſſa, ut vir, da quo tanta, & talia danuntiantur (cùm anta raquiri, & diſcuti dabaanr) promoveatur. Quamobrem ex hoc taxtu colligitur, effactum accuſationis lagitimà inſtitutæ eſſe, ut pendante accuſatione, val danuntiatione accuſatua non poſſit promovari ad honores, & dignitates; ao enim ipſo, quòd quis accuſatur da gravi crimine; ſtatim ejus opinio eſt gravata, & ob id ſuſpanditur ejua promotio ad honorea, donec canonicè purgetur: & licèt per ſolam accuſatinoam non conſtituatur quis Reua, val criminoſus, niſi etiam convincatur *c. ult. cauſa 15. q. ult.* nihilominus qoia per accuſationem opinio accuſàti gravatur, idao ſuſpenditur ajus promotio non ſolum ad dignitatea eccleſiaſticaa, verùm etiam ſæculares, ut habetur *in l. Reus 11. ff. de munerib. & honor.* ubi tamen additur, quòd dilapſo anno poſtquam Reus delatus eſt, non prohibeatur petere honores, niſi fortaſſia par ipſum ſtaterit, quo minus cauſa intra annum expediratur. 3

Ratio verò, cur promotio hæc ad honores ſuſpenditur, eſt, qoia opinio promovendi ad dignitatas, & honorea noo debat vacillare, proinde pendenta accuſatione non debet promoveri etiam ad ordines ſacros *c. tantis 3. diſt. 81.* Immo nec potaſt eſſe taſtis in cauſa criminali, prærerqoam in criminibus exceptis *c. fin. de teſtibus*, ut nec potaſt eſſa procurator alterios, nec aliquem accuſara, quia non relatione criminis, ſed innocentiâ Rans porgatur *l. his qui 5. ff. de public. judic.* Non tamen impeditur accuſatus, quin pendante accuſatione poſſit adminiſtrara bona, quibus præeſt, niſi fortaſſis ſit ſuſpectus de dilapidationa, ut habetur *in c. ult. h. t.* ubi Gregorius IX. reſcribit, qoòd quando denuntiatur, Prælatum dilapidare eccleſiam, eſt danda commiſſio alicoi, ot inquirat veritatem perſonaliter; & interim interdicitnr pnteſtaa alienandi, & compellitur comparere coram Papa. Generatim pendentia accuſationis conſtituit accuſatom inhabilem quoad jura de novo acquirenda non ita eum privar jure jam acquiſito. Ratio eſt, quia de- 4

cla-

claratio innocentiæ debet promotionem præcedere, nec ſufficit, ſi illa ſubſequatur, quia debet quis eſſe habilis, conſeqnenter innocens tempore electionis, vel promotionis *argu. c. dudum 14. de elect. c. ſi eo tempore 45. eod. tit. in 6.*

5 Quinimò accuſatus lite pendente nec poteſt promoveri ad honores, quamvis non præceſſerit infamia, eò qnia ſit criminoſus tantùm occultus: quia per ſolam pendentiam accuſationis impeditur promotio; non tamen id procedit, quando accuſatio non tenet, nec facta eſt à legitimo accuſatore, ut deſumitur *ex c. meminimus 13. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, non poſſe eum excipere contra aliqnem, qui præſumitur manifeſtus ejus inimicus: non enim etiam per ſententiam condemnatoriam ſuper crimine aliàs famoſo inducitur infamia, ſi ſententia fuerit nulla ex defectu jurisdictionis, & vitio proceſsûs, vel ob denegatam audientiam ipſi condemnato, ut notat Fagnanus *in d. c. omnipotens 4. n. 14. h. t.* Neque procedit, quando crimen, de quo quis accuſatur, eſt leve, quia hoc non impedit promotionem ad dignitatem. Neque procedit, quando accuſatio eſt in cauſa civili, & in ordine ad intereſſe proptium proſequendum; tunc neque impedit promotionem accuſati ad dignitates, & hnnores, quia hujusmodi accuſatio non irrogat infamiam.

6 Quando verò aliquis obtinuit à ſummo Pontifice beneficium, & in executione gratiæ excipitur contra ipſum, quòd ſit criminoſus, ſi antea non fuerat infamatus de ijsdem criminibus, quæ ei objiciuntur, debet adire poſſeſſionem beneficij ſibi à Papa collati, & ſi poſtea appareat legitimus accuſator, & fuerit legitimè probatum aliquod crimen, tunc removendus eſt ab officio. Quòd ſi accuſator non apparet, vel ſi apparet, non probat, & ipſe eſt infamatus de illo crimine; tunc indicenda eſt illi canonica purgatio, in qua ſi deficiat, removendus eſt à beneficio. Sin autem ſe purget, ſunt compeſcendi contradictores, ne ipſum moleſtent, & ſunt condemnandi in legitimis expenſis, idque deſumitur *ex c. accedens 23. h. t.* ubi cùm Pontifex præbendam, quam habuerat H. ſubdiaconus ipſius in eccleſia Cremonenſi ejusdem nepoti G. contuliſſet; mandat idem Pontifex, niſi præfatus G. ſuper objectis eidem in modum exceptionis criminibus perjurij, & homicidij publicè fuerit infamatus, conceſſionem ipſi factam executioni mandari. Sin autem legitimus accuſator prædicta, vel eorum aliquod probaverit ipſi G. ſuper eadem præbenda ſilentium imponatur.

7 Sin verò legitimus non apparuerit accuſator, & ipſe interea infamia ſuper his fuerit conſperſus, purgatio illi canonica indicatur, in qua, ſi defecerit, imponatur illi ſilentium: ſin autem eam præſtiterit, contradictores compeſcantur, & in legitimis expenſis condemnentur. Ex quo textu colligitur, agenti ex interdicto adipiſcendæ poſſeſſionis in beneficialibus non obſtare exceptionem criminis, niſi de illo eſſet priùs publicè infamatus; ne ſcilicet occaſio aperiatur invidis calumniandi, & objiciendi crimina ad eum finem; ut qui beneficium obtinuit, non adeat ejus poſſeſſionem. Præterea debet accuſator eſſe legitimus, qui crimen probare poſſit, ac velit. Tunc ſi quod objicit crimen, probat, proviſus privatur beneficio *c. conſtitutis 46. §. fin. de appell. & c. poſt electionem 7. de conceſſ. præbend.*

Quòd ſi crimen non probetur, accuſatus debet abſolvi, & adire poſſeſſionem beneficij; ut etiam ſi accuſator non compareat, ne ſcilicet proviſus ſupra modum gravetur. Sin autem exceptio criminis objiciatur electo, & nondum confirmato, cùm ipſe non habeat jus in beneficio, ſed tantùm ad beneficium, admittitur exceptio criminis, & examinatur, antequam confirmetur: ſecus dicendum de illo, qui eſt inſtitutus in beneficio per gratiam ei collatam à Papa, & nihil ei deeſt, niſi ſola poſſeſſio, quæ ſe habet conſequenter ad jus priùs obtentum. 8

Quòd ſi proviſus de beneficio ſit publicè infamatus de crimine, quod illi objicitur, & accuſator paratus ſit illud probare, tunc executio collationis factæ differtur, donec exceptio examinetur; quia turpiùs quis eijcitur, quàm admittatur *c. quemadmodum 25. de jurejur.* Tum quia licèt adiret poſſeſſionem beneficij ſibi collati adhuc propter infamiam, quâ eſt conſperſus, deberet ab ea ſuſpendi usque ad purgationem *c. presbyter 13. cauſ. 2. q. 5.* Unde quando quis accuſatur de crimine, de quo eſt infamatus, non debet in poſſeſſionem mitti, donec ſe purget, ut deſumitur *ex d. c. accedens 23. h. t.* Debent etiam recipi probationes excipientes ſuper objecto crimine, quod ſi probetur, proviſo indicitur ſilentium, & ſi non probetur, indicenda eſt purgatio infamato; in qua, ſi defecerit, eſt itidem eidem indicendum ſilentium, quia cùm non ſe purgaverit, habetur pro convicto ob violentam contra illum præſumptionem. Sin verò ſufficienter ſe purgaverit, debet poſſeſſionem adire ſui beneficij, & compeſci debent contradictores, ne ulteriùs eum moleſtijs afficiant. Cæterum infamia objecti criminis tres habet effectus, quorum primus eſt, ut executio collati beneficij ſuſpendatur: ſecundus, ut ſuſpenſa tali executione admittatur probatio criminis. Tertius, ut purgatio indicatur, quia non ſufficit ſola oppoſitio infamiæ, niſi etiam crimen objiciatur, nec ſufficit ſola objectio criminis, niſi etiam infamia præcedens apponatur. 9

Ceſſat autem accuſatio tametſi jam inchoata fuerit, multipliciter. Primò, ſi accuſator poſtea deprehendat, ſe erràſſe, eò quia putaverit, hunc eſſe authorem criminis; & poſtea cognoſcat fuiſſe alium, ut etiam ſi res incipiat eſſe dubia etiam poſt diligentem inquiſitionem, vel ſi cognoſcat, ſe non poſſe probare, quod detulit ad judicem; in hiſce caſibus tenetur ceſſare ab accuſatione; alioquin id non eſſet accuſare, ſed calumniari, quia non poteſt quis innocentem accuſare, idque de jure divino, & naturali: & deducitur ex illo primo prin- 10

ſubditum, vel Prælatum, tunc ſuperior quaſi nuntiante fama, vel deferente clamore ex officio ſuo debet inquirere veritatem coram ſenioribus eccleſiæ, quod diligentiùs ſervandum eſt in Prælatis judicandis: quia non poſſunt omnibus placere, cùm ex officio increpent, ſuſpendant, ligent, ſicque incurrant odium, & invidias multorum; proinde accuſatio criminalis, quæ tendit ad degradationem, non debet admitti, niſi præcedat legitima inſcriptio.

7 Quando verò aliquis eſt infamatus, adeò ut ſine ſcandalo non poſſit diſſimulari, nec ſine periculo tolerari, debet ſuperior procedere ad inquirendum, & punire exceſſus, qui ſi ſint graves, quamvis delinquens non degradetur ab Ordine, amovetur tamen ab adminiſtratione. Rurſus is, contra quem fit inquiſitio, niſi contumaciter ſe abſentet, debet eſſe præſens, ut ei exponantur capita, ſuper quibus eſt inquirendum, imò ſunt illi publicanda dicta,& nomina teſtium, ut ſe defendat, & ſunt admittendæ exceptiones, & publicationes legitimæ. In exceſſibus autem non notorijs, ſi procedatur per accuſationem, debet præcedere legitima inſcriptio; ſi per denunciationem charitativa admonitio, ſi per inquiſitionem clamoſa inſinuatio, & in omnibus debet ſemper dictari forma ſententiæ juxta formam judicij. Hæc omnia ſtatuuntur *in d. c. qualiter, & quando 24. b. t.* Hinc deficiente infamia non ſunt recipiandæ depoſitiones, quamvis plures juramento confirment, aliquem deliquiſſe ipſis videntibus, nec debet actuſatus puniri aliqua pœna: imò nec inquiri ad petitionem eorum, qui in occulto porrigunt libellum accuſationis. Quæ verò infamatio ſufficiens ſit ad inquirendum, relinquitur arbitrio judicis, qui inferre id debet conſideratis circumſtantijs loci, temporis, & perſonarum; non tamen requiritur ad infamiam, ut teſtes oculati ſint; ſed ſufficit, ſi à bonis viris fide dignis audierint, vel indicia, aut ſufficientes conjecturas habuerint: non tamen ut quis infamatus cenſeatur, ſufficit, ut duo, vel tres teſtes deponant, ſe vidiſſe crimen illud à tali perſona perpetrari; ſed ulterius requiritur, ut rumor ad majorem congregationis partem devenerit; & infamia non ſit orta à malevolis, ſed à viris probis, & eam ſuperior pluries audierit, & non ſemel tantùm. Immò licèt judex noverit crimen Rei, & ſciat eſſe duos, vel tres teſtes conſcios eiusdem criminis, & per quos probati poſſit, non tamen ex officio poteſt procedere via inquiſitionis, antequam accuſetur.

8 Teſtis tamen rogatus ſuper infamia tenetur teſtificari, quòd infamatio ſit inter majorem partem hominum, vel viciniæ illius loci, in quo erat fama, & audierit à majori parte, ut docet Maſcardus *de probat. concluſ. 895.* Hinc non valet ſtatutum mandans inquiſitionem de non infamato, etiam ſi judici plenum ineſſet arbitrium in procedendo, & puniendo delinquentes.

9 Id tamen limitatur, ſi crimen occultum vergeret in perniciem ſpiritualem alicuius communitatis, vel reipublicæ, eò quia eſſet, qui intenderet hæreſes edocere: immo ſi crimen vergeret etiam in perniciem temporalem, ut ſi quis vellet civitatem tradere hoſtibus, vel hæreticis, vel infidelibus, tunc enim poſſet judex procedere ſine præcedente infamia, ut etiam ſi quis ſit hæreſi infectus, vel per apoſtaſiam deficiat à fide *c. excommunicamus §. adjicimus de heret. l. Apoſtolorum 4. C. de Apoſtatis,* quia hujuſmodi crimina ſunt reipublicæ, & eccleſiæ nimis perniciosa. Ob eandem cauſam excipitur etiam crimen læſæ majeſtatis, ut notat Navarrus *in rubric. de judic.*

Rurſus excipitur, quando crimen in ipſo judicio committitur, ut ſi teſtis falſum deponat; ſi accuſator calumnietur, ut notat idem Navar. *loc. cit. n. 88.* Aliqui addunt etiam, quando actor criminis deprehenſus eſt in generali inquiſitione. Rurſus excipitur, quando Reus occultum crimen coram paucis ſcilicet judice, & Notario confeſſus eſt, *c. 1. de accuſat. in 6.* quia tunc confeſſio Rei facit delictum notorium coram ipſo judice, & hoc procedit, quamvis tantùm incidenter confeſſus ſit. Rurſus etiam communis ſuſpicio ſupplet vicem infamiæ. 10

Cæterum fama præcedens inquiſitionem ex præcitato textu *in c. qualiter, & quando 24. b. t.* debet eſſe à providis, & honeſtis, nec ſemel tantùm, ſed ſæpiùs. Unde non ſufficit, ut fama ortum habeat à talibus perſonis, ſed ulteriùs requiritur, ut eam legitimè probent. Quæ autem ad hanc famam requirantur, traduntur à Farinacio *lib. 1. prax. crimin. c. 5. q. 24. n. 203. & ſequent.* Suntque Primò, ut teſtes ad minimum ſint duo, adeò ut unus non ſufficiat, quamvis ſit omni exceptione major. Quinimò teſtis deponens ſuper fama, ſi non habeat conteſtem, de falſo ſuſpectus eſt, ut notat Natta *conſ. 672. n. 4.* 11

Secundò ut ijdem teſtes ſint ſpectatæ fidei integræ, & optimæ opinionis, ſeu omni exceptione majores. 12

Tertiò ut teſtis deponens ſuper fama ſciat, quid ſit fama; non tamen tenetur adferre definitionem exactam, quæ habetur in jure, ſed ſufficit, ſi quocunque modo ipſam deſcribat, qualiter ipſe intelligit, ut notat Farinac. *n. 227.* 13

Quartò debet teſtis deponens ſuper fama ſpecificè aſſerere ſuper omnibus articulis in particulari, de quibus teſtatur eſſe famam, non enim ſufficeret, ſi tantùm in ultimo articulo aſſereret, quòd de omnibus præmiſſis ſit vox publica, & fama. 14

Quintò debent etiam teſtes deponentes ſuper fama nominare auctores, & eos, à quibus fama oritur. 15

Sextò debent dicere ſe audiviſſe à majore parte populi, & quidem publicè, alioquin nil probarent, ut docet Baldus *in c. præterea de teſtib. n. 10.* & *c. litteras de præſumpt. n. 2. c. per tuas de probat.* quam opinionem obſervat Rota; & Farinacius *loc. cit. n. 260.* ait, procedere etiam in foro eccleſiaſtico. 16

Ra-

17 Ratio, cur non poſſit judex contra perſonam aliquam particularem ſpecialem inſtituere inquiſitionem, niſi publica fama ejuſdem perſonæ præcedat, eſt, quia judex in puniendis criminibus tenetur procedere ex ijs, quæ patent, & hęc non habentur, niſi per accuſationem, vel confeſſionem Rei in judicio, vel per facti evidentiam, aut publicam infamiam ejuſdem Rei. Præterea quia nemo ſine gravi cauſa debet ſpoliari ſuo honore, & lædi in propria fama, quamdiu hanc retinet: atqui per talem ſpecialem inquiſitionem crederetur quis ſaltem ſuſpectus de tali crimine, proinde derogaretur famæ, & honori illius; omnes ſiquidem ex tali inquiſitione occaſiones ſumerent, ſuſpicandi fuiſſe ipſum authorem talis criminis, de quo juridicè inquiritur. Hinc qui eſt in poſſeſſione bonæ famæ, non eſt illa privandus ſine gravi cauſa; tum quia bona fama alicuius in genere tollit ejuſdem malam famam, & ubi adſunt teſtes utrinque contrarij, qui probant bonam famam, præferendi ſunt alijs probantibus malam famam: quia quilibet præſumitur bonus, donec probetur malus. Non tamen ut notat Farinacius *lib. 1. prax. crimin. c. 5. q. 47. n. 182.* bona fama in genere probata tollit ſpecialia indicia delicti ad torturam ſufficientia: neque malam famam in ſpecie ortam ex delictis, quia ut ait idem Farinacius *loc. cit. n. 192.* ſi probata bona fama in genere Reus effugeret torturam, aut pœnam, vix ullus poſſet torqueri, cùm vix ſit homo, qui duos ſaltem non habeat amicos deponentes ſuper ejus bona fama.

18 Cæterum hujuſmodi bona fama in genere id ſaltem operatur, ut ſi adſint indicia ad torturam, leviùs Reus torqueatur. Mala verò fama, ſi ſit in eodem genere delicti, de quo inquiritur, facit præſumptionem in eodem delicto, ſecus ſi ſit in diverſo genere delicti, quia ex mala fama fornicationis non redditur quis ſuſpectus de homicidio; benè tamen de delictis connexis per ſe, vel ut plurimum cum eo, de quo Reus accuſatur, & tunc judex poteſt etiam interrogare Reum de crimine connexo: quoties enim unum delictum eſt effectus, vel circumſtantia alterius, nec perfectè ſeparatim cognoſci poteſt, tunc accuſatus de uno delicto poteſt à judice interrogari de circumſtantijs eidem adnexis, ſic convictus de furto in eccleſia, poteſt interrogari, an fores effregerit: idem dicendum eſt de ſocijs, & complicibus occultis ſecundùm utriusque juris ſtatuta. Hinc in crimine læſæ majeſtatis, in quo perpetrando ut plurimum plures ſunt complices, judex poteſt interrogare accuſatum de complicibus occultis *c. 1. de confeſſ.* ubi Abbas *c. nemini 15. q. 3. l. quisquis ad leg. Jul. majeſt.* In crimine ſimoniæ, quod canones æquant crimini læſæ majeſtatis; etiam judex poteſt accuſatum interrogare de complicibus. Demum regulariter quoties Reus accuſatus de illis criminibus, quæ ex natura ſua non ſolent perpetrari, niſi cum ſocijs, poteſt judex de iſtis Reum interrogare, ut notat Decianus *conſil. 18.* unde accuſatus de crimine factæ monetæ, in quo ſolent plures cooperari, poteſt à judice interrogari de complicibus.

18 Præterea regula illa de fama ad inquiſitionem ſpecialem inſtituendam requiſita, multipliciter ſolet limitari. Primò non procedit in inquiſitione, quæ fit ad denuntiationem publici officialis, quia tunc denunciatio vicem gerit accuſationis.

19 Secundò non procedit, ſi deficiente diffamatione pars contraria nihil opponat, tunc enim inquiſitio validè procedit *c. 2. de inquiſit. in 6.*

20 Tertiò ſi Princeps jubeat inquiri nullâ præcedente diffamatione, dummodo id præſtet motu proprio, & expreſsè dicat, ſibi conſtare de tali delicto, & ejus fama, ut notat Farinacius in *prax. criminal. lib. 1. tit. 1. q. 1. n. 13.*

21 Quartò neque procedit in crimine læſæ majeſtatis.

22 Quintò neque in alijs enormibus criminibus.

23 Sextò neque in inquiſitione, quæ fit contra Officiales, eorúmque famulos, & miniſtros abſoluto officio, quia uſus invaluit, ut etiam non præcedente fama, generaliter, & ſpecialiter inquiratur de illorum adminiſtratione, non quia ſuſpecti ſint de re malè adminiſtrata; ſed quia æquitas exigit, ut finito officio petatur ab ijsdem, ut reddant rationes.

24 Septimò neque procedit in inquiſitione generali, ſed tantùm in ſpeciali, quæ fit contra certam perſonam, quando judex in genere inquiſitionem aſſumit, quisnam perpetraverit tale delictum, quod conſtat, eſſe commiſſum.

Octavò limitatur etiam præfata regula in inquiſitione ſpeciali, quando ad illam devenitur per inquiſitionem generalem, quæ eſt præparatoria ad ſpecialem, quia tunc conſtat de particulari delicto, cuius author inquiritur; & judex inquirens non petit inſtructionem ſpecialem contra certam perſonam, ſed tantùm generaliter inquirit; quisnam delictum, quod conſtat eſſe patratum, commiſerit; ut pluribus probat Farinac. *loc. cit. n. 19.*

27 Demum limitatur etiam præfata regula, quando ſufficientia indicia præcedunt inquiſitionem, quia tunc indicia vicem gerunt diffamationis, & accuſationis; imò ſunt fortiora, quàm ipſa diffamatio: debent tamen hujusmodi indicia eſſe immediata, & propinqua, & ſufficientia, non verò remota, neque ad illa ſufficit unus teſtis, quantumvis de viſu, ſed requiruntur duo, perinde ac de diffamatione; in cuius locum ſubrogantur indicia, ut notat idem Farinacius *loc. cit. n. 20.*

28 Cæterum fama per ſe non facit plenam probationem, ſed tantùm ſemiplenam. Quòd ſi ortum ducat à pluribus veri ſimilibus conjecturis, & à viris probis, cenſet Bartol. *in l. de minore §. plurium. ff. de quaeſt. n. 30.* tunc famam facere plenam probationem: imò ſunt, qui docent, famam ſimul cum uno teſte omni exceptione majore, & de viſu facere plenam probationem, eò quia tunc duæ probationes ſemiplenæ coaleſcunt in unam plenam. Verùm id

non procedit in criminalibus, quia in hiſce probationes debent luce meridiana eſſe clariores; nec ſama ſacit ſemiplenam probationem, ut notat Farinacius *lib. 1. prax. criminal. c. 5. q. 17. n. 59. & ſequent.* ubi plures ſubijcit limitationes.

29 In mixta inſtitutione, ſeu quæ partim eſt generalis, & partim ſpecialis, quando ſcilicet crimen eſt publicum, & author ignoratur, tunc licitum eſt judici generaliter tantùm inquirere, quisnam tale crimen commiſerit etiam nullâ præcedente famâ de perſona aliqua particulari; non tamen poteſt judex inquirere ſpecialiter contra aliquam determinatam perſonam. Ratio verò, cur licitum ſit judici inquirere, generaliter eſt, quia niſi huiusmodi inquiſitiones fierent, graviſſimum ſequeretur detrimentum in republica, quia plura delicta remanerent impunita, & grave ſcandalum oriretur in populo, ſi videret, judicem non inquirere authorem criminis, ſicque criminoſi magis incitarentur ad delinquendum, ſpe ſcilicet impunitatis: unde generalis inquiſitio tunc videtur neceſſariò inſtituenda, maximè quia per illam nulli ſit injuria, & judici aperitur via ad ſpecialem inquiſitionem: ſiquidem judex primò interrogat eos, quos putat eſſe conſcios de crimine, an ſciant, quis illud commiſerit? Quòd ſi reſpondeant, ſe neſcire; tunc interrogat eos ſuper fama etiam generaliter, an ſciant aliquem eſſe de eo crimine infamatum: & ſi ex ipſis receptis informationibus aliqua oriatur ſuſpicio, vel probabile indicium contra aliquem, tunc judex à generali inquiſitione deſcendit ad ſpecialem, & incipit aſſumere ſpeciales informationes contra talem perſonam, ut notat Julius Clarus *in d. §. fin. q. 5. n. 5.* Subditi tamen etiam interrogati non tenentur manifeſtare occultum authorem criminis, niſi de ipſo publica infamia, vel ſufficientia indicia præceſſerint; immo neque judex habet jus inquirendi de Reis occultis; proinde non poteſt obligare ſubditos, ut eos manifeſtent, ſed tantùm eos, qui aliqua infamia laborant: multò minus Reus occultus tenetur ſe ipſum prodere. Excipitur tamen, ſi crimen adhuc ſit patrandum, vel continuandum cum maximo diſpendio, & detrimento reipublicæ, vel etiam alicuius particularis, ſi alio modo non poſſet impediri.

30 Quòd ſi petatur, quænam jure canonico ſtatuta ſint circa modum procedendi per inquiſitionem ſpecialem? Reſpondetur, teneri judicem ſervare debitum ordinem, idque ſtatuitur *in c. qualiter 17. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd ſi inquirentes non ſervaverunt debitum inquiſitionis modum, debent ſe corrigere, ſed cautè, & prudenter ſuperſedendo, donec inveniatur congrua occaſio, ne authoritas inquirentium viléſcat. Rurſus ſtatuitur forma juramenti dandi in inquiſitione, & eſt, ut clerici jurent, quòd ſuper his, quæ ſciunt, vel credunt, etiam in ſua eccleſia reformanda tam in capite, quàm in membris dicent meram, & plenam veritatem inquiſitoribus exceptis criminibus occultis.

Hinc generalis inquiſitor, vel eius delegatus ad univerſitatem cauſarum poteſt corrigere ſententiam ſuam definitivam, ſi erravit in judicando: non ita ſi ſit delegatus ad unam tantùm cauſam, ut notat Abbas *in d. c. qualiter n. 2. & 3.* ubi etiam addit rationem diſcriminis; quia delegatus ad univerſitatem cauſarum cenſetur quaſi judex ordinarius; non ita delegatus ad unam tantùm, vel alteram cauſam, quia hic deſinit eſſe iudex poſt latam ſententiam ſuper principali negotio, & executioni mandatam; ſiquidem cenſetur functus ſuo officio *c. in litteris 9. de offic. delegat.* Sin autem judex erravit non in ſententia definitiva, ſed tantùm in proceſſu, poteſt errorem ſuum corrigere, quia adhuc manet judex. Ordo autem in inquiſitione canonica pervertitur, ſi priùs inquiratur de veritate criminis, quàm de prævia infamia; proinde tunc inquirendum adhuc eſt de infamia; & poſtea iterum de veritate criminis; alioquin ex defectu ordinis non ſervati, teſtes, qui depoſuerunt ſuper veritate criminis, nullam vim haberent, eò quia non præceſſerit infamia. 31

Rurſus *in c. cùm dilecti 18. h. t.* idem Innocentius III. ſtatuit, quòd quando inquiſitus jurat reſpondere ad interrogata, & confitetur aliquod crimen, poteſt poſtea ſe excuſare interpretando confeſſionem, non tamen eam perimendo, & ſi ſufficienter probet illas exceptiones, liberatur; dummodo poſſit probare ſe ſub hac forma juràſſe, vel ſcripto, vel per teſtes: & quamvis inveniatur aliqua levis culpa, eſt ei indulgendum ob pudorem, quem ſuſtinuit: ſed ſi non poteſt probare illas accuſationes, & juravit ſub illa forma dicendi meram, & plenam veritatem, tunc eſt puniendus. Hinc colligitur, quòd ſi quis inquiſitus juret, ſe ſolùm reſponſurum veraciter ad inquiſita, non ſit perjurus, ſi de alijs taceat, vel veritatem non manifeſtet, quantum eſt, ex vi talis juramenti. Verùm ex alio capite poteſt etiam teneri, ut ſi judex legitimè interroget, quòd ſi juret meram, & plenam dicere veritatem, non poteſt poſtea exhibere excuſationem, quòd non tenebatur reſpondere, quia vigore talis juramenti, non poteſt reticere veritatem, nec admiſcere falſitatem. Rurſus in *c. cum oportet 19. h. t.* idem Innocentius III. ſtatuit, ut niſi priùs conſtet de infamia alicuius, non debeat procedi ad inquiſitionem illius criminis. Item quando eſt procedendum ad inquiſitionem, ejus inimici non ſunt admittendi ad proſequendam inquiſitionem, neque ad teſtificandum; ſed veritas inquirenda eſt à viris idoneis, quòd ſi nihil grave probatum fuerit contra Epiſcopum, indicenda eſt illi canonica purgatio. 32

Hinc infertur ex ſola denuntiatione criminis facta contra aliquem, non oriri ſufficientem infamiam ad inquirendum de veritate criminis; ſed priùs eſſe inquirendum de ipſa infamia: & inimicos, ſicut non admittuntur ad accuſandum, & denuntiandum; ita neque admittendos eſſe ad proſequendam inquiſitionem. Hinc ſi alicui ſit ſimpliciter commiſſa, vel delegata 33

inqui-

inquiſitio ſuper crimine, tacitè eſt ipſi commiſſum, ut priùs inquirat de prævia infamia, quia hæc eſt veluti præambula ad inquiſitionem, ad quam viam aperit. Rurſus licet factâ inquiſitione contra infamatum, crimen non ſit probatum, adeóque condemnari non poſſit infamatus, non tamen ſimpliciter abſolvitur; ſed illi indicitur canonica purgatio ob infamiam apud bonos, & graves viros divulgatam, quamvis ortum duxerit ab inimicis, idq; ad vitandum ſcandalum, ut notat Abbas in *d. c. cum oporteat 19. n. 2. h. t.*

34 Demum *in c. ad petitionem 22. h. t.* idem Innocentius III. reſcribit, quòd quando proceſſu conſtat de crimine Abbatis, vel alterius Prælati, & deponitur, non tamen ſervato ordine juris, quamvis revera eſſet deponendus: nihilominus eſt injuſtè depoſitus propter ordinem judicialem non ſervatum, conſequenter eſt reſtituendus. Quòd ſi interim alius ſubſtituatur, eſt injuſtè ſubſtitutus, eò quia primus fuerit injuſtè privatus. Unde ex hoc textu colligitur ſervandum omnino eſſe ordinem judiciarium etiam in inquiſitionibus, ut proceſſus teneat. Quòd ſi inquiſitio inſtituatur contra certum collegium, ut *in d. c. ad petitionem* ſuper ſtatu monaſterij, poteſt quilibet de collegio per ſe, & ſingulariter proponere exceptiones ſuas contra inquiſitionem, quia cujuslibet in particulari intereſt, & agitur de cujusque pœna.

35 Id autem non procedit in ijs, quæ tantùm in communi pertinent ad collegium, tunc enim exceptio non poteſt proponi à quolibet de collegio, ſed proponenda eſt à toto collegio, vel ejus majori parte. Quamvis ob non ſervatum ordinem juris Abbas, qui aliàs eſſet deponendus, non deponatur; & ſi fuerit depoſitus, & alius ei ſuffectus, ſit nihilominus depoſitus reſtituendus; nihilominus Pontifex in *d. c. ad petitionem 22. h. t.* voluit, ut Abbas non reſtitueretur, ſed remaneret privatus officio, & dignitate, quamvis ordo judiciarius non fuerit ſervatus, eò quia Pontifici innotuerit, Abbatem illum talia commiſiſſe, ob quæ debuiſſet removeri: unde quamvis fuerit reſtitutus ob non ſervatum ordinem juris; debuit iterum privari officio, quia tunc Pontifex corrigit jus, quoad ordinem, ut ſervetur jus quoad delicta punienda.

36 Quòd ſi quæratur, quomodo puniendum ſit crimen probatum per viam inquiſitionis. Reſpondetur, Innocentium III. *in c. inquiſitionis 21. h. t.* quoad hanc punitionem reſcribere, quòd quando crimen alicuius per inquiſitionem probatum tale eſſet, ut accuſatum criminaliter, & convictum deponeret ab officio, ſi tamen etiam poſt peractam pœnitentiam impediret executionem ſuſcepti ordinis, vel retentionem beneficij, ut homicidium, vel ſimonia in Ordine, vel beneficio acquirendo; tunc procedendum ſit, ſicut proceditur in judicio accuſationis: ſi non eſt tale, eſt danda pœna arbitraria ſecundùm merita perſonæ, & qualitatem exceſsûs. Rurſus quando contra aliquem non præceſſit infamia, nec clamoroſa inſinuatio, non debeant recipi depoſitiones contra eum, quamvis plures juramento affirment, illum deliquiſſe illis videntibus; nec etiam eſt puniendus aliqua pœna, imò nec inquirendum ad petitionem eorum, qui in occulto porrigunt libellum infamationis continentem crimina: neque adhibenda eſt fides dictis teſtium contra aliquem, qui poſt, vel ante juramentum tacitè, vel expreſsè aſſerunt, ſe eſſe inimicos accuſati, niſi ante juramentum præſumantur in fraudem id facere. Demum *in d. c. inquiſitionis* ſtatuitur, ut propter ſolam famam, & credulitatem teſtium, non ſit proferenda ſententia depoſitionis contra aliquem; ſed infamato indicatur purgatio ſecundùm arbitrium judicis, qui non debet reputare aliquem infamatum propter dicta paucorum, ſi opinio accuſati non fuit læſa apud homines bonos, & graves. Ex quo textu claret, judicem non poſſe procedere ad aliquem puniendum, quamvis conſtet de ipſius delicto per depoſitionem quorundam teſtium, duorum, vel trium affirmantium ſe vidiſſe crimen ab eo patrari, ſed ulterius requiri, ut rumor de crimine ab eodem patrato ad majorem partem communitatis pervenerit, quia ſic præcedit infamia, ſine qua non procedit inquiſitio. Rurſus neque inquiſitio facienda eſt ad petitionem eorum, qui clam ſchedulas, ſeu libellum porrigunt ad infamationem alicuius, quia tales ſchedulæ clam porrectæ non infamant.

37 Excipitur tamen, niſi is, cui ſchedulæ porriguntur, inſtet, petátque terminum ſtatui porrigentibus ad probandum, quæ in illis ſcripſerunt, ut notat Abbas *in d. c. inquiſitionis n. 4. h. t.* Rurſus teſti aſſerenti ſe eſſe inimicum alterius, fides tantùm adhibetur quoad hoc, ut repellatur à teſtimonio ferendo contra eum, quem vocat ſuum inimicum, quamvis nullam inimicitiæ alleget cauſam, quia cùm deponat de proprio facto, & propria conſcientia, non eſt neceſsè, exprimatur cauſa. Excipitur tamen, niſi præſumatur id in fraudem dixiſſe; ne ſcilicet compelleretur teſtificari in tali cauſa, tunc enim ejus teſtimonium eſſet recipiendum.

38 Rurſus ad probationem criminum non ſufficit fama, tametſi conjuncta cum credulitate teſtium juratorum, quia requiruntur probationes in cauſis criminalibus luce meridiana clariores, proinde teſtimonium de auditu alieno, & credulitate nil habet roboris, teſtes enim debent deponere de his, quæ ipſi ſenſu proprio perceperunt, & non de his, quæ audiverunt, fuiſſe percepta ab alijs, ut habetur *in c. cum cauſam 37. de teſtib.* & hæc eſt ratio, cur propter famam, & credulitatem deponentium tantùm, non debeat quis ad pœnam criminis condemnari.

39 Quamvis tamen ad probandam infamiam regulariter requiratur, ut illa divulgata ſit per majorem partem civitatis, vel viciniæ, præſertim ſi factum ſit grave, & perſona magnæ authoritatis, nonnunquam tamen ſufficit major pars illorum, apud quos quis degit, ſi factum

ſit

ſit reſtrictum ad certos homines, qui veriſimiliter id ſcire poſſint: hinc ſi Prælatus eſſet infamatus de fornicatione, ad probandam infamiam ſufficeret, ſi major pars Monachorum ejusdem monaſterij id ſciret. Licèt judex nequeat procedere ad puniendum delinquentem, ſi priùs non fuerit diffamatus; ſi tamen delinquens coram judice deputato confiteatur ſuum delictum, non poteſt poſtea ſe excuſare, nec excipere, quòd in ijsdem criminibus non fuerit antea diffamatus: imò neque poteſt excipere non fuiſſe ſibi ab inquiſitore exhibita capitula, ſuper quibus erat inquirendus. Quia per propriam confeſſionem factam in judicio, crimen, quod antea erat occultum, fit notorium *c. fin. de cohabit. cleric. & mulier.* atqui in notorijs, quando conſtat de crimine, non eſt neceſſe, ut alius proponat accuſationem, ut habetur in *c. evidentia 9. h. t.* ubi dicitur, quòd quando crimen eſt notorium, non requiritur accuſator, ſed poteſt judex procedere, imò nec requiritur alia probatio, quia propria confeſſio Rei ſuperat omnem probationem, nullúmque Reo relinquit ſupterfugium *argu. c. per tuas 10. de probat.*

40 Ex dictis conſtat, quibus modis ad inquirendum aperiatur via judici etiam ſæculari. Primò quando crimen notorium eſt, & author occultus, tunc judex poteſt generatim inquirere, an aliqui notitiam habeant delinquentis, & an indicia reperiantur.

41 Secundò ſi notorius ſit author, inquiſitio ſpecialis illi permittitur, ut etiam ſi de illo ſit publica fama non à malevolis, vel temerarijs hominibus orta, ſed à viris morum honeſtate, & vitæ integritate commendatis profecta; & id duo idonei teſtes confirment. His enim poſitis, ſi infamatus ſit præſens; judex eum interrogat de veritate criminis dicenda: & ſi Reus confeſſus fuerit, punitur: ſin verò neget, judex tenetur procedere ad ulteriorem cognitionem, & probationem. Quòd ſi Reus ſit abſens, debet judex eum citare, eíque indicare, ſe de formanda contra illum inquiſitione cogitare.

42 Tertiò ſufficiunt etiam ad inquirendum indicia, ſi judicialiter fuerint probata, quia hæc per juris fictionem habentur loco accuſatoris, & æquiparantur infamiæ, quæ debet præcedere inquiſitionem.

43 Quartò quando habetur ſemiplena probatio, cui accedat teſtis omni exceptione major, ſi crimen ſit notorium, poteſt etiam judex procedere juxta communiorem ſententiam.

44 Quintò poteſt etiam judex procedere ad inquirendum, ſi læſus querelam offerat, & teſtes, vel indicia, quibus cognitio muniatur, & judex informetur, ut notat Julius Clarus *in d. §. fin. q. 10.*

45 Sextò quando Syndicus, vel ſtationarius, vel quivis alius officialis denuntiat judicialiter indicia, & indicat teſtes.

46 Septimò quando pars criminis obijcitur teſti, ut adverſus illum excipiat, & illud probat, tametſi non omnino plenè; quia talis probatio reddit illum ſuſpectum, & habetur loco infamiæ, ut notat idem Julius Clarus *loc. cit. q. 13.* ubi etiam ponit plures alios modos, quibus via aperitur iudici ad inquirendum: ſi quis plura deſiderat, ipſum conſulat.

§. VI.

De Denunciationibus, & quomodo in ijsdem procedendum.

1 TErtia pars rubricæ hujus primi tituli eſt de denunciationibus, quibus in judicio proceditur. Eſt denunciatio generatim ſumpta manifeſtatio delicti facta legitimo ſuperiori, vel judici, ut hic ſuo munere fungatur: vel providentia ad damnum aliquod imminens impediendum, aut corrigendum. Eſt autem denunciatio triplex charitativa una, alia judicialis, & tertia canonica. Prima quæ & evangelica dicitur, eò quia introducta ſit lege evangelica *Matth. 18.* & eſt, quæ ordinatur ad hoc, ut delinquens reſipiſcat, ipsúmque pœniteat patrati criminis, & in hac denunciatione evangelica hic ordo ſervari ſolet. Primò delinquens privatim admonetur juxta illud *Matth. 18. corripe eum inter te, & ipſum ſolum,* & hæc monitio non tantùm ſemel debet præcedere, ſed ſi opus ſit, etiam iterum, & tertiò; & ſi non reſipuerit adhibito uno, vel altero teſte iterum monetur *Matth. 18. ſi autem te non audiverit, adhibe tecum adhuc unum; vel duos.* Quòd ſi in ſua adhuc perſeveret contumacia, eccleſiæ denuntiatur *Matth. 18. Quòd ſi non audierit, dic eccleſiæ:* unde ut in proximum delinquentem charitas exerceatur, non ſtatim adeundus eſt judex eccleſiaſticus, ſed bis ſaltem debet præmoneri delinquens, ut errorem ſuum emendet.

2 Denunciatio ſecunda eſt judicialis, quæ ab eo ſuam deſumit nomenclationem, quia fit in judicio, & in illa proceditur judicialiter ſaltem ex parte, & hæc ſubdividitur in publicam, & & privatam: illa eſt, in qua judex fungens ſuo munere deducit crimen per denunciationem ſuorum officialium ad publicam vindictam. Privata eſt, quæ inſtituitur ratione proprij commodi; ut cùm ſervus indebitè gravatur à Domino, poteſt enim id judici denunciari, ut ſervus relevetur à tali gravamine.

3 Tertia denunciatio dicitur canonica, eò quia à ſacris in eccleſia canonibus ſuam traxerit originem; & hæc propriè ad eum fuit finem inſtituta; ne quid illicitum fieret, ſeu ne indignus eligeretur ad officia, & dignitates eccleſiaſticas, neque promoveretur ad alia munia obeunda: & hæc etiam bipartitur in generalem, & ſpecialem: illa eſt, quæ generatim impeditur, ne crimen committatur, vel ne continuetur, ſi ſit commiſſum: ne matrimonium ineatur cum impedimento dirimente, ad quod impediendum ex Concilio Tridentino debent denunciationes præcedere. Specialis, ſeu privata eſt, quæ fieri ſolet ab eo, cujus intereſt, bonum habere Prælatum, vel ſubditum, ut ſi

poſt

poſt binam prævìam monitionem non corrigatur, privetur ſuo officio, & beneficio.

4 Quamobrem denunciatio propriè ſumpta differt ab accuſatione, ratione finis, & modi procedendi; & etiam quia non exigit illas ſolemnitates, quæ à jure requiruntur ad veram accuſationem. Differunt etiam accuſatio, & denunciatio; quia illa non poteſt fieri niſi ſcripto; non autem opus eſt, ut denunciatio fiat per ſcripturam *c. licèt in beato 14. de accuſat.* Secundò quia accuſationem inſcriptio, denunciationem monitio præcedit. Tertiò, quia accuſatio regulariter punitionem intendit, non ita denunciatio, quæ mitiùs procedit. Quartò accuſatio depoſitionem, & denunciatio correctionem inducit. Quintò quia accuſator poteſt appellare, non ita denunciator, qui non tenetur verificare ſuam denunciationem. Sextò quia finis denunciatoris eſt, ut mores corrigantur: & accuſatoris, ut delinquentes puniantur. Septimò quia accuſatori incumbit onus probandi, à quo immunis eſt denunciator, ut notat Maranta *p. 6. judic. tit. de denunciat. n. 2.*

5 Rurſus differunt etiam inter ſe denunciationes, etenim inter charitativam, & judicialem hæ ſolent differentiæ aſſignari, quarum prima petitur à cauſa finali, quia denunciatio charitativa intendit emendationem denunciati: judicialis verò exigit ſatisfactionem, & compenſationem damni, & injuriæ. Secunda, quia onus probandi etiam cum periculo famæ incumbit denuncianti judicialiter; non ita denuncianti ex charitate. Tertia quia judicialis exigit ſubſcriptionem, ut conſtet de denunciatore judicialiter: ſecus nomen denunciantis ex charitate potiùs reticetur, quàm manifeſtetur. Quarta quia denunciatio judicialis in id præſertim tendit, ut delictum cognoſcatur publicè, & puniatur: ſecus denunciatio charitativa id præcipuè ſpectat, ut crimen proximi non manifeſtetur, ſed delinquens corrigatur.

6 De hac denunciatione charitativa hæc ſunt notatu digna.

7 Primò quia unuſquiſque tenetur proximum ſuum corripere de peccato gravi; & ſi poteſt, ſine gravi damno; adeò ut in monendo potiùs cor rapiatur, quàm delinquens corripiatur; id enim intendit charitas in proximum. Quòd ſi monens credit ex ſua monitione hìc, & nunc delinquentem non emendatum iri, debet eam differre ad tempus magis opportunum.

8 Secundò, ut præceptum de corrigendo proximo, ac denunciando ejus delicto graviter obliget, debent tria concurrere; ſcilicet certa delicti patrati ſcientia; ſpes converſionis; & opportunitas monendi: ſi enim quis credat, monitionem non profuturam in hac, vel illa circumſtantia, non tenetur tunc delinquentem monere: ſed debet monitionem differre in aliud tempus magis congruum.

9 Tertiò de veniali peccato nullus neceſſariò corripiendus eſt, niſi fortaſſis inde grave ſcandalum, vel damnum timeatur.

Quartò ſi peccatum ſit publicum, & reipublicæ, vel etiam proximo pernicioſum, poteſt etiam omiſſa prævia monitione denunciari legitimo ſuperiori, ut imminens reipublicæ malum impediatur.

10 Quintò præcepto correptionis faciendæ ligantur non ſolùm chriſtiani, ſed etiam infideles, adeò ut lethaliter peccent, ſi cùm poſſint beneficio correptionis impedire damnum proximi, id negligant; niſi fortaſſis quis ex ignorantia inculpabili excuſetur: ratio eſt, quia ex præcepto juris naturæ tenemur proximo velle procurare bonum, & nolle malum; unde patet, hoc præceptum eſſe non poſitivum, ſed juris naturæ, ad cujus obſervantiam propterea tenentur omnes homines fideles, & infideles, ſpecialiter tamen tenentur ad hoc præceptum Prælati, quibus aliorum cura commiſſa eſt: ſiquidem ipſis ineſt peculiaris obligatio, quâ ex officio incumbit ſubditorum peccata inquirere, ad corripiendum delinquentes. Immo id adeò eſt proprium Prælati, ut communior ſententia aſſerat, non eſſe licitum ſubditis inquirere, & inveſtigare delicta ſuorum fratrum, etiam ad eum finem, ut fraternè corripiantur: quia talis inquiſitio vitioſa eſt, & reprehenſibilis; eò quia generet ſcandala, & occaſionem præbeat odijs, ac diſſentionibus, cùm homines moleſtè ferant, acta ſua ſcrutari ab alijs: unde hæc inquiſitio ex natura ſua injuriam infert proximo, cujus honori, & æſtimationi, in qua ſe haberi omnes cupiunt, adverſatur: quamobrem nunquam ex charitate, ſed potiùs ex ſolicitudine vana, & inepta, oritur hujuſmodi zelus inveſtigandi peccata fratrum ſuorum.

11 Neque omne delictum eſt materia hujus evangelicæ denunciationis, ſed tantùm quod proximo notabile damnum adſert in ſpiritualibus. Ratio eſt, quia ſicut charitas vult bonum proximo, tum ſpirituale, tum corporale; ita etiam inclinat ad avertendum à proximo utrumque malum. Quòd ſi hoc in ſuo genere fuerit notabile, oritur gravis obligatio illud corripiendi. Sin verò leve, obligatio itidem erit levis, quia commenſuratur delicto, & damno proximi; & quia quodlibet peccatum lethale eſt grave damnum proximo; quem diſcrimini exponit ſalutis; ſequitur, peccatum quodlibet grave eſſe materiam neceſſariam hujus evangelicæ denunciationis, quia peccatum lethale eſt gravis miſeria, adferens proximo notabile detrimentum, ſive peccatum illud occultum ſit, ſive publicum; ſive palam toleretur à Magiſtratu, ſive non; ſive ſit contra Deum, vel in proximum, aut ſe ipſum; dummodo tale peccatum aliqua ratione pendeat in futurum; quia ſi non ſit recidendi periculum, eò quòd peccator jam ſit emendatus, ceſſat obligatio denunciationis evangelicæ.

12 An verò cenſenda ſit etiam materia ſufficiens peccatum non pendens in futurum, ſi nondum ſit pœnitentia deletum, affirmat Bannez *2. 2. q. 33. art. 2. dub. 1. ad 4.* eò quia ex præcepto charitatis teneamur proximum quamprimum eripere ab imminenti miſeria. Secus

Layman *lib. 2. tract. 3. c. 7. n. 3.* cenſet, non eſſe materiam ſufficientem, eò quia proximo non debeamus plus ex charitate, quàm ille ſibi, qui non tenetur de peccato, quod commiſit, ſtatim pœnitentiam agere, cùm poſſit eam differre. Verùm prior ſententia eſt probabilior, eique adhærendum, eò quia tutior eſt, & magis conſulit ſaluti proximi.

13 Cæterum cùm hoc præceptum evangelicæ denunciationis ſit affirmativum, non obligat ſemper, & ad ſemper; ſed tantùm pro aliquo tempore concurrentibus quibuſdam circumſtantijs, & conditionibus. Quarum prima eſt, ut habeatur moralis certitudo de peccato proximi, quia judicia temeraria, & vanæ ſuſpiciones ſunt omnino cavendæ; & ne fama proximi, ac honor temerè lædatur, ut notat Tannerus 2. 2. *diſp. 2. q. 5. dub. 4. n. 79.* adeò ut probabilis conjectura de peccato proximi non ſufficiat, niſi fortaſſis delictum eſſet ita grave, ut inde periculum graviſſimi damni toti immineret Reipublicæ.

14 Secunda, ut affulgeat ſpes fructûs, hac enim ceſſante nemo tenetur inanem ſubire laborem: ratio eſt, quia quod non eſt neceſſarium ex præcepto, niſi ut conducit ad aliquem finem; ſi finis ceſſet, ceſſat & præcepti obligatio; & cùm fraterna correptio ſit medium ad fratris emendationem, ut ad finem ordinatum: ideo ubi non affulget ſpes emendationis, non eſt opus, ut evangelica hæc denunciatio adhibeatur. Quanta verò debeat eſſe certitudo futuri fructûs Certum eſt, non requiri certitudinem phyſicam, vel mathematicam, ſed ſufficere moralem: quòd ſi oriatur timor, ne denunciatus fiat deterior; tunc conferri poterit ſpes fructûs cum timore deteriorationis, & ſi ſpes prævaluerit, erit corripiendus, non ita ſi timor. Sin verò dubitetur, an hæc denunciatio ſit profutura, ſed certò ſciatur, quòd non erit nocitura, tunc adhibenda erit; perinde ac medicus, qui tenetur pharmacum porrigere ægroto, quando certus eſt, quòd non ſit ei nociturum; tametſi dubitet, an erit profuturum.

15 Tertia, ut teneatur quisque proximo ſuo ſuccurrere in extrema neceſſitate ſpirituali, quamvis mors ipſa immineret; imò tenentur etiam in gravi quotquot curam habent animarum. Sin autem immineat periculum famæ, aut fortunarum, tunc præceptum paulò arctiùs obligat, ut conſiderato commodo, quod probabiliter ſperatur, & incommodo, quod timetur, illis inter ſe comparatis diſpiciatur, quid lex charitatis permittat, conſulat, ac præcipiat.

16 Quarta ut non ſit alius magis idoneus ad corripiendum: ex quo infertur, huiusmodi præceptum non ita frequenter occurrere, & obligare: quinimo etiam concurrentibus prædictis conditionibus poteſt contingere, quòd omiſſio evangelicæ denunciationis ſit tantum culpa levis, ut notat Tannerus *2. 2. diſp. 2. q. 5. dub. 4. n. 93.* Ratio eſt, quia huiusmodi defectus non adverſatur charitati fraternæ, ſed materialiter repugnat præcepto. Præterea, quia cum hoc præceptum plures exigat circumſtantias, facilè poteſt intervenire naturalis quædam inadvertentia.

17 Licèt in foro canonico judex eccleſiaſticus indiſtinctè ob peccatum proximi poſſit admittere denunciationem evangelicam, non tamen judicialem, niſi in certis caſibus. Primò, ſi is, qui denunciatur, eſt clericus, adeò ut clerici, vel regulares conquærantur de injuſtis oppreſſionibus horum Prælatorum; tunc denunciatio judicialis admittitur à judice eccleſiaſtico, alioquin eſſet contra charitatem permittere ſubditos injuſtè opprimi à ſuis Prælatis. Secundò, ſi qui denunciatur, ſit laicus, & crimen, de quo denunciatur, ſit ex jure eccleſiaſticum, ut adulterium ratione divortij, hæreſis, ſimonia. Tertiò, ob defectum juſtitiæ in foro ſæculari, eò quia crimen in illo non audiatur; vel quia judex ſæcularis negligat ſuo munere fungi; vel quia careat juriſdictione, ac nullus ſit, qui judicet, vel quia in eo foro non datur actio, nec repetitio ex nudo pacto. Quartò ratione pacis violatæ, vel juramenti non ſervati à laicis *argu. c. novit. 13. de judic.* Quintò ſi perſona ſit miſerabilis, quæ denunciationem proponat, tunc enim charitas exigit, ut à judice eccleſiaſtico audiatur, ac ejus denunciatio admittatur. Sextò, ſi ſit cauſa ſpiritualis, ſive eccleſiaſtica, vel ei annexa, ut ſi agatur de matrimonio ob impedimentum canonicum, quo non poſſit contrahi, vel ſi initum ſit, debeat diſſolvi. Jure civili non permittuntur denuntiare præcipuè infames, inimici, conſpirantes ad denuntiandum, nominatim excommunicati, publici concubinarij *l. cum oporteat c. cum dilectus de accuſat.* Quando verò denuntiatio judicialis fit in foro ſæculari, non eſt neceſſe, ut eam præcedat admonitio, ſecus in foro eccleſiaſtico de jure canonico ſi denuntiatio ſit ſpecialis, ut deſumitur *ex c. ſi quis Epiſcopus 2. b. t.* ubi Felix Papa reſcribit, quòd qui vult denuntiare Epiſcopum ſuum, debet priùs ipſum charitativè admonere, ut ſe emendet; alioquin non admittitur ejus denuntiatio. Quòd ſi agatur de crimine, per quod deberet Epiſcopus deponi; de jure antiquo non potuerunt Primates, Archiepiſcopi cum Epiſcopis comprovincialibus cauſam definire inconſulto Pontifice Romano *c. accuſatur 5.* & *c. quamvis 7. cauſa 8. q. 6.* ſed ſolùm poterant ad Papam cauſam deferre, & illi aperire, quid ſuper tali negotio ſentiant, ut notat Felinus *in d. c. ſi quis n. 2. b. t.*

20 Jure tamen novo Concilij Tridentini circa cauſam Epiſcoporum *ſeſſ. 13. c. 6. de refor.* ſtatuitur. Primò ut non citentur ad perſonaliter comparendum niſi ob cauſam, quæ mereatur depoſitionem. Secundò in *c. 7.* additur, contra Epiſcopos non eſſe teſtes in cauſa criminali recipiendos, niſi conteſtes, & bonæ famæ fuerint. Tertiò in *c. 8.* eorum cauſas, quando pro objecti criminis qualitate tenentur comparere, ad Papam referri, & per ipſum terminari; ut etiam cauſas criminales graviores contra Epi-

ſcopos

ſcopos non niſi à Pontifice Romano cognoſci, ac terminari. Quartò *ſeſſ. 24. c. 5.* cauſas, quæ extra curiam neceſſariò committuntur contra Epiſcopos criminoſos non poſſe committi, niſi Metropolitanis, vel Epiſcopis ex ſpeciali commiſſione ipſius Papæ, & propria manu ſignata eligendis; ita tamen ut ſolam facti inſtructionem inde ſumant, proceſſum forment, mittántque Romam, quia ſententia definitiva ſoli ſummo Pontifici reſervatur. Minores tamen cauſæ Epiſcoporum in Concilio provinciali cognoſcuntur, ac terminantur, vel etiam per deputatos ab eodem Concilio, ut etiam habetur *in c. qualiter 24. h. t.*

19 Quamvis non poſſit regulariter accuſatio fieri per Procuratorem, permittitur tamen, ut denuntiatio fiat per alium. Criminoſus tamen à denuntiatione repellitur, niſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequatur *argu. c. 2. cauſa 4. q. 6.* Hinc etiam publicus concubinarius arcetur à denuntiatione, ut habetur *in c. cum dilectus no. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd publicus concubinarius non poſſit denuntiare, propter quod fuit excommunicatus; ut neque is, qui conſpiravit in denuntiandum, vel priùs illum non admonuit de crimine denuntiando; Judex verò, à quo legitimè facta fuit appellatio, non debet ſe in cauſa illa ampliùs immiſcere, donec cauſa appellationis ſit abſoluta, quia præſumeretur procedere ex odio, proinde poſſet tanquam ſuſpectus recuſari. Pendente autem judicio denuntiationis inter ſuperiorem, & ſubditum jurisdictio Prælati denuntiati ſuſpenſa manet, perinde ac ſi eſſet ab eo appellatum; hinc non poteſt Prælatus denuntiatus procedere contra ſubditum in ijs, per quæ negotium inquiſitionis poſſet impediri, idque deſumitur *ex c. olim penult. h. t.* ubi Gregorius IX. reſcribit, quòd ſententiæ excommunicationum, ſuſpenſionum latæ per Abbatem, qui fuit denuntiatus, vel alium ejus nomine contra denuntiantes Monachos, vel eis adhærentes, relaxentur, ſi latæ fuerint poſt inceptum negotium; immo quòd debeant etiam reſtitui, ſi pendente lite fuerunt ſpoliati ab Abbate, & judices abſque ſtrepitu judicij debeant inquirere inquirenda in perſonas, & obſervantias regulares, & corrigere, ac reformare, tum caput, tum membra, imò & relaxare juramenta de tacenda veritate. Rurſus ſtatuitur, quòd lite pendente Monachi ita debeant Abbati obedire, ut lis non impediatur, & manifeſtentur denuntiato Abbati dicta teſtium. Demum ut expenſæ requiſitæ pro fratribus, & perſonis idoneis denuntiantibus, & proſequentibus negotium fiant de bonis Monaſterij, eò quia Monachi non habeant proprium. Unde ut notat Gloſſa, poſt cauſam cœptam inter Prælatum, & ſubditus coram judice ſuperiore, jurisdictio Prælati eſt ſuſpenſa, perinde ac ſi eſſet appellatum *ab eo. c. cum dilectus eod. tit.* in alijs verò, quæ non impediunt proſecutionem litis tenentur ſubditi parêre Prælato, & poſſunt etiam ad id compelli per cenſuras *c. prudentiam de offic. deleg.*

20 Hæc autem inquiſitio, quæ fit contra Prælatum regularem denuntiatum à ſuis ſubditis, non exigit, ut ordo judiciarius omnino exactè ſervetur, ſicut contra ſæculares Prælatos: proinde Gregorius IX. *in c. olim* mandavit, copiam atteſtationum, ſeu diſpoſitionum teſtium exhiberi Abbati denuntiato, imò etiam nomina teſtium, quamvis non exprimantur in textu. Sin verò Prælatus denuntietur ſuſpectus de mala adminiſtratione, & præſertim dilapidatione bonorum eccleſiæ, tunc committitur alicui, ut perſonaliter inquirat ſuper veritate, & interim interdicitur Prælato poteſtas alienandi, ut reſcribit Gregorius IX. *in c. Prælatorum exceſſus ult. h. t.* & quamvis pauci ſint, qui denuntient, nihilominus poteſt committi inquiſitio, & inquiſitores tenentur perſonaliter accedere ad locum, in quo degunt ij, contra quos fit inquiſitio, nec poſſunt inquiſitores deputati alijs committere vices ſuas: ratio eſt, quia cenſetur tunc electa induſtria perſonarum, quæ cum ſit annexa perſonis in ſpecie, tenentur iſti ſpecialiter inquirere.

Juvat tamen obſervare, quòd quamvis in *d. c. Prælatorum exceſſus ult. h. t.* dicatur, Prælatum eſſe interdicendum ab alienatione bonorum eccleſiaſticorum, id debeat intelligi non ſolùm de bonis immobilibus, ſed etiam mobilibus, quæ pretio æſtimantur, & quæ ſervando ſervari poſſunt: non ita de alijs bonis, quæ ſervando non poſſunt ſervari. Ratio eſt, quia illa prohibitio alienationis eſt in beneficium eccleſiæ, ne ſcilicet hæc ullum patiatur detrimentum: ſin autem Prælatus non poſſet interim alienare res illas, quæ ſervando ſervari non poſſunt, hæc prohibitio foret in damnum eccleſiæ, quia interim res corrumperentur, & viliori pretio deberent vendi, vel omnino projici. 21

Crimen poteſt tripliciter opponi, denuntiando, excipiendo, & accuſando; quando denuntiatur, non eſt neceſſaria ſcriptio, quia tunc tendit ad ſolam correctionem denuntiati, ut emendetur, non ut puniatur: cum accuſatur, eſt neceſſaria inſcriptio, quia tendit ad pœnam, & ut accuſatus legitima authoritate judicis puniatur: quando verò excipitur, tunc proceditur cum diſtinctione, ſi excipiatur ad repellendum ab accuſatione, vel teſtificatione, non eſt neceſſaria inſcriptio: ſin verò ut excludatur aliquis à promotione officij, vel beneficij, etiam diſtinguitur, ſi ante confirmationem objiciatur crimen, non eſt neceſſaria; ſi poſt promotionem, ut cum ordinandus fuerit, vel conſecrandus, tunc eſt neceſſaria, & excipiens eſt compellendus à judice ad pœnam extraordinariam, ſi in probando defecerit: ratio eſt, quia probando tollit jus acquiſitum, ut deſumitur *ex c. ſuper his 16. h. t.* Non tamen criminoſus eſt admittendus ad excipiendum de crimine, ſi proſequatur bonum publicum, quia eſt excipiens voluntarius; & hæc exceptio vim habet accuſationis, à qua propterea criminoſus perinde repellitur ac à teſtificando. Admittitur tamen criminoſus ad excipiendum, ſi proſequatur proprium ſuum intereſſe, ut quia 22

is, contra quem excipit, foturns eſt ſuus Prælatus: vel quia eſt patronus, vel aliqua ratione ei devinctus, & aliàs ſua intereſt; tunc enim ſit excipiens neceſſarius, & nemini ad jus ſuum proſeqoendum obſtat exceptio criminis *argu. c. 2. canſa. q. 6.* niſi fortaſſis aliuude eſſet ſuſpectus; quia tunc in cauſis criminalibus non eſſet admitteudus.

23 Hinc ad excipiendum de criminn contra electum, vel promoveudum ad prælaturam eccleſiaſticam admittitur quilibet ſubditus, & diœceſanus tam coutra perſonam, quàm contra formam electionis: vel etiam contra electos ad ſimplicia beneficia, quilibet de eccleſia, eò quia cujusvis interſit bouos habere paſtores, & Prælatos, ut notat Hoſtinnſis *in d. c. ſuper his col. 2. §. excipitur.* Cæterum exceptio ex ſua natura inſtituitur, ut repellatur intentio àdverſarij *c. 2. de ordine cognit.* Nonnunquam tamen ob connexiouem juris obteuti cum jure, à quo quis repellitur, deijcitur à jure etiam acquiſito, ſi crimen probatum ſit, ut notat Abbas in *d. c. ſuper his n. 2. h. t.* hinc ſi electus repellatur per exceptionem crimiuis à confirmatione, repellitur etiam à jure quæſito per electionem; ut etiam ſi repellatur à conſecratione, repellitur etiam à jure quæſito per confirmationem; quia inutilis foret eccleſiæ talis electus, ſi confirmari non poſſet; ut etiam ſi conſecrari non poſſet; quia eccleſia tamdiu cenſetur ſuo viduata paſtore, quamdiu hie non confirmatur, nec conſecratur, & illi actu non inſervit.

24 Rurſus excipiens de crimine ante confirmationem electi, non ſe inſcribit, beuè tamen poſt confirmationem: quia ante illam non dicitur promotus cum effecto, quia tantùm habet jus ad rem, non verò jus in re, quod non acquiritur niſi per confirmatiouem; quando verò à confirmatione, & conſecratione quis repellitur, non privatur obtentis beneficijs, ſed tantùm jure, quod per electionem acquiſiverat, ut notat Hoſtienſis *in d. c. ſuper his. col. 4. V. deijcit. h. t.* adeò ut beneficia acquiſita ab eo, qui electus fuit in Epiſcopum, nou conferantur alteri, niſi poſt tempus elapſum, & à jure præſcriptum ad conſecrationem Epiſcopi: uude ſi repellatur ab obtento de novo, poteſt autiqua beueficia retioere. Qui verò poſt confirmatiouem electi coutra illum excipit de crimine, ut repellatur à conſecratione, quamvis non adigatur ſe inſcribere, debet nihilominus ſe obligare ad pœuam extraordinariam ſolveudam juxta arbitrinm judicis, ſi in probaudo defecerit; quoties enim determinata pœna nou exprimitur in jure, ea arbitrio prudentis judicis relinquitur infligenda *c. de cauſis 4. de offic. judic. delegat.* poteſt tamen à tali pœua arbitraria appellari, ſi judex in ea infligenda exceſſerit.

25 Rurſus per exceptionem dupliciter poteſt crimen deduci in judicium. Primò civiliter quando exceptio de crimine tautùm opponitur ad repellendum accuſatorem ab accuſatione, ut criminoſum; vel ad impediendum, ne electus, vel promotus ad dignitatem, aut beneficium mittatur in poſſeſſionem, & tunc is, contra quem excipitur, non poteſt criminaliter puniri à judice, tametſi fuerit de crimine convictus, niſi novus proceſſus inſtituatur. Secundò crimen deducitur in judicium criminaliter, quaodo agitur, & petitur, ut non ſolùm accuſator, aut teſtis repellatur, verùm etiam criminaliter puniatur: & tunc poteſt ferri ſeuteutia condemnatoria criminalis contra eos, quia excipiens aſſumit tunc partem accuſatoris.

Judex ſæcularis duobus modis adigi poteſt 26
ad judicandum. Primò per publicam denuntiatiouem Officialium, qui ad id muueris deputati ſunt. Allqui tamen ceuſent, non eſſe opus indicare Magiſtratui nnmina delinqueutium (excepto delicto hæreſis) ſed ſufficere, ſi moneant, ut diligenter invigilent, & attendant, ne quid damni reſpublica patiatur, eò quia non deſint malefactores, incendiarij, proditores, & ejusdem ſurfuris homiues uequã, cõmunis boni oſores. Secundò per denuntiationem à quolibet alio propoſitam, qui vel boui publici, vel privati, & proprii deſiderio movetur; ſpecialiter tameu eſt legibus cautum, ne judex eorum præſertim ſuſcipiat denuntiationes, quibus prohibitum eſt accuſare, ut ſunt ſervi domeſtici, ruſtici, oppreſſi, & ſimiles, ut notat Abbas *in c. novit. de judic.* Conſuetudo tamen hodie invaluit, ut notat Julius Clarus *q. 7.* ut poſſit quilibet judicem adire, ac denuntiare injuriam ſibi factam, & id videtur conſonum æquitati, ut crimina manifeſtentur, ac puniantur.

Judex verò eccleſiaſticus poteſt etiam per 27
judicialem denuntiationem procedere in pluribus caſibus. Primò quando clericus clericum denuntiat, ac conqueritur contra ſuum Prælatum de injoſta oppreſſione; ut ſuperiùs innuimus.

Secundò qoando laicus denuntiatur ob cri- 28
men hæreſis, vel ſimoniæ, quia hæc, & alia id generis delicta ex ſe ſunt eccleſiaſtica, & pertinent ad forum Eccleſiæ.

Tertiò in defectum judicis laici, eò quia 29
nolit ſuo munere fungi, vel careat jurisdictione; vel forſan quia habetur potiùs pro Tyranno, quàm judice, tunc enim poteſt per viam deuuntiationis, vel querelæ adiri judex eccleſiaſticus.

Quartò ratione violatæ fidei, & non ſerva- 30
ti juramenti etiam à laicis.

Quintò cùm miſerabiles perſonæ auxilium 31
implorant. Sextò quando conſtat de damno illato, & non de illius authore: tunc enim moris eſt in eccleſia, ut anathemate percutiatur occultus author, quicunque ille fuerit, donec ſatisfaciat, imò fertur etiam excommunicatio contra ſcientes, ſi delictum non revelent *c. ſi ſacerdos de offic. Ordinarij.*

Septimò per denuntiationem judicialem po- 32
teſt etiam judex eccleſiaſticus procedere in omnibus cauſis ſpiritualibus; & quæ ſpiritualibus annexæ ſunt, ut ſi agatur de matrimonio impediendo, vel diſſolvendo ob impedimentum dirimens *c. ad diſſolvendum de deſponſ. impub. c. tua nos. de cognat. ſpirit.*

Cautum tamen eſt in jure civili, ne Syndici, 33
Sta-

Stationarij, & ſimiles de quibuslibet denunţient criminibus, ſed tantùm de notorijs id eis permittitur *l. ea quæ C. de accuſat.* Dicuntur Stationarij quidam apparitores, qui diſperguntur per vicos, vel Provincias certis locis ad eum finem, ut Magiſtratui denuntient, quæ perpetrantur flagitia *l. 1. de offic. præf. urb. l. 31. C. de Epiſc. & cler.* quia non expedit, judicem occupari in incertis, & parùm exploratis. Verùm conſuetudo pleriſque in locis invaluit, ut delicta quælibet etiam minus certa deferantur ad iudicem, dummodo probari poſſint: hinc moris eſt, ut quilibet de populo poſſit denuntiare delictum, ſive publicum, & notorium, ſive privatum, & paucis notum; dummodo revera commiſſum ſit, & narretur ſine ſuſpicione falſi, ut notat Julius Clarus *lib. 5. §. fin. q. 7. n. 7.* & Maranta *pag. 135. n. 26.* Imò admittuntur etiam denuntiationes privatorum, quando agitur de damno notabili communitatis: pertinet tamen ad iudicem cautè procedere, ac prudenter ſe gerere, ne homines aliàs boni nominis, & nulla infamia laborantes, denuntientur cùm eorundem damno, quia ſola ſuſpicio criminis derogat innocentiæ, & detrahit honori.

34 Qui verò falsò denuntiant huiusmodi homines, qui in republica probi habentur, probatâ eorundem innocentiâ condemnantur; & ſi deficiant in probatione, ſuſpenduntur ab officio, & beneficio, quia tunc denuntiator præſumitur calumniam machinatus. Excipiuntur tamen Syndici, Stationarii, & alii id genus officiales, qui ex officio tenentur delinquentes denuntiare, in iſtis enim ceſſat præſumptio calumniæ. Quòd ſi conſtaret, aliquem ex hiſce Officialibus officii ſui limites fuiſſe transgreſſum, & ex odio falſum crimen alicui affinxiſſe, tunc non ſolùm in expenſas, verùm etiam aliâ arbitrariâ pœnâ puniendus eſſet.

§. VII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 Quæritur primò, an iuramentum, & pactum de non denuntiando, aut accuſando obliget? Reſpondetur, tres eſſe circa hanc quæſtionem Doctorum ſententias. Prima aſſerit, valere, & obligare reſpectu peccati præteriti; non ita reſpectu peccati in futurum perpetrandi, & nititur hæc ſententia, quia non debeat aperiri occaſio peccandi, ſicut aperiretur, ſi tale pactum, vel iuramentum de peccato in futurum validum eſſet, ut notat Gloſſa *in c. quemadmodum de jurejur.* Secunda ſententia cenſet, tale pactum abſque iuramento non valere in materia civili, nec in criminali: iuramentum tamen ſemper valere in materia civili æquè de peccato præterito, ac de futuro; non ita in criminali, & ita docent plures Canoniſtæ cum Panormitano *in d. c. quemadmodum de jurejur.* Tertia ſententia procedit cum diſtinctione, & aſſerit, quòd ſi accuſatio, ſeu denuntiatio ſit de præcepto, vel conſilio, nunquam valet pactum, ſeu iuramentum, ſive ſit de peccato præterito, ſive de futuro, eò quia iuramentum de non adimplendo præcepto, ſeu conſilio, cum non ſit de re licita, eſt nullum: ſin autem non adſit præceptum, vel conſilium de accuſando, vel denuntiando quocunque modo ſe habeat accuſatio, vel denuntiatio, tunc iuramentum, & pactum valet, quia tunc iuramentum, vel pactum non impedit maius bonum.

Nihilominus mihi videtur probabilius, 2
tale pactum, & iuramentum generatim eſſe irritum, eò quia adverſetur bono communi, quod impedit; cùm enim bonum communitatis præferri debeat bono privato; ideo quomocunque ſe habeat iuramentum, ſemper eſt impeditivum majoris boni. Tum quia ad bonum commune reipublicæ pertinet, ut delicta non maneant impunita; eò quia ſemper lædunt debitum ordinem communitatis exigentis flagitia puniri: quapropter impedire punitionem intuitu commodi perſonæ privatæ eſt impedire majus bonum; conſequenter quicquid ordinatur ad impediendum punitionem commiſſi flagitii eſt impeditivum majoris boni: & quia tale pactum, vel juramentum ordinatur ad impediendam hanc punitionem: ſiquidem impedit accuſationem, aut denuntiationem, quæ ſunt media, quibus devenitur ad notitiam, & punitionem criminis; & ſublatis medijs non poteſt haberi aſſecutio finis: ex quo elaret, tale pactum, vel juramentum utpote impeditivum majoris boni, & læſivum recti ordinis ſervandi in republica, non eſſe validum.

Neque obſtat, quòd non ſemper adſit hæc 3
obligatio accuſandi, ſeu denuntiandi, quia licèt id verum ſit, nihilominus accuſatio, & denuntiatio ex ſua natura ordinatur ſemper ad bonum communitatis: quemadmodum licèt non adſit obligatio ſervandi conſilia, eorum tamen obſervatio eſt ſemper majus bonum; proinde juramentum contra conſilia, utpote impeditivum majoris boni, non valet.

Quæritur ſecundò, an Regularis accuſatus 4
apud ſuum Prælatum poſſit ab eodem puniri, tametſi non convincatur? Reſpondet Suarez *tom. 4. de relig. lib. 10. c. 12.* Prælatum tunc poſſe tantùm adhibere ſecretam correptionem ad terrorem, & medicinam ſubditi, imò etiam mutare ipſum de loco in locum; & illum privare miniſterio, quod dependet ex ejusdem Prælati voluntate: excipit tamen, dummodo fieri hæc poſſint abſque infamia ſubditi non convicti. Siquidem hæc omnia tunc ordinantur in bonum religionis, & ipſius ſubditi, & non læditur juſtitia, ſed potiùs charitas fovetur. Probabilius tamen putârim cum Soto *relect. de leg. ſecret. n. 2. q. 4. concluſ. 8.* non poſſe à Prælato ſubditum non convictum puniri privatione miniſterij, vel mutatione loci, tametſi hæc ab ejus dependeant voluntate: quia quamvis hæc ut rectè notat Suarez ſuaptè natura, non inferant gravamen ſubdito, cum hic voto obedientiæ teneatur ſubjacere voluntati, & diſpoſitioni ſuperioris; nihilominus concurrente tali circumſtantia, quòd ſubditus

fuerit inquiſitus, denuntiatus, & accuſatus, oritur ſaltem aliqua ſuſpicio, quâ poſitâ ſi ob eandem privetur miniſterio, vel puniatur per mutationem loci, nulli eſt dubium, quin gravamen non modicum eidem inferatur, eò quia tunc talis pœna videtur eidem inflicta intuitu delicti, ex quo denuntiatur, & accuſatur: adeò ut pœna injuncta ſit quædam confirmatio delicti, quod præſumitur non eſſe, cum non probetur: quilibet enim ſemper præſumitur bonus, donec probetur malus.

5 Nec obſtat, ſi dicas, huiusmodi pœnas infligi tantùm per modum pœnitentiæ regularis, quæ non exigit ſubditum remanere convinctum. Nam contra eſt, quia etiam pœnitentia regularis ſupponit delictum, quod regulari modo debet puniri: unde ſi non adſit delictum, adhuc videtur inferri gravamen, quia ſemper punitur regularis de delicto, de quo minimè conſtat: aliud eſt pœnitentiam injungere Religioſo ob ſolum virtutis exercitium: & aliud ob ſuſpicionem ortam ex denuntiatione, vel accuſatione delicti, quod non poteſt probari: ob virtutis exercitium, utique poteſt Prælatus pœnitentiam injungere, quia id pertinet ad bonum commune religionis, ut ſubditi virtutes exerceant: non ita intuitu denuntiationis, & accuſationis præviæ, ſi accuſatus non poſſit de delicto convinci; quia tunc contra virtutem juſtitiæ puniretur; nimirum ut malus, cum revera eſſet bonus, cum quisque ſemper ſupponatur bonus, donec probetur malus. Tum quia communior ſententia eſt, non poſſe fraternam correptionem adhiberi, quando de peccato non conſtat, proinde multò minus erit pœnitentia regularis injungenda, quando non conſtat de delicto, de quo quis accuſatur; quia tunc accuſatus utpote innocens magis gravatur. Quamobrem intuitu culpæ, de qua non conſtat, nullo modo debet ſubditus regularis à ſuo Prælato puniri, niſi alia adeſſent indicia ſufficientia. Tum quia quilibet habet jus ad conſervandum bonum nomen apud ſuperiorem, proinde non poteſt hic ipſum deponere, niſi de contrario ei conſtet.

6 An verò ſola ſuſpicio ſufficiat ad puniendum ſubditum Regularem. Reſpondetur cum diſtinctione, ſi ſtante ſuſpicione pœnitentia injungatur ut medicina non odioſa ſubdito, tunc putârim poſſe hanc adhiberi, quia nullum ſubdito infert gravamen: ſin verò ſit odioſa, non eſt adhibenda ob gravamen, quod infert intuitu delicti, quod non probatur; alioquin ſuſpicio tranſiret in ſententiam, & quidem injuſtè, cum ſententia debeat fundari in certa ſcientia. Cæterum poteſt Prælatus, quando ſubditus non convincitur, tantùm adhibere correptionem conditionatam, quâ ſuadeat ſubdito, ut impoſterum ſe abſtineat à danda occaſione: ne alij ipſum accuſent, & tunc correptio eſt juſta, & poteſt obtinere eundem effectum emendationis. Quòd ſi Prælatus haberet certam ſcientiam de errore commiſſo, quamvis hic non probaretur, poſſet ſubditum corrigere, imò etiam punire pœnitentiâ regulari, occultè tamen ſi error commiſſus alios lateat, quia cum ad Prælatum ſpectet regimen ſubditorum, non ſolùm habet jus corrigendi errantes, ſed etiam tenetur remedia ſalutaria adhibere ob bonum ſubditorum. Tum quia deſtinatus regendis ſubditis debet ſequi ſententiam propriam, non verò publicam acquiſitam per proceſſum: unde tunc non infertur gravamen ſubdito, ſi ſuperior eum puniat. Hinc ſacra congregatio Cardinalium negotijs Regularium præpoſita cenſuit, Generalem Theatinorum poſſe ſuos ſubditos ex quacunque cauſa etiam ob crimen occultum quomodolibet, etiam extrajudicialiter à confeſſionibus audiendis ſuſpendere. Datum Romæ die 2. Julij 1627.

Quæritur tertiò, an accuſatio reiterari poſſit? Reſpondetur, de jure civili non poſſe reiterari ab eodem accuſatore *l. ſi cui* §. *iiſdem ff. de accuſat.* & *l. licèt.* §. *ult. nante* & tradit Julius Clarus *in pract. crimin.* §. *ult. q. 57. n. 1.* Immo id etiam procedere in jure canonico expreſsè deſumitur *ex c. veniens.* §. *ult. 35. q. 9.* & *c. de bis de accuſat.* Quamobrem neque juxta conſcientiam poteſt accuſatio reiterari ab eodem accuſatore: & ratio eſt, quia accuſatio eſt quædam delatio criminis in ordine ad vindictam, ideoque eſt quædam pars judicij, ſeu prima ejus inchoatio; proinde eatenus poteſt accuſator accuſare, quatenus poteſt intendere juſtam vindictam, & judicium inchoare: unde eo ipſo, quòd ſemel accuſavit, extinguitur tota facultas accuſandi, quia non ampliùs ad ipſum pertinet de vindicta, cùm cauſa facta ſit publici juris, cui privatus non poteſt ſe immiſcere; unde quantum ad ipſum pertinebat, ad publicum judicium per accuſationem tranſtulit: idque non ſolum procedit, quando judex ſuam tulit ſententiam: ſiquidem non eſt quis bis judicandus de eodem crimine; tum quia ſemel quòd ſententia fuerit condemnatoria, crimen fuit vindicatum: verùm etiam ſi judex ferat ſententiam abſolutoriam, quia tunc etiam delictum eſt purgatum, & eo ceſſante non poteſt abſolutus ampliùs de ipſo accuſari. 7

Immo videtur etiam procedere, quando judex non eſt proſecutus cauſam inchoatam per accuſationem, quia tunc præſumitur pro judice, quod ſervatis terminis juſtitiæ non potuerit cauſam proſequi. Quòd ſi conſtaret de judicis prævaricatione, in hoc caſu poſſet accuſator reiterare accuſationem apud alium judicem; quia prior accuſatio, cùm non fuerit ſortita ſuum effectum, habetur pro non poſita: & quia perperam fuit uſus accuſatione, accuſator reſtituitur in integrum; non enim æquum eſt, ut ex malitia judicis accuſator privetur ſuo jure, & communitas commodo, quod inde illi provenit ex vindicta delictorum mediante accuſatione *arg. l. 3. ff. de prævar.* Immo neque neceſſe eſt ad forum conſcientiæ, ut poſſit docere de prævaricatione judicis, ſed ſufficit, ſi accuſatori conſtet de tali prævaricatione. 8

In foro tamen externo tenetur accuſator docere de prævaricatione judicis, quia hic non præſumitur prævaricator, niſi probetur. 9

Quòd

Quòd ſi per latam ſententiam accuſatus declaratus ſit innocens, non ampliùs licet accuſatori eum accuſare de eodem delicto, à quo fuit abſolutus, quia delicta ſemel dimiſſa, non patitur divina clementia, iterum in ultionem venire, ut habetur *in c. divina clementia de pœnit. diſt. 4.* Tum quia accuſatio, cùm non poſſet ampliùs ordinari ad vindictam eſſet tantùm oneroſa, & merè iniurioſa.

10 Quæritur quartò, an, ſi non ab eodem accuſatore, poſſit ſaltem ab alio, quis de eodem delicto ſemel accuſatus iterum accuſari? Reſpondetur regulariter ſemel accuſatum de aliquo delicto, non poſſe de eodem ab alio iterum accuſari, ſi accuſatus ſemel à iudice fuerit à tali crimine abſolutus: ratio eſt, quia eatenus accuſatio inſtituitur in iure, quia eſt medium in ordine ad publicam vindictam, & ne delicta maneant impunita: atqui ſi ſemel accuſatus fuit à iudice abſolutus à delicto, accuſatio de eodem prorſus numero delicto, quamvis inſtituatur ab alio accuſatore, non poteſt eſſe medium ad aſſecutionis finem intentũ à lege; conſequenter talis accuſatio non eſſet utilis, quia media non habent aliam utilitatem niſi eam, quam hauriunt à fine, quapropter foret accuſatio purè oneroſa, & iniurioſa.

11 In aliquo tamen caſu poteſt accuſatio reiterari ab alio accuſatore, ut quando primus accuſator prævaricatus eſt, ut deſumitur ex *l. 3. §. de prævaricat.* & *l. ſi quis homicidij. C. de accuſat. argu. c. 7. de colluſ.* & docet Gloſſa in *c. ſuper his. 16. h. t.* ratio eſt, quia quando accuſator prævaricatur, tunc accuſatio ceſſat ex parte ipſius, & res reſtituitur in integrum, & accuſatio habetur ut non poſita; quapropter poteſt alius ſuccedere tunc in locum primi accuſatoris, & proſequi accuſationem eam innovando, quia ſemper de ſe eſt licita, donec ſortiatur ſuum effectum, cùm ordinetur ad iuſtam vindictam neceſſariam pro bono communi reipublicæ. In foro tamen externo tenetur ſecundus accuſator docere primum accuſatorem fuiſſe prævaricatum. Quia ſicut non poteſt quis licitè accuſare, quando non poteſt ſuum dictum probare; ita nec poteſt licitè renovare accuſationem, quando non poteſt prævaricationem oſtendere, quia tantùm extante prævaricatione poteſt ſecundus accuſator accuſare; non verò ſi non conſtet de prævaricatione primi accuſatoris.

12 Secundò poteſt etiam contingere, ut ſecundus accuſator licitè accuſet, ſi ignoret, fuiſſe primam accuſationem ab alio inſtitutam *l. cui §. ijsdem ff. de accuſat.* quia tunc innovatio accuſationis non eſt formaliter accuſatio, ſed tantùm materialiter; quia ſecunda accuſatio ſtante ignorantia, perinde ſe habet, ac prima: unde ignorantia excuſat tantùm accuſatorem, non verò facit licitam iterationem accuſationis; hinc iudex non poteſt hanc ſecundam accuſationem admittere, eò quia ex obiecto mala ſit, nec poſſit ordinari ad rectum finem ab ipſo iudice; ſicut enim non poteſt quis reiterare accuſationem, quam ſcit iam factam fuiſſe, ita nec iudex poteſt admittere innovationem accuſationis.

Quæritur quintò, an dari poſſint caſus, in quibus teneatur quis accuſare? Reſpondet Dominicus Bannez. *q. 68. art. 1.* affirmativè. 13
Primò ob bonum Reipublicæ, quia hæc patitur damnum ex eo, quòd aliquis particularis injuriam patiatur. Secundò ne homo ſit prodigus, & ſine cauſa permittat perire ſuum cenſum, aut honorem. Tertiò ex charitate ſui ipſius, ut ſi homo timeat ſibi ipſi, ne ſine honore, divitijs facilè incidat in peccata mortalia. Nihilominus communior, & verior ſententia eſt, regulariter neminem unquam teneri alios accuſare. Ratio eſt, quia vix poteſt fingi caſus, ubi relicta accuſatione propriè ſumptâ, alia media non ſufficiant: etenim vel agendum eſt civiliter, vel criminaliter, ſi primum in propriam utilitatem poteſt quis cedere juri ſuo, & dimittere debitum: ſi verò agendum ſit criminaliter, poteſt loco accuſationis adhiberi querella, vel denuntiatio, quia cum accuſatio, & denuntiatio tantùm differant accidentaliter, ſufficienter per ipſam, ut etiam per querelam judici aperitur via ad cognoſcendum delictum, illúdque puniendum, Sunt tamen qui cum Soto excipiunt unum caſum, ſi nimirum damnum immineat toti communitati, & cui ſtatim occurrendum ſit. Verùm nec in iſto caſu mihi videtur neceſſaria accuſatio formaliter ſumpta; quia eatenus hæc neceſſaria foret, ne reſpublica tale pateretur damnum, quod illi imminet: atqui tale damnum per alia media poteſt æquè impediri, ac per accuſationem formaliter ſumptam, ſcilicet per denuntiationem, ratione cujus Magiſtratus venit in cognitionem damni ſibi imminentis, & poteſt ſibi cavere, ac media adhibere ad illud declinandum.

Quæritur ſextò, quid juris de reconventione. 14
Reconventio, ſeu reaccuſatio tunc habetur, quando accuſatus excipit contra accuſatorem objiciendo crimen ſimile, vel diſſimile illi, de quo accuſatur, & convenitur; & talis accuſatio in jure vocatur reconventio, & eſt retorſio, ſeu mutua petitio. Reſpondetur, reconventionem fieri poſſe ante, & poſt conteſtationem litis, ut notat Felinus *in c. 1. de mut. petit.* Immo fieri etiam poteſt coram judice delegato, & aliàs non competente, ut docet Succin. *reg. 1. reconvent.* Immo etiam in omnibus cauſis, quæ nullo jure prohibentur, ut ait Tuſchus *litt. R. concluſ. 61.* In cauſis tamen criminalibus, & criminaliter intentatis non permittitur reconventio niſi ſuam, ſuorúmque cauſam actor perſequatur, vel niſi crimen objiciendum ſit gravius eo, quod accuſator urget, ut notat Maranta *p. 4. §. ſexta n. 39.* Cæterum utramque cauſam conventionis, vel reconventionis judex tenetur ſimul expedire, niſi quid aliud obſtet, ut notat Geminian. *conſil. 139.* Quòd ſi actor reſpondere nolit ad libellum reconventionis, non tenetur Reus neque ad ejus libellum reſpondere, & poteſt puniri à judice pœna arbitraria, ut notat Tuſchus *d. concluſ. 61.*

Quæritur ſeptimò, quot modis accuſatio 15

tol-

reddatur injuſta? Reſpondetur tripliciter, ſcilicet per calumniam, prævaricationem, & tergiverſationem. Is dicitur calumniari, qui aliquem ſcienter falsò accuſat. Prævaricari verò quando abſcondit vera, & falſa producit. Tergiverſari eſt, quando quis ita accuſat, ut quaſi velit non accuſare, ac proinde retrocedit, accuſationem derelinquendo, & poſtea iterum accedit ad accuſationem, à qua iterum retrocedit, & ſic dicitur tergiverſari. Cæterum qui ſcienter falsò alium accuſat nullis exiſtentibus indicijs, lethaliter peccat, tenetúrque damnum illatum reſarcire: immo jure antiquo erat obnoxius pœnæ talionis, cui hodie de jure novo ſucceſſit arbitraria juxta prudens judicium probi judicis. Hoc etiam procedit de eo, qui alium accuſat de crimine, quod cùm ipſi ſoli innoteſcat, non poteſt in judicio ſufficienter probari, cum unus teſtis non faciat plenam probationem, ut notat Tuſchus *V. calumnia concluſ. 9.* & deſumitur *ex c. fin. de calumnijs.* Ignorantia tamen inculpata id operatur, ut accuſator à gravi peccato excuſetur, non tamen liberatur ab obligatione reſtituendi honorem læſum, vel reſarciendi alia damna illata, exceptis expenſis in lite factis, quia falſus accuſator per ignorantiam, neque ex rebus accuſati quidquam poſſidet, quod teneatur reſtituere.

16 Rurſus in cauſa criminali ſi quis pactum ineat deferendi, vel non proſequendi accuſationem inſtitutam, ſi inde alicui tertio, vel reipublicæ damnum oriatur, non excuſatur à gravi peccato, & tenetur reſtituere damna illata ob transgreſſionem ordinis juſtitiæ. Judex tamen quicunq; ille ſit, etiam inferior, non peccat, ſi poſtquam notavit defectum aliquem, inceptam abrumpit accuſationem: ratio eſt, quia ſicut judex non tenetur admittere accuſationem ſuſpectam; ita neque tenetur protendere defectuoſam. Quæ verò dicuntur de falſo accuſatore, extenduntur etiam ad eos, qui ſunt cauſa impulſiva talis accuſationis, eò quia eidem cooperentur efficaciter, & eam conſulant, ut notat Tuſchus *V. accuſat. concluſ. 167.*

17 Quæritur octavò, quomodo contra abſentem præſertim contumacem procedendum ſit in accuſatione? Reſpondetur, abſentem à loco judicij non poſſe accuſari *c. 2. cauſa q. 9.* & *l. abſente C. de accuſat.* Id tamen eſt intelligendum, ut contra abſentem deduci, & finiri non poſſit accuſatio; cæterum proponi poteſt, ut accuſatus citetur à judice ad comparendum: quòd ſi contumax detrectet comparere, & non poſſit realiter citari, ſeu corporaliter apprehendi, eò quia ſit profugus, vel quia judex ſub cujus diſtrictu latet, non exhibet alteri judici manus adjutrices; tunc annotantur ejus bona, ſeu à judice obſignantur, ſeu arreſtantur, ea conditione, ut ſi intra annum comparuerit, atque purgaverit, integram rem ſuam recipiat: & interim judex intra id temporis, res, quæ ſervando ſervari non poſſunt, divendere poteſt, pretiúmque apud ſe deponere.

18 Quòd ſi per contumaciam patiatur annum delabi; tunc ejus bona annotata ad fiſcum devolvuntur *l. mandatis 5. ff. de requir. Reis.* Si verò accuſatus intra annum decedat, quia tunc etiam moritur cauſa criminis, ejus bona annotata legitimis hæredibus, ac ſucceſſoribus illius reſtituuntur *l. 1. §. ult. ff. de requir. Reis.* Clericis verò accuſatis, & contumacibus pœna injungitur ad arbitrium judicis eccleſiaſtici; adeò ut etiam contra clericos per annotationem bonorum, vel ſi bonis patrimonialibus careant, per privationem beneficiorum, vel per inferendas cenſuras procedi poſſit. Monet tamen Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de refor. c. 3.* judices eccleſiaſticos, ut non priùs utantur cenſuris contra laicos, vel clericos, quàm ſi apprehenſioni perſonæ, vel bonorum locus eſſe non poſſit, idque ne ex qualibet cauſa cenſuræ infligantur, & potius habeantur contemptui.

Quæritur nonò, quænam indicia ſufficiant ad ſpecialem inquiſitionem? Tameſi Julius 19
Clarus *§. fin. q. 20. n. 2.* aſſerat, non poſſe de indiciis hiſce ſufficientibus ad ſpecialem inquiſitionem regulam tradi, & totû hoc relinquendum eſſe arbitrio prudentis viri, ſeu judicis, qui ſecundùm qualitatem perſonæ delicti ſuſpicionem, & aliarum circumſtantiarum diſcernat, an revera ſufficiens ſit judicium, an non: attamen tres diſtinguit indiciorum gradus, & ait, alia eſſe indicia levia, alia gravia, & alia graviſſima: quæ verò cenſenda ſint indicia levia, & propterea inſufficientia ad ſpecialem inquiſitionem non determinat. Verùm Puteus citatus à Sylveſtro *V. indicia n. 1.* vocat indicia levia, quibus contingit frequenter abeſſe veritatem; & gravia, quæ plerumque nectuntur cum veritate: & graviſſima quibus ſemper ſaltem in morali hominum æſtimatione veritas adeſt. Bartolus verò diſtinguit indicia in duo tantùm membra, ſcilicet in plena, & ſemiplena: indicium plenum vocat, in quo animus quieſcit, ut non ſatagat alterius inveſtigare, eò quia exiſtimet veritatem eſſe aſſecutum: ſemiplenum vocat præſumptionem vehementer moventem animum ad aliquid credendum, atque exiſtimandum ita eſſe, juxta quæ occurrunt indicia. Hinc reſpondetur ad quæſitum, ad inquiſitionem ſpecialem ſufficere illa indicia, quæ publica ſunt, non tamen levia, ſed conſideratis omnibus circumſtantijs gravia; quia tunc ſufficienter aperitur via judici ad inquirendum ſuper authore criminis, præſertim ſi hoc tendat in perniciem animarum, vel detrimentum reipublicæ: & ad id requiritur judex probatiſſimus, & qui ut loquitur MoſcQnius, ſit duplici conſperſus ſale ſcientiæ, & conſcientiæ, ne quiſquam injuſtè gravetur.

Quæritur decimò, an in quavis inquiſitione ſervanda ſit forma tradita *in c. qualiter 24. h. t.* ubi dicitur, quòd ſi fama à providis, & honeſtis ſæpe perveniat ad aures ſuperioris contra aliquem ſubditum, vel Prælatum, teneatur ſuperior diligenter inquirere veritatem coram ſenioribus eccleſiæ: & quòd accuſatio criminalis, quæ tendit ad degradationem non admittatur, niſi præcedat legitima inſcriptio. Item contra infamatum, qui ſine ſcandalo non poſſit diſſimulare, 20

mnlari, net ſine periculo tolerari, procedi debeat ad inquirendum, ut puniantur exceſſus, qui ſi ſint graves, quamvis non degradetur ab ordine, ſit tamen amovendus ab adminiſtratione. Item quòd is, contra quem fit inquiſitio, niſi contumaciter abſit, debeat eſſe præſens, & exponenda eidem capita ſint, ſuper quibus eſt inquirendum, ut etiam publicanda nomina teſtium, ut ſe defendat. Quòd ſi exceſſus non ſint notorij, & procedatur per accuſationem, debeat præcedere legitima inſcriptio; & ſi per denuntiationem, charitativa admonitio; ſi per inquiſitionem clamoroſa inſinuatio, ac in omnibus ſemper dictari debeat forma ſententiæ juxta formam judicii. Demum *in eodem c. qualiter*, additur, quòd circa perſonas regulares, non ſit in omnibus ſervandus iſte ordo, adeò ut faciliùs poſſint amoveri à ſuis adminiſtrationibus.

21 Reſpondetur ad quæſitum cum diſtinctione, vel inquiſitio eſt generaliſſima, quæ fit in Concilio generali, vel provinciali in ordine ad eccleſias, perſonas eccleſiaſticas in melius reformandas; & tunc non eſt neceſſe, ut ſervetur forma Concilij Lateranenſis, ſed ſufficit, ſi procedatur compendioſè, ſeu ſummariè, & de plano canonicè, ut notat Hoſtienſis *in d. c. qualiter col. 2. verſ. pervenerit.* vel inquiſitio, quæ fit eſt ſpecialis contra certam perſonam, & tunc ſi fiat non ad puniendum, ſed tantùm ex debito officij, ut nimirum matrimonium quis non contrahat ob aliquod impedimentum, vel ut non promoveatur aliquis ad regimen eccleſiæ, eò quia deprehendatur vitioſus, neque requiritur forma præſcripta *in d. c. qualiter.* Vel fit ſpecialis inquiſitio ad pœnam injungendam, & ad puniendum; & tunc adhuc procedi debet cum diſtinctione: vel enim proceditur ad inquirendum ex denuntiatione illius, ad quem ex officio id pertinet, & tunc nec eſt neceſſe, ut prædicta forma ſervetur: ratio eſt, quia tunc non denuntiatur, niſi quod eſt notorium, alioquin non eſſet fides adhibenda denuntiatoribus: vel proceditur non ad denuntiationem publici officialis, ſed ex ſama deferente, & tunc ſervanda eſt tradita forma in *d. c. qualiter §. debet.* ſive inquiſitio fiat contra Prælatum, ſive contra ſubditum ſæcularem. Quòd ſi fiat contra Prælatum Regularem, tunc etiam procedendum eſt cum diſtinctione, ſi fiat inquiſitio tantùm ad ſimplicem correctionem, vel etiam pœnitentiam injungendam ſecundùm regulam, tunc proceditur de plano juxta eandem regulam: ſin autem inquiſitio fiat, ut Abbas, vel Prior Conventualis removeatur ab adminiſtratione, tunc ſervari debet forma tradita *in d. c. qualiter.*

22 Quæritur undecimò, an licitum ſit in Religioſos inquirere ſine prævia infamia? Non deſunt, qui putent, Religioſos, eò quia renuntiaverint mundo, & bonis caducis, omnem itidem curam famæ, & proprij honoris abjeciſſe, proinde multò faciliùs poſſe Religioſos infamari, & vexari; quæ ſententia omnino impia, & injurioſa eſt, quia ut docet D. Thomas *2. 2. q. 186. art. 2.* honor, & fama non accenſentur bonis temporalibus, quibus ſolùm renuntiat Religioſus per religioſam profeſſionem. Quamobrem ut rectè notat Armilla *V. inquiſitio n. 11.* licèt Religioſi non teneantur ſequi apices juris in judiciis, & electionibus; tenentur nihilominus ea ſervare, quæ ſunt de eſſentia juris; adeo ut nec ipſi debeant procedere ſine prævia infamia, & accuſatione: hinc Rodericus *to. 8. c. 12.* acriter invehit in illos regulares Prælatos, qui fungentes munere viſitationis de crimine occulto, per tres, aut plures teſtes patefacto abſq; prævia infamia accuſatum condemnant, puniúntque, quòd legi divinæ, & ſacris canonibus præcipientibus ſervari occulta, adverſatur; quia tunc publita fiunt cum dedecore religionis. Servandus igitur eſt etiam ab ipſis Religioſis modus procedendi in inquiſitione; licèt enim non teneantur procedere juxta apices juris, & poſſint etiam omittere ſolemnitates, & alia accidentia; non ita, quæ ad ſubſtantiam, ſeu eſſentiam judicij ſpectant, hæc enim religioſè ſervanda ſunt.

Rurſus non eſt neceſsè, ut admittatur judicialis proceſſus; ſed quantum fieri poteſt procedendum eſt ſummariè, & de plano: ſin autem res poſtulet exactiorem modum procedendi; tunc adhiberi poſſunt, quæ in judicio ſæculari ſervari ſolent; licèt non ſemper opus ſit accuſatore formali. In dubiis verò cum Prælatus nihil certi ex denuntiatione, & inquiſitione ſua habeat, non poteſt pœnam infligere, & urgere: ſed potiùs tenetur malam opinionem deponere de ſuſpectis, ne lædantur quoad famam, & honorem, quando non ſufficientia adſunt indicia: unde D. Thomas *q. 60. art. 4.* duo diſtinguit indicia, unum ſecundùm ſuppoſitionem, & aliud ſecundùm determinationem; illud aſſerit locum habere in viſitationibus, ubi audiuntur varia, & incerta crimina, pro quibus ex ſuppoſitione factorum, vel faciendorum ſuperiores diſponunt remedia: indicium verò determinationis de certa perſona, ſi dubium fuerit, in meliorem partem debet ſuperior trahere, ut peccatum injuſtitiæ, & temeritatis declinetur; conſultiùs ſemper eſt indulgere ex charitate, quàm alteri detrahere ex non ſufficienti cauſa. 23

Quæritur duodecimò, quomodo Prælati criminatio tractanda ſit? Reſpondetur, eſſe tractandam cum illis, quorum intereſt, & deſumitur ex *cap. illa 3. h. t.* ubi Gregorius Papa reſcribit, Præpoſitos ac Prælatos eſſe accuſandos ab illis, quorum intereſt, ut Abbas à Monachis, adeò ut cauſa Abbatis tractetur coram Monachis accuſatoribus, ut Reus liberetur, vel condemnetur. Ratio eſt, quia cauſarum merita partium aſſertione panduntur *l. 2. C. ſi per vim, vel alio modo*, & accuſatus, ſi fuerit deprehenſus culpabilis, eſt condemnandus, ſin verò Innocens abſolvitur *l. quid §. ſi arb. ff. de arb.* pari pacto accuſator, ſi in probatione deficiat, repellendus eſt *cap. accuſ. 6. q. 5.* quia verò veritas facti non bene poſſet haberi, ſi accuſans, vel accuſatus abeſſet *c. abſentes 3. q. 9.* nec 24

qui eſſet culpabilis ex illis, in abſentia poſſet corporaliter puniri *c. qui accuſ. q. 9.* ſequitur, quòd juxta ſacrarum ſcripturarum documenta, ac ſecundùm juſtitiam debeant ſimul accuſator, & accuſatus adeſſe, ut una pars quantacunque, & qualicunque ſit authoritate prædita, ita audiatur, ut tamen alteri nullum irrogetur præjudicium *c. neceſſe 3. q. 9.* ut etiam docet D. Thomas *2. 2. q. 33. art. 4.*

25 Quæritur tertiodecimò, an quis de aliquo crimine accuſatus, poſſit promoveri? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. Omnipotens 4. h. t.* ubi Pontifex declarat, accuſatum, vel denuntiatum de aliquo crimine non poſſe ſtante accuſatione promoveri ad honorem, donec ſe purget, adeo ut effectus accuſationis legitimè inſtitutæ, & qui in hoc textu exprimitur, ſit, ut illa pendente accuſatus non poſſit promoveri; quinimò arcetur etiam à miſſæ celebratione *c. 4. & 5. de ſimon.* Ratio ex eo petitur, quia ex eo quòd aliquis accuſetur, denuntietur, aut inquiratur de crimine, gravatur eius opinio, ac eius nomen obſcuratur *c. fin. de teſtibus* qui verò ad ordines, vel honores ſunt promovendi ab omni debent denigratione eſſe liberi, adeò ut eorum opinio in nullo dicatur vacillare *c. cum in cunctis de elect.* & *c. laici diſt. 33.* proinde pendente accuſatione, ſeu denuntiatione contra aliquem, non debet accuſatus, vel denuntiatus promoveri ad Ordines, vel beneficia pendente accuſatione *c. tantis diſt. 81.* Verùm ne dolosè, ac fraudulenter crimen obiiciatur ad eum præſertim finem, ut commodum impediatur promovendi; debet terminus præfigi accuſatori, intra quem probet crimen, quod obijcit, & eo dilapſo, ſi nil probaverit, poteſt ſuperior ferre ſententiam interlocutoriam ſuper innocentia accuſati, & poſtea ipſum promovere ad officium, vel beneficium, ut notant Canoniſtæ cum Archidiacono in *c. tantis diſt. 81.*

26 Quæritur quartodecimò, quot modis Judex procedat juridicè adverſus crimina? Reſpondetur tripliciter, ſcilicet via accuſationis, denuntiationis, & inquiſitionis, *c. qualiter. 1. & quando 2. de accuſ.* Via accuſationis procedit, quando quis eſt actor, & aſſumit in ſe onus probandi, quod objicit adverſus Reum. Via denuntiationis, cum quis tantùm ſimpliciter defert crimen, & non aſſumit in ſe onus illud probandi, & per hoc differt denuntiator ab accuſatore, quia huic, non illi incumbit onus probandi crimen, quod objicitur. Eſt autem denuntiatio duplex, evangelica una reſpiciens puram emendationem fratris, & propterea fit ſuperiori, ut patri non ad proceſſum formandum, ſed ad correctionem inſinuandam, fratriſque emendationem inducendam: alia eſt Judicialis, quæ reſpicit criminum punitionem ob bonum publicum, vel impeditionem mali imminentis, & hæc denuntiatio fit ſuperiori, ut Judici in ordine ad formandum proceſſum, & puniendum delinquentem. Viâ inquiſitionis juridicè Judex procedit, quando iſte ex officio, & non ad inſtantiam alicuius procedit ad locum aliquem ſuæ jurisdictioni ſubjectum purgandum, vel reformandum, vel ad inveſtigandum authorem commiſſi criminis, ut notat Suarez *tom. 4. de relig. l. 10. de regim. ſocier. c. 11.* Quòd ſi obiicias D. Thomam *2. 2. q. 67. art. 3.* expreſsè docere, non poſſe Judicem quempiam condemnare ſine accuſatore, proinde Judicem nonniſi viâ accuſationis poſſe juridicè procedere.

27 Reſpondetur, accuſatorem alium eſſe formaliter talem, & alium tantùm virtualiter, & D. Thomam loqui de accuſatore, prout hic extenditur etiam ad virtualem, in quo ſenſu verum eſt, non poſſe Judicem quempiam condemnare absque accuſatore generatim ſumpto, quia ſemper requiritur aliquis accuſator, ſive is formalis ſit, ſive virtualis. Dicitur virtualis accuſator is, qui vicem ſupplet formalis accuſatoris: in criminalibus autem vicem formalis accuſatoris contra bonum publicum ſupplet ſimplex denuntiatio; in privatis verò, ſi crimina ſint notoria, tunc ipſa facti evidentia ſupplet accuſatorem formalem: quinimò huiusmodi facti evidentia in omnibus criminibus non ſolùm vicem ſupplet accuſatoris, ſed etiam teſtis, ac totius proceſsûs juridici; ſi cum hac evidentia ſit Judici perſona notoria, ut notat Cajetanus *2. 2. q. 67. art. 3.* Sin verò crimina non ſint notoria, & procedatur per denuntiationem evangelicam, tunc ante contumaciam non poteſt Reus puniri, proinde non requiritur accuſator: poſt verò contumaciam poteſt contra delinquentem procedi; ſed tunc ipſa contumacia, ut ſuperiori, & aliis evidens vicem ſupplet accuſatoris formalis: quòd ſi procedatur per viam inquiſitionis, tunc ipſa infamia ſupplet vicem formalis accuſatoris.

28 Cæterum non deſunt, qui duos tantùm aſſignant modos juridicè procedendi contra delinquentes, nimirum, vel ex officio Judicis, vel ad inſtantiam partis. Tunc dicitur Judex procedere ex officio, ſi præcedente aliqua infamia, vel denuntiatione accipit informationes, & format inquiſitionem contra delinquentem, ut ad plenam criminis probationem perveniat. Dicitur verò procedere ad inſtantiam partis, quando pars læſa accuſationem objicit, & Judex ea admiſſa procedit ſecundùm eius probationes. Hinc procedere ex officio perinde eſt ac procedere per inquiſitionem: & procedere per accuſationem eſt agere ad inſtantiam partis, ſeu accuſantis. Modus autem procedendi ex officio, ſeu per inquiſitionem ex diſpoſitione juris canonici, ſe extendit ad omnia crimina, quia in omni genere delictorum, poteſt Judex procedere juridicè per inquiſitionem, ut notat Archidiaconus in *c. felicis §. ult. de pœn. in 6.* quinimò ex conſuetudine hoc idem ſervatur in foro civili, quinimò in quibusdam Provinciis adeo ordinaria eſt via inquiſitionis, ut vix admittatur via accuſationis, niſi in paucis cauſis.

29 Quæritur quintodecimò, quomodo procedatur adverſus crimen hæreſis? Reſpondetur contra hæreſim non eſſe ampliùs in uſu, ne procedatur viâ accuſationis, ut notant cum

Fari-

Farinacio *q. 165. num. 40.* Paramus de *origine inquiſ. lib. 3. q. 9. n. 15.* Penna *3. p. direct. comment. 14. n. 67. v. ſed cum hodie.* Tacianus *tract. crimin. lib. 15. c. 38. n. 8.* & ratio deſumitur ex eo, quia in tribunali ſanctæ inquiſitionis conſtituitur Fiſcalis, qui munus ſubit accuſatoris, reóſque accuſat, & hic quia Miniſter publicus non ſe ſubſcribit ad pœnam talionis, cui falſus accuſator ſubijcitur: ratio verò, cur Miniſter Fiſcalis non ſe ſubſcribat, nec ſubijciatur pœnis falſi accuſatoris, ea eſt, quia ex neceſſitate officij pro bono publico accuſat: & nunquam accuſat, niſi teſtes habeat: hinc eſt, quòd teneatur jurare, ſe non accuſare ex malitia, ſed ex ſola officij neceſſitate, quâ ad accuſandũ adigitur. Cæterum, ſi velit quis accuſare, & pœnis ſubijci, tenetur inquiſitor accuſationem acceptare, in ſcriptis tamen proponendam, & exhibendam *c. 1. cauſ. 2. q. 8.* ibi: *Accuſatorum perſonæ nunquam recipiantur ſine ſcripto.* Sufficit tamen, ſi ſcriptura fiat à Nntario, propoſitâ querella ab accuſatore coram Judice: quia in crimine hæreſis poteſt procedi ſummariè, ſimpliciter, & de plano *cap. fin. de hæret. in 6.* Rurſus accnſator tunc non tenetur ſe ſubſcribere ad pœnam ſubeundam talionis, quia pœna talionis in cæteris delictis jam abrogata eſt, ne timore talis pœnæ deſint accuſatores: rariſſimi ſiquidem eſſent, qui vellent ſe pœnæ ſubijcere talionis; proinde neque in crimine hæreſis accuſator debet ſe ad talem pœnam ſubſcribere. Tum quià in crimine hæreſis proceditur ſummariè ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicij, proinde non requiritur ſubſcriptio, ut notat Farinac. *q. 185. n. 33.*

30 Verùm quamvis accuſator non ſe ſubſcribat ad pœnam talionis ſubeundam, ſi tamen in probatione deficeret, graviter arbitrio Inquiſitorum puniri deberet, quia tunc non fuit functus munere accuſatoris, ſed calumniatoris, ut notat Farinacius *d. q. 185. n. 37.* non enim qui ex malitia falsò innocentem accuſavit, debet impunè dimitti juxta conſtitutionem Pij V. quæ eſt quinta ejuſdem Pontificis in Bullário, ubi ſtatuit, ut denuntians per calumniam, pœnæ ſubijciatur talionis: quod à fortiori procedit de falſo accuſatore, ut notat Farinacius *loc. cit. n. 39.* Modus autem inſtituendi hanc accuſationem proponitur à Paramo *de origin. ſanctæ inquiſit. lib. 3. q. 9. n. 17.* ubi ait, non eſſe neceſſe ut in accuſatione exprimatur locus loci, ſeu ſpecialis locus, nec tempus præciſum commiſſi criminis, ſed tantùm civitas, menſis, annus: ídque ne accuſatus poſſit in notitiam devenire teſtium, antequam producantur. Tum quia ſolemnitates, quæ exprimuntur in *l. libellorum ff. de accuſat.* non neceſſariò in hoc crimine obſervantur *c. fin. de hæret. in 6.* Verùm licèt in libello accuſationis non exprimatur locus, & dies præciſus commiſſi criminis, in capitulis tamen productis ad probationem delicti apponi debent, ut notat Farinacius *q. 195. n. 30.*

31 Si quæras, in quo accuſator differat ab actore, cum uterq; procedat contra Reum: licèt non videatur actor diſtingui ab accuſatore eo quia qui in cauſis civilibus dicitur Actor *l. qui prior ff. de judic.* is in cauſis criminalibus dicatur accuſator. *ff. de accuſ. & inſcript.* nihilominos reſpondetur, accuſatorem diſtingui ab actore, quia accuſatio propriè eſt delatio Rei de crimine ad vindictam publicam per libellum facta, adeo ut finis accuſationis ſemper ſit vindicta publica, ut delicta puniantur, & alij exterreantur, arceantùrque à ſimilibus delictis perpetrandis: actor verò non intendit hanc punitionem. Hinc actor in cauſis forenſibus generali vocabulo is eſt, qui agit, & vocat alium in jus, quidpiam ab ipſo petens in judicio, & actio eſt jus proſequendi, eſtque duplex, una in perſonam, quæ perſonalis perſecutio dicitur, ſeu condictio; alia in rem, quæ petitio nuncupatur.

Quæritur ſextodecimò, quænam de jure communi requirantur ad accuſationem? Reſpondetur ex *l. libellorum ff. de accuſ.* requiri primò ut accuſatio fiat in ſcriptis, ídque ut conſtet certò, quid præcisè accuſator teneatur probare; & ne ſi fortâſſis cognoſceret, ſe aliquid non poſſe probare, quidquam mutaret. Verùm uſus hodie invaluit, ut accuſatio Rei fieri poſſit verbaliter, dummodo Notarius eam ſtatim in ſcriptum redigat, ut notat Julius Clarus *q. 12. n. 7.* 32

Secundò ut exprimatur dies, & annus, quo intentatur. Verùm id etiam hodie videtur abrogatum, eò quia parùm ad rem videatur referre. 33

Tertiò ut exprimatur utrumque nomen accuſatoris, & accuſati, ut nimirum certò conſtet, quinam ſit accuſator, & qui accuſatus, quamvis ſi accuſati nomen ignoretur, adhuc poſſit ex deſcriptione habitus perſonæ, & aliarum circumſtantiarum deſignari. 34

Quartò ut exprimatur ſpecies delicti, cùm ſuper hoc intentio accuſatoris fundetur. 35

Quintò ut exprimatur locus, & tempus ſcilicet annus, menſis, & locus, in quo delictum fuit commiſſum, ſi enim huiuſmdi circumſtantiæ omittantur in accuſatione criminali, ipſa accuſatio non admittitur *l. libellorum ff. de accuſ.* alioquin accuſatio redderetur incerta, & tolleretur Reo facultas ſe defendendi probando negativam, & convincendo teſtes de falſitate. Non tamen tenetur accuſator exprimere in libello diem commiſſi delicti, ſed ſufficit, ſi exprimat menſem *d. l. libellorum*, ídque ne poteſtas accuſandi, & probandi nimis coarctetur, quia facilè poteſt quis diem oblivisci, cum non ita cadat ſub ſenſum, ſicut locus. Sin verò Reus poſtulet exprimi diem, & horam criminis à ſe patrati, ut probet, ſe eo die fuiſſe abſentem, plures cenſent probabilius, teneri tunc accuſatorem diem, & horam exprimere, ne tollatur Reo defenſio, ſi non aliter probari poſſit non fuiſſe à ſe tale delictum patratum, niſi oſtendendo ſe eo tempore abfuiſſe, vel laboráſſe aliqua infirmitate. Cæterum ſi teſtes omni exceptione majores probaverint delictum fuiſſe commiſſum tali tempore, vel loco, nihil refert, ſi erraverint quoad horam, vel locum 36

particularem: quia delictum punitur non ex eo, quòd tali hora, vel in tali ſpeciali loco patratum ſit; ſed ex eo quia verè ſit commiſſum, & de hoc conſtet. Excipitur tamen, niſi ratio delicti dependeat ex circumſtantia temporis, aut loci, quia tunc tempus, vel locus, cum ſpectent ad ſubſtantiam delicti, debent exprimi.

38 Sextò requiritur accuſatoris ſubſcriptio, quâ nimirum accuſator ſe obſtringit ad pœnam talionis. Verùm hodie hæc ſubſcriptio in foro ſæculari non eſt in uſu, ne homines avertantur ab accuſandis delictis; pauci enim eſſent, qui vellent in ſe ſuſcipere ſub pœna talionis onus probandi delicta, quæ accuſant Hinc Judex, ſi accuſator defecerit, poteſt hodie procedere ex officio. Verùm quamvis hæc accuſatoris ſubſcriptio in foro ſæculari expreſsè non requiratur; tacitè tamen ex legis diſpoſitione videtur ſubintelligi, præſertim ſi accuſator deprehendatur per calumniam accusâſſe *l. quæſitum ff. ad ſenat. conſult. Turpil.* In foro verò eccleſiaſtico ubi ſervatur jus canonicum excepto crimine hæreſis, talis ſubſcriptio accuſatoris videtur neceſſaria ex *cap. qualiter, & quando 2. de accuſat.* Verùm conſuetudo inolevit, ut accuſator etiam in foro eccleſiaſtico, ſi non probet crimen, de quo alium accuſat, non puniatur pœna talionis, ſeu pari pœna, quam meretur tale delictum, ſed minore pro arbitrio Judicis, ut notat Covarruvias *lib. 1. var. c. 9. n. 1.*

39 Quæritur decimoſeptimò, quomodo juridicè ſit procedendum cum actore, & Reo? Reſpondetur, Judicem non poſſe ſuum officium actori impertiri, niſi priùs imploratum fuerit: proinde ſi actor, qui ad certum tempus rogavit, ut Reus citaretur, ſi hic eo tempore adſit, & actor abſit, poteſt Reus præſens inſtare, ut Judex cognita cauſa condemnet actorem ad expenſas, quas Reus citatus in comparendo fecit *l. cum, quem 79. ff. de judic.* idque etiam procedit contra Reum, ſi hic peremptoriè citatus contumaciter non compareat, debet enim etiam hic condemnari ad expenſas, quas actor in comparendo fecit *c. Ex litteris de dolo & contumac.* quinimò etiam reliqua emergentia damna tam actor, quàm Reus contumax tenetur præſtare parti adverſæ *l. ſancimus C. de Judic.* Neque ad alteram citationem deveniendum eſt, niſi contumax ſufficienter caveat in judicio ſiſti *c. 1. circa fin. de dolo & contumacia*, quinimò ſi Reus ad trinam, & peremptoriam citationem, nec per ſe, nec per Procuratorem compareat, & nulla ſit legitima cauſa impeditus, poteſt per Judicem miſſio fieri in ejus bona, imò & ipſum anatemate percuti, ut notat Gloſſa in *c. 2. de procurat. v. rationabili cauſa*: quod ſi actor contumaciter non compareat Reo præſente poſſunt teſtes recipi, ac procedi ad ſententiam definitivam etiam lite non conteſtata *cap. cauſam juncta Gloſſa de dolo, & contumac.*

40 Rurſus debet neceſſariò Reus citari ut Judex procedat juridicè, quia citatio, per quam Reo præſenti datur copia ſe defendendi, ac reſpondendi ad objecta, adeò jure naturali, & gentium eſt neceſſaria, ut ſine illa proceſſus judicij, & ſententia lata nullius ſit valoris. Excipitur tamen niſi delictum notorium fuerit, adeò ut nulla Reo defenſio competere poſſit, ut notat Myſinger. *centur. 2. obſerv. 9.* Præterea actor poſtquam Reus citatus comparuit, tenetur libellum ſuæ intentionis ante omnia offerre judici, & per Judicem offerri debet ipſi Reo, ut hic deliberare poſſit, an velit cedere, vel potius in judicio contendere, ut habetur in *authent. offeratur C. de lit. conteſt. l. 3. C. de edend.* & *cap. 1. de libel. oblat.* ubi communiter Canoniſtæ cum Gloſſa *v. libellum reclamationis.* Hinc ſi actor agat actione perſonali, tenetur in libello exprimere cauſam obligationis, ut peto à Titio centum aureos, quos mihi debet ex contractu mutui, vel venditionis. Sin verò agat actione reali, debet in libello exprimere dominium rei, quam petit, ut peto à Titio talem equum, quia meus eſt, ut notat Gaillus *lib. 1. obſerv. 61.* & tunc actor tenetur ſuam intentionem probare, nimirum rem à Reo emptam eique traditam ad actorem pertinere; ſiquidem onus probandi incumbit affirmanti *l. 2. ff. de probat.*

Quòd ſi Reus contra actionem emptoris excipiat, dicâtque pretium rei à ſe emptæ fuiſſe à venditore ſibi donatum, tunc onus probandi rejicitur in ipſum Reum, qui quoad hoc ſit actor *l. in exceptionibus ff. de probat.* ubi notat Gloſſa, quòd ſicut onus probandi ſuam intentionem incumbit actori; ita Reo onus probandi ſuam exceptionem. Cæterum ſi poſtquam Judex libellum actoris porrexit Reo convento, hic nolit cedere, ſed velit contendere in judicio, jam devenitur ad litis conteſtationem, & eſt fundamentum judicij ordinarij: fit autem litis conteſtatio per petitionem actoris in judicio, & reſponſionem Rei animo non cedendi, ſed contendendi *c. dudum §. licèt de elect. c. 1. de lit. conteſt.* Quamobrem litis conteſtatio dicitur, eò quia actor teſtetur jus ad ſe pertinere; & Reus conteſtetur oppoſitum, tametſi in ſummario litis conteſtatio non ſit neceſſaria. 41

Quæritur decimò octavò, quid ſignificet clauſula illa: *In cauſis fidei decidendis procedatur ſummariè ſimpliciter, & de plano ſine judiciorum ſtrepitu, & figura?* Reſpondetur ex *clementina ſæpe contingit de verb. ſignif.* talem clauſulam importare ut Judex, cui cauſa committitur neceſſaria, libellum non exigat, & licèt conteſtationem non poſtulet, adhuc tempore feriarum ob neceſſitates hominum indultarum à jure poſſit procedere. Rurſus ne amputet materiam dilationum, litémque quamprimum poteſt, expediat, repellâtque propterea appellationes dilatorias, ac fruſtratorias partium, advocatorum, ac Procuratorum contentiones, & jurgia; coërceâtque teſtium ſuperfluam multitudinem, ita tamen ut probationes neceſſariæ, ac defenſiones legitimæ admittantur, ut habetur *in d. clement. ſæpe contingit de verb. ſignif.* ex qua conſtat, in proceſſu ſummario integra remanere, quæ ſunt juris naturalis, ac juris gentium, quia neceſſaria, & ſubſtantialia cauſæ 42

ſæ

ſæ, ea ſcilicet ſine quibus nec juſtè, nec rectè, nec commodè poteſt negotium tractari, minimè ſublata ſint; adeò ut probationes neceſſariæ ad veritatem indagandam nullo modo ſint omittendæ, ut nec etiam citatio partiũ, ac earundem defenſio, ſed tantùm ſublatæ ſint ſolemnitates aliæ, quæ de jure poſitivo requirebantur, ut notant Martha de *clauſul. p. 1. clauſul. 180. n. 5.* Farinacius *q. 185. n. 14.* Barboſa *tract. de clauſul. 176.* Hinc omitti non poteſt petitio in actis ſcribenda, quia pronuntiatio debet ſequi juxtra formam petitionis, ut docent communiter cum Gloſſa in *clement. ſæpe contingit de verb. ſignif. v. neceſſariò.*

43 Neque omitti poteſt litis conteſtatio, ut docet Menochius *de arbit. lib. 1. q. 18.* quinimò Reus citari debet, & in citatione inſeri causâ, ut poſſit ſe defendere: ſiquidem concedantur Reo legitimæ defenſiones, & tempus ad illas exhibendas neceſſarium. Hæc tamen citatio ſufficit, ſi ſit una tantùm, imò requiritur etiam juramentum calumniæ veritatis, & malitiæ, quamvis ſi tacitè omitteretur, non propterea proceſſus diceretur vitiari. Admittitur etiam appellatio à ſententia interlocutoria alioquin procederetur contra jus. Citantur etiam partes ad audiendam ſententiam, tametſi non citentur peremptoriè, eò quia non concluditur cauſa, ſed detur locus novis probationibus, ac defenſionibus. Hec autem ſententia nonniſi in ſcriptis ferri poteſt, alioquin nullius foret valoris, idque ne veritas occultetur, ut docent communiter juriſperiti.

44 Quæritur decimononò, an accuſator, antequam accuſet, teneatur ſecretam præmittere monitionem? Reſpondetur, quòd ſi crimen in judicio probari poſſit, non tenetur accuſator ex juſtitia, hanc præmittere monitionem ſecretam, ut criminoſus deſiſtat à crimine, vel alteri debitam exhibeat ſatisfactionem. Ratio deſumitur ex eo, quia ob bonum publicum conceditur tunc accuſatio; vel ſaltem judicialis, ſeu juridica denuntiatio, ut crimina puniantur, & cæteri ab ijsdem timore pœnæ, ſi non amore virtutis coërceantur: hinc delinquens non poteſt conqueri de injuria ſibi illata, ſi priùsquam fuerit accuſatus, aut judicialiter denuntiatus, non fuerit ſecretò monitus.

45 Quòd ſi dicas, denuntiaturum denontiatione evangelica teneri priùs delinquentem ſecretò monere, ſi ſperet, inde emendatum iri, proinde etiam denuntiaturum denuntiatione judiciali, ſeu juridicâ teneri hanc ſecretam monitionem præmittere. Contra eſt, ratio diſcriminis ex eo petitur, quia denuntiaturus denuntiatione evangelica nullam habet cauſam denuntiandi proximum, ſi ex ſecreta monitione præmiſſa ſperet, fore, ut emendetur, quia evangelica denuntiatio non inſtituitur ad punitionem, ſed ad exemplum publicum, & ad fratris emendationem, proinde ſi hæc emendatio ſine ejus infamatione obtineri poteſt, accuſator nullum jus habet ad ejus famam violandam, bonámque opinionem ſui proximi denigrandam: ſecus qui judicialiter, ſeu juridicè denuntiat, vel accuſat, non intendit emendationem fratris, ſed punitionem delinquentis ob bonum publicum; proinde quamvis delinquens eſſet ex prævia ſecreta monitione emendandus, adhuc urget ratio eum accuſandi, ut nimirum per ejus punitionem alij deterreantur, & à ſimilibus delictis ſe abſtineant.

46 Cæterum quamvis quoties crimen in judicio probari poteſt, accuſator non teneatur ex juſtitia ſecretam præmittere monitionem: nonnunquam tamen ex lege charitatis hæc ſecreta monitio præmittenda eſt, ut criminoſus deſiſtat à crimine, & debitam præſtet ſatisfactionem; ſi nimirum crimen ſit occultum, & ex privata prævia monitione ſperetur fore, ut criminoſus emendetur; idq; præſertim ſi criminoſus aliàs ſit vir honeſtus, & in bona exiſtimatione apud alios, tunc enim contra charitatem eſſet ejus honori detrahere. Niſi fortaſſis crimen eſſet contra bonum publicum, quia tunc periculum, quod imminet, eſt majoris momenti, quàm infamia, & damnum, quod delinquens ex tali accuſatione poteſt incurrere: neque tunc expectandum eſt, an fortè delinquens privata monitione ſit emendandus, quia in re tanti momenti, quod tutius eſt, præferri debet, ac eligi; præſertim cum bonum publicum præferendum ſit privato, imò adeſt decretum Alexandri VII. quo in crimine præſertim hæreſis adhibenda non eſt hæc prævia monitio ob periculum, quod imminet alijs: ſecus tamen dicendum eſt de alijs delictis, ex quibus non imminet incommodum niſi ipſi delinquenti, vel alteri privatæ perſonæ, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 68. art. 1.*

Quæritur vigeſimò, an accuſator poſſit deſiſtere ab accuſatione jam inchoata? Reſpondetur in aliquibus caſibus poſſe deſiſtere. Primò ſi accuſator deprehendat, ſe erraſſe, ut etiam ſi incipiat dubitare, num ſit in errore, & poſt ſedulam inquiſitionem adhuc perſiſtat in tali dubio; vel cognoſcat à ſe non poſſe probari id, de quo alium accuſat: tunc poteſt ab inchoata deſiſtere accuſatione, alioquin perſiſtere in accuſatione, perinde eſſet, ac calumniari. 47

Secundò poteſt deſiſtere, ſi Judex nolit accuſationem admittere, vel admiſſam reſcindat: ſi enim Judex cognoſcat, libellum laborare vitio aliquo ſubſtantiali, poteſt eum recuſare: ut etiam ſi accuſatus non poſſit puniri ſine magna reipublicæ perturbatione, tunc enim ſupremus Judex poteſt inchoatam accuſationem abolere, quia ad ipſum pertinet primariam curam gerere boni communis, ad quod refertur bonum privatorum. Secus Judex inferior, quamvis non ordinario jure, & poteſtate; ex tacita tamen quadam Principis præſumpta voluntate poteſt ob eandem cauſam non admittere ab initio accuſationem: ſemel tamen admiſſam non poteſt authoritate propria abolere, bene tamen poteſt negotium ſuſpendere, illúdque interim ad ſupremum Judicem, ſeu Principem deferre. Cæterum Judex tenetur admittere accuſationem ad ſe delatam, quia pertinet ad Judicis officium adminiſtrare juſtitiam partibus eam poſtu-

poſtulantibus, ſive causâ proprij, ſive publici boni; & ſolùm excipitur, niſi oblatus libellus defectum contineat ſubſtantialem; vel bonum publicum poſtulet, ut Judex non procedat ad condemnationem accuſati, eò quia hic ſit Reipublicæ perquàm utilis, vel quia ex eius condemnatione gravis & pernicioſus tumultus timeatur in populo, in his ſiquidem caſibus debet Judex ſtatim ab initio ſibi oblatum accuſationis libellum repellere, quinimò etiam cauſam jam inchoatam ſuſpendere, eámque tranſmittere ad ſupremum Judicem, ad quem pertinet; ſi conſultius viſum fuerit ob bonum publicum totam accuſationis cauſam penitus abolere, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 60. art. 3. ad ult.* Sin verò agatur de injuria irrogata alteri, vel damno illato, curandum tunc eſt, ut ſatisfiat parti læſæ quantum fieri poteſt.

49 Tertiò poteſt etiam actor deſiſtere in cauſa civili per gratiam, vel transactionem: excipitur tamen actio famoſa, cujusmodi eſt actio furti, quia in ea non poteſt actor tranſigere poſt conteſtationem litis ſine Judicis authoritate, alioquin notaretur infamia *l. furti §. pactúsve erit ff. de bis qui notant. infam.* & docet Gloſſa in *c. 1 de colluſ. deteg.*

50 Quartò poteſt etiam deſiſtere ab inchoata accuſatione in cauſa criminali per gratiam ante litem inchoatam, quod tamen intelligitur in caſu, quo non tenetur accuſare, nec juridicè denuntiare: cæterum poſt litem ſemel inchoatam non poteſt ſine authoritate Judicis, nec ſine conſenſu Rei, ſi Reus tormenta ſubjerit, vel fuerit ex accuſatione infamatus: alioquin ſi alter deſtiterit, pœnam incurrit Senatus Conſulti Turpilliani, quo ſi crimen erat publicum, punitur accuſator infamiâ, & quinque libris auri *l. 1. C. ad Turpil.* Sin verò crimen erat privatum, punitur pœna extraordinaria arbitrio Judicis, ut notat Sylveſter *v. accuſatio n. 8.*.

51 Dicitur autem crimen publicum, cujus accuſatio eſt cuilibet conceſſa, eò quia ad publicam utilitatem pertineat, ut puniatur, cujusmodi eſt omne crimen, quod directè eſt contra Deum, vel contra res divinas, quia tale delictum cenſetur fieri in communem omnium injuriam: hinc hæreſis, templorum everſio, blasphemia, ſacrarum imaginum abolitio, & alia id genus ſacrilegia dicuntur crimina publica, ut etiam omnia ea delicta, quæ committuntur contra Majeſtatem Principis, vel Reipublicæ, ut eſt omne crimen læſæ Majeſtatis humanæ, imò & omne crimen, quod ſit etiam contra privatam perſonam, ſi lege ſtatutum ſit, ut habeatur pro publico, ut ſunt crimina homicidij, parricidij, peculatus, falſi, adulterij, vis publicæ ex *l. 1. ff. de public. judic.* Crimen privatum dicitur, cuius accuſatio ei tantùm conceſſa eſt, qui injuriam, vel damnum eſt paſſus, ut eſt crimen furti, ſtellionatûs, vel injuriarum *l. ſi quis ff ad Turpill*

52 Quæritur vigeſimo primò, per quid denuntiatio judicialis differat à charitativa, & canonica? Reſpondetur, multipliciter differre. Primò quia denuntiatio judicialis in id collimat, ut ſatisfiat communitati læſæ per patrata debita à ſuis civibus, adeò ut hæc denuntiatio per ſe directè procedat ex motivo juſtitiæ vindicativæ, & dirigatur ad ſuperiorem, ut Judicem in ordine ad puniendos delinquentes: finis verò denuntiationis charitativæ non eſt punitio delinquentis, ſed emendatio fratris: quapropter per ſe, ac directè procedit ex motivo charitatis ad ſuperiorem, ut ad patrem, corrigentem, non punientem.

Secundò id etiam intereſt diſcriminis, quia tametſi denuntians denuntiatione charitativa non poſſit crimen ſufficientibus indicijs oſtendere, nec probare, eò quia ſolus vidit, vel audivit à viris fide dignis; nihilominus ſi exiſtimet fore, ut ipſi ſit fides adhibenda, poteſt delinquentem charitativa denuntiatione Prælato denuntiare: non ita denuntians juridicè; & judicialiter, hic enim ſi putet, delictum, quod accuſat, non poſſe à ſe probari, & perperam eſſe denuntiaturum, non poteſt tunc denuntiare, quia hoc perinde eſſet, ac honorem tantùm proximo detrahere: ſiquidem Prælatus ſine prævia infamia, & absque judicio criminis nequit ad ejus punitionem procedere. 53

Tertiò quia denuntians denuntiatione judiciali tenetur nomen ſuum ſaltem de jure communi inſcribere, ut etiam vocatus comparere coram judice ad publicam teſtimonij diſpoſitionem, & Rei convictionem. Secus denuncians denuntiatione charitativa non tenetur nomen ſuum inſcribere, quinimò Prælatus taliter denuntiantem non poteſt manifeſtare, niſi fortâſſis neceſſitas id exigat ad finem obtinendum correctionis, quia tunc denuntians tenetur absque gravi ſuo incommodo conſenſum præſtare, imò poteſt etiam invitus ad id adigi. 54

Quartò quia in denuntiatione judiciali id directè intenditur, ut Reus per teſtes convictus, & confeſſus deducatur in publicam notitiam: ſecus in charitativa denuntiatione Prælatus non debet crimen occultum alijs manifeſtare, ſi ſi ſolus poſſit illud emendare: ſin verò ſolus id præſtare non poſſit, tunc debet illud alteri manifeſtare idoneo ad remedium adhibendum, ut delinquens reſipiſcat, ac emendetur: & hac ratione ſi unus non ſufficiat, poteſt etiam crimen occultum manifeſtari duobus, vel pluribus, ut obtineatur finis, ſeu emendatio delinquentis, ſimúlque provideatur bono communi. 55

An verò poſſit Prælatus uti quoad ſuum regimen notitia talis criminis? Reſpondendum eſt cum diſtinctione, vel enim acquiſivit talem notitiam extra ſacramentum confeſſionis, & à perſona fide digna, & tunc citra ſecreti violationem, & denuntiati infamiam poteſt Prælatus ſupra delinquentem invigilare, eúmque in alium locum mittere, vel ſub aliqua apparente ratione removere ab officio, ſi in illo ſit noxius bono communi. Sin verò in ſacramentali confeſſione notitiam acquiſivit talis criminis, nullo modo poteſt uti ejus notitia, & perinde tene- 56

tur

tur ſe gerere, ac ſi nil prorſus unquam audiviſſet, quia tunc crimen non manifeſtatur illi ut homini, ſed ut vicem gerenti Dei.

Quæritur vigeſimo ſecundò, an ſemel ab-
56 ſolutus de certo crimine poſſit de eodem iterum accuſari? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. de his* ubi ex Concilio Moguntino habetur, quòd accuſatus de uno crimine, & abſolutus ab eodem non poteſt ſecundò accuſari: ratio petitur ex eo, quia ſententia, quæ ſemel tranſivit in rem judicatam, accipitur pro veritate *l. ingenuum ff. de ſtat. homin.* proinde ſi ſemel ſit abſolutus, cenſetur innocens, qui propterea non poteſt iterum accuſari de eodem crimine. Tum quia lites amputari debent *c. finem de dolo, & contum.* & in judicijs non debent homines injuſtè gravari *l. propter C. de judic.* conſequenter de eodem crimine, de quo accuſatus, fuit ſemel abſolutus, non debet iterum accuſari, ut habetur in *d. c. de his 6. h. t.* Tum quia Dei clementia ſemel dimiſſa peccata non patitur ulteriùs in ultionem redire *c. divina de pœnit. diſt. 4.* quapropter de crimine unius hominis non eſt ſæpius quærendum *c. veniam 35. q. 6.* Excipiuntur tamen duo caſus, quorum primus eſt, ſi ſecundus accuſator doceat, fuiſſe prævaricatum *l. 3. ff. de prævaric.* & id procedit etiam, ubi ex officio agitur *c. fin. de colluſ. deteg.*

57 Secundus ſi dolorem proprium quis proſequatur, & ignoravit accuſationem ab alio inſtitutam. Alij etiam addunt tertium caſum, eſtque quando Reus, non abſolvitur, ſed accuſatori ſilentium injungitur ut indigno *c. veniens 15. h. t.* Idque procedit in foro contentioſo, ubi abſolutio ſemel facta fuit, quia in foro pœnitentiali iterata accuſatio non impeditur *c. admonere 33. q. 2.* ratio diſcriminis ex eo petitur, quia in foro animæ delinquenti injungitur pœnitentia, ut ſatisfaciat Deo *c. placuit 31. q. 1.* In foro autem contentioſo delinquens punitur, quia Rempublicam læſit *l. licitatio ff. de Republic.* Quamobrem cum hæc tendant ad diverſos effectus impoſitio unius pœnæ, non impeditur per impoſitionem alterius *argum. l. Et an eadem ff. de exception. rei judic.*

58 Quæritur vigeſimo tertiò, an Monachus ſuum poſſit Abbatem accuſare? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. Ex parte tua 11. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd quamvis Monachus non poſſit accuſare alios, poſſit tamen ſuum accuſare Abbatem: ratio ea eſt, quia ad accuſationem quilibet admittitur, cujus intereſt *c. illa 3. h. t.* & *c. filijs 16. q. 7.* & quia intereſt Monachorum, & Monaſterij non habere Abbatem dilapidantem bona Monaſterij, & moribus corruptum, ac lupum pro Paſtore *c. nos. ſi 2. q. 7.* & Monachus in eo, quo Abbas malus eſt, non tenetur ei parere *c. non ſemper 11. q. 3.* ſequitur, Monachos non eſſe repellendos ab accuſatione ſui Abbatis niſi aliqua urgens rationabilis cauſa id impediat, quamvis alios non poſſint Monachos accuſare *c. quapropter 2. q. 3.* Obſervandum tamen eſt, Monachum indiſtinctè non admitti ad accuſandum Abbatem, ſed prævia cognitione cauſæ, quæ tamen cognitio ſit ſine præſentia partium, ad eum duntaxat finem, ut ſummariè appareat, an Monachus accuſans procedat bono, vel malo zelo, ut notat Innocentius in *d. c. Ex parte 11. h. t.* quòd ſi moveatur ex bono zelo expenſæ neceſſariæ ad litem inſtituendam deſumendæ ſunt ex bonis Monaſterij, quia Monachus tunc procurat ejus utilitatem *c. nos ſi 2. q. 7.* Tum quia Monachus nihil habet de proprio *c. cum ad Monaſt. de ſtatu Monach.* proinde ſumptus faciendi ſunt de bonis Monaſterij. Tum quia quoties procurat quis utilitatem alterius expenſæ neceſſariæ ad tale negotium inſtituendum, faciendæ ſunt de bonis illius, in cuius utilitatem cedit totum negotium *l. fin. C. de ord. cog.* non enim officium ſuum nemini eſt damnoſum *c. 2. de fid. juſſ.* & qui ſentit commodum, æquum eſt, ut etiam incommodum ſuſtineat, præſertim ſi qui agit ad commodum alterius, non habeat de ſuo proprio, unde ſe ſuſtineat *c. quanto de offic. ordin.* Tum quia ſemel uno conceſſo præſumuntur conceſſa ea omnia, ſine quibus illud nequit expediri: hinc Monachus de bonis Monaſterij debet tunc expenſas neceſſarias facere, ut etiam Abbas, ut ſe defendat uſque ad finem litis *l. ſi inſtit. ff. de offic.* & docet Geminianus *conſ. 55.*

59 Quæritur vigeſimo quartò, qualis ſit praxis accuſationis inter Regulares. Quamvis accuſatio regulariter non admittatur inter Regulares, eò quia paci, & tranquillitati religioſæ adverſetur. Admittitur nihilominus interdum, eò quia poſſit fieri abſque peccato contra juſtitiam, ut ſi qui eſt paſſus injuriam, agat contra injuriantem ad juſtam vindictam: quinimò fieri etiam poteſt ſine peccato contra charitatem, ut ſi ex ſolo affectu Religionis, ne injuriæ in eam introducantur, accuſentur delinquentes, & tunc talis accuſatio debet fieri in ſcriptis, & in ea exprimi dies, & annus, quo intentatur, ut etiam nomen accuſantis, & accuſati, imò debet etiam exprimi ſpecies delicti, ut etiam locus, tempus, ſeu annus, vel menſis, quo delictum patratum fuit, non enim accuſans tenetur in libello exprimere diem, & horam, alioquin poteſtas accuſandi, & probandi nimis reſtringeretur, ut notat Aretinus in *pract. crimin. de accuſ. c. 6.* Exprimenda eſt etiam inſcriptio accuſantis.

60 Rurſus tenetur accuſator probare delictum, quod defert, quapropter accuſatio debet fieri in ſcriptis, ut conſtet, quid ſit probandum, non tamen accuſator poteſt eſſe teſtis in cauſa, in qua eſt accuſator, quia per hoc differt à denuntiatione *c. in omni negotio de teſtibus.* Imò accuſator ſolet etiam jurare de calumnia, ſeu quod non deferat delictum animo calumniandi: & ut non cenſeatur calumniator; ſufficit, ſi ſemiplenè, ſeu per famam, vel per unum teſtem integrum, vel per alia indicia jis æquipollentia probaverit delictum, quia tunc Reus interrogatur à Judice, & ſi delictum confiteatur, punitur, ut notat Aretinus in *pract. crimin. de accuſ c. 5. n. 6.* Non tamen accuſator, quando non probat ſemiplenè, punitur pœna talionis, ſed tantùm minori pro arbitrio Judicis, ne

ho-

homines retrahantur ab accuſando. Immo nec hac minori pœnâ ſi joſtam aliqoam cauſam ita arbitrandi, habuerit.

61 Cæterum ſemel factâ accuſatione, & à Judice regulari accepta, procedendum tunc eſt io caoſa usque ad ſententiam definitivam, ut docet Sua ez *to n. 4. de Relig. lib. 10. c. 12. n. 45.* Obſervandum tameo eſt, quòd ex privilegio Bonifacij VIII. noo ſit in cauſa Religioſorum procedendum ſervatis apicibus juris, ſed ſecundùm conſuetudines approbatas, ac generalia religionis inſtituta, qua ratione procedunt Regulares ſimpliciter ſummariè de plano, & ſola veritate facti inſpecta: quoad pœnas infligeodas Judex in benigniorem partem debet propeodere.

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

QUia ad bonum Reipublicæ pertinet non permittere, ut delicta, quæ ab improbis committuntur, impunita maneant; ita neque ut innocentes puniantur, & quia per calumniam innocentes interdum denunciantur: cum officium ſit Reipublicæ impedire, ne innocentes tanquam nocentes accuſentur, & puniantur, ideo cum agendum ſit de judicijs criminalibus, opus erat, ut ſtatim de calumniatoribus ſermo inſtituere-tur poſt titulum de accuſatoribus, & delatoribus criminum: ſiquidem accuſatores tripliciter poſſunt delinquere, vel quia calumnientur, vel prævaricentur, aut tergiverſentur. Tunc calumniantur, quando ſcienter falſum crimen alicui imponunt in judicio. Prævaricantur, quando vera crimina abſcondunt: hinc prævaricator dicitur, qui cum Reo colludit, & perfunctoriè fungitur munere accuſatoris diſſimulando veras probationes, & admittendo falſas exceptiones. Tergiverſantur, quando deſiſtunt, vel retrocedunt ab accuſatione ſine licentia judicis.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Duorum capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

C. *CUM FORTIUS 1. h. t. reſcribit Gregorius Papa, fortiùs eſſe punienda crimina, quæ inſontibus, & maximè ſacratis hominibus inferuntur; proinde Subdiaconum, qui calumnioſè accuſat Diaconum, eſſe privandum officio Subdiaconatus, & etiam verberibus publicè cædendum, & in exilium mittendum. Ubi notat Gloſſa, ex perſona offenſa aggravari injuriam.* c. cum illorum inf. de ſent. excommuo. *Hinc Subdiaconus publicè verberibus excipitur. Ex quo duo colliguntur, primò poſſe eccleſiam infligere pœnam verberum etiam Clericis, dummodo id non tendat in vindictam ſanguinis per mortem, vel mutilationem membrorum. Secundò eccleſiam habere jus exilij infligendi, & poſſe Clericos in exilium mittere. Cæterum ex textu etiam liquet, jus canonicum approbare pœnam talionis jure civili ſtatutam, ſi inferre poſſit: hinc ſi ſacerdos per calumniam objicit alteri ſacerdoti crimen dignum depoſitione deponitur calumniator, qui voluit innocentem deponi* c. delat. 3. q. 6.

C. *CUM DILECTUS 2. & ult. h. t. Innocentius III. declarat, quòd ſi denuncians ſuum Prælatum deficiat in probatione, ſit ſuſpendendus ab officio, & beneficio, donec ſe canonicè purget, quòd non animo calumniandi denuntiaverit. Hinc deſumitur regula generalis, quòd accuſator, vel denuntiator præſumatur calumniari, ſi deficiat in probatione, quæ tamen regula fallit primò, ſi quis ex obligatione officij id agat, ut Tutor* l. 2. C. qui accuſare noo poſſ. *Secundò ſi id videatur ex neceſſitate facere, ut hæres, qui judicio vulgi tenetur vindicare gravem injuriam defuncti* l. qui fratrem C. de his qui vind. *Tertiò ob vehementem dolorem, ut ſi maritus accuſet uxorem de adulterio* l. quamvis C. de adult. *Quartò ob enormitatem delicti, ut ſi quis accuſetur de falſitate monetæ* l. 1. C. de falſ. monet. *Quintò ſi quis priùs fuerat infamatus de delicto* l. miles. §. mulier. ff. de adult. *Sextò ſi teſtes deceperint accuſatorem, ſeu ſi promiſſa teſtificatione noluerint poſtea teſtificari, ut notat Gloſſa in* c. Paolum 2. q. 3. *Septimè fallit etiam, quando accuſator ſemiplenè probavit. Extra hos caſus accuſator, ſeu denuntiator præſumitur calumniari, ſi in probatione deficiat: ubi tamen notandum eſt, hanc præſumptionem non eſſe juris, & de jure, ſed admittere probationem innocentiæ, & ideo Bartolus in* l. Athletas §. item Prævaricator. ff. de his qui notantur infamiâ. *cenſet Judicem debere terminum aſſignare, ut probetur innocentia.*

COM-

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quis propriè dicatur Calumniator, & ob quas cauſas poſsit excuſari accuſator à calumnia.

1 Calumnia prôut ad præſens facit inſtitutum, nil aliud eſt, quàm falſi criminis impactio, ut definitur à Martiano in *l. 1. ff. ad Turpil.* unde Nonius *c. 4. n. 74.* ait, calumniam propriè eſſe malitioſam, & mendacem infamationem; cui adhæret Beda *lib. de Ortographia* inquiens, *calumnia eſt crimen falſum, cum nobis adverſarius, aut malum, quod non fecimus, objicit; aut bonum, quod feciſſe probamus, in contrarium vertit.* hinc calumniatores dicti ſunt calumnioſi juxta Paulum Juriſconſultum *in l. 3. ff. ad Turpill.* Qui etiam improbè, & ex impoſtura accuſatoris officio utuntur, græcè dicuntur Sycophantæ, eò quia furta ficuum apud Athenienſes capitalia eſſent. Calumnia igitur propriè conſiſtit in impoſtura: nec ſufficit ad calumniam, ut alicui quomodocunque tribuatur falſum probrum; ſed neceſsè eſt, interveniat etiam malitia tribuentis, unde ſi per errorem, vel hallucinationem contingeret falſum crimen tribui innocenti, non tamen hæc attributio criminis propriè calumnia eſſet, quia deeſſet malitia tribuentis.

2 Calumniatores varijs pœnis tam jure civili, quàm gentium, ut etiam ſacris eccleſiæ canonibus, certum eſt puniri. Jure civili Romanorum ex edicto Prætoris Calumniatores infamiam incurrunt *l. non priùs 7. l. ult. C. de calum. l. 1. ff. de his, qui not. infam.* non tamen notatur infamia calumniator ipſo jure, ſed tantùm ſi calumniæ causâ falsò accuſatus quis ſit *l. 4. §. calumniator. ff. de his qui notant infamia.* Rurſus in *l. Rhemia* ſtatuta fuit pœna inuſtionis frontis inſcripta littera K, ut indicaretur inuſtum fuiſſe calumniatorem, & huc ſpectat Papinianus in *l. quæſitum 13. ff. de teſtibus* ubi hominem calumniâ damnatum opponit homini integræ frontis, ut notat Cuiacius *ad ff. in l. is, cui. ff. qui teſtamenta:* & licèt Caſſiodorus *in Pſal. 71.* id intelligat de nuda condemnatione, eò quia veteres judices in ſignum condemnationis conſueverint adhibere litteram K. Attamen hæc ſententia communiter reijcitur, quia illa damnandi nota communis erat omnibus condemnationibus, ut notat Sigonius *lib. de judice* unde Hermannus Hugo *lib. de prima ſcribendi origine c. 22.* quod eſt de notis judiciarijs ad litteram K. ait, *calumniatorum fronti affixum erat peculiare eorum ſupplicium, quo frontes eorum candenti ferro formâ litteræ K. inurebantur.* Immo Petrus Diaconus, in notis, & Aldus Manutius *in libello ejuſdem argumenti* cenſent duplex KK. eo ferro fuiſſe impreſſum calumniatoribus. Juſtinianus verò Imperator *novell. 6.* eum, qui electum Epiſcopum cujuslibet criminis inſimularet, excludi juſſit à ſocietate fidelium, & *in novel. 123. c. 2. & 137. c. 3.* jubet eum, qui falſi criminis Epiſcopum accuſavit à tota Provincia exulare. Apud Græcos conſtat, uſitatam fuiſſe talionis pœnam ex Theodoro *lib. 4. Apud VViſigothos* eandem talionis pœnam fuiſſe ſtatutam liquet ex *l. 5. tit. de injudic. furti lib. 7. legum VViſigothorum.* Alias diverſarum gentium calumniatoribus injunctas pœnas fusè, & eruditè refert Raynaudus *de calum. ſect. 1. c. 4.* quæ tamen omnia procedunt de calumnia in delictis publicis admiſſa, quia in privatis aliud obſervatur, ſiquidem qui in illis calumniatur, violat jusjurandum, quod concepit de calumnia, & damnatur ad ſolvendos ſumptus: unde hodie ſpectata generali conſuetudine, pœnam talionis exoleviſſe teſtantur Farinac. *in prax. q. 16. n. 3.* & Julius Clarus *§. fin. q. 81. n. 3.*

3 Quod verò ad ſacros canones pertinet, certum eſt, non mitiùs hos in calumniatores inſurrexiſſe, cum iſti eos infamiâ notatos declaraverint; & beneficio, & officio, ſi quod habebant, privaverint, & rurſus exilio, & verberibus afficiendos eſſe ſanxerint, ut habetur *in c. qui in alterius c. quidam maligni 23. q. 4. c. deteriora 6. q. 1. c. Epiſcopum eadem quæſt.* Pœnam itidem talionis ſanxiſſe ſacros canones contra calumniatores liquet ex *c. qui crimen 2. q. 8. c. calumniator 2. q. 8.* imò ſi Epiſcopos, vel clericos falsò accuſaverint, privantur communione etiam in fine ex Concilio Illiberitano *can. 75.* ibi: *ſi quis Epiſcopum, Presbyterum, vel Diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei eſſe communionem.* Mitiùs tamen poſtea actum cum illis eſt conceſſa communione in fine, ut in Concilio Arelatenſi *1. can. 14.* ibi: *qui falsò accuſant fratres ſuos, uſque ad exitum non communicent.* Hadrianus Papa in *c. delatori 5. q. 6.* etiam ſanxit, calumniatoribus capulandam eſſe linguam, quæ conſtitutio etiam refertur *lib. 7. cap. tit. 272.* capulare verò idem eſt, ac exſcindere, vel truncare; ſimilis quaſi fuit lex à Conſtantino Imperatore ſancita, quâ calumniatores ſtrangulari juſſit, & linguam radicitùs amputari *l. 2. C. Theodoſ. de petit.* Hinc Hadrianus dixit *capulare*, quod eſt exſcindere, vel amputare, ut probat Voſſius *de vitijs ſerm. lib. 4.* Pius V. etiam in ſua conſtitutione innovavit pœnam talionis referente Farinacio *in prax. q. 16. n. 5.* quinimmo à primo eccleſiæ ſæculo in calumniatores etiam conſtituitur pœna talionis, ut habetur

Digitized by Google

betur *in lib. 2, conſtit. c. 42. & ſequent.* Hinc
moris fuit, ut calumniator, qui ſcienter, &
per dolum alium accuſaret falſi criminis, pœnæ
talionis eſſet obnoxius; ſeu eidem pœnæ, quam
fuiſſet promeritus accuſatus, ſi accuſator pro-
bâſſet ſuum dictum, & accuſatus commiſiſſet
delictum, de quo accuſabatur *l. ult. C. de ac-
cuſat.*

4 Jure tamen novo hodie tantùm punitur pœ-
na extraordinaria ſpectatis qualitatibus crimi-
nis objecti ab accuſatore, & rationibus aliarum
circumſtantiarum ad arbitrium judicis, ut notat
Covarruvias *lib. 2. variar. reſol. c. 9. n. 1.* & de-
ſumitur etiam *ex c. ſuper his 16. de accuſat.* ubi
Innocentius III. reſcribit, calumniatorem, qui
per modū exceptionis crimen objecit, quod non
potuit probare, arbitrio judicis eſſe puniendum.
Quinimò etiam ſpectato jure communi, ſi ca-
lumniator non poſſit pœnâ affici ſimili ei, quam
fuiſſet accuſatus promeritus, ſi revera delictum
commiſiſſet, pœna illa commutari poteſt in a-
liam arbitrio judicis, ut habetur *in c. cùm for-
tiùs 1. h. t.* ubi Pontifex reſcribit, fortiùs pu-
nienda eſſe crimina, quæ inſontibus, & maxi-
mè ſacratis hominibus inferuntur; & ideò cul-
pâ non vacare, quòd Joannis Diaconi crimi-
nator Hilarius non fuerit pœnâ convenienti
caſtigatus: unde mandat Pontifex eundem Hi-
larium priùs Subdiaconatûs, quo indignè fungi-
tur, privari officio, & verberibus publicè ca-
ſtigatum, in exilium deportari: unde Grego-
rius Papa *in d. c. cùm fortiùs* reſcribit, privan-
dum eſſe officio ſubdiaconatûs, & verberibus
publicè cædendum, & in exilium etiam mitten-
dum ſubdiaconum, qui calumnioſè accuſat Dia-
conum.

5 Notat Panormitanus *ad rubricam h. t.* ac-
cuſatoris temeritatem triplici modo detegi,
ſcilicet, quando calumniatur, prævaricatur, &
tergiverſatur, tunc calumniatur, quando falſa
crimina ſcienter, & per dolum intendit, ac pro-
ponit; unde qui falſum crimen alicui in judicio
imponit per dolum, dicitur calumniator: hinc
calumnia dividitur in veram, & præſumptam,
ut notat Julius Clarus *in pract. crimin.* illa eſt,
cùm quis falſum crimen ſcienter, & per dolum
intendit, ſeu alicui objicit, quem ſcit eſſe in-
nocentem: præſumpta, cùm qui crimen, de quo
aliquem accuſavit, vel denuntiavit, in judicio
non probat: ſiquidem qui alium in judicium
vocat, tenetur paratas habere probationes *l.
qui accuſare 4. C. de edend.* & ſi in probatione
deficiat, cenſetur litem moviſſe animo calum-
niandi, & præſumitur calumniator. Præva-
ricari perinde eſt, ac colludere cum Reo, falſas
probationes contra illum admittendo, veras
diſſimulando; adeò ut ex utraque parte conſen-
tiatur: unde prævaricator eſt quaſi Varicator,
ut ait Ulpianus, & videtur nomen traductum
ab illis, qui divaricatis pedibus ambulant in ut-
ramque partem claudicantes: & puniuntur præ-
varicatores pœnâ arbitrariâ. Tergiverſari,
ut ſuperiùs diximus, perinde eſt ac ab accuſa-
tione reſilire, retrocedere, vel deſiſtere ſine
licentiâ judicis; & iſti olim puniebantur quin-
que libris auri *l. 3. ff. de Prævaricat.* Verùm ho-
die hæc pœna non eſt ampliùs in uſu.

Ex eo autem, quòd *in d. c. cum fortiùs* Pon- 6
tifex præcipiat, ſubdiaconum calumniatorem
eſſe verberibus publicè cædendum, infertur;
poſſe eccleſiam pœnam verberum etiam clericis
infligere, dummodo id non tendat in vindictam
ſanguinis per mortem, vel detruncationem
membrorum, unde non prohibetur flagellatio
usque ad ſanguinem; ſine periculo mortis, mu-
tilationis, vel morbi: rurſus eccleſiam habe-
re jus mittendi Clericos Reos in exilium. Ho-
die tamen hæc pœna publicæ verberationis non
ampliùs à clericis ſolet uſurpari, adeo ut ex con-
ſuetudine videatur abrogata. Cæterum jus
canonicum approbat pœnam talionis jure civili
ſtatutam *c. 2. & ſequent. 11. q. 1.* ſi inferri poſ-
ſit, adeò ut ſi ſacerdos per calumniam objiciat
ſacerdoti crimen dignum depoſitione, debeat
ipſe calumniator deponi, qui voluit innocen-
tem deponere *c. delat. 3. q. 6. c. accuſâſti tit. de
accuſat.* Sin autem ſimilitudo pœnæ non poſ-
ſit locum habere, tunc verberibus, & exilio
ſuppleri debet; ut in caſu *hujus cap. cum for-
tiùs 1. h. t.* ubi Hilarius, qui Joannem Diaco-
num graviter calumniatus fuerat, Diaconus
non erat, proinde privationem, ſeu depoſitio-
nem, quam merebatur crimen Joanni intenta-
tum ſubire non poterat, & in defectu pœnæ ta-
lionis, quam ſubire non potuit; mandavit Pon-
tifex, verberibus excipi, & exilio puniri.

Poſſunt tamen contra præfatum textum *in* 7
c. cùm fortiùs 1. h. t. objici Primò quia in prin-
cipio cujuslibet litis civilis, & criminalis, actor
jurat ſe non calumniæ causâ accuſationem, &
actionem proponere. *princ. inſtit. de pœna temer.*
atqui poſtquam juratum eſt, non calumniæ cau-
sâ judicium intendi, non ampliùs poteſt quæri,
an actor fuerit calumniatus. *l. 3 §. unde ff. de jure-
jur.* quia poſt juramentum tantùm quæri poteſt,
an juratum ſit. *§. item ſi quis 44. de action.* un-
de calumniator in judicio non videtur propter
calumniam poſſe condemnari.

Secundò quia pœna calumniatorum eſt pœ- 8
na talionis, adeò ut eandem ſubeat accuſator
pœnam, quam accuſatus pati intendebat. *c. qui
crimen 2. q. 8. qui non probaverit, quod obje-
cit, pœnam, quam intulerit, ipſe patiatur*, unde
in præſenti caſu cum Subdiaconus Diaconum
per calumniam accuſâſſet, eadem pœnâ fuiſſet
puniendus, non verò diverſa, à S. Gregorio Papa
ſtatuta.

Tertiò quia pœna verberum impoſita à Gre- 9
gorio non convenit ipſi ſubdiacono, cui impo-
nitur, nec judici eccleſiaſtico, à quo infligitur:
non Subdiacono, quia liberi homines, & cives
Romani non excipiuntur verberibus, id enim
tantùm convenit ſervis, & vilibus perſonis *l.
ictus 22. ff. de his qui not. infam. l. in ſervorum
10. ff. final. l. capitalium 28. §. penult. ff. de pœ-
nis* atqui ſacri canones pœnarum delectum, &
diſtinctionem ſemper religioſè obſervârunt;
adeò ut quamvis ob graviora crimina laicos pu-
nierint pœnitentiâ publicâ, & ſolemni; non ita
eccleſiæ miniſtros ob infamiæ notam, quâ ſo-
lem-

lemniter pœnitentes inurebantur *c. pœnitentes. c. illud 50. diſt.* unde ob eandem rarionem, ne Subdiaconus ille notam incurreret inſamiæ, quæ ex verberibus, & flagris provenit; non potuit publicis puniri verberibus.

10 Rurſus nec judiri eccleſiaſtico videtur convenire, hanc injungere pœnam, eò quia judices eccleſiaſtici pœnam ſanguinis proſerre non poſſint *c. ſententiam ne clerici, vel Monachi.* unde non rectè in præſenti textu videtur talis pœna contra Diaconum calumniatorem ſtatuta. Quòd nec etiam potuerit ſubdiaconus ille puniri exilio, ex eo etiam evincitur, quia pœna exilij eſt capitalis *l. capitalium ff. de pœnis l. 4. ff. ſi quis cautionibus l. hos accuſare 12. §. omnes ff. de accuſat.* unde eccleſia talem pœnam non imponit, ſed judex ſæcularis ad inſtantiam judicis eccleſiaſtici *c. 2. de cleric. excommun.* ibi *Epiſcopus qui minimè ſe emendare potuerit Regis judicio ad requiſitionem eccleſſa exilio damnetur.*

Verùm facilè hæc ſolvuntur. Ad primum reſpondetur, id tantùm procedere de juramento deciſorio parti à parte delato, tunc enim poſtquam juramentum delatum eſt, nil ampliùs quæritur, niſi an juramentum fuerit emiſſum: ſecus in juramento ab actore, vel Reo delato ſine ulla delatione, adhuc ſupereſt cognitio cauſæ principalis, & quidem tam in civili, quàm criminali judicio: unde hac pœna calumniæ non liberatur accuſator, quamvis tempore accuſationis propoſitæ juret de calumnia, ut rectè oſtendit Julius Clarus *in c. §. final. q. 61.*

11 Ad ſerundum quod addebatur de pœna talionis, reſpondetur, quòd tametſi in utroque jure reperiatur pœna talionis impoſita, ea nihilominus tunc temporis locum tantùm habuit in delictis ordinariè puniendis; non verò extraordinariè, & quia in præſenti non erat certa pœna impoſita pro delicto, de quo accuſabatur Joannes Diaconus, ideo pœnis illis acerbis plectitur Subdiaconus calumniator.

12 Neque obſtat, quod addebatur, cives Romanos verberibus non fuiſſe ſolitos excipi; eò quia tali pœna puniantur ſervi, & perſonæ viles: quia licèt illa fuſtium, & verberum differentia eſſet uſitata jure civili Romanorum; in jure tamen canonico nullum ponitur diſcrimen inter flagella, & verbera, adeò ut promiſcuè in ſarris canonibus Rei jubeantur fuſtibus cædi, & verberibus affici *in c. cum beatus 45. diſt. c. nullus clericus 11. q. 3. c. quidam 5. q. 1.*

13 Ad aliud, quod aſſerebatur ex tali pœna infamiam incurri, inde non ſequitur, injuſtè Gregorium papam decreviſſe, Subdiaconum illum eſſe verberibus affiriendum ut infamem: unde tam judex eccleſiaſticus potuit eam injungere, quàm Subdiaconus calumniator eandem ſubire.

14 Ad ultimum quod addebatur de pœna exilij, reſpondetur competere ecrleſiaſticis judicibus facultatem relegandi, adeò ut quando per excommunicationem, & alias pœnas eccleſiaſticas non poſſent Rei criminoſi emendari, mitterentur in exilium, ut diſſertè oſtenditur *in c. in Synodo 23. diſt. 63. c. attendendum 13. diſt. 17. q. 4.* ut docent plures, qui congeruntur à Barboſa *de poteſtate Epiſcop. p. 1. tit. 4.*

15 Præterea *in cap. cum dilectus 2. & ult. h. t.* Innorentius III, reſcribit, quòd qui denuntiat Prælarum ſuum, ſi defecerit in probarione, ſit ſuſpendendus à beneficio, & officio, donec ſe canonicè purget, ac probet, ſe non causâ calumniandi denuntiâſſe, cùm enim Magiſter Scholarum Prænestinus ad Pontificem de Epiſcopo varios detuliſſet exceſſus, & de prædictis nihil ſufficienter probâſſet, Innocentius III, Epiſcopum abſolvendum decernit ab objectis, & mandat, Magiſtrum Scholarum, donec canonicè purgaverit ſuam innorentiam ab offirio, & beneficio ſuſpendi, ut cæteri ſimili pœna perterriti ad infamiam ſuorum non facilè proſiliant Prælatorum. Unde non ſolùm in jure civili, ſed etiam in canonico, qui alium de crimine accuſat, puniendus eſt, ſi in probatione deficiat: verùm quia denuntiator non probans crimen, quod objecit, calumniari tantùm præſumitur, & hæc præſumptio non eſt juris, & de jure, admittit probationem innocentiæ in contrarium, quod ex aliqua veri ſimili cauſa denuntiaverit, & quòd non calumniandi animo proceſſerint: hinc Magiſter ſcholarum *in d. c. cum dilectus ult. h. t.* non fuit privatus officio, & beneficio, ſed tantùm ab eo ſuſpenſus, eò quia probaverit, ſe proceſſiſſe non animo calumniandi, & aliquo pacto probavit ea, quæ denuntiavit, ideóque mitiùs punitur.

16 Cæterum licèt denuntiator non debeat ſe inſcribere, eò quia non agat ad certam pœnam imponendam; eò tamen ipſo, quòd deficit in plena probatione ob infamiam, quam conatus eſt inferre, denuntiario puniri debet, ſicut *in d. c. cum dilectus* Magiſter ſcholarum punitus fuit pœna ſuſpenſionis ab officio, donec ſe canonicè purgaret, ſeu probaret, ſe non calumniandi animo proceſſiſſe. Hæc tamen canonica purgatio, cùm hic non ſit determinata, præſtanda eſt ad arbitrium judicis; adeò ut judices, & commiſſarij poſſint eidem purgationem indicere per proprium juramentum, & adjungere etiam duos, aut tres compurgatores, prout eiſdem conſultiùs viſum fuerit, præſertim hodie cum purgationes ſint arbitrariæ *c. inquiſitionis 21. §. ult. de accuſat,* & notat Abbas *in d. c. dilectus n. 7. h. t.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an qui ex errore probabili ductus alium accuſavit, excuſandus ſit à præſumpta calumnia, ſi in probatiune defecerit? Reſpondetur affirmativè, quia ſicut in judicijs civilibus actor, cui juſta fuit cauſa litigandi, exruſatur à calumnia, & liberatur ab expenſis, ut notat Gloſſa in *c. finem ſ. V. expenſas de dolo, & contum.* ita etiam in criminalibus excuſatur à præſumpta calumnia, ſi quis errore probabili ductus, alium accuſavit, quia

quia tunc cenſetur proceſſiſſe ex juſta cauſa, tametſi in probatione criminis deficiat *l. 1. §. ſed non utique. ff. ad S.C. Turpil. & l. quis non 3. C. h. t.* quia ſicut juſta cauſa non ſolùm excuſat litigantem à ſolvendis expenſis, ſed etiam ab omni pœna utriusque juris civilis, & canonici, ita etiam ab omni ſuſpicione calumniæ; ratio eſt, quia cum calumnia formaliter debeat procedere ex dolo, & mala intentione, quoties quis ducitur ex errore probabili, non cenſetur procedere ex mala Intentione, ut notat Farinac. *in prax. crim. p. 1. lib. 1. tit. 2 q. 16. n. 34. & ſequent.* Quòd ſi accuſator ſuccumbat in probando delicto, de quo alium accuſavit, non præſumitur in ipſo juſta cauſa, niſi ab eo hæc probetur, proinde moris eſt, ut accuſatori præfigatur certus terminus, intra quem teneatur probare, ſe ex juſta cauſa proceſſiſſe, nec priùs condemnandus eſt de calumnia.

2 Quæritur ſecundò, quænam ſint juſtæ cauſæ excuſantes à calumnia, ejúsque pœna? Reſpondetur, plures recenſeri à Menochio de *arbit. judic. caſ. 321. n. 7.* & Abbate *in d. c. cum dilectus ult. n. 5. h. t.* Prima eſt, ſi accuſator, qui in accuſatione ſuccubuit ſemiplenè per unum teſtem illam probaverit; excipitur tamen, niſi conſueverit antea calumniari; quia tunc præſumitur calumniator: eſt enim fortior uſus calumniandi, quàm depoſitio unius teſtis, qui facilè à calumniatore corrumpi poteſt, ut in ſuum favorem teſtetur: tunc enim præſumptio elidit ſemiplenam probationem, per quam præſumptio calumniæ elidebatur, ut notat Farinac. *in prax. criminal. p. 1. lib. 1. tit. 2. q. 16. n. 47. & ſequent.*

3 Secunda, ſi teſtes deceperint accuſatorem, ut ſi promiſſa teſtificatione defuerint, ut notat Gloſſa *in c. Paulum 2. q. 4.*

4 Tertia, ſi accuſator oſtendat, ſe audiviſſe à perſonis fide dignis accuſatum revera commiſiſſe tale crimen, quia tunc eſt tantùm denuntiator de auditu, & quamvis crimen non fuerit ab accuſato commiſſum, non propterea accuſans calumniatur; quia ipſe non denuntiat, accuſatum tale crimen commiſiſſe, ſed tantùm audiviſſe à viris probis, & fide dignis, fuiſſe tale crimen ab eodem commiſſum.

5 Quarta, ſi ex neceſſitate officij denuntiat, vel accuſat aliquem de patrato flagitio, ut ſi procurator fiſcalis aliquem de gravi crimine accuſet, ut etiam tutor *l. 2. C. de his qui accuſ. non poſſ.*

6 Quinta, quando quis videtur id ex neceſſitate facere, ut hæres qui judicio vulgi tenetur vindicare neceſſitatem, aut gravem injuriam defuncti *l. qui fratrem C. de his qui vindic.*

7 Sexta, ſi quis accuſet ratione vehementis doloris, ut quando maritus accuſat uxorem de adulterio *l. quamvis C. de adult.* vel filius necem parentis, & è contra.

8 Septima, ſi delictum, ex quo facta fuit accuſatio, ſit perquam enorme, ut ſi quis accuſetur de falſatione monetæ *l. 1. C. de falſ. monet.*

9 Octava, ſi quis priùs fuerit accuſatus de delicto, de quo erat antea infamatus: vel quia alia indicia criminis ad torquendum, vel ſaltem inquirendum ſufficientia præceſſerunt *l. miles §. mulier ff. de adult.*

10 Nona, ſi accuſator per teſtes ſuam accuſationem probaverit, qui poſtea ob inhabilitatem perſonæ fuerunt rejecti, ut quia erant infames, vel vinculo excommunicationis irretiti.

11 Decima, mulier itidem ob ſexûs fragilitatem etiam excuſatur à præſumpta calumnia, tametſi crimen non probaverit *l. 1. §. accuſationem. ff. ad S.C. Turpil.*

12 Undecima ſi accuſatio cauſetur ab occiſo defuncto, qui lethali vulnere ictus dixit, ſibi tale vulnus fuiſſe inflictum à Titio, vel Caio. In his, & alijs ſimilibus caſibus, quamvis accuſator deficiat in probando, non tamen ſtatim præſumitur calumniari, ſed pertinet ad judicem ex officio inquirere, an revera fuerit calumniatus; & ſi evidenter deprehenderit ſuiſſe revera calumniatum, puniendus eſt, ut calumniator: ſi tamen res fuerit dubia, non eſt præſumend⁹ malus, niſi antea conſueverit calumniari, quia bonus tamdiu cenſendus eſt talis, quamdiu non probatur malus.

13 Quæritur tertiò, an teſtis, & denuntiator ratione falſi teſtimonij, vel falſæ denuntiationis teneatur ad reſtitutionem? Reſpondetur, quòd ſi ſcienter, vel ex craſſa ignorantia fuerit falſum teſtatus, & ratione hujus falſitatis alter injuſtè damnum acceperit, tenetur ad reſtitutionem in ſolidum damni illati; eò quia hoc fuerit per injuriam illatum, unde æquitas exigit, ut qui injuſtè fuerit læſus, reſarciatur. Sin verò Reus jam erat per aliquos teſtes convictus, & teſtimonium ſuperaccedens nil effecit, eò quia pœna propter illud non fuerit aucta, nec judex majorem inde probationem hauſerit; tunc non tenetur ad reſtitutionem: ratio eſt, quia tametſi falſus denuntiator, vel teſtis injuriam inferat denuntiato, contra quem falſum teſtificatur; non tamen eſt cauſa efficax damni, quod illi infertur; quia hoc ex prioribus teſtimonijs jam fuit illatum, adeò ut teſtis ſuperaccedens illud non ponat, ſed ſupponat jam poſitum. Qui tamen tali pacto falſum deponit teſtimonium, ſi ratione illius mors, vel mutilatio ſit inferenda, tenetur ſuum dictum retractare, præſertim ſi exiſtimet, id profuturum: & id etiam procedit, quamvis ei immineret periculum ſimilis pœnæ incurrendæ, quia quisque tenetur damnum, quod alteri injuſtè paravit, avertere etiam cum proprio damno, & quidem pari, ut in reſtitutione famæ, pecuniæ, honoris. Tum quia in pari damno melior ſemper cenſenda eſt conditio innocentis.

14 Neque obſtat, ſi dicas, teneri quemque magis conſulere vitæ ſuæ, quàm alienæ; proinde non teneri cum diſcrimine propriæ vitæ ſuccurerre alienæ. Nam contra eſt, quia id tantùm valet in pari cauſa innocentiæ; ſi enim duo ſint innocentes, & unus eorum ſine culpa alterius ſit in imminenti periculo, non tenetur alter ei ſuccurrere, ſi inde debeat ſe inijcere in idem periculum vitæ, tunc enim valet, quòd

ſte-

teneatur priùs propriæ vitæ conſulere, quàm alienæ: ſecus eſſet, ſi Petrus ex culpa Pauli periclitaretur; teneretur tunc Paulus etiam cum periculo propriæ vitæ ei ſuccurrere. Quamobrem ſi quis induxit alium ad falſum teſtimonium dicendum, tenetur ex juſtitia eum monere, ut ſuum dictum retractet, quòd ſi detrectet id præſtare, tenetur judici totam machinationem aperire, ut innocens liberetur, quamvis in vitæ diſcrimen ſe injiceret. Id tamen procedit, ſi ſpes affulgeat, quòd revocatio dicti ſit profutura, ut docet Petrus Navarra *lib. 2. c. 3. n. 253.*

15 Quæritur quartò, an teſtis teneatur ad reſtitutionem, ſi nolit teſtari, cùm poſſit, & ex occulta veritate alter detrimentum patiatur? Certum eſt, quòd ſi ex juſtitia non teneatur ſe offerre, non poſſit obligari ad reſtitutionem, eò quia ſe non obtulerit: peccaret tamen contra charitatem, ſi cognoſceret, ſuum teſtimonium eſſe neceſſarium ad liberandum innocentem, & nollet teſtimonium illud ferre. Cæterum neque tenetur ad reſtitutionem, ſi nolit teſtimonium ferre, quando grave ei damnum immineret, quia cum proprio diſcrimine non tenetur tunc teſtari, immo nec ſuperior poteſt eum ad id adigere, niſi ratio boni publici id exigeret. Quòd ſi nullum ei damnum immineat, & à judice citetur, aut juſſus ſit citari; plures ſunt in ea opinione, ut ſi teſtis fugiat, vel lateat, vel aliqua tergiverſatione eludat interrogationem judicis, teneatur ad reſtitutionem, quia eo ipſo quòd citatur, vel juſſus eſt citari, & miſſus eſt ad ipſum publicus Nuntius, tenetur ex juſtitia teſtimonium dicere: perinde ac quando alicui munus imponitur tutoris: ita docent Sotus *lib. 5. de juſtit. q. 7. art. 1.* Navarrus, *c. 25. n. 41.* Probabiliùs tamen mihi videtur fugientem, vel ſe occultantem antequam judicis præceptum ei legitimè denuntietur, non teneri ad reſtitutionem damni ex defectu omiſſæ teſtificationis ſecuti: verùm in tali caſu peccaret contra charitatem proximi, cui cùm poſſet facilè, & ſine proprio incommodo opitulari, id negligeret.

16 Cæterum ex juſtitia non tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti, quia nemo obligatur præcepto ſuperioris, antequam ei debito modo imponatur; hinc inferior licèt ſtudiò ſe ſubtrahat à præſentia ſuperioris, ne ab ipſo mandatum aliquod accipiat, non obligatur mandato; quamvis malè ſe gerat, qui tali utitur artificio, ut etiam ſi quis ſe ſubducat à Magiſtratu, ne promoveatur ad aliquod officium, non peccat contra juſtitiam, tametſi noverit ſe ad id quæri. Immo Molina *diſp. 83.* Sylveſter *V. teſtis n. 8.* Leſſius *lib. 2. c. 30. dub. 8.* cenſent id probabile etiam poſt intimatam citationem judicis per miniſtrum publicum, adeò ut ſi quis fraude actum declinet teſtificandi, non peccet contra juſtitiam, ſed tantùm contra obedientiam debitam ſuperiori præcipienti, & contra charitatem proximi; cui in neceſſitate tenemur opitulari, quando commòdè poſſumus.

17 Ratio, cur tunc non teneatur ex juſtitia, ea videtur eſſe, quia illa citatio, & præceptum ſuperioris non imponit ei obligationem juſtitiæ, quâ teneatur ſe ſiſtere ad teſtandum, ſed ſolùm obedientiæ, adeò ut ſi detrectet comparere, non ſit cenſendus injuſtus, ſed tantùm inobediens, & contumax: quo pacto ſi quis juſſus à Principe aſſumere tutelam, nollet illam acceptare, non propterea eſſet cenſendus injuſtus in Principem, vel pupillum, ſed tantùm inobediens Principi. Tum quia obligatio, quâ quis lege juſtitiæ tenetur in gratiam proximi munus aliquòd obire, non oritur præcisè ex præcepto ſuperioris, ſed ex acceptione illius, qui tale munus vult exercere, quia illud acceptando implicitè promittit, ſe illud obiturum, proinde ad illud ſe obligat transferendo in alium jus exigendi à ſe exercitium talis muneris. Cùm enim ſit quilibet Dominus propriarum actionum, non poteſt quis adigi abſque conſenſu proprio ad illas alteri obligandas: hinc teſtis tametſi à judice interrogatus non tenetur ex juſtitia reſpondere, nec jurare de veritate dicenda, ſed ſolùm ex obedientia, quia judex non poteſt ſuo præcepto illi imponere obligationem juſtitiæ ad reſpondendum, vel jurandum; unde ſi nolit jurare, puniri tantùm poteſt ut inobediens, ſed ex juſtitia non tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti.

18 Quæritur quintò, an damnatus per ſententiam judicis incurrat irregularitatem? Reſpondetur affirmativè: ratio eſt, quia omne crimen etiam mediocre ſemel, quòd per ſententiam judicis punitur, inducit infamiam juris, conſequenter etiam irregularitatem *l. palam ff. de ritu nuptiar. l. infamem. ff. de public. judic. c. infames. §. porro 3. q. 7.* ubi Gloſſa *V. infamia* & notant Tuſchus *V. infamia concluſ. 107. n. 3.* Felin. *in c. teſtimonium. n. 15. de teſtib.* Ratio eſt, quia ordo eccleſiaſticus eſt dignitas *l. jubemus §. ſervus in fin. C. de Epiſcop. & ſerv. c. cum de tua de corpore vitiato.* Proinde erit inhabilis ad ordinem eccleſiaſticum, quicunque laborat infamia *l. 2. C. de dign.* quapropter qui damnatus eſt per ſententiam judicis, non poteſt ad ordines promoveri ratione infamiæ, & irregularitatis, quam incurrit; omnis enim qui laborat infamia, repellitur à dignitate, conſequenter nec poteſt ad ordines promoveri, nec in ipſis miniſtrare. Imò manet infamia juxta communionem ſententiam etiam poſtquam pœnam ſibi inflictam per ſententiã quis luit, ac perſolvit; quia hæc irregularitas eſt juris, proinde non tollitur per pœnitentiam peractam. Hoc eſt diſcrimen inter irregularitatem facti, & juris; quia illa cùm propriè non ſit irregularitas, tollitur per pœnitentiam, & reſipiſcentiam ipſius irregularis. Secus irregularitas juris nonniſi per diſpenſationem tollitur, ut docent Layman *lib. 1. Theol. moral. tract. 5. p. 5. c. 4. n. 9. V. dico ſecundo.* Suarez *diſp. 48. de cenſur. ſect. 2. n. 10.* Julius Clarus *lib. 5. ſent. §. ult.* Ratio igitur eſt, quia cùm talis infamia non ſit ex ſolo proprio facto, ſed orta fuerit à ſententia condemnatoria judicis, non poteſt ex ſolo proprio facto tolli, ſed requiritur etiam authoritas

judicis, quia *ex c. 1. de regul. jur.* per quas cauſas aliquid naſcitur per eaſdem diſſolvitur.

Juvat tameu obſervare, qoòd cùm hæc ir-
19 regularitas non ſit ex jure annexa delicto, ſed tantùm oriatur ex delicto pnnito per ſententiam judicis, poteſt Epiſcopus in ipſa diſpenſare, ut notat Panormitanus *in c. fin. de tempor. ordinan.* quia hujuſmodi infamia, & irregularitas non eſt directè poſita à jure canonico, ſed tantùm indirectè, quatenus oritur ex ſententia judicis condemnantis de delicto generante infamiam, proinde poteſt tolli ab eo, qui potuit condemnare. Tum quia non eſt irregnlaritas reſervata, quia ſi Epiſcopus condemnando potuit impedimentum ponere, poteſt etiam illud ſolvere, cùm ejuſdem ſit juriſdictionis pœnam imponere, & relaxare.

20 Quæritur ſextò, quomodo puniendus ſit ſubdiaconus, ſi calumnioſè accuſet Diaconum? Reſpondetur, eſſe privandum ſudiaconatu, & pnblicè verberibus excipiendum, vel in exilipm mittendum, idque deſumi ex *c. cum fortiùs 1. h. t.* ubi Gregorius Papa reſcribit, Subdiaconum, qui calumnioſè accuſat Diaconum eſſe privandum officio ſubdiaconatus, & verberibus publicè cædendum, ac in exilium mittendum. Ratio petitur etiam ex eo, quia qui malè accuſat, peccat contra perſonam accuſati, & contra Rempublicam, adeò ut propter utrumque mereatur puniri, ut docet Divus Thomas *2. 2, q. 68. art. 3.* hinc in *Deuter.* dicitur: *Cùmque diligentiſſimè perſcrutantes invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddent ei, ſicut fratri ſuo facere cogitavit:* & id pertinet ad injuriam perſonæ: poſtea quoad injuriam reipublicæ ſubditur: *Et auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere*, ita habetur in *Deuter. c. 19.* Quia verò eò delictum eſt gravius, quò dignitas perſonæ, cui injuria infertur, eſt major *l. omne ff. de re milit.* ſequitor qoòd cum fortiùs punienda ſint crimina, quæ inſontibus maximè divino cultui dicatis inferuntor, ideo non debent hnjuſmodi crimina dimitti impunita, proinde ſubdiaconus, qui calumnioſè Diaconnm accuſavit in pœnam ſui criminis, privatur officio ſui ſubdiaconatûs, & publicè verberibus cæditur, ac in exilium deportatur *c. cùm fortiùs 1. h. t.* Cæterum accuſatoris temeritas tripliciter poteſt detegi, quatenus poteſt talumniari, prævaricari, aut tergiverſari. Calumniari perinde eſt, ac falſa crimina ſcienter intendere, Prævaricari eſt vera crimina abſcondere. Tergiverſari eſt in univerſum ab accuſatione deſiſtere *cap. ſi quem 2. q. 3.* & *lib. 1. ff. ad ſenat. conſult. Turpil.* & docet D. Thomas *2. 2. q 68. art. 3.*

21 Quæritor ſeptimò, quomodo denuntians Prælatum ſuum puniendus ſit, ſi deficiat in probatione? Reſpondetur, eſſe ſuſpendendum ab officio, & beneficio, donec innocentiam ſuam purget, & deſumitur ex *cap. cum dilectus ult. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, ut denuntians Prælatum ſuum, ſi deficiat in probatione, ſit ſuſpendendus ab officio, & beneficio, donec ſe canonicè purget; ratio petitur ex eò, quia detrahere alteri honorem, ejúſque famam obſcurare, eſt procul dubio grave delictum *c. deter. 6. q. 1.* qui verò denuntiat aliquem de delicto, quod non probat, videtur ei indebitè voluiſſe injuriam irrogâſſe, & hoc crimen cum ſic grave, non debet impunitum remanere, proinde quamvis denuntiator non agat ad certam pœnam, & ob id non ſe inſcribat *c. ſuper his 16. de accuſ.* nihilominus ſi in probatione deficiat, & ſuam non purget innocentiam, extraordinariè punitur, eò quia intentaverit bonam ſui proximi opinionem obſcurare, ac injutiam eidem inferre, & ut cæteri ſi non virtutis amore, ſaltem timore pœnarum perterriti, non facilè proſiliant in ſimilia crimina, ut habetur in *d. c. dilectus 2. h. t.* Obſervandum tamen eſt, quòd quamvis regulariter, eò ipſo quòd quis deficit in probando, præſumatur talumniari *c. qui non probat 2. q. 3.* hæc tamen præſumptio non eſt juris, & de jure; proinde admittit in contrarinm probationem innocentiæ nimirum accuſationem proceſſiſſe ex aliqua veriſimili cauſa, ut notat Bartolus in *l. 1. §. item pravar. ff. ad ſen. conſ. Turpil.*

Quæritur octavò, an Reus peccet contra ju- 22
ſtitiam, ſi neget crimen, quod ab accuſatore juridicè probari non poteſt, & fuerit de ipſo accuſatns? Reſpondetur non peccare contra juſtitiam negando crimen, imò etiam aſſerendo accuſatorem calumniari, & mentiri: ratio eſt, quia ut docet D. Thomas *2. 2. q. 69. art. 2.* Reus habet jus ad ſe defendendum quacunque viâ, dummodo non mentiatur, & quando aſſerit, talem accuſatorem calumniari, ſeu mentiri, non profert mendacinm: ſiquidem qui accuſat de crimine, quod non poteſt probare, præſnmitur calumniator, proinde cenſetur mentiri accuſans alium de crimine, quod non poteſt probare, quia tunc loquitur contra dictamen ſuæ conſcientiæ: & quod non poteſt probari in judicio, præſumitur falſum: imò id etiam procedit, ſi Cajus extra judicium neget, ſe patrâſſe, vel dixiſſe aliquid, quod Titius illicitè manifeſtavit, unde illi infamia naſceretur. Cæterum Reus ex charitate ita tenetur reſpondere, ſeque tueri; ut accuſatorem non offendat, nec damnum eidem inferat: unde ſi Reus de crimine occulto accuſetur, ex charitate tenetur tantùm crimen ſibi objectum negare, ſeque abſtinere à verborum aſperitate, quâ crimen calumniæ, & mendacij impingat accuſatori: eſt enim contra charitatem, ſi Reus majus malnm proximo inferat, quàm ad ſui defenſionem neceſſarium erat.

Quæritur nonò, an licitum ſit, volentem 24
graviſſimas calumnias, & eriminationes deferre ad Principem, occidere, ſi cauſa ſit graviſſimi damni, inde ſecuturi? Reſpondent plures, inter quos Bannes *q. 64. art. 7. dub. 4.* Petrus Navarra *lib. 2. c. 3. n. 361.* probabile eſſe, poſſe tunc calumniatorem occidi ab eo, cui infertur injuria, & nituntur, quia parum; vel nihil refert, an Titius Cajum invadat gladio ſuo proprio, vel alieno, & calumniator invadit, & qui-

quidem ad internecionem gladio alieno, ſeu Judicis, qua ratione Natham Propheta ad David dixit, interfeciſti Uriam gladio filiorum Ammon, & Judæi ex Auguſtino dicuntur Chriſtum occidiſſe gladio linguæ: atqui ſi Titius baculo, vel alapa impacta velit honorem Caij violare, poteſt is armis ſe defendere; ergo etiam quando linguâ nititur ejus honorem graviter lædere, parum enim refert, quo inſtrumento quis nitatur alium offendere, ſi ſemper æquè efficaciter damnum infert. Tum quia ſi Dominus vocaret famulos, ut me occiderent, poſſem prævenire, & occidere Dominum, ut deſineret famulos in meam necem concitare, ſi aliter non poſſem meam vitam tueri: hoc autem procedit, quando calumniator defert ad Judicem criminationes, tunc enim illum concitat, & cogit, ut me occidat.

24 Verùm hæc ſententia ſaltem in praxi falſa eſt, ac proinde omnino reijcienda, ob plura incommoda, & pericula, quæ inde ſequerentur: ſiquidem facilè ſibi homines perſuaderent, ſe per calumnias accuſari, & non poſſe graviſſimum damnum aliter evadere, quàm per mortem calumniatoris, proinde multa injuſta patrarentur homicidia non ſine graviſſimo Reipublicæ detrimento: in jure autem defenſionis ſemper conſiderandum eſt, ne ejus uſus in perniciem Reipublicæ vergat, quia tunc non eſt permittendus talis uſus. Præterea vel talis calumnia eſt illata, vel non non, ſi primum, non extinguitur per calumniatoris occiſionem: ſi non eſt illata, pleriſque non ſatis conſtat, an non poſſit aliter impediri: proinde uſus talis defenſionis per occiſionem volentis falſas criminationes apud Principem, vel Judicem deferre, nunquam eſt licitus.

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur, vel promittatur.

Expedito primo titulo hujus libri de judicio criminali apud judicem eccleſiaſticum, ſeu de accuſationibus, inquiſitionibus, denuntiationibus, & earum occaſione ſecundo titulo de calumniatoribus, incipit nunc Pontifex agere de criminibus, ob quæ judicium criminale inſtituitur, & ne illotis manibus ſtatim deſcendamus ad ſpecies criminum, ſeu delictorum, de quibus in hoc libro Pontifex agit, operæ pretium eſt præmittere, quæ de delictis in genere ſunt notatu digna.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *IN ORDINANDO 1. h. t. Gregorius generali Synodo præſidens ſtatuit, ut Epiſcopus, vel miniſter, vel Notarius non accipiant quidquam pro ordinatione, vel uſu pallij, vel cartis, vel paſtellis: ſicut nec etiam, qui ordinatur, debeat quidquam dare pro ſuſceptis, vel ſuſcipiendis Ordinibus: unde ſicut non debet Epiſcopus manum, quam imponit vendere: ita nec Miniſter, nec Notarius in ejus ordinatione vocem, vel calamum. Ratio eſt perſpicua, quia dare aliquid pro quocunque obſequio impenſo in ordinatione, eſt ſimonia, ut Archidiacono pro examinatione: ſecus tamen ſi omnino gratis, & ſponte aliquid offeratur. Cæterum nec Epiſcopi, nec eorum Miniſtri, & Notarij poſſunt quidquam exigere ratione ordinationum.*

C. *QUI ALIUM 2. h. t. Ex Concilio Moguntino ſtatuitur, ut qui mediante pecunia eycit ab eccleſia Rectorem, & deinde accipit ſibi eandem eccleſiam, ſit illâ privandus, adeò ut qui alium in aliqua eccleſia ordinatum per pecunias ab illa excluſerit, & eam ſibi vendicaverit, ſit ſtatim deponendus. Ex quo textu colligitur, Pontificem infligere pœnam depoſitionis ei, qui alterum ſuo beneficio dejeit corrumpendo Judicem per exhibitas pecunias, & in illud ſe intrudit: quia & alteri graviſſimam infert injuriam, & rurſus quia mediante pecunia ſe intrudit in beneficium, committit manifeſtam ſimoniam.*

C. *SI DOMINUS 3. h. t. reſcribit Deodatus Papa, quemlibet catholicum poſſe accuſari de crimine ſimoniæ, idque ob criminis atrocitatem, adeò ut nullus Catholicorum ſit reſpuendus, ſi velit ſimoniacum accuſare, vel denunciare, immo non ſolùm admittitur quilibet Catholicus, ſed etiam criminoſus. Cæterum quia Pontifex in textu determinatè exprimit Catholicum, deſumitur regula, quòd hæretici, & pagani non admittantur, etiam ad accuſandum crimen ſimoniæ. Cæterum in cri-*

criminalibus teſtes non compelluntur. c. delictorum de teſtib. cogend.

C. *ACCUSATOR 4. h. t. Idem Pont. reſcribit, accuſatum de ſimonia eſſe ſuſpendendum, ne miſſarum ſolemnia celebret, donec de veritate conſtet. Idq; procedit, ut notat Gloſſa, ſi erat publicè infamatus: alioquin non debet ſuſpendi. Cæterum ſimoniacus in Ordino, quamvis ſit occultus, eſt ipſo jure ſuſpenſus, nec poteſt miſſam cantare* c. tanto h. t.

C. *QUOTIES 5. h. t. reſcribit Pont. eum, qui per ſimoniacā hæreſin fuit ordinatus debere omnino abſtinere a celebratione miſſæ, donec veritas clariùs appareat: unde hic textus ſtatuit idem ac præcedens, & notat Panormitanus lite pendente poſſe aliquem privari poſſeſſione beneficij, & officij, ſi fuit accuſatus, & infamatus de ſimonia, idque propter atrocitatem criminis; quia concurrente infamiâ oritur ſuſpenſio, donec cauſa finiatur, tametſi de jure communi lite pendente non ſit res innovanda, niſi agatur de magnis criminibus exigentibus ſtatim pœnam aliquam ſubeundam. Vocatur autē in textu ſimoniaca hæreſis, quia ſi error ſit pertinax, & quis cenſeat rem ſpiritualem eſſe æqualis, vel minoris pretij, quàm temporalem; tunc error eſt hæreſis. Præterea vocatur ſimoniaca hæreſis, quia tametſi error abſit, adhuc habetur quædam ſpecies hæreſis, & gravitas criminis tale meretur nomen.*

C. *SICUT 6. h. t. reſcribit Lucius Papa, ſimoniam magnitudine, & enormitate ſuperare alios morbos, proinde ſi conſtet per aliquam dignam perſonam, aliquem eccleſiaſticum eſſe ſimoniacum, debere ſtatim ab eccleſia deponi. Notandum eſt, in hoc textu, ſimoniam æquiparari morbis, & vocari peſtem; quia ſicut hæc hominem inficit, & interficit, niſi coërceatur: ita ſimonia, niſi compeſcatur, plures inficit, & per plura peccata lethalia, quæ inde ſequuntur, ratione avaritiæ, & ambitionis interficit, qua ratione dicitur ſuperare alios animi morbos, ſeu vitia. Dicitur etiam ſimonia deteſtabilior quovis alio crimine, eò quia ſummè adverſetur ſtatui Clericorum, cujus dignitatem vili pendit æquando temporalia ſpiritualibus, vel etiam præferendo illa iſtis. Hinc in ſimonia, ut habetur in textu, procedi poteſt ad privationem, & depoſitionem, per quam Clericus expellitur de eccleſia, ſi dentur ſigna ſimoniæ, vel probationes veriſimiles deferantur ad Judicem, quamvis in alijs criminibus debeant probationes eſſe luce meridiana clariores.*

C. *TANTA 7. h. t. declarat Deodatus Papa adeo eſſe enormem ſimoniæ labem, ut ſervi, meretrices, & alij quicunque crimino ſi poſſint ſimoniacum accuſare, & notat Gloſſa, omnes peccatores præter ſimoniacum poſſe miſſam cantare, quatenus faciliùs diſpenſatur cum quovis peccatore, quàm cum Simoniaco: & licèt poſſit etiam cum ſimoniaco diſpenſari* c. poſt læſionem de renunc. *Tenetur tamen priùs beneficio renunciare, & pœnitentiam agere. Cæterum quòd Pontifex in hoc textu dicat, poſſe omnes peccatores præter ſimoniacum miſſam cantare, cenſet Innocentius, id eſſe intelligendum; quia alios peccatores, vel ab eccleſia proceſſos toleratos tamen non teneamur vitare, ſed poſſimus eorum miſſas audire* c. cum non ab homine de ſent. excommun. *è contra ſimoniacum in Ordine quantumvis occultum teneamur vitare* c. præter §. verum diſt. 32. *adeò ut ſimoniacus non ſolùm quoad ſe ſit ſuſpenſus, perinde ac quilibet alius peccator, ſed etiam quoad alios, qui privatim cognoverunt eum eſſe ſimoniacum, tametſi publicè id non conſtet, nec ſententia ſit contra illum lata.*

C. *NON SATIS 8. h. t. Alexander III. declarat, eſſe ſimoniam petere pecuniam pro ingreſſu religionis, vel vendere Prioratum, vel capellam Monachorum, vel Clericorum, vel pro eorum regimine committendo, & declarat eſſe ſimonicos non ſolùm dantes pecuniam, ſed etiam recipientes, & conſentientes. Rurſus declarat, eſſe itidem ſimoniam pecuniā exigere pro ſepultura, pro chriſmate, pro oleo ſancto, & conſuetudinem contrariam nō excuſare. Cæterum ut notat Gloſſa, ſi ingrediens religionem velit aliquid dare ſponte, & pura intentione non eſt prohibitum illud accipere.*

C. *CUM IN ECCLESIÆ CORPORE. 9. h. t. Ex Concilio Lateranenſi ſtatuitur idem, ac in præcedente textu, in perſonis introducendis in ſedem eccleſiaſticam, in inſtituendis ſacerdotibus, in ſepeliendis mortuis, benedicendis nuptijs, conferendis ſacramentis; vel ut ex collatis non exigatur quidquam, alioquin eſt ſimonia. Primus qui in veteri teſtamento ſimoniam invenit, fuit Jezi.* c. qui ſtudet de V. S. *& in novo Simon Magus, à quo nomen ſimonia derivatur.*

C. *CUM SIT* ROMANA *10. h. t. reſcribit etiam Pont. Epiſcopum pro eccleſiarum conſecratione nil poſſe, vel debere præter ipſam procurationem exigere. Ubi notat Gloſſa, hanc procurationem eſſe à jure ſicut alias* c. ſopitæ de cenſib. *& eſſe præſtandam ſecundùm facultates eccleſiæ, quæ ſi non poſſit procurationem præſtare, tenetur Epiſcopus ſuis ſumptibus eccleſiam conſecrare. Hinc colligitur, ſimoniam non ſolùm committi in comparandis donis Spiritus ſancti, qualia elucebant in Apoſtolis, in gratijs linguarum, ſanitatum, Prophetiæ, quæ pecunia intendebat Simon Magus comparare, ſed etiam in alijs, quæ ſunt ſpiritualia per eſſentiam, cujuſmodi ſunt ſacramenta. Eſt enim ſupra cætera deteſtabilis ſimonia, quæ committitur in venditione ſacræ Euchariſtiæ, ſeu hoſtiæ conſecratæ, quia per hanc ipſe Chriſtus venditur* c. nullus Epiſcopus 1. q. 1. *& ideò eſt deteſtabilius, quò venditur Euchariſtia ad pravos uſus, vel datur Judæis vanum in contumeliam ſanguinis filij DEI: hoc idem etiam procedit de alijs ſacramentis, Ordine, Extrema unctione, Confirmatione, Pœnitentia; quia ſacramenta ſunt res ſacroſancta, quæ non cadunt in temporalem æſtimationem: Neque obſtat; canones permittere munera offerri matrimonij causâ,* c. connubia. c. honorantur 32. q. 2. *Immo & plura pacta de donationibus propter nuptias, quia hæc dona, & pacta*

non

non reſpiciunt matrimonium, ut eſt ſacramentum, ſed ut eſt contractus, in quo communicatio materialis intervenit ob mutuam corporum traditionem. Unde omnes conventiones, & pacta in matrimonio cadunt ſub contractũ, non ſub repræſentationem unionis Chriſti cum eccleſia per incarnationem, charitatem, & gratiam ſacramentalem huic ſignificationi annexam ex inſtitutione Chriſti.

C. *DE HOC 11. h. t. Idem Pont. reſcribit Archiepiſcopo Toletano, quòd ſi Simonia ſit manifeſta, & notoria, vel ſimoniaci confeſſi ſint in jure ſe promiſiſſe aliquid pro electione, & illud accepiſſe ad illam cauſam, debeant perpetuò deponi à miniſterio altaris: non ita ſi ſimonia non ſit manifeſta, & notoria, nec ſimoniaci confeſſi ſint, vel legitimè convicti: ſi laborant publica infamia indicanda eſt eis canonica purgatio, in qua ſi deficiant puniendi ſunt ut Rei.: & ſæculares, qui aliquid receperunt, tenentur integrè reſtituere eccleſiæ. Ubi notat Gloſſa, quòd licèt cum ſponte confeſſo mitiùs agatur; non tamen cum non ſponte confeſſo: Rurſus ait, pœnam ſimoniaci eſſe depoſitionem, ſive agatur per modum accuſationis, ſive per modum inquiſitionis* c. inquiſitionis de accuſat. *Rurſus receptum ſimoniatè eſſe reſtituendum eccleſiæ cum duplici pœna, & quidem illi, cui facta eſt injuria. Sin verò pro ingreſſu religionis acceptum eſt aliquid, eſt illi reſtituendum, qui dedit: ſolam tamen infamiam ſimoniæ abſque convictione, & confeſſione non ſufficere ad pœnam infligendam, etiam in crimine excepto, quale eſt ſimonia, ſed eſſe accuſato indicendam purgationem, in qua, ſi deficiat, ſit puniendus, docet Gloſſa.*

C. *CUM ESSENT 12. h. t. reſcribit idem Pont. ſolam promiſſionem rei ſpiritualis, ut eccleſiæ dandæ, ſi tale obſequium præſtiterit, facere ſimoniam: & non poſſe Simoniacum eccleſiam conſequi. Ubi notandum eſt, pretium ſimoniacum eſſe triplex à manu, obſequio, & lingua deſumptum.* c. Salvator 1. q. 3. *pretium à manu eſt pecunia, vel donum pecuniæ æquale. Pretium ab obſequio eſt, quidquid præſtatur collatori, ut beneficium eccleſiaſticum conferat, vel etiam alteri, à quo beneficium promittitur, ut in hoc textu. Pretium à lingua comprehendit preces, laudes, commendationes, ſi ſupplicans, laudans, & commendans pretium pro iſtis acquirat, vel de illo paciſcatur, quia tunc beneficium, quod obtinetur, cenſetur æſtimari pretio temporali.*

C. *INSINUATUM 13. h. t. declarat idem Pont. eum, qui ſimoniacè eſt adeptus beneficium, ſi id publicum ſit, & notorium, eſſe privandum beneficio ab Epiſcopo: ſin verò non ſit publicum, vel notorium, ſed tantùm publica quis laboret infamiâ, mandat Pontifex, ut illi indicatur purgatio cum quinta, vel ſexta manu ſui ordinis, & ſi in ea deficiat, ſit privandus beneficio perpetuò: verùm hodie numerus comprobatorum eſt arbitrarius. Cæterum Simoniaci inquiſiti, & accuſati, ſunt ſtatim repellendi ab eccleſiis, ſi appareant ſigna, & argumenta probabilia hujus criminis: id enim eſt ſpeciale in ſimonia, ut non requirantur probationes tam claræ, ſicut in aliis criminibus.*

C. *NEMO 14. h. t. declarat Pont. Presbyterum, qui aliquid temporale, vel ſpirituale accipit à publicè peccante, ne ejus peccatum manifeſtet Epiſcopo, vel ejus Miniſtris eſſe ſimoniacum, ut etiam eum, qui reſpectu conſanguinitatis, vel familiaritatis impedit, ne peccatum illud Epiſcopo innoteſcat: quinimo etiam eum declarat ſimoniacum, qui aliquem pœnitentem, vel minùs dignè pœnitentem gratiâ, vel favore adducit ad reconciliationem, eique dat teſtimonium reconciliationis, vel dignè pœnitentem à reconciliatione removet ex livore. An verò pura omiſſio actûs ſupernaturalis, ut non revelare ſuperiori peccatum publicum poſſit eſſe materia ſimoniæ, non videtur ita certum; quia nuda, ſeu pura omiſſio actus ſupernaturalis, v. c. baptiſmi, cũ non ſit quid poſitivũ, non eſt quid ſacrum, nec ſupernaturale, proinde ſi aliquid exigatur pro tali pura omiſſione, non videtur quid exigi pro re ſacra, quod tamen eſt de ratione ſimoniæ: neque obſtat, quòd talis pura omiſſio redundet in damnum publicum, quia inde ſequitur tantùm eſſe peccatum grave, non verò propriè ſimoniam. Reconciliare autem eccleſiæ ob pretium temporale, eſt quid ſimoniacum, ut dicitur in textu, quia talis reconciliatio eſt poſitiva. Cæterum non aperiens publicum peccatum Epiſcopo dicitur tantùm ſimoniacus affectivè, ſicut collatio facta carnali affectu interdum dicitur ſimonia* c. ordinationes 1. q. 1.

C. *QUERELAM 15. h. t. reſcribit idem Pont. eccleſiam non poſſe emi, nec redimi. Rurſus legitimè citatus ad pænitentiam, ſi contemnat ſtare judicio, partem contrariam eſſe mittendam in poſſeſſionem rerum, de quibus eſt controverſia, nec debere moleſtari abſque ordine judiciario: ex quo textu liquet, res conſecratas, cujuſmodi ſunt eccleſia, vaſa, paramenta ſacra, imagines, & alia id genus vendi non poſſe formaliter, ut ſunt res ſacræ, ſed tantùm materialiter, quatenus ratione materiæ ſunt res pretio æſtimabiles, ut argentum, aurum, lapides pretioſi, artificium; hæc enim vendi poſſunt, quia tunc non venditur res ſpiritualis quatenus talis, ſed ut conſtat ex materia, quæ pretio æſtimari poteſt, & quæ non amittit valorem poſt conſecrationem. Notandum tamen eſt, hujuſmodi res ſi dentur venum non eſſe convertendas in profanos uſus ſine urgente juſta, & neceſſaria cauſa, & tunc ſunt prius confringendæ, ut amittant formam rei ſacræ. Cæterum notat Gloſſa, factum, & delictum Prælati capitulo inconſulto non præjudicare eccleſiæ* c. cum dilecti de empt. & vendit. *quamvis eccleſia venderetur acceſſoriè.*

C. *EA QUÆ 16. h. t. declarat idem Pont. ſimoniacum eſſe, pecuniam pro chriſmate exigere ſive illam cathedraticam, ſive paſchalem, ſive præſtationem, aut conſuetudinem vocent, quia ut notat Gloſſa, conſuetudo, quæ ex ſua natura eſt prava, ut vendere res ſacras, licèt longiſſima*

Digitized by Google

ſit, nonexcuſat c. ult. de conſuet. *licèt valeat illa, quæ eſt inducta contra jus poſitivum.*

C. *EX DILIGENTI* 17. *h. t. Idem Pontif. declarat, fidejubere pro re aliqua ſpirituali acquirenda, ut pro beneficio eſſe ſimoniam. Ubi notat Gloſſa, obligationem tunc non tenere, eò quia ſit turpis, & faciat inhabilem ad beneficium. Cæterum quòd in textu fiat mentio homagij, & fidelitatis, hæc tamen duo diſtinguuntur, quia homagium propriè dicitur, quando quis facit promiſſionem ſubjectionis alteri genibus flexis, & manibus intra manus illius poſitis. Dicitur enim homagium, eò eò quia fiat homo illius, cui ſubijcitur, hoc eſt obligatus, ſeu vaſallus. Hinc homagium præſtari ſolet Imperatori, & Regibus etiam ab eccleſiaſticis pro feudis temporalibus, ut ab Epiſcopis, & Prælatis in Germania, ſi ſint Principes imperij. Juramentum verò fidelitatis eſt, quando quis promittit alteri fidelitatem, quæ fidelitas promitti poteſt non ſolùm Imperatori, & Regibus, ſi detiam alijs ſuperioribus. Ratio verò, cur pro ſpiritualibus non poſſit homagium præſtari, eſt, quia homagium, continet temporale illius, cui præſtatur, quia per homagium efficitur quis ſubditus, & vaſallus cum obligatione ad certa temporalia ſervitia, quæ pro ſpiritualibus acquirendis, non poſſunt ſine ſimonia præſtari. Secus eſt in juramento fidelitatis, quia hoc tantùm obligat ad debitam fidelitatem ſervandam ſuperiori, & potiùs præſtatur dignitati, quàm perſonæ* c. venerabilem de elect.

C. *ET SI QUÆSTIONES* 18. *h. t. Idem Pont. reſcribit Archiepiſcopo Strigonienſi ad cognoſcendum, an ſit ſimonia in donis datis, vel acceptis à conferente aliquid ſpirituale, tria eſſe conſideranda. Primò qualitatem perſonæ dantis, & accipientis, an dans diviti pauper ſit, vel dives. Secundò quantitatem muneris, an ſit magni, vel exigui pretij. Tertiò tempus donationis, an ſi hæc facta ſit inſtante neceſſitate, vel alio tempore opportuno, ut ſi vir admodum nobilis, & locuples iter facienti, & non petenti daret equum, etiam Cardinali eunti ad ferendum palliũ Archiepiſcopo præſertim ſi trajeciſſet mare, & habeat paucos eques, declarat Pontifex, non eſſe ſimoniam: quia donum non eſt magnum, nec datum intentione conſecrationis, ſed ad ſubveniendam indigentiam euntis ad ferendum pallium. Hinc declarat Pontifex illud* Iſaiæ 33. Beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere, *eſſe intelligendum de illis donis, quæ ſolent pervertere, vel allicere animum accipientis: hinc ſi perſona electa offerat conſecratori ſuo electuarium de vino, vel alijs pertinentibus ad eſculenta, & poculenta, quæ ſunt modicè pretij, nec accipiens, nec donans cenſetur peccare.*

C. *VENIENS* 19. *h. t. Idem Pont. declarat, Abatem, & Monachos, ſi pro ingreſſu religionis conveniant, aliquam pecuniam accipere, & ex conventione accipiant, quamvis dicant hanc eſſe conſuetudinem, eſſe ſuſpendendos ab executione officij, & pecuniam reſtituendam danti: & mandat ingreſſum cum habitu tranſire ad aliud monaſterium: ex quo textu liquet, quàm ſeverè in SS. canonibus ſtatuatur, ne quid pro ingreſſu, aut receptione in religionem, vel monaſteria exigatur: unde ſimonia eſt pro ipſo ſtatu religioſo aliquid exigere, quia talis ſtatus eſt omnino ſpiritualis, & non eſt æſtimabilis pretio temporali, immo ſi monaſterium eſt opulentum, & divitijs affluat, eſt etiam ſimonia ſaltem juris eccleſiaſtici, aliquid exigere pro ſuſtentatione ingredientis. Hinc D. Thomas in* 4. diſt. 25. q. 3. art. 2. ad 7. *ait. quòd ſi ſine gravamine monaſterij poſſit Novitius recipi, ſimoniacum eſt aliquid exigere, quia jus vivendi de bonis monaſterij eſt ita annexum profeſſioni, ſicut beneficio eccleſiaſtico: unde ſicut pro præbenda non poteſt quidquam exigi in eccleſia opulenta, ita neque pro jure religioſæ ſuſtentationis. Cæterum ſi monaſterium prematur inopia, vel habeat tenues reditus, quibus non poſſit plures ſuſtentare, non eſt ſimonia paciſci cum ingredientibus de ſuſtentatione, quia tunc talis pecunia tantùm petitur, ut conditio neceſſaria, ne alij Religioſi graventur.*

C. *EX TUÆ* 20. *h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi quis debet ordinari, dedit præſentatori, ut Archidiacono pecuniam ex pacto eſt ſimoniacus, Sin autem res ſit ſecreta, non eſt coactè ſuſpendendus ab officio, ſed injungenda eſt ei pœnitentia ſecreta, & ſine coactione monendus, & inducendus, ut fiat Religioſus, & perpetuò abſtineat. Ex quo textu liquet, ſimoniacum occultum non eſſe ipſo jure ſuſpenſum, ſed per ſententiam Judicis eſſe ſuſpendendum: quia ſine manifeſta cauſa non debet quis removeri à ſuo officio. Rurſus ex hoc textu colligitur etiam modicum pretium ſufficere ad ſimoniam, ſi detur ut pretium pro re ſpirituali: hinc notat Gloſſa, quantitatem muneris diverſitatem non inducere juris, ſed conſiderandam eſſe intentionem, ſine qua non eſt furtum, neque ſimonia* c. ſi quæſtiones h. t.

C. *AD NOSTRAM* 21 *h. t. Idem Pont. reſcribit pro exercendo miniſterio eccleſiaſtico, ſeu pro vicarijs aſſignandis, ſeu pro chriſmate, non poſſe pecuniam exigi, eò quia ſint res ſpirituales, vel ſaltem ſpiritualibus annexa.*

C. *DE SIMONIACE* 22. *h. t. declarat idem Pont. Epiſcopum poſſe diſpenſare cum his, qui ſimoniacè, ignoranter tamen, ſeu ipſis tantùm neſcientibus, ſunt ordinati, ut remaneant in ſuis Ordinibus, quia non ſunt ſimoniaci. Ubi notat Gloſſa, ignoranter ſimoniacè ordinatos, ubi hoc ſciverint, teneri renunciare* c. de Regularibus. c. ex inſinuatione h. t. *ſi tamen ſimonia in ordine fuit occulta poſſe Epiſcopum diſpenſare, ut ordinati recipiantur in ijsdem eccleſijs: ſin verò ſit manifeſta ſimonia commiſſa in ordine, tunc ſolus Papa diſpenſat. Cæterum titulus beneficij obtenti per ſimoniam etiam data probabili ignorantia ex parte beneficiati eſt invalidus, & quidem ex ipſa rei natura, ſi ſimonia ſit juris divini, quia non poteſt ex natura rei res ſpiritualis æſtimari pretio temporali,*

pro-

proinde neque commutari: ignorantia autem quamvis probabilis non tollit nullitatem, quia hæc non eſt indncta in pœnam c. ſtatutum de præbend. in 6. *ſecus tamen ſi ſimonia ſit juris humani, videtur enim tunc ignorantia excuſare.*

C. *MATTHÆUS 23. h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi aliquis contradicat electioni Pauli, & amici Pauli, conſcio, & volente Paulo dent munus contradicenti, adeóque ceſſante contradictione eligatur Paulus, qui etiam adminiſtret, ſit ſimoniacus, & teneatur ſtatim relinquere adminiſtrationem. Ex quo textu liquet, ante jus acquiſitum eſſe ſimoniacum dare munera contradicentibus, ut non contradicant: ſecus poſt jus acquiſitum, & beneficium obtentum poteſt clectus ſine ſimonia vexationem redimere, ſi pro jure tollendo injuſtè inferatur, vel probabiliter timeatur: hinc ut licitum ſit redimere vexationes, requiritur jus acquiſitum.*

C. *AD AURES 24. h. t. Idem Pont. reſcribit pro abſolutione ab excommunicatione nil poſſe peti, & exigi, quia cùm abſolutio ab excommunicatione fiat per miniſterium ſpirituale* c. nemo. c. cum in eccleſiâ h. t. *eſt ſimonia aliquid accipere pro tali abſolutione. Qui verò injuſtè deneganti abſolutionem daret aliquid, excuſaretur à ſimonia, quia tunc non daret pro abſolutione, quia hæc jam ipſi præſupponitur debita, ſed pro tollendo impedimento, & pro redimenda vexatione: quia cùm grave immineat periculum animæ, non poteſt appellare* c. ut debitus de appell. *Rurſus ſi adverſarius habuit ſumptus ob contumaciam excommunicati, tenetur excommunicatus eos ſolvere, ut abſolvatur,* c. quoniam ut lite non conteſtata.

C. *DE REGULARIBUS 25. h. t. Clement III. declarat, quòd ſi Monachi ſcienter per ſimoniam ſint monaſterium ingreſſi, debeant locum illum amittere, quem adepti ſunt, & ſolitudinem adire, vel alia arctiora monaſteria ad agendam pœnitentiam pro tali exceſſu: ſin verò ipſis ignorantibus ſuit data pecunia, tunc declarat Pontifex, eſſe compellendos renunciare eidem loco: & poſtea ſi viſum fuerit, ſine ſcandalo, poſſe reduci ad eundem locum, vel collocari in alio, ut Deo inſerviant. Ubi notandum eſt, quòd licèt ignorantes non ſint ſimoniaci: poſſunt tamen eſſe ſimoniaci promoti, & ideo poſtquam renunciaverint, diſpenſantur, ut remaneant.*

C. *EX INSINUATIONE 26. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi quis ipſo inſcio ſit ſimoniacè promotus ad canonicatum, re poſtea cognita debeat canonicatui renuntiare, in manus ſuperioris, & conceditur facultas Superiori, vel Capitulò eum iterum eligendi ad eundem canonicatum, eò quia in prima electione ignoraverit ſimoniacam ſuam promotionem: Verùm propter ultimam electionem debet obtinere ultimum locum in choro, & in alijs officijs, nec poterit quidquam ſibi vendicare ratione primæ electionis. Ubi notat Gloſſa, ſimoniam debere eſſe cum pacto interveniente* c. ult. de pact. c. de hoc 31. h. t. *Cæterum ſi ſcienter fuiſſet ſimoniacè promotus, ſolus Papa poſſet diſpenſare.*

C. *NOBIS 27. h. t. Cæleſtinus III. declarat, electionem ſimoniacam alicujus ipſo inſcio ab alijs commiſſam eſſe reprobandam, niſi conſtaret, aliquos malitiosè commiſiſſe ſimoniam in fraudem ipſius eligendi. Rurſus Epiſcopum non poſſe diſpenſare cum ſimoniacè electo, & reprobato propter ſimoniam. Ubi notat Gloſſa, quòd tametſi electores habuiſſent intentionem eum eligendi, quamvis non præceſſiſſet pactum, hoc poſtea interveniente, & pecuniâ, committitur ſimonia: imò electio eſt ſimoniaca ex vi hujus textus, quamvis unus tantùm ex eligentibus pecuniam accipiat, vel munus pro electione, idque procedit, quando plures collectim jure collegij eligunt, præſentant, aut conferunt per modum collegij, quia tunc una eſt omnium electio, proinde per ſimoniam unius vitiatur totus actus jure collegij geſtus; ſecus eſt, ſi plures præſentent, vel ſinguli ſeorſim, ut quando plures ſunt Patroni ejusdem beneficij, tunc tot ſunt præſentationes, quot Patroni, & præſentatio unius non vitiatur per præſentationem alterius.*

C. *DILECTUS FILIUS 28. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi aliquis moleſtatus in jure ſuo ſaltem de facto det pecuniam Superiori moleſtanti, ne illum moleſtet: ſi poſtea Superior contra pactum illum moleſtet, teneatur reſtituere pecuniam, & quidem danti, ut notat Gloſſa, quia dedit ad redimendam vexationem. Hinc ſi quis vexetur de facto, & injuſtè, non eſt peccatum redimere tunc vexationem in jure acquiſito.*

C. *SUAM NOBIS 29. h. t. Innocentius III. reſcribit, capellanum pro benedictione nubentium, & exequijs mortuorum nihil poſſe accipere, & teneri acceptum reſtituere. Nomine autem Cappellani, ut notat Gloſſa, intelligitur ſacerdos, ſeu Parochus, qui ex officio ſuo ad illud tenetur, & aliàs habet ſufficientes congruos proventus ex ſua eccleſia, unde tenetur ſuis ſumptibus miniſtrare ſpiritualia* c. ſufficit de conſec. diſt. 1. *Verùm notat Gloſſa, quòd ſi conſuetudo inoleverit, ut aliquid detur in conſimilibus exequijs; poſſit populus cogi ad ſervandam talem conſuetudinem: ut etiam ſi Parocho deſint ſufficientes proventus eſt licitum aliquid accipere pro exequijs.* c. Judices 1. q. 1. *& dicitur gratis celebrare ſicut teſtis, qui recipit ſumptus, & Epiſcopus procurationem pro conſecratione eccleſiæ: hinc in recipiendis muneribus circa ſpiritualia attenditur conſuetudo* c. quæſitum 1. q. 3. c. agat, diſt. 63.

C. *DILECTUS FILIUS 30. h. t. Cum Innocentius III. eſſet certior factus, in Cantuarienſi Diœceſi in monaſterijs, locisque religioſis multos fuiſſe per ſimoniam receptos, reſcribit, quòd ſi adversùs illos accuſatio coram Archiepiſcopo fuerit canonicè inſtituta, & crimen ordine judiciario probatum, Archiepiſcopus eam in dantes, quam recipientes canonicam exerceat*

ultionem: ſin autem per ſolam inquiſitionem conſtiterit fuiſſe ſimoniace receptos, mandat, ut Archiepiſcopus eos dirigat ad arctiora monaſteria, ut ibi agant pœnitentiam: Abbatibus verò, Abbatiſſis, Prioribus, Prælatis quibuslibet & eorundem Officialibus injungat pœnitentiam competentem, & donec eam fecerint, ſuſpendat illos ab executione ordinis; & hanc formam præſcribat ſuis Epiſcopis obſervandam in ſuis Diœceſibus. Addit tamen poſſe gratanter recipi pro religionis ingreſſu, ſi quid fuerit ſine taxatione omnino gratis, & ſpontè oblatum. Verùm hodiè circa Regulares ſimoniacos, ut notat Gloſſa hic, ſtandum eſt textui in c. quoniam h. t. *& notat poſſe etiam dari pecuniam infideli, ut ad fidem alliciatur* c. penult. 23. q. 4. *immo poteſt etiam quis onerari graviore penſione, ut convertatur* c. jam verò 23. q. 6. *Cæterum propter multitudinem detrahendum eſt ſeveritati juris, quæ ſeveritas in ſimoniacis eſt depoſitio* c. inſinuatum 13. h. t.

C. *LICET HELI 31. h. t. Idem Pont. declarat, relictis notorijs exceſſibus, in alijs poſſe tripliciter procedi. Primò per accuſationem, & tunc debet præcedere legitima inſcriptio. Secundò per denunciationem, quam debet præcedere charitativa correctio. Tertiò per inquiſitionem, quam debet præcedere clamoroſa inſinuatio per publicam famam, & frequentem inſinuationem, ne idem ſit Judex, & accuſator, ſed ſit ipſa fama, quæ accuſet, & Judex poſtea inquirat. Rurſus declarat Pontifex, Judices non debere facilè credere, nec punire, ſi audiant aliquid contra clericum dignum pœnâ, ſed debere diligenter inquirere; & quod probatum fuerit ſecundùm jura punire. Ubi notat Gloſſa, in notorijs delictis non eſſe neceſſarium accuſatorem, vel teſtem, nec inquiſitionem, vel denunciationem* c. evidentia de accuſ. *nec eſſe purgationem indicendam* c. cum dilectus de purg. *Rurſus quando agitur per viam accuſationis non debere præcedere admonitionem, & etiam poſt pœnitentiam poſſe accuſari, & deponi, ſi quis ſit convictus, niſi probet fuiſſe ſecum diſpenſatum. Cæterum ſi de crimine agatur civiliter ad pœnam, debet admonitio præcedere.* c. 2. de accuſ. *ut etiam quando agitur ad inferandam pœnam excommunicationis* c. ſacro de ſent. excommun. *Secus quando agitur per modum inquiſitionis, ſufficit ſola fama, vel clamor ſine admonitione.*

C. *PER TUAS 32. h. t. Idem Pont. in hac decretali explicat præcedentem* in c. licèt Heli *ubi contra ſimoniacos videntur admitti teſtes crimino ſi, dummodo non ſint inimici, & ex odio; cum enim eorum exceptio fuerit rejecta; dubitabatur, an teſtes crimino ſi admitterentur in crimine ſimoniæ: & in hoc textu reſpondet Papa, præcedentem Decretalem* in c. licèt Heli *eſſe intelligendam de æquitate juris; ſi de crimine ſimoniæ agatur civiliter, & de æquitate; & quando perſona contra quam agitur, eſt regularis, & inferioris gradûs, & mala fama; & quæ facilè ſine ſcandalo poſſit puniri: & ſint alia adminicula ultra teſtes: tunc ſola exceptio inimicitiæ admittitur contra teſtes, & non aliorum criminum: & admittuntur tales teſtes crimino ſi, præſertim ſi ſint emendati, idque ſecundùm temperantiam æquitatis, & non ſecundùm rigorem juris: quia non agebatur criminaliter, ut deponeretur ab ordine, ſed civiliter ab adminiſtratione, ut immeritus, atque damnoſus: quod fieri poteſt etiam ex levibus cauſis; ut in nonnullis approbatis Religionibus. Ex hoc textu à contrario ſenſu infertur, quòd ſi perſona contra quam agitur de ſimonia, non ſit talis, ſcilicet inferioris gradûs, nec regularis, ſed excellentioris gradus; ut ſi ſit Epiſcopus, vel non ſit vir infamatus, vel ultra teſtes non ſint alia adminicula, nec præſumptiones, non admittuntur contra hunc hominem præfati teſtes crimino ſi; ut nec etiam ſi agatur criminaliter, & non civiliter. Rurſus propter ſolas inimicitias capitales, & non propter alias removetur quis à teſtimonio* c. item in criminali 4. quæſt. 3. *Hinc liquet, crimen ſimoniæ æquiparari crimini læſæ majeſtatis, adeóque indifferenter admittuntur accuſatores, & teſtes ſecundùm rigorem juris: ex æquitate tamen locum habent exceptiones de conſpirationibus, & inimicis capitalibus, ſi præſertim non agatur criminaliter, ſed civiliter contra Prælatum regularem de ejus amotione, non depoſitione.*

C. *SICUT TUIS 33. h. t. declarat idem Pont. omnes etiam parvulos, qui neſcientes, per pecuniam aliorum ſunt adepti eccleſias, teneri eas dimittere. Quòd ſi aliquis prohibeat expreſsè dari pecuniam pro beneficio, & nolit illud per pecuniam acceptare, & in hac voluntate perſeveret: ſi poſtea alius præſertim non conſanguineus illo inſcio det pecuniam, ſi deinde non conſentit ſolvendo pecuniam promiſſam, vel reddendo ſolutam, non eſt in culpa, proinde nec in pœna: quia aliud eſt non præbere conſenſum; & aliud expreſsè prohibere. Qui verò dederunt, vel receperunt pecunias, ſunt puniendi pœna canonica, ſi eorum exceſſus ſit manifeſtus: quia eccleſia non judicat de occultis. Ex hoc textu apparet rigor canonum, ut etiam qui in pueritia eccleſias, aut beneficia per pecunias adepti ſunt, ea dimittant; quamvis ipſis neſcientibus fuerit pecunia data: niſi expreſsè prohibuerint, ac ſeverè interdixerint, ne daretur.*

C. *TUA NOS 34. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi clericus cum pacto, vel conditione dat, ſeu offert eccleſiæ ſua bona, ut recipiatur in canonicum, & illa bona habeat pro præbenda, ſit ſimonia: ſecus tamen ſi ſine pacto, vel conditione offerat, ſed humiliter ut admittatur in canonicum, & retineat pro præbenda ſua bona: tunc poſſunt canonici ſine ſimonia eum recipere; idque in foro exteriori, in quo judicatur de manifeſtis tantùm. Quòd ſi dans intenderet per temporalia bona, ut pretium, acquirere ſpiritualia eſſet ſimoniacus in foro conſcientiæ, ut etiam ſi canonici non eſſent eum re-*

recepturi, niſi perciperent temporalia. Ex hoc textu colligitur, quòd tametſi poſſit quis licitè offerre bona temporalia ex pura liberalitate; & petere humiliter, ut ſpiritnale aliquid ſibi conferatur: & etiam licitum ſit hoc dare, dummodo nihil in pactum ſit deductum, nec quidquam conventum ſuper re ſpiritnali, vel temporali: nihilominus per canones ita excludi omne pactum, ut non poſſit cum illo ſtare ulla intentio gratuita; ſed ſemper committatur ſimonia: quia in ſpiritnalibus debet omnis pactio ceſſare, quia ut ait Pontifex in hoc textu, ſemper continet labem ſimonia: ſiquidem ex pacto oritur obligatio ex juſtitia: & debitum ex juſtitia excludit intentionem gratuitam. An verò ſola intentio faciat hominem ſimoniacum, non videtur ita certum: ſed certum eſt, peccare ſub iiſdem pœnis.

C. *PER TUAS LITERAS 35. h. t. reſcribit idem Pont. eum qui accipit ordinem, ut ſubdiaconatum ab Epiſcopo, quem poſtea intelligit eſſe ſimoniacum, ſine ſcrupulo poſſe miniſtrare in ordine ſuſcepto: ſed durante conſcientia erronea non poſſe aſcendere ad ſuperiores, donec depoſuerit conſcientiam, vel errorem. Ex quo textu colligitur, ordines collatos ab Epiſcopo ſimoniaco eſſe validos: & ſuſcipientem non eſſe obnoxium ulli pœna, quia nihil committit, quod ſit ſimoniacum; & ſentientem contrarium laborare inani ſcrupulo, & habere conſcientiam erroneam, quam niſi deponat, non poteſt ulteriores ordines ab eodem accipere. Notat tamen Gloſſa, accipientem ſcienter ordines à ſimoniaco eo ipſo eſſe ſuſpenſum: quia non poteſt recipere executionem ab eo, qui eam non habet* c. tanta hoc tit. *Imò quamvit ignoranter ordines quis ſuſcipiat ab Epiſcopo ſimoniaco, adhuc non recipit executionem, nec poteſt in illis miniſtrare, niſi cum illo diſpenſetur* c. ſi quis à ſimoniacis 1. q. 1. *ut in hoc textu Pontifex diſpenſavit cum Monacho Carthuſiano, dum juſſit, illum in ſuſcepto ordine ſecurè miniſtrare.*

C. *IN TANTUM 36. h. t. Idem Pont. reſcribit Archiepiſcopo Cantuarienſi, eſſe ſimoniam aliquid pro chriſmate accipere, quamvis anticipetur ſolutio pecunia, & mutetur nomen pecuniæ, eam vocando paſchalem, & non chriſmalem: & contrariam conſuetudinem non obſtare: & Archiepiſcopum teneri coërcere ſuffraganeos à tali crimine. Rurſus nec pro inveſtitura eccleſiarum poſſe aliquid accipi; & teneri Ordinarios tollere conſuetudines in contrariũ. Ubi notat Gloſſa, pro chriſmate, & oleo non poſſe quidquam accipi* c. non ſatis h. t. *idque ſub pœna depoſitionis, & infamia* c. ult. 1. q. 3. *& variationem nominis non obſtare, ſi remaneat ſubſtantia contractus* c. plerique 14. q. 3. *& conſuetudinem non excuſare* c. cum in Eccleſiæ h. t. *neque malas conſuetudines ullo unquam tempore confirmari.*

C. *PER TUAS 37. h. t. declarat idem Pont. eum, qui ordinatur ad titulum alicujus eccleſia, & promittit præſentatori, ſe non petiturum portionem in ea eccleſia, tametſi putet ſe non malè agere; adhuc non poſſe miniſtrare in ſuſcepto ordine, neque aſcendere ad ſuperiores, niſi fuerit cum illo diſpenſatum. Imò ut notat Gloſſa, injungitur etiam pœna ordinatori, præſentatori, & præſentato. Rurſus notandum eſt, quòd licèt poſſit diſpenſari cum ſimoniaco in ordine; ſi tamen ſit in dignitate, debet priùs eidem abſque miſericordia renunciare.* c. ſi quis 1. q. 1.

C. *CONSULERE 38. h. t. Idem Pont. declarat ſimoniacum eum, qui per pecuniam vult vicariatum, vel aliam adminiſtrationem rerum eccleſiaſticarum obtinere; immo non ſolùm ementem, ſed etiam vendentem aſſerit eſſe excommunicatum, & excluſum ab illa eccleſia, cui per talem contractum venditionis, & emptionis facta eſt contumelia. Ex quo textu colligitur adminiſtrationes eccleſia non poſſe vendi juxta* c. Salvator 1. q. 3 *ubi recenſentur adminiſtrationes eccleſia, qua vendi non poſſunt.*

C. *SICUT PRO CERTO 39. h. t. damnat idem Pont. conſuetudinem, quam, & vocat corruptelam, & exactiones pro conſecrationibus Epiſcoporum, benedictionibus Abbatum, & ordinationibus clericorum: & diſtrictè prohibet, ne pro his ſive conferendis, ſive collatis, nemo quocunque prætextu, & colore præſumat aliquid exigere, vel extorquere, ne alioquin cum Giezi, & Simone Mago condemnetur.*

C. *QUONIAM 40. h. t. ſtatuit idem Pont. ut Moniales recipiantur ſine pretio, & prohibet, ne etiam prætextu paupertatis aliquid exigatur: alioquin tam recipiens, quam receptus ſunt reiiciendi à monaſterio, ut in arctiori perpetuam agant pœnitentiam abſque ſpe: & mandat, ut Diœceſani ſingulis annis faciant, ut hac decretalis per ſuas diœceſes publicetur. Verùm ut notat Gloſſa in caſu vera paupertatis, poſſent Monachi cupienti monaſterium ingredi ſignificare eorum paupertatem, & non habere unde vivant, proinde, nec unde poſſint ipſum alere, qui ſi velit alimentum ſecum deferre, poſſit ingredi. Sunt etiam, qui cenſeant hos, & ſimiles canones quoad pœnas, qua in ipſis injunguntur, non eſſe ubique locorum in uſu.*

C. *AUDIVIMUS 41. h. t. Idem Pont. ad removendum non ſolùm malum, ſed etiam omnem ejuſdem ſpeciem, ſtatuit, ut Epiſcopi nil debeant exigere pro inſtitutione in eccleſiis, nec pro ingreſſu alicujus in religionem, nec pro ſepultura mortuorum apud Regulares: & ſi quid acceperint, debeant in duplum reſtituere, quod ſit convertendum fideliter in utilitatem loci, cuius diſpendio fuit ſolutum. Unde in hoc textu non ſolùm prohibentur exactiones, qua verè mala, & ſimoniaca ſunt; ſed etiam qua ſpeciem mali habent, & declarat Pontifex, non ſolùm accipientem, ſed etiam dantem eſſe ſimoniacum, eò quia non det pro redimenda vexatione juris quæſiti, ſed quærendi* c. dilectus 28. h. t.

C. *AD APOSTOLICAM 42. h. t. Idem Pont. prohibet pravas exactiones pro exequiis mor-*

mor-

mortuorum, & benedictionibus nubentium, & mandat ſacramenta eccleſiaſtica liberè eſſe conferenda. Rurſus Epiſcopos teneri laicos cogere ad ſervandam laudabilem conſuetudinem, & piam erga eccleſiam, eò quia non deſint hæretici, qui nitantur eandem infringere, ſub prætextu canonicæ pietatis. Ubi notandum eſt, ea quæ dantur pro exequiis, benedictionibus, & ſimilibus, quæ nomine ſtolæ comprehenduntur, ſi fundentur in mera exactione clericorum eſſe prohibita, quinimò non ſolùm juxta rigorem canonum prohibetur clericis ipſa exactio, ſed etiam conſuetudo exigendi: ſin autem fundentur in liberali oblatione, & donatione fidelium, poſſunt in conſuetudinem induci tam oblationes, quàm ipſa conſuetudo; quæ fundatur in pia, & laudabili voluntate fidelium, qui hanc conſuetudinem ex pia devotione, & gratitudine erga eccleſiam, & illius Miniſtros laudabiliter introduxerunt: & ad hanc laudabilem conſuetudinem ſervandam poſſe laicos cogi, ſi non jure actionis, ſaltem ex officio Judicis, declarat Pontifex in hoc textu, ut notat Barboſa hic n. 3. non tamen quæ recipiuntur a clericis ex hac laudabili conſuetudine poſſunt exigi priuſquam adminiſtrentur ſpiritualia, ut rectè advertit Panormitanus hic n. 2. quia non videtur mens fidelium fuiſſe, aliter talem conſuetudinem inducere, quam poſtquam ſuſceperint ſpiritualia, non in pretium, ſed potiùs in eleemoſynam, vel gratitudinem. Tum quia non convenit Operario petere mercedem priuſquam ſuum, abſolverit laborem.

C. *NE DEI ECCLESIA 43. h. t. Honorius III. prohibet, Abbates Ciſtercienſes ſolemniter inſtallari, ſed ſufficere, ſi profiteantur coram Archiepiſcopo ſub forma profitendi conſueta in ſuo Ordine, ut habetur in hoc textu. Ubi notat Gloſſa, inſtallare Abbates, vel Abbatiſſas, pertinere ad Archidiaconum* c. ut modum de offic. Archidiac. *ſed id non requiri in Ciſtercienſibus. Rurſus Pontifex declarat, eſſe contra canones, munera, quæ Epiſcopi, vel Archiepiſcopi exigebant ab hiſce Abbatibus, & etiam contra morem Ordinis: unde jubet, eſſe contentos ſolita promiſſione ſubjectionis, reverentiæ, & obedientiæ. Rurſus contra ſtatuta regulæ non teneri Monachum obedire Epiſcopo habetur in* c. ſi quis Epiſcopus 11. q. 3.

C. *JACOBUS 44. h. t. Gregorius IX. declarat, Canonicos, qui receperunt aliquem in Canonicũ, & fratrem teneri ſtatim eidem providere de præbenda, & proventibus perinde ac uni ex aliis remota appellatione, & non obſtante contraria conſuetudine habendi prius prandium. Verùm licèt pro ſpiritualibus non debeat, nec poſſit quid exigi, eò quia ſit ſimoniacum: ſi quis tamen receptus in canonicum velit ſponte, & liberè ſuis concanonicis prandium exhibere, non videtur id prohibitum, immo in Germania uſus invaluit, ut non ſolùm convivium inſtituatur, verùm etiam certa pecuniæ ſumma Capitulo ſolvatur à novo canonico juxta ſtatuta eccleſiarum cathedralium, & collegiatarum: quæ tamen pecunia fortaſſis impenditur in utilitatem eccleſiæ: ob quam rationem hujuſmodi conſuetudo etiam toleratur a Pontifice, & Epiſcopis.*

C. *SI QUIS 45. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi quis ordinaverit, vel ad ordines præſentaverit aliquem, ſi receperit promiſſionem ab illo, vel juramentum de non inquietando ordinante, vel præſentante ſuper ſua proviſione, ſit ſuſpenſus ordinator ab ordinum collatione, & præſentator ab Ordinum executione per triennium, & ordinatus ab Ordine ita ſuſcepto, donec obtinuerit diſpenſationem Apoſtolicam. Hic textus confirmatus etiam fuit jure novo in Concilio Tridentino* ſeſſ. 21. de refor. c. 2. *Ubi ſtatuitur, ut nullus ordinetur abſque titulo aliquo competentis ſuſtentationis, & ſi Epiſcopus aliquem ordinaverit ſine tali titulo, jubetur eum alere, donec de beneficio ipſi ſufficienter provideat. Verùm in hoc textu Pontifex prohibet, ne Ordinator, aut præſentator, qui Epiſcopo ordinandos præſentat, quod ſolet eſſe officium Archidiaconi, promiſſionem accipiat ab Ordinando, quòd nolit ab eo petere beneficium: quia id eſſet in fraudem canonum exigentium titulum neceſſariæ ſuſtentationis, ne clerici cum ignominia ſacri Ordinis cogantur mendicare, & turpi quæſtu vivere. Hinc tale pactum, vel etiam juramentum non petendi beneficium pro ſua ſuſtentatione, quia turpe, non obligat. Cæterum cum Simoniaco ſcienter in ordine ſolus Papa diſpenſat.*

C. *MANDATO ult. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi Papa mandet alicui, ut diſpenſet cum Monachis, qui per ſimoniam dato aliquo, accepti fuerunt in Monaſterium juxta* c. quoniam 40. h. t. *Mandatum intelligitur extendi ad diſpenſandum cum Abbate, qui ſimoniacè recepit. Rurſus qui ſine pacto præcedente, & ſine aliquo dato, vel recepto, ſed ſolo affectu animi utrumque acquirunt ſpiritualia, & temporalia non teneantur ea reſignare pro hac ſimonia, ſed ſufficiat, ſi eos pœniteat, & ſatisfaciant Creatori. Ubi notat Gloſſa, beneficium Principis eſſe latiſſimè interpretandum* c. olim de verb. ſignif. *Rurſus ex hoc textu videtur colligi ſolum affectum animi non facere ſimoniacum propriè, quamvis id ſit grave peccatum. Verùm difficulter poteſt ratio reddi, cur habens intentionem ſimoniacam non fiat ſimoniacus, licèt eam intùs tantum in animo retineat; cùm ſolus affectus fornicarius in ſolo animo conceptus efficiat fornicarium, tametſi talem affectum exteriùs non prodat. Sed putârim, hanc poſſe rationem reddi, quia Pontifex loquitur de ſimonia, non quæ ſit de jure divino, ſed tantùm de jure eccleſiaſtico: & cum eccleſia non judicet de purè internis, ideo talis ſimonia non punitur ab eccleſia, proinde reſpectu illius ſolus affectus animi non facit ſimoniam propriè, quamvis ſit grave peccatum. Fornicatio autem, adulterium, uſura ſunt contra legem divinam, proinde ſolus affectus animi facit fornicarium adulterum.*

IN

Digitized by Google

IN SEPTIMO.

C. SOLICITE 1. h. t. Gregorius IX. declarat, & ſtatuit, ut Nunciantibus beneficiorum proviſiones nil ſit dandum, nec promittendum: & quoscunque præſumentes contrarium quoquo modo declarat, incurrere ſententiam excommunicationis ipſo facto, à qua non poſſit quis ab alio abſolvi, quam à Romano Pontifice, niſi in articulo mortis.

C. UT NEFARIÆ 2. h. t. Leo X. in Concilio Lateranenſi ſtatuit, ut ſimonia labes, ac peſtis non ſolùm a Romana Curia, ſed etiam ex omni chriſtiana ditione in perpetuum excludatur, & confirmat conſtitutiones emanatas à ſuis Anteceſſoribus, & ſacris Concilijs contra tales Simoniacos, quas innovat, & præcipit inviolabiliter obſervari, & pœnas in eis contentas haberi pro expreſſis, & inſertis, quibus delinquentes afficiantur.

C. UT SIMONIACÆ. 3. h. t. Pius V. ex Concilio Tridentino contra Simoniacos etiam confirmat, & innovat conſtitutiones ſuorum prædeceſſorum, & præſertim Pauli II. quas vult inviolabiliter obſervari ſub pœnis in iiſdem contentis, & præſertim in hac decretali, in qua ſimoniacus in ordinibus ſuſcipiendis ſuſpenditur per decennium ab illorum executione ſine ſpe diſpenſationis, & per annum carceribus mancipatur. Rurſus qui dignitates eccleſiaſticas ſimoniacè acquirit, eſt ipſo jure iiſdem privatus, & in futurum inhabilis ad illas, & quascunque alias obtinendas, & vult hoc idem procedere de eo, qui ſimoniacè eſt adeptus beneficium, vel officium eccleſiaſticum, & vult etiam teneri ad omnium fructuum reſtitutionem, quos recepit.

C. DURUM NIMIS 4. h. t. Idem Pont. ex Concilio Tridentino declarat, beneficia purè, ſincerè eſſe conferenda, hoc eſt ſine ullo pacto, ſine conventione, ſine conditione, & alijs quibus ſimonia vitium inducitur: & præcipit, ac interdicit omnibus Epiſcopis, Capitulis, & Collegijs, ne poſthac fructus, aut diſtributiones hujuſmodi, nec ullam eorum partem retineant, neque ipſorum ceſſionem, vel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodocunque petant vel exigant, neque inducant quemquam ad præſtandum juramentum. Et contrarium facientes, ſi ſint Epiſcopi, ſuſpenduntur ab exercitio Pontificalis officij, donec ſatisfactione prævia ſuſpenſio ipſis per Sedem Apoſtolicam relaxetur: ſi ſint capitula, vel collegia interdicuntur, & ſingulares perſonæ ſententiam incurrunt excommunicationis, à qua niſi in mortis articulo conſtituti ab alio, quàm a Romano Pontifice abſolvi poſſunt.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. SANE 1. h. t. Urbanus VIII. prohibet, ne ab ingredientibus Religionem aliquid exigatur directè, & indirectè, neque paſtus, jugalia, pecunias, vel res alias etiam deputandas ad uſum eccleſiaſticum, & contra venientes declarat eſſe excommunicatos excommunicatione reſervata Papæ, & ſi ſit Conventus, vel capitulum ſuſpenditur eo ipſo, nec poteſt abſolvi niſi à Papa. Excipitur tamen ab hac regula, quando ipſa perſona ingrediens vult omninò liberè, & ſponte dare.

C. CUM DETESTABILE 2. h. t. Paulus II. renovat omnes pœnas canonum contra ſimoniacos, quamvis ſint Cardinales. Hinc omnis contractus ſimoniacus jure eccleſiaſtico eſt irritus. Simonia tamen purè mentalis pœnis juris canonici non ſubjacet. Nulla tamen ſimonia inducit pœnas juris ipſo facto ante ſententiam criminis declaratoriam, niſi in Ordinibus, beneficijs, ingreſſu religionis, & ſacramentis,

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit delictum in genere, & quotuplex, & quæ ejus cauſa, & effectus.

1 DElictum quod à delinquendo ſuam deſumit nomenclationem, definiri ſolet *factum illicitum, quod lege meretur pœnam*, verùm hæc definitio diſplicet, eò quia ſit manca; cùm enim tantùm comprehendat factum illicitum, excludit illa delicta, quæ committuntur per omiſſionem. Unde meliùs ab alijs definitur eſſe *libera, & exteriùs ſenſibilis transgreſſio legis divinæ, vel humanæ:* ex eo, quòd ſit libera transgreſſio legis divinæ, vel humanæ comprehendit omne delictum commiſſionis, & omiſſionis: adduntur aliæ particulæ *exteriùs ſenſibilis*, quia in præſenti ſermo inſtituitur de illis delictis, quæ ſubijciuntur jurisdictioni fori exterioris, quapropter debet transgreſſio legis eſſe exteriùs ſenſibilis, ut conſtet de delicto. Quamvis poſſet diſtinctio aliqua aſſignari inter delictum, peccatum, & crimen; eò quia peccatum perpetrando, & committendo; crimen ſceleris atrocitate; & delictum omittendo contrahatur; verùm uſurpatur hìc promiſcuè delictum pro crimine, & peccato, adeò ut omnis exteriùs ſenſibilis legis transgreſſio ſit crimen, vel delictum in ordine ad pœnas humanas, prout facit ad præſens inſtitutum. Dividitur autem delictum.

lictum. Primò in proprium, & improprium, illud eſt, quod committitur per dolum, vel culpam veram, & dupliciter poteſt contingere. Primò ſi quis in actu ſignato, vel exercito intendat alterum lædere, ſeu habeat directam intentionem lædendi alterum, ſeu quòd actionem talem exerceat, ex qua moraliter ſit certa ſecutura læſio alterius. Secundò, quando quis licèt formalem, aut virtualem intentionem lædendi alterum non habeat, actionem tamen exercet periculo damni obnoxiam abſque eo, quòd damno ſufficienter præcaveat: qui hoc pacto alterum lædit, tametſi dolo careat, committit tamen veram culpam.

2 Delictum improprium habetur, cum quis neutro modo delinquit, nec cum intentione formali, nec virtuali lædendi alterum: jura tamen ob factum, vel proprium, vel alienum eidem imputant culpam, & tunc delinquens dicitur obnoxius quaſi delicto.

3 Secundò dividitur in privatum, & publicum, illud eſt, in quo potiſſimum læſio attenditur privatæ perſonæ, ut in furto, rapina, injuria illata. Publicum eſt, in quo attenditur læſio reipublicæ.

4 Tertiò in eccleſiaſticum, & ſæculare, ac mixtum: Eccleſiaſticum dicitur, eò quia de illo judicare pertineat ad forum eccleſiaſticum, ut ſunt crimina hæreſis, ſimoniæ, Apoſtaſiæ, adulterij in ordine ad divortium quoad torum, & alia, de quibus in præſenti libro Pontifex agit, hæc enim ita pertinent ad judicem eccleſiaſticum, ut ad magiſtratum laicalem deduci minimè poſſint *c. 18. de hæret. in 6.* Sæculare delictum è contra dicitur, cujus cognitio ad ſolum pertinet judicem ſæcularem, ſi à laico commiſſum ſit, talia ſunt homicidium, crimen læſæ majeſtatis, furtum, parricidium, & alia hujusmodi. Delictum mixti fori dicitur, cujus cognitio pertinet ad utrumque judicem eccleſiaſticum, & ſæcularem, cujusmodi ſunt blaſphemia, pravitas uſuraria, inceſtus, & alia id genus delicta, de quibus agit Julius Clarus *lib. 5. ſent. §. 1. n. 17.*

5 Quartò in nominatum, & innominatum, illud eſt, quod à jure proprium habet nomen, ut homicidium, furtum. Innominatum, quod peculiare non habet à jure nomen; huc pertinet *ſtellionatus*, cujus delicti Reus, quis arguitur, ſi improbitas ab ipſo patrata in crimen aliud incidat, quod enim in judicijs privatis eſt actio de dolo; id in criminibus eſt perſecutio ſtellionatus *l. 3. §. 1. ff. de ſtellion.* vocatur hoc delictum innominatum, eò quia certo ſpecifico nomine careat: hinc nomen *ſtellionatus* dicitur de pluribus delictis ſpecie differentibus.

6 Quintò in notorium, & occultum; illud dicitur, quod innoteſcit, adeò ut nulla poſſit tergiverſatione negari, & dividitur in notorium de jure, & de facto; juridicè notorium dicitur, de quo conſtat, vel ex ſententia judicis, vel ex propria confeſſione partis, vel ex actis, & monumentis, quæ expugnari non poſſunt *c. fin de cohabit. cleric.* Notorium de facto dicitur, quod coram hominibus ita factum eſt, ut ſine impudentia nequeat inficiari, ut habetur in *d. c. fin. de cohabit. cleric.* Delictum occultum eſt, quod cum non ſit ita apertum, ut pluribus innoteſcat, poteſt negari. Diſcrimen inter notorium, & occultum eſt, quia in notorijs judex non eſt alligatus ordini juris, ſed præruptâ viâ poteſt contra Reum procedere *c. 10. de filijs Presbyt. c. 3. de teſtib. cogend. c. 8. de cohabit. cleric.* Quamobrem in delictis notorijs accuſator non requiritur *d. c. 8. de cohabitat. cleric.* Neque deſiderantur ſolemnitates judiciarij proceſſus *c. 3. de teſtibus cogend.* nec requiritur probatio, nec appellatio recipitur *c. 5. §. fin. de appellat.* neque appellatio judicis tanquam ſuſpecti admittitur *c. 24. de appellat.* quæ tamen omnia neceſſaria ſunt in delictis non notorijs.

7 Sextò dividitur delictum in exceptum, & non exceptum; illud dicitur, quod generali legis diſpoſitione non continetur, ut hæreſis, ſacrilegium, ſimonia. Non exceptum ècontra dicitur, quod generali legis diſpoſitione continetur.

8 Septimò in delictum grave, & leve; illud dicitur, quod ſuapiè natura eſt atrox, quò Deus, homo, aut reſpublica graviter offenditur, ut hæreſis, Apoſtaſia, homicidium, adulterium, & alia id genus, quibus circumſtantiæ majus etiam pondus ſolent adjicere, vel detrahere, ut ſi quis committat furtum in eccleſia, & in foro, gravius eſt ratione circumſtantiæ loci, quod committitur in eccleſia. Crimen leve eſt, quo non multum damni infertur alteri. Sunt, qui putant, hanc delictorum gravitatem, vel levitatem æſtimandam eſſe ex pœna, & illud crimen eſſe grave, cui gravis eſt pœna præſtituta, & illud leve, cui præfinita pœna levis, verùm pœna ſe habet potiùs conſecutivè ad culpam; gravitas verò, & levitas deſumi debent ex objecto, & varijs circumſtantijs, & damno illato proximo; quo pacto homicidium ſuaptè natura eſt gravius furto, eò quia majus damnum patiatur, qui vita privatur, quàm qui ſolis bonis.

9 Obnoxij delictis hi omnes ſunt, qui poſſunt delinquere: eſtque cauſa delicti duplex moralis, & phyſica; moraliter dicitur delinquere, ſeu efficere delictum, qui cædem, ſacrilegium, vel probrum alteri ſuadet, vel mandat: ſiquidem crimine inficitur, non is tantùm, qui occidit; ſed etiam qui dolo malo curavit, ut homicidium committat: vel mediatè per alium curet illud committi, quia ſemper eſt cauſa, vel phyſica, vel moralis commiſſi delicti *l. 16. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. l. 11. §. 3. ff. de injur.* Rurſus qui homicidium mandavit, aut juſſit, perinde tenetur, ac ſi ipſe id perpetrâſſet, proinde ſubjacet pœnæ ordinariæ. Mandatarius autem non ſemper crimine obſtringitur, ſi exiſtimet illud non eſſe illicitum: quando autem ſcit eſſe illicitum æquè tenetur ſubire pœnam, ac mandans. Diſtinguitur etiam, qui juſſit ab eo, qui paruit, etenim qui juſſit, ſit obnoxius pœnæ ordinariæ, perinde ac ſi ipſemet per ſe immediatè tale delictum commiſiſſet *l. 3. §. ad*

leg.

leg. Aquil. l. 7. §. 4. arbor. fruct. caſ. qui verò jubenti paruit, ſi ignoravit, eſſe illicitum, quod eſt executus, liberatur à culpa, conſequenter à pœna. An verò etiam conſilium fraudulentum in crimen incidat; reſpondent plures Juriſtæ cum diſtinctione, ſi conſilium generale, & informe ſit, dicunt non incidere in crimen; benè tamen ſi ſit conſilium ſpeciale, & formatum. Conſilium generale, & informe vocant, cùm quis ad ſcelus alterum ſimpliciter hortatur, cui tamen nullum proponit motivum, quo eum urgeat, nec viam oſtendit, mediúmque tradit criminis perficiendi, ut ſi Cajus amicum de egeſtate conquerentem moneret, ut furto ſibi conſuleret. Conſilium ſpeciale, & formatum vocant, cùm quis alterum non ſolùm hortatur, verùm etiam propoſitis motivis ad patrandum ſcelus urget, vel ignaviæ, ac puſillanimitatis arguit, aut modum docet, quo facilè poſſit crimen committere, ut ſi viam furi oſtendat, quâ in ædes poſſit tutus penetrare: & conſilium hoc ſpeciale, & formatum incidit in crimen, ut ipſi docent.

10 Verùm ab alijs hæc diſtinctio reijcitur; eò quia illi obſiſtat textus in *l. 1. §. 13 ff ad S. C. T. V. M.* ubi calumniator eſſe dicitur, qui accuſatorem ſubmittit, vel inſtigat, vel qui mandat, & inſtruit ad accuſandum, quapropter nuda inſtigatio videtur ſufficere ad crimen incurrendum; ſiquidem verbis disjunctivis calumniator dicitur, qui mandat, vel inſtigat, vel inſtruit: Tum quia *in l. 8. ff. ad leg. Jul. de adult.* generaliter aſſeritur, verba legis Juliæ ad eum, qui ſuaſit; & ad illum, qui ſtuprum intulit pertinere. Tum quia *in l. 1. §. 4. ff. de ſerv. corrupt.* Servum corrupiſſe non ſolum is dicitur, qui modum, quo delinqueret, eidem oſtendit; verùm etiam, qui malum ipſius propoſitum laudavit, quapropter nuda monitio, & exhortatio in crimen incidit. Hinc frequenter in jure fraudulentum conſilium deprehenditur, adeò ut furti teneatur, qui alteri furtum ſuaſit *l. 53. in fin. ff. de V. S.* & injuriarum, cuius conſilio illata fuit alteri contumelia *§. penult. inſtit. de injur.* Lege Julia de adulterijs, cujus conſilio alterius torus contaminatus eſt *l. 12. ff. ad leg. Jul. de adult.* Lege Cornelia de ſicarijs, cujus doloſo conſilio innocens judicio capitalis pœnæ eſt ſuppreſſus *l. 1. princ. ff. ad leg. Cor. de Sicar.* Lege Pompeia, cuius conſilio parricidium factum *l. 6. §. ad leg. Pomp. de parricid.* Lege Julia Peculatûs, cuius conſilio pecunia publica ablata *l. 1. ff. ad leg. Jul. pecul.* Lege Fabia, cuius conſilio ſervus à Domino aufugit *l. penult. §. ult. ff. ad leg. Fabian.* Tum quia *in l. 16. ff. de pœn.* generaliter dicitur eſſe inſtar ſceleris alteri ſcelus ſuadere, & non minus conſilia, quàm facta puniri, ex quibus claret etiam nudam ſuaſionem, nudúmque conſilium in crimen incidere.

11 Ratio etiam id ſuadet, quia nudum conſilium ſuâptè natura potis eſt determinare alterum ad delinquendum; proinde ſi de facto eum determinet, moraliter influit in delictum, in quod propterea incidit; etiam qui purum dat conſilium: & hæc ſecunda ſententia communior eſt; ac verior. Neque obſtat, textus *in l. 50. §. de pœn. ff. de furt.* ubi conſilium dare is dicitur, qui perſuadet, impellit, & inſtruit ad furtum; ex quo adhærentes priori ſententiæ inferunt, conſilium ſimpliciter dantem non cenſeri ſimpliciter hortari: ſiquidem id ſumitur non in ſenſu copulativo, ſed diſtributivo; adeò ut ſenſus ſit; ut conſilium dediſſe videatur, tam qui perſuaſit, quàm qui impulit, vel inſtruxit: neque in jure eſt novum, ut oratio figuræ verborum conjuncta accipiatur pro disjuncta *l. 53. ff. de V. S.*

Sicut cauſa delicti dicitur omnis, qui vel 12
phyſicè, vel moraliter influit in delictum; ita ſubjectum delicti dicitur, qui delicto læditur, eſtque vel Deus, vel homo; & homo vel unus, vel multiplex, vel per modum unius, ut cum quis lædit rempublicam: nullum tamen eſt delictum verè, & propriè tale, quo Deus non offendatur, ſicut neque quaſi ullum reperitur crimen, quo reſpublica non lædatur, quia nemo delinquit, niſi legem transgrediatur, & offendat poteſtatem legiſlativam: nihilominus delinquens nonnunquam intentione principali, & directa id agit, ut Deum offendat; nonnunquam ut reipublicæ damnum inferat; & ſæpe ut privatos homines lædat: etenim per blaſphemiam, ſacrilegium, hæreſim, Apoſtaſiam, & alia id genus Deus directè læditur: per crimen verò læſæ majeſtatis, peculatum, ambitum, criménque de reſiduis, reipublicæ directè damnum infertur: ſecus per furtum, per rapinam, & alia id generis offenduntur homines privati: aliquando uno eodémque delicto Deus, & homo; privatus, & reſpublica directè, ac principaliter offenduntur: hinc ſi adminiculo perjurij actor cauſam in judicio controverſam injuſtè obtineat, Deum, & homines directè offendit. Si quis ſeditionem in perniciem reipublicæ excitet, patriámque hoſti prodat, rempublicam, & privatos directè lædit: qui verò pœnas delictis præſtituit, intentionem delinquentis non ſemper ſequitur, ſed principaliter id nonnunquam ſpectat, quod delinquens nonniſi minus principaliter; quo pacto in raptu puellæ, in homicidio, aliiſque pluribus delictis, quamvis delinquentium finis directus, ac proximè intentus non ſit rempublicam offendere, ſed tantùm privatos.

Nihilominus legiſlator in illis vindicandis 13
principaliter ſpectat læſionem reipublicæ, quia tametſi delinquens directè non intendat rempublicam lædere; à parte tamen rei graviter eam offendit, & hanc læſionem propterea conſiderat legiſlator ad eam vindicandam, & parum curat, in quem ſcopum delinquens directè collimaverit. Lædi delicto non tantùm is poteſt, qui doli eſt capax, verùm etiam incapax doli, ut infans, furioſus, ebrius: æſtimatur enim delictum ex animo delinquentis; & delinquere poteſt, qui intelligit ſe delinquere, ſed delicto lædi, & ille poteſt, qui non intelligit, ſe lædi *l. 3. §. 1. & 2. ff. de jurejur.* Non ſolùm contra alios, verùm etiam contra ſeipſum

ſum poteſt quis delictum committere, ut ſi violentas manus quis in ſe ipſum inferat, & id agat, ut ſeipſum occidat, tunc enim graviter delinquit contra Deum, contra rempublicam, & contra ſeipſum: contra Deum, quia ejus jura transgreditur, ac dominium quod Deus in vitam, & mortem hominis ſibi ſoli reſervat, injuſtè ſibi uſurpat: contra rempublicam, quia eam privat cive, & membro: contra ſeipſum, quia dilectio propria nil magis à nobis poſtulat, quàm ut nos ipſos conſervemus. Imò committi etiam crimen poteſt in mortuos; ut ſi quis acceptâ pecuniâ juſta defuncto non perſolvat, de dolo tenetur *l. 14. §. 2. ff. de relig. & ſumpt. funer.* ut etiam ſi quis ſepulchro aperto oſſa eruat, ob contumeliam tumulo illatam actione injuriarum puniri poteſt *l. 1. §. 4. ff. de injur.*

14 Delicti objectum ſunt omnia illa bona, in quibus per delictum quis punitur. Poteſt enim quis lædi in bonis internis, vel externis: illa ſunt, quæ concernunt corpus, vel animam, ad corpus pertinent vita, membra, integritas virginalis, quæ bona læduntur per homicidium, mutilationem, ſtuprum: ad animam pertinent libertas, ſana ratio, virtutes animi, quæ bona læduntur per injuſtam ſervitutem, per pocula amatoria, per corruptionem morum. Bona externa ſunt, quæ reſpiciunt honorem, vel patrimonium; ad honorem pertinent bona ſama, & exiſtimatio, quæ violatur per contumelias, & injurias: ad patrimonium revocantur pecuniæ, prædia, & res omnes, quibus patrimonium incrementum ſubit, ac conſtituitur, ſive ſint bona corporea, vel incorporea, & hæc bona læduntur per furta, incendia, rapinas, cædes animalium.

15 Nonnunquam etiam uno eodémque delicto in pluribus bonis quis læditur; etenim qui alienum torum adulterio fœdat, non ſolùm honorem mariti lædit, verùm etiam ingentem jacturam bonis fortunæ infert, ſi prolem ſpuriam alienæ familiæ inſerat, & quam maritus errore deceptus, veluti ſuam propriam exhibet, vocàtque ad hæreditatem cum non modico damno legitimæ ſobolis; cùm hæreditas eò plus in partes minuatur, quo in plures fuerit diviſa.

16 Forma delicti propriè conſiſtit in libera, & ſenſibili transgreſſione legis divinæ, vel humanæ: ad hoc autem, ut oriatur delictum, plura neceſsè eſt, concurrant. Primò ipſa transgreſſio legis divinæ, vel humanæ, cum delictum nil aliud ſit, quàm moralis deviatio à voluntate legislatoris, ſeu regula directiva humanæ operationis, adeò ut ultimò compleatur per diſplicentiam, & prohibitionem legislátoris; iden enim quis delinquit, quia deflectit à regula directiva operationis humanæ, & talis deflectio diſplicet legislatori. Secundò requiritur, ut transgreſſio ſit libera, & voluntaria delinquenti: eſt autem transgreſſio voluntaria non ſolùm, quandò directè, ſed etiam indirectè ipſum delictum formaliter intenditur.

17 An verò culpa lata in delictis dolo æquivaleat, non concordant Authores. Probabilior ſententia procedit cum diſtinctione; ſi enim ex delicto principaliter agatur ad reſtitutionem damni, tunc culpa lata æquiparatur dolo *l. 1. §. 2. ff. ſi quis teſt.* ubi poſtquā Juriſconſultus dixiſſet, quòd ſervus, qui teſtamento liber juſſus, ex hæreditate jacente quædam ſurripuit, non aliter in duplum teneatur, quàm ſi dolus ipſius intervenerit; ſubjungit, à culpa dolo proxima dolum repræſentari: quapropter quando ex delicto principaliter agitur ad reſtitutionem damni, culpa lata æquiparatur dolo. Neque obſtat, quòd duplum illud habeat rationem pœnæ. Siquidem principaliter intenditur indemnitas illius, qui per delictum fuit læſus; proinde licèt reſtitutionem damni pœna quædam comitetur, illa tamen naturam ſequitur ſui principalis *argu. c. 42. de regul. jur. in 6.* Tum quia quando per reſtitutionem damni dolus coërcetur, culpa lata æquiparatur dolo *argu. l. 1. §. 1. ff. ſi menſor. falſ. mod. dixerit.*

Sin verò ex delicto principaliter agatur ad vindictam, tunc culpa lata non æquiparatur dolo in ordine ad pœnam ordinariam *l. 7. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* ubi Juriſconſultus negat in ordine ad pœnam legis Corneliæ de Sicarijs, culpam latam pro dolo accipi; quapropter juvat argumentari. Culpa lata non æquiparatur dolo in ordine ad pœnam legis Corneliæ de Sicarijs: ergo neque æquiparatur in ordine ad alias pœnas ordinarias. Eatenus non æquiparatur in ordine ad pœnam legis Corneliæ, quia finis hujus legis eſt vindicare exceſſum malitiæ, quem non continet homicidium culpâ latâ admiſſum, conſequenter neque debet æquiparari in ordine ad alias pœnas ordinarias; cùm finis earundem ſit vindicare exceſſum malitiæ, quem non continet delictum culpâ latâ admiſſum. 18

Verùm licèt in delictis tendentibus principaliter ad vindictam culpa lata dolo non æquivaleat, nihilominus ob ipſam culpam poteſt infligi pœna afflictiva corporis juxta menſuram admiſſi delicti extra ordinem, ut plura paſſim ſiunt in jure obvia exempla *in l. 3. §. 7. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* ubi jubetur relegari, qui non malo animo, ſed malo propoſito medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo mulier, quæ acceperat, deceſſit. Rurſus *in l. 4. §. 1. ff. eod.* ille qui per laſciviam cauſam mortis dedit, in quinquennium dicitur relegatus. *In l. 12. ff. de cuſtod. Reor.* cuſtos, cujus negligentia Reus è carcere aufugit pro modo culpæ coërceri jubetur. *In l. 11. de incend. ruin. naufrag.* negatur, incendium fortuitò exortum pœnam mereri, niſi culpa lata intervenerit. 19

Tertiò requiritur, ut transgreſſio legis ſit externa, & ſenſibilis, & per hoc differt delictum juridicum à theologico; quia ad iſtud ſufficit legis transgreſſio merè interna, eò quia coram divino tribunali etiam crimina ſola mente patrata æſtimantur, quia Deus in foro interno eſt Judex, & ipſe eſt cordium ſcrutator, nec illum poteſt ulla noſtra cogitatio latere. Secus ad delictum juridicum requiritur externa legis transgreſſio, ſeu quæ talis ſit, quæ ſuapte na- 20

turâ

turâ venire poſſit in notitiam hominis, quia in foro exteriori homo non poteſt judicare, niſi per ea, quæ cadunt ſub ſenſus, & ſecundùm allegata, & probata ſenſibiliter.

21 Effectus delicti duplex eſt, proximus, & remotus; ille eſt obligatio reparandi damnum injuſtè illatum, & pœnam ſubeundi delicto præſtitutam à lege, vel judice: Remotus eſt ipſa actio civilis, & criminalis, quia ut habetur *in l. ult. ff. de privat. delict.* ex omni ferè delicto agi poteſt civiliter, & criminaliter, eò quia nullum ferè reperiatur delictum, quo ſimul cum privato, etiam reſpublica non offendatur; quatenus igitur privatus per injuriam ſibi illatam intereſſe proprium proſequitur, dicitur civiliter agere; & quatenus intereſſe reſpublicæ; criminaliter: unde civiliter ſemper agit, qui petit, ut aliquid ſibi applicetur; ſeu qui principaliter agit ex motivo ſui privati comodi: & ille agit criminaliter, qui agit ut mulcta fiſco inferatur, vel pœna corpori infligatur; quia tunc principaliter agit ex motivo publicæ utilitatis *argu. l. 9. §. 5. ff. de public. & vectigal.*

22 Id intereſt diſcriminis inter actionem civilem, & criminalem, quia plerumque cauſæ criminales cognoſcuntur à diverſo judice, à quo minimè civiles cognoſcuntur, propterea intereſt ſcire, quæ cauſæ dicantur criminales, & quæ civiles, ne unus judex juriſdictionem alterius ſibi injuſtè uſurpet. Secundò in cauſis civilibus regulariter quæſtio non procedit; bene tamen in criminalibus *l. 1. princ. ff. de quaſt.* Tertiò cauſæ civiles per procuratorem expediri poſſunt, non ita criminales *l. penult. §. 1. ff. de public. judic.* Quartò cauſæ civiles regolariter non exigunt probationes exactiſſimas, ut criminales *l. ult. C. de probat. l. 16. C. de pœn.* Quintò in cauſis civilibus admittitur Fidejuſſor cavens de judicato ſolvendo; non ita in criminalibus; niſi fortaſſis pœna ſit tantùm pecuniaria, ac marſupium torqueat, non corpus *argu. l. 22. C. de pæn.* Sextò in cauſis civilibus non eſt neceſſarius tantus teſtium delectus, quantus requiritur in criminalibus *argu. l. 20. & 26. ff. de teſtib.* Septimò cauſæ civiles ferè omnes appellationem recipiunt; non ita hodie cauſæ criminales.

23 Quando verò ex aliquo delicto plures oriuntur actiones, circa quas difficilis, ac intricata habetur quæſtio; tunc ſecernendæ ſunt actiones ejuſdem ordinis ab actionibus diverſi ordinis; quando ex occaſione facti alicuius duplex oritur actio criminalis, tunc ſi una eligatur, altera perimitur, quia ſenatus non patitur, ſi idem crimen pluribus legibus judicetur, ex pluribus Reum peragi *l. 7. §. 2. l. 14. ff. de accuſat.* Sin verò concurrant plures actiones civiles inſpiciendum eſt, an ſint omnes rei perſecutoriæ, vel omnes pœnales: vel potiùs una rei perſecutoria, altera pœnalis, vel mixta. Actiones rei perſecutoriæ inter ſe miſcentur, & una per alteram abſolvitur *l. 43. §. 1. ff. de regul. jur.* quia bona fides non patitur idem bis exigi *l. 52. ff. eod.* Si plures concurrant actiones pœnales, tunc inſpiciendum eſt, an ſint paris, vel diſparis poteſtatis: ſi primum electâ unâ, altera conſumitur, ut qui movit actionem injuriarum prætoriam, non poteſt movere civilem ex lege Cornelia, quia utraque ad vindictam comparata eſt *argu. l. 7. §. 2. ff. de injur.* ſi diſparis ſint poteſtatis, multum intereſt, an priùs egerit actione leniore, vel duriore; ſi leniore, gravior ſalva manet, nec conſumitur *l. 24. princ. ff. de O. & A.* Sin verò graviore, lenior perimitur, ut qui agit actione furti, nec manifeſti, non prohibetur agere de bonis vi raptis, quia hæc actio eſt illâ plenior *l. 1. ff. in bonor. raptor.* Actio verò rei perſecutoriæ, ſi concurrat cum pœnali, una per alteram non perimitur, eò quia ad fines collimant diverſos; hinc qui egit condictione furtiva, adhuc movere poteſt actionem furti, ut etiam, qui movit actionem furti, adhuc poteſt agere condictione furtiva *l. 7. §. 1. ff. de condict. ex cauſa furt.* Sin verò cum actione rei perſecutoria concurrat actio mixta; intereſt tunc ſcire, an ſit mixta ex accidenti, vel ſuaptè natura; ſi primum per Rei perſecutoriam conſumitur: hinc ſi quis rei vindicatione conventus rem metu extortam Domino reddiderit; actio quòd metûs cauſâ tollitur *l. 9. §. 6. ff. quod metus cauſa.* quia actio, quòd metus cauſa creſcit in quadruplum, ſi Reus fuerit contumax. Quòd ſi celeri reſtitutione actori ſatisfaciat, pœnam quadrupli evitat *l. 14. §. 1. ff. quòd metus cauſa.*

Quando verò actio ſuaptè natura mixta comitatur Rei perſecutoriam, tunc diſpiciendum eſt, quænam priori loco mota fuerit, mixtane, an Rei perſecutoria: per priorem tunc poſterior conſumitur, non ità per hanc illa; ut ſi commodatarius damnum dederit in re commodata, duplici tenetur actione, commodati, & legis Aquiliæ; & ſi priùs actum ſit ex lege Aquilia, conſomitur actio commodati: ſin autem actio commodati fuerit initio mota quoad compendium 30. dierum, actio Aquiliana non tollitur, ſed permittitur quoad ſimplum, quia initium commodati jam ſubductum fuit *l. 34. §. fin. ff. de O. & A.* Si quis plura de hiſce actionibus deſiderat, conſulat Cuiacium *lib. 2. obſer. 26.* & *lib. 8. obſer. 24.* & præſertim Wiſen. *diſp. ad inſt. 48. per tot.* 24

§. II.

Quid ſit ſimonia, quotuplex, & quæ ejus materia.

Simonia peccatum eſt oppoſitum religioni, 1
& ſuam ſortitur nomenclationem à Simone Mago, qui fuit primus in lege evangelica hæreticorum: is enim non ſolùm ſe Deum aſſeruit, & ita Romanam urbem ſeduxit, ut Claudius Imperator ei ſtatuam erexerit inter duos pontes in amne Tyberis cum hac inſcriptione *Simoni Deo ſancto*, ut refert Juſtinus Martyr *apoleg. 2.* & Tertullianus *in apolog.* verùm etiam eò devenit, ut putaverit emi poſſe donum conferendi Spiritum S. à D. Petro, ſeu ſacram ordinationem; ut ipſe poſtea alijs venderet, credens pecuniâ donum Dei poſſideri poſſe, ut habetur *act. Apoſt. c. 8.*

Hinc ementes,& vendentes res ſpirituales,quæque oriuntur à Deo Authore ſupernaturali ſimoniaci vocantur *c. qui ſtudet c. Salvator. c. reperiuntur 1. q. 7. c. quidam §. ſimoniaci 24. q. 3.* In veteri lege legimus, aliquos hoc vitio deturpatos, ut Balaam, qui ſuas locavit operas, ut populum Dei benediceret *Num. c. 21.* & refertur *in c. ſicut. 3. 2. q. 7.* Gezi à Naamam Principe Siriorum, quem Eliſeus à lepra mundaverat, duo accepiſſe talenta, refertur *lib. 4. Regum c. 5.* De Jeroboam *lib. 3. Reg. c. 13.* etiam legitur, quòd quicunque impleret manum ſuam, fieret ſacerdos: & quòd propter hanc cauſam peccaverit domus Jeroboam, & everſa fuerit, & deleta de ſuperficie terræ: pari pacto de Jaſone refertur *lib. 2. Machab. c 4.* Oniæ ſummi Pontificis fratre, quòd Antiochum Regem adijt, eique argenti trecenta ſexaginta talenta ut ſummum ſacerdotium adipiſceretur, promiſerit: quia verò à pluribus præſertim Gibalino de ſimonia *q. 6. conſect. 4. & 16.* hi excuſantur à ſimoniaca labe: ideo à Simone Mago hoc vitium ſuam trahit nomenclationem, eò quia hic non ſolùm emere paratâ pecuniâ intenderit gratiam Spiritus S verùm etiam eam alijs vendere pecuniæ pretio. Adeò eſt turpe hoc vitium, ut SS. Patres illud dixerint, vel abſolutè labem *c. ſicut c. tanto b. t.* vel lepram *c. cum ordinaverit 11. q. 1.* vel pecuniale flagitium *c. quisquis cad. quaſt.* vel vulnus cancroſum *c. reperiantur 1. q. 1.* vel ſacrilegium *c. 1. 1. q 3.* eò quia revera ſit profanatio rei ſacræ per voluntariam commutationem, ut explicat Gibalinus *de ſimon. q. 4. conſect. 1.* vel rabiem *c. 3. b. t.* vel horribile crimen *c. in Eccleſia b. t.* vel hæreſin *c. Presbyter 1. q 1.*

2 Definitur autem ſimonia *eſſe ſtudioſa voluntas aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum emendi, vel vendendi pretio temporali*: ut notat Gloſſa *in c. 11. qui ſtudet 1. q. 1.* & communiter recipitur definitio; quæ ita explicari ſolet; dicitur *ſtudioſa voluntas*, hoc eſt deliberata, ut excludantur motus voluntatis non plenè deliberati, vel procedentes ex ignorantia inculpata. Dicitur *aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum*, quia res merè temporalis non eſt materia ſimoniæ, nec ejus commutatio eſt contra reverentiam rebus ſacris debitam: hinc jam deprehenditur, malitiam hujus vitij in eo ſitam, quòd injuria quædam, & irreverentia fiat rebus ſacris, proinde etiam ipſi Deo, eò quia res ſacræ deprimantur, & tanquam res temporales pretio æſtimentur, & contractibus ſubijciantur. Juvat tamen obſervare, quòd ſpirituale, quod eſt objectum ſimoniæ, ſumitur pro omni eo, quod eſt aliquo modo ſopernaturale, ſeu quod eſt à Deo ut Authore ſopernaturali, ſcilicet ut hominum, & Angelorum Salvatore, & glorificatore, vel ad illum, ut talem ordinatur: & eſt qoadruplex, quoddam enim dicitur ſpirituale per eſſentiam, cujusmodi ſunt dona ſupernaturalia, gratia, fides, ſpes, charitas, & aliæ virtutes ſupernaturales, & gratiæ gratis datæ.

3 Aliæ res dicuntur ſpirituales tantùm cauſaliter, eò quia ſint cauſæ rerum prædictarum; talia ſunt ſacramenta, quæ ritè ſuſcipientibus gratiam conferunt, & ad quæ reducuntur etiam ſacramentalia, ut aqua benedicta, catechiſmus, exorciſmus, chriſmatis confectio. Aliæ ſunt ſpirituales effectivæ, quatenus ſunt oparationes procedentes ex aliqua poteſtate ſpirituali, vel etiam operationes ordinatæ ad Deum, ut diſpenſare in voto, matrimonio, abſolvere ab excommunicatione, concionari, cantare in choro, & mortuos ſepelire: & aliæ tandem ſunt res ſpirituales connexivè, eò quia ſint ſpiritualibus connexæ, & hæc connexio tripliciter poteſt fieri. Primò *antecedendo*, ut jus patronatus, eò quia ſupponatur præſentationi beneficiorum, ut etiam veſtes, & vaſa ſacra, templa, altaria ſecundùm plures, eò quia referantur ad ſacrificium miſſæ. *Conſequendo*, ut beneficia eccleſiaſtica, quæ ſe habent conſecutivè ad officium divinum, quod ſupponunt. *Comitando*, ut labor in miniſterio ſacramentorum. Dicitur *emendi aut vendendi* ut ſignificetur omnis contractus non gratuitus, ſive ſit vera emptio, ſive locatio, ſive permutatio. Adduntur poſtremæ particulæ, *pretio temporali*, quia ſi detur ſpirituale pro ſpirituali non committitur propriè ſimonia, quæ in eo ſita eſt, ut ſpiritualia æſtimentur pretio humano, vel alia re humana, quæ ſit pretio æſtimabilis. Triplex enim ſolet juxta præſens inſtitutum pretium diſtingui *ex c. 8. Salvator. 1. q. 3.* Primum eſt pretium muneris, ut pecunia, equus, veſtis, & alia id genus, quæ vandi ſolent. Secundum eſt pretium linguæ, ut laus, & vituperatio, patrocinium advocati, commendatio apud Principem: ſiquidem tale officium eſt pretio æſtimabile. Tertium eſt pretium obſequij, ut miniſterium aliquod in rebus temporalibus, ut famuli, œconomi, procuratoris, & alia id genus; quia hujusmodi miniſteria ſunt etiam pretio æſtimabilia, & ſolet pacunia ſolvi ijs, à quibus exercentur.

Quo verò jure ſit ſimonia prohibita, pro 4
ſolutione dubij, notandum eſt, res ſpirituales circa quas ſimonia committi poteſt eſſe quadruplices; quædam enim ſunt ſuaptè natura ſacræ, ut gratia, ſacramenta, gratiæ gratis datæ, & aliæ, quæ habent ſanctitatem ex conſecratione, vel benedictione eccleſiæ, & quæ non poteſt poſtea ab ais ſeparari, quamdiu manent integræ; cujusmodi ſunt calices, patenæ, veſtes ſacræ, altaria. Aliæ quæ non fiunt ſacræ per aliquam benedictionem, ſed tantùm per hoc, quòd nectantur aliquibus ſpiritualibus, ut ſunt beneficia eccleſiaſtica. Aliæ quæ ſunt officia temporalia eccleſiæ nullam habentes ſanctitatem per benedictionem, nec per annexionem ad ſpiritualia, ſed recipiunt aliquam ſpiritualem rationem per hoc, quòd eccleſia vetuit, ne vendantur, ut munus Oeconomi eccleſiæ, munus Sacriſtæ, procuratoris, defenſoris eccleſiæ, & cujuslibet adminiſtratoris rerum eccleſiaſticarum. Hinc patet, ſimoniam eſſe peccatum mortale, & quidem grave contra religionem, eò quia venditur, quod venale non eſt, &

quod

quod excedit omne pretium, & cujus vendens non eſt Dominus, ſed tantùm merus diſpenſator, de hiſce enim rebus, ait Chriſtus Matth. 10. *gratis accepiſtis, gratis date.*

5 Certum eſt, ſimoniam circa res ſpirituales primi generis, quæ ſuaptè natura ſunt ſpirituales, & à ſolo Deo ſupernaturali Authore dependent, eſſe jure divino, & naturali prohibitam; ut etiam ſimoniam circa res ſecundi generis, quando plus venduntur ratione conſecrationis, vel benedictionis. Idque probatur ex ſcripturis *4. Reg. 5.* ubi Gezi divinitùs punitur leprâ, eo quia auſus fuit pecuniam exigere pro miraculoſa curatione lepræ: quapropter *Matth.* 10. Apoſtoli jubentur functionem doni miraculorum, & ſanitatis gratis dare, eò quia tale donum gratis acceperint. Ratio itidem eſt, quia quando ſpiritualia pretio temporali venduntur; venditor ſibi uſurpat dominium earundem rerum, quod minimè ipſi convenit, cùm ſit ſolus diſpenſator; & rurſus impedit executionem finis, ad quem res ipſæ collatæ fuerunt: eo enim ipſo, quòd aliquid venditur, ſignificatur non eſſe quid divinum ſupernaturale pertinens ad ſalutem æternam, ſed potiùs eſſe rem temporalem, & humanam ſpectantem tantùm ad commoda huius vitæ, cujusmodi ſunt ea omnia, quæ apud omnes gentes veniunt in contractus humanos: hinc Emptores non putarent res ſacras, quæ dantur venum eſſe ſpirituales, nec quidquam habere ſupernaturalis; & putarent totum negotium religionis eſſe fictitium ad comparandum quæſtum, & lucrum. Hinc vendere rem ſuaptè natura ſpiritualem, ut ſi quis venderet hoſtiam conſecratam, vel aliquod ſacramentum committeret ſimoniam jure divino, & naturali prohibitam, ut etiam ſi venderet res benedictas, ut tales; adeò ut ex benedictione pretium exigeret; quia tametſi benedictio ſit ſolo jure eccleſiaſtico inducta, nihilominus ſemel facta benedictione res benedictæ manent ſpirituales in ſe, proinde ſuaptè natura invendibiles: unde quamvis conſecrare calicem ſit de jure eccleſiaſtico; facta tamen conſecratione, ſi quis calicem venderet, & pretium exigeret pro ipſa conſecratione, ſimoniam committeret jure divino, & naturali prohibitam.

6 Circa res ſpirituales tertij generis, ut ſunt beneficia eccleſiaſtica, procedendum eſt cum diſtinctione, ſi beneficia vendantur parata pecunia, etiam prout ijsdem eſt annexum jus ſpirituale, quod competit eccleſiæ, tunc venditio eſt etiam ſimoniaca, & prohibita jure divino, & naturali: ſin verò beneficia inter ſe tantùm commutentur ſine ſuperioris authoritate, venditio eſt etiam illicita, & ſimoniaca, ſed tantùm prohibita ſolo jure eccleſiaſtico, quia tunc res, quæ commutantur, ſunt utrinque ſpirituales. *c. cum olim 7. de rerum permutat.* ut etiam quando venduntur res, quæ revera tantùm ſunt temporales; proinde ſuaptè natura invicem permutabiles *c. non ſatis 8. h. t.* Res ſpirituales quarti generis, ſi dentur venum, venditio eſt illicita, & ſimoniaca, ſed tantùm jure eccleſiaſtico prohibita, ut quando venduntur officia temporalia eccleſiæ, quæ nullam habent ſanctitatem, nec per benedictionem, nec per annexionem ad ſpiritualia, ſed tantum recipiunt aliquam ſanctitatem per hoc, quòd eccleſia prohibeat hujusmodi beneficia divendi *c. Salvator q. 3.* ne ſcilicet bona eccleſiæ dilapidentur contra reverentiam debitam bonis eccleſiæ; & eorum adminiſtrationi.

Hinc patet diſcrimen inter res ſpirituales 7
huius quarti generis, & res alias, quia res ſpirituales primi generis ſunt ſuaptè natura ſpirituales, & invendibiles: res verò ſecundi generis ſunt etiam ſpirituales per veram conſecrationem, & benedictionem: res tertij generis ſunt etiam ſpirituales in ſe, eò quia nectantur officijs verè ſpiritualibus: ſecus res quarti generis nullo ex prædictis tribus modis ſunt in ſe ſpirituales, quia tantùm inſtituuntur ab eccleſia ad munera temporalia, & non dicuntur res ſpirituales, niſi per extrinſecam prohibitionem venditionis ob reverentiam debitam rebus eccleſiæ: quapropter ſimonia jure eccleſiaſtico prohibita, duobus tantùm caſibus reperitur; nimirum, quando vel res non ſunt verè ſpirituales, vel non habetur vera ratio pretij; alioquin quando res ſunt verè ſpirituales, & habetur vera ratio pretij, tunc committitur ſimonia jure divino, & naturali prohibita, ſi tali pretio vendantur.

Cæterum ſimonia ſolo jure eccleſiaſtico 8
prohibita cenſent plures cum Laymen *lib. 4. tract.* 10. *c. ult. §. 1. n. 66.* non eſſe propriè ſimoniam, eò quia tunc per illam non fit reciproca, & onerosa commutatio rei ſpiritualis pro temporali, & pretio æſtimabili; in quo ſita eſt vera, ac propria ratio ſimoniæ juri naturali, & divino repugnans: eſt tamen hujusmodi ſimonia jure eccleſiaſtico prohibita peccatum grave, non ſolùm contra obedientiam, eò quia contra voluntatem ſuperioris utrinque mutentur res ſpirituales, & detur officium pro beneficio, ſed etiam contra virtutem religionis, & eſt quædam ſpecies ſacrilegij ob eccleſiaſticæ legis prohibitionem: quia lex præcipiens ex motivo alicujus virtutis, vel prohibens actum aliquem ex ſe indifferentem conſtituit illum moraliter bonum ſub genere illius virtutis, & materiam neceſſariam illius virtutis, ut etiamècontra efficit illum moraliter malum ſub genere vitij oppoſiti eidem virtuti.

Tripartitur ſimonia in mentalem, conven- 9
tionalem, & realem. Mentalis hic non dicitur nudum internum propoſitum committendi ſimoniam, ſi in nullum actum exteriorem prodeat: licèt fornicatio mentalis conſiſtat in hoc nudo interno propoſito, quamvis in actum exteriorem non prodeat; non tamen ſimonia in ſolo nudo illo interno propoſito conſiſtit: ſed ulteriùs requiritur, ut habeat opus externum adjunctum, quod tamen nullo ſigno exteriori appareat eſſe ſimoniacum: ut ſi quis rem ſpiritualem alicui conferat in compenſationem ex juſtitia debitam pro re temporali ab ipſo accepta, vel etiam animo obligandi alterum ad red-

dendam rem temporalem: cùm enim ſimonia ſit vitium per ſe externum, debet in ipſa intervenire aliquis actus externus.

10 Hinc ſimonia mentalis dupliciter ſumi poteſt. Primò pro interno propoſito, ſeu voluntate committendi ſimoniam, tametſi nullo pacto procedat in actum exteriorem, & hæc propriè non eſt ſimonia juxta præſens inſtitutum. Secundò ſumitur pro illa actione externa, quæ fit mente ſimoniaca, ſed ex ſe, & circumſtantijs ſimoniam non redolet: quando jura loquuntur de ſimonia mentali, non intelliguntur de mentali priori modo ſumpta, ſed tantùm ſecundo modo uſurpata.

11 Simonia conventionalis eſt, quæ non ſolùm ſupponit internum propoſitum obligandi, verùm etiam ut procedatur ad externam conventionem ſine tamen executione ſaltem utrinque facta, & hæc conventio fit verbis expreſſis, & directis, obliquis, & obſcuris, vel nutibus; hæc eſt per mutuum pactum expreſſum, vel tacitum: dicitur ſimonia conventionalis, quia mentali propoſito obligandi additur externa conventio, ſeu pactum, quod nondum executioni mandatum eſt; nec reali traditione conſummatum; quia vel ſiſtit in mutua conventione, & ex neutra parte completur traditio, & hæc dicitur ſimonia purè conventionalis: vel ex altera tantùm parte realiter eſt completa, & traditio conſummata; eò quia alter contrahens tantùm tradidit rem temporalem ſine pretio, non tradita re ſpirituali ab altero, ſed ſolùm promiſſâ: vel è converſo, quia alter tradidit rem ſpiritualem, non tradito pretio temporali ab altero, ſed tantùm promiſſo; & hæc poſterior ſimonia dicitur conventionalis mixta, eò quia de utraque ſcilicet conventionali, & reali aliquid participet; & diſtinguatur à mentali per additionem exterioris contractûs, ſeu pacti; & à reali per carentiam traditionis ſaltem ex parte unius contrahentis.

12 Simonia realis habetur, quando pactio ex utraque parte eſt completa ſaltem inchoatè, ut ſi collatio beneficij ſit facta, & pars pretij etiam ſoluta; unde dicitur etiam ſimonia conſummata, eò quia ex una parte data ſit res ſpiritualis, & ex altera pretium, vel pars pretij: quamobrem ſimonia realis ſupponit conventionalem, & hæc mentalem, quam includit ſaltem ex natura rei. Qui verò tantùm fictè promittit talem rem ſpiritualem pro temporali, vel temporalem pro ſpirituali ſine intentione ſe obligandi, & ſtandi promiſſo non eſt verè ſimoniacus, niſi quoad actum externum, quia nulla eſt conventio, ſeu conſenſus in obligationem, & ſolùm ipſe deceptus committit ſimoniam mentalem, ob quam non incurruntur pœnæ juris, ut notat Tannerus *tom. 3. diſp. 5. de relig. q. 8. dub. 2. n. 29.* Datur etiam quarta ſpecies ſimoniæ, quæ dicitur confidentialis, verùm hæc comprehenditur ſub ſimonia conventionali: ſiquidem in ſimonia confidentiæ executio differtur ex una parte; eſt enim ſimonia confidentiæ, quando quis paciſcitur, cum eo, qui confert, vel reſignat beneficium, ut illud cum ſuis fructibus, vel portione fructuum cedat alteri, ut nepoti cùm primum habilis fuerit.

Quod verò ad materiam attinet ſimoniæ; 13 cùm duo ad quamlibet ſimoniacam pactionem debeant concurrere, quorum unum eſt veluti pretium, ſeu quævis commoditas temporalis cum alia re commutabili; & aliud eſt veluti merx, ſeu res aliqua ſpiritualis, vel ſpirituali annexa, quam in commutationem deducere pro pretio temporali ſacrilegum eſt; ideo materia propria ſimoniæ eſt res aliqua ſacra ſpiritualis, & ſupernaturalis: quapropter committitur ſimonia, ſi quis venderet aliquod ſacramentum, vel hoſtiam conſecratam, vel etiam gratiam ſanctificantem, & gratias gratis datas, ut ſunt donum Prophetiæ, ſanitatis, miraculorum, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 1. ad 4.* Dupliciter poſſunt gratiæ ſpirituales dari venum, non quidem de jure, ſed tantùm de facto. Primò in concreto, ut ſi quis chriſtianum captivum cariori pretio venderet, ex eo præcisè quia ſit baptizatus, ut etiam ſacerdotem ob characterem ſacerdotalem. Secundò quaſi in abſtracto, & ſecundùm ſe, quo pacto Simon Magus *Actor. 8.* oblatâ pecuniâ emere voluit poteſtatem miniſterialem conferendi gratiam ſanctificantem, & dona Spiritûs Sancti, ut hujusmodi dona ſupernaturalia poſſet poſtea alijs divendere.

Dare itidem vel accipere pretium pro ſeptem eccleſiæ ſacramentis à Chriſto inſtitutis ad gratiam conferendam eſt ſimoniacum generaliter prohibitum *in c. cum in Eccleſia 9. h. t.* ubi ex Concilio Lateranenſi ſtatuitur, ne in introducendis perſonis in ſedem eccleſiaſticam, vel inſtituendis ſacerdotibus, vel ſepeliendis mortuis, vel benedicendis nuptijs, vel ſacramentis conferendis, vel collatis nil exigatur, alioquin eſt ſimonia. Quia quamvis ſacramenta conſiſtant in quibusdam actionibus, vel paſſionibus; ſunt nihilominus dona ſupernaturalia à Chriſto eorundem Authore nobis gratis collata, & quia gratiam conferunt, ſunt ſecundùm ſe ſpiritualia: proinde nullo modo poſſunt dari venum ob irreverentiam, & injuriam, quæ rebus ſacris inferretur; & eſt contra illud Chriſti *Mat. 10. quod gratis accepiſtis gratis date.* vendere autem Euchariſtiam, non ſolùm eſt peccatum ſimoniæ; quatenus venduntur ſpecies conſecratæ; prout ſunt ſacramentum ſenſibile, & ad humanos uſus accommodatum, ſed etiam eſt ſacrilegium, & irreligioſitas longè altioris ordinis, eò quia ſub ſpeciebus illis conſecratis continetur Chriſti corpus, ratione cujus talis venditio in graviſſimam tenderet vilipenſionem perſonæ Chriſti. 14

Hinc neque matrimonium quatenus ſacramentum eſt, vendi poteſt, quia cum matrimonium ſit verum ſacramentum in lege evangelica ex inſtitutione Chriſti, & gratiam conferat; non poteſt temporali pretio æſtimari. Cæterum quia matrimonium non ſolùm eſt ſacramentum, ſed etiam humanus, & civilis contractus, in quo conjuges invicem contrahunt per mutuam traditionem, vel acceptionem 15

ſor-

corporum, ideo non repugnat, quo minùs ex parte contractûs, qui non deſtruitur ratione ſacramenti, intervenire poſſit pretium aliquod, ſi id videretur neceſſarium ad qualitatem contractùs, quia tunc non venderetur, & emeretur ſacramentum, ſed tantùm fieret commutatio temporalis pro tempotali, ut notat Pirhing *lib. 5. tit. 3. ſect. 2. §. 41.* Duplex enim datur in ſacramentis materia, remota ona, ut panis, & vinum in Euchatiſtia, aqua in baptiſmo, & hæc quatenus præcisè, & ſecundùm ſe ſpectata eſt res temporalis, & pretio æſtimabilis vendi poteſt, & emi; ſi ſcandalum abſit: alia eſt materia proxima, ut ablotio in baptiſmo, Unctio in Extrema Unctione, & hanc materiam proximam vendere procul dubio eſſet ſimonia, quia hujnsmodi actus ſunt verè ſpitituales, ſupernaturales.

16 Simoniacum eſt etiam vendere, vel emere omnes functiunes, ſeu actus prodeuntes ex poteſtate Ordinis: quia tametſi phyſicè ſint actus materiales, & cotpotei, habent nihilominus ex Chriſti inſtitutione, & eccleſiæ conceſſione eſſe quoddam morale, tatione cujus pertinent ad Ordinem ſupetnaturalem tam ex parte ptincipij, ſeu poteſtatis ſpititualis ſupernaturalis, qui eſt character Ordinis; quàm ex parte finis, qui ad ſalutem animæ proximè ordinatur. Hoc etiam procedit de actibus minorum Ordinum, quia ſunt etiam miniſteria ſacra, & ex ſua inſtitutione, ac fine ordinantur ad divinum ſacrificium. Hinc Epiſcopi pro ſacris conferendis Ordinibus non poſſunt quidquam temporale accipere, ut nec etiam pro inſtrumentis, ſeu litteris ſuper ijs conficiendis: immo neque ij, qui ordinantur, poſſunr quidquam dare pro ordinibus ſuſcipiendis, ut habetur *in c. in ordinando 1. h. t.* ubi Gregorius generali Concilio præſidens ſtatuit, ut Epiſcopus, vel Miniſter, aut Notarius nihil accipiant pro ordinatione, vel uſu palſij, vel chartis, vel paſtellis; ſicut etiam qui ordinatut, nihil debet pro his dare; quia ut notat Gloſſa, date aliquid pro quocunque obſequio impenſo in ordinatione eſt ſimonia, ut Archidiacono pro examinatiohe, ſimiliter Notario, quia ut ait Gregorius in *d. c. in ordinando 1. h. t.* ſicut non debet Epiſcopus manum, quam imponit, ita nec Miniſter, vel Notatius in ordinatione, ejus vocem, vel calamum vendere: tatio eſt, quia quando principale debet fieti gratis, etiam acceſſoria præſtari debent merè gratuitò, & ſine mercede; unde ſicut Epiſcopo ptohibetur aliquid temporale pro otdinis collatione accipere: ita etiam omnibus ejus Miniſtris tanquam acceſſorijs, qui Epiſcopum in ordinatione coadjuvant. Per miniſtrum *in d. c. in ordinando 1. h. t.* intelligitur Archidiaconus, qui promovendos ad Ordines examinat, de quo dicitur, quòd non debeat vendere vocem. Alij tamen per Miniſtrum intelligunt omnes, qui in conferendis ſacris ordinibus aſſiſtunt Epiſcopo.

17 Oritut tamen difficultas, quia ſi ſacramenta ptopriè ſunt ſpiritualia, & ad ſalutem animæ directè inſtituta, non videtur, quomodo Parochi pro baptiſmo, confeſſionibus audiendis, & adminiſtratione Euchariſtiæ poſſint pecuniam à populo exigere. Sed contra quia pecunia non exigitur à Parochis ut pretium ſacramentorum, cùm enim hæc ſint ſpiritualia, utiq; ſimoniam comitterent: ſed parochi exigunt tale ſtipendium, ut neceſſarium pro propria ſuſtentatione: ſiquidem miniſtri eccleſiæ cum inſerviant altari, debent de altari vivere; & populus, cui inſerviunt, debet illis ſuppeditare congruam ſuſtentationem; ut enim ait Chriſtus, Matth. 10. *dignus eſt Operarius mercede ſua:* & Apoſtolus 1. *ad Corinth. 9.* ait, neminem ſuis ſtipendijs militare; & Dominum ordinâſſe, ut qui evangelium annuntiant, de evangelio vivant: Redatguendus tamen eſſet Parochus, ſi ob ſibi negatam pecuniam denegaret ipſe ſactamenta: deberet tuuc ſacramenta miniſtrare, tametſi ob nullam, vel modicam pecuniam illi ſubtraheretur congrua ſuſtentatio, ſed poſtea apud Epiſcopum poſſet jus ſuum proſequi, aliuquin ſi ob modicam pecuniam denegaret ſacramenta miniſtrare populo, & hic ſalutaribus fruſtraretut medijs ad ſalutem, non leve foret ſcandalum, & ſpecies videretur ſimoniæ.

Cæterum ttipliciter poteſt intelligi, quòd pecunia recipiatur pro ſacramentis miniſtrandis. Primò ut pretium ipſius adminiſtrationis. Secundò ratione laborum, qui in miniſtrandis ſactamentis impenduntur. Tertiò, ut ſtipendium neceſſarium ad congruam ſuſtentationem. Certum eſt, pretium exigere pro ipſis ſacramentis, & eorum adminiſtratione præcisè ſumpta eſſe ſimoniam, quia tunc ptetio æſtimatetur res ſpiritualis, vel annexa ſpirituali: ratione verò laborum; & congruæ ſuſtentationis, quatenus ſeparantur à ratione ſacramenti, non eſt ſimonia aliquid recipere: hinc licèt nihil poſſit dari pro matrimonio, ut eſt ſacramentum, ut tamen eſt humanus, & civilis contractus, & officium naturæ poſſunt conjuges convenire de pretio, quo vir ad ſuſtentandam uxorem, & ferenda onera matrimonij obligatur: quapropter moris eſt, ut exigatur dos. Item pretium exigere pto abſolutione ab excommunicatione eſt ſimoniacum: ſin verò interdum ab eo, qui abſolvitur, exigatut pecunia, hæc non exigitut ut pretium abſolutionis, ſed ut pæna delicti: ſicut poſſet in abſolutione à peccatis in pœnitentiam imponi eleemoſyna danda pauperibus, ſic etiam pro miſſis celebrandis, vel precibus ad aliorum intentionem fundendis, non accipirut pecunia ut pretium miſſæ, vel precum; ſed pro mercede operis, & congrua ſuſtentatione Miniſtri: quia dignus eſt Operarius mercede ſua, & qui altari inſervit, de altari vivere debet, juxta allegata à Chriſto *Matth.* 10. & dectetum Concilij Agathenſis relatum *in c. ult. cauſ. 1. q. 1.* ubi dicitur, quòd etiam de ſpiritualibus ſit Operarius, & Miniſter eccleſiaſticus dignus mercede ſua.

Immo hæc ratio etiam procedit de ijs, qui aliàs ſufficientes habent reditus, vel proprium patrimonium pingue, quia inde non ſequitur, 19

quòd

Digitized by Google

quòd teneantur gratis inſervire, niſi fortaſſis tales reditus in hunc finem fuerint ipſis deputati, ſicut in Parocho, qui propterea percipit decimas ad eum finem, ut ſacramenta parochianis adminiſtret: unde ſi Parochus ex perceptis decimis, aliiſque proventibus habet abundantes reditus pro ſe, ſuiſque Capellanis congruè ſuſtentandis, putârim tunc non poſſe quicquam exigi à Parochis pro adminiſtratione ſingulorum ſacramentorum, eò quia parochiani ad hunc finem jam ſuppeditent congruam, & ſufficientem ſuſtentationem, tam pro Parocho, quàm pro ſuis Capellanis, & Miniſtris; unde ceſſat ratio exigendi tunc aliquid pro ſacramentis adminiſtrandis per textum *in c. cùm in eccleſia 9. & c. cum ſuam 29. h. t.*

20 Non tamen deſunt, qui cenſeant ex diuturna conſuetudine hujuſmodi exactiones excuſari à ſimonia. Sunt tamen in hoc titulo duo textus, qui videntur contrarij. Primus habetur in *c. cum in Eccleſia. 9. h. t.* & deſumitur ex Concilio Lateranenſi, ubi Alexander III. reſcribit, quòd in inſtituendis ſacerdotibus, ſepeliendis mortuis, & benedicendis nuptijs, vel ſacramentis conferendis, vel collatis, nil exigatur, alioquin eſt ſimonia, & contraria conſuetudo non excuſat, adeò ut damnet omnem conſuetudinem exigendi aliquid pro ſacramentorum adminiſtratione. Secundus textus eidem contrarius deſumitur ex *c. ad Apoſtolicam 42. h. t.* ubi dicitur, quòd ſacramenta eccleſiaſtica debeant liberè conferri: item quòd Epiſcopi debeant compellere laicos ſervare laudabilem conſuetudinem, & piam erga eccleſiam; unde Pontifex præcipit, has pias conſuetudines exigendi aliquid pro adminiſtratione ſacramentorum eſſe ſervandas; eò quia ſint hæretici, qui nituntur conſuetudines has infringere ſub prætextu canonicæ pietatis, ut habetur *in d. c. ad Apoſtolicam.* Verùm hi textus inter ſe non pugnant: ſiquidem primus petitus ex *c. cum in eccleſia* explicatur de conſuetudine, quæ non fuit legitimè, & ſine peccato introducta, aut præſcripta, eò quia clerici alioquin ſufficientia beneficia habentes non contenti congrua ſuſtentatione, adhuc pro adminiſtratione ſacramentorum pecuniam exegerunt; & denegantibus pecuniam ſolvere, negârunt, & ipſi ſacramenta miniſtrare: apertè enim in illo textu ut etiam in præcedente *in c. non ſatis eſſe h. t.* Alexander III. loquitur de hiſce, & ſimilibus actibus peccaminoſis, unde ait; hos actus non inducere conſuetudinem, quia diuturnitas temporis peccatum non minuit, ſed auget. Secus textus deſumptus *ex d. c. ad Apoſtolicam 42. h. t.* intelligitur de conſuetudine, quæ ex rationabili cauſa, & ſine ullo peccato fuit legitimè præſcripta.

21 Plures enim ſunt cauſæ, ex quibus conſuetudo rationabilis eſſe poteſt, & legitima. Prima eſt, ſi Parocho ſufficientes deſint reditus pro ſe, ſuiſque Capellanis ſuſtentandis: neque hæc ſufficientia eſt ita ſtrictè ſumenda, ut intelligenda ſit de quotidiano duntaxat victu: ſed etiam de cæteris alijs, quæ ad victum, veſtitum, habitationem, tuendam valetudinem neceſſaria ſunt, quinimmo habenda eſt ratio ad futuras neceſſitates.

Secunda eſt, ſi conſuetudo ſit immemorialis, 22
& non conſtet, quo initio cœperit, tunc enim tutò poteſt ſervari conſuetudo, quia eò ipſo, quòd eſt immemorialis, vim habet legis, ac privilegij, & poſſeſſio tanti temporis excedentis memoriam hominum omnem excludit præſumptionem mali *c. ſuper quibuſdam*, & ibi Gloſſa *de V. S. l. 3. §. ductus aquæ ff. de aqua quotidiana, & æſtiva*: debet tamen hujuſmodi conſuetudo eſſe libera à violentis extorſionibus, & præſertim reſpectu pauperum, ne fiat exceſſus: quapropter Epiſcopi hujuſmodi exactiones, quæ vulgò *de ſtola* dicuntur, taxare ſolent, ne pauperes graventur.

Tertia eſt pro conſecratione Cœmeterij, 23
vel loci ſpecialis deſtinati pro mortuis ſepeliendis, vel ſuſtentatione cantorum, vel ob ſpecialem laborem, ad quem, qui Parochus non eſt, non tenetur; ut ſi in alia eccleſia, quàm parochiali, electa ſit ſepultura, vel etiam ob præeminentiam loci, vel obligationem eccleſiæ ſe obligantis, quòd nullum alium velit recipere, ad particularem ſepulturæ locum, quàm certam familiam; tunc enim locus hiſce veſtitus circumſtantijs cenſetur pretio æſtimabilis; ut cum pluribus docet Barboſa *de offic. Paroch. p. 3. c. 27.*

Quarta quando in parochijs ſolvuntur de- 24
cimæ perſonales de lucro, & etiam minutæ de ovis, lacte, pomis, lino, lana, & ſimilibus, tunc conſuetudo, ſi vigeat, ſervari adhuc poteſt.

Hæc autem conſuetudo dandi aliquid cleri- 25
cis pro ſpiritualibus miniſterijs, ad quæ ex officio ſunt obligati, dupliciter poteſt legitimè induci. Primò, ſi fideles diuturno tempore cum Prælatorum tacito conſenſu conſueverint aliquid offerre Miniſtris eccleſiæ, etiam habentibus ſufficientes reditus ad congruam ſuſtentationem; tunc enim retineri debet hujuſmodi conſuetudo, dummodo ad ejus obſervationem Parochi vi non compellant ſubditos, quia id tantùm pertinet ad Epiſcopum loci juxta *dictum cap. ad Apoſtolicam 42. h. t.* Secundò, ſi conſuetudo aliquid exigendi in adminiſtratione ſacramentorum, vel admiſſione in monaſterium, aut canonicatum ab initio ex rationabili cauſa inducta ſit, eò quia reditus parochiales erant valdè tenues, tunc tametſi cauſa illa ceſſet, eo quia reditus eccleſiaſtici aucti ſint; nihilominus ſi Parochi à tempore immemoriali oblationes, & præſtationes hujuſmodi, vel quaſi debitas cum bona fide recipiant, tunc jus per præſcriptionem cenſetur ipſis acquiſitum, ut notat Suarez *lib. 4. de ſimon. c. 48. n. 5.*

Immo putant plures ad inducendam hujuſ- 26
modi conſuetudinem, & obligationem ſufficere ſpatium decem annorum, etiam ſpectato jure canonico, quæ ſententia mihi videtur valdè probabilis, quia hæc conſuetudo non eſt contra jus, ſed potiùs juxta illud, & favorabilis clericis, & eccleſiæ, ut notat Barboſa *in d. c.*

ad

Digitized by Google

ad Apoſtolicam 42. n. 20. h. t. Per hanc diuturnam conſuetudinem dandi aliquid Clericis pro ſpiritualibus miniſterijs, ad quæ etiam ex officio tenentur, acquiritur jus eccleſiæ, & Clericis ad ſimiles oblationes, & præſtationes recipiendas per modum cujuſdam præſcriptionis, adeò ut Parochianis oriatur obligatio ad eas præſtandas, non quidem ex voto, neque ex ſpeciali intentione ſe obligandi ad illas, ſed ex vi juris acquiſiti eccleſiæ, & Clericis, quod ſervari debet ex ipſo naturali jure juſtitiæ, poſtquam ſemel acquiſitum ſit: etenim juſtitia obligat ad ſervandum cuique quod ſuum eſt. Neque ut hoc jus acquiratur eccleſiæ, requiritur neceſſariò conſenſus parochianorum, contra quos præſcribitur, ſed ſufficit aſſiſtentia juris, quæ præſtatur *in c. ad Apoſtolicam 47. h. t.* in quo hæc obligatio fundatur: non enim jura exigunt conſenſum ab eo, contra quem præſcribitur, quia præſcriptio inducitur virtute legis, quæ in caſu noſtro ſupplet conſenſum parochianorum, adeò ut translatio juris per diuturnum uſum cum bona fide, & alijs conditionibus jure requiſitis acquiratur ipſi eccleſiæ, & ejus Miniſtris.

27 Ad ſolvendas alias difficultates, quæ poſſunt occurrere circa miniſtrationem ſacramentorum, proderit obſervare, non poſſe quidquam accipi pro ipſis actionibus ſpiritualibus, quatenus ſpirituales ſunt, aliquid enim accipere, vel dare pro ipſis redolet ſimoniam: quia hoc perinde foret, ac ſanctitatem rei pretio æſtimare, ut cum quis eò plus exigit, quò functio eſt ſanctior. Aliquid tamen accipere, vel dare pro laboribus extrinſecùs, vel per accidens adjunctis, ſive prævij ſint actioni ſacræ, ſive comitentur, non eſt ſimonia; quia hujusmodi labores ſunt in ſe quid temporale, & per ſe pretio æſtimabile, neque rei ſpirituali neceſſariò nectuntur: qua ratione cantor poteſt aliquid exigere pro labore, & artificio canendi voce, vel pulſandi inſtrumenta, quia hæc nonniſi per accidens comitantur divina officia, cùm hæc poſſint fieri ſine cantu, & absq; inſtrumentis muſicis: neque ex conjunctione cum re ſacra deperdunt ſuam æſtimationem, quam aliàs in re profana haberent: ita ſacerdos ſi vocaretur ad celebrandum in loco per unum, vel alterum miliare diſſito, utique præter conſuetam eleemoſynam poſſet aliquid exigere pro labore impenſo in illo itinere, quia hic labor eſt per accidens annexus celebrationi miſſæ; & per ſe eſt pretio æſtimabilis. Imò ipſa obligatio eſt etiam pretio æſtimabilis, cum homo ſua ſe privet libertate. Hinc Vicarij Prælatorum, & Parochorum poſſunt mercedem exigere pro obligatione, quâ ſe ad tempus adſtringunt tali ſervitio, quia privant ſe propria libertate, ut notat Navarrus *c. 23. n. 102.*

28 Neque eſt ſimonia dare aliquid pro ſuſtentatione Miniſtri ſub obligatione rei ſpiritualis, ſiquidem miniſtrantibus populo ſpiritualia ex juſtitia debetur congrua ſuſtentatio, quia Operario debetur merces: tum quia eo ipſo, quòd incumbunt miniſterijs ſpiritualibus, privant ſe facultate vacandi temporalibus, ex quibus majora forſan lucra poſſent ſibi comparare: unde cum ob populi commodum incumbant miniſterijs ſpiritualibus, æquum eſt, ut à populo ipſis ſuppeditetur congrua ſuſtentatio. Tum quia nemo poteſt ſpiritualia decenter adminiſtrare, niſi ſuſtentetur ſecundùm ſuum ſtatum, unde qui alijs ſpiritualia adminiſtrat, poteſt ab ijsdem congruam ſuſtentationem pro tempore illo, quo inſervit, exigere; non quidem ut pretium rei ſpiritualis, quia ſub hac formalitate eſſet ſimonia, ſed ut adminiculum ex natura rei neceſſarium ad ſpiritualem adminiſtrationem. Quinimo etiam ſi aliundè haberet pingues reditus pro congrua ſuſtentatione, adhuc poſſet illam exigere ab ijs, quibus ſpiritualia adminiſtrat, quia per accidens ſe habent alij reditus: congrua enim ſuſtentatio per ſe eſt debita miniſtranti ſpiritualia, adeò ut ſuppeditanda ſit ab ijs, quibus ſpiritualia miniſtrantur. Hinc etiam apud Ægyptios ex publico ærario ſacerdotes alebantur, & hoc titulo licitum eſt aliquid exigere pro miſſis celebrandis, pro concionibus habendis, pro eccleſijs conſecrandis, pro viſitatione juxta conſuetudinem in eccleſia receptam: & eadem ratione Epiſcopatibus, parochijs, canonicatibus ut plurimum adnexi ſunt pingues proventus, non ut pretium ſacrarum functionum, ſed ut ſtipendia neceſſaria pro ſuſtentandis miniſtris juxta propriam dignitatem, & conditionem.

An verò pro labore intrinſecùs adnexo rei 29
ſacræ, ut pro labore in miſſa legenda, baptiſmo conferendo, Confirmatione miniſtranda, ordinatione inſtituenda poſſit aliquid exigi. Reſpondent plures cum D. Bonaventura *diſt. 25. q. ult. de ſimon.* affirmativè; ait enim: *pro labore, qui eſt in celebratione miſſarum, & ſimilibus poſſe pretium exigi*, & videtur deſumi hæc ſententia ex illo *Numer. 18.* ubi legitur: *Filijs Levi dedi omnes decimas pro miniſterio, quo ſerviunt mihi in tabernaculo fœderis*, & infra: *comedetis ea vos, & familia veſtra, quia pretium eſt pro miniſterio, quo ſervietis in tabernaculo teſtimonij.* hinc Gloſſa *in c. ſignificatum de præbend.* ait; ſacerdotem poſſe recipere mercedem pro ſuo labore, ſi aliàs ratione beneficij ad ſubeundum talem laborem non teneatur. Hoc idem etiam confirmatur ex Concilio Agathenſi *q. 2. c. fin.* ubi dicitur: *Clerici ſtipendia ſanctis laboribus debita ſecundùm ſervitij ſui meritum à ſacerdotibus conſequantur.*

Secus alij cenſent, ſimoniam eſſe aliquid 30
exigere pro labore intrinſecùs adnexo actioni ſacræ, videtur huic ſententiæ adhærere D. Thomas *in 4. diſt. 25. q. 3. art. 2.* & eam docent plures Canoniſtæ, præſertim Innocentius, Hoſtienſis, & alij *in c. de præbendis*, & nititur hæc ſententia. Primò, quia labor intrinſecus ita connexus eſt actioni ſacræ, ut hæc ſine tali labore, nullo modo poſſit conſiſtere, eſt enim hæc actio materialis, in qua conſideratur ſanctitas ineſſe, non enim miſſa poteſt celebrari ſine acceſſu ad altare, ſine locutione, ſine motione membrorum, hæc enim omnia, in qui-

bus conſiſtit labor intrinſecue, nil aliud ſunt, quàm ipſa ſacra actio: ſic etiam non poteſt quis conferre baptiſmum, niſi accedat ad fontem, aquam accipiat, baptizandum abluat, & formam baptiſmi proferat: hæc, & ſimilia, quæ conſtituunt laborem intrinſecum, propriè ſunt ipſa ſacra actio baptiſmi: ergo hujuſmodi labor intrinſecus non poteſt vendi, nec pretio æſtimari ſine injuria ſanctitatis intimè eidem conjunctæ.

31 Tum quia hujuſmodi labor nullam habet æſtimationem inter homines, niſi ex ipſa actione ſanctitatis, adeò ut tota æſtimatio ipſi proveniat à ſanctitate, proinde pro tali æſtimatione non poteſt quidquam accipi, vel dari, quia ſanctitas non æſtimatur pretio. Hæc ſententia vera eſt, ſi intelligatur de mercede, quæ præcisè reſpondeat labori intrinſeco ſub illa ratione, quâ eſt adnexus ſacræ actioni eſſentialiter, & haurit ſuam æſtimationem à ſanctitate actionis ſacræ. Sin verò ſumatur hujuſmodi labor intrinſecus ſacræ actionis relativè ad ſuſtentationem ipſius Miniſtri, ſub hac formalitate prior ſententia eſt etiam vera, quia ut ait Chriſtus *Matth. 10. dignus eſt Operarius cibo ſuo*, & *Luc. 10. dignus eſt Operarius mercede ſua*, & Apoſtolus 1. ad Corinth. ait, *neminem ſuis ſtipendijs militare: & Dominum ordinâſſe*, ut qui evangelium annuntiant, de evangelio vivant; & qui altari inſerviunt, de altari vivant, atqui non eſt dignus Operarius mercede ſua, niſi ratione laboris, moleſtiarum, fatigationum, quæ ab ipſo ſubeuntur in aliorum commodum. Tum quia ſi quilibet Operarius eſt dignus mercede ſua, quâ congruè ſuſtentetur, etiam Operarius in ſpiritualibus debet pro congrua ſuſtentatione mercedem accipere; non enim Operarius in ſpiritualibus debet eſſe deterioris conditionis, & cum indigeat ſuſtentatione, non minus quàm operarius temporalis, ideo etiam pro labore intrinſecùs adnexo actioni ſacræ poteſt aliquid recipere, non ut pretium actionis ſacræ, quod eſſet ſimonia, ſed ut ſibi debitum ex juſtitia pro congrua ſuſtentatione.

32 Non tamen hujuſmodi labor, pro quo Miniſter exigit mercedem pro congrua ſuſtentatione dici poteſt propriè venalis: ſiquidem illud tantùm venale dicitur, cujus dominium aliquo pacto in alterum transferri poteſt, ut hic inde aliquid commodi percipiat: ſed labor ſecundùm ſe non poteſt in alterum tansferri, nec alteri eſſe utilis, ſed ſolùm ratione actionis, cui conjungitur; quæ actio ratione commodi, quod per illam in alterum tranſit, eſt vendibilis, ſi tale commodum revera vendibile ſit; ut patet in eo, qui conducitur ad excolendam vineam, cujus laboris commodum tranſit in Dominum vineæ; & tale commodum eſt vendibile, proinde etiam labor: unde labor non eſt vendibilis niſi ratione actionis, cum qua conſtituit quid unum: & actio non eſt vendibilis niſi ratione commodi, quod ex illa alteri provenit: quapropter ſi hoc commodum ſit ſpirituale, & invendibile, actio quoque, & labor eidem adnexus eſt invendibilis: hinc liquet, quomodo Operarius poſſit aliquid accipere etiam pro labore intrinſecùs adnexo actioni ſacræ, non ut pretium hujus actionis, ſed in ordine ad congruam ſuſtentationem abſque eo, quòd talis labor intrinſecùs dicatur eſſe vendibilis, quia licèt labor ut intrinſecè adnexus actioni ſacræ non ſit pretio æſtimabilis, quia tamen Operario eſt debita congrua ſuſtentatio, poteſt aliquid dari, & accipi pro ipſo.

§. III.

Quomodo ſimoniacum ſit mediante pretio temporali ſibi viam parare ad ſpiritualia.

Diximus, licitum eſſe Miniſtris eccleſiæ accipere ſtipendium ſuſtentationis pro miniſterio rerum ſpiritualium, eò quia propriè tale ſtipendium ſuſtentationis congruæ non ſit pretium, eò quia de ratione pretij ſit commenſurari cum re, cujus eſt pretium, & ſtipendium congruæ ſuſtentationis, quod datur miniſtranti ſpiritualia non eſt commenſurabile cum ipſis rebus, nec cum labore Miniſtri; ſed tantùm cum indigentia, & neceſſitate ſuſtentationis, cujus nomine intelliguntur etiam neceſſaria ad ſtatum decentem Miniſtri, & ad ſubventionem eorum, quibus jure naturæ tenetur ſubvenire, ut qui ſub eorum cura ſunt, habeant etiam neceſſaria ad congruum victum, & veſtitum. 1

Nunc quæritur, an ſimoniacum ſit per pretium temporale ſibi viam aperire ad officia ſpiritualia: quia D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. expreſsè docet, ſimoniacum eſſe parare ſibi viam ad quæcunque ſpiritualia mediante pecunia, ſeu pretio temporali, ideo examinandum eſt, quomodo id intelligendum ſit. Et reſpondetur, tunc ſolùm cenſendum eſſe committi ſimoniam, cùm per pecuniam quis ſibi viam aperit, ac ſternit ad ſpiritualia, quando via ita conjungitur cum re ſpirituali, ut ſecum trahat rem ſpiritualem in compenſationem pecuniæ, adeo ut res ſpiritualis ita immediatè conjungatur cum eo, quod mediante pecunia obtinetur, ut faciat ipſum venire in contractum; ac propterea ipſa via, ſeu id, pro quo datur pecunia, conſideretur tanquam informatum re ſpirituali. Idque deducitur ex natura ipſius viæ; eſt enim via acquiſitio termini, ac propterea debet conſiderari ut conducens ad terminum, ac informata ipſo termino, ad quem dicit ordinem, adeo ut eo ipſo, quo quis viam intendit, intendat etiam ipſum terminum. 2

Hinc tunc dicitur quia parare ſibi viam ſimoniacè ad ſpiritualia, quando talis via, conſideratur ut actualis acquiſitio rei ſpiritualis, ad quam dicit ordinem. Duplex enim datur via, remota una, quæ non eſt actualis acquiſitio termini, ſeu rei ſpiritualis, ſed poteſt eſſe: & alia proxima, quæ eſt actualis acquiſitio termini, ſeu rei ſpiritualis, quatenus actu ad illam ordinatur. 3

Quòd verò via ad ſpiritualia debeat eſſe pro- 4

proxima, ut per pretium temporale committatur ſimonia, ex eo liquet, quia de ratione ſimoniæ eſt, ut res ſpiritualis veniat in contractum, ac detur temporale pro ſpirituali: ſiquidem definitur ſimonia, ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum pro pretio temporali; proinde non committitur ſimonia, niſi interveniat ſpirituale, vel aliquid illi annexum, quod deducatur in contractum emptionis, vel venditionis: quia ubi non ſalvatur definitio, nec ſalvari poteſt definitum: ex quo liquet, quòd via ad ſpiritualia, quæ per pecuniam paratur, ut ſimoniam fundet, debeat in ſe continere aliquid ſpirituale, vel eidem annexum, quod deducatur in contractum, ac propterea ipſa via actualiter ducat ad acquiſitionem termini, ſeu rei ſpiritualis, quæ intendatur à ſimoniaco.

5 Tum quia ſimnuia dependet ab affectu, & intentione, quæ debet reſpicere ad ſpirituale trahendum ſub æſtimatione pretij temporalis, ut deſumitur ex *c. tua nos 34. h. t.* ibi: *Si tamen is, qui eam donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci*, ut notat Ripa *de ſimon. p. 1. art. 1. n. 21.* ex quo liquet, viam, quæ per pecuniam paratur in ordine ad ſpiritualia, debere eſſe aliquid ſpirituale, vel illud continere, vel ſaltem quid eidem annexum; alioquin affectus & intentio parandi viam non reſpiceret ſpirituale, nec aliquid eidem annexum, quod eſſet materia ſimoniæ.

6 Hinc ſi quis pretium temporale ordinet ad medium inſerviens acquiſitioni rei ſpiritualis, ſi tale medium poſſit habere alium finem, qui intendatur, & ratione cujus detur pretium temporale, probabile eſt, non committere ſimoniam: ut ſi quis ad captandam ſibi benevolentiam Principis ei daret aliquid temporale pretio æſtimabile, & Princeps conferret danti beneficium ſpirituale, quod non contuliſſet, niſi is, cui contulit, ejus priùs benevolentiam ſibi comparâſſet: quia tunc licèt res temporalis pretio æſtimabilis ſit medium ad obtinendum beneficium ſpirituale, quia tamen per tale medium intenditur tantùm benevolentia Principis, cui adhuc liberum eſt conferre, vel non conferre tale beneficium, nulla cōmittitur ſimonia: quia per exhibitionem rei temporalis pretio æſtimabilis, non deducitur in contractum aliquid ſpirituale, vel ipſi annexum.

7 An verò ſit ſimonia exhibere alicui pecuniam, ut ſua ipſius merita apud collatorem beneficij exponat, intendens, ac ſibi perſuadens poſſe tali medio acquirere beneficium ſpirituale. Cenſent aliqui, id eſſe ſimoniacum, & ea nituntur ratione, quia qui aliquem laudat apud Prælatum collatorem beneficij ad eum finem, ut illi conferatur beneficium, eſt cauſa moralis collationis beneficij, quia ex eo, quòd laudet, & exponat merita promovendi, movet Prælatum collatorem ad eidem conferendum beneficium, conſequenter eſt cauſa moralis talis collationis, & dare pecuniam, vel aliud temporale pretio æſtimabile, ut quis exponat merita ſua apud collatorem beneficij, perinde eſt, ac emere cauſam moralem collationis beneficij. Verùm putârim nullam tunc intervenite ſimoniam, ut docet Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de ſimon. c. 53. n. 17.*

8 Ratio eſt, quia ad ſimoniam inducendam requiritur, quòd detur temporale pro ſpirituali, vel è contra; & quando quis dat alicui pecuniam, ut propria ſua merita notificet collatori beneficij etiam cum intentione, ut ſibi conferatur beneficium, non datur temporale pro ſpirituali, ſed datur tantùm pretium temporale pro temporali, ſcilicet pro illo officio exponendi merita dantis pretium, adeò ut finis proximus dantis temporale ſit tantùm acquiſitio bonæ opinionis apud collatorem beneficij, quæ opinio non eſt ipſum beneficium; ſiquidem collator poteſt hanc bonam opinionem acquirere mediante illa meritorum expoſitione, & nihilominus ei non conferre beneficium, quod propterea tunc non venit in contractum cum temporali pretio æſtimabili.

9 Intentio enim dantis pecuniam non reſpicit tunc proximè ad ſpirituale, ſed tantùm intendit ſibi comparare bonam æſtimationem apud collatorem beneficij mediante illa expoſitione meritorum, ob quam dat temporale pretio æſtimabile; unde intentio, ſeu finis proximus dantis pretium temporale eſt illa bona opinio, quam deſiderat, collatorem beneficij habere de ſe ipſo mediante illa notificatione meritorum; proinde non vult tunc formaliter, nec virtualiter dare pecuniam pro beneficio, quinimò potiùs, ut beneficium ſibi detur ex meritis, non ex pecunia; & dare beneficium ex meritis non eſt ſimoniacum, imò juxta æquitatem, & juſtitiam diſtributivam: quoties aliquid ordinatur in eum finem, ut beneficium conferatur ex debita cauſa, non intervenit ſimonia, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 3. ad 3.*

10 Ut ſimonia interveniat, debet, qui pecuniam exhibet, intendere immediatè aliquid ſpirituale ſibi dandum mediante tali pecunia, non enim ſufficit, ſi ſit quid conſequens ex alio fine immediato, ut docet D. Thomas *loc. cit. art. 5. ad 3.* quod autem in præſenti caſu intenditur mediante pecunia, eſt ipſa expoſitio meritorum in ordine ad acquirendam bonam opinionem apud collatorem beneficij, adeò ut finis immediatus, & proximus dantis pretium temporale, ſit tantùm illa bona opinio acquirenda apud collatorem beneficij: acquiſitio poſtea beneficij ſe habet ad ipſam conſecutivè, & collator beneficij illud non confert ratione pecuniæ, cum nullam ipſe acceperit, ſed ratione meritorum, eò quia cognoſcat, & ſciat, eum dignum eſſe tali beneficio.

11 Hinc patet ſolutio ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ, quia illa expoſitio meritorum non eſt cauſa proxima collationis beneficij, nec conſideratur, ut informata beneficio, proinde dans pecuniam, vel aliud temporale pretio æſtimabile pro ipſa non emit cauſam moralem beneficij.

12 Quòd ſi dicas, ſine tali expoſitione meri-

torum collatorem non ſe motum ad conferendum beneficium. Reſpondetur exinde tantùm ſequi, illam expoſitionem meritorum eſſe conditionem, ſine qua collator beneficium non conferret: cæterum quòd movet collatorem, non eſt ipſa expoſitio meritorum, ſed ſunt ipſa merita, quæ reperiuntur in tali perſona, hæc enim ſunt, quæ propriè movent collatorem ad beneficium conferendum, quia ſola merita ſunt in perſona, cui confertur beneficium, & quam conſtituunt dignam tali beneficio; expoſitio verò meritorum non eſt in tali perſona, ſed in alia, quæ pecuniam accepit: unde expoſitio eſt tantùm conditio, ſine qua merita illius, cui confertur beneficium, non innoteſcerent collatori beneficij: cauſa verò finalis collatoris eſt proviſio beneficij in perſona digna: cauſa impulſiva ſunt merita illius perſonæ, quæ mediante expoſitione facta ab eo, qui pecuniam accepit, innoteſcunt collatori: cauſa efficiens eſt deliberatio collatoris facta ex motivo meritorum: hinc liquet, illam expoſitionem meritorum, pro qua datur pecunia, non eſſe cauſam moralem beneficij collati, ſed tantùm quandam conditionem etiam remotam, quatenus ſine illa collator non conſideraret merita illius, cui beneficium confertur.

13 Dubitant aliqui, an ſit ſimoniacum accipere temporale pretio æſtimabile pro ipſa applicatione animi ad conferendum aliquid ſpirituale: ſiquidem ipſa applicatio animi non eſt beneficium ſpirituale, ſed quid ab ipſo diſtinctum, & quia tunc non venit in contractum, niſi ipſa applicatio animi, quæ venditur mediante pecunia, ideo non videtur ſimonia intervenire, eò quia non detur temporale pro ſpirituali. Verùm ſi pro animi applicatione intelligatur ipſa voluntas conferendi aliquid ſpirituale, putârim talem exhibitionem pecuniæ pro applicatione animi ad conferendum ſpirituale eſſe ſimoniacam; neque poteſt intelligi quid aliud ſit, animum applicare ad conferendum ſpirituale, niſi applicare voluntatem, eámque determinare ad conferendum ſpirituale, ac proinde habere actum voluntatis de collatione beneficij. Quamobrem licèt ipſa applicatio animi, ſeu voluntas conferendi ſpirituale, non ſit illud ſpirituale, quod confertur, nihilominus quia eſſentialiter nectitur cum tali ſpirituali, & applicatio voluntatis eſt etiam eſſentialiter informata tali collatione beneficij, adeò ut non poſſit hæc applicatio animi ſeparari ab ipſa collatione beneficij, ideo dare pretium pro tali applicatione, eſt etiam dare pretium pro ipſa collatione rei ſpiritualis, quod eſt ſimoniacum: eſt enim hæc animi applicatio ipſa voluntas conferendi rem ſpiritualem, adeò ut ſit voluntas determinata ad dandum beneficium, & informata tali collatione: propterea dare pecuniam pro applicatione animi ad conferendam rem ſpiritualem, eſt dare pecuniã etiam pro ipſa collatione rei ſpiritualis: eſt enim applicatio voluntatis ad conferendum ipſa interna collatio, ſeu voluntas conferendi.

14 Tum quia quoties excluditur gratuita acceptio, & datio in ſpiritualibus, intervenit ſimonia *c. 1. & c. gratia 1. q. 1.* ut communiter docent: atqui quando datur temporale pro applicatione animi ad conferendum beneficium, excluditur gratuita collatio beneficij, quia ad hanc requiritur, ut voluntas ipſa dandi ſit gratuita, alioquin neque quod datur gratuitum eſſet: actus externus ab interno denominatur, à quo haurit rationem virtutis, vel vitij. Proinde actus internus debet habere eam ſpeciem, quam participat externus, alioquin ab interno non poſſet in externum redundare: hinc ſi voluntas dandi non ſit gratuita, neque gratuitum erit, quod datur, ut enim docet D. Thomas *1. p. q. 38. art. 2. in corp.* ratio gratuitæ donationis eſt amor, ideo damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum; adeò ut amor habeat rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur.

Rebus ſpiritualibus acceſentur etiam officia, & orationes publicæ, quæ ex inſtitutione eccleſiæ ſiunt in publicis proceſſionibus, Litanijs in choro, in eccleſijs, nec licitum eſt ea emere, vel vendere, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 3.* & deſumitur *ex c. ad noſtram 21. h. t.* unde hujuſmodi officia divina ſpiritualia ſunt, & nomine eccleſiæ inſtituuntur, & ſiunt, & quidem per poteſtatem miniſterialem ab eadem delegatam, & ordinantur ad cultum Dei, eíque ſatisfaciendum pro peccatis hominum. 15

Nihilominus pro hujuſmodi officijs, & publicis orationibus poteſt aliquid accipi per modum ſtipendij neceſſarij ad congruam ſuſtentationem miniſtrorum, vel etiam inolitæ conſuetudinis; nunquam tamen per modum pretij rei ſpiritualis. Quid verò dicendum ſit de privatis orationibus, quæ ſiunt à perſonis privatis. Reſpondetur, quòd ſi oratio conſideretur, quatenus eſt impetratoria, vel meritoria ſaltem de congruo alteri, pro quo ſunditur, certum eſt non poſſe venire in contractum emptionis, & venditionis pro pretio ſine ſimonia, quia oratio privata ut meritoria ſaltem de congruo, & impetratoria eſt ſpiritualis; pro qua dare pretium temporale eſt ſimonia. 16

Cæterùm poteſt quis dare pecuniam pauperibus, perſonis pijs, & Religioſis, ut pro ſe orent, tales preces Deo fundant etiam ad eum finem, ut hujuſmodi preces ipſi impetrent à Deo, quod optat, non tamen ut pretium precum, ſed per modum eleemoſynæ, vel etiam ſtipendij neceſſarij ad congruam ſuſtentationem, ſi preces præſertim fundendæ ſint per multum temporis.

Generatim dare, vel accipere pro ipſis actionibus ſpiritualibus, ut ſpirituales ſunt, eſt ſimonia, quia eſt ſancitatẽ rei pretio æſtimate. Non verò eſt ſimonia aliquid dare, vel accipere pro laboribus extrinſecus, & per accidens adjunctis, ſive prævij ſint actioni ſacræ, ſive eam comitentur, quia illi labores in ſe non ſunt quid ſpirituale, ſed quid per ſe pretio æſtimabile. Rurſus nec eſt ſimonia, ſi detur ſtipendium pro congrua ſuſtentatione Miniſtri etiam ſub obligatione rei ſpiritualis; vel ſi Miniſter aliquid pro ſuſtentatione exigat. 17

19 Pro officio Concionatoris, & Exhortatoris ſpiritualis accipere temporale tanquam pretium actûs eſt ſimonia contra jus naturale, & divinum, ut docet D. Thomas *2. 2. art. 2. ad 2.* & deſumitur ex *c. 10. Matth. euntes prædicate*, poſtea ſubjungit: *gratis accepiſtis, gratis date*: atqui Verbum Dei, & evangelium, quod Concionatores annuntiant, veluti Legati Dei, eſt donum ſpirituale, quod ordinatur ad ſalutem animarum, proinde non poteſt pretio temporali æſtimari. Poſſunt nihilominus Concionatores aliquid accipere pro congrua ſuſtentatione, ſeu victu, & veſtitu pro tempore, quo habent conciones, pro itinere ſi Concionatores vocentur à locis diſſitis, & tam pro ſe, quàm pro ſocio: rurſus ex liberalitate, & titulo eleemoſynæ poſſunt etiam accipere, quod ipſis datur à Prælatis eccleſiarum, in quibus concionantur. Eccleſia autem nec emi, nec redimi poteſt, ut deſumitur *ex c. querelam 15. h. t.* quapropter non poteſt Prælatus remittere jus quæſitum eccleſiæ, nec alienare eius bona ſinè juſta cauſa, adeò ut alienatio per Prælatum illicitè facta poſſit à Capitulo retractari, quia ſicut ad alienationem requiritur conſenſus Capituli, ita ſi diſtractio fiat ſine conſenſu Capituli, poteſt ut illicita revocari. Rurſus ſicut eccleſia non poteſt emi, ita neque redimi, ſeu redimendo emi ſine ſimonia. Quòd ſi eccleſia pertineat ad fundum acceſſoriè tunc empto, vel redempto fundo etiam acceſſoriè emitur, & redimitur eccleſia, ſed tunc propriè non eſt eccleſia, quæ emitur, ſed fundus, in quo fuit eccleſia conſtructa, nec pretium accipi poteſt pro eccleſia, ſed tantùm pro fundo.

20 Vendere tamen ſpiritualia naturalia, ut ſcientias, artes, quæ magno labore comparantur, non eſt ſimoniacum, quia vitium ſimoniæ opponitur virtuti religionis: & vendere hujuſmodi ſcientias, & artes, non eſt quid contra religionem. Tum quia ſimonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi ſpirituale non utcunque, ſed ſupernaturale, ut fusè explicuimus: hinc ſi Juriſperitus pro ſuo conſilio, vel patroncinio pretium exigat temporale, ſimoniam non committit, quamvis conſilium eſſet in cauſa ſpirituali matrimonij, vel hæreſis. Doctor itidem quamvis pluribus affluat divitijs, poteſt pretio docere, & quò ſcientia eſt excellentior, & doctor peritior, poteſt majus pretium recipere pro docenda ſcientia, quamvis Doctor minus laboraret, eò quia calleret talem artem, vel facultatem: non tamen poteſt dari beneficium pro ſcientia docenda ſine ſimonia, quia cùm beneficium ſit quid ſpirituale ſupernaturale ratione ſaltem inſtitutionis eccleſiæ, daretur ſpirituale pro temporali: quo fit ut beneficium, non detur docenti aliquam ſcientiam, ut pretium, ſed ſub alio titulo. Neque poteſt quidquam dari, vel accipi pro doctrina chriſtiana modo exhortatorio tradenda: ſecus tamen ad excolendam tantùm memoriam puerorum, ut fit in ludimagiſtris.

De Theologia autem videtur eſſe major difficultas, an ſimoniacum ſit, eam pretio tempo-
21 rali docere. Sermo non eſt de theologia naturali, ſeu ſcientia de Deo, ut eſt Author naturæ, quia de hac idem dicendum eſt, ac de Philoſophia naturali, alijſque ſcientijs mere naturalibus. Neque loquimur de theologia infuſa à Deo, eſtque quædam cognitio divinarum ſcripturarum habita ex dono Dei, diciturque interpretatio ſermonum, quia cùm ſit quid ſpirituale ſupernaturale ſimoniacum foret illud pretio temporali vendere, eſſet enim pretio æſtimare donum Spiritûs Sancti: quamobrem procedit quæſtio de theologia, ut eſt habitus ſcientificus naturaliter acquiſitus, quo ex fidei articulis per naturales diſcurſus inferuntur concluſiones.

Quatuor in hac theologia conſiderantur 22
actus, quorum primus eſt ex articulo fidei deducere concluſiones. Secundus interpretari ſacram ſcripturam. Tertius reſpondere ad caſus conſcientiæ. Quartus docere ſacram doctrinam. Vendere theologiam quoad duos primos actus, ut etiam quoad tertium quatenus præciſè docet caſus conſcientiæ per modum doctrinæ, ut fit in ſcholis, non videtur eſſe ſimonia, quia hæc theologia eſt naturaliter parta, nec ordinatur ad finem ſupernaturalem, ſed ad intellectum erudiendum, & auditores inſtruendos. Sin verò Theologus non ipſam ſcientiam, ſed veritates fidei, quas docet, vellet pretio temporali vendere, ſimoniam incurreret, quia hujuſmodi veritates ſunt ſupernaturales, ut etiam articuli fidei, ex quibus deducuntur, & in quibus continentur.

Hinc Magiſterium theologiæ præciſè ſum- 23
ptum eſt quid temporale, & poteſt accipi pretium pro tali magiſterio exercendo. Secus ſi Prælatus pretium acciperet pro facultate legendi theologiam alteri data, ſimoniam incurreret, quia illa licentia procedit à poteſtate juriſdictionis epiſcopalis, quæ eſt ſpiritualis. Rurſus theologiam vendere quoad quartum actum, quod eſt prædicare, ſeu docere ſacram doctrinam, eſt ſimonia, quia hujuſmodi actus ordinatur ad ſalutem ſupernaturalem æternam, eſtque quid ſupernaturale, quod non poteſt pretio æſtimari.

Rurſus vendere theologiam quoad tertium 24
actum, ſeu pretium accipere pro conſilio, quod ordinatur ad ſalutem animæ, & pacandas conſcientias, vel tollendos ſcrupulos, eſt ſimonia, quia hæc omnia non ordinantur immediatè ad illuminandum intellectum, ut duo priores actus theologiæ; ſed immediàtè ordinantur ad ſalutem æternam, & bonum animæ. Hinc ſi ſumatur theologia pro cognitione myſteriorum fidei, & ſcripturarum divinitùs infuſa, qualis erat in Apoſtolis; aliquid exigere pro ejus uſu tanquam pretium eſt ſimonia, quia hujuſmodi theologia eſt gratia gratis data, & non acquiritur naturæ viribus, proinde eſt quid ſupernaturale, quod non poteſt pretio æſtimari.

Videtur tamen oriri difficultas de theolo- 25
gia etiam quoad priores actus recenſitos, quia veritas, quam docet theologia, eſt quid æter-

num, & increatum, proinde non poteſt ſine injuria vendi. Tum quia, ut ait Auguſtinus, talis veritas non eſt mea, nec tua, ſed ſolius Dei. Tum quia teſte D. Ambroſio omnis veritas, ſeu cognitio veritatis eſt à Spiritu Sancto.

26 Sed contra, quia talis veritas eſt tantùm quid æternum, & increatum, ut eſt in objecto æterno, ſeu in mente divina, & ſub hac ratione vendi non poteſt: ſecus ut eſt in mente docentis, & in intelligentia diſcentis eſt quid creatum; non tamen propriè dici poteſt vendi, quia ea, quæ eſt in docente, ſeu in actu ejus intellectus non venditur, quia docens ſuam cognitionem, & veritatem non transfert in diſcentem, eſt enim talis cognitio, in qua relucet veritas theologica, actus immanens, qui non tranſit ad intellectum alterius: veritas verò, quæ oritur in diſcente, non naſcitur ex ſola docentis opera, quia ipſe tantùm extrinſecùs objectum proponit; ſed ex vi luminis intellectûs.

27 Quamobrem Magiſter theologiæ propriè tantùm poteſt vendere ſuum docendi laborem, induſtriam, vocem, quatenus hæc omnia ſunt media neceſſaria ad objectum, tam nobile proponendum, & in hoc ſenſu dicitur veritas indirectè vendi, quatenus oritur ex labore, & induſtria docentis in mente diſcipuli addiſcentis: & prout talis veritas utilis eſt ad humanum convictum, & ad eruditionem ſibi comparandam. Et licèt veritas ſit virtus intellectus, ac proinde bonum honeſtum, quod nullam cum bonis temporalibus connexionem haber, non tamen veritas venditur, ut ſimpliciter eſt quid honeſtum, ſed ut eſt quid utile conſetens ad utilitatem addiſcentis, quia per talem ſcientiam poteſt ad dignitates promoveri, ſibique comparare dignitates, honores, opes, famam, nominis exiſtimationem: præterea poteſt etiam veritas hoc modo vendi, ut eſt quid delectabile, ſiquidem ex eo, quòd quis veritatem enanciſcatur, multum inde haurit oblectamenti.

28 Ad id quod addebatur ex D. Auguſtino, reſpondetur, veritatem, quæ eſt in objecto, non eſſe meam, benè eſſe meam illam, quæ meo ineſt intellectui, & quam communico alteri audienti me docentem, & pro tali actu poteſt quis mercedem exigere. Ad tertium petitum ex D. Ambroſio reſpondetur, omnem veritaratem eſſe à DEO, & Spiritu S. non tamen ſemper per donum ſupernaturale, quia etiam ſanitas, potentiæ naturales animæ, & corporis, artes, ſcientiæ ſunt à Deo, & non tamen per donum ſupernaturale, ſed ſunt à Deo ut Authore naturæ.

§. IV.

De materia ſimoniaca rerum, quæ ſpiritualibus ſunt annexa.

1 DIximus de materia remota, & proxima ſimoniæ, & ſacramentorum, quorum materia remota cùm ſemper ſit res aliqua naturalis, ut aqua, oleum, chriſma, vinum, panis, & alia id genus, poteſt pro illa exigi pretium abſque ſimonia, eò quia res naturales ut ſic præſcindendo à quovis alio reſpectu ſunt materiales, ac venales. Nunc ſupereſt dicendum de illa materia ſimoniæ, quæ rebus ſpiritualibus eſt annexa. Dicuntur res ſacræ per annexionem, quæ cùm ſint ex ſe materiales, vel naturales, per conjunctionem tamen, ſeu vinculum cum re ſacra cenſentur, & ipſæ ſpirituales, & ſacræ.

2 Tripliciter poteſt intelligi unum alteri annexum. Primò antecedenter quatenus præcedit rem ſacram, vel ſupponitur rei ſacræ, cui connectitur, cujusmodi ſunt vaſa ſacra, veſtes ſacræ.

3 Secundò concomitanter, quatenus comitatur rem ſacram, eique intrinſecè conjungitur, eſtque ejus pars, adeò ut componat unum totum cum re ſacra, cujusmodi eſt labor ad rem ſacram peragendam requiſitus.

4 Tertiò conſequenter, eò quia conſequatur ſpirituale, ſitque velut effectus illius rei ſpiritualis, quam conſequitur, talia ſunt beneficia, quæ ſequuntur divina officia; ſiquidem beneficia dantur propter officia, à quibus illa dependent.

5 Generatim adnexum ſpirituali ratione connexionis, quam haber cum illo, eſt materia ſimoniæ, præſertim ſi ſit inſeparabile à ſpirituali, quia tunc adnexum non poſſet vendi ſine ſpirituali, cui adnectitur: & ſpirituale cùm non ſit pretio æſtimabile, vendi non poteſt, nec haberi ut res vendita, nec ut ratio venditionis; alioquin pretio æſtimaretur: nihilominus ſi antecedenter adnexum ſpirituali per ſe ſpectetur, non eſt materia ſimoniæ, ac propterea vendi poteſt, quia ſecundùm ſe eſt pretio æſtimabile, nec valorem, & æſtimationem ſuam amittit ob conjunctionem cum ſpirituali, ſi tamen ſpectetur abſque relatione ad ſpirituale, ut docet D. Thomas *in 4. diſt. 22. q. 3. art. 4. ad 1.*

6 De hac materia annexa rebus ſpiritualibus promiſcuè agit Pontifex in pluribus capitibus hujus tituli, præſertim in *c. non ſatis* ubi Alexander III. prohibet, ne ab ijs, qui ad religionem tranſire volunt, pecunia exigatur, neque prioratus, vel capellaniæ Monachorum, vel Clericorum annua diſtractione vendantur, nec pro commiſſione earum ullum pretium requiratur, neque pro regimine Monachorum, vel Clericorum; & concludit, æquè dantem, ac recipientem, & conſentientem eſſe ſimoniacum.

7 Rurſus prohibet, ne quicquam accipiatur pro ſepultura, pro chryſmate, pro oleo ſancto; & conſuetudinem contrariam non excuſare. *in c. cum in eccleſia 9. h. t.* & eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. *c. 7.* Idem Pontifex etiam prohibet, ne de cætero pro Epiſcopis, vel Abbatibus, vel quibuscunque perſonis eccleſiaſticis introducendis in ſedem eccleſiaſticam, vel inſtituendis ſacerdotibus, vel ſepeliendis mortuis, vel benedicendis 8 nuptijs, vel ſacramentis conferendis, vel colla-

tis

tis nil exigatur, alioquin eſt ſimonia. Ratio eſt, quia hi omnes recenſiti actus ſunt ſpirituales, vel ſpiritualibus annexi, proinde non poteſt quis pro ijsdem quidquam exigere, quin incurrat ſimoniam, eò quia ſpirituale deduceretur in contractum venditionis, & emptionis pro pretio temporali. Rurſus jus prioratus, & capellaniæ cùm ſit ſpirituale, ſicut etiam ipſa commiſſio eſt ſpiritualis; ideo nullo pacto vendi debet, nec ad annum committi talis Prioratus, vel capellania poteſt.

8 Rurſus ſimoniam incurrit tam recipiens, quàm dans, & uterque peccat contra religionem, eò quia omnibus prohibitum ſit, ne temporalia accipiant, nec dent pro ſpiritualibus, quæ gratis dari, & accipi debent. Præterea *in c. cum ſit Romana 10. h. t.* reſcribit Pontifex, ut Epiſcopus nihil pro conſecratione eccleſiarum exigere poſſit, vel debeat præter procurationem: & declarat, ſimoniam committere eum, qui pecuniam dat, vel accipit pro actione conſecrandi templum, altaria, calices, chriſma, agnos Dei, vel benedicendi corporalia, veſtimenta ad uſum ſacrum deputata, aquam, cereos, & alia id genus; ratio eſt, quia per conſecrationem, & benedictionem quamvis ab eccleſia immediatè inſtitutam, fiunt res ſacræ, & ſpirituales, & tales benedictiones ſunt actus poteſtatis Ordinis, ut notat Barboſa *in d. c. cum ſit n. 2. h. t.*

9 Poteſt tamen Epiſcopus pro conſecratione exigere procurationem moderatam juxta facultates eccleſiæ conſecrandæ; tametſi ea conſtructa ſit, ubi Epiſcopus habitat: quia hæc procuratio eſt annexa conſecrationi, unde qui facit officium, debet percipere annexum beneficium: & hujusmodi moderata procuratio exigitur non ratione laboris impenſi in conſecranda eccleſia, ſed authoritate juris in ſignum cujusdam ſupernaturalitatis. Rurſus *in c. querelam 15. h. t.* idem Alexander III. prohibet, ne eccleſia ematur, vel redimatur, & *in c. ea quæ 16. h. t.* ne pecunia exigatur pro chriſmate: ubi Pontifex non ſolùm prohibet pecuniam exigi pro chriſmate, quatenus eſt ſacramentum Confirmationis, ſeu pro confirmando aliquem; verùm etiam pro ipſo liquore chriſmatis, ſeu balſami, & olei conſecrati, adeò ut non ſit licitum pro illo accipere ab inferioribus eccleſijs, quibus datur, quidquam temporale, ut habetur *in c. placuit, 102. cauſ. 1. q. 1.* quia chriſma ratione conſecrationis eſt quid ſpirituale; cùm enim conſecratio ſpiritualis ſit, balſamum, & oleum ſunt res temporales annexæ ſpirituali, ſeu conſecrationi, proinde non poteſt ampliùs pro ijsdem quidquam accipi, vel dari non obſtante quacunque conſuetudine in contrarium, quia hæc non valet in ijs, quæ ſuapté naturâ mala ſunt, & prohibita: quod enim eſt malum, non excuſat, ſed magis accuſat, ut notat Gloſſa hîc *V. conſuetudinis.*

10 Notat tamen Barboſa *in d. c. ea quæ 16. n. 2. h. t.* id intelligendum eſſe non quòd materiæ balſami, & olei per ſe vendi non poſſint, cùm ſint res temporales, & pretio æſtimabiles: ſed quia materia eſt modica, & adeò exigua, ut vix pretio aliquo valeat æſtimari; unde ſi exigeretur pretium, id potiùs pro ipſa conſecratione exigeretur, quod foret ſimoniacum; eò quia conſecratio ſpiritualis ſit, & non poſſit pretio æſtimari: generatim pro ſpiritualibus nil temporale exigi debet.

11 Hoc idem etiam repetitur in *c. in tantum 36. h. t.* ubi Papa etiam declarat, ſimoniam eſſe aliquid pro chriſmate accipere, licèt anticipetur ſolutio pecuniæ, & mutetur nomen pecuniæ vocando illam paſchalem, & non chriſmalem; & non obſtare conſuetudinem contrariam, & Archiepiſcopos teneri coërcere ſuffraganeos, & Officiales à tali crimine, & demum prohibet, ne quid accipiatur pro inveſtitura eccleſiarum, & tollit omnem contrariam conſuetudinem: Ratio eſt, quia inveſtitura eccleſiarum revera eſt aliquid annexum ſpirituali, quia dependet ex ſpiritualibus, & non competit, niſi habenti officium clericale; & exigere temporale pro ſpirituali, vel ei annexum ſimonia eſt; ſiquidem de annexis eſt idem judicium, neque conſuetudo in contrarium ſuffragatur: quia pravæ conſuetudines nullo tempore præſcribuntur *authent. ut nulli judicium §. 1. verſ. neque vero ab Angarijs collat. 6.* Rurſus *in c. ad noſtram 21. h. t.* Alexander III. reſcribit, non poſſe exigi pecuniam pro miniſterio eccleſiaſtico exercendo, nec pro Vicarijs aſſignandis, vel pro chriſmate.

12 Notat tamen Hoſtienſis hic in fine, quòd ſi ſpontè aliquid offeratur, propter hujusmodi ſpiritualia officia, ac detur omnino gratis; non ſit prohibitum illud accipere: dummodo non detur intuitu officij ſpiritualis. Rurſus *in c. ſuam 29. h. t.* cum Parochiani de villa Franca quererentur, quòd capellanus eorum pro exequijs mortuorum, & benedictionibus nubenſium pecuniam exigeret, & extorqueret; Innocentius III. mandat Abbati de jugo Dei, & Priori de ſylva capellanum moneri, ut à tanta præſumptione deſiſtat, & pro exceſſu ſatisfaciat competenter.

13 Quòd ſi noluerit obedire, debeat canonicâ pœnâ puniri. Ratio eſt, quia talis Capellanus jam ſufficientes habebat reditus pro congrua ſuſtentatione; & Parochus, qui ex officio ſuo ad id tenetur, ſi jam ipſi aſſignata ſit congrua ſuſtentatio, non poteſt quidquam à Parochianis exigere pro miniſtratione ſacramentorum, alioquin ſi aliquid exigat, vel accipiat ex pacto, incidit in ſimoniam conventionalem, & tenetur reſtituere. Diſtinguendum tamen eſt inter Paſtores, & Clericos, qui ex officio, & ratione beneficij tenentur ſpiritualia exercere, & funeralia obire, & inter alios extraneos, qui invitantur, aut vocantur ad habendas exequias, vel præſtanda alia officia ſpiritualia, ad quæ obeunda aliàs non tenentur. Iſti enim, qui non ex officio hujusmodi miniſteria exercent, licèt non poſſent pro ijsdem pretium exigere; poſſunt tamen ſtipendium, vel congruam ſuſtentationem petere, quia nemo adigitur militare proprijs ſtipendijs.

14 Ut autem in annexis rebus ſpiritualibus ordinem doctrinæ ſequamur, difficultates, quæ occurrunt de annexis antecedenter priùs ſolvemus, poſtea de annexis concomitanter: & demum in ſequentibus Paragraphis difficultates, quæ oriuntur circa annexa conſequenter. Quia illud dicitur antecedenter annexum rei ſacræ, quod præcedit rem ſacram, cui connectitur, cujusmodi ſunt vaſa ſacra, veſtes ſacræ, & tota ſacra ſupellex, ideo de hisce antecedenter annexis rei ſacræ quæritur, an ſine labe ſimoniæ vendi, vel oppignorari poſſint: & difficultas procedit de veſtibus, vaſis ſacris, & tota ſacra ſupellectile. Docent communiter non eſſe ſimoniam vendere hanc ſacram ſupellectilem, dummodo non ſolvatur quidquam ſupra id, quod eſſet ſolvendum intuitu materiæ; adeò ut ſola materia detur venum, & non accipiatur quidquam pro benedictione, vel conſecratione; quia tunc pretium ſolvitur tantùm pro ipſa materia, ex qua veſtes, vel vaſa ſacra conſtant: ſola enim hæc materia inducitur in contractum, habita tamen ratione formæ artificialis, quia plerumque artificium eſt ita excellens, ut pluris æſtimetur, quàm materia ipſa licèt argantea, vel aurea; in quo ſenſu dixerat ille, *materiam ſuperabat opus*, hoc eſt artificium pluris æſtimabatur, quàm ipſum argentum.

15 Certum tamen eſt, totam hanc ſacram ſupellectilem, præſertim calices, non poſſe vendi, neque oppignorari, niſi ex cauſa neceſſitatis, ac pietatis, ut docent communiter cum D. Thoma *2. 2. q. 100. art. 4. ad 2.* & *in 4. diſt. 25. q. 3. art. 2.* Covarruvias *lib. 2. variar. c. 16. n. 8.* Garzia *in ſumma tract. 3. diffic. 8. dub. 4. punct. 3. n. 32.* & deſumitur *ex c. 1. de pignorib.* ibi: *nullus Presbyter præſumat calicem, vel patenam, vel veſtimentum ſacerdotale, aut librum eccleſiaſticum tabernario, vel negotiatori, aut cuilibet laico, vel fœminæ in vadium dare, niſi juſtiſſimâ neceſſitate urgente*, ex quo textu liquet, eccleſiaſticam ſupellectilem non poſſe regulariter alienari, ſed tantùm ex juſtâ neceſſitate. Quinimò ſi urgente neceſſitate deberet alienari, ac inſervire profanis uſibus, deberent priùs veſtes benedictæ, & vaſa conſecrata, ita deſtrui, ut deperderent formam calicis, patenæ, vel talis veſtis; adeò ut priùs benedictionem, vel conſecrationem amitterent, quàm alienarentur: & cavendum præſertim eſt, ne hæc ſacra ſupellex urgente neceſſitate vendatur hebræis, quia gravis oriretur ſuſpicio, quòd tanquam inimici chriſtianæ religionis irreverenter tractarent materiam iſtam ijsdem venum datam.

16 Juvat obſervare, quòd *ex d. c. de pignor.* infertur, poſſe ſacram ſupellectilem alienari in perſonas eccleſiaſticas, & in uſum pro alia eccleſia, quia textus tantùm prohibet, ne veſtes ſacræ, calices, & patenæ dentur laicis, aut fœminis: ratio eſt, quia quando transferuntur in laicos, cùm ab ipſis convertantur in uſus profanos, fit vaſis ipſis ſacris irreverentia: ſecus quando alienantur alijs eccleſijs pro uſu earundem, ceſſat tale inconveniens, quia habetur ſolùm ratio materiæ, & non mutatur uſus deſtinatus, ſed tantùm eccleſia, cui debent inſervire.

17 Caſus verò, in quibus poteſt ſacra ſupellex ſpiritualibus annexa vendi, vel oppignorari, reducuntur ad urgentem, ſeu juſtam neceſſitatem, ut dicitur in *c. 1. de pignor.* & nomine neceſſitatis comprehenduntur etiam uſus pietatis, quia ſemper ſecum trahunt neceſſitatem, & eos recenſet D. Ambroſius relat. *in c. aurum 12. q. 2.* ſuntque redemptio captivorum, alimonia pauperum, reparatio eccleſiæ, & alia id genus: imò ut poſſint diſtrahi pro alimonia pauperum, non ſufficit communis indigentia, ſed requiritur ſumma neceſſitas, quæ de jure naturali obligat ad ſubveniendum proximo ſummè indigenti, quia in Synodo VIII. univerſali prohibetur alienatio ſacrorum vaſorum exceptâ redemptione captivorum, & in *can. 15.* dicitur, quòd antiqui canones ita ſanxerunt. Hodie tamen mobilia pretioſa eccleſiæ, ſicut & bona immobilia non poſſunt ampliùs alienari etiam pro redemptione captivorum absque licentia ſedis Apoſtolicæ, ut ſtatuitur in Paulina *ambitioſa de reb. eccleſ. non alienand.* ſub pœnis in ea expreſſis, inter quas recenſetur etiam irritatio contractus. Non tamen abſolutè in illa conſtitutione prohibentur vaſa ſacra alienari pro redemptione captivorum, ſed ſolùm prohibentur alienari ſine licentia ſedis Apoſtolicæ.

18 Cæterum vendere ſupellectilem ſacram manente in eadem benedictione, vel conſecratione, ut in calicibus, & patenis, in uſus profanos eſt ſacrilegium, quia fit injuria rebus ſacris annexis ſpiritualibus, & id procedit, ſive hæc ſacra ſupellex detur venum ad uſus profanos, ſive ſubijciatur mercaturæ, ut habetur in *c. ſi quis Presbyter diſt. 50.* ibi: *quia ſacrilegium committit.* quinimò pro debito etiam ſtatuitur pœna, ſcilicet ut vendens non habeatur in ordinatione eccleſiaſtica. Sin verò repentina neceſſitas urgeret redimendi captivos, adeò ut occaſio non permitteret recurſum ad ſedem Apoſtolicam, tunc ſupponitur conſenſus Apoſtolicus ſaltem interpretativè, ac propterea poſſunt vaſa ſacra pretioſa, deſtructâ priùs eorum formâ, vendi ad redimendos captivos, quia talis redemptio eſt opus pietatis.

19 Tum quia in tali caſu prohibitio eccleſiæ ceſſat, quia non poteſt prævalere contra naturalem obligationem charitatis: & tunc revivifcunt antiquiores canones ob aſſiſtentiam legis naturalis: ſecus hac neceſſitate ſeclusâ requiritur licentia ſedis Apoſtolicæ, quia ſicut non poſſunt Miniſtri eccleſiæ diſponere de alienis, etiam ex eadem cauſa pietatis, ita nec etiam de vaſis ſacris eccleſiæ ſtante illa diſpoſitione legis: & ratio eſt, quia non ſunt ſub dominio Miniſtri eccleſiaſtici, ſed tantùm ſub ejus cura in ordine ad miniſterium; proinde potuerunt ſacri canones prohibere, ne inconſultâ ſede Apoſtolicâ ſacra ſupellex alienetur.

20 Rurſus pro jure ſepnlturæ, ſen ut aliquis in cerro loco eccleſiæ, aut cœmcterij ſepeliri poſſit, aliquid ur pretium exigere ſimontacum eſt. Verùm quamvis pro ſepultura non poſſit aliquid exigi ut pretium, poteſt tamen accipi, ſi ſponte oſſeratur; ut etiam ſi diuturna conſuetudo introducta ſuerit, ut aliquid detur abſque turpi exactione, & ſine ſpecie avaritiæ. Rurſus ſi quis cerrum locum eccleſiæ, vel cœmeterij ſibi, ſuæque familiæ tanquam proprium vendicare velis, tunc non videtur eſſe prohibitum pro tali jure aliquid exigere, præſertim nbi viget conſuetudo, quia hæc obligatio injungens clericis, quòd non poſſint ullum alium in tali loco ſepelire, videtur eſſe pretio æſtimabilis.

21 Immo communior ſententia etiam excuſàt à ſimonia vendere locum honoratiorem pro ſepultura; ut docenr Garcias *de beneſic. tom. 1. p. 5. c. 9. n. 117. in addition.* ubi citar plures pro hac ſententia. Diana *tract. 7. de ſimon. reſol. 307.* ubi eriam citar plures alios pro eadem ſententia. Verùm procedendum eſt cum diſtinctione: vel enim exigitur pretium ſimpliciter, & præciſè pro ipſa ſepultura; & pro illa ſic ſpectatâ non poteſt pretinm peti, quin ſimonia incurratur, quia canones id apertè prohibent, eò quia ſepultura ſit quid annexum ſpirituali; vel petitur pretium non pro ipſa ſepultura, ſed pro loco honoratiori, & tunc quia talis locus non eſt neceſſarius ad ſepulturam, non venditur ſepultura, nec quidquam ſacrum: quia eccleſia haber cœmeteria, ubi gratis poſſunr homines ſepeliri: ſitus autem, & locus dignior non videntur pertinere ad ſpiritualia, nec ſunt quid neceſſarium ad ſepulturam, prulnde nil videtur obſtare, quo minus locus dignior vendi poſſit, quia dignitas, & nobilitas loci in ſe conſiderata eſt ſæcularis, & merè temporalis; & non eſt adnexa ipſi ſepulturæ, proinde vendi poteſt; ſicut etiam pro eo, quod eſt majori pompa ſepeliri, major ſolitâ eleemoſynâ accipi poteſt; quia licèt ſepelire mortuos ſit officium ſpirituale, eos tamen majori, vel minori pompâ funebri ſepelire eſt quid temporale, & per accidens annexum officio ſpirituali.

22 Hinc ſi aliquis eligat honoratiorem locum in eccleſia pro ſepultura, poteſt ob hanc præeminentiam honor ille pretio æſtimari, & vendi: nec in hoc caſu venditur ſepultura, quæ gratis præſtanda eſt, ſed tantùm in eccleſia ipſa dignitas loci: ita fuiſſe deciſum in ſacra Rota Romana in cauſa Terraconenſis ſepulturæ 17. Maij 1572. coram Lancelloto teſtatur ex Grariano Garcia de beneſic. *tom. 1. p. 5. c. 9. n. 117. in addit.* Nec ſacri canones aliud prohibent, quàm ne clerici quidquam accipiant pro ſimplici officio ſepeliendi mortuos. Tum quia ſicut vaſa ſacra vendunrur, ut diximus ratione materiæ, ita & ſepultura ratione præeminentiæ dignitatis.

24 Præterea quotidiana praxis probat, etiam apud aliquos Religioſos, & domos miſericordiæ, moderatam aliquando pecuniam accipi pro ordinarijs ſepulturis; quia non accipitur pecunia pro pretio ſepulturæ, & rei ſacræ, ſed pro damno, quod infertur eccleſiæ, & ſolo, & pro incommodis temporalibus, quæ inde patiuntur eccleſiæ. Etenim negari non poteſt, ſepulturas illas non modicè eccleſias lædere, & ad reſarcienda damna nonnunquam eſſe neceſſarias expenſas, quapropter pro hoc damno illato eccleſiæ, & aliquando reparando, pretium aliquod moderatum peti poteſt, non ut pretium ſepulturæ, ſed ut quædam reſtitutio damnificationis temporalis illatæ: æquum enim videtur, ut defuncti inhabitantes templum aliquid contribuant ad ejuſdem templi reparationem.

25 Materia annexà concomitanter rei ſacræ eſt, quæ illi intrinſecè conjungitur, eſtque veluti pars, quæ cum re ſacra componit unum totum, ſeu eſt ipſa actio, quâ res ſacra peragitur, cujuſmodi ſunt ſacramentalia omnia, ſive tranſeuntia, ut benedictiones publicæ, & cœremoniæ, quæ fiunt in ſacramentis conferendis, ſive permanentia, ut benedictio aquæ, aut olei, vel conſecratio calicis, ſunt enim ſacramentalia permanentia, eò quia manent in rebus benedictis, & conſecratis, & ſunt propriè materia ſimoniæ, eò quia ſint res ſpirituales, ſive conſiderentur ſecundùm earum principium, quia oriuntur à poteſtate ſupernaturali, quam eccleſia accepit à Chriſto: ſive conſiderentur ſecundùm finem, quia per ſe, ac directè ordinantur ad ſpiritualem animarum ſalutem. Quamobrem omnes actus procedentes ex poteſtate ordinis, ſive ex eccleſiæ inſtitutione ſunt materia ſimoniæ contra jus naturale, ac divinum: ſiquidem ſunr res ſpirituales tam ex parte principij, quàm ex parte finis.

Hodie qui venderet agnos Dei benedictos, incurreret ſimoniam jure humano prohibitam; quamvis eos venderet ſolùm ratione materiæ; nec quidquam exigeret pro conſecratione, quia Gregorius XIII. prohibuit ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, agnos Dei pingi, & ſic pictos venales exhiberi, ſeu retineri, ut habetur in Bulla Gregorij XIII. cui initium eſt: *Omni certè ſtudio:* hinc ad vitandum periculum ſimoniæ Romæ extat ſpecialis prohibitio vendendi hujuſmodi agnos benedictos. Sunt tamen qui cum Filliucio *tract. 14. c. 6. n. 93.* cenſent, hanc Gregorij conſtitionem extra Urbem Romam non fuiſſe receptam.

26 Cæterum in functione ſpirituali concomitanter annexa rei ſpirituali quatuor ſunt diſtinguenda. Primò ipſa actio quà talis. Secundò labor intrinſecè conjunctus. Tertiò labor extrinſecùs annexus. Et quartò Miniſtri ſuſtentatio: ex ijs certum eſt, ſimoniacum eſſe aliquid dare, vel accipere pro ipſis actionibus ſpiritualibus, quatenus ſpirituales ſunt, quia id perinde foret, ac ſanctitatem pretio temporali æſtimare. Non tamen eſt ſimonia aliquid dare, vel accipere pro laboribus extrinſecùs, ſeu per accidens adjunctis, ſive ſint prævij ad actionem ſacram, ſive illam comitentur: ratio eſt, quia illi labores in ſe ſpectati ſunt quid temporale, & per ſe pretio æſtimabiles. Ne-

que eſt ſimonia aliquid accipere pro ſuſtentatione Miniſtri, quia dignus eſt operarius cibo ſuo: imò poteſt Miniſter paciſci de certo ſtipendio ad ſuſtentationem congruam, ut docet Suarez *tom. 1. lib. 4. de ſimonia c. 21. n. 15.* An verò etiam pro labore intrinſecè conjuncto actioni ſacræ poſſit aliquid accipi, vel dari, communior, & tutior ſententia eſt, poſſe tantùm accipi aliquid pro congrua ſuſtentatione Miniſtri, non verò intuitu ejusdem actionis intrinſecè adnexæ rei ſacræ.

27 Rurſus ex præcitatis capitibus colligitur, ſimoniacum etiam eſſe aliquid tanquam pretiũ exigere pro ingreſſu in religionem, ſeu pro ipſa profeſſione, vel ſtatu religioſo: ratio eſt, quia hujusmodi ſtatus eſt res omnino ſupernaturalis, & ſpiritualis continens jus, & obligationem ſerviendi Deo in communitate ſecundùm præſcriptam regulam, proinde ſtatus religioſus non eſt pretio temporali æſtimabilis, ut habetur in *c. nullus 1. q. 2.* & docet D. Thomas *2. 2. q.* 100. *art. 3. ad. 4.* Immo cenſent aliqui, redolere ſimoniam, aliquem allicere ad religionem per oblata munera, ſi illa det tanquam pretium, ut ſi fieret pactum cum aliquo, quòd ipſe vellet religionem ingredi ob talia munera. Verùm ſi munera dentur ſimpliciter, & abſolutè, nulla incurritor ſimonia, etiam ſi intentio dantis ſit allicere donatarium ad religionem.

28 Rurſus aliquid exigere pro ſuſtentatione perſonæ, ſi monaſterium ſit inops, vel ære alieno gravatum, aut regula ordinis id permittat, non eſt illicitum, ut docet D. Thomas *loc. cit,* ratio eſt, quia tunc nihil ſpirituale venditur, ſed ſolùm exigitur quædam neceſſaria conditio, ut alij Religioſi non graventur; quia non tenentur ſubire majorem inopiam ex eo, quòd alij admittantur, ut docet Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de ſimonia. c. 17. n. 18.* Quinimmo quamvis monaſterium divitijs affluat, non videtur improbabile, poſſe licitè ſuperiores monaſterij citra labem ſimoniæ exigere aliquid pro alimentis, ſeu onere ſuſtentandi Religioſum, ita enim docent Sotus *de juſtit. lib. 9. q. 6. art. 2. ad. 4.* Sylveſter *V. ſimonia q. 15.* Valentia *2. 2. diſp. 6. q. 16. punct. 2.* ratio eſt, quia tunc non exigitur temporale pro ſpirituali; ſed ſolùm ut monaſterium non gravetur.

29 Verùm exigere hoc pacto pecuniam mihi videtur eſſe contra juſtitiam, quia proventus monaſterij debent applicari ijs, qui intendunt monaſterio ſervire, quia eccleſia etiam intendit ut ijsdem applicentur. Tum quia id redoleret avaritiam. Unde probabilius cenſerem, vix poſſe à ſimonia id excuſari: quia vel exigitur pretium temporale pro admiſſione ad ſtatum religionis, & eſt aperta ſimonia; vel pro nuda ſuſtentatione, & videtur eſſe ſimonia palliata, quia cùm monaſterium divitijs affluat, habeátque ſufficientes proventus, quibus ſuſtentari poſſunt illi, qui offeruntur, non apparet, quâ ratione debeat pretium temporale exigi pro eorum ſuſtentatione. Tum quia canones in *c. non ſatis. c. veniens. c. dilectus. c. quoniam h. 1.* Id expreſsè prohibent tanquam ſimoniacum. Tum quia *extravag. 1. de ſimonia.* etiam valde urget, & eos, qui paſtus, prandia, ſeu cœnam, vel pecunias, jocalia, aut res alias exigunt in religionis ingreſſu, etiam ex conſuetudine, quam dicit eſſe corruptelam, excommunicat, & Conventus, ac Capitula ſuſpendit.

Sunt tamen, qui cenſent, hos canones tan- 30
tùm loqui quoad præſumptionem fori exterioris, vel quando aliquid petitur, ut pretium, non pro ſuſtentatione. Alij etiam reſpondent, illos canones prohibuiſſe aliquid exigi pro ingreſſu in religionem, eò quia de jure antiquo id fuerit ſimonia juris eccleſiaſtici, ſed hanc hodie per contrarium uſum obolitam eſſe: Verùm contraria ſententia eſt verior, quia præcitati canones abſolutè dicunt, ſimoniam eſſe aliquid exigere pro ingreſſu in religionem, & contrariam conſuetudinem eſſe corruptelam. Ratio eſt, quia jus vivendi de proventibus monaſterij authoritate eccleſiæ perinde conjungitur profeſſioni, ſicut præbenda officio eccleſiaſtico: & ſicut pro præbenda non poteſt quidquam exigi, ita nec pro jure ſuſtentationis. Tum quia hoc jus ſuſtentationis eſt debitum ratione ſtatus ſecundùm prudentem æſtimationem, unde qui peteret aliquid pro tali jure, cenſetetur velle ipſum ſtatũ religioſum vendere, cùm tale jus ab hoc ſtatu emanet: hinc extravagantem Urbani V. corpori juris inſertam, & eſt prima de ſimonia, confirmavit poſtea Gregorius X. per aliam, quæ incipit *Tenorem.* Demum quia Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 16. de refor.* prohibet, ne ante profeſſionem excepto victu, & veſtitu Novitij, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis, vel Curatoribus ejus monaſterio aliquid ex bonis illius tribuatur, imò id præcipit ſub anathematis pœna non tamen lata, ſed ferenda.

Conſuetudo tamen præſertim in Moniali- 31
um monaſterijs obtinuit, ut hodie puellæ non recipiantur, niſi dotem exhibeant: quia cum expediat Monialium monaſteria ſufficientes habere reditus, ne vagandi, aut cum ſæcularibus communicandi occaſio ipſis præbeatur, rarò contingit, ut monaſteria non poſſint probabilem aliquem titulum producere in ordine ad exigendam dotem moderatam à puellis, præſertim ut de redituum ſufficientia ſecuriores ſint, & plures etiam, quàm alioqnin deberent, poſſint puellas recipere: qua ratione ſummi Pontifices Martinus V. & Clemens VII declárarunt nolle ſe, ut Moniales cenſuram aliquam incurrant, ex eo, quòd pro ingreſſu puellarum in religionem, vel etiam pro earundem profeſſione aliquid exigant, ut notat Navarrus *c. 27. n. 106.* Sylveſter *V. ſimonia 7. num. 15. in fin.*

Non tamen putàrim poſſe monaſterium plus 32
exigere, quam ad commodam unius puellæ in tali ſtatu ſuſtentationem requiratur, quia ſola ſuſtentatio eſt ſolus titulus juſtè paciſcendi, & accipiendi aliquid pro ingreſſu in religionem, & profeſſione emittenda, unde ſi plus exigatur

quàm

quàm titulus ſoſtentationis requirat, videtur id non exigi ampliùs titulo ſuſteotationis, ſed ob admiſſionem in religionem, ſeu pro profeſſione, quod eſſec propriè ſimoniacum. Hinc ſimonia eſt plus petere ab aliqua puella, quia ſit obſcuris orta natalibus, ut notàvit Rodriguez *tom. 2. quæſtionum regular. q. 49.* Immo Suarez *lib. de ſimonia c. 17. n. 16.* putat, hunc dotis exceſſum non eſſe licitum, & periculum eſſe, ne pactio de eadem ſit ſimoniaca. Quòd ſi ille exceſſus gratis exhibeatur monaſterio, & non intuitu dotis, nec ſuſtentationis, ſed ratione eleemoſynæ, tunc nulli dubium, quin monaſterium poſſet quemlibet exceſſum accipere, perinde ac quamlibet aliam eleemoſynam.

33 Generatim tamen pro ſuſtentatione perſonæ ingredientis religionem capacem redituum aliquid moderatum exigere noo eſt ex natura ſua illicitum, nec ſimoniacum, dummodo monaſterium inops ſit, vel ære alieno gravatum, & regula ordinis id permittat; ſecus ſi mooaſterium divitijs affluat, non excuſatur à ſimonia prohibita jure eccleſiaſtico, quamvis conſuetudo in contrarium, ſi vigeat, non videatur reprobanda. Primam partem aſſertionis docet D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.* quia ſicut matrimonium caroale poteſt conſiderari ſub ratione ſacramenti, & ſub ratione humani, & civilis contractus, cui annexum eſt onus alendi conjugem, & familiam, cujus intuitu vir exigit à fœmina dotem ad ſuſtentanda onera matrimonij; quamvis pro ipſo ſacramento matrimonij aliquid exigere ſimonia eſſet: ita profeſſio religioſa, quæ eſt matrimonium ſpirituale, poteſt conſiderari, quatenus eſt ſtatus quidam ſpiritualis, & quatenus eſt quidam contractus humanus inter Religioſum, & religionem ſe obligantem ad illum ſuſtentandum; quamvis ſub priori ratione ſtatus ſpiritualis non poſſit quidquam exigi; poteſt tamen ſub ſecundo reſpectu, ſeo quatenus religio ſe obligat ad aleodam perſonam religioſam aliqoid exigi pro congrua ejus ſuſtentatione: quia hoc oous, quod religio ſibi imponit alendi perſonam religioſam, eſt quid temporale, & pretio æſtimabile, proindè poteſt aliquid pro ipſo exigi, ſicut pro onere ſuſtentandi uxorem, & familiam in matrimonio carnali vir poteſt dotem exigere à fœmina. Hoc antem procedit, qoando monaſterium eſt inops, vel ære alieno gravatum, alioquin ſi divitijs afflueret, eſſec ſimonia jure eccleſiaſtico prohibita, ut habetur in *c. non ſatis. c. veniens 19. h. t.* & *c. dilectus 30. h. t.* ubi Innocentius III. ait, multi pretio ſunt recepti, qui potiùs gratis recipi debuiſſent. Ratio eſt, quia monaſteria eò quia ſint opulenta, & ſufficienter dotata pro ſuſtentandis religioſis, ceſſat in ipſis jus exigendi aliquid ratione ſuſtentationis; proinde Religioſi ſunt gratis recipiendi, & alendi.

34 Quòd verò conſuetudo contraria in monaſterijs monialium accipiendi dotem moderatam à puellis non ſit damnata, ex eo poteſt evinci, quia tunc monaſterium quamvis dives non exigit temporale pro ſpirituali tanquam pretium, ſed tantùm ut conditionem, nimirùm ut dotem pro neceſſaria ſuſtentatione ſecum afferat, ne monaſterium acceſſu novarum puellarum gravetur.

35 Cæterum in pluribus Capitulis præſertim *in c. veniens 19. h. t.* Abbas, & Monachi, ſi pro ingreſſu religionis aliquam pecuoiam accipere conveniant, & ex tali conventione accipiant, tametſi dicant, hanc eſſe conſuetudinem, nihilominus Abbas, & majores ex monaſterio ſunt ſuſpendendi ab executione officij, & pecunia eſt reſtituenda danti; & ita ingreſſus jubetur cum habitu tranſire ad alind monaſterium: ex quo colligitur, quòd ob ſolam conventionem dandi temporale pro ſpirituali labes contrahitur ſimoniæ; poſtquam ſpiritoale receptum eſt, licèt temporale nondum ſit traditum, quia *in prædict. cap. veniens 19.* conventio ſacta fuit de danda pecunia ante ingreſſum religionis, ac proinde commiſſa fuit ſimonia purè conventionalis, & poſtea ejus intuitu, qoi promiſit pecuoiam, fuit receptus in religionem; & tunc tranſit in ſimoniam conventionalem mixtam; & quia pecuniam poſtea monaſterium recepit, jubetur eam reſtituere. Quamvis qui pecuoiam dedit, ſactus fuerit Religioſus ſimoniacè, eò quia io ejus receptione fuerit commiſſa ſimonia; nihilominus jubetur cum habitu tranſire ad aliod monaſterium, quia ſimonia non vitiat emiſſam profeſſionem, quia non fuit pactum, ut Monachus pecuniam illam poſſideret ex ſe, ſed ut eam traderet monaſterio, quod non adverſatur ſubſtantiæ profeſſionis religioſæ.

36 Rurſus *in c. 25. de Regular.* Clemens III. juxta antiquos canones reſcribit, quòd ſi Monachi ſcienter per ſimoniam ſunt ingreſſi in monaſterium, debent amittere locum illum, quem adepti ſunt, & adire ſolitudinem, vel alia ſtrictiora monaſteria, ut pœnitentiam agant de tali exceſſu. Quòd ſi ipſis ignorantibus fuit pecunia data, compelluntur renuntiare eidem loco, & poſtea ſi ita expedire viſum fuerit absque ſcandalo reduci poſſunt in eundem, vel collocari in alio, in quo Deo inſerviant. Ex quo textu etiam liquet, profeſſionem religioſam per ſimoniam etiam ſcienter emiſſam ſuum ſortiri valorem, cum *in d. c. De Regular. 25.* non irritetur; ſed ſolùm in pœnam ſimoniæ commiſſæ prohibeatur Religioſus permanere in illo monaſterio, in quo ſimoniacè eſt profeſſus, ſed teneatur tranſire pœnitentiæ causâ ad alind arctius, qui tranſitus noo eſſet neceſſarius, nec eſſet injungendus, ſi religioſa profeſſio per ſimoniam dirimeretur.

37 Verùm hæc pœna non incurritur ipſo jure, nec obligat in conſcientia, donec per ſententiam judicis infligatur: ratio eſt, quia canones ad illam exigunt actum hominis, ut deſumitur ex verbis illis, *locum omnino dimittant*, ſcilicet quando illis injunctum, & præceptum fuerit, eò qoia fuerint condemnati; poſt verò condemnationem inferior Papâ non poteſt cum ijs diſpenſare, niſi ignorantia interceſſerit, vel

niſi neceſſitas poſtulaverit, ut in eodem maneat monaſterio, in quo fuit ſimoniacè profeſſus, ut notat Suarez *lib. 4. c. 16. n. 7.* Præterea cùm *in c. dilectus filius 30. h. t.* Innocentius III certior factus eſſet in Cantuarienſi Diœceſi in monaſterio, & alijs religioſis locis multos fuiſſe per ſimoniam receptos, reſcribit, ut ſi adverſus eos accuſatio coram Archiepiſcopo fuerit canonicè inſtituta; & crimen ordine judiciali probatum, tam in dantes, quàm recipientes Archiepiſcopus canonicam exerceat ultionem. Sin verò per ſolam inquiſitionem conſtiterit, eos ſimoniacè receptos, ad pœnitentiam agendam dirigat ad monaſteria arctiora, Sed Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, alijsque Superioribus, ac Prælatis quibuslibet, & Officialibus eorundem injungat competentem pœnitentiam, & donec illam peregerint, eos ab executione ordinum ſuſpendat, & hanc formam Epiſcopis ſuis præſcribat per ſuas diœceſes obſervandam.

38 Illud tamen addit, gratanter poſſe recipi (pro ingreſſu videlicet religionis) quod fuerit ſine taxatione gratis oblatum. Verùm juvat obſervare, quòd conſtitutio juris antiqui declaratoria, ſi addat novam pœnam, non extenditur ad præterita quoad pœnam, quia reſpectu talis pœnæ cenſetur nova conſtitutio. An verò hodie ſtandum ſit huic conſtitutioni circa Regulares, Hoſtienſis *in d. c.* & Abbas *n. 2*, reſpondent, convictum de ſimonia per viam inquiſitionis, quæ non eſt commiſſa in ordine, non eſſe deponendum ab officio, ſed tantùm removendum ab adminiſtratione, & loco ſimoniacè acquiſito; ſicut ſit in alijs criminibus, adeo ut nullum ſit in hoc diſcrimen inter clericos ſæculares, & regulares.

39 Rurſus *ex d. c.* infertur in ſpiritualibus, quæ tantùm per liberalem donationem conferuntur, eſſe prohibitam taxationem, eò quia hæc ſit quædam venditio, & quaſi pactio, ut notat Gloſſa *hic V. Taxatio*, ſecus in ijs, quæ ex debito dantur per modum ſtipendij, etiam in ſpiritualibus miniſterijs non eſſe ulla lege taxationem prohibitam, ſi de modo, & quantitate ſtipendij non conſtet ex lege, vel conſuetudine; quia tunc ſaltem ex conventione partium determinari debet, alioqnin totum maneret in arbitrio dantis, quod ſæpe non expedit, ut notat Barboſa *in collect. hic n. 4.* Quòd ſi delictum committatur à toto collegio, tunc ſunt omnes puniendi, qui expreſsè, vel tacitè conſenſerunt, cùm ex officio tenerentur contradicere.

40 Sunt etiam in hoc titulo alia capitula, in quibus ferè hoc idem repetitur, ut *in c. quoniam 40. h. t.* ubi Innocentius III. ex Concilio Generali Lateranenſi ſtatuit, ut Moniales recipiantur ſine pretio, & prohibet, ne prætextu paupertatis aliquid exigatur, alioquin tam recipiens, quàm recepta ſine ſpe reſtitutionis expelli debet è monaſterio in locum arctioris regulæ: & quæ ante hoc ſtatutum taliter ſunt receptæ, jubet Pontifex, ut in alijs locis ejusdem ordinis collocentur, quòd ſi hoc ob multitudinem fieri non poſſit, jubet recipi in ijsdem monaſterijs diſpenſativè mutatis locis, & inferioribus aſſignatis. Et mandat, hoc ſtatutum ſervari etiam circa Monachos, & alios Regulares, & quòd Epiſcopi per ſuas diœceſes faciant illud publicare.

§. V.

De ſimonia circa actus eccleſiaſtica juriſdictionis.

Nulli dubium, quin ſimoniacum ſit pretium dare, vel exigere pro quovis actu eccleſiaſticæ juriſdictionis fori interni, ut ſi confeſſarius nollet pœnitenti abſolutionem impertiri, niſi certum exhiberet pretium: quia hæc poteſtas eccleſiaſtica abſolvendi à peccatis ſpiritualis eſt, tam ratione principij, eò quia inſtituta fuerit à Chriſto; quàm ratione finis, eò quòd tendat ad ſalutem ſpiritualem animarum. Hinc ſimoniacum eſſet pretium temporale dare, vel accipere pro audienda confeſſione, eò quia talis auditio ſit vera ſacramenti inchoatio, quæ ſuaptè natura eſt propter conſummationem, ſeu propter ſacramentum pœnitentiæ complendum; proinde ſimoniacum eſt aliquid accipere pro tali auditione confeſſionis. Tum quia hujusmodi auditio eſt verus actus juriſdictionis ſupernaturalis, proinde non poteſt pretium exigi pro illa. 1

Rurſus ſimoniacum eſt etiam poſt exceptam confeſſionem extorquere pecuniam pro abſolutione, ut etiam poſt abſolutionem intuitu illius, ut habetur *in c. nemo 14. h. t.* ubi Pontifex expreſsè prohibet; ne ullus Presbyter xenium, vel emolumentum quodlibet à publico peccante accipiat, ut Epiſcopo, vel Miniſtris ejus, peccatum illius celet, aut quocunque reſpectu Epiſcopo innoteſcere impediat, & ne quempiam pœnitentem, vel minus dignè pœnitentem gratia, vel favore ad reconciliationem adducat, eique teſtimonium reconciliationis det: ne dignè pœnitentem quocunqua livore à reconciliatione removeat, quia utrumque ſimoniacum eſt: unde Presbyter, qui aliquid temporale pro ſpirituali accipit à pœnitente publico, ut ejus peccatum celet Epiſcopo, vel ejus Miniſtris, eſt ſimoniacus. 2

Hic textus rectè à Suarez *tom. 1. de relig. tract. de ſimon. lib. 4. c. 22. n. 14.* in duas dividitur partes, in quarum prima prohibetur, ne Presbyteri aliquid muneris accipiant pro celando publico peccato. In ſecunda prohibetur, ne clerici quemquam ad reconciliationem admittant, aut ab ea arceant ob pretium temporale, eò quia utrumque ſimoniacum ſit. 3

Circa priorem partem dubitant aliqui, an revera id ſimoniacum ſit: ratio dubitandi eſt, quia celare Epiſcopo, vel ejus Miniſtris aliquid eſt nuda, ſeu pura omiſſio actûs; & pura omiſſio non eſt quid ſacrum, & ſupernaturale, conſequenter exigere pro illa pretium temporale non videtur eſſe ſimoniacum, quia non datur quidquam ſpirituale pro temporali. Et hæc ſententia mihi videtur valde probabilis; quia 4

quia ſicùt poteſt quis pretium exigere, ne ad beneficium eccleſiaſticum eligator ineptus, vel hæreticus; eò quia talis non electio ſit nuda omiſſio, ſeu carentia actûs; ita celare Epiſcopo, vel ejus Miniſtris peccatum aliquod publicum eſt nuda, & ſimplex omiſſio, conſequenter non eſt quid ſpirituale, vel ſupernaturale, & ſi pretium pro tali omiſſione exigatur, non incurritur ſimonia, eò quia non detur quidquam ſpirituale ſupernaturale; quia hoc ſemper eſt quid poſitivum, & talis omiſſio eſt quid negativum. Et licèt *in d. c. nemo 14. h. t.* dicatur, ſimoniacum eſſe, pretio, & ſavore celare peccatorem Epiſcopo, reſpondet Leſſius *lib. 2. c. 35. dub. 11.* nomen ſimoniæ ibidem accipi laxè quo pacto collatio beneficij facta carnali affectu, vel ad preces alterius interdum ſimoniaca dicitur, ut *in c. 114. ordinationes cau. 1. q. 1.* unde per ſavorem celare peccatorem propriè non eſt ſimonia, tametſi pretio fiat, quia non revelare non eſt actus, ſed negatio actûs, proinde non eſt quid ſpirituale.

5 Quòd ſi dicas, quasdam omiſſiones eſſe uſum poteſtatis ſpiritualis, ut liquet, quando Confeſſarius non vult pœnitentem jam confeſſum abſolvere, eò quia non promittat reſtituere ablatum; vel relinquere occaſionem peccandi: ergo erit etiam ſimonia, ſi aliquid pro tali omiſſione detur, vel exigatur, eò quia daretur aliquid pro uſu ſpiritualis poteſtatis.

6 Contra eſt, quia nuda, & pura omiſſio, de qua *in d. c. nemo* dicitur, non eſt uſus poteſtatis ſpiritualis, conſequenter neque quid ſacrum. Ratio diſcriminis inter Confeſſarium negantem abſolvere nolentem reſtituere ablatum eſt; quia revera negatio talis abſolutionis pertinet ad uſum poteſtatis ſpiritualis; non ita celare ſimpliciter Epiſcopo peccatum publicum: ut enim omiſſio cenſeatur uſus poteſtatis ſpiritualis, requiritur, ut quis ex propria authoritate aliquem repellat; vel ſaltem ut eidem omiſſioni actus ſpiritualis cenſeatur conjunctus: quo fit, ut ſi confeſſarius auditâ confeſſione nolit impertiri abſolutionem, eò quia ipſum deprehendat indignum; talis expulſio, ſeu nolitio eſt verus actus ſpiritualis, proinde pretium accipere temporale pro illo eſt ſimonia jure divino prohibita.

7 Quòd ſi ſacerdos pœnitentem non repellat, nec judicet indignum, ſed diſſimulanter ſe ſubducat, vel alio actu omittat abſolutionem, tunc non utitur ſua authoritate, proinde talis omiſſio non eſt vera ſimonia. Quamvis aliquid temporale accipere à publicè peccante, ut ejus peccatum celetur Epiſcopo, vel ejus Miniſtris, propriè non ſit ſimonia: ſi tamen talis omiſſio, & ejus pactum referatur, vel redundet in damnum publicum, vel alicujus privati eſt peccatum grave, & contra charitatem.

8 Hinc exigere aliquid pro nuda, & ſimplici omiſſione actus ſpiritualis propriè non eſt ſimonia, quia nuda omiſſio, cùm neget actum, non poteſt eſſe ſpiritualis, quia quod eſt ſpirituale, debet eſſe quid poſitivum, ſacrum, & ſupernaturale, quapropter non eſt ſimonia propriè ſumpta dare alicui pecuniam, ut abſtineat ab aliquo actu ſpirituali, quem aliàs ſacrilegè, & injuſtè eſſet ſacturus; quia tunc pretium temporale datur ad impediendum aliquod malum, proinde eſt licitum, perinde ac peccatum impedire licitum eſt; neque qui dat pecuniam, intendit emere aliquid ſpirituale; ſed tantùm impedire peccatum injuſtitiæ, & ſacrilegij, quod alioquin fieret. Quòd ſi mihi licitum eſt aliquem inducere pecuniâ ad bonum aliquod faciendum: cur non etiam ad peccatum vitandum? quapropter licitum eſt etiam Electoribus dare pecuniam, ne indignum Prælatum eligant, quia id aliud non eſt, quàm impedire, ne injuria eccleſiæ inferatur ob electionem indigni.

9 Nihilominus ſi contractus de pretio accipiendo pro omiſſione actûs ſpiritualis fiat ſine cauſa, eſt quædam turpitudo affinis ſimoniæ: quia quando exigitur pretium pro omiſſione actûs ſpiritualis, tacitè inſinuatur, actum illum eſſe vendibilem. Quòd ſi cum tali omiſſione conjunctus ſit actus juriſdictionis, tunc omiſſio eſt ſimoniaca, quia procedit à poteſtate eccleſiaſtica; ſiquidem omiſſio tunc ſemper conjungitur cum aliquo actu, qui eſt exercitium poteſtatis ſpiritualis: quo pacto ſi quis negaret alicui authoritativè abſolutionem ſine juſta cauſa poſt auditam ejus confeſſionem, talis omiſſio utpote authoritativè facta foret exercitium ſpiritualis juriſdictionis: & ſi Confeſſarius detrectans abſolvere pœnitentem acciperet à tertia perſona pretium temporale pro eadem omiſſione, ſimoniaca labe inficeretur.

10 Neque obſtat, quòd omiſſio ſit pura negatio, ſeu non ens, proinde non videri quomodo poſſit eſſe exercitium ſpiritualis juriſdictionis, cùm tale exercitium ſemper importet aliquem actum, quo potentia exerceatur, ſeu tranſeat ab actu primo ad ſecundum. Nam nomine actûs hìc intelligitur etiam negatio actûs juxta Philoſophos, à quibus omiſſio rei debitæ æquiparatur commiſſioni, & etiam habetur *in regul. jur. in ff. 263.* ubi dicitur, *qui non facit, quod facere debet, videtur facere adverſus ea, quæ non facit.* Præterea quia talis omiſſio non exercetur ſine aliquo actu poſitivo, quo Confeſſarius declarat ſe nolle abſolvere, vel pœnitentem non eſſe dignum abſolutione, quia moraliter ſaltem non datur pura omiſſio in uſu potentiæ, & exercitio juriſdictionis, quo eccleſiaſticus judex declaret, ſe nolle abſolvere, vel hunc non eſſe dignum abſolutione; cùm enim hæc omiſſio exerceatur inter homines, utique non poteſt innoteſcere niſi per aliquem actum poſitivum declaratorium voluntatis internæ; hæc autem declaratio propriè eſt exercitium juriſdictionis eccleſiaſticæ, ſeu poteſtatis ſpiritualis, conſequenter non poteſt pretio æſtimari, ſicut nec ipſe actus abſolutionis. Tum quia denegare ſimpliciter, & ſine juſta cauſa abſolutionem, eò quia Confeſſarius ab alia tertia perſona pretium acceperit pro tali omiſſione, cedit in magnam irreverentiam ſacramenti Pœnitentiæ; proinde etiam ex hac parte ſimoniam redo-

redolet, quia ſemper venditur judicium ſpirituale, val illud impeditur.

11 Sin verò omiſſio actûs ſpiritualis non ſit omiſſio juriſdictionis ſpiritualis, ſed alterius actûs, quamvis aliàs ex officio debiti; ſi omiſſio talis actus nullũ effectum ſpiritualem moraliter poſt ſe relinquat; tunc non eſt ſimonia pro eadem omiſſione aliquid accipere, niſi fortaſſis intuitu alicujus boni ſpiritualis vendatur: quia quoties omiſſio actûs eſt nuda, & pura omiſſio, quæ nullum effectum ſpiritualem moraliter parit, non eſt aliquid ſacrum, vel ſpirituale, ſed tantùm non uſus poteſtatis; unde ſi aliquid pro tali omiſſione accipiatur, non eſt ſimonia, quia illa nuda, & ſimplex omiſſio non eſt quid ſpirituale, pro quo detur, vel accipiatur pretium tamporale. Hinc ſimoniacum non eſt pretium accipere pro non audiendo ſacro, pro non racitandis horis canonicis, pro non habenda concione ad populum, quamvis non intereſſe ſacro die feſto, & non recitare horas canonicas ſit peccatum grave: ratio eſt, quia nuda, & ſimplex omiſſio horum actuum non eſt quidquam ſacrum, aut ſpirituale; unde quando pro illa omiſſione præciſè ſumpta datur, vel accipitur pretium temporale, non incurritur ſimoniaca labes. Secus confeſſarius qui pro pretio non abſolvit hominem ritè confeſſum, quando illum teneretur abſolvere, committit ſimoniam, ut etiam judex eccleſiaſticus, qui non abſolvit excommunicatum ab excommunicatione pro pretio illi à tertia perſona exhibito, quia utraque omiſſio abſolutionis eſt uſus juriſdictionis ſpiritualis.

12 Generatim omnis actus juriſdictionis eccleſiaſticæ eſt materia ſimoniæ: quia ſicut poteſtas eccleſiaſtica eſt ſpiritualis tam ratione principij, eò quia inſtituta ſit à Chriſto, quàm ratione finis, cum dirigat ad æternam ſalutem; ita etiam actus ab illa procedentes ſunt ſpirituales, & pro ijsdem pretium temporale accipere, vel dare ſimoniacum eſt. Hinc poſt auditam confeſſionem aliquid exigere à pœnitente pro abſolutione, eſt ſimonia, quia ipſa abſolutio eſt actus juriſdictionis ſpiritualis. Ut etiam ſi Confeſſarius exigat pretium à pœnitente pro levi pœnitentia injungenda, ſimoniacum eſt, quia pœnitentia, quæ injungitur in ſacramento confeſſionis eſt actus juriſdictionis ſpiritualis; proinde non poteſt quidquam à Confeſſario pro illo accipi.

13 Delegare etiam alteri mediante pretio poteſtatem abſolvendi à peccatis ſimonia eſt, ut ſi Parochus det pecuniam alteri ſacerdoti, ut vice ſua confeſſiones audiat ſuorum ſubditorum, quia talis delegatio eſt actus juriſdictionis ſpiritualis, unde Parochus daret pretium pro re ſpirituali; ſeu pro illa juriſdictione delegata, & poteſtate audiendi confeſſiones. Hoc idem etiam procedit, ſi alicui pro pretio temporali detur facultas eligendi ſibi confeſſarium, quemcunque velit, quia talis facultatis conceſſio eſt etiam actus juriſdictionis ſpiritualis, pro quo non poteſt accipi pretium temporale. Procedit etiam in ordine ad abſolvendum à cenſuris; ſi enim quis pretium accipiat, ut aliquem ab excommunicatione abſolvat, ſimoniaca labe inficitur; quia abſolutio à cenſuris eſt etiam actus juriſdictionis ſpiritualis, nec poteſt ſine ſimonia pretium aliquod accipi pro eadem. Procedit etiam, ſi pro conceſſione indulgentiarum detur, vel accipiatur pecunia, quia hujusmodi conceſſio eſt actus ſupremæ poteſtatis ſpiritualis, & ſupernaturalis à Chriſto ſummo Pontifici conceſſæ, & tendit ad remiſſionem pœnarum temporalium, & liberationem animarum ab igne purgatorio. Adde quòd vendere indulgentias perinde ſit, ac vendere Chriſti ſatisfactionem, quæ per indulgentias nobis applicantur: cæterum in conceſſione indulgentiarum poteſt aliqua exigi pecuniæ contributio; non quidem ut pretium indulgentiæ, ſed per modum eleemoſynæ requiſitæ, ut conditionis ad lucrandam indulgentiam: & tunc talis eleemoſyna non eſt danda concedenti indulgentias, ſed applicanda eſt ad pias cauſas, vel ad reſtaurandam eccleſiam, vel ad opitulandum pauperibus.

14 An verò ſimoniacum ſit pecuniam accipere pro diſpenſationibus ſuper impedimentis matrimonij. Certum eſt, omnem actum juriſdictionis ſpiritualis regulariter eſſe materiam ſimoniæ: præſertim ſi talis actus verſetur circa forum internum, & circa relaxationem vinculi conſcientiæ, ſeu voti, ut habetur in Tridentino *ſeſſ. 21. de refor. c. 1. ſeſſ. 24. c. 6. ſeſſ. 24. c. 5.* in quibus textibus diſpenſationes, collationes ordinum, & conceſſiones dimiſſorialium, ac beneficiorum jubentur fieri, & dari gratis; ratio eſt, quia actus diſpenſandi propriè eſt actus juriſdictionis, ſiquidem ad eandem juriſdictionem pertinet non ſolùm lagem ferre; ſed etiam in eadem diſpenſare: & ſicut poteſtas legislativa eccleſiaſtica eſt ſpiritualis, & ſupernaturalis, pari pacto etiam poteſtas diſpenſandi ijsdem legibus.

15 Hinc diſpenſationes in votis, & juramentis ſunt etiam actus ſpirituales, quia tollunt vincula, quæ conſcientiam ligant, & ordinantur ad ſpiritualem ſalutem. Verùm quoad diſpenſationes ſuper impedimentis matrimonij poſſet objici Stylus Curiæ Romanæ, & Legatorum Pontificiorum: eſt enim talis ſtylus, ut ſine pecunia hujusmodi diſpenſationes non conceдantur. Sed contra quia in talibus diſpenſationibus ſuper impedimentis matrimonij licitum eſt aliquid exigere juxta ſtylum Curiæ Romanæ: ratio eſt, quia talis ſtylus jus inducit; non tamen (quod eſt notandum) pecnnia exigitur in pretium diſpenſationis; ſed per modum mulctæ, ratione cujus compenſetur receſſus à lege communi: & tunc mulcta applicanda eſt ad cauſam piam. Tum quia cùm ſummus Pontifex ſit ſupra jus poſitivum eccleſiaſticum, poteſt in jure diſpenſare, præſertim ut opituletur pauperibus, vel ſuccurratur cauſæ piæ, vel ob aliam rationem.

16 Cauſæ igitur hujus exactionis plures ſunt; eſt enim certum, quòd illa pecunia non exigatur tanquam pretium diſpenſationis, ſed vel ad

ſu-

ſuſtentationem Officialium, vel Legatorum Pontificiorum, vel etiam ipſius ſummi Pontificis, eodem modo, quo Parochis ob ſuam ſuſtentationem conceditur exigere pecunias ab ijs, quibus ſacramenta miniſtrant, eò quia dignus ſit Operarius cibo ſuo. Præterea judex delegatus eccleſiaſticus quamvis juſtitiam debeat gratis adminiſtrare; ſi tamen indigeat aſſeſſore, pro eo à partibus litigantibus poteſt ſalarium petere *c. ſtatutum §. ſi autem indigeat de reſcript. in 6.* Hinc etiam Parochus ſi pretium accipiat pro danda licentia aſſiſtendi matrimonio, quaſi eam vendendo, ſimoniaca labe inficitur; quia tametſi aſſiſtentia illa, vel licentia ad aſſiſtendum propriè non ſit actus juriſdictionis, ut probat Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 21.* nihilominus conceſſio talis licentiæ, quæ datur à Parocho mediante pretio, eſt actus pertinens ad officium ſpirituale Parochi, à quo intimè dimanat; proinde eſt actus, qui pertinet ad ſpirituale munus Parochi; conſequenter eſt actus ſpiritualis, & materia ſimoniæ. Quòd ſi Parochus tantùm ab illo ſacerdote, cui concedit talem licentiam, exigeret totam oblationem, vel partem illius, quam ipſe Parochus percepturus eſſet, ſi per ſe ipſum immediatè aſſiſteret; tunc ratione lucri ceſſantis poſſet licitè oblationem illam exigere, cùm Parochus poſſet ex ſe, & per ſe aſſiſtere, & tantùm ex quodam favore concedit alteri ſacerdoti, ut nomine ipſius aſſiſtat; eſt enim conceſſio illa conditionata, quâ Parochus dicit: ſi oblatio, quæ mihi contingeret ex propria aſſiſtentia, mihi non tollatur, concedo facultatem tali ſacerdoti, ut meo nomine aſſiſtat.

17 Simoniaca labe etiam inficitur, qui pretium dat, vel accipit pro actibus eccleſiaſticæ juriſdictionis contentioſæ, adeò ut judex eccleſiaſticus non poſſit pretium temporale accipere pro actibus judicij eccleſiaſtici usque ad prolationem ſententiæ, ut deſumitur ex *c. cum ab omni 10. de vita, & honeſtate Cleric.* Ubi dicitur: *vigorem, ſeu proceſſum judiciarium gratis ſtudeatis litigantibus impertiri*, & deſumitur etiam ex *c. vendentes 10. cauſ. 1. q. 3.* ibi: *vendentes in templo ſunt, qui hoc, quod quibusdam jure competit ad præmium largiuntur; juſtitiam enim vendere eſt, hanc pro præmij acceptatione ſervare:* ubi Gloſſa *V. juſtitiam* aſſerit, ementem, vel etiam vendentem juſtitiam in cauſa eccleſiaſtica ſimoniam eſſe. Huc etiam pertinet cenſuras ferre, vel tollere in foro externo: ſiquidem anathemate aliquem percutere in foro externo per latam ſententiam eſt pars judicij eccleſiaſtici, ut etiam à vinculo excommunicationis aliquem abſolvere, proinde utrumque ſimoniacum eſt, ſi pretium pro utroque accipiatur: ratio eſt, quia actus ferendi cenſuras, & ab ijsdem abſolvendi revera ſunt actus provenientes à ſupernaturali poteſtate à Deo gratis data in ordine ad regimen eccleſiæ.

18 Idque etiam deſumitur *ex c. ad aures 24. h. t.* ubi cum quidam ob cauſam debiti excommunicatus ſuis ſatisfeciſſet creditoribus, & Executores nollent illum abſolvere à vinculo excommunicationis niſi priùs decem libras ipſis ſolveret: mandat Lucius III. Papa, ut cùm indignum ſit, & eccleſiaſticæ rationi omnino diſſonum, ut beneficium abſolutionis pecuniâ redimatur: debitor ille gratis abſolvatur, ſi ſuis ſatisfecerit creditoribus. Ratio eſt perſpicua, quia abſolvere à cenſuris eccleſiaſticis eſt actus proprius poteſtatis eccleſiaſticæ, & pertinet ad eccleſiaſticum, ac ſpirituale miniſterium; proinde pretium exigere pro tali abſolutione perinde eſſet, ac pretio temporali æſtimare, & vendere ſpirituale, quod ſimoniacum eſt. Omnes enim actus poteſtatis, & juriſdictionis eccleſiaſticæ quatenus tales, ſunt materia ſimoniæ, eò quia ſint actus eccleſiaſtici, & ſpirituales.

19 An verò ſit etiam ſimoniacum ex parte excommunicati dare pretium Miniſtro eccleſiaſtico, à quo abſolvatur, aliqui reſpondent cum diſtinctione, ſi excommunicato immineat periculum, ſeu grave aliquod damnum, eò quia contra illum tunc currat præſcriptio; niſi agat in propria cauſa, tunc cenſent, licitum eſſe, pecuniam exhibere ad obtinendam talem abſolutionem; ne incurrat grave illud damnum, quod imminet; quia excommunicatio eſt tantùm pœna medicinalis, quæ ab eccleſia ad eum finem imponitur, ut contumax reſipiſcat; unde quando ex ſe petit abſolvi, tollit contumaciam, & propterea ceſſare debet medicina eccleſiæ ex intentione ejusdem; quamobrem excommunicatus cum habeat jus ad abſolutionem, non dat pecuniam, ut emat abſolutionem, ſed ut non vexetur injuſtè.

20 Sin verò tale periculum non immineat, cenſent, ei non eſſe licitum pecuniam dare pro obtinenda abſolutione. Verùm putârim probabiliùs, neque infici ſimoniaca labe, etiam ſi nullo imminente periculo reſipiſcat, & tollat contumaciam, quia tunc ex intentione eccleſiæ ceſſat pœna medicinalis, ſicut ceſſante morbo non eſt ampliùs neceſſaria medicina, & obtento fine, non ampliùs adhibentur media ad ejus aſſecutionem; unde excommunicatus habet tunc ex intentione eccleſiæ jus ad talem abſolutionem; quæ propterea nonniſi injuſtè ei denegatur; unde poteſt tunc excommunicatus pecuniam dare, non pro abſolutione, ſed ad redimendam vexationem; eò quia abſolutio injuſtè denegetur; tunc enim non datur pecunia pro actu ſpirituali, ſed pro tollendo iniquo impedimento, neque id cenſendum eſt illicitum, ſi ſubſit honeſta cauſa, ut notat Barboſa *in d. c. ad aures 24. n. 3. h. t.* Verùm licèt excomunicatus pro abſolutione non debeat quidquam dare judici abſolventi, tenetur tamen ſolvere ſumptus, qui ob ejus contumaciam facti ſunt à parte contraria, vel etiam ab ipſo judice, quia tunc non exigitur pecunia illa intuitu abſolutionis; ſed ut reſarciantur damna, quæ ob contumaciam excommunicati paſſi ſunt adverſarij; vel etiam ipſe judex.

21 Generatim ſimoniacum eſt, ſi temporale aliquid detur, vel petatur, aut accipiatur pro actibus juriſdictionis eccleſiaſticæ, ſive voluntariæ; ſive contentioſæ; vel etiam involuntariæ,

Digitized by Google

riæ, & qui proximè verſantur circa materiam temporalem, & politicam; ut ſi judex eccleſiaſticus cognoſcens cauſas merè civiles inter clericos; vel de bonis temporalibus, ac profanis; vel de criminibus mixti fori; ſi pretium temporale exigat pro hujusmodi actibus ſimoniaca labe inficitur, quia hi, & alij ſimiles actus, quatenus ſunt ab eccleſiaſtica, & ſpirituali poteſtate, ſunt & ipſi ſpirituales ratione principij, à quo fluunt, conſequenter ſunt materia ſimoniæ contra jus divinum, ſi aliquid temporale detur, vel exigatur, vel accipiatur pro ijsdem.

32 Tum quia Epiſcopi, alijque judices eccleſiaſtici tenentur gratis exercere proprium munus, & officium judiciarium: ut expreſsè habetur *in c. ab omni 10. de vita, & honeſtat. Cleric.* ubi dicitur, *proceſſum judiciarium ſtudeant gratis litigantibus impertiri*; cùm igitur ratione officij teneantur omnino gratis exercere actus omnes judiciales, etiam in cauſis merè civilibus, & ſæcularibus inter clericos tam de bonis temporalibus, & profanis; quàm de criminibus mixti fori, non poſſunt pretium ullum temporale pro ijsdem exigere, quin ſimoniam incurrant. Ratio eſt, quæ fuit ſuperiùs aſſignata, quia hi omnes actus, cùm procedant à jurisdictione eccleſiaſtica, proinde ſpirituali, ſunt & ipſi ſpirituales, ſiquidem uſus ſpiritualis jurisdictionis, eſt formaliter ſpiritualis, quia actus, cùm deſumat ſuum eſſe à potentia, à qua fluit, & potentia non poſſit aliud eſſe dare, quàm quod in ſe continet, ideo actus provenientes à jurisdictione ſpirituali, quà tali, ſunt & ipſi ſpirituales.

33 Neque refert, hos actus plerumque verſari circa materiam proximam temporalem, & politicam: quia id non impedit, quo minus tales actus proveniant à jurisdictione ſpirituali, quà tali, & ordinentur ad finem ſpiritualem. Duplex debet jurisdictio diſtingui in Prælato etiam eccleſiaſtico, una ſpiritualis, & altera temporalis; eò quia aliqui Prælati, præſertim Epiſcopi in Germania proprium etiam habent territorium temporale, perinde ac Principes ſæculares, adeò ut ſuos habeant temporales ſubditos, & actus procedentes ab hac temporali jurisdictione non ſunt ſpirituales, quia jurisdictio, à qua fluunt non eſt eccleſiaſtica, ſed temporalis; cui correſpondet gladius: & pro hisce actibus aliquid exigere in pretium non eſt ſimonia, quia tametſi exerceantur à Prælatis eccleſiaſticis, non tamen per jurisdictionem eccleſiaſticam, & ſpiritualem, ſed tantùm per jurisdictionem merè temporalem, cujusmodi eſt illa cæterorum Principum ſæcularium: unde tales actus exercentur a Prælatis eccleſiaſticis, non ut ſunt Epiſcopi, vel Prælati eccleſiaſtici, ſed quatenus ſunt domini ſæculares, & Principes Imperij, quo pacto etiam Romanus Pontifex habet ſuum dominium temporale in toto ſtatu eccleſiaſtico, & exercet in ſuos ſubditos ſæculares jurisdictionem ſæcularem.

§. VI.

De ſimonia circa beneficia, & officia eccleſiæ.

Diximus in præcedentibus, beneficia eccleſiaſtica conſequenter eſſe annexa rebus ſpiritualibus, eò quia beneficia ſunt veluti effectus illius rei ſpiritualis, quam quis conſequitur, ut eſt divinum officium; ſiquidem beneficia non dantur niſi propter officia, quia fuerunt instituta propter divina officia, ut nimirum exercentes divina officia per beneficia haberent congruam ſuſtentationem: hinc dicuntur beneficia conſecutivè annecti divinis officijs, ſeu rebus ſpiritualibus, à quibus dependent: & cum in præcedentibus dixerimus de annexis antecedenter, & concomitanter rebus ſpiritualibus: ſupereſt hîc agendum de annexis conſequenter, cujusmodi ſunt beneficia. 1

Duo in beneficijs diſtingui debent, ſcilicet jus exercendi munera eccleſiaſtica, quæ ſunt miniſteria ſpiritualia: & hoc jus propriè dicitur officium eccleſiaſticum, & ſpirituale. Secundò jus percipiendi fructus, ſeu emolumenta temporalia: & hoc ſecundum jus propriè vocatur beneficium, ſeu præbenda, & datur propter officium, ut habetur *in c. ult. de reſcript. in 6.* quamvis uſus invaleat, ut nunc in utroque jure utrumque jus beneficium eccleſiaſticum dicatur. Ex his duobus juribus in beneficio eccleſiaſtico connexis, certum eſt, jus ſpirituale ordinatum ad exercenda munera ſpiritualia eſſe jure divino invendibile: ſiquidem conſiſtit in ipſa poteſtate ſpirituali, quæ non poteſt pretio æſtimari, proinde illud vendere eſt intrinſecè malum, ſive beneficium ſit curatum, & habeat annexam jurisdictionem, ſive non; ſed ſit ſimplex, quia ſemper fundatur in titulo ſpirituali, ſeu poteſtate exercendi actus Ordinis, vel obeundi officia divina; & quoad hoc concordant communiter Doctores, beneficia eccleſiaſtica, quoad primum exercendi miniſteria ſpiritualia non poſſe pretio æſtimari, & eſſe invendibilia etiam de jure divino, quia licèt beneficiorum institutio, ac titulorum diviſio facta ſit ab eccleſia: nihilominus id non obſtat, quin vendere tale jus, ſit jure divino prohibitum, quia licèt aliquid effectivè ſit ſpirituale ex eccleſiæ inſtitutione, attamen poſtquam eſt factum ſpirituale, ſeu deputatum ab eccleſia ad munus ſacrum, formaliter, & eſſentialiter eſt ſpirituale, conſequenter jure divino invendibile. 2

Quòd verò ad aliud jus percipiendi fructus, ſeu emolumenta temporalia pertinet, certum eſt nec poſſe beneficia eccleſiaſtica vendi, vel emi; etiam quatenus ijs junctæ ſunt præbendæ, ſeu jus percipiendi tales reditus eccleſiaſticos: ratio eſt, quia tametſi ſecundùm ſe ſpectati ſint merè temporales; nihilominus prout ſunt annexi titulo ſpirituali beneficij eccleſiaſtici, participant quandam ſpiritualitatem; adeò ut jus 3

per-

percipiendi fructus temporales in beneficijs eccleſiaſticis ſpiritualizetur ab alio jure exercendi officia, & miniſteria ſpiritualia, & cui adnectitur. Hinc fit, quòd nec ſine ſimonia poſſint beneficia eccleſiaſtica etiam quoad jus percipiendi fructus temporales vendi, & emi; idque patet in *c. querelam 15. h. t.* ubi ſtatuitur, quòd bona eccleſiæ non poſſint emi, vel redimi, & etiam deſumitur *ex c. tua not 34. h. t.* ubi conſultus Pontifex reſcribit: ſi clericus cum conditione, vel pacto largiatur eccleſiæ ſua bona, ut illa poſtea retineat loco præbendæ, & ipſe in canonicum recipiatur, id fieri non poteſt abſque ſimonia, cum in talibus omnis pactio, & conventio ceſſare debeat juxta canones: ſin verò purè offerat rogans humiliter, ut in canonicum recipiatur, & bona ſua pro præbenda ſibi retinere liceat, & clerici ejuſdem eccleſiæ purè conſentiant, id fieri poterit abſque ſcrupulo ſimoniacæ prævitatis.

4 Si tamen is, qui talem donationem facit, intendat per temporalia bona, quæ offert, ſpiritualia adipiſci, & clerici eum recipientes non aſſent eum admiſſuri, niſi commoda temporalia perciperent, ſine dubio tam illi, quàm iſte apud ſtrictum judicem (qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum) culpabiles judicantur. Ex quo textu claret, quòd ſi clericus cum pacto, vel conditione det, vel offerat eccleſiæ ſua bona, ut recipiatur in canonicum, & ea bona pro præbenda habeat, ſimoniaca labe inficiatur: ſecus tamen ſi ſine pacto, vel conditione hujuſmodi bona offerat, & humiliter petat, ut admittatur in canonicum, & poſſit pro præbenda ſua bona retinere; tunc enim poſſunt canonici illum admittere in canonicum ſine ſimonia, idque in foro exteriori, in quo tantùm judicatur de manifeſtis, & ſenſibilibus: alioquin ſi det bona ſua ea intentione, ut per temporalia bona data enanciſcatur officium ſpirituale, ſeu canonicatum, in foro interno ſimoniaca labe inficitur: ut etiam canonici, ſi non eſſent eum recepturi, niſi perciperent temporalia; contraherent enim, & ipſi ſimoniacam labem in foro interno conſcientiæ. Verùm an ſola intentio faciat hominem ſimoniacum, eſt res dubia, de qua infra.

5 Certum eſt, quòd quamvis aliqui dicant, vendere beneficia ſimplicia eſſe tantùm de jura humano; & vendere beneficia curata aſſe de jure divino prohibitum: communior tamen, ac verior ſententia eſt, de jure naturali, & divino prohiberi pro pretio temporali vendi, & emi quæcunque beneficia ſive ſimplicia, ſive curata: ſiquidem omnia beneficia quæcunque illa ſint, non aliter conferuntur, quàm titulo clericali, qua ratione obligant ad horas canonicas, & habent annexum jus percipiendi decimas pro miniſterio ſpirituali, & beneficium habet tale jus de jure divino, & naturali, quamvis quoad quotam ſit de jure Pontificio, quoties in beneficio imbibitur jus exercendi aliquod ſpirituale, vel recitandi horas canonicas, tale jus ſpiritualizat beneficium, ſive curatum ſit, ſive non, proinde etiam ſpiritualizat jus percipiendi fructus temporales, qui ſe habent conſecutivè ad jus ſpirituale.

Cæterum ex juſta, & gravi cauſa poteſt Pontifex extinguere in beneficio eccleſiaſtico jus ſpirituale, ſeu titulum ſpiritualem, cui eſt adnexa præbenda, vel beneficium, ſeu jus percipiendi fructus temporales: & extincto, ac ſublato jure ſpirituali poſſet poſtea fructus temporales omnino demembratos applicare operi ſæculari, ac vendere: ratio eſt, quia jus percipiendi fructus illos temporales non ampliùs nectitur in beneficio cum jure ſpirituali, à quo contrahebat ſpiritualitatem; proinde tale jus cùm non ſit ampliùs ſpirituale, nil obſtat, quin poſſit pretio æſtimari.

Tum quia hujuſmodi beneficia fuerunt jure poſitivo inventa, ſi ſint ſimplicia: ſin autem curata, ſaltem quoad quotam ſunt jure poſitivo inventa: & hoc pacto jus ad decimas poteſt etiam laico competere, non prout jus ad decimas eſt connexum cum jure ſpirituali, ſed ut demembratum ex officio ſpirituali, quia tunc caret omni ſpiritualitate: eodem pacto quamvis fundus præbendæ mancipatus non poſſit vendi cum titulo illo eccleſiaſtico, ut ſcilicet clericali jure poſſit emens fructus percipere; nihilominus ſi Papa ſeparet fundum ab illo ſacro titulo, poteſt fundus vendi; eo quia ſejunctus à titulo ſpirituali evadit totaliter bonum temporale, quod eſt pretio æſtimabile. Hinc quoties præbenda non eſt annexa muneri clericali, ſed alijs tantùm officijs, ut Sacriſtæ, Oeconomo, Procuratori, &c. eſt tantùm ſimonia de jure humano eam vendere; eò quia hæc officia propriè non ſunt ſpiritualia: quòd ſi officia illa eſſent vera beneficia eccleſiaſtica, quæ aliàs dantur ratione tituli ſpiritualis, tunc præbendas illas vendere eſſet ſimonia jure divino prohibita. 6

Quòd ſi dicas, jus percipiendi reditus temporales eſſe quid ex natura ſua temporale, ac propterea temporali pretio æſtimabile, ac vendibile; perinde ac jus quod habent ſæculares percipiendi fructus ex bonis illis temporalibus, quæ poſſident; proinde ſicut laicus abſque ulla ſimoniæ ſuſpicione poteſt pretio vendere ſuum jus, quod habet ad fructus temporales percipiendos; ita poſſe etiam clericum jus percipiendi fructus temporales vendere, quin ſimoniaca labe inficiatur; eò quia vendat tantùm jus temporale, & ſibi retineat jus ſpirituale exercendi miniſteria eccleſiaſtica. Contra eſt, quia tametſi jus percipiendi reditus temporales ſecundùm ſe ſit pretio æſtimabile, nihilominus quia ex primæva beneficiorum inſtitutione annexum fuit officio ſpirituali, & juri exercendi miniſteria ſpiritualia, ideo ratione hujus connexionis ſpiritualizatur, ut non poſſit alteri competere niſi Clerico, vel perſonæ eccleſiaſticæ; & propter officium clericale, ſeu miniſterium ſpirituale, ratione cujus datur beneficium, ſeu præbenda conſiſtens in jure percipiendi reditus eccleſiaſticos, ſeu fructus temporales, ut debitum ſtipendium pro congrua ſuſtentatione: eſt enim hoc jus percipiendi fru- 7

ꝟtus temporales pro congrua ſuſtentatione non ſolùm de jure humano, ſed etiam de jure divino, & naturali: ſiquidem eo ipſo, quòd quis eſt in ſtatu clericali, habet jus percipiendi ab eccleſia, cui inſervit cougruam ſuſtentationem *c. ult. cauſa* 1. *q.* 2. ſiquidem diguus eſt Operarios cibo ſuo *Matth*. 10. & qui ſervit altari, æquum eſt, ut de altari vivat, ut ſcribit Apoſtolus *1. ad Corinth. 9.*

9 Quamobrem jus percipiendi reditus temporales, quamvis ſecuudùm ſe ſit pretio æſtimabile, & veudibile; ſi tameu nectatur cum jure ſpirituali, ac titulo exercendi miniſteria ſpiritualia, & inſerviat pro congrua ſuſtentatiune exerceutis miniſterium ſpirituale, etiam ipſum jus percipiendi reditus temporales ſpiritualizatur à jure ſpirituali, cui nectitur: undu aliud eſt loqui de jure percipieudi reditus temporales ſecundùm ſe, & præcisè; & aliud loqui de eodem jure nou ſimpliciter, ſed ut connexo cum jure ſpirituali exercendi miniſterium ſpirituale; priuri modo conſideratum eſt pretio æſtimabile, & vendibile: poſteriori verò modo eſt ſpiritualizatum, & non poteſt pretio æſtimari, quamdiu manet connexum cum jure ſpirituali; alioquin qui venderet jus percipiendi reditus beueficiales, venderet etiam jus ſpirituale, ſeu officium exerceudi miniſterium ſpirituale, quia quoties à ſummo Pontifice hæc jura non ſeparautur; non poteſt unum ſine alio vendi; onde *in c. ſi quis 7. cauſ. 1. q. 3.* Paſchalis II. ait., *quiſquis horum alterum vendit, ſine quo alterum non provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

10 Quòd ſi dicas, vaſa ſacra tametſi ſpiritualizata per conſecrationem, vel beuedictionem poſſe licitè veudi, dommodo quidquam non exigatur pro ipſa benedictione, vel conſecratione, ſed tautùm exigatur pretium ipſius materiæ aureæ, vel argenteæ, ex qua conflata ſunt vaſa ſacra, proinde nou videri illicitum poſſe Clericum vendere jus, quod habet percipiendi reditus temporales, uil aliud exigendo pro jure ſpirituali, ſeu titulo exercendi miuiſterium ſpirituale, quod jus poteſt clericus etiam ſibi retinere.

11 Contra eſt, negator conſequentia, eſt enim diſcrimeu iuter vaſa ſacra, & beneficia eccleſiaſtica; ſiqoidem vaſa ſacra licèt ſint adnexa ſpiritualibus, nou tamen ſunt illis poſteriora, ſed potius tempore priora, & ordinantur ad ſacramentorum uſum, à qoibus ſecundùm ſe, & ſuaptè natura non dependent: hinc eſt, quòd ratione materiæ, quâ couſtanr, vendi poſſuut, adeò ut vendita materia uon vendatur id, quod eſt ſpirituale iu illa materia, ut conſecratio, vel benedictio: tum quia materia abſolutè, & ſimpliciter præcedir, quod in illa eſt ſpirituale, & ſacrum; proinde ſecundùm ſe, & ex natura ſua eſt vendibilis, & pretio æſtimabilis, etiam nun venditu, nec æſtimaro ſpirituali: eodem pactu poteſt etiam vendi ſundus, in quo eſt jus patronatus, eò quia in ſundo non veudatur ipſum jus patrouatus: ſecus beneficium ſeu jus percipiendi fructus temporales eſt poſterius, & acceſſorium, proinde annexum officio ſacro, & ſpirituali, à quo dependet, & in quo fundatur, proinde vendi non poteſt, niſi etiam vendatur officium ſacrum, & ſpirituale, cui eſt anuexum, quia inferior ſummo Pontifice nou poteſt ſeparara jos hoc temporale à ſpirituali; conſequenter nec vendere unum ſine alio. Quoties jus percipiendi eccleſiaſticos reditus temporales couuexum manet juri ſpirituali, ſeu officio exercendi miniſterium ſpirituale nou poteſt vendi ſine ſimonia juris diviui; eò quia ex primæva ſoa inſtiritotione tales fructus debeantur habeuti officiom tanquam ſtipendium ſuæ congruæ ſuſtentationis, in quo ſeuſu dicitur beneficium eſſe propter officium.

12 Cæterum ſi aothoritate ſommi Pontificis hujusmodi fructus, ſeu jus percipiendi reditus temporales re ipſa ſepareutur ab officio ſpirituali, ſeu à jure officij ſpiritualis; adeò ut non ampliùs reditus temporales debeantur ob miniſterium ſpiritoale habeuti beneficium, ſed propter aliam cauſam, tunc poteſt jus hoc percipiendi hujusmodi fructus licitè emi, & vendi, quia ob ſeparationem à jure officij ſpiritualis exuit omnem ſpiritualitatem, & remanet jus merè temporale pretio æſtimabile, ac propterea vendibile ſine ſimoniaca labe.

13 Quòd verò poſſit ſummus Pontifex in beneficijs eccleſiaſticis ſeparare jus percipiendi fructus temporales à jure officij ſpiritualis, ex eo liquer, quia eſt ſupremus adminiſtrator, & diſpenſator omnium bonorum eccleſiaſticorū; propterea ex juſta cauſa, & proot ipſi couſultiùs viſum fuerit ob bonom eccleſiæ regimen, poteſt hoc jus percipiendi temporales reditos ſeparara à jure officij ſpiritualis; adeò nr jus percipieudi reditus temporales, ot ſeparatū à jure ſpirituali ſit omninu temporale, ac proinde pretio æſtimabile, ac veudi poſſir citra ſimoniæ ſuſpicionem. Hiuc poteſt ſummus Pontifex couferre alicui beueficium ſub oaere ſibi, vel alijs ſolvendi annuam penſionem, ſeu portionem redituum: quia tunc Pontifex ſeparat illam redituum portionem à jure officij ſpiritualis, ac propterea poteſt illam applicare ſibi, vel alteri, cui magis placuerit. Nec tunc beneficium collatum cum tali ouere ſolvendæ annuatim penſionis tranſir in cuntractum venditionis; ſiquidem portio illa fructuum detracta à jure percipiendi fructus beneficij non habet rationem pretij: qoia antea non pertinebat ad illud jus, quo confertur beneficium; ſed tantùm detrahitur ex fructibus pinguioribus beneficij vacantis, quod alteri confertur.

14 Hanc autem ſeparationem inſtituere ad ſolum pertinet ſummum Pourificem; adeò ut inferiores Prælati nullo pacto poſſint ſeparare fructus à ſpirituali titulu beneficij; conſequenter nec poſſunt ſacere, ot jus ad illos fructus alteri acqoirarur ſine jure officij ſpiritualis exercendi miniſterium ſpirituale iu eccleſia: quo fit, ut inferiores Prælati non poſſint præbendam, nec ejus partem vendere, niſi ſimul vendant jus officij ſpiritualis ob neceſſariam con-

nexio-

nexionem: hinc jure ſtatutum eſt, ut eccleſiaſtica beneficia abſque ulla diminutione conſerantur. Unde perſpicuum eſt, pretio dare beneficia eccleſiaſtica eſſe ſimoniacum contra jus divinum, & naturale, & intrinſecè malum. adeo ut nec ab ipſo Papa vendi poſſit beneficium, prout hoc includit utrumque jus ſimul; ſcilicet jus officij ſpiritualis, quod conſiſtit in obligatione exercendi miniſterium aliquod ſpirituale; & jus percipiendi reditus temporales pro congrua ſuſtentatione exercendi tale miniſterium ſpirituale; quia quod eſt de jure divino naturali non poteſt diſpenſari à ſummo Pontifice, & probari ſolet ex pluribus canonibus præſertim *in c. ex multis 9. cauſ. 1. q. 3.* & *c. Salvator 8. §. igitur cauſ. 1. q. 3.* ubi Urbanus II. conſultus, an licitum ſit vendere beneficium eccleſiaſticum, reſpondit, hoc eſſe ſimoniacum, eo quia Petrus dixit Simoni Mago *pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia exiſtimaſti donum DEI pecuniâ poſſideri.*

15 Quamobrem Pontifex ut ſupremus adminiſtrator, & diſpenſator omnium bonorum eccleſiaſticorum tantùm ex juſta cauſa, & ad regimen eccleſiæ, ſi conſultius viſum fuerit, poteſt ſeparare jus percipiendi reditus temporales à jure officij ſpiritualis; & facta ſeparatione poteſt tantùm illud vendi pretio, non verò iſtud; ratio diſcriminis eſt, quia jus officij ſpiritualis, cùm ſit ab intrinſeco ſpirituale, non poteſt exuere ſpiritualitatem, conſequenter neque pretio æſtimari: jus verò percipiendi reditus temporales, cùm non ſit per ſe, & ab intrinſeco ſpirituale, ſed tantùm ratione annexionis juri officij ſpiritualis, ſublatâ hac annexione exuit omne eſſe ſpirituale, & tranſit ad jus purè temporale pretio æſtimabile, ac vendibile. Si dicas nullibi in ſcripturis reperiri, ſimoniacum eſſe vendere hoc jus percipiendi reditus temporales, quamvis adnexum ſit juri officij ſpiritualis. Contra eſt, quia quando Chriſtus Matth. 10. dixit *gratis accepiſtis, gratis date*, generatim prohibuit venditiones omnium actuum ſpiritualium, ſi non expreſsè ſaltem implicitè, quia ibi prohibetur venditio prædicationis evangelicæ, proinde prohibentur etiam omnes aliæ venditiones functionum ſpiritualium.

16 Hinc pro ipſa collatione beneficij aliquid temporale exigere, ſive illud ſit pecunia, ſive quid aliud, eſt ſimoniacum contra jus divinum naturale. Ratio eſt, quia collatio beneficij eſt actus functionis ſpiritualis, quia cùm beneficium ſit eccleſiaſticum, non poteſt conferri, niſi ab habente poteſtatem eccleſiaſticam, proinde ſpiritualem illud conferendi: unde cùm collatio beneficij ſit actus poteſtatis ſpiritualis, eſt etiam ſpiritualis, conſequenter eſt contra jus divinum, & naturale aliquid exigere pro tali collatione. Immo ſimoniacum etiam eſt exigere pretium temporale pro ipſa immiſſione in poſſeſſionem collati beneficij, idque deſumitur *ex c. cum in eccleſia* ubi Concilium Lateranenſe abſolutè prohibet, ne quidquam accipiatur, vel exigatur pro introducendis perſonis in ſedem eccleſiaſticam, & Concilium reprobat omnem conſuetudinem in contrarium: & contra hoc decretum dare, vel recipere, vel conſentire præſumens damnatur cum Gezi, & Simone Mago, quorum primus fuit, qui in veteri teſtamento ſimoniam invenit *c. qui ſtudet 1. h. t.*; & Simon Magus in novo. Ratio itidem aſſignari poteſt, quia per immiſſionem in poſſeſſionem beneficij collati, acquiritur jus in beneficio cum antea tantùm is, cui fuit beneficium collatum, habuerit jus ad illud: hoc autem jus in beneficio eſt quid ſpirituale, eò quia eſt poſſeſſio utriusque juris comprehenſi in beneficio eccleſiaſtico, ſcilicet poſſeſſio juris officij ſpiritualis exercendi miniſterium ſpirituale; & poſſeſſio juris percipiendi fructus temporales pro congrua ſuſtentatione. Tum quia per corporalem poſſeſſionem acquiritur adminiſtratio totius beneficij quoad utrumque jus, conſequenter eſt quid ſpirituale pretio non æſtimabile.

Immo ſimoniacum etiam eſt conferre bene- 17
ficium, vel quid aliud ſpirituale pro munere uti vocant à manu, vel à lingua, vel ab obſequio; ratio eſt, quia ſpirituale quodcunque illud ſit, non eſt pretio æſtimabile, & omnia prærecenſita ſunt pretio æſtimabilia, hinc Urbanus II. *d. q. 3. c. Salvator* ait, *quisquis res eccleſiaſticas, non ad quod inſtituta ſunt, ſed ad propria lucra, munere linguæ, vel obſequij vel pecuniæ largitur, vel adipiſcitur, ſimoniacus eſt*, & deſumitur *ex homil. 4.* D. Gregorij in evangelia, ubi munus à manu eſt pecunia, ut & omne donum, quod datur Collatori, Electori, vel Patrono, ut pictura, equus, gemma, & alia id genus. Quòd ſi quis daret tale munus non præcisè, & immediatè, ut ſibi conferatur beneficium eccleſiaſticum, ſed ad ſibi captandam benevolentiam, & conciliandam amicitiam collatoris, ut poſtea ipſius memor, ei ex amicitia beneficium vacans conferret, non haberetur ſimonia in dante, nec in collatore accipiente, ſi hic tanquam munus ſibi gratis datum illud accipiat; adeo ut nulla intercedat pactio, nullam accipiens contrahat obligationem conferendi danti beneficium vacans: quoties non intervenit pactum, non habetur venditio rei ſpiritualis pro temporali, conſequenter neque incurritur ſimonia, ad quam requiritur obligatio orta ex pacto conferendi tale beneficium; adeo ut non ſufficiat obligatio antidoralis orta ex virtute gratitudinis, quâ accipiens munus cognoſcit, ſe adſtrictum ad correſpondendum benefaciendo danti, ut rectè notat Covarruvias *lib. 1. variar. c. 20. n. 4.* quia ſimonia exigit, ut beneficium conferatur ex obligatione juſtitiæ, orta ex pacto inito, quo accipiens pretium temporale ſe obligavit, conferre beneficium danti tale pretium. Verùm quamvis hæc doctrina ſit valde communis, nihilominus in praxi pluribus eſt obnoxia periculis, quia perſæpe eſt magnum periculum ſimoniæ, vel non legitimæ electionis, aut promotionis, ubi munera præceſſerunt, hinc *Exod. 23.* dicitur, *ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes.*

& ſubvertunt verba juſtorum, & Eccleſiaſt. 20. *Xenia, & dona excæcant oculos judicum, & quaſi frenum in ore avertunt correptiones eorum.*

18 Quinimò ſi quis ea intentione daret munera collatori, ut de facto ipſum eligat, ac promoveat ad beneficium, non excuſaretur à ſimonia ſaltem mentali reſpectu dantis, ſiquidem ex pacto tacito daret talia munera, ut ſibi conferatur beneficium, quod eſſet dare temporale pro ſpirituali. Quod dictum eſt de munere à manu, procedit etiam de omni obſequio præſtito collatori beneficiorum, vel electori, aut patrono; dicitur enim hujusmodi obſequium munus ab obſequio, unde ſi quis ſuum præſtet Epiſcopo obſequium eâ intentione, & tacito pacto, ut beneficio compenſetur, inficitur ſimoniaca labe ob tacitum pactum: ſin verò obſequia illa præſtet tantùm ad conciliandam ſibi ejus benevolentiam, & amicitiam, & ut collatori innoteſcant merita præſtantis obſequia; tunc nulla in foro conſcientiæ incurritur ſimonia, tametſi gratis vellet quis beneficiorum collatori inſervire, dummodo tunc nullo tacito pacto intendat collatorem obſtringere ad conferendum beneficium, quia tunc non exhibet ſua ſervitia collatori, ut illum obliget ad ſibi conferendum beneficium, ſed ut ejus merita, & talenta illi innoteſcant.

19 Quòd ſi beneficium detur propter munus à lingua, ſeu propter preces, laudes, commendationes non incurritur ſimonia; niſi pactum aliquod expreſſum, vel tacitum interceſſerit, & tantùm impropriè, & laxè poteſt dici ſimonia, ut docet D. Thomas *2. 2. art. 5. ad 3.* ſin verò pactum aliquod expreſſum, vel tacitum interveniat, tunc incurritur ſimoniaca labes; ratio eſt, quia obligatio laudandi alterum, vel eum commendandi apud Principem, vel rogandi pro illo eſt pretio æſtimabilis, ac poteſt, pro tali obligatione pretium exigi; proinde quando deducitur in pactum contra rem ſpiritualem, conſtituit ſimoniam. Quinimò licèt non eſſet quid pretio æſtimabile, adhuc ſufficeret ad conſtituendam ſimoniam, ſi deduceretur in pactum pro beneficio.

20 Contrahitur etiam ſimoniaca labes, ſi homagium præſtetur pro beneficio obtinendo, ut deſumitur ex *c. ex diligenti 17. h. t.* ubi cum Cantuarienſis Archidiaconus quendam clericum promiſſo beneficio eccleſiaſtico ad præſtandum homagium ſibi, & fidelitatem induxiſſet; & clericus illicitæ obligationis religione ductus abſolvi poſtularet, Pontifex eum à præfato homagio, & fidelitate (præſertim cum hæc taliter præſtita, ſint humanis, & divinis legibus contraria) abſolvit: & ne propter hoc, notâ infamiæ poſſet reſpergi, abſolutionis ſuæ litteras ipſi indulſit. Notat *in d. c. ex diligenti 17.* Panormitanus *n. 1. h. t.* homagium, & fidelitatem eſſe diverſa: ſiquidem ſi propriè loquamur, homagium eſt, cùm quis facit promiſſionem ſubjectionis alteri genibus flexis, & manibus intra manus illius poſitis, quamvis conſuetudo invaluerit, ut etiam alio modo fiat: unde dicitur homagium, quia præſtans ſubjectionem alteri dicitur effici homo illius: hinc ſi Princeps, vel Rex daret comitatum aliquem alicui nobili, & vir nobilis ob ſibi datum comitatum promiſſionem ſubjectionis tali Principi genibus flexis, & ſervatis alijs ſervandis præſtaret, diceretur fieri homo talis Principis propter homagium ipſi præſtitum.

Solet etiam, homagium ab eccleſiaſticis præ- 21
ſtari Imperatori, & Regibus pro feudis temporalibus; quia tunc non præſtant homagium, ut Epiſcopi eccleſiaſtici, ſed ut Principes Romani Imperij in Germania, ubi plures Epiſcopi habent ab Imperatore, & Imperio comitatus, & alios ſtatus temporales; pro quibus exercent etiam jurisdictionem temporalem. Juramentum fidelitatis habetur, quando promittit quis alteri fidelitatem, quæ præſtari poteſt non ſolùm Imperatori, & Regibus, ſed etiam alijs Principibus; & hoc juramentum etiam præſtant Epiſcopi, cùm conſecrantur ſummo Pontifici.

Ratio verò, cur homagium præſtari non 23
poſſit pro beneficijs ſpiritualibus eſt, quia homagium continet commodum temporale illius, cui præſtatur, ſiquidem per homagium efficitur quis ſubditus, & vaſallus alterius, cui præſtatur cum obligatione ad certa ſervitia temporalia, quæ pro ſpiritualibus conſequendis præſtari non debent: ſecus juramentum fidelitatis cùm ſolùm obliget ad fidelitatem debitam ſuperiori, ut conſtituto in majore dignitate, potiùs præſtatur dignitati, quàm perſonæ *c. Venerabilem de elect.* Cæterum in prædicto *cap. ex diligenti 17. h. t.* abſolvitur clericus non tantùm ab obſequio præſtito Archidiacono Cantuarienſi, ſed etiam à fidelitate, quia poteſtas Archidiaconi non eſt tanta, ut poſſit exigere fidelitatem. Alij tamen cenſent, fuiſſe clericum abſolutum à fidelitate, & homagio, eò quia exactio utriusque ſimoniaca fuerit, quia clerico illi ex reditibus eccleſiæ, vel dignitatis eccleſiaſticæ certa annua penſio conſtituta fuit, loco beneficij ſpiritualis pro homagio, ſeu obſequio temporali, ut notat Hoſtienſis *in d. c. ex diligenti 17. V. illicita h. t.* unde ex beneficio eccleſiaſtico recipiebat certum cenſum, ſeu annuam penſionem; & quia tale homagium eſt quid temporale, quod exigebatur pro re ſpirituali, ideò erat ſimoniacum, & contra leges canonicas.

Neque obſtat, ſi dicas, etiam clericos re- 24
cipientes beneficia à ſuis Prælatis præſtare idem juramentum fidelitatis, imò etiam homagium *l. gravem 15. de exceſſ. Prelat.*

Nam contra eſt, quia id intelligi debet de 25
homagio latè ſumpto pro fidelitate, & obedientia, ut notat Abbas *in d. c. ex diligenti n. 4. h. t.* ubi etiam aſſignat rationem diſcriminis, cur homagium ſtrictè ſumptum non debeat præſtari pro ſpiritualibus, benè tamen juramentum fidelitatis, eò quia homagium contineat commodum temporale illius, cui præſtatur; ſiquidem præſtans homagium fit ejus ſubditus, & vaſallus, ſéque eidem obligat ad certa ſervitia, quæ pro ſpiritualibus obtinendis præ-

ſtari

ſtari non debent, etenim habetur *de reg. jur. reg. 11. indignum eſt, & à Romana eccleſia conſuetudine alienum, ut pro ſpiritualibus facere homagium quis compellatur.*

25 Neque obſtat, quòd Pontifex non ſolùm à præſtito homagio, verùm etiam à promiſſa fidelitate clericum abſolverit; quia ut notat Abbas *in d. c. ex diligenti n. 4. h. t.* Archidiaconus exigebat omnimodam ſubjectionem à clerico; proinde tota obligatio etiam fidelitatis fuit à Pontifice annullata *argu. c. cum ſuper. 23. de offic. deleg.* Tum quia juramentum fidelitatis præſtandum eſt tantùm Epiſcopo, vel alteri habenti juriſdictionem quaſi epiſcopalem, non verò alijs Prælatis inferioribus, nec Archidiacono; tametſi ad ipſos pertineat beneſicia conferre.

26 Quod verò ad officia temporalia eccleſiæ pertinet cujuſmodi ſunt officia Procuratoris, ſeu adminiſtratoris rerum temporalium eccleſiæ, Advocati, Syndici, Judicis, an ea vendere pretio temporali ſit ſimoniacum. Reſpondetur ſpectato jure naturali, ac divino non eſſe ſimoniam, ut docet Suarez *lib. 4. de ſimon. c. 29. n. 1.* quia hæc officia non habent in ſe quidquam ſpirituale, neque ordinantur proximè ad actiones ſpirituales, ſed tantùm ad temporales ut ſunt cuſtodire, adminiſtrare res, & bona eccleſiæ: & licèt ordinentur etiam ad finem ſpiritualem; talis tamen ordinatio eſt remota, & extrinſeca. Hinc vendere officium Sacriſtæ, aut cuſtodis, non eſt ſimonia juris divini, quia tametſi hæc officia reſpiciant immediatè res ſacras, quæ ſervantur in ſacriſtia, & deſerviunt eccleſiæ, ſunt tamen actiones merè temporales. Nihilominus vendere hujuſmodi officia eſt ſimonia jure canonico prohibita *c. ſi quis 8. cauſa 1. q. 1.* & deſumitur ex *c. Salvator 8. cauſa 1. q. 3.* & ex *c. conſulere 38. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd qui per pecuniam vult obtinere vicariatum, vel aliam adminiſtrationem rerum eccleſiaſticarum, tam emens, quàm vendens ſint ſimoniaci, & jubet excludi ab eccleſia, cui facta eſt contumelia: quia tametſi hæc officia ex ſe non ſint ſpiritualia, ſunt nihilominus ijsdem annexa, quia per talia officia res ſacræ valdè propinquè contrectantur, proinde ſi dentur venum, injuria redundat etiam in ipſas res ſpirituales propter propinquitatem ad ipſas: hæcque ratio fuit, cur eccleſia prohibuerit hujuſmodi officia dari venum, & ſi de facto vendantur, committatur ſimonia juris humani contra prohibitionem eccleſiæ, ut notat Suarez *lib. 4. de ſimon. c. 29. n. 5.* Verùm id à pluribus limitatur, quòd tantùm procedat, quando prærecenſita officia exercentur per clericos, non ita ſi per ſolos laicos, vel niſi conſuetudo in contrarium invaluerit, quinimò Sylveſter *V. ſimonia q. 13. dicto 3.* aſſerit, huic prohibitioni juris canonici per contrariam conſuetudinem fuiſſe derogatum.

(†)

§. VII.

De ſimonia, quæ committitur in modis acquirendi beneficia.

Quia beneficia eccleſiaſtica poſſunt varijs acquiri modis, ſupereſt expendendum, quomodo contrahatur ſimonia in modis acquirendi beneficia. Certum eſt, omne pactum adjectum acquiſitioni beneficij abſque licentia Pontificis, & etiam omnem conditionem, vel modum eſſe ſimoniacum, quia eccleſia hujuſmodi pactiones, & conditiones prohibet ob reverentiam debitam rebus ſpiritualibus: ſiquidem per hujuſmodi conditiones, & pactiones datur ſemper, vel relinquitur jus ſpirituale cum onere, ut fiat aliquid quaſi pro pretio rei ſpiritualis, vel pro causâ principali immediatè eam habendi, unde id expreſsè prohibetur *in c. quam pio 1. q. 2.* ibi: *Dum tamen omnis abſit pactio, omnis ceſſet conventio*, & *in c. final. de pact.* dicitur in ſpiritualibus obtinendis omnis pactio, omniſque conventio ceſſare debet, eò quia ut notat Gloſſa ibid. *V. ceſſare* hujuſmodi pactiones ſimoniam inducunt, unde generatim Canoniſtæ docent, ſolum Papam in collatione beneficiorũ poſſe conditiones, & pactiones ſine ſimonia apponere, quod tamen intelligendum eſt de pactionibus, & conditionibus, quæ ſi apponerentur, inducerent ſimoniam de jure eccleſiaſtico: quia Papa non poteſt apponere pactiones, & conditiones, quæ inducant ſimoniam de jure divino, cùm non poſſit diſpenſare in hoc jure. Unde beneficia purè conferri debent ſine ulla pactione, & conditione, quia omnis pactio, & conventio in ſpiritualibus, eiſque annexis ſimoniam redolet. 1

Verùm ſolet id à Canoniſtis limitari. Primò niſi pactum tale ſit, ratione cujus tantùm remittatur aliquid alteri, & commodum illi applicetur: alioquin ſi collator beneficij eſſet debitor centum aureorum Cajo Clerico, & Cajus ſuo creditori debitum remitteret ea conditione, ut ei conferret beneficium vacans; tunc nulli dubium, quin collatio eſſet ſimoniaca, quia remiſſio illa debiti applicaretur in commodum collatoris, & perinde foret, ac emere collationem beneficii centum illis aureis: quòd ſi per remiſſionem debiti commodum non applicetur parti, tunc poſſet excuſari à ſimonia, quia non darentur illi centum aurei pro illa collatione tanquam pro pretio illius, ſed tantùm collatio beneficij eſſet occaſio, cur talis remiſſio fieret in beneficium alicuis loci pij. Quòd ſi creditor remitteret debitori ſuum debitum cum pacto non apponendi exceptionem declinatoriam fori ipſi conferenti, non deſunt, qui cenſeant id non eſſe ſimoniacum, eò quia tunc remittere non ſit dare, ut docent Felinus *in c. venimus 1. de teſtibus.* Panormitanus ibid. *n. 6. & alij.* Putârim tamen remiſſionem illius debiti cum pacto non apponendi exceptionem declinatoriam fori ipſi conferenti beneficium redolere ſimoniam; ſiquidem non apponere hanc exceptionem declinatoriam eſt aliquid pretio 2

æſtimabile, & quidem quid temporale, proinde mediante pretio temporali remittens debitum ſibi compararet beneficium eccleſiaſticum, quod eſt ſimoniacum; tum quia mutuum dare, ne alter opponat exceptionem, eſt uſura: & juxtà vulgatum axioma, quod in temporalibus eſt uſura, in ſpiritualibus eſt ſimonia. Demum quia ex tali remiſſione debiti etiam commodum reſultat in conferente beneficium: conſiſtit enim hoc commodum in eo, quòd declinet litem, quam aliàs non poſſet fugere, ſi alter opponeret exceptionem declinatoriam fori, ut rectè notat Navarrus *lib. 5. conſil. tit 3. de ſimonia conſil. 19. n. 1.*

2 Rurſus limitatur, niſi apponatur conditio, quæ juri ineſt, & eo modo, quo ineſt, ut ſi Epiſcopus habenti beneficium curatum conferat aliud curatum ea conditione, ut reſignet primum beneficium, tunc conditio adjecta ſecundo beneficio non eſt ſimoniaca, quia ea conditio de jure ineſt, cum non poſſit aliquis duo beneficia curata ſimul obtinere.

4 Quòd ſi beneficia eſſent compatibilia, eò quia neutrum ſufficeret pro congrua ſuſtentatione, & utrumque ſimul eam conſtitueret, tunc ſimoniacum foret conferre alteri beneficium ſub conditione reſignandi primum beneficium; ratio eſt, quia hujusmodi conditio non eſt in jure, quia plura beneficia tenuia ſunt ſimul compatibilia. Pari pacto foret ſimoniacum, ſi quis ſuum beneficium ea conditione alteri conferret, ut cum primùm aliud obtinuerit, teneatur ei illud reſtituere: ratio eſt, quià tametſi in jure inſit conditio, ut illud renuntiet, ſi ſit incompatibile; non tamen eſt in jure, ut illud renuntiet in favorem illius, à quo illud accepit.

5 Non tamen à pluribus cenſetur ſimoniacum, ſi Epiſcopus conferat alicui clerico ea conditione beneficium, ut cùm primum ipſe aliud pinguius eidem contulerit, primum liberè renuntiet in manibus ipſius Epiſcopi, ut illud conferat alteri, cui magis placuerit: quia conditio illa adjecta eſt ſecundùm jus commune, juxta quod non poteſt quis duo beneficia ſimol habere etiam ſimplicia: ſi alterum eorum ſit pingue, & ſufficiens ad congruam ſuſtentationem: & aliàs beneficia renuntiantur in manibus Epiſcopi, ſi eorum collatio ad ipſum pertineat. Tum quia talis collatio conditionata eſt veluti beneficiorum permutatio, quæ authoritate Prælati eccleſiaſtici poteſt licitè fieri.

6 An verò incurratur ſimonia, ab eo, qui pro beneficio obtinendo pactum init, non rigoroſum; ſed ex gratitudine, ut ſi quis dicat collatori, ſe futurum gratum ſi beneficium obtinuerit. Reſpondent plures cum diſtinctione, ſi per hæc verba nulla inducatur obligatio, adeò ut ſint tantùm verba urbanitatis, quæ nullam inducunt obligationem, dicunt nullam tunc incurri ſimoniam, ut etiam ſi per prætata verba tantum declaretur, quòd licitè poteſt ſperare, tunc enim non videtur inconveniens, cur ſperans beneficium non poſſit per talia verba declarare ſuam mentem, & ſpem in generali; ſiquidem quod poteſt licitè ſperari, verbis poteſt etiam licitè declarari; immo non deſunt, qui cenſeant etiam non incurri ſimoniam, ſi per talia verba ſperans beneficium intenderet obligare collatorem, non quidem obligatione civili, nec pacto rigoroſo, ſed tantùm ex pacto laxè ſumpto; hoc eſt ex pura gratitudine, vel fidelitate, vel etiam ex decentia orta ex eo, quòd dixerit ſe gratum futurum, ut notat Gaſpar Hurtadus *de juſtit. & jur. diſp. 3. de uſur. difficult. 7.* & ratio poteſt eſſe, quia illa grati animi ſignificatio, & exhibitio jure naturæ eſt debita benefactoribus, & non videtur vero ſimile, voluiſſe ſummum Pontificem prohibere, quæ jure naturæ debita ſunt. Quòd ſi per illa verba ſperans beneficium, intenderet rigoroſè obligare collatorem, & ſe ipſum; illum ad dandum beneficium; & ſe ipſum ad retribuendum, tunc nulli dubium, quin pactum iſtud adjectum collationi beneficii ſimoniacum foret, quia Papa excludit omne pactum inducens veram obligationem, vel expreſsè, vel tacitè.

An ſi quis det pecuniam non ipſi collatori beneficii, ſed tantùm interceſſori, ut intercedat apud collatorem pro beneficio eidem conferendo ſimoniacum ſit. Reſponderi ſolet cum diſtinctione, ſi talis pecunia detur pro labore in eundo, & redeundo ad collatorem, vel etiam pro damno emergente, vel lucro ceſſante, dicunt non committi ſimoniam; eò quia non detur quid temporale pro ſpirituali; quia labor ille eſt quid temporale, & quidem pretio æſtimabile. 7

Sin verò pecunia daretur pro ipſa interceſſione mediata apud interceſſorem immediatum, adhuc cenſent aliqui non eſſe ſimoniacum, quia huiusmodi interceſſio mediata, & remota eſt etiam merè temporalis; neque ullo jure humano prohibitum eſt, aliquid pro illo dare; ſin verò pecunia detur pro ipſa interceſſione immediata, quia hæc nectitur cum ipſa collatione, non excuſatur à ſimonia, eò quia tunc pro ipſa collatione, quæ eſt actus poteſtatis ſpiritualis, datur pretium temporale, quod eſt ſimoniacum jure divino, & naturali prohibitum. Quòd ſi pro interceſſione plus offeratur, ac detur, quàm labor per ſe exigat, ut etiam, ſi pro beneficio collato, aut præſentato plus detur patrono, quàm ratio gratitudinis patiatur, vix poſſet excuſari à ſimonia; quia ille exceſſus cum non daretur ratione gratitudinis, neque ratione laboris; non videretur ex alia cauſa dari, quàm pro ipſa collatione beneficij, quod perinde eſſet, ac dare pretium temporale pro ſpirituali. 8

Duobus modis poteſt adjici pactum. Primò ut promiſſio temporalis petatur aliquo modo in jure prohibita, ut ſi aliquod temporale petatur ratione ſpiritualis, veluti tanquam ejus pretium, ut præciſè eſt quid ſpirituale, & tunc certum eſt, id ſimoniacum eſſe, ac prohibitum *in c. final. de pact.* in *c. quæſitum extra de rerum permutat.* in *c. tua nos h. t.* Secundò poteſt pactum adjici, ita ut petatur promiſſio temporalis, eo modo, & eodem prorſus 9

ti-

titulo conferendi, quo licitum eſt, ipſum temporale actu recipere, & dare pro ſpirituali, ſcilicet tanquam ob gratitudinem, vel remonerationem pro opere, vel officio præſtito, & tunc ſi non intendatur pro ſpirituali pretium dare, ſimonia non committitur.

10 Verùm cavendum eſt, ne ſub hiſce ſpecioſis coloribus ſimonia pallietur, ac tegatur; res enim eſt plena periculis; quia eo ipſo, quòd quis offert pretium temporale ad eum finem, ut poſſit obtinere beneficium eccleſiaſticum; quod principaliùs intenditur, eſt ipſum beneficium, ſine quo pecunia non daretur, nec animi gratitudo verbis exprimeratur. Plerumque qui hujuſmodi pratia exhibent, dicunt ſe ea gratis data collatori beneficij, cui tamen non exhiberent, niſi beneficium daret, unde quamvis nullum interveniat explicitum pactum, implicitum tamen adeſt, ſub quo ſerpens latet: unde ſuadarem eſſe cautè procedendum, cùm ſit res pluribus obnoxia periculis.

11 Eſt qui promittit collatori beneficij ſummam pecuniæ, ſi beneficium obtineat, & proteſtatur etiam, ſe illam daturum gratitudinis causâ, non verò ex debito juſtitiæ, an id ſit ſimoniacum? non deſunt, qui aſſerant, non eſſe ſimoniam, eò quia dicunt, pactum fieri tantùm de reddenda gratitudine, tanquam debita ex juſtitia ratione rei ſpiritualis. Secundò quia gratitudo deduci poteſt in pactum, ſi ſolùm petatur ut debita jure naturæ, ratione beneficij collati; quia ſi finis eſt licitus, etiam media ad finem licita ſunt: atqui intendi poteſt ſpe gratitudinis aliquod beneficium pro obſequio temporali, vel ècontra; proinde pactum, quo mediante impetratur finis, non eſt ſimoniacum, ſed licitum; quæ ſententia tametſi ſpeculativà videatur poſſe defendi ſub illis præcisè formalitatibus; non tamen in praxi putârim eam tutam, quia illa ſumma pecuniæ promiſſa pro beneficio obtinendo, quamvis proteſtetur obtinens beneficium velle ſe illam dare gratis; revera tamen datur pro ipſa collatione beneficij, pro qua promittitur, & ſine qua non daretur; & ſi collator beneficij dubitaret de tali ſumma ſibi promiſſa, non conferret beneficium; proinde ſemper intervenit pactum ſaltem implicitè obligatorium utrinque, eſt enim talis promiſſio contractus gratuitus, ſeu *faciam, ſi feceris*, & quamvis ſperans beneficium dicat, ſe daturum gratitudinis causâ, non titulo beneficij ſibi collati, hæc tamen propſitio ſe ipſam deſtruit, indicat enim ſe gratis daturum, cum tamen ineat contractum non gratuitum, ſed hunc *dabo tibi hanc ſummam pecuniarum, ſi tu dederis mihi beneficium*, ſi enim collator non purificet conditionem, nec conferat beneficium, promittens non ſtat ſuo promiſſo: ex quo liquet, talem promiſſionem revera includere verum contractum, non gratuitum, ſed conditionatum, & obligatorium, ſi purificetur conditio.

12 Non enim ad contrahendam ſimoniacam labem eſt ſemper neceſſarius contractus explicitus; ſufficit enim, ſi intercesſerit conventio implicita etiam conditionalis, ut communiter docent Canoniſtæ *in c. quaſitum de rer. permut.* & præſertim Ancharanus *ibid. n. 2. & 3.* Cardinal. *n. 2.* Regulariter omnes contractus oneroſi, ſive expliciti, ſivè impliciti, ſive abſoluti, ſive conditionati, in quibus pro beneficio eccleſiaſtico recipitur aliquid temporale, ſunt prohibiti per textus apertos *c. ult. de pact. c. ſuper eo de tranſact. c. querelam. c. tua nos h. t.* quia licèt reditus, qui ex beneficio ſpirituali percipiuntur, ſint temporales; titulus tamen beneficij, ſeu jus percipiendi ejuſdem reditus, cùm ſit annexum juri ſpirituali, ſeu officio, & obligationi exercendi miniſterium ſpirituale; ideo ut annexum rei ſpirituali induit ſpiritualitatem, & eſt quid acceſſorium, quod ſequitur naturam ſui principalis, ſeu juris ſpiritualis, quapropter tale jus percipiendi reditus temporales, ut annexum juri ſpirituali reputatur quid ſpirituale, quod non poteſt pretio æſtimari; neque induci in contractum emptionis, & venditionis.

Solus ſummus Pontifex ob pleniſſimam poteſtatem in omnia beneficia eccleſiaſtica poteſt ſeparare jus percipiendi fructus temporales à jure ſpirituali exercendi miniſterium ſpirituale, quia quòd jus percipiendi tales reditus ſit annexum juri ſpirituali, quoad quotam eſt de jure humano, & canonico, & ſummus Pontifex poteſt diſpenſare in lege canonica. Epiſcopis verò id de jure communi prohibitum eſt *c. un. ut eccleſiaſtica beneficia ſine diminut. confer.* & liquet etiam ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de refor. c. 14.* Nihilominus in pleriſque diœceſibus uſus invaluit, ut beneficiatus loco primorum fructuum certam taxam perſolvere teneatur, quæ tamen non datur, ut pretium beneficij, ſed pro ſuſtentatione Epiſcopi, & Officialium ejus, vel alijs neceſſitatibus, pro quibus poſſet fructus vacantium beneficiorum applicare. 13

Alius modus acquirendi beneficia eccleſiaſtica eſt per interceſſionem alicujus mediatoris apud collatorem beneficij. An verò ſi detur pecunia pro tali interceſſione, contrahatur ſimoniaca labes; reſpondent aliqui apud Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 2. c. 3. dub. 26.* cum diſtinctione, vel enim pretium datur pro interceſſione immediata, & quæ immediatè fit ipſi collatori beneficij ab accipiente pretium, & tunc dicunt eſſe quid ſimoniacum; eò quia illa interceſſio eſt cauſa moralis beneficij, quod confertur. Sin verò interceſſio ſit tantùm mediata, & remota, ut ſi cupiens promoveri ad beneficium det pretium temporale Titio, ut ipſe roget Cajum familiarem Collatori beneficij, ut intercedat apud eundem, dicunt non eſſe id ſimoniacum, eò quia illa interceſſio Titij non ſit immediata, nec à Titio fiat collatori immediatè, ſed tantùm Cajo, qui poſtea rogat collatorem, ut velit beneficium conferre ei, qui pretium exhibuit Titio. Quia igitur pretium datur pro interceſſione Titij, quæ eſt quid temporale, & omninò diſtinctum à collatione beneficij, cenſent non eſſe ſimoniacum, eò quia 15

non

non detur quidquam temporale pro ſpirituali.
Potârim nihilominus, dantem temporale pre-
tium Titio pro ejus interceſſione apud Cajum,
ut hic intercedat apud collatorem beneficij pro
eo, qui pretium, dedit, vix poſſe excuſari à ſi-
monia; quia licèt interceſſio Titij, non ſit im-
mediata, connectitur tamen mediante interceſ-
ſione Caij cum ipſa collatione beneficij; pro-
inde ut annexa ipſi collationi, quæ eſt actus po-
teſtatis eccleſiaſticæ, & ſpiritualis, eſt mate-
ria ſimoniæ, ut ſunt alia annexa rebus ſpiritua-
libus: neque obſtat, quòd talis annexio non ſit
immediata, quia id parum refert, cùm dans
pretium intendat utrumque, ſcilicet interceſ-
ſionem, & collationem ſimul; ſi enim non in-
tenderet, ut ſibi conferretur beneficium à col-
latore, nequaquam ſummam illam pecuniæ da-
ret pro ſola illa interceſſione Titij apud Cajum;
illa enim interceſſio tantùm eſt medium, quo
principaliùs intendit beneficium ſibi conferen-
dum; unde ex parte dantis pretium pro illa in-
terceſſione Titij, nectitur ſemper ejus intentio
cum ipſa collatione beneficij, & confertur pre-
tium pro interceſſione, ad quam ſequi debet
collatio beneficij, quæ eſt id, ob quod princi-
paliter datur pretium: unde cum dans pretium
annectat interceſſionem collationi beneficij ſibi
faciendæ, ſemper dat pretium pro aliquo ſal-
tem annexo rei ſpirituali, ſeu ipſi collationi be-
neficij, proinde contrahit ſimoniacam labem.

15 An verò dare pecunias mediatori pro inter-
ceſſione ad beneficium ſit ſimonia de jure divi-
no? Cenſent plures, eſſe tantùm ſimoniam de
jure humano, eò quia qui dat pretium, non e-
mit beneficium, ſed tantùm illam interceſſio-
nem mediatoris, quæ eſt aliquid temporale, ex
quo inferunt; quòd cùm quis pretio dato pro
interceſſione obtinuit mediante eadem inter-
ceſſione beneficium, non incurrat omnes pœ-
nas ſimoniæ, & collatio beneficij valida ſit;
adeò ut qui pretium accepit, non teneatur illud
reſtituere, eò quia probabile ſit, per ſimoniam
de jure humano non incurri has pœnas. Quòd
ſi illis objicias *extravag. 2. de ſimonia*
ubi excommunicatur mediator in ſimonia: re-
ſpondent, interceſſorem non eſſe mediatorem
in ſimonia, quia non offert alteri pretium, ut
conferat beneficium.

16 Verùm mihi videtur probabilius, eſſe ſimo-
niam de jure divino, eò quia qui dat pretium
pro interceſſione, illud non dat pro pura, &
nuda interceſſione; ſed ut annexa collationi
beneficij; ſi enim ei non conferatur benefici-
um, nil dat pro ſola interceſſione, quia dat pe-
cuniam cum interceſſione efficaci, quæ trahit
ad ſe effectum; ſeu collationem beneficij, ſine
qua pecuniam non daret; quapropter dat pe-
cuniam pro interceſſione, & collatione ſimul;
licèt illam non det collatori, ſed interceſſori:
id enim per accidens ſe habet, cùm ſemper det
pretium temporale pro interceſſione, & col-
latione ſimul: & dare pretium temporale pro
collatione beneficij eſt ſimonia de jure divino,
& naturali prohibita.

17 Quòd ſi dans pretium, illud non daret pro
interceſſione efficaci trahente neceſſariò colla-
tionem beneficij, tunc ſimonia eſſet tantùm
de jure humano, quia interceſſor tantùm ven-
deret ſuas preces ad beneficium.

Eſt alius modus acquirendi beneficium, ut 18
ſi Titius, eò quia ſciat, Cajum familiarem eſſe
Collatori beneficiorum, & plurimum poſſe a-
pud ipſum, convenit cum eodem: ſi obtinueris
mihi tale beneficium, dabo tibi 500. florenos;
ſed ſi mihi non conferatur, dabis tu mihi cen-
tum aureos: facta conventione Cajus ut lucre-
tur 500. florenos, & non teneatur ſolvere cen-
tum aureos, intercedit pro Titio apud collato-
rem; & ita inſtat, ut beneficium de facto con-
feratur Titio, qui ex pacto inito ſolvit Cajo
500. florenos. Quamvis plures cenſeant, ta-
lem conventionem eſſe per ſe licitam, & ſic pa-
ciſcentes teneri ſtare contractui; eo quia poſſit
quis licitè promittere alteri, quòd ſi obtinuerit
beneficium, velit quot annis tantam fructuum
partem dare: id enim non eſt conſtituere penſio-
nem ſuper beneficiũ, quia penſio tranſit ad ſuc-
ceſſores in beneficio, non autem hæc obligatio.

Attamen licèt ſub hiſce puris terminis poſſit
excuſari promiſſor à ſimonia, eò quia tantùm ex 19
pura liberalitate intendat dare alteri, ut amico,
certam partem fructuum, ſi obtinuerit benefici-
um: nihilominus ſi promittens pecuniam, vel par-
tem fructuũ obtento beneficio intendat id pro-
mittere in ordine ad movendum alium, ut inter-
cedat apud collatorem, ut ſibi conferatur bene-
ficium, tunc non excuſatur à ſimonia: quia con-
tractus ille, ſeu promiſſio fuit ad obligandum
alterum, ad procurandum illi beneficium, & hic
alter de facto procuravit ob promiſſam ſibi pe-
cuniam, vel partem fructuum: quòd ſi hæc con-
ventio fuerit ſola mente retenta, erit mentalis
ſimonia; ſin autem conventio deducta fuit in pa-
ctum explicitum; eò quia intenderet, ut alter
eſſet alteri poſtea beneficium procuraturus,
tunc eſt ſimonia realis, & omninò completa.

Dubitari tamen poteſt de hoc alio modo 20
acquirendi beneficium, ſi nimirum Titius pro-
mittat Cajo ſe daturum pinguem eleemoſynam
loco pio, ſeu noſocomio; dummodo Cajus im-
petret ipſi à collatore beneficium eccleſiaſticum.
Putârim tunc promittentem pretium loco pio
non contrahere ſimoniacam labem: ratio eſt,
quia tunc offerens impetrationem beneficij nil
accipit temporale pro ſua interceſſione, nec
collator pro ſua collatione accipit pretium ul-
lum: ſed Titius mediante ſua promiſſione tan-
tùm movet Cajum ad actum honeſtum, cujus-
modi eſt ipſa collatio beneficij, & ut ſit cauſa
eleemoſynæ dandæ loco pio: proinde non vi-
deo, ex quo capite Titius tunc ſimoniam in-
currat, cùm non intendat pretium dare pro
interceſſione, vel collatione beneficij, ſed tan-
tùm promittat eleemoſynam elargiri loco pio,
ſi ipſi conferatur beneficium.

Neque obſtat, quòd promittatur eleemoſy- 21
na ad movendum Cajum, ut procuret benefi-
cium promiſſori, quia cùm Cajus non ſit, qui
talem pecuniam accipit pro pretio ſuæ interceſ-
ſionis, Titius non incurrit ſimoniam ex eo,
quod

quod det eleemoſynam loco pio, quamvis illam non daret, niſi beneficium acciperet, quia cùm non habeat obligationem dandi talem eleemoſynam, poteſt eam elargiri ſub illa conditione, prout ipſi magis placuerit.

23 Nonnunquam confertur beneficium propter metum, vel minas, & dubitari ſolet, an talis collatio ſit ſimoniaca? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi timor ita incutiatur, ut interveniat aliquod pactum ſaltem occultum, ratione cujus alter novo modo cenſeatur impoſterum manere obſtrictus ad non nocendum, cùm poſſet aliàs nocere, ſi beneficium non obtineret, tunc incurritur ſimonia, ut docet Sotus *lib. 9. q. 7. art. 3.* ut ſi Cajus poterat jure mihi nocere, eò quia erat accuſator, vel judex criminis à me commiſſi: ſi ego do ipſi beneficium, ne me accuſet, nec mihi alio modo noceat; non excuſor à ſimonia: quia quòd Cajus tunc cedat juri ſuo, quod habebat ad mihi nocendum, eſt quid pretio æſtimabile, & quid temporale, pro quo ego do beneficium eccleſiaſticum. Immo quamvis non potuerit mihi nocere nihilominus adhuc non excuſor à ſimonia, ſi ratione beneficij ei collati, novo modo eum obligem ad mihi impoſterum non nocendum, quia adhuc hæc obligatio eſt pretio æſtimabilis, cum ſit vinculum novum ſuperadditum naturali, hoc enim vinculo ille obſtringitur lege juſtitiæ ad mihi non nocendum. Sin verò nulla intercedat obligatio non nocendi impoſterum, ſed ſolùm agatur de præſenti evitatione mali injuſtè intentati ad talem finem, tunc probabile eſt, non videri ſimoniam, conferre beneficium, vel eidem renuntiare ad declinandum imminens malum, quia *in c. 2. de his quæ vi, metúsque cauſa fiunt*, reſcribit Alexander III. eccleſiam eſſe reſtituendam ei, qui ne patrimonio privaretur, etiam eccleſiæ eum juramento renuntiaverat: unde cenſuit Pontifex, eum non commiſiſſe ſimoniam, alioquin eum potiùs privâſſet tali eccleſia. Hoc idem etiam deſumitur *ex c. ad aures c. ad audientiam eod. tit.* ubi Innocentius III. id extendit ad omnem metum cadentem in virum conſtantem, & docet, eum, qui beneficio renuntiavit ex tali metu poſſe illud repetere.

24 Ratio iiidem eſt, quia tunc non datur pretium temporale pro ſpirituali, quia qui reſignavit, nihil cenſetur accipere, quod antea non haberet; ex eo enim qòòd quis, non detrahat mihi famam, vel alio modo mihi non noceat; non dat mihi quidquam pretio æſtimabile, cùm nihil ab ipſo accipiam; cùm ad id nulla fuerit obligatio; nec qui potuit mihi nocere, cedat ulli juri ſuo. Tum quia tunc reſignatio, vel collatio beneficij non quæritur tanquam pretium, cum quo commutetur ceſſatio à nocumento, ſed alter tantùm utitur minis, tanquam medio, ad gratis obtinendam collationem beneficij, & tunc collator utitur tali collatione tanqoam conditione neceſſaria ad declinandum malum, quod illi imminet. Debent tamen minæ intentari ad eum finem, ut qui minatur, beneſitium obtineat: alioquin ſi ob alium finem minæ intentarentur, & timor incuteretur, & collator beneficij ad declinandum malum, beneficium conferret, non excuſaretur à ſimonia, ſi qui minatur, jus habeat ad malum inferendum collatori, quia tunc collator beneficium conferret pro ceſſione à tali jure, quæ ceſſio eſſet quid pretio æſtimabile: ſin autem, qui minatur, nullum haberet jus ad malum inferendum collatori; tunc excuſaretur hic à ſimonia, quia nihil acciperet pretio æſtimabile ab eo, cui confert beneficium; proinde contractus eſt omnino gratuitus ex parte collatoris, qui tantùm irreverenter ſe gerit circa beneficia eccleſiaſtica, cùm illa conferat ad redimendam vexationem.

25 Quadrupliciter poteſt conferri beneficium ob timorem, vel minas. Primò ſi collator, acquirat aliquod temporale, quod antea non habebat, nec erat ei debitum, & tunc non excuſatur à ſimonia, ſi propter timorem illud non acquirendi det beneficium: quòd ſi Princeps comminaretur Epiſcopo, ipſum nunquam promotum iri ad pinguiorem Epiſcopatum, niſi dederit beneficium Petro: ſi Epiſcopus ne hoc, vel alio temporali commodo privetur, conferat beneficium, non videtur incurrere ſimoniam, ſi non intendat temporale commodum ut pretium beneficij, ſed tantùm illud conferat, eò quia timeat perdere gratiam, & amicitiam Principis, à quo ſperat alia commoda ſpiritualia, quibus timeret privari ex ejus indignatione: quia revera Epiſcopus tunc nil accipit de novo, ſed tantùm ex puro timore non incurrendi indignationem Principis, ejúſque gratiam amittendi confert beneficium: id autem non eſt dare ſpirituale pro pretio temporali, quia collator nil de novo accipit, ſed tantùm intendit ſibi conſervare priſtinam Principis gratiam, & amicitiam. Secundò poteſt metus incuti in ordine ad perdendam rem aliàs debitam, ut ſi Epiſcopus timore perdendi aliquam ſummam pecuniæ ſibi debitæ conferat alicui beneficium, & ineat cum eodem pactum, ut debitam ſibi pecuniam ſolvat, & tunc probabile etiam eſt, collatorem beneficij non incurrere ſimoniam, eò quia nihil accipiat de novo, quod antea non eſſet ſibi debitum.

26 Verùm in hoc caſu putârim, procedendum eſſe cum diſtinctione: ſi enim debitor ſit pluribus alijs debitis gravatus, ob quæ non facilè Epiſcopus poſſet ſuum exigere, eò quia alij præceſſerint; tunc non excuſaretur à ſimonia, quia, quòd præferatur alijs, quibus non eſſet præferendus in ordine ad accipiendas pecunias ſibi debitas, eſt aliquod temporale, & quidem pretio æſtimabile; proinde conferre ob id beneficium eſt ſimoniacum: ſin verò debitor nullo alio gravaretur debito, & eſſet paratus Epiſcopo ſuo creditori ſatisfacere, tunc nil acciperet, quod antea non eſſet ſibi debitum, proinde excuſaretur à ſimonia. Tertiò ſi ob timorem, ne illi ſurripiantur propria bona beneficium conferat; ut ſi velit quis Epiſcopum ſpoliare bonis, & hic ei promittat, & conferat beneficium, ne id faciat, tunc etiam proceden-

dum eſt cum alia diſtinctione, ſi jus habeat ſpoliandi Epiſcopum, tunc hic non excuſatur à ſimonia, quia confert beneficium alteri, ut hic cedat juri ſuo, quod eſt pretio æſtimabile. Sin autem nullum hebeat jus, tunc videtur probabile, non incurrere ſimoniam, quia nil recipitur ut pretium collationis beneficij. Quartò ſi Epiſcopus conferat beneficium ex timore, ne occidatur, tunc nec incurreret ſimoniam, quia metus non habet rationem pretij, cùm Epiſcopus tunc nihil accipiat.

27 Regula generalis tradi hæc ſolet; ſcilicet ut tunc incurratur ſimonia, quando metus, & minæ reducuntur in pactum, & ſunt pretium collationis: non verò quando non reducuntur in pretium, adeò ut non ſit ſimonia dare beneficium ex timore amittendi gratiam, & favorem, quo quis pollet; vel ex timore incidendi in alicujus indignationem. Verùm in hisce plerúmque etiam reperitur proprium commodum temporale, ratione cujus, ſi conferatur beneficium, collatio redolet ſimoniam.

§. VIII.

An ſit ſimonia pretio redimere vexationem circa beneficia.

1 TUnc dicitur quis vexari circa beneficium, quando ab alio impeditur, ne illud obtineat, vel pacificè poſſideat: ut ſi Titius per injuriam impediat Cajum, ne beneficium eccleſiaſticum obtineat; an poſſit Cajus exhibere pretium pecuniæ Titio ad redimendam ſuam vexationem, ſeu ad ſe liberandum ab illa injuria, quæ ſibi infertur, ut mediante ceſſatione à tali vexatione poſſit obtinere beneficium. Pro quo juvat obſervare, tripliciter poſſe conſiderari eum, qui intenditur ad beneficium promoveri, adeò ut conſideretur quaſi in triplici gradu, quorum primus eſt remotus, & imperfectus, & dicitur juſtus acquirendi modus, ſeu petendi, vel ſe opponendi. In ſecundo gradu conſtituitur cum jure ad rem; & tunc proximiùs accedit ad beneficium, quàm per primum gradum; quia jus ad beneficium eſt, per quod habet aliquam actionem ad petendum coram judice beneficium, non tamen habet illud acquiſitum: ut ſi quis mihi promittat ſuum equum, habeo jus ad illum equum, nondum tamen jus in equo, hoc autem jus ad beneficium acquiritur per electionem, vel præſentationem, aut renuntiationem ab uno alteri factam. Tertius gradus eſt, quo quis conſtituitur cum jure in re, ſeu beneficio; & acquiritur hoc jus in re, quando per collationem beneficij cum impoſitione pilei datur titulus, vel dominium rei, qui titulus magis confirmatur per poſſeſſionem pacificam.

Duæ ſolent regulæ tradi in præſenti mate-
2 ria, quarum prima eſt, ut non ſit ſimonia redimere vexationem, quæ injuſtè infertur habenti jus acquiſitu n in beneficio per electionem, poſtulationem, confirmationem, inſtitutionem, vel collationem; adeò ut poſſit habens jus in beneficio injuſtam vexationem redimere pretio pecuniario, & non infici ſimoniaca labe; ita enim docent communiter Canoniſtæ *in d. c. dilectus 28. h. t.* ubi cum Eboracenſis Archidiaconus Præpoſitum multis gravaminibus afficeret, neque promiſsâ eidem pecuniâ, imò & receptâ ab ejus læſione deſiſteret ſuper dignitatibus, & beneficijs ejus. Mandat Pontifex, ſi ita ſit, Archidiaconum ad reſtituendum, quod accepit, compelli: unde quando quis moleſtatus in jure ſuo, ſaltem de facto dat pecuniam moleſtanti, ſi illum moleſtet; ſi deinde ſuperior contra pactum, illum moleſtat, debet pecuniam reſtitnere. Quamobrem dare pecuniam pro jure quæſito in dignitate, vel alio beneficio conſervando contra indebitam, & injuſtam vexationem non eſt ſimoniacum, quia Pontifex *in d. c. dilectus 28. h. t.* non reprehendit, ut ſimoniacum Præpoſitum, eò quia ad redimendam vexationem pecuniam dederit Archidiacono Eboracenſi: neque apparet turpitudo ex parte dantis: alioquin non potuiſſet iſte pecuniam datam repetere, quia ubi turpitudo eſt ex utraque parte dantis, & recipientis non poteſt pecunia repeti *l. ubi autem 3. ff. de condict. ob turpem cauſam.*

Tum quia non ſervanti fidem, neque tene- 3
tur alter fidem ſervare *c. pervenit 3. de jurejur.* unde ſi quis pecuniam alteri dedit, ne in jure ſuo jam acquiſito injuſtè moleſtetur, poteſt eam repetere, ſi alter promiſſa non ſervet; quinimò licèt alter recipiens pecuniam contra promiſſionem non veniret; nihilominus ſi conſtaret eam injuſtè recepiſſe, adhuc compelli poſſet ad reſtituendum; ſi contra promiſſionem venerit, reſtituere debet; maximè, quia ſi non veniſſet, adhuc teneretur reſtituere quod ob cauſam injuſtam accepit. Ratio generatim, cur non ſit ſimonia pecuniâ redimere vexationem, quando quis habet jus in re, ſeu beneficio, ne injuſtè vexetur circa illud, hæc eſt; quia cum illud beneficium ſit jam ſuum ob legitimum jus, quod habet in illo, non parat ſibi pecuniâ viam ad aliquid ſpiritnale obtinendum; ſed tantùm pecuniam exhibet, ne circa rem ſuam vexetur; & quia vexatio, eſt quid temporale, ideo datur pretium temporale pro temporali, quod non eſt ſimoniacum. Hæc tamen prima regula procedit, quando vexationem conſtat eſſe injuſtam; quia in dubio aliqui cenſent, non eſſe licitum, pecuniam dare ad redimendam vexationem. Rurſus cum hæc vexatio ſit quid temporale, non poteſt redimi mediante beneficio eccleſiaſtico, alioquin pro aliquo temporali daretur aliquod ſpirituale.

Verùm contra hanc regulam, quâ dicitur, 4
licitum eſſe pecuniâ redimere vexationem injuſtam, quando quis habet jus in re, ſeu beneficio, videtur obſtare *c. Matthæus 23. h. t.* ubi cum quidam in Epiſcopum eſſet electus à majore parte Capituli paucis contradicentibus, & quidam amicus ejus de conſcientia, & voluntate ipſius; ei qui magiſter diſcordiæ videbatur, certum munus exolviſſet, & electus poſtea du-

dubitaret, quòd non eſſet à ſimoniaca labe prorſus immunis, ac propterea deberet removeri ab adminiſtratione. Reſcripſit Pontifax, & conſuluit, ut ſtatim adminiſtrationem ſponte dimittaret, memor nihil prodeſſe homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur. Ubi electus in Epiſcopum non voluit ipſum Epiſcopatum pretio æſtimare, nec comparare; ſed cùm per electionem majoris partis jus acquiſiviſſet in beneficio, ſolùm conſenſit, ut tertius quidam munere aliquo placaret contradicentem, & injuſtam vexationem radimatat pretio temporali.

5 Varùm reſpondetur, quòd licet *in d. c. Matthæu* dans pecuniam pro redimenda vexatione injuſta judicatus fuerit à Pontifice ſimoniacus; non tamen cauſa latæ ſententiæ, cur incurrerit ſimoniam, fuit, quia dederit pecuniam pro redimenda injuſta vexatione ſuæ electionis; quia ſi canonicè electus impugnetur injuſtè in ipſa electione jam facta, poteſt ſine vitio ſimoniæ redimere hanc vexationem: ſed eatenus Pontifax declaravit, electum ad illum Epiſcopatum fuiſſe ſimoniacum, quia pecuniam dedit ad removendam vexationem non circa electionem, ſed ne impediretur proſecutio ſuæ confirmationis, quam nondum habebat, erat enim tantùm electus, ſed nondum confirmatus; propterea quæſtio erat de jure nondum acquiſito, ſed acquirendo, pro quo non eſt licitum pretium dare. Ita explicant prædictum textum *in c. Matthæus 23. h. t.* plures Canoniſtæ: quia Canones generatim obligant ad renontiandum beneficio ſimoniacè obtento, ut *in c. dilectus 28. h. t.* Præpoſitus ille, qui Archidiacono Eboracenſi certam pecuniæ quantitatem promiſit, & dedit, ut deſiſteret ab ejus læſione, deliquit, eò quia redimere voluerit vexationem Archidiaconi in ordine ad impediendam confirmationem ſuæ electionis, quam nondum obtinuerat. Canones enim requirunt jus plenè acquiſitum, ut liceat redimere vexationes, ut ſi quis impetatur, non ſolùm poſt electionem, vel præſentationem, ſed etiam poſt confirmationem, & collationem, ſeu inſtitutionem obtentam.

6 Quòd ſi aliquis ſit tantùm electus, aut præſentatus, cùm nondum habeat jus confirmationis, aut collationis, ſeu inſtitutionis, ſi aliquid det pro redimenda vexatione, quamvis immediatè nil det pro ſpirituali, videtur tamen mediante pretio velle tale jus acquirere, proinde *in d. c. Matthæus* electus à majore parte Capituli in Epiſcopum dicitur committere ſimoniam ſaltem juris eccleſiaſtici, quia per exhibitam pecuniam nitebatur acquirere jus ad confirmationem, quam nondum obtinuerat: olim enim id ſufficiebat ad incurrendam pœnam ſimoniæ ob violatam reverentiam canonum. Neque inde ſequitur, licitum quoque eſſe pretium dare ad redimendam vexationem etiam juſtam, quando quis jam acquiſivit per electionem, & confirmationem jus in re, ſeu beneficio, eò quia tunc nil ſpirituale de novo acquiratur, ſed tantùm redimatur pretio ipſa vexatio.

Nam poſſet id negari, quia eo ipſo, quòd quis juſtè vexatur circa beneficium jam obtentum ſequitur, jus illud nondum eſſe omnino firmum, ſed adhuc poſſe irritari; unde qui pecuniâ redimit talem vexationem, reverà emit aliquid ſpirituale; quia dat pecuniam ad acquirendum jus firmum in beneficio, illa enim firmitas eſt quid ſpirituale ſe tenens ex parte juris in beneficio, cujus collatio fortaſſis ab initio fuit irrita ob defectum aliquem, vel delictum. 7

8 Secunda regula generalis eſt, ut pro jure nondum acquiſito in beneficio, ſed primùm acquirendo vexationem redimere oblata pecunia ſimoniam redoleat; quamvis vexatio injuſta ſit; dummodo oriatur ab eo, qui non ſolùm obeſſe, verùm etiam prodeſſa poſſit, ſeu ſi fiat ab eo, ad quem ſpectat poteſtas dandi tale jus in beneficio, ut ſi quis ſperet, ia eligendum in Prælatum, & ſciat unum, vel alterum ex Electoribus, velle ipſi aliquid opponere, ne eligatur, non poteſt talem vexationem pecuniâ redimere, quia ut docet D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.* antequam alicui acquiratur jus in prælatura, vel dignitate, aut præbenda per electionem, vel promiſſionem, aut collationem ſimoniacum eſt, Electorum impugnationes, & obſtacula pecuniâ redimere, quia id perinde foret, ac per pecuniam aditum ſibi aperire ad rem ſpiritualem obtinendam; quia tunc cum nondum habeat jus ſpirituale, per exhibitam pecuniam nititur illud acquirere. Naque obſtat, quòd ipſe pecuniam offerat, tantùm pro redimenda ipſa vexatione. Nam contra eſt, quia cum hæc vexatio dirigatur ad excluſionem juris ſpiritualis, ne ſcilicet ab illo acquiratur, ideò vexatus offert pecuniam ad redimendam vexationem, ac hæc ſit impedimento ſibi ad acquirendum jus ſpirituale, quod propterea intendit acquirere mediante pecunia illa, quod perinde eſt, ac illud emere, quod ſimoniam redolet. Tum quia tunc removere impedimentum eſt acquirere jus ſpirituale; quia illa vexatio, quæ redimitur, conſiſtit in injuſta denegatione debitæ electionis, confirmationis, vel inſtitutionis; & denegatio non tollitur niſi per actum contrarium, ut in propoſito per electionem, confirmationem, vel inſtitutionem: quamobrem exhibere pretium pro tali injuſta vexatione, perinde eſt ac emere ipſam electionem exhibitâ pecuniâ.

Quòd ſi, qui injuſtè vexat, non ſit ex numero Electorum, & tantùm obeſſe poſſit, & non prodeſſe, communior, & verior ſententia, eſt; non eſſe tunc ſimoniam vexationem illam injuſtam exhibitâ pecuniâ redimere, etiam jure nondum acquiſito in beneficio, quia cum vexans non poſſit tunc quidquam conferre ad beneficium obtinendum; proinde non poſſit prodeſſe, ſed tantùm obeſſe, non contrahit ſimoniacam labem, qui talem injuſtam vexationem pecuniâ redimit, quia redimere hoc pacto ſe ipſum ab injuſta vexatione alterius non eſt intrinſecè malum, quia quiſque poteſt honeſtè iniquas machinationes contra ſe injuſtè inſtrue- 9

ctas impedire; licitum eſt enim cuique ſuum honorem, & famam conſervare indemnem.

10 Neque hoc eſt ſibi parare viam ad beneficium, nec emere rem ſpiritualem, cum vexans non ſit unus ex Electoribus, nec poſſit quidquam prodeſſe, ſed tantùm obeſſe, unde redimere talem vexationem idem eſt, ac redimere nocumentum, pro cujus ceſſatione pretium datur; & quia vexatio eſt tantùm quid temporale, ideo datur pretium temporale pro temporali, quod non eſt ſimoniacum.

11 Hoc intereſt diſcrimen inter vexationem ortam ab eo, qui ſimul obeſſe poteſt, & prodeſſe; & ortam ab eo, qui tantùm obeſſe poteſt, & non prodeſſe; quia in priori caſu, qui vexat, eſt Elector, qui vexando denegat proprium ſuffragium, propterea ſi talis vexatio redimatur pecuniâ, emitur eâdem pecuniâ ſuffragium illius, qui intendebat vexare, ac denegare ſuum ſuffragium; & quia tale ſuffragium eſt ipſa electio, eo enim ipſo, quòd elector mediante pecunia ſuffragatur alteri, illum eligit ad Prælaturam; proinde qui dat pecuniam, emit ſuffragium illud, ſeu illam partialem electionem; quæ cum ſit quid ſpirituale, eſt propriè, & formaliter ſimonia.

12 Secus quando vexatio oritur ab eo, qui tantùm obeſſe poteſt, & non prodeſſe, tunc cum vexans non ſit Elector, qui vexationem pecuniâ redimit, non poteſt emere ejus ſuffragium quoad electionem, proinde dat tantùm, & ſimpliciter pecuniam pro ceſſatione vexationis, quæ cùm ſit quid temporale, datur pretium tantùm pro temporali, quod non eſt ſimoniacum.

13 Plerumque contingit, quòd quando agitur de aliqua electione, inducatur quis per vim, aut fraudem ad diffamandum aliquem ex eligendis apud electores ad eum finem, ne eligatur: vel etiam ut vi, & fraude impediatur, ne electores in ſcrutinio notitiam acquirant pravarum qualitatum, morúmque corruptorum illius, qui eſſet eligendus, idque ad eum finem, ut in ipſum cadat electio, an tunc licitum ſit hanc vexationem pecuniâ redimere. Ex paulò ante dictis patet reſponſio, ſi enim ſubornans, qui vim adhibet, aut fraudem, non eſt unus ex electoribus, tunc communior ſententia eſt, poſſe ſine ſimonia hanc injuſtam vexationem pecuniâ redimi, eò quia tunc non datur pecunia ad obtinendum auxilium pro electione, ſed tantùm ſimpliciter ad vitandum nocumentum, ut docent Ugolinus *tabul. 1. de ſimon. c. 9. §. 9. n. 3.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de ſimon. c. 50. n. 2.* Layman *lib. 4. theol. moral. tract. 10. c. ult. §. 3. n. 22.* Secus ſi ſubornans non ſolùm obeſſe, ſed etiam prodeſſe poſſit, eò quia ſit unus ex Electoribus, tunc communior, & verior ſententia eſt, non poſſe talem vexationem pecuniâ redimi, quia id perinde foret, ac emere ſuffragium illius electoris; ſiquidem vexatus talem exhiberet pecuniam, ut elector vexans ei prodeſſet, non obeſſet; proinde ut ei ſuffragaretur.

14 Non tamen deſunt, qui probabile cenſeant, poſſe pecuniâ redimi talem vexationem etiam ab eo, qui obeſſe, & prodeſſe poteſt, ita enim videntur ſentire Sanchez *lib. 2. conſil. moral. c. 3. dub. 30. n. 5.* Palans *tract. 17. diſp. 3. de ſimonia. punct. 20. n. 4.* Diana *p. 5. tract. 14. reſol. 2.* quia tunc non datur pecunia illi, qui poteſt prodeſſe, ut proſit, ſed tantùm ad redimendam ejus injuſtam vexationem: & hæc ſententia non caret probabilitate, ſi elector vexans acceptâ pecuniâ adhuc ſit ſui juris, & poſſit ſuffragari, cui magis libuerit, & redimens vexationem intendat eum omninò liberum relinquere in ordine ad ſuffragandum, cui magis illi libuerit, quia tunc, qui redimit vexationem, non emit ſuffragium, nec electionem, ſed tantùm impedit, ne ipſe iniquè, & injuſtè diffametur: quisque enim habet jus ſibi à natura conceſſum defendendi ſe, & ſuum honorem, proinde etiam redimendi quamcunque vexationem ſibi noxiam ſive directam, ſive indirectam.

Aliud eſt ita redimere vexationem ortam 15
ab Electore, ut hic non ſolùm debeat ceſſare à vexatione, ſed etiam ſuffragari illi, à quo pecuniam accepit; & aliud redimere ſimpliciter vexationem additâ conditione, ut Elector, qui injuſtè vexat, ſuffragetur, cui magis libuerit. Primum eſt ſimoniacum, quia per pecuniam non ſolùm redimitur vexatio, ſed etiam emitur electio, ſeu ſuffragium electoris vexantis: ſecundum verò poteſt aliquo modo excuſari à ſimonia, eò quia qui dat pecuniam, non emit electionem, nec ſuffragium, nec illam dat, ut Elector ipſi proſit ſuo ſuffragio, cum ipſum relinquat totaliter in ſua libertate; ſed tantùm ut ceſſet ab iniqua, & injuſta vexatione: hac diſtinctione adhibita poſſunt ſententiæ, quæ videntur inter ſe pugnare, reconciliari: cum enim quisque habeat jus ſibi à natura conceſſum ſe, & ſua defendendi ab iniquo aggreſſore, proinde etiam ab injuſto vexatore, ideò qui præciſè redimit iniquam, & injuſtam vexationem utitur jure ſuo, quod eſt licitum.

An verò quando Electores ſubornantur pre- 16
cibus, aut muneribus, ne quis eligatur, poſſit hic pretio redimere hanc vexationem. Negant plures, licitum eſſe pecuniâ redimere illam vexationem, præſertim Turrecremata *in c. quæſitum 1. q. 3. n. 3.* Sotus *lib. 9. de juſtit. & jur. q. 6. art. 5. ad 1.* Moſcolus *tract. 15. ſummæ c. 15. n. 4.* quia tunc ſubornans non agit contra juſtitiam, ſed tantùm contra charitatem: quapropter non licet vexationem redimere pecuniâ, quia talis largitio quandam haberet ſpeciem emptionis. Verùm cum Moſcoſus *loc. cit.* aſſerat, obviandum eſſe precibus importunis per alias preces, videtur inde ſequi, quòd etiam muneribus poſſit occurri alijs muneribus, eſt enim utrinque par ratio. Hinc alij procedunt cum diſtinctione, ſi qui ſubornat alios, & impedit, ne quis eligatur, ſolùm obeſſe poſſit, non verò prodeſſe, eò quia, non ſit unus ex Electoribus, dicunt, licitum eſſe pecuniâ vexationem redimere; non ita ſi ſimul obeſſe poſſit, & prodeſſe, eò quia tunc datur pecunia non ſolùm ad impediendam vexationem.

nem, ſed etiam ed emendum ſuffragium, ſeo partialem electionem, quud eſt ſimaniacum, ut docent Sylvius *2. 2. q. 100. art. 2. concluſ. 3.* Leſſius *lib. 2. q. 35. dub. 17.* Ugolinus *tabul. 1. de ſimon. c. 9. §. 8. n. 5.* & alij, qui ea nituntur ratione, quia eo ipſo, quòd poteſt prodeſſe, non ſolùm per pecuniam inducitur ad ceſſandum à vexatione, verùm etiam ad adjuvandom.

17 Quòd licitum ſit pecunia redimere injoſtam vexationem, quando vexans non eſt unus ex Electoribus, adeò ut tantùm obeiſe poſſit, non prodeſſe, res eſt clara, quia tunc vexatio habet meram rationem nocumenti, proinde qui læditur, poteſt uti jure naturali, quod habet ad ſe defendendum, & avertendum à ſe quodlibet malum. Neque tunc medium, quod adhibetur, eſt illicitum, quia quod pretio obtinetur, eſt ſola illa ceſſatio à vexatione, quæ non eſt quid ſpirituale, nec quidquam annexum per ſe ſpirituali, cum Electores remaneant cum ſua plena libertate, in qua eſſent, ſi non fieret ſubornatio; unde pecunià tantùm datur ad eum finem, ut ſubornans deponat pravum animum ſubornandi.

18 Major difficultas eſt, quando ſubornans eſt etiam Elector, & poteſt ſimul obeſſe, & prodeſſe, & tunc putârim procedendum cum diſtinctione, ſi detur pecunia, ut Elector non ſolùm ceſſet à ſubornatione, ſed etiam faveat ipſi danti pecuniam, eique ſuffragetur in electione; tunc talis elargitio pecuniæ eſt ſimoniaca, eò quia pretio emitur etiam ipſum ſuffragium in electione, & in hoc ſenſu veriſſima eſt ſententia communior: ſin autem Elector omninò iniquè, & injuſtè ſuborner, ac ſeducat alios, ne ſuffragentur alicui, ſi qui dat pecuniam illi, ut ceſſet à tali ſubornatione, non intendat ejus ſuffragium emere, nec illum pecuniâ allicere, ut ipſi ſuffragetur, adeò ut Elector ſubornans, & pecuniam accipiens, ut ceſſet ab injuſta, & iniqua ſubornatione, quoad ſuffragium remaneat in totali ſua libertate, tunc improbabile non eſt, licitum eſſe, pecuniam dare, ut Elector ceſſet ab illa iniqua, & injuſta ſubornatione, ut docent Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de ſimon. c. 50. n. 28.* Palaus *p. 3. tract. 17. diſp. 3. punct. 10. n. 6.* Diana *p. 5. tract. 14. reſol. 2.* Sanchez *lib. 2. conſil. moral. c. 3. dub. 30. n. 5.* Ratio eſſe poteſt, quia quamvis ſubornans ſit unus ex Electoribus, poſſitque non ſolùm obeſſe, ſed etiam prodeſſe; nihilominus, quia illa ſubornatio eſt contra munus Electoris, ideo ſi detur ipſi pecunia ex hoc præciſo fine, ut deſiſtat à ſubornatione, non datur illi ut Electori, neque ut ſuffragetur danti, ſed ut malè affecto, & eſt eadem ratio, ac de illo, qui tantùm obeſſe poteſt, & non prodeſſe, ut docet Suarez *lib. 4. de ſimon. c. 50. n. 3.* cùm enim Elector quoad ſuum ſuffragium relinquatur cum plena libertate, ut ſuffragetur, cui magis libuerit, per talem pecuniam non emitur quidquam ſpirituale, ſed tantum redimitur iniqua, & injuſta ſubornatio, quatenus habet meram rationem nocumenti, quod jure naturæ poteſt quisque à ſe avertere. Tum quia nullibi id legitur prohibitum; quia quando jura prohibent ſimoniam, non prohibent uti jure proprio naturali ad ſui defenſionem. Tum quia eccleſia, ſeu capitulum habet jus ad electionem digni: & quia ſubornatio eſt contra juſtitiam diſtributivam, cum tendat ad invertendum debitum ordinem talis juſtitiæ, videtur, quòd poſſit redimi pretio vexatio per ſubornationem, eò quia ſit aliquid contra juſtitiam, de quo participat etiam is, contra quem ſit ſubornatio.

Electione autem jam facta à maiore parte 19
Capituli, an ſit ſimoniacum pecuniam dare contradicenti, ut ceſſet à contradictione, putârim procedendum cum diſtinctione; ſi contradictio ſit juſta, & contradicens habeat jus ad contradicendum, tunc pecuniam dare, ut contradictor ceſſet à contradictione, eſt ſimoniacum, ut liquet *in d. c. Matthæus 23. h. t.* quia quamvis electio ſit jam facta, quia tamen contradictio poteſt tendere ad illam annullandam, eò quia facta fuerit contra canones, ideo tunc pecuniâ removere contradictionem, perinde eſt, ac ſibi electionem de novo per pecuniam adjudicare. Sin verò electio canonicè facta ſit, & contradictio ſit omnino injuſta, & ad eum tantùm finem, ut electus injuſtè impediatur ab acquirenda poſſeſſione, & oriatur ab eo, qui non ſolùm obeſſe, ſed etiam prodeſſe poteſt, tunc dubitari poteſt, an redimere pecuniâ talem contradictionem, ſit ſimoniacum. Plures dicunt, redimere talem vexationem eſſe ſimoniacum, præſertim Abbas *in c. ad aures 24. n. ult.* & *in c. dilectus 28. n. 4. h. t.* & nititur hæc ſententia, quia dare aliquid alteri, ne impediat poſſeſſionem, perinde eſt, ac dare, ut mittat in poſſeſſionem, eò quia non aliter deſinit quis impedire poſſeſſionem, quàm mittendo, ſeu inducendo in illam: atqui poſſeſſio in beneficio eccleſiaſtico eſt quid ſpirituale, vel ſaltem quid ei annexum, quatenus per poſſeſſionem hanc acquiritur exercitium ſpiritualium; proinde non licet hanc vexationem pecuniâ redimere in ordine ad acquirendam poſſeſſionem, eò quia daretur temporale pro ſpirituali, ſeu pecunia pro illa poſſeſſione in beneficio eccleſiaſtico.

Nihilominus contraria ſententia probabilior eſt, & verior, quam etiam docet D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.* ubi S. Doctor ait, 20
quòd poſtquam jus alicui eſt acquiſitum in beneficio, licitum ſit pretio pecuniæ removere injuſta impedimenta. Ratio eſt, quia tunc licitum eſt electo ſe defendere juxta jus ſibi à natura conceſſum, proinde cum in contradictione patiatur injuſtitiam, poteſt non ſolùm ſe ab illa tueri, ſed etiam redimere vexationem injuſtam præveniendo iniuſtam turbationem electionis; proinde etiam poſt electionem, ſi iniuſtè vexetur, habet ius ad manutenendum proprium ſtatum contra omnem iniuſtitiam; conſequenter habet ius ad manutenendam electionem de ſe canonicè factam contra iniuſtam contradictionem eam pretio redimendo. Non enim id eſt electionem de novo pecuniâ ſibi ad-

judicare: id enim tantùm locum haberet, quando contradictio eſſet iuſta, ac rationabilis, & hæc mediante pecunia everteretur; quia tunc dans pecuniam procuraret, ut electio aliàs invalida ſubſiſteret contra juſtam contradictionem, quod perinde foret, ac pecunia ſibi emere electionem; cùm electio iniuſta non ſit electio, nec ſubſiſtat: quia verò legitimè electus tantùm dat pecuniae pro redimenda iniuſta, & iniqua vexatione, & ad manutenendam electionem de ſe canonicè factam, non committit ſimoniam. Imò id videtur etiam procedere, quamvis electio indigeat ulteriori confirmatione; quia tunc non datur pecunia pro ipſa confirmatione, ſed tantùm pro manutenenda ipſa electione de ſe canonicè facta per remotionem iniuſtæ contradictionis.

21 Hinc regula generalis eſt, licitum eſſe poſt jus acquiſitum pecuniis redimere vexationem iniuſtam, quæ fit in ordine ad turbandum ipſum jus acquiſitum, ut tradit Gloſſa *in c. quæſitum 1. q. 1. V. redemptione* & deſumitur *ex c. dilectus 28. h. t.* obi Gloſſa ait, quòd vexare jus alteri canonicè acquiſitum, ſi vexatio ſit iniuſta, eam redimere pecuniâ non ſit ſimonia; hoc idem etiam docet D. Thomas *2. 2. q. 109. art. 2. ad 5.* Suarez *lib. 4. de ſimon. c. 50. n. 2.* Imò in ſententia probabili plurium, quando quis eſt canonicè electus à majori parte, quamvis nondum ſit confirmatus, acquiſivit nihilominus ipſam electionem, quæ propterea eſt ſibi debita, & tanquam aliquod proprium poteſt eam defendere contra iniuſtè turbantes, & etiam prævenire per pretium pecuniæ turbationem.

22 Ad id, quod dicebatur pro fundamento oppoſitæ ſententiæ, reſpondetur, poſſeſſionem ſecundùm ſe præcisè ſpectatam non eſſe ullum jus ſpirituale, ſed tantùm quid temporale, ſeu corporalis apprehenſio rei; & tantùm eſt rei ſpirituali annexa, quatenus dependet ex titulo ſpirituali, vi cujus obtinetur: unde poſtquam titulus ſpiritualis eſt canonicè, & plenè acquiſitus, quamvis poſſeſſio de novo acquiratur, non tamen acquiritur tanquam annexa rei, ſeu juri ſpirituali; ſed ſecundùm ſe, quatenus eſt quid corporale, ac immediatè debitum; tametſi talis poſſeſſio annexa titulo ſpirituali ſequatur naturam rei ſpiritualis; perinde ac acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis: proinde non eſt ſimonia poſt canonicam electionem pecunia redimere vexationem poſſeſſionis; quia tantùm redimitur factum, non verò jus ſpirituale beneficij, cùm hoc per canonicam electionem jam plenè poſſideatur. Hinc electus poteſt etiam pretio redimere vexationem iniuſtam, quam patitur in confirmatione electionis, ſi vexans tantùm poſſit obeſſe, non prodeſſe vexationi, quia quando confirmatio non pertinet ad vexantem, tunc dare pecuniam pro redimenda vexatione eſt pura redemptio vexationis injuſtæ, quam jure naturæ poteſt quisque à ſe avertere, cum habeat quisque jus ad propriam defenſionem.

23 Immo tametſi vexatio iniuſta ſit ab eo, ad quem ſpectat confirmatio; adhuc plures cenſent probabile; non eſſe ſimoniam talem iniuſtam vexationem pecuniâ redimere, eò quia ſit eadem ratio, ac de Electore injuſtè vexante, quia tunc pecunia non datur pro confirmatione obtinenda, ſed tantùm præcisè pro removenda iniuſta vexatione, & conſtituendo Confirmatore in illa debita æqualitate, quam ex juſtitia tenetur habere: unde redemptio talis vexationis habet pro objecto aliquid honeſtum, ſeu illam animi æqualitatem in Confirmatore, quam ex juſtitia tenetur habere.

Neque obſtat, quòd Confirmator poſſit 24
prodeſſe, quia id per accidens ſe habet, & redimens vexationem non intendit pretio ejus auxilium emere, ut confirmetur; cum jam ex jure debeat confirmari, ſed tantùm intendit removere iniquum, & injuſtum impedimentum. Tum quia ſicut vaſa ſacra emi, & vendi poſſunt ratione materiæ non obſtante, quòd cum ipſis tranſeat, quod ſacrum, & ſpirituale eſt, eò quia ſolvatur pretium tantùm ratione materiæ, non verò conſecrationis: ita à pari poteſt ſolvi pretium Confirmatori tantùm ut vexatori ad redimendam vexationem, non verò ut Confirmatori, & ita dicendum etiam de Electore. Neque tunc pretium pecuniæ ordinatur ad obtinendam confirmationem, cùm tantum adhibeatur ut medium ad removendam ſolam vexationem. Neque obſtat, quòd non daretur pecunia, niſi adeſſet intentio confirmationis, Quia qui dat pecuniam, eam non ſolvit pro confirmatione, quia hæc jam ex jure eſt illi debita, ſed tantùm ad removendam iniquam, & iniuſtam vexationem.

Quid verò dicendum ſit, quando vexatio 25
eſt juſta, an poſſit tunc pretio redimi ſine ſimonia. Mihi videtur procedendum cum diſtinctione, ſed priùs juvat obſervare, vexationem juſtam dici oppoſitionem eorum, quæ vera ſunt, & opponuntur ut vera in ordine ad impediendam electionem. Rurſus hæc vexatio, quamvis juſta adhuc poteſt injuſtè exerceri, vel quia fiat ab eo, à quo opponi non poteſt; vel quia fiat ex malo animo, & non ex intentione bonæ electionis, & alia ratione. Si igitur vexatio juſta fiat juſtè, tunc non eſt licitum eam redimere pecuniâ, quia tunc perinde eſſet, ac mediante pretio temporali ſibi viam aperire ad ſpiritualia, ut communiter docent, præſertim Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de ſimon c. 50. n. 10.* Panormit. *in c. dilectus 18. h. t.* Innocentius *ibid.* Abbas *ibid. n. 3.* Sin verò vexatio juſta iniuſtè fiat, tunc fortaſſis non videtur improbabile, non eſſe ſimoniam, eam pretio redimere, eò quia quisque habet à natura jus propulſandi à ſe malum, quando iniuſto modo infertur, etiam ſi alioquin de ſe iuſtum ſit, hinc iuſtè damnatus ad mortem poſſet ſe defendere contra eum, qui modo iniuſto vellet illum occidere, eò quia non habeat poteſtatem eum ita occidendi; proinde poteſt etiam propulſare vexationem iuſtam ſibi iniuſtè illatam.

Tum quia etiam ratione charitatis, quâ te- 26
nemur proximum diligere ſicut nos ipſos, poſſumus

ſumus impedire eius malum exercendo actum charitatis erga ipſum, unde com peccet, qui modo iniuſto nos vexat, quamvis vexatio ſit iuſta, adhuc poſſumus talem vexationem utpote malam ratione modi, pretio redimere; quia tunc pretium tantùm datur ad impediendum, ne qui modo iniuſto vexat, peccet, quod eſt exercere actum charitatis in proximum.

§. IX.

De ſimonia, quæ committitur in electionibus, præſentationibus, & permutationibus beneficiorum.

1 TAmetſi electio ad beneficinm eccleſiaſticum per pecuniam facta ſit ſimoniaca; non tamen iure naturæ eſt irrita, ut docet Suarez *lib. 4. de ſimonia. c. 37 n. 11.* ratio eſt, quia ut electio jure naturæ ſit valida, ſatis eſt, ſi Electores liberè conſentiant in electionem, & electus electionem de ſe factam liberè acceptet; perinde ac in quovis alio contractu civili, & humano ad ejus valorem ſufficit liber contrahentium conſenſus: & non obſtante ſimonia, ſeu exhibita pecunia adhuc adeſt voluntas, & vera poteſtas abſoluta, & libera conferendi beneficium ex parte conferentis, ut etiam ex parte recipientis intervenit conſenſus voluntatis, quo liberè electus acceptat electionem de ſe factam, quapropter jure naturæ tam collatio, quam acceptio ſuum ſortitur valorem: non enim ſimonia impedit liberum conſenſum ex parte dantis, vel accipientis, quia ſicut accipiens liberè accipit pretium; ita poteſt illud non accipere: ſicut etiam lex naturalis, & divina præcipit mutuum dandum eſſe gratis, & nihilominus, ſi quis mutuum emat ſolvendo uſuras, verè acquirit dominium pecuniæ mutuatæ.

2 Qamobrem electio, vel præſentatio, aut quævis alia promotio ad beneficia eccleſiaſtica ſimoniacè facta mediante pretio temporali, eſt tantùm jure eccleſiaſtico irrita, ſive ſimonia commiſſa ſit ab ipſo promoto, ſive à promovente, id tamen ſciente promoto, & non contradicente, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 6. in corp. & ad 3,* Covarruvias *in reg. peccatum p. 2. §. 8. n. 7.* & deſumitur *ex c. Matthaus 23. h. t.* ubi Pontifex reſcribit, quòd ſi aliquis contradicit electioni Petri, & amici Petri, conſcio, & volente Petro dant munus contradicenti, & ſic ceſſante contradictione eligitur, & adminiſtrat, eſt ſimoniacus, & tenetur ſtatim relinquere adminiſtrationem: ubi notat Gloſſa, quòd electio in *d. c. Matthaus* ſuum fuiſſet valorem ſortita, eò quia à majori parte electorum facta, ſed objiciebatur aliquid rationabile *c. cum in cunctis de his quæ à majore parte capituli. c. eccleſia veſtra de elect.*

3 Hinc ſi detur pecunia etiam pro ſuffragio, non neceſſario ad valorem electionis, adhuc committitur ſimonia, eò quia data fuit pecunia, ut minor pars Electorum deſiſteret à contradictione, quâ fortaſſis potuiſſent electores irritare electionem, eò quia fuerunt coacti, vel potuiſſent objeciſſe electo aliam exceptionem, ut notat Gloſſa in *d. c. Matthaus V. paucis.* Committitur etiam ſimonia, ſi ab alio tertio pro uno, vel altero ſuffragio detur pecunia, ſi electus id ſciverit, & non contradixerit, quamvis tunc ejus mens turbata fuerit, quia ut notat Gloſſa *in d. c. Matthaus V. paucis*, mens turbata non excuſat in delictis, ſed tantùm voluntas coacta.

Quinimo ſimoniaca, & irrita eſt etiam ele- 4
ctio, & quævis alia proviſio beneficij, quamvis ignotante electo, vel proviſo pecunia data fuerit, ut electio ſortiretur in ejus favorem; idque deſumitur *ex c. ex inſinuatione 26. h. t.* ubi Pontifex reſcribit, quòd qui ipſo inſcio ſimoniacè eſt promotus ad canonicatum; deinde re cognita renuntiat canonicatum in manu ſuperioris; & ſuperior, vel capitulum compatiens de novo illum eligit ad eundem canonicatum; propter ultimam electionem obtinebit ultimum locum in choro, & in alijs officijs, & ipſe nihil poterit prætendere, vel ſibi vindicare ratione primæ electionis. Ex quo infertur, eum qui conſecutus eſt beneficium eccleſiaſticum per ſimoniam ab alio commiſſam ipſo inſcio, non poſſe in conſcientia retinere beneficium illud, & teneri illud reſignare. Et quamvis ſimoniacè promotus dicatur renuntiâſſe poſtea canonicatui, non tamen inde ſequitur, ejus electionem fuiſſe validam, eò quia non poſſit quis beneficio renuntiare, niſi validè illud poſſideat. Nam verbum illud *renuntiare* perſæpe executionem ſignificat, vel factum, etiam in materia ſimoniæ. Unde illa renuntiatio non fuit propriè talis, ſeu juris beneficialis, cum promotus ratione ſimoniacæ promotionis nullum jus acquiſierit in beneficio, ſed tantùm eſt ceſſio poſſeſſionis: unde dicitur tantùm renuntiatio laxo modo.

Immo electio ſimoniacè facta eſt etiam ipſo 5
jure irrita, quamvis facta fuerit inculpabiliter ignorante promoto, & electo; idque deſumitur *ex c. nobis 27. h. t.* ubi cum quatuor à Capitulo conſtituti eſſent, ut eligerent plebanum, & amici ejus, cuius electio ſperabatur, uni, vel omnibus eligentibus pecunias promiſiſſent, ipſo tamen ignorante, qui intuitu huius promiſſionis poſtmodum eſt electus: conſultus Cœleſtinus III. reſcripſit, niſi conſtet promiſſum tale in ſtipendium eligendi malitioſè factum fuiſſe, licèt ipſe conſcius non fuerit, ejus tamen electionem tanquam ſimoniacam eſſe omnino reprobandam. Additque Pontifex *in d. cap.* ſimoniacè electum non poſſe poſtea à ſuo Epiſcopo diſpenſationem obtinere. Quamobtem vigore hujus textus electio eſt ſimoniaca, quamvis unus tantùm ex eligentibus munus accipiat, ut notat Panormitanus *in d. c. nobis 27.* & cenſuit Rota *deciſ. 22.* & alijs, quas nomine Noviſſimarum edidit Farinacius.

Ratio eſt, quia tametſi electus ratione ig- 6
norantiæ non fuerit ipſe ſimoniacus, fuit tamen ſimoniaca ejus electio, cum conſtet, interveniſſe promiſſionem pecuniæ ante electionem,

nem, in qua debet ex jure ceſſare omnis pactio: & quia electio ſimoniaca eſt nulla, & irrita, non habet vim promovendi electum, quia quod eſt irritum, perinde ſe habet, ac ſi non eſſet, & quod non eſt, non habet vim promovendi, quia non eſſe, non eſt paſſio; proinde ſimoniacè promotus, quamvis ignoraverit pecuniam datam, vel promiſſam pro ſua electione, non poteſt ad beneficium promoveri ex vi electionis ſimoniacæ, quia tametſi electus non peccaverit, peccaverunt tamen eligentes, & quia electio facta fuit ſimoniaca, & irrita propter eligentium vitium, ideo electus non promovetur.

7 Neque obſtat, ſi dicas, neminem ſine ſua culpa eſſe privandum beneficio, eò quia talis privatio ſit pœna, quæ ſupponit culpam. Nam contra eſt, quia innocens non privatur beneficio ſine culpa, quando revera acquiſivit beneficium: at ſimoniacè electus, quamvis ipſe non peccaverit, & ſit innocens; per electionem de ſe factam ſimoniacè, nullum acquiſivit jus ad beneficium, quia electio, cùm fuerit irrita, perinde ſe habuit, ac ſi facta non fuiſſet; proinde electus innocens non privatur aliquo jure ad beneficium, cùm nullum acquiſierit jus ad illud ratione electionis ſimoniacæ: unde electus innocens non punitur, ſed tantùm declaratur, quòd ex vi electionis ſimoniacæ nullum acquiſierit jus ad beneficium, quamvis ipſe ignoraverit pecuniam promiſſam, vel datam pro ſua electione.

8 Quòd ſi aliqui Electores malitioſè promitterent pecuniam, ut is, qui eligendus eſt, non promoveatur, & dant, vel promittunt pecunias Electoribus, qui jam fuiſſent illum electuri, eò quia non poſſint alia via impedire promotionem eligendi, niſi per electionem ſimoniacam: tunc electio eſt valida non obſtante pecunia promiſſa; quia tum malitiæ hominum non eſt indulgendum *c. ſicut 33 h. t.* nec debet quis alterius odio prægravari *l. ſi quis 33. C. de inoffic. teſtam.* quapropter fraus, & malitia eorum, qui pecuniam promiſerunt ad eum præcisè finem, ut electio irritaretur, non debet electo obeſſe, ut deſumitur *ex d. c. nobis 27. h. t.* Quando verò in *eod. cap. nobis* dicitur, quòd electio ſimoniaca ſit omnino reprobanda, id intelligitur, quòd debeat per ſententiam declaratoriam judicis pronuntiari invalida: non enim eſt quid novi in jure, ut ſumatur irritum pro irritandum per ſententiam judicis declarantis electionem irritam: etenim *in c. in Geneſ. 55. de elect.* dicitur, quòd electio attentata contra formam Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III. ſit irrita, & nihilominus *in c. eccleſia 57. in fin. eod. tit.* dicitur, quòd ſit per ſententiam judicis irritanda. Hoc idem etiam colligitur *ex d. c. nobis 27. h. t.* quia Pontifex dixit, quòd talis electio ſit *penitus reprobanda*, ſeu irrita declaranda.

9 Quamobrem electio, vel promiſſio ſimoniacè facta etiam ignorante electo, vel proviſo nullius eſt valoris, ſive ſimonia manifeſta fuerit, ſive occulta, ut liquet *ex d. c. Matthæus 23. h. t.* in quo ſimonia erat occulta, & etiam liquet ex *extravag. 2. in prin. h. t.* ubi Paulus II. ſtatuit, quòd qui ſimoniacè eligitur, etiam ignorante electo, vel proviſo ſimoniam, electio, vel proviſio ſit nulla; & licèt ſi ſimonia ſit occulta, non teneatur ſimoniacus prodere vitium occultum ſuæ electionis, nec ſe infamare, tenetur tamen renuntiare beneficio, quod præſtare poteſt ſub honeſto aliquo colore. Eſt igitur electio ſimoniaca, non ſolùm quando pecunia pro electione datur omnibus, & ſingulis electoribus, ſed etiam ſi uni tantùm ex illis, cæteris ignorantibus. Neque obſtat, quòd ob pravitatem unius tantùm, qui accipit pecuniam, totus actus inficiatur, quia ut rectè notat Proſper Fagnanus *in d. c. nobis n. 4* vitium ſimoniæ eſt reale, quod reſpicit actum magis, quàm perſonam; proinde ſi adſit, totum inficit actum, quia ſicut bonum ac integra cauſa, ita malum ex quovis defectu.

10 Rurſus electio ſimoniacè facta eſt irrita ipſo jure, non ſolùm ſi ſimonia ſit ex utraque parte completa, verùm etiam ſi tantùm fuerit conventionalis; eò quia electio facta ſit pro pecunia promiſſa electoribus, vel beneficium pro pecunia promiſſum fuit datum, quamvis pecunia nondum fuerit ſoluta: quia ſemel quòd intervenit vitium ſimoniæ, tametſi nondum ex utraque parte completæ, inficit totum actum, quem propterea irritat; & deſumitur ex *cap. ea qua 5. cauſa 1. q. 3.* ubi Urbanus II. ait: *quidquid in ſacris ordinibus, vel in ſacris rebus, vel data, vel promiſſa pecunia acquiſitum eſt, nos irritum eſſe cenſemus.* Id autem procedit, & verum eſt, de jure; in praxi tamen, præſertim juxta ſtylum Romanæ Curiæ contrarium obſervatur, & in praxim deducitur; adeò ut collatio beneficij, ut ſit nulla, debeat utrinque ſimonia realis eſſe completa, ut docent Leſſius *lib. 2. c. 35. n. 149.* ubi citat Covarruviam *in clement. ſi furioſus p. 1. §. 1. n. 7.* Ugolinum *tabul. 4. c. 6.* & Navarrum, quia licèt ad ſubſtantiam emptionis, & venditionis ſufficiat conventio, ſeu pactum, eò quia ſolo conſenſu talis contractus perficiatur; quia tamen per ſimoniam incurruntur pœnæ, licèt neutra ex parte ſit completa de jure; nihilominus in praxi Doctores reſtringunt pœnas præſertim graves, & quæ ipſo facto incurruntur ad venditionem, & emptionem utrinque completam, niſi expreſsè contrarium ſignificetur; quia juxta regulam communem; pœnæ ſunt odioſæ, & proterea reſtringendæ ad contractum utrinque completum, adeo ut non ſufficiat ad irritandam electionem, ſi unus tantùm promittat alteri Electori pecuniam, niſi talis contractus utrinque compleatur, & promiſſor det pecunias, quas promiſſarius accipiat: ut enim ait Leſſius *loc. cit.* pœnæ præſertim graves quantum fieri poteſt, ſunt reſtringendæ, proinde pœnæ conſtitutæ ijs, qui ſpiritualia vendunt, aut emunt, reſtringendæ ſunt ad venditionem, & emptionem completam; quia lex puniens aliquem actum cenſenda eſt punire actum completum.

11 Idque firmatur etiam ex *extravag. cum deteſtabile* ubi Paulus II. renovans omnes pœnas

canonum contra ſimoniam, etiam ſi Cardinales ſint, ait, *qui conventione facta quomodolibet dando, vel accipendo ſimoniam commiſerunt.* Unde Pontifex per illa verba dando, vel accipiendo ſignificat venditionem, & emptionem utrinq; completam. Quòd ſi poſtea hæc ſimoniaca pactio utrinque in totum, vel in partem completa fuerit, incurruntur pœnæ, quæ retrotrahuntur ad tempus pactionis. Ut ſi collator conveniat cum Titio de centum aureis numerandis pro beneficio eidem conferrendo, & collator ſtatim illud conferat; cùm Titius nondum ſolverit pecuniam promiſſam, nondum neuter incurrit pœnas juris, nec collatio eſt irrita: ſin autem dilapſo biennio Titius, qui accepit beneficium de facto ſolvat collatori illos centum aureos promiſſos, tunc collatio eſt irrita, & pœna retrotrahitur ad tempus pactionis, adeò ut contractus ab initio ſit cenſendus nullus, & collatio invalida, & tenetur, qui beneficium accepit fructus reſtituere: hunc eſſe ſtylum Curiæ Romanæ in hac materia refert Navarrus *c. 23. n. 104.* Ubi juvat obſervare, quòd quando pœna dependet ab eventu futuro, & poſito eventu retrotrahitur ad præteritum, ut etiam collatio facta; tunc collatio, antequam ſolvatur pecunia, neque cenſenda eſt valida, neque invalida, ſed medio quodam, & indifferente modo ſe habens: poſito autem eventu, ſeu completione contractus retrotrahitur, adeò ut collatio cenſeatur ab initio irrita, ut etiam pœna excommunicationis ab initio contracta.

12 An verò Electores committant ſimoniam paciſcendo: elige tu illum, & ego iſtum eligam, quem tu mihi proponis. Negant Sotus *lib. 9. de juſtit. & jure. q. 5. art. 1. ad 3.* Sanchez *tom. 2. opuſc. lib. 2. c. 3. dub. 44.* eò quia nihil tunc temporale detur pro ſpirituali, ſed tantùm ſpirituale pro ſpirituali commutetur. Communior tamen ſententia aſſerit, Electores tunc non excuſari à ſimonia, ut docent Sylveſter *in ſumma V. ſimonia q. 16. in fin.* Richardus *in 4. diſt. 25. art. 3. q. 1. ad 1.* Rodriquez *in compendio qq. regul. reſolut. 129. n. 3.* & alij plures, quos citat, & ſequitur Diana *3. p. tract. 2. reſol. 125.*

13 Procedendum tamen eſt cum diſtinctione, quia in electione poſſunt duo conſiderari ſubſtantia ſcilitet electionis, quæ dicit ipſam vocationem perſonæ dignæ ad aliquod munus: & commodum electionis, quod percipiunt Electores, ſi electiones contingant juxta eorum vota: ſi igitur Electores paciſcantur de electione ſecundùm ſubſtantiam, non excuſantur à ſimonia, quamvis utrinque ſit electio ſpiritualis: & ratio eſt, quia non ſolùm eſt ſimonia, quando ſpirituale commutatur cum temporali, ſed etiam quando ſpirituale ſubijcitur humano contractui; quinimo ſimonia propriè conſiſtit in hac ſubjectione, quâ ſpirituale ſubijcitur humano contractui, quia eſt præcipua injuria, quæ fit rei ſpirituali; ſiquidem per hanc ſubjectionem invertitur debitus rerum ordo: cùm ſint ſpiritualia in ordine ſuperiori, & elevent hominem ad participandum aliquo modo in eſſe divino; ideo per hoc, quòd ſubijciantur humano contractui, invertitur ordo, & homo utens ipſis indebitè avertitur ab ultimo fine, eò quia in ipſum non tendit juxta exigentiam rerum ſpiritualium; quapropter Chriſtus *Matth. 10.* ait, *gratis accepiſtis, gratis date:* per hæc enim verba Chriſtus prohibuit omnem contractum circa ſpiritualia, qua ratione etiam in *c. pactiones de pactis* damnatur ut illicitum omne pactum, omniſque conventio circa ſpiritualia.

14 Quòd ſi Electores paciſcantur de ſolo electionis commodo, poſſunt ſpeculativè excuſari à ſimonia, eò quia tale commodum ſit quid temporale, ſicut enim unus Elector percipit commodum temporale ex una electione, ita alius aliud commodum temporale ex alia electione: unde ſi de hoc commodo præciſè invicem paciſcantur, ſpeculativè excuſantur à ſimonia, cùm pactum non verſetur circa quidquam ſpirituale: in praxi tamen non poſſunt paciſcentes à ſimonia excuſari, quia hoc commodum electionis, quod ſpeculativè ſeparatur ab ipſa electione; in praxi, & in re, ita ſemper conjungitur cum electione, ut non poſſit commodum eſſe ſine electione, perinde ac non poteſt eſſe effectus ſine ſua cauſa; unde à parte rei ſemper paciſcuntur etiam de ipſa electione, ſine qua non habetur ejus commodum; quapropter paciſcentes de commodo electionis implicitè ſemper paciſcuntur de ipſa electione, proinde tale pactum eſt illicitum, quia comprehendit etiam ipſam electionem: hinc liquet ſemper dari aliquid temporale, & ſpirituale ſimul; ſcilicet ipſum commodum, & electionem. Simonia autem non tantùm conſiſtit in eo, quòd detur ſpirituale pro temporali, ſed in eo, quòd ſpirituale quomodocunque ſubijciatur contractui humano: & jura non ſolùm prohibent commutationem beneficiorum, verùm etiam omne pactum circa ſpiritualia, ut liquet *ex c. ad pactiones*, ubi prohibentur ſpiritualia ſubijci cuicunque contractui.

15 Neque obſtat, quòd in *c. ad quæſtiones de rer. permut.* habeatur per ſe licitum eſſe commutare ſpirituale cum ſpirituali; quia id intelligitur de commutatione ſpiritualium ratione applicationis; quia huic, vel illi perſonæ, vel eccleſiæ approprientur: eſt enim *in d. c.* ſermo de eccleſijs parochialibus, & Pontifex reſcribit, licitum eſſe, has invicem commutare, eò quia cùm ex natura ſua ſint appropriabiles, poſſunt huic, vel illi appropriari, etiam interveniente commutatione; quia tunc non ſubijcitur ſpirituale ſecundùm ſubſtantiam humano contractui, ſed tantùm commodum, quod percipitur ex tali commutatione.

16 Cæterum aliud eſt paciſci de commodo electionis, & aliud proponere mutuum commodum electorum, ſi eligantur hæ, vel illæ perſonæ; ſeu ſi oſtendatur voluntas eligendi aliquem, ſi talis tamen priùs eligatur; ſiquidem priori modo inducitur obligatio, quæ ſequitur ex natura pacti: poſteriori autem modo non inducitur; ſed ſolùm eſt quædam veluti ſuaſio, quâ Electores inducuntur ad eligendum aliquem oblatâ ſpe alicujus commodi, quod

tur ex electione alterius, adeo ut Electores remaneant plenè liberi: unde hic poſterior modus, cum excludat pactum, & nullam inducat obligationem, non videtur illicitus, niſi fortaſſis vitietur ratione mali finis, & circumſtantiarum: ſiquidem continet tantùm quandam ſuaſionem, quæ de ſe mala non eſt, & tantùm poteſt vitium contrahere ex fine malo: neque eſt procuratio prohibita ſuffragij. Non tamen putârim, poſſe Electores invicem paciſci de commodo electionis, adeò ut Petrus eligat in commodum Pauli, & hic in commodum Petri: ratio eſt, quia pactum deſtruit naturam electionis, quæ cùm fiat mediante ſuffragio, debet Elector omnino liberè ſuffragari, cum de ratione electionis ſit, ut liberè fiat; & poſito tali pacto ſuffragium non eſſet liberum, quia Elector teneretur ſuffragari ex obligatione pacti initi, quia pactum de commodo electionis obligaret ad ſuffragium.

Quamobrem hujuſmodi pactum eſt illici-
17 tum. Quinimò etiam ipſa ſuffragiorum procuratio eſt prohibita ex vi conſtitutionis Clementis VIII. editæ ſub die 20. Martij 1601. cui initium eſt *nullus omnino* ubi in §. *ut officiorum ambitu* prohibetur tam directa, quàm indirecta ſuffragiorum procuratio, tam pro ſe, quàm pro alijs. Sunt tamen, qui hanc conſtitutionem intelligunt, quòd prohibeat illam tantùm procurationem ſuffragiorum, quæ ordinatur ad malum finem, vel ut aliquis indignus eligatur, vel ut aliquo alio pacto electio præjudicium patiatur, & hæc interpretatio videtur rationi conſona, quia procurare ſuffragia, ut dignus eligatur, eſt laudabile, quapropter licitum eſt, proponere merita, & virtutes, quibus aliquis dignus reddatur electione.

18 An verò poſſint Electores ita inter ſe convenire, ut ſi Petrus eligatur à Paulo ad tale officium, velit Petrus eligere Paulum ad aliud officium. Reſpondetur, hanc conventionem plerumque poſſe contingere in electionibus: unde juvat obſervare, aliud eſſe paciſci de tali electione, & aliud tantùm ſuam mentem declarare, quid erit facturus, ſi à tali Electore eligatur, quia in hac declaratione ſuæ mentis nullus intercedit contractus, nulla oritur obligatio, & alter remanet omnino liber ad talem eligendum, vel non: unde ſuppoſito, quòd electio honeſta ſit, & uterque eligendus etiam dignus, ut eligatur ad tale officium, non videtur talis declaratio præjudicium inferre electioni, neque eſt de ſe mala, cùm ſit tantùm quædam declaratio operis honeſti faciendi, & proteſtatio gratitudinis in ordine ad alliciendum Electorem, ut velit ſibi ſuffragari.

19 Quamvis talis actus videatur conditionatus, & exigat, quòd alius priùs eligat, vel declaret ſe electurum; non tamen conditio illa concurrit, neque requiritur, ut objectum commutationis, ſed tantùm ſe habet per modum beneficij compenſandi, quatenus gratitudo non poteſt locum habere, niſi ſupponat beneficium, qua ratione fit, ut declaratio intentionis non fiat abſolutè, ſed conditionatè in ordine ad conditionem beneficij exigentis, ut ex gratitudine poſſit compenſari. Quòd ſi periculum eſſet, ut ille, cui fit proteſtatio gratitudinis, moveretur ad eligendum, quem aliàs non deberet eligere, & eatenus eum eligit, ut ex tali electione percipiat commodum: tunc ſi per talem proteſtationem gratitudinis eligeretur indignus, qui non poſſet tuta conſcientia eligi, talis proteſtatio gratitudinis foret illicita, & eſſet quædam ſubornatio ordinata ad electionem indigni: non ita ſi qui proteſtatur gratitudinem, aliàs eſſet cæteris dignior. Neque per talem proteſtationem eſſet ambitioſus, ſi eam debito modo faceret; quia declaratio gratitudinis præciſè, & ſimpliciter non eſt ambitio, ſi declaratus aliàs ſit dignus, ut eligatur.

Eſt tamen non modica difficultas, an quando Elector vult eligere indignum, aut minus dignum, liceat offerre pecuniam, ne illum eligat; plures cenſent, id non eſſe licitum, eò quia ſit ſimoniacum ante electionem, ſeu jus acquiſitum, dare pecuniam ad removenda obſtacula: tum quia perinde foret, ac mediante pecuniâ ſibi viam ſternere ad acquirendum aliquid ſpirituale, proinde ſpirituale compenſaretur pecuniâ, quod ſimoniacum eſt, ut deſumitur *ex c. de hoc. c. ſicut tuis c. Matthæus h. t.* & ita docent Sylveſter *V. ſimonia q. 9.* Moſcoſus *in ſumma tract. 15. c. 15. n. 16.* Diana *1. p. tract. 14. reſolut. 1.* Nihilominus contrariam ſententiam docent Innocentius *in c. nemo h. t.* Sotus *lib. 9. de juſtit. & jur. q. 6. art. 1. dub. ult.* Leſſius *lib. 2. de juſtit. c. 35. dub. 9.* Layman *lib. 4. theolog. moral. tract. 1. c. ult. §. 1. n. 23.* Paſqualig. *deciſ. moral. deciſ. 227. n. 4.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de ſimon. c. 50. n. 36.* Ratio hujus ſententiæ, quæ mihi probabilior videtur, eſt, quia impedire electionem indigni, non eſt actio per ſe mala, ſed potiùs honeſta, eò quia habeat objectum honeſtum, à quo actiones humanæ ſuam hauriunt honeſtatem: ſiquidem objectum talis actus non eſt pecuniâ compenſare ſpirituale, nec per ipſam ſternere ſibi viam ad ſpiritualia: ſed tantùm expellere ab Electoribus malam diſpoſitionem, quam habent, & ut eâ ſublatâ conſtituantur in debita rectitudine, ac diſpoſitione, quam Electores tenentur habere, ut rectè eligant, quem tenentur eligere: unde cùm hoc objectum ſit bonum, & etiam finis extrinſecus actûs, ideo illa ſolutio pecuniæ, ut Electores deponant pravam diſpoſitionem, & eligant, quem debent eligere, eſt actus licitus, & honeſtus. 20

Tum quia impedire per ſolutionem pecuniæ electionem indigni, non eſt emere ſpiritualia, ſed redimere injuriam, & injuſtam læſionem, quæ fit eccleſiæ per electionem indigni, ſiquidem eccleſia habet jus, ut non eligatur miniſter indignus, & ineptus. Tum quia non eligere ineptum, cum ſit negatio electionis inepti, non eſt quid ſpirituale, neque directè munit viam ad ſpirituale. Non tamen licitum eſt, tunc offerre pecuniam pro electione particularis perſonæ etiam digniſſimæ, quia ſolvere 21

tunc

tunc telem pecuniam, perinde eſſet, ac emere actionem ſpiritualem, ſcilicet electionem digniſſimi, & non eſſet redemptio vexationis: idque, vel maximè procederet, ſi neceſſitas non urgeret, ut talis eligeretur.

22 Nihilominus quamvis non videatur licitum offerre pretium pro electione particularis perſonæ, licitum tamen videtur offerre pecuniam pro electione perſonæ idoneæ indeterminatè, & in genere, ut docent Cajetanus *tract. de ſimon. q. 3.* Leſſius *lib. 2. c. 35. dub. 19.* Sotus *lib. 9. q. 6. art. 1.* quia offerre pretium, ne Electores malè affecti eligant ineptum, ſed ut eligant dignum indeterminatè, & in genere eſt actus per ſe honeſtus, quia eſt expellere ab Electoribus pravam diſpoſitionem, & eos impedire, ne eligant indignum: atqui eo ipſo, quòd impediuntur ab electione indigni, trahuntur conſecutivè ad eligendum aliquem dignum in genere, quia ſi volunt eligere, & nolunt indignum eligere; neceſſe eſt, ut eligant aliquem dignum, quem maluerint: unde ſi licitum eſt pecuniâ impedire electionem indigni, erit etiam licitum pecuniam ſolvere pro electione digni in genere, quia eò ipſo, quòd excluditur electio indigni, includitur electio digni, ſi Electores eligant.

23 Tum quia, ſi Electores nollent ullum eligere, licitum eſſet, eos ad eligendum inducere mediante pretio, eò quia perniciosum ſit eccleſiæ carere miniſtro; proinde licitum eſt etiam pretium dare, ut eligant dignum in genere. Non tamen ſi Electores velint indignum eligere, licitum eſt pecuniam dare, ut eligant aliquem determinatè dignum, quia id perinde foret, ac dare pecuniam pro ipſa electione talis digni in ſpecie, quo pacto ſpiritnale compenſaretur pretio, non enim poteſt intendi, quòd quis determinatè ex pluribus eligatur, niſi intendatur electio ipſius determinati, proinde pecunia tunc offerretur pro illa peculiari electione.

24 Hinc patet ſolutio ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ, quia impedire electionem indigni non eſt munire viam ad acquirendum aliquid ſpirituale, ſed tantùm eſt impedire damnum, quod oriretur eccleſiæ ex electione indigni. Ad textus allatos reſpondetur, ex illis non ſequi eſſe ſimoniam pecuniâ impedire electionem indigni, ſiquidem *in c. de hoc 9. h. t.* Alexander III. tantùm reſcribit, quòd qui convincitur de ſimonia, debeat puniri pœnis ibi expreſſis, & Pontifex non loquitur de impedienda electione indigni.

25 Ad ſecundum *ex c. ſicut tuis*, & eſt 33. hujus tituli Innocentium III. tantùm declarare, non debere imputari electo ad ſimoniam, ſi eo prohibente data ſit pecunia; habetur enim *in d. c. ſicut tuis*, quòd quando aliquis non vult, & prohibet dari pecuniam, perſeverans in ea voluntate, & alius præſertim non conſanguineus illo inſcio dat pecuniam, ſi deinde non conſentit ſolvendo pecuniam promiſſam, vel reddendo ſolutam, non eſt in culpa, nec etiam in pœnas quia aliud eſt non præbere conſenſum, & aliud expreſsè prohibere, qui verò dederunt, vel receperunt pecunias, ſunt puniendi pœna canonica, ſi eorum exceſſus ſit manifeſtus, quia alioquin eccleſia non judicat de occultis; hæc omnia habentur *in d. c. ſicut tuis, 33. h. t.*

Ad tertium deſumptum ex *c. Matthæus 23. h. t.* reſpondetur, ibi tantùm Pontificem reſcribere, electum committere ſimoniam, ſi ejus amici pecuniam tradant contradicentibus, ne contradicant electioni; unde nullibi in præcitatis textibus habetur, eſſe ſimoniacum pecuniâ impedire electionem indigni. 26

Præſentare ad beneficium etiam ſpe alicujus commodi, eò quia patronus præſentet clericum ſibi commendatum ab alio, à quo ſperat aliquod commodum, non eſt ſimoniacum, ut ſi Princeps dicat Patrono, ut præſentet talem clericum, & talem præſentationem ceſſuram in emolumentum ejusdem patroni, qui propterea ſpe allectus talis emolumenti illum præſentat, non inficitur ex tali præſentatione clerici, aliàs digni, ſimoniaca labe: ratio eſt, quia ad hanc contrahendam requiritur pactum inducens utrinque obligationem, ut deſumitur paſſim ex jure canonico *c. qui ſtudet 1 1. q. 1. c. cum pridem initio de pact. c. quæſitum de rer. permut.* eſt enim ſimonia emptio, vel venditio rei ſpiritualis, vel annexæ ſpirituali, & venditio, ac emptio non perficitur niſi pacto, & conventione partium; & in præſenti nullum intercedit pactum, nulla habetur conventio, ſed tantùm ex ſola ſpe alicujus emolumenti patronus præſentat clericum: & quia ex tali ſpe nulla adhuc oritur obligatio, ita nec habetur pactum, aut conventio; ubi enim non eſt obligatio, ibi neque pactum eſſe poteſt, ſiquidem obligatio oritur ex eo, quòd partes in unum conſentiant *l. 1. ff. de pact. l. ſticum §. naturalis ff. ſoluto matrim.* 27

Si dicas, non haberi pactum explicitum, adeſſe tamen implicitum ſufficiens ad contrahendam ſimoniacam labem, ut docent Canoniſtæ *in c. quæſitum de rer. permutat.* præſertim Anchar. *n. 2. & 3.* Contra eſt, quia ſi interveniret aliquod pactum implicitum maximè eſſet, quia Princeps, dixit, patronum ſuſcepturum emolumentum ex præſentatione talis clerici: atqui ex hoc non colligitur pactum implicitum, quia verba Principis poſſunt ſignificare, vel quòd Patronus commodum perciperet ex tali præſentatione, vel quia Princeps agnoſceret ſuam obligationem, & ipſe correſponderet datâ occaſione: vel etiam poſſunt verba Principis intelligi, quòd præſentatus uteretur debita gratitudine; unde cum verba Principis ſint æquivoca, & dubia, ſunt taliter intelligenda, ut excludant delictum *l. merito. ff. pro ſocio. c. eſtote de regul. jur.* ut notant Abbas *in c. cum tu de teſtib.* Farinac. *in prax. crimin. q. 85. n. 1.* Maſcardus *concluſ. 496.* Menochius *lib. 5. præſumpt. 61. n. 26.* & ita cenſuit Rota Romana *deciſ. 418. n. 4. p. 1. recent.* Actus autem quando poteſt, debet accipi ut factus eo modo, quo licitè fieri poteſt, non verò ut factus eo modo, quo illicitus eſſet, ut notant Tuſchus *litt. A.* 28

concluſ. 138. num. 1. Patis. *conſil. 53, num. 4. lib. 4.*

29 Tum quia verba Principis ſunt generalia, & urbanè tantùm concepta, quæ nullam inducunt obligationem. Idque procedit non ſolùm in foro exierno, in quo debet clarè conſtare de delicto *c. evidentia de accuſat.* ſed etiam in foro interno conſcientiæ, quia in foto interno non habet locum ſimonia, niſi concurrant, quæ ſunt neceſſaria ad ipſam conſtituendam: non enim res poteſt ſubſiſtere deficientibus, quæ illam conſtituunt: atqui ſimonia conſtituitur per pactum, vel conventionem *c. qui ſtudet 11. q. 1. c. quæſitum de rerum permutat.* unde ſecluſo pacto, & obligatione, non incurritur in foro interno ſimoniaca labes. Ad ſummum verba Principis declarant tunc gratitudinem exhibendam, quæ declaratio licita eſt, ut docent Zypæus *lib. 5. de jur. nov. tit. de ſimonia n. 5. V. conjecturas* Valentia *tom. 3. ſumma diſp. 6. q. 16. punct. 3. queſtione. 4.* quia cùm licitum ſit, hanc gratitudinem animo concipere; erit etiam licitum, eandem verbis exprimere. Generatim in præſentationibus non intervenit ſimonia, ſi nullum interveniat pactum, vel conventio, nec animus dandi temporale pto ſpirituali: declaratio autem gratitudinis non eſt illicita.

30 Quòd ad commutationem beneficiorum attinet. Certum eſt, commutationem beneficiorum factam ſine authoritate ſuperioris eſſe ſimoniam, ut deſumitur *ex c. quæſitum, & c. cum olim de rerum permut.* eſt tamen hæc ſimonia tantùm de jure eccleſiaſtico. Id tamen Gloſſa *in d. c. quæſitum V. Epiſcopus*, Innocentius, & Hoſtienſis ibidem limitant, niſi beneficia ſint in eadem eccleſia, & ſine onere, tunc enim cenſent, poſſe auctoritate propria permutari.

31 Alij tamen communiter hanc limitationem reijciunt, eò quia præfati textus indiſtinctè loquantur, ut notat Rebuffus *in prax. benefic. tit. de devolut. n. 92,* Panormitanus *in d. c. quæſitum.* Benè tamen limitatur, ſi agatur tantùm de proprietate, ut quando duo Epiſcopi litigant ſuper aliqua eccleſia, cuinam debeat ſubjici; tunc enim communiter docent, poſſe fieri permutationem, ut unus unam, alter alteram ſibi ſubjectam habeat. Secus tamen ſi ageretur, ut talis in tali beneficio reciperetur, quia id non poſſet fieri ſine auctoritate ſuperioris. Si enim auctoritas acceſſerit ſuperioris, licitum eſt commutare unum beneficium pro alio, ut docent omnes, & habetur *in d. c. quæſitum de rer. permutat.* id tamen procedit, quando permutans beneficium habet jus in re, quia ſi tantùm haberet jus ad rem, & commutaret illud jus cum habente beneficium; vel ſi duo habentes jus ad rem per regreſſum, acceſſum, præſentationem, electionem, optionem, vel aliam nominationem commutarent ad invicem, etiam accedente auctoritate Epiſcopi, talis commutatio foret ſimoniaca: quia jura tantùm permittunt, ut clerici auctoritate Epiſcopi poſſint permutare ſua beneficia, in quibus habent jus in re, ut patet *ex c. unic. de rer. permutat. in 6.* & ita cenſuit Rota, ut refert Franc. *in d. c. unic. n. 1.*

32 Hinc habentes ſolas expectativas à Papa; non poſſunt ad invicem etiam auctoritate Epiſcopi eas commutare, eò quia per expectativas tantùm habeant jus ad rem, non in re. Tum quia gratia illa eſt perſonalis, & non excedit perſonam, cui conceditur *c. ſi cui de prebend. in 6.* ut notat Sylveſter *V. permutatio 2. q. 3.* Authoritate tamen Prælati poteſt permutari beneficium cum præſtimonio, vel hoſpitali, ſi hoc detur clerico in titulum beneficij, ut explicatur *in clementina, quia contingit, de relig. domib. §. ut autem:* non ita ſi detur laico, ut notat Gloſſa *clement. unic. de rerum permutat. verſ. beneficia* & ibidem Imola *n. 6.* Alij tamen contrarium cenſent, cum Sylveſtro *V. permutatio q. 13.* eò quia non permittatur commutatio beneficij ad quodcunque aliud ſpirituale, niſi ſit commutatio beneficij cum beneficio; hinc docent etiam, non poſſe permutari beneficium datum in commendam cum alio beneficio, eò quia beneficium datum in commendam non ſit cuſtodientis. Commenda verò beneficij poteſt commutari cum beneficio, quia commenda eſt titulus canonicus, ut notat Rebuffus in *prax. benefic. tit. de commend. n. 53.* ubi etiam addit, hanc permutationem fieri debere authoritate Ordinarij.

33 Prælatus verò, cujus authoritate fieri poteſt hæc permutatio beneficiorum, eſt is, ad quem pertinet collatio ejusdem beneficij: unde Epiſcopus poteſt circa permutationem beneficiorum, quæ circa eorum collationem *c. quæſitum de rerum permutat.* Immo non ſolùm id poteſt Epiſcopus, verùm etiam quilibet Prælatus, ſi habeat juriſdictionem quaſi epiſcopalem, ut notat Panormitanus *in d. c. quæſitum n. 4.* & Imola *clement. unic. de rerum permutat. n. 10.* Ut autem Epiſcopus permutet aliquod beneficium cum capitulo, requiritur authoritas Archiepiſcopi *c. 1. de reb. eccleſ. non alien.* Sin verò permutet ipſe cum alijs, ſufficit conſenſus Capituli, ut notat Sylveſter *V. permutatio n. 5.* quòd ſi collatio beneficij pertineat ad Epiſcopum, & capitulum ſimul, tunc requiritur conſenſus utriusque, ut notat idem Sylveſter *V. permutatio 2. q. 2.* ſede tamen vacante, quando collatio beneficij ſpectat ad capitulum, & Epiſcopum; authoritas devolvitur ad capitulum, quia tunc ad ipſum ſolum pertinet collatio beneficij *c. unic. de ſede vacante in 6.* Secus ſi collatio pertineat ad ſolum Epiſcopum, quia tunc Capitulum non ſuccedit in hac juriſdictione, ut notat Gloſſa *in clement. unic. de rer. permutat.*

34 Vicarius autem Epiſcopi non poteſt præſtare authoritatem commutationis, niſi habeat ad id ſpecialem commiſſionem, quia ſine hac non poteſt beneficia conferre *c. fin. de offic. Vicar. in 6.* & notat Rebuffus *in prax. benefic. in forma vicariatus n. 104.* ubi *n. 105. & ſequent. addit,* quòd quamvis Vicarius habeat poteſtatem recipiendi reſignationem beneficij cauſâ permutationis, vel ſimpliciter, non tamen poſſit

ipſe

ipſe beneficia ſia reſignata conferre, ſed ad id requiritur ſpeciale mandatum ad conferendum *c. fin. de offic. Vicarij in 6.* Quòd ſi commutatio ita fiat, ut reſervetur aliqua penſio, tunc requiritur authoritas ſummi Pontificis: quia ex praxi, & uſu ſolus Romanus Pontifex poteſt in renuntiationibus, & permutationibus penſiones conſtituere, unde Rebuffus *de pacif. poſſeſſ. n. 117.* aſſerit, Epiſcopum ſimoniam committere, ſi in collatione beneficij reſervet penſionem. De jure tamen, & in aliquibus caſibus, de quibus agitur *in c. paſtoralis de his quæ fiunt à Prælate c. prohibemus de cenſib.* & duobus ſequentibus, ex rationabili cauſa poteſt Epiſcopus penſionem aſſignare, ſcilicet in caſibus jura expreſſis.

35 An verò poſſint duo tractatum permutationis facere, ſed tamen illum non omnino concludendo, ſed expectando beneplacitum ſuperioris, ſi ille approbaverit, Hoſtienſis *in d. c. quæſitum de rer. permut.* negat, eò quia hujuſmodi tractatus ex officio non poſſit aliter fieri, quàm juſſu ſuperioris. Communior tamen ſententia eſt, poſſe talem tractatum inſtitui, dummodo non concludatur, ſed expectetur approbatio ſuperioris, idque videtur deſumi *ex c. unic. de rerum permutat. in 6.* ubi dicitur, quòd *volentes beneficia permutare* debeant conſenſum habere ſuperioris: voluntas autem non poteſt maniſeſtari, niſi per prævium aliquem partium tractatum.

36 Tum quia cum tractatum inſtituant conditionatum, ſi ſuperiori placuerit, non concluditur tractatus, quin purificetur conditio per ſuperioris beneplacitum, ut docent Panormitanus *in c. cum univerſorum de rer. permut. n. 2.* & in *c. quæſitum eod. tit. n. 10.* Rebuffus in *clauſula declaratoria ſuper proponente, vel volente ingredi verſ. duo tractaverunt.* Gloſſa *clement. unic. eod. tit. V. volentibus.*

§. X.

De ſimonia, quæ committitur in penſionibus beneficiorum.

1 IN penſionibus, quibus beneficia eccleſiaſtica gravantur, duo conſideranda ſunt, ſcilicet perceptio fructuum temporalium, & jus percipiendi eoſdem fructus: Primum, ſeu ipſa ſimplex, & nuda perceptio fructuum temporalium non eſt quid ſpirituale, ſed merè temporale, ut notant Rebuffus *tract. de beneſic. poſſeſſ. n. 132. concluſ 18.* Burſatus *conſil. 178. n. 28.* Leſſius *lib. 2. de juſt. c. 35. n. 125.* quia tales fructus, ſunt tantùm quid merè temporale, ſi ſeparentur à jure eos percipiendi, & diſtinguuntur etiam ab ipſo beneficio, ut notant Romanus *conſil. 388. n. 1.* Gigas *conſil. 35. n. 9.* Lotterius *lib. 1. de re beneſic. q. 39. n. 82.* Jus verò percipiendi tales fructus, cùm ſit quid annexum ipſi beneficio, ſeu juri, & obligationi exercendi aliquod miniſterium ſpirituale, eſt materia ſimoniæ: ſiquidem jus percipiendi fructus temporales adnectitur officio exercendi miniſterium ſpirituale, ut inde miniſter eccleſiæ habeat congruam ſuſtentationem; adeò ut jus percipiendi fructus tanquam acceſſorium annectatur juri exercendi miniſterium ſpirituale, & cum tale jus ſit ſpirituale; ſequitur, quòd jus percipiendi fructus eidem annexos ſit itidem ſpirituale, & ſequatur naturam juris ſpiritualis; perinde ac acceſſorium naturam ſequitur ſui principalis.

Tum quia ſpirituale dicitur, quod ex gratia procedit ſpirituali, aut ad ipſam diſponit, 2
ut docet D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 3. in corp.* unde jus percipiendi fructus eſt quid ſpiritualizatum, tanquam informatum eſſe ſpirituali juris ſpiritualis exercendi miniſterium ſpirituale, cui annectitur. Hinc nemo poteſt eſſe capax eccleſiaſticæ penſionis, niſi conſtitutus ſit in ſtatu clericali, ut declarat Pius V. *in ſua conſtitutione 71.* & Sixtus V. *in ſua 31.* cùm enim clericatus ſeparet à laicis, & incorporet ordini eccleſiaſtico *c. cum contingat de ætat. & qualitat.* remanet clericus Deo dicatus in ordine ad ejus cultum, conſequenter acquirit quendam ſtatum ſpiritualem: quamobrem cum jus percipiendi fructus penſionis fundetur neceſſariò in ſtatu clericali, eſt jus ſpiritualizatum; quia eſt jus competens perſonæ, quatenus ſpiritualizatæ per clericatum, quo ſe Deo conſecravit.

Hinc beneficium etiam prout dicit jus per- 3
cipiendi fructus, eſt ſpirituale, quia conſurgit ex legitima conſecratione facta Deo bonorum temporalium, ut notat Navarrus *c. 23. manual. n. 108.* cum enim bona, quæ eriguntur in beneficium, conſecrentur Deo, & ſuo modo ſpiritualizentur, ſequitur, quòd jus ad percipiendos tales fructus ſit ſpirituale, non ſolùm annexivè, quatenus annectitur juri exercendi miniſterium ſpirituale ad congruam ſuſtentationem miniſtri eccleſiaſtici; ſed etiam quia eſt jus percipiendi fructus Deo dicatos; ſiquidem tale jus oritur ex conſecratione bonorum temporalium facta Deo: hâc enim poſitâ talia bona quoad fructus remanent deſtinata pro congrua ſuſtentatione Miniſtrorum; proinde jus percipiendi tales fructus, radicatur in conſecratione bonorum facta Deo, & ex tali conſecratione oritur jus percipiendi tales fructus conſecratos Deo, & deſtinatos pro congrua Miniſtrorum ſuſtentatione.

Hinc licitum non eſt ſine Pontificis licentia 4
permutare beneficium cum reſervatione alicujus penſionis, id enim ſi fiat ſine Pontificis authoritate, eſt ſimoniacum; neque reſignare cum reſervatione penſionis: ratio eſt, quia tam permutatio, quàm reſignatio beneficiorum debet eſſe omnino libera, & pura ab omni pacto, & conditione *c. cum pridem c. fin. de pact. c. tua nos 34. h. t.* & notant communiter Doctores *in d. c. cum pridem.* Rebuffus *in prax. tit. de pura reſignat.* Felin. *in c. ad audientiam 2. n. 3. de reſcript.* Tuſchus *litt. S. concluſ. 254.* Cum enim reſignatio beneficij ſit de re ſpirituali, ſeu de jure ad beneficium, ſi poſſet quis reſignare cum pacto reſervandi ſibi penſionem ex beneficio reſignato, utique res ſpiritualis

ſubjiceretur humano contractui, quod propriè ſimoniacum eſt, ſi pactum ſit abſolutum, & firmum.

5 Hinc penſio impoſita beneficio eccleſiaſtico non poteſt redimi, aut extingui ſine auctoritate Pontificis, alioquin extinctio ſimoniaca foret, & nulla, ut docent Ugolinus de ſimonia in genere *tabul. 1. c. 28. §. 3. n. 6. & ſequent.* Zechius *de benefic. & penſion. c. 11. n. 8.* Navarrus *conſil. 52. de præbend.* ratio eſt, quia jus ad penſionem eſt annexum juri ſpirituali, à quo trahitur, & fit ſpirituale *argu. c. quanto de judic.* proinde non poteſt venire in contractum, nec cadere ſub pacto. Jus enim percipiendi fructus penſionis impoſitæ beneficio eccleſiaſtico eſt quid acceſſorium ad jus ſpirituale, ſeu ad obligationem exercendi in eccleſia miniſterium ſpirituale, quia jus percipiendi fructus temporales beneficij habetur in ordine ad congruam ſuſtentationem Miniſtri eccleſiaſtici; proinde nectitur cum jure ſpirituali exercendi miniſterium eccleſiaſticum, ac ſpirituale, unde ſemper eſt; quid annexum ſpirituali, proinde materia ſimoniæ, ſi cadat ſub pactum. Sin verò pactum non ſit abſolutum, & firmum, ſed tantùm conditionatum, adeò ut reſignans dicat reſignatario: tibi reſigno meum beneficium cum pacto, ut tu ex ejus fructibus ſolvas mihi quot annis tantam penſionem, ſi Papa id conceſſerit.

6 Putârim reſpondendum cum diſtinctione, ſi tale pactum conditionatum relinquat paciſcentes in plena libertate, etiam antequam Pontifex id concedat, adeò ut liberum ſit utrique paciſcenti ſemper reſilire à tali pacto ante conceſſionem Pontificis; tunc non interveniret ſimonia: ſin verò ita paciſcentes ſe obligarent, ut non ampliùs licitum eſſet reſilire ante Pontificis conceſſionem, vel Reſignatarius deponeret certam ſummam pecuniæ, quam teneretur amittere, ſi nollet pacto ſtare, id à ſimonia non excuſaretur.

7 Ratio prioris partis eſt, quia per adjectam conditionem, & conceſſam optionem reſiliendi à pacto conditionato nil ſtabilitur, quod firmum, & ratum ſit, ſed tantùm inſtituitur ſimplex tractatus, qui ordinatur ad expectandam conceſſionem, & conſenſum Pontificis, à quo ſolo tractatus poteſt ſortiri ſuum effectum: unde antequam ſuperveniat conſenſus Pontificis, tractatus non habet rationem veri pacti, ſed remanet in pura ratione tractatus: ſiquidem pactum eſt duorum, vel plurium in idem placitum conſenſus *l. 1. cum Gloſſa ff. de pact.* & rurſus talis conſenſus debet eſſe firmus, & abſolutus, ac inducens obligationem, adeò ut non liceat à tali pacto recedere ob obligationem, quam invehit: ex quo liquet, quòd paciſcentes ſub conditione beneplaciti ſummi Pontificis, & optionis reſiliendi nullam inducant obligationem, & pactum non ſit firmum, nec habeat rationem pacti, ſed tantùm tractatûs, qui dependet, ut ſuum ſortiatur effectum, à voluntate Pontificis, ſi conceſſerit, & etiam à voluntate paciſcentium, ſi noluerint ante conceſſionem Pontificis reſilire: tunc conditio adjecta; & optio, quæ datur ad reſiliendum; impedit ortum obligationis; donec conditio purificetur *l. cedere diem ff. de V. S. l. non omnis. ff. ſi cert. pet.* & ita cenſuit Rota Romana *deciſ. 567. n. 3. p. 3. recent. apud Farinac.* Siquidem conditio ex ſua natura ſuſpendit actum, donec purificetur, proinde ea pendente actus non eſt perfectus, nec firmus. *l. cedere diem ff. de V. S.* ut notat Menochius *conſil. 63. n. 28.* unde conditione adhuc pendente contractus non dicitur factus *l. pecuniam. ff. ſi cert. pet.*

Hinc contractus conditionatus propriè non 8
eſt contractus, ut notat Aretinus *conſil. 11. n. 2.* cui adhæret Menochius *conſil. 93. n. 30.* quapropter contractus ille conditionatus ſuſpenſus hæret, uſque ad beneplacitum ſummi Pontificis, & non tranſit in pactum inducens obligationem, niſi ex conſenſu, & beneplacito ſummi Pontificis. Quòd hic ſimplex contractus non ſit prohibitus, liquet ex *c. cum pridem de pact.* ubi prohibetur tantùm firma, & ſtabilis pactio, quæ ex ſe independenter ab alio inducit obligationem: proinde cùm talis tractatus conditionatus, & cum optione reſiliendi non inducat obligationem ante beneplacitum Pontificis, nullum includit vitium ſimoniæ, ut tradit Felinus *in c. ad audientiam* 2. *n. 3. de reſcript.* & *in c. non ſatis 8. h. t.* illa enim clauſula, ſeu conditio determinans tractatum ad expectandum beneplacitum Apoſtolicum, & remittens omnia Pontificis arbitrio, & libertati paciſcentium antequam Pontifex aſſentiatur, eſt congruum remedium ad evitandam ſimoniam, ut notant Felinus *in d. c. ad audientiam 2. verſ. ſi autem de reſcript.* & ita cenſuit Rota *deciſ. 538. n. 7. p. 4. tom. 2. recent.* quia tunc nil ſtatuitur, nec ulla fit conventio niſi dependenter à beneplacito Pontificis, & conceſſione Apoſtolica; adeò ut tractatus nullum ſortiatur effectum niſi poſt conceſſionem, & beneplacitum ſedis Apoſtolicæ, & tunc conditio appoſita retrotrahitur ad tempus, quo fuit adjecta contractui *l. ſi filiusfamilias init. ff. de V. O. l. Lucius ff. qui pot. in pign. hab.* ut notat Menochius *conſil. 242. n. 49.*

Ratio ſecundæ partis, nimirum paciſcen- 9
tes inficí ſimoniaca labe, ſi ante conceſſionem Pontificis ſe obligent, ut non poſſint reſilire, & reſignatarius debeat ſummam pecuniæ perdere, ſi reſiliat, eſt, quia tunc ante beneplacitum, & conceſſionem ſedis Apoſtolicæ contractus eſt firmus, & pactum ſtabile, cum inducat obligationem; proinde ſimoniacum, quia res ſpiritualis, vel annexa ſpirituali ut eſt, jus percipiendi per adjectam penſionem fructus beneficij, cadit ſub pactum, quod propriè eſt ſimoniacum. Tum quia reſignans, non reſignaret beneficium, niſi reſignatarius deponeret pecuniam, & aſſumeret obligationem ſolvendi penſionem juxta tractatum, & ſe obligaret ad expectandum conſenſum Apoſtolicum, tunc enim obligatio etiam pendente conditione non poteſt revocari: proinde pactum initum eſt firmum, & ſortitur ſuum effectum in ordine

ad

Digitized by Google

ad inducendam obligationem, ot loquens de donatione conditionata docet, Covarruvias *lib. 1. variar. c. 14. n. 16.* Quoties oritur obligatio, tractatus non manet in puta, & ſimplici ratione tractatûs, ſed tranſit in pactum firmum, & ſtabile in ordine ad illam obligationem, quam inducit.

10 An verò penſio vendi, vel redimi poſſit, Doctores non concordant, ſed ut diſtinctè procedamus, tria ſunt penſionum genera diſtinguenda, & conſideranda. Aliæ enim ſunt penſiones merè temporales, quæ à Pontifice conceduntur etiam laicis pro miniſterio temporali, vel ob aliam juſtam cauſam. Dari enim ſolent hujusmodi penſiones viris Principibus omnino ſæcularibus, vel etiam equitibus, & militibus, eò quia armis, vel ſuo patrocinio defenderint temporaliter eccleſiam, qua ratione penſiones dantur tunc titulo temporali, & ſæculari; tales ſunt tertiæ, quæ dantur Regi Hiſpaniæ, & quæ alijs militibus, eò quia armis defendant fidem.

11 Aliæ ſunt penſiones purè ſpirituales, eò quia dentur in titulum beneficij, ut ad juvandum Parochum in ſuo officio; ſive ad ſerviendum tantùm in choro.

12 Aliæ dicuntur penſiones mixtæ quaſi participantes de temporalibus, & ſpiritualibus, eò quia dentur quidem clericis ratione clericalis ſtatus, ac proinde participent rationem penſionis ſpiritualis; ſed non ob miniſterium ſpirituale, ſed ob aliam cauſam, ratione cujus videntur participare rationem penſionis temporalis; quapropter dicuntur penſiones mixtæ, cujusmodi ſunt, quæ dantur Parochis jam ſenio confectis, eò quia non poſſint ampliùs eccleſiæ inſervire, vel clerico pauperi ad ejus ſuſtentationem.

13 Quoad penſiones primi generis plures cenſent, poſſe ſine nota ſimoniæ vendi, ac redimi mediante pretio, ita docent Pirhing *lib. 5. tit. 3. ſect. 4. §. 8.* Leſſius *lib. 2. de juſtit. c. 35. n. 123.* Suarez *lib. 4. de ſimonia c. 28. n. 5.* Sanchez *lib. 2. conſil. moral. c. 3. dub. 46. n. 11.* & nituntur, quia talis penſio non fundatur in titulo ſpirituali, nec eſt illi annexa; proinde abſque nota ſimoniæ poteſt cadere ſub contractum emptionis, & venditionis. Tum quia penſio poteſt etiam laicis concedi, perinde ac conceduntur decimæ, quia ut docet D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 4. ad 3.* tunc non conceditur aliquod jus ſpirituale, ſed tantùm res temporalis, ſcilicet temporalis actio circa fructus penſionis, & decimarum.

14 Verùm putârim, procedendum cum diſtinctione, ſi penſio authoritate Pontificis extrahatur à titulo, & officio ſpirituali, adeò ut Pontifex ſæcularizet illam partem fructuum, quam concedit in penſionem viro laico, eò quia armis defendat eccleſiam, tunc vera eſt ſententia docentium, hujusmodi penſiones vendi poſſe, & redimi; ratio eſt, quia per talem ſeparationem factam authoritate ſummi Pontificis, penſio illa eſt omnino ſæculariſata, ſeu ſeparata à quovis jure ſpirituali, & à Papa conceditur viro ſæculari ob ſolum titulum temporalem, eò quia vir ille ſæcularis armis defendat eccleſiam; proinde cùm totum, quod conceditur laico, ſit temporale, & ob titulum temporalem; nil impedit, quo minus poſſit pretio vendi, vel redimi, quia tùnc venditur temporale pro temporali.

Sin verò penſio, quæ à ſummo Pontifice conceditur viro ſæculari, non ſeparetur ab illo 15
titulo particulari, cui beneficium ſubjicitur; vel ſi ſeparetur, non tamen extrahatur à titulo univerſali dignitatis clericalis, tunc putârim non poſſe vendi, nec redimi pretio, quia eo ipſo, quòd penſio non extrahitur à titulo univerſali dignitatis clericalis, remanet annexa titulo ſpirituali, conſequenter eſt materia ſimoniæ, ut docent Rebuffus *de pacific. poſſeſſ. n. 134.* Covarruvias *2. p. c. 3. §. 3. n. 3.* Garcia *de benefic. p. 1. c. 5. n. 20.* & ita cenſuit Rota Romana *deciſ. 129. p. 1. recent.* Id autem procedit de penſionibus clericalibus, quæ dantur titulo eccleſiaſtico, licèt viris militibus, & etiam conjugatis, eò quia ſint intra ordinem eccleſiaſticum per clericalem tonſuram, ratione cujus obligantur ad recitandum officium B. Virginis: quia tametſi penſio tunc non det jus ad beneficium, ſed tantùm ad percipiendos fructus beneficij, adhuc hujusmodi jus eſt ſpirituale receptum ſpirituali modo; ſiquidem recipitur à clerico, ut à perſona eccleſiaſtica ob primam tonſuram, & habente jus ad participandum in bonis eccleſiæ, adeò ut ſi non adeſſet prima tonſura, vel ſi clericus eſſet excommunicatus, vel interdictus, aut ſuſpenſus, collatio illa penſionis nulla eſſet; ex quo liquet, tale jus non ſolùm eſſe annexum rei ſpirituali, ſeu dignitati clericali, ſed etiam ſuo modo ſpiritualizari, eò quia fiat proprium perſonæ clericali intra ordinem ſpiritualem: ſicut enim initiatus prima tonſura recipiens tale jus percipiendi fructus penſionis illud recipit per modum ſpiritualis perſonæ; ita etiam ipſum jus per modum rei ſpiritualis recipitur.

Idque firmatur à pari de jure percipiendi de- 16
cimas; ideo enim hoc jus non poteſt ſine ſimonia vendi, licèt ſit jus percipiendi ſolos fructus terræ, qui ſunt aliquid merè temporale; quia eſt jus perſonarum inſervientium eccleſiæ; proinde manet in ordine ſpirituali: atqui etiam jus penſionis eſt jus perſonæ eccleſiaſticæ, ſeu clerici, datur enim ſæculari non ſimpliciter ut tali, ſed ut initiato primâ tonſurâ, unde hoc jus non eſt omnino temporale, ſed annexum rei ſpirituali, ſeu primæ tonſuræ, ac dignitati clericali; proinde eſt materia ſimoniæ. Tum quia qui hujusmodi accipiunt penſiones ratione earundem, contrahunt obligationem recitandi officium B. Virginis, & cum penſio ſit annexa tali obligationi, quæ eſt ſpiritualis, ſequitur, ipſam penſionem, ſeu jus percipiendi fructus temporales eſſe annexum rei ſpirituali, ac eſſe materiam ſimoniæ.

Quoad penſiones ſecundi generis, cùm hæ 17
ſint propriè ſpirituales, dentúrque in titulum beneficij, ſeu ad juvandum Parochum in ſuo officio, vel ad ſerviendum in choro, alijsque offi-

officijs divinis, certum eſt, has penſiones materiam eſſe ſimoniæ, quia propriè ſunt beneficia eccleſiaſtica fundata in titulo ſpirituali, proinde non poſſunt vendi, ac redimi abſque ſimonia: & ita dicendum de alijs penſionibus ſpiritualibus, quæ pro beneficio, ſeu loco beneficij ſolent dari Coadjutori, vel Vicario Epiſcopi ad exercendum ſpirituale miniſterium, & ad ſupplendum vices Epiſcopi: hæ ſiquidem penſiones non poſſunt ſine ſimonia pretio vendi, nec redimi, eò quia hujuſmodi penſiones non minus quàm eccleſiaſtica beneficia fundantur in ſpirituali officio, cui nectuntur, & tantùm deficiunt à propria ratione beneficij, quia non ſunt penſiones perpetuæ, nec conferuntur in titulum perpetuum; quapropter eas vendere, vel redimere ſimoniacum eſt, quia tunc cenſetur emi, & vendi ipſum ſpirituale miniſterium, cui eſt penſio illa annexa.

18 Quòd nec hujuſmodi penſiones poſſint redimi, ex eo liquet, quia per redemptionem extingueretur obligatio penſionarij ad tale munus, quæ tamen obligatio manere debet, ut officium ſpirituale exerceatur. Hinc quoties penſio datur ad officiũ ſpirituale exercendũ, non poteſt pretio vendi ſine vitio ſimoniæ, nec poteſt redimi, datur enim propter officium eccleſiaſticum, in quo fundatur; perinde ac in beneficijs præbenda fundatur in officio ſpirituali, unde ſicut pro præbenda non poteſt quidquam dari; ita neque pro tali penſione.

19 Circa tertium genus penſionum, quæ dicuntur mixtæ, eò quia dentur Clericis ratione ſtatus clericalis, ſed non ob miniſterium ſpirituale, ſed ob aliam cauſam, ut quando Parocho ſenio confecto datur penſio ſine obligatione inſerviendi eccleſiæ, licèt ſpectato jure communi antiquo videantur licitè, & abſque ſimonia vendi poſſe, ac redimi; non tamen de jure novo, & ſecundùm ſtylum curiæ Romanæ poſſunt vendi, quin ſimoniaca labes contrahatur; hujuſmodi enim venditiones, & emptiones jure novo damnantur poſt decretum Pij V. de penſionibus: ſiquidem Pontifex impoſuit hujuſmodi penſionibus obligationem recitandi officium B. Virginis, hinc quamvis propriè non dicantur beneficia, eò quia non ſint penſiones perpetuæ, quia tamen ſunt annexæ alicui clericali, & ſpirituali officio; ratione cujus requiritur jus ad tales redditus temporales neceſſarium ut conditio ſtatûs clericalis, & quia miniſterium eſt ſpirituale, ſeu ipſa recitatio officij B. Virginis, ſunt hujuſmodi penſiones annexæ rei ſpirituali, proinde ſunt materia ſimoniæ, nec poſſunt vendi, aut redimi pretio temporali ſine nota ſimoniæ. Hinc penſio, quæ datur clerico pauperi in alimentum, nec poteſt vendi, vel redimi ſine ſimonia, quia tametſi talis penſio non detur pro miniſterio ſpirituali, ſi præſcindamus à recitatione officij B. Virginis, adhuc tamen datur titulo ſpirituali, ſeu intuitu dignitatis clericalis, quâ ratione Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. c. 2. de reformat.* ſtatuit, ne penſio ad cujus titulum clericus ordinatur, poſſit remitti ſine licentia Epiſcopi, qui tamen non poteſt talem licentiam concedere, niſi clericus aliundè habeat, unde congruè poſſit vivere. Idque argumento eſt talem clericum frui penſione titulo dignitatis clericalis.

20 Neque vendi, aut redimi poteſt ſine ſimonia penſio, quæ aſſignatur renuntianti beneficium, quacunque ex cauſa fiat reſignatio, quia quamvis penſio non detur ad exercendum aliquod miniſterium ſpirituale, ſed pro congrua ſuſtentatione; adhuc tamen datur titulo ſpirituali, quia datur titulo clericatus, ſiquidem ratione dignitatis clericalis, ſunt clerico debita alimenta ex bonis eccleſiæ. Tum quia penſio nonniſi ex juſta cauſa poni debet: atqui clericus renuntians beneficio, ſibique penſionem reſervans pro alimento habet juſtam cauſam ſibi reſervandi penſionem, eò quia cum ſit clericus, habet jus ad participandum in bonis eccleſiæ, & in bonis talis determinati beneficij, eo quia exercuerit ſpirituale miniſterium annexum tali beneficio, & hac ratione penſio fundatur in titulo ſpirituali, & non poteſt emi, nec redimi ſine nota ſimoniæ.

21 Hinc neque qui commutat beneficium pinguius cum tenuiori, & reſervat ſibi penſionem ſupra pinguius, poteſt hujuſmodi penſionem vendere, aut redimere, quia adhuc hujuſmodi penſio fundatur in titulo clericatus, & datur intuitu dignitatis ſpiritualis: ſiquidem datur pro compenſatione rei ſpiritualis, ſeu beneficij pinguioris commutati cum tenuiori; unde cum detur pro compenſatione beneficij pinguioris, quod eſt jus ſpirituale, datur penſio pro compenſatione rei ſpiritualis; quo fit, ut penſio illa ſit annexa rei ſpirituali, ſitque materia ſimoniæ: alioquin ſi penſio eſſet temporalis, non poſſet dari pro compenſatione beneficij pinguioris; alioquin daretur ſpirituale pro temporali, ſcilicet beneficium pinguius, quod eſt quid ſpirituale pro penſione, quæ eſſet quid temporale, quod eſſet quid ſimoniacum contra jus naturæ, & divinum, in quo non poteſt Papa diſpenſare: quia verò Pontifex concedit, ut qui commutat beneficium pinguius cum tenuiori, poſſit in compenſationem pinguioris beneficij renuntians ſibi penſionem reſervare, hæc debet eſſe ſpiritualis: proinde eſt materia ſimoniæ, ſi vendatur pretio temporali.

22 Quòd ſi dicas, tunc non fieri commutationem, eò quia reſervare ſibi penſionem ſit tantùm non dare integros fructus.

23 Contra eſt, quia talis penſio ſupra pinguius beneficium reſervata concurrit ad compenſandos fructus tenuioris beneficij, qui cùm ſint annexi rei ſpirituali, ſeu beneficio, penſio itidem ex vi talis commutationis annectitur rei ſpirituali; & detrahitur à pinguiore beneficio in compenſationem tenuioris, unde concurrit ad ponendam æqualitatem inter res, quæ ſunt materia ſimoniæ, & annectuntur rebus ſpiritualibus. Neque penſio poteſt conſtitui, neque transferri intuitu pecuniæ ſolvendæ ut pretium translationis, aut conſtitutionis penſionis, quia cùm ſit penſio clericalis, ſem-

ſemper fundatur in titulo ſpiritneli. Tum quia tunc pecunia reſpicit actionem fundandi, ac transterendi penſionem; unde qui paciſcitor, adhuc pactum init de obtinenda illa actione à Pontifice, proinde etiam ipſa actio cadit in pactum, & eſt meteria ſimoniæ, eò quia enectatur rai ſpirituali.

24 An verò poſſit quis pro certa ſumma pecuniæ ſolvendæ unica vice cadere penſionem alteri durante propria vita. Communior ſententia aſſerit, non poſſe panſionem cedi pro tali ſumma pecuniæ, eò quia id perinde eſſet, ac penſionem illam vendete pretio talis ſummæ, qnod perinde eſſet, ac dare ſpirituale, vel annexum ſpirituali pro pretio temporali. Tum quia per talem ceſſionem transſertur totom jus, qood penſionarius hebebat ed percipiendos fructus ſuæ penſionis, & quia tale jus ſupponitur annaxum rei ſpirituali, ideo detur ſpirituale pro temporeli, quod eſt ſimoniacum.

25 Tum quia per talem contractum revera venditur penſio mediante illa ſumma pecuniæ; quia cedere mediante pretio aliquid, eſt idem, ac illud veedere *l. cum his ff. de fidejuſſ.* & ita cenſuit Rota *deciſ. 492 n. 3. p. 2. recent.* Tum quia ſi ceſſio fiat oltra trieenium, naceſſarium eſt beneplacitum apoſtolicom, ſine quo ceſſio eſt nulls, & contractus irritus, ut habetur in Extravag. ambitioſa de *rebus eccleſ. non alienan. & in 6. c. 2. eod. tit.* & ita cenſuit Rota *deciſ. 631. p. 2. recent.*

26 Quòd ſi qui certam ſummam peconiæ accepit, ſibi retineret jus percipiendi fructus panſioois, & conſtitueret procuratorem, qui quot annis colligeret fructus penſionis tradendos ei, qui ſummam pecuniæ ſolvit adjecta etiam conditione; quòd ſi reſtitnat eandem pecuniæ ſummam, procurator ſibi debeat fructus panſionis dare, non verò ampliùs alteri, qui ſummam pecuniæ dederat, & iterum accepit; forſan poſſet ſalvari contractus ſine ſimonia, quia tunc non ceditur ios penſionis, ſed tantùm ejus fructus; & ex eo conijcitur, quia conſtituitur tantùm procurator ad exigendos fructus penſioois, adeò ut fructus exigantur nomine antiqoi penſioearij, non verò illius, qui ſummam pecuoiæ dedit. Tum quia penſionarius poteſt ſemper repetere fructus ſuæ penſionis, ſi acceptam peconiæ ſommam reſtituat, quod non contingeret, ſi jus penſionis non maneret apud penſionariom. Poſſe ſine ſimooia cedi fructus penſionis, dummodo jus penſionis remaneat penes cedentem, doceet Suerez *tom. 1. de relig. lib. 4. c. 26. n. 9.* Garcia *1. p. de beneſic. c. 5. n. 29.* Naldus *in ſumma V. penſio n. 10.* Paſqualigus *deciſ. moral. deciſ. 210. n. 7.* Navarrus *conſil. 62. de ſimonia.*

27 An verò ſine conſanſu ſuperioris, ſeu ſummi Poetificis poſſit reſignans cum reſervatione penſionis obligare reſignatarium ed aliqua onera admittenda, ut ſit tutus de ſua penſione: interdum enim fiunt reſignationes in favorem ſub onere penſionis, & quia raſignans timet, ne reſignatarius ſit ægrè, & tardè poſtea ſoluturus penſionem, ut abſque ulla difficultate poſſit ſtatim eam exigere, petit à reſignaterio, ut aſſignet aliquam hypothecam ſæcularem, vel fidajuſſorem, quem quavis difficultate ſuborta in ordine ad exigendam ſuam peoſionem poſſit convenire; quæritur an reſignans citra notem ſimoniæ poſſit talia onera imponere reſignatario ſioe conſenſu ſummi Pontificis. Reſpondetur, talem contractum eſſe ſimoniacum, eò quia per ipſum obligat reſignatarium ad id, quod de jure non ineſt; & illi ex vi reſignationis imponit onus pretio æſtimabile, ſunt enim tales conditiones, quæ aggrevaet reſignatarium, cenſentúrque propterea onera pretio æſtimabilia, quæ cum jore non inſint, non ſolent ſine euthoritate ſommi Pontificis admitti; qoia centinent ſimoniam juris humani, habéntque quandam ſpeciem contrectuum civiliom, ut notat Suarez *lib. 4. de ſimon. c. 53. c. 32. in fin.* & id adeò verum eſt, ut quamvis Epiſcopus facultatem haberet imponendi penſiooem, adhuc non poſſet hujusmodi contractum approbare, ut notat idem Suarez *loc. cit.* quapropter penſio conſtituta cum hiſce oneribus poſſet non ſolvi, & beeeficium tanquam vacans propter ſimoniam impetrari ab alio.

Secus ſi poſt conſtitutam penſionem obligaratur reſignatarius ad hæc onera, cenſent plures, non fore id ſimoeiacum, & io foro exteriori eſſet præſumendum, reſignatarium ſa liberè ad id obligâſſe, ut tradit Flaminius *lib. 14. q. 7. n. 53.* obi ait, hanc ſententiam commuoem eſſe. An verò ſimoniam committeret reſignans beneficium, ſi præter penſionem exigeret à reſignatario ſolutionem expenſarum, quas in acquiſitioee talis beneficij ipſe facit. Reſpondetur, ſine ſimonia non poſſe tales ſumptus exigere à Raſignatario, ut docet Suarez *loc. cit. n. 26.* ratio eſt, quia tunc peteret aliquod onus, quod de jure nun ineſt reſignationi: ſiquidem raſignatio ſecum non affert illos ſumptos: ſed expenſæ factæ ſunt ante reſignationem, & cùm primùm reſignans voluit beoeficium acquirere: onde beneficium non poteſt dari cum tali ſpeciali onere, quod non daretur, ſi beneficium non fuiſſet acquiſitum cum talibos expenſis, non enim ex eo, quòd reſignans in acquiſitione beneficij habuerit ſumptus, inde beneficium pluris æſtimatur. 28

§. XI.

De ſimonia confidentiali, quæ in reſignationibus factis ſpe, & confidentia beneficiorum committitur.

Eſt ſimonia confidentialis ſpecies particularis ſimoniæ, quæ à ſpe, & fiducia oritur; quatanus qui reſignat beneficium, ſperat iterum illud è reſignatario recuperare, vel ſaltem quòd ſit etiam ipſe illud reſignaturus, cui magis reſignanti placuarit; ut ſi Patrus reſignet, vel aliquo alio modo procuret beneficium Paulo confidens, ipſum aſignando idem beneficiom reſignaturum nepoti, vel amico ſuo: ſi talis raſignatio fiat cum pacto obligante 1

Peulum reſignatarium ad reſignandum poſtea idem beneficium nepoti, vel amico reſignantis eſt ſimonia confidentialis. Quòd ſi reſignans, vel conterens, vel procurens alteri beneficium tantùm habeat intentionem eum obligendi, ut poſt aliquid tempotis idem beneficium renuntiet nepoti, vel amico, & nullo ſigno externo hanc ſuem iutentionem inſinuaverit, tune ſimouia eſt mentalis, quâ non incurruutur pœnæ jure conſtitutæ: ſiu autem hæc inteutio manifeſtetur exteriùs Reſignetario, & ineatur pactum obligans reſignatarium ad reſignandum hoc idem beneficium nepoti, vel emico; tunc talis reſiguetio cum pacto illo inducente obligationē eſt ſimonia externe confidentialis, qoê incurruntur pœnæ juris, ot conſtet ex Bulla Pij IV. cui initium eſt, *Romanum Pontificem*, & Pij V. in Bulla, quæ inclpit *intollerabilis*, ubi damuatur, ac reprobatur talis reſignetio, quâ quis elicui procuret beneficium eccleſiaſticum illud reſignendo iu favorem illius, vel etiam præſentando, eligeudo, confirmaudo, poſtuleudo, inſtituendo, vel in commeudam dando cum certa confidentia, ſeu cum pacto expreſſo, vel tecito, ut is cui reſignatur, vel procurator beueficium, poſt aliquod tempus debeat idem beneficium reſignare uepoti, vel amico reſignantis, vel procurautis, vel debeat penſionem ſolvere, aut aliud emolumentum præſtere.

2 Quòd ſi quis reſignet, vel procuret alteri beueficium, confidens ipſum aliquando reſignaturum idem beneficium nepoti, vel amico, ſi nulla iutercedat pactio, nulla imponatur obligetio, tuuc reſignans cum tali ſpe uon incurrit ſimouiam; tametſi reſignetio poſſit vitiari à concurrentibus circumſtantijs, ut doceut Leſſius *lib. 2. c. 35. dub. 16.* Navarros *c. 28. n. 109.* Ugolinus *tabul. 1. c. 22.* quia qooties non intervenit pactum internum, vel externum, nou incurritur ſimonia, quia hæc non habetur ſine pacto expreſſo, vel tacito; unde quantumvis reſignans ſperet, fore ut reſiguatarius ſit idem beneficium reſignaturus nepoti, vel amico; ſi nulla adſit occulta, vel aperta conventio, non incurritur ſimouia.

3 Poteſt ſimonia coufideutialis committi in reſignatioue cujusvis beneficij eccleſiaſtici, cujuscunque ſit ordinis, ſive ſimplex ſit, ſive curatum, regulare, ſive ſæculare, majus, vel minus, ut docet Suarex *lib. 4. de ſimon. c. 43. n. 4.* Ratio eſt, quia omuia hæc beneficia ſunt ſpiritualia, & comprehenduntur in Bullis Pij IV. & V. & ſive beneficium ſit curatum, ſive non, quoties reſignetur cum pacto explicito, vel tacito, ut reſignatarius poſt fluxum tauti temporie debeat idem beneficium reſignare nepoti, vel emico, habetor vera ſimonia confidentialis, quæ prohibetur in præcitatis Bullis. Tum quia per præfatos motus proprios ſummorum Pontificum, damnatur ut ſimoniaca etiam illa confidentia, quæ jure eutiquo uon eret talis, ſi intercedat pectum tacitum, vel expreſſum in tali confideutie; nou ita ſine tali pactione, adeò ut non ſit ſimoniacum renuntiare beneficio in favorem alicujus ea intentione, & ſpe, ut tale beneficium aliquando cedat in fevorem alterius à ſe nominandi, vel etiem ipſios reſignantis, vel etiam cum ſpe, quòd reſignatarius ſit daturus pertem fructuum ipſi reſignanti, vel ejus conſanguineo; dummodo nullum pectum tacitum, vel expreſſum apponetur; quia defectu pactionis, & obligetionis, non incurritur ſimonia hæc confidentialis in ordine ad pœnas in jure expreſſas incurrendes: unde ille ſimonia eſt tantùm confidentialis ux parte reſiguantium cum tali ſpe: non verò ex parte reſignatarij, qui cum nullam contrehat obligetionem, non tenetur, beneficium ſibi reſiguetum reſignare alterl ed votum reſiguentis. In hoc ſenſo etiam intelligitur Concilium Tridentiuum *ſeſſ. 25. de refor. c. 15.* ubi ſtatuitur, ut reſignationes reciprocæ beneficiorum in favorem filiorum clericorom, nullum ſortiantur velorem; ut ſi Titius Clericus reſignet ſuum beneficium in favorem Caij filij cujusdam clerici ſimiliter beneficierij, & hic clericus reſignet poſtee proprium beneficium, quod antea habebat in fevorem præfati Titij, id enim intelligitur prohibitum, quando intervcuit pactum tacitum, vel expreſſum, uon ita ſi nou adſit pactum, ut fusè probat Navarrus *lib. 1. conſil. tit. de renunt. conſil. 5.*

An verò reſiguare beneficium adjectâ conditioue, ut reſiguetarius ſolvet certem penſionem reſignanti, ſit ſimonie confidentialis, affirmar Suarez *loc. cit. cap. 43.* quia confidentis ſimoniaca eſt etiam reſignare beneficium ſub conditione, vel pacto, ut proviſus, ſeo reſiguatarius fructus, vel pertem illorum conferet ad utilitetem, vel libitum reſignantis, vel conferentis: & hoc etiam procedit de ipſe peuſione, & ejus reſervetione, cum penſio pro parte fructuum computanda ſit. Tum quia una ex conjecturis, quæ ibi edducitur ad probandum crimeu confidentiæ, eſt, ſi reſignans poſt reſignationem, fructus percipiat beneficij reſignati, quæ præſumptio ceſſaret, ſi non eſſet ſimonia confidenrialis reſignare cum pacto, ut dentur alicui fructus beneficij reſiguati, vel ſaltem eoruudem pars. Tum quia in Bulla Pij IV. ad cujos couformitatem, & confirmationem Pius V. ſuam conſtituit, damnatur ut ſimouia coufidentialis ee reſiguetio, quæ fit cum onere ſolvendi peuſionem, vel fructus beneficij. 4

Contraria tameu ſententie non videtur carere probabilitete, quia penſiones non comprehenduntur ſub generali nomine beneficiorum, præſertim iu meterie odioſa, quæ reſtringeuda potius eſt, quàm amplieuda: tum qoia per ceuonicam inſtituriouem, vel collatiunem penſiones non couferuntur, ueque reſignantor iu fevorem alterios. Tum quie motus proprius Pij V. explicans, quando cenſeatur ſimonia confidentialis, hæc habet: *ſi quis ex reſignatione, vel ceſſione beneſiej ſimpliciter, aut cum circuitu retroceſſionis receperit beneficium, ut eidem dimittenti, vel alteri conferatur poſtea, aut ejus fructus, vel eorum pars alij, vel alijs concedantur, vel penſiones ſolvantur ex eisdem ſimonia* 5

nia confidentialis cenſeatur. Ex quo liquet, quòd quando reſignatur beneficium cum pacto, ut poſtea reſtituatur, ait Pontifex, quòd pactum ſit, ut reſtituatur eidem reſignanti, vel dimittenti, vel alteri: quando verò loquitur de pacto non reſtituendi beneficium, ſed ejus fructus, non dicit eidem, vel alij; ſed alij, vel alijs.

6 Tum quia ſtatim Pontifex dicit, quòd quando habens poteſtatem conferendi, vel præſentandi confert, vel præſentat cum pacto reſtituendi fructus: *ad utilitatem conferentis, vel cedentis, vel alterius, vel penſionem illi, vel illis, vel alij, quem patronus collator, vel cedens ſignaverit, perſolvat:* unde dicit eſſe ſimoniam confidentialem, quando collator, vel patronus paciſcitur, ut ſibi, vel reſignanti, vel alij detur aliquid ex fructibus: quando verò reſignans adijcit pactum, tantùm dicitur, ut reſtituantur fructus alij, vel alijs, proinde ſi reſignans apponit pactum, ut ſibi, & non alij reſtituantur fructus, videtur id non eſſe ſimonia confidentialis damnata in eodem motu proprio Pij IV. & V. hoc enim eſt benè notandum, quòd in ijsdem Bullis, ſeu motibus proprijs, quando agitur de conventione beneficij, dicitur, *ut eidem dimittenti, vel alteri conferatur:* ſecus quando agitur de penſione, & fructibus tantùm dicitur *alij, vel alijs*, nulla facta mentione ipſius reſignantis, vel dimittentis.

7 Quamvis hæc ſententia à pluribus habeatur probabilis, contraria tamen eſt probabilior, eique adhærendum, quia in Bulla Pij V. cenſetur ſimonia confidentialis, quando quis præſentat, vel beneficium reſignat, aut confert, ut proviſus illius fructus, vel partem fructuum ad utilitatem conferentis, vel cedentis relinquat, vel penſionem ei, cui idem collator, vel cedens voluerit, perſolvat. Tum quia in Bulla Pij IV. habetur, ac *ſibi propterea penſiones annuas*, & rurſus *ac fructuum, & penſionum reſervationes*, quibus verbis Pontifex indicat, eſſe ſimoniam confidentialem, quando quis ſibi abſque legitima authoritate penſionem reſervat.

8 Cæterum an hujusmodi Bullæ quoad hanc partem de penſionibus ſint receptæ, plures dubitant, & Leſſius *lib. 2. c. 35. dub. 16. n. 97. in fin.* exiſtimat, non eſſe Bullam in hac parte receptam. Hinc ſi quis velit adhærere ſententiæ aſſerenti, reſignantem beneficium cum conditione, ut ſibi penſio ſolvatur non incurrere ſimoniam confidentialem: ſi reſignaret beneficium, ſibíque penſionem reſervaret ſine licentia Papæ, quia non incurreret ſimoniam confidentialem, ſed tantùm ſimoniam prohibitam de jure eccleſiaſtico, non ſubijceretur pœnis ſimoniæ, nec eſſet excommunicatus, nec privatus beneficio ſic recepto ipſo jure: imò nec teneretur fructus reſtituere, eò quia canones loquantur de ſimonia divino ſimul, & eccleſiaſtico jure prohibita: & præfata ſimonia non eſſet prohibita juxta talem ſententiam jure divino, ſed tantùm jure canonico.

Quòd verò canones loquantur de ſimonia 9
divino ſimul, & canonico jure reprobata, ex eo liquet, quia præfatio legis dat intellectum toti legi, quæ ex ipſa præfatione regulatur, & deſumit ſuam cauſam finalem, ut docet Molina Juriſta *lib. 1. de primogen. c. 5. num. 3.* Tum quia quando verba ſunt dubia, & poſſunt explicari in varios ſenſus, ſumi debent in potiori ſignificato. Putârim tamen adhærendum contrariæ ſententiæ utpote tutiori, & quia revera talis ſimonia eſt prohibita utroque jure divino, & eccleſiaſtico, quia nomine ſimoniæ propriè ſignificatur ſimonia jure divino prohibita.

An verò etiam in permutationibus benefi- 10
ciorum committi poſſit ſimonia confidentialis, nonnulli affirmant, eò quia in permutatione duplex includatur renuntiatio in favorem permutantium, & etiam pacta ſimoniaca. Verùm contraria ſententia eſt communior, & probabilior, quam docent Suarez *lib. 4. de ſimon. c. 43. n. 11.* Navarrus *lib. 5. conſil. 77. de ſimonia*, & communiter alij, aſſerentes in permutationibus beneficiorum non committi ſimoniam confidentialem, ſed communem, ut ſi duo inter ſe permutent beneficia cum confidentia, ſeu pacto regrediendi ad priora beneficia, vel eadem reſignandi conſanguineis, quia in præcitatis Bullis Pij IV. & V. eſt tantùm ſermo de renuntiantibus, & cedentibus abſolutè, proinde intelligendæ ſunt de renuntiationibus ſimpliciter factis in favorem tertij, non de his, quæ fiunt permutationis cauſa: ratio eſt, quia priores renuntiationes ſunt magis odioſæ, & ex illis graviora ſequuntur incommoda, proinde leges pœnales ad tales reſignationes reſtringuntur, non verò ad alias ampliantur, quæ fiunt per permutationem beneficiorum.

Tripliciter committi poteſt hæc ſimonia 11
confidentialis, ut notat Leſſius *lib. 2. c. 35. dub. 16. n. 98.* Primò *per regreſſum*, ut ſi quis reſignet alteri beneficium, quod de præſenti poſſidet, ſibíque reſervet jus regrediendi ad idem beneficium in eventu, quo reſignatarius naturaliter, vel civiliter præmoriatur, vel fiat Epiſcopus, aut penſionem conſtitutam non ſolvat; adeò ut tunc, qui reſignavit beneficium jus priſtinum in eodem recuperet. Secundò *per ingreſſum*, & contingit, quando quis beneficium ſibi collatum, ſed nondum poſſeſſum alteri reſignat ſervato ſibi jure ingrediendi poſſeſſionem ejusdem beneficii, ſi ille præmoriatur, aut fiat Epiſcopus. Tertiò *per acceſſum*, ut ſi Prælatus cupiens Petro proviſum eſſe de beneficio, ſed quia Petrus nunc ob defectum legitimæ ætatis, vel aliud temporale impedimentum canonicum non eſt capax illius, confert, & reſignat beneficium, quod ipſe habet alteri adjecto pacto, ut ceſſante impedimento, Petrus beneficium illud obtineat, poſſitque propria authoritate illud accipere.

Qui igitur tale jus accedendi, ingrediendi, 12

vel regrediendi ad idem beneficium alteri reſignatum, vel collatum ſibi, vel alteri reſervat, committit ſimoniam confidentiæ, quia tales reſignationes cum hiſce pactis non poſſunt fieri etiam coram ordinarijs Prælatis locorum, & ſunt ſimoniacæ. Tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 7. de reformat.* prohibet, ac reprobat omnes tales acceſſus, regreſſus, & ingreſſus, eò quia imaginem quandam referant hæreditariæ ſucceſſionis: unde lecus facientes incurrunt excommunicationem latæ ſententiæ reſervatam ſoli ſummo Pontifici, & reſignatio, vel collatio beneficij, in quo commiſſa eſt talis ſimonia, eſt invalida, & taliter renuntians conſtituitur inhabilis ad idem beneficium obtinendum. Imò privatur etiam omnibus beneficijs, & penſionibus priùs obtentis, fitque inhabilis ad alia obtinenda, non tamen hæc pœna incurritur ipſo facto; ſed tantùm poſt ſententiam judicis declaratoriam criminis. Demum beneficia per ſimoniam confidentiæ obtenta ſunt ſedi Apoſtolicæ reſervata, adeò ut non poſſint ab inferioribus conferri, & eorum fructus malè percepti interim cameræ Apoſtolicæ applicantur, ut notat Suarez *loc. cit. lib. 4. de ſimonia c. 43. n. 14.* Ob plures, quas includunt fraudes ſimoniæ confidentiales, ſunt graviores aliis ſimplicibus ſimonijs.

§. XII.

De pretio ſimoniaco, eiúſque diviſione.

1 PRetium ſimoniæ eſt omne illud temporale, quod datur pro re ſpirituali, & cujus propterea traditione committitur ſimonia, cum enim malitia ſimoniæ conſiſtat in contractu oneroſo reciproco, ſeu in commutatione rei ſpiritualis cum temporali per modum emptionis, & venditionis; ideo illud temporale, quod datur pro ſpirituali, dicitur pretium ſimoniæ, quod eſt triplex, ſcilicet à manu, à lingua, & ab obſequio, ut communiter docent Doctores, quia illa tria ſunt temporalia, proinde improportionata rei ſpirituali: oritur enim malitia ſimoniæ ex improportione, quæ reperitur inter rem ſpiritualem, & temporalem; hinc defectu hujus improportionis permutare rem ſpiritualem cum altera merè ſpirituali, cui nil temporale ſit annexum ex natura rei, expectato ſolo jure divino, non eſt ſimoniacum, ut permutare reliquias ſacras cum alijs reliquijs, & rem aliam ſpiritualem cum alia merè ſpirituali, quia quando datur ſpirituale pro ſpirituali, non datur quid temporale, nec aliud eidem æquivalens, proinde non poteſt intervenire contractus venditionis, & emptionis, quia hic contractus ſupponit ſemper pretium aliquod temporale.

2 Tum quia quando purum ſpirituale permutatur cum puro ſpirituali, non fit injuria rei ſpirituali; proinde ſpectato ſolo jure divino non eſt ſimoniacum permutare rem ſpiritualem cum altera purè ſpirituali. Nihilominus licèt beneficia eccleſiaſtica ſint etiam ſpiritualia, non poſſunt permutari, quin incurratur ſimonia prohibita jure eccleſiaſtico; ſi talis permutatio fiat per pactum privatorũ beneficiariorum, ſine authoritate ſuperioris eccleſiaſtici, tameſi non interveniat alia pecunia pro pretio. Tum quia beneficia ſemper habent adnexum commodum aliquod temporale, quod conceditur pro congrua ſuſtentatione beneficiarij. Verùm ut incurratur ſimonia, debet pretium temporale dari cum onere, & obligatione, ut qui illud accipit in compenſatione illius teneatur dare aliquid ſpirituale: alioquin ſi quod temporale eſt, detur omnino gratis, non incurritur ſimonia, quia tunc non eſt pretium rei ſpiritualis; diſtinguitur enim pretium à dono gratuito; quia quod pro pretio datur, non donatur gratis; ſed ex juſtitia, & obligatione. In foro tamen externo, quando præcedunt temporalia munera, & donum ſpirituale, præſumitur in donante ſimoniaca intentio, proinde hujuſmodi munera ſubinde prohibentur jure eccleſiaſtico, ut ſimoniaca.

Non tamen eſt ſimoniacum in ſententia plurium, obligationem antidoralem gratitudinis in pactum deducere, etiam cum ſpeciali promiſſione illam implendi; quia hujuſmodi conventiones ſub titulo donationis, aut remunerationis, non inducunt obligationem rigoroſam ex juſtitia. Verùm contraria ſententia eſt communior, & probabilior, eique adhærendum, quia quando obligatio antidoralis gratitudinis deducitur in pactum cum ſpeciali promiſſione ſtandi pacto, ut cùm Titius dicit Cajo: do tibi centum aureos ea tamen conditione, ut viciſſim promittas mihi, & te obliges, quòd ex gratitudine ſis mihi daturus rem ſpiritualem: ut etiam è converſo, ſi dicat: do tibi hanc rem ſpiritualem, ut ex gratitudine promittas, daturum mihi donum aliquod temporale: ratio eſt, quia hujuſmodi conventiones ſub titulo donationis, vel remunerationis re ipſa, & in ſe ſunt ſimoniacæ permutationes, quia per tale pactum imponitur accipienti nova obligatio aliquid viciſſim dandi, ad quod ſecluſâ tali ſpeciali conventione non obligaretur, & quia talis obligatio eſt pretio æſtimabilis, & aliquod onus; fit quòd hujuſmodi donationes non ſint gratuitæ, ſed oneroſæ, & permutationes ſimoniacæ. 3

Munus igitur prout eſt pretium ſimoniæ, non ſignificat donum omnino liberale, & gratuitum, ſed quod inducat aliquam obligationem, & debitum juſtitiæ commutativæ, proinde gravamen aliquod, ac onus. Per *munus igitur à manu*, quod eſt prima ſpecies pretij ſimoniaci, non ſolùm intelligitur pecunia, quæ magis propriè pretium dici ſolet rei, quæ datur venum, ſed etiam quævis res alia materialis, tum mobilis, tum immobilis pretio quomodocunque æſtimabilis; immo etiam debiti remiſſio, & dilatio ſolutionis. *Munus à lingua* eſt laus, adulatio, preces pro aliquo interponendæ ex vi pacti expreſſi, vel taciti, ut rea aliqua ſpiritualis viciſſim conferatur, ut ſi 4

Epi

Epiſcopus daret alicui beneficium eccleſiaſticum ea conditione, ut rogaret Principem in favorem ejusdem Epiſcopi, ut is mediantibus hiſce precibus obtineat, quod à Principe deſiderat. Tertia ſpecies pretij eſt *munus ab obſequio*, & hæc tertia ſpecies comprehendit omnia obſequia, vel ſervitia alicui præſtita, vel præſtanda ſub obligatione conferendi beneficium eccleſiaſticum, vel rem aliam ſpiritualem; ut ſi quis velit collatori beneficiorum inſervire abſque alio ſalario cum expreſſo tamen, vel tacito pacto, ut conferatur ipſi poſtea beneficium: unde ſervitia temporalia, vel obſequia, ut ſint pretium ſimoniæ, debent præſtari ſub obligatione, ſeu pacto conferendi viciſſim ei beneficium eccleſiaſticum; ſeclusâ enim tali pactione expreſsâ, vel tacitâ inſervire collatori beneficiorum, etiam gratis, non eſt ſimonia; quia poteſt quis præſtare alteri ſua ſervitia, & obſequia nil ab ipſo exigendo: de ratione ſimoniæ eſt igitur, ut interveniat pactum, quo collator ſe obliget conferre beneficium ei, qui ſine mercede illi inſervit, quia tunc ratione pacti datur beneficium eccleſiaſticum pro aliquo temporali, ſeu pro obſequijs, quæ fuerunt illi præſtita à tali clerico, qui propterea inſervivit gratis; quia pro mercede petijt ipſum beneficium eccleſiaſticum, quod propriè eſt dare aliquod temporale pro ſpirituali.

5 Quòd ſi Clericus inſerviens collatori beneficiorum nullum iniret pactum, nec mercedem ullam exigeret pro ſuo ſervitio, ſed tantùm ſperaret, collatorem eſſe illi daturum ex gratitudine beneficium aliquod, tunc non eſſet ſimonia ex defectu pacti, ſine quo non habetur ſimonia; quia obſequia non habent rationem pretij, ſed tantùm conciliant benevolentiam, à qua poſtea provenit gratuita beneficij collatio, ut docet Suarez *lib. 4. de ſimonia c. 39. n. 5.* debet tamen abeſſe omne pactum tam explicitum, quam implicitum.

6 Rurſus *munus à manu* non ſolùm comprehendit pecuniam, vel quodvis aliud temporale, quod de facto tradatur pro pretio rei ſpiritualis, ſed etiam quodlibet aliud commodum, etiam remiſſivum debiti: ſi quis enim pro obtinendo beneficio eccleſiaſtico debitum remitteret collatori, vel ſe remiſſurum promitteret, ſi id fieret ex reciproco pacto à debitore, & collatore inito, utique talis remiſſio ſimoniaca foret, quia dans aliquid ſpirituale propter remiſſionem debiti temporalis non dat gratis, ſed ex contractu oneroſo, & revera commutat rem ſpiritualem cum illa pecunia, quam collator beneficij ratione debiti à ſe antea contracti ſolvere tenebatur, quod perinde eſt, ac vendere mediante inito pacto beneficium pro pecunia illa debita, tanquam pretio, quod eſt ſimonia jure divino naturali, & canonico prohibita: cum enim collator beneficij per talem collationem liberetur ab obligatione ſolvendi talem pecuniam ſuo creditori, videtur eam accepiſſe in pretium collati beneficij *l. ſi quis 115. ff. de reg. jur.*

7 Quinimò *munus à manu* comprehendit etiam ipſum mutuum, ſi enim collator beneficij promitteret Paulo ſe eidem daturum beneficium eccleſiaſticum ex inito pacto, quo Paulus obligetur dare collatori beneficij 500 aureos mutuos; talis collatio beneficij foret ſimoniaca ratione pacti oneroſi expreſſi, vel taciti de pecunia mutuò danda, & deſumitur *ex l. quisquis 16. C. ſi certum petatur:* neq; obſtat, mutuum non eſſe per ſe peculiari pretio æſtimabile, eò quia eadem prorſus pecunia mutuò data reſtituatur creditori, & nullum pretium ſupra ſortem accipiatur pro ipſa actuali mutuatione; quia licèt non accipiatur quidquam ſupra ſortem, & reſtituatur eadem prorſus pecunia; nihilominus, quòd collator hîc, & nunc accipiat talem pecuniam, eò quia illâ indigeat, eſt aliquod commodum, & quidem temporale, quod ex præſenti illo uſu pecuniæ percipit, & quia ob tale commodum dat mutuanti beneficium eccleſiaſticum, adeò ut interveniat utrinque pactum, quo accipiens beneficium obligetur ad dandam mutuam hîc, & nunc totam illam pecuniam; ſequitur, id eſſe ſimoniacum prohibitum jure divino, & naturali, eò quia datur mediante pacto inducente obligationem conferendi beneficium ſpirituale pro temporali, ſeu commodo illo, quod percipit collator beneficij ex præſenti uſu pecuniæ ſibi mutuo datæ. Comprehenditur etiam ſub *munere à manu* ipſa dilatio ſolutionis pecuniæ debitæ, ut ſi collator beneficij teneatur nunc ſolvere Petro 500. aureos, & Petrus ex pacto inito ſe obliget ad illos non exigendos niſi poſt biennium, dummodo collator ei beneficium eccleſiaſticum conferat, committitur ſimonia jure naturali, & divino prohibita; eò quia dilatio illa ſolutionis pecuniæ debitæ eſt aliquod commodum, quod percipit collator beneficij, & propter quod ex vi pacti initi ſe obligat ad conferendum beneficium ſuo creditori: hæc enim dilatio ſolutionis perinde eſſet, ac ſi Petrus propter beneficium ſibi collatum daret collatori mutuos illos 500. aureos ad biennium; quamobrem illa dilatio ſolutionis virtualiter, & implicitè eſt mutuum; & urget eadem ratio, ac de mutuo dato pro beneficio collato mediante pacto inducente obligationem.

Hoc etiam procedit, ſi pro ſolutione anticipata daretur beneficium eccleſiaſticum, ut ſi Petrus non niſi poſt ſexennium teneretur ſolvere collatori beneficiorum mille aureos, & pactum iniret cum ipſo collatore de ſolvenda tota illa pecunia intra bimeſtre, dummodo ei conferat beneficium eccleſiaſticum: ſiquidem hæc anticipata ſolutio eſt etiam implicita, & virtualis mutuatio, cui æquivalet; quia perinde eſſet, ac dare mutuos collatori omnes illos aureos ad ſexennium mediante pacto, & obligatione, quòd collator ſit daturus Petro beneficium eccleſiaſticum: accipere hîc, & nunc pecuniam illam, & poſſe illa uti ad libitum, utique eſt aliquod commodum temporale pretio æſtimabile, pro quo cùm detur beneficium ex vi pacti inducentis obligationem, eſt ſimonia. 8

9 Sub nomine *muneris à lingua* non ſolùm comprehenduntur commendationes, & laudes, ſed etiam preces, quæ pro aliquo interponuntur, ſi id fiat ex vi pacti expreſſi, vel taciti, ut viciſſim detur aliquid ſpirituale: ſi enim collator beneficij promittat, ſe collaturum alicui beneficium, ſi Principem rogaverit pro ſe, & ut velit ſibi favere, & recipiens beneficium ex vi pacti expreſſi, vel taciti ſe obliget ad intercedendum apud Principem in ejus ſavorem; tunc talis collatio eſt ſimoniaca, ut deſumitur ex *c. ſunt nonnulli 114. cauſa 1. q. 1.* quia tales preces ab eo faciendæ, cui Princeps favet, ſunt pretio æſtimabiles, & collator intendit aliquid inde accipere commodi, pro quo confert roganti beneficium ſpirituale: ſunt enim preces illæ quid temporale, & quidem pretio æſtimabile ab ipſo collatore beneficij, cùm tanti eas faciat, ut roganti conferat beneficium, conſequenter dat rem ſpiritualem pro temporali, quod eſt ſimonia jure divino, & naturali prohibita. Si tamen nullum interveniret pactum inducens obligationem, & preces præceſſiſſent collationem beneficij, adeò ut collator ex mera gratitudine conferret beneficium alteri, eò quia, ſciverit rogâſſe Principem in ejus ſavorem, tunc collatio beneficij non eſſet ſimoniaca ex defectu pacti inducentis obligationem ad illam: hoc idem etiam procederet, ſi poſt collationem beneficij Beneficiarius ob gratitudinem intercederet apud Principem in ſavorem collatoris, quia tunc tales preces non ſunt pretium pro beneficio, neque oriuntur ex obligatione contracta per pactum initum cum collatore, ſed tantùm ſunt effectus gratitudinis. Non enim in jure prohibetur, ne qui beneficium eccleſiaſticum accepit à collatore, ſit eidem gratus, quinimò id approbatur *in c. latorem 121. cauſa 1. q. 1.* quia exercere gratitudinem in ſuum benefactorem eſt quid honeſtum, rationi conſonum, proinde licitum. Neque in jure canonico prohibetur, ne quis pro alio intercedat: ſiquidem Gregorius Papa *in d. c. latorem* aſſerit, ſe ad interceſſionem quorundam alios promoviſſe ad ſacros Ordines. Neq; eſt ſimonia rogare, ut ſibi conferatur aliquod beneficium; quia *in c. tua nos 35. h. t.* clericos, qui eccleſiæ dederat ſua bona, ut reciperetur in canonicum, & eadem bona haberet ipſe pro præbenda, quia id mediante pacto egit, fuit ſimoniacus, & Pontifex reſcripſit, quòd ſi humiliter eſſet rogaturus, ut reciperetur in canonicum, poſſet capitulum eum aggregare, ac eligere in canonicū, & bona illa etiam eidem dare pro præbenda; unde clericus ille licitè rogavit pro ſeipſo, ut promoveretur ad canonicatum.

10 Sunt tamen duo difficiles textus in contrarium, quorum primus deſumitur ex *c. ordinationes 113. cauſa 1. q. 1.* ubi ordinationes factæ intervenientibus precibus falſæ eſſe dicuntur. Secundus ex *c. pueri 121. ead. cauſ. & quaſt.* ubi prohibetur in ordinatione quæcunque venalitas, petitio, vel ſupplicatio perſonarum, proinde preces, & ſupplicationes videntur non poſſe admitti, ut intuitu earundem conferatur beneficium. Sed contra ad primum reſpondetur, ibi non eſſe ſermonem de ſimonia in ſpecie, ſed tantùm in genere de modis, quibus illicitè conferri poſſunt ordines, ut ſi promovendos ad Ordines, & pro quo interponuntur preces, non ſit omnino dignus, ut promoveatur; & nihilominus ratione precum promoveretur. Alij etiam reſpondent *in d. c. ordinationes* tantùm prohiberi preces, quæ nectuntur cum pacto inducente obligationem, ut docet Suarez *lib. 5. de ſimonia c. 40. n. 11.* Ad ſecundum deſumptum *ex c. pueri* reſpondetur, ibi non comparari venditionem ordinationis cum ſupplicatione, ſeu precibus; ſed has poni ut diſtinctas, & ſeparatas, adeò ut ſupplicationes, & preces ibi non prohibeantur ob malitiam ſimoniæ, quam preces inducant; ſed ob alia incommoda, quæ nonnunquam oriuntur ex illis precibus, & ſupplicationibus, quia perſæpe ij, pro quibus preces fiunt, non ſunt tam digni, ut promoveantur, & debent excludi alij, qui ſunt digniores, ut deſumitur *ex c. 1. cauſa 8. q. 2.*

Quòd ſi dicas, collatorem tunc conferre beneficium ob preces interpoſitas, proinde committere ſimoniam, eò quia preces illæ ſint quid temporale, & collator intuitu earum beneficium conſerat. Contra eſt, quia tunc collator non confert beneficium propter preces, tanquam pretium, ſed propter preces tanquam cauſam impulſivam conferendi beneficium ex mera liberalitate, & benevolentia: preces enim tantùm movent collatorem, ut omnino gratis velit beneficium conferre. Hinc ſi Petrus enixim rogaret collatorem pro beneficio conferendo Paulo indigno tali beneficio, ſi collator ſineret ſe ſuaderi, ac moveri ad conferendum indigno beneficium, talis collatio eſſet quidem injuſta, eò quia facta indigno, non autem ſimoniaca, quia collator illud non contulit propter preces tanquam propter pretium; ſed ob preces ut cauſam impulſivam dandi omnino gratis beneficium ei, pro quo rogatur. Hinc neque eſt ſimoniacum conſerre beneficium ob preces, ut vocant armatas, ſeu incutientes etiam gravem metum, ſi tamen nullum interceſſerit pactum, quia tunc collatio beneficij non fit ob preces tanquam pretium, cum quo commutetur ceſſatio illatæ injuriæ: ſed beneficium ut medium ſpirituale offertur gratis ad redimendam injuſtam vexationem, ut docet Suarez *lib. 5. de ſimonia c. 37. num. 10.* Conſerre enim beneficium propter timorem gravem injuſtè incuſſum ſecluſo omni pacto, non eſt ſimonia, ſicut nec eſt ſimonia ex timore conſiteri, communicare, miſſæ intereſſe diebus feſtis ad evitandam pœnam à Rege Galliæ nuper conſtitutam contra recèns converſos ad fidem catholicam in ſuo Regno, quia tunc timor incorrendi pœnam, eſt tantùm cauſa impulſiva, quâ recèns converſi ſacris interſunt, confitentur, & communicant omnino liberè abſque ullo pacto: ita nec eſt ſimonia dare beneficium ex timore gravi incuſſo, ſi nullum interſit pactum. Non enim quævis datio, vel promiſſio, 11

cui

cui conditio adijcitur, conſtituit contractum reciprocum, ſeu ex utraque parte oneroſum, quod deſideratur ad indocendam ſimoniam, ſed ſolùm ſi adjecta conditio viciſſim imponat onus, ſeu obligationem juſtitiæ alteri per modum cujusdam commutationis: hinc promittens dotem puellæ adjectâ conditione; dummodo fiat monialis, talis promiſſio non eſt oneroſa, quia non cogit puellam ad ingreſſum religionis, ſed tantùm ex ſuppoſitione, quòd ipſa velit liberè Deo inſervire, ac fieri monialis, gratis promiſſor vult eidem dare dotem, quæ ſolet monialibus dari.

12 Poteſt etiam collator beneficium conferre alteri ex timore gravi, ne ei noceat, quia tunc conferre beneficium ob talem timorem perinde eſt, ac illud conferre ad evitandum aliquod malum grave; quod poteſt eſſe odium, quo quis collatorem beneficiorum proſequitur, & ad hoc vitandum conferre beneficium perinde eſt, ac allicere inimicum ad benevolentiam: vel tale malum, quod timetur poteſt eſſe aliquod damnum externum in vita, fama, & fortuna; & ex timore damni illius imminentis conferre beneficium eſt etiam allicere inimicum ad benevolentiam, ne noceat. Quòd ſi interveniret aliquod pactum tacitum, vel explicitum, ratione cujus, qui poteſt nocere, ſe obligaret ad non nocendum, tùnc ratione pacti contraheretur ſimoniaca labes, ut notat Sotus *lib. 9. q. 7. art. 3.*

13 Rurſus ſi alter poterat de jure Paulo nocere, eò quia erat judex, vel accuſator; & Paulus, qui crimen commiſit, promittat ei aliquid ſpirituale, dummodo per initum pactum ſe obliget ad non nocendum, eſt etiam ſimonia: ratio eſt, quia illa ceſſio juris eſt tunc pretio æſtimabilis, & quid temporale propter quod datur ſpirituale, quod eſt ſimoniacum jure divino, & naturali prohibitum. Immo id etiam procedit, tametſi non potuerit jure nocere, dummodo Paulus mediante collatione rei ſpiritualis illum adſtringat ad impoſterum non nocendum; quia tunc illa adſtrictio, ſeu obligatio ad non nocendum, & propter quam datur res ſpiritualis, eſt quid temporale pretio æſtimabile, eſt enim novum vinculum ſuperadditum juri naturali, quo obligatur ex lege juſtitiæ non nocere Paulo.

14 An verò ſit ſimonia conferre beneficium conſanguineo intuitu conſanguinitatis, reſpondetur negativè cum D. Thoma 2. 2. *q. 100. art. 5. ad* 2. quia tunc collator à conſanguineo nil accipit temporalis, ratione cujus det beneficium eccleſiaſticum; ſiquidem collator tantùm movetur ad conferendum beneficium conſanguineo intuitu ſolius conſanguinitatis, quapropter cum nihil prorſus accipiat à conſanguineo, cui confert beneficium, hoc omnino gratis datur; proinde talis collatio non eſt ſimonia, cum non detur temporale pro ſpirituali, & detur beneficium abſque ulla obligatione orta ex pacto.

15 Tum quia nulla poteſt canonica conſtitutio aſſignari, quæ ſimpliciter prohibeat conferri beneficia conſanguineis, quia tunc beneficium non datur propter conſanguinitatem, ut pretium; neque in commutationem illius, cùm ante collationem beneficij adfuerit conſanguinitas. Canones enim ſolùm improbant collationes procedentes ex inordinato affectu carnali, & quando conſanguinei præferuntur dignioribus: cæterum ſi collator beneficij conferat conſanguineo indigno aliquod beneficium intuitu ſolius conſanguinitatis, talis collatio eſt quidem illicita, & peccaminoſa, non tamen ſimoniaca, eò quia nullum interceſſerit pactum, nulla obligatio, nullúmque pretium.

An verò collator beneficij contrahat ſimoniacam labem, ſi ex timore amittendi creditum conferat Paulo ſuo debitori beneficium? Reſpondetur negativè, ſi nullum interceſſerit pactum, ob quod imponatur nova obligatio in futurum debitori. Ratio eſt, quia ſi debitor aliàs ſit dignus tali beneficio, & collator abſq; ullo pacto, ex quo oriatur obligatio aliqua, ei conferat beneficium, rectè & juxta regulas canonis confert beneficium digno. Quòd poſtea exigat ſuum creditum, non eſt illicitum, quia petit, quod ſuum eſt, ſeu quod ſibi ex præcedente contractu debebatur: proinde collatio beneficij eſt totaliter gratuita. Cæterum eſſet ſimonia, ſi collator conferret beneficium collatori habito novo pacto ſecuritatis in futurum: quia illud eſt onus, & quidem æſtimabile, ut docet Suarez *lib. 5. de ſimonia c. 17. n. 18.* 16

In dubio autem, an temporale, quod datur gratis, ſe poſſit habere per modum pretij, tria debent conſiderari: primò qualitas perſonæ dantis, & recipientis, ſub qua comprehenduntur etiam circumſtantiæ *quis*, & *circa quem*, ut ſi perſona divitijs affluat, vel paupertate laboret: ratio eſt, quia donum, quod reſpectu divitis eſt exiguum, & nullius fermè momenti, reſpectu pauperis eſt magnum: huc etiam ſpectat nobilitas perſonæ, quæ per ſe ſolet indicium eſſe donationis gratuitæ, quia proprium ſit viri nobilis omnino gratis donare ad oſtendendam propriam liberalitatem, & munificentiam *argu. c. 1. de donat.* Spectat etiam huc vinculum amicitiæ, & conſanguinitatis, quia facilè inter conſanguineos, & amicos præſumitur libera donatio, niſi fortaſſis perſonæ dantes, vel recipientes vitio tenerentur avaritiæ, ut notat Suarez *lib. 5. de ſimonia c. 36. n. 12.* non enim avarus præſumitur gratis, & ex liberalitate donare. 17

Secundò habenda eſt ratio ad circumſtantiam qualitatis rei, quæ datur, quia ſi hæc fuerit magni pretij, non præſumitur gratis data, niſi id dans exprimat: ratio eſt, quia ſecluſâ tali expreſſione quilibet præſumitur dare eo modo, quo ſine vitio dari ſolet: atqui dare gratis rem propriam magni valoris non eſſet effectus liberalitatis, ſed vitij extremi, ſeu prodigalitatis, & nemo præſumitur velle prodigere, quod ſuum eſt *c. cum ſuper hoc. 5. de renuntiat.* quòd ſi res dono data ſit modici pretij, & pro nihilo reputetur à dante, eò quia divitijs affluat; tunc non videtur veroſimile, velle dare rem tam exiguam, & modicam pro re tam 18

magna

magna, ſicut eſt res ſpiritualis, præſertim ſi dans ſit munificus, & liberalis, & quia erubeſceret dare tam modicum pro re ita magna: ſin autem res dono data ſit mediocris valoris, tunc quantitas conſideratur reſpectu dantis, & accipientis: ſi res dono data ſit pecunia, tunc præſumitur ſimonia, quamvis quantitas ſit modica, eò quia parata pecunia ſemper ſolet dari ut pretium rerum, quæ mediante ipſa recipiuntur, unde ſi non adſit aliqua alia cauſa, quâ cohoneſtetur illa pecuniæ ſolutio; hæc præſumitur dari in pretium rei ſpiritualis.

19 Sin autem res dono data pertineat ad eſculenta, & poculenta, & ſit in modica quantitate, adeò ut à donatore quaſi nihili æſtimetur, tunc non præſumitur data in pretium rei ſpiritualis. Tertiò conſideratur circumſtantia temporis, ſeu occaſio donationis, quia urgente neceſſitate, quâ quis hîc, & nunc ſummè indiget re aliqua temporali; dator præſumitur eam liberaliter dare, ut opituletur neceſſitati ſui proximi; unde non præſumitur tunc dari tanquam pretium rei ſpiritualis, præſertim ſi detur poſt receptionem rei ſpiritualis, quia cum res fuerit ipſi omnino gratis data, & nullam propterea contraxerit obligationem, ſi poſtea ei opituletur in neceſſitate, non cenſetur dare ipſi temporale pro ſpirituali, quod jam antea ſuſceperat, ſed tantùm vel ratione gratitudinis, vel ex charitate ad ſubveniendum neceſſitati proximi: ſin autem munus temporale detur ante receptam rem ſpiritualem, vel etiam in ipſa receptione, tunc non ita facilè præſumitur data ex liberalitate, ſed potiùs ex neceſſitate, ut deſumitur ex *c. emendari 104. cauſ. 1. q. 1.* ut etiam ſi in ipſa receptione rei ſpiritualis detur munus temporale, videtur tunc ratione circumſtantiæ temporis habere plus recompenſationis, quàm gratuitæ donationis. Hoc totum deſumitur *ex c. & ſi quæſtiones 18. h. t.* ubi cum quidam electus fuiſſet in Archiepiſcopum Strigonienſem, & confirmatus; & Papa ipſi per quendam Cardinalem Apoſtolicæ ſedis Legatum transmiſiſſet pallium, & frater Archiepiſcopi electi equum inſcio Cardinale illi miſiſſet, eò quia cùm trajeciſſet mare Adriaticum, paucos haberet equos, Pontifex reſcripſit, Archiepiſcopum metuere non debere, eò quia in muneribus tria ſint maximè attendenda, ſcilicet perſonæ dantis, & accipientis; earum qualitates; & muneris dati quantitas; ut etiam tempus donationis. Qualitas perſonarum ut attendatur à quo, & cui, videlicet an à paupere diviti; vel è converſo datum fuerit: æſtimatio muneris, & tempus donationis, ſi majoris, vel minoris pretij res exiſtat; an inſtante neceſſitate, vel alio tempore conferatur. Penſata igitur qualitate Cardinalis Legati, & fratris Archiepiſcopi Strigonienſis, non fuit magnum transmittere in donum Cardinali unum equum, quem etiam ejaculatori non petenti vir divitijs affluens fortè donaret.

20 Præterea quia non alia intentione hoc factum fuiſſe conſtat, quàm ut Cardinali Legato ſubveniretur tempore neceſſitatis, Unde ex *d. c. & ſi quæſtiones 18.* ut cognoſcatur; an ſit ſimonia in donis datis, vel acceptis à conferente aliquid ſpirituale, tria ſemper debent conſiderari. Primò qualitas perſonarum dantis, & accipientis, an divites ſint, vel pauperes, ut ſi pauper det diviti, vel è contra dives pauperi. Secundò quantitas muneris, an ſit magni, vel minoris pretij. Tertiò tempus donationis, ut ſi inſtante neceſſitate, vel alio tempore opportuno, ut ſi vir admodum nobilis, & dives, qui iter facienti, & non petenti fortè daret equum, non eſſet ſimonia, quamvis aliquid ſpirituale antea ab ipſo accepiſſet, eò quia donum non ſit magnum, nec datum intentione rei ſpiritualis accipiendæ, cum eam jam acceperit, ſed tantùm præſumitur equus datus, ut ſuccurratur neceſſitati proficiſcentis. Hinc illud Iſaiæ 33. *Beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere*, ut explicatur *in d. c. & ſi quæſtiones 18. h. t.* intelligitur de illis donis, quæ ſolent pervertere animum accipientis; unde ſi ipſa perſona electa offerat ſuo ordinatori, vel conſecratori electuarium, vel de vino, vel de alijs hujusmodi, quæ ſunt modici pretij, & quæ ſolent inclinare, vel movere voluntatem recipientis; tunc nec accipiens, nec donans putantur peccare, nec ſimoniam incurrere. Quamobrem concludit Pontifex *in d. c. & ſi 18. h. t.* non eſſe in ſimilibus materijs dubitandum plusquam oportet; nec hæſitandum ubi non oportet.

Simoniam tamen committit beneficiarius, 21
qui beneficium litigioſum cum multis expenſis aſſecutus fuerat, ſi poſtea dum in pacifica poſſeſſione, illud alteri reſignat coram Epiſcopo, vel alio Prælato inferiore cum pacto, ut Reſignatarius, ſeu is cui reſignatur beneficium, ſolvat expenſas; quia tunc reſignatio non eſt pura, cum exigat temporale pro ſpirituali: etenim nullo alio titulo expenſæ illæ poſſunt exigi, niſi quia reſignans ei beneficium reſignat; proinde pro ipſa reſignatione ſolvuntur expenſæ illæ, quæ cum ſint quid temporale, datur pretium temporale pro ſpirituali, quod eſt ſimoniacum. Præterea eſt etiam ſimoniacum inſtituere coram Epiſcopo reciprocas reſignationes, ut cum quis dicit: ego reſigno meum beneficium tuo nepoti; vel amico; tu verò reſigna tuum mihi, vel meo nepoti; quia non ſolùm hæc reſignatio fit in favorem, ſed etiam continet pactum reſignationis reciprocæ, quod omninò extra caſum permutationis eſt jure prohibitum. Idque a fortiori etiam procedit de renuntiatione triambulari, quæ inter tres fieri ſolet, ut ſi Joannes dicat, renuntio meo beneficio in favorem Petri, ut Petrus reſignet ſuum Paulo, & Paulus reſignet ſuum mihi; ratio eſt, quia tunc non habetur reſignatio pura, ſed mediante multiplici pacto inducente obligationem, quæ pacta inducunt ſimoniam.

Sin autem lis oriatur ſuper eccleſiaſtico be- 22
neficio, vel re alia ſpirituali non prohibentur partes amicabiliter, & gratis inter ſe componi duobus hiſce modis. Primò ſi unus ſponte, & gratis renuntiet juri ſuo, & litem deſerat, & tunc nil obſtat, quo minus ſi alter ex grati-
tudine

tudinė velit ipſi donum aliquod dare, poſſit illud ſine ſimonia accipere, quia id non eſt ſimoniacum, cum nullum intercedat pactum, & munus offeratur ex pure, & ſimplici gratitudine. Secundò ſi arbitros compromitrant, ut illi parti rem totam adjodicent, quæ potiori jure niti viſa fuerit. Transactio tamen, in qua ex una parte beneficium eccleſiaſticum, & ex altere res temporalis datur, remittitur, vel retinetur, eſt ſimoniaca: ratio eſt, quia transactio eſt reciprocus contractus, & ſpecies quædam commutationis rei temporalis cum ſpirituali *c. cum pridem de pactis.* Quamvis controverſiæ, quæ circa res alias, vel jura ſpiritualia verſantur, poſſint terminari offerendo, vel retinendo aliqnid ſpirituale, non tamen id conceditur in materia beneficiali, niſi Prælati authoritas intercedat.

§. XIII.

De Titulis excuſantibus, ne contrahatur ſimoniaca labes.

1 Liquet ex præexpenſis, ſimoniacum eſſe dare pretium cum pacto inducente obligationem pro re ſpirituali ob improportionem temporalis cum ſpirituali, ut enim docet D. Thomas 2. 2. *q. 100. art. 2. & 5. in corp.* malitia ſimoniacæ commutationis non aliunde oritur, quàm ex improportione, quæ eſt inter rem materialem, ſeu temporalem, & ſpiritualem. Hinc primus titulus excuſans, ne contrahatur ſimoniaca labes, eſt, ſi permutatio rei ſpiritualis fiat cum re altera merè ſpirituali, cui nil temporale, ſeu pretio æſtimabile ſit annexum ex natura rei, nec pactum inducens obligationem intercedat. Quapropter commutare ſacras reliquias cum alijs ſacris reliquijs ſpectato jure divino non eſt ſimoniacum, ut nec etiam commutare jus patronatus cum alio jure patronatus, aut beneficium eccleſiaſticum cum alio beneficio itidem eccleſiaſtico, ut docet Suarez *lib. 4. de ſimonia c. 30. n. 5.* ſiquidem hujusmodi commutatio rei ſpiritualis cum alia purè ſpirituali non eſt prohibita jure divino, nec adverſatur Chriſti præcepto gratis dandi, quia ſi tantùm detur purum ſpirituale pro ſpirituali non intervenit pecunia, nec aliud pretium temporale æquivalens, ſine quo non habetur contractus emptionis, & venditionis, conſequenter neque ſimonia: tum quia per talem commutationem non fit injuria, nec irreverentia rei ſpirituali.

2 Verùm ſi hæc commutatio beneficiorum, vel rerum purè ſpiritualium fiat per pactionem privatorum beneficiariorum ſine authoritate ſuperioris eccleſiaſtici, eſt ſimonia prohita jure eccleſiaſtico, adeò ut duo beneficiarij ſine authoritate ſuperioris eccleſiaſtici non poſſint paciſci ſuper permutatione beneficiorum adinvicem: quia id illicitum eſt, & jure eccleſiaſtico ſimoniacum, ut oſtendit Suarez *lib. de ſimonia, c. 31. n. 8. & ſequent.* quamobrem permutatio rei ſpiritualis, cum ſpirituali mediante pacto etiam ſecluſo omni pretio, ſi res ſpirituales, quæ permutantur, ſint beneficia eccleſiaſtica, permutatio eſt illicita, quia prohibita, & eſt ſimoniaca jure eccleſiaſtico. Extra tamen materiam beneficiorum non eſt ullo jure poſitivo ſpecialiter prohibitum permutare rem aliquam ſpiritualem pro ſpirituali, ut ſacras reliquias pro alijs ſacris reliquijs: ratio eſt, quia canones tantùm prohibent pactiones in rebus ſpiritualibus, in quibus includitur aliquid temporale, quod datur pro ſpirituali, ut in beneficijs includuntur fructus temporales.

Secundus titulus excuſans à ſimoniace labe contrahenda eſt, ſi pro obligatione miniſterij ſpiritualis accipiatur aliquid temporale, non ut pretium ejusdem miniſterij ſpiritualis, ſed tantùm titulo congruæ, & neceſſariæ ſuſtentationis; id enim eſt rationi omnino conſonum, ut qui altari ſervit, de altari vivet, eſt enim ſuſtantatio Miniſtri jure naturæ debita eidem; hinc Chriſtus *Matth. 10.* cùm dixiſſet, *gratis accepiſtis, gratis date*, poſtea ſubdidit: *dignus eſt operarius cibo ſuo.* & refertur etiam *in c. charitatem 45. in fin. cauſa 12. q. 2.* quia tunc non permutatur res ſpiritualis pro temporali, nec ſpirituale æſtimatur pretio, ſed omnino gratis datur: ratio eſt, quia neceſſaria, & congrua ſuſtentatio, quæ datur Miniſtro, eſt illi debita, non ut pretium ſui miniſterij, ſed ex naturali juſtitiæ poſtulante, ut ei qui in alterius gratiam, & commodum laborat, detur ſufficiens ſuſtentatio conſiderato ſtatu perſonæ. Quamobrem cum tale ſtipendium non detur ut pretium miniſterij ſpiritualis quà talis, ſed tantùm quatenus præciſè eſt aliquod ſervitium, ſeu operatio facta in gratiam alterius; & qui altari inſervit, conveniens ſit de altari vivat, ideo non incurritur ſimonia, ſi Miniſter altaris accipiat ſtipendium pro congrua ſuſtentatione: ſiquidem ſtipendium ſuſtentationis ex juſtitiæ, & jure naturæ eſt debitum miniſtrantibus ſpiritualia. 3

4 Hinc Miniſtri eccleſiaſtici de hujusmodi ſtipendio ſibi debito ex juſtitia pro congrua ſuſtentatione poſſunt paciſci, ſiquidem licitum eſt in pactum deducere, quod alicui jure naturali, & ex juſtitia eſt debitum: ratio eſt, quia tunc pactum non cadit ſuper rem temporalem, quatenus hæc eſt pretium; ſed quatenus eſt ſtipendium neceſſarium pro congrua ſuſtentatione illius, qui inſervit altari, ſi enim Dominus alicujus capellæ vellet ſacerdoti tam modicum dare, ut non ſufficeret pro ejus congrua ſuſtentatione, & teneretur inſervire tali capellæ, vel eccleſiæ per totum annum, tunc ſacerdos poſſet recuſare beneficium, vel paciſci cum Domino pro majori ſtipendio, quo poſſit congruè vivere juxta legem, vel conſuetudinem, quia cùm quantitas juſti ſtipendij ipſo jure naturali non ſit definita, nec determinata, ideo debet per legem, vel conſuetudinem determinari: & ſi leges, vel conſuetudo nil in ſpecie ſtatuant, poteſt tunc ſacerdos, qui debet ſemper inſervire eccleſiæ, convenire cum ejus patrono circa quantitatem proprij ſtipendij pro congrua

grua ſuſtentatione; id enim nullo jure eſt prohibitum: debet tamen tunc vitari turpis exactio avaritiæ, quæ ſimoniæ ſpeciem præſefert ut ſi ſpirituale, non priùs daretur, quàm pecunia fuerit data, vel cautio præſtita de illa ſolvenda; quia id prohibetur *in c, in tantùm 36. h. t.* ubi dicitur, eſſe ſimoniam aliquid accipere pro chriſmate, licèt anticipetur ſolutio pecuniæ, & mutetur nomen pecuniæ vocando illam paſchalem, quia qui exigit anticipatam ſolutionem pecuniæ, videtur eam exigere ratione pretij pro miniſterio ſpirituali, quod redolet ſimoniam.

5 Cæterum poſſunt ſacerdotes, & clerici miniſtrantes ſpiritualia exigere ſtipendium ſuſtentationis, licèt divitijs affluant ob bona patrimonialia, vel etiam habeant alia beneficia eccleſiaſtica, quia clericus quamvis dives, non exigit tale ſtipendium ut pretium, proinde non eſt ſimoniacus; quia non vendit miniſterium ſpirituale: neque tale ſtipendium datur clerico ut mera eleemoſyna ex miſericordia, ſed ut debitum ex juſtitia, quia ut ſcribit Apoſtolus *1. ad Corinth. 9.* nemo ſuis ſtipendijs militare cogitur, ſeu laborare in gratiam alterius: quod enim ex alijs bonis poſſit alimenta habere, id per accidens ſe habet, neque impedit, quo minus ſtipendium ſit ex juſtitia debitum.

6 Hinc ſi Parocho non ſufficerent pro congrua ſuſtentatione reditus ſuæ Parochiæ; poſſet Epiſcopus præcipere Parochianis alias oblationes faciendas Parocho in ſubſidium ſuæ congruæ, & neceſſariæ ſuſtentationis; eò quia neceſſaria ſuſtentatio debeatur Parocho ex juſtitia, ex eo, quòd in ſpiritualibus ſuis inſerviat parochianis: & ad Epiſcopum pertinet procurare ſufficientia alimenta ſuis inferioribus paſtoribus.

7 Neque hujuſmodi exactiones adverſantur juri communi, quia hoc tantùm loquitur de miniſtris habentibus ſufficientem ſuſtentationem. Hinc excuſantur Miniſtri eccleſiaſtici accipientes pias oblationes, vel alia ſtipendia ex conſuetudine, vel legibus eccleſiæ præſcribentibus aliquid dari pro certis miniſterijs. Neque obſtat, quòd ſacerdotes aliunde jam habeant, quo poſſunt commodè ali; quia ut dixi, id per accidens ſe habet, nec debet obeſſe ſacerdoti, ne recipiat id, quod ex natura rei eſt ipſi debitum, quia nemo quamvis divitijs affluat, tenetur proprijs militare ſtipendijs.

8 Poſſet tamen Miniſter aliunde peccare exigendo hujuſmodi ſtipendia, & tunc contingeret, ſi ex officio teneretur miniſtrare, & ratio ejuſdem officij reditus haberet ad congruam, & neceſſariam ſuſtentationem: tunc enim alia ſtipendia, quæ exigeret, eſſent illi indebita, proinde peccaret contra juſtitiam ea exigendo. Quinimò ſi quis paciſceretur pro hujuſmodi ſtipendijs indebitis, non excuſaretur à ſimonia, quia cum ſint ſupra neceſſariam ſuſtentationem, & communem taxam, videretur auctarium accipere non pro ſuſtentatione, ſed ut pretium operis ſpiritualis.

9 Tertius titulus excuſans à ſimoniaca labe eſt, ſi temporale donetur ſub onere, & conditione operis ſpiritualis præſtandi, dummodo non fiat per modum retributionis, ſeu compenſationis, ſed tantùm ex mera liberalitate, ut ſi Chriſtianus, promittat infideli, ſe ei daturum 50. aureos, ſi baptiſmum ſuſcipiat, quia tunc non intervenit contractus onerosus, & reciprocus, defectu cujus promiſſio, ſeu conventio, non eſt ſimoniaca, ſed donatio liberalis, per quam cui fit promiſſio, non imponitur ulla obligatio aliquid faciendi, ſed tantùm promittens illi aperit ſuam mentem, quòd ſi velit ſuſcipere baptiſmum, ſit eidem daturus tales pecunias, & quidem omnino gratis: alioquin ſi quis diceret: do tibi centum aureos, ſi mihi, vel amico meo dederis reliquias, vel quid aliud ſpirituale, tunc conditio reciproca tranſiret in commutationem, ſeu contractum ſaltem innominatum *do, ut des*, proinde talis contractus eſſet ſimoniacus, quia daretur temporale pro ſpirituali. Secus ſi promiſſio nulli nectatur contractui oneroſo, & tantùm fiat, ut alius alliciatur ad opus aliquod pium, vel ad ſuſcipiendum baptiſmum, nulla intervenit ſimonia, tametſi infidelis ob bonum illud temporale, ut motivum quoddam ſecundarium, & impulſivum baptiſmum ſuſciperet, quia promittens temporale non dat illud in pretium, quo accipiat aliquod ſpirituale, ſed tantùm ut promiſſarius ipſe exerceat talem actum ſpiritualem, quo poſito promiſſor ex mera liberalitate vult ipſi dare pecuniam illam; cùm enim habeat dominium ſupra ſuas pecunias, poteſt illas dare ſub ea conditione, quæ ipſi magis placuerit, dummodo ipſe non accipiat aliquod ſpirituale, nec det illas ut pretium rei ſpiritualis: hoc enim pacto etiam Deus in ſcripturis promiſit plura bona temporalia ſervantibus præcepta, & quidem per modum pacti, & conditionis. Tum quia moris eſt, ut adoleſcentes ſub ea conditione alantur, & inſtruantur in collegijs, & ſeminarijs, ut ſtatum eccleſiaſticum ſuſcipiant, & ſi nolint eſſe clerici, reſtituant ſumptus.

Hinc licita eſt etiam, & valida manumiſſio ſervorum facta ſub ea conditione ut Monachi fiant, & Deo in monaſterijs inſerviant: unde eſt etiam licita promiſſio, quâ Chriſtianus promittit infideli certam pecuniæ ſummam, ſi fiat Chriſtianus: quia tunc non datur illa pecunia tanquam pretium rei ſpiritualis, neque per illam adigitur infidelis ad ſuſcipiendum baptiſmum, ſed datur illi optio eligendi baptiſmum cum tali pecunia, vel carentiam baptiſmi ſine pecunia; cum enim nullum intercedat pactum, nec ulla contrahatur obligatio, ſed tantùm promiſſor velit ex liberalitate talem ſummam pecuniæ dare infideli, ſi convertatur, nulla incurritur ſimoniaca labes: ſicuti ex eo, quòd proficiſcenti ad limina Apoſtolorum ex partibus Germaniæ devotionis causâ vir equeſtris daret omninò liberè, & gratis centum florenos, quos non daret, ſi aliàs Romam non proficiſceretur. 10

Quartus titulus excuſans à contrahenda ſimoniaca labe eſt; ſi aliquod exigatur tempo- 11

rale

rale pro labore extrinſeco per accidens annexo actioni ſacræ: ratio eſt, quia illi labores in ſe ſunt quid temporale, & pretio per ſe etiam æſtimabile; neque rei ſpirituali neceſſariò connexum, adeò ut cantor poſſit aliquid exigere pro labore, & artificio canendi, pro voce, vel muſica inſtrumenta, quia hæc nonniſi per accidens comitantur divina officia, quæ cum fieri poſſint ſine cantu, talis labor, ſeu artificium canendi, ſeu muſicum inſtrumentum dicitur propterea divino officio per accidens connexum: neque ex eo, quòd tale artificium canendi, vel muſicum inſtrumentum nectatur divino officio, amittit ſuam æſtimationem, quam aliàs ut res profana haberet. Muſici igitur, qui in eccleſijs divina officia canunt, poſſunt ſine labe ſimoniæ aliquid temporale accipere ratione laboris extrinſecè annexi divino officio, ſiquidem poſſet divinum officium peragi ſine cantu. Tum quia ut notat Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. c. 21. n. 15.* & Toletus *lib. 5. c. 86.* cantus ille muſicus reponi videtur inter illa ſpiritualia mixta, in quibus temporale prædominatur, ſeu quæ plus habent de temporali, quod vendi poteſt, quàm de ſpirituali. Verùm non deſunt, qui cenſeant pro tali cantu, non poſſe pretium ullum temporale accipi, quando ex munere clericali, vel ordine, ſeu officio ſpirituali adhibetur in Dei cultum, quia tunc totus actus eſt ſpiritualis, & ex ſua ratione exigit informari virtute religionis, ut legitimè fiat. Neque obſtat, quòd dicatur extrinſecùs annexus divino officio, eò quia hoc poſſit ſine tali cantu peragi. Reſpondent enim, ſufficere quòd officium nectatur cum tali cantu, quia tunc cantus ut annexus divino officio ſpirituali quodammodo ſpiritualizatur, quatenus conſtituit quid unum cum divino officio, proinde eſt materia ſimoniæ, perinde ac alia annexa ſpiritualibus.

12 Ad aliud, quod addebatur ex Toleto, & Suarez, reſpondent, non poſſe convenienter dici, quòd in cantu eccleſiaſtici officij prædominatur temporale, ſicut prædominatur in calice conſecrato; quia ſicut cùm venditur calix conſecratus, principalius eſt ipſa materia calicis, quæ ſola venditur, & non ipſa conſecratio, quæ vendi non poteſt; ita cantus ille in divinis officijs perſolvendis principaliter adhibetur, & æſtimatur, quia officium non aliter perſolvitur in tali eccleſia, quàm per talem muſicum cantum, quapropter non videtur quomodo pro cantu illo poſſit pretium dari, & accipi, ita cenſent nonnulli cum Wigers *de juſtitia tract. 7. c. 4. dub. 8. n. 42.*

13 Verùm non putârim recedendum à communi ſententia, quia revera artificium illud, quod adhibetur in cantu, inſtrumenta muſicalia, & alia, quæ interveniunt ad divina officia perſolvenda, tantùm accidentaliter nectuntur divino officio, quod commodè perſolvi poſſet ſine tali artificio in cantu, & inſtrumentis muſicalibus. Præterea poteſt ſtipendium etiam dari muſicis pro ſua propria ſuſtentatione, cum Operarius dignus ſit cibo ſuo: poteſt etiam ſtipendium ipſis dari ex gratitudine, vel liberalitate. Demum ad reconciliandas pugnantes ſententias poſſet diſtinctio adhiberi: ſi cantus ex munere clericali, aut ordine, aut dono ſpirituali adhibeatur, tunc non eſt licitum pro cantu illo dare pretium temporale, eò quia cantus utpote annexus divino officio ab eodem quodammodo ſpiritualizatur, ſitque materia ſimoniæ; unde tunc tantùm licitum eſt paciſci perſonæ ſuſtentationem, cùm hæc ſit ex juſtitia, & jure naturali debita operario. Sin verò cantus ille adhibeatur ad excitandam populi devotionem, nimirum ut concurſus, & fluxus populi fiat frequentior, tunc videtur non minus poſſe ejus pretium paciſci, quàm pulſus campanarum, quo homines ad divina officia vocantur, & incitantur præſertim in feſtis ſolemnioribus.

Quintus titulus excuſans à contrahenda ſimoniaca labe eſt, ſi detur aliquod temporale ad redimendam injuſtam vexationem, quando pecunia datur ad tollendam ipſam vexationem injuſtam, quam quis patitur circa rem ſpiritualem: non ita eſſet ſufficiens titulus ad excuſandam ſimoniam, ſi vexatio eſſet juſta, quia tunc non eſſet licitum mediâ pecuniâ tollere vexationem, ex qua parte eſt juſta; quia pecunia tradi videretur pro acquirenda re ſpirituali, & via ſibi ad ipſam munienda. Rurſus qui nondum in beneficijs habet jus in re, ſeu qui nondum eſt confirmatus, vel inſtitutus, vel nondum collationem factam acceptavit, communior ſententia eſt, quòd non poſſit oblato pretio vexationem redimere ab ijs, qui ſimul obeſſe, & prodeſſe poſſunt, adeò ut qui nondum habet jus in re, tantùm poſſit oblato pretio redimere vexationem ab his, qui ſolùm obeſſe poſſunt, ſive vi, ſive fraude obſint, ſive muneribus; ſive precibus apud Electores, aut collatores, ut deſumitur *ex c. Matthæus 23. h. t.* Qui verò habet jus in re per confirmationem, vel inſtitutionem, aut liberam collationem poteſt pretio redimere vexationem, ſi fortaſſis ab alio impediatur injuſtè à poſſeſſione capienda, eò quia poſſeſſio ſecundùm ſe non ſit quid ſpirituale, ac proinde non detur temporale pro ſpirituali. Hinc dare pecuniam pro jure quæſito in dignitate, vel alio beneficio conſervando contra injuſtam vexationem non eſt ſimoniacum, ut communiter docent. 14

Sextus titulus excuſans à ſimoniaca labe eſt traditio, vel acceptio rei ſpiritualis pro temporali, & vice verſa ex conſuetudine, quæ tamen ſolùm locum habet ad tollendam ſimoniam jure humano inductam: quia lex humana poteſt per contrariam conſuetudinem abrogari non ſolùm in partem, verùm etiam in totum: & non ſolùm quoad pœnam, verùm etiam quoad culpam. Non tamen conſuetudo eſt titulus, qui ſufficienter excuſet acceptionem, vel traditionem rei temporalis pro ſpirituali per modum pretij, quia hoc eſt ſemper intrinſecè malum, & ſimoniacum contra jus naturale, & divinum, & nulla conſuetudo poteſt induci, quæ potis ſit abrogare jus naturale, & divinum. 15

§. XIV.

De Pœnis contra ſimoniacos à jure ſtatutis.

1 CErtnm eſt, nullam eſſe ſimoniam, quæ inducat pœnas juris ipſo facto, niſi in ordine, beneficijs, & ingreſſu religionis; nec ob ſimoniam purè mentalem, ſi ea ſit tantùm intetua, adeò ut in nullum actum externum prodeat, incurri has pœnas à jure ſtatutas: imò neque poſſe ſimoniacum purè mentalem ab eccleſia puniri juxta probabiliorem ſententiam docentem, non poſſe eccleſiaſticam juriſdictionem directè præcipere, & prohibere, nec punire actus merè internos, niſi prodeant in aliquem actum externum, cui aduectantur, tunc enim ex eo, quòd eccleſia directè judicet, vel puniat actum illum externum, indirectè etiam judicat, vel punit actum internum. Quamobrem ſi ſimonia ſit purè mentalis, & interna nulli actui externo connexa nulla ob illam incurritur pœna juris juxta communem ſententiam, & deſumitur ex *c. mandato 46. h. t.* ubi cum Gregorius IX. cuidam mandâſſet, ut cum Monachis ſimoniacè in monaſterium receptis juxta *c. quoniam 40. h. t.* quod eſt ex Concilio Generali Lateranenſi deſumptum, diſpenſaret, conſultus ab eodem Pontifex, reſcribit, mandatum ſuum etiam ad Abbates extendi; ad reſignationes autem ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed ſolo animi affectu (commutandi ſpirituale pro temporali, vel ècontra) præcedente, utrinque taliter, id eſt ſimoniacè acquiruntur, pro ſimonia hujusmodi non teneri, ſed ſufficere, ut per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfaciat Creatori, Loquitur Pontifex de ſimonia ſolùm mentali, quæ nullo externo ſigno proditur; tametſi uterque habeat in animo intentionem ſimoniacam commutandi temporale pro ſpirituali, vel èontra, & hoc animo ad opus ſimoniacum procedat: tales vult Pontifex non teneri ad reſignationem, aut reſtitutionem eorum, quæ per ſimoniam merè internam acquirunt: & quamvis aliqui apud Barboſam *in d. c. mandato 46. n. 2. h. t.* cenſeant ſimoniacos merè mentales ſubjacere pœnis ſimoniæ realis, id tamen videtur omnino improbabile cùm eccleſia non judicet de occultis, & Pontifex dicat, ſufficere talibus ut pœnitentiam agant.

2 Non tamen abſolutè dici poteſt, quòd ſola voluntas, ſeu affectus non faciat ſimoniacum, ſiquidem Pontifex *in d. c. mandato* talem abſolutè vocat ſimoniacum, quia ſicut qui affectum habet fornicarium, verè eſt fornicator, quamvis exteriùs animum fornicandi non prodat: ita habens intentionem ſimoniacam, licèt illam intus in ſolo animo retineat, eſt verè ſimoniacus, & peccat graviter, quapropter Pontifex eidem injungit, ut per pœnitentiam ſuo ſatisfaciat Creatori de peccato, licèt non teneatur reſignare, quod per ſimoniam mentalem acquiſivit, eò quia pœnæ juris ipſo facto non incurrantur, niſi per ſimoniam externam, & de qua eccleſia poſſit judicare.

3 Rurſus neque per ſolam ſimoniam conventionalem eâ exceptâ, quæ confidentialis dicitur, incurruntur ipſo facto pœnæ juris poſitivi: dicitur ſimonia conventionalis, quæ ex neutra parte completa eſt, vel in qua licèt datum ſit pretium, nondum tamen tradita eſt res ſpiritualis, & ideo dicitur conventionalis, eò quia adhuc conſiſtat in ipſa conventione: quia canones pœnas inferentes ſimoniacis non utuntur verbis ſignificantibus conventiones ſimoniacas, ſed dationes, & receptiones procedentes ex talibus conventionibus; adeo ut canones non injungant pœnas conventionibus, quæ ſunt cauſæ, à quibus procedunt dationes, & receptiones, ſed tantùm ipſis dationibus, & receptionibus, quæ ſunt effectus præcedentium conventionum: ut liquet ex *c. non ſatis 8. c. de ſimoniacè 22. h. t.*

4 Tum quia leges pœnales cum ſint odioſæ, ſunt ſtricti juris, adeò ut ſi pœnas injungant alicui actui, id intelligendum ſit de tali actu completo, ut non ſufficiat, ſi tantùm ſit inchoatus, ut pœnæ incurrantur; alioquin leges pœnales ob actum completum extenderentur etiam ad ejus inchoationem, quod in jure non admittitur: ſed venditio, & emptio ſimoniaca non completur ſola conventione, ſed per realem dationem, & receptionem, ſeu per contractum totaliter completum, ex quo patet, per ſimoniam purè conventionalem non incurri pœnas juris poſitivi: ſicut lex pœnalis injungens pœnam capitis committenti homicidium, non punit capitis amputatione ſolum conatum homicidij, ſeu eum, qui ex parte ſua conatus fuit hominem occidere, ſi de facto non occidit, quia ad incurrendam pœnam injunctam à lege requiritur, ut ſit actus completus, & effectus, ſeu executio ſubſequatur: ita à pari ut incurrantur pœnæ ſimoniæ, debet hæc eſſe completa ex utraque parte; adeò ut interceſſerit venditio, & emptio rei ſpiritualis pro temporali: hinc ſi pretium temporale nondum ſit datum, res ſpiritualis quamvis ſit tradita, vel accepta non incurruntur pœnæ, donec pretium temporale accipiatur ab illo, qui rem ſpiritualem vendidit: ratio eſt, quia malitia ſimoniæ conſiſtit in ſacrilega irreverentia, quæ infertur rei ſacræ, quando pro pretio temporali datur venum: & hæc irreverentia non conſum̃atur per ſolam traditionem rei ſpiritualis, ſed tantùm inchoatur, & poſtea completur per receptionem pretij temporalis: quapropter ad incurrendas pœnas juris, utrumque requiritur datio rei ſpiritualis, & acceptio pretij temporalis pro eadem.

5 Quamvis emptio & venditio videatur perfecta, quando res eſt tradita, tametſi pretium nondum ſit ſolutum, ut docent Sotus *lib. 9. q. 8. art. 5.* Cajetanus *V. ſimonia.* Garcia *p. 8. de beneſic. c. 1. n. 20.* & alij: nihilominus ad incurrendas pœnas juris injunctas ſimoniacis, requiritur non ſolùm traditio rei ſpiritualis, ſed ulte-

ulteriùs etiam receptio pretij temporalis pro eadem re ſpirituali,quia ſi nondum acceptum ſit pretium,tunc contractus eſt tantùm completus ex parte vendentis, quatenus ipſe jam tradidit rem ſpiritualem juxta conventionem factam; non ita ex parte ementis, quia adhuc iſti ſupereſt ſolvere pretium temporale pro accepta re ſpirituali: & quia leges pœnales ſunt odioſæ, non ſunt ampliandæ ad contractum completum ex una tantùm parte, ſed debent reſtringi ad ſolum contractum completum ex utraque parte.

6 Quamvis fortaſſis ex rigore juris videantur hæ pœnæ contrahi per ſimoniam conventionalem, etiam ex neutra parte completam, cùm ad ſubſtantiam contractûs emptionis, & venditionis ſufficiat conventio, quæ ſolo conſenſu perficitur: nihilominus juxta ſtylum curiæ Romanæ, non incurruntur pœnæ juris niſi per ſimoniam realem utrinque completam, non obſtante Bulla Pij V. hac de re edita: ratio eſt, quia pœnæ præſertim graves, & quæ ipſo facto incurruntur, quantum fieri poteſt, debent reſtringi: quapropter pœnæ conſtitutæ ijs, qui ſpiritualia emunt, & vendunt, reſtringi debent ad emptionem, & venditionem completam, niſi aliter in lege pœnali exprimatur, quia lex puniens aliquem actum, cenſenda eſt punire actum completum. Hinc patet, emptionem, & venditionem non cenſeri perfectam in ordine ad incurrendas pœnas juris poſitivi, quando res tantùm eſt tradita, & pretium nondum ſolutum; quia requiritur executio totalis ipſius effectus; hæc autem executio non eſt completa per ſolam traditionem rei ſpiritualis, ſed ulteriùs etiam requiritur ſolutio pretij temporalis pro re eadem.

7 Hinc ſi collator paciſcatur cum emptore beneficij eccleſiaſtici velle 500. florenis eidem vendere beneficium, & ſtatim illud conferat, & emens illud acceptet, ſed nondum ſolvat 500. florenos; nondum venditor, & emptor incurrunt pœnam juris, tametſi peccaverint; nec collatio beneficij eſt irrita. Sin verò poſt ſemeſtre, vel annum Emptor ſolvat illos promiſſos 500. florenos pro pretio beneficij juxta conventionem factam, tunc incurruntur ab utroque pœnæ juris ipſo facto, & uterque eſt excommunicatus, & contractus ab initio factus eſt nullus, conſequenter etiam invalida ipſa collatio beneficij ex ſtylo Curiæ Romanæ, cui hac in re omnino ſtandum eſt.

8 Juvat obſervare, quòd quando excommunicatio lata dependet ab eventu futuro, quo poſito retrotrahitur ad præteritum, tunc collatio porè facta eſt ſimiliter dependens ab eodem eventu futuro, adeò ut antequam eventus ponatur collatio, non ſit abſolutè valida, nec invalida: ſed medio quodam, ac indifferenti modo ſe habeat: perinde ac res indeterminata, quæ petit determinari à ſua forma: hinc poſito eventu, veluti forma, ſeu ipſa ſolutione pretij temporalis pro re ſpirituali contractus initio initus eſt irritus, & ejus nullitas non incipit tunc tantùm, quando pretium temporale ſolvitur, ſed retrotrahitur ad tempus initi contractus, adeò ut cenſeatur talis contractus ab initio irritus, proinde etiam excommunicatio, & inhabilitas ab initio contracta: & qui ex beneficio eccleſiaſtico pretio temporali empto ante biennium, licèt pretium non ſolverit niſi poſt biennium, fructus percepit, tenetur reſtituere eoſdem perceptos intra biennium: ſecus ſi negata fuit ſolutio, collatio ab initio judicatur valida, ut etiam ſi ſolutio fuit ab initio facta, ſed beneficium nunquam collatum; tenetur quidem, qui pretium accepit, illud reſtituere non tamen incurrit pœnas juris.

Idque varijs poteſt exemplis explicari. Primò in amiſſione emphyteuſis de jure incursâ, eò quia Emphyteuta per triennium omiſerit penſionem ſolvere; hæc enim amiſſio ita dependet à Domino directo, ut ſi hic declaret, ſe velle, ut res illa ſit amiſſa, ſit talis judicanda cum omnibus fructibus perceptis ab eo tempore, quo triennium completum eſt; quando res jure in commiſſum cecidit: ſecus ſi Dominus directus non declarat, ſe velle, ut res illa ſit amiſſa, non cenſetur amiſſa, nec fructus reſtituuntur. Secundum exemplum adducitur à Leſſio *lib. 2. c. 35. n. 132.* in excommunicatione lata contra eum, qui ſtatuto tempore penſionem beneficialem non ſolvit: hæc enim excommunicatio quamvis ſit latæ ſententiæ, non tamen incurritur, niſi Penſionarius declaret, ſe velle, ut incurratur: & poſita hac declaratione retrotrahitur, & cenſetur incurſa ab initio, quo cœpit eſſe in mora, ut docet Navarrus *c. 23. n. 104.* Addit Leſſius aliud exemplum de ſtatu captivi, ſi enim is, qui captus eſt ab hoſtibus, poſt aliquod tempus deceſſerit, cenſetur fuiſſe mortuus ab initio ſuæ captivitatis: ſin verò poſtliminio reverſus fuerit, perindè eſt, ac ſi ſemper manſiſſet in patria: unde quæ in ſtatu captivitatis contigerunt, dependent ab eventu futuro, nimirum ſi poſtliminio revertatur §. *ejus qui apud hoſtem juxta Gloſ. inſtitut. quibus non eſt permiſſa facultas teſtandi*, Pari pacto in conventione ſimoniaca, qua res ſpiritualis venditur pro pretio temporali, ſi res ſpiritualis ſtatim tradatur; & ſolutio pretij temporalis protrahatur ad aliud tempus, pœnæ injunctæ à jure ſuſpenduntur, donec ſolutio pretij temporalis fiat; quòd ſi nunquam ſolveretur, collator beneficij nunquam incurreret hujuſmodi pœnas: ſed cum primùm fit ſolutio pretij, collator accipiens pro beneficio collato rale pretium incurrit pœnas omnes juris, quæ retrotrahuntur ad tempus collati beneficij, quamvis biennium effluxerit. 9

Hinc docent Canoniſtæ, eum qui per ſimoniam conventionalem beneficium obtinuit, non teneri illud dimittere, eò quia collatio non ſit abſolutè irrita, ſed aliquo modo valida, dependenter tamen ab eventu futuro, ſeu à ſolutione pretij temporalis pro re ſpirituali: cùm primùm, qui beneficium vendidit, pretium temporale accipit, incurrit pœnas juris non à tempore accepti pretij, ſed collati beneficij, 10

quia tunc pœnæ retrotrahuntur ad tempus collationis factæ ex ſtylo Curiæ Romanæ teſte Navarro *c. 23. n. 104.*

11 Oritur tamen difficultas, quia ſi excommunicatio, & inhabilitas retrotrahitur, ſequitur eum, qui poſt contractum ſimoniacum ante ejus completionem celebrat, fore irregularem, eò quia celebret in excommunicatione. Sed contra eſt, quia hæc retrotractio eſt fictio juris, & non ſufficit ad inducendam irregularitatem: ſiquidem ad hanc incurrendam ex violatione cenſuræ neceſſe eſt, ut cenſura jam ante ſit abſolutè incurſa, quòd enim nondum incurritur, non violatur, quia quod non eſt, non poteſt violari. Tum quia appellans à declaratione excommunicationis, de qua dubitat, an valeat, ſi celebrat, non fit irregularis, quamvis poſtea illa declaratio legitimè facta fuerit, ut docet Felinus in *c. Rudolphus 35. col. ult. de reſcript.* Pari pacto, ſi ſacerdos excommunicatus ſuam ignorans excommunicationem celebret, non incurrit irregularitatem, ut habetur *in c. Apoſtolicæ 9. de cleric. excommun.* eò quia bona fide egerit, & voluntariè cenſuram non violaverit: unde multò minùs fit irregularis venditor beneficij eccleſiaſtici, ex eo quòd celebret, antequam ipſi ſolvatur pretium temporale pro collatione beneficij, quia nondum intelligitur incurriſſe excommunicationem, nec alias pœnas juris, quas tunc tantùm incipit incurrere, cum primùm ipſi ſolvitur pretium; licèt pœnæ tunc poſtea retrotrahantur ad tempus factæ collationis: hæc autem retrotractio id operatur, ut ſi intra tempus interjectum à collatione beneficij, & ſolutionis pretij aliud beneficium collatum ſit, collatio ſit irrita, quaſi tunc fuiſſet excommunicatus, & inhabilis, ut etiam fructus percepti ex tali beneficio ſunt reſtituendi.

12 Ratio, cur non incurratur irregularitas intra tempus interjectum à collatione, & ſolutione, ſi qui beneficium accepit, & nondum ſolvit pretium, celebret, eſt, quia irregularitas pertinet ad damnum, & acquiſitio beneficij ad lucrum: & plus requiritur ad damnum incurrendum, quàm ad lucrum accipiendum, quapropter illa retrotractio, quæ non ſufficit ad irregularitatem incurrendam, poteſt ſufficere, ut ſit impedimento, ne lucrum ullum capiatur, ut habetur in *l. juris ignorantia 7.* Quamobrem ut docet Covarruvias *in c. Alma Mater p. 1. §. 7. n. 3.* ſi excommunicato etiam ignoranti ſuam excommunicationem conferatur beneficium, collatio eſt invalida: ſi tamen cum eadem ignorantia celebret, non fit irregularis.

13 An verò hæc retrotractio pœnarum juris ad tempus factæ collationis, etiam locum habeat in foro conſcientiæ. Sententia probabilis eſt, non habere locum in foro conſcientiæ, eò quia canones id non ſtatuant; ſed tantùm in foro externo procedere: ratio etiam id videtur ſuadere, quia coram Deo nemo verè eſt excommunicatus ante contumaciam: & ille non eſt contumax niſi contra prohibitionem eidem manifeſtatam aliquid agat ſub pœna excommunicationis: Unde hæc retrotractio non videtur procedere in foro conſcientiæ. Tum quia contumacia non retrotrahitur, conſequenter neque excommunicatio; neque pœnæ, quæ ad illam ſequuntur. Tum quia hujusmodi retrotractio ſolùm fit per quandam juris fictionem, ut nimirum magis puniatur, qui deliquit: & ſolùm ex ſtylo Curiæ Romanæ ex quibusdam cauſis eſt introducta, ex quibus conjicitur pertinere tantùm ad forum externum, adeò ut in foro conſcientiæ non incurrantur pœnæ ſimoniæ, niſi à tempore completæ ſimoniæ quoad totum effectum: & ſecundùm hanc ſententiam Beneficiarius non tenetur reſtituere fructus perceptos intra tempus, quo nondum ſolverat pretium beneficij ſibi collati. Contraria tamen ſententia videtur communior, ac probabilior, eique propterea adhærendum.

14 An verò ſimonia realis, & completa ſole tamen jure eccleſiaſtico prohibita obnoxia ſit pœnis ſimoniæ à jure injunctis ſimoniacis? Plures affirmant, adeò ut ſi duo Beneficiarij permutent inter ſe ſe ſine auctoritate ſuperioris beneficia, incurrant pœnas juris; quamvis hujusmodi permutatio ſit tantùm ſimoniaca jure eccleſiaſtico, ita docent Malderus *tract. 9. in 2. 2. c. 3. dub. 18.* Navarrus *in c. ſi quando de reſcript. except. 4. in fin.* ubi aſſerit, incurrere excommunicationem, & collationem eſſe nullam, ſi quis diceret: renuntio meum beneficium, ut tu renunties tuum, quamvis hæc ſimonia ſit tantùm de jure eccleſiaſtico, & poſitivo: hoc idem aſſerit etiam procedere, cùm quis reſignat beneficium reſervata ſibi penſione, quæ ſimonia eſt etiam eccleſiaſtica.

Idque videtur etiam probari ex antiquis canonibus, in quibus reprobantur ſimpliciter pacta, quæ in permutatione beneficiorum ſine auctoritate ſuperioris fiunt *c. quæſitum 5. c. cum olim 7. de rer. permut.* & habetur etiam *in c. de hoc 11. h. t.* ubi dicitur, quòd ſi ſimonia, quâ quis pro electione pretium promiſit, vel accepit, ſit notoria, aut ſimoniaci confeſſi ſint in jure, vel legitimè convicti, debeant perpetuò deponi à miniſterio altaris, ubi pœna depoſitionis infligitur ei, qui alicui beneficium promiſit pro ſuffragio obtinendo in electione, quamvis talis ſimonia ſit tantùm prohibita jure eccleſiaſtico. Tum quia *in extravag. cum deteſtabile h. t.* Paulus II. declarat, pœnas juris incurri etiam ob ſimoniam prohibitam jure eccleſiaſtico. Incipit enim illa Paulina extravag. *Cum deteſtabile ſcelus ſimoniæ tam divinorum, quàm ſacrorum canonum auctoritas damnet, & reprobet:* ubi Pontifex aſſerit, ſacros canones indifferenter punire ſimonias contrarias juri divino, & eccleſiaſtico; ſiquidem *in d. extravag.* omnes pœnæ à Romanis Pontificibus contra ſimoniacos quomodolibet latæ confirmantur.

15 Quòd ſi dicas, ſimoniam juris eccleſiaſtici non eſſe ita propriè dictam ſimoniam, ſicut illam, quæ eſt contra jus divinum; proinde pœnas juris non eſſe extendendas ad ſimoniam juris eccleſiaſtici. Contra eſt: quia ſacri canones nomine ſimoniæ utramque comprehendunt ſimo-

ſimoniam divinam, & eccleſiaſticam, & otramque ijsdem verbis damnant, & deteſtantur. Nihilominus alij cenſent, pœnas ſimoniæ non lncurci à ſimonia juris eccleſiaſtici ut in permutatione beneficiorum inter duos Beneficiarios ſacta propria anthoritate; in promiſſione beneficij pro ſuffragio io electione ad Epiſcopatum; in promiſſione, vel donatione pecuniæ ſacta Mcdiatori pro interceſſione beneficij, in hisce enim, & alijs caſibus juxta hanc ſententiam ſic agentes peccant quidem,noo tamen ſunt excommunicati, nec privantur beneficijs ſic receptis ipſo jure, nec tenentur ſructus reſtituere: ita Leſſius *lib. 2. c. 35 dub. 23. n. 141.* Reginsldus *tom. 2. lib. 23. c. 12. n. 148.* Saochez *opuſc. tom. 2. lib. 2. c. 3. dub. 108.* Navarrus *de reſtitut. lib. 2. c. 2.* cui ſententiæ ut probabili adhæret etiam Diana *tractat. 7. de ſimoni. reſol. 8.* & Anthores hojus ſententiæ id probant *ex Extravag. cum deteſtabile. h. t.* ubi Paulus II. ait *cùm deteſtabile ſcelus ſimonia tam divinorum, quàm ſacrorum canonum autboritas damnet:* cenſent enim, verba illa *tam divinorum, quàm ſacrorum canonum* eſſe intelligenda copulativè, & non disjunctivè, adeò ut Pontifex loquatur de ſimonia divino ſimul, & canonico jure reprobata, eò quia præfatio legis det intellectum toti legi, & ex ipſa lex reguletur, cauſamque finalem accipiat, ut ootat Molina Juriſta *de primogen. lib. 1. c. 5. n. 3.*

16 Tametſi hæc ſententia noo careat probabilitate, nihilominus prima probabilior eſt, & communior, eique propterea adhærendum: niſi ex verbis appareat, legislatorem nomine ſimoniæ non voluiſſe comprehendere illam, quæ ſolùm eſt contra jus humanum: quo pacto lex puniens ſimoniam io beneficijs non extenditur quoad pœnas ad venditionem penſionis eccleſiaſticæ, noo quod hujusmodi venditio non ſit contra jus poſitivum, ſeu humanum; ſed quia penſto propriè non eſt beneficium, & lex pœnalis reſtringenda eſt ad ſolam verbernm proprietatem: eadem catione lex puniens ſimoniam in officijs eccleſiaſticis probabiliter noo comprehendit officia temporalia Oeconomi, Advocati eccleſiæ, eò quia hæc officia propriè non ſint beneficia, nec officia eccleſiaſtica, ut ootat Suarez *lib. 4. de ſimonia c. 55. n. 22.*

17 Excipitur tamen ab hac doctrina ſimonia confidentialis, quia hæc eſt pœnis obnoxia, quamvis aliquando ſit tantùm jure humano prohibita; ut cùm qnis reountiat beneficio pacto inito, ut ſibi, vel alij poſtea reſignetur, vel cum reſervatione penſionis ſolvendæ: quinimò ut notat Suarez *loc. cit.* canones ioterdum gravius puniunt ſimoniam, quæ eſt contra jus eccleſiaſticum, qualis eſt ſimonia confidentialis, quàm ſimoniam, quæ eſt contra jus divinum, eò quia ſimonia confidentialis frequentiùs committatur, & plus damni inferat reipublicæ: quæ ratio eſt, ut gravius canones eam puniant. Excipitur etiam, quando aliqnid datur Notarijs, vel Officialibus Epiſcopi pro litteris dimiſſorijs, vel alijs pertinentibus ad Ordines, vel alias res ſacras; quamvis ſit ſimonia tantùm jore homano introducta, quia incurruntur pœnæ Tridentini *ſeſſ. 21. c. 1. de reformat.*

Cæterum quando verba ſont dubia, & lex pœnalis, debent ſumi io potiore ſignificato, ut notat Gomez *regul. de triennali q. 12 §. ſed quod regula:* & in materia ſimoniæ, cum ſit pœnalis, & odioſa, oomine ſimoniæ tantùm comprehenditur illa, quæ propriè eſt ſimonia, ſeu eſt ſimonia jure divino prohibita, quia hæc taotùm eſt propriè, & ſtrictè ſimonia, & deſumitur ex ipſa definitione ſimoniæ, quæ eſt emptio, & venditio rei ſpiritualis. 18

§. XV.

De pœnis, quæ incurruntur ob ſimoniam commiſſam in Ordine ſuſcipiendo, beneficio conferendo, & ingreſſu religionis.

DOcent communiter, nullam pœnam juris ipſo facto incurri niſi propter ſimoniam commiſſam in Ordine, vel beneficio, vel ingreſſu religionis, adeò ot aliæ ſimoniæ etiam reales, & completæ non ſubdantur pœnis ſimooiæ; hinc ſi quis in alijs ſacramentis conſerendis, vel ſuſcipiendis in conſecrationibus, benedictionibus, diſpenſationibus, in penſione vendenda, & emcnda, vel redimenda ſimoniam committat, gravitec quidem peccat, non tamen contrahit pœnam excommunicationis, ſuſpenſionis, aut inhabilitatis, idque procedit de permutantibus beneficia ſine debita authoritatc in ſententia nonnullorum, eò qnia noo detur alius texrus poniens ſimoniacos niſi *extravag. ſanè h. t.* & *extravag. cum deteſtabile 2. eod. tit.* atqui *in præcit. extravag.* ſimoniaci tantùm puniuntur, ſeu incurrnnt pœnas juris ipſo facto, ſi ſint ſimoniaci in Ordine, beneficio, & ingreſſu religionis, quapropter tantùm præſati ſimoniaci incurrunt tales pœnas ipſo ſacto. 1

Prima pœna, qnam lncurruot ſimoniaci in beneficio, eſt excommunicatio reſervata ſoli Papæ, ſive ſimooiaci in beneficio ſint publici, ſive occolti, ſive dantes, ſive recipientes, ſive principales; ſive mediatores, vel procnratores extiterint, etiam ſi Pontificali, aut Cardinalatûs dignitate præfolgeant: & jubetur in virtnte ſanctæ obedientiæ, eos qui deprehenſi fuerint hanc ſimoniam commiſiſſe, aut procuràſſe, aut in ea mediatores extitiſſe, abſolvi non poſſe, donec eos revelent Papæ, vel cui ipſe commiſerit, ita enim habetur *in d. extravag. cum deteſtabile ult. h. t.* ubi Paulus II. renovat omnes pœnas canonum contra ſimoniacos, etiam ſi ſint Cardinales; & addit ſimoniacè ordinatos eſſe ſuſpenſos ab executione ſnorum ordinum, ut etiam eos, qui ſimoniacè eliguntnr, poſtulantur, confirmantor, providentur, & quoquo modo diſponuntur in Eccleſijs monaſterijs, dignitatibus perſonalibus, officijs eccleſiaſticis, & quibuscunque beneficijs, incurrere pœnas canooum, carere viribus, nec jus acquirere, 2

nec

nec facere fructus ſuos, & eos teneri reſtituere, quos perceperunt. Circa verò hanc pœnam Sylveſter *V. Simonia q. 19. pœna 3.* refert quandam extravag. Martini V. cui initium eſt *Damnabilis* ubi Pontifex præcipit, ne ab hac excommunicatione abſolvatur virtute cujusvis privilegij apoſtolici conceſſi, vel concedendi, niſi expreſsè contineat facultatem abſolvendi à ſimonia. Felinus tamen in *c. de ſimon. h. t.* quem refert, & ſequitur Gloſſa *extravag. 1. eod. tit. init.* aſſerit, hanc extravag. Martini V. fuiſſe poſtea revocatam.

3 Quòd verò in *dict. extravag. cum deteſtabile* Paulus II. extendat hanc pœnam excommunicationis reſervatæ ſoli Papæ ad non revelantes ſimoniacum, communior ſententia eſt, quoad hanc partem fuiſſe per non uſum abrogatam, vel non fuiſſe receptam, ut notant Sylveſter *V. ſimonia in 4. pœn. excommun. 43. n. 81.* Covarruvias *reg. peccatum 2. p. §. 8. n. 7.* Imò cenſent Sylveſter, & Covarr. hanc conſtitutionem non ligâſſe niſi exiſtentes in curia; alioquin valde irrationabile videretur velle è Germania, Belgio, Gallia adigere pauperes Romanam Curiam adire pro declaranda ſimonia.

4 An verò nomine beneficij intelligantur etiam electiones, poſtulationes, confirmationes, & omnes proviſiones eccleſiarum, ut Generalatus, Provincialatus, Prioratus, Guardianatus, communior ſententia affirmat, eò quia Paulus II. *in d. extravag. cum deteſtabile 2. h. t.* comprehendit etiam eum, qui ſimoniacè eligitur, poſtulatur, confirmatur, providetur, ſeu quocunque modo diſponitur in eccleſijs, monaſterijs, dignitatibus perſonalibus, officijs eccleſiaſticis, & quibuscunque beneficijs; eò quia tales dignitates ſint beneficia regularia, proinde qui illa ſimoniacè obtinent, pœnas incurrunt latas contra obtinentes beneficia ſimoniacè, ut docet Reginaldus *in prax. tom. 2 lib. 23. c. 12. n. 182.* verùm ratio, cur ſubijciantur pœnis à jure latis, eſt, quia licèt Prioratus, & Guardianatus non ſint propriè beneficia, ſunt tamen monaſteriorum electiones, confirmationes, & proviſiones, quæ comprehenduntur in *d. extravag.* Pauli II. Sunt tamen, qui contrariam ſententiam probabilem cenſent; & eam tuentur Barboſſa *in collect. tom. 3. lib. 5. extravag. 2. n. 9.* Azorius *p. 3. lib. 12. c. 21. q. 6.* & alij cenſentes nomine beneficij tantùm comprehendi ea, quæ propriè vocantur beneficia: & addunt, quòd ſi Paulus II. *in d. extravag. cum deteſtabile ult. h. t.* voluiſſet, quælibet officia ſpiritualis regiminis, comprehendere fuiſſet clarius in ſua conſtitutione locutus, & cum verſemur in materia pœnali, in qua verba ſunt reſtringenda, non debent interpretatione ampliari ad ea, quæ propriè non ſunt beneficia, quapropter in materia pœnali non valet argumentum à pari, vel à minore ad majus, ſed omninò ſtandum eſt proprietati verborum, & cum in *d. extravag. cum deteſtabile* nomine officiorum eccleſiaſticorum non intelligantur quælibet officia eccleſiaſtica, ſed beneficia, ideo Paulina conſtitutio non videtur extendenda ad prædicta officia Religioſorum. Prima tamen ſententia communior eſt, & verior, eique adhærendum.

Quòd ſi quæras, an mediatores electionis ſimoniacæ ad Provincialatum in aliqua religione incurrant excommunicationem? Adhærentes ſecundæ ſententiæ reſpondent, Prælaturas in religionibus non accenſeri beneficijs, proinde mediatores ſimoniacæ electionis non incurrere pœnas juris. Secus qui primam ſententiam docent, cùm dicant, tales prælaturas eſſe beneficia, & comprehendi *in d. extravag. cum deteſtabile,* volunt incurrere pœnas juris, quæ ſententia verior eſt, & communior. 5

Secunda pœna ſimoniæ in beneficio eſt ſuſpenſio, ſi crimen ſit notorium, & publicum; quia cum crimen ſit grave, eo ipſo, quòd ſit notorium inducit ſuſpenſionem, ut docent Innocentius *in c. tanta 7. h. t.* Panormitanus *in c. accuſatum 4. eod. tit.* Quòd ſi crimen ſit occultum, cenſent, inducere ſuſpenſionem tantùm quoad ſe. Verùm hæc reſponſio videtur inutilis, quia ut notat Gloſſa *in c. præter diſt. 32. verſ. officium* quilibet peccator dicitur ſuſpenſus quoad ſe, eò quia ſi exiſtat in peccato lethali, non poteſt Ordinem exercere, & ſi illum exerceat, nullam tamen incurrit cenſuram. Verior igitur ſententia eſt, ſimoniacum in beneficio etiam notorium non eſſe ſuſpenſum, eò quia nullibi talis ſuſpenſio reperiatur jure impoſita: ſiquidem in *c. præter 6. §. verum diſt. 32.* ubi dicitur, quòd ſimoniaci arcendi ſint à ſanctis miniſterijs, ſermo non eſt de ſimoniaco in beneficio, ſed in Ordine, qui etiam per alios canones eſt ſuſpenſus: & quod attinet ad ſuſpenſionem in beneficio, nec contra conferentem ſimoniacè beneficium, nec contra recipientem reperitur talis lata ſuſpenſio, quæ ipſo jure incurratur: & quamvis quævis electio, ſeu proviſio ſimoniaca beneficij ſit invalida, & per ipſam ipſi proviſo non acquiratur jus in beneficio, & ſi quos ex ipſo percepit fructus, teneatur reſtituere, ut liquet *ex d. extravag. cum deteſtabile ult. h. t.* hæc tamen propriè non eſt pœna ſuſpenſionis à tali beneficio; quia ſuſpenſio ſupponit jus acquiſitum in beneficio, & cùm illa beneficij proviſio fuerit ſimoniaca, nullum fuit electo jus acquiſitum; conſequenter nec poteſt ſuſpendi à beneficio, quod nunquam acquiſivit. Neque ſimoniacus in beneficio incurrit ſuſpenſionem ab alijs beneficijs, quia id nullibi in jure exprimitur, & quamvis res eſſet dubia, adhuc in dubio in mitiorem partem eſſet propendendum, neque pœnæ eſſent ampliandæ ad caſus non expreſſos in jure. 6

Tertia pœna ſimoniæ in beneficio eſt, quòd per electiones, poſtulationes, confirmationes, proviſiones, & alias quascunque diſpoſitiones ſimoniacas in eccleſijs, monaſterijs, dignitatibus, officijs eccleſiaſticis, & quibuscunque beneficijs nullum jus acquiratur electo, poſtulato, confirmato, vel proviſo, ſed viribus omnibus careat, nec inde faciat fructus aliquos ſuos: quo fit ut electio ſimoniaca in priorem, vel ſuperiorem quemcunque alicujus monaſte- 7

rij

rij, vel conventis ſit irrita ex vi *d. extravag. cum deteſtabile ult. h. t.* eò quia hæ Prælaturæ *in d. extravag.* comprehendantur nomiee beneficij. Juvat obſervare, quòd quamvis jure antiquo electio ſimoniaca Papæ ſit valida *c. licèt de elect.* attamen Julius II. conſtitutionem edidit, quæ fuit etiam approbata in Concilio Lateranenſi, vi cujus electio ſimoninca Papæ eſt irrita; & anathemate percutiuntur Cardinales, qui ſede vacante illi contraveniunt, ut notat Cajetanns *V. excommunicatio c. 24.* ubi addit: ſede vacante Cardinales conſuluiſſe jurare ſe ſervaturos hanc conſtitutionnm, & hæc excommunicatio reſervatur Papæ.

9 Quarta pœna ſimoniæ in benaficio eſt inhabilitas ad quodcunque aliud beneficinm acquirendum, ut communiter docent Doctores. Verùm difficulter hæc inhabilitas ad quodcunque aliud beneficium poteſt per textum aliquem probari: benè tamen inhabilitas ad illud beneficium, quod ſimoniacè acquiſivit, probari poteſt, quia eſt intruſus; non tamen inde ſequitur, eſſe inhabilem etiam ad reliqua beneficia, quia intruſus non eſt inhabilis ad alia beneficia, ad quæ non fuit intruſus: neque in ipſa impetratione neceſſe eſt, fiat mentio intruſionis.

10 Si dicas, ſimoniacum eſſe excommunicatum, proinde inhabilem ad alia beneficia. Reſpondetur, quòd tametſi manente excommunicatione ſit incapax, non ita ſi abſolvatur ab excommueicatione incurritur talis inhabilitas ad alia beneficia; adeò ut poſſit ſimoniacus abſolutus à ſola excommunicatione ſine nova diſpenſatione obtinere alia beneficin præter illud ſimoniacè adeptum, quia *in extravag. cum deteſtabile ult. h. t.* non habetur hæc inhabilitas ad alia beneficia.

11 Quinta pœna ſimoniæ in beneficio eſt, quòd ſimoniacus amittat omnia alia beneficia, quæ priùs habebat, verùm hæc pœna difficulter reperitur in jure: ſed tantùm in motu proprio Pij V. contra ſimoniam confidentialem, & quidem tantùm in eadem ſimonia confidentiali, & tunc requiritur etiam ſententia condemnatoria, quâ illis privetur, ut notat Rebuffus *in prax. benefic. tit. de ſimonia in reſignat. n. 13.* ubi ait, ſimoniam non privare beneficijs ante legitimè adeptis, ſed eſſe opus privatione, quia in eo, in quo quis deliquit puniri debet *c. poſtulâſtis de cleric. excommun. miniſt.* & addit, non valere impetrationem factam de his beneficijs, ſi ante privationem facta ſit, ſed ea poteſt reſignare ante privationem.

12 Quòd verò ad pœnas attinet, quæ incurruntur per ſimoniam in Ordine, certum eſt, ſimoniacè ordinatos ſive dando, ſive recipiendo Ordines præter infamiam, & depoſitionem percuti anathemate Papali, quacunque conferentes, vel recipientes ordines ſint dignitate inſigniti, ut habetur *in d. extravag. cum deteſtabile ult. h. t.* & id extenditur etiam ad Mediatores, & Procuratores, ut talis ordinatio ſimoniaca fiat, imò hanc pœnam excommunicationis, & ſuſpenſionis hodiè incurrunt etiam dantes, recipientes aliquid pro litteris dimiſſorijs, aut teſtimonialibus, aut pro ſigillo ordinum, & non tantùm collatores ordinum, ſed etiam eorum Miniſtri, quamvis ſpontè oblatum recipiant; quia Tridentinum *ſeſſ. 2. c. 1. de reformat. ſtatuit*, ut hi omnes incurrant ipſo facto pœnas à jure inflictas. Id tamen procedit de caſibus, in quibus eſt prohibitum ijsdem miniſtris aliquid accipere. Hinc dans pecunias Mediatori, ut ſibi impetret dimiſſorias ad Ordines, quas Mediator pecuniâ impetravit, dicitur ſimoniacus in Ordine, & incurrit pœnas hujus ſimoniæ, quia literæ dimiſſoriæ directè viam ſternunt ad Ordinem quærendum, & conferunt quoddam jus petendi Ordinem.

Secunda pœna ſimoniæ in Ordine eſt ſuſpenſio ab exercitio omnium Ordinum, ſeu ab executione eorundem ſivè ſimoniacè ordinati publici ſint, ſive occulti; adeò ut non poſſint exercere alios ordines inferiores, quos jam ſuſceperunt, nec ad ulteriores aſcendere. Hæc tamen ſimonia debet eſſe utrinque completa, & perfecta, recepto ſcilicet pretio temporali, vel re aliqua æquivalente; ſic collator ſimoniacus remanet ſuſpenſus à collatione omnium Ordinum, ſaltem per triennium, ut deſumitur *ex c. ſi quis 45. h. t.* ubi ſtatuitur, quòd qui ordinat, vel præſentat ad ordinem aliquem, recipiens promiſſionem, vel juramentum ab eo, quòd non inquietabit Epiſcopum defectu tituli, vel patrimonij ſuper proviſione ſua; tunc ordinans à collatione, præſentator ab executione Ordinum per triennium eſt ſuſpenſus; & Ordinatus eſt ſuſpenſus ab ordine ſuſcepto, donec à ſede Apoſtolica obtinuerit diſpenſationem, quia cum ſimoniaco ſcienter in Ordine ſolus Papa diſpenſat. Ubi juvat adnotare, quod *in d. c. ſi quis 45.* quia non intervenit datio alicujus pretij, nec promiſſio obligationis jam ortæ, ſeu juris acquiſiti; cum ordinatus non remiſerit rem ſibi in præſenti debitam, ſed tantùm promiſerit, ſe remiſſurum futurum debitum pro tempore, quo poſſet exigi, ideo ſuſpenſio tantùm fuit triennalis: cum aliàs qui ordines directè per ſimoniam confert, pœnam incurrat ſuſpenſionis perpetuæ: & qui Ordinem ſimoniacè ſuſcipit, non ſolùm eſt ſuſpenſus ab Ordine ſimoniacè ſuſcepto, verùm etiam ab executione aliorum, quos antea ritè ſuſceperat, eò quia remiſit, quod in præſenti debebatur. Ordinatus autem non eſt ſuſpenſus niſi ab Ordine ſimoniacè ſuſcepto: hinc tam ordinans, quàm ordinatus non commiſit directè, & ex propoſito ſimoniam, quia ordinator potuit ordines conferre, & ordinatus eos ſuſcipere nullo pretio dato, vel accepto. Sixtus V. motu proprio conſtitutionem etiam edidit contra malè promotos ad ordines, cui initium eſt *Sanctum, & ſalutare*, & declarat, ordinantem per ſimoniam eo ipſo eſſe ſuſpenſum à collatione quorumcunque ordinum, etiam primæ tonſuræ; & etiam ab executione omnium pontificalium munerum, immo etiam illi interdici ingreſſum in eccleſiam, & has cenſuras reſervat etiam ſedi Apoſtolicæ, quamvis ſimonia occul- 13

ta ſit. Et licèt Clemens VIII. dictam conſtitutionem Sixti V. reduxerit ad terminos juris communis Concilij Tridentini, & extravag. Pauli II. quantum ad alia; nihilominus quoad ſimoniacè ordinantes, & ordinatos eam in ſuo rigore reliquit, & confirmavit, ut notat Quaranta *in ſumma Bullar. V. ordo.*

13 Debent tamen præfatæ pœnæ injunctæ à Sixto V. intelligi, quòd incurrantur, ſi tempore ordinationis jam pretium erat ſolutum: quia ſi nondum fuit ſolutum, cum ſimonia tunc non fuerit completa, nec ordinans, nec ordinatus incurrunt ſuſpenſionem, aut excommunicationem, proinde nec ordinans ordinando, nec ordinatus in ſuſceptis ordinibus miniſtrans ſiunt irregulares, nec incurrunt alias pœnas à Sixto V. injunctas. Secus ſi tempore ordinationis pretium jam fuerit ſolutum, non ſolùm ordinator à collatione, & præſentator ad ordines ab executione ſuorum ordinum, ſed etiam ſimoniacè ordinatus ipſo jure eſt ſuſpenſus ab Ordine ſimoniacè ſuſcepto, donec à Papa fuerit abſolutus.

14 Qui verò ſine culpa propria ſimoniacè fuit ad Ordinem ſacrum promotus, eò quia alios, vel amicus, vel conſanguineus ipſo inculpatè ignorante pecuniam dedit Epiſcopo, ut ipſum promoveret ad talem ordinem, juxta probabiliorem, & veriorem ſententiam non incurrit pœnam ſuſpenſionis, nec ullàm aliam in jure expreſſam, quia in jure nullibi reperitur, quòd ſine culpa incurrat quis pœnas in ipſo jure expreſſas, & *in c. 2. de conſtit. in 6.* dicitur, quòd nulla ſententia liget ignorantem, niſi ignorantia craſſa, & ſupina fuerit, adeò ut ſi qui ſint textus aſſerentes ordinatũ ſimoniacè ignoranter eſſe ſuſpenſum, ut videtur colligi *ex c. præſentium 1. q. 5. c. ſimoniacè h. t.* intelligi debeant de ignorantia craſſa, & ſupina, quæ ſecum trahit culpam, non verò de ignorantia à culpa immuni: ratio etiam id ſuadet, quia ſuſpenſio propriè dicta eſt pœna impoſita propter culpam: & quia ignorantia, quæ non eſt craſſa, eſt immunis à culpa ex parte ipſius ordinati; non eſt eidem ulla pœna debita: unde ſic ordinatus non poteſt incurrere ſuſpenſionem, quæ ſit propriè cenſura, & quæ non imponitur niſi propter culpam.

15 Quòd ſi dicas, in ipſa ordinatione fuiſſe commiſſam ſimoniam, eò quia Epiſcopus mediante pretio ordinaverit clericum, proinde hunc fuiſſe ſimoniacè ordinatum, hoc eſt per ordinationem ſimoniacam. Contra eſt, quia inde non ſequitur, ordinatum ſimoniacè ſine propria culpa eſſe ipſo jure ſuſpenſum, quia talis ordinatio tantùm activè, ſeu ex parte Epiſcopi ordinantis fuit ſimoniaca, non verò paſſivè ex parte ipſius ordinati, quia hic nullam commiſit ſimoniam, cum nullum dederit pretium, nec ſciverit Epiſcopum accepiſſe pretium ab alio amico, vel conſanguineo, proinde quamvis clericus fuerit per ordinationem activè ſimoniacam ordinatus; non tamen fuit ſimoniacè paſſivè ordinatus; quia ſimoniacè paſſivè ordinari perinde eſt, ac ordinari committendo ſimoniam per dationem pretij.

Tertia pœna ſimoniæ in Ordine eſt, quòd 16
ordinatus ab Epiſcopo ſimoniaco, licèt non recipiat ordines ſimoniacè, eò quia Epiſcopus in illa ordinatione non committat ſimoniam, ſed illam tantùm commiſerit antecedenter in conferendis alijs ordinibus; tunc ſi ſcivit ante ordinationem, Epiſcopum fuiſſe ſimoniacum, incurrit ſuſpenſionem ab Ordine ſic ſuſcepto ipſo jure, & irregularitatem, ut deſumitur *ex c. ſi qui 108. cauſ. 1. q. 1.* ibi: *qui verò ſcienter ſe à ſimoniacis conſecrari permiſerint, eorum ordinationem omnino irritam eſſe decernimus*, nimirum quoad uſum, ſeu executionem ordinis conferendam. Tum quia ſi quis ordinetur ab Epiſcopo excommunicato, & ſuſpenſo eſt ſuſpenſus, & irregularis *c. 1. de Schiſmaticis*, ubi dicitur, quòd ordinationes factæ à Schiſmaticis ſint irritæ quoád executionem, & de excommunicato habetur ex *c. fin. de ordin. ab Epiſcopo qui reſig. Epiſ.* quia Schiſmatici, & excomunicati, cum careant executione Ordinum, ſi conferant alijs ordines, non dant executionem, quia nemo dat, quod non habet, *c. Daibertum 1. q. 7.* De Simoniacis habetur etiam textus in *c. ſi quis à ſimoniacis 1. q. 1.* Probabilior tamen ſententia, quam docent Henriquez *lib. 3. de excommun. c. 33.* Navarrus, & alij, aſſerit, ordinatum ab Epiſcopo ſimoniaco tantùm incurrere ſuſpenſionem, non verò fieri irregularem, licèt ſcienter fuerit ordinatus ab Epiſcopo excommunicato.

Quid verò dicendum de initiato in ſacris 17
ordinibus ab Epiſcopo ſimoniaco, excommunicato, & ſuſpenſo, ſed tolerato, & occulto: plures aſſerunt, etiam hunc incurrere pœnas juris, quia licèt Epiſcopus ſimoniacus, & excommunicatus ſit toleratus, & occultus; cum tamen careat executione Ordinis, à qua de facto eſt ſuſpenſus; non poteſt illam executionem alijs dare, cum nemo det, quod non habet. Docent hanc ſententiam præſertim Sylveſter *V. ſuſpenſio q. 7.* Gloſſa *c. ſi qui à ſimoniacis 1. q. 1.* & eidem adhæret Covarruvias *in c. Alma Mater 1. p. §. 6. n. 6.* Communior tamen ſententia, & probabilior eſt, promotum ad ordines ſacros ab Epiſcopo ſimoniaco, excommunicato, & ſuſpenſo tolerato tamen, & occulto non incurrere præfatas juris pœnas, eò quia non teneamur vitare excommunicatum toleratum, & occultum juxta conſtitutionem Martini V. *Ad vitanda ſcandala*, vi cujus eos tantùm tenemur vitare, qui ſunt ſimoniaci, excommunicati, & ſuſpenſi notorij: vel qui ſunt denuntiati, aut notorij percuſſores clerici; proinde recipiens ſacramenta ab illis, qui non ſunt denuntiati, nullam contrahit cenſuram.

Cùm hæc materia pœnalis ſit, & odioſa, 18
non debet ampliari ad ea, quæ non exprimuntur in lege pœnali, & cum Martinus V. in ſua conſtitutione aſſerat, eſſe vitandos denuntiatos, ac notorios percuſſores clerici in omnibus etiam in receptione ſacramentorum, non debet id extendi ad excommunicatos toleratos, & occultos. Neque obſtat fundamentum, quo nititur prima ſententia; quia licèt excommunicatus,

nicatus toleratus, & occultus, non habeat executionem Ordinis expeditam ob vinculum excommunicationis, non tamen initiatus ab eodem in ſacris ordinibus hanc executionem ab illo tunc accipit, ſed à Papa eum tolerante, vel à Chriſto, qui eſt author ordinis, quod non poſſunt diffiteri authores primæ ſententiæ, cum ipſi fateantur ordinatum coactè per metum juſtum ; quocunque excommunicato etiam denuntiato recipere executionem ordinis, ut notant Sylveſter *V. irregularitas q. 7.* Soto *lib. 9. de juſtit. q. 8. art. 1. ad 1.* Navarrus *c. 25. n. 69.* An verò ignoranter ordinatus ab Epiſcopo ſimoniaco, & excommunicato etiam denuntiato incurrat dictam ſuſpenſionem, ſeu irregularitatem plures affirmant, eò quia in *c. ſi quis à ſimoniacis q. 1.* & eſt Urbani Papæ, dicitur, quòd ſi ordinati à ſimoniacis probaverint id ignoraſſe, misericorditer eos ſuſtinemus: ſi miſericorditer: ergo ſine hac diſpenſatione Pontificia ſunt ſuſpenſi. Rurſus *in c. 1. de ordin. ab Epiſcop. qui reſig. epiſc. in fin.* dicitur, quòd ignoranter ab Excommunicatis denuntiatis ordinati niſi ignorantia fuerit craſſa, & ſupina poſſunt diſpenſari ab Epiſcopo, ex quo inferunt, contrahi irregularitatem ab ignorante: & hoc idem etiam repetitur *in c. ſequent. eod. tit.* ubi habetur, quòd Epiſcopus poſſit diſpenſare cum clerico, qui ignoranter ab excommunicato ordinatus eſt, & ita docent Covarruvias *in c. Alma Mater 1. p. §. 6. n. 6.* Navarrus *c. 27. n. 241.* Selba *de beneſic. 2. p. q. 12.* & alij, hoc aſſerentes diſcrimen intereſſe inter eum, qui ordinatur ſcienter ab excommunicato denuntiato ; & eum, qui ignoranter; quia cum illo ſolus Papa diſpenſat; & cum hoc etiam Epiſcopus, juxta textum *c. 1. & 2. de ordin. ab Epiſcopo, qui reſig. epiſcop.* id tamen procedit, dummodo ignorantia non fuerit craſſa, vel ſupina. Contraria tamen ſententia eſt valde probabilis, quia ignoranter ordinatus ab his ſimoniacis, & excommunicatis denuntiatis, cùm nullam commiſerit culpam, non debet pœnam ſubire: tum quia *in c. 2. de conſtit. in 6.* dicitur, nullam ignorantiam, niſi craſſa, & ſupina fuerit, incurrere cenſuram. Tum quia *in c. ordinationes 9. q. 1.* habetur, *Ordinationes, quæ ab hæreticis nominatim excommunicatis facta ſunt, irritas eſſe decernimus, niſi probare valuerint ſe, cùm ordinarentur eos neſciiſſe damnatos*, & ita docent Innocentius *c. 1. de ſchiſmat. n. 4.* Panormitanus *c. veritatis. n. 46. de dolo, & contum.* Felin. *c. ad probandum de ſent. & re judic. n. 7.* cùm enim ignoranter ordinatus ab excommunicato etiam denuntiato vacet culpâ, non debet incurrere pœnas, cùm iſtæ non inferantur niſi ob culpam.

19 Pœnæ, quas inducit ſimonia commiſſa, circa ingreſſum religionis, plures ſunt. Prima eſt, quòd tam dantes, quàm recipientes, ſi ſint ſingulares perſonæ, incurrant excommunicationem Papæ reſervatam.

20 Secunda ſi ſit capitulum, vel conventus incurrit ſuſpenſionem nimirum ab officio capitulari pertinente ad juriſdictionem, vel adminiſtrationem eccleſiaſticam, ſi conventus conſenſerit in hanc ſimoniam, idque deſumitur *ex extravag. ſanè 1. h. t.* ubi Urbanus IV. ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ præcipit, *ne dentur, vel exigantur in religionis ingreſſu, ſeu receptione perſonarum paſtus, prandia, pecunia, jocalia, aut res alia, etiam ad pium uſum deputanda.* Non tamen hæc cenſura procedit de dote, quæ datur à puellis monaſterio fœminarum: ita enim ſtatuit Martinus V. ut ex Archidiacono refert Sylveſter *V. ſimonia n. 15.* ut etiam Clemens VIII. teſte Navarro *c. 27. n. 106.* Imò hodie conſuetudo exigendæ dotis non pro ipſo ingreſſu religionis, ſed pro alimentis Monialis ita invaluit, ut paucæ ſint puellæ, quæ ſine dote recipiantur ; maximè ſi monaſteria tenues habeant reditus.

Tertia pœna eſt, quòd qui ſimoniacè ad pro- 21
feſſionem eſt receptus, ſi ipſo ſciente id factum ſit, tam recipiens, quàm receptus, ſive hic ſit Monachus, ſive Monialis, & ille ſive ſit Prælatus, ſive alius, expellitur ex ſuo monaſterio absque ſpe reſtitutionis *c. quoniam 40. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd recipiens aliquem in monaſterium pretio eſt ſimoniacus ; & tam receptus, quàm recipiens ſunt ejiciendi à monaſterio, ut in arctiori perpetuam pœnitentiam agant ſine ſpe, ut reſtituantur priſtino monaſterio. Quòd ſi ipſo ignorante ſimoniacè fuerit receptus, tenetur renuntiare eidem loco: verùm poſtquam renuntiaverit, poteſt iterum recipi, ſi poſſit ibi abſque ſcandalo remanere, vel ponendus eſt in alio loco ejuſdem ordinis, ut habetur *in c. de regular. 25.* ubi Clemens III. præcipit, quòd ſi Monachi ſcienter per ſimoniam ſunt monaſterium ingreſſi, debeant dimittere locum illum, quem adepti ſunt, & adire ſolitudinem, vel alia ſtrictiora monaſteria, ubi agant pœnitentiam de tali exceſſu: ſin autem ipſis ignorantibus fuit data pecunia, compelluntur renuntiare eidem loco, & poſtea ſi ita expedierit, ſine ſcandalo in eundem reducuntur, vel collocantur in alio, in quo Deo ſerviant.

Hinc profeſſio ſimoniacè facta eſt valida, 22
adeò ut profeſſus non poſſit ducere uxorem, nec redire ad ſæculum, id colligitur *ex d. c. quoniam* ubi Pontifex præcipit, receptum ſimoniacè detrudendum eſſe in aliud monaſterium ejuſdem Ordinis, & ſi non inveniatur, debeat manere in eodem, ne damnabiliter evagetur, & ita docent Rebuffus *in prax. beneſic. tit. de diſpenſ. cum regul. n. 16.* Panormitanus *c. veniens. eod. tit. n. 4.* Navarrus *c. ſtatuimus 14. q. 5. n. 25. comment. 4. de Regul.* ubi notat, quòd jus acquirendi victum indeterminatum ex communi, aut portionem privilegiatam, ſeu determinatam canonicalem, vel monachalem, quod Monachus, vel canonicus ritè receptus habet, impeditur, quando excommunicatus profitetur, vel ſimoniacus, donec ſubſequatur abſolutio, & diſpenſatio, relicto ſolo victu ad vitam neceſſario: & addit rationem diſcriminis, quia acquiſitio ſtatus eſt quaſi acquiſitio characteris omnino indelebilis: ſecus jus accipiendi talem

victum, vel portionem eſt quaſi acquiſitio beneficij, quæ impeditur per ſimoniam, vel excommunicationem. Cæterum ſimoniacè receptus poteſt in monaſterio illo remanere, & frui commodis cæterorum; donec per ſuperiorem compellatur aliud ingredi, quia cùm ejus profeſſio valida ſit, & per ipſam obligetur ad onera profeſſorum, nimis durum videretur, ſi teneretur profeſſorum commodis ſe ſpolare, cum Operarius dgnos ſit cibo ſuo. Quarta pœna eſt, quod ſimoniacus in religione teneatur reſtituere pretium.

§. XVI.

De aliis pœnis canonicis iure decretis in ſimoniacos.

1 PRæter pœnas in præcedentibus explicatas dantur etiam aliæ pœnæ in jure canonico latæ contra ſimoniacos: etenim perpetuò etiam deponuntur à miniſterio altaris, ſeu ab officio, & conſequenter etiam à beneficio, idque deſumitur ex *c. de hoc autem 11. h. t.* ubi cum Archiepiſcopus Oxomenſis Archidiacono beneficium, & cuidam clerico ante ſuam electionem Prioratum diceretur promiſiſſe, & uterque eidem conſentiret. Reſcribit Alexander III. ſi hæc manifeſta ſint, aut memorati hoc confeſſi, vel convicti fuerint, ut ab altaris miniſterio deponantur: ſi verò hæc manifeſta ſint, ipſi autem nec confeſſi, nec convicti fuerint, ſed publica laborant infamiâ; eis canonicam purgationem jubet indici, in qua ſi deficiunt, tanquam authores talis ſceleris puniuntur. Rex autem, & Princeps, vel alij ſæculares debent induci, ut ſi aliquid à dicto Epiſcopo receperint, quo conſentirent in ejus electionem, debeant eccleſiæ Oxomenſi ſine diminutione illud reſtituere. Ubi notandum eſt, quòd quamvis Rex tanquam patronus, ut notat Gloſſa hic *V. Regem*, jus habuerit in electione, adhuc induci debet, ut ſi quæ receperit à dicto Epiſcopo, ut ejus electioni præſtaret conſenſum, ſint abſque ulla diminutione eccleſiæ Oxomenſi reſtituenda.

2 Rurſus propter crimen ſimoniæ comiſſum in electione Prælati debet quis deponi ab officio, & beneficio: ſiquidem perpetua depoſitio à miniſterio utrumque involvit; expreſſè quidem depoſitionem ab officio, & conſecutivè depoſitionem à beneficio, cum hoc non detur niſi propter officium, quo ſi quis in perpetuum ſemel privetur, non poteſt beneficium retinere, cum ſit annexum officio. Rurſus liquet *ex d. c. de hoc* ſolam infamiam ſimoniæ ſine convictione, & confeſſione non ſufficere ad pœnam infligendam etiam in crimine excepto, quale eſt crimen ſimoniæ, ſed accuſato indicendam eſſe purgationem, in qua ſi deficiat, puniendus eſt.

3 Pœna depoſitionis contra ſimoniacè obtinentem beneficium eccleſiaſticum declaratur *in c. inſinuatum 13. h. t.* ubi ſtatuitur, quòd qui ſimoniacè eſt adeptus beneficium, ſi hoc ſit publicum, & notorium, eſt privandus beneficio ab Epiſcopo: ſin autem non fuerit notorium, & publicum, ſed tantùm publica laboraverit infamiâ, indicitur ei purgatio cum quinta, vel ſexta manu ſui Ordinis, & ſi in ea deficit, privatur beneficio in perpetuum. Quamvis hic textus videatur diſcordare ab illo, qui habetur in *c. accedens de accuſat.* & *c. ſignificâſti de adult.* ubi niſi præceſſiſſet certus modus agendi, deficiens in purgatione jubebatur tantùm ſuſpendi à beneficio; & in præſenti *c. inſinuatum 13. h. t.* jubetur privari, tametſi modus ille non præceſſerit. Attamen reſpondet Panormitanus *in d. c. inſinuatum n. 7.* aut præceſſiſſe informationem factam ad privationem beneficij, & deficientibus probationibus ſtatim fuiſſe indictam purgationem; aut ſpeciale eſſe in ſimonia, quòd non requirantur probationes tam claræ; ſed debere inquiſitos, vel accuſatos incontinenti repelli ab eccleſijs, ſi appareant ſigna, vel argumenta probabilia commiſſæ ſimoniæ. Hinc ſimoniacus in beneficio non deponitur ab ordine, ſi contra illum procedatur per viam inquiſitionis: privatur tamen beneficio ſimoniacè acquiſito, tametſi aliâ pœnâ puniri etiam poſſet; tùm hæc remotio non ſit propriè pœna, *c. cum clerici 6. de pact.* ut notat Abbas *in d. c. inſinuatum n. 2. h t.*

Sin autem crimen ſimoniæ ſit notorium, 4
imponi poſſet pœna depoſitionis etiam ab Ordine, ut habetur *in c. qualiter 24. de accuſat.* Neque ullum faceſſit negotium, ſi dicas *in d. c. inſinuatum*, pœnam talia depoſitionis non fuiſſe injunctam. Reſpondetur enim, talem pœnam non fuiſſe impoſitam, quia Epiſcopus tantùm quæſivit, an ille eſſet privandus beneficijs ſimoniacè acquiſitis; & Alexander III. reſpondit, quòd ſi crimen ſit publicum, & notorium, debeat illo privari ab Epiſcopo: ſecus ſi non ſit publicum, & notorium; ſed tantùm publicâ laboret infamiâ, indicenda eſt illi purgatio, in qua ſi deficiat, privatur in perpetuum beneficio: unde infamato de crimine ſimoniæ indicitur purgatio ob probabilem præſumptionem ortam ex infamia; quod ſi in tali probatione deficiat, perinde punitur, ac ſi convictus de crimine fuiſſet, & præſumptio probabilis orta ex infamia tranſit in violentam, eò quia reus deficiat in probando, & præſumptio tunc ſufficit ad condemnationem.

Rurſus alia depoſitionis pœna etiam habetur *in c. qui alium 2. h. t.* & deſumitur ex Concilio Moguntino ſub Rabano Archiepiſcopo *c. 10.* ubi ſtatuitur, quòd qui mediante pecuniâ ab eccleſia Rectorem eijcit, & deinde accipit ſibi illam eccleſiam, ſit eâ privandus. Ubi Pontifex infligit pœnam depoſitionis ei, qui alterum à beneficio ſuo deijcit, corrumpendo judicem munere pecuniario, & in illud ſe intrudit; quia duplex committit peccatum, ſcilicet ſimoniam dando pecuniam pro obtinenda re ſpirituali; & eijciendo alium è ſuo officio, & beneficio, quod eſt eidem graviſſimam inferre injuriam, proinde Pontifex mandat eſſe deponendum; tametſi contra ipſum procedatur

tur per modum inquiſitionis, ſi de tali crimina conſtiterit, perinde ac ſi accuſatus fuiſſet, quia textus *in d. c. qui alium a. h. t.* loquitur indiſtinctè. Juvat tamen obſervare, quòd prædicta pœna depoſitionis ſtatuta contra ſimoniacos non incurritur ipſo jure, ſed tantùm imponitur per ſententiam judicis, adeò ut hæc pœna non incurratur niſi poſt ſententiam declaratoriam judicis.

6 Alia pœna contra ſimoniacos etiam eſt, ut ſimoniacus in ordine, vel beneficio non ſolùm privari debeat beneficio ſimoniacè acquiſito; ſed etiam alijs antea legitimè jam obtentis: non tamen hæc pœna incurritur ipſo jure, ſeu facto, ſed tantùm per ſententiam condemnatoriam judicis, alioquin ſimoniacus ante ſententiam declaratoriam, & condemnatoriam judicis non privatur beneficijs priùs legitimè obtentis, ut deſumitur *ex c. de hoc 11. h. t.* & ratio id etiam ſuadet, quia cùm nullus reperiatur textus in jure, vi cujus talis pœna privationis ipſo jure, vel facto inferatur; non debet hujusmodi pœna cenſeri lata niſi in ordine ad ſententiam condemnatoriam judicis: quia ex receptiſſima Doctorum ſententia, pœnæ non debent ampliari, ſed potiùs reſtringi.

7 Quòd ſi dicas *in c. inquiſitionis 21. de accuſ.* expreſſè haberi, quòd ſimonia impediat retentionem beneficij etiam poſt peractam pœnitentiam. Reſpondetur, id intelligi de beneficio ſimoniacè acquiſito. Præterea quamvis eſſet textus ille intelligendus etiam de alijs beneficijs; non ita tamen ut ſimoniacus ſit ipſo facto ijsdem privatus, ſed ut privetur per ſententiam condemnatoriam judicis: ſiquidem ſimonia æquiparatur homicidio, quod non privat ipſo facto beneficijs priùs obtentis *c. clericus 5. ne cleric. vel Monach.* Tum quia *in extravag. cum deteſtabile a. h. t.* Paulus II. non injungit hanc pœnam privationis niſi quoad beneficium ſimoniacè acceptum, non quoad alia priùs obtenta; & id eſt etiam rationi conſonum, quia pœna non privat bonis legitimè acquiſitis, & jam antea poſſeſſis; neque legis rigor eſt tantus, ut obliget delinquentes ad pœnam illam in ſe ipſis exequendam ante ſententiam declaratoriam judicis.

8 Excipitur ſolùm ſimonia confidentialis, quam incurrunt Examinatores promovendorum ad parochiales Eccleſias, à qua abſolvi non poſſunt niſi dimiſſis beneficijs, quæ antea etiam legitimè obtinuerant, idque jure novo ex decreto Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. c. 18. de refor.*

9 Pœnæ contra ſimoniam confidentialem plures ſunt, Prima eſt excommunicatio reſervata Papæ. Secunda, inhabilitas ad beneficium, in quo commiſſa eſt ſimonia. Tertia, ejus privatio à die commiſſæ confidentiæ. Quarta, omnium etiam beneficiorum, penſionum, rerúmque aliarum eccleſiaſticarum privatio, quas confidentiarius juſtè ante poſſidebat. Quinta, inhabilitas ad illa beneficia ex Bulla Pij V. cui initium, *intolerabilis*, & quam explicat Navarrus *in manual. c. 23. n. 110.* Sexta, ut beneficium, quod eſt receptum cum confidentia ſimoniaca ſit devolutum ad Papam, eique reſervatum. Septima, ut præſumentes recipere beneficium cum ſimonia confidentiali, ſi ſint Cardinales, & Epiſcopi, ſint ab ingreſſu eccleſiæ interdicti; ſin autem ſint his inferiores anathemate percutiuntur. Non tamen hujusmodi pœnæ, ſi excipiatur excommunicatio, incurruntur ante ſententiam condemnatoriam judicis, præſertim ſi ſermo ſit de pœna privationis beneficiorum, quæ poſſidebantur, antequam committeretur ſimonia confidentialis, quia Pius V. nullum in ſua conſtitutione habet verbum, unde conſtet, hanc pœnam privationis incurri ante ſententiam declaratoriam criminis. Privat quidem Pius V. ſimoniacos confidentiales fructibus, penſionibus, & beneficijs, ſed an ipſo facto, & ante ſententiam judicis, id non indicat: ait enim Pontifex in ſua conſtitutione, cui initium *Intolerabilis* poſtquam declaraſſet enormitatem delicti, *fructibus, penſionibus, & alijs rebus eccleſiaſticis, ac etiam Romana Curia, & alijs officijs temporalibus præſentium authoritate privamus, & ad futura inhabiles decernimus.*

Hinc communiter Doctores aſſerunt, ſimoniam confidentialem ipſo facto tantùm inducere excommunicationem, alias verò pœnas nonniſi poſt ſententiam declaratoriam judicis. Sunt tamen, qui contrarium ſentiunt, præſertim Flaminius *de ſimonia confidentiali. q. 58. n. 15.* Flavius Cherubinus *Bull. conſt. 58.* Pij V. *Schol. 2.* & alij, eò quia nemo retinere poſſit, quod non eſt ſuum; ſed beneficia per confidentiam acquiſita non ſunt acquirentis, eò quia collationes de ijs factas Pius V. in ſua conſtitutione declarat eſſe nullius momenti, & beneficia de facto vacare, ac diſpoſitioni ſedis Apoſtolicæ reſervata eſſe: & hæc ſententia quoad privationem ſolius beneficii acquiſiti per ſimoniam confidentialem valde probabilis eſt, quia cùm ſimoniacus non acquiſiverit jus ad tale beneficium, non debet expectare ſententiam judicis, ut illo privetur, quia nemo poteſt privari eo, quod nunquam poſſedit. 10

Si quis verò, cùm reſignat, vel eſt cauſa reſignandi, confidit, ac ſperat, eum, cui confert, vel reſignari facit beneficium, ſibi illud idem reſignaturum, aut cui voluerit, nulla tamen interveniente pactione, quamvis tunc confidentia ſit illicita; eò quia ab inordinata cupiditate ſpes illa oriatur; ac proinde in ſua cauſa, & principio ſit illicita, non tamen eſt confidentia ſimoniaca, eò quia nulla interveniat pactio, nulla venditio. Quòd ſi pactum aliquod intercedat inter reſignantem, & reſignatarium, tunc confidentia ratione pacti ſuperadditi fit ſimoniaca; ſi pactio addita rei ſpirituali ſit legalis, ut deſumitur *ex c. quæſitum 5. de rer. permutat.* Debet enim hæc pactio eſſe legalis, quia pactio, quæ tantùm debitum honeſtatis, fidelitatis, gratitudinis efficit, & ratione cujus beneficium beneficio compenſatur, non eſt jure naturali abſque ulla obligatione civili ſimoniaca, quia ad hanc requiritur pactio legis, quæ 11

tantæ ſit efficaciæ, ut virtute ipſius poſſit debitum coram judice repeti.

12 Rurſus ſimoniam conventionalem mixtam probabilius eſt, pœnas juris non inducere, quia eccleſia ſuis legibus non punit alia opera, quàm quæ ſunt in ſuo genere completa, & perfecta; & cum ſimonia conventionalis mixta non ſit perfecta, eò quia non ſit ex utraque parte completa, non cenſetur inducere pœnas juris, niſi ſit ſimonia confidentialis, unde nulla ſimonia conventionalis ea excepta, quæ confidentia dicitur, inducit ipſo facto pœnas juris poſitivi, adeò ut ſimonia, in qua datum eſt jam pretium, ſed nondum tradita res ſpiritualis non inducat pœnas juris, imò nec etiam ea, in qua res ſpiritualis eſt tradita; ſed pretium nondum perſolutum, quia ex ſtylo Curiæ Romanæ non cenſentur hujusmodi pœnæ incurſæ niſi per ſimoniam realem utrinque completam; & ratio eſt, quia pœnæ eccleſiaſticæ excommunicationis, & ſuſpenſionis non incurruntur, niſi actio prohibita ſit completa, ut docent Cajetanus *V. excommunicatio in princ.* Sylveſt. *V. pœna q. 5.* & actio ſimoniæ non completur, niſi res ſpiritualis fuerit data, & pretium temporale pro eadem re ſpirituali acceptum, unde ſi res ſpiritualis tantùm data ſit, & nondum pretium temporale ſolutum; nondum incurruntur pœnæ juris, donec ſolvatur pretium, & tunc ſimonia retrotrahitur ad tempus rei ſpiritualis collatæ. Neq; ſimonia conventionalis fit completa realiter per Chirographum datum ab altera parte contrahentium de ſolvendo pretio promiſſo, quia exhibitio chirographi non eſt ſolutio pecuniæ; ſine qua non poteſt conſiſtere emptio, & quia ibi non eſt ſimonia, ubi deeſt emptio; ſequitur per chirographum contrahentium non compleri ſimoniam conventionalem, ſed per dationem rei ſpiritualis ex una parte, & per ſolutionem pretij temporalis ex altera.

13 Renuntiare tamen beneficium eccleſiaſticum cum pacto de re aliqua facienda, vel amittenda, quæ jure non ineſt, licèt ſit ſimonia, non tamen talis pactio, licèt ſimoniaca inducit pœnas juris, quia ut notat Sylveſter *V. ſimonia q. 19.* nulla ſimonia pœnas juris ipſo facto inducit, niſi in Ordine, beneficijs, & ingreſſu religionis: ratio eſt, quia eccleſia prædictis pœnis alios non punit, quàm qui propriè ſunt ſimoniaci mediante traditione pretij pro re ſpirituali: id autem non contingit, quando ſimonia eſt tantùm talis jure eccleſiaſtico: unde conventiones reciprocæ circa ſpiritualia quamvis ſint ſimoniacæ, non tamen pœnas juris inducunt, ut nec etiam has pœnas incurrunt, qui officia eccleſiaſtica ſibi pretio comparant, eò quia officia eccleſiaſtica propriè non ſunt beneficia, & in pœnalibus verba ſumi debent in ſua propria notione; adeò ut lex pœnalis potiùs reſtringenda ſit, quàm amplianda. Neque pœnas juris ipſo facto incurrunt, qui ſua beneficia propria authoritate permutant: quia non habetur tunc ſimonia propriè ſumpta, cum non detur temporale pro ſpirituali, proinde pœnæ contra ſimoniacos non ſunt extendendæ ad ſimoniam impropriè ſumptam. Nihilominus ita permutantes propria authoritate beneficia ex decreto Innocentij III. privantur beneficijs, in quibus facta eſt permutatio, ut habetur *in c. cum olim 7. de rer. permutat.* Verùm id communiter intelligitur poſt ſententiam declaratoriam judicis, quæ neceſſaria non eſt, ubi reperitur ſimonia propriè dicta.

14 Ex hactenus dictis juxta probabiles Doctorum ſententias, colligitur primò, nullam ſimoniam inducere pœnas juris ipſo facto niſi in Ordine, beneficijs, & religionis ingreſſu, adeò ut ſi quis in alijs ſacramentis conferendis, vel ſuſcipiendis in conſecrationibus, benedictionibus, diſpenſationibus, in penſione vendenda, vel emenda, aut redimenda ſimoniam committat, graviter quidem peccet, non tamen contrahat pœnam excommunicationis, ſuſpenſionis, aut inhabilitatis.

15 Secundò, ſimoniam mentalem, quæ ſine externo aliquo contractu tacito, vel expreſſo committitur in Ordine, beneficijs, & ingreſſu religionis, nullas inducere pœnas juris: quinimò plures docere, non poſſe eccleſiam ſimoniam internam, quæ nullo modo in opus externum prodit, punire, eò quia juriſdictio eccleſiæ ſolùm ad opera externa præcipienda, & vetanda, ac punienda ſe extendat. Quòd tamen indiget diſtinctione, quia ſi opus internum ſit connexum cum externo, quod ſubijcitur juriſdictioni eccleſiæ, ſicut hæc judicat directè de externo, ita etiam indirectè de interno.

16 Tertiò, nec ſimoniam conventionalem, excepta confidentiali, inducere ipſo facto pœnas juris poſitivi.

17 Quartò, ſecundùm aliquos, nec ſimoniam realem obligare ad reſtituendum ſpirituale ſimoniacè acceptum præterquam beneficium.

18 Quintò, ſimoniam præter excommunicationem in Ordine, & beneficijs, & ſuſpenſionem in Ordine in ſupradictis caſibus obligare quidem ad reſtituendum temporale ſimoniacè acceptum etiam ante ſententiam, ſed ex probabili opinione ante ſententiam judicis, ſufficere, ſi reſtitutio fiat ei, à quo acceptum eſt.

19 Sextò, ſimoniam confidentialem ipſo facto inducere quidem excommunicationem, non tamen inhabilitatem ad beneficia (nec privationem beneficij niſi eadem ſimonia ſimul etiam realis ſit) in foro tamen conſcientiæ non inducere ipſo facto; ſed tantùm in foro exteriori, proinde poſt ſententiam declaratoriam criminis.

20 Septimò, hoc etiam procedere de ſimonia, quæ committitur etiam in electione Papæ, & in examine ad parœcias.

21 Octavò, electionem Papæ quamvis per ſimoniam factam dummodo à duabus tertijs partibus Cardinalium legitimè facta ſit, non eſſe ipſo facto irritam. Hæc omnia ut probabilia docent plures Doctores.

(†)

§. XVII.

§. XVII.

De Diſpenſatione pœnarum, quæ in jure ſtatuuntur contra ſimoniacos.

1 DIſpenſatio juxta præſens inſtitutum ſumitur pro prodiga juris relaxatione, & definitur *Relaxatio rigoris juris canonicè facta per eum, ad quem ſpectat*, & deſumitur *ex c. niſi rigor 1. q. 7.* unde quæritur quiſnam poſſit canonicè relaxare pœnas juris contra ſimoniacos, Non loquimur de diſpenſatione ſimoniæ in ordine ad culpam, quia certum eſt, in hac diſpenſare non poſſe ullam humanam poteſtatem, ſi ſimonia ſit contra jus naturale, & divinum, quia in lege divina, & naturali nullus homo poteſt diſpenſare, alioquin inferior poſſet immutare leges ſuperioris, & eſſet, & non eſſet inferior. Quòd ſi ſimonia ſit tantùm contra jus eccleſiaſticum, adeò ut ab eccleſia tantùm prohibeatur, tunc ſolus Papa poteſt diſpenſare, non verò alius Prælatus inferior, niſi ex commiſſione expreſſa, vel tacita ipſius ſumi Pontificis: ratio eſt, quia nullus inferior poteſt per ſe diſpenſare in lege ſuperioris: Pontifex verò quando dicitur diſpenſare in ſimonia, non ita debet id intelligi, ut manente ſimonia tollatur culpa, quia cum ipſa ſimonia ſit culpa, non poteſt manere, quin etiam maneat culpa: ſed ita intelligitur, ut emptio, & venditio, quæ ſi obligatio legis vigeret, ſimoniaca foret, ſublata obligatione legis non ſit ampliùs ſimoniaca, & contractus emptionis, & venditionis ſit licitus.

2 Non tamen ſolet Pontifex diſpenſare etiam in ſimonia contra jus humanum: quia id ferè nunquam videtur expedire, & quando expedit dare temporale aliqnid pro ſpirituali, non eſt neceſsè, ut id fiat per modum pretij, ſed poteſt alio titulo præſertim eleemoſynæ, gratitudinis, congruæ ſuſtentationis providere. Tum quia non eſt utile eccleſiæ diſpenſare in ſimonia poſitiva, ſiquidem non expedit, ut res eccleſiæ venales fiant.

3 Quæſtio igitur procedit de ſola diſpenſatione quoad pœnas ſimoniæ, ſeu de earundem relaxatione, quæ diſpenſatio ſolùm locum habet in ſimonia Ordinis, beneficiorum, & ingreſſus religionis: & reſpondetur ab excommunicatione lata contra ſimoniam commiſſam in Ordine, beneficijs eccleſiaſticis, & ingreſſu religionis quoad perſonas ſingulares dantes, vel accipientes pecunias, ſolùm Papam poſſe abſolvere tam dantes, quàm recipientes ſimoniacè Ordinem, & beneficium eccleſiaſticum, idque deſumitur *ex extravag. ſanè 1. h. t.* ubi Urbanus IV. prohibens, ne quid recipiatur, nec petatur, vel exigatur directè, vel indirectè pro ingreſſu religionis, poſtea ſubdit; contravenientes, ſi ſint ſingulares perſonæ, ſunt excommunicati excommunicatione reſervata Papæ: ſi ſit capitulum, vel conventus eſt ſuſpenſus eo ipſo, nec poteſt abſolvi niſi à Papa. Hoc idem etiam habetur de ſimonia Ordinis, & beneficij *in extravag. cum deteſtabile 2. h. t.* ubi Paulus II. renovat omnes pœnas canonum contra ſimoniacos, etiam ſi ſint Cardinales, & addit: qui ſunt ſimoniacè ordinati, ſunt etiam ſuſpenſi ab executione ſuorum Ordinum. Rurſus qui ſimoniacè eligitur postulatur, confirmatur, providetur, vel quovis alio modo diſponitur in eccleſijs, monaſterijs, dignitatibus perſonalibus, officijs eccleſiaſticis, & quibuscunque beneficijs careat viribus, nec jus acquirat, nec faciat fructus ſuos, & ſi quos percepit, teneatur reſtituere. Qui in præmiſſis committunt ſimoniam dando, vel recipiendo, vel ſunt Mediatores, ſunt excommunicati, nec poſſunt abſolvi niſi à Papa. Nihilominus poſſunt ab hac excommunicatione abſolvere poteſtate delegata etiam ij, qui habent Bullam; ſeu privilegia à ſede Apoſtolica, in quibus conceditur poteſtas abſolvendi à caſibus Papæ reſervatis niſi ſpeciatim, & expreſsè excipiatur excommunicatio, quæ incurritur ob ſimoniam, ut docet Suarez *lib. 4. de ſimonia c. 61. n. 4.*

In pæna itidem ſuſpenſionis, quæ incurritur propter ſimoniam commiſſam in ordine, etiam ſolus Papa poteſt diſpenſare. Cùm enim is, qui ſimoniacè ordinatus eſt, ſit ſuſpenſus ab executione Ordinis ſimoniacè ſuſcepti, non poteſt ab hac pœna ab alio abſolvi, ſeu liberari niſi à ſolo Pontifice, ut habetur *ex c. ult. h. t.* Qui verò Ordinem ſimoniacè contulit, is etiam ſuſpenſus manet à collatione ordinum, nec pœna hæc ab alio poteſt relaxari, quàm à ſummo Pontifice, & deſumitur ex *eod. cap. mandato ult. h. t.* ubi habetur: quòd quando Papa mandat alicui, ut diſpenſet cum Monachis, qui per ſimoniam dato aliquo ſunt recepti in monaſterio juxta *c. quoniam 40. h. t.* intelligitur mandatum extendi ad diſpenſandum cum Abbate, qui eum ſimoniacè recepit, ex quo colligitur, quòd ſolus Pontifex poſſit in hac ſuſpenſione incurſa propter ſimoniam diſpenſare. Alij tamen procedunt cum diſtinctione de ſuſpenſione, quam incurrit ſimoniacus in ordine: vel enim ſcienter ordinatur ſimoniacè, & tunc dicunt, quòd ſi crimen ſit occultum, poſſit Epiſcopus diſpenſare, ſin verò publicum ſolus Papa. Idque videtur etiam deſumi ex Tridentino *ſeſſ. 24. c. 6 de reformat.* ubi ſtatuitur, quòd poſſit Epiſcopus diſpenſare, ſi delictum ſit occultum. 4

Sed in contrarium habetur motus proprius Sixti V. contra malè ordinatos, ubi Pontifex prohibet, ne Epiſcopus poſſit diſpenſare etiam quoad Ordines ritè ſuſceptos. Quando verò ignoranter quis ordinatur ſimoniacè, eò quia alius ſive amicus, ſive conſanguineus eo inſcio, qui ad Ordinem promovetur, pecunias dedit, tunc quia ſuperiùs diximus, ignoranter ſic ordinatum non incurrere ſuſpenſionem, eò quia cum ſine culpa fuerit ordinatus ratione ignorantiæ, non indiget abſolutione à pœna, quia hæc non incurritur niſi ex præſuppoſita culpa. 5

In contraria verò ſententia Doctores procedunt cum diſtinctione, & dicunt, quòd ſi delictum ſit publicum, ſolus Papa diſpenſat: ſin 6

verò

verò occultum etiam Epiſcopus *arg. c. ex tue. 20. h. t.* & docet Hoſtienſis *in c. de ſimoniacè 22. h. t.* ubi dicitur: ut cum his qui ſimoniacè ſunt ordinati ipſis tantùm neſcientibus poſſit Epiſcopus diſpenſare, ut remaneant in ſuis ordinibus, quia non ſunt ſimoniaci. Verùm quia in hoc textu Alexander III. loquitur indiſtinctè, ideò veriùs alij cenſent, in utroque caſu poſſe Epiſcopum diſpenſare cum ignoranter ordinato, ſive delictum ſit occultum, ſive publicum.

7 Quando verò ſimonia committitur in beneficio, videtur eſſe non modica difficultas, quis poſſit diſpenſare, ut talis ſimoniacus poſſit habere beneficium. Communior ſententia aſſerit, Epiſcopum non poſſe tunc diſpenſare, eò quia delictum eſt ita enorme, & Epiſcopus ſimoniacus talem contraxit turpitudinem, ut indignum ſe conſtituerit, ut ipſe diſpenſet, ſed diſpenſare poteſt ſucceſſor, vel ſuperior: idq; etiam probari ſolet ex *c. veniens de filijs Presbyt. & c. diverſis de cleric. conjug.* ubi habetur, quòd Epiſcopus, qui ſcienter contulit beneficium conjugato, vel ejus filio, qui illud immediatè obtinuit, non poteſt illud ab eo auferre, ſecus ſi ignoranter, ut docent Hoſtienſis in *c. ſimoniacè 12. n. 7. in fin. h. t.* & cum ipſo Innocentius *ibid.* Henriquez tamen *lib. 13. de excommun. c. 32. in fin.* docet, poſſe Epiſcopum cum paupere diſpenſare, ut retineat beneficium, quod ſimoniacè accepit, cum habilitando ad tale beneficium, & denuò conferendo in foro conſcientiæ eidem beneficium: & nititur, quia ſicut Epiſcopus poteſt cum paupere diſpenſare in matrimonio jam contracto cum impedimento dirimente; ita etiam infert, poſſe Epiſcopum in foro conſcientiæ habilitare occultum ſimoniacum, ac denuò eidem conferre beneficium; eò quia ex nullo textu colligi poſſit, hanc diſpenſationem ſuper inhabilitate eſſe reſervatam ſoli Papæ; niſi in ſimonia confidentiali.

8 Verùm in hac quæſtione procedendum eſt cum diſtinctione, ſi beneficium per ſimoniam ignoranter acceptum ſit ſimplex, & cognitâ ſimoniâ beneficiarius ſpontè renuntiet; tunc poteſt Epiſcopus diſpenſare ſuper contracta inhabilitate, & poſtea idem beneficium eidem conferre, ut colligitur *ex c. penult de elect.* & docent Butrius *in d. c. penult. n. 7.* Imola *ibid. n. 1.* Hoſtienſis, & Panormitanus *n. 7. in eod. cap.* Innocentius *in c. de ſimoniacè 12. n. 2. h. t.* Navarrus *lib. 5. conſil. tit. 3. de ſimonia.* Sylveſter *V. ſimonia q. 8. dict. 5.* immo Navarrus *in noviſ. conſil. 97. & 61. n. 5.* aſſerit, poſſe Epiſcopum diſpenſare, licèt beneficium illud ſit canonicatus eccleſiæ cathedralis; eò quia canonicatus non ſit dignitas: ubi juvat adnotare, quòd quando ſermo eſt de beneficio habito ſimoniacè ignoranter, non intelligitur, quando ipſe Beneficiarius committit [illegible] m, ignorans eſſe talem; ſed qu[illegible] mmiſerunt ipſo inſcio: aliqui [illegible], niſi poſtea ratum habeat, [illegible] ratihabitio, [illegible] atio ſciret.

9 Verior tamen ſententia cum Sylveſtro *V. ſimonia q. 8. dict. 5.* aſſerit, poſſe Epiſcopum diſpenſare, tametſi poſtea ratum habeat, eò quia revera in receptione beneficij, vel Ordinis non fuit ſimoniacus ratione ignorantiæ, quæ excuſavit à culpa, conſequenter etiam à pœna incurrenda. Sin autem beneficium ſimoniacè collatum, & per ignorantiam bona fide acceptum ſit Prælatura, vel dignitas, vel beneficium curatum, & majus, non poteſt cum illo Epiſcopus diſpenſare. Si tamen beneficiarius cognitâ ſimoniâ ſpontè renuntiat; docent omnes, in alia vacatione poſſe Epiſcopum diſpenſare, ut illudmet habeat: ratio eſt, quia *in c. penult. de elect.* ſolùm negatur Epiſcopo facultas pro ea vice, ſeu in illa vacatione diſpenſandi: & vitium poſtea purgatur per intermediam perſonam: ſiquidem ſi immediarè ille obtineret tale beneficium, videretur promotio vitioſa ex proximitate vitij, quia quæ incontinenti fiunt, videntur ineſſe *c. officij de elect.* Secus ſi beneficium ſit ſimplex. Item ſi Beneficiarius, qui ignoranter per ſimoniam tale beneſitium accepit, ſponte eidem non renuntiat, ſed expectat ſententiam judicis illum beneficio privantis, conveniunt omnes, quòd in alia vacatione poſſit Epiſcopus diſpenſare, ut illud beneficium obtineat, quia *in c. penult. de elect.* tantùm negatur pro illa vice Epiſcopo facultas diſpenſandi.

10 Hinc intelligitur, quod habetur *in c. nobis 27. §. ult. h. t.* ubi Cœleſtinus III. reſcribit, quòd ſimoniacè electus ipſo inſcio Epiſcopus non poſſit cum ipſo diſpenſare, eò quia propter ſimoniam fuerit reprobatus, ut notat Innocentius ibi: ubi tres expoſitiones ſolent afferri præfati textûs. Prima eſt, quando electus ſimoniam commiſit, vel alius eo ſciente, vel ratum habente, tunc dicunt, non poſſe Epiſcopum cum tali diſpenſare.

11 Secunda expoſitio eſt, ſi inſcio electo ſimonia commiſſa fuerit ab alijs, & tunc etiam dicunt, Epiſcopum non poſſe diſpenſare, ut iterum eadem vice eligatur ad eandem prælationem; poſſe tamen Epiſcopum diſpenſare, ut poſſit pro alia vice eligi ad idem beneſitium.

12 Tertia ſi ſimoniacè electus condemnatus ſit per ſententiam: tunc aſſerunt, non poſſe Epiſcopum cum illo diſpenſare, non ſolùm propter criminis enormitatem, verùm etiam, quia crimen factum fuit notorium per ſententiam.

13 Sin autem ſciens recipiat per ſimoniam beneficium curatum, cui ſtatim ſpontè renuntiet; poteſt tunc Epiſcopus diſpenſare, ut in alia eccleſia, vel etiam in eadem obtineat alia beneficia: non ita ut obtineat idemmet beneficium, quod reſignavit, quia ſolus Papa poteſt eum habilitare ad idem beneficium, idque evincitur à contrario ſenſu *ex c. penult. de elect.* ubi ſolùm Epiſcopo permittitur, ut poſſit diſpenſare cum eo, qui ignoranter per ſimoniam accepit beneficium curatum, cui poſtea ſpontè renuntiavit; & non quidem pro illa vice, ſed in alia vacatione, & ita docent Panormitanus *in c. de ſimo-*

ſimoniacè 22. n. 6. h. t. Innocentius *ibid. n. 7.* Sylveſter *V. ſuſpenſio q. 2. dict. 4.* & alij aſſignantes diſcrimen, cur Epiſcopus poſſit diſpenſare, ut in alia eccleſia habeat beneficia, & miniſtret in ordinibus ſuſceptis; non ita in eadem eccleſia, quia in hac tantùm poteſt miniſtrare in ordinibus, nec poteſt ad ſuperiores aſcendere, eò quia cum beneficium, quod ſimoniacè accepit, ad hanc eccleſiam pertinuerit, eidem injuriam intulit, proinde indignus ſe conſtituit, ut in eadem promoveatur. Verùm docentes hanc ſententism ſupponunt, ſimoniacum in beneficio eſſe inhabilem ad alia: & contrarium probabiliter docent alij, ut ſi ſemel abſolvatur ab excommunicatione, non indigeat diſpenſatione ad obtinendum quodcunque aliud beneficium excepto ſimoniacè adepto, vel in alia, vel in eadem eccleſia.

14 Rurſus ſupponunt, ſimoniacum in beneficio eſſe ſuſpenſum, proinde indigere diſpenſatione ad miniſtrandum in ſuſceptis, vel ad aſcendendum ad ſuperiores ordines: & tamen multotum ſententia probabilis eſt, non incurrere talem ſuſpenſionem, conſequenter neque indigere diſpenſatione ad miniſtrandum in ordinibus ſuſceptis; vel ad aſcendendum ad ſuperiores,

15 Quòd verò ad pœnam attinet inhabilitatis ad obtinenda alia beneficia, ſolet communiter hæc regula tradi, ſi enim ſimoniacus in beneficio voluntariè, & ſpontè reſignet beneficium ſimoniacè acquiſitum, antequam per ſententiam judicis declaratoriam condemnetur, poteſt Epiſcopus cum illo diſpenſare ad alia beneficia obtinenda: non ita ſi antequam renuntiet beneficio ſimoniacè ſuſcepto, condemnetur de ſimonia per ſententiam declaratoriam judicis, tunc enim beneficio priùs obtento privatur, & deſumitur *ex c. 1. q. 5.* ubi permittitur diſpenſari com talibus, ſi omnia dimittant beneficia ſimoniacè obtenta, iiſque ſpontè ante ſententiam judicis renuntient: quia mitiùs proceditur cùm eo, quem delicti pœnitet, & ſtatim reſipiſcit, renuntiátque ſpontè beneficio ſimoniacè ſuſcepto, quàm cum convicto de crimine poſt ſententiam judicis declaratoriam, quia ita condemnatus fit perpetuò infamis infamiâ juris, cum quo Epiſcopus non diſpenſat: niſi in caſibus in jure expreſſis, ut notatur *in c. cum te. de ſent. & re judic.* Supponit tamen hæc ſententia, ſimoniacum ipſo jure ante omnem ſententiam judicis fieri inhabilem ad nova beneficia obtinenda, proinde ante condemnationem indigere diſpenſatione, quod tamen à multis non conceditur, eò quia inhabilitas non contrahitur ante ſententism judicis.

16 Cæterum qui ſimoniacè adeptus eſt beneficium, ut poſſit diſpenſationem obtinere, neceſsè eſt, quòd ſi idem beneficium velit, quòd ſcienter ſimoniacè obtinuerat, illius faciat expreſſam mentionem, & in libello ſupplici dicat, ſe antea ſcienter illud beneficium ſimoniacè obtinuiſſe: id autem non eſt neceſsè in ordine ad alia obtinenda beneficia. Rurſus qui ſimoniacè obtinuit beneficium, ut canonicatum etiam ignoranter, ſi poſtea diſpenſetur cum eo ad eundem canonicatum, amittit locum, quem antea habebat in capitulo, & ut recèns promotus ad canonicatum ultimum locum occupat; quia is antea tenebatur renuntiare canonicatui ſimoniacè obtento; & per renuntiationem vacavit *c. ex inſinuatione 26. h. t.* ubi Clemens III. reſcribit: Qui ipſo inſcio ſimoniacè eſt promotus ad canonicatum, vel aliud beneficium; deinde re cognitâ renuntiat canonicatui in manus ſuperioris; & ſuperior, vel capitulum ei compatiens de novo illum eligit ad eundem canonicatum propter ultimam electionem, obtinebit ultimum locum in choro, & in alijs officijs, & ipſe nihil poterit prætendere, vel ſibi vendicare ratione primæ electionis. Notat tamen Gloſſa, debere hanc ſimoniam eſſe mediante pacto inito, ut habet *in c. tua nos 34. h. t.* ubi dicitur, quòd ſi clericus cum pacto, vel conditione dat, ſeu offert eccleſiæ ſua bona, ut recipiatur in canonicum, & eadem bona habeat pro præbenda, eſt ſimonia; ſecus ſi ſine pacto, vel conditione offerat eadem bona; habetur etiam *in c. ult. de pact.* Id autem intelligendum eſt, quando ipſe canonicus renuntiavit canonicatui.

Rurſus ſi ipſo ſciente ſimoniacè acquiſivit canonicatum, Epiſcopus non poteſt diſpenſare, ſed ſolus Papa *c. nobis 27. h. t.* ubi Cœleſtinus III. reſcribit, electionem ſimoniacam alicuius ipſo inſcio ab alijs commiſſam eſſe reprobandam, niſi conſtaret, ipſum malitioſè commiſiſſe ſimoniam in fraudem eligendi. Rurſus addit Cœleſtinus, non poſſe Epiſcopum diſpenſare cum ſimoniacè electo, & propter ſimoniam reprobato. Sin autem ſimoniacè fuit canonicatum ignoranter adeptus, & obtineat à Papa revalidationem, tunc manet in eodem loco, quem antea habebat in capitulo, & choro, quia non deſinit eſſe canonicus. 17

Quòd ſi, qui recipit beneficium ſimoniacè ignoranter, petat à Pontifice compoſitionem circa fructus receptos, & revalidationem tituli, ſi Pontifex reſpondeat concedendo compoſitionem: *at circa beneficium nec aufero, nec confero*, tunc talis non poteſt beneficium obtinere, quia indigebat nova tituli revalidatione, ut notat Navarr. *lib. 5. conſil. de ſimonia conſ. 73.* Cæterum quòd dicitur de Epiſcopo, qui non poſſit diſpenſare quoad pœnas, & cenſuras latas contra ſimoniacos id limitandum eſt, quoad excommunicationem, & ſuſpenſionem, quæ incurruntur propter ſimoniam occultam: ad hanc enim extenditur facultas conceſſa Epiſcopis à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 6. de reformat.* diſpenſandi in caſibus occultis, qui ad forum contentioſum non deducuntur: eo enim ipſo, quòd ibi non excipitur occulta ſimonia, intelligitur comprehenſa ſub generali diſpoſitione. Hoc tamen non procedit de inhabilitate ad obtinenda beneficia, quia ad illa non extenditur hæc facultas conceſſa Epiſcopis, quia non tam eſt irregularitas, quàm particularis pœna: & à Concilio non conceditur generalis facultas Epiſcopis diſpenſandi in omnibus pœnis Papæ reſervatis. 18

§. XVIII.

De reſtitutione eorum, quæ per ſimoniam accepta ſunt.

1 CErtum eſt, eum, qui pretium accepit pro re aliqua ſpirituali, quæ erat gratis conferenda, teneri jure divino ed reſtitutionem ejusdem pretij temporalis, eò quia per ſuſceptionem talis pretij non ſolùm læſerit virtutem religionis, verùm etiam juſtitiam commutativam: quo pacto etiam judex, ſi pro juſta ſententia ferenda pretium exigeret, teneretur ad reſtitutionem, ut etiam Perochus, coi aſſignata eſt coogrua ſuſtentatio, teneretur reſtituere pretium, quod accepit pro adminiſtratione ſacramentorum. An verò hoc pretium ſimoniacè acceptum, ſit jure divino, vel humano reſtituendum, non videtur ita certum, plures cenſent, hanc obligationem reſtituendi pretium temporele acceptum pro re ſpirituali, non eſſe de jore divino, ita Covarruvias *ad regul. peccatum p. 2. §. 8.* Sylveſter *V. ſimonia q. 20. in princ.* Cajetanus *in ſumma V. ſimonia c. 3. ſub. fin.* Nevarrus *c. 23. n. 3. & ſequent.* ubi hanc ſententiam vocat communem Canoniſtarum, & Theologorum usque ad ſuum tempus.

2 Retiones, qoibus hæc ſententie nititur, ſunt. Primò quia pretium aeceptum per ſimoniam mentalem non eſt jure divino reſtituendum, proinde neque acceptum per ſimoniam externam, ſiqnidem eodem titulo pretium accipit ſimoniacus externus, quo internus; parum enim refert, an id verbis exprimat, vel ſola mente retineat. Quòd verò per ſimoniam mentalem ecceptum pretium non ſit jure divino reſtituendum, deſumitor *ex c. mandato 46. & ult. h. t.* ubi Gregorius IX. conſultus à ſuo Legato, an Monachi ſimoniacè recepti; qui pretium dederant, & Abbares, qui receperant, teneantur ad reſtitutionem, & reſignationem acceptorum, reſcribit, *Ad reſignationem ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi utrinque taliter acquiruntur, eos pro ſimonia ejusmodi non teneri.* Hinc colligitur, accepte per ſimoniam mentalem non eſſe reſtituenda, adeò ut ſimoniaci interni non teneantur ad reſtitutionem temporalem acceptorum pro ſpirituali, nec ſpiritualium acceptorum pro temporalibus. Pontifex autem eatenus dicit, eos non teneri, quia jure divino, & neturali non obligantur: & jus eccleſiaſticum in ſimonia purè mentali locum noo habet, quia ſicut eccleſia noo judicat de purè internis, ita neqoe punit ſimoniam purè internam.

3 Secundò, quia ſi jure divino eccepte per ſimoniam mentalem eſſent reſtituenda, Pontifex non poſſet diſpenſare in retentione pretij, qood tamen eſt contra praxim, & liquet *ex extravag. ſanè 1. h. t.* ubi Urbanus IV. diſpenſat, ut retineantur accepta pro ingreſſu religionis.

4 Tertiò, quia exigens pretium pro re ſpirituali, quam ex officio non tenebatur ei conferre, non facit illi injuriam, quia is, cui datur, non habebet jus illam gratis exigendi à dante; ſed injuria fit tantùm Deo, & rei ſpirituali.

5 Probabilior tamen ſententia eſt, ſimoniacum jure divino teneri ad reſtitutionem pretij, ut docent Sotus *lib. 9. q. 8. art. 1.* Henricus *quodlibet 6. q. 26.* Joannes Medina *q. 4. de uſur. reſtit. §. ideo videtur.* Verùm diſtinguendum eſt inter res ſpirituales, quæ ſine incommodo collatoris conferuntur; & alia, quæ nonniſi cum incommodo, & diſpendio collatoris. Certum eſt, eum qui confert aliquid ſpirituale absque ullo ſuo incommodo, & cui ſpirituali non eſt annexum commodum temporale, ſi pro tali colletione pretium accipiat jure divino teneri ad reſtitutionem pretij, niſi putetur gratis donatum, vel ſit edeò tenue, ut non excedet retionabile ſtipendium ſuſtentationis: edeò ut, qui pro miniſtratione ſacramentorum, & ſacramentalium pretium recipit, jore divino teneatur ad reſtitutionem; ſiquidem hujusmodi res ſpiritnales non habent ennexum quidquam temporale, ratione cujus poſſint cenſeri pretio temporali æſtimabiles, vel tanti, ac tanti valere, quapropter oaturâ ſuâ exigunt, ut gratis diſpenſentur.

6 Tum quia fideles habent ad illas jus divinitùs ſibi conceſſum, ut à miniſtris eccleſiæ poſſint ea exigere; neque ad aliud tenentur, quàm ad ſuſtentationem miniſtrorum, quapropter, ſi miniſtri pretium aliquod temporale ſupra eorum propriam congruam ſuſtentationem exigant, tenentur illud idem jure divino reſtituere, quia ſi miniſtri diſpenſantes res has ſpiritnales non habent jus niſi ed alimenta, ſintque tantùm diſpenſetores, non Domini; ſequitur, eos per ecceptum pretium, non tentùm rei ſpirituali, ac Deo inferre injuriem, verùm etiam contra proximum injuſtitiam committere, cùm pretium ab ipſo exigant de ijs, quæ ſunt eidem gratis conferenda: ſi enim fideles, ut ſibi miniſtrentur ſacramenta, & ſacramentalia jure naturæ tenentur tantùm ſuppeditare congruam ſuſtentationem ijsdem miniſtris, injoria fit illis, ſi quid plus ab ijsdem exigatur: quapropter jure naturæ, & divino eſt reſtituendum. Prætereε res ſpirituales omnes ſuperant pretium temporale, eò quie non detur proportio, proinde ſive pretium acceptum ſit tenue, ſive magnum, ſemper jure divino Miniſter eccleſieſticus tenetur illud reſtituere, & qui pretium illod dedit, poteſt idem repetere ut injuſtè exactum, ſi alia retio non ſuppetat illud recuperandi.

7 Quòd ſi dicas, poſſe dari caſum, ut Parochus baptizet hominem ex elia parochia, & pro tali baptiſmo ſuſcipiat quatuor aureos: tunc cum Miniſter non teneretur beptiſmum conferre homini elterius parochiæ ex juſtitia, non videtur feciſſe illi injuriam, ſi pro miniſtratione baptiſmi petijt illos quatuor aureos: eatenus miniſter juſtitiam læderet, quia teneretur ex juſtitie miniſtrare baptiſmum tali homini: & ex juſtitia non tenetur, quie Parochus tantùm ex juſtitia tenetur miniſtrare ſe-

gra-

cramenta morantibus in diſtrictu ſuæ parochiæ.

8 Sed contra quia tametſi parochus in tali caſu non teneatur ex justitia conſerre beptiſmum hominl alterius parochiæ, ſi tamen velit ei ſacrementum conſerre, tenetur ex juſtitia non exigere quidquam ſupra ſtipendium propriæ ſuſtentationis, non enim miniſter habet ullum jus ed quid amplius.

9 Si dicas, urgente extrema neceſſitete non teneri habentem panes ex juſtitia eos dare alijs ſine pretio, ſi habeant, quod ſolvere poſſint, neque qui pretium exigit, infert ipſis ullam injuriam, ſi juſtum tantùm pretium exigat: ergo etiam Perochus non ſacit hominl extraneo injuriam, ſi illos eureos exigat pro baptiſmo, quia pretium temporale nunquem poteſt excedete valorem baptiſmi.

10 Contra eſt, negatur paritas, quia eatenus habens penes etiem urgente neceſſitate, non teneiur eos gratis dare, ſi qui panes recipiunt, habeant, quo poſſint ſolvere pretium, quia penes ſunt res natura ſua vendibiles, & ex recepto hominum uſu habent taxatum pretium, quod propterea poteſt exigi ab eo, cui det panes etiam urgente neceſſitate, quia ipſe exigit pretium rei, quam dat, ab illis, qui rem illam accipiunt, & poſſunt commodè pretium ſolvere: at ſacramenta non ſunt pretio temporali vendibilia, proinde miniſter ſupra propriam congruam ſuſtentationem non poteſt pro ijsdem miniſtrandis pretium temporale exigere.

11 Si dicas, ſolventem pretium pro ſacramento illud ſolvere volontariè, ec transferre dominium; tametſi libentiùs haberet gratis, nihilominus omnibus penſatis vult ebſolutè pecuniam illam ſolvere: cum ex alio capite non teneatur miniſter ex juſtitia ei ſecramentum conferre; & hoc longè pluris valeat, quàm quod voluntariè dat illud ſuſcipiens.

12 Reſpondetur hoc voluntarium eſſe per injuriam extortum, conſequenter non ita trensferre dominium, quin datum pretium poſſit repeti, quinimò miniſter, qui pretium exigit, tenetur ſpontè illud reſtituere, cum per injuriem illud extorſerit. Præterea falſum eſt, quòd transferatur dominium, quia ſolvens pretium non intendit illud gratis donare, ſed tantùm ſolvere, quatenus alter illud exigit, quòd ſi illud non exigeret, non daret; quia non præſumitur cedere juri ſuo, quod habet, nec dare miniſtro plus juris, quàm habeat, proinde cùm dominium non transferatur niſi conſentiente dante pretium. & in præſenti non præſumatur conſenſus, neque ſopponitur translatio ulla dominij: ſicut ſolvens uſuras non transfert dominium, tametſi ſolvat pecuniam, quia non intendit dare uſurario plus juris, quàm ei debeatur, & ſicut hic deeſt titulus, ut ſolvantur uſuræ; ita etiam in miniſtratione ſacramenti deeſt jus ad pretium exigendum.

13 Sin verò rei ſpirituali ſit annexum commodum aliquod temporale, quo dans ſpirituale ſe privat, tunc ſi pro temporali commodo annexo pretium accipiat, non tenetur hoc jure divino reſtituere, idque deſumitur *ex c. mandato 46. & ult. h. t.* ubi Gregorius IX. mendet alicui, ut diſpenſet cum Monachis, qui per ſimoniam dato aliquo, ſunt recepti in monaſterium, & quia admiſſio in religionem conjunctum habet commodum alimentorum per totam vitam, quod eſt pretio æſtimabile apud omnes; ſi tamen hoc pretium ſit judicio prudentis viri exceſſiuum, ille exceſſus jure divino eſt reſtituendus, non ita pretium infra exceſſum, quia alimenta per totam vitam ſunt eliquod commodum temporale, tametſi annexum ſtatui religioſo, ſeu rei ſpirituali: & pro tali commodo, ſi pretium accipiatur, quod non ſit exceſſivum jure divino, non eſt reſtituendum, quia datur pretium temporale pro commodo temporali: ita ſi conferens beneficium, quod habet ennexum commodum temporale, ſi pro tali commodo aliquid exiget, non tenetur illud jure divino, & naturali reſtituere; ut ſi quis Canonicatum, vel Decanatum venderet exigens pretium pro commodo temporali, quod dat venditor: verùm quia tale commodum eſt annexum beneficio ſpirituali jure eccleſiaſtico, non poteſt vendi, neque collector exigere pretium.

Præterea ſi quis in gratiam alterius privet 14
ſe aliqua re ſpirituali, & pro incommodo, quod inde petitur, compenſationem temporalem exigat, non tenetur jure divino eam reſtituere, ſi incommodum, quod patitur, ſit temporele, quia hoc damnum per ſe eſt pretio æſtimabile, proinde nulla fit injuria alteri, ſi pro eo compenſatio exigetur. Hoc idem etiam procedit de re quavis elia ſpirituali, ex cujus privatione incommodum temporale in honore, vel ſortunis obvenit. Sin verò res ſpiritualis nullum ſecum hebeat annexum comodum, ſed ex ejus privatione triſtitiem patiatur, qui illam confert, ut ſi quis pro reliquijs ſanctorum exigat ab alio pretium, eò quia ſe privet ijsdem reliquijs, tunc cenſent aliqui probabile itidem eſſe non teneri, qui pretium accepit jure divino illud reſtituere, eò quia illa privatio eſt ipſi aliquod incommodum, ſicut poſſeſſio erat eidem commoda, ſaltem ob ſatisfactionem, & gaudium, quod percipiebat ex reliquijs illis à ſe poſſeſſis; unde privetio talis poſſeſſionis, eſt ipſi gravis, & moleſta, proinde ſi pro ipſa pretium exigit, non videtur teneri jure divino illud reſtituere; quia elius non habet jus, ut ſua cauſe teneatur privari tali poſſeſſione reliquiarum; proinde non facit ei injuriam, ſi compenſationem exigat temporalem.

Quamobrem ſolùm jure eccleſiaſtico tene- 15
tur reſtituere, eò quia non ſolùm prohibitum ſit vendere res ſpirituales; ſed etiam alias ijsdem annexas: hinc nunquam licitum eſt, reliquies vendere, quia id eſſet contra reverentiam debitam ſenctitati reliquiarum: ſiquidem pretio humano æſtimarentur, non tamen fit injuria illi, à quo pretium exigitur, quia hic non hebet jus, ut ſibi gratis dentur.

Cæterum an ſimonia realis completa ſolo 16
tamen jure eccleſiaſtico prohibita ſubjaceat reſtitutioni, non videtur ita certum, quia Do-

ctores diverſimodè ſentiunt. Plures affirmant, inter quos Malderus *in 2. 2. tractat. 9. c. 3. dub. 18. §. 3.* Navarrus *in c. ſi quando de reſcript. 4. in fin.* Alij verò inter quos Reginaldus *tom. 2. lib. 23. c. 12. n. 184.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 2. c. 3. dub. 108.* docent, pœnas ſimoniæ non incurri, neque reſtitutionem in caſu, quo adeſt tantùm ſimonia juris poſitivi, & humani, ut cum quis dicit: *reſigno tibi meum beneficium, ut tu renunties mihi tuum*, quæ ſimonia, quia tantùm eſt de jure eccleſiaſtico, & poſitivo, non incurrit pœnas juris, tametſi permutario beneficiorum facta fuerit propria anthoritate inter beneficiarios: docent enim in tali caſu peccare graviter ita commutantes beneficia ſine authoritate Papæ, & talem commotationem eſſe ſimoniacam jure eccleſiaſtico, non tamen incurrete pœnas juris, nec commutantes eſſe excommunicatos, neque teneri ad reſtitntionem beneficiorum ipſo jure, idque probat Sanchez *ex extravag. cum deteſtabile 2. h. t.* obi Paulus II. lic incipit, *cum ſcelus ſimoniacæ pravitatis tam divinorum, quàm ſacrorum canonum authoritas abhorreat:* ex quo infert, Pontificem loqui de limonia divino ſimul, & canonico jure reprobata, quia præfatio legis dat intellectum toti legi, & ex ipſa regulatur, & cauſam finalem accipit, ut docenr communiter cum Molina Juriſta *de primogen. lib. 1. c. 5. n. 3.*

17 Excipitur tamen limonia confidentialis, quia hæc obnoxia eſt pœnis, qnamvis aliquando ſit tantùm jure humano prohibira, ut cum quis renuntiat beneficio ex pacto inito, ut ſibi poſtea, vel alteri reddatur; vel cum reſervatione penſionis non ſibi, ſed alijs ſolvendæ. Excipitur etiam, quando datur aliqnid Notarijs, vel Officialibos Epiſcopi pro litteris dimiſſorijs, quamvis hæc ſimonia ſit tantùm jute humano prohibita, quia in tali caſu incurruntur pœnæ Tridentini *ſeſſ. 21. c. 1. de refor.*

18 Rurſus qui accipit pretium pro re ſpirituali ſimoniacè tantùm, ſed non injuſtè, eò qnia in illa aliquod temporale jus, vel commodum habeat annexum eidem rei ſpirituali, non tenetur is jure naturali, & divino acceptum pretinm reſtituere, niſi vel à jure poſitivo, vel eccleſiaſtico reſtitutio in pœnam imponatur, quia licèt talis venditio illicita ſit, & ſimoniaca, & ipſo jure irrita; nulla tamen in tali contractu committitur injuſtitia, & obligatio reſtituendi jure naturæ ſolùm oritur ex ipſa injuſtitla. Hinc vendens caſtrum, cui eſt adnexum jus patronatus chariori pretio, ratione juris illius ob temporale commodum, quod ſolet tale jus afferre, & quo vendens ſe privat in gratiam alterius; ob honorem humanum pretio æſtimabilem, poteſt retinere pretium acceptum, quia tametſi venditio illa ſit ſimoniaca, & contra teligionem ob jus patronatus quod eſt quid ſpirituale, & in quo fundarur talis honor, non tamen venditio eſt injuſta, ut notat Suarez *lib. 4. de ſimonia c. 39. n. 42.* Hoc idem etiam procedit de eo, qni venderet imaginem miraculoſam, ex qua locrum percipiebat, vel aliud temporale commodum.

Rurſns qui officium temporale eccleſiæ ut 19
Cnſtodis, Oeconomi, Syndici contra ſactos canones alreri vendit, non tenetur pretium reſtituere, ſi non excedat commodum temporale, quo per talem venditionem ſe privat. Item ſi monaſterium pecuniam accepit pro ingreſſu religionis ab aliquo, nec tenetur ad reſlitntionem, quia tametſi admiſſio ad religionem ſit actus ſpiritualis, & pretium pro tali actu non poſſit ſine ſimonia accipi: nihilominus quia habet annexum onus temporale ſuſtentandi per sotnm vitæ tempns eum, qui religionem eſt ingreſſus, poteſt accepta pecunia retineri non in pretium ipſius admiſſionis ad religionem, ſed pro onere ſuſtentandi eum, qui ingreſſus eſt religionem: quod verum eſt, dummodo data pecnnia non excedat æſtimationem oneris temporalis, ut docet Suarez *de ſimonia lib. 4. c. 59. n. 41.* Item qui vendit vaſa ſacra, ne calices argenteos, aureos non tenetur pretium reſtituere, ſi hoc non excedat valorem illius materiæ; alioquin ſi ratione conſecrationis, vel benedictionis pretium aliqnod ſopra valorem materiæ acciperet, teneretur illnd reſtituere, eò quia conſecratio com ſit res purè ſpiritualis, nequit pretio æſtimari.

Item beneficiarins, ſi beneficium ſoum alteri 20
vendat, non tenetur jure naturæ acceptum pretinm reſtituere, eò quia commodum temporale, quòd ex rali beneficio beneficiarius percipiebar, eſt quid pretio æſtimabile, quapropter venditio, qua pro tali commodo accipirur pretium, non eſt injuſta, ſi pretium non excedat æſtimationem emolumenti temporalis, quod beneficiarins percipiebat ex tali beneficio; quamvis talis venditio ſit omninò illicita, eò quia tale commodnm temporale, quod venditur ſit annexum jori ſpirituali, ſeu beneficio, cujus venditio prohibetur, non ſolùm jure eccleſiaſtico, ſed etiam divino.

Non ita eſt dicendum de Prælato, ad quem 21
pertinet beneficia conferre, quia hic, ſi pecuniam pro collatione beneficij acciperet, teneretur ex juſtitia eum reſtituere: ratio eſt, quia temporale emolumentum beneficiorum non pertinet ad collatorem beneficij; neqoe hic dando talia beneficia patitur aliquod damnum temporale, & ex ſuo officio obligatur gratis conferre beneficia.

Secus ex jure divino, & naturali, ſi preti- 22
um ex ſimoniaca venditione ſit injuſtè acceptum, reſtitui debet ante judicis ſententiam ei, à quo emptor rei ſpiritualis accepit: ſiquidem fideles habent jus à Deo ſibi conceſſum recipiendi gratis, & ſine ullo pretio res ſpirituales à miniſtris eccleſiæ, ſi iſti congruam jam habeant ſuſtentationem: quapropter ſi Parochus pro andiendis confeſſionibus, vel miniſtranda Euchariſtia, aut Extrema Unctione pretium exigeret à ſuis parochianis, à quibus jam acciperet congruam ſuſtentationem, teneretur ex vi legis naturalis, & divinæ pretium illnd ſimoniacè, & injuſtè acceptum reſtituere ante judicis ſententiam, nec ſatis eſſer, ſi data pecunia diſtribueretur pauperibus, vel daretur eccleſiæ,

quia

quia pauperes, & eccleſia nullum habent jus ad illud pretium, & ex alio capite reſtitutio eſt actus juſtitiæ, per quam reparatur injuria, ſeu læſio alteri illata, qualis nulla fieret eccleſiæ, vel pauperibus. Tum quia nulla adeſt lex eccleſiaſtica obligans in conſcientia, ut ante omnem judicis ſententiam pretium illud ſimoniacè acceptum impendatur ad pias cauſas, tametſi id à judice decerni poſſit, & poſt judicis ſententiam poſſit pecunia illa eccleſiæ dari, vel pauperibus reſtitui. Quamvis qui dat pretium pro re ſpirituali, mereatur tali pretio privari per ſententiam judicis, non tamen ipſo facto, & ante judicis præceptum illo privatur, quia nulla adduci poteſt lex eccleſiaſtica, virtute cujus privetur dato pretio ante præceptum judicis; & pœnæ injunctæ à lege poſitiva non incurruntur niſi poſt ſententiam condemnatoriam judicis, niſi aliter in jure exprimatur, cujuſmodi ſunt pœnæ illæ, quæ ipſo jure de facto incurruntur ante judicis ſententiam, & in jure exprimuntur, ut excommunicatio, quæ incurritur à publico percuſſore clerici.

23 Si dicas, eum qui pro pretio accepit rem ſpiritualem non teneri eam reſtituere illi, à quo accepit, nec eum qui accepit pecuniam, teneri illam reſtituere eidem, à quo accepit. Contra eſt, quia recipiens rem ſpiritualem pro pecunia non peccat contra juſtitiam, ſicut qui accipit pretium pro re ſpirituali, hic enim tenetur gratis dare, & ideo acceptio pretij eſt injuſta, ac invalida, & ut actus reſtituatur ſuæ æquitati, debet pretium reſtitui eidem, à quo acceperat, alioquin iſte læderetur, ac damnum eidem inferretur, cum careret pecuniâ datâ in pretium rei ſpiritualis, & quæ ad ipſum ſolum pertinet: ſecus acceptio rei ſpiritualis cùm non ſit pretio æſtimabilis, non eſt reſtituenda ei, qui ipſam dedit pro pretio, nec illi fit injuria, ſi non reſtituatur eidem.

24 An verò etiam res ſpiritualis, quæ pro pretio ſimoniacè data fuit, reſtituenda ſit danti? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi enim pretium datum pro re ſpirituali ſit tantùm ſimoniacè acceptum, ſed non injuſtè, tunc communior ſententia eſt, tale pretium non eſſe reſtituendum ante judicis ſententiam, ut nec rem ipſam ſpiritualem pro pretio datam, ut officium eccleſiæ temporale, vel penſio clericalis; quia jure divino talis venditio non eſt irrita, neque aſſignatur jus ullum eccleſiaſticum, quo declaretur invalida, licèt prohibeatur modus acquirendi ut ſimoniacus: unde cum nulla interveniat injuſtitia, ſed ſolùm turpitudo, nulla adeſt obligatio reſtituendi pretium non injuſtè acceptum, quia obligatio reſtituendi oritur ex peccato injuſtitiæ. Quòd ſi pretium ſit ſimul ſimoniacè, & injuſtè acceptum pro ſpirituali functione tranſeunte, ut pro ſacris ordinibus conferendis, pro confeſſionibus audiendis, pro miniſtratione Euchariſtiæ, vel pro collatione alterius ſacramenti, aut conſecratione eccleſiæ; tunc ſimoniacè, & injuſtè acceptum pretium reſtituendum eſt ante judicis ſententiam; ipſa tamen res ſacra cum tranſierit, non poteſt reſtitui, & ipſa collatio ſacramenti n. c. Ordinis, vel Confirmationis, vel Conſecrationis eſt valida, quamvis pro ipſa pretium fuerit ſimoniacè datum.

25 Sin verò res ſpirituales ſint permanentes, & fuerint venditæ non ſolùm ſimoniacè, verùm etiam injuſtè, cujuſmodi ſunt vaſa ſacra, & veſtimenta, & ita fuerint res iſtæ venditæ, ut ſupra æſtimationem materiæ fuerit etiam pretium datum pro ipſa conſecratione, vel benedictione, & in æſtimationem etiam venerint res ipſæ ſpirituales; tunc pretium quoad exceſſum reſpondentem ſpiritualitati reſtitui debet: ſecus ipſæ res neque ex jure divino, & naturæ, neque ex jure eccleſiaſtico reſtituendæ ſunt ante ſententiam judicis, præter beneficia: ſiquidem contractus prout reſpicit ſolum pretium materiæ venditæ eſt validus, quia ad validam tranſlationem rerum ſpiritualium in alium jure divino, ac naturali tantùm in dante requiritur poteſtas, & voluntas transferendi, & in accipiente capacitas, & voluntas acceptandi; hæc enim ex quavis re ſufficiunt ad transferendum dominium, & jus in re.

26 Neque obſtat, quòd pro illa tranſlatione rei ſacræ fuerit aliquid datum, quia tametſi id ſit contra honorem divinum, non propterea adimit collatori poteſtatem conferendi, neque conſtituit incapacem collatarium ad acceptandum. Hinc qui pro pretio emit rem ſacram, ut reliquias Sanctorum, poteſt emens rem illam emptam retinere: quamvis venditor rei ſpiritualis teneatur pretium acceptum reſtituere; eò quia recipiens pretium pro re ſpirituali facit emptori injuriam vendendo id, quod debuerat illi dare ex ſuppoſitione, quod vellet dare: ſecus emptor quamvis pretium offerat, imò etiam det pro re ſpirituali, non facit venditori injuriam, neque accipiendo rem ſpiritualem ab ipſo; cum venditor voluntariè rem ipſe tradat, debet ſibi imputare, ſi teneatur pro re ſpirituali pretio data, idem pretium reſtituere: ratio diſcriminis eſt, quia venditor rei ſacræ cum acceperit pretium pro re, quæ erat gratis danda, læſit juſtitiam, quatenus exegit ab emptore pecuniam, quam non debuiſſet exigere, propterea illi damnum intulit contra juſtitiam: ſecus emptor, qui tantùm accepit rem ſacram, non peccavit contra juſtitiam, nec dando pretium, nec accipiendo rem ſpiritualem: ſed tantùm peccavit contra religionem, eò quia emendo pretio temporali rem ſacram, eam æquiparaverit pretio temporali; & hæc eſt ratio, cur emptor non teneatur ad reſtitutionem rei ſpiritualis acceptæ, & poſſit eam ſibi retinere, quia obligatio ad reſtitutionem tantùm oritur ex peccato contra juſtitiam, non verò contra religionem.

27 An verò, qui pretio temporali emit beneficia eccleſiaſtica per realem ſimoniam utrinque completam, teneatur ea reſtituere? Reſpondetur, non poſſe emptorem talia beneficia retinere, & teneri ea reſtituere unà cum fructibus perceptis etiam ante ſententiam judicis; non tamen de jure divino, vel naturali, ſed tantùm

ex vi juris eccleſiaſticl, ratione cujus talis contractus emptionis, & venditionis eſt ipſo jure irritus; adeò ur beneficium eccleſiaſticum non transferarur inemptorem, licèt pretium ſolverit. Quòd verò jure divino, vel naturali non debeant reſtitui, docent Covarruvias *regul. peccatum p.* 2. §. *3.* Navarrus *c. 23. n. 103.* & alij. Ratio eſt, quia collatio beneficij mediante pretio jure naturali eſt valida, quia in collatore habetur poteſtas, & voluntas transferendi beneficium, & in collatario, ſeu emptore capacitas, & voluntas idem beneficium acceptandi; & hæc duo ſufficiunt ad transferendum dominium, ſeu jus in re; neque obſtat, quòd in tali translatione ſuerit commiſſum peccatum ſimoniæ, quia licèt id verum ſir, non tamen adimit collatori poteſtatem cooferendi, neque reddit collatarium incapacem ad acceptandum. Tum quia per alia peccata homo noo efficitur jure divino incapax beneficij; proinde neque per peccatum ſimoniæ.

28 Quamobrem ſolùm jure erclеſiaſtiro talis venditio eſt irrita, & emptor tenetur reſtituere emptum beneficium unà cum fructibus perceptis etiam ante ſententiam judicis, ut habetur *in extravag. cum deteſtabile 2. h. t.* ubi Paulus II. ait, qui ſimoniacè eligitur, poſtulatur, confirmatur, providetur, ſeu quoquo modo diſponitur in eccleſijs, monaſterijs, dignitatibus perſonalibus, officijs eccleſiaſticis, & quibuscunque beneficijs careat viribus, nec jus acquirat, nec ſaciat fructus ſuos, & ſi quos percepit, reſtituat.

29 Hinc pretium acceptum pro collatione, electione, confirmatione, vel renuntiatione beneficij, ex vi juris eccleſiaſtici reſtitui debet in foro conſcientiæ, etiam ante omnem judicis ſententiam; & deſomitur ex *c. de hoc autem 11. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd temporalia recepta pro præſtando aſſenſu electioni ſimoniacæ ſint reſtituenda, cum ſine gravi ſalutis periculo retineri non poſſint, ſcilicet in foro conſcientiæ; conſequenter etiam quamvis nulla intercedar judicis ſententia: quia Pontiſex loquitur abſolutè non diſtinguendo inter delictum publicum, vel occultum, probatum, vel non probatum: & ratio eſt, quia ipſum jus impedit, ne qui pro collatione, electione, confitmatione, vel renuntiatiooe beneficij pretium accepit, acquirat dominium pretij accepti, ídque in pœnam gravitatis delicti, unde jure ſaltem poſitivo, & tuta coofcientia non poteſt illud retinere: & tunc reſtitutio pretij ſimoniacè accepti, non ipſi danti, ſed eccleſiæ, in qua eſt beneficium, & in cojus injuriam ſimonia commiſſa fuir, dari debet; ut deſumitur *ex d. c. de hoc autem 11. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd ſic inducendus Rex, aut Princeps, ut ſi quid ab Epiſcopo ſimoniacè electo receperir, quo conſentiret in ejus electionem, reſtituat ſine diminutione eccleſiæ Oxomenſi: & ratio etiam id ſuadet, quia qui pecuoiam dedit ex vi contractûs, præſumitur habuiſſe voluntatem abdicandi ſe dominio talis pecuoiæ datæ in pretium ſuæ electionis, illúdque transferendi ad reripientem; ſi cauſa ob quam data eſt, ſecuta ſit; & huic abdicationi eccleſia non reſtitit, quamvis impedierit acquiſitionem dominij in recipiente: ſed in pœnam commiſſi delicti applicavit dominium illius pecuniæ in beneficium illius eccleſiæ, cui fuit injuria illata.

30 Nihilominus plerisque in locis uſus invaluit, ut hujusmodi pecunia diſtribuatur pauperibus ejusdem eccleſiæ, quia nullo textu probari poteſt, quòd ante judicis ſententiam tale pretium ſit eccleſiæ reſtituendum, & non potiùs paupetibus, ſiquidem *in d. c. de hoc autem* illa reſtitutio ſacta eccleſiæ Oxomeoſi fuit puſt ſenteotiam judicis, ſeu poſt reſcriptum Alexandri III.

31 Pretium ſimoniacè acceptum pro collatione Ordinum, & aliorum ſacramentorum, aut ſacramentalium, ſi notabiliter excedat id, quod debetur miniſtro pro congrua ejus ſuſtentatione, reſtituendum eſt, & quidem potiùs ex jure divino, quàm eccleſiaſtico, imò reſtituendum eſt ipſo facto ante ſententiam jodicis, quia in jure eccleſiaſtico nil hac de re reperitur diſpoſitum. Quòd ſi dicas *in c. audrvimus 41. h. t.* haberi, quòd Epiſcopi nil debeant exigere pro inſtitutione in eccleſijs, ner pro ingreſſu alicujus in religionem, nec pro ſepultura mortuorum apud Regulares; eò quia abſtinendum ſit non ſolum a malo, verùm etiam ab omni ſpecie mali; & ſi quid arcipiunr, debeant duplum reſtituere, & illud fideliter convertere in utilitatem loci, cujus diſpendio fuit ſolutum. Contra eſt, quia exinde non ſequitur, pretium ſemper eſſe reſtituendum eccleſiæ, quia *in d. c. audivimus*, ſermo non eſt de omni ſimonia, ſed tantùm de illa, quæ committitur in ioſtitutionibus parochorum, & ingreſſu religionis, & ſepultura apud Regulares, & præcipitur ibi ſperialiter duplicata reſtitotio ob injuſtam exactionem, & extorſiooem Epiſcoporum in illa triplici ſimooia; & ideo Pontifex reſcribit, ut ea pecunia applicetur erclеſijs, locíſque religioſis, in quorum injuriam exactiones illæ factæ fuerunt. Pretium autem temporale datum pro beneficio eccleſiaſtico, vel pro re alia ſpirituali non ſecuta collatione beneficij, vel alterius rei ſpiritualis jure naturæ reſtitui debet ei, à quo acceptum eſt, ut docent Sotus *lib. 9. q. 8. art. 1.* Cajetanus *V. ſimonia. c. 3.* & alij: ratio eſt, quia tunc deeſt titulus, quo poſſit illud retinere cum illud, pro quo datum eſt, non præſtetur; ac proinde reddi debet ei, à quo acceptum fuit, quia jura non jubent alteri dari, quamvis Covarruvias *ad regul. peccatum p. 2. §. 2. n.* 7. cenſeat, eſſe reſtituendum in pios uſus.

32 Sin verò beneficium ſit collatum, & ſimonia utrinque completa, quidam cenſent; acceptum pretium eſſe tunc reſtituendum ante ſententiam judicis ei, qui dedit: & poſt ſententiam judicis, cui judex addixerit, ita docent Sotus *lib. 9. q. 8. a. 1.* Bannez *2. 2. q. 32. a. 7.* & plures alij, quia ante ſententiam judicis, qui dedit pretium, non amiſit ejus dominium,

quod

quod non tranſtulit in venditorem rei ſpiritualis, quia hic ex vi juris factus fuit incapax talis dominij recipiendi eo titulo: & qui pretium dedit non præſumitur à ſe abdicare dominium alio titulo, quàm per translationem in venditorem, & cum in hunc non ſit translatum, eò quia jure ſit incapax recipiendi tale dominium; manet hoc adhuc apud emptorem, cui propterea debet reſtitui.

33 Neque obſtat, ſi dicas; eccleſiam privâſſe emptorem dominio talis pretij ob injuriam quam intulit eccleſiæ. Reſpondetur; hujusmodi privationem dominij eſſe inductam per legem pœnalem, quæ ante ſententiam judicis, non ita re ſua alium privat, ut ejus dominium amittat. Nihilominus licèt hæc ſententia probabilis ſit.

34 Contraria tamen ſententia, quæ docet ante ſententiam judicis pretium illud eſſe reſtituendum eccleſiæ, cui illata fuit injuria, videtur probabilior, & eam docent fere communiter Thomiſtæ cum D. Thoma 2. 2. *q. 32. a. 7.* ubi expreſsè ait, pretium ſimoniacum non eſſe reſtituendum danti, ſed in eleemoſynas erogandum; ſcilicet eccleſiæ, vel pauperibus ejusdem, ut paulò ſuperiùs diximus, & Covarruvias *ad regul. peccatum p.* 2. §. 2. *n. 7.* aſſerit, hanc eſſe communem Doctorum ſententiam, & etiam deſumitur *ex c. de hoc 11. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, eſſe inducendos Reges, & Principes, ut ſi quid acceperint ab Epiſcopo ſimoniacè electo pro conſenſu in ejus electionem, reſtituant ſine diminutione eccleſiæ; & Pontifex loquitur in foro conſcientiæ. Neque obſtat, quòd pœna non dicatur deberi ante ſententiam judicis: quia id tantùm verum eſt de pœnis, quæ in jure non excipiuntur: attamen poſſet reſpondèri, non eſſe pœnam, quòd ille teneatur dare eccleſiæ rem, quæ ſua non eſt, vel expendere in pios uſus; ſed eſſe ſimplex præceptum: quia cum non poſſit eam retinere, non debet illi grave obtingere, ſi debeat illam tali modo expendere. Cæterum utraque ſententia probabilis eſt, ſuósque habet propugnatores.

§. XIX.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, an ſimonia debeat eſſe evidens, & certa, ut quis in foro conſcientiæ ſit ſimoniacus, & incurrat pœnas in jure ſimoniacis injunctas, & præſertim illam, quam impoſuit Pius IV. in ſua conſtitutione, cui initium eſt *In ſublimi*, ubi Pontifex ait: ſimoniacum teneri in foro conſcientiæ dimittere beneficium ſimoniacè obtentum absque ulla prævia declaratione, & quod non poſſit abſolvi à magno Pœnitentiario, niſi promittat tale beneficium ſimoniacè obtentum dimittere. Reſpondetur ad has pœnas incurrendas in foro conſcientiæ debere ſimoniam eſſe evidentem, & certam ex pacto, quo in foro conſcientiæ ſolet res certificari. Ratio eſt, quia quoties agitur de ſimonia in foro externo, non ſolùm quando cauſa eſt criminalis, ſed etiam civilis, debet tunc de ſimonia evidenter, & indubitatè conſtare, ut communiter docent cum Gloſſa *in c. veniens 1. de teſtibus*, & ita cenſuit Rota Romana *deciſ. 108. n. 1. p. 1. recent.* & fusè Farinacius *conſil 75. n. 4. lib. 1.* ergo etiam in foro interno, ſeu conſcientiæ debet ſimonia eſſe evidens, & indubitata, ut quis damnetur ut ſimoniacus, & incurrat pœnas contra ſimoniacos: ſiquidem non magis facilè debet quis damnari in foro conſcientiæ, quàm damnetur in foro externo, unde ſicut delictum debet eſſe certum, & evidens, ut punitio in foro externo ſit juſta, ita etiam debet eſſe ſimonia certa, & indubitata in foro interno, quia juſtitia eſt eadem in ordine ad utrumque forum internum, & externum, unde in utroque ſemper requiritur idem gradus certitudinis, & evidentiæ.

2 Hinc ſi ſimonia fuerit dubia, non poteſt quis de ipſa damnari, quia ſuper re dubia non poteſt certa ſententia ferri *c. grave 11. q. 3. c. judicantem 30. q. 5. c. habuiſſe. diſt. 33.* & *illud quæſitum inſtit. de rer. diviſ.* ut enim ſententia ſit certa, debet habere fundamentum proportionatum: res autem incerta non proportionatur cum certa, quia certum non fundatur in incerto: & quia damnatio, & punitio eſt vel maximè certa, debet aliquis eſſe abſolutè reus; ideò fit non poſſe damnari aliquem de ſimonia, quin hæc fuerit certa, & evidens, idque tam in foro externo, quàm in foro conſcientiæ, cum in utroque foro juſtitia ſit eadem. Hinc quando quæritur, an aliqua actio ſit ſimoniaca, & utriuque adeſt opinio probabilis, quòd non ſit, non tenetur quis ſe habere pro ſimoniaco, nec ſubire pœnas in jure injunctas, quia opinio utrinque probabilis id operatur, ut pro neutra parte ſit certa, & evidens, quia probabilitas non ſtat cum certitudine oppoſita circa eundem actum, & ſublata certitudine juris tollitur etiam certitudo facti, unde quamvis conſtet de facto, ſi non conſtet de qualitate ipſius, nimirum quòd factum ſit ſimoniacum, nequit ſuper illo certa ſententia ferri.

3 Quæritur ſecundò, an in ſimonia detur parvitas materiæ, quæ excuſet à peccato gravi? Reſpondetur, duas eſſe in hac quæſtione ſententias, prima affirmat, quam defendunt Reginaldus *tom. 2. prax. fori pœnitential. lib. 23. c. 15. n. 219.* Riccius *tom. 2. deciſ. curiæ Epiſc. Neapol. deciſ. 28. n. 7.* Molina *tom. 1. tract. 2. diſp. 92. n. 5.* & alij, qui nituntur eo fundamento, quia materia ſacra, ſi in modiciſſima fuerit quantitate, non videtur ſecum trahere graviſſimam culpam: ſiquidem etiam intra latitudinem religionis, dantur peccata, quæ ob parvitatem materiæ tantùm ſunt venialia. Secunda ſententia eſt negantia, eiq; adhærendum, & eam propugnant Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. c. 3. n. 5.* Paſqualigus *deciſ. moral. deciſ. 478. n. 2.* Layman *lib. 4. tract. 10. c. 8. n. 4.* Molfeſius *tom. 1. ſum tract. 8. c. 8. n. 67.* Diana *de ſimonia tract. 7. reſol. 2.* Palaus *p. 1. tractat. 2. diſp. 2. punct. 7. n. 4.*

Ra-

tantæ ſit efficaciæ, ut virtute ipſos poſſit debitum coram judice tepeti.

12 Rurſus ſimoniam conventionalem mixtam probabilius eſt. pœnas juris non inducere, quia eccleſia ſuis legibus non punit alia opera, quàm quæ ſunt in ſuo genere completa, & perfecta; & cum ſimonia conventionalis mixta non ſit perfecta, eò quia non ſit ex utraque parte completa, non cenſetur inducere pœnas juris, niſi ſit ſimonia confidentialis, unde nulla ſimonia conventionalis ea excepta, quæ confidentia dicitur, inducit ipſo facto pœnas juris poſitivi, adeò ut ſimonia, in qua datum eſt jam pretium, ſed nondum tradita res ſpiritualis non inducat pœnas juris, imò nec etiam ea, in qua res ſpiritualis eſt tradita; ſed pretium nondum perſolutum, quia ex ſtylo Curiæ Romanæ non cenſentur hujuſmodi pœnæ incurſæ niſi per ſimoniam realem utrinque completam; & ratio eſt, quia pœnæ eccleſiaſticæ excommunicationis, & ſuſpenſionis non incurruntur, niſi actio prohibita ſit completa, ut docent Cajetanus *V. excommunicatio in princ.* Sylveſt. *V. pœna q. 5.* & actio ſimoniæ non completur, niſi res ſpiritualis fuerit data, & pretium temporale pro eadem re ſpirituali acceptum, unde ſi res ſpiritualia tantùm data ſit, & nondum pretium temporale ſolutum; nondum incurruntur pœnæ juris, donec ſolvatur pretium, & tunc ſimonia retrotrahitur ad tempus rei ſpiritualis collatæ. Neq; ſimonia conventionalis fit completa realiter per Chirographum datum ab altera parte contrahentium de ſolvendo pretio promiſſo, quia exhibitio chirographi non eſt ſolutio pecuniæ; ſine qua non poteſt conſiſtere emptio, & quia ibi non eſt ſimonia, ubi deeſt emptio; ſequitur per chirographum contrahentium non compleri ſimoniam conventionalem, ſed per dationem rei ſpiritualis ex una parte, & per ſolutionem pretij temporalis ex altera.

13 Renuntiare tamen beneficium eccleſiaſticum cum pacto de re aliqua facienda, vel amittenda, quæ jure non ineſt, licèt ſit ſimonia, non tamen talis pactio, licèt ſimoniaca inducit pœnas juris, quia ut notat Sylveſter *V. ſimonia q. 19.* nulla ſimonia pœnas juris ipſo facto inducit, niſi in Ordine, beneficijs, & ingreſſu religionis: ratio eſt, quia eccleſia prædictis pœnis alios non punit, quàm qui propriè ſunt ſimoniaci mediante traditione pretij pro re ſpirituali: id autem non contingit, quando ſimonia eſt tantùm talis jure eccleſiaſtico; unde conventiones reciprocæ circa ſpiritualia quamvis ſint ſimoniacæ, non tamen pœnas juris inducunt, ut nec etiam has pœnas incurrunt, qui officia eccleſiaſtica ſibi pretio comparant, eò quia officia eccleſiaſtica propriè non ſunt beneficia, & in pœnalibus verba ſumi debent in ſua propria notione; adeò ut lex pœnalis potiùs reſtringenda ſit, quàm amplianda. Neque pœnas juris ipſo facto incurrunt, qui ſua beneficia propria authoritate permutant: quia non habetur tunc ſimonia propriè ſumpta, cum non detur temporale pro ſpirituali, proinde pœnæ contra ſimoniacos non ſunt extendendæ ad ſimoniam impropriè ſumptam. Nihilominus ita permutantes propria authoritate beneficia ex decreto Innocentij III. privantur beneficijs, in quibus facta eſt permutatio, ut habetur *in c. cum olim 7. de rer. permutat.* Verùm id communiter intelligitur poſt ſententiam declaratoriam judicis, quæ neceſſaria non eſt, ubi reperitur ſimonia propriè dicta.

Ex hactenus dictis juxta probabiles Doctorum ſententias, colligitur primò, nullam ſimoniam inducere pœnas juris ipſo facto niſi in Ordine, beneficijs, & religionis ingreſſu, adeò ut ſi quis in alijs ſacramentis conferendis, vel ſuſcipiendis in conſecrationibus, benedictionibus, diſpenſationibus, in penſione vendenda, vel emenda, aut redimenda ſimoniam committat, graviter quidem peccet, non tamen contrahat pœnam excommunicationis, ſuſpenſionis, aut inhabilitatis. 14

Secundò, ſimoniam mentalem, quæ ſine externo aliquo contractu tacito, vel expreſſo committitur in Ordine, beneficijs, & ingreſſu religionis, nullas inducere pœnas juris: quinimò plures docere, non poſſe eccleſiam ſimoniam internam, quæ nullo modo in opus externum prodit, punire, eò quia juriſdictio eccleſiæ ſolùm ad opera externa præcipienda, & vetanda, ac punienda ſe extendat. Quòd tamen indiget diſtinctione, quia ſi opus internum ſit connexum cum externo, quod ſubjicitur juriſdictioni eccleſiæ, ſicut hæc judicat directè de externo, ita etiam indirectè de interno. 15

Tertiò, nec ſimoniam conventionalem, excepta confidentiali, inducere ipſo facto pœnas juris poſitivi. 16

Quartò, ſecundùm aliquos, nec ſimoniam realem obligare ad reſtituendum ſpirituale ſimoniacè acceptum præterquam beneficium. 17

Quintò, ſimoniam præter excommunicationem in Ordine, & beneficijs, & ſuſpenſionem in Ordine in ſupradictis caſibus obligare quidem ad reſtituendum temporale ſimoniacè acceptum etiam ante ſententiam, ſed ex probabili opinione ante ſententiam judicis, ſufficere, ſi reſtitutio fiat ei, à quo acceptum eſt. 18

Sextò, ſimoniam confidentialem ipſo facto inducere quidem excommunicationem, non tamen inhabilitatem ad beneficia (nec privationem beneficij niſi eadem ſimonia ſimul etiam realis ſit) in foro tamen conſcientiæ non inducere ipſo facto; ſed tantùm in foro exteriori, proinde poſt ſententiam declaratoriam criminis. 19

Septimò, hoc etiam procedere de ſimonia, quæ committitur etiam in electione Papæ, & in examine ad parœcias. 20

Octavò, electionem Papæ quamvis per ſimoniam factam dummodo à duabus tertijs partibus Cardinalium legitimè facta ſit, non eſſe ipſo facto irritam. Hæc omnia ut probabilia docent plures Doctores. 21

(†)

§. XVII.

§. XVII.

De Diſpenſatione pœnarum, quæ in jure ſtatuuntur contra ſimoniacos.

1 Diſpenſatio juxta præſens inſtitutum ſomitor pro prodiga juris relaxatione, & definitur *Relaxatio rigoris juris canonicè facta per eum, ad quem ſpectat*, & deſumitur *ex c. niſi rigor 1. q. 7.* unde quæritur quiſnam poſſit canonicè relaxare pœnas juris contra ſimoniacos, Non loquimur de diſpenſatione ſimoniæ in ordine ad culpam, quia certum eſt, in hac diſpenſare non poſſe ullam humanam poteſtatem, ſi ſimonia ſit contra jus naturale, & divinum, quia in lege divina, & naturali nullus homo poteſt diſpenſare, alioquin inferior poſſet immutare leges ſuperioris, & eſſet, & non eſſet inferior. Quod ſi ſimonia ſit tantùm contra jus eccleſiaſticum, adeò ut ab eccleſia tantùm prohibeatur, tunc ſolus Papa poteſt diſpenſare, non verò alius Prælatus inferior, niſi ex commiſſione expreſſa, vel tacita ipſius ſumi Pontificis: ratio eſt, quia nullus inferior poteſt per ſe diſpenſare in lege ſuperioris: Pontifex verò quando dicitur diſpenſare in ſimonia, non ita debet id intelligi, ut manente ſimonia tollatur culpa, quia cum ipſa ſimonia ſit culpa, non poteſt manere, quin etiam maneat culpa: ſed ita intelligitur, ut emptio, & venditio, quæ ſi obligatio legis vigeret, ſimoniaca foret, ſublata obligatione legis non ſit ampliùs ſimoniaca, & contractus emptionis, & venditionis ſit licitus.

2 Non tamen ſolet Pontifex diſpenſare etiam in ſimonia contra jus humanum: quia id ferè nunquam videtur expedire, & quando expedit dare temporale aliquid pro ſpirituali, non eſt neceſsè, ut id fiat per modum pretij, ſed poteſt alio titulo præſertim eleemoſynæ, gratitudinis, congruæ ſuſtentationis providere. Tum quia non eſt utile eccleſiæ diſpenſare in ſimonia poſitiva, ſiquidem non expedit, ut res eccleſiæ venales fiant.

3 Quæſtio igitur procedit de ſola diſpenſatione quoad pœnas ſimoniæ, ſeu de earundem relaxatione, quæ diſpenſatio ſolùm locum habet in ſimonia Ordinis, beneficiorum, & ingreſſus religionis: & reſpondetur ab excommunicatione lata contra ſimoniam commiſſam in Ordine, beneficijs eccleſiaſticis, & ingreſſu religionis quoad perſonas ſingulares dantes, vel accipientes pecunias, ſolùm Papam poſſe abſolvere tam dantes, quàm recipientes ſimoniacè Ordinem, & beneficium eccleſiaſticum, idque deſumitur *ex extravag. ſanè 1. h. t.* ubi Urbanus IV. prohibens, ne quid recipiatur, nec petatur, vel exigatur directè, vel indirectè pro ingreſſu religionis, poſtea ſubdit: contravenientes, ſi ſint ſingulares perſonæ, ſunt excommunicati excommunicatione reſervata Papæ: ſi ſit capitulum, vel conventus eſt ſuſpenſus eo ipſo, nec poteſt abſolvi niſi à Papa. Hoc idem etiam habetur de ſimonia Ordinis, & beneficij *in extravag. cum deteſtabile 2. h. t.* ubi Paolus II. renovat omnes pœnas canonum contra ſimoniacos, etiam ſi ſint Cardinales, & addit: qui ſunt ſimoniacè ordinati, ſunt etiam ſuſpenſi ab executione ſuorum Ordinum. Rurſus qui ſimoniacè eligitur poſtulatur, confirmatur, providetur, vel quovis alio modo diſponitur in eccleſijs, monaſterijs, dignitatibus perſonalibus, officijs eccleſiaſticis, & quibuscunque beneficijs careat viribus, nec jus acquirat, nec faciat fructus ſuos, & ſi quos percepit, teneatur reſtituere. Qui in præmiſſis committunt ſimoniam dando, vel recipiendo, vel ſunt Mediatores, ſunt excommunicati, nec poſſunt abſolvi niſi à Papa. Nihilominus poſſunt ab hac excommunicatione abſolvere poteſtate delegata etiam ij, qui habent Bullam; ſeu privilegia à ſede Apoſtolica, in quibus conceditur poteſtas abſolvendi à caſibus Papæ reſervatis niſi ſpeciatim, & expreſsè excipiatur excommunicatio, quæ incurritur ob ſimoniam, ut docet Soarez *lib. 4. de ſimonia c. 61. n. 4.*

4 In pœna itidem ſuſpenſionis, quæ incurritur propter ſimoniam commiſſam in ordine, etiam ſolus Papa poteſt diſpenſare. Cùm enim is, qui ſimoniacè ordinatus eſt, ſit ſuſpenſus ab executione Ordinis ſimoniacè ſuſcepti, non poteſt ab hac pœna ab alio abſolvi, ſeo liberari niſi à ſolo Pontifice, ut habetur *ex c. ult. h. t.* Qui verò Ordinem ſimoniacè contulit, is etiam ſuſpenſus manet à collatione ordinum, nec pœna hæc ab alio poteſt relaxari, quàm à ſummo Pontifice, & deſumitur ex *eod. cap. mandato ult. h. t.* ubi habetur: quòd quando Papa mandat alicui, ut diſpenſet cum Monachis, qui per ſimoniam dato aliquo ſunt recepti in monaſterio juxta *c. quoniam 40. h. t.* intelligitur mandatum extendi ad diſpenſandum cum Abbate, qui eum ſimoniacè recepit, ex quo colligitur, quòd ſolus Pontifex poſſit in hac ſuſpenſione incurſa propter ſimoniam diſpenſare. Alij tamen procedunt cum diſtinctione de ſuſpenſione, quam incurrit ſimoniacus in ordine: vel enim ſcienter ordinatur ſimoniacè, & tunc dicunt, quòd ſi crimen ſit occultum, poſſit Epiſcopus diſpenſare, ſin verò publicum ſolus Papa. Idque videtur etiam deſumi ex Tridentino *ſeſſ. 24. c. 6 de reformat.* ubi ſtatuitur, quòd poſſit Epiſcopus diſpenſare, ſi delictum ſit occultum.

5 Sed in contrarium habetur motus proprius Sixti V. contra malè ordinatos, ubi Pontifex prohibet, ne Epiſcopus poſſit diſpenſare etiam quoad Ordines ritè ſuſceptos. Quando verò ignoranter quis ordinatur ſimoniacè, eò quia alius ſive amicus, ſive conſanguineus eo inſcio, qui ad Ordinem promovetur, pecunias dedit, tunc quia ſuperiùs diximus, ignoranter ſic ordinatom non incurrere ſuſpenſionem, eò quia cum ſine culpa fuerit ordinatus ratione ignorantiæ, non indiget abſolutione à pœna, quia hæc non incurritur niſi ex præſuppoſita culpa.

6 In contraria verò ſententia Doctores procedunt cum diſtinctione, & dicunt, quòd ſi delictum ſit publicum, ſolus Papa diſpenſat: ſin

verò

verò occultum etiam Epiſcopus *arg. c. ex tua, 20. h. t.* & docet Hoſtienſis *in c. de ſimoniacè 12. h. t.* ubi dicitur: ut cum his qui ſimoniacè ſunt ordinati ipſis tantùm neſcientibus poſſit Epiſcopus diſpenſare, ut remaneant in ſuis ordinibus, quia non ſunt ſimoniaci. Verùm quia in hoc textu Alexander III. loquitur indiſtinctè, ideò veriùs alij cenſent, in utroque caſu poſſe Epiſcopum diſpenſare cum ignoranter ordinato, ſive delictum ſit occultum, ſive publicum.

7 Quando verò ſimonia committitur in beneficio, videtur eſſe non modica difficultas, quis poſſit diſpenſare, ut talis ſimoniacus poſſit habere beneficium. Communior ſententia aſſerit, Epiſcopum non poſſe tunc diſpenſare, eò quia delictum eſt ita enorme, & Epiſcopus ſimoniacus talem contraxit turpitudinem, ut indignum ſe conſtituerit, ut ipſe diſpenſet, ſed diſpenſare poteſt ſucceſſor, vel ſuperior: idq; etiam probari ſolet ex *c. veniens de filijs Presbyt. & c. diverſis de cleric. conjug.* ubi habetur, quòd Epiſcopus, qui ſcienter contulit beneficium conjugato, vel ejus filio, qui illud immediatè obtinuit, non poteſt illud ab eo auferre, ſecus ſi ignoranter, ut docent Hoſtienſis in *c. ſimoniacè 12. n. 7. in fin. h. t.* & cum ipſo Innocentius *ibid.* Henriquez tamen *lib. 13. de excommun. c. 32. in fin.* docet, poſſe Epiſcopum cum paupere diſpenſare, ut retineat beneficium, quod ſimoniacè accepit, eum habilitando ad tale beneficium, & denuò conferendo in foro conſcientiæ eidem beneficium: & nititur, quia ſicut Epiſcopus poteſt cum paupere diſpenſare in matrimonio jam contracto cum impedimento dirimente; ita etiam infert, poſſe Epiſcopum in foro conſcientiæ habilitare occultum ſimoniacum, ac denuò eidem conferre beneficium; eò quia ex nullo textu colligi poſſit, hanc diſpenſationem ſuper inhabilitate eſſe reſervatam ſoli Papæ; niſi in ſimonia confidentiali.

8 Verùm in hac quæſtione procedendum eſt cum diſtinctione, ſi beneficium per ſimoniam ignoranter acceptum ſit ſimplex, & cognitâ ſimoniâ beneficiatius ſpontè renuntiet; tunc poteſt Epiſcopus diſpenſare ſuper contracta inhabilitate, & poſtea idem beneficium eidem conferre, ut colligitur *ex c. penult. de elect.* & docent Butrius *in d. c. penult. n. 7.* Imola *ibid. n. 1.* Hoſtienſis, & Panormitanus *n. 7. in eod. cap.* Innocentius *in c. de ſimoniacè 12. n. 2. h. t.* Navarrus *lib. 5. conſil. tit. 3. de ſimonia.* Sylveſter *V. ſimonia q. 8. dict. 5.* immo Navarrus *in noviſ. conſil. 97. & 61. n. 5.* aſſerit, poſſe Epiſcopum diſpenſare, licèt beneficium illud ſit canonicatus eccleſiæ cathedralis; eò quia canonicatus non ſit dignitas: ubi juvat adnotare, quòd quando ſermo eſt de beneficio habito ſimoniacè ignoranter, non intelligitur, quando ipſe Beneficiarius committit ſimoniam, ignorans eſſe talem; ſed quando alij commiſerunt ipſo inſcio: aliqui tamen limitant, niſi poſtea ratum habeat, quia retrotrahitur ratihabitio, & judicandum eſt, ac ſi ab initio ſciret.

Verior tamen ſententia cum Sylveſtro *V. ſimonia q. 8. dict. 5.* aſſerit, poſſe Epiſcopum diſpenſare, tametſi poſtea ratum habeat, eò quia revera in receptione beneficij, vel Ordinis non fuit ſimoniacus ratione ignorantiæ, quæ excuſavit à culpa, conſequenter etiam à pœna incurrenda. Sin autem beneficium ſimoniacè collatum, & per ignorantiam bona fide acceptum ſit Prælatura, vel dignitas, vel beneficium curatum, & majus, non poteſt cum illo Epiſcopus diſpenſare. Si tamen beneficiatius cognitâ ſimoniâ ſpontè renuntiat; docent omnes, in alia vacatione poſſe Epiſcopum diſpenſare, ut illudmet habeat: ratio eſt, quia *in c. penult. de elect.* ſolùm negatur Epiſcopo facultas pro ea vice, ſeu in illa vacatione diſpenſandi: & vitium poſtea purgatur per intermediam perſonam: ſiquidem ſi immediatè ille obtineret tale beneficium, videretur promotio vitioſa ex proximitate vitij, quia quæ incontinenti fiunt, videntur ineſſe *c. officij de elect.* Secus ſi beneficium ſit ſimplex. Item ſi Beneficiarius, qui ignoranter per ſimoniam tale beneficium accepit, ſpontè eidem non renuntiat, ſed expectat ſententiam judicis illum beneficio privantis, conveniunt omnes, quòd in alia vacatione poſſit Epiſcopus diſpenſare, ut illud beneficium obtineat, quia *in c. penult. de elect.* tantùm negatur pro illa vice Epiſcopo facultas diſpenſandi. 9

Hinc intelligitur, quod habetur *in c. nobis 27. §. ult. h. t.* ubi Cœleſtinus III. reſcribit, quòd ſimoniacè electus ipſo inſcio Epiſcopus non poſſit cum ipſo diſpenſare, eò quia propter ſimoniam fuerit reprobatus, ut notat Innocentius ibi: ubi tres expoſitiones ſolent afferri præfati textùs. Prima eſt, quando electus ſimoniam commiſit, vel alius eo ſciente, vel ratum habente, tunc dicunt, non poſſe Epiſcopum cum tali diſpenſare. 10

Secunda expoſitio eſt, ſi inſcio electo ſimonia commiſſa fuerit ab alijs, & tunc etiam dicunt, Epiſcopum non poſſe diſpenſare, ut iterum eadem vice eligatur ad eandem prælationem; poſſe tamen Epiſcopum diſpenſare, ut poſſit pro alia vice eligi ad idem beneficium. 11

Tertia ſi ſimoniacè electus condemnatus ſit per ſententiam: tunc aſſerunt, non poſſe Epiſcopum cum illo diſpenſare, non ſolùm propter criminis enormitatem, verùm etiam, quia crimen factum fuit notorium per ſententiam. 12

Sin autem ſciens recipiat per ſimoniam beneficium curatum, cui ſtatim ſpontè renuntiet; poteſt tunc Epiſcopus diſpenſare, ut in alia eccleſia, vel etiam in eadem obtineat alia beneficia: non ita ut obtineat idemmet beneficium, quod reſignavit, quia ſolus Papa poteſt cum habilitare ad idem beneficium, idque evincitur à contrario ſenſu *ex c. penult. de elect.* ubi ſolùm Epiſcopo permittitur, ut poſſit diſpenſare cum eo, qui ignoranter per ſimoniam accepit beneficium curatum, cui poſtea ſpontè renuntiavit; & non quidem pro illa vice, ſed in alia vacatione, & ita docent Panormitanus *in c. de ſimo-* 13

ſimoniacè 22. n. 6. h. t. Innocentius *ibid. n. 7.* Sylveſter *V. ſuſpenſio q. 2. dict. 4.* & alij aſſignantes diſcrimen, cur Epiſcopus poſſit diſpenſare, ut in alia eccleſia habeat beneficia, & miniſtret in ordinibus ſuſceptis; non ita in eadem eccleſia, quia in hac tantùm poteſt miniſtrare in ordinibus, nec poteſt ad ſuperiores aſcendere, eò quia cum beneficium, quod ſimoniacè accepit, ad hanc eccleſiam pertinuerit, eidem injuriam intulit, proinde indignus ſe conſtituit, ut in eadem promoveatur. Verùm docentes hanc ſententism ſuppnnunt,ſimnniacum in beneficio eſſe inhabilem ad alia: & contrarium probabiliter docent alij, ut ſi ſemel abſolvatur ab excommunicatione, non indigeat diſpenſatione ad obtinendum quodcunque aliud beneficium excepto ſimoniacè adepto, vel in alia, vel in eadem eccleſia.

14 Ruríos ſupponunt,ſimoniacum in beneficio eſſe ſuſpenſum, proinde indigere diſpenſatione ad miniſtrandum in ſuſceptis, vel ad aſcendendum ad ſuperiores ordines:& tamen multorum ſententia probabilis eſt, non incurrere talem ſuſpenſionem, conſequenter neque indigere diſpenſatione ad miniſtrandum in ordinibus ſuſceptis; vel ad aſcendendum ad ſuperiores,

15 Quòd verò ad pœnam attinet inhabilitatis ad obtinenda alia beneficia, ſolet communiter hæc regula tradi, ſi enim ſimoniscus in beneficio voluntariè, & ſpontè ceſſignet beneficium ſimoniacè acquiſitum,antequam per ſententiam judicis declaratoriam condemnetur, poteſt Epiſcopus cum illo diſpenſare ad alia beneficia obtinenda: non its ſi antequam renuntiet beneficio ſimoniacè ſuſcepto, condemnetur de ſimonia per ſententiam declaratoriam judicis, tunc enim beneficio priùs obtento privatur, & deſumitur *ex c. 1. q. 5.* ubi permittitur diſpenſari cum talibus, ſi omnia dimittant beneficia ſimoniacè obtenta, iiſque ſpontè ante ſententiam judicis renuntient: quia mitiùs proceditur cùm eo, quem delicti pœnitet, & ſtatim reſipiſcit, renuntiátque ſpontè beneficio ſimoniacè ſuſcepto, quàm cum convicto de crimine poſt ſententiam judicis declaratoriam, quia ita condemnatus fit perpetuò infamis infamiâ juris, cum quo Epiſcopus non diſpenſat; niſi in caſibus in jure expreſſis, ut notatur *in c. cum te, de ſent. & re judic.* Supponit tamen hæc ſententia, ſimoniacum ipſo jure ante omnem ſententiam judicis fieri inhabilem ad nova beneficia obtinenda, proinde ante condemnationem indigere diſpenſatione, quod tamen à multis non conceditur, eò quia inhabilitas non contrahitur ante ſententism judicis.

16 Cæterum qui ſimoniacè adeptus eſt beneficium, ut poſſit diſpenſationem obtinere, neceſsè eſt, quòd ſi idem beneficium velit, quòd ſcienter ſimoniacè obtinuerat, illius faciat expreſſam mentionem, & in libello ſupplici dicat, ſe antea ſcienter illud beneficium ſimoniacè obtinuiſſe: id autem non eſt neceſsè in ordine ad alia obtinenda beneficia. Rurſus qui ſimoniacè obtinuit beneficium, ut canonicatum etiam ignoranter, ſi poſtea diſpenſetur cum eo ad eundem canonicatum, amittit locum, quem antea habebat in capitulo, & ut recèns promotus ad canonicatum ultimum locum occupat: quia is antea tenebatur renuntiare canonicatui ſimoniacè obtento; & per renuntiationem vacavit *c. ex inſinuatione 26. h. t.* ubi Clemens III. reſcribit: Qui ipſo inſcio ſimoniacè eſt promotus ad canonicatum, vel aliud beneficium; deinde re cognitâ renuntiat canonicatui in manus ſuperioris; & ſuperior, vel capitulum ei compatiens de novo illum eligit ad eundem canonicatum propter ultimam electionem, obtinebit ultimum locum in choro, & in alijs officijs, & ipſe nihil poterit prætendere, vel ſibi vendicare ratione primæ electionis. Notat tamen Gloſſa, debere hanc ſimoniam eſſe mediante pacto inito, ut habet *in c. tua nos 34. h. t.* ubi dicitur, quòd ſi clericus cum pacto, vel conditione dat, ſeu offert eccleſiæ ſua bona, ut recipiatur in canonicum, & eadem bona habeat pro præbenda, eſt ſimonia; ſecus ſi ſine pacto, vel conditione offerat eadem bona; habetur etiam *in c. ult. de pact.* Id autem intelligendum eſt, quando ipſe canonicus renuntiavit canonicatui.

17 Rurſus ſi ipſo ſciente ſimoniacè acquiſivit canonicatum, Epiſcopus non poteſt diſpenſare, ſed ſolus Papa *c. nobis 27. h. t.* ubi Cœleſtinus III. reſcribit, electionem ſimoniacam alicuius ipſo inſcio ab alijs commiſſam eſſe reprobandam, niſi conſtaret, ipſum malitioſè commiſiſſe ſimoniam in fraudem eligendi. Rurſus addit Cœleſtinus, non poſſe Epiſcopum diſpenſare cum ſimoniacè electo, & propter ſimoniam reprobato. Sin autem ſimoniacè fuit canonicatum ignoranter adeptus, & obtineat à Papa revalidationem, tunc manet in eodem loco, quem antea habebat in capitulo, & choro, quia non deſinit eſſe canonicus.

18 Quòd ſi, qui recipit beneficium ſimoniacè ignoranter, petat à Pontifice compoſitionem circa fructus receptos, & revalidationem tituli, ſi Pontifex reſpondeat concedendo compoſitionem: *at circa beneficium nec aufero, nec confero*, tunc talis non poteſt beneficium obtinere, quia indigebat nova tituli revalidatione, ut notat Navarr. *lib. 5. conſil. de ſimonia conſ. 73.* Cæterum quòd dicitur de Epiſcopo, qui non poſſit diſpenſare quoad pœnas, & cenſuras latas contra ſimoniacos id limitandum eſt, quoad excommunicationem, & ſuſpenſionem, quæ incurruntur propter ſimoniam occultam: ad hanc enim extenditur facultas conceſſa Epiſcopis à Cancilio Tridentinn *ſeſſ. 24. c. 6. de reformat.* diſpenſandi in caſibus occultis, qui ad forum contentioſum non deducuntur:eo enim ipſo, quòd ibi non excipitur occulta ſimonia, intelligitur comprehenſa ſub generali diſpoſitione. Hoc tamen non procedit de inhabilitate ad obtinenda beneficia, quia ad illa non extenditur hæc facultas conceſſa Epiſcopis,quia non tam eſt irregularitas, quàm particularis pœna: & à Concilio non conceditur generalis facultas Epiſcopis diſpenſandi in omnibus pœnis Papæ reſervatis.

§. XVIII.

De reſtitutione eorum, quæ per ſimoniam accepta ſunt.

1 CErtum eſt, eum, qui pretium accepit pro re aliqua ſpirituali, quæ erat gratis conferenda, teneri jure divino ad reſtitutionem ejusdem pretij temporalis, eò quia per ſuſceptionem talis pretij non ſolùm læſerit virtutem religionis, verùm etiam juſtitiam commutativam: quo pacto etiam judex, ſi pro juſta ſententia ferenda pretium exigeret, teneretur ad reſtitutionem, ut etiam Parochus, cui aſſignata eſt congrua ſuſtentatio, teneretur reſtituere pretium, quod accepit pro adminiſtratione ſacramentorum. An verò hoc pretium ſimoniacè acceptum, ſit jure divino, vel humano reſtituendum, non videtur ita certum, plures cenſent, hanc obligationem reſtituendi pretium temporale acceptum pro re ſpirituali, non eſſe de jure divino, ita Covarruvias *ad regul. peccatum p. 2. §. 8.* Sylveſter *V. ſimonia q. 20. in princ.* Cajetanus *in ſumma V. ſimonia c. 3. ſub. fin.* Navarrus *c. 23. n. 3. & ſequent.* ubi hanc ſententiam vocat communem Canoniſtarum, & Theologorum usque ad ſuum tempus.

2 Rationes, quibus hæc ſententia nititur, ſunt. Primò quia pretium acceptum per ſimoniam mentalem non eſt jure divino reſtituendum, proinde neque acceptum per ſimoniam externam, ſiquidem eodem titulo pretium accipit ſimoniacus externus, quo internus; parum enim refert, an id verbis exprimat, vel ſola mente retineat. Quòd verò per ſimoniam mentalem acceptum pretium non ſit jure divino reſtituendum, deſumitur *ex c. mandato 46. & ult. h. t.* ubi Gregorius IX. conſultus à ſuo Legato, an Monachi ſimoniacè recepti; qui pretium dederant, & Abbates, qui receperant, teneantur ad reſtitutionem, & reſignationem acceptorum, reſcribit, *Ad reſignationem ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi utrinque taliter acquiruntur, eos pro ſimonia ejusmodi non teneri.* Hinc colligitur, accepta per ſimoniam mentalem non eſſe reſtituenda, adeò ut ſimoniaci interni non teneantur ad reſtitutionem temporalem acceptorum pro ſpirituali, nec ſpiritualium acceptorum pro temporalibus. Pontifex autem eatenus dicit, eos non teneri, quia jure divino, & naturali non obligantur; & jus eccleſiaſticum in ſimonia purè mentali locum non habet, quia ſicut eccleſia non judicat de purè internis, ita neque punit ſimoniam purè internam.

3 Secundò, quia ſi jure divino accepta per ſimoniam mentalem eſſent reſtituenda, Pontifex non poſſet diſpenſare in retentione pretij, quod tamen eſt contra praxim, & liquet *ex extravag. ſanè 1. h. t.* ubi Urbanus IV. diſpenſat, ut retineantur accepta pro ingreſſu religionis.

4 Tertiò, quia exigens pretium pro re ſpirituali, quam ex officio non tenebatur ei conferre, non facit illi injuriam, quia is, cui datur, non habebat jus illam gratis exigendi à dante; ſed injuria fit tantùm Deo, & rei ſpirituali.

5 Probabilior tamen ſententia eſt, ſimoniacum jure divino teneri ad reſtitutionem pretij, ut docent Sotus *lib. 9. q. 8. art. 1.* Henricus *quodlibet 6. q. 26.* Joannes Medina *q. 4. de uſur. reſtit. §. ideo videtur.* Verùm diſtinguendum eſt inter res ſpirituales, quæ ſine incommodo collatoris conferuntur; & alia, quæ nonniſi cum incommodo, & diſpendio collatoris. Certum eſt, eum qui confert aliquid ſpirituale absque ullo ſuo incommodo, & cui ſpirituali non eſt annexum commodum temporale, ſi pro tali collatione pretium accipiat jure divino teneri ad reſtitutionem pretij, niſi putetur gratis donatum, vel ſic adeò tenue, ut non excedat rationabile ſtipendium ſuſtentationis: adeò ut, qui pro miniſtratione ſacramentorum, & ſacramentalium pretium recipit, jure divino teneatur ad reſtitutionem; ſiquidem hujusmodi res ſpirituales non habent annexum quidquam temporale, ratione cujus poſſint cenſeri pretio temporali æſtimabiles, vel tanti, ac tanti valere, quapropter naturâ ſuâ exigunt, ut gratis diſpenſentur.

6 Tum quia fideles habent ad illas jus divinitùs ſibi conceſſum, ut à miniſtris eccleſiæ poſſint ea exigere; neque ad aliud tenentur, quàm ad ſuſtentationem miniſtrorum, quapropter, ſi miniſtri pretium aliquod temporale ſupra eorum propriam congruam ſuſtentationem exigant, tenentur illud idem jure divino reſtituere, quia ſi miniſtri diſpenſantes res has ſpirituales non habent jus niſi ad alimenta, ſintque tantùm diſpenſatores, non Domini; ſequitur, eos per acceptum pretium, non tantùm rei ſpirituali, ac Deo inferre injuriam, verùm etiam contra proximum injuſtitiam committere, cùm pretium ab ipſo exigant de ijs, quæ ſunt eidem gratis conferenda: ſi enim fideles, ut ſibi miniſtrentur ſacramenta, & ſacramentalia jure naturæ tenentur tantùm ſuppeditare congruam ſuſtentationem ijsdem miniſtris, injuria fit illis, ſi quid plus ab ijsdem exigatur: quapropter jure naturæ, & divino eſt reſtituendum. Præterea res ſpirituales omnes ſuperant pretium temporale, eò quia non detur proportio, proinde ſive pretium acceptum ſit tenue, ſive magnum, ſemper jure divino Miniſter eccleſiaſticus tenetur illud reſtituere, & qui pretium illud dedit, poteſt idem repetere ut injuſtè exactum, ſi alia ratio non ſuppetat illud recuperandi.

7 Quòd ſi dicas, poſſe dari caſum, ut Parochus baptizet hominem ex alia parochia, & pro tali baptiſmo ſuſcipiat quatuor aureos: tunc cum Miniſter non teneretur baptiſmum conferre homini alterius parochiæ ex juſtitia, non videtur feciſſe illi injuriam, ſi pro miniſtratione baptiſmi petijt illos quatuor aureos: eatenus miniſter juſtitiam læderet, quia teneretur ex juſtitia miniſtrare baptiſmum tali homini: & ex juſtitia non tenetur, quia Parochus tantùm ex juſtitia tenetur miniſtrare ſa-

ſacra-

cramenta morantibus in diſtrictu ſuæ parochiæ.

8 Sed contra quia tametſi parochus in tali caſu non teneatur ex juſtitia conferre baptiſmum homini alterius parochiæ, ſi tamen velit ei ſacramentum conferre, tenetur ex juſtitia non exigere quidquam ſupra ſtipendium propriæ ſuſtentationis, non enim miniſter habet ullum jus ad quid amplius.

9 Si dicas, urgente extrema neceſſitate non teneri habentem panes ex juſtitia eos dare alijs ſine pretio, ſi habeant, quod ſolvere poſſint, neque qui pretium exigit, infert ipſis ullam injuriam, ſi juſtum tantùm pretium exigat: ergo etiam Parochus non facit homini extraneo injuriam, ſi illos aureos exigat pro baptiſmo, quia pretium temporale nunquam poteſt excedere valorem baptiſmi.

10 Contra eſt, negatur paritas, quia catenus habens panes etiam urgente neceſſitate, non tenetur eos gratis dare, ſi qui panes recipiunt, habeant, quo poſſint ſolvere pretium, quia panes ſunt res natura ſua vendibiles, & ex recepto hominum uſu habent taxatum pretium, quod propterea poteſt exigi ab eo, cui dat panes etiam urgente neceſſitate, quia ipſe exigit pretium rei, quam dat, ab illis, qui rem illam accipiunt, & poſſunt commodè pretium ſolvere: at ſacramenta non ſunt pretio temporali vendibilia, proinde miniſter ſupra propriam congruam ſuſtentationem non poteſt pro ijsdem miniſtrandis pretium temporale exigere.

11 Si dicas, ſolventem pretium pro ſacramento illud ſolvere voluntariè, ac transferre dominium; tametſi libentiùs haberet gratis, nihilominus omnibus penſatis vult abſolutè pecuniam illam ſolvere: cum ex alio capite non teneatur miniſter ex juſtitia ei ſacramentum conferre; & hoc longè pluris valeat, quàm quod voluntariè dat illud ſuſcipiens.

12 Reſpondetur hoc voluntarium eſſe per injuriam extortum, conſequenter non ita transferre dominium, quin datum pretium poſſit repeti, quinimò miniſter, qui pretium exigit, tenetur ſpontè illud reſtituere, cum per injuriam illud extorſerit. Præterea falſum eſt, quòd transferatur dominium, quia ſolvens pretium non intendit illud gratis donare; ſed tantùm ſolvere, quatenus alter illud exigit, quòd ſi illud non exigeret, non daret; quia non præſumitur cedere juri ſuo, quod habet, nec dare miniſtro plus juris, quàm habeat, proinde cùm dominium non transferatur niſi conſentiente dante pretium, & in præſenti non præſumatur conſenſus; neque ſupponitur translatio ulla dominij: ſicut ſolvens uſuras non transfert dominium, tametſi ſolvat pecuniam, quia non intendit dare uſurario plus juris, quàm ei debeatur, & ſicut hic deeſt titulus, ut ſolvantur uſuræ; ita etiam in miniſtratione ſacramenti deeſt jus ad pretium exigendum.

13 Sin verò rei ſpirituali ſit annexum commodum aliquod temporale, quo dans ſpirituale ſe privat, tunc ſi pro temporali commodo annexo pretium accipiat, non tenetur hoc jure divino reſtituere, idque deſumitur *ex c. mandato 46. & ult. h. t.* ubi Gregorius IX. mandat alicui, ut diſpenſet cum Monachis, qui per ſimoniam dato aliquo, ſunt recepti in monaſterium, & quia admiſſio in religionem conjunctum habet commodum alimentorum per totam vitam, quod eſt pretio æſtimabile apud omnes; ſi tamen hoc pretium ſit judicio prudentis viri exceſſivum, ille exceſſus jure divino eſt reſtituendus, non ita pretium infra exceſſum, quia alimenta per totam vitam ſunt aliquod commodum temporale, tametſi annexum ſtatui religioſo, ſeu rei ſpirituali: & pro tali commodo, ſi pretium accipiatur, quod non ſit exceſſivum jure divino, non eſt reſtituendum, quia datur pretium temporale pro commodo temporali: ita ſi conferens beneficium, quod habet annexum commodum temporale, ſi pro tali commodo aliquid exigat, non tenetur illud jure divino, & naturali reſtituere; ut ſi quis Canonicatum, vel Decanatum venderet exigens pretium pro commodo temporali, quod dat venditor: verùm quia tale commodum eſt annexum beneficio ſpirituali jure eccleſiaſtico, non poteſt vendi, neque collator exigere pretium.

Præterea ſi quis in gratiam alterius privet ſe aliqua re ſpirituali, & pro incommodo, quod inde patitur, compenſationem temporalem exigat, non tenetur jure divino eam reſtituere, ſi incommodum, quod patitur, ſit temporale, quia hoc damnum per ſe eſt pretio æſtimabile, proinde nulla fit injuria alteri, ſi pro eo compenſatio exigatur. Hoc idem etiam procedit de re quavis alia ſpirituali, ex cujus privatione incommodum temporale in honore, vel fortunis obvenit. Sin verò res ſpiritualis nullum ſecum habeat annexum commodum, ſed ex ejus privatione triſtitiam patiatur, qui illam confert, ut ſi quis pro reliquijs ſanctorum exigat ab alio pretium, eò quia ſe privet ijsdem reliquijs, tunc cenſent aliqui probabile itidem eſſe non teneri, qui pretium accepit jure divino illud reſtituere, eò quia illa privatio eſt ipſi aliquod incommodum, ſicut poſſeſſio erat eidem commoda, ſaltem ob ſatisfactionem, & gaudium, quod percipiebat ex reliquijs illis à ſe poſſeſſis; unde privatio talis poſſeſſionis, eſt ipſi gravis, & moleſta, proinde ſi pro ipſa pretium exigit, non videtur teneri jure divino illud reſtituere; quia alius non habet jus, ut ſua cauſa teneatur privari tali poſſeſſione reliquiarum; proinde non facit ei injuriam, ſi compenſationem exigat temporalem. 14

Quamobrem ſolùm jure eccleſiaſtico tenetur reſtituere, eò quia non ſolùm prohibitum ſit vendere res ſpirituales; ſed etiam alias ijsdem annexas: hinc nunquam licitum eſt, reliquias vendere, quia id eſſet contra reverentiam debitam ſanctitati reliquiarum: ſiquidem pretio humano æſtimarentur, non tamen fit injuria illi, è quo pretium exigitur, quia hic non habet jus, ut ſibi gratis dentur. 15

Cæterum an ſimonia realis completa ſolo tamen jure eccleſiaſtico prohibita ſubjaceat reſtitutioni, non videtur ita certum, quia Do- 16

ctores diverſimodè ſentiunt. Plures affirmant, inter quos Malderus *in 2. 2. tractat. 9. c. 3. dub. 18. §. 3.* Navarrus *in c. ſi quando de reſcript. 4. in fin.* Alij verò inter quos Reginaldus *tom. 2. lib. 23. c. 12. n. 184.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 2. c. 3. dub. 108.* doceut, pœnas ſimoniæ non incurri, neque reſtitutionem in caſu, qoo adeſt tantùm ſimonia juris poſitivi, & humani, ut cum quis dicit: *reſigno tibi meum beneficium, ut tu renuntios mihi tuum*, quæ ſimonia, quia tantùm eſt dejure eccleſiaſtico, & poſitivo, non incurrit pœnas juris, tametſi permutatio beneficiorum facta fuerit propria authoritate inter beneficiarios: doceat enim in tali caſu peccare graviter ita commutantes beneficia ſine authoritate Papæ, & talem commutationem eſſe ſimoniacam jure eccleſiaſtico, non tamen incurrere pœnas juris, nec commutaates eſſe excommunicatos, neque teneri ad reſtitotionem beaeficiorum ipſo jure, idque probat Sanchez *ex extravag. cum deteſtabilo 2. h. t.* ubi Paulus II. ſic incipit, *cum ſcelus ſimoniacæ pravitatis tam divinorum, quàm ſacrorum canonum authòritas abhorreat:* ex quo iafert, Pontificem loqui de ſimoaia divino ſimul, & canoaico jure reprobáta, quia præfatio legis dat iatellectum toti legi, & ex ipſa regulatur, & cauſam finalem accipit, ut docent communiter cum Molina Juriſta *de primogen. lib. 1. c. 5. n. 3.*

17 Excipitur tamen ſimonia confidentialis, quia hæc obnoxia eſt pœnis, quamvis aliquando ſit tantùm jure humano prohibita, ut cum quis renuntiat beneficio ex pacto inito, ut ſibi poſtea, vel alteri reddatur; vel cum reſervatione peaſionis non ſibi, ſed alijs ſolvendæ. Excipitur etiam, quando datur aliquid Notarijs, vel Officialibus Epiſcopi pro litteris dimiſſorijs, quamvis hæc ſimonia ſic tantùm jure humano prohibita, quia in tali caſu incurruntur pœnæ Tridentini *ſeſſ. 21. c. 1. de refor.*

18 Rurſus qui accipit pretium pro re ſpirituali ſimoniacè tantùm, ſed non injuſtè, eò quia in illa aliquod temporale jus, vel commodum habeat annexom eidem rei ſpirituali, non tenetur is jure naturali, & diviao acceptum pretium reſtituere, niſi vel à jure poſitivo, vel eccleſiaſtico reſtitutio in pœnam imponatur, quia licèt talis venditio illicita ſit, & ſimoniaca, & ipſo jure irrita; nulla tamen in tali contractu committitur injuſtitia, & obligatio reſtituendi jure naturæ ſolùm oritur ex ipſa injuſtitia. Hinc vendens caſtrum, cui eſt adaexum jus patronatus chariori pretio, ratione juris illius ob temporale commodum, quod ſolet tale jus afferre, & quo vendens ſe privat in gratiam alterius; ob honorem humanum pretio æſtimabilem, poteſt retinere pretium acceptum, quia tametſi venditio illa ſit ſimoniaca, & contra religionem ob jus patronatus quod eſt quid ſpirituale, & in quo fundatur talis honor, non tamen venditio eſt injuſta, ut notat Suarez *lib. 4. de ſimonia c. 59. n. 42.* Hoc idem etiam procedit de eo, qui venderet imaginem miraculoſam, ex qua locrum percipiebat, vel aliod temporale commodum.

Rurſos qui officium temporale eccleſiæ ut 19
Cuſtodis, Oeconomi, Syndici contra ſacros canones alteri vendit, non tenetor pretium reſtituere, ſi non excedat commodum temporale, quo per talem venditionem ſe privat. Item ſi monaſterium pecuniam accepit pro ingreſſu religionis ab aliquo, nec tenetur ad reſlitutionem, qoia tametſi admiſſio ad religionem ſit actus ſpiritualis, & pretium pro tali actu non poſſit ſine ſimonia accipi: nihilominus quia habet annexum onus temporale ſuſtentaudi per totum vitæ tempus eom, qui religionem eſt ingreſſus, poteſt accepta pecunia retineri non in pretium ipſius admiſſionis ad religionem, ſed pro oaere ſuſtentandi eum, qui ingreſſus eſt religioaem: quod verum eſt, dummodo data pecuaia non excedat æſtimationem oneris temporalis, ut docet Suarez *de ſimonia lib. 4. c. 59. n. 41.* Item qui vendit vaſa ſacra, ut calices argeateos, aureos non tenetur pretium reſtituere, ſi hoc non excedat valorem illius materiæ; alioquin ſi ratione conſecrationis, vel benedictionis pretium aliquod ſupra valorem materiæ acciperet, teneretur illud reſtituere, eò quia conſecratio cum ſit res purè ſpiritualis, nequit pretio æſtimari.

Item beneficiarius, ſi beneficium ſuum alteri 20
vendat, non tenetur jure naturæ acceptum pretium reſtituere, eò quia commodom temporale, quòd ex tali beneficio beneficiarios percipiebat, eſt quid pretio æſtimabile, quapropter venditio, qua pro tali commodo accipitur pretium, non eſt injuſta, ſi pretium non excedat æſtimarionem emolumenti temporalis, quod beneficiarios percipiebat ex tali beneficio; quamvis talis venditio ſit omninò illicita, eò quia tale commodum temporale, quod venditur ſit annexum juri ſpirituali, ſeu beneficio, cujus venditio prohibetur, non ſolùm jure eccleſiaſtico, ſed etiam divino.

Non ita eſt dicendum de Prælato, ad quem 21
pertinet beneficia conferre, quia hic, ſi pecuniam pro collatione beneficij acciperet, teneretur ex joſtitia eam reſtituere: ratio eſt, qoia temporale emolumentum beneficiorum non pertinet ad collatorem beneficij; neque hic dando talia beneficia patitor aliqood damnum temporale, & ex ſoo officio obligatur gratis conferre beneficia.

Secus ex jure divino, & naturali, ſi preti- 22
um ex ſimoniaca venditione ſic injuſtè acceptum, reſtitui debet ante judicis ſententiam ei, à quo emptor rei ſpiritualis accepit: ſiquidem fideles habent jus à Deo ſibi conceſſum recipiendi gratis, & ſine ullo pretio res ſpirituales à miniſtris eccleſiæ, ſi iſti congruam jam habeant ſuſtentationem: quapropter ſi Parochus pro audiendis confeſſionibos, vel miniſtranda Euchariſtia, aut Extrema Unctione pretium exigeret à ſuis parochianis, à qoibus jam acciperet congruam ſuſtentationem, teneretur ex vi legis naroralis, & divinæ pretium illud ſimoniacè, & injuſtè acceptum reſtituere ante judicis ſenrenriam, nec ſatis eſſet, ſi data pecunia diſtriboeretur pauper ibus, vel daretur eccleſiæ,

quis

quia pauperes, & eccleſia nullum habent jus ad illud pretium, & ex alio capite reſtitutio eſt actus juſtitiæ, per quam reparatur injuria, ſeu læſio alteri illata, qualis nulla fieret eccleſiæ, vel pauperibus. Tum quia nulla adeſt lex eccleſiaſtica obligans in conſcientia, ut ante omnem judicis ſententiam pretium illud ſimoniacè acceptum impendatur ad pias cauſas, tametſi id à judice decerni poſſit, & poſt judicis ſententiam poſſit pecunia illa eccleſiæ dari, vel pauperibus reſtitui. Quamvis qui dat pretium pro re ſpirituali, mereatur tali pretio privari per ſententiam judicis, non tamen ipſo facto, & ante judicis præceptum illo privatur, quia nulla adduci poteſt lex eccleſiaſtica, virtute cujus privetur dato pretio ante præceptum judicis; & pœnæ injunctæ à lege poſitiva non incurruntur niſi poſt ſententiam condemnatoriam judicis, niſi aliter in jure exprimatur, cujusmodi ſunt pœnæ illæ, quæ ipſo jure de facto incurruntur ante judicis ſententiam, & in jure exprimuntur, ut excommunicatio, quæ incurritur à publico percuſſore clerici.

23 Si dicas, eum qui pro pretio accepit rem ſpiritualem non teneri eam reſtituere illi, à quo accepit, nec eum qui accepit pecuniam, teneri illam reſtituere eidem, à quo accepit. Contra eſt, quia recipiens rem ſpiritualem pro pecunia non peccat contra juſtitiam, ſicut qui accipit pretium pro re ſpirituali, hic enim tenetur gratis dare, & ideo acceptio pretij eſt injuſta, ac invalida, & ut actus reſtituatur ſuæ æquitati, debet pretium reſtitui eidem, à quo acceperat, alioquin iſte læderetur, ac damnum eidem inferretur, cum careret pecuniâ datâ in pretium rei ſpiritualis, & quæ ad ipſum ſolum pertinet: ſecus acceptio rei ſpiritualis cùm non ſit pretio æſtimabilis, non eſt reſtituenda ei, qui ipſam dedit pro pretio, nec illi fit injuria, ſi non reſtituatur eidem.

24 An verò etiam res ſpiritualis, quæ pro pretio ſimoniacè data fuit, reſtituenda ſit danti? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi enim pretium datum pro re ſpirituali ſit tantùm ſimoniacè acceptum, ſed non injuſtè, tunc communior ſententia eſt, tale pretium non eſſe reſtituendum ante judicis ſententiam, ut nec rem ipſam ſpiritualem pro pretio datam, ut officium eccleſiæ temporale, vel penſio clericalis; quia jure divino talis venditio non eſt irrita, neque aſſignatur jus ullum eccleſiaſticum, quo declaretur invalida, licèt prohibeatur modus acquirendi ut ſimoniacus: unde cum nulla interveniat injuſtitia, ſed ſolùm turpitudo, nulla adeſt obligatio reſtituendi pretium non injuſtè acceptum, quia obligatio reſtituendi oritur ex peccato injuſtitiæ. Quòd ſi pretium ſit ſimul ſimoniacè, & injuſtè acceptum pro ſpirituali functione transeunte, ut pro ſacris ordinibus conferendis, pro confeſſionibus audiendis, pro miniſtratione Euchariſtiæ, vel pro collatione alterius ſacramenti, aut conſecratione eccleſiæ; tunc ſimoniacè, & injuſtè acceptum pretium reſtituendum eſt ante judicis ſententiam; ipſa tamen res ſacra cum tranſierit, non poteſt reſtitui, & ipſa collatio ſacramenti n. c. Ordinis, vel Confirmationis, vel Conſecrationis eſt valida, quamvis pro ipſa pretium fuerit ſimoniacè datum.

25 Sin verò res ſpirituales ſint permanentes, & fuerint venditæ non ſolùm ſimoniacè, verùm etiam injuſtè, cujusmodi ſunt vaſa ſacra, & veſtimenta, & ita fuerint res iſtæ venditæ, ut ſupra æſtimationem materiæ fuerit etiam pretium datum pro ipſa conſecratione, vel benedictione, & in æſtimationem etiam venerint res ipſæ ſpirituales; tunc pretium quoad exceſſum reſpondentem ſpiritualitati reſtitui debet: ſecus ipſæ res neque ex jure divino, & naturæ, neque ex jure eccleſiaſtico reſtituendæ ſunt ante ſententiam judicis, præter beneficia: ſiquidem contractus prout reſpicit ſolum pretium materiæ venditæ eſt validus, quia ad validam tranſlationem rerum ſpiritualium in alium jure divino, ac naturali tantùm in dante requiritur poteſtas, & voluntas transferendi, & in accipiente capacitas, & voluntas acceptandi; hæc enim ex quavis re ſufficiunt ad transferendum dominium, & jus in re.

26 Neque obſtat, quòd pro illa translatione rei ſacræ fuerit aliquid datum, quia tametſi id ſit contra honorem divinum, non propterea adimit collatori poteſtatem conferendi, neque conſtituit incapacem collatarium ad acceptandum. Hinc qui pro pretio emit rem ſacram, ut reliquias Sanctorum, poteſt emens rem illam emptam retinere: quamvis venditor rei ſpiritualis teneatur pretium acceptum reſtituere; eò quia recipiens pretium pro re ſpirituali facit emptori injuriam vendendo id, quod debuerat illi dare ex ſuppoſitione, quod vellet dare: ſecus emptor quamvis pretium offerat, imò etiam det pro re ſpirituali, non facit venditori injuriam, neque accipiendo rem ſpiritualem ab ipſo; cum venditor voluntariè rem ipſi tradat, debet ſibi imputare, ſi teneatur pro re ſpirituali pretio data, idem pretium reſtituere: ratio diſcriminis eſt, quia venditor rei ſacræ cum acceperit pretium pro re, quæ erat gratis danda, læſit juſtitiam, quatenus exegit ab emptore pecuniam, quam non debuiſſet exigere, propterea illi damnum intulit contra juſtitiam: ſecus emptor, qui tantùm accepit rem ſacram, non peccavit contra juſtitiam, nec dando pretium, nec accipiendo rem ſpiritualem: ſed tantùm peccavit contra religionem, eò quia emendo pretio temporali rem ſacram, eam æquiparaverit pretio temporali; & hæc eſt ratio, cur emptor non teneatur ad reſtitutionem rei ſpiritualis acceptæ, & poſſit eam ſibi retinere, quia obligatio ad reſtitutionem tantùm oritur ex peccato contra juſtitiam, non verò contra religionem.

27 An verò, qui pretio temporali emit beneficia eccleſiaſtica per realem ſimoniam utrinque completam, teneatur ea reſtituere? Reſpondetur, non poſſe emptorem talia beneficia retinere, & teneri ea reſtituere unà cum fructibus perceptis etiam ante ſententiam judicis; non tamen de jure divino, vel naturali, ſed tantùm

ex vi juris eccleſiaſtici, ratione cujus talis contractus emptionis, & venditionis eſt ipſo jure irritus; adeò ut beneficium eccleſiaſticum non transferatur in emptorem, licèt pretium ſolverit. Quòd verò jure divino, vel naturali non debeant reſtitui, docent Covarruvias *regul. peccatum p. 2. §. 3.* Navarrus *c. 23. n. 103.* & alij. Ratio eſt, quia collatio beneficij mediante pretio jure naturali eſt valida, quia in collatore habetur poteſtas, & voluntas transferendi beneficium, & in collatario, ſeu emptore capacitas, & voluntas idem beneficium acceptandi; & hæc duo ſufficiunt ad transferendum dominium, ſeu jus in re; neque obſtat, quòd in tali translatione fuerit commiſſum peccatum ſimoniæ, quia licèt id verum ſit, non tamen adimit collatori poteſtatem conferendi, neque reddit collatarium incapacem ad acceptandum. Tum quia per alia peccata homo non efficitur jure divino incapax beneficij; proinde neque per peccatum ſimoniæ.

28 Quamobrem ſolùm jure eccleſiaſtico talis venditio eſt irrita, & emptor tenetur reſtituere emptum beneficium unà cum fructibus perceptis etiam ante ſententiam judicis, ut habetur *in extravag. cum deteſtabile 2. h. t.* ubi Paulus II. ait, qui ſimoniacè eligitur, poſtulatur, confirmatur, providetur, ſeu quoquo modo diſponitur in eccleſijs, monaſterijs, dignitatibus perſonalibus, officijs eccleſiaſticis, & quibuscunque beneficijs careat viribus, nec jus acquirat, nec faciat fructus ſuos, & ſi quos percepit, reſtituat.

29 Hinc pretium acceptum pro collatione, electione, confirmatione, vel renuntiatione beneficij, ex vi juris eccleſiaſtici reſtitui debet in foro conſcientiæ, etiam ante omnem judicis ſententiam; & deſumitur ex *c. de hoc autem 11. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd temporalia recepta pro præſtando aſſenſu electioni ſimoniacæ ſint reſtituenda, cum ſine gravi ſalutis periculo retineri non poſſint, ſcilicet in foro conſcientiæ; conſequenter etiam quamvis nulla intercedat judicis ſententia: quia Pontifex loquitur abſolutè non diſtinguendo inter delictum publicum, vel occultum, probatum, vel non probatum: & ratio eſt, quia ipſum jus impedit, ne qui pro collatione, electione, confirmatione, vel renuntiatione beneficij pretium accepit, acquirat dominium pretij accepti, ídque in pœnam gravitatis delicti, unde jure ſaltem poſitivo, & tuta conſcientia non poteſt illud retinere: & tunc reſtitutio pretij ſimoniacè accepti, non ipſi danti, ſed eccleſiæ, in qua eſt beneficium, & in cujus injuriam ſimonia commiſſa fuit, dari debet; ut deſumitur *ex d. c. de hoc autem 11. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd ſit inducendus Rex, aut Princeps, ut ſi quid ab Epiſcopo ſimoniacè electo receperit, quo conſentiret in ejus electionem, reſtituat ſine diminutione eccleſiæ Oxomenſi: & ratio etiam id ſuadet, quia qui pecuniam dedit ex vi contractûs, præſumitur habuiſſe voluntatem abdicandi ſe dominio talis pecuniæ datæ in pretium ſuæ electionis, illúdque transferendi ad recipientem; ſi cauſa ob quam data eſt, ſecuta ſit; & huic abdicationi eccleſia non reſtitit, quamvis impedierit acquiſitionem dominij in recipiente: ſed in pœnam commiſſi delicti applicavit dominium illius pecuniæ in beneficium illius eccleſiæ, cui fuit injuria illata.

30 Nihilominus pleriſque in locis uſus invaluit, ut hujuſmodi pecunia diſtribuatur pauperibus ejuſdem eccleſiæ, quia nullo textu probari poteſt, quòd ante judicis ſententiam tale pretium ſit eccleſiæ reſtituendum, & non potiùs pauperibus, ſiquidem *in d. c. de hoc autem* illa reſtitutio facta eccleſiæ Oxomenſi fuit poſt ſententiam judicis, ſeu poſt reſcriptum Alexandri III.

31 Pretium ſimoniacè acceptum pro collatione Ordinum, & aliorum ſacramentorum, aut ſacramentalium, ſi notabiliter excedat id, quod debetur miniſtro pro congrua ejus ſuſtentatione, reſtituendum eſt, & quidem potiùs ex jure divino, quàm eccleſiaſtico, imò reſtituendum eſt ipſo facto ante ſententiam judicis, quia in jure eccleſiaſtico nil hac de re reperitur diſpoſitum. Quòd ſi dicas *in c. audivimus 41. h. t.* haberi, quòd Epiſcopi nil debeant exigere pro inſtitutione in eccleſijs, nec pro ingreſſu alicujus in religionem, nec pro ſepultura mortuorum apud Regulares; eò quia abſtinendum ſit non ſolum à malo, verùm etiam ab omni ſpecie mali; & ſi quid accipiunt, debeant duplum reſtituere, & illud fideliter convertere in utilitatem loci, cujus diſpendio fuit ſolutum. Contra eſt, quia exinde non ſequitur, pretium ſemper eſſe reſtituendum eccleſiæ, quia *in d. c. audivimus*, ſermo non eſt de omni ſimonia, ſed tantùm de illa, quæ committitur in inſtitutionibus parochorum, & ingreſſu religionis, & ſepultura apud Regulares, & præcipitur ibi ſpecialiter duplicata reſtitutio ob injuſtam exactionem, & extorſionem Epiſcoporum in illa triplici ſimonia; & ideo Pontifex reſcribit, ut ea pecunia applicetur eccleſijs, locisque religioſis, in quorum injuriam exactiones illæ factæ fuerunt. Pretium autem temporale datum pro beneficio eccleſiaſtico, vel pro re alia ſpirituali non ſecuta collatione beneficij, vel alterius rei ſpiritualis jure naturæ reſtitui debet ei, à quo acceptum eſt, ut docent Sotus *lib. 9. q. 8. art. 1.* Cajetanus *V. ſimonia. c. 3.* & alij: ratio eſt, quia tunc deeſt titulus, quo poſſit illud retinere cum illud, pro quo datum eſt, non præſtetur; ac proinde reddi debet ei, à quo acceptum fuit, quia jura non jubent alteri dari, quamvis Covarruvias *ad regul. peccatum p. 2. §. 2. n. 7.* cenſeat, eſſe reſtituendum in pios uſus.

32 Sin verò beneficium ſit collatum, & ſimonia utrinque completa; quidam cenſent; acceptum pretium eſſe tunc reſtituendum ante ſententiam judicis ei, qui dedit: & poſt ſententiam judicis, cui judex addixerit, ita docent Sotus *lib. 9. q. 8. a. 1.* Bannez *2. 2. q. 32. a. 7.* & plures alij, quia ante ſententiam judicis, qui dedit pretium, non amiſit ejus dominium,

quod

by Google

quod non tranſtulit in venditorem rei ſpiritualis, quia hic ex vi juris factus fuit incapax talis dominij recipiendi eo titulo: & qui pretium dedit non præſumitur à ſe abdicare dominium alio titulo, quàm per translationem in venditorem, & cum in hunc non ſit translatum, eò quia jure ſit incapax recipiendi tale dominium; manet hoc adhuc apud emptorem, cui propterea debet reſtitui.

33 Neque obſtat, ſi dicas; eccleſiam privâſſe emptorem dominio talis pretij ob injuriam quam intulit eccleſiæ. Reſpondetur; hujusmodi privationem dominij eſſe inductam per legem pœnalem, quæ ante ſententiam judicis, non ita re ſua alium privat, ut ejus dominium amittat. Nihilominus licèt hæc ſententia probabilis ſit.

34 Contraria tamen ſententia, quæ docet ante ſententiam judicis pretium illud eſſe reſtituendum eccleſiæ, cui illata fuit injuria, videtur probabilior, & eam docent fere communiter Thomiſtæ cum D. Thoma *2. 2. q. 32. a. 7.* ubi expreſsè ait, pretium ſimoniacum non eſſe reſtituendum danti, ſed in eleemoſynas erogandum; ſcilicet eccleſiæ, vel pauperibus ejusdem, ut paulò ſuperiùs diximus, & Covarruvias *ad regul. peccatum p. 2. §. 2. n. 7.* aſſerit, hanc eſſe communem Doctorum ſententiam, & etiam deſumitur *ex c. de hoc 11. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, eſſe inducendos Reges, & Principes, ut ſi quid acceperint ab Epiſcopo ſimoniacè electo pro conſenſu in ejus electionem, reſtituant ſine diminutione eccleſiæ; & Pontifex loquitur in foro conſcientiæ. Neque obſtat, quòd pœna non dicatur deberi ante ſententiam judicis: quia id tantùm verum eſt de pœnis, quæ in jure non exprimuntur: attamen poſſet reſponderi, non eſſe pœnam, quòd ille teneatur dare eccleſiæ rem, quæ ſua non eſt, vel expendere in pios uſus; ſed eſſe ſimplex præceptum: quia cum non poſſit eam retinere, non debet illi grave obtingere, ſi debeat illam tali modo expendere. Cæterum utraque ſententia probabilis eſt, ſuósque habet propugnatores.

§. XIX.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 Quæritur primò, an ſimonia debeat eſſe evidens, & certa, ut quis in foro conſcientiæ ſit ſimoniacus, & incurrat pœnas in jure ſimoniacis injunctas, & præſertim illam, quam impoſuit Pius IV. in ſua conſtitutione, cui initium eſt *In ſublimi*, ubi Pontifex ait: ſimoniacum teneri in foro conſcientiæ dimittere beneficium ſimoniacè obtentum absque ulla prævia declaratione, & quod non poſſit abſolvi à magno Pœnitentiario, niſi promittat tale beneficium ſimoniacè obtentum dimittere. Reſpondetur ad has pœnas incurrendas in foro conſcientiæ debere ſimoniam eſſe evidentem, & certam eo pacto, quo in foro conſcientiæ ſolet res certificari. Ratio eſt, quia quoties agitur de ſimonia in foro externo, non ſolùm quando cauſa eſt criminalis, ſed etiam civilis, debet tunc de ſimonia evidenter, & indubitatè conſtare, ut communiter docent cum Gloſſa *in c. veniens 1. de teſtibus*, & ita cenſuit Rota Romana *decіſ. 108. n. 1. p. 1. recent.* & fusè Farinacius *conſil. 75. n. 4. lib. 1.* ergo etiam in foro interno, ſeu conſcientiæ debet ſimonia eſſe evidens, & indubitata, ut quis damnetur ut ſimoniacus, & incurrat pœnas contra ſimoniacos: ſiquidem non magis facilè debet quis damnari in foro conſcientiæ, quàm damnetur in foro externo, unde ſicut delictum debet eſſe certum, & evidens, ut punitio in foro externo ſit juſta, ita etiam debet eſſe ſimonia certa, & indubitata in foro interno, quia juſtitia eſt eadem in ordine ad utrumque forum internum, & externum, unde in utroque ſemper requiritur idem gradus certitudinis, & evidentiæ.

Hinc ſi ſimonia fuerit dubia, non poteſt 2
quis de ipſa damnari, quia ſuper re dubia non poteſt certa ſententia ferri *c. grave 11. q. 3. c. judicantem 30. q. 5. c. habuiſſe. diſt. 33. & illud quæſitum inſtit. de rer. diviſ.* ut enim ſententia ſit certa, debet habere fundamentum proportionatum: res autem incerta non proportionatur cum certa, quia certum non fundatur in incerto: & quia damnatio, & punitio eſt vel maximè certa, debet aliquis eſſe abſolutè reus; ideò fit non poſſe damnari aliquem de ſimonia, quin hæc fuerit certa, & evidens, idque tam in foro externo, quàm in foro conſcientiæ, cum in utroque foro juſtitia ſit eadem. Hinc quando quæritur, an aliqua actio ſit ſimoniaca, & utrinque adeſt opinio probabilis, quòd non ſit, non tenetur quis ſe habere pro ſimoniaco, nec ſubire pœnas in jure injunctas, quia opinio utrinque probabilis id operatur, ut pro neutra parte ſit certa, & evidens, quia probabilitas non ſtat cum certitudine oppoſita circa eundem actum, & ſublata certitudine juris tollitur etiam certitudo facti, unde quamvis conſtet de facto, ſi non conſtet de qualitate ipſius, nimirum quòd factum ſit ſimoniacum, nequit ſuper illo certa ſententia ferri.

Quæritur ſecundò, an in ſimonia detur 3
parvitas materiæ, quæ excuſet à peccato gravi? Reſpondetur, duas eſſe in hac quæſtione ſententias, prima affirmat, quam defendunt Reginaldus *tom. 2. prax. fori pœnitential. lib. 23. c. 15. n. 219.* Riccius *tom. 2. deciſ. curia Epiſc. Neapol. deciſ. 28. n. 7.* Molina *tom. 1. tract. 2. diſp. 92. n. 5.* & alij, qui nituntur eo fundamento, quia materia ſacra, ſi in modiciſſima fuerit quantitate, non videtur ſecum trahere graviſſimam culpam; ſiquidem etiam intra latitudinem religionis, dantur peccata, quæ ob parvitatem materiæ tantùm ſunt venialia. Secunda ſententia eſt negantia, eique adhærendum, & eam propugnant Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. c. 3. n. 5.* Paſqualigus *deciſ. moral. deciſ. 478. n. 2.* Layman *lib. 4. tract. 10. c. 8. n. 4.* Molfeſius *tom. 1. ſum. tract. 8. c. 8. n. 67.* Diana *de ſimonia tract. 7. reſol. 2.* Palaus *p. 1. tractat. 2. diſp. 2. punct. 7. n. 4.*

Ra-

4 Ratio eſt, quia ſimonia ex ſuo objecto formali ſemper eſt gravis, ſempérque continet gravem diſſonanriam ad rectam rationem: atqui quando objectum ex ſua ratione formali eſt grave, actus, qui fertur in illud, non poteſt non contrahere gravitatem offenſæ ob gravem diſſonantiam ad rectam rationem: quo pacto odium Dei ſemper ex ſe eſt peccatum grave, ut etiam blasphemia, hæreſis, & alia peccata; in quibus non attenditur materia, ſicut in furto; ſed tantùm eſſe formale ſecundùm quod dicunt gravem diſſonantiam ad rectam rationem: quod enim ex natura ſua eſt tale, ut ſemper ſundet gravem, & notabilem diſſonantiam ad rectam rationem, ſemper trahit ſecum culpam gravem, quia indiviſibiliter ſemper trahit hanc gravem diſſonantiam ad rectam rationem: hoc autem contingit in ſimonia, cujus turpitudo, & diſſonantia in eo eſt ſita, quòd id, quod eſt gratia Dei, exceditque omne pretium humanum, ſubijciatur pretio, & contractui humano; ex quo oritur gravis injuria illata Deo; quia pervertitur modus adminiſtrandi ejus gratias, & dona juxta ejus præſcriptum: hæc enim injuria eſt ita gravis, & notabilis, & ita diſſona rectæ rationi, ut ſecum trahat culpam gravem: ſiquidem per ipſam deſtruitur modus, quo ſpiritualia, & gratia Dei debent adminiſtrari, proinde tollitur tota diſpoſitio adminiſtrationis, quam Deus præſcripſit: voluit enim Deus, ut ſpiritualia gratis donentur, *gratis accepiſtis, gratis date*, unde deſtruere, & tollere totam hanc diſpoſitionem adminiſtrationis eſt certè aliquid grave: & quia etiam ſtante quacunque parvitate materiæ, ſive ex parte pretij, ſive ex parte rei, quæ ſubijcitur pretio; ſemper eo ipſo, quòd datur temporale pro ſpirituali, deſtruitur totus modus iſte adminiſtrationis, qui procul dubio eſt magni momenti; ideo quæcunque, ſimonia ſive in materia gravi, ſive in materia levi, cum ſemper talis ſit, ut pretium temporale detur pro re ſpirituali, tollit, ac deſtruit totam diſpoſitionem adminiſtrationis, qua res ſpirituales debent dari gratis.

5 Tum quia ſemper res ſpiritualis ponitur intra ordinem rerum vendibilium, & deprimitur ad vile pretium, quod eſt maxima injuria, quæ irrogatur rebus ſpiritualibus, quæ per ſimoniam æquiparantur temporalibus, nec pluris fiunt, quàm pretium pecuniæ, vel quid aliud temporale, quod eſt graviter deprimere, contemnere, ac vilipendere res ſpirituales. Quamobrem niſi ratione ignorantiæ invincibilis, quis excuſetur à peccato mortali; ſimonia per ſe non excuſat à peccato gravi ob parvitatem materiæ, Quia in ſimonia non conſideratur ipſa parvitas materiæ, ſed ipſa diſpoſitio divina, quâ ſpiritualia debent gratis adminiſtrari, & hæc diſpoſitio ſemper ſecundùm ſe totam deſtruitur, quando res ſpiritualis mediante pacto inito venditur pretio temporali: tota enim diſſonantia in eo conſiſtit, quòd res ſpiritualis fiat vendibilis, & æſtimetur pretio temporali, quia tunc deprimitur à proprio ſtatu ad ſtatum rerum temporalium, quibus æquiparatur, & in hoc fit maxima injuria rei ſpirituali, ſive hæc vili, vel chariori pretio vendatur: ex quo patet ſolutio ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ, quia non conſideratur parvitas materiæ, ſed violatio divinæ diſpoſitiunis.

Quæritur tertiò, an ſaltem parvitas materiæ excuſet à culpa gravi in ſimonia, quæ tantùm eſt de jure eccleſiaſtico poſitivo? Ratio dubitandi eſt, quia in ſimonia prohibita jure eccleſiaſtico ſit permutatio rei temporalis pro temporali, quæ permutatio eatenus eſt ſimoniaca, quia prohibita ab eccleſia ratione religionis, quatenus illud temporale, quod permutatur cum alio temporali, eſt aliquo modo annexum ſpirituali; unde cum peccatum ex genere ſuo mortale ex parvitate materiæ, fiat veniale, ut liquet in furto, videtur, quòd in ſimonia de jure eccleſiaſtico tantùm prohibita parvitas materiæ excuſet à culpa gravi: tum quia ceſſat ratio, ob quam in ſimonia jure divino prohibita parvitas materiæ non excuſat à culpa gravi; eſt enim irreverentia, quæ irrogatur rei ſpirituali, quæ cum fiat vendibilis, deprimitur ad ſtatum rerum temporalium. Nihilominus putârim probabilius, neque in ſimonia prohibita jure eccleſiaſtico poſitivo parvitatem materiæ excuſare à culpa gravi: ratio eſt, quia eccleſia non prohibet pretio vendi niſi res magnæ æſtimationis, & quæ de ſe non poſſunt ratione parvitatis computari: unde quamvis ex parte pretij interſit parvitas materiæ, non tamen hæc excuſat à peccato, quia non impedit, quo minus tota res, quæ prohibetur vendi, ſubijciatur pretio, & peccatum adæquatè contrarietur prohibitioni, dicátque completam, & integram transgreſſionem præcepti. 6

Præterea eccleſia prohibens hujusmodi res fieri vendibiles, & pretio ſubijci, eas conſtituit in eo ordine, in quo ſunt ſpirituales: & vult, quòd adminiſtrentur perinde ac res ſpirituales: quo fit, quòd ſi vendantur, & emantur vili, vel caro pretio, deſtruatur totaliter hæc diſpoſitio eccleſiæ, & res, quæ prohibetur vendi, extrahatur ab illo ordine, in quo fuit ab eccleſia conſtituta, quamvis ex parte pretij adſit parvitas materiæ: deſtruere autem hanc eccleſiæ diſpoſitionem eſt procul dubio gravis diſſonantia, quæ non excuſat à culpa gravi. Eatenus parvitas materiæ non habet locum in ſimonia, ſive hæc jure divino, ſive eccleſiaſtico prohibita fuerit, quia non attenditur in ipſa quantitas materiæ, ſed formalis ratio turpitudinis, & totalis deſtructio diſpoſitionis divinæ, vel eccleſiaſticæ, quâ res ſpirituales, vel ijsdem annexæ prohibentur vendi, ac ſubijci pretio temporali; in hac enim deſtructione divinæ, vel eccleſiaſticæ diſpoſitionis ſemper habetur gravis diſſonantia ad certam rationem ob inverſionem ordinis præſcripti ab eccleſia: in utraque enim ſimonia de jure divino, & eccleſiaſtico ſemper deſtruitur integer ordo adminiſtrationis harum rerum, quæ prohibentur vendi. Quamobrem non parvitas materiæ, ſed ſolùm ignorantia invincibilis poteſt 7

teſt

teſt in ſimonia excuſare à culpa gravi; adeò ut ſi ignorantia ſit tantùm venialiter peccaminoſa, ſimonia ratione ſuæ cauſæ ſit tantùm culpa venialis.

8 Quæritur quartò, an parvitas materiæ in ſimonia excuſet ſaltem in foro exteriori à culpa gravi, ſi non interceſſeric ullum pactum? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. & ſi quæſtiones 18. h. t.* ubi dicitur, non commiſiſſe ſimoniam fratrem Archiepiſcopi Strigonienſis ex eo, quòd Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato dederit equum, quia interfuerit electioni fratris ſui, & pallium ei obtulerit; eò quia paucos habuerit equos, cum enim fuerit dives, & equus erat quid modicum reſpectu illius, ideo ratione parvitatis materiæ in foro exteriori excuſatur à ſimonia, quia forum exterius procedit rationabiliter, & judicat tantùm ſecundùm dictamen rationis; hæc autem dictat, quòd non interveniat venditio, & emptio, ſeu communicatio, quando res una eſt longè inæqualis alteri, à qua exceditur. Tum quia nullum tunc intervenit pactum, conſequenter neq; ſimonia.

9 An verò etiam in foro interno excuſet à ſimonia? Reſpondetur affirmativè, eò quia hæc non incurritur, niſi interveniat pactum de danda re modica prohibita pro pretio, & deſumitur *ex d. c. & ſi quæſtiones 18. h. t.* ubi: quia frater Archiepiſcopi Strigonienſis dederat equum Cardinali, quia hic detulerit fratri ſuo pallium, Pontifex concludit: *non tamen eccleſia Romana interpretari conſuevit accipientem in his delinquere, vel dantem.*

10 Quòd ſi juxta judicium Romanæ eccleſiæ non committitur delictum, neque incurritur ſimonia in foro conſcientiæ, quia cum Pontifex ſit paſtor animarum, eſt etiam judex conſcientiæ; unde ſi quis non delinquit ſecundùm judicium Pontificis, vel Romanæ Eccleſiæ, neque delinquit ſecundùm forum conſcientiæ, cum judicium Romanæ eccleſiæ principaliùs conſcientiam reſpiciat. Tum quia quoties non intervenit pactum, per quod res modica prohibita vendi, datur pro pretio, non incurritur ſimonia, quia hæc non habetur ſine pacto, & contractu inducente obligationem, quapropter tunc res illa modica prohibita dari pro pretio cenſetur dari eo modo, quo licitè dari poteſt, ſeu titulo meræ donationis gratuitæ, quia unusquisque intendit prudenter operari in quacunque actione; cum moveatur ad operandum ſaltem virtualiter ab ultimo fine, quæ de ſe tantùm movet ad actiones rectas, & prudentes.

11 Quæritur quintò, an ſi quis ſciente Pontifice ſimoniam committeret, pœnas juris incurreret, ſi Papa expreſsè cum ipſo non diſpenſaret? Cenſent plures, talem incurrere pœnas juris, ſi Papa non diſpenſet, eò quia diſpenſatio ſit actus poteſtatis legiſlativæ, & Pontifex admittens ſimoniam, ſi aliud non dicat, non utitur hac poteſtate, unde ſine Pontificis diſpenſatione manent in ſuo vigore leges pœnales reſpectu ſubditi. Tum quia licèt Papa ſalutet excommunicatum verbis, vel litteris, vel alio quovis modo cum ipſo communicet, non propterea cenſebitur, eum abſolvere ab excommunicatione, ut habetur *in Clement. ſi ſummus Pontifex de ſent. excommun.*

Verùm putârim, talem non incurrere pœnas juris, quia eo ipſo, quòd Pontifex ſcienter committit cum alio ſimoniam, quamvis nil aliud dicat, ipſo tamen facto diſpenſat cum illo, ut non incidat in pœnas in jure latas contra ſimoniacos: ratio eſt, quia ſcientia Principis, & factum ejusdem ſufficienter purgant hoc crimen quoad illas pœnas, quæ ſunt juris poſitivi: ſicut ex eo, quòd Princeps conferat alicui dignitatem, quem ſcit eſſe ad illam inhabilem, eo ipſo, quòd illam ei confert, quamvis verbis nil aliud exprimat ipſo tamen facto tacitè, & implicitè illum habilitat, & conſtituit capacem, ſeu cum ipſo diſpenſat, ut notat Bartol. *in l. Barbarius n. 12. ff. de officio præt.* Panormitanus *in c. in cunctis §. infer.* Felinus in *c. præterea n. 9. de teſtib. cogend.* Ratio etiam id ſuadet, quia alioquin actus Principis illuſorius foret, nullùmque ſortiretur effectum, quod eſt abſurdum. Hinc ſi quis in Romana Curia beneficium acciperet, & conſcientiam haberet de ſcientia Papæ confirmantis, ſi ipſum peccati pœniteret, non teneretur receptum beneficium reſignare, & ita docent Covarruvias *ad regul. peccatum p. 2. §. num. 9.* Navarrus *de reſtit. lib. 2. c. 2. n. 43.* Hinc ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, ſine diſpenſatione verbis, vel ſcriptis expreſſa non incurrere pœnas juris, qui ſciente Pontifice committeret ſimoniam: quia tunc Pontifex diſpenſat ipſo facto, cum enim admittat factum, quod vult eſſe validum, virtualiter, & tacitè diſpenſat: alioquin factum non ſortiretur ſuum valorem, & actus Pontificis eſſet illuſorius. Neque eſt par ratio, quando Papa ſalutat excommunicatum verbo, vel litteris, quia tunc tantùm diſpenſat cum ſe ipſo, ut poſſit communicare cum excommunicatis, non verò cum alijs. 12

Quæritur ſextò, an Papa poſſit eſſe ſimoniacus? Reſpondetur, non poſſe Papam incurrere pœnas ſimoniæ jure eccleſiaſtico ſtatutas, cujusmodi ſunt excommunicatio, ſuſpenſio, inhabilitas, & alia id genus, quia Princeps non ſubeſt ſuis legibus quoad vim coërcitivam, & pœnas: ratio eſt, quia nemo poteſt jurisdictionem in ſe ipſum exercere, quia jurisdictio non exercetur niſi in ſubditum, & idem non eſt ſibi ſubditus, qua ratione nec par in parem dicitur jurisdictionem exercere. Poteſt tamen Papa contrahere culpam ſimoniæ juris divini, quia Papa ſubjicitur legi divinæ, & naturali, ad cujus obſervantiam propterea tenetur. An verò etiam incurrat culpam ſimoniæ juris humani? Plures reſpondent affirmativè, adeò ut non excuſetur à culpa ſimoniæ, ſi pecuniam pro officijs, quæ jure vendi prohibentur, vel pro beneficijs exigat, ut docet Victoria *in relect. de ſimon. n. 39.* & ratio eſt, quia obligatio, quâ Princeps tenetur legem ſuam ſervare, non oritur immediatè à voluntate, & poteſtate Principis volentis ſe obligare, ſicut ea obliga- 13

tio, quæ eſt in ſubdito, cum Princeps non ſit ſibi ſuperior, ut poſſit ſe ipſum immediatè ſuo præcepto obſtringere, ſed oritur ex ipſa rei natura, ſeu ex conditione Principis, & reipublicæ, ex qua oritur, ut jus naturale dictet, teneri Printipem legem ſervare, quam ipſe ſuis ſubditis imponit *l. 1. tit. quod quiſque juris* & *c. cum omnes de conſtit.* Quod tamen procedit, ſi ratio legis æquè in ſubditis, ac in Principe locom habeat. Hinc ſi Pontifex officia eccleſiæ, vel beneficia vendat, non excuſatur à culpa ſimoniæ. Hæc ſententia vera eſt, ſed tamen limitanda niſi juſta cauſa ſubſit; quia tunc perinde ac cum ſubdito poteſt cum ſe ipſo diſpenſare: non quod diſpenſet, vel abroget jus divinum, & naturale; ſed quia interpretatur tunc concurrentibus talibus circumſtantijs jus naturale non obligare. Quinimo ſi Pontifex etiam ſine juſta cauſa ageret contra propriam legem, adhuc probabilius eſt, non peccaturum mortiferè ſecluſo ſcandalo, eò quia non teneatur eam ſervare niſi illo jure, quo tenetur ſe conformare ſubditis.

14 Quæritur ſeptimò, an pœna contra ſimoniatè promotos ad ordines eccleſiaſticos incurrantur etiam ab ijs, qui tantùm primâ tonſurâ ſunt initiati? Plures affirmant, præſertim Layman *lib. 4. tract. 10. c. ult. §. 7. n. 11.* Ugolinus *tabul. 4. c. 3. n. 2.* & *c. 4. n. 1.* Suarez *c. 56. n. 5.* quia cum quis initiatur primâ tonſurâ ex cõmuniori loquendi modo dicitur ordinari: & cum quis ſimoniacè ordinatur, incurrit pœnas jure ſtatutas contra ſimoniacè ordinatos: quod tamen procedit de ſimonia reali, & completa; per hanc enim præſertim incurritur excõmunicatio Papæ reſervata tam ab ordinante, quàm ab ordinato, ut habetur in *Paulina Extravag. 2. h. t.* ergo ſimoniacè initiatus primâ tonſurâ etiam hanc pœnam incurrit, ſi ſimonia ſit realis, & utrinque completa, quia *in d. extravag. cum deteſtabile* ponuntur verba illa, *qui dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerunt*, adeò ut non ſit excommunicatus, qui per ſimoniam conventionalem Ordinem confert, niſi res promiſſa ſoluta fuerit. Præter excommunicationem incurritur etiam ſuſpenſio à collatione cujusvis Ordinis, ut habetur in Bulla Sixti V. edita in malè promoventes, & promotos *V. caterum ſi quis Antiſtes.* Tertiò, ſuſpenſio ab executione omnium munerum Pontificalium juxta Bullam Sixti V. ut à conſecratione templorum, altarium, calicum, Abbatum, Virginum, à benedictione veſtium ſacrarum. Quartò, interdicitur illi ingreſſus eccleſiæ. Quintò ſi contra ſuſpenſionem, vel interdictum illud fecerit, ſuſpenditur etiam ab adminiſtratione ſuæ eccleſiæ, & à perceptione fructuum omnium ſuorum beneficiorum, ut nemo poſſit illum abſolvere præter Romanum Pontificem; niſi delictum fuerit occultum: quia Pontifex id ſibi reſervat cum clauſula derogatoria omnium privilegiorum, etiam conceſſionis factæ Epiſcopis à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 6.* Putârim tamen ſimoniacè initiatum ſola prima tonſura non incurrere has pœnas, quia lex pœnalis debet in ſenſu proprio, & ſtrictè intelligi, adeò ut non ſit extendenda ad alia, quæ in eadem lege non exprimuntur: atqui lex pœnalis tantùm imponit præfatas pœnas ſimoniacè dantibus, vel accipientibus ordines eccleſiaſticos, unde iſtę ex vi juris non incurruntur niſi à ſimoniacè dantibus, vel recipientibus ordines: atqui prima tonſura in ſententia probabiliori, imò & communiori non eſt propriè ordo, ſed tantùm diſpoſitio ad ordines: ergo pœnæ contra ſimoniacè ordinatos ſtatutæ non debent extendi ad ſimoniacè initiatos tantùm primâ tonſurâ.

15 Immo non deſunt, qui cenſeant, ſuſpenſionem, quâ puniuntur ſimoniacè ordinati non incurri niſi per majores ordines malè collatos, & receptos, eò quia quando agitur de pœna, non debet hæc cadere niſi in id, cui propriè convenit nomen, & res ſignificata, ac prohibita per canonem: & quia ex antiqua aliquorum ſententia (licèt id improbabile omnino ſit) minores ordines ſacramentum non ſunt, ſed ſacramentalia; ſequitur, quòd per ſimoniacam eorundem ſuſceptionem non incurratur ſuſpenſio, quâ puniuntur ſimoniacè ordinati. Tum quia in pœnis ſequi debemus interpretationem mitiorem. Vera tamen ſententia eſt, ſimoniacè initiatos minoribus ordinibus incurrere pœnam à jure impoſitam contra ſimoniacè ordinatos, quia revera quatuor minores ordines, ſunt ordines eccleſiaſtici comprehenſi in Bulla Sixtiniana. An verò ſimoniacè ordinati etiam fiant ipſo facto irregulares, aliqui affirmant, cum Alenſi *2. p. q. 167. memb. 2.* Scoto *in 4. diſt. 25. q. 1.*

16 Verùm contraria ſententia verior eſt, & communior, quam docent Suarez *de ſimon. lib. 4. c. 56. n. 20.* Leſſius *lib. 2. c. 25. dub. 24.* ſiquidem juxta volgatum axiomma irregularitas extra caſus jure expreſſos non incurritur: atqui in jure canonico nullibi habetur, eum irregularem eſſe, qui pecuniâ ſacrum ordinem nundinatur, ſeu ſimoniacè promovetur ad ordines eccleſiaſticos. Tum quia in conſtitutione Sixti V. contra clericos malè promotos tantùm habetur pœna ſuſpenſionis, & adijcitur, quòd ſi poſt ſuſceptionem hi malè promoti in ſuſceptis ordinibus miniſtrare præſumpſerint, fiant irregulares: hinc infertur, tales non eſſe ipſo jure irregulares, ſed tantùm futuros tales conditionatè, ſi excommunicati, aut ſuſpenſi celebraverint.

17 Quæritur octavò, quomodo debeat ſe gerere, qui commiſit ſimoniam realem, ſeu ex utraque parte completam in beneficio. Certum eſt, ad incurrendas pœnas juris in ſimoniacos neceſſe eſſe, ſimoniam eſſe completam ex utraque parte; adeò ut, ſi pretium non ſit ſolutum, ſed tantùm præceſſerit promiſſio, quamvis beneficium ſit collatum, adhuc non incurrantur cenſuræ, eò quia pœnæ non infligantur niſi ob actum, cui annectuntur, ultimatè completum; unde quamvis beneficium, vel Ordo ſit collatus, ſi pretium promiſſum nondum ſit ſolutum, quia actus ſimoniacus nondum eſt ultimatè

timatè completus, per ipſum non incurruntur cenſuræ. Tum quia id ex ſtylo Romanæ Curiæ receptum eſt, ut ſola ſimonia realis utrinque completa puniatur excommunicatione, & ſuſpenſione.

18 Reſpondetur igitur, eum, qui ſimoniam realem, ſeu ex utraque parte completam commiſit, teneri primò pœnas juris ſubire renunciando beneficio, & non percipiendo ejus fructus. Secundò, ut ipſum pœniteat commiſſæ ſimoniæ, & humiliter abſolutionem ab excommunicatione, & ſuſpenſione petat. Tertiò, ut diſpenſationem à Papa, vel ejus Nuntio, ſi ad id facultatem habeat, poſtulet. Quartò, ut petat collationem beneficij, & paciſcatur ſuper fructibus malè perceptis. Quòd ſi libellus ſupplicationis non fuerit ob- vel ſubreptitius, & diſpenſatio facta fuerit; tunc eſt tutus in conſcientia. Quinimò tempore, quo expectatur diſpenſatio, poteſt etiam confeſſarius virtute Bullæ cruciatæ abſolvere ab excommunicatione, & ſuſpenſione beneficiarium ſimoniacum, & ſi ſit ſacerdos, poterit celebrare miſſam ſecretò tamen. Secus ſi ſimoniacus differat diſpenſationem petere, ſitque in mora petendi, non eſt abſolvendus ab excommunicatione, & ſuſpenſione, donec diſpenſationem obtinuerit.

19 Quæritur nonò, an ſimonia realis, & completa ſolo tamen jure eccleſiaſtico prohibita obnoxia ſit pœnis juris? Reſpondetur, communiorem, & probabiliorem ſententiam aſſerere, pœnam ſimoniæ non incurri à ſimoniaco ſimoniâ reali, & completa ſolo jure eccleſiaſtico prohibita, ſaltem ipſo facto; adeò ut ſi duo beneficiarij propria privata authoritate beneficia inter ſe ſe permutent, quia hæc ſimonia eſt tantùm jure eccleſiaſtico prohibita, beneficiarij ſimoniaci ipſo facto non ſint excommunicati, nec privati beneficijs ita receptis, imò nec tenentur fructos reſtituere, quamvis ſic permutantes beneficia graviter peccent, idque probari ſolet ex dicta Paulina *extravag. cum detestabile 2. h. t.* ubi habetur, *cum ſcelus ſimoniacæ pravitatis tam divinorum, quam ſacrorum canonum authoritas abhorreat*, unde Pontifex loquitur de ſimonia divino ſimul, & canonico jure reprobata, quia præfata verba habentur in præfatione *Paulinæ extravag.* & præfatio legis dat intellectum toti legi, quia ex ipſa regulatur, & accipit cauſam finalem.

20 Excipitur tamen ſimonia confidentialis; quia hæc eſt obnoxia pœnis, quamvis ſit aliquando tantùm jure humano prohibita, ut cum quis renuntiat beneficio mediante pacto, ut ſibi poſtea, vel alteri reddatur, vel cum reſervatione penſionis alijs ſolvendæ.

21 Juvat obſervare, quoad ſimoniacos ſimonia reali, & completâ, prohibitâ tamen ſolo jure eccleſiaſtico, hos ante judicis ſententiam non teneri reſtituere pretium recepti ſimoniacè, præterquam in ſimonia commiſſa in beneficio, Ordine, & ingreſſu religionis, quia ad id jure divino non tenentur, & in jure canonico non aſſignatur textus obligans ante judicis ſententiam reſtituere, præterquam in ſimonia commiſſa in beneficio, Ordine, & ingreſſu religionis.

Quæritur decimò, an licitum ſit ludere pre- 22
ces cum alio pro temporali præmio? Quæſtio eſt, an ſi Religioſus ludat cum ſæculari ea conditione, ut ſi Religioſus ludum vincat, debeat tantam pecuniam accipere; & ſi perdat, teneatur tot miſſas celebrare, vel tot Pſalmos recitare? Caſus contigit frequenter Pragæ inter ſupremum Burgravium Comitem de Martiniz, & noſtrates religioſos: ſiquidem invitabantur noſtri, & alij Religioſi poſt prandium ad ludum Scaccorum, ea conditione, ut ſi ille perderet, ſtatim certam pecuniam argenteam vincenti Religioſo ſolveret; cum autem vinceret, teneretur Religioſus aſſignatos Pſalmos recitare: quæritur, an talis luſus licitus fuerit. Reſpondetur affirmativè, eò quia pecunia illa non dabatur, ut pretium ipſarum precum, ſed ut præmium victoriæ, & ut merces ſuſcepti laboris: unde cum non interceſſerit pretium pro re ſpirituali, ſed tantùm præmium pro ſimplici reportata victoria à viro Religioſo, ut loquebatur ſupremus ille Burgravius, nulla aderat ſuſpicio ſimoniæ.

Neque obſtat, ſi dicas, eſſe illicitum 23
orationes exponere quaſi venales, ac facere æqualis valoris cum moneta illa argentea. Contra eſt, quia pecunia non dabatur Religioſo victori ut pretium æquale precibus ab eo recitandis, ſi perdidiſſet, ſed tantùm ut præmium victoriæ, vel etiam ut pura eleemoſyna. Præterea quamvis malum eſſet ipſas orationes exponere tanquam æqualis valoris cum re temporali, non proptereà committeretur ſimonia, quia preces illæ non venduntur pro pretio. Non enim qui ludit orationes pro præmio aliquo temporali, ſi lucretur, neceſſe eſt, ut pecuniam illam tanti æſtimet, quanti orationes, id enim eſt præter, imò contra intentionem ludentium: neque talis æqualitas ſemper requiritur in re utrinque ludo expoſita: ſiquidem poſſet quis pro recitatione unius tantùm Pſalmi Miſerere exponere decem aureos, nil enim prohibet, quin poſſit illos in eleemoſynam dare ſub ea conditione, quòd Religioſus ludum vincat.

Quæritur undecimò, an ſi quis gratis pro- 24
mittat aliquid pro beneficio obtinendo, poſſit de ipſo paciſci. Certum eſt, titulum gratitudinis excuſare à ſimonia, ſi poſt ſuſceptum gratis beneficium beneficiarius aliquid omnino liberè, & titulo gratitudinis donet collatori: cùm enim collatio beneficij facta fuerit ſine pacto, poſt beneficium collatum dare aliquid collatori ex gratitudine, non eſt ſimoniacum. Difficultas eſt, an ſi pactum ineatur ante collationem beneficij, ſit collatio ſimoniaca. Sanctorius *de pœn. p. 2. c. 15.* ait, non eſſe ſimoniam donare aliquod temporale ante, vel poſt, ei, qui exhibet aliquod ſpirituale etiam cum intentione, quòd Donatarius moveatur ad dandum temporale ex gratitudine, & etiam quod collator det ſpirituale cum intentione; quòd recipiens ex virtute gratitudinis donet

poſtea temporale, quia, eo ipſo quòd eſt donum, & datur gratis, ſeu ratione gratitudinis diſtinguitur à pretio, & ubi non intervenit pretium temporale, quod detur pro re ſpirituali, non habetur ſimonia *c. ſicut Epiſcopum 1. q. 2. c. & ſi quæſtiones. c. dilectus 2. c. tua h. t.*

25 Verùm hi textus tantùm loquuntur, quando donum non eſt annexum pacto inito ante collationem rei ſpiritualis. Unde putàrim, tale pactum ſecum trahere ſimoniam ſaltem in foro exteriori: ratio eſt, quia eo ipſo, quòd initur verum pactum, hoc in foro exteriori inducit obligationem dandi, quod paciſcitur: unde quod id detur ſub titulo doni, vel ſub titulo gratitudinis per accidens ſe habet, & tantùm eſt in mente dantis dare ſub hoc, vel illo titulo: à parte rei, & in foro externo, cum ex vi pacti teneatur dare promiſſum, utique præſumitur ſimoniacus.

26 Quæritur duodecimò, quænam annexa ſpiritualibus fiant materia ſimoniæ. Dupliciter poſſunt res temporales eſſe annexæ ſpiritualibus. Primò per ſe, & ex natura ſua. Secundò per accidens, quatenus res ſpirituales ex natura ſua non exigit necti rei temporali; hócque eſt diſcrimen inter connexionem per ſe, & per accidens, quòd illa ſit inſeparabilis, hæc verò ſeparabilis. Reſpondetur ea ſolum annexa ſpiritualibus eſſe materiam ſimoniæ, quæ cum iiſdem ex natura rei, & inſeparabiliter nectuntur, permiſcenturque cum iiſdem; cujuſmodi eſt jus patronatus, quod ita unitur beneficio, ut ab eodem ſeparari non poſſit, ut docent Canoniſtæ *in c. quæſitum de rerum permut.* Hoſtienſis *n. 4.* Cardinal. *n. 5.* Ancharan. *n. 5.* Butrius *n. 7.* & fusè probat Lotterius *de re beneficiar. lib. 3. q. 29. n. 77.* Hinc quæ tantùm per accidens, & ſeparabiliter nectuntur cum ſpiritualibus, non ſunt materia ſimoniæ, ſed poſſunt in pactum deduci. Ratio diſcriminis eſt, quia quæ ex natura rei, & inſeparabiliter nectuntur ſpiritualibus, illa ſecum trahunt, & ſe habent acceſſoriè ad ſpiritualia: & quia acceſſoria inſeparabilia ſequuntur naturam ſui principalis; ſpiritualizantur ab eodem, ſuntque materia ſimoniæ: ſecus quæ tantùm accidentaliter, & ſeparabiliter nectuntur, non fiunt ſpiritualia, quia ut notat Cajetanus *2. 2. q. 100. a. 3. §. patet tertio* accidentalis connexio non ſufficit, ut connexum evadat ſpirituale; neque ut trahat ſpirituale ſub contractum.

27 Juvat tamen obſervare, quòd inſeparabilitas nonnunquam ex natura rei oriri poteſt, & aliquando ex humana diſpoſitione; proinde tunc ſolùm temporale eſt materia ſimoniæ, quando non conſideratur ſecundùm ſe præcisè, ſed ut informatum re ſpirituali, quia tunc fit quid unum ex temporali, & ſpirituali; perinde ac in phyſicis ex materia, & forma; & ideo ſi temporale informatum ſpirituali cadat ſub contractum, tunc etiam ſpirituale cadit ſub pactum, immo principaliùs, quia in ipſo toto principaliter conſideratur ſpirituale, quia conſideratur ut forma, quæ reddit æſtimabila temporale: ut ſi quis paciſcatur de interceſſione pro obtinendo beneficio, poteſt interceſſio dupliciter conſiderari. Primò ſimpliciter quatenus eſt quædam perſuaſio, vel ſupplicatio, quæ fit ſuperiori præcisè, & ſimpliciter: ſecundò prout interceſſio eſt efficax, & nectitur cum ipſa collatione beneficij, ſi quis pactum ineat, dare centum aureos interceſſori pro interceſſione priori modo ſumpta, non videtur tale pactum ſimoniacum ſaltem loquendo ſpeculativè, eò quia illa interceſſio eſt quid temporale, & poteſt necti, vel non necti cum ipſa collatione beneficij: ſecus paciſci de interceſſione efficaci eſt ſimonia, eò quia illa interceſſio quamvis ex ſe ſit quid temporale, ſi tamen ſit efficax, ex natura rei nectitur inſeparabiliter cum ipſa collatione beneficij: ratio eſt, quia ad ſimoniam requiritur, quòd veniat in contractum aliquod ſpirituale; proinde tunc ſolum temporale annexum ſpirituali eſt materia ſimoniæ, quando trahit in contractum ſpirituale, cui annectitur.

28 Quæritur tertiodecimò, an Miniſtri, vel Notarij Epiſcopi conferentis Ordines eccleſiaſticos poſſit aliquid temporale exigere à Neomyſtis ob talem promotionem, vel etiam ab alijs promotis ad minores Ordines. Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. in Ordinando 1. h. t.* ubi Gregorius Papa declarat, Epiſcopum, vel ejus Miniſtros, & Notarios nil poſſe accipere pro ordinatione, vel uſu palij, vel chartis, vel paſtellis. Ratio ex eo petitur, quia Ordo eſt ſacramentum, & quid ſpirituale, & recipere, vel dare aliquid temporale pro re ſacra, & ſpirituali, eſt procul dubio ſimonia, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 1.* hinc ſicut non debet Epiſcopus manum, quam imponit vendere, ita nec ejus Miniſter, vel Notarios in ſacris conferendis Ordinibus vocem, vel calamum, quapropter *in d. c. 1. h. t.* pro ordinatione, vel uſu palij, ſeu chartis, atque paſtellis, prohibetur is, qui ordinatur omnino aliquid dare. Cæterum, ſi ordinatus non ex pacto, neque petitus, aut exactus, poſt acceptas chartas, & pallium velit ſponte aliquid dare cuilibet ex clero, id non prohibetur, quia quiſque poteſt actum liberalitatis exercere, neque Clerici prohibentur oblatum ſibi omnino liberè munuſculum recuſare, quia talis oblatio nullam ingerit culpæ maculam, cum non procedat ex petitione ambientis.

29 Cæterum ſacramenta novæ legis cùm ſint maximè ſpiritualia, quatenus ſunt cauſa ſpiritualis gratiæ, quæ pretio æſtimari non poteſt, repugnat, quòd non omninò gratis dentur, Diſpenſantur verò ſacramenta per eccleſiæ Miniſtros, qui debeant à populo ſuſtentari, quia juxta Apoſtolum *1. ad Corinth. c. 9.* qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari inſerviunt, de altari vivunt: accipere autem pecuniam pro miniſtrandis ſacramentis, eſt apertum ſimoniæ crimen, quod nulla conſuetudine poteſt excuſari, non enim conſuetudo præjudicat juri naturali, vel divino *c. fin. de conſuet.* Nomine autem pecuniæ intelligitur omne id, cujus pretium poteſt pecunia

pia æſtimari. Accipere autem aliquid pro pura ſoſtentatione eorum, qui ſacramenta miniſtrant ſecundùm ordinationem eccleſiæ, & conſuetudines approbatas, non eſt ſimonia, quia tunc non ſumitur ut pretium mercedis, ſed tanquam ſtipendium neceſſitatis, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 2.*

30 Quæritur quartodecimò, an ſit ſimonia promittere pecunias dare alicui loco pio, vel pauperibus, ea conditione, ut ſibi conferatur aliquod beneficium eccleſiaſticum? Reſpondent aliqui cum Turriano in *ſelect. diſput. p. 2. diſput. 16. dub. 3.* non committi tunc ſimoniam, eò quia conferens beneficium nil accipit temporale pro ſpirituali, & qui beneficium accipit, tantùm allicit collatorem, ut velit ſibi tale beneficium conferre, nec illi dat quidquam temporale pro ſpirituali. Tum quia accipiens beneficium tantùm promittit ſe facturum actum honeſtum, & gratum collatori, quem proinde intendit allicere, ac movere ad ſibi conferendum tale beneficium. Tum quia poteſt collator beneficij illud promittere Titio in ordine ad eum movendum, ut velit ſuccurrere alicui loco pio ſummè indigenti, vel opitulari pauperibus, quia tunc non exigit talem eleemoſynam, ut pretium beneficij, ſed ut aliquid honeſtum, & Deo gratum. Hinc non eſt ſimonia, ſi quis promittat alteri, ſe daturum eleemoſynam alicui Xenodochio dummodo ipſius opera, ac interceſſione beneficium impetret, quia titulus puræ eleemoſynæ excuſat à contrahenda labe ſimoniæ.

31 Plures enim ſolent modi recenſeri, quibus poteſt pecunia dari, vel accipi in beneficijs ſine ſimonia. Primò ratione conſuetudinis, ſi hæc approbata fuerit. Secundò pro neceſſaria vitæ ſuſtentatione. Tertiò pro ſtipendio laboris extrinſeci conjuncti cum re ſpirituali. Quartò ſi offeratur omnino gratis, ut purum donum. Quintò, ſi detur ut ſimplex eleemoſyna. Sextò, ſi ſolvatur in pœnam, quo pacto, qui abſolvitur à cenſura, eidem interdum imponitur mulcta pecuniaria: Septimò, ſi ſolvatur pecunia tanquam aliquid, in quo aliud permutatur, ut cum votum, vel juramentum pecuniâ redimitur. Octavò, quando quis pecuniam paciſcitur, vel elargitur non directè ad rem ſpiritualem obtinendam, ſed quaſi per accidens ad removendum impedimentum, vel vexationem.

32 Quæritur quintodecimò, an incurrat ſimoniam, qui dat pecuniam alicui domeſtico collatoris beneficij, ut ejus merita apud eundem collatorem velit exponere? Reſpondetur non eſſe id ſimoniam, quia pecunia non exhibetur pro beneficio, ſed tantùm, ut merita ſolventis pecunias manifeſtentur Collatori, ut inde moveatur ad conferendum eidem beneficium, adeò ut non obſtante tali manifeſtatione meritorum, & ſoluta pecunia adhuc poſſit collator alteri conferre beneficium citra injuriam illius, qui pecunias ſolvit, quia pecuniæ non fuerunt ſolutæ pro collatione beneficij, ſed pro ſola manifeſtatione meritorum, quæ procul dubio eſt quid diſtinctum ab ipſa collatione beneficij, cum hæc poſſit non ſequi ad talem manifeſtationem meritorum, proinde talis elargitio pecuniæ non videtur ſimoniaca, quia tunc non datur temporale pro ſpirituali, ſed temporale pro temporali, ſeu expoſitione meritorum, cujus proximus finis eſt, acquiſitio bonæ opinionis apud collatorem beneficij, non verò ipſum beneficium: ut autem incurratur ſimonia in elargitione pecuniæ finis proximus, & immediatus ejusdem elargitionis debet eſſe acquiſitio alicujus ſpiritualis mediante illa pecunia, adeò ut non ſufficiat, ſi hoc ſpirituale ſit poſtea quid conſequens ex alio immediato fine, ut docent D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 5. ad 3.* Suarez *tom. 1. de Relig. c. 3. n. 7* Garcias *de benefic. p. 11. c. 3. n. 170.* atqui in præſenti, quod proximè, & immediatè intenditur mediante pecunia, non eſt ipſa collatio beneficij, ſed ſola expoſitio meritorum in ordine ad acquirendam bonam opinionem apud collatorem, adeò ut acquiſitio beneficij ſolùm intendatur, ut quid conſequens. Verùm licèt id ſpeculativè ſit verum, in praxi tamen non videtur carere periculo, eò quia perſæpe mediator, qui pecunias accipit, officium excedit ſimplicis informantis, & munus aſſumit efficacioris exhortantis.

33 Quæritur ſextodecimò, an ſi clericus inſerviat Epiſcopo ea intentione, ut ab ipſo recipiat beneficium, ut pretium ſervitutis præſtitæ, teneatur illud reſignare? Reſpondetur, reſolutionem hujus quæſtionis dependere ex illa alia, an ſimonia mentalis incurrat pœnas ſimoniæ? Et videtur reſpondendum affirmativè, quia etiam uſurarius mentalis tenetur ad reſtitutionem. Tum quia ex eo, quòd ſimonia ſit tantùm mentalis, adhuc eſt vera ſimonia, & ob illam incurruntur pœnæ impoſitæ ſimoniacis, ut docent Sotus de juſtitia *lib. 9. q. 8. art. 1. ad 2.* Henricus *quodlib. 6. q. 26.* Medina in *ſum. lib. 2. c. 14. §. 21.* & quia Simoniacus eſt deponendus à beneficio, quod ſimoniacè acquiſivit *c. ſicut 6. h. t.* ſiquidem pro menſura peccati debet eſſe, & modus plagarum *Deuter. c. 25.* unde cum ſimonia ſit graviſſimum crimen *c. fin. 1. q. 7.* & in Clericis depoſitio ſit maxima pœna *c. ſi quis Epiſc. 1. q. 11* ſequitur teneri beneficium reſignare, qui Epiſcopo inſerviunt ea intentione, ut poſt biennium beneficium recipiant, ut pretium ſervitutis præſtitæ. Verùm contraria ſententia non caret probabilitate, eò quia cum ſimonia tunc non poſſit conjici ex ullo actu externo, non tenetur mentalis ſimoniacus ſuum delictum manifeſtare, nec ſe ipſum prodere, quo pacto docent plures, quòd ſi quis inſervivit Epiſcopo ea intentione, ut ab ipſo reciperet beneficium, ut pretium ſervitij præſtiti; & Epiſcopus ei etiam contulit beneficium animo etiam interno illud conferendi ob præſtitum ſibi ſervitium, quia externè nullum explicitè, vel implicitè pactum interfuit, ſed uterque finxit gratis agere, neuter poteſt redargui notâ ſimoniæ in foro externo: proinde qui beneficium ſuſcepit, non tenetur illud reſignare,

nec Epiſcopus ſolvere ſervitium, quia ſimonia pntè mentalis non obligat ad reſtitutionem. Verùm contraria ſententia eſt tutior, cui propterea adhærendum puto.

34 Quæritur decimoſeptimò, an aliquid exigere pro votis, juramentis, & matrimonij impedimentis diſpenſandis ſit ſimonia? Reſpondetur affirmativè, adeò ut Prælati inferiores non poſſint quidquam accipere pro hiſce diſpenſationibus, ut docet D. Thomas in *4. diſt. 25. q. 3. art. 3. ad 3.* ratio eſt, quia hujuſmodi diſpenſationes ſunt oſus ſpiritualis poteſtatis: uſus autem poteſtatis ſpiritualis non poteſt vendi, quin incurratur ſimonia, perinde ac non poſſunt vendi uſus gratiarum, quæ dantur gratis, nec uſos doni Prophetiæ. Tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 18.* id expreſsè prohibet inquiens: *ſi urgens juſtáque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverit cum aliquibus diſpenſandum eſſe: id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis à quibuscunque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum, alitérque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.* Vult enim Concilium hujuſmodi diſpenſationes omnino gratis fieri. Tum quia ex nullo titulo poſſunt diſpenſatores quidquam exigere; non titulo laboris ſuſcipiendi, aut moleſtiæ præviæ, vel comitantis annexæ extrinſecùs, vel conjonctæ intrinſecùs, quia in hiſce diſpenſationibus nullus intervenit labor, nulla intercedit moleſtia: neque per has diſpenſationes impediuntur alij actus, ex quibus poſſet quis licitè lucrum capere, quapropter rectè Concilium injunxit, ut hujuſmodi diſpenſationes omninò gratis fierent. Non tamen prohibetur, quin poſſit Epiſcopus, vel alius diſpenſator imponere onus largiendi eleemoſynam pauperibus, vel monaſterio: Concilium enim tantùm prohibet, ne is, qui diſpenſat commodum aliquod captet temporale pro ipſa diſpenſatione ſuper recenſitis impedimentis.

35 Quæritur decimooctavò, an Prælatus eccleſiaſticus pro ferenda excommunicatione, vel alia cenſura poſſit aliqoid pecuniæ exigere? Ratio dobitandi ex eo videtur deſumenda, quia quando Prælatus eccleſiaſticus fert ſententiam excommunicationis, vel alterius cenſuræ, tantùm abeſt, ut aliquid conferat ſpirituale, ut potiùs illud auferat, & ſimonia tantùm videtur incurri, quando datur aliqoid ſpirituale pro temporali. Nihilominus reſpondendum eſt, exigere aliquid pretij temporalis pro ferenda excommunicatione, vel alia cenſora eſſe ſimoniam. Ratio id evincens eſt, quia excommunicare eſt uſus poteſtatis ſpiritualis, perinde ac abſolvere ab excommunicatione, uſus enim ligandi, & abſolvendi in ordine ad cenſuras ad eandem pertinet poteſtatem ſpiritualem, proinde ſi Prælatus intuitu hujus uſus exhibiti in gratiam alterius aliquid exigat, ſimoniam juris divini incurrit, quia nullus hic eſt labor ſubeundus, ratione cujus poſſit aliqoid exigi, & tantùm intercedit uſus ſpiritualis, qui vendibilis non eſt. Ferre enim ſententiam excommunicationis eſt exercitium poteſtatis ſpiritualis ligandi, & ſolvendi, quæ ineſt Prælatis eccleſiaſticis: exercitium autem poteſtatis ſpiritualis eſt uſus, & actus ſpiritualis, pro quo non poteſt quidquam temporale accipi, quin contrahatur ſimoniaca labes.

36 Quæritur decimononò, an pro omiſſione actus ſpiritualis poſſit citra ſimoniam aliquid temporalis exigi? Reſpondetur cum diſtinctione, vel enim omiſſio actûs eſt pura; & nuda omiſſio, & tunc cenſerem, non eſſe ſimoniam aliquid exigere pro tali nuda, & pura omiſſione, quia eo ipſo, quòd eſt pura omiſſio, excludit omnem actum, proinde non eſt actus ſpiritualis, nec quid ſacrum, & ſupernaturale; conſequenter quando pro tali omiſſione exigitur aliquid temporale, illud non exigitur pro re ſacra, ut ſi Titius, ut omittat ſacrum, accipiat pecunias à Cajo; ſacerdos, ut non abſolvat, non baptizet, non ferat ſententiam excommunicationis, nec alterius cenſuræ, pretium temporale accipiat: quinimò poteſt interdum pecuniâ quis induci, ut nec eum eligat, qui eſt ineptus, vel hæreticus: ne abſolvat impœnitentem: ne celebret in ſtatu peccati lethalis: ſi enim ob pretium temporale omittat quis baptizare, abſolvere, & alia id genus, ut alteri noceatur, peccat quidem omittens miniſtrare hæc ſacramenta graviſſimè, non tamen propriè dicitur incurrere ſimoniam.

37 Sin verò non ſit pura, & nuda omiſſio, ſed nectatur cum uſu aliquo poteſtatis ſpiritualis, tunc pretium temporale accipere pro iiſdem omiſſionibus eſt ſimonia: dantur enim plures omiſſiones, quæ ſunt uſus poteſtatis ſpiritualis, ut cum quis pœnitentem, & ritè confeſſum non vult abſolvere. Verùm ut omiſſio cenſeatur uſus ſpiritualis poteſtatis, requiritur, ut quis ex authoritate nolit abſolutionem impendere, vel ut omiſſioni adnexus ſit actus ſpiritualis: hinc ſi ſacerdos auditâ ſacramentali confeſſione Petri, nolit poſtea ipſum abſolvere, hæc omiſſio abſolutionis eſt actus ſpiritualis, quia fit ex authoritate ſacerdotali; proinde ſi in favorem alterjus confeſſarius pro tali omiſſione aliquid temporalis acciperet, ſimoniam incurreret. Quòd ſi ſacerdos non uteretur ſua authoritate repellendo pœnitentem, ſed tantùm diſſimulanter ſe ſubduceret, aut alio actu omitteret eum abſolvere, tunc quia non procederet authoritativè, non incurreret ſimoniam.

38 Cæterum ſi hic contractus, quo aliquid exigitur temporale pro omiſſione actûs ſpiritualis, fiat ſine juſta cauſa, eidem tunc adnectitur quędam turpitudo ſimonię perquam affinis, quia quando exigitur pretium pro omiſſione, actus ſpiritualis tacitè ſignificatur, actum illum eſſe vendibilem; etenim ſi eſt pretio æſtimabile, talem actum non fieri, à fortiori erit pretio æſtimabile eundem actum fieri, quapropter committitur gravis irreverentia in rem ſacram, quæ ſit obnoxia pretio temporali. Verùm quia tunc contractus non ſit de re ipſa ſacra, non eſt propriè ſimonia: quia non eſt rei ſacræ venditio, ſed contractus, quo ſignificatur, rem ſacram eſſe vendibilem, quod procul

dubio

dubio cedit in non modicam injuriam rei ſacræ: unde accedente præcepto eccleſiaſtico, quo prohibetur, exigere, vel exhibere pecuniam pro hujusmodi omiſſionibus ob reverentiam debitam factis functionibus facilè ſimonia incurritur juris humani, ſeu eccleſiaſtici.

39 Quæritur vigeſimò, an pro cantu eccleſiaſtici officij poſſit à Muſicis aliquid tempotale accipi, etenim cum talis caotus ex munere clericali, aut ordine adhibeatur in Dei cultum, nil pretij temporalis videtur poſſe pro illo accipi: idque non ſolùm ſi clerici, aut ſacerdotes ex officio ſuo ſive per ſe canant, verùm etiam quando nnmine Vicarij, & aliorum canunt, quia hujusmodi cantus eſt ſpiritualis, & ex ſua natura exigit informati virtute Religionis, ut legitimè fiat. Quòd ſi dicas, poſſe divina officia recitari ſine cantu; id verum eſt, ſed ut cantus non ſit vendibilis, ſufficit, ſi idem cantus per ſe exigat, ut religioſè exerceatur, & quod ab initio procedat ex ſpirituali, pendeátque ab ipſo. Nihilominus reſpondetur, Muſicus, qui in eccleſijs divina canunt officia poſſe aliquid temporale exigere abſque ſimoniaca labe: ratio eſt, qoia cantores Muſici, & qui inſtrumentis Muſicis ludunt, ſolent divinis adhiberi officijs ad elegantiorem ornatum: ſiquidem harmonicis ſuis vocibus, ac inſtrumentis plurimum divinis officijs adijciunt ornamenti: proinde Muſici cantores ita conducti per ſe non exercent actionem ſpiritualem.

40 Neque obſtat Muſicos illos concentus eſſe idoneos, ac coovenientes ad laudandum Deum, ac divinas laudes celebrandas, cum divinæ ſcripturæ frequenter nos hortentur, ut laudemus Deum in Hymnis, & canticis, in ſono tubæ, in organis, & cymbalis bene ſonantibus: propterea hujusmodi inſtrumenta in eccleſijs,& Oratorijs, ac templis, ad quæ religionis causâ ſolet populus convenire, adhibentur, ut in illis religioſum officium exerceatur, alioquin ſi Muſici concentus, & harmonica inſtrumenta adhiberentur ad ſolas demulcendas curioſorum aures, id vaoitatem ſaperet, nec ſine culpa in loco ſacro fieri poſſet. Sed contra reſpondetur cum diſtinctione, vel enim cantus adhibetur in eccleſijs ex puro officio clericali, vel ordine, aut dono ſpirituali, & tunc certum eſt, licitum non eſſe pro tali cantu præcisè pretium temporale exigere, ſed tantùm pro congrua ſuſtentatione inſervientium eccleſijs, quo pacto clerici non pro cantu divini officij, ſed pro ſua ſuſtentatione ſtipendium accipiunt. Vel Muſici concentus, & harmonica inſtrumenta adhibentur in divinis officijs, ut populi alliciantur ad frequentandas eccleſias, & divina officia, & tunc putârim non minus eſſe licitum paciſci de jis pretiū, quàm pro pulſu campanarum, quo homines ad orationem vocantur,& incitantur. Sunt etiam qui cum Toleto *lib. 5. c. 86.* cenſent, ſpecialem artem canendi ad muſicos concentus, & ſingularem vocis ſuavitatem poſſe pretio tempotali æſtimari, & cantum eccleſiaſticum eſſe ex illis ſpiritualibus mixtis, in quibus prædominatur temporale, adeò ut vendi poſſit, & pretio æſtimari, quod eſt temporale, dummodo non habeatur ratio ad ſpirituale.

Quæritur vigeſimò primò, an ſimonia ſimoniaco obſit, ſítq; impedimento, ne poſſit alia beneficia obtinere? Reſpondetur ſimoniacum fieri inhabilem ad alia beneficia obtinenda, idque deſumitur ex coſtitutione Pij V. ubi Pontifex ait, ſimoniacum ipſo jure inhabilem reddi ad beneficia obtinenda, hoc eſt, ut beneficijs per ſimoniam acquiſitis ſit ipſo jure privatus, & perpetuò inhabilis ad ea, & rurſus ad quæcunque alia beneficia eccleſiaſtica obtinenda, ut docet Suarez *lib. 5. c. 58. n. 11.* cenſent tamen Navarrus *conſil. 82. de ſimon.* hanc inhabilitatem ad beneficia obtinenda non incurri ipſo jure, eò quia conſtitutio Pij V. quoad hanc partem non ſit recepta: ſiquidem etiam reſpectu ſimoniæ confidentialis exigitur ſententia declaratoria criminis ad contrahendam inhabilitatem reſpectu aliorum beneficiorum. Non enim, qui ſimoniacè obtinuit beneficium ipſo jure privatur beneficijs antea, vel poſtea obtentis, quia hæc pœna nullibi eſt expreſſa: quamvis in *cap. Inquiſitionis de accuſ.* dicatur, quod obtinens beneficium ſimoniacè ſit impeditus à receptione beneficij etiam poſt peractam pœnitentiam, id intelligitur à retentione ejusdem beneficij: vel à retentione cujuscunque beneficij poſt declarationem ſententiæ condemnatoriæ, quia ibi ſimoniacus æquiparatur homicidæ, qui non privatur ipſo jure ſuis beneficijs ante ſententiam condemnatoriam, ſed tantùm eſt privandus, ut deſumitur ex *c. Clerici, vel Monachi*, ubi dicitur, *honore privetur*, hoc eſt per ſententiam condemnatoriam. 41

Cæterum qui ſimoniacè obtinet beneficium eccleſiaſticum, plures ob realem ſimoniam incurrit pœnas. Primò incurrit excommunicationem Papalem. Secundò non acquirit beneficium, eò quia electio ad ipſum, præſentatio, confirmatio, & inſtitutio nullius ſunt valoris, proinde non poteſt fructus ſuos facere; quamvis tertia perſona pecuniam dederit: excipitur tamen niſi promotus apertè contradixerit, vel fraudulenter fuerit à tertia perſona data pecunia, ut nimirum redderetur inhabilis ad tale beneficiom, quia malitia alterius non debet illi præjudicare: vel niſi bona fide poſſederit beneficium per integrum triennium. Tertiò redditur etiam inhabilis ad idem beneficium obtinendum per diſpenſationem Epiſcopi, non tamen ipſo jure privatur alijs beneficijs, nec ad illa obtinenda ſit inhabilis ante ſententiam Judicis: ita plures explicant conſtitutionem Pij V., quia in pœnis ea eligenda eſt opinio, quæ eſt mitior, quandò clarè, & expreſsè non conſtat de voluntate imponentis tales pœnas. 42

Quæritur vigeſimo ſecundò, in quibus contractibus interveniat ſimonia juris humani? 43
Certum eſt, dari aliquam ſimoniam ſolo jure eccleſiaſtico introductam: ſiquidem poteſt eccleſia ſua lege ſtatuere, ut quod ex natura ſua ob partem temporalem vendi poterat, fiat in-

ven-

vendibile ob aliam partem ſpiritualem, cui eſt annexa, non addendo ullam novam ſanctitatem, vel conſecrationem t poſitâ enim hac lege eccleſiaſtica, qui vendit partem illam temporalem connexam alteri ſpirituali, vel dicentem reſpectum, & relationem ad rem ſpiritualem committit ſimoniam de jure eccleſiaſtico, quia violat illius rei ſanctitatem per cootractum venditionis, cui res temporalis connexa ſpirituali, vel dicens relationem ad rem ſpiritualem ſubijceretor. Reſpondetur igitur ad quæſitum, ſimoniam juris eccleſiaſtici, ſeu humani committi in venditione beneficiorum ſecundùm parrem temporalem, ut etiam in venditione quorundam officiorum dicentium relationem ad res ſacras, cujusmodi ſunt officia, Sacriſtæ Oeconomi, vel advocati eccleſiæ, & alia id genus. Quòd enim per venditionem beneficiorum incurratur ſimonia juris humani, plures canones id exprimunt, & docent communiter Canoniſtæ: ſi enim in venditione beneficiorum intendatur tantùm ſubjicere contractui jus percipiendi fructus temporales, adeò ut ipſa dignitas, ſeu officium ſine pretio transferatur, hæc ſimonia eſt juris homani; & tantùm eſſet juris divini, ſi pro ipſa dignitate ſpirituali, ſeu officio pretium exigeretur: illa autem venditio juris percipiendi fructus temporales, ideo eſt ſimonia humana, ſeu inducta ab eccleſia, qnia tale jus nectitur cum re ſpirituali, ſeo cum ipſa dignitate, quam ſecum trahit. Quòd venditio officiorum ſit etiam ſimonia homana, habetur in *c. Salvator. q. 3.* ubi adſertut ipſa authoritas Concilij Calcedonenſis, quæ ntiam refertur in *can. ſi quis Epiſcopus 1. q. 1.* ubi expreſsè habetor, eſſe ſimoniam vendere officium Oeconomi, Vicedomini, Advocati, Sacriſtæ, Caſtaldi: atqui hojusmodi venditio non eſt ſimonia juris divini, quia officia, quæ venduntur, ſunt temporalia, & ordinantur ad temporalium adminiſtrationem: neque illis ineſt nlla ſanctitas per conſecrationem; ſiquidem Oeconomus eſt, qui res eccleſiæ, & canonicoram gubernat, Vicedominus qui gubernat res pertinentes ad Epiſcopum. Advocatus qui præeſt cauſis eccleſiæ tractandis. Caſtaldus eſt. qui coram habet rerum domeſticarum pertinentium ad eccleſiaſticos: cùm igitur hæc officia licèt temporalia, & ordinata ad ſolam adminiſtrationem rerum temporalium dicant relationem ad res ſpirituales, ſeu eccleſiaſticas, eò quia res adminiſtratæ pertineant ad eccleſiam, vel perſonas eccleſiaſticas, ideo venditio talium officiorom eſt ſimonia de jure humano, ſeu eccleſiaſtico, eſt enim in illis officijs quædam dignitas ob conjunctionem, quam habent cum ſacra ſupellectili, vel com rebus, & miniſtris eccleſiæ, & ob talem dignitatem annexam hisce officijs potuit eccleſia ſtatuere, ut eſſent invendibilia, ac immunia ab homano contractu: & hæc immunitas nequit violari, quin etiam violetur dignitas officij, ac incurratur ſimonia.

44 Quæritur vigeſimo tertiò, an redemptio vexationis licita ſit in ordine ad obtinenda beneficia eccleſiaſtica? Reſpondetut non habentem jus in re, ſeu beneficio, non poſſe per oblationem pretij vexationem redimere ab his, qoi non ſolùm obeſſe, ſed etiam prodeſſe poſſunt. Juvat obſervare, jus eſſe duplex, unum ad rem, aliud in re, & illum dici habere jus ad rem in ordine ad beneficia, qui tantùm habet jus remotum, eò quia ſit dignus; vel etiam proximum, eò quia ſit jam electus, vel præſentatus, vel poſtulatus, ſed nondum confirmatus, aut inſtiturus. Eum verò dici habere jus in re, qui jam eſt confirmatus, & inſtitutus, vel collationem ſibi factam de beneficio acceptavit. Quòd verò non habens jus in re non poſſit oblato pretio vexationem redimere ab his, qui poſſunt ſimul obeſſe, & prodeſſe, deſumitur ex *c. Matthæus 23. h. t.* ubi quidam electus à majori parte capituli, quia pauci contradicebant, conſenſit, ut uni ex Electoribus contradicentibus daretur pecunia, ut ceſſaret à contradictione, nec ſe ampliùs opponeret, ejus confirmationi: cúmque res delata fuiſſet ad ſummum Pontificem, reſcripſit Alexander III. eum ſimoniam commiſiſſe, ac debere beneficium dimittere, ſi velit ſalvus eſſe. Ratio ex eo deſumitur, quia dans pecuniam ei, qui poteſt prodeſſe, præſumitur illum inducere ad non opponendum, quod de jure poſſet opponere, & ad præſtandum conſenſum, quod perinde eſt, ac ſibi directè viam ſternere ad ipſum beneficium: hinc nec eſt licitum dare pecuniam Epiſcopo nolenti confirmare, ut ceſſet à tali injuria: ſiqoidem hæc injuria conſiſtit in confirmationis negatione, & negatio non tollitur, niſi per affirmationem, quæ in caſu noſtro eſt ipſa confirmatio, adeò ut dare pecuniam, ut Epiſcopus ceſſet ab injuria, perinde ſit, ac dare pro ipſa confirmatione, quod eſt ſimoniacum. Cæterum, ſi quis modis apertè iniquis conaretur impedire confirmationem detrahendo honori, famæ, & bonæ opinioni ipſius electi, vel corrumpendo alios pecuniâ, ne conſentiant, tùnc redimere hanc vexationem pretio pecuniæ, non videretur in foro conſcientiæ eſſe ſimonia, dummodo daretur pretium ob id præcisè, ur vexans deſiſteret ab iniquo ſuo conatu, quia tunc nec directè, nec indirectè cenſeretur pretium dari pro electione, aut confirmatione, neque ut ceſſet ab actu, quem jure probabili poterat opponere: ſupponimus enim, vexantem nullum habere jus ad opponendum contra electum, & modum, quo opponit, eſſe prorſus iniquum: alioquin ſi haberet aliquod jus probabile ad opponendũ, non liceret oppoſitionem illam peconiâ redimere, quia tunc oppoſitio debilitat jus electi, proinde eo ipſo, quòd electus eam pecuniâ redimit, conſtituit jus ſuum magis firmum, ac certum, adeò ut redimere pecuniâ talem oppoſitionem perinde ſit, ac pecuniâ corroborare jus ad beneficium ſpirituale, quod eſt directè ſibi ſternere viam mediante pecunia ad obtinendum beneficium. Quòd ſi vexatio eſſet manifeſtè iniqua absque ullo jure opponendi, tunc oon eſſet ſimonia ſaltem in foro conſcientiæ ptetio redimere talem ini-

quam

quam vexationem : ratio eſt, quia omnis injuſta vexatio, ex qua parte eſt manifeſtè injuſta, redimi poteſt.

45 Quæritur vigeſimò quartò, an qui nondum habet jus in re, ſeu in beneficio eccleſiaſtico poſſit mediante pecuniâ vexationem redimere, ſi hæc ab ijs intentetur, qui tantùm obeſſe poſſunt, & non prodeſſe? Reſpondetur, videri licitum, oblato pretio redimere talem vexationem, ſi vi, vel fraude hæc intentetur, quia ut docet Sotus *lib. 9. q. 6. art. 1. in reſponſione ad 5.* id non eſt directè viam ſibi ſternere ad beneficium, ſed tantùm iniquam alterius machinationem impedire, eò quia ad ipſum non pertineat de jure opponere : tunc enim directè datur pretium pro ceſſatione ab iniqua, & injuſta machinatione. Tum quia electus, ſeu habens jus in re habet jus acquiſitum in ſua libertate, & fama, proinde ſi det aliquid, ne ejus detrahatur honori, neque lædatur ejus fama, utitur ſuo jure redimendo injuſtam, & iniquam vexationem. Quinimò habens jus in re per confirmationem; vel inſtitutionem, aut liberam collationem poteſt pretio redimere vexationem, ſi fortâſſis aliquis eum velit impedire à capienda poſſeſſione, & ita docent communiter Canoniſtæ, in *c. Matthæus 23. h. t.* Ratio ex eo petitur, quia poſſeſſio ſecundùm ſe præcisè non eſt quid ſpirituale, ſed tantùm in ratione tituli, virtute cujus poſſeſſio capitur: atqui habens jus in re per confirmationam, vel poſſeſſionem, aut liberam inſtitutionem, jam plenè habet titulum, adeò ut accedente nova poſſeſſione non accedat nova ratio ſpiritualis; conſequenter dare aliquid, ne quis impediat poſſeſſionem, non eſt ſimonia, quia ſimplex, & nuda poſſeſſio per ſe eſt adiaphora, & fit ſpiritualis tantùm ex conjunctione cum titulo, & cum electus jam habeat totum titulum, non dat pretium pro re ſpirituali, quia non dat pretium pro eo, quod habet, ſed tantùm pro eo, quod non habet, ſeu pro ſola poſſeſſione, quam ut obtineat, removet impedimentum mediante pecunia. Juvat tamen obſervare, ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 14. de reformat.* Capitulum,vel alios nil poſſe exigere ab ijs, qui ſunt electi, præſentati, inſtituti, vel inſtituendi, confirmati,vel confirmandi ex eo,quòd ſint poſſeſſionem ingreſſuri, vel diſtributionem recepturi, niſi fortâſſis ex antiqua conſuetudine,quæ exiguntur in pios uſus convertantur,alioquin dantes, & accipientes incurrerent ſimoniam, ac pœnas ſimoniacis injunctas, & id eſt, vel maximè notandum contra communem abuſum, hinc etiam Pius V. declaravit, Epiſcopum exigentem aliquid in receptione alicujus in canonicum eſſe ſuſpenſum à Pontificalibus, & capitulum, ſi etiam id exigat, ſubjacere Interdicto, & privatas perſonas ſententiæ excommunicationis. Imò & accipientes talia teneri ad reſtitutionem, ut habetur in Bulla Pij V. quæ declarat decretum Concilij Tridentini, & fuit edita anno 1570.

46 Quæritur vigeſimò quintò, an licitum ſit pecuniam offerre Electoribus, ne eligant Epiſcopum indignum, & ineptum. Certum eſt, non eſſe licitum, pecuniam offerre Electoribus, ut eligant determinatè talem perſonam, quamvis cæteris digniorem, omnique exceptione majorem, quia id perinde eſſet, ac emere actionem ſpiritualem, ſeu electionem, & ipſum beneficium eccleſiaſticum abſque ulla neceſſitate. Reſpondetur ad quæſitum non videri illicitum pecunias offerre Electoribus, ne eligant indignum,& ineptum,quia tunc per pretium pecuniæ non emitur quidquam ſpirituale, ſed habetur mera redemptio injuriæ, quæ fieret eccleſiæ ex electione indigni, & inepti : unde pretium tantùm daretur ad impediendam injuſtam læſionem : ſiquidem eccleſia habet jus, ut non præficiatur eidem Epiſcopus indignus, & ineptus, proinde per talem pecuniam tantùm redimeretur injuſta ejus læſio. Præterea pecunia tantùm datetur ob negationem electionis inepti: atqui non electio inepti, ſeu negatio talis electionis, non eſt quid ſpirituale, nec directè minuit viam ad ſpirituale. Cæterum quamvis non ſit licitum offerte pecuniam pro electione perſonæ particularis dignioris determinatæ, non tamen videtur illicitum offere talem pecuniam pro electione perſonæ dignioris in genere, ut docent Sotus *lib. 9. q. 6. art. 1.* & Cajetanus *tract. de ſimonia q. 3* ratio eſt, quia eccleſia habet jus, ut ei præficiatur Miniſter idoneus, cùm hic ſit eidem maximè neceſſarius : proinde ſi non poteſt obtineri hæc electio Miniſtri idonei, niſi Electoribus detur pecunia, non videtur irreverentia pecuniam tunc offerre, quia vel Electores vellent eligere indignum, & ineptum, & tunc per talem pecuniam tantùm redimitur injuria, ſeu impeditur læſio, quæ fieret eccleſiæ : vel Electores nollent ullum eligere, neque dignum, neque indignum, & tunc videtur etiam licitum mediante pretio eos inducere ad eligendum digniorem, in genere tamen non deſcendendo ad ullam determinatam perſonam: ſiquidem eccleſiæ eſſet valdè pernicioſum, ſi diutiùs deberet Miniſtro carere. Tum quia quando exhibetur pecunia pro re aliqua ſacra neceſſaria ad graviſſimum malum avertendum, cenſetur hæc eſſe quædam redemptio vexationis, quia tunc pecunia datur potiùs pro malo avertendo.

Quæritur vigeſimo ſextò, an ſit ſimonia 47
conferre beneficium propter timorem? Reſpondetur negativè, dummodo nullum interveniat pactum, quia ſicut non eſt ſimonia confiteri ex timore ſacramentaliter, ſumere ſacram ſynaxin ad declinandas pœnas conſtitutas à Prælato; ita neque eſt ſimonia ex timore dare beneficia eccleſiaſtica, & ſpiritualia. Tum quia conferre beneficium ob timorem, eſt illud conferre ad evitandum aliquod malum, quod poteſt eſſe vel odium, & ad hoc vitandum confertur beneficium, ut alter alliciatur ad amorem : vel tale malum poteſt eſſe damnum externum in vita, fama, fortunis, & ad hoc malum vitandum conferre beneficium abſque ulla obligatione, perinde eſt, ac allicere ad benevolentiam: ſecus ſi interveniret pactum

etiam occultum, non excuſaretur à ſimonia, quia obligatio orta ex vi pacti initi eſt pretio æſtimabilis, quia eſt novum vinculum ſuperadditum juri naturali, quo vinculo lege juſtitiæ adſtringitur alter, ut mihi non noceat: ceſſio autem illius juris, & obligationis eſt pretio digna, proinde eſſet, pecuniam dare ſaltem indirectè pro beneficio.

TITULUS IV.

Ne Prælati vices ſuas ſub annuo cenſu concedant.

CUm Pontifex in præcedenti titulo egiſſet generatim de ſimonia, nunc deſcendit ad duos ſpeciales caſus, qui ſimoniaci habentur, ſuntque veluti appendices additæ ſuperiori titulo, cujus propterea ſunt partes quædam, ut liquet ex compilatione facta ab Alexandro III. in Concilio Lateranenſi, ubi ſtatuit, ne quidquam accipiatur pretij pro licentia docendi: néve Prælati vices ſuas ad cauſas terminandas, vel regimen eccleſiaſticum ſub annuo pretio alijs committant.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Quatuor capitum in hoc Titulo contentorum.

C. *PRÆTEREA 1. h. t. Alexan. III. ſtatuit, ut omentes pro pecunia Epiſcopalem juriſdictionem priventur ſuo officio, & Epiſcopi, qui vendiderunt, amittant poteſtatem conferendi tale officium. Ubi notat Gloſſa, Plebanos, & Archipresbyteros non habere juriſdictionem niſi fortaſſis ex conſuetudine* c. ad hæc de exceſſ. Prælat. *Caterum ſi Epiſcopus committat alicui vices ſuas, non peccat, quamvis conſtituat illi Salarium, quod debet eidem conſtituere de ſua camera, cum ille ad id non teneatur* c. quicunque 12. q. 2.

C. *QUONIAM 2. h. t. declarat idem Pont. in Concilio Turonenſi Plebanum, vel Archipresbyterum, qui pretio ſtatuitur, ad agendas vices Epiſcoporum, vel Archidiaconorum, vel ad terminandas cauſas eccleſiaſticas eſſe removendum à Clero, & Epiſcopum, qui diſſimulat perverti ſuam juriſdictionem eſſe puniendum cenſurâ eccleſiaſticâ. Ubi notandum eſt, Epiſcopum non poſſe dare ordinariam juriſdictionem niſi ex conſuetudine, & non poſſe pecuniam accipere pro juriſdictione, quia cùm hac ſit res ſpiritualis, non poteſt pro ejus conceſſione temporale accipi: alioquin eſſet ſimonia.*

C. *QUONIAM ENORMIS 3. h. t. reſcribit idem Pontifex, non debere regimen eccleſia committi ſacerdotibus ſub annuo cenſu, quia ut notat Gloſſa, eligere, vel conſtituere in Prælatum animarum ſub annuo cenſu, eſt ſimonia. Tum quia eccleſiaſtica Prælatio non debet eſſe cenſualis, niſi ab initio fuerit ita conſtituta* c. prohibemus de cenſibus. *Caterum omnes actus juriſdictionis eccleſiaſtica tam externi, quàm interni fori ſunt materia ſimonia, quia ſunt res ſpirituales ordinata ad ſupernaturalem finem regiminis animarum, & id procedit tam de juriſdictione ordinaria, quàm delegata, qua non poteſt accepto pretio concedi ex Tridentino* ſeſſ. 24. c. 5. de reform. *In Romana tamen Curia juxta ſtylum ejuſdem datur certa pecunia, non inſtar pretij, ſed ſubſidij ad ſuſtentandos officiales, Epiſcopi tamen non poſſunt quidquam exigere, cùm ipſi ſubjaceant juri communi.*

C. *QUERELAM ult. h. t. Idem Pont. declarat, fructus, & obventiones eccleſia poſſe locari ad certum tempus, ut ad ſeptennium pro certo annuo cenſu: quòd ſi conventum fuerit intra tale tempus non auferre, ſtandum eſt promiſſis, adeò ut non poſſint auferri. Ubi notat Gloſſa, quòd ſi Locator moriatur, & locavit nomine eccleſia, & pecunia fuit converſa in utilitatem eccleſia, ſucceſſor tunc tenetur ſtare contractui locationis: ſin verò non pro utilitate eccleſia, ſed ſua, locavit, ſucceſſor non tenetur ſtare ad firmam* c. 2. de præbend. *quia anteceſſor non potuit locare ultra ſuum tempus, quapropter, ſi quis ſolvat aliquid ultra eſt illi imputandum. Rurſus licèt hic textus loquatur de eccleſia, non tamen in illo ſumitur eccleſia pro Prælatura, vel Rectoratu, ſed pro redditibus eccleſiaſticis ſeu proventibus eccleſia, in quo ſenſu dicitur eccleſia, ſeu ejus redditus locari annuo cen[illegible] ſpirituale locatur.*

COM-

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quomodo prohibitum ſit Prælatis eccleſiaſticis ſuam juriſdictionem ſub annuo cenſu, ſeu pretio alijs concedere.

1 Continet præſens titulus quatuor capitula, in quorum primo Alexander III. mandat, eos puniri, qui Epiſcopalem juriſdictionem pro pecunia data exercent, ſeu emunt; & privari etiam ſuo officio; & Epiſcopos, qui vendiderunt, amittere poteſtatem conferendi tale officium. In ſecundo Plebanus, vel Archipresbyter, qui pretio ſtatuitur ad agendas vices Epiſcoporum, vel Archidiaconorum ad terminandas cauſas eccleſiaſticas removetur à clero, & Epiſcopus, qui diſſimulat, perverti ſuam juriſdictionem, punitur cenſurâ eccleſiaſticâ: quia Epiſcopus tenetur gratis ſuam juriſdictionem concedere: alioquin incurrit ſimoniam. In tertio prohibet, ne regimen eccleſiæ committatur ſacerdotibus ſub annuo cenſu. In quarto declarat, fructus, & obventiones eccleſiæ poſſe locari ad certum tempus, ut ad ſeptennium pro certo annuo cenſu: quòd ſi conventum fuerit intra id tempus non auferre, ſtandum eſt promiſſis, nec poſſunt auferri.

2 Hinc deſumitur, eccleſiam, vel juriſdictionem eccleſiaſticam ſub annuo cenſu, ſeu pretio non debere concedi, idque etiam probant textus *in c. ſi quis Epiſcopus 1. q. 1. c. fin. 21. q. 2. c. 3. de conſuetud.* & ex Concilio Romano ſub Gregorio VII. *can. 31.* ibi: *Presbyteri non intrent eccleſias conductas pretio ad unum annum, ſicut mercenarij, ſed per manum Epiſcopi, vel Archidiaconi gratis habeant: quamdiu rectè eas regere poterunt.* Refert hunc canonem Antonius Auguſtinus *in epitom. jur. lib. 6. tit. 19.* Ratio ibidem eſt, quia juriſdictio eccleſiaſtica rebus accenſetur ſpiritualibus, quæ nec vendi, nec emi poſſunt ſine ſimonia: quinimò non ſolùm ipſa juriſdictio exercendi miniſterium eccleſiaſticum; verùm etiam nec ipſa temporalis juriſdictio ſine peccato vendi poteſt, idque deſumitur *ex c. præterea 1. h. t.* ubi Alexander III. privat ſuo officio Emptorem, qui Epiſcopalem juriſdictionem pro pecunia, ſeu pretio emit, & Epiſcopum, qui illam vendidit, privat poteſtate conferendi tale officium; eſt conſtitutio hujus capitis declaratoria juris antiqui, & tantùm novam apponit pœnam, proinde quoad hoc non extenditur ad præterita, ſed tantùm ad futura, quia antequam illa conſtitutio emanaret, juriſdictio Epiſcopalis vendi poterat, ut notat Abbas *in d. c. præterea 1. n. 2. h. t.*

3 Verùm in contrarium videtur poſſe objici, quia in materia ſimoniæ correlativa ſunt pro re ſpirituali pretium accipere, & dare; atqui pretium accipere pro juriſdictione eccleſiaſtica exercenda non eſt prohibitum; ſiquidem Vicarius Epiſcopi accipit pretium, & ſtipendium ab eodem Epiſcopo in ordine ad ejus juriſdictionem eccleſiaſticam exercendam: idque valdè frequens eſt, ut habetur *in c. charitatem 12. q. 2. c. pervenit. 28. de appellat. c. extirpandæ §. quia verò de præbend. c. 3. de cleric. ægrot.* ſi igitur pretium dare pro juriſdictione eccleſiaſtica non prohibetur, ita neque prohibitum erit pretium accipere, cum in materia ſimoniæ pretium dare, & accipere pro re ſpirituali ſint correlativa. Augetur etiam difficultas, quia in Curia Romana ante Bullam editam ab Innocentio XII. vendebantur Clericatus Cameræ, Auditoriatus, & alia officia, quibus annexa erat ſpiritualis juriſdictio, proinde videtur licitum pro juriſdictione ſpirituali exercenda pretium dare, & accipere. Tum quia *in c. quæſitum 1. q. 3.* refertur, Epiſcopo ſolvi annum cenſuum à poſſeſſore beneficij, id autem non contigiſſet, niſi ſub annuo cenſu eccleſia concedi poſſet.

4 Verùm hæc non obſtant: non enim in materia ſimoniæ dare, & accipere ſunt ita correlativa, ut ſi Epiſcopus det certum ſalarium ſuo Vicario pro ſtipendio, eò quia exerceat ejus juriſdictionem eccleſiaſticam, ſequitur poſſe ſimiliter Epiſcopum à ſuo Vicario pretium accipere, ut det illi facultatem exercendi ſuam juriſdictionem eccleſiaſticam: ratio diſcriminis eſt, quia Vicarius accipiendo ab Epiſcopo facultatem exercendi ſuam juriſdictionem Epiſcopalem, locat Epiſcopo ſuas operas, ſuúmque laborem temporalem, ſicque poteſt Vicarius exigere ſalarium pro ſuo labore, quia nemo tenetur militare proprijs ſtipendijs *c. cum ſecundum de præbend.* eſt enim Operarius dignus mercede ſua: ſecus Epiſcopus concedens facultatem Vicario exercendi juriſdictionem Epiſcopalem; ſi pretium ab eodem acciperet ex eo, quia ſuas vices ipſi committeret, cenſeretur ſuam juriſdictionem vendere, cùm potiùs Epiſcopus teneatur dare ſalarium Vicario pro ſuo labore, & non ab eodem pecuniam accipere.

Quòd ſi quis non operas ſuas ad ſpiritualem hujuſmodi vicariam locaret, ſed ipſum Vicariatum, ſeu jus conduceret gerendi alienas vices, non excuſaretur à ſimoniâ, quia tunc adminiſtratio poteſtatis ſpiritualis pretio æſtimaretur. Ad id, quòd addebatur de Clericato Cameræ, & Auditoriatu, aliiſque officijs, quæ ante Innocentium XII. vendebantur in Romana Curia, reſpondetur in ijs, & ſimilibus officijs eſſe ſeparandam juriſdictionem eccleſiaſticam, quæ Clerico, & Auditori confertur,

ab emolumento temporali illi ednexo: non enim juriſdictio vendebatur, aut locabatur, ſed tantùm emolumentum ipſius officij, quod eſt quid temporale: ſicut enim Pontifex in beneficijs eccleſiaſticis poteſt ſeparare proventus ipſos à beneficio: ita etiam in hiſce officijs eorum emolumentum temporele ab ipſa juriſdictione, ut docent Suarez *lib. 4. de ſimonia n. 6.* Palaus *diſp. de ſimonia punct. 12. n. 7.* Neque obſtat textus *in c. quaſitum 1. q. 3.* quia cum omnes eccleſiæ olim ed Epiſcopos pertinerent *c. omnes 16. q. 3.* interdum contingebat, ut retenta ſibi certa penſione pro congrua ſuſtentatione, eccleſiam alijs conferrent, ut habetur *in c. paſtoralis de donat.* idque plerúmque fiebat, cum alicujus eccleſiæ regimen noviter ſtatueretur, et beneficium conferretur *c. ſcientes c. prohibemus de cenſib.* non verò poſtea poterat penſio conſtitui *c. prohibemus 7. c. præterea 8. c. ſignificavit 13 de cenſib.*

6 Ratio igitur, cur juriſdictio eccleſiaſtica prohibeetur ſub ennuo cenſu, ſeu pretio concedi alteri, eſt, quia ipſa ſpiritualis poteſtas, & beneficij edminiſtratio videtur pretio æſtimari; ídque cauſæ eſt, ut ſpecies quædam ſimoniæ committatur *c. Salvator §. nomine 1. q. 3.* ſiquidem juriſdictio Epiſcoporum, Sacerdotum, vel Diaconorum, vel eſt omnino ſacre, quæ exercetur in clericos, & continet cauſas proprias eccleſiaſticas; vel eſt mixta, ſeu ſpiritualis, & temporalis ſimul, ut eſt juriſdictio exercenda circa decimas, matrimonia, & alia id genus; & neutra juriſdictio ſine ſimonia vendi poteſt: unde rectè Pontifex ſtatuit, ne pro juriſdictione eccleſiaſtica exercende pretium detur. Tum quia ſi juriſdictio eccleſiaſtica daretur venum, & pretio venderetur, aut locaretur, id procul dubio in grevamen redundaret ſacerdotum, & propterea ſubditi gravarentur: quia tales emptores, ſeu locatores pecuniam præſtitam cum quadruplo, vel quintuplo vellent repetere cum detrimento litigantium; ut etiem innuit Juſtinus Imperator *novel. 8.* inquiens, judices ſine quoquo ſuffragio fiant: ob ſuffragium ſumitur pro penſitatione, cenſu, pactione, locatione, quæ fit conventa mercede.

7 Hinc ſimoniem Epiſcopus committit, ſi Vicarium conſtituat eo pecto, ut ille minus ſtipendium accipiet, quàm ellàs eidem deberetur: vel ea conditione, ut Epiſcopus accipiat eliquam partem proventuum ſpectantium ad Vicarium ratione officij, quo fungitur: quia hoc eſt accipere pecuniam non tanquam ſtipendium, ſed tanquam pretium pro officio ſpirituali, quod aliàs tenetur præſtare: poteſtas enim juriſdictionis eccleſiaſticæ refertur inter ſpiritualia, quæ ſunt materia ſimoniæ; proinde non licèt Epiſcopis, Decanis, Archidiaconis, aliíque eccleſiarum Prælatis juriſdictionem, vel eccleſiam, ſeu vices ſuas alteri ſub annuo cenſu, ſeu penſione annua cedere.

8 Videntur tamen in contrerium opponi textus *in c. conſtitutus de relig dom.* ubi dicitur: Epiſcopum poſſe annua penſione ſibi promiſſa à Monachis eis remittere juriſdictionem diœceſanam, quam in eos exercebat, unde ſic poteſt quis argumentari: in materia ſimoniæ paria ſunt remittere, vel dare *c. veniens de teſtib. c. querelam. c. per tuas de ſimonia:* atqui in prædicto textu *c. conſtitutus* ſupponitur poſſe juriſdictionem Epiſcopalem ſub annuo cenſu remitti: ergo quia poteſt ſub annua penſione concedi. Sed contra, quia in præfato, & ejus ſimilibus textibus Epiſcopus non exigit annuam illam penſionem, ut pretium juriſdictionis remiſſæ, ſed ad probationem antiquæ ſubjectionis, & in argumentum exemptionis conceſſæ, ut habetur *in c. recepimus de privilegijs.* Hinc remittendo juriſdictionem propriam, & ob privilegium exemptionis conceſſum Monachis, poteſt licitè in illo textu annuum cenſum ſibi ſtipulari.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

QUæritur primò, an Plebanus, vel Archipresbyter, qui pretio conſtituitur ad vices egendas Epiſcopi, vel Archidieconi, vel ad terminandas cauſes eccleſiaſticas removendus ſit à clero? Reſpondetur effirmativè, & id deſumi *ex c. quoniam 2. h. t.* & eſt deſumptum ex Concilio Toronenſi. Ratio eſt, quia juriſdictio eccleſiaſtice eſt quid ſpirituale, eſt enim à Deo *Matth. 19.* & illam Epiſcopus ratione ſui officij tenetur gratis exercere: cùm gratis eam acceperit, tenetur etiam gratis illam dare, proinde ſimoniacam labem contrahit, ſi temporali pretio eam det elteri venum. Tum quia hujuſmodi venditio, vel locatio redundaret in non modicum ſubditorum grevamen, & judiciorum ſubverſionem, quia Emptores juriſdictionis eccleſiaſticæ in quadruplum, & ultra vellent ſibi compenſare expenſas datas in emptione talis juriſdictionis; ſicque gravarentur ſubditi, & judicia everterentur; quia ſæpe ſubditi loco pœnæ corporalis damnarentur ad pœnam pecuniariam. Hinc Epiſcopus, vel alius Prælatus, ſi vendat juriſdictionem etiam temporalem ſuæ Prælaturæ, quam obtinuit ab eccleſia, non excuſatur à ſimonia, eò quia talis juriſdictio cum procedat, ac dependeat ab eccleſia, vel ejus capite, ſeu ſummo Pontifice accenſetur rebus ſpiritualibus, quæ ſine ſimonia vendi, aut emi non poſſunt, ut rectè docet Suarez *lib. 4. de ſimonia. c. 20. n. 19.* 1

Quæritur ſecundò, an regimen eccleſiæ committi poſſit ſacerdotibus ſub annuo cenſu? 2 Reſpondetur negativè, & deſumitur *ex c. quoniam enormis 3. h. t.* quia conceſſio regiminis eccleſiarum ſub annuo cenſu perinde eſt, ac datio rei ſpiritualis, vel annexæ ſpirituali pro pretio, quod ſimoniacum eſt. Hinc Prælaturæ, vel Rectoriæ eccleſiarum non debent pretio dari, nec cenſuales eſſe, tametſi eb initio poſſint eccleſiæ conſtitui cenſuales *c. ſcientes 3. c. prohibemus 4. de cenſib.* Unde *in d. c. quoniam enormis* prohibetur, ne ſacerdotibus ec-

eccleſiæ committantur ſub annuo cenſu eccleſiarum regimina, & additur etiam optima ratio, quia dum ſacerdotium ſub annua mercede venale proponitur, ad æternæ remunerationis præmium conſideratio non habetur; quod ſi reſpiceret talis Epiſcopus, vel Prælatus exerceret ipſe juriſdictionem, & regimen eccleſiaſticum; neque ex ejus elocatione lucrum captaret, aut cenſum paſtor mercenarius: vel ſi omnibus non ſufficeret, conſtitueret Vicarios, Officiales, & Decanos, nil ab eis exigendo, ſed ſalarium iiſdem de ſuo, vel eccleſiæ reditibus conſtitueret.

3 Quæritur tertiò, an omnes actus juriſdictionis eccleſiaſticæ tam fori interni, quàm externi ſint materia ſimoniæ? Reſpondetur affirmativè, quia utraque ſimonia eſt res ſpiritualis tendens ad ſpiritualem, & ſupernaturalem finem regiminis animarum: fideles enim per utrámque juriſdictionem diriguntur ad aſſecutionem æternæ ſalutis. Hoc autem procedit. Primò in commutatione utriúſque juriſdictionis tam delegatæ, quàm ordinariæ, neutra enim accepto pretio concedenda eſt *c. ad noſtram*, & ex Tridentino *ſeſſ. 24. c. 5. de reſor.* Secundò debent diſpenſationes gratis fieri, & quamvis in Romana Curia juxta ſtylum, & praxim ejuſdem pro relaxationibus, diſpenſationibus moris ſit, ut ſolvatur certa pecunia; non tamen hæc datur, ut pretium diſpenſationis, ſed inſtar ſubſidij ad ferenda onera Pontificatûs, & ſuſtentandos Officiales: vel etiam ad alia opera pia exercenda: vel in pœnam prioris delicti, ratione cujus quis incurrit cenſuram: vel ad coërcendam nimiam cupiditatem petendi diſpenſationem ex cauſis plerumque non neceſſarijs. Cæterum Epiſcopi pro iiſdem diſpenſationibus nihil poſſunt exigere, quia jure communi, cui Epiſcopi ſubijciuntur, omnia pacta ſuper ſpiritualibus ſunt prohibita, & Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 18.* præcipit, hujuſmodi diſpenſationes eſſe gratis faciendas. Tertiò procedit in omnibus actibus juriſdictionis eccleſiaſticæ contentioſæ, ſeu involuntariæ, ut etiam in abſolutione à cenſuris in foro externo *c. ad aures 24. de ſimon.* Quartò procedit etiam in omni actu, in quo exercetur poteſtas ſupernaturalis gratis data à Deo ad eccleſiam gubernandam, ut docet Redoanus *p. 2. de ſimonia c. 30. n. 13.* Verùm ſtipendium accipere pro congrua ſuſtentatione non eſt illicitum, quia non pertinet ad actum judicij.

4 Quæritur quartò, an actus merè politici, ut cognoſcere de injurijs, & criminibus, de bonis temporalibus inter clericos, legitimare ad honores profanos, & bona temporalia virtute eccleſiaſticæ juriſdictionis, ſint materia ſimoniæ? Reſpondent, nonnulli non eſſe materiam ſimoniæ, eò quia ſit materia merè politica, & temporalis, quæ ſine labe ſimoniæ poteſt pretio vendi, vel redimi. Nihilominus contraria ſententia mihi videtur probabilior, quia ut notat Zoëſius *h. t. n. 26.* hi actus conſiſtunt in uſu juriſdictionis formaliter, & per ſe ſpiritualis, adeò ut per accidens ſit, quòd interdum materia proxima talis actus ſit merè temporalis, & politica: idque vel maximè procedit de juriſdictione annexa officio eccleſiaſtico Epiſcopi, ſeu Prælati.

Cæterum ſi illam habeant à propria, & directa temporali juriſdictione, qualem habent Epiſcopi Germaniæ, qui ſunt Principes Imperij, tales actus politici non ſunt materia ſimoniæ, quia non proveniunt à juriſdictione eccleſiaſtica, ſed à temporali: plures enim Epiſcopi per Germaniam utraque gaudent juriſdictione eccleſiaſtica, & temporali, ſúntque ſimul Principes eccleſiaſtici, & Romani Imperij, & ut Principes Imperij exercent totam illam juriſdictionem, quæ exercetur à Principibus ſæcularibus, unde ſi in rebus merè politicis, ita ſe gerant, ut pretium accipiant, non incurrunt ſimoniam, cum illud non accipiant, ut Principes eccleſiaſtici, ſed ut Principes Romani Imperij. 5

6 Quæritur quintò, an fructus eccleſiæ locari poſſint ad certum tempus pro certo annuo cenſu? Reſpondetur affirmativè, & id deſumi *ex c. querelam 4. & ult. h. t.* ubi cum Magiſter quandam eccleſiam à Rectore ejuſdem ſub annuo cenſu ad ſeptennium ſuſcepiſſet, & idem Rector ante finem unius anni dictam eccleſiam niteretur Magiſtro auferre contra fidem datam, quod ante ſtatutum terminum nollet ipſam repoſcere, mandat Pontifex, ſi conſtiterit ita eſſe, Rectorem prædictum compelli, ut præfatam eccleſiam Magiſtro reſtituat usque ad terminum ſtatutum: ex quo colligitur, eccleſiæ fructus poſſe locari ſaltem ad ſeptennium pro certo annuo cenſu, quòd ſi conventum fuerit intra id tempus non auferre fructus, ſtandum eſt promiſſis, nec poſſunt locati fructus auferri.

Hoc autem procedit ſpectato jure antiquo communi juxta quod fructus, ſeu reditus eccleſiæ, vel beneficij poterant licitè locari, non tamen ad longum tempus, ſed infra decennium: quia de jure novo non poſſunt ampliùs fructus, ſeu reditus eccleſiaſtici locari ultra triennium ſine licentia Pontificis, ut habetur in Paulina *extravag.* quæ incipit, *Ambitioſæ de reb. eccleſ. non alien.* Unde plures cenſent, præfatum textum deſumptum *ex c. querelam 4. h. t.* eſſe correctum per dictam *extravag.* quæ fuit poſterior: ſiquidem Alexander III. qui Author fuit textus *in c. querelam.* obijt circa annum 1181. & longo tempore præceſſit Paulum II. qui edidit *extravag ambitioſæ*, vixitque circa annum 1421. Alij, ut concilient hos duos textus, cenſent Paulum II. in ſua *extravag.* non vetuiſſe locari fructus Eccleſiæ, cujuſmodi ſunt frumentum, oleum, vinum; ſed tantùm vetuiſſe locari ipſos fundos, & prædia, quia quando res eccleſiæ locantur, transfertur jus, ſeu ipſum utile dominium rei: non ita quando ſola commoditas fructuum transfertur in conductorem: ex quo inferunt, non obſtante Paulina extravagante poſſe Rectorem eccleſiæ locare fructus ſui beneficij etiam ad vitam, ut cenſent Covarruvias *lib. 2. reſol. c. 16. n. 6. in fin.* Redoanus *tract. de rebus eccleſ. non alien. q. 58. n. 44.* 5

7 Verùm putârim, in prædictâ Paulina extravag. non ſolùm prohiberi locari ultra triennium ſine licentia Pontificis fundos, & prædia, ſed etiam ipſos fructus: hæc enim ſententia in puncto juris eſt verior, quia Paulina Extravag. prohibet generaliter omnes res, & bona eccleſiaſtica locari ultra triennium, & cum fructus beneficiorum revera ſint bona eccleſiaſtica, comprenenduntur in dicta Extravag. idque vel maximè colligitur ex eo, qoia ibi tantùm excipiuntur fructus, & bona, quæ ſervando ſervari non poſſunt, proinde includuntur alij fructus, qui ſervando ſervari poſſunt; quapropter ſi fructus ultra triennium ſervari poſſunt; locari ſine licentia Pontificis non poſſunt ultra triennium: idque ne clerici præſentem pecuniam anticipatis ſolutionibus pro fructibus plurium annorum recipientes, eam ſimul expendant, & futuris poſtea fraudentur alimentis, ad quæ ſunt deputati reditus eccleſiarum, quod ſanè in non modicum redundaret præjudicium ſacerdotum.

8 Juvat etiam obſervare, quòd ſi fructus temporales eccleſiarum proveniant ex eccleſiaſtica juriſdictione locari non poſſunt ſub annuo cenſu ei, qui talem juriſdictionem exercet, tametſi locentur, vel vendantur ſeorſim ab ipſa juriſdictione: ratio eſt, quia jus percipiendi tales fructus non ſeparatur à juriſdictione, ex qua proveniunt; conſequenter, qui venderet jus percipiendi fructus, venderet etiam juriſdictionem *c. ſi quis 7. cauſ. 1. q. 3.* Sin verò fructus non proveniunt ex juriſdictione, tunc poſſunt locari etiam ipſi exercenti juriſdictionem, dummodo hæc non vendatur, ſed tantùm concedatur, & fructus ſeorſim locentur, vel vendantur *arg. 2. ad quæſtiones 6. de rer. permut.* & fusè docet Fagnanus *in c. quoniam 2. n. 13. & 14. h. t.* Juvat tamen obſervare, quòd aliud eſt vendere jus percipiendi fructus provenientes ex juriſdictione eccleſiaſtica, & aliud vendere ipſos fructus: primum eſt prohibitum, & ſimoniacum jure eccleſiaſtico, eò quia jus percipiendi fructus ſit annexum juri ſpirituali exercendi officium eccleſiaſticum, quia beneficium datur propter officium: ſecundum verò non eſt prohibitum; quia fructus ſunt quid temporale, & ex ſe præcisè vendi, & locari poſſunt.

9 Quæritur ſextò, an qui vicariatum Epiſcopi emit, teneatur illud reſignare, & Epiſcopus acceptum pretium reſtituere? Reſpondent Navarrus *in manual. c. 23. n. 111. verſ. ad decimum tertium.* Lopez *inſtruct. p. 1. c. 307.* teneri vicariatum reſignare. Sed contraria ſententia, quam docent Diana *tractat. 7. de ſimonia reſolut. 9.* Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 2. c. 3. dub. 113. n. 6.* & alij, eſt probabilior, quia jura tantùm ſtatuunt, eſſe beneficia reſignanda, quando pretio temporali emuntur: atqui vicariatus Epiſcopi non accenſetur beneficijs, conſequenter non tenetur Emptor illum reſignare, quia materia de ſimonia, cùm odioſa ſit, non debet ampliari, ſed potiùs reſtringi, & cum jura tantùm loquantur de beneficijs, non debet lex pœnalis extendi ad vicariatum Epiſcopi; cùm hic non ſit beneficium. Quòd verò ad Epiſcopum attinet, num teneatur iſtud pretium reſtituere, ejus reſolutio dependet ex illa quæſtione, an tantùm pretium receptum pro ſimonia commiſſa in Ordine, beneficio, & ingreſſo religionis ſit neceſſariò reſtituendum. Plures affirmant, inter quos Navarra *de reſtitut. lib. 2. c. 2. n. 405. & lib. 4. c. 2. n. 134.* Covarruvias *in reg. peccatum. p. 2. §. 2. n. 7.* Communior tamen ſententia docet, teneri quidem pretium ſimoniacè receptum reſtituere poſt judicis ſententiam, non verò ante; ſi tale pretium fuerit ſimoniacè receptum extra ſimoniam in beneficio, Ordine, & ingreſſu religionis, quia jure divino ad id non tenetur: & jure eccleſiaſtico nemo tenetur ante judicis ſententiam reſtituere, eò qoia jus eccleſiaſticum non obligat ipſo facto ad reſtituendum extra tres prærecenſitos caſus ſimoniæ commiſſæ in beneficio, Ordine, & ingreſſu religionis; adeò ut jue eccleſiaſtico tranſlatio dominij non impediatur niſi in ſimonia Ordinis, beneficij, & ingreſſus religionis, ut docet Sotus *de juſtit. lib. 9. q. 8. a. 1. ad 6.*

10 Id tamen procedit, quando res ſpiritualis eſt tradita, quia ſi nondum ſit tradita, pretium eſt ſtatim reſtituendum, & quidem danti ante judicis ſententiam, ut docent Molina *tom. 1. tract. 2. diſp. 92.* Medina *in ſumma lib. 1. c. 14. §. 21.* Sotus *de juſtit. lib. 9. q. 8. a. 1.* ratio id ſuadens eſt, quia dans non aliter abdicat à ſe dominium, niſi ut illud in recipientem transferat; proinde ſi recipiens eſt incapax, non fit tranſlatio dominij, quod propterea remanet apud dantem: unde qui recepit tale pretium, tenetur illud reſtituere ei, ad quem pertinet dominium ejuſdem; conſequenter reſtitutio debet fieri danti, & licèt per ſententiam judicis poſſet reſtitutio fieri eccleſiæ, cui illata eſt injuria, vel pauperibus; quia tamen pœna non obligat ante judicis ſententiam, ideo præcisâ ſententiâ judicis reſtitutio facienda eſt ei, qui pretium dedit. Cæterum cum ſententia aſſerens etiam ante ſententiam judicis pretium eſſe reſtituendum eccleſiæ, cui fuit injuria illata, vel pauperibus, ſit probabilis; eámque doceant D. Thomas *2. 2. q. 100. art. 6. ad 4.* D. Antoninus *p. 2. tit. 1. c. 5. §. 7.* Aragon. *in 2. 2. q. 32. a. 7.* Cajetanus *V. reſtitutio c. 1.* ideo poteſt reſtitutio fieri etiam eccleſiæ læſæ, vel pauperibus prout ipſi magis placuerit.

11 Quæritur ſeptimò, an annatæ, ſeu integri fructus primi anni, qui ex Epiſcopatibus, Prælaturis, & alijs beneficijs vacantibus colliguntur, ſi reditus beneficij ſummam 24. aureorum excedant, pertineant ad materiam ſimoniæ. Fusè de hac quæſtione agit Proſper Fagnanus *in c. Præterea 1. h. t.* & cum eodem reſpondetur, non pertinere ad materiam ſimoniæ, & nec eſſe contra jus divinum, aut eccleſiaſticum, ſi rationabiliter exigantur, adeò ut etiam juxta concordata Germaniæ §. *placet* ſint ſolvendæ, quia ſicut olim ſummo ſacerdoti, & Pontifici veteris legis à minoribus ſacerdotibus, & Levitis decimæ decimarum ſuarum ex divino

divino præcepto ſolvebantur, ut habetur *Num. c. 18.* ita etiam ſummus ſacerdos in lege evangelica, ſeu Pontifex poteſt à reliquis eccleſiæ miniſtris annatas exigere.

13 Secundò, quia Epiſcopus poteſt imponere omnibus eccleſijs, & beneficiatis ſuæ diœceſis, ut ſubminiſtrent chatitativum ſubſidium pro ſuis neceſſitatibus: ergo etiam Papa poterit à fortiori tale ſubſidium exigere à cleticis omnibus beneficiarijs, cum ſit ſummus Pontifex Epiſcopus univerſalis, ſeu Catholicæ Eccleſiæ.

14 Tertiò, quia poteſt Pontifex, quando alicui confert beneficium fructus illius reſervare, vel ex toto, vel ex parte, ut ſuccurrat alterius indigentiæ; vel etiam annuam penſionem beneficio imponere: quod autem Pontifex poteſt in alterius gratiam ſacere, id poterit etiam jure præſtare in commodum ſuæ Cameræ, vel ſuorum miniſtrorum, ſi indigeant, cum & ipſis debeantur ſua ſtipendia.

Tum quia annatæ non exiguntur, nec ſolvuntur pro ipſa collatione beneficij, tanquam 15
pretium debitum conferenti, ſed tantùm pro ipſis fructibus temporalibus, qui pro ptimo illo anno pertinent ad ſummum Pontificem, & quidem juſto titulo in ſubventionem ſuæ dignitatis, & ſedis; quia cum curam gerat omnium inferiorum paſtorum, ac clericorum, æquitas naturalis exigit, ut de communibus totius eccleſiæ redditibus alatur, ſuóſque Miniſtros, & Officiales ſuſtentet, cum eorum opera neceſſaria ſint in regimine univerſalis eccleſiæ.

TITULUS V.

De Magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

ALia ſpecies ſimoniæ, quæ tanquam corollarium, ſeu appendix adjicitur ſuperiori titulo de ſimonia in communi, eſt præſens titulus, in quo Pontifex prohibet, ne aliquid exigatur pro licentia docendi: ſiquidem ſi pretium exigeretur, quandam redoleret ſimoniam, quia Magiſtris incumbit onus docendi, & ſi jam habeant ſalarium pro congrua ſuſtentatione, non debent pro licentia docendi quidquam exigere, quia cum hæc licentia procedat ex juriſdictione, vel officio aliquo ſpirituali, eſt ſpiritualis, vel ſaltem annexa ſpirituali, conſequenter non poteſt pro illa pretium exigi.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *QUONIAM 1. h. t. Ex Concilio Lateranenſi ſtatuitur, ut eccleſia Cathedralis teneatur providere de Magiſtro, qui clericos, & pauperes Scholares gratis doceat, & Magiſtro competens beneficium præbeatur. Rurſus prohibetur, ne quis pretium exigat pro licentia docendi: nec ab eis, qui docent, aliquid exigatur ſub prætextu conſuetudinis: neque interdicatur alicui idoneo petitâ licentiâ legere, & mandat Concilium privari beneficio præſumentes contrarium. Et notat Gloſſa, pretium exactum ob licentiam docendi eſſe reſtituendum.*

C. *PROHIBEAS 2. h. t. Alexander III. reſcribit, pretium exactum pro licentia docendi eſſe reſtituendum, promiſſum eſſe remittendum, eò quia ſcriptum ſit, gratis accepiſtis, gratis date. Rurſus ſtatuit Pontifex, quòd ſi inferior nondum inſtituit Magiſtros in locis debitis, ſuperior debeat præficere viros providos, honeſtos, & diſcretos, poſtpoſita appellatione. Notandum eſt, per licentiam docendi hic non intelligi gradum Licentiatus academici, ſed ipſam facultatem docendi, quæ non poteſt negari idoneis, quamvis nullo ſint academico gradu inſigniti. Dare autem aliquid pro gradibus Academicis, ut pro Doctoratu, Licentiatu, Magiſterio non videtur eſſe ſimoniacum, quia tales gradus non ſunt quid ſpirituale, ſed tantùm quoddam teſtimonium ſcientiæ ſtudio, & labore partum: vel approbatio ad officium docendi cum certis privilegijs, & honoribus temporalibus, quæ omnia, cùm ſint temporalia, poſſunt etiam pretio temporali æſtimari. Aliud enim eſt accipere pretium pro Licentia docendi, & aliud pro Academico gradu recipiendo. Primum enim eſt prohibitum, ſaltem ut iniquum in hoc textu, nec promotor ad gradum academicum abſolutè dat licentiam docendi, ſed tantùm ex parte ſcientiæ teſtatur eſſe ſufficientem ad docendum. Cæterum dare licentiam abſolutè docendi pertinet ad Superiores, & Epiſcopos, qui non poſſunt hanc licentiam pro pretio dare.*

C. *QUANTO 3. h. t. Idem Pont. ſub pœna excommunicationis, & privationis officij, vel dignitatis prohibet, ne quis pro licentia docendi pecuniam exigat, & mandat tolli conſue-*

tudinem

tudinem contrariam. Ubi notandum eſt, quòd quamvis pro licentia docendi non poſſit quidquam exigi, pro labore tamen, & opera tradendi ſcientias videtur poſſe aliquid accipi, quia licèt ſcientia ſit aliquid ſpirituale inhærens intellectui ſpirituali, non tamen eſt quid ſpirituale eo ſenſu, quo in materia ſimoniæ ſumitur ſpirituale. Tum quia labor, & induſtria docendi non eſt aliquid ſpirituale, ſed materiale proinde pretio æſtimabile.

C. *QUIA NONNULLIS 4. h. t. Innocentius III. in Concilio Generali innovat, & confirmat ſtatutum Concilij Lateranenſis relatum* c. 1. h. t. *ut non ſolùm in Cathedrali, ſed etiam in qualibet eccleſia habente facultates ſufficientes conſtituatur Magiſter idoneus à Prælato cum Capitulo eligendus cum majori, & ſaniore parte, & qui gratis Clericos eccleſiæ in grammatica, & alios inſtruat. Rurſus ut in Metropolitana eccleſia inſtituatur Theologus, qui ſacerdotes, & alios inſtruat in ſacra pagina, & præſertim in iis, quæ ad curam pertinent animarum. Rurſus ut cuilibet Magiſtro aſſignentur à Capitulo proventus unius præbendæ, & pro Theologo tantundem quamdiu legit: non tamen propter hoc efficiantur Canonici. Demum ſi eccleſia Metropolitana nimis gravetur duobus, injungitur Epiſcopo, ut provideat de grammatico in alia eccleſia ſufficiente ſuæ civitatis, vel Diœceſis. Ex hoc textu colligitur, poſſe aliquem habere præbendam ſine canonia: & Lectorem non habentem aliquod beneficium conſtitutum poſſe collectam diſcipulorum accipere, quia non tenetur ſuis ſumptibus docere* c. cum officij de præſcript. *Quòd ſi habeat ſufficiens beneficium, non poteſt à Clericis eccleſiæ, nec à pauperibus collectam exigere. Cæterum plura ſalubriter circa hoc ſtatuuntur in Concilio Tridentino* ſeſſ. 5. de reform. c. 1. *maximè de Lectore ſacræ ſcripturæ, quæ omnia obſervanda ſunt.*

C. *SUPER SPECULA 5. h. t. Honorius III. ſtatuit, ut Prælati, & Capitula mittant ad ſtudium Theologiæ aliquos docibiles, qui deinde poſſint in eccleſia docere, & illi ſubminiſtrent neceſſaria, ſi eccleſiaſtici proventus non ſufficiant, & ſtudentes per quinquennium percipiant fructus integros ſuarum præbendarum, & beneficiorum, ut etiam Doctores Theologi quamdiu docent non obſtante ſtatuto contrario. Idque ut tam Magiſtri, quàm diſcipuli incitentur ad ſacra ſtudia.*

IN SEPTIMO.

C. *PAUPERES 1. h. t. Julius III. reſcribit Rectori, & Univerſitati Almæ Urbis, ut inſtitutio, & promotio ad inſignia Doctoratûs in favorem pauperum gratis fiat, adeò ut pauperes, & egeni, qui deprehenduntur idonei ad ſuſcipiendum gradum Doctoratûs in utroque, vel altero jurium debeant gratis promoveri pro DEO.*

C. *IN SACROSANCTA 2. h. t. Pius IV. prohibet, ne Profeſſores, & Doctores promoti, & promovendi in quacunque facultate, tam electi, quàm eligendi ſe ingerant ad officiorum exercitia, niſi prius ſolemne fidei juramentum emiſerint juxta formam in hac decretali præſcriptam. Adeò ut nullus Doctor, Magiſter, aut Regens, vel alius cujuſcunque artis, & facultatis Profeſſor, ſive Clericus, ſive Laicus, vel cujuſvis Ordinis Regularis ſit, in quibusvis ſtudiorum generalium univerſitatibus, aut Gymnaſiis publici, vel alibi qui ordinariam, vel extraordinariam lectoris cathedram aſſequi, vel retinere poſſit, niſi priùs emiſerit ſolemne hoc fidei Profeſſionis juramentum.*

IN CLEMENTINIS.

C. *INTER 1. h. t. Clemens V. in Concilio Viennenſi ſtatuit, ut in ſtudiis Romanæ Urbis, Pariſienſis, Oxonienſis, Bononienſis, Salmantinæ eligantur duo viri Catholici, & periti pro ſingulis linguis Hebraica, Arabica, & Chaldaica, qui ſcholas regant, libros in latinum transferant, & alios doceant: pro quibus providendis contribuant omnes Prælati Eccleſiæ, Monaſteria etiam exempta, non obſtantibus quibuscunque privilegiis. Textus eſt prolixus; & hodie in omnibus Academiis non obſervatur præſertim in Oxonienſi, quæ cum ſubſit hæreticis Anglis, ſaltem intuitu hujus Pontificij Canonis non obſervatur.*

C. *CUM SIT NIMIS ult. hujus t. Idem Pont. ſtatuit, ut qui ad Doctoratûs, ſeu Magiſterij aſſumuntur honorem, debeant juramentum emittere, quòd in ſolemnitate Doctoratûs non expendant ultra taxam, quæ taxanda erit ſecundùm qualitates perſonarum; & ad ſummum non excedant tria millia argentorum Turonenſium. Quòd ſi Doctorantes non recepto hoc juramento, dent titulum Doctoratûs eo ipſo ſint ſuſpenſi à collatione Doctoratus, vel Magiſterij per ſex menſes, quamvis ſint Epiſcopi. Ubi notat Gloſſa, quòd ſi quis intra ſex menſes ſuſpenſionis alium doctorat ſine juramento, iterum currit ſuſpenſio ſex menſium ab illo ſecundo actu: & ſi ſuſpenſio erat occulta, Doctoratus valet: ſecus ſi publica: & celebrans in tali ſuſpenſione ſit irregularis.* c. is, qui de ſent. Excommun. in 6. *Turonenſis, de quo loquitur textus, fuit moneta Gallica, cujus valor non explicatur.*

COM-

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quomodo Magiſtri conſtituendi ſint in eccleſijs cathedralibus, & an licitum ſit aliquid exigere pro licentia docendi.

1 MAgiſter generatim eum ſignificat, cui præcipua cura alicujus incumbit, *l. cui præcipua 57. ff. de V. S.* quo pacto, qui militibus præeſt, Magiſter dicitur militum *tot. tit. C de magiſt. milit.* & *in l. unde de offic. judic. mil. lib. 6. ff. de domeſt. & protect. lib. 12. C. de veteran.* dicitur Magiſter utriusque militiæ, qui toti præeſt exercitui: qui præeſt equitibus, equitum Magiſter audit teſte Varrone *lib. 4. lingua latina.* eò quia ſit illi ſumma poteſtas in equites. Magiſtri Scriniorum, qui caſſulis, in quibus Principum reſcripta conſervabantur, præfecti erant; quo in honore Ulpianum juris conſultum fuiſſe apud Alexandrum Imperatorem teſtatur Lampridius. Magiſter populi dicebatur dictator, eò quia ſumma poteſtas in populum eſſet, & reliqui minores magiſtri dicebantur magiſtratûs. Magiſtri legum vocantur in proœmio Pantectarum, quos hodie Doctores dicimus, hinc credendum eſt, fluxiſſe hanc appellationem, ut auditores Romanæ Rotæ adhuc hodie magiſtri dicantur, quaſi ad eam legum peritiam deducti, ut magiſterio fungi poſſint. Juxta verò præſens inſtitutum Magiſter ſumitur pro eo, qui litteras docet, ſeu quamlibet profitetur diſciplinam, adeò ut Magiſter ſuam hauriat nomenclationem à monſtrando *l. cui præcipua 57. ff. de V. S.* Alij verò preſſiùs loquendo magiſtros eos tantùm vocant, qui artium liberalium, & ſupremum Theologiæ gradum ſunt aſſecuti: & alios, qui juris Canonici, vel Cæſarei ſummum gradum ſunt conſecuti, Doctores vocant juxta Gloſſam *in clement. 1. in V. Doctoratus h. t.*

2 Eccleſia igitur cathedralis debet providere de Magiſtro, qui clericos, & pauperes ſcholares gratis doceat, ita tamen ut eidem Magiſtro competens præbeatur beneficium pro congrua ſui ſuſtentatione, ut deſumitur *ex c. quoniam 1. h. t.* ubi Alexander III. ex Concilio Lateranenſi mandat, in unaquaque cathedrali conferri competens beneficium magiſtro, qui clericos ejusdem, & ſcholares pauperes gratis doceat: & pro licentia docendi prohibet pretium exigi, ut etiam obtentu conſuetudinis à docentibus aliquid quæri; neque debere quemquam interdici ad docendum idoneum, ſi licentiam petat: & contravenientes mandat eccleſiaſtico beneficio privari. Ex quo textu colligitur, quamlibet eccleſiam cathedralem, vel etiam collegiatam habentem ſufficientes reditus teneri providere de una præbenda Magiſtro, qui Clericos ejusdem eccleſiæ, & pauperes ſcholares grammaticam gratis doceat, & ſicut magiſter percipit fructus præbendæ ab una tantùm eccleſia, non tenetur clericos, niſi fortaſſis ſint pauperes, alterius eccleſiæ docere: à divitibus enim, qui non pertinent ad eccleſiam, à qua præbendam accipit, poteſt licitè accipere ſtipendium pro ſuo labore, cum pro ipſis præbendam non habeat, & deſumitur *ex c. quia nonnullis 4. h. t.* ubi Innocentius III. in Concilio generali confirmat, quod ſub Alexandro III. ſtatutum fuerat in Concilio Lateranenſi, & habetur *in c. quoniam 1. h. t.* nimirum, ut in unaquaque eccleſia cathedrali magiſtro alicui, qui gratis doceat, competens beneficium præbeatur: & addit, ut non ſolùm in qualibet cathedrali id fiat, ſed etiam in alijs eccleſijs, quarum ſufficiunt facultates, conſtituatur ejusmodi idoneus magiſter à Prælato cum capitulo, qui clericos, & alios gratis inſtruat in grammatica: & quòd Metropolitana eccleſia habeat theologum, aſſignatis à capitulo unius præbendæ proventibus; & licèt non ideo efficiatur canonicus, reditus tamen percipiat, quamdiu perſtiterit in docendo: ſi Metropolitana duobus providere non poſſit, provideat ſaltem Theologo, Grammatico autem in alia eccleſia ſuæ diœceſis faciat provideri.

Ex quo textu colligitur, poſſe aliquem habere præbendam ſine canonicatu. Præterea 3 ſi magiſter non habeat aliquod beneficium, nec reditus, poſſe licitè collectam diſcipulorum accipere, quia non tenetur docere ſuis ſumptibus *c. cum offic. de præſcript.* Sin verò habet beneficium, ſed non ſufficiens, poteſt petere collectam à divitibus, non verò à clericis illius eccleſiæ, nec à pauperibus. Rurſus pro licentia docendi non poteſt licitè aliquod pretium exigi, eò quia gratis danda ſit; eſt enim donum Dei; idque non obſtante contraria conſuetudine; quia id quaſi ſimoniacum cenſetur; tametſi propriè loquendo ſit tantùm turpe lucrum, ut notat Gloſſa *in c. quoniam 1. h. t. V. conſuetudinis.* quinimò vendenti licentiam docendi, & etiam impedienti idoneum ad docendum injungitur pœna privationis beneficij eccleſiaſtici, ſiquidem denegans idoneo licentiam docendi, denegat doctrinam ignorantibus.

Quòd verò in qualibet eccleſia cathedrali 4 providendum ſit de Magiſtro, qui Clericos ſcholares pauperes doceat, & ne pro licentia docendi quidquam exigatur in pluribus alijs Concilijs habetur; præſertim in Cabilonenſi ſub Carolo. *can. 3.* ibi: *Scholas Epiſcopi conſtituant, in quibus & liberales ſolerter diſciplinæ, & ſacræ ſcripturæ documenta diſcantur.* In Tru-

leuſi *p. 2. c. 10.* ubi habetur, *deprecandi ſunt pij Principes noſtri, & omnes fratres, & præſertim Epiſcopi noſtri inſtantiſſimè commonendi, ut ubicunque omnipotens Deus idoneos ad docendum, ſeu fideliter, ſeu veraciter intelligentes donare dignetur, conſtituantur undique ſcholæ publicæ, ut utriuſque eruditionis divinæ ſcilicet, & humanæ in eccleſia DEI fructum valeat accreſcere:* & in Romana Synodo ſuaſu Ludovici, & Lotharij habita *can. 3.* ſtatuitur ut magiſtri, & Doctores in ſingulis locis conſtituantur, qui liberales artes aſſiduè doceant: & ſi tales non inveniantur, tum divinæ ſcripturæ Magiſtri, & inſtitutores eccleſiaſtici officij nullatenus deſint. Verùm in contrarium poſſet quis obijcere, quia proprium officium Epiſcopi ſit populum in eccleſia docere, ut docet Barboſſa *de poteſt. Epiſc. p. 1. tit. 2. Gloſſa 10.* unde non videtur neceſſe, inſtitui Magiſtros in eccleſijs cathedralibus ad docendum, cum huic muneri teneatur Epiſcopus per ſe ſatisfacere. Præterea quamvis Magiſter inſtitui deberet, qui publicè doceret ſacram theologiam, vel ſacros canones, non tamen docere grammaticam decet canonicum, & in dignitate eccleſiaſtica conſtitutum. Hinc D. Gregorius relatus *in c. turbat 37. diſt. c. cum multa 86. diſt.* quendam corripit Epiſcopum, eò quia grammaticam edoceret: ergo pro grammatica docenda non debet clericus Magiſter conſtitui in eccleſia cathedrali.

5 Præterea etiam videtur captu difficile, quod additur in *d. c. quoniam 1. h. t.* nimirum non poſſe pretium recipi pro concedenda licentia docendi, ſiquidem pro docendo impunè pecunia recipitur, licèt agatur de ſacra theologia: ratio eſt, quia tametſi ſcientiæ ſint res ſpirituales, procedunt nihilominus à ſpiritu humano, & acquiruntur induſtriâ, ac labore. Tum quia moris eſt, ut in inſignioribus Academijs pro gradibus concedendis in omnibus facultatibus pecunia exigatur, ut fusè oſtendit, & defendit Mendo *lib. 2. c. 11. de jure academico per tot.* unde pro licentia docendi, & ipſa doctrina videtur poſſe impunè pretium exigi.

6 Verùm licèt proprium Epiſcopi officium ſit, populum in eccleſia docere, exinde non ſequitur, quòd non debeant etiam alij eſſe in eccleſia DEI Doctores, ut liquet ex Divo Paulo ad *Epheſ. cap. 4.* & ex illis canonibus, qui prohibent, ne quis nomen ſibi aſſumat Doctoris, niſi qui ad illud munus electus eſt. Hinc licèt Epiſcopus ratione officij teneatur in communi populum docere, adhuc tamen ſpeciales magiſtri inſtitui debent, qui grammaticam pueros doceant. Ad id quod addebatur ex D. Gregorio relato *in c. turbat 37. diſt.* reſpondetur, Epiſcopum illum fuiſſe à D. Gregorio reprehenſum, eò quia nimis impensè deditus erat ſtudio grammaticæ, & humaniorum litterarum, neglectu Theologiæ, & ſacrorum canonum, ut notat Ramirez de Pardo *in Sobedias. n. 53.* ſiquidem ad officium pertinet Epiſcopi operam impendere ſtudijs ſacræ theologiæ, & ſacrorum canonum, non verò totam operam litteris dare humanioribus, quæ plus præſeferunt amœnitatis, quàm utilitatis. Ad aliud, quod addebatur de pretio, quod prohibetur recipi pro licentia docendi; reſpondetur, *in d. c. quoniam 1. h. t.* non prohiberi exactionem pecuniæ per Magiſtrum à diſcipulis pro ſcientiarum doctrina: certum eſt enim in hac pretij exactione nullam committi ſimoniam, quamvis theologiam quis doceat alios, quia hujuſmodi ſcientiæ procedunt à labore naturali, ut rectè probat Wiesfeld in *Rubric. de ſimonia* unde ſtipendia, & ſalaria præceptorum fuerunt jure civili approbata. Hinc Paulus, & Julianus *in l. cum tutoris 12. §. 3. ff. de adminiſt. tut. l. 4. ff. ubi pupillus educari*, docuerunt, poſſe mercedem conſtitui pro Præceptoribus, & *in l. duo 71. ff. pro ſocio*, refertur, duos ſocietatem coiviſſe, ut grammaticam docerent certo ſtipendio, & ſalario conſtituto. Illa tamen retributio, quæ Profeſſoribus juris, & Philoſophiæ datur, non merces, ſed honorarium dicitur *l. 1. §. an & Philoſophis ff. de varijs, & extraordin.* Stipendium verò, quòd Rhetores, & Grammatici accipiebant, Minerval dicebatur, ut notat Retes *de donat. c. 3. n. 12.*

Quòd ſi Magiſter beneficium, aut publicum ſtipendium ſufficiens habeat, non debet ullum ſtipendium à diſcipulis exigere juxta *c. quoniam 1. h. t.* ubi prohibetur etiam pro licentia docendi concedenda pretium exigi, non quia id ſit ſimoniacum; ſed quia ad ſimoniæ crimen proximè accedat, ſiquidem qui avara cupiditate pro licentia docendi aliquid temporale extorquet à viris doctis, qui ad ſcientiarum cognitionem viam muniunt, videtur impedire, ne viri docti alijs communicent ſuam doctrinam, & cum potiùs deberet eos precibus, & muneribus ad docendum allicere; per expoſtulatum pretium potiùs eos arcet à doctrina alijs communicanda. Cæterum quòd moris ſit ut in clarioribus Academijs pro gradibus Baccalaureatûs, magiſterij, & doctoratûs, aliquid pretij exigatur, non tunc exigitur talis pecunia pro licentia docendi, ſed pro honoribus, & emolumentis temporalibus, quibus promoti ad tales gradus perfruuntur, cum enim hujuſmodi honores ſint temporales, & pretio æſtimabiles, nil obſtat, quin poſſit aliquid temporale pro ijſdem exigi. 7

Hinc quamvis dare, vel accipere pretium pro conceſſione licentiæ, ſeu facultate docendi, non ſit propriè ſimoniacum, eò quia actus docendi non ſit res ſacra, nec actus poteſtatis ſpiritualis ſupernaturalis, pro quo nequit pretium dari, vel accipi: adhuc tamen pretium datum, vel acceptum reſtitui debet, eò quia denegare licentiam, ſeu facultatem docendi idoneo, niſi pecuniam ſolvat, injuſtitiam continet, quia redundat in gravamen docentium, & diſcentium; cum viri docti potiùs prœmijs ſint alliciendi ad docendum, ut notat Zoëſius *in comment. n. 1. h. t.* quòd ſi pretium tantùm promiſſum fuit, & non ſolutum, remitti debet, quia turpes, & illicitæ promiſſiones ſunt nullæ, proinde nullam inducunt obligationem. Hoc totum 8

tum ſtatuitur in *c. prohibens 1. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, pretium exactum pro licentia docendi eſſe reſtituendum, & promiſſum remittendum, eò quia ſcriptum ſit, *gratis accepiſtis, gratis date.* Ubi Gloſſa notat, quòd quamvis in hac datione videatur turpitudo ex utraque parte, & in tali caſu melior eſſet conditio poſſidentis; attamen præcipitur reſtitui non in favorem dantis, ſed in odium recipientis, *ut in c. veniens de ſimonia*, vel quia dans non deliquit, quia quaſi coactus redimit jus ſuum.

9 Quinimò non ſolùm in cathedrali, ſed etiam in qualibet alia eccleſia habente facultates ſufficientes conſtitui debet Magiſter idoneus à Prælato cum capitulo; ſeu cum majori, & ſeniori parte capituli eligendus, qui gratis clericos eccleſiæ in grammatica, & literis humanioribus inſtruat. Et in Metropolitana eccleſia inſtituendus eſt Theologus, qui ſacerdotes, & alios inſtruat in ſacra theologia, & præſertim in his, quæ ad curam pertinent animarum, & cuilibet Magiſtrorum aſſignari debent à capitulo proventus unius præbendæ, & pro Theologo tantundem dum legit, quamvis propter hoc non efficiantur canonici, ut deſumitur ex *c. quia nonnulli 4. h. t.* ubi notant Canoniſtæ Magiſtrum grammaticæ de jure eligendum eſſe ab Epiſcopo de conſenſu Capituli *c. quia nonnullis 4. h. t.* Verùm juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5. c. 1.* ſufficit, ſi eligatur cum conſilio capituli, ut liquet ex verbis illis *Eccleſia ſaltem Magiſtrum habeant ab Epiſcopo cum conſilio capituli eligendum.* Quinimò quamvis Epiſcopus debeat petere conſilium, non tamen tenetur illud ſequi juxta declarationem ſacræ Congregationis, quam adfert Fagnanus *in d. c. quia nonnullis 4. n. 16. h. t.* Magiſter grammaticus electus ab Epiſcopo tenetur gratis docere Clericos etiam divites illius eccleſiæ, cujus eſt Magiſter; ſiquidem ab Epiſcopo conſtituuntur eidem reditus ſufficientes pro congrua ſuſtentatione; & quia præbenda ei confertur ad eum finem, ut doceat omnes clericos ejuſdem eccleſiæ, æquum eſt, ut aliam mercedem ab ijsdem non recipiat: alios verò clericos extraneos, & ſcholares non tenetur gratis docere, niſi pauperes ſint, cum ratione illorum non habeat præbendam; verùm Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5. c. 1. & ſeſſ. 23. c. 8. de refor.* indiſtinctè ſtatuit, debere etiam alios ſcholares pauperes gratis docere. Quia verò non ſolùm in civitatibus amplioribus, ſed etiam in quovis pago, & oppido nunc reperiuntur, qui pueros grammaticam doceant, ideò non eſt ampliùs neceſsè, ut in unaquaque cathedrali eccleſia Magiſter inſtituatur, qui clericos ejuſdem, aliósque ſcholares pauperes grammaticam edoceat, cum ubique locorum abundè ad id ſuppleant ludimagiſtri: & etiam Religioſi, qui non ſolùm litteras humaniores juvenes edocent, verùm etiam philoſophiam, theologiam, & jus canonicum.

10 Hinc jure novo in Concilio Tridentino ſtatutum fuit, ut in qualibet eccleſia ſive Metropolitana, ſive cathedrali, aut collegiata unus tantùm conſtituatur Theologus, ut notavit Fagnanus *in d. c. quoniam 1. h. t.* Cùm enim in omnibus ferè provincijs ſint generalia ſtudia, ſaltem in majoribus urbibus; ideò ceſsârunt in cathedralibus exercitia grammatices; cum clerici, & pauperes eccleſiæ poſſint eam addiſcere à ludimagiſtris, qui plures ſunt in unaquaque civitate, & ſcientias etiam apud Regulares, qui gratis eas edocent. Quamvis deſierint in eccleſijs cathedralibus hujuſmodi exercitia, nihilominus remanſerunt præbendæ theologales, quæ Theologo aſſignantur; & etiam ſcholaſticæ, quâ ratione unus ex canonicis Scholaſticus nuncupatur, ut habetur *in cap. quanto 3. h. t.* & hic dicitur etiam Magiſter ſcholæ, ſeu ſcholarum, quod nomen in pleriſque eccleſijs adhuc manſit, in alijs verò ſcholaſtico ſucceſſit Cancellarius Univerſitatis, qui ſublato ſcholaſtici nomine dignitatem retinet, & ſimul eſt Cancellarius ſtudij generalis, cui Apoſtolica Authoritate competit jus concedendi gradus: & hic præbendam cum dignitate ut plurimum in eccleſia cathedrali habet, & licèt olim quæſtio fuerit, an Magiſter ſcholæ dignitatem haberet, ut oſtendit Pacianus *de probat. lib. 1. c. 27. n. 107.* hodie tamen ex ſtatutis eccleſiæ ſcholaſticus eſt una ex principalibus dignitatibus, ut probat Petrus Gregorius *lib. 5. Syntag. c. 19.* & Barboſa *de canon. c. 10.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

QUæritur primò, an gradus Academici, Doctoratus, Licentiatus, Magiſterium ſint materia ſimoniæ? adeò ut pro illis non ſit licitum dare, vel accipere pretium: ratio dubitandi eſt, quia tale pretium videtur dari pro ipſa licentia docendi, quod eſt prohibitum, ſi non ut ſimoniacum, ſaltem ut iniquum: ordinantur enim hujuſmodi gradus ad hanc licentiam, quæ ſolet Doctoribus, & Magiſtris à promotoribus conferri. Præterea, quia hujuſmodi gradus inſtituti ſunt authoritate Pontificis, ex qua conferuntur, conſequenter videntur eſſe quid ſpirituale, pro quo non poteſt pretium temporale accipi. 1

Nihilominus reſpondetur, gradus Academicos, ut ſunt Licentiatus, Doctoratus, Magiſterium, non eſſe materiam ſimoniæ, neque per licentiam docendi intelligi hic gradum Licentiatûs academici, ſed facultatem docendi, quæ viris idoneis negari non debet, ſive ſint gradu academico inſigniti, ſive non. Quamobrem gradus Licentiatus, Doctoratus & Magiſterij non ſunt quid ſpirituale, quia ſunt tantùm quoddam teſtimonium ſcientiæ ſtudio, & labore acquiſitæ, & quædam approbatio ad officium docendi continens certa privilegia, commoda, & honores temporales, quæ omnia ſunt pretio temporali æſtimabilia; conſequenter poteſt pro 2

ijſdem citra ſuſpicionem ſimoniæ pretium temporale accipi; ut notat Suarez *lib. de ſimonia. c 18. n. 15.*

3 Tum quia qui promovet ad tales gradus abſolutè non dat licentiam docendi, ſed tantùm teſtatur ex parte ſcientiæ, promotum eſſe ſufficientem ad docendum; cæterum dare licentiam abſolutè docendi pertinet ad ſuperiores, vel Epiſcopos, & hæc licentia eſt, pro qua in præſenti titulo prohibetur pretium dari. Ad id quod addebatur, hos gradus oriri ex inſtitutione Pontificis; reſpondetur inde non ſequi, eſſe quid ſpirituale, quia non omnia, quæ à Pontifice ſunt inſtituta, cenſenda ſunt ſpiritualia, Pontifex enim inſtituit etiam temporalia ad ſplendorem, & commodum rerum ſpiritualium, & hiſce temporalibus accenſentur etiam gradus academici Licentiatûs, Doctoratûs, & Magiſterij, ídque ex eo etiam colligitur, quia canones, quæ prohibent munera, vel pretium accipi pro officijs, & dignitatibus eccleſiaſticis præfatos academicos gradus non enumerant, & nec quidem in theologia, ut notat Zœſius *in præſent. tit. n. 3.*

4 Quæritur ſecundò, an pro labore tradendi ſcientias poſſit licitè pretium dari, & accipi? Ratio dubitandi eſt, quia ſcientia, & doctrina ſunt aliquid ſpirituale, quatenus inſunt potentiæ ſpirituali, ſeu intellectui. Reſpondetur pro labore, qui impenditur in tradendis ſcientijs poſſe licitè pretium dari, & accipi; quia tametſi ſcientia, & doctrina ſint aliquid ſpirituale, quatenus ſunt actus potentiæ ſpiritualis, ſeu intellectûs; non tamen ſunt quid ſpirituale ſupernaturale in eo ſenſu, de quo eſt ſermo in materia de ſimonia: ſicut etiam ſcientia Philoſophiæ, Matheſis eſt quid ſpirituale, cùm ſit aggregatum ex pluribus actibus intellectûs: & nihilominus licitum eſt pretium dari, & accipi in illis tradendis. Tum quia labor, & induſtria docendi eſt aliquid naturale, & materiale, proinde pretio æſtimabile. Tum quia naturali modo cooperantur ad inſtructionem diſcentium, ſicut in Medicina, Matheſi, Philopſophia.

5 Quæritur tertiò, an ſaltem accipere pecuniam pro doctrina theologica tradenda ſit ſimoniacum? Ratio dubitandi eſt, quia theologia cùm contineat articulos revelatos, & myſteria ſupernaturalia, eſt etiam ipſa ſupernaturalis, & quis pro ſpirituali ſupernaturale pretium accipere ſimoniacum eſt, ita pecuniam accipere pro doctrina Theologica tradenda videtur ſimoniam redolere? Reſpondetur nihilominus pretium temporale accipere pro officio docendi theologiam, ſive ſpeculativam, ſive moralem pertinentem ad caſus conſcientiæ, ſive etiam poſitivam ſitam in interpretatione ſacræ ſcripturæ, non eſſe ſimoniacum, ſed licitum, dummodo ſtipendium ſit juſtum: ratio eſt, quia licèt ipſa Theologia dicatur ſupernaturalis objectivè, quatenus verſatur circa objecta ſupernaturalia; non tamen eſt ſupernaturalis elicitivè, quia ipſa inſtructio theologica ex parte principij efficientis eſt omninò naturalis, ſiquidem medio diſcurſu naturali ex principijs revelatis deducit concluſiones juxta artem naturalem rectè conſtruendi ſyllogiſmos; conſequenter theologia elicitivè eſt omninò naturalis, & acquiſita; quia non niſi remotè, & mediatè procedit ex fide, & revelatis; primariò enim, & immediatè oritur ex ſcientia acquiſita; ſeu ex illis concluſionibus deductis ex principijs revelatis juxta naturalem modũ conſtruendi ſyllogiſmos, & ex ijſdem concluſiones deducendi. Tum quia etiam hæreticus, qui habitu caret fidei ſupernaturalis, poteſt theologiam hanc docere, & alios erudire ex humana, & acquiſita ſcientia ſuppoſitis propoſitionibus revelatis, ut communiter creditis à Catholicis. Præterea licèt concluſio theologica, ut deducta ex principijs revelatis eſſet, & ipſa ſupernaturalis objectivè, non tamen elicitivè, quia actus eliciti à Magiſtro eam docente ſunt naturales, & naturali modo influunt in auditores diſcentes, ſive in illis generetur naturalis aſſenſus, ſive ſupernaturalis; quia ille aſſenſus, qui generatur in diſcente, non eſt qui venditur, ſed quod cadit ſub pretium, eſt tantùm labor ipſius docentis, non enim labor, qui impenditur in tradenda theologia, eſt pretio minus æſtimabilis, quàm labor, qui in alijs docendis ſcientijs, à Magiſtris exercetur.

Quòd ſi dicas, theologiam eſſe ſupernaturalem ratione finis, eò quia dirigatur ad ſalutem animarum. Reſpondetur, illud munus docendi, ſeu inſtructionem illam diſcurſivam docentis per ſe eſſe indifferentem, & non ordinari ad ſalutem animarum, quia quantum eſt ex ſe, non habet movere voluntatem ad pium, & ſupernaturalem affectum, ſed tantùm ordinatur ad intellectum illuminandum, eúmque dirigendum, ut naturali ſua facultate rectè diſcurrat, ſuppoſitis articulis revelatis, ex quibus concluſiones naturales deducit. Cæterum ſi Theologus inſtructionem ſuam non ſolùm ordinaret ad inſtruendum intellectum; verùm etiam ad movendam voluntatem ad pium ſupernaturalem affectum per modum concionis, ſeu cohortationis, tunc nulli dubium quin eſſet quid ſpirituale, pro quo viri timorati nec accipiunt, nec petunt temporalem retributionem, ſed tantùm neceſſaria pro congrua ſuſtentatione, eò quia dignus ſit Operarius cibo ſuo, nomine autem ſuſtentationis comprehenduntur etiam omnes expenſæ, quæ fiunt à concionatoribus pro itinere, pro ſocijs, pro victu, veſtitu; & ſi alicubi ſtipendium ſit pinguius, exceſſus datur titulo eleemoſynæ. 6

Quæritur quartò, an quando officium docendi Theologiam, vel jus canonicum eſt annexum alicui beneficio eccleſiaſtico, ſit ſimonia, ultra ſtipendium beneficij pretium accipere pro officio docendi? Reſpondetur, quòd quamvis obligatio docendi theologiam, vel jus canonicum ſit annexa beneficio eccleſiaſtico; non tamen eſt ſimonia contra jus naturale, & divinum, ſi tunc Magiſter ultra ſtipendium, quod accipit ab eccleſia pro beneficio, adhuc pretium exigat à diſcipulis pro officio docendi: 7

ratio

ratio eſt, quia ſemper accipitur temporale pro temporali functione, non enim talis profeſſura juris canonici, vel etiam ipſius theologiæ, quatenus hæc eſt purus diſcurſus ſcholaſticus, eſt quid ſupernaturale, quia diſcurſus ille quamvis theologicus, ut proponitur in ſchola, uou ordinatur principaliter, & primariò ad ſalutem animæ, ſed potiùs ad inſtructionem, & eruditionem diſcipulorum; adeò ut ſit actus naturalis: quamvis ex couſeqoenti doctrina illa à diſcipulo accepta poſſit ad ſalutem animæ accommodari,

8 Hinc pretiom accipere pro liceutiâ docendi eſt tantùm prohibitom jure eccleſiaſtico, tanquam inconvenieus, non verò ut propriè ſimoniacum, uiſi fortaſſis Prælatus eccleſiaſticus, cui ex officio competit Profeſſuram unà cum officio conferre, pro licentia docendi à beneficiato pretium ſpeciatim exigeret. Cæterum nullibi in hoc titulo prohibetur, quin poſſint Profeſſores exigere congruam mercedem, & ſtipendium pro ſua doctrina, cùm id licitum ſit, quia ut ait Apoſtolus 1 *ad Corinth. 9. nemo ſuis ſtipendijs militat, & qui ſeminat ſpiritualia, metere poteſt temporalia.* Peccaret tamen Profeſſor contra juſtitiam commutativam, ſi habens ſufficiens ſtipendium pro officio docendi, adhuc aliquid vellet à diſcipulis exigere, niſi liberaliter offeratur, vel extraordinarios labores, & inſtructionem, ad quam ex pacto ſtipendiali non tenetur, eis impenderet, ut docet Panormitanus *in c. quia nonnulli 4. n. 3. h. t.* alioquin Magiſter injuſtè exigit tale pretium; ſi juſtum ab eccleſia ſtipendium accipiat pro officio docendi ex pacto tacito, vel expreſſo, ut debeat gratis poſtea docere.

9 Quæritur quintò, an ſit ſimonia pretium exigere pro dando conſilio theologico? Reſpondetur, Theologum pro conſilio theologico poſſe pretium axigere, & accipere: ratio eſt, quia tale conſilium eſt tantùm quædam regula in ordine ad inſtruendum intellectum illius, qui conſilium petit, quatenus iſte ſe regulat juxta tale conſilium, quo proprium inſtruit intellectum; adeò ut conſilium à Theologo traditum tantùm ordinetur ad inſtruendum intellectum petentis conſilium; & quia hæc inſtructio eſt merè naturalis, & ſpeculativa, ideo nil videtur obſtare, quo minus Theologus pro conſilio theologico poſſit pretium exigere, & accipere; non minus quàm juris conſultus pro conſilio juridico: quinimò id videtur etiam procedere, quamvis conſilium à Theologo datum ordinetur ad dirigandam conſcientiam; dummodo conſiſtat in pura intellectus inſtructione: ratio eſt, quia talis inſtructio eſt actus merè naturalis, pro quo poteſt Theologus citra ſuſpicionem ſimoniæ aliquid accipere: tum quia procedit etiam à ſcientia labore merè humano parta, & pretio æſtimabili; rurſus modus etiam inſtruendi, ſeu tradeudi illam cognitionem eſt etiam per modum humani magiſterij, ſeu doctrinæ: & effectus, ſeu finis quaſi intrinſecus talis actus eſt ipſa inſtructio intellectûs, ut veniat in notitiam talis veritatis: unde quòd poſtea ordinetur ad paeandam conſcientiam, id per accidens ſe habet, propterea non immutat naturam actionis procedentis à docente, ut docet Suarez *lib. 4. de ſimonia. c. 18. num. 19.*

Quæritur ſextò, quódnam privilegium ſit 10
in jure canonico conceſſum docentibus publicè ſacram theologiam, vel S. Scripturam? Agit de hac re Honorius Papa *in c. ſuper ſpeculas, & ult. h. t.* ubi jubet, ſtatutum Concilij Generalis Lateranenſis ſub Aleſandro III. relatom *in c. præcedente quia nonnullis* de Magiſtris Theologis per ſingulas Metropoles inſtituendis inviolabiliter obſervari, & ſtatuit, ut docentes in theologica facultate, dum in ſcholis docuerint, percipiant da licantia ſedis Apoſtolicæ proventus beneficiorum, ac præbendarum ſuarum, non obſtante contraria conſuetudine, vel ſtatuto, cum denario non debeant fraudari in vinea Domini operantes.

11 Rurſus ſtatuit, ut Capitula, & Prælati mittant ad ſtudium Theologiæ aliquos docibiles, qui deinde poſſint in eccleſia docere; & quibus ſubminiſtrent neceſſaria, ſi proprij proventus eccleſiaſtici non ſufficiunt: & ut ſtudentes per quinquennium percipiant fructus integros præbendarum, & beneficiorum: & hæc conſtitutio decratalis fuit etiam confirmata à Concilio Tridentino *ſeſſ. 5. c. 1. de refor.* Immo non ſolùm docentes theologiam, & eidem ſtudantes, verùm etiam docentes, & audientes jus canonicum eodem gaudent privilegio percipiendi fructus in abſentia, ut docent Abbas *in d. c. ſuper ſpecula ult. h. t.* Felinus *ibid. num. 2.* & Fagnanus *ibid. n. 4.* ubi etiam adfert hac ſuper re declarationem Sacræ Congragationis Cardinalium Concilij Tridentini interpretum; adeò ut docentes jus canonicum iiſdem gandeant privilegijs, ac docentes theologiam; & id videtur rationi conſonum, cùm non minùs proſit eccleſiæ univerſali ſcientia juris canonici, quàm theologiæ; cùm notitia juris canonici ſit omnino neceſſaria ad regimen, bonámque adminiſtrationem officiorum eccleſiaſticorum. Præterea, quia ob identitatem rationis lex exorbitans à jure communi extenditur, ſi tendat in favorem animarum, eò quia fundatur in bono publico, ut docet Felinus *in d. c. ſuper ſpecula ult. n. 2. h. t.* Tum quia Pontifices, & Concilia eatenos in hujuſmodi decretis privilegia hæc conceſſerunt, ut docentium, diſcentiúmque neceſſitas ſublevaretur; & ad profeſſionam, ac ſtudia theologiæ tam Magiſter, quàm diſcipuli allicerentur, & plures ad illa ſemotis impedimentis incumberent; ut contingit, ſi videant ſe poſſe theologiæ operam impendere, ſimúlque ſuis beneficijs in abſentia frui.

Huc etiam ſpectant privilegia inſignioribus 12
Academijs conceſſa, ut Univerſitati Lovanienſi in Brabantia per Martinum V. & Eugenium IV. teſte Zœſio *in h. t. n. 2.* Salmanticæ in Hiſpania, Sorbonicæ in Gallia, Patavinæ in Italia. Hinc Magiſtrorum docentium theologiam, & jus canonicum etiam extra ſuas ec-

cleſias, & beneficia, hoc eſt privilegium, quòd non minus, quàm ſi in ijſdem reſiderent fructus ſuorum beneficiorum integrè percipere poſſint, & non ſolùm per quinquennium; ſed etiam quamdiu in docendo perſtiterint, ut habetur *in c. quia nonnullis 4. h. t.* & notat Rebuffus *in prax. benefic. tit. diſpenſatio de non reſidend. n. 25.* Nec ullum faceſſit negotium, quod *in c. ſuper ſpecula ult. h. t.* Honorius videatur id reſtringere ad quinquennium, quia in hoc textu quinquennium non refertur ad docentes, ſed tantùm ad diſcentes, ut notat Barboſa *in d. c. ſuper ſpecula n. 5. h. t.* Unde docentes theologiam, vel jus canonicum quamdiu publicè docuerint abſque limitatione ad certos annos (niſi ex cauſa revocentur ad ſuas eccleſias) ſtudioſi verò in prædictis facultatibus per quinquennium excuſantur à reſidentiâ, & in abſentia percipiunt integrè fructus ſuorum beneficiorum.

13 Limitatur autem tempus ſtudioſorum ad ſolum quinquennium, quia tale tempus præſumitur ſufficiens, ut quis poſſit doctrinam neceſſariam enancíſci: ſecus quia docentes ſemper promovent utilitatem eccleſiæ univerſalis, ideò magis amplum ijſdem privilegium conceditur. Excipiuntur tamen diſtributiones quotidianæ, quæ nonniſi reſidentibus, & qui divinis interſunt officijs dantur; adeò ut abſentes etiam docendi, vel ſtudendi causâ eas non lucrentur; ut habetur *in c. licet 32. de præbend.* Id autem procedit, ſi fructus præbendæ ſint à quotidianis diſtributionibus ſejuncti: alioquin ſi omnes reditus, vel ferè omnes haberentur ex hiſce diſtributionibus, tunc tam docentes, quàm ſtudentes ex ijſdem perciperent duas partes, quæ ſuccederent in locum præbendæ; quia tertia pars ſemper retinet naturam diſtributionũ; propterea abſentes eam non percipiunt, ſed accreſcit præſentibus, qui divinis interſunt officijs, ut notat Fagnanus *in d. c. ſuper ſpecula. ult. n. 2. & ſequent. h. t.* & Garcias *de benefic. p. 3. c. 2. n. 351.* ubi etiam adſert ſuper hoc declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum.

14 Quæritur ſeptimò, quibúſnam privilegijs donentur clerici ſtudentes SS. Theologiæ, vel juri canonico? Reſpondetur, ijſdem *in c. ſuper ſpecula ult. h. t.* concedi, ut abſentes causâ ſtudiorum per quinquennium poſſint proprios proventus eccleſiaſticos percipere. Immo ſi hi non ſufficiunt etiam fructus integros præbendarum, & beneficiorum, ídque ut clerici etiam in doctrina, & ſtudijs proficiant. An verò ad percipiendos hos fructus requiratur licentia ſedis Apoſtolicæ? Reſpondetur negativè, adeò ut non ſit neceſsè impetrare aliam licentiam à ſede Apoſtolica, ſed ſufficiat generalis hæc conceſſio facta auctoritate conſtitutionis Honorij, quæ habetur *in c. ult. h. t.* adeò ut ſola executio impetrari debeat, ſi Prælati, & Capitula illam non dent, vel impediant, ut notat Garcia *de benefic. p. 3. c. 2. n. 94.* præſertim *n. 95.* ubi citat *c. relatum 4. de cleric. non reſidens* vi cujus requiritur licentia Prælati, ut ſtudiorum causâ percipi poſſint fructus in abſentia, & ait id fuiſſe quoad hoc correctum *in c. ſuper ſpecula ult. h. t.* quia *c. relatum* fuit Alexandri III. & *c. ſuper ſpecula ult. h. t.* Honorij III. qui ſedit poſt Alexandrum III. unde ejus conſtitutio poſterior inducit novum jus, & de novo concedit hanc licentiam, adeò ut poſt conſtitutionem Honorij III. non ſit ampliùs neceſſaria licentia Prælati, eò quia jus ipſum illam dat, quod tamen procedit quoad ſtudium Theologiæ, & juris canonici. Quamvis etiam Curatis, & Parochis *in c. cùm ex eo 34. de elect.* ſimilis licentia ad ſtudendum concedatur per ſeptennium. Jure tamen novo poſt conſtitutionem Concilij Tridentini *ſeſſ. 23. de refor. c. 1.* hujuſmodi licentia non poteſt ampliùs illis concedi, & id fuiſſe declaratum à ſacra congregatione Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum refert Barboſa *in c. relatum de cleric. non reſident.* Quia Parochi tenentur aſſiſtere ſuis Parochianis, iiſque miniſtare ſacramenta.

Quæritur octavò, quid in Clementinis hu- 15
jus tituli ſtatuatur circa ſtudia clericorum? Reſpondetur, duas huic titulo addi clementinas, in quarum prima, quæ incipit *Inter ſollicitudines* Clemens V. in Concilio Viennenſi ſtatuit, ut in Curia Romana, ſeu in ſtudijs Romanæ Urbis, Pariſienſis, Oxonienſis, Bononienſis, Salmaticæ eligantur duo viri Catholici, & periti pro ſingulis linguis Hebraica, Arabica, & Chaldæa, qui ſcholas regant, libros in latinum transferant, alios doceant, & pro quibus providendis contribuant omnes Prælati eccleſiæ, Monaſteria etiam exempta; & derogatur quoad hoc etiam privilegijs. Verùm id videtur abijſſe in deſuetudinem, præſertim in Oxonienſi Academia, quæ ſubeſt Anglis hæreticis. In ſeconda Clementina, cui initium eſt, *cùm ſit nimis*, ſtatuit Pontifex, ut illi, ad quos ſpectat tribuere magiſterium, vel Doctoratum, ſumant juramentum à Doctorandis, quòd in ſolemnitate Doctoratus, non expendant ultra taxam, quam taxabunt ſecundùm qualitates perſonarum, & ad ſummum non excedant tria millia turenorum argenteorum, quòd ſi doctorantes non recepto hoc juramento dent titulum Doctoratûs, eo ipſo ſint ſuſpenſi à collatione Doctoratûs, vel Magiſterij per ſex menſes, etiam ſi ſint Epiſcopi. Et ut notat Gloſſa, ſi intra ſex menſes ſuſpenſionis alium doctorant ſine juramento, iterum currit ſuſpenſio aliorum ſex menſium ab illo ſecundo actu; & ſi ſuſpenſio erit occulta collatio Doctoratûs valet, & non eſt reiteranda; ſecus ſi publica. Si tamen ita ſuſpenſus ſit ſacerdos, & in tali ſuſpenſione celebret, non fit irregularis *c. is qui de ſent. excommun. in 6.*

Quòd ſi quæratur, quantus ſit valor me- 16
moratorum trium millium turenorum, ultra quam ſummam expenſas Doctoratûs non vult aſcendere, non videtur ita perſpicuum. Hoc unum concedunt omnes, Toronenſes, quorum meminit Pontifex, fuiſſe monetam gallicam. Gloſſa in formatione caſûs videtur computare aſcendiſſe ad ſummam ducentorum, & quin-

quaginta

quaginta aureorum: ſed adhuc eſt incertum, quid per aureos intelligatur, non enim cenſentur fuiſſe ejuſdem valoris cum aureis Hungaricis; ſed nonnulli per aureos illos intelligunt florenos germanicos, & tunc ſumma eſſet ſatis moderata. Non deſunt etiam, qui velint, ut per recenſitos aureos, ſint intelligendi floreni gallici, cujus valor eſt media pars floreni germanici, quo pacto ſumma expenſarum pro Doctoratu fuiſſet etiam moderatior. Alij aliter computant valorem illorum Turonenſium, quorum meminit Pontifex *in element. cùm ſit nimis 2. h. t.* Verùm cum res ſit incerta, non puto diutiùs eidem hærendum, præſertim cum juramenti exactio planè in deſuetudinem abjerit.

TITULUS VI.

De Judæis, & Sarracenis, & eorum Servis.

CUm Pontifex in præcedentibus titulis egiſſet de ijs, qui Spiritum S. vendentes ſimoniacam contrahunt labem, & atrociſſimum in Deum crimen committunt. Nunc agit de ijs, qui in Deum peccant, eum malè colentes, cùm enim de ijs abundè dixiſſet, qui Spiritum Sanctum per ſimoniam ementes, vel vendentes blaſphemant, nunc non incongruè addit titulum de ijs, qui Deum blaſphemant impio cultu, ut ſunt Judæi, & Sarraceni.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *PRÆSENTI 1. h. t. Ex Concilio Matenenſi ſtatuitur, ut nullus Chriſtianus Judæo ſerviat, quia nefas eſt blaſphemum detinere redemptum à Chriſto: ideo quilibet Chriſtianus poteſt duodecim ſolidis captivum Chriſtianum à Judæo redimere ſive ad ingenuitatem, ſive ad ſervitium: & id etiam procedit, ſi ſervus Judæi vult fieri Chriſtianus, & illi non permittitur. Ex quo textu liquet, nullum Chriſtianum poſſe eſſe mancipium Judæi. Imò nec debent Chriſtiani ſimul morari cum Judæis. Imò nec debent in publicum exire.* c. in nonnullis h. t.

C. *MULTORUM 2. h. t. reſcribit Gregorius Papa, Judæum non poſſe habere mancipium Chriſtianum, poſſe tamen habere colonos agrorum, qui diutiùs ibi manſerunt, & qui peragant omnia jura, quæ de colonis, vel originarijs ſtatuuntur. Sin verò Judæus aliò illos transferat, vel in alio detineat obſequio amittit jus colonij, & jus dominij. Notandum eſt cum Gloſſa, Originarios, & aſcriptitios eſſe liberos, proinde non eſſe repellendos à legitimis actibus: non tamen admitti ad ordines, niſi de licentia dominorum* c. ſi quis obligatus 54. *Rurſus originarios eſſe obligatos ad colenda rura.*

C. *JUDÆI 3. h. t. Permittitur Judæis habere antiquas ſynagogas, ſed non erigere novas: bene tamen, ſi corruant, poſſunt illas reſtaurare; ſed non ampliare* argum. l. 1. §. opus novum.

C. *QUIA SUPER 4. h. t. Alexander III. præcipit, ut Judæi in die Paraſceves, ſeu Veneris ſancti habeant clauſa oſtia, & feneſtras.*

C. *JUDÆI, & SARRACENI 5. h. t. In Concilio Lateranenſi ſtatuitur, ut Chriſtiani, qui præſumpſerunt habitare cum Judæis, ſint excommunicandi: & ut Judæi, & Sarraceni non habeant in domibus ſuis mancipia Chriſtiana. Quòd ſi convertantur ad fidem, non ſint ſpoliandi ſuis bonis: & Principes faciant illis reſtitui ſua bona integra ſub pœna excommunicationis. Ex quo textu liquet, converſos poſſe retinere ſua bona, niſi fuerint ex uſuris parta, quia tunc ſunt reſtituenda.*

C. *ITA QUORUNDAM 6. h. t. Excommunicantur deferentes arma, ferrum, ligna pro majoribus navibus Sarracenorum; & privantur ſuis juribus, ſiúntque ſervi capientium. Ubi notat Gloſſa, id extendi etiam ad illos, qui Sarracenos docent naves conſtruere. Item ſervitutem aliam eſſe de jure naturali, aliam de jure gentium, & aliam de jure canonico.*

C. *CONSULUIT 7. h. t. Idem Pont. declarat, Judæos non poſſe conſtruere novas Synagogas; poſſe tamen antiquas, ſi corruant, reædificare; non tamen eas ampliare, vel pretioſiores facere. Ratio, cur eccleſia toleret ritus Judæorum, eſt ex D. Thoma* 2. 2. quæſt. 10. art. 11. *quia in illis ritibus præfigurabatur veritas fidei Chriſtianæ, quam tenemus; adeò ut teſtimonium fidei noſtræ habeamus ab hoſtibus fidei, qui in figura præterita nobis repræſentant ea, quæ in lege evangelica credimus.*

C. *AD HÆC 8. h. t. Idem Pont. ſub cenſuris prohibet, ne Chriſtiani Judæorum ſervitio*

ſe

ſe pro mercede expanant: neque obſtetrices, neque nutrices præſumant nutrire pueros in domibus Hebræorum: ne ob aſſiduam familiaritatem ſimplices pervertantur. Nota quòd interpolatè extra eorum domus poſſunt ſervire.

C. *SICUT 9. h. t. Clemens III. reſcribit, Judæum non eſſe invitum baptizandum; quia tunc non crederetur habere fidem. Rurſus Judæum ſine judicio non eſſe puniendum in bonis, vel corpore; neq; eſſe extorquenda illa ſervitia, quæ non conſueverunt præſtare: neque eſſe mutilandum eorum cæmeterium; neque humata corpora effodienda ſcienter ſub pœna incurrenda excommunicationis.*

C. *QUAM SIT LAUDABILE 10. h. t. Idem Pont. concedit, ut prædicantes evangelium Paganis poſſint edere cibos ab iiſdem miniſtratos, ſervatâ qualitate ciborum juxta jus canonicum; non tamen de idolis immolato.*

C. *SIGNIFICAVIT 11. h. t. reſcribit idem Pont. tranſeuntes ad terras Sarracenorum pro redimendis captivis debere coram Epiſcopo jurare ſe non laturos in ſuis mercibus, quæ ſunt commoda Sarracenis extra articulum redemptionis, ſub pœna excommunicationis, ut etiam tempore trengæ.*

C. *QUOD OLIM 12. h. t. Idem Pontifex reſcribit, habentes tempore belli mercimonium cum Sarracenis, dantéſque illis per ſe, vel per alios ſubſidia rerum, vel conſilia eſſe excommunicatos.*

C. *ETSI JUDÆOS 13. h. t. declarat idem Pont. quòd cum Judæi facti ſint ſervi, & Chriſtiani liberi, non debent habere nutrices, vel ſervos Chriſtianos: & ſi ſecus faciant interdicitur Chriſtianis ſub pœna excommunicationis, ne audeant habere ullum cum illis commercium.*

C. *POSTULASTI 14. h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi Judæus percuſſerit clericum, & ſit ſub ditione Epiſcopi, debeat hic illum punire pœna temporali, vel pecunia, eúmque adigere ad jurandum, quòd congruè ſatisfaciet læſo: Sin verò ſit ſub dominio alterius, moneat Dominum, ut idem faciat. Quòd ſi Dominus id neglexerit, debeat Epiſcopus eum cogere per cenſuras.*

C. *IN NONNULLIS 15. h. t. ſtatuit idem Pont. ut Judæi, & Sarraceni habitu diſtinguantur à Chriſtianis, & in Dominica Paſſionis, & hebdomada ſancta non exeant in publicum ſub pœnis ſtatutis. Rurſus ut Principes Chriſtiani non permittant, ut Chriſtum blaſphement. Servatur hoc decretum præſertim in Italia.*

C. *CUM SIT NIMIS 16 h. t. Prohibet idem Pont. ne Judæi ponantur in publicis officiis, & qui eis, hæc officia commiſerint, compeſcendi ſunt per concilium provinciale; & Judæis prohibetur commercium cum Chriſtianis; & lucrum ex officio dimiſſo acceptum converti debet in uſus pauperum Chriſtianorum arbitrio Epiſcopi. Ex hoc textu liquet, Infideles non eſſe præponendos fidelibus; nec præficiendos publicis officiis.*

C. *AD LIBERANDUM 17. h. t. Idem Pont. excommunicat deferentes Sarracenis arma, ferrum, ligamina pro galeis, & eos, qui naves illis vendunt: vel curam gubernationis in piraticis eorum navibus exercent. Rurſus ſtatuit, ut non aperiatur eis gremium eccleſiæ, niſi prius reſtituant in ſubſidium terræ ſanctæ totum, quod lucrati ſunt in commercio, & tantundem de ſuo; quòd ſi non ſint ſolvendo, ita puniantur, ut aliis ſint terrori.*

C. *EX SPECIALI 18. h. t. Gregorius IX. mandat, ut Reges Portugalliæ inducantur, ne in officiis publicis præficiant Judæos Chriſtianis. Quòd ſi redditus Judæis vendont, vel Paganis, Chriſtianos deputent, per quos ſine injuria Chriſtianorum jura regalia conſequantur.*

C. *NULLI 19. h. t. Idem Pont. prohibet, ne Judæus baptizatum, vel volentem baptizari emat, vel in ſervitio teneat. Rurſus ſi Judæus cauſa commercii emit hominem infidelem, ſi emptus baptizetur, aut velit baptizari receptis duodecim ſolidis, tenetur eum libertate donare. Quòd ſi Judæus infra tres menſes non exponit venalem hunc hominem: vel ſi eundem emit ad ſibi ſerviendum: tunc Judæus non poteſt amplius illum vendere; ſed ſine pretio ſit liber. Ubi notat Gloſſa, illos duodecim ſolidos eſſe reſtituendos Judæo, qui ſervum emerat in moneta, quæ eſt in uſu, & in illo loco.*

IN SEPTIMO.

C *EPISCOPUS 1. h. t. Julius III. expreſsè inhibet omnibus Chriſtianis, ne Hebræorum, vel Judæorum filii, invitis parentibus baptizentur, vel Chriſtiani inſtituantur. Quia nemini ad credendum eſt vis inferenda.*

C. *VINEAM SORETH. 2. h. t. Nicolaus III. injungit Generali Ordinis Prædicatorum, evangelium eſſe prædicandum Judæis, & infideles converſos eſſe initiandos fidei rudimentis.*

C. *CUPIENTES 3. h. t. Paulus III. declarat, Judæos, qui ad fidem Chriſtianam converſi redeunt ad vomitum, ſiúntque iterum Judæi, omittere omnia indulta; & ut hæreticos lapſos eſſe puniendos.*

C. *CUM NIMIS 4. h. t. Paulus IV. ſtatuit, ut Judæi ſicut ſide diſtinguuntur à Chriſtianis, ita debeant etiam locorum ſeparatione, ſeu cohabitatione, ac veſtitu, cæteriſque privilegiis diſtingui, ac ſeparari a Chriſtianis.*

C. *ANTIQUA 5. h. t. Gregorius XIII. mandat Inquiſitoribus fidei, ut animadvertant in Judæorum blaſphemias, & flagitioſam vivendi conſuetudinem; eóſque delinquentes puniant.*

C. *SANCTA MATER 6. h. t. Idem Pont. reſcribit, ac præcipit Epiſcopis ut ſedulâ curâ dent operam converſioni, ac inſtructioni Judæorum præſertim in eorum Synagogis. Ubi colliguntur: & illis explicent ſacras ſcripturas veteris teſtamenti Moyſis ſcilicet, & Prophetarum, præſertim, quæ eo ſabbatho leguntur,*

ſeu

ſeu lecta ſunt in eorum ſynagogis juxta SS. Patrum interpretationes, & verum eccleſiæ catholicæ ſenſum.

IN CLEMENTINIS.

C. *CEDIT unic. h. t. Clemens V. in Concilio Viennenſi præcipit, & Apoſtolicis verbis mandat Principibus Chriſtianis, ut in terris ſuis prohibeant, Sarracenos publicè invocare nomen perfidi Mahometi, ut etiam peregrinari ad ejus ſepulchrum: & contra facientes ita puniantur, ut cæteri timeant hoc idem agere.*

IN EXTRAVAGANTIBUS Joannis XXII.

C. *COPIOSUS unic. h. t. Occaſione, quâ Petrus filius Regis Caſtellæ vellet regno Granatæ Sarracenos expellere, Clemens V. ſententiam excommunicationis tulit in omnes portantes prohibita ad illos* juxta c. in quorundam c. ad deliberandum h. t. *ut etiam in alios quomodocunque adjuvantes Sarracenos, vel Infideles ejusdem regni Granatæ.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *MULTA 1. h. t. Clemens V declarat ipſo facto excommunicatos Chriſtianos deferentes arma ad infideles, & Sarracenos inferentes bellum Chriſtianis, & capientium ſervos, & infames, & inteſtabiles tam activè, quàm paſſivè declarat, & eorum bona ſubjecit fiſco.*

C. *DIGNUM ult h. t. Joannes XXII. præcipit Rectoribus, & Officialibus comitatus Venuſini, aliarúmque terrarum ſtatûs Eccleſiaſtici, ut Judæos ad fidem converſos in poſſeſſionibus ſuis, & bonis, nec moleſtent, nec moleſtari permittant; ne deterioris conditionis ſint poſt baptiſmum, quàm ante. Legatur ſuper hoc Bulla Pauli III. quæ incipit* Cupientes Judæos.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quomodo Chriſtianis prohibeatur communicatio cum Judæis; & Sarracenis.

1 Judæi juxta præſens inſtitutum hi omnes dicuntur, qui legem Moſaicam profitentur, ſintque adhuc cultores veteris teſtamenti, negantes Chriſtum fuiſſe Deum, & Redemptorem noſtrum; proinde rejiciunt novum teſtamentum, & ſuam trahunt nomenclationem à Tribu Juda, quæ cæteris erat belliculoſior, & præſtantior: antiquitùs vocabantur etiam Hebræi ab Hebræo, cujus familia cultum veri Dei ſemper tenuit, cæteris idololatriâ inquinatis, ut notat Hoſtienſis *in ſumma. h. t. n. 1.* Per Judæos igitur intelliguntur omnes Hebræi, qui legem Moyſis profitentur, ſive ex Tribu Judæ, ſive ex alia originem trahant. De Sarracenis autem dubitatur, unde propriè nomen, & originem acceperint. Covarruvias *lib. 4. variar. reſolut. c. 9.* putat, Sarracenos deſcendere ab Agar uxore, & ancilla Abrahæ, & Iſmaële filio ejus, ratione cujus nonnunquam fuerunt etiam dicti Iſmaëlitæ: quia verò Agar fuit ancilla Abrahæ, ut hanc ſervilis originis maculam declinarent, maluerunt ſe Sarracenos vocare, quaſi à Sara, quæ fuit altera uxor Abrahæ, ſed libera, adeò ut cùm velint originem traxiſſe à Sara, Sarracenos ſe appellârint. Verùm quidquid ſit de hac Sarracenorum origine, & nomenclatione ſive deſcenderint ab Agar, & Agareni dicti fuerint, ſive à Sara, & Sarraceni.

2 Verius mihi videtur, quod refert Stephanus Græcus auctor *lib. de Urbibus*: Sarracenos eſſe populos poſt Nabathæos in Arabia, dictos à *Sarraca* urbe in Arabia, quia ſi à Sara uxore Abrahæ dicerentur, *Sarani* potiùs vocandi eſſent, quàm Sarraceni. Scribit Paulus Æmilius *lib. 7. in Francorum Hiſtoria*: delectam Sarracenorum manum ſub Heraclio Imperatore Chriſtiano militâſſe, quando hic Coſroam Perſarum Regem Paganum fregit, vicit, cæpit. Cúmque milites Sarraceni ſtipendia peterent: is ad quem ea ſolvere pertinebat ſubiratus, reſpondit. Vix eſt unde Græco, & Romano militi ſolvatur, & hæc canum turba impudenter ſtipendia efflagitat: ad quam vocem ira ſuccenſi Sarraceni ab Heraclio defecerunt: & in Siria aucti occupârunt Damaſcum, dein Ægyptum; & Mahometi præceptis imbuti, Perſas vicerunt. Certum eſt juxta præſens inſtitutum Sarracenos dici eos omnes, qui impiæ Mahometi ſectæ adhærent: ejúſque nequiſſima dogmata in Alcorano contenta ſectantur, ſive hi Turcæ ſint, ſive Tartari, ſive Perſæ, aut Arabes, ſive Ægyptij, Africani, & Mauri. cùm hi omnes hodie videantur profiteri impiam Mahometi ſectam. Imò nomine Sarracenorum, quos Durandus *in ſpecul. lib. 4. particul. 4 tit. de Jud. in 6.* putat dici à Samaria civitate, comprehenduntur etiam pagani, & alij omnes infideles, ut notat Zœſius *h. t. n 3.* Conjungit præſens Rubrica Judæos, & Sarracenos, eórumque ſervos, quia in pluribus hujus tituli capitulis tractatur, an poſſint in ſervitio Chriſtianos habere; ſive ſervi ſumantur ſtrictè pro

caſibus tenetur Dominus rem propriam diſtrahere, ut probat Hermoſilla *in l. 3. tit. 5. p. 5.* quamobrem ob cauſam ita juſtam, cujuſmodi eſt periculum prævaricationis, meritò cogitur Judæus ſervum chriſtianum vendere, quia æterna ſalus hominis præferri debet humano commodo, quod Judæus à Chriſtiano mancipio percipere poſſet. Ad ſecundum reſpondetur, plures cenſere infideles etiam ex eo præcisè quòd infideles ſint, privati poſſe dominio, quod habeat ſupra chriſtianos, ut notat Covartuvias *in regul. peccatum. 2. p. §. 11. n. 5. de regul. jur.* imò D. Thomas *2. 2. q. 10. a. 10.* hoc idem etiam docet, eâ ductus ratione, quia infideles etiam ob ſuam infidelitatem mereantur privari quovis Dominio.

8 Sed quidquid ſit de hac quæſtione, quæ problematicè propugnari ſolet: quoad caſum poſitum *in d. c. multorum 2. h. t.* communiter docent, præfatum textum eſſe intelligendum de Judæis ſubjectis Principibus chriſtianis, à quibus virtute ſupremæ poteſtatis, & dominationis lex lata eſt, ut nullus Judæus poſſideat, ac retineat Chriſtianum mancipium *l. 1. C. de Chriſt. mancip.* & Principes Chriſtiani cum plenam habeant juriſdictionem in ſuis proprijs ditionibus; nulli dubium, quin poſſint talem legem ſancire, quâ obligentur quotquot degunt in ſuis terris, unde rectè *in d. c. multorum* dicitur Judæus amittere jus colonij, & dominij, ſi in alio obſequio mancipiū chriſtianum detineat. Juvat obſervare, quòd tam in præſenti, quàm alijs textibus juris canonici, ubi ſermo eſt de hac privatione dominij Judæorum in ſervos chriſtianos, Canoniſtæ loquuntur reſpectivè ad leges Principum ſæcularium. Tum quia eccleſia poteſtatem habet cohibendi, & puniendi infideles, quoties impediunt, quo minus fideles valeant æternam conſequi ſalutem: quia propria defenſio eſt de jure naturæ, & totum corpus habet jus defendendi, quodvis particulare membrum, ſi eidem vis inferatur: unde quoties fideles detinentur apud infideles, eccleſia habet facultatem defendendi ſuos fideles, veluti membra ſui corporis.

9 Neque obſtat, quòd Apoſtolus loquendo de infidelibus dicat, *de his, qui foris ſunt, quid ad nos?* quia Apoſtolus ibi tantùm ſignificat infideles non eſſe puniendos pœnis ſpiritualibus, & eccleſiaſticis, eò quia iſtæ non exercentur niſi in eos, qui juriſdictioni ſubijciuntur eccleſiaſticæ, & infideles cùm ſint extra eccleſiam, non ſubijciuntur eccleſiaſticæ juriſdictioni, nec propterea puniuntur pœnis eccleſiaſticis, ſeu ſpiritualibus; ſed inde non ſequitur, non poſſe eccleſiam punire infideles pœnis temporalibus, & corporalibus, ut habetur in *c. poſtulâſti c. conſuluit. h. t. c. Judæi de teſtibus.* Ad ultimam objectionem deſumptam ex matrimonio fidelis cum infideli, reſpondetur, matrimonium illud non diſſolvi, niſi infidelis renuat cohabitare cum fideli ſine contumelia Creatoris; & ita ob converſionem ſervi ad ad fidem catholicam privari poteſt Dominus infidelis ejus dominio: ſi enim ob contumeliam Salvatoris conjux fidelis liberatur à conjuge infideli, etiam ſervus fidelis debet, imò à fortiori, liberari à dominio Heri infidelis, eò quia ſervus fidelis difficulter ſub tali dominio poſſit ſalutem conſequi, arctius eſt vinculum matrimonij, quàm ſervitutis. Cæterum ſub primis temporibus, quando fideles ſubijciebantur Principibus infidelibus, ne chriſtiana religio inviſa videretur, & exoſa, ſervi fideles tenebantur diligenter obedire ſuis Dominis infidelibus, & obſequia eis præſtare, ut habetur in Concilio Gangrenſi *can. 3.* illúdque refert Gratianus in *c. ſi quis ſervum 27.* Verùm poſtquam fideles fuerunt libertate donati, cœperúntque patére Principibus chriſtianis; Pontifices, & eccleſia ſtatuerunt, ne Judæi mancipium chriſtianum poſſideant.

Non tamen prohibentur chriſtiani poſſe ſervos Judæos habere, ut habetur *in c. & ſi Judæos*, quamvis non debeant cum Judæis commorari, nec habere cum iiſdem familiaritatem. Neque prohibentur chriſtiani habere Sarracenos, & alios infideles ut ſervos intra eandem domum: ratio, cur non permittantur Chriſtiani habitare cum Judæis, nec familiaritatem cum ipſis habere, eſt, quia Judæi ſunt magis obſtinati, & difficiliùs convertuntur; & cùm profiteantur veterem legem, petitiores ſunt ad ſubvertendum, quàm gentiles; ptoinde majus imminet chriſtianis periculum perverſionis ex cohabitatione cum Judæis, quàm cum alijs, & hæc eſt ratio, cur non permittantur Judæi commorari in eadem domo cum chriſtianis, benè tamen infideles; imò prohibentur etiam chriſtiani Judæos Medicinæ Profeſſores vocare ad curandos eorum morbos, & etiam accipere pharmaea à Judæis præparata, & exhibita excepto caſu neceſſitatis, & ſi non adſit alius Medicus chriſtianus, vel non ſatis peritus; & Judæus ſit perquam notus, ac doctus. Emere tamen medicinas à Judæis, dummodo ab iiſdem non fuerint præparatæ, non prohibetur Chriſtianis. 10

Prohibentur etiam Chriſtiani *in c. nullus 13.* quod eſt deſumptum ex Concilio Agathenſi *c. 11. cauſ. 28. q. 1.* ſanitatis cauſa ingredi balneum, in quod ſimul Judæi ingrediuntur, verùm id intelligitur, ſi Chriſtianus ſimul cum Judæo balneum ingrediatur, & familiaritet ſecum agat, alioquin remotis his duobus ceſſat ratio prohibitionis, quæ eſt, ne Chriſtiani familiariter ſe gerant cum Judæis. Imò prohibentur etiam Chriſtiani convivia accedere Judæorum, & hos invitare ad prandium, quia cùm Judæi apud Chriſtianos non utantur communibus cibis, indignum, ac ſacrilegum eſt, eorum cibos à Chriſtianis ſumi; alioquin Chriſtiani viderentur Judæis inferiores eſſe, ſi quæ à Judæis apponuntur fercula, comederent Chriſtiani; non verò ederent Judæi, quæ illis apponuntur à Chriſtianis. 11

Hæcque prohibitio ſumendi cibos cum Judæis etiam procedit, quamvis Judæi abſque ullo ciborum delectu ederent cum chriſtianis:

quia hujuſmodi prohibitio non oritur ob ſolam diſcretionem ciborum, verùm etiam ut vitetur familiaritas cum Judæis, ex qua periculum poſſet perverſionis imminere. Immo ſi clericus, vel fidelis cum Judæis cibum ſumpſerit, in pœnam privatur communione, ut emendetur, ut habetur in Concilio *Illiber. can. 50.* & in Aurelianenſi III. *can. 13.* ubi dicitur: *Chriſtianis convivia interdicimus Judaorum, in quibus ſi fortè fuiſſe probantur annuali excommunicationi pro hujuſmodi contumacia ſubjacebunt:* quia ut ſcribit Honorius III. Epiſcopis Hungariæ: *Nefas eſt, ut ſacri baptiſmatis undâ renatus infidelium ritu, vel converſatione fœdetur, aut religio chriſtiana ſubjecta infidelibus polluatur.*

13 Quinimò ad vitandam hanc cum Judæis communionem Epiſcopi Orientales *can. 10.* Concilij Trul. diſſertè vetant, ne quis, ſive clericus, vel laicus, ſi in morbum inciderit, Judæum Medicum quemcunque accedat, aut pharmacum ab eo accipiat, alioquin clericus deponitur, laicus verò excommunicatur. Hoc idem in Occidente cavit Gregorius XIII. in ſua conſtitutione 70. cui initium eſt, *Antiqua Iudaorum*; ubi etiam ſtatuitur, ut Judæi puniri poſſint ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis. Neque ad id poſſunt habilitari à Principe ſæculari *c. conſuluit de appellat.* immo neque ab ipſis Epiſcopis, quia hæc prohibitio emanavit à Concilio Generali: & Epiſcopus non poteſt diſpenſare in lege Concilij Generalis, quia inferior non habet poteſtatem in legem ſuperioris.

14 Quamobrem licèt colloquium permiſſum ſit cum Judæis, non tamen convivium, eò quia in hoc major contrahatur familiaritas, quàm in colloquio: & quia inter epulas, & pocula faciliùs poteſt quis decipi *c. unusquisque 8. cauſ. 22. q. 4.* Cæterum non prohibetur Chriſtianus manducare cum Judæis in eadem menſa, ſi caſualiter inter proficiſcendum conveniat in eodem diverſorio cum Judæo aliquo: etenim in *c. Omnes cauſ. 28. q. 4.* tantùm præcipitur, ut fideles Judæorum convivia vitent, nec eos ad convivia quiſquam excipiat: quod non contingit, quando caſu Judæus convenit cum Chriſtianis in eadem caupona. Immo neque peccat contra hoc præceptum Chriſtianus, ſi iter habens à Judæo caupone eſculenta emat, & poculenta, vel in ejus diverſorio cum alijs Judæis cibum ſumat: quia id eſt omnino caſuale; neque tunc invitatur à Judæo ad convivium; ſed ipſe neceſſitate coactus, ut ſe, ſuúmque equum reficiat, parùm ibi immoratur, nec ullam contrahit cum Judæo familiaritatem, quæ eſt cauſa finalis hujus prohibitionis.

15 Quòd dicitur de Judæis, procedit etiam de Sarracenis, aliiſque Paganis, ſiquidem prohibitum eſt Chriſtianis cum hiſce convivia celebrare: ratio eſt, quia & ipſi hodie cibos diſcernunt, & judaizant, ut notat Gloſſa *in d. c. Omnes V. Iudaorum.* Miſſionarij tamen Apoſtolici, qui ad converſionem Paganorum in partes mittuntur infidelium, excipiuntur, ut deſumitur *ex c. quam ſit laudabile 10. h. t.* ubi Clemens III. concedit cuidam Epiſcopo, ejuſque ſocijs exeuntibus ad prædicandum evangelium Paganis, ut cibis utantur, qui ab infidelibus ipſis apponuntur, & ut quicunque Religioſi, ſeu clerici idonei ipſis voluerint adhærere obtentâ Prælatorum ſuorum licentiâ, liberam habeant exequendi authoritate Apoſtolica facultatem. Hinc prædicantes Paganis fidem Chriſti poſſunt edere cibos ſibi à Paganis appoſitos, ſervatâ tamen qualitate ciborum ſecundùm jus canonicum. Ratio eſt, quia niſi communes cum ipſis cibos ederent, non facilè poſſent eorum affectum ſibi captivare, nec conſequenter eos convertere: ad hunc igitur finem, ut faciliùs poſſint eos lucrari, permittitur ijsdem converſari, & comedere cum Paganis exemplo Chriſti, ut notat Gloſſa in *d. c. quam ſit laudabile V. uti licet*: & quamvis *in d. c.* ſit tantùm ſermo de Paganis, id tamen etiam procedit de miſſis ad converſionem Judæorum, aliorúmque infidelium procurandam: quia habetur utrinque eadem cauſa finalis, ad quam idonea media adhibenda ſunt.

16 Religioſi tamen, & Clerici quamvis idonei ad prædicandum evangelium, debent nihilominus ad id munus obeundum obtinere priùs facultatem à ſuis ſuperioribus: non enim poteſt quis evangelium prædicare, niſi ex officio ſibi commiſſo, vel niſi habeat facultatem à ſuo Prælato præter facultatem ſedis Apoſtolicæ: adeò ut non ſufficiat licentiam ſimpliciter petere, ſed requiratur ulteriùs, ut hanc obtineat. Sicut prohibentur Chriſtiani convivia accedere Judæorum; ita prohibentur etiam adire eorum convivia, eorúmque nuptias, dies feſtos, ludos, & choreas cum ijsdem ducere, ut etiam eorundem ſynagogas frequentare: eò quia per hæc non modica contrahatur cum ijsdem familiaritas. Imò prohibentur etiam chriſtianis templa Gentilium inviſere eo tempore, quo ab ijsdem ſuperſtitioſa fiunt: ſecluſo tamen ſcandalo, & periculo perverſionis, non cenſetur culpa gravis, etiam eo tempore templa inviſere Gentilium.

17 Neque licitum eſt chriſtianis filios enutrire Judæorum, quia *in c. ad hac 8. h. t.* Alexander III. reſcribit, Chriſtianos eſſe cenſuris compellendos, ne ſe Judæorum ſervitio aſſiduè pro mercede exponant: & expreſsè prohibet, ne obſtetrices, & Nutrices præſumant nutrire pueros in domibus Hebræorum, ne ob aſſiduam familiaritatem ſimplices pervertantur. Poſſe tamen Chriſtianos Judæis interpollatè ſervire, notat Gloſſa *in d. c. ad hac.* non tamen in domibus Judæorum. Verùm putârim, neque interpolatè debere Chriſtianos ſe pro mercede exhibere ſervitio Judæorum ſive in domo, ſive extra illam: ratio eſt, quia Pontifex non prohibet Chriſtianis pro mercede Judæis inſervire ob ſolam eorundem familiaritatem vitandam, verùm etiam ne Judæi ſuperiores ſint Chriſtianis, & ut loquitur Apoſtolus, ne filij liberæ, ſerviant filijs ancillæ; quoties autem

Digitized by Google

tem quis alteri pro mercede inſervit, ſe eidem ſubijcit, & filij liberæ filijs non debent ſubijci ancillæ, ſed ècontra.

18 Non tamen prohibentur Chriſtiani operas ſuas Judæis locare, ſive in domo, ſive extra eorundem domum; dummodo Judæi non ſint aſſiduè præſentes: alioquin viderentur Chriſtiani eisdem inſervire, quod prohibitum eſt: ſin verò Judæi ſint abſentes, non prohibentur Chriſtiani eorum agros colere, & etiam aliquod ædificium in eorum conſtruere utilitatem. Jdque videtur colligi *ex c. multorum h. t.* ubi Gregorius Papa reſcribit, poſſe Judæos habere colonos agrorum Chriſtianos, qui diutiùs ibi manſerunt, & qui peragunt omnia jura, quæ de Colonis, vel Originarijs ſtatuuntur.

19 Neque obſtat, ſi Judæus aliquando veniat ad inſpiciendam agri culturam, quia cum id raro contingat, non ce ſetur moraliter præſens, ſicut ſi continuò aſſiſteret. Neque prohibentur Chriſtiani res ſuas, ut ſunt rhedæ, equi, currus, jumenta locare Judæis. Immo licitum eſt etiam Chriſtianis emere, vel vendere merces, & politicos contractus i ire cum Judæis, quia id nullo jure eſt ipſis prohibitum, quinimmo id ipſis permittitur, ut deſumitur à contrario ſenſu ex *c. poſt miſerabilem de uſuris*, ubi Pontifex ſtatuit, poſſe Judæos adigi ad reſtituendas uſuras Chriſtianis, quòd ſi eas non reſtituant, poſſint ad id compelli à judice, & etiam arceri à Chriſtianorum conſortio, & ſocietate. Hinc infertur, quòd quotiescunque non excluduntur à ſocietate Chriſtianorum, licitum ſit Chriſtianis cum Judæis ſocietatem habere quoad contractus emptionis, & venditionis; dummodo vitetur nimia familiaritas, & converſatio inter illos, adeò ut contractus non celebrentur in domibus Hebræorum, nec Judæi emendi, vel vendendi causâ domos ingrediantur Chriſtianorum. Rurſus prohibentur Chriſtiani Judæis aliquid legare, aut teſtamento relinquere *l. 1. C. de Iudæis*.

20 Non tamen hæc familiaritas interdicta Chriſtianis cum Judæis prohibetur etiam cum omnibus alijs infidelibus, quia *in c. Iudæi 5. h. t.* & eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi, habetur, quòd Judæi, & Sarraceni nec pro pueris ſuis alendis, nec pro ſervitio, vel alia qualibet cauſa Chriſtiana mancipia in domibus ſuis habeant. Excommunicantur autem, qui cum illis præſumpſerint habitare: cùm enim ibi prohibeantur Chriſtiani ſub pœna excommunicationis habitare cum Judæis, & ſpecialiter exprimatur, quòd hæc prohibitio ſe extendat ad Sarracenos; non intelliguntur comprehenſi reliqui infideles: alioquin Pontifex eos expreſſiſſet. Tum quia Judæi ſunt magis eccleſiæ exoſi, quàm alij infideles; ſiquidem Judæi difficiliùs convertuntur ad ſidem, magisque periti ſunt ad pervertendum, quàm Ethnici.

§. II.

De ijs, qui jure civili, & canonico permittuntur, & prohibentur Iudæis degentibus in terris Principum Christianorum.

1 PRohibentur Judæi inter Chriſtianos commorantes præſici in Reipublicæ regimine, ſeu officijs publicis, in quibus juriſdictionem exerceant, idque deſumitur *ex c. cum ſit 16. h. t.* ubi Innocentius III. ex Concilio Lateranenſi *c. 19.* ſtatuit, ut Judæi non ponantur in publicis officijs, neque præficiantur Chriſtianis in obeundis reipublicæ officijs, & quod compeſcendus ſit præmiſſa monitione à Concilio provinciali, qui publicum officium Judæo committit; & jubet Chriſtianos, cum tali Judæo ad dignitatem promoto nullum habere commercium, donec ſuſceptum dimiſerit officium; & quidquid occaſione officij fuerit Judæus à Chriſtianis lucratus in uſus pauperum Chriſtianorum eſſe impendendum. Ex quo infertur, Judæos, & Paganos non eſſe capaces juriſdictionis, quam exerceant in Chriſtianos, quia ut habetur in Concilo Narbonenſi, quod vulgò dicitur Regioticinum *can. 20. Omni ratione caret, & religioni chriſtianæ noxium, & contrarium noſcitur, ut Iudæi à Chriſtianis regalia exigant, aut illas civiles, aut criminales cauſas inter Chriſtianos judicandi locum habeant*: & in Concilio Palentino *can. 21.* vocatur abſurda, & irrationabilis corruptela, quæ in Chriſtianæ fidei vergit opprobrium, & jacturam, quâ contra canonicas ſanctiones Judæi, & Sarraceni Chriſtianis in publicis præficiuntur officijs.

2 Hinc Gregorius VII. *lib. 9. regiſt. epiſt. 2.* ſcribit ad Alphonſum Regem Hiſpaniæ: *Iudæos Chriſtianis dominari, vel ſupra eos poteſtatem exercere ulterius nullatenus ſinas; quid enim eſt Iudæis Chriſtianos ſupponere, atque hos illorum judicio ſubijcere, niſi eccleſiam Dei opprimere, & Sathanæ Synagogam exaltare? & dum inimicis Chriſti velis placare, ipſum Chriſtum contemnere?* Etenim nimis abſurdum eſt, ut Judæi, qui Chriſtum blaſphemant in Chriſtianos, vim poteſtatis exerceant: ſicut enim Tyrannis inimicis Chriſtiani nominis id conſilij fuit, ut primævos Chriſtianos ab omnibus honoribus, dignitatibus, commitijs, & tribunalibus arcerent, ut de Juliano Apoſtata refert Gregorius Nazianzenus *orat. 1. in Iulian.* ita vicè verſa Chriſtiani Imperatores, & Principes jurè merito Judæos, & Paganos generatim excluſerunt à Magiſtratu, & illis officijs, quibus poſſent juriſdictionem aliquam in Chriſtianos exercere, ut refert Theodoretus *lib. 1. eccleſ. hiſt.* immo SS. PP. ſub eccleſiæ initijs cùm adhuc Imperatures ethnica ſuperſtitione detinerentur, repetitis legibus caverunt, ne Chriſtiani alium Chriſtianum coram judice gentili convenirent; idque ne Ethnici ullam exercerent poteſtatem in Chriſtianos; & omnis præcluderetur illis occaſio cum Ethnicis comuni-

candi, hinc D. Paulus *1. ad Corinth. c. 6.* ait: *Si qui ex fratribus negotia habent inter ſe, nec apud cognitores ſæculi judicentur:* per cognitores ſæculi Apoſtolum intellexiſſe Gentiles probat Mendoſa *lib. 3.* hinc Clemens Romanus *lib. 2. conſtit. c. 50.* ajt: *non cognoſcant ergo gentes controverſias, quæ inter vos oriuntur, neque contra vos infidelium teſtimonia recipiatis, nec ab his vos judicari velitis.* Hinc Judæi non poſſunt advocationis officium exercere *l. nemo 15. C. de Epiſc. audient. l. ult. C. de poſtul.* quia publicum officium eſt pro alio poſtulare, & non ſolùm nobile, verùm etiam laudabile eſt officium Advocati, *l. laudabile 4. C. de Advocat. diverſ. judic. l. prohibendum 7. C. de poſtul.* ut docent Donellus *lib. 18. comment. cap. 3.* Tiraquel. *de nobilit. c. 28. n. 11.* hinc ut notat Ricciolus *lib. 2. de jur. perſon. c. 24.* Judæi tanquam infames ab advocationis munere arcendi ſunt. Hoc idem etiam dicitur de officio Procuratoris, quia præterquam quod publicum eſt *l. 2. ff. de reg. jur.* non vile, & abjectum, ſed honeſtum, & nobile eſt, ut notat Tiraquel. *de nobilit. c. 30.* Hinc Judæos Procuratores in judicio eſſe non poſſe, probat Ricciolus *de jure perſon. lib. 2. c. 26.*

3 Rurſus Judæos, & Paganos non poſſe publica officia inter Chriſtianos exercere, ſtatuitur etiam *in c. ex ſpeciali 18. h. t.* ubi quia Rex Portugalliæ in officijs publicis Judæos præferebat Chriſtianis, mandavit Gregorius IX. duos Epiſcopos, ut Regem monerent, ac inducerent, ne in officijs publicis Judæos præficeret Chriſtianis contra Concilium Generale, & juxta *c. cum ſit nimis 16. h. t.* ubi Judæi prohibentur poni in publicis officijs. Quòd ſi Rex Judæis, vel Paganis ſuos reditus jam vendiderit, tunc mandat Pontifex, deputari Chriſtianum non ſuſpectum in gravamine ferendo clericis, vel eccleſiaſtitis, per quem Judæi, & Sarraceni ſine injuria Chriſtianorum conſequantur jura regalia: ex quo colligitur, non cantùm prohiberi Judæos præfici officijs publicis, ſed etiam exercere quodlibet officium, & commercium, per quod Chriſtianis aliquod poſſint gravamen inferre. Quòd ſi reditus regales locentur, vel vendantur Judæis, aut Sarracenis, tenetur Rex, vel Princeps deputare aliquem fidelem Chriſtianum, qui exigat jura illa regalia, adeò ut non poſſit Judæus, vel Sarracenus per ſe ipſum immediatè jura illa exigere, imò nec per alium ab ipſo deputatum: & in hoc ſacris canonibus conſentit jus civile *in l. ult. C. de Judæis*, ubi iſti arcentur ab omni honore, dignitate, & adminiſtratione publica, per quam correcta fuit *lex generaliter 3. ff. de decurion.*

4 Videtur tamen in contrarium obſtare, quia ad officia publica, & munia obeunda illi ſunt promovendi, quibus majora ſuffragantur merita, quia hiſce præmia debentur, & honores *l. in nomine §. hac autem C. de offic. præfect. Africa, l. 1. ff. de decurion.* unde Judæi, & Sarraceni, aliique Pagani, ſi majoribus polleant meritis promovendi ſunt ad officia publica, ac cæteris præferendi, qui minora habent merita.

Secundò quia juxta præceptum Chriſti relatum *in c. 1. de conjug. ſervor.* acceptio perſonarum non eſt habenda, & injuſtum videtur, certum genus perſonarum ad officia, & dignitates admittere, & alias perſonas ad id vel maximè idoneas ab ijsdem excludere: unde non videntur Judæi, Sarraceni, & Pagani abſolutè, & indiſtinctè arcendi à publicis officijs. 5

Tertiò quia in *l. Judæi 8. C. Judæis.* dicitur, quòd ſi Judæus litem habeat cum Chriſtiano, debeat Judæus judicem adire Chriſtianum: ergo à contrario, ſi Chriſtianus litem habeat cum Judæo, videtur adeundus judex Judæus, ut ſecundùm jus Hebræorum litem dirimat. 6

Sed contra, quia licèt ad dignitates, & publica officia promovendi ſint homines virtute pollentes, & litteris inſigniti: non tamen hæ conditiones reperiuntur in Judæis, vel Paganis, quia cùm non ſint imbuti Chriſtianis rudimentis, ſed detineantur in infidelitate, & idololatria nunquam poſſunt ijsdem ineſſe qualitates, quibus conſtituuntur digni, ut in jurisdictione exercenda præficiantur Chriſtianis. Unde ad id, quòd addebatur de præcepto Chriſti, reſpondetur, acceptionem perſonarum non eſſe habendam inter fideles; non verò quando ſimul comparantur fideles, & infideles, quia tunc illi ſunt præferendi Judæis, & Paganis in omnibus, & quoad omnia. Ad aliud, quod addebatur de Chriſtiano litem habente cum Judæo, reſpondetur, quòd quoties inter Chriſtianum, & Judæum lis aliqua movetur, ſive Chriſtianus ſit actor, ſive reus, neceſſariò adeundus ſit Judex Chriſtianus, quia Judæi nullam in Chriſtianos poſſunt jurisdictionem exercere. Neque obſtat argumentum à contrario ſenſu, quia ex illo ſequitur abſurdum, nempe quòd Chriſtianus ſubjiciatur Judæo, ſeu filius liberæ filio ancillæ. 7

Prohibentur etiam Judæi commorantes inter Chriſtianos novas Synagogas erigere, vel erectas ampliare: Permittuntur tamen veteres reficere, & collabentes inſtaurare, idque deſumitur *ex c. Judæi 3. h. t.* ubi Gregorius reſcribit Epiſcopo Genuenſi; quòd ſicut legalis definitio novas non patitur erigi Synagogas, ita eas ſine inquietudine veteres haberi permittit, ubi Gloſſa notat, quòd ſi Synagogæ corruant reſtaurari poſſint, ſed non ampliari. Synagoga ſuam trahit nomenclationem à græco verbo *Sunago*, quod eſt *colligo*, adeò ut Synagoga græcè, latinè idem ſit ac collectio; loca enim illa, ubi Judæi congregabantur ad legendam, & audiendam legem moſaicam Synagoga dicebatur. Neque Judæorum Synagogæ tantùm erant in Judæa, & Galilæa; verum etiam in alijs provincijs, in quibus Judæi degebant, ut Damaſci, Salaminæ, Antiochiæ, Piſidiæ, Theſſalonicæ, Athenis, Corinthij, Epheſi, ut habetur in actibus Apoſtolorum *c. 9. c. 13. c. 14. c. 17. c. 18.* quia in illis civitatibus 8

bus morabantur Judæi permixti cum Gentilibus: quamobrem Synagogæ, quæ in locis illis erant, non dicebantur Synagogæ Gentilium, ſed Judæorum *Actor. c. 13. enim veniſſent Salaminam prædicabant verbum DEI in Synagogis Judæorum c. 17. venerunt Theſſalonicam, ubi erat Synagoga Iudæorum*: earum uſum apud Judæos invaluiſſe ante Jeroſolymitani templi conſtructionem probat Chochier *in faſc. hiſtor. cent. 2. c. 27.* & Sigonius *de repub hebræ. lib. 2. c. 8.* ait, Jeroſolymis trecentas octoginta Synagogas conſtructas fuiſſe, eò quia Judæi illuc confluerent ex omnibus mundi partibus. Fit mentio unius ex iſtis Synagogis in *Act. Apoſt. c. 6.* ibi: *Surrexerunt quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum; & aliorum: qui erant à Cilicia, & Aſia diſputantes cum Stephano.*

9 Cæterum triplici ex cauſa fuerunt à Judæis Synagogæ conſtructæ. Primò ad docendum, conſueverant enim Doctores populi ſingulis Sabbathis convenire ad Synagogas, ibique legere, & explicare libros Moyſis, & Prophetarum, ut habetur *Act. c. 15. verſ. 21. Moyſes à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur*, erant autem hujusmodi Doctores, Scribæ, & Phariſæi, de quibus *Matth. 23.* dicitur, *ſuper cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi*: quod officium etiam pluries Chriſtum exercuiſſe liquet ex Marci *c. 1. verſ. 21. Sabbathis ingreſſus in Synagogis docebat eos.* & Luc. *4. v. 15. & docebat in Synagogis eorum.*

10 Secundò conſueverunt etiam Judæi orationis causâ ſimul convenire in Synagogis, ut liquet *ex c. 6. Iudith. v. 21. Convocatus eſt omnis populus, & per totam noctem intra eccleſiam oraverunt petentes auxilium à DEO Iſrael* ubi per eccleſiam non poteſt quid aliud intelligi, quàm Synagoga.

11 Tertiò quia moris erat apud Judæos, ut in Synagogis contra legem peccantes punirentur: hinc *Matth. c. 1. in Synagogis ſuis flagellabunt vos*, & Matth. 23. *Mitto ad vos Prophetas, & ex illis flagellabitis in Synagogis veſtris Act. c. 26. Per omnes Synagogas frequenter puniens eos compellebam blaſphemare.* De his Synagogis earúmque religione plura eruditè juxta morem, & perdoctè congeſſit. Aloyſius Novarinus *lib. 5. ſchedias. c. 20.*

12 Ratio, cur permittatur Judæis, veteres Synagogas retinere, & reficere, ſi vitium contraxerunt, non verò novas conſtruere, hæc eſt; quia tametſi Judæi fovendi non ſint; quinimò potiùs arguendi, & increpandi; nihilominus in ſuis Synagogis non ſunt moleſtijs afficiendi, ut antiqui Patres, & Imperatores decrevere. Unde licèt eorum collegia improbata eſſent, ut notant Briſſonius *lib. 1. ſelect. c. 4.* & Oſvvaldus *lib. 18. c. 7.* Cuiacius *lib. 7. obſer. c. 30.* eorum tamen Synagogæ immunes erant ab hoſpitio, & eorum ritus tolerabantur, præſertim circumciſio *l. circumcidere 11. in princ. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* ut etiam feriæ Neomeniarum, aliarúmque ſolemnitatum *l. final. C. Theodoſ. de ferys l. 20. eod. cod. de Iudæis.* Quamobrem rectè Gregorius *in d. c. Iudæi 3. h. t.* permittit Judæis habere antiquas Synagogas, & prohibet erigere novas.

Videtur tamen in contrarium obſtare, quia 13
perduellium, & tyrannorum ædificia ſolo æquantur in pœnam tam gravis ſceleris *l. is cum quo 20. ff. commun. divid l. 2. §. ſi quis nemine. l. ult. ff. ne quid in loco publico. l. fideicommiſſ. 11. §. qui illiciti. ff. de legat. 3.* & notat Vulteus *diſcept. jur. c. 9.* atqui nulla videtur poſſe gravior culpa committi judaicâ ſuperſtitione, ac Judæorum perfidiâ; proinde eorum Synagogæ potiùs ſunt ſolo æquandæ, quàm ſi vitium contraxerint, reſtaurandæ. Tum quia Auguſtinus *lib. 18. de civit DEI c. ult.* refert, quòd juſſu Imperatoris, Chriſtiani falſorum Numinum templa everterint, ac ſimulacra fregerint, & conſtitutiones ad id editas fuiſſe laudibus exceptas à SS. Patribus: ergò à fortiori Synagogæ Judæorum, in quibus judaicæ feſtivitate. & ceremoniæ exercentur in opprobrium catholicæ religionis omninò ſunt diruendæ, evertendæ, ſolóque æquandæ. Secundò quia ſi Judæis unà cum Chriſtianis commorantibus permittatur collabentes reſtaurare Synagogas, eáſque reficere, utique conceditur etiam illis earundem uſus, cum Synagogæ ſint propter uſum, & exercitium cœremoniarum legis Moſaicæ, ſiquidem ad hunc unicè finem Judæi ſuas conſtruunt Synagogas, in quibus conveniunt: atqui Judæis commorantibus inter Catholicos prohibetur uſus judaicorum rituum; ſiquidem interdicitur ipſis mortuos ſuos cum cantu ſepelire in Concilio Narbonenſi ſub Recharedo, ubi dicitur, *Iudæis non licet corpus defuncti deducere pſallendo, ſed ut eorum habuit mos, & conſuetudo antiqua, corpus deducant, & deponant.* Prohibentur etiam Judæi paſcha celebrare, & circumciſionem exercere in Concilio Toletano II. *can. 9.* ibi: *ne Iudæi more ſuo celebrent paſcha, vel carnis circumciſionem exerceant*, unde fruſtra videtur Judæis permitti Synagogas habere, & reficere, cùm prohibeatur iiſdem exercitium judaicorum rituum. Tertiò quia reficere perinde eſt, ac ædificare *l. 1. §. 9.* ibi: *ædificare autem non ſolùm, qui novum opus molitur, intelligendus eſt: verùm is quoque, qui vult reficere*: ergo ex eo, quòd Judæis prohibeantur novæ Synagogæ, prohibentur etiam veteres reficere.

Sed contra, ad primum reſpondetur, eſſe di- 14
ſcrimen inter perduellium, & tyrannorum ædificia, quæ à lege jubentur ſolo æquari; & inter Synagogas Judæorum, quæ tolerantur: quia cœremoniæ Judæorum tolerantur, non verò Paganorum, eò quòd in ritibus Judæorum olim præfiguraretur veritas fidei, quam Chriſtus in lege evangelica nos docuit, ex quo hæc in nos utilitas redundat, ut teſtimonium fidei noſtræ habeamus ab hoſtibus; quia in ſuis ritibus figuram nobis repræſentent veræ fidei; tolerantur enim figuræ quatenus nos confirmant in figurato, ſeu fide Chriſti Redemptoris,

demptoris, iu quo quæ in veteri lege fuerunt adumbrata, illuxerunt; ſecus non tolerantur ritus Paganorum, eò quia nihil utilitatis nobis afferant: & hæc eſt ratio, cur potiùs Syoagogæ Judæorum, quàm templa Paganorum tolerentur à Principibus catholicis; ut enim docet D.Thomas *2. 2. q. 10. art. 11.* mala tolerantur, vel propter aliquod malum, quod evitatur; & cum neutrum ex his oriatur ex Ethnicorum templis; ideo hæc demoliri, ſolóque æquari juſſerunt Imperatores Chriſtiani varijs conſtitutionibus, quæ extant tam io Codice Theodoſiano, quàm Juſtin. *ſub titulo de pagan.*

15 Ad id quod addebatur ex Concilio Narbonenſi, reſpondetur, quod tametſi Judæis permittatur labentes Synagogas inſtaurare, & iu eis convenire ad ritus ſuos peragendos, ac conſuetas ſolemnitates celebrandas; nihilominus ijsdem prohibetur novas inſtituere, imò etiam antiquas reficere publicè in opprobrium catholicæ religionis, & ſcandalum fidelium, ut habetur *in d. can 9.* Concilij Narbonenſis, quia per tales ritus nobis repræſentant figuras eorum, quæ in fide evangelica contigerunt; non verò permittuntur illis exercitia aliorum rituum, quo pacto prohibentur, ne cum cantu deferant cadavera defunctorum, quia illi noviter talem cantum inſtituere intendebant: unde illis permittitur cadavera deferre humanda juxta veteres ritus. Alij verò ritus, qui ſine ſcandalo ab ijsdem exercentur in ſuis Synagogis, in quibus non interveniunt Chriſtiani, tolerantur. Ad ultimum, in quo dicebatur, quod reficere perinde ſit ac ædificare, reſpondetur, aliud eſſe facere, & aliud reficere, ut habetur *in l. 3. §. penult. ff de itinere, actúque*: ſiquidem facere eſt de novo erigere, & reficere eſt, quod jam erat factum reparare.

16 Ex eo autem, quòd permittatur Judæis labentes ſuas Synagogas inſtaurare; non tameu licèt Architectis, vel fabris Chriſtianis operas ſuas impendere in reſtaurandis Judæorum Synagogis: oeque licitum eſt Chriſtianis eis vendere ligna, lapides, & alia, quibus erigantur, vel reſtaureutur eorum Synagogæ; nec res alias eis dare, quibus utantur ad cultum judaicum, vel idololatriæ, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 169. art 2. ad 4.* Quinimò ſi antiquæ Judæorum Synagogæ funditùs corruerint, non ampliùs permittitur Judæis, eas in eodem loco iterum erigere, quia id perinde eſſet, ac novas erigere, & ædificare. Cæterum in reficiendis Synagogis Chriſtiani non poſſunt licitè Judæis vendere calcem, lapides, ligna, quia tametſi eccleſia permittat, Judæos poſſe veteres Synagogas reficere: attamen Catholici ſi ipſos juvent ſoppeditando materialia, non excuſantur à culpa: quia ex eo, quòd Judæi poſſint ſuas reficere Synagogas, non ſequitur, poſſe Chriſtianos ad earundem refectionem cooperari: alioquin omnia, quæ tolerantur, in Judæis poſſent exerceri per Chriſtianos contra canonem *63. Apoſtol.* ibi: *Si clericus, vel laicus ingrediatur Synagogam Judæorum ad orandum deponatur, & excommunicetur*, & *can. 70.* ibi: *Episcopus Presbyter, Diaconus, Clericus, jejunans cum Judæis, vel feſta celebrans, vel xenia feſtorum ab eis accipiens ut azima, vel aliud quid deponatur, & laicus excommunicetur.*

Ruſſus *in c. in nonnullis 15.* Innocentius III. ſtatuit, ut Judæi, & Sarraceni diſtinguantur habitu à Chriſtianis, & ut in dominica paſſionis, & in hebdomada ſancta non exeant in publicum, neque in contumeliam Creatoris proſiliant, & ſecus facientes mandat per Principes ſæculares puniri, ne præſumant Chriſtum blasphemare. Hoc decretum in Italia præſertim, & alijs Provincijs religiosè ſervatur, ſed per Germaniam, ubi Judæi nullo veſtium diſcrimine à Chriſtianis diſcernuntur, etiam in die paſſionis dominicæ liberè extra domum prodeunt. 17

Secus in Italia, aliisque Provincijs januas, & feneſtras jubentur Judæi claudere, & quidem illis eo die usque ad paſcha, ut non poſſent quaſi inſultationis causâ per forum, aut plateas ambulare prohibitum fuerat *can 29.* Concilij Aurelianenſis III. idque etiam confirmavit Innocentius III. in Concilio Lateranenſi relato *in d. c. in nonnullis 15. h. t.* Cùm enim non poſſent Judæi promiſcuè cum Chriſtianis commorantes ijsdem occaſionem ſcandali non præbere, ideo compelli debuerunt his diebus, in quibus paſſionis dominicæ, & Redemptionis noſtræ memoria colitur, claudere oſtia, & feneſtras domorum, ſeque cohibere ab omni inſultatione, imò Tondutus *lib. 1. variar. c. 48.* aſſerit eſſe cogendos, ut domos, & parietes tapetibus ornent ad imitationem Chriſtianorum, quando ſacroſancta Euchariſtia proceſſionaliter in feſto Corporis Chriſti defertur per civitatem. 18

Non tamen Judæi inviti, & renuentes compellendi ſunt baptiſmum ſuſcipere, ut Clemens III. ſtatuit *in c. ſicut Judæi 9. h. t.* ubi reſcribit. Primò ut nullus invitos, vel nolentes Judæos ad baptiſmum compellat: ad Chriſtianos autem confugiens, ſi voluntas ejus patefacta fuit, Chriſtianus absque calumnia efficiatur. Secundò ut nullus Chriſtianus ſine judicio terrenæ poteſtatis Judæos occidat, vel vulneret, vel pecunias eorum auferat, aut bonas conſuetudines immutet. Tertiò in ſuarum feſtivitatum celebratione fuſtibus, vel lapidibus eis non ſit moleſtus. Quartò neque coacta ſervitia exigat, niſi quæ ante facere conſueverunt. Quintò nemo cœmeteria eorum mutilet, aut invadat, aut obtentu pecuniæ corpora tumulata effodiat: & contraveniens officij, & honoris periculum patiatur; aut excommunicetur, niſi ſe correxerit. 19

Ratio, cur nolentes, & inviti Judæi baptizari non debeant, aſſignatur à Pontifice, quia Chriſti fidem habere non creduntur, qui ad Chriſtianorum baptiſmum non ſpontanei, ſed inviti coguntur. Hinc liquet, infideles, & Judæos non eſſe cogendos ad fidem chriſtianam ſuſcipiendam, eò quia ut docet D. Thomas 20

2.2.

2. 2. q. 10. a. 8. in corp. credere liberæ eſt voluntstis; & fides non ex neceſſitate, ſeu coactione ſuſcipi debet, imò neque infantes Judæorum, & aliorum infidelium, priusquam ad uſum devenerint rationis, poſſunt invitis eorum parentibus licitè baptizsri. Tum ob periculum fidei, ne cum ad uſum pervenerint rationis, inducantur à parentibus à fide deficere, quam ignoranter ſuſceperant. Præterea quia id adverſatur juſtitiæ naturali, quia cùm filius antequam uſum habeat liberi arbitrij, ſit ſub parentum cura, ideo illis invitis non debet ſubtrahi.

21 Quòd verò Judæi non ſint compellendi ad ſuſcipiendum baptiſmum, docent communiter SS. Patres, præſertim Auguſtinus *lib. de atilit. credend. in Ioan.* ubi ait: *cætera poſſe hominem etiam nolentem; credere non niſi volentem:* hinc Lactantius Firmianus *lib. 5. divin. inſtit. c. 24.* ait: *quis enim imponat mihi neceſſitatem, vel credendi, quod nolim; vel quod volim non credendi? nihil tam voluntarium, quàm religio eſt, in qua ſi animus averſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt.* Credere enim munus eſt animæ, cui nulla vis inferri poteſt: & præſertim procedit in fide catholica, quæ ſuapte natura; eo quòd ſupernaturalis ſit, non eſt hominibus in hac vita demonſtrabilis, ut poſſit intellectus convinci, & compelli ad eidem adhærendum, perinde ac adigitur adhærare concluſioni illatæ ex principijs notis, cùm dicat *Eccleſiaſt. c. 3. altiora te ne quæſieris* ſcilicet ratione naturali noli ſcrutari myſteria fidei, quibus nonniſi per ſpontaneum obſequium divinitùs per gratiam acquiſibile adhæremus, ut ait D. Paulus 2. *ad Corinth. c. 10.* in captivitatem reducentes omnem intellectum in obſequium fidei: quapropter D. Bernardus *ſermon. 66. in cantic.* ait, *fides ſuadenda eſt, non imperanda*, & Caſſiodorus *lib. 2. variar. epiſt. 27.* religionem imperare non poſſumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus.

22 Hinc etiam apud Ethnicos victima, quæ aliquo modo ſe invitam ad aram, & cultum trahi ſignificabat, ſi ab ara profugiſſet, aut cepetito mugitu eſſet reluctata à Romanorum, & aliarum gentium ſacrificijs reijciebatur, eò quia putaretur ingrata eſſe Deo, ut notat Tiraquel *in not. ad Alexand. lib. 3. genial. c. 16.* unde rectè Clemeus III. *in d. c. ſicut Iudæi 9.* juxta prædeceſſorum ſuorum ſententiam decrevit, Judæos compellendos non eſſe profiteri catholicam fidem, nec baptiſmum ſuſcipere. Et idem dicendum de filijs Judæorum, aliorúmque infidelium, qui non poſſunt abduci à parentibus, nec illis invitis baptizari.

23 Poſſet tamen in contrarium obijci, eò quia omnes homines tam Judæi, quàm Gentiles vi legis divinæ tenentur chriſtianam fidem amplecti, & finem aſſequi ſupernaturalem, cum Chriſtus redemerit omnes homines, quos vult ſalvus fieri, & juſſerit ſuos diſcipulos docere omnes gentes, eáſque baptizare: proinde Principes tam eccleſiaſtici, quàm ſæculares, qui cuſtodes ſunt, & Tutores legis divinæ, compellere debent Judæos, & infideles degentes in ſuis ditionibus, ſibíque ſubditos ad ſuſcipiendum baptiſmum, quod docuit etiam Chriſtus exemplo, & parabolâ; illo quando per terrores compulit Saulum ad fidem profitendam: hâc cum apud Lucam 14. paterfamilias præcepit ſervo ſuo, ut exiret in vias, & plateas civitatis, ac compelleret intrare ad cœnam quoſcunque inveniſſet: ex qua parabola infertur, compellendos eſſe Judæos, & infideles, ut per ſuſceptum baptiſmum eccleſiam ingrediantur, præſertim cum ex tali violentia nullum Judæis, & Ethnicis inſeratur damnum; non enim ſuſceptio fidei per baptiſmum cedit in præjudicium infidelium, qui baptizantur, quin potius in eorum maximum commodum; proinde nulla fit eis injuria ex eo, quòd ad baptiſmum adigantur, cum inde promoveantur ad finem ſupernaturalem. Tum quia Judæi, ſi ſemel fidem ſuſceperint, coguntur eam ſervare, ac retinere *novell. 55.* etiam ſi per vim eam ſuſceperint, ut habetur in Concilio Toletano IV. & refertur *in c. de Iudæis 45. diſt.* ubi dicitur, *oportere ut fidem, quam etiam vi, & neceſſitate ſuſceperant, tenere cogantur*: ergo licitè poſſunt Judæi compelli ad ſuſcipiendum baptiſmum.

Sed contra, quia Prælati eccleſiaſtici non 24
poſſunt infideles compellere ad ſuſcipiendum baptiſmū, quia cum non ſint membra eccleſiæ, nullam poſſunt in illos vim coërcitivam, ac juriſdictionem exercere, ut rectè docet D. Thomas *2. 2. q. 10. art. 4.* & deducitur ex illo D. Pauli *1. ad Corinth. 12.* ibi: *Quid enim mihi de his, qui foris ſunt judicare?* Nec poſſunt Principes ſæculares, quamvis juriſdictionem temporalem in eos exerceant, eoſdem compellere ad ſuſcipiendum baptiſmum: ratio eſt, quia talis juriſdictio ordinatur tantùm ad finem naturalem, nec extenditur ad finem ſupernaturalem, & cum ſuſceptio fidei per baptiſmum non pertineat ad finem naturalem, ſed ſupernaturalem, ſequitur juriſdictionem Principum ſæcularium, non ſe extendere ad cogendos infideles ad fidem ſuſcipiendam: unde Chriſtus non juſſit, diſcipulos ſuos vi gentes omnes baptizare, ſed tantùm eas docere, ſeu ijſdem ſuadere baptiſmum, & poſtea eaſdem volentes baptizare.

Ad id, quod addebatur de D. Paulo, re- 25
ſpondetur, quòd tametſi ab initio perſequeretur eccleſiam; nihilominus ſatis poſtea expreſsè propriam oſtendit voluntatem ſuſcipiendi baptiſmum verbis illis, *Domine quid vis, me facere?* unde Paulus invitus non ſuſcepit baptiſmum, ſed volens. Ad aliud, quod addebatur de parabola, reſpondetur, ibi non ſignificari Judæos, & Paganos, ſed potiùs hæreticos, & ſchiſmaticos, qui ratione baptiſmi pertinent ad juriſdictionem eccleſiæ, & compelli poſſunt, ut redeant ad unitatem corporis Chriſti, ut explicat D. Auguſtinus *epiſt. 50.* ad Bonifacium.

Præterea ſi velimus explicsre parabolam 26
illam etiam de Judæis, vel infidelibus, poſſet com-

commodè reſpondері cum alijs, verbum illud *compellere*, non accipi pro violenta compulſione, ſed pro vehementia amoris Chriſti, quo cupit omnes ad fidem converti, & æternam conſequi ſalutem, ut explicat D. Thomas *q. 22. de verit. art. 9. ad ult.* Neque ullum neceſſit negotium aſſerere, baptiſmum non cedere in ullum damnum infidelium; quia licèt profeſſio fidei, non cedat in præjudicium eam ſuſcipientis; cogere tamen infidelem ad eam ſuſcipiendam invitum cedit in ejus gravamen, & quidem contra juſtitiam; eò quia cogitur ab eo, qui talem poteſtatem compellendi non habet: etenim etiam votum perpetuæ continentiæ ſponte emiſſum non cadit in præjudicium voventis, cum plurimum meriti ex tali voto ſuſcipiat; & nihilominus non debet quis cogi ad vovendam perpetuam continentiam, præſertim ab eo, qui poteſtatem non habet inferendi talem violentiam, unde hæc coactio in gravamen cederet voventis.

27 Ad ultimum, quòd addebatur compellendos eſſe ad fidem retinendam eos, qui ſemel illam etiam per vim ſuſceperunt, reſpondetur, aliud eſſe cogere infidelem ad ſuſcipiendam novam fidem, & aliud compellere fideles ad retinendam fidem, quam ſuſceperunt; iſti enim cogi poſſunt, non illi; ne ſcilicet fides ſemel ſuſcepta apud eos vilis videatur, ut habetur *in c. quidam de Apoſtatis c. contra Chriſtianos de hæret. in 6.*

28 Cæterum ſi Judæus fugiat ad Chriſtianos, petátque baptiſmum, non debet confeſtim baptizari; ſed expectari debet, donec ejus voluntas pleniùs exploretur, ut habetur *in d. c. ſicut Judæi 9. h. t.* ſiquidem interrogandus eſt, ex qua cauſa baptiſmum petat, quâ intentione, & ex quibus rationibus, quæ ipſi perſuaſerint baptiſmum ſuſcipere. Hinc *in c. ne quod abſit. 93. diſt. 4. de conſecrat.* injungitur, ut Judæus petens baptizari per dies 40. verſetur inter Chriſtianos, antequam baptizetur. Quòd ſi Judæi convertantur ad fidem, non perdunt bona ſua juſtè acquiſita, ut habetur *in c. Judæi 5. h. t.* injuſtè tamen acquiſita ex uſuris, vel alio delicto tenentur ijs reſtituere, à quibus extorſerunt, vel eorum hæredibus, vel ſi nullus ſuperſit eccleſiæ, vel pauperibus erogare debent. Hinc poſſunt Judæi poſſidere bona immobilia, ut deſumitur *ex c. quanto 18. de uſuris* excepto in ſtatu eccleſiaſtico ex ſpeciali conſtitutione Pauli IV. Retinent tamen Judæi ad fidem converſi jura ſucceſſionis erga parentes, & alios agnatos, quibus ſuccedunt ſicut prius: non enim ex quo fidem ſuſceperint, debent eſſe deterioris conditionis, ac antea. Non tamen poſſunt filij Judæorum, ſi convertantur ad fidem chriſtianam à parentibus exhæredari, quamvis per baptiſmum liberentur, a patria poteſtate, fiántque ſui juris, ut notat Gloſſa *in c. Judæorum 11. cauſ. 28. q. 1.*

§. III.

Quænam prohibeantur Chriſtianis circa Sarracenos, aliósque Paganos.

Prohibentur Chriſtianis deferre ad Sarracenos arma, & etiam in ipſorum navibus regimen exercere ſub pœna excommunicationis, ac privationis propriorum bonorum, & obnoxietatis ſervitutis, ſi capiantur, ut habetur *in c. ita quorundam 6. h. t.* ubi Alexander III. eos, qui Sarracenis deferunt arma, ferrum, & lignamina, & neceſſaria ad impugnandos Chriſtianos ſubminiſtrant; ſimiliter eos, qui in galeis, & piraticis navibus Sarracenorum curam gubernationis exercent, jubet anathemate feriri, rebus ſuis privari, ac ſervos fieri capientium. Rurſus præcipit, ut frequenter in eccleſijs maritimis proferatur excommunicatio hæc ſolemnis contra eoſdem: adeò ut has pœnas mereatur eorum improbitas, qui arma, & alia neceſſaria ad Sarracenos deferunt ad impugnandos Chriſtianos, hoſtéſque fidei in nautica arte adjuvant. Hoc idem etiam repetitur *in c. ad liberandam 17. h. t.* ubi Innocentius III. repetit, quæ dicuntur *in d. c. quorundam 6. h. t.* addítque, ut eis non aperiatur gremium eccleſiæ, niſi priùs reſtituant in ſubſidium terræ ſanctæ totum, quod lucrati ſunt in commercio, & tantundem de ſuo, & ſi non ſunt ſolvendo, ita puniantur, ut alij terreantur. Hoc idem habet Innocentius III. *lib. 1. epiſt. in edit. colon. fol. 258.* ibi: *Illud etiam Lateranenſis Concilij conſtitutum curavimus innovare, quòd eos, qui Sarracenis arma, ferrum, lignamina Galearum miniſtrare præſumpſerint, & in galeis, & piraticis eorum navibus curam Gubernatoris, & regimen exercere ab eccleſiæ communione præcidi, & excommunicationi pro ſua iniquitate ſubjectos, rerum ſuarum per Principes ſæculi catholicos, & Conſules civitatum privatione multari, & capientium ſervos, ſi capti fuerint, fore decernit.* Hoc idem etiam innovârunt alij Pontifices, Nicolaus in Bulla edita anno 1450. quæ eſt quarta hujus Pontificis, Gregorius IX. *epiſt. 9.* Julius II. in ſua conſtitutione 25. quæ habetur in *tomo 1. Bull.* Paulus III in ſua conſtitutione edita anno 1530. Bul. 10. ejuſdem Pontificis, Paulus V. in ſua conſtitutione 63. quæ extat in *tomo 3. Bullarij*, Gregorius XIII. in ſua conſtitutione, Martinus V. in Bulla *cœna Domini*, de qua fusè Leonardus Duardus *in comment. ad Bullam cœnæ lib. 2. c. 7.*

Ratio eſt, quia ad quemlibet Principem pertinet prohibere ſub gravioribus pœnis, ne eorum ſubditi hoſtes juvent in detrimentum, & damnum eorundem Principum, ac eorum ſubditorum: ſicut enim propria defenſio eſt de jure naturæ: ita etiam ea omnia adhibere media, quæ ad hanc propriam defenſionem pertinent: hac ratione Principes juſtis ex cauſis prohibent ſuis ſubditis, ne cum exteris mercatoribus commercium exerceant *l. ſicut §. Ariſto. ff. ſi ſervitus vindicetur l. hæres. ff. de* 2

ſ.

ff. de uſur. l. Cotem ferro ff. de publican. l. 2. & per tot. C. de nautic. fœn. & latè probant Gutierres *pract. quæſt. lib. 4. q. 37. & ſequent.* Giurba *conſil. 16. n. 15.* Thomas Delbene *de parlament. tom. 2. ſect. 3.* ſi enim arma ſuppeditentur inimicis alicujus Principis, iſti promptiùs inſurgunt contra eundem Principem, & ejus ſubditos, adeò ut eadem arma, quæ acceperunt à ſubditis Principis, in perniciem convertant ejuſdem Principis, qui propterea poteſt ſub graviſſimis pœnis ad ſui, ſuorúmque defenſionem prohibere, ne ullus ex ſuis ſubditis audeat arma, vel alia neceſſaria ad bellum ſuppeditare, ſeu vendere ejus inimicis ad ſui, ſuorúmque defenſionem. Alia ratio additur *in l. mercator 4. C. de commerc. & mercat.* & eſt ne alieni, Regni, quod non convenit, ſcrutentur arcana, hinc habetur edictum Theodorici apud Caſſiodorum *lib. 2. variar. c. 12.* ibi: *Si deſiderijs noſtris commercia peregrina famulantur, ſi prolato auro acquiritur æterna devotio; quanto magis ſuis bonis abundare debet Italia, cum nulla in parendo probetur ſentire detrimenta, & ideo Laridi ſpecies nullatenus jubemus ad peregrina transmitti, ſed in uſus noſtros propitia divinitate ſervetur, ne quod in noſtris partibus conficitur noxiâ diligentiâ deeſſe videatur.*

3 Idque præſertim procedit, quando merces deſeruntur ad hoſtes, & Barbaras gentes *l. 2. C. quæ res exportari*, quia perſæpe transfugæ uſum armorum, artémque ea cudendi ad barbaros tranſtulerunt maximo cum ſuorum detrimento; plura exhibentur documenta apud Herodianum *lib. 3.* quapropter eos, qui naves conficere barbaros docuerunt, capitis ſupplicio puniebantur *l. is qui C. de pœn.* eodémque jure cantum itidem eſt, ut cujuscunque opera, & dolo malo hoſtes commeatu, armis, telis, equis, pecunia, & alia qualiber re adjuti fuerint, tanquam læſæ majeſtatis Rei puniantur *l. 4. §. ad leg. Jul. majeſtatis.* & notat Caſſiodorus *lib. 2. variar. c. 12.* Quamobrem ſi leges civiles ſeverioribus pœnis prohibuerunt arma, tela, equos, pecunias, & alia ad bellum neceſſaria ſuppeditare hoſtibus: à fortiori leges canonicæ ſub pœna anathematis, & privationis bonorum debuerunt prohibere, ne Chriſtiani arma deferrent ad Sarracenos; cum iſti eadem convertant in perniciem chriſtianæ religionis, quam nituntur extinguere.

4 Nomine armorum intelliguntur omnia ea inſtrumenta, quæ bello inſerviunt ſive ad defenſionem, cujuſmodi ſunt ſcuta, galeæ, loricæ; tum ad offendendum, ac pugnandum, ut ſunt gladij, haſtæ, enſes, ſagittæ, ſclopi, & alia id genus: & quia in *c. ad liberandum 17. h. t.* prohibentur etiam ferri ad Sarracenos lignamina, & ferrum, nomine ferri intelligitur generatim omne ferrum ſive rude, ſive cuſum, ſeu ſive ſit in rudi, ac impollita maſſa, ſive in uſus bellicos jam elaboratum. Huc etiam pertinent alia cognata metalla, ut calybs, ſtamnum, plumbum, & alia metallorum genera, ex quibus bellica poſſunt inſtrumenta cudi, ut habetur in Bulla *cœnæ Domini cenſura 7.* & notat Leonardus Duardus in *comment. ad ſand. Bullam cœnæ*, Lignamina galearum dicuntur ligna omnia triremibus ædificandis, aliiſque bellicis navibus conſtruendis idonea: imò etiam ſub nomine lignaminum comprehenditur omnis alia materia lignorum accommodata ad quasvis alias machinas bellicas conſtruendas; quinimò in Bulla *cœnæ Domini* prohibetur etiam deferri cannabim, funes, & omnem aliam materiam, ex qua confici poſſunt inſtrumenta, quibus Chriſtianis poteſt a Sarracenis damnum inferri.

Immo pœnas excommunicationis, & privationis bonorum non ſolùm incurrunt, qui arma, & alia prohibita inſtrumenta deferunt ad Sarracenos, ſed etiam qui illa eisdem vendunt, & permutant, vel quocunque alio modo concurrunt, ut ad eosdem transferantur; cum ratione officij deberent potiùs id prohibere. Rurſus ſemel excommunicatus ob ſubminiſtrata Sarracenis arma poteſt iterum, atque iterum excommunicari, quoties ſcilicet talia defert ad Sarracenos arma, ut deſumitur *ex c. ita quorundam 6. h. t.* ubi habetur, quòd excommunicatus poſſit iterum excommunicari, ac pluribus irretiri vinculis, perinde ac Bannitus, poteſt iterum banniri facta citatione, ubi conſueverit habitare. Quando verò excommunicatus iterum excommunicatur, id non fit in ordine ad effectum ſeparationis à communione fidelium: ſiquidem ex vi primæ excommunicationis, jam facta eſt hæc ſeparatio: ſed tantùm in ordine ad illum effectum, ut maneat extra communionem fidelium, donec non ſolùm à prima, ſed etiam à ſecunda excommunicatione fuerit abſolutus, adeò ut ſecunda excommunicatio quodam modo ſit quædam extenſio primæ; & ſolutâ primâ adhuc ſuperſit ſolvenda ſecunda, & tertia, cujus ſolutio poteſt protrahi juxta delicti gravitatem ad longius, vel brevius tempus. 5

Non tamen hac excommunicatione ligantur ipſi Sarraceni, quia cùm non ſint baptizati, non ſunt ſub juriſdictione eccleſiæ, quæ propterea non poteſt contra ipſos exercere vim coërcitivam, nec eos punire pœnis ſpiritualibus. Qua ratione infidelis percutiens clericum non incurrit excommunicationem latam *in c. ſi quis ſuadente 29. cauſa 17 q. 4.* quia cum infideles non ſint ſubjecti ſpirituali juriſdictioni eccleſiæ juxta illud Apoſtoli *1. ad Corinth. 5. Quid enim mihi de his, qui foris ſunt* (ſcilicet qui non ſunt noſtri juris, ſeu juriſdictionis) *judicare?* quo fit, ut eccleſia non poſſit directè infidelem excommunicare, quia cùm infideles non ſint in eccleſia, non poſſunt ab eadem per excommunicationem ſeparari: poteſt tamen eccleſia indirectè eos quodammodo excommunicare, quatenus poteſt directè prohibere Chriſtianis, ne ullam cum infidelibus communionem habeant: hac ratione privantur infideles indirectè communione Chriſtianorum. Idque deſumitur *ex c. poſtulâſti 14. h. t.* ubi Innocentius III. ſtatuit, ut ſi Judæus percuſſerit clericum, & fuerit ſub ditione Epiſco- 6

pi, debeat hic eum punire in re temporali, vel pecunia, & illum adigere ut juret, ſe velle congruè læſo ſatisfacere, quòd ſi fuerit ſub dominio alterius mandat Pontifex, ut Epiſcopus loci moneat Dominum, ut idem faciat. Quòd ſi Dominus neglexerit id implere; debeat Epiſcopus cenſuris interdicere Chriſtianis, ne quis præſumat exercere commercia cum tali percuſſore clerici, donec plenè ſatisfecerit. Quinimò ex denegatione Principis, ſeu magiſtratus ſæcularis, cui Judæi, vel alij infideles ſunt ſubjecti, ſi delinquant, puniri poſſunt etiam pœna corporali à Prælato eccleſiaſtico *argu. c. conſtitutionis 31. cauſ. 17. q. 4.* Juvat obſervare, quòd quamvis pœnæ ſtatutæ contra deferentes arma, lignamina, & alia ad Sarracenos ſpectato jure communi non extendantur ad eos, qui ea deferunt ad Judæos, & Ethnicos, imò & hæreticos: nihilominus in Bulla cœnæ Domini anathemate percutiuntur omnes, qui arma, & alia bello inſervientia deferunt ad Sarracenos, Turcas, & hæreticos, per Romanam ſedem nominatim declaratos, & generatim ad omnes inimicos nominis Chriſtiani.

7 Verùm contra has pœnas videtur obſtare, quia contractus præſertim emptionis, & venditionis ſunt juris naturalis ſecundarij, ſeu de jure gentium *l. ex hoc. jure. ff. de juſtit. & jur.* ut probant Benedictus Ægydius *§. jus autem inſtit. de jure naturali. ex l. de hoc jure. ff. de juſtit. & jure*, & Scaccia *de commer. q. 1. §. 1. per totum.* unde eccleſia non videtur poſſe prohibere venditionem armorum, ac cæterarum mercium etiam Sarracenis, & alijs infidelibus.

8 Sed contra, quia tametſi contractus emptionis, & venditionis ſint juris gentium, ſeu juris naturalis ſecundarij, exinde tantùm ſequitur, non poſſe Principes abſolutè ſubditis hujuſmodi contract' prohibere; non verò quòd reſpectivè, ſeu in ordine ad quaſdam perſonas, non poſſint ſuis ſubditis prohibere, ne vendant ſuis hoſtibus arma, & alia bello inſervientia in perniciem ſuorum ſubditorum: etenim tunc concurrit jus naturæ defendendi ſe, & ſuos, & juri naturæ cedit jus gentium; unde quamvis vendere arma exteris ſit contractus jure gentium permiſſus, ſi tamen arma vendantur hoſti, qui ea convertat in perniciem Principis, poteſt hic prohibere ſuis ſubditis etiam ſub pœna capitis, ne arma vendant ſuis hoſtibus; quia impedire, ne hoſtis armetur, eſt ſe ipſum defendere, ne ab eodem lædatur: unde licèt jus commerciorum æquum ſit, æquius tamen eſt jus tuendi propriam ſalutem, ſéque defendendi ab hoſte: ſiquidem illud eſt jus gentium, & hoc naturæ; illud privatorum, hoc totius Regni; quapropter mercatura debet Regno cedere, ut homo naturæ, & pecunia vitæ; quamobrem jure merito prohibuit eccleſia fidelibus ſub pœna anathematis, & privationis bonorum, ne venderent arma Sarracenis, aliíſque infidelibus.

9 Rurſus *in c. ſignificavit 11. h.t.* reſcribit Clemens III. ut tranſeuntes ad terras Sarracenorum pro redimendis captivis debeant jurare coram Epiſcopo, ſe non laturos in ſuis mercibus, & alio modo aliquid, quod erit comodum, & ſubſidium Sarracenis allaturum extra articulum redemptionis. Ut etiam excomunicantur, qui tempore treugæ deferunt merces prohibitas Sarracenis lucri causâ. Item qui jurant non portare merces prohibitas, niſi ſit pax inter ipſos, & Chriſtianos, ſi eos deferant tempore treugæ, anathemate ſunt percuſſi. Hoſtienſis tamen, & alij cenſent, quòd ſi captivi apud Sarracenos, alióſque infideles non poſſint aliter redimi, quàm mercibus prohibitis, probabile ſit, quòd poſſint licitè arma deferri.

10 Verùm probabilius, & communius eſt, non poſſe ad infideles à Chriſtianis arma deferri ſine ſpeciali licentia Papæ, tametſi alijs mercibus non poſſent captivi redimi, idque ne fraus ulla committatur in re tanti momenti: ſiquidem Sarraceni poſſent poſtea ijſdem armis uti contra Chriſtianos: proinde probabilius eſt, ſic deferentes arma ad Sarracenos, ſeu Turcas, alióſque infideles etiam causâ redimendi captivos, incurrere excommunicationem, ſi abſque ſpeciali Papæ licentia id præſtent. Prohibetur etiam *in d. c. ſignificavit 11. h.t.* Chriſtianis etiam poſt treugam factam cum Sarracenis deferre ad ipſos merces prohibitas lucri causâ: quia treuga eſt ſecuritas, quæ fit perſonis, & rebus ad tempus tantùm conceſſa, ut habetur *in c. 1. de treuga, & pace*, adeò ut qui treugam init, tantùm deſiſtat à bello ad tempus, non verò pacem ineat. Hinc quia Chriſtiani prohibentur ad Turcas arma, & merces deferre tempore belli, prohibentur etiam tempore induciarum, ſeu treugæ, quia cùm pax nondum ſit concluſa, cenſetur bellum adhuc ſævire, quamvis arma ſuſpenſa ad tempus hæreant.

11 Extat in hoc titulo etiam conſtitutio Clementis V. quæ habetur in clementinis de Judæis, & Sarracenis, eorúmque ſervis, & deſumitur ex Concilio Viennenſi; ubi Pontifex gravibus, & Apoſtolicis verbis Principes Chriſtianos hortatur, & mandat, ut Sarracenos ſibi ſubjectos à publica invocatione Machometis, & ad peregrinationem ineundam ad ſepulchrum illius compeſcant, & contra facientes ita mandat puniri, ut alij timeant hoc idem facere. Et licèt textus ſit prolixus, eſt tamen ita clarus, ut vix ulla videatur difficultas apparere. Continet etiam hic titulus Extravagantem Joannis XXII. cui initium *copioſus*, ubi quæ prohibentur, *in c. ita quorundam 6. h. t.* & *in c. ad liberandum 17. h. t.* extenduntur ad adjuvantes Mauros, qui detinebant Regnum Granatæ in Hiſpania intra triennium, contra quos bellum gerebatur. Præcipit enim Pontifex *in d. Extravag.* ut nullus Chriſtianorum audeat Sarracenos juvare. Cùm enim Petrus filius Regis Caſtellæ, vellet Sarracenos, ſeu Mauros Regno Granatæ expellere, Pontifex ſententiam excommunicationis tulit in omnes portantes arma, vel alia pro-

prohibita ad dictos Mauros. Neque in hoc textu occurrit ulla nova difficultas, quæ non fuerit expenſa *in d. c. ita quorundam, & c. ad liberandum in Summar. exegetico.*

12 Rurſus in *extravag. commun. h. t.* habetur etiam alia conſtitutio Clementis V. cui initium eſt *multa mentis*, ubi Pontifex prohibet ſub excommunicatione arma, victualia, mercimonia in Alexandriam, & loca Sarracenorum terræ Ægypti deferre, mittere, vel portare, vel promittere, vel extrahere, vel permitti, quod extrahantur de portubus Chriſtianorum, ut illò deferantur; vel auxilium, conſilium dare; nec contra facientes abſolvantur, niſi in mortis articulo, poſtquam tantundem de proprijs bonis ſolverint in ſuppetias terræ ſanctæ. Quòd ſi capiantur, fiunt ſervi, ſeu infames, habenturque inteſtabiles, adeò ut non poſſint teſtari, vel legare, imò etiam habentur inhabiles ad ſuccedendum, & ad publica officia ſubeunda; eorum enim actus illegitimi ſunt: demum Pontifex mandat, diebus dominicis eos publicari ut excommunicatos; & fiſcum omnia eorum bona accipere: Demum claudit hunc titulum *Extravag.* Joannis XXII. & eſt *c. dignum 2. h. t.* ubi Pontifex præcipit Rectoribus, & Officialibus comitatus Venuſini, aliarumque terrarum ſtatus eccleſiaſtici, ut Judæos ad fidem converſos in poſſeſſionibus ſuis, & bonis nec moleſtent, nec moleſtari permittant; ne deterioris conditionis ſint poſt baptiſmum, quàm ante. Similia etiam habentur in Bulla Pauli III. cui initium eſt *cupientes Judaos.*

§. VI.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quaſtiones.

1 QUæritur primò, quot ſint caſus, in quibus Chriſtiani prohibeantur cum Judæis communicare? Reſpondetur ex hactenus dictis in præcedentibus eſſe decem. Primò prohibentur Chriſtiani ſimul habitare cum Judæis. Secundò interdicuntur intereſſe eorundem convivijs, ut etiam Judæos invitare ad prandia, & unà cum ipſis cibos ſumere. Tertiò prohibentur etiam Chriſtiani unà cum Judæis promiſcuè balneum ingredi, & in eo ſe lavare. Quartò eos etiam vocare causâ infirmitatis, adeò ut ſi adſint Judæi, qui medicam artem calleant, non poſſint Chriſtiani ijsdem uti ad morbos, quos contraxerunt, curandos: unde Chriſtiani interdicuntur accerſere Judæos, ut Medicos. Quintò prohibentur etiam ab ijsdem medicinas præparatas recipere, & ſumere. Sextò interdicuntur Chriſtiani filios Judæorum in ſuis domibus nutrire. Septimò inſervire, ac famulatum præſtare, cum non debeant Chriſtiani Judæis ſubijci, ſicut nec filij liberæ debent filijs ancillæ ſubeſſe, iiſque inſervire. Octavò prohibentur quocunque ſervitutis vinculo ijsdem ſubijci. Nonò interdicuntur Judæi promoveri ad publica officia inter Chriſtianos, ne ſcilicet iſti illis ſubijciantur, quapropter Judæi non poſſunt inter Chriſtianos ullam exercere juriſdictionem. Decimò interdicuntur Chriſtiani veſci eorum azimis, & intereſſe eorum feſtis, choreis ad evitandum omne genus familiaritatis. Si verò quiſquam hæc fecerit, ſi clericus fuerit, deponitur, & ſi laicus anathemate percutitur, immo *in c. omnes 28. q. 1.* etiam additur: *Omnes clerici, ſive laici Judaorum convivia vitent, nec eos ad convivia quiſquam excipiat: quia cum apud Chriſtianos communibus cibis non utantur Judai; indignum eſt, ac ſacrilegum, eorum cibos à Chriſtianis ſumi, cum ea, qua Apoſtolo permittente nos ſumimus, ab illis judicentur immunda; ac ſi inferiores incipiant eſſe Chriſtiani, quàm Judai, ſi nos, qua ab illis apponuntur, utamur, illi verò à nobis oblata contemnant.*

Hinc Chriſtiani communicantes in prædictis cum Judæis graviter peccant, niſi ex levitate materiæ excuſentur: ſiquidem *in c. nullus* dicitur: *ſi clericus eſt, deponatur; & ſi laicus excommunicetur:* & quia hæ pœnæ ſunt graviſſimæ, ſupponunt culpam gravem, quia pœnæ non infliguntur delinquentibus niſi juxta menſuram delictorum. Tum quia hæc communio cum Judæis prohibetur Chriſtianis ob periculum perverſionis, quòd imminet ex frequenti familiaritate cum Judæis. 2

Quæritur ſecundò, an dentur aliquæ cauſæ excuſantes Chriſtianos à culpa ob converſationem cum Judæis? Reſpondetur affirmativè, quia in jure canonico principaliter ea tantùm cum Judæis converſatio eſt fidelibus prohibita, quæ ſit per modum ſocietatis, & familiaritatis, & quæ aſſidua eſt, & diuturna, quia tunc imminet periculum perverſionis: cæterum ſi converſatio ſit perſunctoria, & caſualis excuſat fidelem à culpa. Hinc qui fortuitò cum Judæo in eadem caupona, vel eodem hoſpitio, aut convivio, vel balneo convenit, non tenetur ab eodem recedere, nec eum fugere, quia tunc caſu contingit, ut ſimul conveniant per modicum tempus: rurſus in illis locis, ubi Judæis conceditur mercaturam exercere, ex praxi, & conſuetudine infertur, licitum eſſe cum ijsdem contractus emptionis, permutationis, & alios ſimiles inire. Tum quia jure non eſt interdictum aliquid Judæis vendere, vel ab eis emere, ſicut nec prohibitum eſt cum ijsdem loqui. Idque ex eo poteſt etiam ſuaderi, quia in *c. poſt miſerabilem 12. de uſur.* ſtatutum eſt, ut Judæi poſſint compelli ad uſuras reſtituendas Chriſtianis, à quibus acceperant, eas repetentibus, & ſi reddere detrectent, compellantur à conſortio Chriſtianorum abſtinere. 3

Ex hoc infertur, quòd antequam hæc pœna plectatur à judice, non ſit Chriſtianis interdictum colloquia miſcere cum Judæis, & mutuos inter ſe contractus venditionis, & emptionis inire: ut notat Abbas in *c. poſt miſerabilem 12. de uſur.* An verò Chriſtianus poſſit jure medicinas emere à Judæo? Certum eſt, jus prohibere accipere medicinas à Judæo, & nihil ſtatuere de emptione. Hinc plures cenſent, 4

poſſe Chriſtianos licitè emere à Judæis medicinas non quidem ex toto, ſed ex patte tantùm, ſcilicet medicinas jam præparatas, quia canones tantùm prohibent frequentem familiaritatem, & ne Chriſtiani à Judæis medicinas ultrò oblatas accipiant, non verò prohibent emere medicinas jam præparatas: ratio diſcriminis poteſt eſſe, quia donatio ſuaptè natura ſolet benevolentiam, & amicitiam conciliare inter homines, non ita emptio, & venditio, proinde poſſunt Chriſtiani prohiberi accipere à Judæis medicinas ultrò oblatas, non verò eas jam præparatas emere. Demum ſi in omni lege, & transgreſſione, extrema, vel etiam gravis neceſſitas corporalis, vel ſpiritualis excuſat à culpa contrahends; ita nec videtur culpandus Chriſtianus, qui ex neceſſitate urgentis ſamis cum Judæis manducat; vel medico Judæo utitur, ſi alius curandæ ægritudini idoneus non habeatur: ut etiam qui ex eo, quòd ſperet converſionem alicujus Judæi ſamiliariùs, & frequentiùs cum eodem converſatur.

5 Quæritur tertiò, an licitum ſit Chriſtianis ea vendere Judæis, quibus ad judaicas cœremonias peragendas ſolent abuti; ut an Chriſtianus licitè vendat Judæo agnum, quem ſcit à Judæo emi ad eum finem, ut ritu judaico eum in paſchate mactet, & edat: & arborum ramos, quibus ſcit Judæos in ſuis feſtis eſſe uſuros? Ratio dubitandi ea videtur eſſe, quia tunc ex tali venditione datur Judæis occaſio ſuos ritus judaicos ſervandi, & colendi, in quibus nunc peccant: unde vendere Judæis talia, perinde eſt, ac conſentire in eorum peccata: atqui conſentientes in peccatum alterius eo ipſo peccant. Tum quia ſi licitum eſſet vendere agnum Judæo, quem ſcit emere, ut in paſchate illum mactet, & edat; cum id ſit peccatum; utique licitum quoque foret vendere gladium, vel venenum furioſo, vel amenti, ſi venditor ſciat, eum uſurum gladio in necem alicujus, vel etiam ſui ipſius perniciem.

6 Nihilominus reſpondendum eſt cum diſtinctione: vel Chriſtiani vendunt Judæis agnum, ramos arboreos, & alia id genus ad eum finem præciſè, ut poſſint ſuos ritus ſervare, & colere, & tunc non eſſent Chriſtiani excuſandi à peccato lethali, ratione cauſæ finalis talis venditionis: ſiquidem venderent res illas, ut Judæi peccata committerent; quod perinde eſſet, ac concurrere ſaltem in intentione ad peccatum Judæorum. Vel Chriſtiani res illas, ut indifferentes, vendunt Judæis eadem intentione, quâ eas venderent alijs Chriſtianis, quatenus res per ſe non ordinantur ad ritus judaicos ſervandos, & tunc putârim probabilius, poſſe Chriſtianos vendere Judæis res illas ut omninò indifferentes; quia cùm res ſint ex ſua natura indifferentes, & liberum ſit Judæo ijsdem benè, vel malè uti, & Chriſtianus non inducat Judæum ad malè utendum rebus illis; immo potiùs intendat eas vendere ſicut Chriſtianis venderet; non videtur illicitè operari, ſicuti non illicitè eas venderet Chriſtianis. An verò teneatur Chriſtianus à Judæo tunc exquirere, ad quos uſus res illas emat, putârim ad id non debere adigi: quia eo ipſo quòd vendit res ex natura ſua indifferentes, & quibus Judæus poſſit uti benè, & malè, non tenetur venditor quid aliud inquirere: alioquin gravaretur venditor, ſi adigeretur ad diligentiam illam adhibendam; id enim onus nimis moleſtum ei videretur.

Quæritur quartò, an Judæi poſſint à Principibus Chriſtianis puniri? Reſpondetur, quòd ſi Judæi domicilium habeant in terris Principum Chriſtianorum, ſicut ſubijciuntur juriſdictioni eorundem Principum, ita ſi delinquant, poſſunt, perinde ac alij ſubditi in temporalibus puniri juxta menſuram delicti. Neque obſtat, quòd eccleſia judicare non poſſit de ijs, qui foris ſunt. Nam id tantùm verum eſt de judicio ſpirituali, & eccleſiaſtico, quia ſicut Judæi in ſpiritualibus eccleſiæ non ſubijciuntur, ita excommunicari non poſſunt: ſecus; quia ſubijciuntur juriſdictioni Principum Chriſtianorum, in quorum terris, & ditionibus habent domicilium, ideo poſſunt authoritate eorundem Principum puniri ob crimina, quæ in rempublicam, vel Principem, aut alios privatos homines perpetrârunt: hinc ſi Judæus Chriſtianum mancipium circumcidat, vel compellat circumcidi, punitur perpetuo exilio, ut notat Accurſius *lib. 1. C. de Chriſtian. mancip.* & eo ipſo ſervus chriſtianus donatur libertate. Rurſus ſi Chriſtianum circumcidat, punitur proſcriptione bonorum omnium *l. Judæi C. de Judæis.* Præterea ſi Judæi religionem chriſtianam oppugnent; res ſacras pedibus proterant, ſi in Chriſtum maledicta conijciant, in eos animadvertitur proſcriptione bonorum *l. hac valitura. C. de Judæis.* 7

Imò etiam judices eccleſiaſtici poſſunt in 8 Judæos animadvertere, ſi peccent contra divinam veterem legem, vel Chriſtianos ad judaicam ſuperſtitionem inducant, vel compellant fidem Chriſti negare, non quidem de jure communi; ſed ex conſtitutionibus Pontificijs hæc facultas tradita eſt Apoſtolicis Inquiſitoribus, ut liquet in conſtitutione Gregorij XIII. cui initium eſt: *Antiqua Judæorum*, in qua Pontifex ſtatuit, ut Inquiſitores hæreticæ pravitatis liberè poſſint procedere in omnibus cauſis, in quibus delinquunt contra Deum, & Chriſtum, & recenſentur plures caſus, in quibus Inquiſitores Apoſtolici jubentur contra Judæos, & infideles quoſcunque diligenter inquirere, ac procedere, & eos pro culpæ modo, & criminum numero punire flagellis, remigijs etiam perpetuis, exilio, & alijs pœnis recenſitis in conſtitutione Gregoriana. Poſſunt etiam Epiſcopi, & Inquiſitores inquirere, & animadvertere in Judæos, aliósque infideles delinquentes contra catholicam fidem, & religionem; præſertim ſi delicta committant coram Chriſtianis, quos pravo exemplo pertrahant ad ſimilia perpetranda. Hac ratione Gregorius IX. & Innocentius IV. juſſerunt, libros Thalmudicos abſumi flammis: ſiquidem Gregorius IX. cùm circa annum Domini

1230.

1230. vidiſſet impietates, & blaſphemias contra religionem chriſtianam in libris Thalmudicis contineri, juſſit eos comburi: ídque fuit executioni mandatum per Cancellarium Pariſienſem; & adhuc extat reſcriptum Innocentij IV. cui initium *Impia Judæorum perfidia*: ubi id factum eſſe confirmat, & etiam jubet, ut cæteri ſimiles libri, ſi qui ſuperefſent diligenter perquirantur, flammiſque tradantur.

9 Quæritur quintò, an Principes Chriſtiani poſſint licitè permittere Judæis in ſuis terris degentibus uſuras exigere? Certum eſt, uſuras accipere eſſe jure naturæ, & divino prohibitum; proinde peccare eos, qui illas permittunt, vel accipiunt; quia aliquo modo videntur conſentire in peccatum eorum, qui illas iniquè exigunt. Nihilominus reſpondetur, Principes Chriſtianos poſſe Judæis uſuras impunè permittere: quia non ideo Princeps peccat, quia aliqua mala non puniat in republica, cùm poſſit: ſiquidem nonnunquam conſultius eſt quædam mala minora ſinere impunira ad evitanda alia graviora, ac deteriora: ſic meretrices Principes permittunt, ut etiam Synagogas Judæorum antiquas, ritúſque aliquos judaicos: ut etiam nonnulla ſpectacula, ludóſque publicos, in quibus peccata aliqua committuntur: ſicut etiam permittuntur comœdiæ, in quibus etiam perſæpe populus peccat. Hæc autem mala tolerare, & in republica ſinere impunita, non videtur ex natura ſua malum, ſed potius quid indifferens: proinde non peccant Principes, ſi ſubinde id permittant ad impedienda deteriora mala, ut docet Navarrus *conſil. 3. de uſur.*

10 Neque obſtat, quòd in *in clement. 1. de uſur.* anathemate percutiantur Principes concedentes ſuis legibus uſuras, & permittentes eas exigi.

11 Nam contra eſt: quia plures docent, eam clementinam tantùm procedere, quando Principes permittunt impunè, ut Chriſtiani à Chriſtianis uſuras accipiant, non verò quando Judæi eas à Chriſtianis exigunt, eò quia iſti promiſerint ſe eas ſoluturos. Sed quicquid ſit de hac interpretatione. Communiùs reſpondent, permittere impunè Judæis uſuras non eſſe per ſe malum, proinde licèt in clement. prohibeantur uſuræ: nihilominus conſuetudo in hac parte clementinæ derogavit, præſertim ſciente, & tolerante Romano Pontifice: ſiquidem quòd in illa clementina prohibetur, ne ſcilicet uſuræ permittantur impunè, id tantùm prohibitum eſt jure canonico, & jura ſcripta poſſunt conſuetudine contraria præſcripta abrogari. Quamobrem ex conſuetudine ſaltem legitimè præſcripta Principes permittentes in ſuis Provincijs, Judæos uſuras à Chriſtianis exigere, & accipere non incurrunt excommunicationem latam *in d. clement. 1. de uſuris.*

12 Quæritur ſextò, an ſaltem Principes Chriſtiani illicitè agant, ſi ſtatuta condant, vel conſuetudines confirment, quibus jubentur Chriſtiani uſuras ſolvere, quas ſe Judæis ſoluturos promiſerant? Plures putant, eos tunc peccare, & incurrere pœnam latam *in clement. 1. de uſur.* quia in illa clementina Pontifex expreſsè anathemate ferit eos, qui talia præcipiunt; rurſus quia in *c. poſt miſerabilem de uſuris* injungitur Principibus, & Magiſtratibus, ut Judæos adigant ad reſtituendas uſuras, quas à Chriſtianis acceperunt. Alij verò cum Navarro *in d. conſil. 3. de uſur.* cenſent, licitè tunc Principes agere, eò quia ſicut Chriſtianus non peccat promittendo uſuras Judæo, & promiſſas ſolvendo: ita nec Princeps, & Magiſtratus illicitè agit, ſi præcipiat Chriſtiano, ut quas promiſit Judæo uſuras, ſolvat, quia id aliud non eſt niſi imperare, ut ſervetur fides data, ſtetúrque promiſſo, & pacto, quod per ſe malum non eſt, immo conforme rectæ rationi. Tum quia *in cap. debitores de jurejur.* ſtatuitur, ut is, qui jurejurando promiſit uſuras, compellatur eas ſolvere, niſi jurisjurandi vinculum authoritate eccleſiæ curaverit relaxandum: ex quo conijcitur, quòd promiſſio uſuræ ſolvendæ non ſit ſuapte naturâ mala, alioquin non poſſet jurejurando confirmari: ſicut igitur eccleſia præcipit, ut uſuræ jurejurando promiſſæ ſolvantur; ita poteſt authoritate Principum, vel etiam conſuetudine introduci, ut uſuræ Judæis ſimpliciter promiſſæ ſolvantur. Qui huic adhærent ſententiæ, explicant, præfatam *clement. de uſur.* tantùm loqui de uſuris, quas Chriſtiani promittunt, & ſolvunt alijs Chriſtianis, non verò ipſis Judæis. Nihilominus licèt utraque ſententia ſuis nitatur fundamentis, ſuóſque habeat propugnatores: cenſerem tamen primam ſententiam, ut probabiliorem præferendam, quia vix ſuppetit cauſa juſta, ob quam id Princeps præcipiat: quia ſi eccleſia cogit uſuras, quas juravimus nos ſoluturos Judæis ſolvere, id ſtatuit, quia dat jus eas jam ſolutas repetendi; quod Principes ſæculares non præſtant, proinde eſt diſpar ratio.

Quæritur ſeptimò, quibúſnam Judæi ad 13
fidem converſi teneantur acceptas uſuras reſtituere? Reſpondetur uſuras eſſe in duplici genere: aliæ enim ſunt reſtituendæ certis perſonis, à quibus eas Judæi acceperunt; aliæ verò ſunt incertæ, eò quia non conſtet Judæo uſurario, à quibus eas acceperit. Quod pertinet ad uſuras incertas, Paulus III. in ſua conſtitutione *32. §. 1.* diſpoſuit, ut bona acquiſita à Judæis recèns converſis ad fidem catholicam ex uſuris incertis non reſtituantur pauperibus mediante eleemoſyna, nec applicentur pijs alijs operibus; ſed remaneant apud eoſdem Judæos recèns converſos ad fidem: & meritò, quia hic intervenit virtualis reſtitutio, cùm enim tales uſuræ ſint incertæ; ſeu non conſtet Judæo recèns converſo, à quibúſnam eos acceperit, eſſent reſtituendæ pauperibus mediante eleemoſyna, vel applicandæ pijs operibus: atqui Judæus recèns converſus habetur velut pauper; vel ſaltem ut uſuræ eidem applicatæ induant rationem cauſæ piæ: ſiquidem talis applicatio eſt in opus pium, quia eſt in ordine

ad

ad tollenda impedimenta, quæ impediunt Judæos converti ad fidem catholicam. Quantum verò ad bona acquiſita ex uſuris certis mandat Pontifex *in dict. ſua conſtitut.* ut hujusmodi uſuræ reſtituantur, quibus ſunt reſtituendæ, quia cum Judæus recèns converſus certò ſciat, à quónam eas acceperit, tenetur eas eidem reſtituere.

14 Quæritur octavò, an Pontifex Judæo recèns converſo ad fidem poſſit condonare uſuras certas? Videtur reſpondendum negativè, quia Paulus III. in ſua conſtitutione 32. injungens Judæis recèns converſis reſtituere uſuras certas ijsdem perſonis, à quibus eas acceperunt, diſpoſuit id, quod diſpoſuit ipſum jus naturale: ſiquidem juſtitia naturalis exigit, ut bona reſtituantur ijs, quibus debentur; proinde etiam acquiſita ex uſuris debent reſtitui ſuis Dominis: cùm igitur lex naturæ hanc exigat reſtitutionem, & Pontifex non poſſit diſpenſare in jure naturæ, ut docent communiter cum Suarez *lib. 1. de legib. c. 14. n. 5.* ſequitur, non poſſe condonare Pontificem Judæo recèns converſo uſuras certas. Idque ex eo etiam firmari poteſt, quia uſurarius non acquirit dominium uſurarum ſecundùm communem ſententiam, quam docet Covarruvias *lib. 3. variar. c. 3. n. 6.* & habetur *in l. traditio ff. de acquir. rer. dom.* ubi ut traditio transferat rerum dominium, debet eſſe ex cauſa idonea, adeò ut non ſufficiat ſola voluntas, & ſolutio uſuræ non eſt ex cauſa idonea, cùm non ſit donatio liberalis. Præterea dato etiam quòd Uſurarius dominium acquirat; adhuc mutuatarius retinet jus ad rem, quo non poteſt à ſummo Pontifice ſine delicto privari, præſertim cùm ſine peccato ratione urgentis neceſſitatis accipiatur pecunia ad uſuram: unde cum peccatum locum non habeat, non poteſt Pontifex in pœnam peccati privare chriſtianum, jure quod habet ad repetendas uſuras à Judæo recèns ad fidem converſo.

15 Nihilominus valdè probabile eſt, poſſe Pontificem condonare Judæo recèns ad fidem converſo eam uſurarum partem, quæ ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis poſſet eidem competere. Quia poteſt Pontifex crimen uſurarum, quod tantùm toleratur, Judæis converſis ad fidem condonare; & facere ut contractus ab initio uſurarius reducatur ad terminos legitimos, & inducat obligationem in mutuatario ſolvendi, quod juſtum eſt ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis: proinde poteſt Pontifex indulgere Judæis recèns ad fidem converſis, ut retineant totum id, quod ex lucro ceſſante, & damno emergente eis potuiſſet obvenire. Neque gratia hæc, quæ indulgeretur Judæo ad fidem converſo eſſet ſine juſta cauſa: ſiquidem juſtificaretur ex eo, quòd agatur de favore fidei *c. fin. de converſ. infidel. c. ſignificâſti de homicid.* & quia Judæorum pecunia ſemper ferè eſt in exercitio negotiationis ob paratas, quas ſemper habent, occaſiones negotiandi, & lucrandi; interveniunt requiſita, ut poſſit locum habere ratio lucri ceſſantis, ut notat Caſtrenſis *in l. 3. §. ratione de ee, quod certo lece:* & hanc ſententiam in hac materia ſemper videtur ſequi Rota Romana,

Quòd verò poſſit Pontifex indulgere Judæo recèns converſo reſtitutionem in integrum quoad contractum uſurarium initum cum Chriſtiano antequam ad fidem converteretur, fingendo ſcilicet non factum ſtante æquitate, quod eſt factum, deſumitur ex *clement. unic. de immunit. eccleſ.* & docent communiter Canoniſtæ; adeò ut Ancharanus *conſil. 225. n. 2.* aſſerat, fictiones juris auferre quæſita uni, & dare alteri. Tum quia poteſt Princeps etiam in præjudicium hæredum revalidare donationem excedentem 500. aureos non inſinuatam; & facere ut perinde ſe habeat, ac ſi defacto fuiſſet inſinuata valida, ut notat Caſtrenſis *conſil. 178.* ergo poteſt etiam Pontifex convalidare contractum, qui ab initio fuit uſurarius, eúmque reducere ad debitos terminos, ac facere ut perinde ſe habeat, ac ſi ab initio fuiſſet legitimus: & tunc ſicut legitimatio facta à Principe retrotrahitur ad tempus nativitatis *l. 2. §. de natura reſtitut.* & *§. illud* & *§. nulla authent. quib. mod. natur. effic.* idque non obſtante, quòd filij illegitimi minorem ſint portionem hæreditatis accepturi; ita eodem modo poterit etiam Pontifex legitimare, ſeu convalidare contractus Judæorum, qui convertuntur ad fidem, adeò ut convalidatio retrotrahatur ad tempus, in quo fuit contractus ille initus, non obſtante, quòd id cedat in damnum mutuatarij habentis jus ad repetendas uſuras ſolutas ex vi talis contractus. Neque fit injuria tunc Mutuatario, quia ex juſta, & legitima cauſa tunc non reſtituuntur uſuræ quoad partem reſpondentem lucro ceſſanti, & damno emergenti, quia ſi contractus ab initio fuiſſet validus, Mutuatarius teneretur hanc partem ſolvere; proinde ad id etiam tenetur ex eo quòd contractus convalidetur à Pontifice, & convalidatio retrotrahatur ad tempus, quo fuit contractus initus. 16

Quæritur nonò, an licitum ſit, Infidelitatem, idololatriam, & alia id genus peccata contra jus divinum bello expugnari? Reſpondetur, communiorem ſententiam eſſe negativam, quam docet Molina *de juſtit. & jur. tract. 2. diſp. 107.* idque defectu juriſdictionis, ſine qua non datur punitio criminis, niſi aliunde tales Infideles ſubditi fuerint Chriſtiano Magiſtratui; vel injuriam intulerint Chriſtianis, aut alijs innocentibus, eis mortem inferendo, & eorum ſanguinem innocentem fundendo, quia ut ait Salomon in proverb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem.* Nihilominus affirmativa ſententia videtur perquam probabilis, præſertim ſi accedat Pontificis conſenſus, ad quem pertinet defendere jus divinum, & cui ratione peccati competit juriſdictio in omnes, quia ſi licet Principi Chriſtiano Infideles bello expugnare ad vindicandam injuriam hominibus illatam, quanto magis poterunt Infideles bello expugnari ex authoritate ſummi Pontificis 17

ad

ad vindicandam iojuriam Deo illatam per idolatriam, cùm pertineat ad Pontificem defendere io terris humano modo jus divinum iniquè læſum. Tum quia hac ratione olim Judæis permiſſum fuit, plures gentes delere, eò quia Deum, ſicut oporteret, non colerent.

17 Quæritur decimò, an Epiſcopi, & Inquiſitores habeant jus in eos inquirendi, qui ex Chriſtianis ad Sarracenos, vel Turcas tranſierunt, vel redierunt? Reſpondetur, jure canonico ſolùm expreſsè conſtitutum eſſe, ut Epiſcopi, & Inquiſitores inquirant in Chriſtianos tranſeuntes, vel redeuntes ad judaicam perfidiam, ut deſumitur ex *c. contra Chriſtianos de hæret. in 6.* Verùm ex eod. cap. eruitur ratio, ut dicitur *in directorio Inquiſit. p. 2. q. 45.* quia ſicut, qui tranſeunt, vel redeunt è Chriſtianis ad Judæos, deficiunt à religione Chriſti, & proinde tanquam Apoſtatæ puniuntur: ita etiam ut Apoſtatæ habentur, qui è chriſtiana fide tranſeunt, vel redeunt ad turcicam perfidiam. Rurſus *in dict. direct. Inquiſit.* habetur, quòd talium Receptores, fautores, vel defenſores puniri oporteat, tanquam Receptores, Fautores, & defenſores hæreticorum. Idque procedit etiam in ijs, qui cùm Chriſtiani ſint, conſilium, auxilium, & favorem præſtant prædictis tranſeuntibus, vel redeuntibus è Fidelibus ad Infideles; ut habetur in conſtitutione Gregorij II. quæ incipit *admodum dolenter*, & refertur in *directorio Inquiſit. p. 2. q. 45.*

TITULUS VII.

De Hæreticis.

CUm Pontifex in præcedenti titulo egiſſet de ijs, qui non baptizati fidem Chriſtianam, quam nunquam ſuſceperunt cæca ſuperſtitionis caligine perfuſi, & confuſi oppugnant, ut ſunt Judæi, & Sarraceni, nunc de ijs agit, qui baptizati, & fidem Chriſtianam profeſſi ab ea poſtea defecerunt, & multipliciter in Deum peccârunt, cujusmodi ſunt Hæretici, qui ab initio eccleſiæ ad noſtra usque tempora ferè ſemper extiterunt, modò in hos, nunc in illos delapſi errores, in omnibus ſemper turpiter errantes, non ſine ingenti animarum detrimento. Extat hic titulus etiam *in Septimo, Clement. & in Extravag. communibus.*

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. DUBIIS 1. h. t. Stephanus Papa reſcribit omnibus Epiſcopis, quòd dubius in fide ſit infidelis. Nec eis credendum ſit, qui fidei veritatem ignorant. Ubi notat Gloſſa, quòd dubius in fide non poſſit eſſe teſtis.

C. QUI ALIOS 2. h. t. Leo Papa reſcribit, eum ſe errare demonſtrare, qui cum alios revocare ab errore commodè poſſit; illos non revocat.

C. FIRMISSIME 3. h. t. Ex D. Auguſtino declaratur, hæreticos, & ſchiſmaticos niſi reſipiſcant in æternum damnari. Nec ad ſalutem eis prodeſſe baptiſmum, eleemoſynam, & mori pro Chriſto.

C. FRATERNITATIS 4. h. t. Gregorius IX. declarat, quòd ſi damnetur auctor, ejus ſcripta non recipiuntur. Quamvis ut notat Gloſſa, bona eſſent.

C. SI QUIS EPISCOPIIS 5. h. t. Ex Concilio Africano ſtatuitur, ut Epiſcopus, ſi moriens inſtituat hæredem hæreticum, vel paganum, aut extraneum à ſua conſanguinitate, ſive conſanguineum, ſaltem poſt mortem excommunicetur, vel declaretur excommunicatus; & non oretur pro eo. Ex hoc textu claret, neminem poſſe inſtituere in hæredem hæreticum licèt conſanguineum. Et Epiſcopum non habentem conſanguineos debere inſtituere hæredem ipſam eccleſiam.

C. IN EOS 6. h. t. ſtatuitur idem ac in præcedenti, & ulterius extenditur ad omnes Clericos, quibus pariter inhibetur inſtituere hæredes hæreticos, & ijsdem dare aliquid; non ſolùm in morte; ſed neque in vita: non tamen id procedit in extrema neceſſitate; quia tunc aliquid ipſis dare, ne pereant fame, eſt præceptum naturæ. Tum quia, ſi vivant, poſſunt converti.

C. CUM CHRISTUS 7. h. t. Alexander III. declarat, quòd ſicut Chriſtus eſt verus Deus, ita verus homo, ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens: & decidit, oppoſitum ſentire eſſe hæreticum, & contrarium aſſerentem ſubijci anathemati; ut ſi quis dicat, Chriſtum non eſſe aliquid, ſecundùm quod eſt homo.

C. SICUT AIT 8. h. t. Ex Concillo Lateranenſi declarantur excommunicati hæretici, & eorum fautores; ut etiam, qui eos tenent in domo, vel in ſua terra, vel fovent, vel præſumunt negotiationem exercere cum illis: & ſi in hòc peccato decedant, non ſepeliuntur in loco ſacro; nec fit oblatio pro illis, non obſtante quocunque indulto. Quia ut notat Gloſſa ratione delicti, amittitur prilegium.

C. AD ABOLENDAM 9. h. t. Lucius III. declarat hæreticum eum, qui non metuit aliter ſentire de Sacramentis, quam Romana Eccleſia prædicat, & obſervat: & etiam illum, qui ab Epiſcopo cum Conſilio Clericorum judicatur hæreticus, eſſe excommunicatum: & ſede vacante, qui à Clericis judicatur hæreticus eſt excommunicatus ex hac decretali. Rurſus clericus, qui manifeſtè in hæreſi eſt deprehenſus, niſi ſtatim cognito errore ſpontè recurrat ad unitatem fidei catholica, & ſuum errorem abjuret, exhibeátque congruam ſatisfactionem, degradatur, ſeu ſpoliatur prærogativa Clericatûs cum omni officio, & beneficio eccleſiaſtico; & datur poteſtati ſæculari debitè puniendus; ſicut & laicus punitur, niſi ſtatim abjuraverit. Rurſus qui deprehenduntur notati aliqua ſola ſuſpicione, niſi ad arbitrium Epiſcopi, juxta conſiderationem ſuſpicionis, & qualitatem perſonæ congruenter ſe purgaverint, ſubjacent eidem pœnæ. Item qui poſt erroris abjurationem, vel poſtquam ſe purgaverint in examine proprij Epiſcopi, recèns in abjuratam incidunt hæreſim, relinquuntur brachio ſæculari ſine ulla audientia. Rurſus ſtatuit Pontifex, ut Rectores, & Barones civitatum, ac locorum commoniti ab Epiſcopo jurent corporaliter promittendo, quòd requiſiti fideliter, & efficaciter adjuvabunt eccleſiam contra hæreticos, & complices pro ſuis viribus: quòd ſi id nolint promittere, præcipit Pontifex, ut priventur honoribus, quos habent, nec ad alios aſſumantur, & excommunicentur, & eorum terra interdicantur. Demum civitas, quæ reſiſtet huic ſtatutis, & contra monitionem Epiſcopi negliget punire hæreticos, erit privanda commercio aliarum civitatum; imò & dignitate Epiſcopali. Notandum eſt cum Gloſſa, eum dici manifeſtè deprehenſum in hæreſi, vel evidentia facti, qui publicè prædicat hæreſim: vel legitima probatione per teſtes; vel ex ſua confeſſione eſt convictus. Rurſus clericum quamvis depoſitum adhuc teneri vivere clericaliter: & gaudere privilegio; niſi ſit incorrigibilis. In tribus tamen caſibus traditur curiæ ſæculari: primò in crimine hæreſis, ut in hoc textu: ſecundò in crimine falſi c. ad falſariorum de crimine Falſi: tertiò quando eſt depoſitus propter calumniam, vel contumeliam, quam intulit Epiſcopo 11. q. 1. alias non traditur curiæ ſæculari. Cæterum ſi quis ſit condemnatus hæreticus, non compellitur redire: ſed ſi ſpontè redit, recipitur abjurato errore, & detruditur in perpetuum carcerem ut pœnitentiam agat c. penult. h. t. quòd ſi condemnatus hæreticus ſit laicus, non traditur judici ſæculari; quia in cauſa hæreſis ſententia ferenda eſt ab eccleſia; executio tamen ſit per judicem laicum.

C. VERGENTIS 10. h. t. Innocentius III. ſtatuit, ut bona hæreticorum publicentur, & confiſcentur, & in terris eccleſiæ applicentur fiſco eccleſiaſtico: & in terris ſæcularium fiſco judicum ſæcularium: quòd ſi id negligant, compelli debeant per cenſuras eccleſiaſticas. Rurſus prohibet, ne talia bona amplius reſtituantur hæreticis, niſi reſipiſcant, & convertantur; tunc enim poteſt Judex ex miſericordia illis condonare, ac reſtituere bona. Præterea declarat Pontifex, filios hæreticorum perinde amittere hæreditatem, ſicut in crimine læſæ majeſtatis. Sunt plures caſus, in quibus filij temporaliter puniuntur in jure canonico pro crimine parentum.

C. SI ADVERSUS 11. h. t. Idem Pont. ſuſpendit ab officio, & declarat notatos perpetua infamia Advocatos, & Notarios, qui hæreticis, vel eorum fautoribus in aliquo dederint auxilium, vel conſilium, favorem, vel patrocinium in cauſis hæreſis, vel factis; vel ſi attentaverint in eorum favorem facere ſcripta, vel juramenta publica. Notat tamen Gloſſa, hanc pœnam contra dantes auxilium videri tantùm habere locum, ſi poſt annum non ſe correxerint; quia tunc accenſentur hæreticis c. Excommunicamus 13. h. t.

C. CUM EX INJUNCTO 12. h. t. Idem Pont. declarat, reprehendendos eſſe laicos celebrantes occulta conventicula, & eos, qui officia prædicationis Chriſti ſibi uſurpant, qui eludunt ſimplicitatem ſacerdotum, & aſpernantur eorum conſortium: & in textu additur ratio, quia cum Chriſtus ſit lux, odit tenebras, & juſſit prædicari omni creaturæ in lumine, & ſuper tecta: cum quia ordo Doctorum præcipuus eſt in eccleſia, nec quinquam debet indifferenter ſibi uſurpare officium prædicationis. Rurſus ſtatuit Pontifex, ut in non litteratis ſacerdotibus honoretur officium ſacerdotale. Demum addit, aliud eſſe fratrem delinquentem corripere, quod eſt juxta evangelium, & aliud manifeſtè reprehendere, quod eſt contra charitatem, & propterea nulli licitum ſecundùm evangelium.

C. EXCOMMUNICAMUS 13. h. t. Innocentius III. in Concilio Generali Lateranenſi anathemate percutit omnes hæreticos, quocunque nomine dicantur, & ſtatuit, ut damnati, de hæreſi relinquantur brachio ſæculari puniendi, & eorum bona, ſi ſint laici, tradantur fiſco, ſi clerici applicentur eccleſijs, à quibus ſtipendia acceperunt. Item ſuſpectos de hæreſi, niſi legitimè ſe probaverint juxta conſiderationem ſuſpicionis, & qualitatem perſonæ declarat, eſſe excommunicandos, & vitandos donec ſatisfecerint: & ſi per annum perſtiterint in excommunicatione eſſe condemnandos ut hæreticos. Præterea ſtatuit, ut poteſtates ſæculares moneantur; & per cenſuras

ras compellantur publicè jurare, ſe non permiſſuros in ſuis dominijs morari hæreticos ab eccleſia damnatos ſive eorum poteſtas temporalis ſit, ſive perpetua: & mandat Pontifex excommunicari à Metropolitano, aliiſque Epiſcopis comprovincialibus eos Dominos, qui negligunt ſuas terras ab hæreſi purgare: quòd ſi infra annum non ſatisfecerint juxta hanc decretalem, debet id ſignificari Papæ, qui ex tunc denunciet vaſallos ſolutos à fidelitate, & terras exponat Catholicis occupandas ſalvo jure dominij principalis, dummodo in hoc Dominus principalis non obſtet, nec ponat impedimentum. Rurſus indulget Pontifex Catholicis, qui inſigniuntur ſigno crucis ad exterminandos hæreticos eadem privilegia, & indulgentias, quibus gaudent accedentes in ſubſidium Terræ Sanctæ. Rurſus anathemate percutit credentes Receptores, Defenſores, & Fautores hæreticorum, quos etiam declarat infames, ſi intra annum non ſatisfecerint, & prohibet admitti ad publica officia, vel etiam ad eligendos alios ad talia officia: immo eos etiam privat poteſtate teſtandi, & ſuccedendi hæreditati. Sin verò ſit clericus, deponitur ab officio, & beneficio. Rurſus Pontifex declarat excommunicatos eos, qui contemnunt tales vitare, poſtquam ſunt ab eccleſia notati, donec ſatisfecerint, & prohibet, ne ullus ſacerdos ipſis adminiſtret eccleſiæ ſacramenta, nec iiſdem mortuis det Chriſtianam ſepulturam, nec accipiat ab eis eleemoſynam, nec oblationes: & contra facientes privantur ſuo officio, quòd ipſis non reſtituitur niſi ex ſpeciali indulto ſedis Apoſtolicæ. Quòd ſi ſint Regulares, mandat Pontifex, ut non ſerventur eorum privilegia in illa Diœceſi. Rurſus mandat, ut Archiepiſcopi per ſe, vel per alias idoneas perſonas ſemel in anno viſitent parochiam, in qua eſt fama, habitare ibi hæreticos: immo ſi expediens viſum fuerit, debent etiam totam viciniam compellere jurare, ut ſi quos hæreticos ſciverint, vel conventicula: vel vitâ, & moribus, diſcedentes à communi vita, & moribus fidelium, eos ſignificent Epiſcopo, qui vocet ad ſe accuſatos, qui niſi ſe purgaverint à reatu ipſis objecto, vel ſi poſt purgationem redeant ad eandem perfidiam canonicè puniantur. Quòd ſi noluerint jurare, vult Pontifex eſſe reputandos ut hæreticos. Tandem declarat, Epiſcopum eſſe deponendum ab Epiſcopatu, ſi negligens deprehendatur in purganda ſua Diœceſi ab hæreticis, ſi adſint. Ex quo textu notat Gloſſa, ſolam ſuſpicionem, ſeu præſumptionem inducere purgationem canonicam, ſi tamen probabilis ſit; alias non inducit aliam purgationem, in qua attendenda eſt qualitas, & infamia perſonæ. Rurſus quamvis inſtrumenta facta ab excommunicato non valeant, nihilominus reſcriptum impetratum ab excommunicato eſt validum, quia habet vim à concedente, & non ab impetrante. Hodie tamen non valet niſi in certis caſibus c. 1. de reſcript. in 6. *Rurſus quando Papa expreſſè ſibi non reſervat abſolutionem, tunc videtur conceſſiſſe facultatem Ordinarijs, ſeu Epiſcopis locorum, ut poſſint ipſi abſolvere* c. nuper de ſent. excommunic.

C. *SICUT 14. h. t. Gregorius IX. reſcribit Archiepiſcopo Mediolanenſi, laicis cujuſcunque ſint Ordinis eſſe interdictum officium prædicandi, eò quia Ordo Doctorum ſit præcipuus in eccleſia, & officium prædicandi competat ſolis eccleſiaſticis.*

C. *EXCOMMUNICAMUS 15. h. t. Idem Pont. ſtatuit, ut omnes hæretici, qui ſunt excommunicati, & damnati ab eccleſia tradi debeant brachio ſæculari, ſin verò ſint Clerici, priùs degradentur. Verum ſi velint reſipiſcere abjurare errorem, & agere pœnitentiam, ſunt recipiendi, ſed detrudendi in perpetuum carcerem. Hodie tamen ſine diſtinctione Magiſtratus ſæculares hæreticos ſibi traditos ab inquiſitoribus puniunt juxta delictum* c. ut inquiſitioni de hæret. in 6.

C. *ABSOLUTUS 16. h. t. Idem Pont. declarat abſolutos ab omni obligatione, fidelitate, ſeu homagio, immo etiam juramento ſubditos, quorum Dominus in manifeſtam hæreſim eſt lapſus: ne ſub juriſdictione hæretici ſubditi Catholici inficiantur eadem peſte.*

IN SEXTO.

C. *QUONIAM 1. h. t. Gregorius IX. reſcribit Archiepiſcopo Rhemenſi, & ſuis Suffraganeis. Quòd ſi Clericus conſtitutus in ſacris pro crimine hæreſis ſit tradendus brachio ſæculari, ſufficiat ſolus ejus Epiſcopus ad eum degradandum convocatis Abbatibus, aliiſque Prælatis, & Religioſis, ac perſonis litteratis ſuæ eccleſiæ, ſi ita expedire judicaverit, ut in Tridentino* ſeſſ. 13. de refor. c. 2. *Cæterum pro degradatione Presbyteri in alijs caſibus debent eſſe Epiſcopi, ut tres in Diacono* c. ſi quis ſumendus 15. q. 5.

C. *QUICUNQUE 2. h. t. Alexander III. declarat, excommunicatos, donec idoneè ſatisfecerint, eos, qui præſumpſerint ſcienter dare eccleſiaſticam ſepulturam hæreticis, ut etiam eorum Defenſores, & Fautores; & declarat, non eſſe abſolvendos, niſi priùs publicè proprijs manibus exhumulaverint humata in loco ſacro cadavera, & vult locum illum carere perpetua ſepultura. Rurſus decernit eſſe excommunicandos laicos, qui publicè, vel ſecretè diſputaverint de fide catholica. Rurſus hæredes, credentes, Receptores, Defenſores, & eorum Fautores, & ipſorum filios uſque ad ſecundam generationem non poſſe admitti ad aliquod beneficium eccleſiaſticum, vel officium publicum, & ſi ſecus fiat, factum eſt irritum. Præterea declarat privatum beneficio eccleſiaſtico, ſi illud ad preces hæretici fuerit adeptus, quinimò ſi ſcienter illud recepit, ſit inhabilis ad alia, vel ſimilia beneficia. Demum declarat irritam emancipationem filiorum, quorum parentes deteguntur fuiſſe hæretici ante emancipationem. Ratio eſt, quia ſi pater ſit hære-*

hæreticus, filij ſunt ſui juris, proinde non indigent emancipatione. Notat tamen Gloſſa in hoc textu, excommunicatos ſepultos in loco ſacro eſſe extumulandos, ſi eorum oſſa cognoſcantur: ſecus ſi non poſſunt cognoſci, ut diſtincta ab alijs, c. ſacris de ſepult.

C. *FILIJ 3. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi parentes decumbentes in lecto vocent hæreticos, à quibus conſolationem accipiant, & ita moriantur; non ſint tunc mortuorum filij, vel hæredes admittendi ad probandum eorum parentes non fuiſſe tunc ſanæ mentis, quando petierunt illam conſolationem, ſi cùm viverent, erant diffamati de hæreſi, vel legitimè conſtiterit, quòd quando petierunt hæreticos, erant ſanæ mentis; alioquin filij admittuntur ad probanda præmiſſa, non tamen per uxores, filios, vel alios ex ſuis, ſed per alios teſtes fidei Catholicæ zelatores, quique ſint fide digni, & probata vita.*

C. *SUPER EO 4. h. t. mandat idem Pont. eos qui ſemel abjurârunt errorem, vel ſe purgârunt in examine proprij Antiſtitis, ſi iterum reincidant in abjuratam hæreſim ſine audientia eſſe relinquendos judicio ſæculari, etiam ſi convertantur. Si tamen in illis appareant ſigna manifeſta pœnitentiæ, non denegantur iiſdem petita ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, quia eccleſia non claudit ſuum gremium reſipiſcenti, & redeunti.*

C. *IN FIDEI FAVOREM 5. h. t. Idem Pont. declarat, excommunicatos eſſe admittendos ad teſtificandum contra hæreticos credentes, Fautores, Receptores, & Defenſores eorum in negotio inquiſitionis, immo etiam participes, & ſocios criminis, ſi præſumantur non dicere falſum: quæ præſumptio ſumi debet ex conjecturis veriſimilibus, ex numero, & qualitate perſonarum, & ex alijs circumſtantijs: notat tamen Gloſſa, non eſſe excommunicatos admittendos, ut nec etiam ſocios criminis, quando non proceditur per modum inquiſitionis, ſed accuſationis, vel exceptionis, quia ſtandum eſt juri antiquo, quando non eſt correctum.*

C. *PRÆSIDENTES 6. h. t. Idem Pont. reſcribit, quòd, licèt Officiales alicujus Regni, vel loci ſint excommunicati, & ſolùm de facto, non autem de jure habent juriſdictionem, poſſint nihilominus, & debeant contra hæreticos, credentes, Fautores, Receptores, & Defenſores exercere juſtitiam, & ſuum officium, ſi requiſiti ſint ab Ordinarijs, vel Inquiſitoribus, aut eorum delegatis, quando non poſſunt ſine periculo moræ, vel negotij recurrere ad legitimos Superiores. Et declarat Pontifex, requirentes hos excommunicatos non incurrere excommunicationem. Secus tamen, ſi non ſit periculum in mora, & poſſint recurrere ad ſuperiores legitimos; recurrunt nihilominus ad excommunicatos, tunc enim ob communionem ſunt, & ipſi excommunicati* c. nuper de ſent. excommun.

C. *CUM CONTUMACIA 7. h. t. declarat idem Pont. ſuſpectos de hæreſi eſſe condemnandos ut hæreticos, ſi vocati ab Inquiſitoribus, ut de fide reſpondeant, nolint parere, vel ſe abſentent, & per annum ſordeſcant in contumacia. Ubi notat Gloſſa, citatum ob ſuſpicionem, ſi nolit venire, fieri contumacem, & ut vehementer ſuſpectum eſſe excom̃unicandum: immo & condemnandum ut hæreticum ſi per annum in illa perſtiterit, quia vehemens præſumptio tranſit in violentam, quæ inducit condemnationem. Rurſus in citatione debet exprimi, ut accedat reſponſurus de fide: quia in alijs criminibus, ſi citatus, ut veniat reſponſurus, per annum non compareat, habetur pro convicto, non pro hæretico.*

C. *ACCUSATUS 8. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi accuſatus de hæreſi, vel ſuſpectus, contra quem de hoc crimine magna, & vehemens ſuſpicio orta erat, ſi hæreſin in judicio abjuravit, & poſtea in eandem labitur, debeat cenſeri quadam juriſfictione relapſus; quamvis ante abjurationem hæreſis crimen non plenè probatum fuerit contra ipſum. Sin verò levis, & modica fuit illa ſuſpicio, tunc non eſt puniendus pœnâ relapſorum. Sed alia gravi, ſeu non eſt comburendus, ſed degradandus, & perpetuò murandus. Rurſus declarat Pontifex, quòd ſi hæreticus in una ſpecie hæreſis, vel in uno articulo ſpecialiter, & generaliter abjurat hæreſin, ſi poſtea in aliam incidit ſpeciem hæreſis judicatur, ut relapſus in hæreſin Ille verò de cujus lapſu in hæreſin ante, vel poſt abjurationem conſtat, ſi poſtea hæreticos recipiat, deducat, viſitet, & munera illis donet, vel favorem impendat, judicatur ut relapſus, eò quia præſumitur id fieri ex conſequentia probati erroris. Rurſus ſtatuit, ut teſtis perjurus licèt poſt pœnitentiam repellatur, nihilominus in cauſa hæreſis, ſi velit corrigere ſuum perjurium, & deponere contra ſe, vel alios ſuos complices, & appareat ex indicijs ſaltem, non moveri ex levitate animi, vel fomite odij, vel cupiditate pecuniæ, ſed ſolo fidei catholicæ zelo velle corrigere ſuum dictum, ſit admittendus, niſi aliud obſtet, idq; in favorem fidei. Rurſus præcipit Pontifex Inquiſitoribus, ne ſe intromittant, nec puniant exercentes divinationes, & ſortilegia, niſi manifeſtè ſapiant hæreſin, adeò ut relinquant eos puniendos ſuis Judicibus. Præterea ſi fautor hæreticorum, non tamen hæreticus, promiſit Inquiſitoribus, immo obligavit ſua bona ad peragendam pœnitentiam, quam Inquiſitores velint injungere, ſi moriatur, antequam illi pœnitentia injungatur, hæres mortui non poſſit tunc cogi ad ſatisfaciendum: ſin verò antequam moreretur, fuit pœnitentia injuncta nondum tamen peracta, & pœnitentia erat complenda in bonis temporalibus, tunc debeat hæres cogi ad explendam talem pœnitentiam, quia bona tunc transferunt ad hæredem. Rurſus ſi quis moriatur hæreticus, quamvis in ejus vita non fuerit lata ſententia pro confiſcatione bonorum, debeant nihilominus hæc poſt mortem confiſcari, quia hæres non debet admitti ad ſucceſſionem hæretici.*

De-

Demum declarat eſſe ab Inquiſitoribus puniendos Clericos inſtruentes hæreticos ad celandam hæreſim. In hoc textu notat Gloſſa, per plenam præſumptionem vehementem delictum non dici plenè probatum, proinde quando exigis plenam probationem, tunc non ſufficit ſola plena præſumptio vehemens. Rurſus conſuetudinem velle, ut ſuſpectus de hæreſi in uno articulo cogatur abjurare omnem hæreſim generaliter. Rurſus notandum eſt, quòd propriè ille dicitur relapſus, qui incidit in eandem hæreſin, de qua fuerat antea convictus, quia ſi tantùm erat contra ipſum quædam præſumptio, non dicitur tunc propriè, ſed tantùm per fictionem juris relapſus, quamvis puniendus ſit pœnâ relapſorum. Rurſus qui abjuravit unam hæreſin ſpecialiter, ſi deinde incidat in aliam, & non in eandem, non dicitur propriè relapſus, ſi ſpecialiter abjuraverit illam hæreſin, ſecus enim ſi generaliter, quamvis principaliter talem hæreſin. Rurſus notat Gloſſa, crimina extingui per mortem, & pro extincto crimine non eſſe pœnitentiam injungendam, niſi antea fuerit impoſita. Demum notat poſt 40. elapſos annos à morte patris non poſſe filios ſpoliari bonis paternis, quæ bonâ fide poſſederunt.

C. STATUTUM 9. h. t. Urbanus IV. declarat, non valere ſtatutum loci, quod directè, vel indirectè impedit, vel retardat Inquiſitores, ne ſuum valeant munus obire: & Rectores eſſe compellendos cenſuris, ut hoc ſtatutum deſerant Inquiſitori, & debeat tale ſtatutum revocari, vel moderari, ne ullo modo impediatur, vel retardetur proceſſus inquiſitionis.

C. NE ALIQUI 10. h. t. Clemens IV. declarat, officium Inquiſitoris hæreſis non expirare per mortem concedentis, ſeu Papæ etiam quoad negotia priùs non cœpta, vel exorta. Ubi notat Gloſſa, textum eſſe intelligendum de ſimplici Inquiſitore, quia ſi fuiſſet adjecta clauſula uſque ad beneplacitum voluntatis, tunc aliter proceditur.

C. UT OFFICIUM 11. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi ſint plures Inquiſitores, ſinguli, vel conjunctim poſſint ſimul cognoſcere cauſas: præcipit tamen ipſis, ut in condemnandis, vel abſolvendis Reis juxta canones antepenant timorem Dei cuilibet humano reſpectui, & ſolerter conſiderent in abſolvendo, ne ſimulatè, & fraudulenter convertantur abſolvendi, & ſe, ac Inquiſitores decipiant. Rurſus ſi excipiantur teſtes ſuper crimine hæreſis, vel ſuper tangentibus idem crimen, debeant accipi coram publico Notario, & debeant itidem adhiberi duæ perſonæ religioſæ, & diſcretæ. Quòd ſi Notarius commodè haberi non poſſit, debeant tunc ſcribi depoſitiones teſtium per duos viros idoneos. Rurſus ut Inquiſitores poſſint cogere ad ſcribendum teſtimonia locò Notarij Religioſos habentes praxin, & qui in ſæculo exercuerunt officium Notarij non obſtante jure, vel regula, ut etiam clericos ſæculares, & alios à Sede Apoſtolica aſſignatos. Rurſus declarat, poſſe Inquiſitorem inhibere prædicationem Quæſtoribus, & alijs, ſi velit ipſe aliquem exercere inquiſitionis actum. Rurſus ut poſſit Inquiſitor invocare auxilium brachij ſæcularis ad capiendum hæreticum, vel etiam eos, qui impediunt capturam remotâ appellatione non obſtantibus privilegijs ſub quacunque forma verborum. Rurſus concedit Pontifex Inquiſitoribus, ut poſſint præcipere Magiſtratibus, & Officialibus juramentum, quo promittant ſervare, vel facere, ut ſerventur à ſuis ſubditis omnes conſtitutiones à ſede Apoſtolica promulgatæ contra hæreticos; & ſi nolint jurare, habendi ſint ut infames, & ut ſuſpecti de hæreſi ſint etiam privandi officio, & regimine, & non ſint impoſterum amplius aſſumendi ad publicum officium. Ubi notat Gloſſa, in alijs cauſis non poſſe Religioſum exercere officium Tabellionis.

C. UT COMMISSI 12. h. t. Bonifacius VIII. concedit facultatem Inquiſitoribus, & eorum ſingulis committendi citationes, & denunciationes ſententiarum, quas in quotlibet hæreticos, credentes, Receptores, Defenſores, & eorum Fautores ferre poſſent: ut etiam vocandi prout expedierit quoslibet idoneos, & peritos, ut eis aſſiſtant in ferendis ſententijs, & præbeant conſilium opportunum; immò etiam injungendi ipſis peritis in virtute obedientiæ, ut ſuper his pareant: Rurſus etiam concedit illis facultatem convocandi clerum, & populum civitatum, caſtrorum, & aliorum locorum, prout viſum fuerit expedire ſuper negotijs fidei: rurſus etiam procedendi contra illos, de quibus conſtat non deliquiſſe in fide in Provincia talis Inquiſitoris, licèt poſteà ſe tranſtulerint in aliam: rurſus etiam præcipiendi quibuslibet, ut ipſis Inquiſitoribus conſignentur libri, & ſcripta, quæcunque in quibus continentur inquiſitiones, & proceſſus contra hæreticos facti per quoscunque authoritate Apoſtolica, vel Legatorum: rurſus mitigandi etiam, & mutandi pœnas illorum, qui humiliter obedientes ſuis mandatis ſunt in carcere, vel muro incluſi, ſi ita congruere viſum fuerit; præcipit tamen Pontifex, ut id fiat ſimul cum Prælatis, quorum juriſdictioni ſubſunt: rurſus dat etiam ipſis facultatem privandi, & declarandi privatos dignitatibus, & beneficijs eccleſiaſticis de conſilio Diœceſanorum, vel ipſis abſentibus ſuorum Vicariorum, & officijs publicis, ac honoribus, quibuscunque eosdem hæreticos, credentes, Receptores, Defenſores, & eorum filios, ac nepotes. Ex quo textu liquet, eum, qui peccavit peccato hæreſis in prima Provincia, ſi ſe transferat ad ſecundam, poſſit Inquiſitor ſecundæ cognoſcere ſuper cauſa ipſius, quia ubi hæreticus invenitur, ibi convenitur de crimine.

C. CONTRA CHRISTIANOS 13. h. t. declarat idem Pont. Chriſtianos tranſeuntes, vel redeuntes ad judaiſmum, quamvis in infantia fuerint baptizati, vel etiam metu mortis, non tamen abſolutè, & præciſè fuerint coacti baptizari, eſſe puniendos tanquam hæreticos, ſi confeſſi ſint, & per Chriſtianos, vel Judæos con-

convicti: & mandat Pontifex procedi contra Fautores, & Receptores eorum, ſicut contra Receptores hæreticorum. Ubi notat Gloſſa, quòd bona Judæorum tunc devolvuntur ad filios catholicos c. Judæi 1. q. 4. *vel confiſcantur* c. cum ſecundum h. t.

C. *DECREVIT 14. h. t. idem Pont. declarat, dotes uxorum Catholicorum non confiſcari ob hæreſin maritorum, ſi quando nupſerunt, neſcierunt, viros eſſe hæreticos: & ut notat Gloſſa, uxores præſumuntur ignorare, niſi probetur, eas non potuiſſe ignorare* c. præſumimus de regul. jur.

C. *STATUTUM 15. h. t. Idem Pont. ſtatuit, ut filij hæreticorum, credentium, vel faventium ex paterna linea uſque ad ſecundum gradum, & ex materna uſque ad primum non poſſint habere beneficia, vel officia. Quod tamen procedit, ſi conſtet, parentes fuiſſe mortuos hæreticos: ſecus enim eſt, ſi conſtet eos fuiſſe emendatos, & unitos eccleſiæ Catholicæ, ac pœnitentiam egiſſe ad mandatum eccleſiæ pro culpa commiſſa. Ubi notat Gloſſa, textum etiam procedere de filijs illegitimis.*

C. *INQUISITORES 16. h. t. Idem Pont. declarat, Inquiſitorem Papæ ſuper hæreſi ſine ſpeciali mandato non debere inquirere contra Epiſcopum, ſed ſi eum culpabilem ſciverit, teneatur nunciare Papæ, ac Sedi Apoſtolicæ. Ubi notat Gloſſa, deputatum ab alio, quàm à Papa, non poſſe contra Epiſcopos procedere, niſi id expreſſum ſit in litteris Apoſtolicis, imò nec poſſe inquirere, ut cauſam inſtructam remittat* c. conſtituit de appellat. *Cæterum ex regula generali in conſtitutione odioſa non comprehenduntur Epiſcopi per verba generalia expreſſa, niſi exprimantur proprij Epiſcopi, idque ob eorum prærogativam,* c. quia periculoſum de ſent. excommun.

C. *PER HOC 17. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi Papa deleget alicui generaliter, vel aliquibus negotium hæreticæ pravitatis in aliqua Diœceſi, ita ſit intelligendum, ut non deroget Diœceſano, quin poſſit procedere in eodem negotio authoritate Ordinaria, vel delegata, ſi eam habeat: imò declarat Pontifex, de eodem facto poſſe inquirere Ordinarium, & Inquiſitorem communiter, vel diviſim, & ſi diviſim procedant, teneantur invicem communicare proceſſus, ut veritas facti exactiùs deprehendatur. imò niſi in tali caſu alter alteri judicaverit deferendum, ſententia proferenda ſit ſimul per utroſque, qui ſi non conveniant, mittendus eſt ad Sedem Apoſtolicam per utroſque ſufficienter inſtructus ſuper eodem negotio. Demum mandat Pontifex, ut Epiſcopus ſive ordinaria, ſive delegata poteſtate procedat, debeat in procedendo ſervare modum, quem ſervant Inquiſitores per jura communia, vel ſpeciales conceſſiones Sedis Apoſtolicæ. Ubi notat Gloſſa, inter Epiſcopum, & Inquiſitorem non dari locum præventionis, & quemlibet poſſe procedere. Secus tamen quando Papa delegat ſpecialiter. Cæterum Inquiſitores poſſunt etiam ſeparatim procedere.*

C. *UT INQUISITORES 18. h. t. Idem Pont. reſcribit, ut Principes, & Rectores ſæculares obediant Epiſcopis, & Inquiſitoribus, & intendant in captione, inveſtigatione, & diligenti cuſtodia hæreticorum, & Fautorum, & cùm fuerint requiſiti, & capti trudantur in carceres Epiſcoporum, vel Inquiſitorum, vel alibi in diſtrictu, ubi Epiſcopus, vel Inquiſitor mandaverit, & cuſtodiantur arctè per viros Catholicos ab Epiſcopo, vel Inquiſitore deputandos, donec eorum negotium terminetur per judicium eccleſiæ. Rurſus circa condemnatos de hæreſi ipſis relictos ſtatuit Pontifex, ut illos ſtatim accipiant, & abſque dilatione puniant, non obſtante appellatione, vel proclamatione eorum, quia hæ ipſis interdicuntur à legibus. Præterea prohibet Pontifex, ne Domini, & Officiales prædicti cognoſcant, vel judicent de crimine hæreſis, eò quia ſit eccleſiaſticum, & ejus judicium pertineat ad eccleſiam. Immo ne liberent è carcere captos pro hæreſi ſine licentia, & mandato Epiſcopi, vel Inquiſitoris, & executionem ſibi injunctam ſtatim adimpleant, & non præſumant directè, vel indirectè impedire ſententiam, vel proceſſum Judicum eccleſiaſticorum: & contra facientes declarantur excommunicati: imò ſi per annum ſordeſcant in excommunicatione, ſintque pertinaces etiam condemnantur ut hæretici. Ex quo textu colligitur, crimen hæreſis ita pertinere ad forum eccleſiaſticum, ut poteſtas ſæcularis, nec cuſtodiam poſſit adhibere ad cuſtodiendum homines ſuſpectos, ſed cuſtodes ſint aſſignandi ab Epiſcopo, vel Inquiſitore. Rurſus in cauſa criminali latam ſententiam poſſe ſtatim executioni mandari non expectatis decem diebus, tametſi plures contrarium doceant cum Panormitano. Cæterum ſacrilegium eſt mixti fori, proinde laicus ſacrilegus poteſt capi tam à Judice eccleſiaſtico, quam ſæculari, & datur locus proventionis* cap. Concil. Gener. de for. compet. *Quòd ſi Judex ſæcularis, eò quia timeat excommunicationem, non audeat ſuum ſubditum capere, poteſt illum petere ab eccleſiaſtico.*

C. *CUM SECUNDUM 19. h. t. declarat idem Pont. bona hæreticorum eſſe ipſo jure confiſcata, quod probatur triplici argumento legali, ſed apprehenſionem bonorum, & executionem confiſcationis non debere fieri ante promulgatã ſententiam ab Epiſcopo, vel à perſona eccleſiaſtica habente poteſtatem: quia qui contrahit inceſtuoſas nuptias; vel Raptoris, contradicentibus parentibus; vel qui prohibita tranſvehunt, privantur ipſo jure, & multò magis hæreticorum bona ipſo jure cenſeri debent confiſcata. Ubi notat Gloſſa, bona hæretici eccleſiaſtici titulati, ſi ſint eccleſiarum non confiſcari* c. volentes clement. h. t. *Cæterum bona laicorum hæreticorum ſunt confiſcata ipſo jure, cum primùm committitur hæreſis, perinde ac in crimine læſæ Majeſtatis, & confiſcatio valet, tametſi laicus habeat filios catholicos, adeò ut bona per fiſcum vindicentur*

de

de manibus illius, à quo poſſidentur abſque ullo pretio, tametſi bona illa per multas manus tranſierint.

C. *STATUTA 20. & ult. h. t. Idem Pont. declarat, in cauſa Hæreticorum poſſe procedi ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu, & figura judicij. Immo ſi ob potentiam reorum timeatur imminere grave periculum accuſatoribus, teſtibus, vel deponentibus, ſi eorum nomina publicentur, ſtatuit Pontifex, ut tunc ſecretè coram Epiſcopo, vel eo abſente coram Vicario poſſit procedi, ita tamen, ut ſi adſit Inquiſitor, totus proceſſus debeat illi manifeſtari, & de illius conſilio procedi ad ſententiam, & condemnationem. Quinimò ſi adſint conſultores, mandat Pontifex, ut poſſit ipſis indicò ſecretum de promiſſis: immo ſi opus fuerit etiam ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ſi ſecretum transgrediantur. Epiſcopus verò, & Inquiſitores quamvis non excommunicentur, tenentur tamen in virtute ſanctæ obedientiæ ad ſecretum ſervandum. Demum præcipitur Epiſcopis, & Inquiſitoribus, ut ubi eſt ſecuritas, non dicant, eſſe periculum, nec nomina ſupprimant, nec è contra, ubi eſt periculum, dicant eſſe ſecuritatem, & ſic nomina vulgentur. Ex quo textu liquet contra hæreticos non eſſe ſervandum ordinem judiciarium, & poſſe procedi ſine ſtrepitu, & figura judicij. Rurſus ob periculum gravis damni, quod inde ſequitur poſſe ſupprimi nomina teſtium, & aliorum: & quia hodie hoc periculum ſemper timetur, ideò indiſtinctè nunquam publicantur nomina.*

IN SEPTIMO.

C. *INNOCENTIUS 1. h. t. Innocentius IV. confirmat, & jubet ſervari leges Friderici Imperatoris in Reos hæreticæ pravitatis, & eorum complices, ac Fautores latas, inter quas leges, quæ ibi habentur, una eſt, ut hæretici quocunque nomine cenſeantur, ubicunque per Imperium damnati fuerint ab eccleſia, & ſæculari judicio aſſignati debitâ puniantur animadverſione. Quòd ſi aliquis ex prædictis poſtquam fuerint deprehenſi, territi metu mortis redire voluerint ad fidei unitatem juxta canonicas ſanctiones ad agendam pœnitentiam in perpetuum carcerem detrudantur.*

C. *NOVERIT 2. h. t. Idem Pont. declarat ſpeciatim excommunicatos aliquos hæreticos, ut ſunt Cathari, Patareni, pauperes de Lugduno, Paſſagini, Joſepini, Arnaldiſtæ, Speroniſtæ, & demum omnes ſingulari opinione in eccleſiam catholicam pertinaces, habentes quidem diverſas ſpecies, ſed caudas invicem colligatas, eò quia de vanitate conveniant in id ipſum: & ſtatuit Pontifex, ut damnati per eccleſiam ſæculari judicio relinquantur debita animadverſione puniendi, clericis priùs à ſuis ordinibus degradatis: quòd ſi aliqui de prædictis poſtquam fuerint deprehenſi, redire noluerint ad agendam condignam pœnitentiam, detrudantur in perpetuum carcerem, & judicentur etiam ut hæretici credentes eorum erroribus. Rurſus Receptores, Defenſores, Fautores hæreticorum declarantur ſubjacere ſententiæ excommunicationis, & ſi non ceſſaverint a ſua præſumptione, ipſo jure ſiunt etiam infames, & inhabiles ad publica officia, ſeu conſilia, & etiam inteſtabiles.*

C. *QUI HÆRETICA LABE 3. h. t. Urbanus IV. mandat Inquiſitoribus Ordinis Prædicatorum in Provincijs Lombardiæ, Marchiæ, & Januenſi, ut qui hæretica labe penitus abjurata redire voluerint ad eccleſiaſticam unitatem eis juxta formam eccleſiæ abſolutionis beneficium debeant impendere: proviſo tamen ſoleter ne ſimulata converſione redeant fraudulenter, ne ſub ſpecie agni lupum gerant. Quòd ſi aliqui fuerint judicandi hæretici, vel incarcerationis pœna perpetua alicui pro tali crimine ſit infligenda, mandat Pontifex, ut Inquiſitores per ſe de conſilio Diœceſanorum, vel ſuorum Vicariorum procedant ad talem ſententiam ferendam adhibitis Religioſis, & diſcretis perſonis, in quarum præſentia conſcribantur depoſitiones teſtium, & procedatur ad ſententiam tali examine, & indagatione veritatis, ut Rei nullo modo graventur ultra meritum, & ideo mandat Pontifex, ut nonniſi cum maxima cautela procedatur.*

C. *CUM NONNULLI 6. h. t. Joannes XIII. prohibet, & damnat fœdera cum hæreticis inita, & mandat fratri Lamberto Ordinis Prædicatorum Inquiſitori hæreticæ pravitatis, ut contra Fautores hæreticorum, & alios quoslibet de crimine pravitatis hæreticæ culpabiles, vel ſuſpectos, procedat ſolerter, & fungatur Inquiſitionis officio juxta formam canonum, ac privilegiorum conceſſorum.*

C. *EXHIBITA 5. h. t. Honorius declarat, filios hæreticorum eſſe inhabiles ad officia ob paterni flagitij luem, quam contraxiſſe videntur.*

C. *ALEXANDER 6. h. t. Alexander IV. ſolvit quædam dubia circa diſcuſſiones, & deciſiones cauſarum fidei, & pœnas hæreſis. Prima eſt, quinam dicendus ſit propriè relapſus in hæreſin, & reſpondet, quòd ſi tanquam accuſatus, vel ſuſpectus de hæreſi eam in judicio abjuravit, & poſtea committit in ipſa, cenſeri debet quadam juriſfictione relapſus, quamvis ante abjurationem ſuam plenè probatum non fuerit crimen hæreſis contra ipſum, dummodo hujuſmodi priùs orta ſuſpicio violenta fuerit, ac certis, ac veris indicijs comprobata. Sin verò levis, & modica, quamvis ex hoc ſit graviùs puniendus, non tamen puniri debet pœna relapſorum in hæreſin. Alia quæſtio eſt quid dicendum de eo, qui hæreſin abjuravit, ſi itèrum converſetur cum hæreticis, quibus aſſocietur, det munera, & reſpondet, hunc eſſe cenſendum relapſum; eò quia tunc dubitari non debeat id feciſſe ex conſequentia prioris ſui erroris. Alia quæſtio etiam eſt, an conſtitutus in ſacris, & deprehenſus in hæreſi, & ob hoc immurandus perpetuò,*

petuò, priùs ſit ab ordinibus à ſuo Epiſcopo degradandus, antequam tradatur hujuſmodi pænitentiæ. Et reſpondet Pontifex, talem debere priùs à ſuis Ordinibus degradari. Sunt etiam aliæ quæſtiones, quæ ibi ſolvuntur.

C. *CONSULUIT 7. h. t. Idem Pont. declarat, excommunicatos, & ſocios criminis jure poſſe in teſtimonium admitti contra Hæreticos, quia ſi tales excommunicati non admitterentur ad perhibendum teſtimonium contra tales, frequenter officium inquiſitionis impediretur defectu teſtium. Unde in favorem fidei ſtatuit Pontifex, ut hujuſmodi inquiſitionis negotium ita inſtituatur, ut etiam excommunicati, & ſocij criminis jure in teſtimonium admittantur contra hæreticos.*

C. *APOSTOLIS 8. h. t. Leo X. in Concilio Lateranenſi declarat, eum eſſe hæreticum, qui aſſerit animam rationalem eſſe mortalem, adeóque ſacro approbante Concilio damnat, & reprobat omnes aſſerentes animam intellectivam eſſe mortalem, vel unicam in cunctis hominibus, idque probat etiam ex Evangelio, ubi Chriſtus ait, non eſſe eos timendos,* qui animam non poſſunt occidere: *& alibi:* qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. *Rurſus omnibus, & ſingulis Philoſophis in Univerſitatibus ſtudiorum generalium, & alibi publicè legentibus diſtrictè præcipit, & mandat, ut argumenta contra animæ immortalitatem pro viribus reſolvant, cùm ſint ſolubilia, eò quia veritati adverſentur.*

C. *CUM EX 9. h. t. Paulus IV. ſtatuit pœnas infligendas contra hæreticos, Schiſmaticos, & eorum Fautores, & declarat, ſententiam excommunicationis eo ipſo incurrere receptantes, defendentes hæreticos, ut etiam eis præſtantes auxilium, & favorem, quos etiam vult effici infames, & non eſſe admittendos ad ullum publicum officium, immo eſſe itidem inteſtabiles, & incapaces accedendi ad ſucceſſionem hæreditatis, quòd ſi Judices fuerint, eorum ſententia nullam obtinent firmitatem, & prohibet Pontifex ad eorum audientiam deduci cauſas, & ſi fuerint advocati, eorum patrocinium prohibet recipi. Sin verò fuerint Tabelliones, declarat nullius roboris inſtrumenta per eos confecta.*

C. *INTER MULTIPLICES 10. h. t. Pius V. declarat, ſententias declaratorias latas in favorem Reorum hæreſis contra juriſdictionem, & ſtylum officij inquiſitionis nunquam tranſire in rem judicatam: & mandat, ut novis ſupervenientibus indicijs ejuſdem, vel alterius ſpeciei hæreſis reſpicientibus tempus præteritum: vel ubi appareret per aliqua indicia, quòd illicitis modis priùs ipſe delatus, vel inquiſitus fuiſſet abſolutus, ut eadem authoritate Apoſtolica plena, libera & ampla concedatur facultas, poteſtas, & authoritas Cardinalibus, & Inquiſitoribus ſuper ſacro ſanctiſſimæ inquiſitionis officio reaſſumendi prædictas ſententias, & decreta, & etiam canonicas purgationes, prout in alijs cauſis pendentibus indeciſis; & ut poſſint juxta nova indicia cauſam terminare. Renovat etiam Pius V. conſtitutionem Pauli IV. contra Hæreticos, & Schiſmaticos, quam vult inviolabiliter, & ad unguem obſervari juxta illius ſeriem, & tenorem.*

IN CLEMENTINIS.

C. *MULTORUM 1. h. t. Clement V. mandat, negotium inquiſitionis fieri tam per Epiſcopum Diœceſanum, quàm per Inquiſitores ſine carnali amore, odio, vel timore, vel affectione commodi temporalis, quamvis quilibet ex prædictis poſſit citare, capere, ac tuta cuſtodiæ mancipare. Rurſus mandat, ut carcer Inquiſitionis ſit communis Epiſcopo, & Inquiſitori, habeátque duos cuſtodes principales diſcretos induſtrioſos, & fideles, unum quem eligat Epiſcopus, & alterum, quem Inquiſitor, & ut duas habeant claves unam Epiſcopus, aliam Inquiſitor: & quòd cuſtodes coram Epiſcopo, & Inquiſitoribus, vel eorum ſubſtitutis jurent per ſacra DEI evangelia à ſe tacta, quòd fideliter adhibebunt omnem diligentiam ad cuſtodiam incarceratorum pro hæreſi. Ubi notat Gloſſa, in juramento corporali non ſufficere præſentiam, ſed requiri tactum libri evangeliorum in Italia: alia verò juramenta, quæ non requiruntur à jure, vel à Judice poſſe fieri ſine tactu ſcripturæ.*

C. *NOLENTES 2. h. t. Idem Pont. declarat, officium inquiſitionis non eſſe committendum niſi attingenti 40. annum. Et prætextu officij inquiſitionis non eſſe extorquendam pecuniam ab ullo, & quòd Inquiſitores non abutantur conceſſione portandorum armorum, & non habeant niſi officiales neceſſarios.*

C. *AD NOSTRUM 3. h. t. Idem Pont. damnat Beguardos, & Beguinas in Alemania, & eorum errores declarat eſſe puniendos pœna canonica, quorum præcipui erant. Primò ut homo in hac vita poſſit venire ad tantam perfectionem, ut ſit impeccabilis, nec poſſit in gratia proficere. Secundò quòd poſt hanc perfectionem non debeat ampliùs jejunare, vel orare, quia cum ſenſualitas ſit omnino ſubjecta rationi, poteſt corpori concedi, quidquid voluerit. Tertiò quòd non ſit ſubjectus obedientiæ, vel præceptis eccleſiæ. Quartò ut poſſit finalem beatitudinem aſſequi in via, ſicut in patria. Quintò quamlibet naturam intellectualem eſſe in ſe beatam naturaliter, & non indigere lumine gloriæ ad videndum DEUM. Sextò exercere actus virtutum eſſe hominis imperfecti. Sunt etiam alij errores.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *EX EO 1. h. t. Benedictus III. declarat modum, quo Ordinarius, & Inquiſitores debeant proceſſus communicare, quando utrique agunt ſejunctim.*

C. *VAS ELECTIONIS 2. h. t. Joannes XXII. damnat, ut erroneos articulos Joannis de Poliaco Doctoris Pariſienſis, quorum pri-*

primus erat, ut qui confitentur fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones debeant eadem peccata iterum confiteri proprio ſacerdoti. Secundus, Papam non poſſe facere, ut Parochiani, non teneantur omnia ſua peccata proprio ſacerdoti confiteri. Tertius, Papam non poſſe dare alicui generalem poteſtatem audiendi confeſſiones aliorum. C. *MATTHÆUS ult. h. t. Prohibet idem Pont. ne Ordinarij, & Inquiſitores præſumant, procedere contra Apoſtolicæ Sedis Officiales, vel nuntios.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit hæreſis, & qui hæretici materiales, & formales.

1 HÆreſis, vox eſt græca, quæ ab electione ſuam habet nomenclationem; eò quia malè eligat, qui relictâ verâ, & probatâ doctrinâ, ſingularem, & judicio proprio inventam eligit; unde non dicitur hæreticus ab *hærendo*, ut quidam perperam putant, neque ab *Herciſco*, ſeu *divido*, ut cenſuit Azo *in ſum. h. t.* prout fusè oſtendit Gregorius Tholoſanus *ſyntag. jur. univerſ. lib. 33. c. 4.* ſed dicitur hæreticus ab hæreſi græca voce, quæ electionem ſignificat, ut notat Iſidorus *8. etymolog. c. 3.* & cum ipſo D. Thomas *2. 2. q. 11. art. 1.* Hinc hæreticus propriè is dicitur, qui cùm ſit baptizatus ab unitate Eccleſiæ, ac vera, probatáque ejus doctrina deſciſcit, ac deficit, aliam eligendo doctrinam, eámque pertinaciter defendendo, *can. hæreſis græcè 24. q. 3.* Hinc definitur hæreſis, *Error intellectus, ſive mentis, voluntarius, quem quis pertinaciter tenet contra aliquem fidei articulum*, ut communiter docent Doctores. Dicitur *error*, quia eſt aſſenſus falſus, ſeu judicium falſum intellectûs: additur *intellectûs, ſeu mentis*, quia ſicut actus fidei intellectu conſummatur, eò quia ſit aſſenſus rationis verus, & certus licèt obſcurus: ita etiam error fidei, ſeu hæreſis eſt aſſenſus, ſeu judicium erroneum intellectus: eſt enim de ratione hæreſis aſſenſus intellectûs, quo fit, ut proferens propoſitionem ſecundùm ſe hæreticam, vel negans unum ex articulis fidei, ſine aſſenſu erroneo intellectûs non ſit hæreticus, licèt proferat propoſitionem verè hæreticam; poteſt enim quis talem propoſitionem proferre, & illi non aſſentiri, ſed potiùs eam impugnando: additur *voluntarius, ſeu liber*, quia ſicut aſſenſus fidei oritur ex pio voluntatis affectu; ita è converſo hæreſis eſt aſſenſus rationis contra fidem profectus ex perverſa voluntatis electione. Hinc hæreſis græcè dicitur latinè quaſi electio, optio, ſecta, eò quia Hæreticos à Catholicis, quibus eſt ſumma in fide, & religione concordia, ſegregat, ac disjungit: additur *quem quis pertinaciter tenet*, quia hæreſis eſt error in fide junctus cum pertinacia *cap. damnamus 2. §. in nullo juncta Gloſſa fin. de S. Trinit.*

2 Hinc aſſenſus contra fidem, ſi deliberatione careat, non eſt hæreſis: tales ſunt plures rationis motus, qui ſubitò contra fidem irrepunt, quia ad hæreſin requiritur plena deliberatio, & pertinacia, quia hæreſis non eſt, niſi cùm quis in fide ſcienter errat; quapropter hæreſis oritur, & dependet ex electione voluntatis cum certa ſcientia in eo ſita, ut qui errat, ſciat, eccleſiam contrarium ſentire: unde pertinacia non ſignificat certam aliquam temporis durationem, & moram, ut putavit Sylveſter *V. hæreſis 1. q. 2. V. ſciendum eſt.* quia etiam per inſtans temporis poteſt quis eſſe ſimpliciter hæreticus, ſed ſignificat voluntatis electionem cum certa notitia ejus, quod credit, & ſentit eccleſia. Tandem adduntur illæ particulæ *contra aliquem fidei articulum*, quia error in alijs rebus non eſt hæreſis, poteſt enim quis errare circa veritates merè naturales, & phyſicas, qui tamen non eſſet hæreticus niſi philoſophicè, & laxè. Hinc latiſſimè ſumpto hoc nomine hæreticus, dicitur primò de eo, qui dubius eſt in fide *argu. c. 1. h. t.* & ibi Gloſſa *ad V. dubius.* Secundò de ſimoniaco *can. fertur q. 1.* Tertiò de eo qui transgreditur præcepta Sedis Apoſtolicæ *can. qui nullâ diſt. 19.* Quartò de laico ſuſcipiente officium prædicandi *cap. cum ex injuncto 12. §. ſicut. in uno 14. h. t.* Hæreticus propriè dicitur, qui eſt baptizatus, & qui deſciſcit à vera doctrina Catholica, nam Judæi, & Pagani, aliíque Infideles quamvis multos contra fidem errores tradant, non tamen propriè dicuntur hæretici, quia cum nunquam fuerint uniti eccleſiæ, non poſſunt ab ejus unione dividi, nec deficere à fide, quam nunquam ſuſceperunt: quo fit, ut faciliùs tollerentur in republica Chriſtiana, quàm hæretici, quia ut ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 5. *De ijs, qui foris ſunt, nihil ad nos.* Rurſus adduntur etiam in definitione ultimæ particulæ *contra aliquem fidei articulum*, quia Hæreticus non negat omnes fidei articulos, ſed tantùm unum, vel alterum: alioquin ſi omnes negaret, ſeu totum novum teſtamentum non eſſet hæreticus, ſed Apoſtata, & Infidelis.

Hinc ut quis formaliter ſit Hæreticus plura requiruntur. Primò ut ſacro baptiſmate ablutus catholicam fidem fuerit per ipſam baptiſmatis ſuſceptionem profeſſus, alioquin non eſſet Hæreticus, ſed Paganus, vel Infidelis, nec talis deficeret à fide, cùm eam nunquam ſuſceperit. Non tamen neceſſe eſt, fu- 3

ſceperit fidem etiam humanam, quâ in Chriſtum quoquo modo crediderit, ſiquidem poteſt quis eſſe verus, & formalis Hæreticus, non ſolùm coram Deo, verum etiam coram Eccleſia; quamvis nunquam fuerit verus Catholicus, nec ſuſceperit fidem infuſam, ac divinam, ut liquet in filijs hæreticorum nunquam baptizatis, & qui jam adulti fidem ſequuntur parentum, ut ſunt Anabaptiſtæ ante ſuſceptum baptiſmum, quem non ſuſcipiunt niſi circa annum ætatis trigeſimum: hi ſiquidem toto illo tempore ante baptiſmum dicuntur Hæretici, quamvis fidem catholicam nondum ſuſceperint, nec profeſſi fuerint.

4 Secundò requiritur, ut profiteatur legem Chriſti ſaltem quoad aliqua, quia ſi negaret novum teſtamentum, & tantùm crederet veterem legem, eſſet Judæus, quòd ſi utrumque teſtamentum negaret, foret Ethnicus: in ordine tamen ad incurrendas pœnas eccleſiaſticas hæc conditio non requiritur, quia magis puniri poteſt Chriſtianus, ſi à fide deficiens fiat Judæus; quàm ſi fiat Hæreticus.

5 Tertiò ut voluntariè, & pertinaciter, & contra fidem aliquid credat, adeò ut non ſufficiat, ſi per ignorantiam, & ſine pertinacia, quis erret in fide: hinc habetur illud Auguſtini effatum, quod refertur *ex epiſt. 162.* ubi ait: *errare quidem potero, ſed hæreticus non ero:* quia licèt quis teneat, quæ ſunt contra fidem, dummodo paratus ſit corrigi, non eſt formaliter hæreticus, nec pœnas incurrit hæreticorum. Tum quia, ut quis ſit formaliter hæreticus, debet eſſe pertinax, ſeu ſcire ſententiam, quam tenet, contrariam eſſe doctrinæ, & definitioni Eccleſiæ catholicæ, ſeu Univerſalis: & poſitâ tali ſcientiâ adhuc velit pertinaciter perſiſtere in ſua ſententia, eámque præferre definitioni eccleſiæ catholicæ. Hinc ſi ignoraret etiam ignorantiâ culpabili, & craſſa, propriam ſententiam adverſari doctrinæ Eccleſiæ catholicæ non eſſet formaliter hæreticus defectu pertinaciæ, ad quam requiritur ſcientia, quâ hæreticus ſciat, ſuam ſententiam contrariam eſſe doctrinæ, & definitioni Eccleſiæ catholicæ, immo licèt ex ignorantia affectata erraret quis contra fidem ob tædium veritatis inquirendæ, vel quia nollet talem diligentiam adhibere, nec eſſet formaliter hæreticus, ut notat Layman *lib. 2. tract. 1. c. 13. n. 2.* quia peccatum hæreſis non eſt peccatum ignorantiæ, ſed infidelitatis, ad quam requiritur, ut quis credat aliquid, quod ſcit, eſſe contra doctrinam, & definitionem Eccleſiæ catholicæ: hinc licèt quis detineatur ignorantiâ craſſâ, & affectatâ, adhuc non eſt cenſendus formaliter hæreticus, quia ſic errans in rebus fidei non credit aliquid, quod ſciat eſſe contra doctrinam eccleſiæ catholicæ: ignorantia enim excuſat ab hæreſi, de cujus ratione eſt, ut conſummetur in intellectu, & habeatur ſcientia, quâ qui errat, ſciat ſuam opinionem eſſe contrariam doctrinæ Eccleſiæ catholicæ, & quia hæc ſcientia tollitur per quamcunque ignorantiam, ideo hæc excuſat ab hæreſi formali, tametſi cum tali ignorantia nectatur voluntarium ſufficiens ad culpam gravem: licèt aliter dicendum ſit de alijs peccatis non exigentibus ex parte ſubjecti pertinaciam.

Quartò ut contra fidem intellectu, ſeu mente erret, quia ſi tantùm opere, aut ſermone erraret, non mente, hæreticus non eſſet. 6

Quintò ut error ſit voluntarius, ſi enim quis diſſentiret veritati catholicæ ſufficienter ſibi non propoſitæ, quamvis eſſet hæreticus materialis, non tamen cenſeretur formalis hæreticus; neque pœnis eſſet obnoxius in hæreticos conſtitutis. Hinc dantur hodie plures Sectarij, qui tametſi fidem catholicam videantur adverſari, hæretici tamen non ſunt, niſi materiales, quia non ex malo animo, ſed potius ex ſimplicitate errant, vel ex defectu ſufficientis informationis: ex quo ſequitur, nec eſſe hæreticum formalem, qui verbis tantùm, vel factis profitetur quidem hæreſin, ſed intentione mutandæ religionis caret, qui revelationi divinæ voluntariè non diſſentit. Verùm in foro externo talis præſumeretur hæreticus; neque fides adhiberetur prætexenti abſuiſſe animum deficiendi à fide: ratio eſt, quia in foro externo non judicatur niſi ex ſenſibilibus, & nemo cenſetur aliud dicere, aut agere, quàm quod ſentit animo: alioquin quilibet etiam pervicaciſſimus ſemper poſſet ſe hac excuſatione tueri ad pœnas eludendas in hæreticos ſtatutas, ut notat Farinac. *de hæreſ. q. 179. n. 55.* Sextò ut hæreticus obnoxius ſit pœnis injure ſtatutis contra hæreticos, etiam requiritur ut hæreſis interna verbis, aut ſignis externis ſufficienter manifeſtetur; quia ſi hæreſis ſit ſolo animo concepta, non ſubjacet animadverſioni eccleſiæ, cujus modus ſuaviſſimus, quo ſuos gubernat ſubditos, vix patitur, ut crimen merè occultum pœnis ſit tam gravibus obnoxium. 7

Hinc liquet diſcrimen inter hæreticum materialem, & formalem; quia ille cenſetur tantùm materialis hæreticus, qui neſcit, an ſua opinio, vel fides ſit contraria doctrinæ eccleſiæ catholicæ, & ratione hujus ignorantiæ, plures ruſtici, & alij ex populo ſunt tantùm hæretici materiales. Secundò cenſetur etiam hæreticus materialis, qui quantumvis falſam, & perverſam ſententiam defendat, non tamen pertinaciter, adeò ut ſi ſciret ſuam ſententiam eſſe contrariam doctrinæ eccleſiæ Chriſti, eidem non adhæreret, ſed Chriſti doctrinam vellet amplecti: tunc defectu pertinaciæ cenſeretur hæreticus tantùm materialis: ut etiam is, qui quacunque ignorantia laboret, ignorat ſuam ſententiam adverſari doctrinæ eccleſiæ catholicæ: quia cùm hæreſis conſummetur in intellectu, non eſt peccatum ignorantiæ, ſed infidelitatis ſupponentis ſcientiam, quâ quis ſcienter credat aliquid contra definitionem eccleſiæ catholicæ, ſciátque ſuam ſententiam adverſari doctrinæ Chriſti, & ejus eccleſiæ: hinc eſt tantùm hæreticus materialis, qui ſuam ſententiam quantumvis falſam nulla pertinaci contentione defendit, nec eam audaciâ 8

Digitized by Google

dacià ſuæ præſumptionis peperit, ſed à ſeductis, & lapſis in errorem patentibus accepit, & veritate, quam ſolicitè quærit, inventâ paratus eſt corrigi; ut habetur in *c. dixit Apoſtolus 24. q. 3.* ubi dicitur, *qui ſententiam ſuam quamvis falſam, atque perverſam nullo pertinaci animo defendunt, quærunt autem veritatem, corrigi parati, cùm invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi:* hinc hæretici materiales ſunt, qui non ex malo animo, aut pertinacia, ſed ex ſimplicitate, aut defectu ſufficientis informationis errant, quorum fortaſſis eſt potior pars in vulgo hæreticorum. Quòd verò quævis ignorantia ſufficiat ad conſtituendum hæreticum tantùm materialem, ex eo liquet, quia alloquin plures catholici ob ignorantiam culpabilem articulorum fidei, definitionum eccleſiæ, & traditionum ejuſdem cenſerentur hæretici.

9 Excipitur tamen ignorantia ita affectata; quâ quis nollet ſtudiosè articulus fidei inquirere ob contemptum authoritatis Eccleſiæ, & quia illam flocci faciat; ratio eſt, quia talis non cenſeretur paratus ſubijcere judicium ſuum eccleſiæ etiam cognito errore, conſequenter cenſeretur pertinax in ſuo errore. Rurſus id procedit de ignorantia in ijs, qui alioquin præter unum, vel alterum errorem credunt cæteros omnes fidei articulos, & profitentur definitiones catholicæ Romanæ eccleſiæ: nam cæteri, qui proprias profitentur ſectas, cujuſmodi ſunt Calviniſtæ, & Lutherani, quia ex craſſa, & affectata ignorantia infallibilem authoritatem Eccleſiæ catholicæ in definiendis articulis, non agnoſcunt, nec credunt alios fidei articolos, hæretici reputantur formales, & eccleſiaſticis cenſuris obnoxij; quia tales non cenſentur parati ſubjicere proprium judicium Eccleſiæ catholicæ, cùm eam oppugnent, ejúſque authoritatem culpabiliter negent, ſintque ei inobedientes.

10 An verò dubius in fide cenſendus ſit hæreticus, vel Infidelis? Reſpondetur, dupliciter poſſe aliquem dubium eſſe in fide, poſitivè ſcilicet, & negativè; dubius poſitivè is dicitur, qui poſitivè, & pertinaciter affirmat, tales articulos fidei eſſe dubios, & incertos, adeò ut ponat judicium pertinax de tali dubio, & incertitudine: ſecus dubius negativè is dicitur, qui judicium non ponit, ſed illud ſuſpendit; adeò ut nec aſſentiatur objecto propoſito, nec illi diſſentiat, eò quia nec judicet, eſſe certum, neque incertum: his poſitis reſpondetur, dubium negativè de fide non eſſe hæreticum; ratio eſt, quia de ratione hæreſis eſt electio erroris contra fidem, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 11. art. 2. dub. 2.* ſed negativè dubitans nondum aliquid eligit, ſed ſuſpenſus hæret, proinde non eſt cenſendus hæreticus. Tum quia hæreſis eſt error fidei contrarius, ſeu aſſenſus contra fidem: ſed dubitans nullum fert aſſenſum, ſed ſuſpendit omne judicium, quia dubitare propriè eſt in ancipiti hærere, ſeu non aſſentiri, nec diſſentiri: proinde ſi nullum habet aſſenſum, nec ullum habet errorem contra fidem, conſequenter non eſt hæreticus. Hoc tamen procedit, dummodo non ſuſpendat judicium circa objectum, ſeu articulum; nec virtualiter, ſeu implicitè judicet, talem articulum eſſe incertum, & dubium, quia tunc intellectus ſic dubitans non ſe haberet merè negativè, ſed quia nollet aſſentiri objecto ſibi propoſito, eò quia incertum ſibi videretur, ideo ſaltem implicitè, & virtualiter judicaret, incertum eſſe talem fidei articulum ſibi propoſitum.

11 Quod verò attinet ad eum, qui poſitivè dubitat, & voluntariè in fide, certum eſt, eſſe hæreticum, quia non ſolùm eſt de fide, quòd omnes articuli fidei ſint veri, ſed etiam certi, & indubitati, adeò ut ſit de fide, eos non eſſe dubios: atqui poſitivè dubius judicat poſitivè, & affirmat pertinaciter, tales articulos eſſe dubios, & incertos; conſequenter ponit judicium erroneum contra fidem, ac eſt hæreticus. Et in hoc ſenſu explicatur *c. dubius 1. h. t.* ubi Stephanus Papa reſcribit, dubium in fide eſſe infidelem, nec eſſe credendum ei, qui fidem veritatis ignorat: id enim intelligitur de dubio poſitivo, quo quis expreſsè, vel ſaltem implicitè, & virtualiter judicat, aliquem fidei articulum eſſe incertum.

12 Alij etiam explicant præfatum textum *in c. dubius 1. h. t.* de infidelitate privativè, eò quia dubitans privetur certitudine aſſensûs neceſſaria ad habitum fidei retinendum; non verò contrariè quaſi habeat actum fidei contrarium. Alij reſpondent, dubium in fide *in d. c. 1. h. t.* dici infidelem quoad forum externum. Sed verior reſponſio eſt, Pontificem loqui de eo, qui dubitat poſitivè, quatenus errat in ſuo dubio, reflectitque ſe ſupra ſuam cogitationem dubiam, & elicit judicium erroneum circa res fidei, quatenus judicat poſitivè, hunc, vel illum fidei articulum eſſe dubium, & incertum, hic enim revera eſt hæreticus, & infidelis.

13 Quid verò dicendum ſit de eo, qui externam hæreſin protulit, & poſtea dubitat, an dum illam protulit, ita mente ſenſerit; vel tantùm ex joco eam affirmaverit, an hæc ſit hæreſis reſervata. Reſpondet Sanchez *in ſumma tom. 2. lib. 1. c. 10. n. 74.* affirmativè; quia quoties eſt præſumptio fori externi pro veritate peccati patrati, illud peccatum eſt reſervatum, quia quando non conſtat de veritate, forum internum ſequitur præſumptionem fori externi; unde in tali caſu præſumptio ſtat pro hæreſi, quæ proinde cenſenda eſt reſervata: ſiquidem verba ſunt naturaliter ſigna conceptuum mentalium, unde niſi conſtet expreſsè de oppoſito, non præſumitur, quòd proferens unum, aliud ſenſerit interiùs, ut habetur in *l. labeo, §. id tubero. ff. de ſuppellect. leg.* Tùm quia qui externam hæreſin profert in foro externo, cenſetur hæreticus, conſequenter etiam in foro interno.

14 Nihilominus contraria ſententia videtur communior, eò quia in dubio caſus non ſit cenſendus reſervatus. Neque fundamentum,

quo nititur Sanchez, multum urget, eſt enim diſcrimen, quia in ſoro externo verba externè prolata probant hæreſin internam: & hæc probatio non infirmatur ſufficienter per hoc, quòd, qui hæreſin protulit, dicat ſe in animo non conſenſiſſe tali propoſitioni; quia tunc non affertur quidquam in ſoro externo, quod probet contrarium, proinde in ſoro externo reputatur ſimpliciter, & abſolutè hæreticus; at in ſoro interno contra præſumptionem fundatam verbis affertur aliquid, quod ejus vim infirmat, nempe conſcientia, & teſtimonium pœnitentis dicentis ſe dubitare de conſenſu interno; & licèt in ſoro externo ei non crederetur, creditur tamen in ſoro conſcientiæ, in quo ſtari debet dicto pœnitentis.

15 Solet dubitari, an Catechumenus nondum baptizatus, ſi deficiat à fide, quam receperat, ſit hæreticus. Alfonſus Caſtrenſis *lib. 1. de juſtit. hæret. punit. c. 8.* & alij aſſerunt, Catechumenum fore hæreticum, eò quia dicunt, ſufficere ſi ſciat aliquid eſſe contra fidem catholicam, & illud credat, adeò ut mente, & voluntate ei adhæreat.

16 Sed communior, & verior ſententia eſt, Catechumenum propriè non eſſe dicendum hæreticum, ſi deficiat à fide, quam recepit ſaltem in ſoro externo, & coram eccleſia, eò quia nondum fuerat in baptiſmo ſolemniter fidem profeſſus, conſequenter nondum fuerat formaliter, & completivè membrum eccleſiæ, ſed tantùm inchoativè: non enim fit hæreticus, qui antea non erat per baptiſmum ingreſſus Eccleſiam, quia per hæreſin hæreticus ſeparatur ab Eccleſia; cui propterea ſupponebatur unitus: & quia ſolus baptiſmus unit homines Eccleſiæ, ideo Catechumenus nondum baptizatus, ſi deficiat à fide ſaltem in ſoro externo, & coram Eccleſia non cenſetur hæreticus, ſed potiùs infidelis; neque incurrit pœnas eccleſiaſticas contra hæreticos, quia ante baptiſmum non ſubijcitur juriſdictioni Eccleſiæ.

17 Neque eſt par ratio de Anabaptiſtis, qui etiam ante baptiſmum ſuſceptum cenſentur hæretici, quia iſti eatenus ſunt hæretici, quia profitentur ſectam propriam hæreticorum, in qua credunt baptiſmum non eſſe ſuſcipiendum n ſi à viris adultis; & deſcendunt à parentibus baptizatis, & Chriſtianis, qui tamen cùm ſint hæretici eorum filij, qui ſectam ſequuntur parentum, ſunt etiam hæretici. Sin verò per errorem putaret quis ſe baptiſmum ſuſcepiſſe, quem tamen revera non ſuſceperit, ſi poſtea ſcienter aliquid contra fidem crederet, habendus eſſet ut hæreticus, ut cenſent plures, cum Simanca *de cathol. inſtit. tit. 31. n. 5.* quia videtur ad id ſufficere, ſi ſe gerat, ac ſi eſſet baptizatus.

18 Quid verò dicendum de eo, cui Deus certè, & evidenter aliquid revelaret, eſſet ne hæreticus, ſi contrarium crederet ſibi à Deo revelato? Reſpondetur, coram Deo fore hæreticum, eò quia tenetur credere Deo revelanti, ſeu primæ veritati, quæ non poteſt falli, nec fallere, unde ſi non crederet, quod ſibi revelatum fuit à Deo, non crederet Deo revelanti, conſequenter coram DEO eſſet hæreticus; non ita coram Eccleſia, ſi crederet omnes articulos fidei, quos ipſa docet, quia nil crederet contra tales articulos, quos ut credendos proponit eccleſia: non enim hæc proponit credenda, quæ privatim à Deo alicui patefiunt, ſed tantùm quæ publicè, ſeu quæ per Prophetarum, & Apoſtolorum verba, vel ſcripta, vel traditiones ſuſcepit: unde ſi Deus certò, & evidenter revelaret alicui Chriſtiano, Imperatorem Turcarum deceſſiſſe tali hora, vel alium Principem; ſi Chriſtianus id nollet credere, eſſet tantùm hæreticus coram Deo, quatenus credendo contrarium, putaret, primam veritatem in revelando poſſe fallere; non tamen ſubjiceretur pœnis eccleſiaſticis contra hæreticos, ſi crederet omnes fidei articulos, quos ipſa docet: & quamvis eccleſia doceat, primam veritatem in revelando non poſſe falli, nec fallere, eò quia Deus non poſſit mentiri; non tamen docet, eſſe de fide tenendum, illud particulare objectum privatim à Deo revelatum tali privatæ perſonæ; unde ſi Chriſtianus non ipſum objectum ſibi revelatum negaret; ſed primam veritatem in revelando non poſſe fallere, tunc eſſet puniendus ab eccleſia ut hæreticus, quia negaret articulum fidei: ſecus ſi tantùm non crederet objectum, præſcindendo ab eo, quòd prima veritas in revelando poſſit fallere.

§. II.

Diluuntur aliquot quæſtiones de ijs, qui dicendi ſint hæretici.

Quæritur primò, an dicendus ſit hæreticus, qui de objecto fidei ſufficienter ſibi propoſito opinatur. Reſpondetur cùm diſtinctione, ſi qui opinatur, cenſeat abſolutè, & reflexè objectum fidei firmiori aſſenſu dignum non eſſe, tunc certum eſt, ita opinantem eſſe hæreticum, quia judicare objectum revelationis divinæ non eſſe dignum credulitate certa, manifeſtè refragatur principijs fidei, quibus credimus, certiſſima eſſe, quæ à Deo nobis revelantur, eò quia ſit Deus prima veritas tam quoad eſſe, quàm in dicendo, adeò ut non poſſit falli, nec nos fallere. Sin verò quis credat objectum fidei ſibi ſufficienter propoſitum niti aliquo argumento humano, & ut deductum ex humano diſcurſu eſſe tantùm probabile, tunc qui ita opinatur, immunis eſt ab hæreſi, quia judicare objectum revelationis divinæ, prout præciſè ſubſtat motivo merè humano dignum non eſſe aſſenſu firmo, nullum continet errorem, proinde neque in materia fidei; non enim quis diceretur hæreticus, ſi circa myſterium Trinitatis tale adhiberet argumentum; nimirum perfectionem infinitam etiam in genere phyſico infinitam habere fœcunditatem; & nihilominus, ſi vires argumenti expendantur, non videtur eſſe niſi probabile, adeò ut myſterium Trinitatis prout præciſè ſubſtat viribus talis argumenti, non excedat 1

dat certitudinem probabilitatis; cum argomentum terminos non excedat probabilitatis.

2 Quæritur ſecundò, cur ignorantia etiam craſſa excuſet, ne quis delinquat peccato hæreſis, nec dicatur hæreticus formalis; cum tamen ignorantia culpabilis non ſoleat in alia materia excuſare à culpa? Reſpondetur, In alijs virtutibus ignorantiam culpabilem non immutare naturam objecti, proinde non excuſare à culpa: ſecus in hæreſi, cum requiratur pertinacia, eſt neceſſaria ſcientia, & ut hæreticus formalis ſciat ſuam ſententiam eſſe contrariam doctrinæ Eccleſiæ catholicæ, & Chriſti, & non obſtante tali ſcientia pertinaciter velit ſuum judicium præferre judicio eccleſiæ catholicæ: quo fit, ut cum ignorantia, quæcunque illa ſit, impediat hanc ſcientiam, impedit etiam, ne contrahatur hæreſis formalis, cujus objectum debet neceſſariò cognoſci, ut contrarium ei, quod docet eccleſia catholica: hinc licèt peccatum in alia materia poſſit eſſe cum ignorantia; non ita in materia hæreſis, ad quam requiritur neceſſariò, ut quis ſcienter credat aliquid contra definitionem eccleſiæ catholicæ, communémque fidelium conſenſum, adeò ut quævis ignorantia etiam craſſa, & affectata eo ipſo, quòd non permittit cognoſci objectum, ut contrarium definitioni eccleſiæ catholicæ impediat, ne contrahatur hæreſis, de cujus ratione eſt, ut conſummetur in intellectu, & ex parte illius requiratur ſcientia, quâ qui errat, cognoſcat, ſe ſua opinione adverſari definitioni eccleſiæ.

3 Quæritur tertiò, an ſit hæreticus qui mortis imminentis metu perculſus, ore tenus, & exteriùs tantùm negat ſe catholicum, etiam affirmando aliquid contrarium fidei, ſine tamen ullo interioris mentis aſſenſu, quo verum eſſe judicet, quod exteriùs verbis profert? Reſpondetur in foro interno talem propriè non eſſe hæreticum, cùm hæreſis eſſentialiter conſiſtat in interno judicio erroneo intellectûs contra fidem, & cùm ille ſupponatur mente non credere, quod exteriùs verbis profert, propriè non erit cenſendus hæreticus in foro interno: benè tamen in foro externo, quia in hoc judicio non penſatur intentio loquentis, ſed locutio, & verba proferentis; proinde tanquam hæreticus foret obnoxius pœnis conſtitutis in jure contra hæreticos, ſi non revocaret prolata verba, quia hominibus verba patent, non verò interna mens, & voluntas; de qua ſolius Dei eſt judicare. Præterea qui exteriùs aliquem negaret fidei articulum ex imminentis mortis metu, non excuſaretur à peccato graviſſimo contra præceptum profitendi fidem: ſiquidem fidem abnegare, quando quis eam confiteri deberet, eſt per ſe, & intrinſecè malum, proinde nunquam licitum, etiam ſi periculum immineat vitæ; quia tenetur Chriſtianus fidem profiteri coram Tyrannis etiam cum vitæ diſcrimine.

4 Quæritur quartò, an proferens ex ignorantia propoſitionem hæreticam ſit hæreticus, ſi eam propugnet contra admonentem eſſe hæreticam? Reſpondent plures affirmativè cum Rebuſo, *in prax. beneſic. in Bulla Cœna excommunicat. 1. art. 1. V. hæreticos verſ. quæret quis* & ſolet probari *ex c. quid autem* 24. *q.* 3. ibi: *quid ampliùs iniquum eſt, quàm impia ſapere, & ſapientibus, Doctoribúsque non credere?* Et ex *c. qui Eccleſia* ibid. ubi dicitur: *Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid, pravúmque ſapiunt, ſi correpti ut ſanum, rectúmque ſapiant, obſiſtant contumaciter, & ſua peſtifera, ac mortifera dogmata emendare nolint ſed defendere perſiſtunt, hæretici ſint.* Hinc eruitur etiam ratio; quia accedente monitione, dum adhoc perſiſtit in defendenda, ac propugnanda hæretica propoſitione, evadit pertinax; quia cùm nolit audire admonentes, cenſetur nolle devenire in cognitionem veritatis, & eo ipſo, quòd contemnit veritatem, pertinax eſt in errore. Alij verò, inter quos Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *q.* 11. *punct.* 1. *diffic.* 4. Sanchez *tom.* 1. *in Decalog. lib.* 2. *c.* 7. *n.* 25. Canus 12. *de locis theolog. c.* 9. Sanctarel. *c.* 1. *de hæreſ. dub.* 6. *n.* 28. & alij reſpondent, propugnantem propoſitionem hæreticam ex ignorantia, etiam contra admonentem non eſſe hæreticum, eò quia cùm non acquieſcat admonenti, licèt temerarius ſit, & peccet mortaliter, non tamen recedit à fide, eò quia putet ſe non opinari contra doctrinam Eccleſiæ, non enim contradicit certæ regulæ fidei, cùm non contradicat Eccleſiæ.

5 Verùm procedendum putârim cum aliqua diſtinctione, ſi enim propugnans contra admonentem propoſitionem hæreticam ex ignorantia, propoſitio talis ſit, ut adverſetur alicui ex præcipuis fundamentis fidei, tunc abſolutè erit cenſendus hæreticus, ac obnoxius pœnis in jure contra hæreticos ſtatutis: quia eatenus poſſet non cenſeri hæreticus, quatenus propugnaret propoſitionem, quam neſciret eſſe hæreticam; quia tunc interiùs conſervaret fidem catholicam, & animum paratum ad credendum, quidquid definitur ab eccleſia ut credendum: at ſi propugnaret propoſitionem contrariam fundamentis fidei, tunc ſicut propoſitio deſtrueret fidei fundamentum, non poſſet, qui illam propugnaret fidem interiùs ſervare: ſiquidem ut quis dicatur fidem ſervare, debet habere animum paratum ad credendum omnia fidei fundamenta, adeò ut debeat ſe ſubijcere ijs omnibus, quæ ad credendum movent, proinde debet ſe ſubijcere fundamentis fidei, quæ cum fundent ipſam fidem, id etiam operantur, ut homo ea credat: unde eo ipſo, quòd quis non conſervat fundamenta fidei, ut ſunt, quòd eccleſia non poſſit errare in definiendis rebus fidei, quòd Deus nonniſi vera poſſit revelare: non poteſt fidem conſervare, cùm hæc ſine ſuis fundamentis non ſubſiſtat.

Quòd ſi dicas poſſe ex ignorantia propugnantem illam propoſitionem exiſtimare, eam non adverſari fundamentis fidei, eò quia ignoret eſſe fundamentum fidei. Contra eſt, quia tametſi ignoret eſſe fundamentum fidei, eò 6

tamen ipſo, quòd admonetur eſſe fundamentum fidei, ſaltem lumine naturali cognoſcit eſſe tale, & ſcit fidem ſine ipſo non poſſe conſiſtere: ſiquidem non poſſet quis credere infallibiliter, niſi etiam crederet, Deum vera revelare, & Eccleſiam non poſſe errare in definiendis rebus fidei. Quinimmo ſi quis etiam propugnet propoſitionem hæreticorum contra admonentem contrariam rebus fidei, quas quilibet explicitè ſcire tenetur, & communiter præſumuntur ſciri, etiam cenſendus eſt hæreticus, ſi ex pertinacia propoſitionem illam propugnatet; niſi fortaſſis laboraret tanta ignorantia, & ruditate, ut præſumeretur neſcire myſteria illa communiter ab omnibus credi. Tum ſtante tali ignorantia excuſaretur à pertinacia: conſequenter etiam ab hæreſi; non tamen à peccato gravi præſumptionis, cùm irrationabiliter, & abſque fundamento ſcientiæ, & doctrinæ præſumeret, ſe plus cæteris ſcire, præſertim cum tali laborans ignorantia nollet ſe docentibus ſubmittere.

7 Ratio verò, cur non eſſet excuſandus ab hæreſi, eſt, quia ubi præſumitur ſcientia de rebus, præſumitur etiam pertinacia contra fidem, ſi oppoſitum fidei propugnetur; quia tunc hæreſis tranſit ad pertinaciam: & de ijs myſterijs, quæ ſunt præcipua, & notiſſima in noſtra fide, præſumitur communiter ſcientia inter Catholicos, proinde etiam pertinacia ſi impugnentur; præſertim ſtante monitione, quæ tunc ſaltem docet ignorantem, qui tenetur docenti credere, quando quod propugnetur, eſt contra aliquod ex præcipuis, & notiſſimis myſterijs fidei, quæ ab omnibus ſciri præſumuntur. Tum quia tunc propugnans talem propoſitionem, præſumitur ſcire eſſe contra fidem id, quod defendit, cùm à cæteris Catholicis id ſciatur; etſi nollet monenti credere, teneretur ſaltem alios viros doctos interrogare: quòd ſi id non præſtet, id indicio eſt, non habere animum paratum ad credendum, quæ ſunt de fide.

8 Quòd ſi defenderet propoſitionem aliquam ex ignorantia hæreticam, quæ tamen non adverſaretur fundamentis fidei, neque ijs articulis, quæ communiter à Catholicis ſciuntur eſſe de fide, tunc non cenſeretur hæreticus pertinax, nec obnoxius pœnis in jure ſtatutis contra hæreticos: quia non ſupponeretur pertinax; quia ut talis deberet volens, & ſciens ſentire contra eccleſiam: ſin autem ſentiat contra ea, quæ ab Eccleſia proponuntur credenda, idque ex ignorantia, eſt tantùm hæreticus materialiter, non formaliter defectu pertinaciæ, quæ ſupponit ſcientiam, ſeu hæreticum ſcire id, quod defendit eſſe contra doctrinam Eccleſiæ catholicæ.

9 Neque obſtat, ſi dicas, non poſſe præſumi ignorantiam, cùm admonetur, quòd talis propoſitio ſit hæretica: quia talis admonitio non eſt tunc ſufficiens ad tollendam præſumptionem ignorantiæ, quia quando admonitus defendit contra admonentem ſuam propoſitionem ex ignorantia hæreticam, tunc admonenti fidem non præſtat, nec tenetur præſtare, cum ille propoſitio non ſit ullum ex fundamentis fidei, nec ullus ex illis articulis, qui præſumuntur ab omnibus Catholicis ſciri, proinde etiam accedente admonitione non deponit ignorantiam, ſed adhuc ejus præſumptio perſeverat.

Hinc ad id, quod afferebatur ex *c. quid autem 24. q. 3.* reſpondetur, per talem textum, rationem impietatis in eo ſitam eſſe, ut cùm quis impia ſapit, adhuc non credit ſapientibus, nec viris doctis: ex quo ſequitur, eum non eſſe impium, ſi ijs non credat, quos non habet pro ſapientibus, & doctis, quamvis alioquin ſint tales: etenim ſi ſapientia eſt ratio, cur quis non credens ſapienti ſit impius: quando non cenſetur intervenire ſapientia; neque impietas in credendo cenſenda eſt intervenire. Ad aliud petitum ex *c. qui in Eccleſia* reſpondetur, ibi ſermonem eſſe de correptione, quæ legitimè fit ab ijs, ad quos ſpectat eſſe judices, & miniſtros publicæ fidei: ſiquidem cum ſint veluti conſervatores, & Doctores fidei in eccleſia, eo ipſo, quòd quis non acquieſcit eorum monitioni, contradicit Eccleſiæ: non ita intelligitur de correptione à quocunque profecta. Hinc patet ſolutio ad rationem, quâ nititur prima ſententia, non enim, qui detrectat audire monentem, cenſendus ſtatim eſt pertinax, & nolle devenire in cognitionem veritatis: poteſt enim monitio provenire ab eo, qui non ſit tantæ authoritatis, ut præſtari eidem fides debeat. 10

Quæritur quintò, an ſi quis moneatur ab Epiſcopo, vel Inquiſitore de ſua propoſitione hæretica, ſit cenſendus pertinax, ſi adhuc eam propugnet, & monenti nolit credere? Reſpondetur, nolentem tunc credere Epiſcopo, vel Inquiſitori monentibus, cenſendum eſſe pertinacem, ac hæreticum, tametſi dicat, ſe nolle contra fidem catholicam quidquam ſentire. Id tamen procedit, ſi admonitio fiat ab Epiſcopo, vel Inquiſitore, ut à publica perſona non autem à privata, & error ſit circa ea, quæ ſunt de fide jam definita, & ut talia ab Eccleſia propoſita. 11

Ratio eſt, quia tam Epiſcopi, quàm Inquiſitores ſunt judices fidei deputati à ſummo Pontifice, quem propterea repræſentant; & quia tunc judicant de rebus fidei, tenetur quiſque ijſdem credere: alioquin non cenſeretur credere ſummo Pontifici, cum Inquiſitores, & Epiſcopi tunc vices gerant Pontificis: unde ſi tenens propoſitionem hæreticam ex ignorantia non acquieſcat monitioni ſibi factæ ab Inquiſitoribus, & Epiſcopis gerentibus vices ſummi Pontificis, cenſetur non credere Pontifici, nec Eccleſiæ: quia cùm ſint judices fidei, præſumuntur docere, quæ ſunt fide credenda, proinde qui ipſis contradicit, videtur eccleſiæ contradicere, cùm contradicat perſonis publicis repræſentantibus eccleſiam quoad authoritatem manutenendi fidem, proinde tunc nonſolùm in foro externo, ſed etiam in interno cenſendus eſt hæreticus. 12

Ne-

by Google

Neque obſtat, ſi dicas, definire propoſitiones de fide non pertinere ad Inquiſitores, & Epiſcopos, ſed ad ipſam Eccleſiam. Nam licèt id verum ſit, nihilominus poſtquam res propoſitæ ſunt de fide ab Eccleſia; pertinet poſtea ad Epiſcopos, & Inquiſitores eas alios docere: cùm iſti ſint ex officio Miniſtri fidei, tenentur res fidei declarare, & manutenere; proinde tenentur fideles ijsdem credere, quando ut perſonæ publicæ monent has, & illas propoſitiones eſſe de fide, vel hæreticas. Hinc qui ſentit contra Epiſcopos, & Inquiſitores ut gerentes perſonas publicas, & vices Pontificis, ſentit etiam contra Eccleſiam, quia ſentit contra eos, qui ad docendum, & judicandum de rebus fidei deputati ſunt ab ipſa Eccleſia.

14 Quæritur ſextò, quomodo intelligendus ſit textus *in c. qui alios 2. h. t.* ubi Leo Papa oſtendit eum errare, qui alios non revocat ab errore, cùm poteſt. Hic enim textus loquitur de errore fidei, adeò ut qui alios à tali errore non revocat, quando poteſt, ipſe convincatur errare, & peccare, alioquin malè poneretur ſub hac rubrica, & in hoc titulo? Reſpondetur, hunc textum intelligendum eſſe de ijs, quibus ex officio competit, hæreticos ab erroribus revocare, & punire; cujuſmodi ſunt Epiſcopi, & Inquiſitores, quibus ſpecialiter extirpatio hæreſum commiſſa eſt, & quibus ex officio competit hæreſes extirpare, & hæreticos punire: ſi enim in detrimentum fidei catholicæ negligant tantùm obire munus, cenſentur, & ipſi delinquere, digníque pœnâ, hinc ab officio, & dignitate Epiſcopali removendi etiam ſunt.

15 Immo comprehendit etiam textos, alios, quibus ex officio licèt non competat hæreſes extirpare, ineſt tamen obligatio ſub pœna excommunicationis hæreticos denunciandi juxta conſtitutionem Gregorij IX. Plura de hac denuntiatione habent Sanctarel. *de hæreſ. c. 9. dub. 5.* Suarez *de fide c. 20. ſect. 4. n. 11.* Carena *de offic. Inquiſit. p. 2. tit. 9. §. 4.* ut enim ait Arnobius *lib. 4. adverſus gentes c. 28. quisquis patitur peccare peccantem is vires ſubminiſtrat audacia.*

§. III.

De Pœnis Hæreticorum.

1 PŒnæ, quæ in jure canonico conſtituuntur contra hæreticos, plures ſunt, & quædam ſpirituales, & aliæ tantùm temporales. Cùm hactenus expenderimus hæreſin abſolutè, & ſecundùm ſuam naturam, ſupereſt, ut eandem conſideremus in ordine ad pœnas huic crimini præſtitutas, & quæ concernunt vel ipſos hæreticos, vel eorum liberos, vel fautores, aut defenſores. Inter pœnas autem ſpirituales principem occupat locum excommunicatio, quæ ipſo jure ab ipſis incurritur, ut habetur *in c. ad abolendam 9. h. t.* ubi Lucius Papa ait: qui non meruit aliter ſentire de ſacramentis, quàm Eccleſia Romana prædicat, & obſervat; ac etiam ille, qui ab Epiſcopo cum conſilio clericorum judicatur hæreticus, eſt excommunicatus: & ſede vacante, qui judicatur à clericis hæreticus, eſt excommunicatus. Item Clericus, qui manifeſtè in hæreſi eſt deprehenſus, niſi ſtatim cognito errore ſponte recurrat ad unitatem fidei catholicæ, ſuúmque errorem ad arbitrium Epiſcopi Regionis publicè cenſuerit abjurare, congruámque ſatisfactionem adhibere, degradetur, ſeu ſpolietur prærogativâ clericatûs cum omni officio, & beneficio eccleſiaſtico, & detur poteſtati ſæculari debitè puniendus, ſicut & laicus punitur, niſi ſtatim abjuraverit. Dicitur autem quis manifeſtè deprehenſus in hæreſi, vel quia evidentia facti publicè prædicat hæreſin; vel legitima probatione per teſtes, vel ex ſua confeſſione. Rurſus clericus quamvis depoſitus tenetur vivere clericaliter, & adhuc gaudet privilegio, non ita ſi ſit incorrigibilis. In tribus autem caſibus traditur curiæ ſæculari, Primò in crimine hæreſis, ut in *hoc. cap. 9. h. t.* Secundò in crimine falſi *c. ad falſariorum de crim. falſ.* Tertiò quando eſt depoſitus propter calumniam, & contumeliam, quam intulit Epiſcopo.

Ex *dict. cap. ad abolendam* inſertur, non ſolùm eos eſſe hæreticos, qui perversè ſentiunt de articulis fidei, qui continentur in ſymbolo Apoſtolorum; ſed etiam eos, qui falsò ſentiunt de ſacramentis Eccleſiæ: rurſus Epiſcopos poſſe cognoſcere de crimine hæreſis, dummodò certum ſit, quòd tale crimen ſit hæreſis, quia ſi dubitetur, an quæſtio aliqua, vel propoſitio hæretica ſit, ad ſolum Papam pertinet quæſtionem decidere, ut habetur *in c. quoties 12. cauſ. 24. q. 1.* Immo etiam Capitulum ſede vacante poſſe cognoſcere de hæreſi, eò quia ſuccedat in jurisdictione ordinaria Epiſcopali. Hæc eadem pœna excommunicationis etiam repetitur *in c. excommunicamus 13. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. *cap. 3.* ubi excommunicantur omnes hæretici, quocunque nomine dicantur, & etiam additur, quòd damnati de hæreſi tradendi ſint brachio ſæculari puniendi pœnâ debitâ, quorum bona, ſi ſint laici, confiſcantur, ſi Clerici applicantur Eccleſijs, à quibus ſtipendia receperunt. Item ſuſpecti de hæreſi, niſi debitè ſe purgaverint juxta conſiderationem ſuſpicionis, & qualitatem perſonæ anathemate percutiuntur, & vitantur, donec ſatisfecerint; quòd ſi per annum perſtiterint in excommunicatione, condemnantur ut hæretici. 2

3 Juvat tamen obſervare, quòd ut ſola ſuſpicio inducat purgationem canonicam, debet ſaltem eſſe probabilis, aliàs non: & ſemper attenditur qualitas infamiæ, & perſonæ. Eadem pœna excommunicationis etiam imponitur *in c. ſicut ait 8. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi, ubi Alexander III. reſcribit, Hæreticos, & eorum fautores, ut ſunt qui eos tenent in domo, vel in terra ſua, vel fovent, vel præſumunt negotiationem exercere cum ipſis, eſſe excommunicatos, & ſi in hoc pec-

cato

cato moriantur, prohibet ſepeliri in loco ſacro, & fieri oblationem pro ipſis non obſtante quocunque indulto. Demum in Bulla Cœnæ anathemate percutiuntur etiam omnes, & ſinguli hæretici, quocunque nomine cenſeantur, ut fusè oſtendit Quaranta *in ſum. Bullar. V. excommunicationes in Bulla die Cœna Domini pag. 331.* Hinc patet, hæreticos tantùm jure eccleſiaſtico licèt antiquiſſimo eſſe excommunicatos, non verò jure divino. Immo in primitiva Eccleſia hæc excommunicatio non erat lata ipſo jure, ſed tantùm ferenda poſt monitionem per ſententiam contra hæreticos, ut habetur in *c. ſi quis 22. cauſa 1. q. 7.* Immo neque ante Bullam Cœnæ Domini conſtat, hanc excommunicationem fuiſſe reſervatam ſoli Papæ.

4 Quia verò Eccleſia ſaltem directè non judicat niſi de externis, ideo ut hæreſis cenſeatur externa, & animadverſioni Eccleſiæ obnoxia plura requiruntur. Primò ut verba, aut ſigna talia ſint, quæ vel ſuaptè natura, vel ex hominum inſtitutione, vel ſaltem ex circumſtantijs præſertim loci, temporis, & perſonarum hæreſin internam ſufficienter arguant.

5 Secundò ut ſigna hæc externa ſint moraliter mala, quia excommunicatio, & pœnæ ſimiles non imponuntur niſi ob actus externos graviter peccaminoſos: quamobrem ſi hæreſin internam quis alteri manifeſtet causâ inſtructionis capiendæ, non fit obnoxius pœnis in hæreticos conſtitutis, quia tunc tális manifeſtatio dirigitur in finem bonum, & in deteſtationem potiùs, quàm profeſſionem hæreſis.

6 Tertiò ut hæreſin internam exteriùs quis manifeſtet animo eam profitendi: quia ſigna externa non ſubjacent animadverſioni Eccleſiæ, niſi quatenus exprimunt internam hæreſin: alioquin ſi ſine alio aſſumantur, non ſubjacent canonum indignationi: hinc ſi quis dum legit, vel diſputat, vel narrat, hæreſin mente conceptam ore pronuntiat, non eo tamen animo, ut internum errorem exprimat, ſed tantùm, & præcisè gratiâ lectionis, narrationis, & diſputationis, non cenſetur hæreticus externus, eò quia non proferat hæreſin ut propriam; ſed ut alienam.

7 Quartò, ut quis ſit hæreticus formalis, & non tantùm materialis, & objectivè, adeò ut aliquid aſſerat, vel defendat contra fidem ſcienter, & pertinaciter: quia ſi tantùm ex ignorantia ſive invincibili, ſive vincibili, & culpabili quis aliquid aſſerat, vel defendat contra fidem, non tamen pertinaciter, adeò ut paratus ſit, ſe corrigere, ſi ſciret eſſe contrá fidem, tunc talis tantùm eſſet hæreticus materialis, & non foret obnoxius pœnis in jure contra hæreticos conſtitutis, cujusmodi ſunt plures ruſtici, aliique homines ſimpliciores in Germania, qui ſectam præſertim Lutheri profitentur, ſunt quidem Hæretici, ſed potiùs materiales, quia pertinaces non ſunt; & tales poſſunt etiam abſolvi à ſuis Parochis, ſi petant Catholicos fieri, & ex eorundem examine appareat, quòd fuerint detenti ignorantiâ invincibili, vel ſaltem mortaliter non culpabili, & editâ priùs profeſſione fidei coram teſtibus, ſi commodè id fieri poſſit. Moris tamen in pluribus Germaniæ Provincijs eſt, ut hujusmodi hæretici, quamvis materiales, mittantur ad Epiſcopum, vel ejus Vicarium, vel ad alios habentes facultates abſolvendi ab hæreſi, ut ab ijsdem examinentur, & judicentur, an ex ignorantia invincibili, vel etiam culpabili, ſed ſine pertinacia, falſæ Lutheranorum ſectæ adhæſerint.

Quintò ſi quis hæreticus formalis mentaliter hæreſin etiam occultiſſimam exteriùs expreſſis verbis proferret, nemine alio præſente, idque voluntariè, & pertinaciter, excommunicationem incurreret ipſo jure: quia tunc hæreſis illa eſſet externa, & oriretur ab hæretico formali: & jura anathemate percutiunt hujusmodi hæreticos ob hæreſin externam, ſeu ſignis ſenſibilibus manifeſtatam: neq; obſtat, talem hæreſin eſſe occultiſſimam, eò quia hæreticus eam ore, & verbis exteriùs protulerit nemine præſente, audiente nemine: quia id per accidens ſe habet, per ſe enim hæreſis ita verbis expreſſa non eſt ampliùs occulta, ſicut hæreſis merè interna, ſi enim alij adfuiſſent, utique audiviſſent talem hæreſin, eò quia per ſe fuerit ſenſibilis, & externa, & tantùm per accidens fuit occulta, eò quia nemo adfuerit: quamobrem hujusmodi hæreſis quamvis occulta per accidens eſt obnoxia pœnis in jure contra hæreticos conſtitutis. 8

Rurſus præter excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini latam in omnes hæreticos, eos etiam Pontifex excommunicat, qui hæreticorum libros hæreſin continentes, vel de religione tractantes ſine Authoritate Papæ, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legunt, aut retinent, ut etiam eos imprimentes, & quoquo modo defendentes publicè, vel occultè, prout habetur in *c. excommunicatione dicta Bulla*: ratio eſt, quia damnato auctore tanquam hæretico; ejus ſcripta, & libri de religione cenſentur damnata, ut deſumitur *ex c. fraternitatis 4. h. t.* ubi Gregorius IX. reſcribit, quòd quando damnatur Author, ejus ſcripta non recipiuntur: imò id etiam deſumitur *ex can. 60. Apoſtol.* & Nicena Synodo II. *can. 9.* ibi: *Laicus, vel Monachus excommunicetur; Epiſcopus, Presbyter, Diaconus deponatur, qui occultaverit libros hæreticorum*, & *in c. 3.* ſpecialiter hoc idem repetitur de ſcriptis Cœleſtij, & Pelagij *15. diſt. c. 2.* 9

Confirmant hoc idem etiam plura Concilia præſertim Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ. 10.* Conſtantienſe *ſeſſ. 8.* Tridentinum *ſeſſ. 18. & 25.* Verùm ad hanc incurrendam excommunicationem plura requiruntur. Primò ut libri reverà ſint alicujus hæretici. Secundò ut tractent de religione, vel ſaltem hæreſes contineant. Tertiò ut ſcienter legantur, retineantur, imprimantur, vel defendantur, quia ignorantia craſſa excuſat, ne incurratur excommunicatio. Quartò ut tales libri legantur 10

ſine

ſine legitima facultate, quam ſolus ſummus Pontifex dare poteſt. Quintò ut quod in hisce libris prohibitis legitur, ſit materia notabilis, & ſufficiens ad peccatum lethale: qui enim paucas tantùm percurreret lineas, non fieret huic pœnæ obnoxius. Layman *lib. 2. tract. 1. c. 15. n. 4.* ait, conſtitutionem Bullarem, & prohibentem legere libros tractantes de religione, vel continentes aliam materiam, cui adnexæ ſint hæreſes, non eſſe in Germania cum toto illo rigore receptam, quia cùm in pluribus civitatibus Imperij, Catholici, & hæretici promiſcuè vivant, vix poſſunt hujuſmodi libri impediri.

11 Poſſet tamen contra hanc prohibitionem quis objicere, quia in libris hæreticorum, plerúmque multa bona continentur, quibus uti poſſumus, & quidem cum non modica utilitate, ut liquet in libris Tertulliani, quos ſcripſit contra eccleſiam de pudicitia, de fuga, & perſecutione, de monogamia, & de exhortatione caſtitatis, in quibus plura ad Chriſtianos uſus ſuppeditat; ut etiam ex libris Euſebij Cæſarienſis, quem Hieronymus Arrianorum ſigniferum vocat: ſiquidem ejus ſcripta talia fuerunt, ut Epiphanius in Synodo II. Nicena *act. 6.* dixerit, non poſſe flammis tradi niſi cum magno Eccleſiæ detrimento. Tales itidem fuerunt libri ab Origene editi, & Novatiano; licèt apertè conſtet, hunc fuiſſe hæreticum, etenim D. Hieronymus in epiſt. ad Paulum Concordienſem, enixim poſtulat, Novatiani ſcripta ad ſe transmitti, ut cognitis ejus venenis, libentiùs S. Cypriani antidotum biberet, quapropter monet Theodoretus *lib. 5.* Polymorphi libros hæreticorum percurrendos eſſe, ſed ſicut apes mel ex floribus legunt; ait ipſe; *Imitare ergo apes ô vir bone, & ſacra ſcripturæ prata, & ſanctorum Patrum pulchros flores mente circumvolans, ſides favos in te contexe. Quòd ſi alicubi herbam inveneris, nec dulcem, nec eſculentam, cujuſmodi eſt hic Apollinaris, & Euſebius, habet tamen aliquid utile ad mel conficiendum: non eſt alienum; quod bonum eſt ſumere; quòd verò noxium eſt relinquere: etenim apes ſæpe venenoſis fructibus inſidentes, quod eſt pernicioſum relinquunt, quod verò ſibi accommodatum accipiunt. Hæc tibi quidem ô amice jure fraterna amicitia conſulo.*

12 Tum quia Eccleſia, cùm toleret libros gentilium, & Judæorum, videtur etiam tolerare debere ſcripta hæreticorum, cùm utrinq; militet eadem improbationis ratio. Tum quia Dionyſius teſte Euſebio *lib. 7. hiſtor. c. 6.* cum reprehenderetur, quòd libros hæreticorum legeret, reſpondit, ſe viſionem habuiſſe, quâ ſibi dicebatur, *lege omnia, quæ in manus tuas veniunt, valebis enim ad omnia reſpondere, & reprobare*, & D. Hieronymus *in epiſt. 153.* ad Alexandrum Minetium ait, ſe legere libros hæreticorum, ut bona inde accipiat, quamvis eum non lateat, plures de ſe murmurare: ex quibus videtur concludendum, libros hæreticorum eſſe legendos, non flammis tradendos.

Sed cum Concilia & ſummi Pontifices libros proſcripſerint hæreticorum, præſertim Concilium Lateranenſe ſub Leone X. & Tridentinum, ut etiam in ſuis conſtitutionibus Julius III. Paulus IV. & Pius IV. & alij; ideò non licèt Chriſtianis abſque expreſſa Pontificis licentia tales libros legere, quia ſi vivum hæretici alloquium evitandum eſt Catholico, ne venenum hauriat; quanto magis vitanda erunt hæreticorum ſcripta, quæ non ut verba momento dilabuntur, ſed perſiſtunt, ac veſtigia imprimunt in legentium animis; quapropter hæreticorum libri ſupprimuntur, non ſolùm propter falſam doctrinam, verùm etiam ut omnia deleantur hæreticæ pravitatis veſtigia. Quòd ſi libelli famoſi in injuriam hominis privati ſcripti ſupprimuntur, & eorum Authores pœnâ coërcentur *l. unic. c. de famoſ. libellis l. lex Cornelia §. ſi quis librum. ff. de injur. l. ob carmen ff. de teſtib.* multò magis ſupprimi debent, & flammis deleri libri editi in Chriſti, & Eccleſiæ contumeliam.

Neque obſtat, quòd libri Tertulliani, & Origenis tolerentur, quia iſti præſumuntur reſipuiſſe. Tum quia ex eorum ſcriptis antecedentibus, ſequentia errata deteguntur, & magis refutantur errores, quàm ſuadeantur. D. Hieronymus, & alij petierunt libros hæreticorum legere, ut eos refellerent, ut etiam hodie conceditur perdoctis viris libros hæreticorum etiam improbatos legere ad eum ſcilicet finem, ut eos impugnent. Libri verò Gentilium, & Judæorum legi permittuntur, quia catholicæ veritati non obſunt, ſed potiùs proſunt, ut ſunt ſcripta Senecæ in ordine ad mores componendos. Tum quia libri Gentilium non facilè ſub umbra ſanctitatis homines decipiunt ſimpliciores, quinimmò ex eorum lectione multum hauritur utilitatis ad exponenda ſacra, & canonica ſcripta. Quòd ſi dicas, Zachariam Papam relatum *in epiſt. 138.* inter epiſtolas S. Bonifacij, prohibuiſſe igni tradi libros Adalberti hæretici, quos Romana ſynodus cremari juſſerat. Reſpondetur, Zachariam prohibuiſſe tales libros tradi flammis, non ut eorum incolumitati conſuleret, ſed ad perpetuam ipſius Adalberti confuſionem, & ejus Sectatorum, voluit exemplar unum in Armarijs Romanæ bibliothecæ ſervari, ut conſtaret poſteris de impietate Adalberti, cum à plerisque ut ſanctus coleretur. 13

Cæterum Eccleſia rectè prohibuit legi libros hæreticorum, tametſi in ijsdem aliqua contineantur utilia, quæ à D. Auguſtino *in c. ſi quid veri 27. diſt.* æquiparantur confeſſioni veritatis Dæmoniorum, non enim ſcripta hæreticorum ſunt ſimpliciter bona, ſed in ijsdem ſunt bona mixta malis, ſunt mala mixta bonis; adeò ut ſub ſpecie boni falſa legentibus propinent; quippe, 14

Impia ſub dulci melle venena latent.

& legentibus ob utilitatem tales libros aptari poteſt illud Virgilij

Qui legitis flores; & humi naſcentia fragra:
Frigidus (ô pueri fugite hinc) latet anguis
in herba.

16 Rectè igitur in Bulla Cœnæ excommunicatione reſervata damnantur, qui hæreticorum libros hæreſes continentes, vel de religione tractantes ſine Apoſtolicæ ſedit licentia ſcienter legunt, retinent, imprimunt, vel quoquo modo defendunt. Imò ut conſtet Catholicis, quos teneantur libros evitare, de mandato ſummorum Pontificum extat index librorum prohibitorum; in quo libri prohibiti in duas dividuntur claſſes, in quarum prima ponuntur omnes libri hæretici, & ex inſtituto tractantes de religione; quamvis fortaſſis nullum manifeſtum errorem contineant; ſed prohibentur ex eo præcisè, quòd ab hæreticis conſcripti ſint: & hujus primæ claſſis libri omnes prohibentur ſub excommunicatione reſervata: in ſecunda autem claſſe ponuntur libri à quibuscunque editi, qui tametſi hæreſin non contineant, aliundè tamen ſcandaloſam doctrinam, aut bonis moribus diſſonam tradunt: & hi ſi in indice librorum prohibitorum nominatim relati ſint; excommunicationem quidem annexam habent, non tamen reſervatam, quinimò Layman *in theolog. moral. lib. 2. tract. 1, c. 15.* ait in Germania libros contentos in hac ſecunda claſſe poſſe legi, eò quia liber indicis quoad hanc ſecundam partem non fuerit receptus, quod fortaſſis verum eſſe poteſt in ordine ad pœnam excommunicationis contrahendam, non ita ratione peccati ob periculum perverſionis, & malæ delectationis, cui ſiunt obnoxij legentes hujusmodi libros. Cæterum in Germania uſus invaluit, ut libri editi ab hæreticis, dummodo tractent de materia indifferenti, ut de jure, medicina, Philoſophia, legantur.

§. IV.

De abſolutione ab hæreſi, eique annexa excommunicatione.

1 Quia non ſolùm excommunicatio lata contra edentes, vel legentes libros hæreticorum, & faventes hæreticis, ſed etiam ipſum peccatum hæreſis eſt per ſe, & immediatè reſervatum ſummo Pontifici, & non tantùm mediatè, & per accidens, quatenus non poteſt quis à culpa abſolvi, quin priùs à cenſura ei annexa ſolvatur, verùm etiam immediatè, ideò abſolutio à ſola hæreſi quoad culpam eſt irrita, quamvis bona fide facta ab eo, qui caret facultate abſolvendi à cenſura excommunicationis ei annexa, tenetúrque Reus iterum peccatum illud confiteri, eò quia ſit per ſe, & ſeorſim à cenſura reſervatum; ſi enim peccatum hæreſis non eſſet reſervatum per ſe, abſolutio à tali peccato tunc valeret, & ſola cenſura excommunicationis ſolvenda maneret. Secus ſublata excommunicatione hæreſis ab eo, qui poteſt legitimè ab illa abſolvere, ceſſat quoque peccati reſervatio, adeò ut poſſit quilibet confeſſarius à tali peccato abſolvere: ratio eſt, quia ſicut cenſura, & hæreſis ab initio nectuntur, ut culpa ſine cenſura non reſervetur; ita pari pacto ſi tollatur cenſura, tollitur etiam reſervatio culpæ: ſicut etiam, ſi concedatur poteſtas abſolvendi à cenſura, cenſetur etiam conceſſa facultas abſolvendi à peccato hæreſis, & vice verſa, cùm hæc duo nectantur, ut non ſtet unum ſine alio.

Difficultas eſt, an præter ſummum Pontificem poſſit quis alius Prælatus inferior abſolvere ab hæreſi, & excommunicatione ei annexa. Reſpondetur, hæreſin poſſe eſſe manifeſtam, & occultam: ab illa certum eſt, neminem poſſe abſolvere niſi Romanum Pontificem: ab occulta verò an Epiſcopi poſſint abſolvere, videtur eſſe difficultas: dicitur hæreſis occulta, non quia ſit purè mentalis, quia ab hac poteſt quilibet Confeſſarius abſolvere, cùm non ſit illi annexa excommunicatio, ſed dicitur hæreſis occulta, quæ licèt externo opere, aut verbo expreſſa fuerit, adhuc paucis innoteſcit, ſcilicet uni tantùm, vel alteri perſonæ; immo ſunt, qui etiam ad decem, vel duodecim perſonas occultam hæreſin extendant, dummodo penes ipſas non ſit probabile periculum divulgationis. Quæſtio procedit de hæreſi occulta ſumpta hoc ſecundo modo, an Epiſcopus poſſit ab ejus excommunicatione, conſequenter etiam ab ipſo peccato hæreſis abſolvere. Etenim in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 6. de refor.* conceſſa fuit Epiſcopis facultas, ut poſſint abſolvere ab hæreſi occulta in foro conſcientiæ, ubi nomine Epiſcoporum comprehenduntur ij omnes, qui ſubditos habent: ſiquidem ratione ſubditorum in propria diœceſi datur Epiſcopis hæc facultas, tametſi conſecrati nondum ſint, immo nec ſacerdotes: ratio eſt, quia abſolutio ab excommunicatione præcisè ſumpta non eſt abſolutio ſacramentalis, ſed actus jurisdictionis, ut notat Barboſa *de offic. Epiſc. allegat, 39, n, 2. & ſequent.* 2

3 Hinc cenſent plures nomine Epiſcopi comprehendi Prælatos inferiores habentes ordinariam, & quaſi Epiſcopalem jurisdictionem, ut notat Sanchez *lib. 2. moral. c. 8. n. 5.* ratio, qua nituntur, eſt, quia hujusmodi Prælati gaudent etiam Epiſcopali jurisdictione, ad quam pertinet hæc poteſtas abſolvendi, quamvis de jure ſpeciali: immo non deſunt, qui cenſeant nomine Epiſcoporum comprehendi Prælatos Regulares exemptos, eò quia ipſis competat etiam jurisdictio quaſi Epiſcopalis, ut nititur oſtendere Rodriquez *tom. 1. quæſtionum reg. q. 61. a. 1.* ubi etiam aſſerit ex indulto Pij V. hanc facultatem abſolvendi à tali excommunicatione extendi etiam ad Prælatos Conventuales exemptos.

Juvat tamen obſervare, hanc poteſtatem abſolvendi à tali excommunicatione, & hæreſi, aliiſq; delictis occultis non concedi Epiſcopis, niſi in ordine ad eos, qui ijsdem ſubijciuntur, ratio-

ratione domicilij, vel quaſi domicili, & quoad Peregrinos, & Vagabundos, qui ab Epiſcopo loci poſſunt ſacramenta percipere Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. Hæc verò poteſtas abſolvendi ab hæreſi occulta, aliiſque delictis itidem occultis, & Papæ reſervatis, quam Concilium Tridentinum concedit Epiſcopis, reſtringitur ad ſolum forum conſcientiæ; adeo ut Epiſcopus extra confeſſionem ſacramentalem non poſſit à tali occulta hæreſi abſolvere, ut notat Garcia *de beneſic. p. 11. c. 10. n. 139.* ubi etiam refert quandam declarationem ſacræ congregationis Cardinalium.

5 Verùm alij communiùs volunt, hanc abſolutionem poſſe etiam impendi extra ſacramentalem confeſſionem; eò quia forum conſcientię diſtinctum ſit à foro ſacramentalis Pœnitententiæ; ſiquidem forum conſcientiæ eſt tantùm forum ſecretum, adeò ut abſolutio ab hæreſi, vel alio occulto crimine facta in foro conſcientiæ non proſit pro foro externo, ſi contingat hæreticum, vel alium delinquentem ad judicium trahi, qua ratione non poteſt abſolutio in foro conſcientiæ publicè impendi coram teſtibus, & Notario, ſed omninò ſecretò impendenda eſt, ſive in confeſſione ſacramentali, ſive extra. Præterea hæc eadem facultas à Concilio Tridentino conceſſa Epiſcopis, cùm ſit favorabilis, & conformis juri communi, non videtur reſtringenda ad ſolum forum ſacramenti Pœnitentiæ, ſed ampliari debet etiam ad forum conſcientiæ; ſeu ſecretum extra ſacramentum Pœnitentiæ, ut docet Suarez *diſp. 41. de cenſur. ſect. 8. n. 1.*

6 Non tamen poteſt Epiſcopus vi hujus facultatis ſibi à Concilio Tridentino factæ abſolvere ab hæreſi occulta extra ſuam Diœceſin ſubditos alterius Epiſcopi, quia cùm hujuſmodi abſolutio ab excommunicatione annexa hæreſi ſit actus juriſdictionis, non poteſt exerceri niſi in proprios ſubditos: quòd ſi iſti extiterint in aliena diœceſi per modicum temporis, poſſunt à ſuo proprio Epiſcopo abſolvi à tali excommunicatione etiam in aliena diœceſi, quia Epiſcopus poteſt exercere actus juriſdictionis voluntariæ in proprios ſubditos etiam exiſtentes extra proprium territorium: ratio verò, cur Epiſcopus non poſſit extra propriam Diœceſin abſolvere ab hac excommunicatione ſubditos alterius Epiſcopi, petitur ex reſtrictione facta à ſummo Pontifice: quia cùm caſus reſervati ſummo Pontifici non poſſint abſolvi niſi ab eodem ſummo Pontifice, & ijs, quibus Pontifex dat hanc facultatem, ideo voluit Pontifex quaſdam apponere conditiones in conceſſione hujus poteſtatis abſolvendi à tali excommunicatione abſque derogatione juris communis: cum enim Epiſcopi de jure communi non habeant poteſtatem abſolvendi à delictis Papæ reſervatis, ideo debent hac poteſtate uti ſervatis conditionibus appoſitis à ſummo Pontifice, quarum una eſt, ne exerceant talem facultatem extra propriam diœceſin, & in ſubditos alterius Epiſcopi; idque ut conſuleret paci, & recto regimini Eccleſiarum, & ne Epiſcoporum juriſdictiones confunderentur.

Hæc tamen facultas à Concilio Tridentino conceſſa Epiſcopis abſolvendi ab hæreſi occulta limitatur in eodem decreto Concilij, 7 dummodo delictum non ſit deductum ad forum contentioſum, ſeu dummodo accuſatio, ſeu denuntiatio nondum ſit facta coram legitimo judice: ſiquidem citatio eſt primus actus judicij, proinde hâc poſitâ cenſetur judicium inchoari. Verùm alij putant, non poſſe delictum dici deductum ad forum contentioſum, niſi poſt litis conteſtationem, quia antea, judicium propriè non dicitur inchoatum, nec lis mota, eò quia forum contentioſum dici non poſſit, niſi ſuper patrato delicto contendatur negando, vel confitendo. Verùm id debet intelligi durante pendentia litis: quia ſi delinquens ob defectum plenæ probationis abſolvatur in foro externo, poteſt Epiſcopus ex vi decreti Concilij Tridentini eum abſolvere in foro conſcientiæ, quia tunc adhuc manet delictum occultum, cùm in foro externo non fuerit probatum.

In articulo tamen mortis non ſolùm Epiſcopus, 8 ſed etiam quilibet alius ſacerdos poteſt abſolvere hæreticum à ſua hæreſi, quia in mortis articulo unicuique ſacerdoti datur facultas abſolvendi moribundum à quovis peccato, & conſtitutus in mortis articulo habet jus confitendi ſua peccata cuilibet ſacerdoti approbato, ille enim articulus id operatur, ut omnis reſervatio tunc ceſſet: etenim ne quis pereat, in Eccleſia DEI ſemper conſuetudo viguit, ut nulla ſit reſervatio in mortis articulo, quapropter poſſunt ſacerdotes quoslibet pœnitentes à peccatis, & cenſuris abſolvere, ut habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 7.* ubi Concilium expreſsè ait, omnes ſacerdotes poſſe quoslibet pœnitentes conſtitutos in mortis articulo à peccatis, & cenſuris abſolvere, loquitur enim Concilium abſolutè, & indiſtinctè, & dicit, omnes ſacerdotes eadem gaudere poteſtate pro illo mortis articulo; adeò ut omnibus ſacerdotibus parem tribuat juriſdictionem pro eo articulo, quia quando lex non diſtinguit, non debemus nos diſtinguere. Cæterum ſi hæreticus occultus abſolutus in articulo mortis convaleſceret, teneretur poſtea ſe ſummo Pontifici præſentare; quia cum hoc onere cenſetur abſolutus, nimirum, ut ſi ſupervivat, ſub pœna reincidentiæ in eandem cenſuram debeat ſe ſiſtere ſummo Pontifici, non ut iterum abſolvatur, cùm jam ſit abſolutus, ſed ut obediat ejus mandatis, ut notat Barboſa in *collect. tom. 2. lib. 5. tit. 35. c. 11. n. 5.* licèt contrarium ſentiat Gambarupta *tract. de caſib. reſer. c. 2. n. 65.*

Major difficultas eſt, an per Bullam Cœnæ ſit Epiſcopis revocata facultas abſolvendi 9 ab hæreſi occulta, aliiſque caſibus in ea contentis. Duæ ſunt ſententiæ, quarum prima eſt negativa, aſſeritque, poſſe Epiſcopos vigore Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. c. 6.* abſolvere hæreticos occultos, neque per Bullam Cœnæ

Domini fuiſſe ipſis hanc poteſtatem ſublatam, ita docent Barboſa de poteſtate Epiſcopi *p. 2. allegat.* 40. *n.* 20. Ricciul. *tract. de jure perſon. lib.* 5. *c.* 14. *n.* 9. Sanctius *in ſelect. diſp.* 30. *num.* 32. Puteanus *in* 2. 2. *q. q.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. Henriquez *lib.* 6. *c.* 14. *n.* 4. & plures alij, quos plena manu citat Diana *tractat.* 8. *de hæreſ. reſol.* 15. Fundamenta, quibus hæc ſententia nititur, ſunt. Primò quia correctio juris quantum fieri poteſt, vitanda eſt: atqui ſine correctione juris Concilij Tridentini clauſula Bullæ Cœnæ, quæ revocat facultates, quibus abſolutio impendi poterat hæretico occulto, poteſt integra ſalvari: proinde prædicta clauſula Bullæ Cœnæ non revocat facultatem, quam Concilium Tridentinum dedit Epiſcopis abſolvendi ab hæreſi occulta. Minorem probat, quia Bulla ſolùm dicit, neminem abſolvere prætextu quorumcunque privilegiorum, quæ Epiſcopis, Conventibus, aliiſque conceſſa ſint per ſedem Apoſtolicam; ſed qui intendit abſolvi ab Epiſcopo, non intendit abſolvi prætextu alicuius privilegij à ſede Apoſtolica conceſſi, ſed prætextu authoritatis à Chriſto Domini datæ. Tum quia Bulla Cœnæ commodè poteſt intelligi de peccatis publicis, & de abſolutione, quæ non ſolùm pro foro conſcientiæ, ſed etiam pro externo proſit: quia in Bulla Cœnæ nil habetur, quo adigamur eam intelligere de peccatis occultis.

10 Quamobrem cùm Bullæ Cœnæ clauſula revocans facultatem abſolvendi ab hæreſi poſſit optimè intelligi, ut nullus poſſit abſolvi abſolutione proficiente in foro externo, vel à peccatis publicis prætextu privilegiorum; non eſt, cur debeamus eam extendere ad hæreſin occultam: quia ſi hoc pacto intelligatur Bulla Cœnæ, vitatur correctio juris Tridentini, cùm hoc Concilium tantùm concedat facultatem abſolvendi ab hæreſi occulta, & pro foro conſcientiæ, & occulto: unde cùm hac explicatione Bullæ Cœnæ vitetur correctio juris, ſuſtinenda eſt talis explicatio. Tum quia quoties habetur lex generalis, & præſertim correctoria, quamvis poſterior ſit, limitanda eſt ex ſpeciali antecedenti, unde lex correctoria Bullæ, cùm ſit generalis, limitanda eſt, & coarctanda per legem ſpecialem Concilij Tridentini.

11 Tum quia non eſt evidens, quòd Bulla Cœnæ revocet facultatem à Tridentino Epiſcopis factam, cùm poſſit Bulla ſine tali revocatione commodè, & rationabiliter explicari: ſed ſine revocationis evidentia nemo tenetur ſe ſpoliare jure proprio. Quòd ſi dicas, conſtare ex alijs Bullis evidenter, hanc facultatem fuiſſe Epiſcopis revocatam, ut in Bullis Pij V. Gregorij XIII. & Clementis VIII. reſpondet Souſa in Bulla Cœnæ *c.* 23. *diſp.* 100. *concluſ.* 2. *n.* 7. non conſtare authenticè de hiſce Pontificis declarationibus. Tum quia, cùm res ſit admodum gravis, & ſcientibus ſummis Pontificibus acriter controvertatur, & Pontifices nil expreſſiùs declarent, id argumento eſt, cenſere Pontifices, non obſtante Bulla Cœnæ poſſe Epiſcopos abſolvere ab hæreſi occulta.

Secunda ſententia docet, per Bullam cœnæ revocatam fuiſſe facultatem abſolvendi ab hæreſi occulta Epiſcopis factam à Concilio Tridentino, ita docent Riccius *p.* 3. *deciſ.* 280. *n.* 1. Gratianus *tom.* 3 *c.* 414. *n.* 20. Sanctarelus *tractat. de hæreſ. c.* 5. *dub.* 5. *n.* 21. Megala *p.* 1. *lib.* 1. *c.* 13. *n.* 10. & alij, quos ampla manu citat, & ſequitur Diana *tractat.* 8. *de hæreſ. reſol.* 17. ubi mordicus huic adhæret ſententiæ; quia licèt clauſula derogatoria incluſa in Bulla Cœnæ ſit generalis, ſufficit tamen ad derogandum Concilio, præſertim ſi abſque tali derogatione non poſſit verificari clauſula inſerta Bullæ Cœnæ: quoties enim clauſula derogatoria generalis non poteſt verificari, niſi derogetur alicui particulari, tunc per clauſulam derogatoriam generalem intelligitur derogari clauſulæ particulari, quia derogatio illa generalis cenſetur tunc ſpecifica, & individua *l.* 2. *ff. de liberis, & poſth.* alioquin derogatio illa eſſet ſuperflua. Tum quia in Bulla Cœnæ Pontifex derogat facultatibus conceſſis per cujusvis Concilij decreta, conſequenter etiam derogat Tridentino, & quidem ſpecificè, & individualiter, quia per expreſſa verba illa non poteſt derogare ulli alij Concilio, quia non aſſignantur alia Concilia, quæ dent Epiſcopis talem facultatem. Tum quia Pontifex dicitur gerere in pectore decreta Concilij Tridentini, proinde non eſt vero ſimile ipſum ignorare tale decretum, quod ſingulis Prælatis innoteſcit. Præterea, quia derogatio dependet à voluntate Pontificis, qualitercunque de ea conſtet, proinde eo ipſo, quòd Pontifex derogat decretis cujusvis Concilij, videtur ſatis conſtare de mente Pontificis revocantis hanc facultatem abſolvendi ab hæreſi occulta; tum quia hac ſuper re recenſentur plura vivæ vocis oracula, ac plura ſacræ Congregationis reſponſa, & Barboſa *de offic. Epiſc. allegat.* 40. *n.* 23. refert hoc idem etiam declaráſſe Gregorium XIII. & Clementem VIII. & nunc in praxi moris eſſe, ut Epiſcopi petant à Papa facultatem abſolvendi hæreticos occultos. Huic ſecundæ ſententiæ adhærendum puto, ut probabiliori. 12

Nihilominus Epiſcopi in partibus ultramontanis, & quibus non facilis patet ad Pontificem acceſſus ob locorum diſtantias, & itinerum difficultates; primæ ſententiæ adhærere poſſunt, præſertim in Germania in ordine ad abſolvendos Lutheranos, & Calvinianos, alióſque hæreticos volentes catholicam fidem ſuſcipere, poſſunt enim Epiſcopi per ſe, vel ſuos Delegatos abſolvere in foro conſcientiæ, non ſolùm ab hæreſi occulta, ſed etiam notoria, & publica, idque ob nimiam frequentiam, & multitudinem abſolvendorum, & ob evidens impedimentum eos mittendi Romam Tum quia Papa cenſetur Epiſcopis Germaniæ hanc impertiri facultatem. Immo pro foro externo poſſunt etiam Epiſcopi 13

Ger-

Germaniæ, ubi non ſunt Inquiſitores hæreticæ pravitatis de jure communi abſolvere hæreticos (licèt non hæreſiarcas, ſeu novæ hæreſis Authores) ab excommunicatione Papæ reſervata, tanquam delegati ſedis Apoſtolicæ, abjuratâ tamen priùs hæreſi, & injunctâ illis ſalutari pœnitentiâ, ut deſumitur ex *c. ut officium n. h. t. in 6.* & tradit Farinacius *tract. de hæreſ. q. 192. §. 4. n. 51.* Hæc autem abſolutio pro foro externo prodeſt illis etiam in foro interno, adeò ut ablata excommunicatione à quovis confeſſario approbato poſſint abſolvi ab excommunicatione abſolvi à peccato hæreſis, & Layman *lib. 1. tractat. 5. p. 2. c. 6. n. 6.* ait in Germania Lutheranos, & Calviniſtas venientes ad fidem catholicam ordinariè non deduci ad forum externum, ſeu judiciale Epiſcopi: ſed ſtatim inſtruuntur in fide catholica, & poſt abjurationem hæreſis, inſtruuntur quoad ſacramentalem confeſſionem, & ſuſceptionem Euchariſtiæ.

14 Quia verò plures in ea ſunt opinione, ut putent, per Bullam Cœnæ non fuiſſe revocatam Epiſcopis facultatem abſolvendi ab hæreſi occulta eis à Concilio Tridentino conceſſam; dubitari poteſt, quid in hac opinione, quam plures probabilem cenſent, agere debeat hæreticus occultus, qui abſolutionem ab Epiſcopo poteſt obtinere. Proponunt hoc dubium Navarrus *in manual. c. 27. n. 239.* Diana *tractat. 8. de hæreſ. reſol. 21.* Sanctius *in ſelect. diſp. 32. n. 11.* & reſpondent, teneri tunc hæreticum occultum priùs per Confeſſarium petere facultatem ab Epiſcopo, ut poſſit abſolvi ab hæreſi occulta: quòd ſi Epiſcopus nolit licentiam concedere, poteſt Confeſſarius ſcribere Romam pro N. N. ad ſupremum Pœnitentiarium; & interim dum expectatur facultas, tenetur hæreticus occultus ſe gerere, ut occultum excommunicatum.

15 Quòd ſi timeatur infamia, vel ſcandalum, tunc ſi hæreticus occultus eſt ſacerdos, poteſt elicere actum contritionis; & ſi non exiſtimat ſe contritionem perfectam habere, debet confiteri, ut à confeſſario ex doctrina probabili, quam docet Reginaldus in *praxi tom. 1. lib. 8. c. 7. n. 87.* abſolvatur à peccatis, & poſtea ad vitandum ſcandalum poteſt celebrare; & ſi eſt laicus, Euchariſtiam ſumere. An verò qui laborans impedimento perpetuo, & non poteſt Papam adire, poſſit abſolvi ab hæreſi occulta etiam extra articulum mortis. Plures negant, inter quos Sanchez *in ſumma. lib. 2. c. 13. n. 37.* Suarez *diſp. 21. ſect. 4. n. 26.* idque ob delicti ſingularem gravitatem, ob quam cenſeri debet magis rigoroſa reſervatio.

16 Verùm contraria ſententia, quam defendunt plures cum Caſtro Palao *tom. 1. tractat. 4. diſp. 4. punct. 3. §. 5. n. 5. & ſequent.* videtur probabilis, quia facultas abſolvendi ab hæreſi occulta conceditur ob neceſſitatem pœnitentis, quæ eò eſt major, quò gravius eſt delictum, magíſque periculum cavendum, ne quis ſub tanto malo decedat: unde gravitas delicti non debet obſtare, ſed potiùs juvare, ut hæreticus occultus poſſit abſolvi ad præcavendum periculum. Tum quia nemo in periculo mortis conſtitutus, tenetur mittere procuratorem, aut litteras pro obtinenda facultate abſolutionis, neque enim tenetur medium adhibere, quo ſe exponat periculo manifeſtandi alijs ſuum delictum: & conſtitutus in perpetuo impedimento ſe tali periculo exponeret, ſi teneretur Romam mittere, quia poſſent litteræ amitti, vel ab alijs aperiri. Sub articulo autem mortis comprehendi etiam quodlibet aliud impedimentum perpetuum ægritudinis, paupertatis, ſervitutis docent communiter, aſſerentes, Confeſſarium poſſe abſolvere pœnitentem dictis impedimentis detentum, perinde ac conſtitutum in mortis articulo. Tum quia quoties non poteſt quis per ſemet ipſum ſuperiorem adire, tametſi poſſit illum vocare, cenſetur conſtitutus in articulo neceſſitatis, & colligitur *ex c. quamvis de ſent. excommun.* ubi ad obtinendam abſolutionem ſolùm requiritur, ut quolibet canonico impedimento retrahatur, quo minus poſſit Pontificem adire, ut docent Valentia *tom. 4. diſp. 7. quæſtinno. 4. c. 10. punct. 2.* Corduba *in ſum. q. 18. p. 2.* Sanchez *lib. 2. ſumm. c. 13. n. 14.* ubi citat plures alios docentes, cenſeri legitimè impeditum eum, qui perſonaliter ſuperiorem non poteſt adire, tametſi alium ut Procuratorem mittere poſſet: & Sanchez notat, jus non obligare pœnitentem, ut ſe per tertiam perſonam præſentet, ſed per ſe ipſum, quando poteſt.

Tum quia in hac materia onus adeundi ſuperiorem pro abſolutione, non eſt onus Confeſſarij, ſed gravamen pœnitentis injunctum in pœnam ſui delicti: unde quando non poteſt hic adire ſuperiorem, nec eum accerſere, cenſetur verè impeditus, & carere copiâ ſuperioris. Quòd verò laborans perpetuo impedimento adeundi ſuperiorem pro abſolutione æquivaleat mortis articulo, ex eo etiam evinci poteſt; quia impeditus eſt moraliter certus, ſe non poſſe ante mortem abſolvi à ſuperiore; proinde præſumitur ad eam jam redactus neceſſitatem, ut ab alio poſſit abſolvi, & non à ſuperiore, quem per ſe ipſum adire non poteſt: & per alios, vel per ſcriptutam non videtur teneri, quia exponeret ſe periculo detegendi peccatum, ſi litteræ amitterentur, vel ab alio aperirentur, vel poſtquam in manus ſuperioris venerunt, ab aliquo alio legantur. Cùm igitur omnis reſervatio ſit in ædificationem, non in deſtructionem, non cenſendus eſt ſuperior voluiſſe reſervare pro caſu etiam perpetui impedimenti; quia tunc non prodeſt, nec eſt in ædificationem, quòd laborans perpetuo impedimento maneat toto vitæ tempore non abſolutus à peccato, nec à cenſura; unde reſervatio tunc obeſſet potiùs, quàm prodeſſet: & hac ratione perpetuum impedimentum reputari ſolet pro mortis articulo in ordine ad obtinendam abſolutionem ab hæreſi occulta, eique annexâ cenſurâ. 17

18 In mortis autem articulo poteſt quilibet confeſſarius abſolvere hæreticum, quia tunc ceſſat omnis reſervatio caſuum, & cenſurarum, proinde poteſt etiam ſimplex ſacerdos præſente Confeſſario approbato abſolvere, ut etiam confeſſarius approbatus præſente alio ſuperiore, cui caſus illi, & cenſuræ reſervantur, vel per privilegium permittuntur abſolvere moribundum ab omnibus caſibus, & cenſuris, proinde etiam ab hæreſi, ut docet Barboſa *de poteſtat. Epiſc. p. 2. allegat. 25. n. 51.* Sanchez in *ſumma. tom. 1. lib. 1. c. 13.* An verò Confeſſarius virtute Jubilæi poſſit abſolvere ab hæreſi occulta. Plures reſpondent, Confeſſarium electum virtute Jubilæi, in quo conceditur facultas abſolvendi ab omnibus caſibus etiam in Bulla Cœnæ, poſſe abſolvere pœnitentem ab hæreſi occulta, & id fuiſſe declaratum in ſacra Pœnitentiaria Romana anno 1607. teſtatur Filiucius *tom. 1. tractat. 8. c. 10. n. 165.* & hanc ſententiam à Patribus Societatis JESU ad praxin deduci teſtatur Zerola *tractat. 1. lib. 8. c. 5. ſect. 1. n. 53.* & Molfeſius *in ſumma tom. 1. tractat. 7. c. 21. n. 62.* Diana *tractat. 8. de hæreſ. reſol. 29.* Alfonſus de Leone *tractat. de Jubil. p. 2. n. 43.* eidem adhærent.

19 Ratio eſt, quia ut notat Lorca *in 2. 2. q. 11. art. 4. diſp. 45.* ex quo Pontificibus conſtitit, hanc controverſiam acriter agitari inter Doctores, ut eam ſedarent, expreſsè aliquando exceperunt crimen hæreſis, ex quo infert, quòd ſi generaliter in aliquo Jubilæo dent poteſtatem abſolvendi nulla facta exceptione hæreſis occultæ, videntur planè ex induſtria eam abſtuliſſe, ac voluiſſe indiſcriminatim, ut Confeſſarij poſſent ab illa abſolvere. Tum quia id videtur expedire ad finem recipiendi indulgentias. Nihilominus contraria ſententia eſt probabilior, eíq; adhærendum, & illam docent Suarez *tractat. de fide. diſp. 21. ſect. 4. n. 21.* Sylvius *in 2. 2. q. 11. art. 3.* & alii aſſerentes ita habere ſtylum Curiæ Romanæ, & ita fuiſſe declaratum à Gregorio XIII. & quamvis ſtylus Curiæ varius eſſe dicatur pro varietate Pontificum; nihilominus quoad præſentem materiam vix recenſetur variatus.

20 An verò ſi in Jubilæo concedatur facultas abſolvendi à caſibus contentis in Bulla Cœnæ excepta hæreſi generatim ſumpta abſque alio addito, poſſit Confeſſarius abſolvere hæreticum occultum; Plures affirmant, præſertim Mazuchellus *tractat. de caſ. reſer. diſp. 1. q. 4. diffic. 6. n. 13.* & nititur. Primò quia odia reſtringenda ſunt, & quia exceptio in Bulla Jubilæi eſt odioſa, ideo ſi reſtringi poteſt, erit reſtringenda: atqui poteſt hæreſis dupliciter intelligi, nimirum ut ſit hæreſis publica, & occulta; & ſi exceptio intelligatur de ſola hæreſi publica, non verò de occulta ſalvatur reſtrictio ſervanda in odioſis, proinde tunc debet reſervatio intelligi, quòd Confeſſarios virtute Jubilæi non poſſit abſolvere ab hæreſi publica; non verò quòd non poſſit abſolvere ab occulta.

21 Secundò, hujusmodi reſtrictio videtur neceſſaria ad finem lucrandi pleniſſimam indulgentiam à ſummo Pontifice omnibus Chriſti fidelibus conceſſam, alioquin plures deſtituerentur neceſſaria facultate ad ſe diſponendum pro ejus receptione, quapropter intentio Papæ videtur tunc eſſe, ut per per illam exceptionem tantùm excludatur hæreſis notoria, non verò occulta.

Tertiò quia ſi tali pacto intelligatur prædicta exceptio, aliquid operatur ultra illam, & excludit omnes hæreticos notorios, & publicos; non verò occultos non declaratos, nec denuntiatos. Tum quia eſt ſententia probabilis apud plures; quòd Epiſcopi ex decreto Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. c. 6.* poſſint abſolvere ab hæreſi occulta, adeò ut hæc facultas non ſit ipſis derogata per Bullam Cœnæ: ergo quando in Jubilæo conceditur facultas abſolvendi ab omnibus caſibus Papæ reſervatis, & etiam contentis in Bulla Cœnæ excepta hæreſi, exceptio intelligenda eſt de hæreſi notoria, & publica, non verò de occulta, à qua poſſunt Epiſcopi abſolvere, quia non videtur eſſe intentio Pontificis concedentis Jubilæum univerſaliſſimum velle excludere crimen, quod ipſis locorum Ordinarijs in jure permittitur, præſertim cum illa generali facultate abſolvendi à reſervatis Papæ, etiam à caſibus Bullæ, ut docent Boſſius *tract. de Jubil. ſect. 1. caſ. 9.* & alij. 22

Verùm licèt hæc opinio plurimum probabilitatis videatur præſeferre: non tamen putârim eſſe eidem adhærendum, eò quia adverſetur ſtylo, & praxi Romanæ Curiæ non admittentis abſolutionem ab hæreſi occulta, etiam quando hæc non excipitur, & conceduntur in Jubilæis caſus Bullæ Cœnæ. Cæterum an Epiſcopi poſſint abſolvere ab hæreſi occulta controvertitur, & probabilior, ac tutior opinio eſt, quòd per Bullam cœnæ Domini, ſit talis facultas illis conceſſa per Concilium Tridentinum, ſublata; & Romanus Pontifex ſolet Epiſcopis petentibus concedere ſpeciatim, ut poſſint abſolvere à quovis delicto, etiam reſervato in Bulla Cœnæ, dummodo ſit occultum. Cæterum hæreſis occulta non eſt purè talis, adeò ut hæreticus purè mentalis non incurrat hanc excommunicationem: ſed eſt hæreſis verbo, vel ſigno, aut facto aliquo exteriori exteriùs manifeſtata, dicitur autem occulta, eò quia uni tantùm, vel alteri innoteſcat: immo aliqui volunt eſſe cenſendam occultam, quamvis etiam decem hominibus innoteſceret; ratio eſt, quia Eccleſia non punit niſi delicta, quæ cadunt ſub ſenſus; quia de merè interno non judicat. 23

Rurſus, ut notavimus ſuperiùs ad incurrendam excommunicationem in foro conſcientiæ, neceſſe eſt, ut hæreticus errorem habeat in intellectu cum pertinacia, & ejus incredulitas humano ſenſui ſubjiciatur: quia ſi aliquis ſolùm exteriùs fidem neget, non eſt cenſendus hæreticus in foro interiori; proinde qui tranſiret ad aliam ſectam, vel externum cultum Idolis exhiberet: qui Dæmonem verbo invocaret. 24

caret cultu, vel aliquo alio opere; qui caput aſini baptizaret: incantationes, & maleficia efficeret, vel ſimilia horrenda perpetraret; ſi errorem in intellectu non haberet; in foro conſcientiæ non eſſet hæreticus, ſed tantùm in foro exteriori poſſet puniri tanquam hæreticus, quia in hoc foro ex ſignis externis prudenter præſumitur internum peccatum hæreſis; ut docent Piaſecios in *prax. Epiſcop. p. 2. c. 4. art. 6. n. 3.* Duardus in *Bulla Cœnæ lib. 2. can. 1. q. 20.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. p. 2. allegat. 40. n. 5.* Hinc hæreticus abſolutus in foro conſcientiæ, aut pœnitentiali ab Epiſcopo, vel alio Confeſſario habente ad id ſpeciale privilegium, ſi poſtea accuſetur de hæreſi in foro exteriori, adhuc incurrit pœnas illius fori, quamvis pœnitentia publica in foro conſcientiæ fuerit eidem injuncta: quia utrumque judicium tendit ad diverſos fines: ſiquidem pœnitentia impoſita in foro interno tendit ad hoc, ut ſatisfiat Deo, & imponitur tanquam medicina propriæ ſalutis: ſecus pœna fori judicialis externi tendit ad vindictam publicam, ut ſatisfiat Reipublicæ, quam Reus pravo ſuo exemplo læſit.

25 An Regolares virtute ſuorum privilegiorum poſſint abſolvere ab hæreſi occulta in foro conſcientiæ. Affirmat Pirrhing hic *ſect. 2. §. 5. n. 43.* & ait Præpoſitum Generalem Societatis JESU per ſe, vel per alios quoſcunque poſſe abſolvere à caſibus hæreſis, alijsque contra fidem, & conſequentibus cenſuris, quibuscunque in foro conſcientiæ, & ait fuiſſe hanc facultatem conceſſam Societati in Brevi Julij III. anno 1552. die 22. Octobris in compendio privilegiorum Societatis *V absolutio* §. 3. & ait, hanc facultatem communicari Provincialibus cum poteſtate, ut re maturè conſiderata in caſibus particularibus, poſſint eam alijs communicare Noſter Peregrinus in *compendio noſtror. privileg. p. 2. tit. abſolutio quoad fratres.* §. 2. id etiam affirmat quoad ſubditos. Alij inter quos Pavinus *in theolog. moral. p. 1. tractat. 4. q. 32.* Suarez *tom. 4. tractat. 9. lib. 2. c. 20. n. 11.* aſſerunt, ſuperiores Regulares poſſe abſolvere ab hæreſi occulta; ſed Suarez procedit ex ſuppoſitione, quòd facultas Epiſcoporum abſolvendi ab hæreſi occulta non ſit revocata. Nititur hæc ſententia. Primò, quia Pius V. Privilegium conceſſit, cujus meminit Rodriquez *fol. 920. in ſuo Bullar.* in quo tribuitur Prioribus Dominicanis omnis facultas abſolvendi, & diſpenſandi, quam habent Epiſcopi vigore Concilij Tridentini *ſeſſ. 23. c. 6.* & quia Epiſcopi vigore hujus Concilij poſſunt abſolvere ab hæreſi occulta; hæc eadem facultas conceditur per Bullam Pij V. Prioribus Dominicanis, conſequenter per communicationem cæteris ſuperioribus Regularibus. Pius V. in ſua Bulla tantùm vult, ut Regulares in hac parte non habeant majorem jurisdictionem, quàm Epiſcopi, ſed tantùm ut non ſint deterioris conditionis, quapropter ut rectè notat Suarez *loc. cit.* ſi non obſtante Bulla cœnæ poſſunt Epiſcopi abſolvere ab hæreſi occulta, hoc, idem etiam præſtare poſſunt Prælati Regulares.

Nihilominus putârim, Regulares non poſſe abſolvere ſæculares ab hæreſi occulta, quia poſt privilegia conceſſa in favorem Regularium tria fuerunt decreta emanata à ſummis Pontificibus, quibus prohibetur Regularibus abſolvere à caſibus reſervatis. Primum decretum fuit Clementis VIII. editū die 9. Januarij 1601. cum ejusdem Pontificis moderatione facta die 26. Novemb. 1602. & fuit limitata ſupra dicta facultas, in ſex alijs caſibus (per ſolam tamen Italiam extra urbem niſi in articulo mortis.) Primus eſt violatio immunitatis eccleſiaſticę juxta conſtitutionem Gregorij XIV. cui initium eſt, *Cum aliàs nonnulli*. Secundò violatio clauſuræ Monialium ad malum finem. Tertiò delictum provocantium, & pugnantium in duello juxta decretum Concilij Tridentini, & conſtitutionem Gregorij XIII. cui initium eſt *ad tollendam*. Quartò injicientes violentas manus in clericos juxta *can. ſi quis ſuadente 17. q. 4.* Quintò ſimonia realis ſcienter contracta, & etiam confidentia beneficialis. Sextò in omnibus caſibus, quos Ordinarii locorum ſibi reſervârunt, & impoſterum reſervabunt. Secundum decretum editum fuit à Paulo V. die 7. Januarij 1617. quo confirmatur, & innovatur decretum ſupra dictum Clementis VIII. cum præfata moderatione non obſtantibus privilegijs. Tertium decretum fuit editum ab Urbano VIII. die 17. Novemb. 1628. quo prohibetur Regularibus facultas abſolvendi à caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ, & caſibus reſervatis Ordinarijs locorum; adeò ut nec intra, nec extra Italiam, nec virtute privilegiorum, aut confirmationum, quas hactenus obtinuerunt, vel obtenturi ſint impoſterum ampliùs poſſint ab illis abſolvere. 26

An ſaltem Prælati Regulares poſſint ſuos ſubditos Religioſos abſolvere ab hæreſi occulta plures affirmant, inter quos Bruvnius *p. 2. ſuæ theolog. moral. de cenſur. diſp. 3. tractat. 2. q. 26.* quia æquitati naturali alienum videtur, ut Regulares remedio ad ſalutem neceſſario careant: atqui eo carerent, ſi lapſi reſurgere, ligati ſolvi, excluſi per hæreſin ab eccleſia ad eam revocari, ac dimitti per ſuos ſuperiores non poſſent: ergo naturalis æquitas exigebat, ut ſuperiores Regulares ſuos poſſent ſubditos Religioſos ab occulta hæreſi abſolvere. Tum quia ſi Regulares ob hæreſin occultam adigerentur Romam, vel Epiſcopum loci adire, id nimis grave foret Religioni, nec benè conſultum eſſet ejus decori, & honori. Verùm adhuc videtur dicendum, Prælatos Regulares non poſſe ſuos ſubditos Religioſos abſolvere ab hæreſi occulta, quia id fuit declaratum à ſacra congregatione, ut notat Diana *tractat. 8. de hæreſ. reſol. 37. n. 6.* ubi etiam citat eandem declarationem, quam per extenſum operæ pretium duxi hic attexere. *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit, per confirmationes privilegiorum, quæ* 17

Regu-

Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis decretis ſublata, atque extincta, ſi qua habeant abſolvendi à caſibus Ordinario loci reſervatis. Quemadmodum neque indulta abſolvendi à caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſuevit, utpote ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquiſiviſſe, ex ſubſequentibus privilegiorum confirmationibus, ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & inſtituti etiam neceſſariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationum ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, poſſe quemquam abſolvere ab ejsdem caſibus in Bulla Cœnæ Domini, aut Ordinario loci reſervatis; Et, ſi ſecus egerint abſolutiones nullas, atque irritas fuiſſe, ac fore; ab alijs verò caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſi quam Regulares habeant à Sede Apoſtolica facultatem, illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe ijsdem Sacræ Congregationis decretis, hac de re editis juſſu S. Memoriæ Clementis VIII. quam ſacræ Congregationis ſententiam Sanctitas ſua ad ſe relatam approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet inviolabiliter obſervari Romæ 27. Novemb. 1628.

§. V.

De alijs pœnis contra hæreticos jure ſtatutis.

1 PRæter pœnam excommunicatioois, de qua in præcedentibus abundè dictum eſt, aliæ contra hæreticos jure ſtatuuntur pœnæ tum ſpirituales, tum temporales, quarum prima eſt irregularitas, quam incurrit hæreticus notorius, & publicus, & quamvis aliqui putent, hanc pœnam etiam extendi ad hæreticos occultos, nihilominus probabilior ſententia eſt, ob hæreſin occultam non incurri irregularitatem, quia hæc non contrahitur niſi in caſibus jure expreſſis, & nullus adduci poteſt textus in jure canonico, qui aſſerat hæreticum occultum incurrere irregularitatem, ſiquidem in *c. ad abolendam 9. h. t.* Lucius III. apertè loquitur de hæretico manifeſto, & quia hæc conſtitutio eſt odioſa, non eſt trahenda ad hæreticum occultum, quia odioſa reſtringi debent, non ampliari. Quamobrem probabilius eſt, hæreticum occultum non eſſe irregularem; proinde poſt abſolutionem à peccato hæreſis, poſſe in foro conſcientiæ promoveri ad Ordines ſacros, ut docet Layman *lib. 1. p. 5. c. 4. n. 2u.* Ratio etiam eſſe poteſt, quia irregularitas non incurritur propter hæreſin ſecundùm ſe præciſè; ſed ratione infamiæ, eidem annexæ ex vi juris: atqui infamia juris, immo & facti non habet locum in hæreſi occulta, proinde ob hæreſin occultam non incurritur irregularitas.

Quòd ſi hæreſis ſit omnino occulta, ſeu ſola mente concepta, ac contenta, tunc nulli eſt dubium, non incurri ob illam, irregularitatem, quia eccleſia non punit niſi delicta, quæ cadunt ſub ſenſus, adeò ut quæſtio ſit tantùm de hæreſi occulta, quæ in actum aliquem externum prodijt, non tamen eſt publicè nota, quamvis uni, vel alteri innoteſcat. In hac autem irregularitate, quæ contrahitur per hæreſin publicam, nemo poteſt diſpenſare niſi ſolus ſummus Pontifex; adeò ut ſi lapſus in hæreſin ſit clericus poſt pœnitentiam, & abjuratam hæreſin ſolùm ex Pontificis diſpenſatione poſſit ad ſuperiores Ordines promoveri, vel ad omnes, ſi ſit laicus. Ut autem clericus, ſi lapſus fuerat in hæreſin, poſſit miniſtrare in ſuſceptis ante Ordinibus, poteſt Epiſcopus diſpenſare, quia in jure permittitur, ut ex diſpenſatione hæreticus converſus miniſtret in ordinibus, ad quos ante hæreſin promotus fuerat, quapropter hæc diſpenſatio non eſt reſervata Papæ, ſed conceſſa Epiſcopis. 2

3 Excipitur tamen ipſe Epiſcopus lapſus in in hæreſin, & ſacerdos hæreticus in ordine ad celebrandam miſſam; quia cum iſtis ſolus Papa diſpenſat. In Germania tamen conſuetudo viget, quâ Epiſcopi ex hæreſi converſos ad fidem catholicam abſolvant, ac promoveant ad ordines validè, & licitè, quia hujusmodi converſi in foro civili, non excluduntur à publicis dignitatibus, & officijs, ut notat Layman *lib. 1. p. 5. c. 4. in fin.* unde etiam ab Epiſcopis cum hisce converſis ſolet diſpenſari, virtute privilegij conceſſi diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, ijs exceptis, quæ contrahuntur ex voluntario homicido, mutilatione, bigamia, & defectu natalium.

4 Secunda pœna, quam incurrunt hæretici notorij, eſt ſpiritualis privatio dignitatum eccleſiaſticarum, officiorum, beneficiorum, & inhabilitas ad illa, deſumitur *ex c. ad abolendam 9. h. t.* & ex *c. quicunque 2. h. t. in 6. c. ut commiſſi 12. eod. tit. in 6.* Verùm hanc privationem non incurrunt hæretici ipſo jure, ſed per ſententiam inflictivam hujus privationis; adeò ut ante ſententiam judicis poſſit hæreticus beneficia ſua commutare, & ijsdem renuntiare. Rurſus durante hæreſi inhabiles ſunt ad acquirenda beneficia, & officia publica ad cenſuras excommunicationis, & irregularitatis, quas contrahunt, ut habetur *in c. quicunque 2. h. t.* ubi Alexander IV. ſtatuit, ut hæretici, receptores, defenſores, & fautores eorundem, & ipſorum filij usque ad ſecundam generationem non poſſint admitti ad aliquod beneficium eccleſiaſticum, vel officium publicum, quod ſi ſecus fiat, factum ſit irritum, & inane. Rurſus eccleſiaſticus, qui ad preces hæretici alicujus eſt adeptus aliquod beneficium eccleſiaſticum, privatur acquiſito, & ſi illud ſcienter recipit, ſit inhabilis ad alia, vel ſimilia beneficia.

5 Hinc collatio beneficij facta hæretico eſt ipſo jure nulla, & is tenetur fructus inde perceptos

ceptos reſtituere ante omnem judicis ſententiam, eò quia injuſtè, & ſine titulo eos perceperit, ut notat Garcia *p. 1, de benefic. c. 10. n. 8.* Non tamen Epiſcopus, vel ſacerdos, ſi fiat hæreticus privatur poteſtate Ordinis, quia hæc nomine Chriſti exercetur, & ex inſtitutione ipſius vim ſuam habet, & effectum producit; eſt enim hujuſmodi poteſtas annexa charactéri ſpirituali, qui cùm ſit indelebilis, ſequitur, quòd poteſtas Ordinis non poſſit deperdi. Quamobrem ſi ſacerdos ritè ordinatus, poſtea fiat hæreticus, validè conſecrat in miſſa, & baptizat, quia hæc fiunt nomine, & authoritate ipſius Chriſti. Epiſcopi itidem, ſi fiant hæretici, validè confirmant, & conferunt Ordines, & ſi reſipiſcant redeuntes ab hæreſi ad fidem catholicam iterum non ordinantur *cap. convenientibus 4. cauſ. 1. q. 1.* ut etiam ordinati ab Epiſcopis hæreticis ſervata forma, & ritu Ortodoxæ eccleſiæ iterum non ordinantur *c. ordinationes 5. cauſ. 9. q. 1.* Sin verò ordinati fuerint non ſervatâ formâ eccleſiæ, tunc iterum ordinantur *c. Daibertum 24. junctâ Gloſſa V. reiterari cauſa 1. q. 7.*

6 Quòd ſi dicas, canones aſſerere, hæreticos non habere poteſtatem ordinandi, nec ſacrificium offerendi? Reſpondetur, canones illos intelligi, quòd hæretici non licitè exerceant poteſtatem ordinandi, nec ſacrificium offerendi, eò quia extra Eccleſiam catholicam ſacrificium non offeratur fructuosè; non verò quòd validè non utantur tali poteſtate. Quamobrem hæretici dicuntur non habere talem poteſtatem quoad uſum debitum, ac jure permiſſum; non verò, quòd illam non habeant habitu. Cæterum ſi ſacerdos factus hæreticus conſecrat, verè, & validè conſecrat ex inſtitutione Chriſti, qui dedit omnibus Presbyteris poteſtatem hanc conſecrandi, conficiendi, & offerendi corpus Domini pro omnibus vivis, & defunctis: unde Eccleſia hanc poteſtatem ſacerdoti in hæreſin lapſo non abrogat, & deſumitur ex *c. Romanus c. ſi qui c. ſi rever. de conſecr. diſt. 4.*

7 Quòd ſi dicas, ſacerdotem nomine Eccleſiæ offerre ſacrificium, & hæreticos eſſe extra eccleſiam, proinde Eccleſiam per ipſos non offerre ſacrificium, & preces. Reſpondetur cum D. Thoma *3. p. q. 82. art. 7. ad 3.* ſacerdotem in miſſa, dum orat, loqui quidem nomine Eccleſiæ: ſed cùm conſecrat, loqui nomine Chriſti, cujus vicem gerit per poteſtatem Ordinis. Hinc docet D. Thomas, quòd ſi ſacerdos per hæreſin ab unitate eccleſiæ præciſus miſſam celebret, quia poteſtatem Ordinis non amittit per hæreſin, conſecrat verum corpus, & ſanguinem Chriſti, verùm quia eſt ab unitate Eccleſiæ ſejunctus, ejus preces efficaciam non habent.

8 Hinc ſacerdotes non ſolùm nomine Eccleſiæ offerre dicuntur, ſed etiam Chriſti nomine, inſtitutione, & auctoritate; & hac ratione ſacerdotes, quamvis hæretici verè offerunt, dummodo utantur integrâ formâ Chriſti, & eccleſiæ. Unde illi textus in jure canonico, in quibus dicitur, quòd Eccleſia ſacrificia, & ſacerdotia hæreticorum reprobat, ut in *c. non oportet* ex Concilio Laodiceno *1. q. 1.* ubi dicitur, *Non oportet hæreticorum benedictiones accipere, quia jam magis ſunt maledictiones, quam benedictiones*, intelligendi ſunt, ut docet D. Thomas *loc. cit.* quatenus extra eccleſiam non rectè ſacrificium offertur, eò quia non offeratur fructuosè, adeò ut ſit quidem verum ſacrificium veritate ſacramenti, non ita veritate fructûs: Quinimò licèt probabile ſit, hæreticos non incurrere hanc privationem dignitatum eccleſiaſticarum, officiorum, & beneficiorum, niſi poſt ſententiam judicis: communior tamen, & verior ſententia aſſerit, eo ipſo jure privari à die commiſſi criminis omnibus beneficijs eccleſiaſticis obtentis ante hæreſin, & fieri etiam inhabiles ad alia obtinenda, idque deducitur *ex c. ad abolendam 9. h. t.* ubi Lucius III. ait: quod omni officio, & beneficio eccleſiaſtico ſit ſpoliatus.

Quòd ſi dicas *in c. ut commiſſi 12. h. t. in 6.* Bonifacium VIII. aſſerere, quòd privandi, vel privati denuntiandi ſint ſcilicet hæretici. Reſpondetur, particulam *vel* ibi non ſumi disjunctivè, ſed expoſitivè, ſeu declarativè, adeò ut *privandi* idem ſit, ac *privati*. Cæterum lapſus in hæreſin non tenetur beneficia dimittere, ſicut nec bona temporalia ante judicis declaratoriam ſententiam. Huc enim pertinet regula illa generalis juris, quòd in omni caſu, in quo pœna ipſo jure incurritur, requiratur ſententia declaratoria delicti, & poſt hanc, non ſolùm privatur beneficio; ſed etiam omnibus fructibus perceptis à die lapſus in hæreſin. Diffamati, & ſolùm de hæreſi ſuſpecti non privantur ipſo jure beneficijs obtentis, ſed tantùm poſt probatum crimen, & latam ſententiam, ut notat Farinacius *q. 189. n. 86. de hæreſ.* Quinimò ſi lapſus in hæreſin ſpontè ad unitatem fidei catholicæ convertatur, antequam ſit de hæreſi convictus, tunc ex diſpenſatione Papæ reſtituitur ſuo beneficio, ut notat Farinacius *tract. de hæreſ. q. 189. n. 82.* Rurſus hæc pœna non incurritur à laicis, qui adepti ſunt dignitates, aut officia ſæcularia: quia textus tantùm loquitur de eccleſiaſticis; & pœnæ non ampliantur, ſed reſtringuntur ad ſolos caſus expreſſos. 9

Tertia pœna eſt infamia, ut ſatis colligitur *ex c. 17. cauſ. 6. q. 1.* ubi Stephanus Pontifex omnis generis infames recenſet, & primo loco: *qui Chriſtianæ legis normam abjiciunt*, unde hæretici ante omnem ſententiam judicis ſunt ipſo jure infames, ut deſumitur ex *c. excommunicamus 13. h. t.* ubi Fautores hæreticorum ab Alexandro IV. anathemate feriuntur, & addit Pontifex, quòd ſi quis eorum ſatisfacere contempſerit intra annum, ex tunc ipſo jure factus ſit infamis: unde à fortiori ipſi etiam hæretici; ſi eorum hæreſis ſit publica, & notoria, infamiam juris incurrunt, & deſumitur etiam ex *c. ſtatutum 15. h. t. in 6.* ut etiam ex *authent. Gazaros C. h. t.* ubi omnes hæretici utriuſque ſexûs perpetuâ infamiâ notantur. 10

Jovat tamen obſervare, hanc infamiam juris non contrahi niſi poſt ſententiam judicis declaratoriam criminis; adeò ut dicatur infamia juris in hoc ſenſu, quatenus ſtatim, ac per judicis ſententism declaratur quis lapſus in hæreſin, eo ipſo ſit infamis à jure; adeò ut non ſit neceſsè, ut judex eum condemnet, ut infamem, quia infamia non infligitur à judice, ſed à jore. Sin verò hæreſis notoria fuerit, & publica, tunc hæreticus contrahit infamiam non juris, ſed facti. Rurſus eo ipſo, quòd hæretici ſunt infames, excluduntur ab omnibus honoribus, & dignitatibus, nec poſſunt agere in judicio, nec fungi officio Advocati, Notarij, vel Judicis, ut habetur *in c. audentes §. nullus C. h. t.*

11 Qoarta pœna eſt privatio eccleſiaſticæ ſepulturæ, ut habetur *in c. ſicut ait 8. h. t.* & deſumitur ex Concilio Lateranenſi, ubi ſtatuitur, ut hæretici, & eorum Faotores quique eos tenent in domo, vel in terra ſua, vel fovent, vel præſumunt negotiationem exercere cum illis, ſint excommunicati, & ſi in tali peccato decedant, non ſepeliantur in loco ſacro, nec fiat pro eis oblatio non obſtante quocunque indulto: quia cùm non comunicemus cum vivis hæreticis, ita neque cum ijsdem mortuis debemus communicare *c. ſacris 12. de ſepulturis.* Id tamen procedit, dummodo hæretici fuerint notoriè tales, adeò ut eorum hæreſis fuerit publica, & in tali hæreſi deceſſerint. Hinc Alexander IV. *in c. quicunque* 2. *h. t. in 6.* etiam ſtatuit, quòd qui ſcienter præſumpſerit dare ſepulturæ eccleſiaſticæ hæreticos, & eorum receptores, defendentes, vel fautores ſit excommunicatus, donec idoneè ſatisfecerit, nec mereatur abſolutionem, niſi proprijs manibus publicè cadavera extumulet, & projiciat hujusmodi corpora damnatorum, & locus ille careat perpetuâ ſepulturâ.

12 Verùm, ut incurratur hæc pœna, requiritur, ut ſepeliens hæreticum ſciat certò, eum eſſe hæreticum, quia ignorantia etiam probabilis illum excuſat, ut notat Navarrus *lib. 5. conſil. 11. n. 1. h. t.* imò requiritur etiam, ut talis ſit nominatim etiam denuntiatus, ut hæreticus; unde, qui ſepelit ſuſpectum tantùm de hæreſi per ſamam, non incurrit hanc pœnam privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ; neque excommunicationem: quia is propriè non dicitur ſcire, qui tantùm per ſamam ſolùm intelligit aliquid: ratio eſt, quia ſciens debet poſſe probare id, quod dicitur ſcire, & qui tantùm novit per ſamam, non habet, unde poſſit illud probare: qua ratione propriè non dicitur ſcire. Imò ut incurratur hæc pœna, requiritur etiam, ut ex malitia id fiat. Et pœna hæc excommunicationis, quæ incurritur ab eo, qui per dolum hæreticum notorium ſcienter ſepelit, non ſolùm contrahitur à clericis, ſed etiam à laicis, ut deſumitur ex *c. quicunque 2. h. t.* quia quoties conſtitutio canonica univerſaliter diſponit in materia pertinente ad forum eccleſiaſticum, includit etiam laicos. Immo excommunicatio videtur etiam reſervata Papæ ex *c. excommunicamus 13. h. t.* ubi Innocentius III. prohibet adminiſtrare hæreticis ſacramenta Eccleſiæ, ut etiam eus tradere Chriſtianæ ſepulturæ, & ſecus facientes privantur ſuo officio, in quo non reſtituuntur ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ. Unde Pontifex reſervat ſibi abſolutionem à pœna, quæ incurritur ab eo, qui audet hæretico eccleſiaſticam ſepulturam dare. Imò ſepelientes in loco ſacro hæreticos non ſolùm anathemate percutiuntur; ſed etiam ſoſpecti ſunt de hæreſi; adeò ut contra ipſos procedi poſſit tanquam ſuſpectos de hæreſi, ut notat Farinacius *tract. de hæreſ. q. 192. n. 49.*

Pœnis ſpiritualibus, de quibus hactenus diximus, ſuccedunt temporales, quæ concernunt, vel bona, & jura hæreticorum, vel corpus eorum. Inter pœnas prioris generis prima eſt publicatio bonorom, ſeu pœna confiſcationis bonorum, adeò ut quinta pœna, quæ hæreticis infligitur, ſit honorum temporalium confiſcatio, circa quam ſeparatur jus civile, à canonico; ſiquidem jure civili non omnia hæreticorum bona confiſcantur, ſed tantùm improbiorũ, qnales ſunt Manichæi, & Donatiſtæ, horũ bonorũ bona fiſco deferuntur *l. 4. princ. & §. 1. l. 19. C. h. t.* ſiqnidem Fridericus *in authent. Gazaros eod. tit.* bona quorumlibet hæreticorum fiſco attribuit. Verùm quia hæc conſtitutio vagatur extra libros juris civilis, ideo ſine authoritate juris ſunt, qui illam dedignantur. Jure autem canonico, bona quorumlibet hæreticorum publicantur, ut expreſsè habetur *in c. urgentis 10. h. t.* ubi Innocentius III. ſtatuit, ut bona hæreticorum publicentur, & confiſcentur, & in terris eccleſiæ applicentur fiſco Eccleſiaſtico; & in terris ſæcularibus fiſco judicum ſæcularium, ad quod ſi ſint negligentes, poſſunt compelli judices cenſuris eccleſiaſticis: nec talia bona ampliùs revertuntur ad prædictos hæreticos. Hinc eccleſia poteſt propter delictum eccleſiaſticum pœnam infligere confiſcationis bonorum, tametſi bona publicata deferantur ad fiſcum ſæcularem, ſi lapſus in hæreſim ſit ſæcularis; alioquin ſi ſit clericus, ejus bona applicantur fiſco Eccleſiæ, ut notat Fagnanus *in d. c. urgentis 10. n. 4. h. t.* immo etiam judices, & Principes ſæculares poſſunt ab Eccleſia compelli à juſtitia adminiſtranda *c. Adminiſtratores 26. c. 23. q. 5.* Quòd ſi hæretici ſpontè reſipiſcant, antequam hæreſeos convincantur, non amittunt bona temporalia; benè tamen, ſi poſtquam fuerint convicti, ijsdem privantur; ſed ex miſericordia ijsdem reſtituuntur, ut notat Gloſſa *in d. c. urgentes V. miſereri.* 13

Cæterum bona hæreticorum confiſcantur, 14
ſive liberos habeant, ſive non; adeò ut nec Catholicis hæreticorum filijs aliquid ſit relinquendum; ut enim habetur *in d. c. vergentes 10. h. t.* ſicut in crimine læſæ majeſtatis filij delinquentium amittunt hæreditatem; multò magis filij hæreticorum, qui delinquunt in crimine læſi DEI. Tum quia in pleriſque caſibus filij pro parentibus temporaliter puniuntur ſecundùm jus canonicum. Quinimò hæc

bo-

bona hæreticorum non ſolùm confiſcanda ſunt per ſententiam, ſed ipſo jure ſunt confiſcata ex die admiſſi criminis; adeò ut ſententia declaratoria criminis retrotrahatur ad diem lapſus in hæreſin, & licitum ſit fiſco retractare alienationes interim factas, & deſumitur *ex c. cum ſecundùm 19. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII ſtatuit, ut bona hæreticorum ſint ipſo jure conſiſcata; ſed executio conſiſcationis, vel occupatio bonorum non debet fieri ante ſententiam promulgatam ab Epiſcopo, vel à perſona eccleſiaſtica habente poteſtatem: quia ſi contrahens inceſtuoſas nuptias; vel Raptores contradicentibus parentibus; vel qui prohibita transferunt, privantur ipſo jure; multò magis qui ſiunt hæretici.

15 Quamobrem ex hoc textu liquet, bona hæreticorum ipſo jure à die commiſſi criminis confiſcari, & eſſe confiſcata, ſicut ſtatuitur in crimine læſæ Majeſtatis humanæ, ob quod bona publicantur à die cammiſſi criminis: unde ſententia judicis tantùm requiritur, non ut bona confiſcentur; ſed ut Reus declaretur in hæreſin lapſus, & ante hanc declarationem non poteſt hæreticus privari poſſeſſione ſuorum bonorum; quia tametſi ob aliquod delictum imponatur pœna ipſo jure incurrenda ante judicis condemnationem; nihilominus executio pœnæ non debet fieri, niſi poſt ſententiam declaratoriam, quâ judex declaret, Reum commiſiſſe tale crimen; niſi fortaſſis hæreſis ita eſſet publica, & nòtoria, ut nulla tergiverſatione celari poſſet, quia tunc ſufficeret, ſi judex aſſignaret terminum ad excuſandum factum, quo elapſo fieri poſſet executio ſine alia declaratione, ut notat Farinacius *tractat. de hæreſ. q.* 190. §. 1. *n. 5.*

16 Verùm communior ſententia eſt, ut etiam in notorijs requiratur ſententia judicis, poſt quam poteſt ſtatim fieri executio per judices ſæculares; qui poſſunt bona occupare hæreticorum ſine alio proceſſu, & mandato judicis eccleſiaſtici; quia ex hac ſententia declaratoria eſt ijsdem acquiſitum jus omnia eorum bona occupandi. Immo confiſcantur bona hæreticorum, quamvis tantùm poſt mortem convicti fuerint, & condemnati de hæreſi, ut ſi accuſatus de hæreſi pendente accuſatione decedat; non tamen eſt extinctum crimen, ſed judex contra hæredes cauſam proſequitur ad eum finem, ut bona defuncti fiſco applicentur, ut deſumitur *ex c. accuſatus 8. h. t.* Excipiuntur tamen poſſeſſores bonorum, quæ fiſco ſunt addicta, ſi illi legitimè contra fiſcum præſcripſerint, ad quam tamen præſcriptionem requiruntur 40. anni, ut poſſeſſor præſcribat bona defuncti contra fiſcum, ut habetur *in c. 2. de præſcript. in 6.* Rurſus excipiuntur alienationes neceſſariæ, quia hæ poſſunt ab hæreticis fieri, quorum bona ſunt confiſcata ipſo jure; & quorum interdicta eſt adminiſtratio bonorum; adeò ut per fiſcum non poſſint revocari hujusmodi alienationes, donec ſententia declaratoria criminis ſecuta fuerit, eò quia hæ alienationes fiunt ad ſe, & propriam familiam alendam.

17 Cæterum ſub abſoluta bonorum confiſcatione ob hæreſin, vel aliud crimen ipſo jure facta, comprehenduntur bona omnia, tam mobilia, quàm immobilia, propria ipſius hæretici, immo etiam jura, & actiones, quæ ſub bonorum appellatione veniunt, & deſumitur *ex c. cum ſecundùm 19. h. t. in 6.* ubi abſolutè bona hæreticorum ſunt ipſo jure confiſcata. Non tamen dos uxoris comprehenditur, ut habetur *in c. decrevit 14.* ubi Bonifacius VIII. ſtatuit, ut Catholicarum uxorum dotes non confiſcentur ob hæreſin maritorum; ſi quando contraxerunt matrimonium, neſciebant illos hæreticos eſſe, quia generatim ob maritorum crimen leges prohibent uxores moleſtijs affici *l. 2. C. ne uxor pro marito*, non enim æquum eſſe videtur, ut innocens ob crimen alterius puniatur, niſi id ſit in jure expreſſum, ſicut in jure exprimitur, puniri filios ob crimen læſæ Majeſtatis divinæ, vel humanæ. Imò non ſolùm dotes uxorum, ſed nec bona paraphernalia earundem confiſcantur, ut nec etiam donationes propter nuptias, quas faciunt ſponſi ſponſis: nec etiam bona, quæ dantur in prœmium receptæ dotis, vel alterius tituli. Imò excipitur etiam uſusfructus dotis, qui percipitur ex alijs bonis uxoris, publicatis enim bonis mariti, non confiſcatur.

18 Sexta pœna eſt inteſtabilitas, circa quam jus civile etiam ſecernitur à canonico: quia jure civili non omnes hæretici ſunt inteſtabiles, ſed tantùm ſceleratiores, ut deſumitur ex *l. 4. § 5. C. h. t.* ubi in ſpecie de Manichæis, & Donatiſtis traditur, quòd ſint inteſtabiles; proinde non obſcurè indicatur in reliquis diverſum procedere. Jure canonico tamen hæretici omnes ſunt inteſtabiles, ut deſumitur ex *c. excommunicamus 13. h. t.* ubi Innocentius III. ait, ut ſint etiam inteſtabiles, & teſtandi liberam facultatem non habent, & quamvis in textu ſermo ſit de Fautoribus hæreticorum ad ipſos tamen hæreticos id pertinere à fortiori colligitur. Si tamen ante ſententiam declaratoriam criminis hæreticus teſtamentum confecit, plures cenſent probabile, non eſſe ipſo jure irritum, ſed tantùm eſſe infirmandum per ſententiam judicis, quia *in d. c. excommunicamus 13. h. t.* non abſolutè dicitur, quòd teſtandi facultatem hæreticus non habeat; ſed quòd facultatem liberam non habeat, proinde ſaltem indicatur, quòd ſecuta ſententia, & publicatione bonorum, teſtamentum factum ab hæretico ante ſententiam declaratoriam criminis infirmetur per ſententiam judicis. Imò hæc pœna extenditur etiam ut hæretici, non poſſint teſtari ad cauſas pias, ut notat Farinacius *tractat. de hæreſ. q. 190. n. 92.* ubi *num. 93.* addit, teſtamentum factum ab hæreticis, nec reconvaleſcere poſt ſubſecutam pœnitentiam.

19 Septima eſt incapacitas ſuccedendi ex teſtamento, vel ab inteſtatu *l. 4. §. 2. l. ult. C. h. t.* in

in jure civili, & in jure canonico deſumitur *ex d. c. excommunicamus 13. h. t.* ubi non ſolùm hæreticus privatur hæreditate eidem ex teſtamento, vel ab inteſtato delata; ſed etiam legato ipſi relicto ex teſtamento militis *l. fin. C. de hæret.* immo etiam per donationem inter vivos, ut notat Farinacius *tractat. de hæreſ. q. 190. §. 7. n. 93.* immo ita hæreticus privatur hæreditate ſibi delata, ut ſtatim poſt lapſum in hæreſin ſit omnino incapax ad ſuccedendum durante hæreſi; adeò ut in foro conſcientiæ ante ſententiam judicis declaratoriam teneatur reſtituere non fiſco, ſed hæredibus ab inteſtato venientibus, eò quia hæreticus ob crimen hæreſis non habeat titulum ad retinendum, ut notat Farinacius *loc. cit. n. 102.*

20 Verùm contraria ſententia videtur perquam probabilis, adeò ut hæreticus ante ſententiam declaratoriam criminis non incurrat hanc pœnam incapacitatis, nec propterea teneatur ante ſententiam latam reſtituere hæreditatem, vel legatum, ab inteſtato, vel fiſco, quia videtur difficile, ut delinquentes teneantur ſpontè reſtituere antequam condemnentur à judice, quæ ſibi teſtamento relicta ſunt. Hoc autem procedit, ut non teneantur ſe privare hæreditate jam adita, & obtenta: non ita de hæreditate non adita, nec obtenta. Verùm licèt ante ſententiam judicis non reſtituat aditam hæreditatem, poteſt tamen fiſcus poſt ſententiam latam privare hæreticum tali hæreditate, ut notat Sanchez *lib. 2. c. 14. n. 31. & 34.* Tum quia hæretici cenſentur jure potius incapaces, quàm indigni, & quæ relinquuntur incapacibus, habentur pro non relictis, proinde fiſco obveniunt *l. 17. ff. de pœn.* Rurſus *in c. ſi quis 5. h. t.* & eſt deſumptum ex Concilio Carthaginenſi III *c.* 13. ſtatuitur, ut Epiſcopus, ſi moriens inſtituat hæredem hæreticum, vel Paganum, ſive extraneum à ſua conſanguinitate, ſive conſanguineum ſaltem poſt mortem excommunicetur, vel declaretur excommunicatus, & non oretur pro eo: quia Epiſcopus, ſi non habet conſanguineos, debet Eccleſiam hæredem inſtituere. Hoc idem *in c. in eos 6. h. t.* extenditur etiam ad omnes clericos, & ſtatuitur, non ſolùm quod non inſtituant hæreticos hæredes, ſed etiam quòd iiſdem nihil dent. Ratio eſt, quia inſtituens ſcienter hæredem eum, quem ſcit eſſe hæreticum, redditur & ipſe ſuſpectus de hæreſi, ut tradit Menochius *lib. 5. de præſumpt. præſumpt. 6. n. 36.* proinde tam Epiſcopi, quàm Clerici inſtituentes hæredes, quos ſciunt eſſe hæreticos, incurrunt excommunicationem, ut etiam omnes alij fideles; tametſi ſint laici, ut notat Farinacius *tract. de hæreſ. q.* 109. *n.* 111. Verùm quia *in d. c. ſi quis 5. h. t.* dicitur, quòd Epiſcopus, ſi moriens inſtituat hæredem hæreticum, debeat excommunicari poſt mortem, vel declarari excommunicatus, oritur dubium, quomodo poſſit quis poſt mortem excommunicari. Plures reſpondent, quòd tametſi regulariter crimina morte extinguantur *c. quorundam 14. diſt. 24.* & crimen cum pœna unà cum morte Rei extinguatur *l. 2. C. ſi Reus, vel accuſ. mort. fuer.* nihilominus dicunt, id ſpeciale eſſe in crimine hæreſis, ut poſſit quis etiam poſt mortem accuſari, & puniri, ac excommunicari in deteſtationem tanti criminis: quapropter qui ſcienter hæredem inſtituit hæreticum, etiam poſt mortem anathemate percutitur, ut notat Gloſſa *in c. quorundam 14. diſt. 23. V. non poteſt.* Adducunt etiam rationem, quia cùm potuerit, qui hæreticum inſtituit hæredem, dum adhuc viveret, canonicè moneri, ne contra jura talem inſtitueret; & nihilominus ille voluerit illum inſtituere, ideò in pœnam patratæ contumaciæ in vita, anathemate poſt mortem percutitur, eò quia contumacia hæc nonniſi poſt mortem incœpit innoteſcere, quando apertum fuit teſtamentum.

21 Quòd ſi dicas, mortuum non ampliùs ſubeſſe eccleſiaſticæ jurisdictioni, cùm ſubditi eccleſiæ ſint tantùm homines viatores, proinde non poſſe Eccleſiam exercere actum jurisdictionis in non ſubditum, ſeu mortuum. Reſpondent, quòd tametſi excommunicare aliquem revera ſit actus jurisdictionis eccleſiaſticæ, adhuc tamen eidem aliquo modo ſubeſſe etiam poſt mortem poteſt is, qui contra jus canonicum, & monitiones voluit hæredem inſtituere hæreticum: ratione enim hujus contumaciæ, in qua deceſſit, adhuc poſt mortem ſubeſſe poteſt eccleſiaſticæ jurisdictioni, ac anathemate percuti.

22 Mihi tamen probabilior videtur contraria ſententia, quam docet Covaruvias *in c. Alma Mater. p.* 1. §. 11. *n. 4.* & alij, quos citat Barboſa *in d. c. ſi quis. 5. n. 3. h. t.* quia revera mortuus non ampliùs ſubijcitur jurisdictioni eccleſiaſticæ, propterea Eccleſia non poteſt in ipſum exercere actum jurisdictionis; non enim jurisdictio exerceri poteſt niſi in ſolos ſubditos; & ſoli viatores, ſeu viventes vita mortali ſunt ſubditi Eccleſiæ, cujus jurisdictio propterea non extenditur ad mortuos.

23 Neque obſtat, quòd *in d. c. ſi quis* dicatur, quòd poſt mortem *excommunicetur, vel declaretur excommunicatus:* quia cùm deceſſerit in contumacia ob inſtitutum hæreticum hæredem incidit in excommunicationem, in qua cùm deceſſerit, rectè dicitur, quod poſt mortem debeat declarari excommunicatus, eò quia talis deceſſerit: quamobrem cùm dicitur, quòd poſt mortem debeat excommunicari, vel declarari excommunicatus, illa particula *vel*, non eſt disjunctiva, ſed declarativa, & idem ſit, ac *ſeu*, vel *id eſt*, adeò ut ſenſus ſit, excommunicetur, id eſt declaretur excommunicatus: cùm enim ob contumaciam incurrerit excommunicationem, in qua deceſſit, ideo Eccleſia poſt mortem, illum non excommunicat, ſed tantùm declaret excommunicatum, & prohibet, ne oretur pro illo, ac privari eccleſiaſticâ diſciplinâ mandat.

24 Octava Pœna eſt, ut liberi eximantur patria poteſtate, adeò ut latâ ſententiâ jam ex die commiſſi criminis intelligantur filij fuiſſe ſui juris: & deſumitur ex *c. quicunque 2. h. t.*

in

in 6. ubi Alexander IV. ſtatuit, ut emancipatio filiorum, quorum parentes deteguntur fuiſſe hæretici ante emancipationem, ſit nulla: quia ſtatim ac pater eſt hæreticus, filij ſunt ſui juris, nec indigent emancipatione, quæ propterea, ſi fiat à parente hæretico, etiam ante declarationem hæreſis nullum ſortitur valorem; eò quia à die lapsûs in hæreſin fuerit privatus patria poteſtate neceſſaria ad valorem emancipationis. Hinc nec poteſt pater hæreticus filio impuberi ſubſtitui pupillariter, hoc eſt pro eo facere teſtamentum, idque defectu poteſtatis in ipſum, cùm enim careat poteſtate in filium, non poteſt ejus vices gerere, nec pro eo teſtamentum condere; imò hæc pœna extenditur etiam ad Fautores, & Defenſores hæreticorum, eorum enim filij etiam eximuntur patriâ poteſtate. Verùm probabilior, ac verior ſententia eſt, non extendi ad Defenſores, & Fautores, quia *in d. c. quicunque 2. h. t. in 6.* hæc pœna ſolis hæreticis injungitur, & cùm ſimus in pœnalibus, & odioſis Pontificia conſtitutio non debet extendi ultra ea, quæ in eadem exprimuntur.

25 Nona pœna eſt, quòd hæreticus amittat poteſtatem dominicam, dominium feudale, & alia id genus jura, ut deſumitur ex *c. abſolutus 16. & ult. h. t.* ubi dicitur, quòd liberantur ab omni obligatione ſive fidelitatis, ſive homagij, ſive juramenti, qui in manifeſtam hæreſin lapſis tenebantur adſtricti. Hinc cùm primum Herus fit hæreticus, ejus ſervi fiunt liberi ab ejus obſequio, putârim tamen non ipſo facto hæreticum hæc jura amittere; ſed poſt ſententiam declaratoriam criminis, quia *in d. c. 16. h. t.* dicitur *lapſis manifeſtè in hæreſin*, & ut hæreſis ſit manifeſta, requiritur ſententia declaratoria criminis, ſeu hæreſis; quia non quæcunque manifeſtatio ſufficit ad incurrendam hanc pœnam, ſed debet eſſe manifeſtatio judicialiter facta per ſententiam declaratoriam, quia hæc propriè eſt manifeſtatio, ad quam ſolam debet pœna reſtringi, quia odioſa, ut ſunt pœnalia, non debent ampliari. Hæc tamen ſententia retrotrahitur ad diem lapsûs in hæreſin.

26 Diſtinguendi tamen ſunt Servi Chriſtiani, & Catholici à ſervis infidelibus, vel hæreticis, quia priores omnino liberantur à dominica poteſtate, ſi Dominus fiat hæreticus: & hæc liberatio eſt totalis, & abſoluta; adeò ut ſi Dominum pœniteat facti, & poſtea abjuratâ hæreſi revertatur ad fidem catholicam, quamvis beneficio Principis bona illi reſtituantur; non propterea recuperat dominium ſervorum, quia libertas ſemel acquiſita non ampliùs deperditur *l. 1. & 2. C. ſi adverſ. libert.* Et quamvis hæc libertas ſervis Chriſtianis conceſſa non exprimatur in jure, colligitur tamen ex *l. Manichaes 4. §. fin. C. h. t.* ubi dicitur, *ſerves quoque extra noxam eſſe volumus*, ſcilicet donare libertate.

27 Secus ſervi infideles, & hæretici non fiunt abſolutè, & totaliter liberi; ſed cum reliquis bonis transeunt in dominium fiſci, eò quia ſervi reputentur inter bona Domini *l. Reum in bonis 52. §. de acquir. rer. domin.* & nullo jure eis conceditur talis libertas: hinc liberantur etiam omnes debitores hæretici à quocunque debito, & obligatione, & deſumitur *ex d. c. final. h. t.* ubi licèt Gregorius IX. loquatur de obligatione fidelitatis, ſeu homagij, communiter tamen Canoniſtæ illud extendunt ad omnia debita obſequia, & omnes obligationes, ut notat Farinacius *tractat. de hæreſ. q. 189. §. 5. n. 47.* adeò ut non ſolùm Vaſalli liberentur à ſacramento fidelitatis, ſeu juramenti, ſed famuli etiam liberentur à præſtandis obſequijs Domino. Imò ex eo, quòd debitores hæretici ipſo jure liberentur ab omni obligatione, etiam ante ſententiam condemnatoriam, vel declaratoriam criminis, dummodo hæreſis ſit manifeſta ipſo facto, vel probata per teſtium depoſitiones, ut tradit Fagnanus *in d. c. abſolutus 16. n. 3. h. t.* ſequitur, quòd ſi quis debeat hæretico aliquid ratione pignoris, depoſiti, mutui, vel alterius contractus non teneatur ei reſtituere.

28 Sed putârim probabilius, teneri debitores ante ſententiam declaratoriam criminis debita ſolvere hæreticis, quia hæreticus poſt lapſum in hæreſin ſtatim ante ſententiam declaratoriam criminis non privatur poſſeſſione, nec adminiſtratione bonorum juxta probabiliorem ſententiam; proinde neque privatur jure, quod habet, ut debitores eidem ſolvant debita.

29 Neque obſtat, debitores à die lapſus in hæreſin eſſe abſolutos à debitis ſolvendis hæretico, quia licèt id verum ſit, adhuc tamen requiritur ſententia declaratoria criminis, & tunc abſolutio retrotrahitur ad diem commiſſi criminis, plenùmque ſuum ſortitur effectum: non tamen debitores eximuntur totaliter à ſolutione debitorum, ſed ſolùm liberantur ab obligatione ea ſolvendi hæretico, non verò ab obligatione ea ſolvendi fiſco: quia ſicut bona hæretici cadunt in fiſcum, ita etiam omnia, quæ ipſis debentur à ſuis debitoribus. Unde cùm dicitur, poſt manifeſtam hæreſin debitores abſolvi ab obligatione ſolvendi ſua debita hæretico, id intelligitur de manifeſtatione judiciali, quæ fit per ſententiam judicis declaratoriam criminis, quia hæc manifeſtatio eſt præcipua, & propriè manifeſtatio juridica. Quòd ſi hæreticus poſtea reſipiſceret, non tamen recuperaret bona confiſcata, niſi ex clementia Principis, neque obligationem fidelitatis, quâ Vaſalli erant eidem obſtricti: ratio eſt, quia obligatio, ſi ſemel extinguatur, non ampliùs reviviſcit, ut notat Farinac. *tractat de hæreſ. q. 189. n. 60.*

30 Decima eſt pœna corporalis, quæ dividi ſolet in pœnam carceris, & mortis: non tamen Eccleſia ſolet per ſe ipſam hanc pœnam mortis exequi, tametſi habeat ad id poteſtatem, ut deſumitur *ex Extravag. 1. de majorit. & obed.* alioquin non poſſet Rebelles, & inobedientes coërcere, nec eorum delicta vindicare, neque membra putrida, & noxia toti

corpori reſeccare : ſed quia Eccleſia, cùm ſit mitis, & benigna, mavult à ſanguinis effuſione abſtinere, & has pœnas tantùm exequi per Miniſtros laicos mediante eorundem temporali poteſtate, quia id conformius eſt pietati eccleſiæ; quinimò quando judex eccleſiaſticus clericum poſt degradationem, vel etiam laicum tradit poteſtati ſæcularium, pro eo etiam efficaciter intercedit, ut citra mortis periculum poniatur, ac ſententia mitigetur *c. novimus 27. de V. S.* & per hoc judex eccleſiaſticus non incurrit Irregularitatem, ut notat Farinacius *tractat. de hæreſ. q. 189. n. 9.*

31 Quamobrem Eccleſia quando corporaliter punit hæreticos, eos in carcerem detrudit, hoc tamen diſcrimine, quòd ſi hæreticum pœniteat ſui lapsûs, & errorem deteſtetur, antequam per ſententiam judicis declaretur hæreticus, & accuſetur à teſtibus, mitiùs punitur: ſin autem eum pœniteat poſt ſententiam judicis, evadit quidem pœnam mortis, ſed detruditur in perpetuum carcerem, quia ob ſolam pœnitentiam poſt ſententiam declaratoriam criminis, Reus non evadit pœnam in foro externo. Non tamen omnes hæretici pœnitentes detruduntur in perpetuos carceres, quia ſi ante depoſitiones, & dicta teſtium errorem ſuum fateantur, & ipſi corrigantur ſtatim, non cenſentur tunc in errore deprehenſi, proinde mitiùs cum ipſis proceditur. Rurſus poſſunt Inquiſitores, & Epiſcopi, ex juſta cauſa hanc pœnam perpetui carceris hæreticis pœnitentibus poſt ſententiam declaratoriam criminis infligendam mitigare in temporalem, vel in aliam commutare arbitrariam, idque deſumitur *ex c. commiſſi. 12. h. t.* ubi Bonifacius VIII. concedit facultatem Inquiſitoribus mitigandi, vel mutandi pœnas illorum, qui humiliter obedientes ſuis mandatis detinentur in carcere, vel recluſi muro, ſi ita expedire judicaverint, & mandat ſimul hoc fieri cum Prælatis, quorum juriſdictioni ſubſunt.

32 Rurſus carcer perpetuus, in quem hæreticus pœnitens detruditur, non debet ita eſſe arctus, ut vita incarcerati notabiliter abrevietur, id enim pertinet ad pietatem Eccleſiæ. Quia verò jura tantùm mandant, hæreticos eſſe hac pœna plectendos; non debet pœna extendi ad ſuſpectos de hæreſi, quia pœnæ non ſunt ampliandæ, ſed potiùs reſtringendæ ad ſola expreſſa in jure. Hæretici verò, qui poſt ſententiam declaratoriam criminis perſiſtunt in ſua pertinacia, plectuntur ultimo ſupplicio *ex l. Ariani 5. §. Manichæis* & *l. quicunque 8. C. de hæreſ.* & tunc ab Eccleſia traduntur brachio ſæculari, ut paulò ſuperiùs innuimus. Neque impœnitentia vera ſeparatur à ficta, ut notant Farinacius *de hæreſ. q. 189. n. 4.* Julius Clarus §. *hæreſis n. 7.* nam qui de hæreſi argumentis legitimis eſt convictus, quamvis eam præfractè neget, adhuc fictione juris cenſetur in illa perſiſtere; proinde tanquam pertinax traditur Curiæ ſæculari, ut deſumitur *ex c. ad abolendam 9. h. t.* ubi Lucius III. mandat, eos eſſe puniendos ut impœnitentes. Eadem pœna plectitur, qui relapſus eſt in hæreſin, ſive relapſus ſit verus, ſive fictione juris, fortaſſis quia ob gravia indicia de hæreſi accuſatus, & juſſus eam deteſtari ad vomitum redijt; vel quia de ſpecie una convictus, ac hæreſin ejurare in genere compulſus; ſpeciem deinde aliam elegit; vel demum quia ob notoriam hæreſin ante renuntiationem infamis; ſocietate, liberalitate, aut favore ſuo proſequi hæreticos ſuſtinuit, idque deſumitur *ex c. accuſatus 8. h. t. in 6.*

Hinc relapſi in hæreſin alij dicuntur verè, & propriè tales; alij autem tantùm fictione juris. Propriè, & verè relapſi dicuntur, qui confeſſi proprium errorem, in quo fuerunt in judicio convicti, illum abjurârunt, & in eundem poſtea iterum inciderunt, adeò ut ſint iterum legitimis probationibus convicti de hæreſi, vel confeſſi in judicio: iſti enim per ſecundum lapſum in hæreſin dicuntur propriè relapſi, poſtquam ſecundò ſunt in judicio confeſſi unam hæreſin, vel legitimis probationibus de ea convicti. Relapſi fictione juris dicuntur tripliciter. Primò ſi accuſati, vel ſuſpecti de hæreſi eam in judicio abjurârunt, ſeu jurejurando damnârunt, fuerúntque execrati; & poſtea iterum fuerunt in ipſam relapſi. Iſti dicuntur fictione juris relapſi, eò quia ante abjurationem crimen hæreſis non fuerit contra ipſos plenè probatum, & deſumitur *ex d. c. accuſatus 8. h. t.* ubi Alexander IV. ſtatuit, quòd quando quis de prima hæreſi non eſt convictus, nec conſtabat plenè, ſi tamen erat vehemens ſuſpicio contra ipſum, ſi hæreſin in judicio coram Epiſcopo, vel Ordinario abjuravit, & iterum labitur in eandem hæreſin, cenſetur relapſus ex quadam fictione juris, quamvis ante abjurationem ſuam crimen hæreſis non fuerit contra ipſum probatum: & Pontifex mandat, eum puniri pœnâ Relapſorum. 33

Secus ſi ſuſpicio fuit levis, & modica, & tamen abjuravit ſuam hæreſin cum purgatione, ſi labitur, non cenſetur relapſus, ſed lapſus; & quamvis ſit graviter puniendus, non tamen ut Relapſus eſt flamis tradendus, ſed degradandus, ac detrudendus in perpetuum carcerem. Secundò dicitur Relapſus fictione juris, qui convictus in una ſpecie hæreſis, vel in uno fidei articulo, vel in uno Sacramento Eccleſiæ erravit, & deinde ſpecialiter, vel generaliter abjurat hæreſin; ſi poſtea in aliam ſpeciem hæreſis incidat, vel in alio articulo, vel Sacramento erret, judicatur ut relapſus in hæreſin præſumptione juris, quia poſt abjurationem ſimpliciter, & generaliter factam, ſi iterum labatur, licèt in aliam ſpeciem hæreſis, cenſetur relapſus, quia generalis abjuratio comprehendebat etiam hanc novam ſpeciem. Tum quia omnes hæreſes ſunt veluti angues una congeſti, & complexi, & habentes caudas, ad invicem complicatas, ut dicitur *in c. excommunicamus 13. h. t.* 34

Quòd ſi abjuratio non fuiſſet generalis, ſed tantùm ſpecialis, ſi abjurans poſtea incideret in diverſam ſpeciem hæreſis; cenſent 35

aliqui

aliqui apud Barboſam *in collect. in c. excommunicamus 13. num. 8. h. t.* non haberi propriè pro relapſo : verùm hæc quæſtio hodie eſt inutilis, quia hæretici pœnitentes non permittontur abjurare, niſi generaliter omnes hæreſes, tametſi abjurans in unam tantùm ſpecialem lapſus fuerit, ut notat Farinacius *tract. de hæreſ. q. 193. n. 43.* Tertiò fictione juris dicitur etiam relapſus, ſi ante, vel poſt abjurationem hæreticos recipiat, viſitet, illis faveat, eóſque ſibi aſſociet, aut dona, vel munera eis donet, vel mittat, vel quemcunque alium favorem eis impendat ; ſi excuſari non poſſit ob neceſſitatem famis, ut excuſaretur, ſi hæretico in extrema neceſſitate conſtituto daret eleemoſynam : vel niſi fortaſſis ignoraret ipſum eſſe hæreticum : tunc etiam fictione juris judicatur ut relaſpſus, quia id fit ex conſequentia probati erroris.

36 Hodie tamen, quod dolendum eſt, hæreſis abſque pœnarum metu plures non ſolùm Germaniæ, verùm etiam Europæ partes evagatur. Quòd ſi eccleſiaſtici canones ab Epiſcopis, & Principibus ſemper fuiſſent religioſè obſervati ad tantam potentiam, & multitudinem hæretici tum Lutherani, tum Calviniſtæ, & alij ejuſdem furfuris minimè excreviſſent : nunc in Germania, aliiſque finitimis Provincijs, quia hæretici viribus ſunt ſuperiores Catholicis, tolerari debent : immo nec deſunt, qui cenſeant proficuum eſſe Imperio, ſi religione ſubditi diſcordent, quàm tamen opinionem hiſtoriæ retroacti temporis, & ratio manifeſti redarguunt erroris : ſiquidem nulla re vires reipublicæ magis infringuntur, quàm diſſidio religionis; ſolent enim diſſidentes in religione, animis quoque diſcordare ; & ubi eſt diſcordia, illic ſemina foventur ſeditionum, pax poblica turbatur, & bonum publicum plurimum patitur detrimenti. Præterea, quia ſi unus tantùm regat, vix fidos habebit omnes ſubditos, quia cum religione diſſideant, non poſſunt non animis diſcordare, & non movere omnem lapidem, omnémque non adhibere conatum, ut errores ſuos ſtabiliant. Teſtis eſt Gallia poſt excitatam Calvini hæreſin, erant Galli ante hæreſin in ſuos Reges obſequentiſſimi ; ſed poſtquam cœperunt religione diſſidere in neſas omne proruperunt, & inobedientiam, & jugum inaudita proterviâ excuſſerunt ; in id unicè intenti, ut per calcatos Reges viam ſibi ad noxiam libertatem ſternerent. Sin verò pauci ſint, qui regant, & hi religione diſcrepent, ſuſpectabunt ſe viciſſim, nec in commune conſilia inibunt, ſed quisque ſuæ propriæ ſectæ timebit, & magis anxius erit de propria religione tuenda, quàm de com̄uni bono promovendo. Exemplo ſunt quædam Germaniæ civitates, quæ dicontur liberæ, in quibus Optimates ſicut religione, ita etiam animis diſcordes ſunt, & dum impenſius quisque ſuæ ſtudet parti, bonum commune omnes negligunt, magis de propria ſecta ſoliciti, quàm de Reipublicæ commodo ſtudioſi; in partes enim ſciſci cives conſilia ſaluberrima, & Reipublicæ profutura, quæ ab aliquibus exhibentur, ab alijs reprobantur, odio in Authores, aut æmulatione magis, quàm amore in veritatem affecti. Quòd ſi univerſi regant, & religione diſcrepent internis motibus continuò agitantur, & in factiones abeunt; documento ſunt Pagi Helvetiæ, qui quamvis ſœdere in unum corpus juncti, quia tamen religione diſſident, ſeſe invicem perpetuò ſuſpectant.

§. VI.

De filijs Hæreticorum, eorúmque Fautoribus, Receptoribus, & Defenſoribus.

Non ſolùm ob hæreſin puniuntur, qui in hoc crimen labuntur, verùm etiam eorum filij, ac Nepotes. Hi enim privantur propter hæreſin patris hæreditate, & omnibus bonis paternis, ut ſtatuit Innocentius III. *in c. vergentis 10. h. t.* ubi reſcribit, quòd bona hæreticorum debeant publicari, & confiſcari; & in terris Eccleſiaſticis applicari fiſco Eccleſiæ; & in terris ſæcularibus fiſco judicum ſæcularium, ad quod ſi ſint negligentes, poſſint etiam compelli judices cenſuris eccleſiaſticis : & jubet, talia bona non ampliùs reverti ad prædictos hæreticos. Sin autem convertantur, & abnegent conſortium hæreticorum, & aliquis judex voluerit indulgere, poterit miſericorditer condonare. Rurſus ſtatuit, ut filij hæreticorum amittant hæreditatem, ſicut in crimine læſæ Majeſtatis ; imò multò magis, cùm ſit crimen læſi DEI, præſertim cùm in multis caſibus pro parentibus puniantur temporaliter filij ſecundúm jus canonicum. 1

Non tamen filij hæreticorum, ſi catholici ſint, cenſentur incapaces ſuccedendi ab inteſtato, aut ex teſtamento, avo, proavo, & alijs conſanguineis collateralibus, & extraneis catholicis, quia pœnæ, quæ ob hæreſin parentum infliguntur liberis innocentibus, non debent extendi ad caſum jure non expreſſum : & quia in jure tantùm habetur, quòd filij hæreticorum amittant hæreditatem patris, & privandi ſint omnibus bonis paternis, non debet hæc pœna extendi, ut etiam filij innocentes debeant privari hæreditate, & bonis avi, & proavi, & aliorum conſanguineorum collateralium, aut extraneorum Catholicorum, quia pœnæ, quando infliguntur in filios innocentes ob delicta parentum, non debent extendi, tametſi delictum ſit gravius; quia inde tantùm infertur, æquum eſſe, ut gravior pœna pro graviori culpa imponatur; non verò quòd de facto ſit impoſita. Cæterum paterna hæreditate non ſolùm privantur filij legitimi, ſed etiam ſpurij, alioquin plus juris tribueretur luxuriæ, quàm continentiæ conjugali, ut notat Farinacius *tract. de hæres q. 191. n. 9.* Imò filiæ etiam privantur dote ſolvenda ex bonis patris hæretici, ut notat idem Farinacius *loc. cit. n 8.* 2

ubi

ubi *n. 20.* addit, privari filios hæreditate etiam propter hæreſin matris: imò non ſolùm filij privantur, ſed etiam nepotes, & alij deſcendentes per lineam paternam, & maternam.

3 An verò filij hæreticorum priventur etiam penſionibus eccleſiaſticis, videtur eſſe aliqua difficultas, quia clerici filij hæreticorum licèt non deliquerint; adhuc tamen propter hæreſin patris privantur dignitatibus, & alijs beneficijs eccleſiaſticis, ſi quæ habent, ut etiam publicis officijs, & honoribus, ut ſtatuitur *in c. ut commiſſi 12. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. reſcribit, eſſe privandos, & declarandos privatos dignitatibus, & beneficijs eccleſiaſticis de conſilio Diœceſanorum, vel eis abſentibus Vicariorum ſuorum, & officijs publicis, ac honoribus quibuscunque, eosdem hæreticos credentes, Receptores, Defenſores, & eorum filios, ac nepotes: nihilominus Rota Romana in Conchenſi penſionis 24. Octob. 1594. coram Penna reſpondet, filios hæreticorum non eſſe privandos penſionibus eccleſiaſticis, eò quia quando Doctores tractant de pœnis filiorum hæreticorum, loquuntur de beneficijs eccleſiaſticis, quorum appellatione in materia odioſa, qualis eſt cauſa privationis, præſertim quoad filios innocentes non comprehenduntur penſiones, ut docent Baldus in *c. ad audientiam 2. de reſcript.* Geminianus *in c. quamvis de præbend. in 6.* Ananias *in c. non ſatis col. 2. de ſimon.* Verùm nomine beneficiorum in hac materia comprehendi etiam penſiones, affirmavit Rota in eadem Conchenſi penſionis 6. Martij 1598. coram Peregrino apud Garciam *de benefic. c. 10. n. 79* & docent Gigas *de penſionib. q. 94. n. 1. & 10.* Abbas *in c. ad audientiam 2. n. 2. V. dicerem tamen de reſcript.* Garcia *de benefic. loc. cit. c. 10. n. 77.* Unde probabilius putâtim, filios hæreticorum privari etiam eccleſiaſticis penſionibus, quia in hac materia beneficium latè ſumitur, ut comprehendat etiam penſiones, ut notat Gloſſa in *c. quicunque § hæreticis V. beneficium de hæret. in 6.* ratio eſt, quia cauſa finalis, quæ habet locum in beneficijs propriè ſumptis, habet etiam locum in penſionibus: eatenus puniuntur filij hæreticorum quoad beneficia, ut parentes ex eo, quòd videant proprios filios ſpoliatos omnibus bonis, graviùs, & ipſi torqueantur in pœnis filiorum, ut liquet *ex c. vergentis 10. h. t.* atqui lex recipit menſuram, & extenſionem à cauſa finali, quæ cùm locum habeat etiam quoad penſiones, debet ſumi beneficium cum eadem amplitudine, quam habet cauſa finalis; quæ cum locum habeat tam in beneficio, quàm in penſionibus; ideo diſpoſitiones, quæ procedunt de beneficijs, locum habent comprehenſivè, ſi non extenſivè in penſionibus *l. illud. C. de SS. eccleſ. l. item veniunt. §. ait Senatus. ff. de petit. hæred.* & docent Panormitanus *in c. fin. n. 10. de reſcript.* Imola in *l. ſi vero. §. de viro. n. 14. ff. ſolut. matrim.* Gonzales *ad regul. 8. Cancellar. §. 7. proœm. n. 105.* Tiraquel. *in l. ſi unquam V. libertis n. 44. de revocand. donat.*

4 Neque urget, quòd lex, cùm ſit odioſa, reſtringenda ſit ad ſola beneficia, cùm hæc tantùm exprimantur in jure; & non debeat ampliari ad penſiones non expreſſas. Nam reſpondetur, id verum eſſe de ſimplici extenſione; non verò de extenſione comprehenſiva, quia hæc ex menſura cauſæ finalis locum habet etiam in lege pœnali, ut docent Abbas *in c. fin. n. 10. de reſcript.* Imola *in c. 1. de temp. ordin. in 6.* Gomez *lib. 1. variar c. 9. n. 11.* Suarez *lib. 6. de legib. c. 4. n. 2.* ratio eſt, quia eatenus lex extenditur comprehenſivè etiam in pœnalibus, eo quia etiam intentio extenditur: atqui hæc extenditur juxta menſuram extenſionis cauſæ finalis, quæ cùm extendatur etiam ad penſiones, ſequitur, quòd lex pœnalis comprehenſivè extendatur etiam ad penſiones.

5 Quòd cauſa finalis habeat talem extenſionem, liquet, quia eatenus puniuntur filij hæreticorum privatione beneficiorum, ut parentes videntes proprios filios deſtitutos talibus bonis graviùs puniantur: hæc autem cauſa finalis æquè locum habet in beneficijs, ac penſionibus; torquentur enim parentes graviùs, ſi videant proprios filios ſpoliatos beneficijs. Prætetea leges punientes filios hæreticorum quamvis ſint odioſæ reſpectu ipſorum, adhuc tamen reſpectu Eccleſiæ, & fidei catholicæ ſunt favorabiles, quia ordinantur ad conſervationem fidei, quatenus gravitas pœnarum retrahit homines à lapſu in hæreſin, & hic favor eſt etiam publicus, qui præferendus eſt odio privato *l. jubemus C. de SS. Eccleſ.* & *c. pœna de poſtulat.*

6 Hinc ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ poſſet reſponderi; appellatione beneficij in materia odioſa non comprehendi penſionem, quando ex identitate rationis non comprehenditur ſub diſpoſitione: ſecus autem quando ex identitate rationis comprehenditur. Ratio eſt, quia tunc diſpoſitio tanquam informata in ſua ratione trahit ad ſe etiam penſionem, quatenus diſponit de beneficio, ut habet aliquid commune cum penſione, nempe ut parentes hæretici graviùs torqueantur, eò quia proprios filios videant ſpoliatos non ſolùm beneficijs, ſed etiam penſionibus eccleſiaſticis. Nihilominus contraria ſententia eſt etiam probabilis, quia licèt cauſa finalis extendatur etiam ad privationes penſionum; attamen cùm jura hanc comprehenſivam extenſionem non exprimant, nec debemus nos eam aſſerere, præſertim contra filios innocentes. Quòd ſi parentes hæretici reſipiſcant, non privantur filij hæreticorum hæreditate paterna, ut deſumitur *ex cap. ſtatutum 15. h. t. in 6.* tunc enim ſaltem ex miſericordia bona illa reſtituuntur, ut etiam ſi eorum parentes non fuerunt convicti, vel confeſſi; ſed tantùm fuerunt ſuſpecti de hæreſi. Demum juvat obſervare cum Farinacio *tractat. de hæreſ. q. 191. n. 41.* quòd licèt filijs ob patris hæreſin puniantur, non tamen è converſo propter hæreſin filij punitur pater.

Rur-

7 Rurſus non ſolùm filij hæreticorum, ſed etiam eorundem Fautorum, Defenſorum, ac Receptorum incurrunt irregularitatem; adeò ut ad ſacros ordines promoveri non poſſint filij, & nepotes eorum, nequn deſcendentes per lineam paternam; ſed tantùm filij per lineam maternam, ut deſumitur *ex d. c. ſtatutum 15. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ſtatuit, ut filij hæreticorum, credentium, vel faventium ex paterna linea usque ad ſecundum gradum, & ex materna usque ad primum, non poſſint habere beneficia, vel officia: nomine autem officiorum publicorum veniunt etiam officia eccleſiaſtica, inter quæ etiam computantur officia Ordinum, quia hæc publica ſunt. Verùm id probabiliùs tantùm reſtringitur ad filios natos, poſtquam eorum parentes lapſi ſunt in hæreſin, adeò ut qui antea nati fuerunt, poſſint ad Ordines promoveri, quia cùm non proveniant à radice infecta, & habeant jus ad Ordines jam acquiſitum, non videntur illo privari. Ab hac autem irregularitate ſolus Papa diſpenſat; quia fuit jure Pontificio inducta, & nullibi in jure habetur; quòd Epiſcopus poſſit diſpenſare. Limitatur tamen id quoad filios hæreticorum pœnitentium, ac redeuntium ad fidem, tunc enim non privantur beneficijs jam obtentis, neque redduntur inhabiles ad alia officia, & beneficia obtinenda, quia ceſſat tunc cauſa finalis, ob quam jura infligunt filijs hæreticorum hanc pœnam; erat enim crimen parentum, ut hi acriùs punirentur in filijs, & cùm reſipuerint, ceſſat cauſa eos puniendi in filijs.

8 Hoc tamen intereſt diſcriminis inter parentes hæreticos, & eorum filios, quia illi, quamvis eccleſiæ reconciliati adhuc manent irregulares, & inhabiles ad Ordines, & beneficia, donec cum ijsdem diſpenſetur: ſecus eorum filij non indigent diſpenſatione, ſed ſufficit ſola parentum reconciliatio cum eccleſia. Filij verò, & nepotes hæreticorum relapſorum, quamvis hi pœnitentes deceſſerint, & reſipuerint adhuc remanent privati beneficijs, & fiunt inhabiles ad alia obtinenda. Ut enim filij hæreticorum evadant pœnas privationis, & inhabilitatis ad beneficia, duo requiruntur, ut habetur *in d. c. ſtatutum 15. h. t. in 6.* ſcilicet, ut eorum parentes ſint emendati; & rurſus reconciliati Eccleſiæ: relapſi autem licèt per pœnitentiam reſipiſcant, non tamen habentur pro reconciliatis, quia ſine audientia traduntur Curiæ ſæculari puniendi, ut habetur *in c. ſuper eo 4. h. t. in 6.* ubi Alexander IV. reſcribit, quòd relapſi, qui abjurârunt errorem, vel ſe purgârunt in examinatione proprij Antiſtitis, & iterum reincidunt in abjuratam hæreſin, ſine audientia relinquantur judicio ſæculari, quamvis convertantur. Verùm ſi in eis appareant ſigna manifeſta pœnitentiæ, non denegantur eis petita Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, quia Eccleſia non claudit ſuum gremium redeunti.

9 Rurſus filij hæreticorum non ſunt ipſo jure privati; immo nec per ſententiam privandi ſunt beneficijs jam obtentis ante lapſum parentum eorum in hæreſin, ſed tantùm obtentis poſt lapſum parentum, ut probabilius docent plures, inter quos Julius Clarus *lib. 5. ſent. §. hæreſis. n. 16.* Farinacius *tractat. de hæreſ. q. 191. n. 58.* Ratio eſt, quia in jure filij hæreticorum redduntur ſolùm inhabiles ad officia, & beneficia publica obtinenda, hoc eſt, quæ poſt lapſum parentum in hæreſin poſſent obtinere; non verò ad jam obtenta ante lapſum parentum. Excipitur tamen, niſi filij hæreticorum ſcienter ad preces patris hæretici obtinuerint beneficia. Immo privantur ſolùm ijs beneficijs, quæ poſt condemnationem parentum hæreticorum fuerunt aſſecuti, quia ante talem condemnationem filij nondum contraxerant inhabilitatem ad beneficia obtinenda, unde cum talia beneficia ſupponantur legitimè acquiſita, non ſunt filij jisdem privandi. Hinc quando jura ſtatuunt parentes hæreticos, & eorum filios eſſe beneficijs privandos, id intelligitur de beneficijs acquiſitis poſt lapſum parentum in hæreſin. Sunt etiam, qui putant, filios parentum hæreticorum ſubire etiam jacturam famæ, & illis quoque beneficijs excidere, quæ ante lapſum parentum receperunt. Sed iſtis poſſemus occinere illud vulgatum: *erubeſcimus ſine lege loqui.*

10 Ut autem breviter dicamus de credentibus hæreticis, eorúmque Fautoribus, Receptoribus, ac Defenſoribus: dupliciter ſumuntur credentes hæreticis. Primò pro ijs, qui credunt ipſi perſonæ hæretici, quatenus bonam de tali perſona habent exiſtimationem; ac propterea familiaritatem illi exhibent, non tamen ejus erroribus aſſentiuntur. Secundò pro ijs, qui etiam eorum erroribus credunt, vel explicitè aſſentiendo in particulari erroribus ab hæretico propoſitis, & publicatis; & hi potiùs hæretici dicuntur, quàm credentes, vel quatenus tantùm implicitè, & confusè aſſentiuntur eorum erroribus; adeò ut licèt in particulari, & ſpecialiter nil credant contra fidem; verbis tamen, vel factis profitentur ſe credere, quæ credunt hæretici, & hi dicuntur propriè credentes, ut ſi quis verbo, vel facto declaret, ſe credere, quod Lutherani, & Calviniſtæ credunt quamvis explicitè, & in particulari ignoret, quænam ſint hæc, quæ Lutherani credunt, & hi dicuntur propriè credentes qui propterea, ut hæretici puniuntur; ut deſumitur *ex c. excommunicamus 15. h. t. in fin.* ibi *credentes autem eorum erroribus hæreticos ſimiliter judicamus*, dicuntur enim credentes quatenus nihil diſtinctè, & explicitè contra fidem credunt, ſed tantùm implicitè, confusè, & in communi; alioquin non dicerentur credentes hæreticis, ſed hæretici.

11 Is etiam dicitur credere hæretico, qui in infirmitate conſolationem per manûs impoſitionem ab hæretico petit, & deſumitur *ex c. filij 3. h. t. in 6.* ubi Alexander IV. reſcribit, quòd quando parentes decumbentes in lecto, vocant hæreticos, ut ab ijsdem conſolationem accipiant, ſi ſic moriantur; mortuorum filij,

& hæredes non admittuntur ad probandum, quòd eorum parentes non erant tunc ſanæ mentis, quando petierunt talem conſolationem, ſi dum viverent, erant diffamati de hæreſi, vel legitimè conſtiterit, quòd quando petierunt hæreticos, erant ſanæ mentis; ſi ſecus admittuntur, ut valeant præmiſſa probare, non tamen per uxores, filios, familiares, ſed per alios teſtes fide dignos, ac fidei zelatores.

12 Receptores hæreticorum in jure canonico hi dicuntur, qui recipiunt alicubi hæreticos, ne in manus judicum veniant, ſive frequenter, ſive ſemel tantùm: qui enim recipiunt hæreticos, ſive id agant, ne deveniant in manus judicum, dicuntur eorum Receptores, quia licèt vox *Receptor* videatur iterationem ſignificare, hoc eſt bis, vel ter recipere; nihilominus quoad effectum puniendi ſufficit, ſi quis ſemel tantùm receperit, idque egerit, ne deveniant in manus judicum; dummodo Receptor ſciverit eum fuiſſe hæreticum, ut notat Farinacius *tractat. de hæreſ. q. 182. n. 152.* ſive qui recipitur ſit conſanguineus, vel amicus; quia licèt eum reciperet, non ut hæreticum, ſed ut amicum; adhuc in ſoro externo habetur ut Receptor, licèt in ſoro interno excuſetur, ac proinde mitiùs eſſet puniendus, ut etiam quando parentes eodem modo filios recipiunt hæreticos, & vice verſa, & conjux conjugem; non quia hæreticum, ſed ex ſola affectione ſanguinis: hi omnes in foro externo judicantur, ut Receptores hæreticorum, licèt mitiùs puniantur, ut notat Farinac. *loc. cit. n. 143.*

13 Defenſores hæreticorum dicuntur primò, qui eorum errores defendunt, & argumenta in contrarium nituntur ſolvere laudantes verbis, & ſcriptis ſententias hæreticorum, idque ſive interiùs aſſentiantur talibus erroribus, vel non; & hi tanquam hæretici damnantur, quia in foro externo præſumuntur aſſentiri erroribus hæreticorum, ut notat Farinacius *loc. cit. q. 182. n. 62.* Dicuntur etiam defenſores, qui non errores, ſed perſonam hæretici defendunt propter hæreſin, ne in manus judicis deveniat, & ne denuntietur, vel ad judicem deferatur, idque ob hæreſin; quia ſi ob aliam cauſam defenderetur, ne ſcilicet à privato injuſtè lædatur, tunc Defenſor non judicatur hæreticus, ut nec etiam Advocatus, qui in cauſa civili, vel criminali extra hæreſin ſuſcipit patrocinium hæretici, quia tunc Advocatus propriè non defendit hæreticum, ſed proximum, & defenſio eſt juſta. Secus ſi quis defenderet hæreticum, ut Amicum, vel conſanguineum, in foro externo puniretur ut hæreticus, licèt non in foro conſcientiæ.

14 Fautores hæreticorum dicuntur, qui hæreticis, quà talibus favorem præſtant, ſive deinde favor ſit poſitivus, ut ſi quis hæreticos commendet, conſilio inſtruat, viſitet, occultet: ſive favor ſit negativus, ut ſi in officio conſtitutus omittat fungi tali officio, ad quod vi muneris alioquin tenetur, idque in favorem hæretici.

15 Pœnæ in jure conſtitutæ contra Fautores hæreticorum ſunt in duplici genere: quædam ſunt Fautoribus omnibus communes, & aliæ Epiſcopis, Principibus, & Magiſtratibus propriæ. Communes ſunt, quòd anathemate percutiantur, quòd ſi per annum in excommunicatione perſtiterint infamiá ſordeſcentes, privantur officijs publicis. Quòd reddantur inteſtabiles, ac omnis hæreditariæ ſucceſionis incapaces. Quòd repellantur à teſtimonio dicendo, ab omni actu legitimo. Quòd priventur ſepulturâ, ac demum, tanquam hæretici condemnentur *c. contra Chriſtianos 13. §. credentes h. t.* & *c. ut Inquiſitores 18. eod. tit. in 6.* Pœnæ propriæ ſunt ut Epiſcopus, ſi in caſtigandis, & extirpandis hæreticis fuerit negligens, deponatur à ſua dignitate *c. excommunicamus 13. h. t.* Civitas negligentiæ convicta privatur dignitate Epiſcopali. Rectores Civitatum Rei ſimilis negligentiæ anathemate percutiuntur, & deijciuntur honoris gradu, ac ad dignitates obtinendas fiunt inhabiles *c. ſtatutum 9. h. t.* & *c. contra Chriſtianos eod. tit. in 6.* ubi juvat adnotare, quòd Eccleſia, vel Prælatus eccleſiaſticus poteſt punire laicos pœnâ infamiæ, eóſque ſuſpendere ab officijs ſuis ſæcularibus, ratione criminis eccleſiaſtici.

16 Cæterum præcipua pœna, quæ Fautoribus hæreticorum infligitur, eſt excommunicatio, in qua ſi per annum inſordeſcant, fiunt ipſo jure infames, nec ad publica officia admittuntur, & ijs privantur, immò ſi perſtiterint in excommunicatione, reputantur hæretici, & ut tales condemnantur *c. ut qui Inquiſitores 18. h. t. in 6.*

§. VII.

De judice competente, Déque Inquiſitoribus Hæreticæ pravitatis.

1 SUpremus hujus tribunalis Judex eſt ſummus Pontifex, à quo juriſdictio ſpiritualis in alios dimanat; adeò ut omnis alia juriſdictio eccleſiaſtica, & ſpiritualis deſcendat à ſummo Pontifice, & ab illo dependeat, ut notat Farinacius *tractat. de hæreſ. q. 186. §. 1. n. 1.* ubi etiam addit ad ſolum ſummum Pontificem pertinere judicium ferre de propoſitione aliqua, an ſit hæretica, nec ne. Poſt Pontificem in crimine hæreſis, eſt etiam Legatus à latere, ſeu Cardinalis, quamvis de jure communi ſit etiam judex competens, & poſſit cognoſcere de cauſa hæreſis: quia Legatus à latere gerit plenas vices ſummi Pontificis: nihilominus moris eſt, ut Legatus à latere non ſe immiſceat, niſi ex ſpeciali commiſſione Papæ in hoc judicio. Rurſus Epiſcopus eſt etiam Ordinarius Judex ratione officij, quoad omnes hæreticos ſuæ diœceſis, ſive iſti clerici ſint, ſive laici, quia ad Epiſcopum pertinet oves ſuas paſcere, & lupos arcere, ne ipſis noceant. Quinimò id etiam extenditur ad exemptos à juriſdictione Epiſcopi, quia quoad illos poteſt etiam cognoſcere de crimine hæreſis, non

qui-

quidem ut Judex Ordinarius, ſed ut Delegatus Papæ, ut habetur *in c. ad abolendam 9. §. fin.* Quia verò hæc delegatio jurisdictionis facta jure commnni Epiſcopis non ratione perſonæ, ſed ratione dignitatis Epiſcopalis etiam ſucceſſoribus in illa eſt facta, ideo æquiparatur jurisdictioni ordinariæ, quâ ratione potiùs cenſetur ordinaria, quàm delegata, tametſi naturam ſequatur jurisdictionis delegatæ, quia à ſententia Epiſcopi lata in cauſa hæreſis in exemptos non fit appellatio ad Archiepiſcopum, ſed ad Papam.

2 Cæterum non poteſt Epiſcopus ſolus ſine conſilio Capituli cognoſcere cauſam hæreſis, ut deſumitur *ex d. c. ad abolendam 9. h. t.* quamvis non teneatur Epiſcopus ſequi conſilium ſui Cathedralis Capituli. Imò conſuetudo invaluit, ut hodie Epiſcopus, nec conſilium exigat à ſuo capitulo in cauſa hæreſis. Vicarius tamen Generalis Epiſcopi in crimine hæreſis non eſt jndex competens, niſi ad id ſpecialiter ſit ab Epiſcopo deputatus, qnia ob gravitatem criminis requiritur ſpecialis commiſſio, ut liquet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 6. de refor.* Poteſt tamen Capitulum Sede vacante cognoſcere de crimine hæreſis, ut deſumitur *ex d. c. ad abolendam 9. h. t.* ubi Lucius III. reſcribit, ſede vaçante, qui jndicatur à clericis hæreticus, eſt excommunicatus: ratio eſt, quia vacante Eccleſia cathedrali jurisdictio manet penes Capitulum, ut docent communiter, & hoc procedit ſive Sedes Epiſcopalis vacet propriè per mortem Epiſcopi, ſive per ejus captivitatem; vel quia propter litteras confirmationis non expeditas Epiſcopus electus adminiſtrare non poteſt, ut notat Farinacius *tract. de hæreſ. q. 186. §. 1. n. 117.*

3 Verùm non poteſt Capitulum Sede vacante exercere jurisdictionem in hæreticos per ſe, ſed tantùm per Delegatum, ſeu Vicarium ad id ſpecialiter depntatum, ut deſumitur *ex Clement. c. multorum h. t.* ubi Clemens V. reſcribit, quòd in Sede vacante Capitulum ſine Officiali Delegato non poſſit judicare in cauſa hæreſis, neque punire hæreticos, neque tradere carceri arcto, qui magis ſit ad pœnam, quàm ad cuſtodiam; & ſi quid ſecus præſumptum fuerit, ipſo jure eſt irritum. Rurſus Capitulum Sede vacante non habet jurisdictionem in clericos exemptos, ſi in hæreſin lapſi ſint: quia Capitulum non ſuccedit Epiſcopo, niſi in ijs, quæ illi competunt jure Ordinario, non verò quæ illi conferuntur jure delegato, aut ſpeciali, ut notat Farinacius *loc. cit.* Vicarius itidem Generalis Sede vacante non eſt judex competens hæreticorum, niſi ad id ſpecialiter fuerit à Capitulo delegatus.

4 Præter prærecenſitos judices eccleſiaſticos in crimine hæreſis, ſunt etiam alij, quibus à Sede Apoſtolica eſt ſpeciatim commiſſum officium inquirendi, & animadvertendi in hæreticos, & ab officio, quo funguntur, vocantur Sedis Apoſtolicæ *Inquiſitores*, quorum munus in Italia præſertim exercent Religioſi, in Germania verò Epiſcopi, ut etiam in Gallia, & Polonia. Sunt autem hujuſmodi Inquiſitores judices competentes in crimine hæreſis, ut habetur *in clement. 1. c. multorum h. t. §. propter quod.* quia cognoſcere poſſunt non ſolùm de hæreſi, verùm etiam de articulis eidem annexis, & ab illa dependentibus, & omnibus incidentibus: ratio eſt, quia cui committitur jurisdictio ad cognoſcendam cauſam principalem, cenſetur etiam commiſſa jurisdictio in ordine ad cognoſcenda connexa eidem cauſæ principali. Sunt etiam Inquiſitores judices non Ordinarij, ſed delegati, ut colligitur *ex c. ne aliqui 10. h. t. in 6.* ubi Clemens IV. ait; officium Inquiſitoris hæreticæ pravitatis ab Apoſtolica ſede comiſſum eſſe. Ratio itidem eſt, quia Judex Ordinarius conſtituitur ad univerſitatem cauſarum, & Inquiſitores non conſtituuntur ad omnes cauſas cognoſcendas, & judicandas; ſed ſolùm ad illas, quæ pertinent ad crimen hæreſis.

Nihilominus jurisdictio Inquiſitorum hæreticæ pravitatis multa habet, quæ propria ſunt jurisdictionis ordinariæ, eò quia ſub cauſa fidei plures diverſæ contineantur cauſæ. 5
Poſſunt etiam Inquiſitores ut gaudentes jurisdictione ordinaria vices ſuas alijs committere. Tum quia jurisdictio eorum non finitur per mortem Papæ, qui eos deputavit, ut reſcribit Clemens IV. *in c. ne aliqui 10. h. t. in 6.* ubi ait: Officium Inquiſitoris non expirare morte concedentis, ſeu Papæ, nec quoad negotia, quæ nondum erant cœpta, vel orta.

Id tamen procedit de Inquiſitore ſimplici, 6
quia ſi erat cum clauſula usque ad beneplacitum voluntatis, tunc proceditur cum diſtinctione, ut habetur *in c. gratiosè 5. de reſcript. in 6.* ubi dicitur, quòd ſi gratia facta ſit ad beneplacitum Papæ, expirat ejus morte; non ita ſi ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, quia Sedes Apoſtolica non moritur. Jurisdictio autem Inquiſitorum licèt conceſſa ſit cum clauſula *ad beneplacitum*, non tamen expirat ob mortem concedentis, quia conceditur ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, & quidem cumulativè quoad Epiſcopos, ut notat Farinacius *de hæreſ. q. 186. n. 38.* adeò ut illis non præjudicet, ſicut nec præjudicat Capitulo Sede vacante, quia Epiſcopus eſt Ordinarius judex in cauſa hæreſis, ut patet *ex d. c. ad abolendam.* Imò id procedit, non ſolùm quando ſedes vacat abſolutè, verùm etiam quando Epiſcopus eſt captivus, vel non haberet expeditas litteras, ut docet Decianus *in tractat. crimin. lib. 5. c. 21. n. 13.* Quoad verò Miniſtros Inquiſitorum Hiſpaniæ jurisdictio ipſis Inquiſitoribus convenit privativè etiam quoad Epiſcopos, idque exemptione Apoſtolica additis regijs litteris jubentibus eam obſervari, ut notat Portucarrero *in allegat. de jurisdict. Inquiſit. n. 49.* Imò in inquiſitione Hiſpaniæ id conſuetudo obtinuit, ut in cauſa hæreſis ſoli Inquiſitores cognoſcant, Epiſcopis, aut per ſe, aut per Vicarios aſſiſtentibus, adeò ut Epiſcopi non poſſint ſeparatim ab Inquiſitoribus cognoſcere, ſed debeant denuntiationes ſibi factas ad Inqui-

quiſitores tranſmittere, ad quos ſolos pertinet proceſſum formare, & cuſtodire Reos in ſuis carceribus, ut notat Sanctarellus *tractat. de hæreſ. c. 40. dub. 2. n. 15.* Inquiſitores autem generatim non ſolùm poſſunt exercere, quæ ſibi competunt de jure, ſed etiam ex conſuetudine, ut notat Portucarrero *allegat. de juriſdict. inquiſit. n. 24.* quia conſuetudo, ſicut & privilegium dat juriſdictionem. Tum quia teſte eodem Portucarrero adſunt litteræ Philippi II. & Philippi III. Hiſpaniarum Regum confirmantes hanc conſuetudinem.

7 Quod ad ætatem Inquiſitòrum attinet, de jure communi requiritur in ipſis ætas annorum 40. ut habetur *in clementin. volentes 2. h. t.* ubi Pontifex mandat, officium inquiſitionis non committi niſi attingenti 40. annum, unde ſi minores eligerentur, electio nulla foret, ut notat Zabarella *in d. clement. volentes n. 3. h. t.* Hodie quia Inquiſitores Italiæ creantur à Cardinalibus Romanæ inquiſitionis de ſcientia ſummi Pontificis, non multum curatur de ætate, quia Pontifex diſpenſat. Qui verò creantur à Generali Inquiſitore Hiſpaniæ, ſufficit, ſi attingant annum 30, ídque ex privilegio ſummi Pontificis, quo derogatur juri communi, ut notat Zanardus *p. 1. c. 9. q. 12.* Imò hæc ætas etiam ſufficit in eorum Commiſſarijs, ut notat Molina *tom. 5. tractat. 5. diſp. 28. n. 23.*

8 An verò Inquiſitores eligendi ſint magis Theologi, quàm Juriſperiti? Cenſerem, Inquiſitores debere peritos eſſe in Theologia, cùm debeant de propoſitionibus hæreticalibus judicium ferre; & etiam in jure canonico, quia plura occurrunt in ſacra inquiſitione, quæ magis ad Juriſperitum pertinent, quàm ad Theologum. Prohibentur Inquiſitores extorquere pecuniam prætextu officij inquiſitionis. Immo ut docet Suarez *de cenſur. diſp. 23. ſect. 5. n. 24.* incurrunt excommunicationem, ſi pecuniam extorqueant, quamvis Sanctarellus *de hæreſ. c. 40. dub. 5. n. 26.* notet, aliquos contrarium docere, & nitatur probare *in clement. volentes. h. t.* Inquiſitores extorquentes pecuniam prætextu officij inquiſitionis non percuti anathemate.

9 Sed contraria ſententia eſt communior, & tantùm limitatur, ſi accipiant pecuniam ſpontè oblatam; vel illam extorqueant prætextu mutui dati, & crediti. In Hiſpania verò referente Scaccia *de judic. lib. 1. c. 87. n. 12.* Inquiſitores, & alij Sancti Officij Miniſtri non ſolùm prohibentur pecuniam extorquere; verùm etiam accipere eſculenta, & poculenta; ídque ſub pœna excommunicationis, privationis officij, & reſtitutionis dupli, imò ſub ijsdem pœnis tenetur Miniſter revelare, ſi ſciat alium Miniſtrum eam accepiſſe. Generatim omnes Inquiſitores anathemate feriuntur juxta *clement. volentes §. verum h. t.* ſi omittant procedere contra hæreticos, odij, rancoris, vel lucri causâ, nec poſſunt extra mortis articulum abſolvi, niſi à ſolo Romano Pontifice. Secus tamen, ſi omittant procedere ob timorem incuſſum, vel ad evitanda ſcandala, ut notat Locatus *in privil. V. inquiſitio. n. 19.*

An verò Inquiſitores incurrant irregularitatem, ſi Reos familiares remittant Judici laico in caſu, quo non gaudeant privilegio fori, negat Vanshel *in c. ſi judex laicus de ſent. excommun. in 6.* quia tunc Inquiſitores non damnant Reos, nec juriſdictionem committunt laicis, ſed tantùm remittunt cauſam ad judicem competentem laicum, ut notat Suarez *de cenſuris. diſp. 47. ſect. 1. n. 10.* quia licèt Judices eccleſiaſtici, & Inquiſitores tradentes degradatum brachio ſæculari, vel de hæreſi convictum, non fiant irregulares *ex c. novimus, & c. ſi Judex de V. S.* ut etiam ex Bulla Gregorij XIV. in qua Pontifex cum Judicibus tradentibus Reos in caſibus exceptis brachio ſæculari non diſpenſat, ſed tantùm declarat, ipſos non incurrere irregularitatem. Conſultius tamen ſemper eſt, ut Inquiſitores non eos remittant brachio ſæculari inconſulto ſupremo Inquiſitore, ſed tantùm ex ejus conſilio. 10

Non ſolùm Inquiſitores cognoſcunt in cauſa hæreſis; verùm etiam de ſacrilegijs, quæ manifeſtè non ſapiunt hæreſin, ídque per Bullam Sixti V. ſed cumulativè quoad Epiſcopos, ut notat Leone *lib. de ſortileg. c. 8.* ubi addit, Epiſcopos poſſe cognoſcere in cauſa ſuperſtitionum, incantationum, beneficiorum, & blaſphemiarum, niſi ſapiant manifeſtè hæreſin; & abſque Inquiſitorum interventu eaſdem cauſas etiam decidere, & ſic cenſuiſſe ſacram Congregationem Generalem Romanæ inquiſitionis die 21. Decemb. 1602. refert Diana *p. 4. tractat. 8. reſol.* 107. In cauſis verò lamiarum inquiſitio Hiſpanica procedit ſimul cum Epiſcopo juxta *textum c. per hoc. 17. h. t. in 6.* & *Extravag. ex eo 1. h. t.* ubi Benedictus II. declarat *in d. c. per hoc. h. t. in 6.* quòd Ordinarius. & Inquiſitores debeant proceſſus communicare. Sin verò in hac cauſa ſoli procedant, factum tenet ex conſtitutione Alexandri VI. ad Angelum de Verona Inquiſitorem. Sin verò Reus, vel ſuſpectus de hæreſi citetur eodem tempore ab Epiſcopo, & Inquiſitore, poteſt tunc, quem voluerit adire, ut docet Molina *tractat. 5. diſp. 20. n. 17.* 11

Alij tamen cenſent, teneri Reum adire Inquiſitorem, eò quia juriſdictio Inquiſitoris ut delegata à ſummo Pontifice eſt major Ordinaria, quæ convenit Epiſcopo. In Hiſpania verò ſoli Inquiſitores Reos citant, & hi tenentur eos accedere, non verò Epiſcopos. Non tamen debent Inquiſitores adigere ſuſpectum vehementer de hæreſi ad abjurandum ſine Epiſcopo: ſi tamen id præſtarent, abjuratio teneret, & Reus maneret ſubjectus pœnæ relapſi, eò quia non ſit aliud in jure expreſsè ſancitum, & id etiam procedit de Epiſcopo, ſi ſine Inquiſitore cogeret talem ſuſpectum de hæreſi ad abjurandum. 12

Verùm id potiùs videtur dependere ex inolita locorum conſuetudine; ſiquidem in pleriſque locis conſtat, Inquiſitores adigere Reos ad abjurandam hæreſin ſine Epiſcopo. An 13

verò

verò poſſint Inquiſitores ſine Epiſcopo Reos abſolvere, negat Simanca *cath. inſtit. tit. 3. n. 9.* affirmat verò Molina *diſp. 28. n. 15.* veriùs tamen diſtinguit Zanardus *p. 2. c. 6. q. 15.* ſi enim Reus non ſit convictus, nec confeſſus, nec ſufficienter indicatus ad torturam, poſſunt Inquiſitores ſine Epiſcopo eum abſolvere, ut etiam Epiſcopus ſeorſim ab Inquiſitoribus. Sin verò fuerit confeſſus, vel ſit ita indicatus, ut debeat torqueri, tunc non poſſunt Inquiſitores ſine Epiſcopo Reum abſolvere; ratio eſt, quia tortura non poteſt infligi niſi ab utroque ſimul, & negotium grave exigit ex ſe cognoſci à pluribus. Verùm id etiam videtur dependere ex locorum conſuetudine, ſiquidem conſtat, in aliquibus Provincijs conſuetudinem vigere, ut Inquiſitores ſine Epiſcopo ſententiam proferant abſolutoriam, quam conſuetudinem approbat Diana *p. 4. tractat. 8. reſol. 50.* cum Sanctarello *de hæreſi c. 40. dub. 2. num. 13.*

14 Quoad verò pœnas infligendas, ſi Inquiſitores, & Ordinarij diſcrepent, tenentur Romanum Pontificem conſulere, ut deſumitur *ex c. per hoc. 17. h. t. in 6.* Idque tamen procedit in inquiſitione Romana, quia in Hiſpanica ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, & præſertim Clementis VIII. non recurritur ad Papam, ſed ad Senatum ſupremæ inquiſitionis. Id intereſt diſcriminis inter utramque inquiſitionem Romanam, & Hiſpanicam, quia in illa, ubi Inquiſitor ſimul cum Epiſcopo pœnam injunxit delinquenti, poteſt cum eodem illam mitigare; quod ad ſolum ſupremum Inquiſitorem in Hiſpania pertinet, ut notat Pegna *direct. p. 3. comm. 108.* In Romana etiam id ſolùm commulativè fieri poteſt ex mandato Urbani VIII. apud Pariolam *V. pœna §. 15.* ubi autem ſunt plures Inquiſitores, unus ſine altero poteſt leviora exercere; non ita procedere ad capturam Reorum, nec ad indicendam purgationem, nec ad publicationem teſtium, nec ad copiam actorum Reo dandam, niſi alter illorum abſit, ut docet Simanca *tit. 34. n. 27.* ubi addit, hanc eſſe inſtructionem Toletanam, unde debent Inquiſitores in pœnis injungendis conſilium petere *ex c. fin. h. t. in 6.*

15 An verò in tali caſu vota conſultorum ſint deciſiva, adeò ut Inquiſitores teneantur ea ſequi, affirmant Souſa *lib. 1. c. 1. n. 14.* & Zanardus *p. 2. pr. c. 6. q. 42.* ubi addit, Inquiſitores à votis Conſultorum in tribus præſertim caſibus non debere diſcordare. Primò quando cum Conſultoribus conſentit Epiſcopus. Secundò quando omnes Conſultores ſunt ejuſdem voti. Tertiò quando major pars conſentit in innocentiam inquiſiti. Quòd ſi Inquiſitores neglectâ Conſultorum advocatione ſententiam proferrent, aliqui cenſent, eam fore tunc invalidam ea innixi ratione, quia Peritorum conſilium concurrat ut forma, ſine qua actus non ſubſiſtit, idque deſumitur ex *c. dilecto de reſcript. & ex c. cum in veteri de elect.* ubi Pontifex annullat electionem ob omiſſum conſilium.

Alij tamen cenſent, peritorum conſilium, non concurrere ut formam, ſed ut rectè procedatur: quia quando habenti jam poteſtatem, mandatur peti conſilium, cenſetur id mandari, ut actus rectè procedat, non verò ut validè, ita docet Sylveſter *V. conſilium 1. q. 3.* atqui Inquiſitores ab Urbano IV. & Clemente IV. aliiſque Pontificibus jam obtinuerant poteſtatem ferendi ſententiam abſolutam contra hæreticos: & poſtea à Boniſacio VIII. injunctum ipſis fuit, ut in ſententijs ferendis peritorum conſilia adhiberent, ut liquet *ex c. fin. §. ſed major. h. t.*

Poſſunt Inquiſitores Reos capere etiam in 16
alieno territorio etiam ſine litteris ſubſidialibus Dominorum temporalium, quia hæreſis eſt crimen fori eccleſiaſtici, & non pertinet ad Judices laicos, unde Inquiſitor poteſt citare per proprium Nuntium in quovis loco Reos, quia omnia loca ſubſunt Imperio, & jurisdictioni ſpirituali ſummi Pontificis, cujus Inquiſitores, & Epiſcopi ſunt Delegati. Debent tamen Inquiſitores alijs Inquiſitoribus, & Epiſcopis litteras mittere requiſitorias, ut notat Scaccia *de judic. lib. 1. c. 23. n. 4.* Rurſus Inquiſitores poſſunt habere familiam armatam, ut notat Pegna *p. 3. q. 56. comm. 130.* ubi addit, poſſe Inquiſitores licentiam dare deferendi arma, non ſolùm Officialibus deſtinatis ad denuntiandos, vel capiendos hæreticos, & comitandos Inquiſitores; verùm etiam cæteris Miniſtris, qui ex quavis alia cauſa inſerviunt S. officio, cujusmodi ſunt Advocati, Notarij, Conſultores.

In cauſis verò criminalibus ſuorum familiarium Inquiſitores Hiſpaniæ habent jurisdi- 17
ctionem exceptis certis criminibus. Imò etiam in cauſis civilibus, ut notat Ferdinandus de Caſtro *tom. 1. tractat. 4. diſp. 8. punct. 12. §. 2. n. 9.* & hæc jurisdictio Inquiſitorum in ſuos familiares eſt eccleſiaſtica, & ſæcularis, quia Joannes XXII. illis conceſſit familiam armatam, cujus nomine, ut notat Zanardus *p. 2. pr. 1. c. 6. q. 31.* comprehenduntur Notarij, Advocati, Conſultores, Fiſcales, aliique familiares.

Non tamen poſſunt Inquiſitores legere, vel 18
concedere alijs licentiam legendi libros hæreticorum, vel alios prohibitos. Neque eximuntur à reſidentia parochiali, ut notat Sanctarellus *p. 1. q. 11. n. 4.* habentur nihilominus ut præſentes in ordine ad percipiendos fructus ſuarum præbendarum, & etiam quotidianas diſtributiones ex ſpeciali privilegio Pauli III. & Pij V. ijsdem conceſſo in favorem fidei; & habetur etiam declaratio Cardinalium apud Garziam *de beneſic. tom. 1. p. 3. c. 2.* Poſſunt tamen Inquiſitores ſub pœna excommunicationis præcipere, ut Clerus, & populus eorum ſermonibus aſſiſtant, ut deſumitur *ex c. ut commiſſi 12. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ait *convocando etiam clerum, & populum*, ut notat Simanca *tit. 34. n. 24.* Imo Avila *de cenſur. p. 2. c. 5. diſp. 1. dub. 5.* addit, præceptum hoc Inquiſitorum, injungens omnibus

ſub pœna excommunicationis convenire in templum ad audienda edicta fidei, obligare ſub mortali, eò quia id fiat in conſervatinnem fidei, nt nimirum fideles ſciant, quid ipſis Inquiſitores denuntient.

20 A ſententia definitiva Inquiſitorum lata contra hæreticos, enrúmque Fautores non datur appellatio niſi ab interlncutnria, ut habetur *in c. ut inquiſitonis 18. h. t. in 6.* Poteſt tamen quis appellare à decreto torturæ *ex l. 2. C. de appell. recip. & l. penult. C. quorum appell. non recipiunt.* niſi appellatio eſſet frivola, & calumnioſa; quia non obſtante appellatione poſſent tunc Inquiſitores ad ulteriora procedere, ad cngnoſcendam verò appellationem frivolam remittitur arbitrio prudentum. Farinacins verò *q. 36. n. 27.* cenſet tunc eſſe frivolam, ſi in proceſſn appareant legitima indicia torturæ, quæ purgata non ſint in termino defenſtonis. Verùm ſi appellatio calumniæ non ſit clara, & dubium ſit tam ſacti, quàm juris, tunc debent Inquiſitores ſnperſedere à tortura, donec judex appellationis pronuntiet, ut notat Diana *p. 4. tractat. 6. reſolut. 20.* Imò tenentur etiam ſuperſedere à proceſſu criminis recèns delati cnntra Reum, qui jam appellavit in alia cauſa, & etiam expectare reſponſum ſuperioris, niſi ſnrtaſſis cauſa ſuerit una ex graviſſimis, quia tunc nnn obſtante appellatinne pnſſunt Inquiſitnres prncedere, ut notat Diana *loc. cit.* Inquiſitores Regulares, ſi delinquant in ſuo officio, non ſunt puniendi à ſuis Prælatis, ſed extra Hiſpaniam à Cardinalibus Rnmanæ Inquiſitionis, & in Hiſpania à Generali Inquiſitore, quia Inquiſitores quoad officium inquiſitionis ſunt exempti à ſuis Prælatis regularibus.

21 Quinimò etiam, ſi delinquant extra officinm inquiſitionis, non poſſunt puniri, ut pœna retardet officium inquiſitionis: ſed tunc ſuperiores Regulares poſſunt informationes ſumere, eáſque transmittere ad ſupremum tribunal inquiſitionis. Imò ſupremus Inquiſitor generalis non videtur poſſe ad libitum removere Inquiſitores, eóſque à loco ad locum transferre, niſi interveniat juſta cauſa, quæ poteſt eſſe triplex, qnarum prima eſt, ſi non haberent debitas conditiones. Secunda ſi ſuperveniente infirmitate fierent ad officinm inhabiles. Tertia ſi in exercendo officio doloſè deliquerint. Ex triplici itidem canſa poſſunt transferri de loco in locum. Prima ſi Inquiſitor aptior eſſet pro uno, vel altern loco. Secunda, ſi cnntra ipſum ſuſcitatæ eſſent rixæ, & odia capitalia, eò quia proceſſerit contra nobiles. Tertia, ſi non benè ſe habeat cum Principibus: & in duobus poſtremis caſibus debet Inquiſitor transmitti ad locum meliorem, ne videatur puniri, ex en, quòd rectè fuerit functus ſuo officio, ut nntat Zanardus *p. 2. c. 6. q. 9.* Cæterum Inquiſitnres in remittendis pœnis majorem habent poteſtatem, quàm alij Judices, ut deſumitur *ex c. commiſſi 12. h. t. in 6.* Immo Cartharius *in pract. interrog. Reor. lib. 2. c. 1. n. 27.* docet, poſſe Inquiſitores licitè promittere impunitatem Reo, dummodo veritatem fateatur. Non tamen poſſunt promittere, ut laici in canſa fidei cum ipſis aſſiſtant. Ex permiſſione tamen Pnntificis poſſunt laicos admittere, non tamen ut habeant votum deciſivum, ſed tantùm ut videant, quòd rectè procedatur contra hæreticum: & hoc pacto procedere Venetijs cnnſuetudinem introductam, nt cum Inqniſitore aſſiſtat unus ex Senatoribns, cenſet Thuanus *lib. 4. hiſtor.* anno 1548.

Non poſſunt Inquiſitores ſuam exercere jurisdictionem niſi in ſnlos baptizatos ex Tridentino *ſeſſ. 14. c. 2.* ſive hæreſin intendant punire, ſive Judaiſmum, vel Paganiſmum, quinimò Sanctarellus *de hæret. c. 1. dub. 2. n. 6.* & alij in ea ſunt opinione, ut cenſeant invalidè baptizatum ex defectu fnrmæ, vel materiæ, ant intentionis non ſubjacere jurisdictioni Inquiſitorum, eò qnia non ſit membrum Eccleſiæ, & debeat rebaptizari, ut fiat tale membrum. Alij verò, inter quos Simanca *tit. 31. n. 5.* & alij procedunt cum diſtinctinne: vel enim talis ſe exiſtimat baptizatum, & tunc ſubjicitur jurisdictioni Inquiſitorum, eò quia revera ſit baptizatus baptiſmo flamminis, vel non ſe pntat baptizatum, & tunc non ſubjacet tali jurisdictioni. In dnbio autem, an quis revera ſuſceperit baptiſmum, etiam ſolet procedi cum diſtinctione; vel enim Reus natus, & converſatus eſt inter infideles, & tunc dicunt nnn præſumi baptizatum. Qnòd ſi natus qnis eſſet inter Chriſtianos, & poſtea converſatus cum infidelibus, eò quia ab ijsdem captus fuerit, tunc ſi captus fuit infans nondum ſeptennis, licèt præſumatur baptizatus, non tamen poteſt ab Inquiſitoribus puniri: benè tamen, ſi captus fuiſſet poſt annum diſcretionis, ut notat Diana *p. 4. tractat. 8. reſol. 113.* 22

Quòd ſi Papa in hæreſin laberetur, tametſi ſit baptizatus, nnn tamen poſſent Inquiſitores Romani, nec alij contra illum procedere, quia prima ſedes à nemine judicatur; quinimò neque poſſunt Inquiſitnres procedere contra Nuntios, & Officiales Sedis Apoſtnlicæ, ſeu contra illos, qui nomine Sedis Apoſtolicæ delegantur ad negotium, quod pertinet ad eandem ſedem, ut notat Diana *p. 4. tractat. 8. reſol. 24.* immo neque poſſunt procedere contra Epiſcopos, nec eos ex quavis cauſa anathemate percutere: ſicut nec Epiſcopi pnſſunt procedere contra Inquiſitores, ut putat Megala *p. 3. lib. 1. c. 3. q. 2. n. 43.* Sin verò Epiſcnpus de hæreſi ſuſpectus; itidem eſſet ſuſpectus de fuga, vel aliqnid moliretur in maniſeſtum fidei detrimentum, capi tunc poſſet ab Inquiſitoribns, & cuſtodiri, donec ſummus Pontifex conſuleretur, ut nntat Zanardus *loc. cit. q. 22.* Imò in alijs caſibus poſſunt etiam Inquiſitnres recipere dicta teſtium, & proceſſum mittere cum cautelis ad ſnmmum Pontificem, ut dncet Suarez *de fide. diſp. 20. ſect. 4. n. 25.* & hoc idem vice verſa poſſunt Epiſcopi contra Inquiſitores ſuſpectos de hæreſi. 23

Non

Non tamen unus Inquiſitor poteſt procedere contra alium Inquiſitorem, quia par in parem non habet juriſdictionem, ut notat Zecchius *tom. 1. tit. de hæreſ. c. 11. n. 13.* Contra alios verò poſſunt Inquiſitores procedere, quamvis ſint Religioſi exempti, & non obſtante limitatione Pij V. in ſua conſtitutione, cui initium *Paſtoris æterni*, ubi dicitur, dummodò à ſuis ſuperioribus præventi non fuerint, quia hodie contrarium obſervatur ob poſteriorem conſtitutionem Pauli V. in qua interdicit Prælatis Regularibus cognoſcere de cauſis hæreticalibus ſuorum ſubditorum.

§. VIII.

De Criminibus, ad quæ ſe extendit Inquiſitorum juriſdictio.

1 CErtum eſt, delicta ad tribunal ſacræ inquiſitionis pertinentia plura eſſe, & eorum præcipuum eſſe ipſam hæreſin, ut deſumitur *ex c. accuſatus 8. §. ſanè h. t. in 6.* ubi Alexander IV. reſcribit, Inquiſitores hæreticæ peſtis deputatos à Sede Apoſtolica debere diligenter inquirere de ipſa hæreſi, & etiam de annexis eidem, & quæ ſapiunt hæreſin; quia ſemel, quòd tenentur cognoſcere in cauſa hæreſis, debent etiam poſſe cognoſcere de annexis, & incidentibus: & ratio deſumitur ex *l. nulli C. de judic.* cui enim conceditur cauſa principalis, conceduntur quoque connexa incidentia, & emergentia ex eadem cauſa, ut notat Menoch. *de arbit. lib. 1. q. 45. n. 9.*

2 Rurſus nomine hæreſis non ſolùm intelliguntur propoſitiones hæreticæ. Verùm etiam erroneæ, temerariæ, ſcandaloſæ, offenſivæ piarum aurium, & aliæ id genus, quia Eccleſia omnes has propoſitiones conſuevit ſemper damnare, quarum plures damnavit Concilium Conſtantienſe in Wicleffo. Pius V. & Gregorius XIII. in Michaële Bajo, Innocentius XI. in Michaële Molinos: unde Inquiſitores poſſunt procedere contra proferentes, ac propugnantes tales propoſitiones, ut ſi quis cum Soto *in 4. diſt. 19. q. 3. art. 2.* doceret, animas in purgatorio non detineri ultra decem, aut viginti annos, eò quia ſit opinio temeraria, utpote contra conſuetudinem Eccleſiæ celebrantis anniverſalia, & miſſas ultra viginti annos. Si Confeſſarius itidem detrectaret abſolutionem impertiri pœnitenti, niſi revelaret complicem, doceι Medina *in ſumma lib. 2. c. 4. §. 5.* quòd eſſet denuntiandus ut hæreticus, & ut talis puniendus ab Inquiſitore.

3 Verùm contraria ſententia eſt communior, quia tametſi ſit hæreſis dicere licitum eſſe proximo honorem detrahere, eúmque infamare, dubium tamen eſt, an revelare complicem in confeſſione ſit illum infamare, ut rectè notat Diana *p. 4. tractat. 8. reſolut. 97.* Juvat obſervare, quòd tametſi Concilium Tridentinum frequenter dicat, Epiſcopos contra propoſitiones temerarias, & cæteras ejuſdem ſurfuris debere procedere; non tamen per hoc Concilium derogat poteſtati Inquiſitorum, quia poteſtas delegata immediatè à ſummo Pontifice eſt major ordinariâ. Alij etiam explicant, Concilium eſſe intelligendum de Inquiſitore, qui unà cum Epiſcopo procedit in cauſis fidei, & pertinentibus ad fidem.

Putat tamen Decianus *lib. 5. c. 23. n. 13.* 4
non poſſe Inquiſitores cognoſcere de emergentibus, & dependentibus ab hæreſi, ſi immediatè ad ipſos non pertineant, eò quia eorum juriſdictio ſit limitata.

Crimina, quæ dicuntur hæreſin ſapere, 5
& de quibus poſſunt Inquiſitores cognoſcere, plura ſunt. Primò Apoſtaſia adeò ut poſſint Inquiſitores procedere contra Apoſtatas, qui à fide catholica defecerunt, & in alias ſectas tranſierunt, quia licèt in *c. contra Chriſtianos 13. h. t. in 6.* Bonifacius VIII. tantùm loquatur de Chriſtianis tranſeuntibus, vel redeuntibus ad judaiſmum, id tamen intelligitur communiter de tranſeuntibus ad ritus Saracenorum, & Paganorum: quia in favorem fidei extenſio fit etiam in pœnalibus, quia quæ ſunt odioſa particularibus, favorabilia ſunt eccleſiæ, quæ præferenda eſt particularibus. Apoſtatæ verò à religionibus clauſtralibus non puniuntur à S. officio; niſi fortaſſis apoſtaſiæ addant quid aliud, quod hæreſin ſapiat, ut ſi Religioſus depoſito habitu ſuæ religionis tranſiret ad partes hæreticorum. Si habitum ipſum religioſum depoſitum laceraret, pedibus conculcaret, & blaſphemias evomeret in religiones; Si uxorem duceret, celebraret cum excommunicatione, vel quid aliud ab Eccleſia prohibitum efficeret, ut etiam ſi ultra annum ſordeſceret in excommunicatione.

Secundò poſſunt Inquiſitores etiam procedere contra proferentes blaſphemias hæreticales etiam in iracundia, vel etiam ſub conditione, ut ſi quis diceret, *non credo DEUM eſſe, niſi id faciam*, quia in hac blaſphemia includitur pura affirmatio, & quamvis blaſphemus ſub conditione cenſeatur id aſſerere, nihilominus quia paratus eſt, & habet voluntatem id faciendi, ideo cenſetur credere Deum non eſſe. Non tamen cenſerem blaſphemum ex iracundia eſſe ſtatim puniendum ut hæreticum, quia ceſſante iracundiâ ipſum pœnitet prolatæ blaſphemiæ: tum quia iracundia mentem perturbat, & minuítque voluntarium. Non tamen blaſphemia hæreticalis cenſenda eſt mixti fori, & in ea dari locum præventioni tam quoad judicem eccleſiaſticum, quàm quoad laicum, quia blaſphemia hæreticalis eſt crimen eccleſiaſticum, & pertinet ad ſolos judices eccleſiaſticos de illa cognoſcere, ut rectè notat Lorca *in 2. 2. q. 13. art. 2. diſp. 57.* immo Sanctarellus *de blaſphemia c. 8. dub. 1. n. 1.* ex Bulla Julij III. cenſet, ad Inquiſitores pertinere cognoſcere de quacunque blaſphemia etiam non hæreticali. Eſt autem blaſphemia hæreticalis, quæ falſum contra fidem formaliter, vel virtualiter exprimit, & ad illam pertinent nomina convicij Deo attributa, ut ſi quis Deum diceret injuſtum: licèt id expreſſè non affirmetur enuntiando

tiando ; ſed ſimpliciter nominando ; nihilominus virtualiter affirmatur eſſe injuſtus, propterea blasphemia ſaltem virtualiter eſt hæreticalis. Blasphemia non hæreticalis dicitur, quæ nec formaliter, nec eminenter continet falſitatem contra fidem, cujusmodi ſunt blasphemiæ, quæ proferuntur per modum optandi, imperandi, aut imprecandi, ut etiam, quæ fiunt nominando aliquid, quod Deo ineſt, ſed per modum contumeliæ, vel irriſionis, & poſſunt Inquiſitores tales blasphemos punire juxta Floranum *de caſ. reſer. p. 2, c. 3. n. 8.* Blasphemiæ verò, quæ non ſunt hæreticales, cùm ſint mixti fori, poſſunt ſufficienter puniri etiam à Judice laico: nihilominus ob ſuſpicionem hæreſis poſſunt iterum blasphemi examinari ab Inquiſitoribus, ut notat Souſa Aphor. *lib. 1. c. 19. n. 24.*

7 Tertiò procedunt etiam Inquiſitores contra conſpurcantes, & percutientes ſacras imagines etiam ex iracundia, quia id olet Lutheranam hæreſin de explodendis imaginibus, ut notat Diana *p. 4. tractat. 7. reſol. 9.*

8 Quartò procedunt etiam contra Schiſmaticos.

9 Quintò etiam contra Sortilegos, Divinatores, Magos, & alios ejusdem furfuris homines, quia quamvis de jure antiquo ſolùm potuerint cognoſcere, quando dicta crimina ſaperent manifeſtam hæreſin.

10 Hodie tamen jure novo ex conſtitutione Sixti V. Inquiſitores cognoſcunt, ac procedunt contra Sortilegos, Maleficos, & facientes brevia cum characteribus, ſeu litteris ignotis, vel recitantes quasdam orationes, pro ſanandis infirmis, vel fabricantes imagines cereas, ac ferreo ſtylo puncturis eas vulnerantes ad amorem, vel infirmitatem inducendam, vel maleficia facientes capillis, ferramentis, clavis, lapidibus, & alijs ſimilibus ab ore maleficiatorum evomendis. Ut etiam in aſpicientes ſpeculum, vel cribrum, aut phialam cum candelà, & aqua benedicta, recitantes aliqua verba pro furtis inveniendis, vel ad cognoſcenda ſecreta. Hi enim omnes jure novo ſubijciuntur jurisdictioni Inquiſitorum, qui contra ipſos procedere poſſunt, ut notat Riccius *tom. 1. rc. fol. 423.* non tamen privativè, ſed cumulativè quoad Epiſcopos. Ratio eſt, quia correctio juris vitari debet, quantum poteſt, & quia conſtitutio Sixti eſt odioſa Ordinarijs, reſtringi debet. Verùm an conſtitutio Sixti V. ſit ubique recepta dubitat Maura *opuſc. 1. ſect. 3. c. 1. n. 9* & ſuſpicatur, an in Luſitania recepta ſit: hinc Freytas *q. 5. n. 35.* cenſet, ſortilegia dummodo hæreſin non ſapiant poſſe à laicis judicibus cognoſci, ſi hi prævenerint eccleſiaſticos. Sapit verò Sortilegium manifeſtè hæreſin, ſi in illo ſacramenta adhibeantur, ut cenſent plures, ut etiam ſi adhibeatur hoſtia non conſecrata, ſupra quam tamen ſit miſſa celebrata, ut notat Scaccia *de judic. lib. 1. c. 12. n. 34.* Item ſi adhibeantur ſacramentalia, aut verba ſacra, ut evangelium, ſymbolum, pater noſter, Ave Maria, *Pſalmus* aliquis, aut verba ſacræ ſcripturæ, vel orationes Eccleſiæ, vel cerei agni DEI, aut veſtes ſacerdotales, vel res aliæ ſacræ: ratio eſt, quia adhibentes in ſortilegijs res ſupra dictas ſignificant ſe credere illas ad maleficiorum effectus vim habere, proinde abutuntur rebus ſacris, & præſertim ſi addantur Sanctorum Reliquiæ.

Rurſus quælibet Dœmonis invocatio ſapit 11 hæreſin manifeſtam, tametſi nulla rerum, aut verborum interveniat mixtura, ídque procedit, ſive invocatio fiat verbis imperativis, ſive deprecativis, ut notat Spina *Apol. 4.* contra Ponzinibium. Verùm non videtur rationi conſonum, quòd homo imperet Dœmoni, cui nulla terrena poteſtas poteſt comparari: unde veriùs, & communiùs dicunt alij, hanc invocationem ut effectum habeat, ſupponere pactum cum dœmone, cujus commercium nobis omninò interdictum eſt. Hinc Sortilegi dicuntur hæreſin ſapere, quando præſentia, aut præterita occulta revelant, ut furta, quia hæc non poſſunt aliter ſcire, quàm dœmone ſuggerente, ut etiam ſi quis à dœmone petat, ut theſaurum revelet, ut rem aliquam de loco ad locum transferat, ut ventos excitet, tempeſtates in aëre cieat; impediat, ne plumbeus globus ex ſclopeto exploſus hominem lædat; hæc enim, & alia plura id generis ſemper ſupponunt pactum cum dœmone initum, & invocationem dœmonis, quæ cùm ſapiat hæreſin manifeſtam, contra tales procedunt Inquiſitores. Imò huc etiam ſpectat cauſa Lamiarum, & Strigarum, ſed cumulativè quoad Epiſcopos. Ut etiam ſpectat huc cauſa Enſalmatorum, ſiquidem ad Inquiſitores pertinet Enſalmos cognoſcere, & Enſalmatores punire ſaltem cumulativè ex conſtitutione Sixti V. Immo id procedit tametſi Enſalmatores non ſapiant manifeſtam hæreſin, ut notat Leamas *3. p. metod. c. 3. tit. incant. §. ad ſecundum*, ubi fusè oſtendit, quinam Enſalmi hæreſin ſapiant manifeſtam, & quinam hodie ſubdantur Inquiſitoribus. Rurſus cognoſcunt etiam Inquiſitores ſuper mulierculorum revelationibus, ut notat Torres *in 2. 2. tom. 3. q. 95. art. 2. diſp. 3.* ubi etiam doctè tradit regulas ad cognoſcendum, quando revelationes ſunt à Deo, vel à Dœmone. Cognoſcunt etiam, & procedunt Inquiſitores contra Aſtrologos judiciarios ex conſtitutione Sixti V. eò quia eorum modus revelandi ſit valde periculoſus Reipublicæ, pluribúsque ſuperſtitionibus expoſitus.

Neque obſtat, ſi dicant, ſe eventus futuros non certè affirmare; quia id potius cenſentur dicere ad vitandas pœnas ſtatutas in Aſtrologos judiciarios. Huc etiam ſpectat cognitio illarum mulierculatum, quæ dicuntur Ægyptianæ vagantes, ac divinantes bonam, vel malam fortunam quæſtûs causâ: poſſunt enim Inquiſitores contra illas procedere, quia comprehenduntur ſub ſpecie Divinatorum. 12

Sextò procedunt etiam Inquiſitores contra legentes, aut retinentes libros hæreticorum, Necromanticorum pentacula, ídque jure novo ex conſtitutione Urbani VIII. ut etiam con- 13

tra

tra legentes libros aſtrologiæ judiciariæ, libróſque ab ipſis Inquiſiroribus prohibitos,

14 Septimò, procedunr etiam contra laicos, & eccleſiaſticos non ſacerdotes, ſi auſu temerario miſſam celebrent, vel confeſſiones excipiant, ídque jure novo ex conſtitutionibus Pauli IV. Gregorij XIII. Sixti V. & Clementis VIII. quas refert, & explicat Scorcia *in Bull. epis. 162. theor. 403.* ut etiam contra ſacerdotem non conſecranrem hoſtiam, & vinum appoſitum, eò quia ſit in peccato mortali, & elevantem hoſtiam non conſecratam, quia eam exponit adorandam à fidelibus, quæ non poteſt adorari.

15 Octavò, procedunt etiam contra ſolicitantes pœnitentes in confeſſione, vel prætextu confeſſionis, ídque jure novo ob conſtitutiones Clementis VIII. & Gregorij XV. immo Sanctarellus *de hæreſ. c. 44. dub. unic. num. 2.* vult hanc cognitionem convenire Inquiſitoribus etiam de jure communi, eò quia tales Confeſſarij ſint ſuſpecti de hæreſi. Verùm quicquid ſit de jure communi, certum eſt, hodiè Inquiſirores cognoſcere de hac re cumulativè quoad Epiſcopus: & etiam convenit iiſdem cognoſcere contra Confeſſarios revelantes confeſſiones cum errore putantes id ſibi licere, vel aliter malè de ſacramentis Eccleſiæ ſentientes, ut notat Molfeſius *tom. 1. tract. 7. c. 23. n. 68.*

16 Nonò, etiam contra clericos conſtitutos in ſacris, & Religioſos profeſſos matrimonium contrahentes, ut etiam contra conjugatum, qui in religione profitetur ſine licentia propriæ uxoris manentis in ſæculo, vel Ordines ſacros ſuſcipit, ut notat Diana *p. 4. tractat. 7. reſol. 4.* Ut etiam contra binas nuptias contrahentes ſimul. Hoc autem crimen eſt mixti fori, adeò ut detur locus præventionis, ut notat Genuenſis *in prax. 68. c. 13.* ubi ait, quòd ſi curia ſæcularis Reum præveniat, debeat ad Inquiſitorem remittere, à quo torqueatur ſuper intentione; & ut abjurare eum faciat: deinde remittat ad curiam ſæcularem puniendum pro Bigamia. Secus ſi Inquiſitor Reum prævenerit, punitur in totum ab ipſo, adeo ut curia ſæcularis non poſſit ſe ampliùs eidem crimini immiſcere, ídque ex litteris Congregationis ſancti officij, quæ aſſervantur in curia, ut notat Diana *p. 4. tractat. 7. reſolut. 4.*

17 Decimò, contra ſpretores campanarum, eò quia contemptus campanarum ſit unus ex Turcarum erroribus, ut notat Riccius *tom. 1. reſol. 423.*

18 Undecimò, contra lacerantes cedulones, in quibus exprimuntur nomina Excommunicatorum, quia tales cenſentur ſuſpecti de hæreſi, ut notat Homobonus *p. 4. reſponſ. 16. vol. 1.*

19 Duodecimò, contra inſordeſcentes in excommunicatione ultra annum, quia tales etiam habentur ſuſpecti de hæreſi, ut docet Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 3.* Debuit tamen excommunicatio proceſſiſſe ex cauſa fidei, ut tenuit Rota Romana apud Gonzales *in regul. 8. Cancell. Gloſſa 5. n. 106.*

Tertiodecimò, contra comedentes carnes diebus prohibitis, & non recipientes ſacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſemel in anno; quia hi cenſentur etiam valdè ſuſpecti de hæreſi, ut notat Zecchius *tom. 1. de fide c. 11. n. 5.* Verùm quia id poteſt fieri ex mentis errore, ad Inquiſitores pertinet diligenter circumſtantias examinare. Contra tamen non communicantes in paſchate ſolent Epiſcopi procedere. 20

Quartodecimò, contra ſumentes in communione plures hoſtias, vel particulas conſecratas, ea intentione, ut plus gratiæ inde recipiant, ut notat Diana *p. 4. tract. 8. reſolut. 96.* 21

Quintodecimo contra Fautores, Defenſores, & Receptores hæreticorum, ut fusè probat Duardus in Bulla Cœnæ *can. 1. q. 33. n. 4.* 22

Immo procedere etiam poſſunt contra Magiſtratus, ſi aliquid ſtatuant, quod eorum juriſdictionem impediat cogendo eos cenſuris ad revocanda talia decreta, quæ ipſo jure ſunt irrita, ut deſumitur *ex c. ſtatutum 9. h. t. in 6.* ubi Urbanus IV. reſcribit, ſtatuta loci, quæ directè, vel indirectè impediunt, vel retardant Inquiſitores, non procedere, nec valere; & Rectores compellendos eſſe cenſuris, ut ſtatutum deferant Inquiſitori, ut ſi quid tale reperiatur, revocetur, ne quoquo modo impediatur, vel retardetur proceſſus inquiſitionis. Ut etiam ſi negligant præſtare auxilium, & favorem pro capiendis hæreticis. Vel ſi latam contra hæreticos ſententiam nolint exequi non obſtante prætextu, quòd ſententia ſit injuſta, quia Magiſtratus ſæculares non debent ſe immiſcere in cauſis hæreticalibus, ut etiam ſi Miniſtros inquiſitionis, Denuntiatores, & teſtes minis perterrefaciant, ne ſua obeant munia; vel ſi illos offendant, retineant, reijciant, ut officium inquiſitionis impediant, ídque ex conſtitutione Pij V. in Bulla, cui initium eſt, *ſi de protegendis* edita anno 1579. quam Bullam poſtea renovavit Urbanus VIII. & hæc à fortiori procedunt etiam de quovis alio laico, qui prædictos Officiales S. Inquiſitionis lædat, vel impediat; item procedunt Inquiſitores contra transferentes arma, & equos in terras infidelium, verùm contra hos tantùm procedit inquiſitio Hiſpanica, ut notat Diana *p. 4. tractat. 7. reſol. 19.* 23

Rurſus procedunt Inquiſitores contra falſos teſtes deponentes in cauſa hæreſis, & eorum corruptores, ut notat Sanctarellus *de hæret. c. 39. dub. 3. n. 17.* Immo ex Bulla Gregorij XIII. edita anno 1581. procedunt etiam contra Judæos negantes, quæ habent cum Chriſtianis communia circa fidem, ut Deum eſſe unum, æternum, Omnipotentem, omnium Creatorem, & id etiam privatim inſinuantes. Item invocantes Dæmones, conſulentes, eíſque immolantes thus, & alias fumigationes offerentes verbo, facto, exemplo: vel docen- 24

tes, Chriſtum eſſe purum hominem, aut peccatorem, DEI Matrem non eſſe Virginem, & ſimiles alias blaſphemias hæreticales evomentes, auxilio, conſilio, & opere Chriſtianos ſolicitantes à fide deficere, & ad impias ſectas tranſire. Ut etiam contra hæreticos, & Apoſtatas ſcienter receptantes, alentes, commeatu juvantes, aſſociantes, deducentes. Hi omnes juriſdictioni ſubjiciuntur Inquiſitorum, ut etiam alij, de quibus agit Diana in ſuo *tract. 7. de inquiſit.*

25 Negantes propoſitionem aliquam theologicam, quæ evidenter inferatur ex propoſitione de fide, non poſſunt puniri tanquam hæretici, eò quia revera non ſint hæretici; licèt præſumantur tales, niſi tamen in illa negatione perſtiterint, quia tunc eſſent puniendi ut hæretici negantes principium revelatum. Poſſunt tamen Inquiſitores infideles in caſibus recenſitis punire pœnâ arbitraria majori, vel minori pro qualitate delicti, ſeu pœnâ privationis converſationis cum Chriſtianis, pœnâ pecuniariâ, carceris, verberum, triremium etiam in perpetuum: imò poſſunt Inquiſitores eos etiam tradere Curiæ ſæculari puniendos ultimo ſupplicio ex conſtitutione Gregorij XIII. quia quoties pœna remittitur arbitrio judicantis, extendi poteſt uſque ad mortem, ut notat Diana *p. 4. tractat. 7. reſolut. 2. §. ſed deveniendo.*

26 Poſſunt etiam Inquiſitores pœnâ arbitrariâ punire Apoſtatas. Contemnentes tamen, & conſpurcantes ſacras imagines acriùs puniuntur, ut Gregorius X. ſtatuit in Concilio Lugdunenſi: interdum etiam pœnitentiâ publicâ, vel jejunijs, eleemoſynis, & orationibus, vel mulctâ pecuniariâ. Sin verò comprehendantur errore intellectûs id præſtitiſſe, plectendi ſunt inſtar hæreticorum, aut ſuſpectorum de hæreſi, hoc eſt primò torturâ, poſtea abjuratione, & demum per traditionem ad curiam ſæcularem. Imò addit Souſa *lib. 1. c. 42. n. 16.* quòd ſi hoc delictum publicum ſit, ſive animum hæreticalem quis fateatur, ſive non, tradi debeat Curiæ ſæculari puniendus juxta facti qualitatem. Blaſphemi verò hæreticales ſi ſint homines divites juxta Salzedum *in addit. ad Diaz, c. 110. litt. A.* flagellis cæduntur cum publica pœnitentia, & in publico ſpectaculo linguâ ferro, vel ligno comprehensâ ad triremes mittuntur.

27 Sin verò ſint Nobiles mulctantur pœnâ pecuniariâ, & ad tempus detruduntur in carcerem, non ita arctum, vel recluduntur in Monaſterium. Retinentes, & legentes libros hæreticorum puniuntur ſaltem ut ſuſpecti de hæreſi leviter, vel graviter juxta perſonarum, & librorum qualitatem, & Pegna *p. 2. com. 3.* ait, ſe vidiſſe talibus imponi jejunia, orationes, & peregrinationes. Judæi verò, & alij infideles commorantes in terris Chriſtianorum, & libros Thalmudicos, Cabaliſticos, & alios nefarios audentes apud ſe retinere, legere, reſcribere, advertere, donare, commutare, & alio quoquo modo diſtrahere, puniuntur ad Inquiſitorum arbitrium, & amittunt præfatos libros, ut notat Souſa *lib. 1. c. 21. num. 52.* ex conſtitutione Clementis VIII. in qua habetur, id etiam procedere de typographis, & bibliopolis. Non revelantes hæreticos teſte Deciano *lib. 5. c. 51. n. 25.* perinde puniuntur, ac Fautores hæreticorum.

Alij verò communiùs dicunt, eſſe puniendos arbitrio Inquiſitorum tanquam inobedientes eorum mandatis; adeò ut non habeantur ſuſpecti de hæreſi. 28

Schiſmaticos puniri poſſe pœnâ pecuniariâ, carcere, & triremibus docet Palaus *tom. 1. tractat. 6. diſp. 4. punct. 6. n.* 20. ubi addit, quòd ſi pertinaces ſint, poſſint etiam tradi Curiæ ſæculari. Puniuntur etiam pœnâ amiſſionis juriſdictionis, pœnâ excomunicationis latæ ſententiæ, inhabilitatis ad beneficia eccleſiaſtica acquirenda, etiam poſt ſchiſmatis pœnitentiâ, & privationis ipſo jure beneficiorum ante ſchiſma adeptorum, aliiſque pœnis plectuntur, quæ recenſentur in conſtitutione Pauli IV. edita anno 1559. non tamen incurrunt irregularitatem, quia in jure tantùm ſiunt inhabiles ad beneficia, ut notat Suarez *de cenſ. diſp. 43. ſect. 2. n. 7.* Si tamen crimen eſſet notorium, forent irregolares irregularitate generali, eſſéntque digni depoſitione, quæ tamen depoſitio ceſſat ablata infamia per contrariam ſententiam. Sortilegi, & Magi, hodie ſi ſint homines infimæ notæ, ut plurimùm traduntur triremibus, ut notat Gennenſis *in prax. Archiepiſc. Neapol. c. 68. n. 8.* Sin verò ſint Nobiles detruduntur in carcerem, vel clauduntur in Monaſterijs. Adeſt tamen conſtitutio Gregorij XV. edita 20. Martij 1623. quâ injungit, ut conſtituto, quòd aliqui pactum inierint cum Diabolo, & à fide apoſtatando maleficijs, ſeu ſortilegijs plura commiſerint homicidia, debeant etiam pro primo lapſu tradi curiæ ſæculari puniendi debitis pœnis. Sin verò ex tali pacto infirmitatem, divortia, impotentiam generandi, & notabile damnum intulerint animalibus, frugibus, vel alijs fructibus, detruduntur in carcerem. 29

Laici, & Eccleſiaſtici non ſacerdotes, qui auſi ſunt confeſſiones ſacramentales excipere, quamvis verè ſint pœnitentes, adhuc ex conſtitutionibus Pauli IV. Gregorij XIII. Sixti V. & Clementis VIII. traduntur Curiæ ſæculari. Immo adeſt etiam Bulla Urbani VIII. in qua id extenditur etiam ad minores 25. annis. Verùm ſi acceſſerint circumſtantiæ minuentes non proceditur cum tanto rigore. Immo in ſupra dictis conſtitutionibus Pontificijs non comprehenditur ſimplex ſacerdos, nec approbatus, ſed ſuſpenſus ab audiendis confeſſionibus, ſi confeſſionem audiat, & abſolutionem impendat. Fugiens ex carcere, in quo pro hæreſi detinebatur, non habetur pro convicto, nec damnatur ut hæreticus, eò quia præſumitur fugiſſe ex tædio carceris, metûque falſorum teſtium, vel etiam ex timore tormentorum, ut notat Rojas *de hæreſ. p. 2. aſſert. 25.* Oritur tamen contra talem fugientem indicium 30

tum ad torturam, ſi non compareat, & ex tali indicio cum alijs adjuncto poteſt etiam citari ad comparendum, & ſi compareat, poteſt puniri pœnâ arbitrariâ. Falſi teſtes in cauſa hæreſis puniendos eſſe pœnâ talionis, deſumitur ex conſtitutione Leonis X. ratio eſt, quia in hoc crimine orget major ratio, quàm in alijs, ut pœna talionis imponatur; quia nomina teſtium non publicantur; proinde datur major occaſio ferendi falſum teſtimonium. In praxi tamen regulariter id non ſervatur, quia decretum Leonis X. non fuit promulgatum, ut lex univerſalis, neque ubique receptum.

31 Tandem Reus, qui confeſſionem in tormentis factam revocat, & non docet de errore, nec de cauſa, ob quam erravit, traditur Curiæ ſæculari, eò quia præſumatur malitia, & dolus ad pœnas debitas fugiendas juxta Rojas *de hæret. p. 2. aſſert. 15. n. 265.* Generatim tamen revocans confeſſionem etiam contra ſe factam ſtatim, & in præſentia Judicis, quamvis non probet errorem, non eſt relaxandus; quia præſumitur revocâſſe propter errorem per lapſum linguæ. Qui verò confeſſionem de hæreſi factam revocat poſt impletam pœnitentiam puniendus eſt tanquam temerarius ad arbitrium Inquiſitorum.

§. IX.

De Proceſſu judiciario in cauſa hæreſis.

1 IN cauſa hæreſis procedi ſolet ſumariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu judicij, vel figura, ut habetur *in c. ſtatuta 20. h. t.* conſequenter non requiritur oblatio in libellis facta, nec litis conteſtatio, & judicium; poteſt etiam agitari tempore feriarum. Amputantur etiam omnes dilationes, excluduntur appellationes fruſtratoriæ, non admittuntur exceptiones: neque in accuſatione hæreſis ſunt neceſſariæ ſolemnitates *l. libellorum ff. de accuſat.* unde in accuſatione porrecta contra hæreticum per Procuratorem fiſcalem, non eſt neceſſe, apponantur circumſtantiæ loci, & temporis præciſi commiſſi criminis, ſed ſufficit, ſi manifeſtetur pagus, vel civitas, menſis, vel annus. Non tamen omittitur citatio; & probationes, ac defenſiones neceſſariæ etiam admittuntur: generatim loquendo omitti poſſunt ſolæ ſolemnitates juris civilis, & poſitivi; non item ſolemnitates juris naturalis, & gentium; quia ſine iſtis, nec juſtè, nec validè cauſæ tractantur, ut notat Farinacius *tractat. de hæreſ. q. 185. §. n. 14.* quinimmo tametſi in cauſa hæreſis poſſit ſummariè procedi, & ſine ſtrepitu judicij, non tamen ad id tenentur Epiſcopi, & Inquiſitores.

2 Ad accuſandum an admitti poſſit inimicus capitalis, negant plures, & videtur deſumi *ex c. teſtes 2. q. 7.* ubi repulſus à teſtimonio repellitur ab accuſatione. Verùm putârim probabile, poſſe admitti, dummodo cautè id fiat, & habeatur, ut ſuſpectus: ratio eſt, quia inimicus admittitur ad accuſandum, ut ſuam, vel aliorum perſequatur injuriam: atqui in accuſatione hæreſis quiſque Catholicus ſuam dicitur injuriam perſequi; ſiquidem ex *l. Manichæos C. de hæret.* quæ in religionem divinam committuntur, omnium reſpiciunt injuriam. Imò ad denuntiandum, poſſunt etiam admitti abſentes, dummodo proprio nomine, & juramento denuntiationem firment, ut notat Diana *p. 4. tractat. 8. reſol. 41.* Poſſe etiam admitti denuntiationem in ſcriptis ſine nomine Denuntiatoris, & teſtes in tali denuntiatione nominatos vocari ad examen fatetur Paramus *de orig. inquiſit. lib. 3. q. 6. n. 92.* Sed praxis hodierna eſt in contrarium. Ut autem procedatur contra aliquem, qui interrogari poſſit de hæreſi, requiritur, ut talis ſit ſuſpectus, vel propter publicam infamiam, vel propter ſemiplenam probationem, vel propter gravia indicia, ut notat Velentia *tom. 2. diſp. 6. q. 13. punct. 4. §. 1.* Royas verò *de hæret. p. 2. n. 20.* cenſet, ſufficere modicam, & levem ſuſpicionem, ut Inquiſitores in cauſa hæreſis poſſint procedere contra aliquem.

Alij verò procedunt cum diſtinctione, & 3 ajunt, primam opinionem veram eſſe, quando levis ſuſpicio de hæreſi oritur ex jure, aut conſuetudine, ut in contrahentibus binas nuptias: & ſecundam procedere, quando levis ſuſpicio oritur ex delicto, cui adnexa eſt ſuſpicio, non verò quando oritur à lege. Julius Clarus *lib. 5. §. final. q. 6. n. 7.* tametſi concedat in hoc crimine ex levi ſuſpicione procedi poſſe, vult tamen requiri denuntiationem, vel querelam; eò quia nimis laxæ darentur Inquiſitoribus habenæ.

Verùm communior ſententia docet, ſtante 4 ſuſpicione etiam levi comparativè ad vehementem, dummodo judicis arbitrio ſit in ſe notabilis; procedi poſſe; ut fusè probat Albertinus *de agnoſcend. verit. q. 34. n 4.* & non ſolùm per viam accuſationis, verùm etiam per viam inquiſitionis generalis non præcedente infamia, & deſumitur ex *c. accuſatus 8. h. t in 6.* Ratio itidem eſſe poteſt; quia alioquin ſequeretur, quòd ſi quis deprehenderetur ab Inquiſitore generaliter inquirente in facto aliquo hæreticali, non poſſet contra eum procedere defectu denuntiationis, & accuſationis, quod eſt abſurdum.

Ad capturam tamen Reorum non ſolet 5 procedi, niſi adſint ſufficientia indicia ad torturam; & in praxi id ſervari, teſtatur Genuenſis *in prax. c. 68. num. 1.* ubi addit; quòd ſi perſona denuntiata ſit nobilis, & gravis ſoleat Inquiſitor injungere alicui ex ſuis Conſultoribus, ut inquirat ab ejus Parocho ſecretò de ejus vita, & moribus, eò quia ſola carceratio in cauſa hæreſis plurimùm honorem lædat, hinc Palaus *tom. 1. tractat. 4. diſp. 8. punct. 13. §. 1. n. 5.* teſtatur, moris eſſe in Hiſpania, ut ſecluſo periculo fugæ nullus Inquiſitor particularis capiat Nobilem, & Religioſum, niſi ex conſenſu expreſſo ſupremi Senatus miſſis ad ipſum probationibus, & indicijs contra denuntiatum. Rurſus in cauſa duplicis matrimonij ante-

antequam ad capturam procedatur, debet plena probatio præcedere; adeò ut clarè conſtet, Reum eodem tempore duas habuiſſe uxores; quòd probandum eſt etiam per teſtes legitimos, vel ex authentica aſſertione Parochi deſumpta ex libro, in quo notari ſolent, quæ contrahuntur matrimonia. Teſtes autem, ſufficit, ſi dicant, mulierem pro uxore Rei communiter haberi, & Reum eam tractâſſe ut uxorem in eadem domo.

6 Sin verò denuntiatus ſit abſens, & delictum plenè probabile videatur, tunc per edictum citari poteſt ad allegandum, & firmandum proceſſum; omnéſque illius actus infra terminum dierum 30. de decem in decem, & in tres terminos dividendum. Citatio autem debet continere cauſam, nimirum ut citatus compareat ex cauſa fidei, ut notat Decianus *lib. 5. c. 32. n. 8.* & in ſingulis citationibus ſi Reus ſit convictus, ſiſcalis edit libellum accuſatoris, & elapſo tempore præfixo proceditur ad publicam ſententiam, & ejus ſtatua comburitur in publico foro. Sin autem denuntiatus ſit tantùm leviter ſuſpectus, & citatus ſub pœnâ excommunicationis non compareat, tunc Fiſcalis petit libellos aggrávatorios, quibus ejus contumacia denuntiatur, & ſi poſt annum non compareat, declaratur hæreticus, ut notat Souſa *c. 49. n. 2.* Sin verò poſt annum compareat, adhuc audiri debet, ut notat Scaccia *de judic. lib. 1. c. 98. n. 34.* ubi fatetur, id ſervari Romæ in tribunali generalis inquiſitionis.

7 Quod verò ad examen Rei pertinet, interrogandus eſt primò de ſuo genere, de parentibus, conſanguineis, educatione, diſciplina, bonitate, pravitate, ſocietate, amicitia, déque moribus, & verbis, & an ſciat, ob quam cauſam captus ſit, an aliquos habeat ſuſpectos, quos, & qua de cauſa, poſtea intra duos dies capturæ benignè admonetur, ut ſincerè veritatem dicat, & permittitur ipſi humile ſcamnum, ut ſedens quietum animum habeat, poſſítque ad interrogata ſine perturbatione reſpondere. Interrogatur autem de conſuetis articulis Catholicæ Religionis, quas preces ipſe recitet, quando, & cui confeſſus ſit; quando, & in qua Eccleſia communicaverit, quas ſoleat Eccleſias frequentare, & alia id genus, quæ communia ſunt Chriſtianis, ut notat Zanardus *p. 3. c. 87.* & licèt Reus non teneatur reſpondere, nec veritatem dicere antequam eidem proceſſus conſtet, & quod Judex legitimè interroget, ut docet Cajetanus *in 2. 2. q. 69. art. 2.* nihilominus hæc ſententia non procedit in cauſa hæreſis, proinde Inquiſitores non tenentur manifeſtare infamiam, indicia contra Reos, & alia id genus, eò quia hæreſis ſit crimen exceptum, perinde ac crimen læſæ majeſtatis, vel proditio civitatis, in quibus criminibus proceditur de plano, ſimpliciter, & ſine figura judicij, ut habetur *in c. ſtatuta 20. & ult. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ſtatuit, ut in negotio hæreticorum procedi poſſit ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu judicij, vel figura, quia quamvis ordo judiciarius plura requirat, quorum aliqua ſunt de ſubſtantia *c. unic. de litis conteſtat.* non tamen in cauſa hæreſis id ſervatur; quia quando dicitur, procedi poſſe ſine ſtrepitu judicij, & figura; perinde eſt, ut procedi poſſit nullo ſervato ordine juris, id enim importat illa particula *ſine figura*; & ut notat Simanca *tit. 44. n. 32.* cauſæ hæreticorum expediri debent magna celeritate; adeò ut non debeant differri ſpe futurarũ probationum, ne Rei interim aggraventur. Verba autem dubia, ut etiam dubiæ teſtium depoſitiones debent ab Inquiſitoribus in ſenſu catholico interpretari, niſi fortaſſis Reus, qui verba protulit ambigua, ſiniſtram habeat contra ſe præſumptionem, præſertim ex qualitate perſonæ, vel ſi ipſe Reus contrarium fateatur, unde eius intentio diligenter exploranda eſt, ut notat Albertinus *de agnoſcend. verit. q. 34. n. 48.* Sin verò Reus neget, & indicia urſerint, cenſent aliqui, poſſe tunc Reum torqueri, ut notat Simancha *tit. 54. n. 21.* Sin autem propoſitiones ſint dubiæ examinandæ ſunt à Qualificatoribus Theologis, quibus fides adhibenda eſt, immo Delrius *lib. 5. ſeſſ. 15. excomm. 1.* cenſet, Inquiſitores, quamvis Theologi ſint, non poſſe cognoſcere, an factum, vel dictum hæreſin ſapiat, ſed tantùm quando certum omnino eſt, quod hæreſin ſapiat: nihilominus in praxi ſemper ſolent Qualificatores vocati.

Hæreſis probari ſolet per teſtes, ut notat Julius Clarus *§. hæreſis, n. 20.* ubi addit, in cauſa hæreſis ſufficere minores probationes, quàm in alijs etiam ad faciendam plenam probationem: Id tamen limitari ſolet, quando duo teſtes ſufficiunt ad convincendum Reum, hoc eſt, dummodo illi duo teſtes ſint omni exceptione majores. Dicuntur autem teſtes omni exceptione majores ſecundùm Gloſſam *V. majores c. 1. de affinit. conſanguin.* qui nulla exceptione repelli poſſunt; ſeu nullam prorſus maculam contraxerunt: conditiones requiſitæ ad teſtem omni exceptione majorem, ſunt conditio, fortuna, fides, diſcretio, ſexus, ætas, & bonum nomen, ſeu probitas vitæ, mores laudati, & dignitas perſonæ. Dicuntur teſtes à teſtando, ſeu ſententiam exponendo, quòd ea, quæ de re geſta ſentiunt in judicio ſincerè proferunt juxta Iſidorum *lib. 5. etymolog. c. 23.* 8

Cæterum quia hæreſis eſt crimen Reipublicæ chriſtianæ pernicioſiſſimum in ejus deteſtationem admittuntur teſtes, aliàs in jure inhabiles ad ferendum teſtimoniũ; ſiquidem admittuntur teſtes excommunicati participes, & ſocij criminis, ut etiam criminoſi, & infames, ut colligitur *ex c. in fidei favorem 5. h. t. in 6.* ubi Alexander IV. reſcribit, quòd contra hæreticos, credentes, Fautores, Receptores, & Defenſores eorum in negotio inquiſitionis, admittuntur ad teſtificandum etiam excommunicati, participes, & ſocij criminis, ſi præſumantur non falſa dicere: & Pontifex addit, hanc præſumptionem deſumendam eſſe ex 9

com-

conjecturis veriſimilibus ex numero, & qualitate perſonarum, aliiſque circumſtantijs. Imò teſtes excommunicati infames criminoſi, & aliàs inhabiles admittuntur in crimine hæreſis; etiam ſi habeatur copia probationum, ut deſumitur *ex d. c. in fidei favorem* ſi tamen procedatur per viam Inquiſitionis; quia quando proceditur per viam accuſationis, vel exceptionis non admittuntur, eò quia ſtandum ſit juri antiquo, quando non eſt correctum.

10 Verùm contraria ſententia eſt etiam probabilis, quia utrinque tam in accuſatione, quàm in inquiſitione urget eadem ratio de favore fidei, & odio hæreſis, unde regula illa generalis, quòd inhabiles perſonæ non debeant admitti ad teſtimonium ferendum in cauſa hæreſis, videtur pati exceptionem, ut notat Maſcardus *de probat. concluſ. 87. n. 31.* An verò poſſint etiam admitti inimici capitales ad teſtificandum in cauſa hæreſis, negat Simancha *tit. 64. n. 80.* immo Royas *p. 2. n. 231.* addit inimico capitali nunquam eſſe credendum, neque in mortis articulo, neque in tortura, tametſi fuerit recèns reconciliatus. Quæ verò ſint inimicitiæ capitales, explicat fusè Cuiazzius *diſcept. crimin. diſcept. 34. c. 1. n. 1.* Quòd ſi inimicitia non fuerit capitalis, poteſt inimicus admitti in teſtem licèt diminutum ut notat Pariſius *lib. 4. conſil. n. 46.* Sunt etiam, qui cenſent, non ſolùm inimicum capitalem eſſe excludendum à teſtimonio dicendo, ſed etiam ejus inimicum ſtrictum, vel conſanguineum.

11 Verùm contraria ſententia deducitur ad praxin, quando adſunt probabiles conjecturæ; quòd tales ex zelo fidei non ex odio moventur ad teſtificandum, ut docet Souſa *lib. 1. Aphor. c. 19. n. 8.* quapropter hisce teſtibus non ſolet fides adhiberi, niſi legitimo adjuventur adminiculo, quamvis excommunicati, criminoſi, infames, & Socij criminum admittantur; imò etiam perjurus, & Judæus contra chriſtianum Apoſtatantem, & etiam hæreticus, domeſtici, familiares, conſanguinei, mulieres, & minorennes, ut notat Diana *p. 4. tractat. 8. reſolut. 57.* Idque procedit, tam ſi procedatur viâ inquiſitionis, quàm viâ accuſationis, quicquid in contrarium dicat Barboſa *tom. 3. lib. 5. tit. 2. c. 5. n. 8. §. dico ſecundò.* Non verò admittuntur in favorem hæretici, ſi ab ipſo adducantur, licèt admitti poſſint familiares, domeſtici, & conſanguinei, ſi probatæ fuerint vitæ, & tunc tantùm admittuntur, ut teſtes diminuti, ut notat Pegna *p. 3. comm.* 119. immo contra patrem hæreticum admittitur etiam filius, qui tamen ut notat Genuenſis *in praxi c. 18. n. 9.* non eſt cogendus, ſi alij ſuppetant, quia filius eſt ex privilegiatis, qui non poſſunt cogi niſi in ſubſidium.

12 Ratio cur domeſtici admittantur in teſtes, generatim ea eſt; quia iſti ſunt magis informati de his, quæ domi fiunt: & conſanguinei regulariter ſunt alieni à ſuſpicione, quòd falſum deponant contra ſibi conjunctos, ut notat Farinacius *de hæreſ. q. 1*18. *§. 8. num.* 143. *& ſeq.* Non tamen iſti admittuntur teſtes in favorem Rei. Immo in cauſa hæreſis etiam ipſæ mulieres admittuntur in teſtimonium: ratio eſt, quia ſi admittuntur infames à fortiori etiam mulieres, quia major eſt exceptio infamiæ, quàm ſexûs, ut notat Farinacius *loc. cit. n. 676.* immo admittuntur in teſtes etiam minores 25. annis, dummodo ſint pubertati proximi, dolique capaces, perinde ac in crimine læſæ majeſtatis: imò etiam admittuntur laici in teſtes contra clericum hæreticum, ut etiam teſtes de ſolo auditu deponentes, ut notat Farinacius *loc. cit. n. 77. & 13.*

13 An verò crimen hæreſis ſufficienter probetur per teſtes ſingulares, non videtur ita exploratum. Dicuntur teſtes ſingulares, qui in re aliqua teſtificanda ſunt ſoli, & alij dicuntur teſtes ſingulares ſingularitate obſtetiva, quando dictum unius repugnat dicto alterius: & iſti in judicio etiam in cauſa hæreſis nil probant. Alij dicuntur teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa, hoc eſt, quando dictum unius favet dicto alterius, ut ſi unus teſtetur de viſu, & alius de auditu; & tunc videntur aliquid probare, quia quoad rei ſubſtantiam ſunt conteſtes, & tantùm ſunt teſtes ſingulares quoad viſum, & auditum. Alij denique ſunt teſtes ſingulares ſingularitate diverſificativa, quando ſcilicet ex diverſis teſtium dictis diverſus actus in ſubſtantia colligitur, ut ſi unus deponat pro tali loco, & tempore, & alius pro alio loco, & tempore.

14 Difficultas eſt, an teſtes ſingulares utraque ſingularitate adminiculativa, & diverſificativa probent in cauſa hæreſis; quia hoc forum gaudet ſpecialibus privilegijs, ita exigente bono communi ob periculum infectionis; adeò ut hæretici denuntiandi ſint ſine ulla prævia fraterna correctione. Putârim probabile, quòd teſtes ſingulares circa ſubſtantiam facti, vel dicti ſufficienter non probent, etiam in cauſa hæreſis; eò quia in cæteris cauſis nunquam probent, niſi ſint conteſtes; adeò ut ſi inductio fiat, ſemper quoties admittuntur, reperiantur conteſtes ſuper eo, de quo formatur proceſſus: hæc autem regula fundatur in jure, à quo teſtes ſingulares excluduntur, ut *in c. licet cauſam de probat.* ubi repelluntur teſtes expreſsè ratione ſingularitatis, & *in c. nihilominus 3. q. 9.* quamvis ſermo ſit de teſtibus, qui falſa depoſuerunt, fuerunt tamen excluſi ratione ſingularitatis. Tum quia *in c. licèt univerſis de teſtib.* expreſsè dicitur: *nulla eſt cauſa, quæ unius teſtimonio legitimè terminetur*, unde textus ſupponit, requiri ad terminandam quamcunque cauſam, conteſtationem, quia id textus probat ex illo Matth. 18. *in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum:* unde quamvis aliquando tres, vel quatuor, vel etiam plures requirantur teſtes, nunquam tamen minus, quàm duo, qui proinde debent eſſe conteſtes, alioquin ſi ſint ſingulares circa ſubſtantiam facti, vel dicti, non ſunt plures, ſed unus; & ex omnibus prærecenſitis textibus Doctores inferunt regulam univerſalem, quòd teſtes ſingulares non probent ſufficienter.

15 Quamobrem neque in cauſa hæreſis ſufficiunt reſtes ſingulares, quia ratione ſingularitatis non poſſunt ſufficienter movere animum judicis ad ipſis affirmantibus potiùs, quàm Reo neganti credendum: in ordine enim ad modum probationis, ſi rale, vel tale crimen materialiter ſe habet, id non auget, vel minuit certitudinem probationis. Præterea quia in cauſa hæreſis procedendum eſt cum magna cautela; ne innocens damnetur, quapropter *in c. ut officium 11. h. t. in 6.* habetur: *In tam gravi crimine cum multa oportet cautela procedi (ut in Reos ſine nullo proferatur errore dura, & dira ſeveritas ultionis) volumus.* Proinde rigoroſæ potiùs probationes ſunt exquirendæ in crimine hæreſis, quàm admittendæ minus ſufficientes.

16 Neque urget, ſi dicas, id tantùm procedere, quando crimen majus poteſt æquè facilè probari, ac minus; non ita quando crimen eſt occultum, & difficilis probationis cujusmodi eſt crimen hæreſis. Nam contra eſt, quia textus *in d. c. ut officium* ſpecialiter loquitur de hæreſi, in qua Pontifex injungit, adhibendam eſſe cautelam. Secundò quia neque in alijs criminibus, quæ difficilis ſunt probationis teſtes admittuntur ſingulares. Tertiò quia teſtes ſingulares nunquam præponderant dicto Rei negantis, nec poſſunt magis movere animum Judicis ad credendum potiùs uni, quàm alteri. Quartò quia quamvis ratione difficilis probationis admittantur aliqua, quæ non ita certò probant, non tamen poteſt admitti probatio ex genere ſuo inſufficiens, quia cùm hæc nunquam ſit in illo genere certitudinis, quæ requiritur ad probandum, nunquam eſt ſufficiens. Quintò quia hæreſis non ſubjacet ſoro externo, niſi ut manifeſtata per ſigna externa, proinde ut talis non eſt delictum difficilioris probationis magis, quàm furtum, quamvis in abſcondito manifeſtetur; & tamen in furto teſtis ſingularis non ſufficit.

17 Quòd ſi dicas, in favorem fidei admitti teſtes ſingulares. Contra eſt, quia quæ injuſta ſunt, nunquam admittuntur etiam in fidei favorem, quia fides exigit conſervari juxta ſuam propriam naturam, & cùm ſit virtus, exigit conſervari virtuoſo modo conſono æquitati, ac juſtitiæ: & eſt contra æquitatem, quòd acceptetur probatio ut convincens, quæ revera in ſe non eſt talis. Tum quia favor id tantùm operatur, ut quæ ex ſe jam ſubſiſtunt, amplientur, quantum fieri poteſt, non autem ut in alia tranſmutentur; unde favor fidei non operatur, ut quod adverſatur in ſe æquitati, fiat eidem conſonum.

18 Præterea teſtes ſingulares ita ſe habent, ac ſi omnino tantùm eſſent unus teſtis, ut notat Farinacius *q. 64. de teſtib. n. 34.* quia cùm non conveniant in eo, quod deponunt, unus tantùm eſt, qui deponit, & teſtis unicus non computatur, & perinde ſe habet, ac ſi non eſſet in ordine ad ſententiam *c. in omni negotio c. veniens ad nos de teſtib. l. jurisjurandi, C. de jurejur.* ut notat Farinacius *q. 63. de teſtib. n. 1.* unde habetur vulgatum effatum *dictum unius, dictum nullius,* quia illi contra ponitur negatio Rei, idque procedit de crimine hæreſis, in quo probationes debent eſſe luce meridianâ clariores *c. ſciant cuncti 2. q. ult.* quia agitur de maximo præjudicio Rei, qui non debet condemnari, niſi certò conſtet de crimine. Immò licèt dictum unius teſtis ſingularis adjuvaret dictum alterius; adhuc non ſufficerent teſtes ſingulares, quia non faciunt probationem luce meridianâ clariorem, quia non ſe adjuvarent, ut conteſtes; proinde adhuc remanerent teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa; & licèt ratione adminiculi probatio aliquo modo creſcat, non tamen fit plena, & ſufficiens; ut notat Farinacius *q. 64. de teſtib. n. 113.*

Generatim unus teſtis non ſufficit ad condemnandum aliquem de hæreſi, ſicut nec de aliquo alio crimine, eò quia unus teſtis non faciat plenam probationem: proinde neque ſufficiunt multi teſtes ſingulares, eò quia ſinguli non faciunt niſi imperfectam probationem; & ex probationibus pluribus imperfectis non fit una perfecta, quando non poſſunt conjungi in conteſtationem: ſiquidem ex regula juris, *quæ non poſſunt ſingula, nec multa juvant. l. ſancimus §. ſi quis autem C. de donat. & l. uſuræ C. de uſur.* ut notat Farinacius *in pract. crim. q. 86. n. 72.* Neque obſtat alia regula juris, *ſingula, quæ non poſſunt, multa collecta juvant l. inſtrumenta C. de probat.* quia hæc regula, ut notat Tuſchus litt. *S. concluſ. 276.* intelligitur de ijs, quorũ ſingula in ſuo genere perfecta ſunt, ut docet Menoch *lib. 1. de præſumpt. q. 39. num. 6.* & quia teſtes ſingulares ſunt ſinguli in ſuo genere imperfecti, eò quia ſinguli nonniſi imperfectè probent, ideo non poſſunt conjungi in ordine ad conſtituendam unam probationem perfectam. Tunc probationes imperfectæ poſſunt conjungi, ut notat Menochius *loc. cit. n. 3.* quando ſunt ejusdem rationis, qualitatis, & ſobſtantiæ: & ut tales ſint, debent rendere ad idem probandum, alioquin ſi tendant ad diverſum, ſunt diverſæ ſubſtantiæ, quia ſubſtantia probationis eſt id, quod probatur; conſequenter ſunt etiam diverſæ rationis, quia ſunt diverſæ probationis, cùm probent aliquid diverſum, proinde non poſſunt conjungi in ordine ad conſtituendam unam perfectam probationem. 19

Quòd ſi plores teſtes deponant de eadem ſpecie hæreſis contra aliquem, tametſi ſingulares ſint quoad locum, & tempus, imò etiam quoad factum, ſeu propoſitionem ipſam hæreticam; ſi tamen propoſitiones pertineant ad eandem ſpeciem hæreſis, tunc teſtes non ſunt ampliùs ſingulares, ſed conteſtes, & ſufficienter probant in ordine ad condemnationem; ratio eſt, quia tempus, locus; imò & propoſitiones diverſæ non tollunt, quin ſit eadem hæreſis, quia hæc poteſt manifeſtari per diverſos actus exteriores, ut ſi quis dicat, *Chriſtum non redemiſſe humanum genus;* & adderet 20

hanc

hanc aliam propoſitionem, *Chriſtus non fuit incarnatus, nec paſſus pro humano genere*, & unus teſtis primam propoſitionem, & alius ſecundam deferret Inquiſitoribus, quamvis teſtes eſſent ſingulares quoad tempus, locũ, & factũ, ſeu quoad ipſas propoſitiones; adhuc tamen eſſent conteſtes, quia convenirent in ſubſtantia, & ſpecie hæreſis, ratione cuius eſſent conteſtes, & ſufficienter probarent in ordine ad condemnationem: ratio eſt, quia id, in quo ſunt diverſi, non eſt id, quod eſt probandum, ſed tantùm eſt ratio dicti ipſorum teſtium.

21 Cæterum ideo unus deponit, talem eſſe hæreticum, quia audivit ipſum proferentem propoſitionem hæreticam: & quia alius hoc idem deponit, & hæreſis ſit eadem ſpecificè, quamvis per diverſas propoſitiones exterius manifeſtata, ſequitur, quòd tales teſtes ſingulares quoad tempus, locum, & propoſitionem verbalem, ſint conteſtes quoad hæreſin ſpecialiter, & ſpecificè ſumptam, quia ut ſint conteſtes, ſufficit, ſi conveniant in re teſtificata, nec neceſſe eſt, ut conveniant in ratione dicti; quia ratio dicti eſt extra rem teſtificatam; proinde quamvis ſit diverſa, non propterea tollit concordiam teſtium in re teſtificata. Neque obſtat, quòd propoſitiones prolatæ ab hæretico ſint diverſæ, quia nonniſi materialiter ratione verborum ſunt diverſæ, non verò formaliter: illæ autem propoſitiones ſunt tantùm conditiones, ſine quibus exteriùs non manifeſtaretur hæreſis: id verò, quod exteriùs manifeſtatur, eſt ipſa hæreſis, quæ non conſiſtit in actu ullo externo, ſed tantùm in interna opinione, quæ eſt una, ac eadem manifeſtata exteriùs per duas propoſitiones verbaliter diverſas; unde teſtes ſingulares quamvis ſint ſingulares ſingularitate temporis, loci, & facti, ſeu propoſitionis, ſunt tamen conteſtes reſpectu hæreſis formaliter, & ſpecificè ſumptæ: unde ſingularitas non tollit fidem teſtibus, quia tempus, locus, & verba, quibus profertur hæreſis, non ſunt de ſubſtantia illius. Tunc diverſitas in loco, & tempore, & verbis facit, quòd teſtes cenſeantur ſingulares, quando tempus, & locus ſunt de ejus ſubſtantia: atqui tempus, & locus non ſunt de ſubſtantia hæreſis, cùm hæc præcisè conſiſtat in opinione interna, & tantùm exigat externam manifeſtationem ut conditionem; quâ exteriùs manifeſtetur.

Hinc per teſtes diſcordantes in verbis propo-
22 ſitionis hæreticalis ſufficienter probatur hæreſis, ut docent Maſcardus *lib. 1. de probat. concluſ. 856. n. 18.* Farinacius *q. 64. de teſtibus n. 212.* Diana *p. 4. tractat. 8. reſolut. 57.* & deſumitur ex *c. nihil obſtat de V. S.* ubi dicitur; *nihil obſtat narrandi diverſitas, ubi eadem dicuntur:* & tunc idem dicitur, quando verba licèt diverſa, ſunt nihilominus æquipollentia *l. qui ſententiam C. de pœnis. l. quicunque C. de hæret.* Gloſſa in *c. dudum de converſ. conjug.* Ratio eſt, quia in teſtimonio principali, quod attenditur, eſt ſubſtantia rei, de qua articulatur proceſſus, quia hanc intendit Judex producere in claro, & ſufficienter probatam, quia eſt id, circa quod debet ſuam ſententiam ferre; proinde ſufficit, ſi teſtes ſint concordes in hac rei ſubſtantia, quamvis diſcordent in verbis propoſitionis hæreticalis; ſiquidem ſubſtantia rei eſt, quæ ſola probatur ex intentione fori.

Neque urget, ſi dicas, teſtes varios in 23
circumſtantijs ſaltem ingenerare ſuſpicionem, quòd falſum deponant; proinde tanquam ſuſpectos non eſſe audiendos.

Nam contra eſt, quia teſtes, quando de- 24
ponunt, id tantùm attendunt, quod pertinet ad ſubſtantiam, & ſupra quo vocati ſunt ad examen: ad alias circumſtantias non reſpiciunt, ut ad illas, quæ non variant rem, de qua interrogantur, unde eo ipſo, quòd ſunt concordes circa ſubſtantiam rei, non redduntur ſuſpecti; quamvis varient in verbis; ut ſi unus teſtis deponeret, Petrum eſſe mortuum, eò quia viderit illum è domo in feretro deferri: & alius teſtis deponeret eſſe mortuum, eò quia tali hora viderit eum ſepeliri, certè ambo teſtes, licèt eſſent ſingulares quoad locum, tempus, & verba; non tamen quoad ſubſtantiam rei, quia uterque diceret, Petrum eſſe mortuum. Quando igitur verba licèt diverſa idem aſſerunt quoad ſubſtantiam, de qua inquiritur, tunc verba illa ſunt æquipollentia; & parum refert, quòd aliquid fiat ex æquipollentibus *l. ſi Mater C. de inſtit. & ſubſtit.* unde ſufficit, ſi teſtificationes fiant per verba æquipollentia, dummodo teſtes quoad ſubſtantiam rei ſint concordes: ratio eſt, quia diverſitas in verbis æquipollentibus non ponit diverſitatem in re ſignificata, ſed tantùm in modo ſignificandi ex parte loquentis; unde neque facit, ut teſtes non ſint concordes, cùm attendatur concordia in ordine ad id, quod dicunt; non verò in ordine ad modum, quo explicant.

Quamobrem teſtes ſingulares ſingularita- 25
te obſtativa, quando dictum unius repugnat dicto alterius, nihil probant: ſingulares verò ſingularitate adminiculativa, quando dictum unius favet dicto alterius, augent quidem probationem, ſed non faciunt plenam probationem, nec ſufficiunt ad pœnam ordinariam infligendam, ut docet Maſcardus *de probation. lib. 2. concluſ. 856. num. 12.* Ex duabus verò probationibus ſemiplenis non oritur una probatio plena, & integra, quia ſunt in ſuo ordine diverſæ; conſequenter innubiles, niſi fortaſſis convenirent, ac tenderent in eundem finem; etſi adeſſent alia indicia, & adminicula, ut cenſent aliqui præſertim Royas *ſingul. 188. num. 16.*

§. X.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

QUæritur primò, an dubius in fide dicen- 1
dus ſit hæreticus? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi dubitet poſitivè de aliquo

quo articulo fidei, quem certò ſcit ab Eccleſia catholica fuiſſe de fide definitum; & nihilominus poſitivè, ac pertinaciter judicat, ac aſſirmat, dubium eſſe, an talis articulus ſit de fide, tunc non excuſator ab hæreſi, ut notat Molfeſius *in ſum. tom. 1. tractat. 8. art. 8. n. 44.* Lorca *in 2. 2. q. 11. art. 3. diſp. 42. n. 5.* Coninck *de actib. ſupernat. diſp. 18. dub. 9. n. 202.* quia eſt de fide, omnes articulos definitos ab Eccleſia de fide, non ſolùm eſſe veros, ſed etiam certos, & omnino indubitatos: & qui poſitivè judicat, & cum pertinacia affirmat, illos articulos eſſe dubios, & incertos, non credit eſſe certos, & indubitatos, proinde habet judicium erroneum circa fidem, conſequenter eſt hæreticus. Sin verò quis tantùm negativè dubitet de articulo fidei, quatenus ſuſpendit omne judicium, adeò ut neque aſſentiatur objecto propoſito, neque etiam diſſentiat, eò quia neque judicet certum, neque poſitivè judicet eſſe incertum, tunc ita dubitans negativè, non eſt propriè hæreticus; quia de ratione hæreſis eſt electio erroris contra fidem, & qui negativè dubitat, nondum aliquid eligit, ſed hæret anceps, & ſuſpendit judicium. Tum quia hæreſis eſt error fidei contrarius, ſeu eſt aſſenſus contra fidem: & dubitans nullum producit aſſenſum contra finem, alioquin dubitaret poſitivè, non negativè, proinde cum nullum habeat aſſenſum, nullum poteſt habere errorem contra fidem, conſequenter non eſt hæreticus.

2 Quæritur ſecondò, an licitum ſit etiam laicis diſputare de fide cum hæreticis? Reſpondetur, laicis eſſe interdictum diſputare de fide catholica ſub pœna excommunicationis, ut deſumitur *ex c. quicunque 2. h. t. in 6.* ubi Alexander III. expreſsè prohibet, ne liceat cuique laico publicè, vel privatim diſputare de fide catholica, & qui contrafecerint, anathemate percutiuntur. Imò id etiam extenditur ad laicos doctos, quia leges non de ijs, quæ rarò, ſed quæ frequenter, & communiter contingunt, feruntur, *l. nam ad ea 14. ff. de legib.* & quia laici ut plurimum ſunt indocti, ac imperiti in rebus fidei, ideo lex prohibet generatim omnibus laicis ſub pœna anathematis diſputare de fide cum hæreticis. Quòd ſi quæratur, quinam in jure nomine laici comprehendantur, ſiquidem poteſt contingere, ut laicus ſit juris Pontificij peritiſſimus, imò Doctor utriuſque juris, & ècontra clericus ſit rudis, & imperitus: ob hoc diſcrimen cenſet Gloſſa *in d. c. quicunque §. inhibemus 2. h. t. in 6.* nomine laici in jure comprehendi ſolos illiteratos: ſed communior, & verior ſententia eſt, nomine laici comprehendi omnes illos ſive doctos, ſive indoctos, qui nullo ſunt ordine eccleſiaſtico initiati, quia ut diximus, leges humanæ de ijs feruntur, quæ frequenter contingunt, non autem rarò; & frequentius eſt, laicos eſſe indoctos, & imperitos: unde licèt laicus ſit doctus, adhuc non poteſt cum hæretico diſputare de fide. Neque obſtat, quòd pleruímque clerici ſint rudiores laicis, quia licèt id verum ſit, quia tamen jure canonico conſtitutum fuit, ut clerici litterarum notitiam, & ſcientiam haberent, non eſt ipſis prohibitum de fide catholica diſputare, quia lex reſpicit, quod frequentiùs contingit: quòd ſi clericus eſſet rudis, & indoctus, tametſi jure canonico non prohibeatur diſputare de fide, prohibetur tamen jure naturali, & divino, ne qui jura neſcit, & decreta fidei, de iis diſputet, quia neſcios diſputando in plures impingit errores, proinde ſi diſputet, peccat, eò quia ſe exponit pluribus periculis errandi: immo neque licitum eſt clericis doctis diſputare de fide cum hæreticis coram ſimplicioribus, ídque ob periculum, ne ſimplices auditis hæreticorum argumentis incipiant in fide dubitare. Excipitur tamen, niſi clericus eſſet vir perquam doctus; & notiſſimæ famæ, quíque ita perſpicuè proponeret argumentorum reſolutiones, ut etiam rudes, & ſimplices poſſent facilè eas intelligere, quod tamen rarò contingit; non tamen eſt prohibitum doctis Theologis inter ſe ipſos, vel etiam coram ſapientibus, firmíſque in fide diſputare de controverſijs fidei, dummodo id fiat ad majorem hæreticorum confuſionem, vel exercitij causâ.

Imò laicus doctus urgente neceſſitate poſſet etiam diſputare cum hæretico, ut ſi is perverteret fideles in loco, ubi nullus eſſet eccleſiaſticus, vel Religioſus, qui poſſet ei reſiſtere; 3 tunc enim licitum eſſet tali laico docto reſpondere argumentis hæretici, & diſputare contra ipſum ad impediendam perverſionem fidelium, imò ad id etiam teneretur ex lege charitatis; imò in Germania, in illis præſertim locis, ubi catholici, & hæretici ſimul promiſcuè vivunt, non peccant catholici laici, nec excommunicationem incurrunt, ſi docti ſint, & diſputent contra hæreticos, ídque ex conſuetudine, & quia hæretici facilè ſemper proponunt ſimilia argumenta catholis, unde conſtitutio Alexandri IV. *in c. quicunque 2. h. t. in 6.* per diſſuetudinem videtur abrogata. Tum quia excommunicatio impoſita *in d. conſtitut.* §. *inhibemus* contra laicos diſputantes de fide non eſt latæ, ſed ferendæ ſententiæ, adeò ut non incurratur ipſo facto, ſeu jure, ſed neceſſe ſit, ut præcedat monitio, & ſententia judicis, quia in textu habentur hæc formalia verba, *qui id fecerit, excommunicationis laqueo innodetur*, & quia verbum *innodetur*, eſt futuri temporis, ideo ſignificat ſententiam ferendam per judicem: alioquin ſi excommunicatio eſſet latæ ſententiæ, Pontifex dixiſſet in tempore præſenti, *ſit innodatus*. Quòd ſi petatur, quid nomine fidei in dicta conſtitutione intelligatur. Reſpondetur, intelligi, quidquid eſt in Eccleſia propoſitum tanquam fide credendum, ut ſunt articuli fidei, & omnia ea, quæ ſacræ divinæ litteræ tradiderunt, vel quæ generalis Eccleſiæ conſenſus definivit, & quæ ex ijs neceſſaria, & evidenti conſecutione deducuntur.

Quæritur tertiò, an laicis interdictum ſit etiam prædicare publicè, vel occultè res fidei? 4

Re-

Reſpondetur affirmativè, & id deſumi *ex c. cum injuncto 12. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, reprehendendos eſſe laicos, qui celebrant occulta conventicula, qui officium prædicationis Chriſti ſibi uſurpant, qui eludunt ſimplicitatem ſacerdotum aſpernantes eorum conſortium. Ratio eſt, quia Chriſtus, cùm ſit lux, odit tenebras, & juſſit prædicari omni creaturæ in lumine, & ſuper tecta: adeò ut ordo doctorum ſit quaſi præcipuus in Eccleſia; unde non debet quiſquam ſibi prædicationis officium uſurpare: aliud enim eſt fratrem delinquentem corripere, quod eſt ſecundùm evangelium; & aliud eſt manifeſtè reprehendere, quod nulli licèt ſecundùm evangelium; hinc laici quamvis idonei, non poſſunt prædicationis officium ſibi uſurpare, ut nec etiam clerici niſi ex officio eis id competat, ut ſunt Curati, & ab iiſdem ſubſtituti, & Religioſi, qui à Papa poteſtatem accipiunt prædicandi: imò non ſolùm Papa, ſed etiam Epiſcopus, & alij inferiores Prælati poſſunt poteſtatem prædicandi alijs idoneis concedere in ſuis eccleſijs; ſed generalem licentiam prædicandi per totam diœceſin nonniſi ſolus Ordinarius, & Epiſcopus dare poteſt: unde facultas, quam habent Religioſi mendicantes, eſt limitata juxta *clement. dudum 2. de ſepultur.*

5 Quæritur quartò, an & quando clericus ob hæreſin ſit degradandus? Reſpondetur, Clericos manifeſtè deprehenſos in hæreſi, antequam tradantur Curiæ, ſeu poteſtati ſæculari eſſe priùs degradandos, ſeu ab ordine, beneficio, & officio deponendos, ut colligitur *ex c. ad abolendam 9. h. t.* ubi Lucius III. ſtatuit, ut clericus, qui manifeſtè in hæreſi eſt deprehenſus, niſi ſtatim cognito errore ſponte recurrat ad unitatem fidei catholicæ, ſuúmque errorem ad arbitrium Epiſcopi Regionis publicè cenſuerit abjurare, & congruam ſatisfactionem exhibere, degradetur, ſeu ſpolietur prærogativa clericatûs cum omni officio, & beneficio eccleſiaſtico, & detur poteſtati ſæculari debitè puniendus, ſicut & laicus punitur, niſi ſtatim abjuraverit, idq; pro qualitate criminis. Eſt degradatio pœna eccleſiaſtica, per quam clericus ab omni officio, & beneficio eccleſiaſtico depoſitus, omnibus inſuper ordinibus eccleſiaſticis, & clericorum privilegijs etiam fori, & canonis per ſententiam in perpetuum, & ſine ſpe reſtitutionis privatur; ut notant Farinacius *tractat. de hæreſ. q. 189. 5. n. 11.*

6 Hæcque degradatio duplex eſt verbalis una, alia realis, ut deſumitur *ex c. 2. de pœnis in 6.* illa eſt, cùm quis per ſententiam non ſolùm deponitur, verùm etiam privatur in perpetuum privilegijs clericalibus, & dicitur etiam præparatoria ad degrationem actualem, ſeu realem, ad quam ordinatur: degradatio realis eſt, per quam Reus degradatur cum ſolemni cæremonia, ſeu privatur privilegijs clericalibus, & traditur brachio ſæculari, ut notat Farinacius *in prax. crimin. p. 1. lib. 1. tit. 1. q. 8. n. 72.* Ut autem clericus ob hæreſin degradetur, & tradatur poteſtati ſæculari puniendus, requiritur, ut deprehenſus ſit manifeſtè in hæreſi, ſive per evidentiam facti, eò quia publicè prædicaverit hæreſin; ſive per legitimam probationem, ſeu per teſtes convictus fuerit, vel etiam ex propria confeſſione in judicio, ut deſumitur *ex d. c. ad abolendam*, ut notat Gloſſa *V. deprehenſi.*

Juvat tamen obſervare, quòd quamvis regulariter per pœnitentiam non tollatur pœna delicti *l. qui ex mente 6. ff. de furt.* nihilominus ſi hæreticus ſtatim, ac ſponte ad fidem convertatur, pœnam ſaltem mortis evadit. Omnes tamen hæretici reſipiſcentes, & revertentes ad fidem tenentur abjurare hæreſin, non tantùm eam, in quam ipſi lapſi ſunt, ſed etiam damnare omnes alias quaſcunque, alioquin reſipiſcentes non eſſent recipiendi, ut notat Farinacius *tractat. de hæreſ. 9. q. 194. n. 4.* Et debet hæc abjuratio coram populo fieri, ſi fuerit manifeſtus hæreticus, ac hæreſin publicè profeſſus: ſiquidem pro manifeſtis criminibus manifeſta injungenda eſt pœnitentia; quia ſcandalum non tollitur per abjurationem privatam. 7

Rurſus debet abjuratio fieri per ſcripturam ſcriptam propriâ manu abjurantis; vel per publicum Notarium confectam, & ab eodem abjurante conſcriptam, quæ contineat juramentum de non revertendo impoſterum ad priſtinos errores; & quòd ſemper velit firmiter tenere, & confiteri catholicam veritatem, quòd ſi abjurans neſciat ſcribere, ſufficit, ſi Notarius ſe ſubſcribat in præſentia teſtium audientium abjurationem factam ore proprio Rei, ut notat Farinacius *loc. cit. q. 197. num. 15.* 8

Quòd ſi quis detrectet hæreſin abjurare ad arbitrium Archiepiſcopi, & Inquiſitorum, ut pertinax traditur puniendus judici ſæculari, dummodo confeſſus, vel convictus fuerit de hæreſi, vel in ea deprehenſus; alioquin priùs eſſet anathemate percutiendus, & ſi per annum in excommunicatione ſordeſceret, tanquam hæreticus eſſet condemnandus: quia etiam ſuſpectus de hæreſi eſt obnoxius excommunicationi, niſi ad arbitrium Epiſcopi juxta ſuſpicionis, & perſonæ qualitatem innocentiam ſuam congruè purgaverit, ut dicitur *in d. c. ad abolendam 9. h. t.* ubi Lucius III. expreſsè ait, qui inveniuntur notati aliqua ſola ſuſpicione, niſi ad arbitrium Epiſcopi juxta conſiderationem ſuſpicionis, & qualitatem perſonæ congruè ſe purgaverint, ſubjaceant eidem ſententiæ. Addit etiam Pontifex, ut qui poſt abjurationem erroris, vel poſtquam ſe purgaverint in examine proprij Epiſcopi, ſi deprehendantur incidiſſe in abjuratam hæreſin, relinquantur ſæculari judicio ſine ulla penitus audientia. 9

Quæritur quintò, quànam formâ degradandus ſit clericus hæreticus, antequam tradatur curiæ ſæculari? Reſpondetur, hanc formam 10

Digitized by Google

mam tradi *in c. quoniam 1. h. t. in 6.* ubi Gregorius X. reſcribit, quòd clericus in ſacris, quando pro crimine hæreſis eſt tradendus brachio ſæculari, vel in perpetuum carcerem detrudendus, ſufficit ſolus ejus Epiſcopus ad eum degradandum convocatis Abbatibus, aliiſque Prælatis, & Religioſis, ac perſonis litteratis ſuæ Eccleſiæ, ſi ita expedire judicaverit; ubi notat Gloſſa, quòd pro degradatione Presbyteri in alijs caſibus debeant ſex eſſe Epiſcopi, & tres pro degradatione Diaconi *c. ſi quis ſumendus 15. q. 5.* & idem videtur in degradatione Subdiaconi *argu. 2. miramur 6. de ſerv. non ordin.* Si tamen clericus in hæreſin lapſus reſipiſcat, & revertatur ad fidem, non eſt tradendus curiæ ſæculari, ſed trudendus in perpetuum carcerem, & ſi ſit in ſacris, priùs degradari debet; hoc etiam procedit, ſi ad dies vitæ damnatus ſit ad triremes, ut notat Farinacius *tractat de hæreſ. q. 199. §. 2. n. 13.* Unde hoc eſt diſcrimen inter hæreſin, & aliud crimen, quia damnatus ob hæreſin ad perpetuum carcerem priùs eſt degradandus; non verò damnatus ob alia crimina. Rurſus quamvis de jure communi hæc clericorum degradatio ob crimen hæreſis debeat eſſe actualis, ſi degradari debeant ſubire pœnam perpetui carceris, vel triremium: nihilominus ex conſuetudine Romanæ inquiſitionis, tales ordinariè tantùm verbabiliter degradantur.

11 Quæritur ſextò, an in aliquo caſu poſſit quis exteriùs proferre propoſitionem hæreticam, & non incidere in excommunicationem? Reſpondetur affirmativè, & quidem in pluribus caſibus. Primò ſi quis illam manifeſtet tantùm ad petendum conſilium, vel ad eam aperiendam Confeſſario. Secundò ſi quis illam ſcriberet inter ſua peccata in ordine ad eam manifeſtandam Confeſſario, quia hoc non eſt formaliter ſe manifeſtare hæreticum, ſed tantùm quærere medicinam criminis omninò mentalis. Tertiò cùm quis omninò indeliberatè, & abſque ullâ advertentia exteriùs proferret hæreſin; quia talis actus non cenſetur humanus, propterea nulla eſt illi ratio habenda in ordine ad incurrendam pœnam; tum quia excommunicatio, cùm ſit pœna, ſupponit culpam gravem; & actus indeliberatus, & ſine advertentia elicitus non imputatur culpæ eum elicienti, conſequenter ob illum non incurritur excommunicatio. Quartò ſi quis tantùm per jocum, & non aſſertivè propoſitionem hæreticam proferret, & aliàs quin eſſet vir pius, & bonus catholicus, de quo non poſſit hæreſis præſumi, ut notat Simancha *de cathol. inſtit. tit. 42. n. 10.* Quintò eſt etiam probabile ſecundùm aliquos, non incurri excommunicationem ab hæretico mentali, qui efficeret aliquod ſignum externum, ex quo nullus alius, ſi adeſſet, poſſet probabiliter conijcere eum eſſe hæreticum, tametſi proferens ſignum illud haberet animum exteriùs profitendi talem hæreſin, ut notat Caſtro *de juſta hæret. punit. c. 15.* ubi ait, eos ſolos hæreticos eſſe obnoxios excommunicationi, qui ita hæreſim mente conceptam manifeſtant, ut ſi quis eſſet tunc præſens, poſſet inferre, eum lapſum eſſe in talem hæreſin. Bannez itidem cenſet, non incurri excommunicationem ab eo, qui tantùm exterius ſignum edit ex ſe, & circumſtantijs inſufficiens ad explicandum errorem: eò quia Eccleſia non puniat hæreſin purè mentalem, quando non poteſt ab ullo alio cognoſci, præter quam ab habente illam; atqui quando ſignum externum nec probabiliter poteſt alteri manifeſtare internam hæreſin; tunc qui ſignum illud externum edit, perindè ſe habet, ac ſi ipſi ſoli innoteſcat hæreſis ſua mentalis. Immo cenſent plures, nec eum hæreticum mentalem incurrere excommunicationem, qui ſolùm recitativè profert ſuam hæreſin, ut ſi dicat, recordor me olim habuiſſe in mente hanc propoſitionem hæreticam: id tamen limitandum eſt, dummodo inde colligi non poſſit, eum adhuc in tali errore permanere. Generatim hæreticus, ſi ſit purè mentalis, non incurrit excommunicationem, quia ut communior fert ſententia, Eccleſia non habet juriſdictionem in actus, qui nullo modo poſſunt eſſe exteriùs cogniti, quia regimen Eccleſiæ eſt viſibile, nec judicat niſi de ijs, quæ ſub ſenſus cadunt exteriores.

Quæritur ſeptimò, an in hæreſi detur parvitas materiæ? Affirmat Sayrus *in clavi regia lib. 12. c. 2. n. 19.* ubi nititur probare, etiam in materia fidei poſſe dari peccatum veniale, quia poteſt verbum eſſe leviſſimum, adeò ut hæreſis non eſſet niſi peccatum veniale. Verùm communior, & verior ſententia eſt, in materia hæreſis non dari parvitatem materiæ, ut docent Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 8. c. 8. n. 66.* Diana *tractat. 8 de hæreſ. reſol. 8. num. 2.* Palaus *tom. 1. tractat. 2. diſp. 2. punct. 7.* Siquidem in materia hæreſis, in quacunque quantitate ſit, ſemper reperitur integra ratio malitiæ ſufficiens ad mortale, perinde ac in peccato infidelitatis, odij DEI, & contemptus ipſius: quia ratio objecti per ſe primò in acto infidelitatis, & hæreſis eſt, ut fides negetur Deo revelanti; & quia hæc fides ſemper negatur ipſi DEO in quacunque mateira hæreſis; ideo non poteſt dari parvitas materiæ, nec culpa levis in hac materia hæreſis, quia ſive materia ſit gravis, ſive modica ſemper negatur fides ipſi DEO revelanti; quod eſt graviſſimum peccatum; proinde in hac materia omnis culpa ſemper eſt gravis, quamvis res in ſe ipſa ſit minima: unde falſum eſt, quod ait Sayrus, dari parvitatem materiæ in genere hæreſis, & poſſe in eodem genere peccari tantùm venialiter, quia non datur hæreſis, niſi negetur fides DEO revelanti: & eo ipſo, quòd negatur hæc fides ipſi DEO, peccatum eſt graviſſimum. Sicut etiam peccatum magiæ ex genere ſuo eſt mortale, quia ſemper continet tacitam vel expreſſam dæmonis invocationem, & ſicut ratione levitatis materiæ præciſè non poteſt ſortilegium, vel magia eſſe unquam peccatum veniale: eò quia quòd in re parva, & ludricâ dæmon invocetur, per ſe eſt ſemper

tri-

crimen grave; unde à fortiori eſt ſemper crimen graviſſimum, ſi fides DEO revelanti negetur, ſive ſit in materia gravi, ſive parva, quia in ſimili materia non conſideratur quantitas materiæ, ſed ratio objecti. Sicut etiam in blaſphemijs contra Deum non datur parvitas materiæ juxta communem ſententiam, eò quia quælibet blaſphemia notabiliter adverſatur virtuti religionis, & charitatis erga Deum; quo fit, ut omnis blaſphemia ſit peccatū lethale, eò quia per quamlibet blaſphemiam ſemper vel tribuatur DEO, quod illi non convenit, vel negetur de DEO, quod illi convenit; & quia DEO revelanti, vel maximè convenit, ut illi credatur, & hæreſis id non præſtet, ideò quælibet hæreſis ſemper eſt peccatum lethale: unde ratione materiæ hæreſis nunquam poteſt eſſe peccatum veniale.

13 Quæritur Octavò, an ſi fidelis inter infideles, vel hæreticos ex metu mortis, vel alio quocunque caſu, ſive vi, ſive dolo fidem exteriùs neget; corde tamen eam retineat; poſſit poſtea reverſus ad Catholicos abſolvi à quocunque Confeſſario approbato? Reſpondent plures, eum inter infideles peccare quidem graviſſimè, ſi etiam ex metu imminentis mortis fidem neget exteriùs, quam corde retinet; ſed non incurrere excommunicationem, conſequenter reverſum ad catholicos poſſe abſolvi à quocunque Confeſſario ordinario, ac approbato, ut docet Suarez *tom. 5. in 3. p. diſp. 4. ſect. 2. n. 22.* ratio eſt, quia talis revera non eſt infidelis, neque hæreticus, eò quia in intellectu non habeat errorem contra fidem, & cùm excommunicatio ſit annexa hæreſi formaliter ſumptæ, ideo licèt per talem externam fidei negationem graviter peccaverit, cum tamen non factus fuerit formaliter hæreticus, non potuit excommunicationem incurrere, & peccatum hæreſis ratione ſolius excommunicationis reſervatur. Neque obſtat, poſſe talem hominem ob negatam exteriùs fidem puniri in foro externo ut hæreticum: quia exinde non ſequitur, incidiſſe in hæreſin formalem, tametſi præſumatur in illam incidiſſe, quia forum externum non judicat de internis actibus, niſi ex verbis, & alijs ſignis externis ſenſibilibus, quia verba fuerunt inſtituta ad ſignificandos internos animi conceptus: quâ ratione, qui exteriùs per verba, vel alia ſigna ſenſibilia fidem negat, præſumitur in intellectu diſſentiri à fide; quapropter rectè punitur, ut hæreticus in foro externo: at in foro interno conſcientiæ Confeſſarius tenetur judicare juxta id, quòd aſſerit pœnitens, qui ſi fateatur, ſe nunquam habuiſſe errorem in fide, ſed tantùm ex metu ad declinandam imminentem mortem protuliſſe verba illa, vel dediſſe ſigna alia externa, quibus videretur fidem negâſſe, non fuit hæreticus in foro conſcientiæ. Hinc Sylvius *ad 2. 2.* D. Thomæ *q. 11. art. 3. concluſ. 2.* docet, hæreticum ſolo actu externo graviter quidem peccare, non tamen incurrere excommunicationem, nec alias pœnas eccleſiaſticas jure in hæreticos latas, conſequenter poſſe à quolibet Confeſſario abſolvi, tametſi in foro externo præſumatur hæreticus; & teneatur, qui ita fidem negavit, ſe gerere ac ſi eſſet excomunicatus apud eos, qui noverunt peccatum externum. Additque Sylvius, eos, qui apud hæreticos, vel infideles metu compulſi, vel ſpe lucri adducti, vel etiam irâ, aut alia quacunque paſſione commoti Sanctorum imaginibus illuſerunt, Machometo cultum, & reverentiam exhibuerunt, & priſtinam fidem catholicam mente retinuerunt, formaliter non eſſe hæreticos, neque excommunicatione lata in hæreticos innodatos, quia cenſuræ, & reliquæ pœnæ inflictæ propter delictum aliquod non contrahuntur, niſi ob delictum verum, & quod formaliter ſit tale, ac totaliter conſummatum: unde cùm tales tantùm in foro externo præſumantur hæretici ob illa ſigna exteriora, & interiùs nunquam defecerint à fide, neque fuerint veri, & formales hæretici, ſequitur, non contraxiſſe pœnas latas in jure contra hæreticos; proinde poſſunt à quovis Confeſſario approbato, ſi ad catholicos revertantur, abſolvi; eò quia in foro conſcientiæ procedatur ſecundùm ea, quæ ſunt in mente, & voluntate; hinc ſi pœnitens aſſerat, ſe nunquam errâſſe interiùs in fide, non eſt præſumendus in foro conſcientiæ formaliter hæreticus, conſequenter poteſt abſolvi.

Quæritur nonò, an hæretici ſint denuntiandi Inquiſitoribus ante præviam correptionem? Reſpondent plures cum diſtinctione, ſi ſpes fundata affulgeat, lapſum in hæreſin beneficio privatæ admonitionis emendatum iri, tunc poſſe non denuntiari Inquiſitoribus, eò quia ſit juxta charitatem conſulere honori, & famæ proximi, quando nil mali inde timetur, ſed bonum, ſeu emendatio peccatoris ſperatur: quia modus correctionis fraternæ, ideo tenendus eſt; quia ſervanda eſt incolumis bona hominis fama, quamdiu ſperamus, eum admonitum converſum iri. Sin verò non affulgeat ſpes, quòd debeat per talem monitionem præviam reſipiſcere, vel timeatur grave aliquod damnum, tunc modus correctionis fraternæ non eſt tenendus, nec hæreticus monendus, ſed ſtatim denuntiandus Inquiſitoribus. Verùm hæc ſententia cum ſua diſtinctione, quam docent Duval *in 2. 2. de correct. q. 9. art. 5.* Sotus, & alij, quamvis poſſit procedere ſpectata ſola lege, & præcepto charitatis; non tamen ex vi præcepti eccleſiaſtici, quia hoc ſtatuit medium denuntiationis omiſsâ fraterna correctione, proinde lapſus in hæreſin, quamvis ex prævia monitione ſpes affulgeat reſipiſcentiæ, denuntiari debet ſtatim Inquiſitoribus. Ratio eſt, quia periculum detrimenti communis eſt majus, quàm damnum, quod lapſo in hæreſin poteſt obtingere, ex eo quòd ſtatim denuntietur Inquiſitoribus ſine prævia monitione: ſicut enim bonum publicum præferri debet privato, ita ad declinandum malum publicum, poteſt damnum privatum poni: hæreſis autem cùm ſit crimen, quod facilè irrepit, eſt valde periculoſum, & nocet 14

in re, vel maximè neceſſaria, ſeu in fide, quæ eſt primum fundamentum vitæ ſpiritualis. Tum quia lapſus in hæteſin facilè poteſt purgari apud Inquiſitores, quibus fuit denuntiatus. Tum quia in peccato hæreſis minor adeſt ſpes emendationis per admonitionem, ob intrinſecam contumaciam; proinde qui deliberatè, & ex animo Eccleſiam contemnit; & à fide deficit, minùs audiet privatam perſonam, ad cujus monitionem ſtatim velit reſipiſcere.

15 Hæcque ratio, cur ſcriptura præcipiat, ut crimen hæreſis quamvis occultum reveletur: ſiquidem *Deuter. 15.* de eo, qui perſuadet receſſum à fide, & à cultu DEI: dicitur: *Non parcat ei oculus tuus; nec miſerearis, ut occultes eum.* Hinc etiam D. Leo Papa *ferm. 4. de jejun.* & *ferm. 5. de jejun. menſis 7.* hortatur, ut nullus occultet hæreticum, quapropter Eccleſia rectè præcipit, ut ſtatim lapſus in hæreſin abſque ulla prævia monitione denuntietur Inquiſitoribus; cui præcepto procul dubio parendum eſt à quocunque fideli; adeò ut ſi daretur hæreticus ſcienter in fide errans, quamvis hæreſiarcha non eſſet, & ab uno tantùm lapſus in hæreſin ſciretur, teneretur iſte illum denuntiare etiam ante omnem monitionem, ut habetur in edicto, quod à fidei Inquiſitoribus ſingulis annis promulgatur, quia in delictis tendentibus contra bonum commune, inter quæ eſt hæreſis, omittenda eſt prævia monitio, ſed delinquens ſtatim denuntiandus eſt ſuperioribus, ne ex malitia unius tota Reſpublica detrimentum patiatur. Tum quia denuntiatio alia eſt evangelica; alia judicialis; ante evangelicam præmittenda eſt correctio, quia fit ad emendationem fratris; non ita ante judicialem, quia hæc tendit ad punitionem, & exemplum, & denuntiatio in edictis præcepta eſt judicialis, ut docet Diana *p. 1. tractat. 4. reſolut. 2.*

16 Quæritur decimò, an puniri poſſit ut hæreticus is, contra quem teſtes ſingulares deponunt diverſos ſpecie actus hæreſis, ut ſi unus teſtis deponat, ſe audiviſſe Petrum dicentem, Chriſtum non redemiſſe humanum genus; & alius deponat, ſe audiviſſe eundem Petrum dicentem, baptiſmum in Eccleſia non eſſe ſacramentum; & alius, eum audiviſſe dicentem, Pontificem non eſſe in Eccleſia Chriſti Vicarium: omnes hi teſtes ſunt ſingulares reſpectu propoſitionis hæreticæ, eò quia unus non denontiat eandem propoſitionem alterius, ſed diverſam, & ſupponuntur etiam ſingulares quoad circumſtantiam temporis, & loci, unde quæritur; an ob depoſitionem horum teſtium ſingularium Petrus puniri poſſit ut hæreticus? Reſpondetur, duas eſſe ſententias, quarum prima eſt negativa, quam defendunt Maſcardus *lib. 2. de probat. concluſ. 856. n. 10.* Farinacius *q. 64. de teſtib. n. 1207.* Salicetus *l. teſtium C. de teſtib. n. 16.* & alij, qui nituntur. Primò quia per præfatos teſtes ſingulares ad ſummum Petrus convincitur hæreticus in genere: atqui non poteſt intelligi, quid ſit, aliquem eſſe hæreticum in genere, quia per hoc nullum certum individuum oſtenditur, unde eſſet puniendus hæreticus tantùm in genere, non verò hic, vel ille homo.

17 Secundò quia Petrus de nulla hæreſi plenè convincitur, quia uni hæreſi unus tantùm reſpondet teſtis ſingularis, qui non facit plenam probationem, qui enim duobus ſaltem teſtibus non convincitur de hæreſi, non poteſt condemnari, quia in hoc crimine, cùm agatur de pœna graviſſima, requiruntur uberiores probationes; præſertim cùm defenſionis ordo ſit quaſi truncatus.

18 Tertiò, quia quod non eſt in ſpecie verum, neque dici poteſt verum in genere; proinde ſi Petrus in ſpecie non plenè convincitur hæreticus, eò quia in ſpecie nonniſi teſtes ſingulares deponant; ſequitur, quòd nec in genere ſit ſimpliciter hæreticus, ac proinde non poſſit ut talis puniri. Hæc ſententia quamvis probabilis ſit: contraria tamen mihi videtur probabilior; eique adhærendum puto cum Myſingero, *obſervat. 76. centur. 3. V. hanc Doctorum repugnantiam.* Baldo *in l. actor. C. de probat.* Gravetta *conſil. 78. lib. 1.* & alijs; quia revera præfati teſtes deponentes contra Petrum non ſunt ſingulares, ſed concordes, eò quia conveniant quoad principale, de quo formatur proceſſus; & eſt, quòd Petrus defecerit à fide catholica, omnes enim in hoc conveniunt, & concordant, & ſolùm ſunt ſingulares in ratione diverſarum propoſitionum, quibus à fide defecit, poteſt enim quis teſtari ſuam mentem pluribus propoſitionibus etiam diverſis materialiter, ſeu verbaliter; ita tamen ut omnes in eundem colliment finem, & manifeſtent exteriùs mentem eas proferentis: quamobrem cùm omnes præfatæ propoſitiones in hoc conveniant, ut manifeſtent Petrum defeciſſe à fide catholica: ideo teſtes, qui ſingulares ſunt reſpectu propoſitionum materialiter ſumptarum, & circumſtantiarum temporis, & loci; ſunt conteſtes in ordine ad ipſam defectionem, quâ Petrus defecit à fide catholica, quapropter poteſt tunc Petrus puniri, ut deſertor à fide.

19 Tum quia Judex poteſt formare proteſſum contra Petrum, eò quia hic à fide catholica defecerit ſiſtendo tantùm in hoc puncto, non enim opus eſt, ut deficiens à fide incidat in omnes hæreſes, ſed ſufficit, ſi in unam delabatur, quia tunc totam fidem amittit, eò quia non ampliùs credat purè ex divino teſtimonio. Præterea quia ut docet Baldus *l. de quibus n. 58. ff. de legib.* cui adhæret Farinacius *q. 74. de teſtib. n. 322.* Omnis interpretatio facienda eſt, ut teſtes dicantur conteſtes, & non teſtes ſingulares; & in hoc caſu poſſunt depoſitiones teſtium ita regulari, ut etiam ſine interpretatione poſſint dici conteſtes reſpectu ſcilicet defectionis, quâ Petrus defecit à fide, quod eſt punctum principale, & in quod conveniunt omnes teſtes deponentes contra ipſum.

20 Neque obſtat, quòd teſtes non poſſint de-

po-

ponere de hæreſi interna, niſi manifeſtetur per actus externos, qui cùm ſint ſingulares, & diverſi non poſſunt, niſi diverſam hæreſin internam exteriùs manifeſtare. Nam contra eſt, quia tametſi quævis propoſitio exteriùs prolata diverſam ſignificet internam hæreſin materialem, ſeu diverſam opinionem à revelatis; adhuc tamen omnes in hoc conveniunt, quòd ſignificent internam à fide deſectionem, adeò ut poſſit quilibet teſtis de hac deſectione teſtari, ut de ratione ſui dicti; ac propterea ſunt conteſtes.

21 Firmari etiam ex eo poteſt, quia teſtes ſingulares convincunt irregularitatem, quamvis deponant de diverſis actibus in diverſo tempore, ut docent Gloſſa *in c. nihilominus V. ſimul verſ. vel ſi aliqui.* Caccialupus *l. admonendi n. 84. in fin. V. ſi verò volo probare ff. de jurejur.* Farinacius *q. 64. de teſtibus n. 284.* Ratio eſt, quia irregularitas eſt una, & eadem, quæ per diverſos actus manifeſtatur: atqui etiam defectio à fide eſt etiam una tantùm, quæ per plures actus hæreſis diverſi generis manifeſtatur. Præterea ad probandum vitium aliquod habituale, ut aliquem eſſe adulterum ſufficiunt ad plenè probandum, & ordinariam pœnam infligendam teſtes deponentes diverſos actus adulterij: idque non ob aliam rationem niſi quia habitus manifeſtetur in illis actibus, quibus teſtes utuntur, ut ratione ſui dicti, ut docent communiter utriusque Juris Doctores Abbas *conſil. 25. num. 1.* Natta *conſil. 478.* Ubaldus *conſil. 44. n. 45.* Maſcardus *lib. 2. de probat. concluſ. 1063. n. 37.* Farinacius *q. 64. de teſtib. n. 223.* Atqui Petrum defeciſſe à fide eſt aliquid habitnale, quod perſeverat in Petro, & manifeſtatur exteriùs per plures propoſitiones, proinde teſtes ſingulares reſpectu propoſitionum, ſunt conteſtes, reſpectu habitus, ſeu ipſius deſectionis à fide, proinde ſufficiunt, ut Petrus puniatur ut hæreticus. Hinc ad primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, ex eo, quòd teſtes probent, aliquem eſſe hæreticum tantùm in genere, non intelligi, quòd aliquis probetur in genere hæreticus, fit enim tranſitus de hæreſi, quæ eſt forma, ad perſonam, quæ eſt ſubjectum talis formæ, crimen enim, cum ſemper probetur de aliqua certa ac determinata perſona, ſemper indicat eſſe in illa perſona, quamvis nonniſi in genere probari poſſit.

22 Tum quia in caſu noſto non probatur ſolum delictum in genere, ſed tale delictum in ſpecie, ſeu defectio à fide in tali determinsta perſona, & quia hæc deſectio eſt crimen certum, & individuum afficit perſonam certam, & individuam, & non tantùm in genere, ut malè ſupponebatur. Ad ſecundum reſpondetur, Petrum convinci de omnibus hæreſibus, eò quia per deſectionem à fide ab eadem apoſtataverit, & omnes hæreſes continentur in apoſtaſia ſaltem virtualiter, & inchoativè, & in hoe omnes teſtes concordant; propterea ſunt conteſtes. Ad tertium reſpondetur, poſſe aliquid verum eſſe in aliquo genere virtuali, quod verum etiam ſit in aliqua ſpecie, eò quia in ipſa tale genus virtuale contineatur: & quia defectio à fide catholica, quæ plenè convincitur, eſt ſpecies determinata criminis, quæ virtualiter continet omnes hæreſes, ideo hæreſis, quæ non convincitur in ſpecie, convincitur in ſuo genere virtuali, ſeu in ipſa deſectione à fide.

Quæritur undecimò, an baptizatus baptiſmo invalido, ſi poſtea recedat à fide, ſit propriè hæreticus: Reſpondetur, baptizatum baptiſmo invslido ex deſectu materiæ, formæ, vel Miniſtri intentionis eſſentialis, ſi à fide poſtea 23
recedat, eſſe verè ac propriè hæreticum, idque deſumi ex Concilijs, & ſanctis Patribus aſſerentibus, aliquos hæreticos, ſi convertantur ad fidem catholicam eſſe baptizandos, adeò ut ſignificent, hujusmodi hæreticos fuiſſe quidem priùs baptizatos, ſed baptiſmo invalido defectu materiæ, vel formæ, aut Miniſtri intentionis eſſentialis. Tum quia taliter baptizati vocantur hæretici in Concilio Nicæno *c. 19.* ubi definitur, eſſe rebaptizandos, qui ex hæreſi Pauli Samoſateni redeunt ad fidem catholicam, cujus canonis meminit S. Auguſtinus *hæreſ. 45.* ubi aſſerit, Paulinianos iſtos eſſe baptizandos in eccleſia catholica, eò quia invalidè fuerint baptizati, & ita baptizati vocantur pariter hæretici à D. Auguſtino *lib. de unico baptiſmo contra Donatiſtas c. 3. & lib. de hæreſ. init. hæreſ. 44.* An verò hujusmodi hæretici baptizati baptiſmo invalido poſſint ab eccleſia puniri pœnis injunctis hæreticis: probabiliùs videtur, non poſſe puniri, quia eccleſia nequit eos punire, in quos non habet juriſdictionem *c. gaudemus de divort.* & habetur etiam in Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 2.* quia ut ait Apoſtolus *1. ad Corinth. c. 5.* de his, qui foris ſunt nihil ad nos: hæretici autem baptizati baptiſmo invalido non ſubijciuntur juriſdictioni eccleſiæ, quia hæc non acquirit juriſdictionem in homines niſi per baptiſmum, & characterem baptiſmalem; baptiſmus autem invalidus non eſt baptiſmus, nec per ipſum imprimitur character, proinde per talem baptiſmum homines non ſubijciuntur juriſdictioni eccleſiæ. Tum quia eccleſia non ſuſcipit in ſua membra, ſeu homines non fiunt membra corporis myſtici, quod eſt eccleſia, niſi per ſignum ſenſibile à Chriſto inſtitutum, quod ſignum eſt baptiſmus: atqui invalidè baptizati hoc ſignum ſenſibile non receperunt, quia tale ſignum fuit invalidum, & nullum, & perinde ſe habet, ac ſi nunquam fuiſſet poſitū, conſequenter invalidè baptizati non fuerunt ab eccleſia ſuſcepti ut membra ſui corporis myſtici, conſequenter cum non ſubijciantur juriſdictioni eccleſiæ non poſſunt ab hac puniri.

Quæritur duodecimò, an poſſit quis pro- 24
priè eſſe hæreticus, tametſi nunquam fuerit fidelis? Reſpondetur affirmativè, quia nonnunquam contingit, aliquos baptizari ab infantia, & ab hæreticis educari, & nunquam verum baptiſmum, nec habitum fidei infuſum

ob defectum materiæ, vel formæ, Miniſtri intentionis eſſentialis ſuſcepiſſe: & iſti tametſi Chriſtum profiteantur, credunt fide tamen humana, non divina, & non ſunt Pagani, nec Judæi: ergo hæretici, tametſi nunquam fuerint fideles. Hinc D. Auguſtinus de *civit. lib. 18. c. 51.* ait, hæreticos eſſe illos, qui ſub nomine chriſtiano à vera fide recedunt. Unde cum multi baptisentur in infantia, vivántque inter hæreticos, quorum errores ſequuntur, & propriè nunquam fuerunt fideles, nec per habitum fidei infuſæ articulum aliquem noſtræ fidei crediderunt: ſi ijsdem fides Catholica poſtea ſufficienter proponatur, & eam nolint amplecti, incipiunt eſſe hæretici, tametſi nunquam fuerint fideles, quia taliter baptizati, & educati revera ſunt infideles, cum ſupponantur invalidè baptizati ex defectu materiæ, vel formæ, aut miniſtri intentionis eſſentialis: & quia ex alio capite Chriſtum profitentur, & credunt, quamvis fide humana, non divina, ex defectu habitus fidei ſupernaturalis non ſunt Pagani, nec Judæi, proinde dicendi ſunt hæretici, tametſi nunquam fuerint fideles; quia, ut quis ſit hæreticus, ſufficit, ſi credat, vel crediderit in Chriſtum: & ſi poſtea ipſi ſufficienter proponatur aliquis articulus fidei, de quo ante notitiam non habuerit, tenetur illum credere, & quem propterea, ſi non credat, fit propriè hæreticus, quia cum non ſit infidelis, nec Paganus, nec Judæus, propriè dicitur eſſe hæreticus, quia is propriè dicitur hæreticus, ut ait D. Auguſtinus *lib. 18. de civit. c. 11.* qui ſub nomine chriſtiano à vera fide recedit.

25 Quæritur tertiodecimò, an qui credit totum id, quod fide catholica eſt credendum, ſit dicendus hæreticus, ſi non credat, poſtea aliquam ſpecialem revelationem ſibimetipſi factam, & quam certò, ac firmiter, imò & evidenter in atteſtante judicat, & cognoſcit eſſe divinam? Reſpondetur, plures in ea eſſe ſententia, ut cenſeant, talem committere quidem peccatum infidelitatis, non verò peccatum hæreſis, proinde non eſſe propriè hæreticum. Sed verior ſententia eſt, talem propriè eſſe hæreticum: ratio id ſuadens eſt, quia tenetur credere fide divina ſupernaturali, ac theologica talem ſpecialem revelationem, perinde ac alias res fidei revelatas: ſiquidem tenemur hujusmodi revelationes divinas ſpeciales, ſeu particulares credere eadem fide divina, ac theologicâ, quâ credimus quidquid à Deo fuit revelatum, tametſi non proponatur toti eccleſiæ credendum, quia divinas revelationes credimus ob DEI revelantis authoritatem, quæ æqualis eſt in qualibet re, quam DEUS revelat, & ſive eam revelet toti eccleſiæ univerſali, ſive alicui tantùm perſonæ particulari: ſiquidem prima veritas eſt ſemper æquè infallibilis in qualibet revelatione, ſive illa fuerit univerſalis, ſive particularis: ergo qui non credit, ſpecialem revelationem ſibi factam, & quam certò, & firmiter judicat, vel evidenter in atteſtante cognoſcit eſſe divinam, propriè eſt hæreticus, perinde ac qui non credit alias revelationes divinas ab eccleſia ſufficienter propoſitas: quia talis diſſenſus opponitur fidei ſupernaturali, éſtque in homine chriſtiano, conſequenter eſt propriè hæreſis, & conſtituit propriè hæreticum diſſentientem. Tum quia talis diſſenſus excludit ab homine chriſtiano fidem, proinde eſt propriè hæreſis.

26 Firmari ex eo poteſt, quia non credens talem revelationem ſibi factam, quam certò, & firmiter judicat, ac evidenter in atteſtante cognoſcit eſſe divinam, non credit in univerſum primam veritatem revelantem; & cenſetur ſentire, quòd non ſemper, nec in omnibus credenda ſit prima veritas aliquid revelans, quod propriè eſt hæreticum, quia cum ex una parte ſciat, & credat aliquam ſpecialem revelationem ſibi factam, quam etiam certò, & firmiter judicat, vel evidenter in atteſtante cognoſcit eſſe divinam, ſi eam non credit, cenſetur ſentire, poſſe DEUM mentiri, quando in particulari aliquid revelat, quod procul dubio eſt hæreſis conſtituens ita ſentientem hæreticum.

27 Tum quia tenetur homo tales ſpeciales revelationes ſibi factas cum evidentia in atteſtante, ac certitudine, quòd ſint divinæ, credere fide theologica, ut colligitur ex Concil. Trident. *ſeſſ. 6. c. 12.* ubi in *canone 16.* definit: *ſi quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum ſe certò habiturum abſolutè, & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ſpeciali revelatione didicerit, anathema ſit*, ubi Concilium apertè oſtendit, quòd ſi DEUS alicui perſonæ particulari aliquid in particulari revelet, debeat illud credere certitudine infallibili, ac fide theologica, quia Concilium non dicit, talem ſpecialem revelationem eſſe credendam alia fide diverſa ab illa, quâ creduntur res fidei, quas eccleſia omnibus Fidelibus proponit credendas.

28 Videtur tamen in contrarium obſtare textus in *c. cum ex injuncto 12. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit non eſſe fidem habendam alicui revelationi particulari, niſi hæc per miracula confirmentur. Sed contra, quia Pontifex ibi loquitur in ordine ad eos, qui revelationes particulares audiunt ex alijs; non verò in ordine ad eos, qui habent revelationes particulares in ſeipſis, & quas certò, & firmiter judicant, vel evidenter in atteſtante cognoſcunt eſſe divinas, ut plures explicant cum Abulenſi in *c. 1. Matth. q. 120.*

29 Cæterum ſi non haberet evidentiam in atteſtante, nec certè, ac firmiter judicaret eſſe divinam talem ſpecialem revelationem, ſed dubitaret, non eſſet tunc hæreticus, quia non negaret primam veritatem revelantem, cum neſciret: an talis ſpecialis revelatio revera eſſet à DEO, unde quæſtio procedit, tantùm de eo, qui credit, aliquam ſpecialem revelationem ſibi factam, & quàm certò, & firmiter judicat, vel evidenter in atteſtante cognoſcit eſſe divinam.

30 Quæritur quattodecimò, quænam requirantur ad pertinaciam, ut ſit quis formaliter

hæ-

hæreticus. Certum eſt, ad hoc, ut ſit quis propriè, & formaliter hæreticus requiri, ut ſit etiam propriè pertinax contra fidem: conſiſtit verò hæc pertinacia in eo; quòd voluntariè quis reſiſtat doctrinæ, quæ ut credenda de fide divina ab eccleſia proponitur, adeò ut nolit ſuum judicium authoritati eccleſiæ ſubjicere, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 11. art. 2.* & deſumitur *ex cap. ad abolendam in princ. de hæret.* & *extravag. Joannis XXII. cum inter de V. S.* idque expreſsè etiam docet D. Auguſtinus *epiſt. 162. & lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas c. 16.* ubi ait: *Conſtituamus aliquem id ſentire de Chriſto, quod Photinus opinatus eſt, exiſtimantem ſcilicet Photini ipſam eſſe catholicam fidem; nondum illum hæreticum dico, niſi manifeſtatâ ſibi doctrinâ catholicæ fidei reſiſtere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.*

31 Ratio ex eo etiam petitur, quia qui vult judicium ſuum judicio eccleſiæ ſubjicere, non eſt hæreticus, proinde ut ſit quis hæreticus formalis, neceſsè eſt, ut ſit pertinax pertinacia in eo ſita; ut pertinaciter nolit judicium ſuum ſubjicere judicio eccleſiæ. Tum quia ſicut fides in eo conſiſtit; ut quis captivet intellectum ſuum in obſequium DEI proponentis ordinariè per eccleſiam, quod eſt fide divina credendum, ita è contra hæreſis in eo eſt ſita, ut nolit quis captivare intellectum ſuum in obſequium DEI, quotieſcunque per eccleſiam proponit, quæ ſunt de fide divina credenda: in eo enim, quòd nolit tunc credere formaliter, & intrinſecè conſiſtit pertinacia: idque ex eo firmari poteſt, quia paratus obedire eccleſiæ arbitratur eccleſiam in proponendis rebus fidei non poſſe errare; proinde eidem proponenti res fidei de facto ſubjicitur; proinde ut ſit quis hæreticus, debet eſſe pertinax pertinacia, quæ in materia fidei conſiſtat in eo, ut homo nolit obedire eccleſiæ proponenti res fidei, ac docenti doctrinam catholicam.

32 Hinc reſpondetur ad quæſitum; ad pertinaciam conſtituentem hæreſin propriè requiri, ut quis ſciens aliquid eſſe de fide deliberatè illud non credat, ſeu ſi ſciens ſuam opinionem eſſe contra ſenſum eccleſiæ catholicæ, nihili faciens authoritatem eccleſiæ velit in ſua propria opinione perſiſtere. Ratio eſt, quia ut poſſit quis habere actum fidei, requiritur, & ſufficit, ut ipſi proponatur, quod eſt de fide credendum, & ut ipſius intellectus ei aſſentiatur: ergò è converſo ad habendum actum hæreſis, requiritur, & ſufficit; ut eidem proponatur id, quod eſt fide divina credendum; & ut ejus intellectus nolit eidem aſſentiri, ſed contradicere. Hinc poteſt quis in inſtanti abſque ulla temporis mora prolabi in hæreſin; quia ſicut in inſtanti poteſt elici actus aſſenſus, ſeu fidei, ita etiam in inſtanti poterit elici actus diſſenſus, ſeu hæreſis: ſicut enim propoſito objecto quod de fide credendum ſit; poteſt intellectus in inſtanti eidem aſſentiri; ita etiam diſſentire: ſiquidem hæreſis in eo eſt ſita, ut nolit quis credere fidei catholicæ, nec ſuum judicium ſubjicere judicio eccleſiæ, qui actus poteſt in inſtanti elici.

Rurſus ad hæreſin, & pertinaciam ſufficit, ſi quis contra id, quod eccleſia proponit credendum fide divina, velit ſentire, ſive id præſtet ex directa intentione contradicendi eccleſiæ, ſive ex vana gloria, ſive ex lucro, ſive ex aliqua alia cauſa, quia ex quocunque titulo contradicat eccleſiæ, ſemper anteponit judicium ſuum privatum judicio eccleſiæ, & arbitratur, judicium eccleſiæ non ſufficere, ut homines rebus fidei infallibilitèr aſſentiantur; quod eſt hæreticum; ut notat Beccanus *de fide, c. 24. q. 2. n. 19.* Quamobrem pertinacia, quæ requiritur ad formalem hæreſin, non ſumitur pro obduratione, aut obſtinata malitia, prout contradiſtinguitur ab infirmitate, ſeu paſſione, ſed ſumitur pro ipſo deliberato diſſenſu, quo non vult quis aſſentiri rebus, quæ ab eccleſia proponuntur, ut credendæ fide divinâ; ſive is ex infirmitate, ſive ex paſſione contradicat authoritati eccleſiæ, ut docet Cajetanus *2. 2. q. 11. art. 2. notab. 1.* 33

Quæritur quintodecimò; an ignorantia vincibilis excuſet ab hæreſi? Reſpondet Sotus *in 4. diſt. 22. q. 2. art. 3.* ignorantiam vincibilem non excuſare ab hæreſi; eò quia non excuſet in furto, homicidio, & alijs delictis, ſive hæc adverſentur juſtitiæ; ſive charitati, ſive honeſtati, ex quo infert, neque excuſare à peccato hæreſis: idque ex eo firmat, quia qui vincibiliter; & culpabiliter ignorat, peccat contra fidem, conſequenter peccat, vel paganiſmo, vel judaiſmo, vel hæreſi, non enim dantur aliæ ſpecies infidelitatis. Firmat ulteriùs, quia ejuſdem ſpeciei eſt peccatum ex ignorantia, ac ex malitia, quia ſpecies peccati hauritur ex objecto, non verò ex modo: & error contra fidem ex malitia, cùm ſit peccatum hæreſis; ſequitur, quòd etiam error contra fidem ex ignorantia culpabili ſit peccatum hæreſis. 34

Verùm hæc ratio non videtur firma; ſiquidem conceſſo antecedente poteſt negari conſequentia ob diſcrimen: ſiquidem in materia juſtitiæ, charitatis, & honeſtatis; eatenus ignorantia vincibilis non excuſat à peccato contra eaſdem virtutes, quia ignorantia non mutat objectum peccati, ſed modum agendi magis, vel minus voluntarium: ſecus in materia fidei ignorantia mutat objectum, ut etiam ſcientia: & quia objectum fidei eſt divina revelatio propoſita ab eccleſia: & hæc revelatio ob ignorantiam etiam vincibilem non innoteſcit, non poteſt tunc error commiſſus contradicere huic revelationi ignoratæ, quæ proinde non poteſt habere oppoſitionem cum fide, cùm non habeat oppoſitionem cum illius objecto. Quamobrem talis error proveniens ex ignorantia vincibili non videtur eſſe peccatum directè contra fidem, ſed contra obligationem ſciendi, quæ ſunt credenda de fide divinâ: malitia enim talis 35

erro-

erroris non tam conſiſtit in poſitivo; quàm in defectu hujus obligationis, ex quo error oritur.

37 Hinc patet ſolutio ad confirmationes. Putârim igitur; ignorantiam vincibilem excuſare ab hæreſi, ut probabiliùs docent Suarez *diſput. 19 ſect. 3. n. 9.* Azorius *tom. 1. lib. 1. c. 14. q. 9.* Farinacius *de hæreſi q. 179. n. 29. & ſequent.* quia repugnat, aliquem voluntariè contradicere authoritati eccleſiæ (in quo conſiſtit pertinacia neceſſariò requiſita ad formalem hæreſin) niſi cognoſcat eccleſiam ſibi contrariam eſſe, atqui hanc cognitionem excludit ignorantia vincibilis, quæ eſt cauſa erroris, proinde excludit pertinaciam neceſſariò requiſitam ad hæreſin formalem, & ſine qua hæc non habetur.

38 Idque ex eo firmari etiam poteſt, quia ſi quis voluntatem habeat mutandi propriam opinionem, ſi illi innotuerit, hanc contradicere definitioni eccleſiæ, nullo pacto dicitur pertinax in ſuo errore, eò quia paratus ſit ſe emendare: atqui cum ignorantia vincibili poteſt eſſe hæc voluntas: quia poteſt quis nolle adhibere diligentiam in ordine ad cognoſcendas res fidei, & ſimul nolle contradicere ijs, quæ ab eccleſia proponuntur, ut credenda fide divina.

39 Quæritur tertiodecimò, an cum ignorantia craſſa, & affectata poſſit formalis hæreſis cohærere? Reſpondetur, duas eſſe Doctorum ſententias. Primam affirmativam, quam docent Petrus Navarra *de reſtit. c. 4. dub. 9. n. 89.* Torres de *Trinit. q. 32. art. 4.* Sanchez *lib. 2. moral. c. 7. n. 23.* Canus *lib. 12. c. 9.* & alij aſſerentes cum ignorantia craſſa, & affectata cohærere hæreſin formalem, & nituntur, quia ſic affectans ignorare res fidei affectat errare, ſed qui affectat errare circa res fidei affectat eccleſiæ contradicere, proinde ſe illi pertinaciter opponit, adeóque eſt formaliter hæreticus, idque vel maximè, quia ignorantia affectata dicitur peccatum aggravare, non minuere, & in omni materia æquivalere ſcientiæ. Secunda ſententia eſt nihilominus probabilior, quam docent Bannez 2. 2. *q. 11. art. 2.* Coninck *diſput. 18. dub. 7. concluſ. 4.* Suarez *diſput. 19 ſect. 3. n. 10. & ſeq.* & alij aſſerentes quamlibet ignorantiam, etiam affectatam, dummodo non ſit cauſa erroris excuſare ab hæreſi formali.

40 Ratio eſt, quia quæcunque ignorantia excludit cognitionem rerum credendarum fide divina, alioquin non haberetur ignorantia, ſed ſcientia de iiſdem: atqui cum excluſione cognitionis non ſtat hæreſis formalis, quia hæc ſupponit neceſſariò, & eſſentialiter, pertinaciam, quæ haberi non poteſt ſine cognitione illius, quod ab eccleſia proponitur credendum fide divina: requiritur enim ad pertinaciam, ut ſaltem pertinax ſciat aliquid eſſe de fide, & nihilominus nolit deliberatè illud credere, ſufficit enim ad hæreſin, & pertinaciam, ut quis contra id, quod eccleſia proponit ad credendum, & ipſi innoteſcit, velit credere, adeò ut pertinacia eſſentialiter, & neceſſariò præſupponat cognitionem rei, quæ ab eccleſia proponitur credenda fide divina, & pertinax deliberatè nolit eam credere: atqui ignorantia quæcunque illa ſit ſive vincibilis, ſive craſſa, vel affectata ſemper excludit hanc cognitionem, proinde etiam pertinaciam, ſine qua non habetur hæreſis formalis. Tum quia cum ignorantia etiam craſſa, & affectata poteſt quis nolle contradicere definitioni eccleſiæ, ſi illi innotuerit. Siquidem poteſt quis affectare neſcire quod eccleſia docet, ne cogatur eidem aſſentiri: proinde affectare ignorantiam excludentem pertinaciam, & includentem potiùs voluntatem obediendi eccleſiæ proponenti clarè res fidei.

Hinc ad fundamentum primæ ſententiæ 41
reſpondetur, affectantem ignorare tantùm indirectè, non verò directè affectare errare, quatenus error tunc ſequitur ex omiſſione obligationis ſciendi, quæ ſunt ab eccleſia propoſita, ex tali enim affecto erroris indirectè non ſequitur, ut formaliter affectet contradicere eccleſiæ, ſed tantùm materialiter: hæreſis autem formaliter conſiſtit in ſola formali contradictione, quâ quis formaliter contradicit eccleſiæ proponenti aliquid credendum fide divina. Ad aliud, quod addebatur, reſpondetur, ignorantiam affectatam non minuere peccati gravitatem in ſuâ ſpecie, ſed potiùs augere: ſed non transferre peccatum ad aliam ſpeciem hæreſis, quia ignorantia affectata in noſtro caſu relinquit peccatum in ſua ſpecie erroris contrarij obligationi ſciendi, quæ ab eccleſia proponuntur credenda fide divina.

Cæterum ſi quis affectaret ignorantiam, 42
eò quia flocci faceret authoritatem eccleſiæ, incurreret quidem formalem hæreſin, non tamen ex errore procedente ab ipſa ignorantia affectata, ſed ex voluntaria malitia procedente ex ſcientia, qua contemnit, & nihili facit authoritatem eccleſiæ, etenim hic contemptus præcisè ſumptus eſt formaliter hæreſis, quia eſt negatio infallibilis authoritatis eccleſiæ. Cæterum in foro externo, ſi errans in fide allegaret, ſe errare ex ignorantia, non eſſet eidem credendum, ſi error eſſet de ijs, quæ paſſim, & communiter omnes ejusdem qualitatis homines optimè norunt, ut notat Decianus *tractat. crimin. lib. 5. c. 37. n. 15.* Menochius *conſil. 82. n. 175.* Farinacius *de hæreſi q. 179. n. 37.* quia tunc error præſumitur oriri ex purâ malitia, non ex ignorantia.

Quæritur decimoſeptimò, quænam perti- 43
nacia requiratur, ut quis ſit formaliter hæreticus in foro exteriori. Cùm nulla ſit hæreſis abſque pertinacia *c. dixit Apoſtolus 24. q. 8. clement. unic. de ſum. Trinit. & fide cathol.* & docent communiter Canoniſtæ, & Theologi cum D. Thoma 2. 2. *q. 11. art. 2. ad 3.* rectè quæritur, an ea pertinacia, quæ requiritur in foro interiori, ſit etiam neceſſaria in foro externo, ut in hoc quis condemnetur ut formaliter hæreticus? Reſpondetur, duas eſſe ſententias, primam aſſerere, ſufficere in utroque foro,

foro, ut quis ſciens, & advertens opinionem ſuam eſſe contra fidem, ſeu definitionem eccleſiæ; adhuc neglectâ authoritate eccleſiæ perſiſtat in ſua opinione, & ita docent Suarez *de fide diſput. 19. ſect. 3. n. 8.* Layman *lib. 2. tract. 1. c. 13. n. 2.* Cajetanus *2. 2. q. 11. art. 2.* & alij communiter. Secundam verò docere, id non ſufficere in utroque foro, ſed ulterius requiri prævìam admonitionem, & quòd admonitus eâ ſpretâ perſiſtat in ſua opinione contra definitionem eccleſiæ, nititur hæc ſententia, quia pertinacia eſt, quæ hominem hæreticum facit, proinde ſi quis de Trinitate minus rectè ſentiat, non eſt hæreticus, niſi priùs admonitus velit ſpretâ admonitione perſiſtere in ſua priori opinione; & ita docet Menochius *conſil. 149. n. 49. volum. 2.* ubi ait ad hoc, ut quis dicatur hæreticus pertinax debere conſtare, quòd fuerit admonitus, & quòd admonitione ſpreta in eadem ſua opinione maluerit perſiſtere. Idque videtur etiam deſumi ex D. Auguſtino *de civit. DEI lib. 8. c. 51.* ibi: *Qui in eccleſia DEI morbidum aliquid, pravùmque ſapiunt, ſi correcti, ut ſanum, rectùmque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuáque peſtiferà dogmata emendare nolunt, ſed defendere perſiſtunt, hæretici ſunt.* Imò videtur etiam deſumi ex *clement. unic. de ſum. Trinit.* ubi definitur, eum eſſe cenſendum hæreticum, qui defendere pertinaciter præſumpſerit; quòd anima rationalis non ſit forma corporis humani. Plures ut has diſſentientes concilient ſententias volunt, primam procedere quoad forum internum, & ſecundam in foro exteriori, ita videntur ſentire Tannerus *diſp. 1. q. 8. dub. 5. de fide.* Aragonius in *2. 2. q. 11. art. 1. concluſ. 2.*

44 Verùm huic reſponſioni non videtur adhærendum; quia inde ſequeretur, quòd perpauci in tribunali inquiſitionis punirentur hæretici, quod in maximum cederet fidei detrimentum: poſſent enim quotquot accuſarentur de hæreſi ſe defendere, ac aſſerere, eos non fuiſſe priùs monitos; ſi enim monitio præceſſiſſet, deſtitiſſent ſtatim à tali propoſitione hæretica.

45 Quamobrem meliùs reſpondetur, primam opinionem procedere in utroque foro interno, & externo, & ita ſervari in praxi aſſerit Paramus *de orig. inquiſit. lib. 1. tit. 1. c. 4. n. 5.* ubi addit praxim eccleſiæ eſſe; ut is hæreticus cenſeatur, qui errore ab eccleſia damnato imbutus fuerit; tametſi nulla eum monitio præjerit. Ratio etiam videtur id ſuadere, quia per ſe, & ex natura rei ut quis ſit hæreticus pertinax etiam in foro exteriori, non eſt neceſſaria ulla ſpecialis admonitio, quià errans in ijs, quæ manifeſta ſunt, procul dubio errat ex electione; & deliberatione, quamvis ſpecialiter à nullo fuerit præmonitus: cum enim manifeſtum ſit, Chriſtum inſtituiſſe baptiſmum; qui abſque prævia ulla monitione id negaret, utique erraret ex electione, & deliberatione, cùm id ſit manifeſtum apud omnes, qui legem ſequuntur Chriſti; proinde eſſet hæreticus pertinax, tametſi nulla ipſum præiret monitio, quia hæc abundè ſuppletur per ipſam rei notorietatem: perinde ac in excommunicationibus à lege latis, lex ipſa utpote promulgata dicitur ſufficienter admonere, ut quis in foro exteriori ſubſit contumaciæ requiſitæ ad contrahendam excommunicationem: hinc liquet etiam in foro externo poſſe aliquem eſſe pertinacem, & hæreticum; tametſi nulla eum præjerit monitio.

46 Tum quia ipſa definitio eccleſiæ, & authoritas ſacræ ſcripturæ majorem habet efficaciam ad veritatem perſuadendam, quàm unius, vel alterius hominis admonitio. Imò plus quàm prohibitiones legis humanæ; proinde ſicut agens contra legitimas hominum admonitiones etiam in foro externo habetur ut pertinax, ut etiam qui operatur contra prohibitiones legis humanæ, idque etiam in foro externo; adeò ut authoritas ſolius legis humanæ conſtituat in foro externo pertinacem eum, qui legem humanam transgreditur, à fortiori authoritas ſacræ ſcripturæ, & eccleſiæ definientis res fidei conſtituit pertinaces contrarium ſentientes etiam abſque alia prævia monitione.

47 Quæritur decimò octavò, an ignorantia culpabilis poſſit cum hæreſi cohærere? Ea dicitur ignorantia culpabilis, quæ facilè poteſt vinci, & excludi, & urget obligatio eam vincendi, & eſt duplex affectata una, quæ tunc habetur, quando quis ex induſtria, ſeu propoſito vult aliquid ignorare; quo pacto dicitur affectare ignorantiam, quam facilè poteſt, & tenetur vincere: altera craſſa, & ſupina, quando quis non ex induſtria, ac propoſito, ſed ex pura negligentia ignorat ea, de quibus ſaltem dubitat, & quæ tenetur ſcire; adeò ut ignorantia affectata per hoc differat à craſſa, & ſupina, quia illa habetur ex induſtria, & propoſito, quo quis malitiosè vult aliquid ignorare: hæc tantùm ex quadam pura negligentia, quapropter prior eſt voluntaria directè, & formaliter, poſterior tantùm indirectè, & virtualiter.

48 Reſpondent ad quæſitum Felinus *in c. 1. de hæret. n. 2.* Ancharanus *ibidem n. 5.* Joannes Andreas *n. 2.* & alij, ignorantiam culpabilem ſive hæc affectata ſit, ſive craſſa, & ſupina non excuſare ab hæreſi, eò quia non excuſet ab alijs peccatis, etenim homicidium, furtum ſemper eſt peccatum, ſive committatur ex ignorantia culpabili, ſive ex ſcientia, proinde etiam error circa fidem ſemper eſt hæreſis, ſive contingat ſcienter, ſive ignoranter, dummodo ignorantia nō fuerit invincibilis, ſed culpabilis. Verùm hæc ratio non evincit: eſt enim diſcrimen inter hæreſin, & alia peccata, ſiquidem de ratione hæreſis eſt pertinacia, & nemo in rebus fidei habetur pertinax, niſi ſciat, & advertat, ſe errare contra definitionem eccleſiæ, unde qui id ignorat propriè, & formaliter non eſt pertinax, proinde nec formaliter hæreticus: ſecus pertinacia non eſt de ratione conſtitutiva aliorum peccatorum, ſicut eſt de eſſen-

cleſia mediantibus viris doctis, & proprio Paſtore; quos eccleſia, ut ſuos Miniſtros, & Procuratores aſſumit: unde ruſticus tenetur credere tunc viris doctis, & proprio Paſtori; quatenus dicunt, tale Myſterium, ſeu fidei articulum proponi ab eccleſia catholica omnibus fidelibus, ut credendum fide divina: tunc enim ruſticus tenetur credere eccleſiæ ſibi proponenti articulum illum mediante proprio paſtore, aliiſque viris doctis; adeò ut hi ſint tantùm quædam media; quibus ruſticus credit eccleſiæ catholicæ proponenti omnibus, & ſingulis fidelibus talem articulum; ut credendum fide divina.

53 Quæritur vigeſimò, an proteſtatio fidei excuſet; ne ſit quis formaliter hæreticus? Reſpondetur cum diſtinctione, vel enim Author, qui ſuo tractatui præfigit fidei proteſtationem, inſerit ſuo operi verba dubia, & materia circa quam erratur; eſt perquàm obſcura; & cujus non præſumebatur notitia; & tunc proteſtatio excuſat Authorem, ne ſit hæreticus; quia cum proteſtetur, ſe nolle diſſentire ab eccleſia catholica; præſumitur; velle ea; quæ tractat, intelligere in eo ſenſu; quo ea intelligit eccleſia catholica; quia cum ſint obſcura; non præſumitur in illo notitia contraria ſenſui catholico. Idque deſumitur *ex c. dixit Apoſtolica 24. q. 3.* ibi: *Sed ſi qui ſententiam ſuam, quamvis falſam; atque perverſam nullâ pertinaci animoſitate defendunt, quærunt autem tantâ ſolicitudine veritatem, corripi parati, cùm tam invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos reputandi*, Gloſſa *ibid. v. pertinaci*, ait: eundem non eſſe cenſendum hæreticum; qui ita credit aliquid contra fidem; ut paratus ſit ſe corrigere. Vel quæ continentur in illo tractato, vel libro; ſunt expreſsè contra fidem in ſenſu ſtatim obvio, & tunc proteſtatio eſt contra factum, proinde non excuſat ab hæreſi, quia cum tales propoſitiones ſint clarè, & in ſenſu obvio contra fidem, præſumitur Author ſciviſſe, tales propoſitiones eſſe contrarias fidei; proinde non excuſatur ab hæreſi ex eo; quòd præfixerit ſuo operi proteſtationem illam. Tunc tantùm proteſtatio excuſat; quandò propoſitio non eſt clarè contra fidem, eò quia in ſenſu obvio ſit valdè obſcura, tunc enim proteſtatio præfixa libro, in quo continetur propoſitio hæretica, excuſat proteſtantem; quo pacto in *c. damnamus de ſum. Trinitat.* ſcripta Abbatis Joachimi fuerunt damnata; ut hæretica; non ita ipſe Author Abbas Joachim; eò quia in iiſdem ſcriptis fuerit proteſtatus; ſe in omnibus, & per omnia velle ſemper ſentire cum eccleſia catholica. Hinc tunc proteſtatio tantùm excuſat, quando materia circa quam erratur, eſt dubia, & obſcura, & ejus vera notitia non præſumebatur: ſecus ſi materia circa quam erratur, non ſit dubia, & obſcura, & ejus notitia præſumebatur, ut ſi quis ſciat, aliquid eſſe contra fidem, & nihilominus illud credat, ac inſerat ſuo libro: quamvis proteſtetur ſe velle credere, quod credit eccleſia catholica, non excuſatur ab hæreſi, alioquin etiam ipſi hæretici in ſuis libris poſſent præfigere talem proteſtationem; nimirum ſe nolle quidquam proferre; vel docere, quod ſit contra veram fidem; tunc enim proteſtatio eſt contra factum, & non excuſat, quia author id facit; quod eſt contrarium illi; de quo proteſtatur. Hinc neq; proteſtatio eum excuſat, qui de hæreſi eſt convictus; tametſi aſſerat; ſe nolle credere; & nunquam crediſſe, niſi cum eccleſia catholica; tunc enim non obſtante hac proteſtatione cenſetur hæreticus, & punitur pœnis latis contra hæreticos; ut notat Cantera *in qq. crimin. in rubric. de hæret. c. 1. n. 17*: quia tunc proteſtatio cenſetur fieri ad declinandas pœnas contra hæreticos.

Quæritur vigeſimo primò, an qui profert verba hæreticalia ſine mala intentione, & potiùs ex joco excuſandus ſit ab hæreſi? Reſpondetur affirmativè cum Archidiacono in *c. inter ſchiſma 24. q. 3. n. 1.* & ratio deſumitur ex eo; quia hæreſis eſt eſſentialiter error in intellectu: atqui hunc errorem non habet, qui ſine mala intentione, & tantùm ex joco profert verba hæreticalia: ergò is propriè non eſt hæreticus; quia cum verbis ab ipſo prolatis non eſt conjunctus talis error; qui conſtituit hæreſin. Videtur tamen in oppoſitum poſſe objici; quia D. Hieronymus aſſerit, ex verbis inordinatè prolatis incurri hæreſin, ut referunt Magiſter in *4. diſt. 13. circa fin.* & D. Thomas *2. 2. q. 11. art. 2.* ſed reſpondetur; plures cum Cano *de locis theolog. lib. 12. c. 9. ad 3.* negare tale dictum eſſe Sancti Hieronymi, eò quia in *epiſt. 57. ad Damaſ. de nomine Hypoſtaſis* contrarium potiùs docet; ſcilicet hæreſin non eſſe ex puris verbis; ſed ex ſenſu judicandam. Verùm dato etiam; quòd D. Hieronymus dixerit ex verbis inordinatè prolatis incurri hæreſin, non tamen id debet ità intelligi, ut proferens talia verba abſque mala intentione; & per ſolum jocum incurrat hæreſin; quia ut notat S. Hilarius *lib. 8. de Trinit.* ſola prolatio verborum ſine aſſenſu interno non eſt hæreſis: ſed ſenſus eſt, ut ex verbis inordinatè prolatis incurratur hæreſis ab audientibus imperitis, eò quia proferens talia verba etiam ſine mala intentione, & ex ſolo joco det aliis occaſionem malè ſentiendi de fide; ac propterea labendi in hæreſin.

Alij explicant D. Hieronymum, ut ex verbis inordinatè prolatis incurratur hæreſis etiam à proferente; ſi nimirum pertinaciter contra ſenſum eccleſiæ velit talem modum loquendi defendere, vel ſi putet, eccleſiam non poſſe determinare modum loquendi circa res fidei. Poſſet etiam D. Hieronymus intelligi; quòd verbis inordinatè prolatis incurratur hæreſis diſpoſitivè; eò quia proferens talia verba ſe diſponat ad hæreſin, & etiam audientes conſtituat in periculo labendi in hæreſin: ſiquidem ut ait *Eccleſiaſt. 19. qui ſpernit, medica, paulatim decidet*: unde ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis non quidem formaliter; ſed diſpoſitivè. Poſſet etiam D. Hieronymus intelligi de præſumptione, & ſuſpicione in foro externo, quatenus qui ſic inordinatè; & temerè loquitur in materia fidei, præ- 54

55

ſumitur hæreticus, eſtque ſuſpectus de hæreſi in foro externo; tametſi in foro interno ex carentia malæ intentionis non ſit hæreticus.

56 Quæritur vigeſimo ſecundò, an qui voluntariè dubitat de aliquo fidei articulo ſit hæreticus? Dubium aliud eſt voluntarium, quod oritur ex eo, quia dubitans velit dubitare; & aliud eſt involuntarium, eò quia perſæpe contra voluntatem inſurgat, & hoc non deſtruit fidem, ſed potiùs occaſionem exhibet eam augendi: ſignum autem cognoſcendi, an dubium ſit involuntarium, eſt ipſa diſplicentia, quâ dubitans nollet ita dubitare, & non vult tali dubio conſentire, quapropter eidem, reſiſtit, & non reſpondet. Difficultas eſt de dubio voluntario circa myſterium fidei ſufficienter propoſitum, an voluntariè ita dubitans circa myſterium fidei ſit hæreticus. Reſpondetur, qui voluntariè, ſeu deliberatè, ac peccaminosè dubitat de rebus fidei ſufficienter propoſitis eſſe ſemper hæreticum, & ita docent Farinacius in *prax. crimin. p. 5. q. 124. n. 114.* Barboſa de *poteſt. Epiſcop. allegat. 40. n. 16.* Gloſſa in *c. 1. de hæret. v. dubius.* Suarez *de fide diſput. 19. ſeſſ. 4. n. 10.* S. Antoninus *2. p. tit. 22. c. 5. n. 10.* Cajetanus *2. 2. q. 11. art. 2. notab. 1.* & ita videtur etiam docere D. Thomas *1. p. q. 32. art. 4.* & deſumitur etiam ex *c. 1. de hæret.* ubi dubius in fide dicitur eſſe infidelis, & habetur etiam in epiſtola decretali Sixti I. & in epiſt. 2. Julij I. ad Orientales *c. 11.*

57 Quòd ſi qui dubitat in fide, eſt infidelis, neceſſariò ſequitur, quòd ſi Chriſtianus dubitet ſit hæreticus, proinde non poſſit textus explicari de infidelitate negativa, quia hæc ſolùm illi ineſt, qui fidem non recipit: qui verò baptizatus fuit, non poteſt dici infidelis tantùm negativè, ſed poſitivè, quia non poteſt fides amitti niſi per actum contrarium fidei, & cum talis actus ſit poſitivus, ſequitur baptizatum non poſſe fieri infidelem, niſi poſitivè. Idque deſumitur etiam ex Concilio Vienneñſi relato in *clement. de ſum. Trinit. & fide cathol.* §. *porro.* ut etiam ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ. 8.* ubi cum quæſtio eſſet, an dubitans de anima rationali, an ſit forma corporis humani, & in tali dubio pertinaciter hærens ſit cenſendus hæreticus. Concilium reſpondit, ita dubitantem eſſe hæreticum, & talem doctrinam contrariam religioni catholicæ: neque hæc Concilia loquuntur de ſola præſumptione fori externi, cùm non loquatur tantùm de dubitante, ſed etiam de ipſa doctrina, quam dicunt contrariam eſſe fidei catholicæ; in doctrina autem non poteſt admitti præſumptio, ſed veritas. Hinc Auguſtinus *lib. 8. de Trinit. c. 5. loquens*, de virgine Maria ait, *Salva veritate dici poteſt fortaſſe virgo talem faciem habuit: non tamen ſalva fide catholica dici poteſt, fortè Chriſtus de virgine natus eſt*, idque non ob aliam rationem, niſi quia illud adverbium *fortè* dubitationem involvit, & fidei adverſatur, quapropter idem Auguſtinus in *Enchirid. c. 17. & 19.* expreſsè ait: *Is qui de fide dubitat; habet errorem poſitivum circa fidem*, cui adhæreas S. Bernardus *lib. 5. de conſiderat.* ait: *fides ambiguum non habet, & ſi habet, fides non eſt.*

58 Hoc idem etiam ratione oſtenditur, quia quando quis deliberatè, & peccaminosè dubitat de rebus fidei, judicat res fidei non eſſe dignas, ut certò, & infallibiliter credantur: atqui deliberatè judicare res fidei ſufficienter propoſitas non eſſe dignas, ut certò, & infallibiliter credantur, eſt hæreſis, quia hæc propoſitio res fidei ſunt infallibiliter veræ, & debent infallibiliter credi, ut veræ, eſt de fide, & qui contradicit huic propoſitioni, contradicit fidei, & eſt hæreticus: qui autem deliberatè, & peccaminosè dubitat de rebus, & propoſitionibus fidei, non aſſerit res, & propoſitiones fidei eſſe infallibiliter veras, conſequenter contradicit rebus, & propoſitionibus fidei.

59 Neque ad dubitationem peccaminoſam ſufficit ſuſpenſio; ſed ulterius requiritur judicium, quo dubitans poſitivè judicet objectum illud eſſe dubium, & incertum, ac proinde indignum, ut certè, & infallibiliter credatur. Quando enim quis ſolùm perpendit rationes utriuſque partis in materia fidei nullum inde judicium formans, non dicitur dubitare de rebus fidei, ſed tantùm ſuſpendere actum circa articulos fidei: quando enim quis ſuſpendit actum utriuſque partis, non dubitat de veritate, quia ad neutram partem deliberatè ſe determinat: poteſt enim quilibet ſuſpendere ſuum actum circa fidem, non quia de illa dubitet, ſed quia interim velit intellectum ad alia objecta divertere, & de alijs rebus cogitare; non enim fidelis ſemper tenetur elicere actum fidei, quia cum præceptum fidei ſit affirmativum, obligat quidem ſemper, ſed non pro ſemper: ex quo liquet, non omnem ſuſpenſionem actus fidei eſſe dubitationem de rebus fidei, quia is propriè dicitur dubitare de rebus fidei, qui putat, motiva, quæ eccleſia proponit ad credendum, non eſſe ſufficientia, qui verò ſuſpendit actum fidei, id non putat, conſequenter nec propriè dubitat.

60 Tum quia qui ſuſpendit actum fidei, non aſſentitur parti, quæ adverſatur articulis fidei neq; judicat articulos fidei eſſe incertos, nec ullum format judicium, alioquin non ſuſpenderet actum circa articulos fidei: dubitare autem de fide eſt judicare articulos fidei eſſe incertos, ac illis poſſe ſubeſſe falſum: quapropter ſuſpendere actum fidei, & dubitare de fidei articulis, ſunt duo vel maximè diſtincta, quia primum dicit carentiam actus, quem dubitatio ponit. Tum quia dubitans habet errorem poſitivum circa id, quod eſt certum, quia per dubitationem judicat eſſe incertum, & judicare incertum, quod eſt certum, eſt error in intellectu: qui autem dubitat de rebus fidei, judicat res fidei eſſe incertas, cum in ſe ſint vel maximè certæ, ac infallibiles, proinde habet errorem circa fidem, & eſt hæreticus.

Poſ-

61 Poſſet tamen in contrarium objici, quia is eſt hæreticus, qui eligit opiuionem contrariam fidei, eiſque adhæret, ſed qui dubitat, quam partem eligat, vel cui parti aſſentiatur, non poteſt dici, ut eligat opinionem fidei contrariam, proiude non poteſt eſſe hæreticus. Tum quia dubitans, an aſſentiatur Myſterijs fidei, eſt potiùs indifferens ad aſſentiendum, vel diſſentiendum ijsdem, proinde non magis dici poteſt contrariari fidei, quàm eidem adhærere. Tum quia ſicut fides importat poſitivum aſſenſum, ita etiam hæreſis fidei contraria poſitivum diſſenſum, atqui dubium non excludit aſſenſum, neque diſſenſum, proinde non eſt hæreſis.

62 Sed contra, quia dubium, eo ipſo, quod eſt deliberatum, & peccaminoſum includit actum poſitivum, quo dubitans judicat res fidei non eſſe dignas, ut certò, & infallibiliter credàntur, & non poteſt quis ita judicare, quin diſſentiat omnimodæ infallibilitati fidei: aliud enim eſt ſe habere negativè, ac ſuſpenſivè circa res fidei, & aliod de ijsdem voluntariè, determinatè, ac peccaminosè dubitare; quia hoc ſecundum non ſtat ſine actu poſitivo, quo dubitans judicat res fidei non eſſe dignas, ut certò, & infallibiliter credantur: quando verò quis dubitat negativè, ſeu ſuſpendit actum, ut perpendat rationes utriusque partis in materia fidei, non eſt hæreticus, quia tunc nullum format judicium, ſed hæret ſuſpenſus, quod non eſt dubitare de rebus fidei, ſed tantùm ſuſpendere actum circa res fidei: & hinc patet ſolutio ad alia, quæ objiciebantur, non enim dubitans eſt indifferens ad aſſenſum, vel diſſenſum, ſed poſitivè diſſentitur infallibili certitudini rerum fidei, ex quo liquet, dubium includere poſitivum diſſenſum.

63 Quæritur vigeſimo tertiò, an hæreſis purè mentalis, quæ conſummatur in corde, ſufficiat ad contrahendas pœnas ab eccleſia injunctas hæreticis? Reſpondetur, probabiliùs ob hæreſin purè mentalem non incurri has pœnas, quia eo ipſo, quòd eſt purè mentalis, non cadit ſub ullum ex ſenſibus exterioribus, nec eſt ſenſibilis, proinde non ſubijcitur eccleſiæ viſibili, quia hæc non poteſt de actu purè interno judicare, niſi nectatur cum aliquo externo, quo mediante fiat ſenſibilis, quapropter non poteſt eccleſia hæreſin purè mentalem, & in corde conſummatam punire, eò quia non poteſt de illa judiciū ferre ex defectu medij ſenſibilis, quo deveniat in cognitionem illius: alioquin ſi hæreſis interior quoquo modo prodiret in actum exteriorem, tametſi occultiſſimum, nullique alteri à committente cognitum, eccleſiæ tunc ſubijceretur juriſdictioni, & talis hæreticus ejus pœnas incurreret, quia tunc actus ille per ſe eſſet ſenſibilis, proinde cognoſcibilis ab eccleſia, & tantùm per accidens non cognoſceretur ex defectu teſtis, & accuſatoris, ut notat Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 40. n. 8.* Suarez de fide *diſput. 21. ſect. 2. n. 6.* Signa autem externa, & ſenſibilia, quæ manifeſtant internam hæreſin ſunt, quæ à ſe, vel ex circumſtantijs, adjunctis, vel ex qualitate perſonæ proferentis ſatis exprimunt internam hæreſin, cum qua dicunt correlationem, eámque ſignificant, ut docet Suarez *diſp. 21. ſect. 2. n. 8.* hæc tamen ſigna externa expreſſiva internæ hæreſis ſunt peccatum lethale, quia hoc tantùm ab eccleſia punitur excommunicatione, & alijs pœnis.

Hinc ſi facta, vel verba exteriora non ſignificent, neque nectantur cum hæreſi interna, ſed ſint indifferentia, ex quibus propterea præcisè ſumptis non poſſit inferri hæreſis interna, non eſt ponens talia ſigna puniendus ut hæreticus, quia ſigna illa præcisè ſumpta non denotant ſufficienter hæreſin illam mentalem. Sin verò verbis ambiguis aliquis interiorem hæreſin pronuntiaret, ut dolosè ſuam occultaret malitiam, fieret hæreticus exterior, ac incurreret pœnas ab eccleſia injunctas contra hæreticos, quia tunc ſigna externa ſufficienter per ſe manifeſtant hæreſin, & ambiguitas tantùm deſervit ut quædam diſſimulatio, quæ peccatum non minuit, ſed potiùs aggravat. Verùm id procedit, quando verba ambigua communiter accipiuntur iu malam partem: alioquin ſi poſſent æquè in bonum, & malum ſenſum accipi, qui illa proferret, non eſſet hæreticus exterior, niſi ex alijs adminiculis, ut ex qualitate perſonæ proferentis, vel ex alijs circumſtantijs determinarentur ad malum ſenſum, tunc enim eorum prolatio conſtitueret hæreſin externam, ut notat Farinacius *de hæreſ. q. 187. n. 11.* 64

An verò eſſet hæreticus exterior, qui internam ſuam hæreſin manifeſtaret confeſſario, vel alicui viro docto petendi conſilij cauſâ, & in ordine ad emendandum ſuum errorem. Reſpondetur, talem non fore hæreticum exteriorem, quia talis manifeſtatio non eſt peccaminoſa, ſed laude digna. Sin verò ex complacentia in hæreſin, eam quis manifeſtaret, tunc reſpondetur cum diſtinctione, vel enim ex illa manifeſtatione, & complacentia denotaret ſe in præſenti diſſentire alicui articulo fidei, & tunc fieret hæreticus exterior: vel tantùm manifeſtaret abſque complacentia, ſe aliquando diſſenſiſſe, & tunc non fit hæreticus exterior, quia talis manifeſtatio non eſt profeſſio hæreſis, ſed ſimplex narratio hæreſis jam habitæ, quo pacto converſi ad fidem non fiunt iterum hæretici, ſi narrent errores, in quibus ante converſionem verſabantur. 65

Digitized by Google

TITULUS VIII.

De Schiſmaticis ; & ordinatis ab eis.

NOn incongruè præſens titulus præcedenti adnectitur, eò quia Schiſmatici licèt formaliter hæretici non ſint, ſunt tamen hæreticis valdè proximi, quia ut ajt D. Hieronymus in *can. inter* 24. *q.* 3. ferè nullum Schiſma eſt, quód non hæreſin aliquam confingat; ideóque titulo præcedenti ſummus Pontifex præſentem addit, eò quia Schiſmatici frequenter in hæreticos degenerent: & quia ſolent etiam ſibi conſtituere ſacerdotes, alióſque clericos, & dignitates, eíſque beneficia conferre, ideo præſens Rubrica ſimul nectit Schiſmaticos; & ordinatos ab iiſdem. Extat etiam hic titulus in Sexto *c. ad ſuccidendos* & etiam in extravag. communibus, & in multis alijs in decreto Gratiani.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

C. *QUOD à PRÆDECESSORE* 1. *h. t. Ex Concilio Lateranenſi declarantur irrita ordinationes facta à Schismaticis, & ab Ordinatis ab illis, adeò ut qui acceperunt ab iiſdem dignitates eccleſiaſticas, vel beneficia careant impetratis. Rurſus declarantur invalidæ alienationes facta de rebus eccleſiæ per Schismaticos, vel laicos, adeò ut res ſine omni onere debeant ad eccleſias reverti: & contrafacientes declarantur excommunicati. Rurſus qui ſponte jurârunt de tenendo ſchismate; ſunt ſuſpenſi à ſacris Ordinibus, & dignitatibus. Notandum tamen eſt cum Gloſſa, ordinationes factas à Schismatico non eſſe irritas; quantum ad ordines, dummodo facta ſint juxta formam eccleſiæ, ſed tantùm eſſe irritas, quantum ad executionem, niſi cum illis diſpenſetur, vel niſi ordinatus probet, ſe ignoranter à Schismatico accepiſſe Ordines* c. ſi quis à Simoniacis 9. q. 1.

C. *FRATERNITATI* 2. *h. t. Innocentius III. declarat, ordinatum à Schismatico eſſe ſtatim repellendum ab officio, niſi legitimè probet, ſecum fuiſſe diſpenſatum ab habente legitimam authoritatem. Verùm ut notat Gloſſa, aſſerens ſecum fuiſſe diſpenſatum, tenetur probare diſpenſationem, quæ probari poſſit per teſtes. Ratio verò, cur ordinatus à Schismatico ſit repellendus eſt, quia Schismatici, & Ordinati ab illis incurrunt irregularitatem, & privationem beneficiorum. Quòd ſi peccatum ſit occultum, Ordinatus debet ſecretò confiteri Epiſcopo, & petere diſpenſationem, ut ſuper hac obtineat litteras: ſin verò ſit publicum, & publicè fuerit diſpenſatum, non poteſt poſtea accuſari* c. ex tua de fil. Presbyt.

IN SEXTO.

C. *AD SUCCIDENDOS* 1. *h. t. Bonifacius VIII. deponit à Cardinalatu Jacobum; & Petrum columnenſes, & imponit alias pœnas: & filios etiam Joannis, qui fuit frater Petri de Columna, inhabilitat ad Cardinalatum, & dignitates in eccleſia Romana: alibi verò uſque ad quartam generationem: & declarat excommunicatos, eos qui habuerint pro Cardinalibus Petrum, & Jacobum. Verùm hæc decretalis fuit revocata à Benedicto XI. Clemente V. & Joanne XXII.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *DUDUM unic. h. t. Benedictus XI. revocat conſtitutionem à Bonifacio VIII. editam in* c. ad ſuccidendos *contra Columnenſes paucis exceptis.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit Schiſma; & quomodo ab hæreſi differat.

1 SChiſma verbum eſt græcum, quód latinè ſignificat Sciſſuram, ſeu diviſionem unitatis, ut habetur *in c. Schisma* 34. 24. *q.* 1. in quo ſenſu Joan. 9. dicitur *Schiſma erat inter eos*, & Apoſtol. *c. ad Corinth.* 1. *Non ſint in vobis ſchiſmata*, & *c.* 2. *V.* 18. *Audio Sciſſuras eſſe inter vos.* Hinc quævis diſruptio ſocietatis, vel

vel communionis, ſive ſocietas bona ſit, ſive mala, ſchiſma dicitur; quapropter de Judęis contendentibus inter ſe de miraculo Chriſti facto in perſona cæci nati, dicitur, quòd ſchiſma erat inter eos, ſcilicet diverſa de tali miraculo ſententia. Interdum etiam publici peccatores ſchiſmatici vocantur, eò quia per peccatum lethale à charitate ſeparentur juxta illud Iſaiæ c. 59. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & DEUM veſtrum*, in quo ſenſu etiam ſumitur ſchiſma, *in c. audivi 11. q. 3. c. dixit 24. q. 3.* Interdum Schiſmaticus dicitur, qui excommunicationis ſententiâ damnatur, eò quia tunc ſeparetur à participatione ſacramentorum, & communione fidelium, in quo ſenſu ſumitur *c. ſacerdotes 1. q. 1. c. Apoſtolica 24. q. 4. c. cum excommunicato 11. q. 3.*

2 Schiſma juxta præſens inſtitutum ſumitur pro ea diviſione, quâ quis ſe ab Eccleſia ſeparat, quatenus Eccleſia eſt corpus quoddam myſticum coaleſcens ex fidelibus diverſarum conditionum, tanquam ex membris inter ſe connexis, & præſertim cum capite, ſeu ſummo Pontifice, qui eſt Chriſti Vicarius in Eccleſia militante; hæc enim ſeparatio unius, vel plurium hominum ab Eccleſia, & ſummo Pontifice propriè dicitur ſchiſma, quia tunc ſcinditur Eccleſiæ unitas, quatenus fideles, qui ſunt ejus membra, ſeparantur ab invicem, quia ut rectè notet S. Cyprianus *lib. de unitat. Eccleſ.* Chriſti indumentum, ſeu gratiam ſignificatam per tunicam inconſutilem Chriſti, quæ non fuit à militibus diviſa, non poteſt poſſideri ab illo, qui ab Eccleſia Chriſti ſeparatur: ait enim Cyprianus: *poſſidere non poteſt indumentum Chriſti* (ſcilicet gratiam, quæ nobis confertur per merita JESU Chriſti) *qui ſcindit, & dividit Eccleſiam Chriſti. Hoc unitatis ſacramentum, hoc vinculum concordiæ inſeparabiliter cohærentis oſtenditur, quando in Evangelio tunica Domini JESU Chriſti non dividitur omninò, nec ſcinditur, ſed a ſortientibus ut quis potiùs eam indueret integra veſtis accipitur, & incorrupta, atque individua tunica poſſidetur.*

3 Ut autem percipiatur, quomodo ſchiſma in Eccleſia contingat, juvat obſervare, eccleſiam propriam habere unitatem ſitam in apto quodam ordine membrorum omnium hujus corporis myſtici, quod eſt Eccleſia; & quidem juxta conditionem uniuscujusque particularis membri, ut nimirum in actionibus ſpiritualibus pertinentibus ad hoc ſpirituale, ac myſticum corpus, ut in doctrina fidei, in cultu, in virtutum exercitijs, & ſpirituali regimine, caput ſeu ſummus Pontifex Principatum habeat in reliqua membra, quæ propterea dependeant ab hoc capite cum debita ſubordinatione, ac mutua communicatione: quo pacto caput, ſeu ſummus Pontifex nectitur cum cæteris membris, quæ ſunt fideles diverſarum conditionum, quatenus omnes profitentur legem Chriſti mediante baptiſmo, qui eſt janua, per quam homines ingrediuntur in Eccleſiam, & fiunt participes cæterorum ſacramentorum, ac conſtituuntur membra ejusdem Eccleſiæ ſub capite ejusdem, ſeu ſummo Pontifice, cui propterea ſubijciuntur, & nectuntur in ordine ad conſtituendum corpus myſticum Eccleſiæ, quod eſt unum tantùm unitate perfecti ordinis, ac mutuæ relationis: hanc unitatem corporis myſtici Eccleſiæ ſignificat Apoſtolus *ad Rom. 12.* inquiens: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto ſinguli autem alter alterius membra*, & *1. ad Corinth. 13.* *Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa; omnia autem membra corporis, cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus:* ſcilicet in ſuo myſtico corpore Eccleſiæ.

Rurſus nonnullis interjectis loquens de eodem corpore myſtico Eccleſiæ ſubdit, *non poteſt oculus dicere manui opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus non eſtis mihi neceſſarij*, loquitur Apoſtolus de viſibili capite, quod in Eccleſiæ vices gerit Chriſti, & per quod tanquam per Chriſti Vicarium totum Eccleſiæ corpus conjungitur cum Chriſto, qui eſt caput principale hujus myſtici corporis; hinc *ad Epheſ. 4.* ſcribit: *Creſcamus in illo per omnia, caput eſt Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis ſecundùm operationem in menſuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.* 4

Explicata hoc pacto unitate corporis myſtici Eccleſiæ facilè cognoſcitur, quid ſit per ſchiſma ſeparari ab Eccleſia: perinde enim eſt, ac nolle ſe gerere ut membrum hujus corporis myſtici in aliqua ſpirituali actione pertinente ad idem corpus; ac nolle ſubeſſe viſibili capiti hujus corporis, ſeu nolle obedire ſummo Pontifici legitimo Chriſti Vicario in Eccleſia militante: ſed velle ſeorſim agere ab hoc capite; id enim propriè eſt ſcindere unitatem hujus myſtici corporis, quatenus hoc corpus conſtabat etiam ex tali membro, quod ſe ſeparat ab obedientia ſummi Pontificis; tametſi Pontifex, & corpus Eccleſiæ quoad cæteros fideles ſuam conſervet unitatem: unde Schiſmatici dicuntur hi omnes, qui quamvis omnia credant, quæ in divinis ſcripturis continentur, & per Apoſtolorum traditiones habentur; & Chriſti legem, ac doctrinam profiteantur in reliquis omnibus, quæ ad fidem pertinent: nihilominus ſeparantur à capite viſibili Eccleſiæ, quatenus nolunt ſubeſſe, nec obedire ſummo Pontifici Romano legitimè electo, & vero Chriſti Vicario in militante Eccleſia: unde ſchiſma juxta præſens inſtitutum ſumitur pro ſciſſione, vel diviſione ab Eccleſia, & ejus capite: cùm enim Eccleſia ſit una, ac proinde indiviſa conſtans ex fidelibus tanquam membris, & ex Chriſto, & ejus Vicario ut capite, ideo qui ſe ab hujusmodi membris, vel capite ſeparat, ſchiſmaticus eſt: ex quibus conſtat, omnes hæreticos eſſe ſimul ſchiſmaticos; non ita ſchiſmaticos ſemper eſſe hæreticos, quia dari poteſt ſchiſma, tametſi una colatur religio, 5

ligio, ac eadem habeantur ſacramenta, nec ullum falſum dogma doceatur; ſed tantùm præciſè, quia nolunt aliqui obedire Poatifici; à quo ſeparantur; quam ſeparationem Auguſtinus *lib. 1. de baptiſmo contra Donatiſtas* vocat odium fraternum, eò quia oriatur inter Chriſtianos, & cultores ejuſdem fidei catholicæ; ut olim contigit inter Diſcipulos Apoſtolorum, ut refert D. Paulus *1. ad Corinth. 1. Ego ſum Pauli, Egò Cephæ, Ego Apollo, Ego Chriſti:* orta enim fuit hæc ſciſſura ob cauſam creandorum Epiſcoporum; cùm antea Eccleſiæ Presbyterorum arbitrio regerentur, ut refert D. Hieronymus in *epiſt. D. Pauli ad Tit. c. 1.*

6 Definitur igitur ſchiſma à D. Thoma *2. 2. q. 39. art. 1.* & communiter: diviſio per quam quis ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparat, in quantum eccleſia eſt corpus myſticum, ex univerſis fidelibus ut membris, & Romano Pontifice tanquam capite conſtans. Hinc dupliciter poteſt contingere ſchiſma. Primò ſi quis velit ſe à capite Eccleſiæ, cæteriſque membris ſeparare. Secundò ſi à ſolo capite, vel à ſolis membris ſe ſeparet. Tunc dicitur quis ſeparari à capite, quandò detrectat ſubeſſe; & parère ſummo Pontifici, ut capiti Eccleſiæ: & tunc ab alijs Eccleſiæ membris dicitur ſeparari, quando quis ſpirituales Eccleſiæ actiones vult exercere, ut orare, ſacramenta ſuſcipere, non ut pars Eccleſiæ catholicæ, ſed ſeorſim ab illa; quaſi per ſe velit eſſe quoddam totum. Poteſt autem quis tripliciter nolle ſummo Pontifici obedire. Primò ex parte rei præceptæ, ut ſi Papæ præcipienti alicui Principi deponere arma, vel alienum reſtituere, hic nolit obedire; nec arma deponere, nec alienum reſtituere; licèt fateatur ſummum Pontificem eſſe caput totius Eccleſiæ catholicæ, & tunc Princeps per hanc inobedientiam propriè non eſt Schiſmaticus, alioquin quilibet transgrediens præceptum aliquod Eccleſiæ foret ſchiſmaticus.

7 Secundò ex parte perſonæ præcipientis, ut ſi Princeps nollet Papæ obedire, eò quia ejus perſona ſit ſibi ſuſpecta; vel odioſa; & neque iſte propriè eſt Schiſmaticus, quià adhuc recognoſcit ſummum Pontificem eſſe caput totius Eccleſiæ; & verum Chriſti Vicarium. Tertiò ratione officij ipſius Papæ; ut ſi quis detrectet ipſi ſubeſſe, ac obedire, quatenus vices in terris gerit Chriſti, eſtque caput Eccleſiæ, & tunc inobediens eſſet propriè ſchiſmaticus, perinde ac ille; qui detrectat ſeſe Eccleſiæ membris copulare, quatenus ſunt membra Eccleſiæ; ut notat Sylveſter *V. Schiſma, poſt initium.* Quamobrem ſi difficultas orietur circa electionem Pontificis, an fuerit legitima, & Pontifex legitimè electus; qui non obediret tali Pontifici, eò quia cenſeret non fuiſſe legitimè electum, non eſſet ſchiſmaticus, quia tantùm renueret parere huic perſonæ, eò quia eam non haberet pro legitimo Pontifice.

8 Differt igitur ſchiſma ab hæreſi, quia tametſi omnis hæreticus ſit etiam ſchiſmaticus, eò quia à Romana Eccleſia per aliquod falſum dogma ſe ſeparaverit *c. loquitur. c. alienus 24. q. 1.* non tamen omnis ſchiſmaticus eſt etiam hæreticus, quia poteſt eſſe ſchiſmaticus; quin ullum perverſum dogma contra fidem aſſerat, quia poteſt præciſè adverſari unitati Eccleſiæ, & credere quicquid cæteri fideles credunt. Secundò quia hæreſis primò, & per ſe opponitur fidei; Schiſma verò ſoli unitati eccleſiaſticæ; quam charitas operatur *c. Schiſma 24. q. 1. c. Novatianus 7. q. 1.* Tertiò differunt ſicut genus; & ſpecies, ut docet Gloſſa *in c. inter hæreſin 26. cauſa 24. q. 3. V. & ſchiſma*, quia ſchiſma convenit cum hæreſi, quia utrúmque crimen unitatem, & communionem Eccleſiæ catholicæ violat; ſchiſma charitate corrupta; & hæreſis fide læſâ, unde quàmvis ſub diverſis rationibus idem ſit ſimul hæreticus; & ſchiſmaticus, ſcilicet hæreticus quatenus credit falſum dogma contra fidem; & ſchiſmaticus quatenus recedit ab unitate eccleſiæ; à qua ſe ſeparat per erroneam doctrinam; non tamen ſchiſmaticus fidem lædit; ſed tantùm charitatem corrumpit; quapropter non omnis ſchiſmaticus eſt hæreticus; quia poteſt quis credere omnes fidei articulos, & & etiam ſupremam poteſtatem in Pontifice, eúmque credere verum Chriſti Vicarium in militante Eccleſia, & nihilominus ex pura malitia nolle eidem parère, nec ejus obedientiæ ſe ſubijcere: eſt enim ſchiſma peccatum contrà obedientiam; non verò contra fidem; ut docet D. Thomas *2. 2. q. 39. art. 1.* & per hoc differt ab hæreſi, ut probat D. Auguſtinus *lib. 2. contra Creſconium c. 3.* & *de fide c. 10.* contra Fauſtum *lib. 20. c. 3.*

9 Nihilominus nullum eſt ſchiſma præcipuè diuturnum; quod aliqua non ſe inficiat hæreſi, ut ſaltem nitatur oſtendere rectè ab eccleſia receſſiſſe; ut dicitur *in c. inter 24. q. 3.* & habetur exemplum in ſchiſmate Donatiſtarum *l. 4. C. Theodoſ. ne ſanctum baptiſma.* Exemplum etiam extat in Græcis, qui tametſi ab Eccleſia Romana ab initio ſimpliciter diſceſſerint; ſeque ſeparaverint; nihilominus ſuæ opinioni poſtea pertinaciter inhærentes hæreticis accenſeatur; hinc rectè Suarez *lib. 1. in defenſ. fidei c. 21.* oſtendit ſchiſma inchoativè eſſe hæreſim, eò quia ferè ſemper degeneret in hæreſin; quâ ratione D. Clemens *lib. 6. conſtit. c. 4.* & D. Auguſtinus *epiſt. 164.* Schiſmaticos hæreticos vocant, ut etiam Patres Concilij Conſtaotinopolitani Generalis II. *can. 6.* poſtquam enim de hæreticis egiſſent; ſubjungunt: *Ad hæc autem, & eos; qui ſanam quidem fidem confiteri præſeferunt, abſciſſi ſunt autem, & alibi quàm cum canonicis noſtris Epiſcopis conventus celebrant*, quem canonem fusè explicat Petrus de Marca *lib. 4. concord. ſacerd. & imper. c. 8.*

10 Quamobtem licèt ſpeculativè poſſit eſſe ſchiſma ſine errore in fide; proinde poſſit contingere, ut detur ſchiſmaticus, qui non ſit hæreticus: moráliter tamen, & in praxi vix contingit ut ſchiſmaticus, non ſit etiam hæreticus.

ticus: ratio eſt, quia ſchiſmaticus credens omnia, quæ de fide credenda ſunt, ſe ſeparat ab Eccleſia, ac communione cæterorum fidelium, eò quia præcisè nolit Romano Pontifici parêre, aut cum eo communicare, eò quia dicat, eum malè eſſe electum; niſi probaretur in hoc caſu mala electio, vix ab hæreſi excuſaretur, quia non ſuppoſito defectu in electione, de fide eſt, hunc numero Pontificem Innocentium XII. eſſe verum S. Petri ſucceſſorem. Unde qui ſine ſufficienti fundamento prætenderet defectum in electione, negaret eum eſſe verum Pontificem, proinde eſſet hæreticus.

11 Quòd ſi ſchiſmaticus velit ſe ab Eccleſia ſeparare, eò quia cenſeat, eam pollutam eſſe per idololatriam; etiam in hoc caſu non ſalvatur ſchiſma ſine hæreſi, quia vel judicat totam eccleſiam eſſe pollutam idololatriâ, & ſic errat in fide, quia certum eſt de fide, totam Eccleſiam nunquam defecturam à fide: quia cùm ex Apoſtolo *ſit Eccleſia columna veritatis*, non poteſt tota errare: vel judicat, Eccleſiam peccare agendo cum Idololatris, quaſi id ſit illicitum, & hoc eſt pariter hæreticum, quia de fide eſt, nos poſſe licitè agere cum Idololatris; alioquin non poſſemus eorum converſionem procurare. Tum quia Apoſtoli egerunt cum Idololatris, quos ad veram fidem perduxerunt. Vel tandem ſchiſmaticus ſe ſeparat tantùm ab una particulari eccleſia communicante cum alijs, & tunc ſi talis adhuc remaneat unitus alijs eccleſijs, & obediat ſummo Pontifici, propriè non eſt ſchiſmaticus, ut ſi quis ſe ſeparet à quolibet Epiſcopo, & detrectet ſubeſſe authoritati Epiſcopali, nonniſi largè, & impropriè diceretur ſchiſmaticus, ut liquet *ex c. ſcire 7. cauſa 7. q. 1. c. loquitur 18. cauſa 24. q. 1.* ratio eſt, quia ſchiſma propriè dictum importat ſeparationem ab Eccleſia catholica, ſeu univerſali, ejúſque capite.

12 Qui verò hodie de facto dicuntur Schiſmatici, ſunt etiam hæretici, eò quia in pluribus articulis pertinentibus ad fidem diſſideant ab Eccleſia Romana. Primò enim negant, Romanum Pontificem eſſe caput totius Eccleſiæ catholicæ; cùm tamen ſit articulus fidei. Secundò, quia Schiſmatici græci hodie adhærent hæreſi Neſtorij, ſúntque Neſtoriani. Tertiò, quia negant proceſſionem Spiritûs Sancti à Filio, & plura alia circa Sacramenta; unde potiùs vocandi eſſent abſolutè hæretici, quàm Schiſmatici: & fortaſſis dicuntur Schiſmatici, quia habent unum aliud caput, quaſi Chriſti Vicarium, & conſtituunt aliam Congregationem, quam vocant Eccleſiam, habéntque Epiſcopos validè conſecratos, quamvis non licitè; ob quas rationes fortaſſis vocantur potius ſchiſmatici, quàm hæretici, quia ordinariè, qui hæretici dicuntur, ſunt veluti ſcopæ diſſolutæ ſine ordine, ſine unione, ſine connexione inter ſe, & ſine ullo certo capite communi omnibus ejuſdem ſectæ; adeò ut quilibet pro ſua libidine proprios defendat errores; proinde abſolutè dicuntur hæretici, quod nomen eſt pejus illo ſchiſmaticorum. Regulariter ſchiſmatici, ob ipſam perſeverantiam in ſchiſmate non ſolùm peccant, quamvis hæreſes palam non profiteantur; verùm etiam quia recedunt ab obedientia ſummi Pontificis, qui eſt caput totius Eccleſiæ catholicæ, neque damnati reſipiſcunt, neque ad Eccleſiam revertuntur, hæretici judicantur; quia ipſa pertinacia ſatis apertè oſtendit Eccleſiæ capiti non eſſe obediendum, & extra Eccleſiæ unitatem poſſe aliquem ſalutem conſequi, quod ſine hæreſi dici nequit, ut habetur *in extravag. unam ſanctam de majorat. & obed.* & docet D. Thomas *2. 2. q. 39. art. 1. & 2.*

§. II.

An Ordinationes, quæ fiunt à Schiſmaticis, validæ ſint, & quæ eorum pœna.

CUm Schiſmatici ſint baptizati, & ſupponantur ritè promoti ante ſchiſma ad Ordines ſacros ſacerdotij, & Epiſcopatûs, oritur dubium, an Ordinationes, aliique actus, ſeu geſta Schiſmaticorum ſint valida, & quàmnam pœnam juris incurrant, qui à Schiſmaticis ordines Eccleſiaſticos recipiunt. 1
Reſpondetur, Ordinationes factas à Schiſmaticis eſſe irritas, quoad exercitium gradûs collati, niſi diſpenſatum ſit cum ipſis ordinatis à ſchiſmatico, idque deſumitur *ex c. quod à prædeceſſore 1. h. t.* ex Concilio Lateranenſi, ubi ordinationes ab Octaviano, & Guidone hæreſiarchis, & ab ordinatis ab eis factas Pontifex irritas eſſe cenſet, & eos qui dignitates eccleſiaſticas, ſive beneficia per dictos ſchiſmaticos acceperunt, vult ijſdem carere; ſicut & alienationes de rebus eccleſiaſticis per eoſdem, aut laicos factas eſſe irritas, & contrafacientes anathemate percutit; & demum eos, qui juramentum de ſchiſmate tenendo præſtiterunt ab Ordinibus, & dignitatibus ſuſpendit. Fuerunt Octavianus, & Guido duo Cardinales, qui ſchiſma excitârunt contra Alexandrum III. uterque enim creatus fuit Antipapa, Octavianus Victoris nomen ſuſcepit, & Guido Paſchalis, Authore, & Defenſore Friderico Barbaroſſa circa annum 1159. Hinc ordinationes ab ijſdem factæ fuerunt irritæ habitæ, quod tamen communiter intelligitur, quoad executionem Ordinum, niſi cum eis fuerit diſpenſatum ab habente poteſtatem; vel niſi ordinatus probaret ſe neſciviſſe illum fuiſſe ſchiſmaticum, à quo ordines ſuſcepit, ut habetur *in c. ordinationes 4. q. 1.* unde collationes Ordinum, & beneficiorum à ſchiſmaticis factæ ſunt ſolùm irritæ quoad executionem, & functionem; non verò quoad ſubſtantiam, & valorem Ordinis: quia revera imprimunt characterem, & conferunt poteſtatem Ordinis, quamvis ſuſpenſam, & impeditam propter ſchiſma, ut deſumitur *ex c. fraternitati 2. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, ordinatos à ſchiſmatico eſſe ſtatim repellendos ab officio, niſi legitimè probent, ſecum fuiſſe diſpenſatum ab habente auctorita-

tem, & tunc qoi aſſerit ſecum fuiſſe diſpenſatum, tenetor diſpenſationem probare, adeò ut non ſufficiat ad probandam diſpenſationom, quòd ordinatio facta fuerit ab eo, qoem ſciebat eſſe indignum, & quòd ſecum poterat diſpenſare, *c. diverſis fallacijs de cler. conjug. c. quicunque diſt. 81.* ubi deponitur concubinarios ab eo ordinatus, qui ſecum poterat diſpenſare, quia requiritur, ot intendat diſpenſare, ad qood expreſſa cauſa præſumitur *c. clerico jacente. diſt. 50.*

2 Poteſt tamen diſpenſatio probari per teſtes: Quòd ſi peccatum ſit occultum, poteſt confiteri ſecretò Epiſcopo, & petere diſpenſationem, ac obtinere litteras ſuper hoc: ſin verò ſit publicum, & cum ipſo fuerit publicè diſpenſatum, non poterit poſteà accuſari *c. ex tua de filijs Presbyt.* & *c. de ijs de accuſat.* Sin verò diſpenſatio ſit occulta, poteſt accuſari etiam poſt pœnitentiam *c. admonere 33. q. 2.* Rurſus ſchismaticus Epiſcopus reverſus ad ſuam Eccleſiam, receptúsqoe in ſuo Ordine non poteſt diſpenſare cum ordinato à ſe, ſicut nec ſimoniacus cum ordinato à ſe *c. præſentium 1. q. 5.* Solus enim Papa diſpenſat com ſcienter ordinato à ſchismatico *c. quia diligenter de elect.*

3 Ratio, cur ordinationes factæ à ſchismaticis ſint irritæ quoad exercitium gradûs collati, niſi diſpenſatum ſit cum taliter ordinatis, ex eo deſomitur, quia cum ſchismatici amittant gratiam Spiritûs Sancti, omnique priventur poteſtate in rebus eccleſiaſticis, eò qoia ſe per ſchisma ſeparaverint ab Eccleſia, ut habetur in *c. didicimus 31. 24. q. 1.* ideo non poſſunt ſchismatici alijs conferre, quod in ſe non habent: quomodo enim poſſoot alijs cooferre Spiritûs Sancti dona, qui Spiritum Sanctom non habeot? Schismatici enim utpote ſeparati ab eccleſia non poſſunt joſtè, & licitè oti joriſdictione eccleſiaſtica, neque conferre Ordines, præſertim cum per ſacram ordinationem promoti ad Ordines accipiaot ſpiritualem, & eminentiorem io Eccleſia DEI gradum, ad quem contra Eccleſiæ diſpoſitionem velle promoveri, perinde eſt ac contra Eccleſiam rebellare: velle enim ad gradus eccleſiaſticos promoveri ab ijs, qui per ſchiſma ſe ab ipſa Eccleſia ſeparârunt, perinde eſt, ac altare cootra alcare erigere, & contra eccleſiam pugnare, & fraudulenter gradum eccleſiaſticum furari; qua ratione ordinati ab hæreticis, & ſchismaticis ab Innocentio I. *epiſt. 22.* dicuotur *Rei dignitatis uſurpatæ;* eò quia conficiendorum ſacramentorum ſibi authoritatem vindicaverint, quæ ijs oulla ratione conceſſa fuit, unde Cyprianus *epiſt. 27.* ad Stephanom ſcribit: *Non debere eos revertentes apud nos ordinationis, & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellârunt*, quapropter rectè *in d. c. quod à prædeceſſore 1. h. t.* irritantur qooad exercitium gradus collati, ordinationes factæ à ſchismaticis, niſi diſpenſatum ſit cum ita ordinatis; adeò ot ordinati à ſchismaticis ſuſpenſi ſint ab ordinis ſuſcepti executione; ad quod etiam requiritur, ot ſint ſchismatici denuntiati, & non tolerati ab Eccleſia; alioquin cùm retioeant facultatem cooferendi Ordines in ſavorem fidelium, recipientes tales ordines ab illis, utuntur ſuo jure, & oon incurrunt ſuſpenſionem, ut docet Suarez *de cenſur. diſp. 31. ſect. 1. num. 64.*

Cæterum hæc ſuſpenſio ab ijs etiam incurritur, qui ignoranter à ſchismaticis ordines eccleſiaſticos ſuſceperont, adeò ot nequeant in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, niſi cum eis diſpenſatum fuerit ab habente poteſtatem, ſeu ab Epiſcopo, qui poteſt diſpeoſare cum ignoraoter ordinatis à ſchismaticis, ut poſſior miniſtrare in ſuſceptis ordinibos; alioquin cum ſcienter ordinatis à Schismaticis, nonniſi ſummos Pontifex diſpenſat, ot notat Barboſa de *poteſt. Epiſcop. allegat. 43. per tot.* 4

Hinc ordinatus ab Epiſcopo ſchismatico poteſt ſtatim repelli ab officio, niſi legitimè probet ſuiſſe cum ipſo diſpenſatum ab habente poteſtatem diſpenſandi, ut liquet *ex c. fraternitati 2. & ult. h. t.* ubi tamen nomine ſchismatici intelligitur, qui propriè eſt ſchismaticus, ſeu ſeparatus à toto corpore Eccleſiæ, quia ordinatus à ſchismatico laxè ſumpto, ſeu ab eo, qui noo obedit Papæ aliquid præcipienti, non eſt repellendus ab officio, & executione ordinis, ut notat Abbas *in d. c. fraternitati 2. n. 1. h. t.* Rurſus quando *in d. c.* dicitur, quòd Ordinatus à ſchismatico poſſit ab officio repelli, illud *poſſit*, ſuppletur per verbum, *debet*, adeò ot ſeoſus ſit, ut debeat ab officio repelli: eò qoia ordinatio ſit irrita, quoad executionem, ſeo exercitium Ordinis, ot habetur *in c. quod à prædeceſſore 1. h. t.* Alij tamen explicant verbum illud, *poſſit*, ut ſenſus ſit, quòd poſſit repelli ab officio, niſi Archiepiſcopus voluerit cum ipſo diſpenſare. Quòd ſi quis ex craſſa, & ſupina ignorantia ordioatus ſit ab Epiſcopo ſchismatico, noo poteſt alius cum ipſo diſpenſare, niſi ſolus Papa *argu. c. quia diligentia 5. de elect.* Secus qui ex ignorantia inculpabili ordines ſuſcepit, eò quia probabiliter neſcierit ordinantem fuiſſe ſchismaticum, poteſt ab Epiſcopo diſpenſari. 5

Cæterum quamvis acta à Prælato ſchismatico in præjudicium Eccleſiæ non valeant, eò quia Eccleſia habens Prælatum ſchismaticum, cenſeator vacare *c. 1. de præſcript.* Nihilominus quod talis Prælatus etiam ſchismaticus acquiſivit in commodum Eccleſiæ, id ſortitur ſuum valorem, qoia quod favore alicujus introductom eſt, non coovenit in ejus læſionem retorqueri *l. quod favore 6. de legib.* Gloſſa fin. io *c. quod à Prædeceſſore 1. h. t.* 6

Cootra id, quod dicitur, ordinationes factas à ſchismaticis eſſe nullas tantùm quoad exercitium gradûs collati; adeò ut Ordo validè ſit ſuſceptus non licitè, poſſet objici. Primò, quia ſacramenta ab ijs, qui ſunt extra Eccleſiam, non confetuotur, eò quia extra unitatem Eccleſiæ non datur Spiritus Sanctus *c. loquitur 18. 24. q. 1.* ſacramenta enim oon miniſtraotur niſi intra Eccleſiam, & ab ijs, qui 7

ſunt

ſunt de corpore Eccleſiæ: ergo extra Eccleſiam à ſchiſmaticis non ſolùm licitè, ſed nec etiam validè poſſunt ordines conferri; quia ſchiſmatici revera ſunt extra Eccleſiam, à qua per ſchiſma ſe ſeparârunt. Firmari ex eo poteſt, quia ſacramentum Pœnitentiæ à ſchiſmatico collatum nullius eſt valoris, nullámque habet efficaciam: ergò nec ſacramentum Ordinis collatum à ſchiſmatico præſertim cùm ſit ſacramentum præſtantius. Sed contra, quia licèt Epiſcopus ſchiſmaticus non poſſit validè exercere actus jurisdictionis, poteſt tamen
7 validè exercere poteſtatem ſacramentalem Ordinis.

Duplex in Epiſcopo conſideratur poteſtas,
8 Ordinis una, quæ & ſacramentalis dicitur, & alia jurisdictionis: illa eſt poteſtas characteris ſita in conficiendo corpore Chriſti, ac in conferendis cæteris ſacramentis: poteſtas jurisdictionis eſt, quæ confertur per hominis injunctionem, ut eſt facultas excommunicandi, abſolvendi, & concedendi indulgentias. Rurſus poteſtas Ordinis confertur à DEO per impreſſionem characteris indelebilis, adeò ut ſive Epiſcopus fiat ſchiſmaticus, ſive hæreticus, maneat ſemper in ipſo character Epiſcopalis, poſsítque Epiſcopus etiam degradatus, & qui renuntiavit Epiſcopatui validè, & cum effectu ordines conferre ob characterem, quem habet indelebilem.

Hinc Epiſcopus ſchiſmaticus validè Eu-
9 chariſtiam conſecrat, veræ confirmationis ſacramentum confert, validè ad ordines ſacros promovet, dummodo in forma Eccleſiæ hæc omnia conferat: tunc enim confirmati, & ordinati ab Epiſcopo ſchiſmatico characterem recipiunt, non tamen uſum, ſeu executionem Ordinis: quia cum ſchiſmaticus deſtituatur hac executione, non poteſt hanc alteri dare, non enim poteſt quis alteri dare, quod in ſe non habet. Hinc ipſo jure ordinati ab Epiſcopo ſchiſmatico ſunt ſuſpenſi, nec poſſunt miniſtrare in ordine ſibi collato. Pari pacto poteſt Epiſcopus ſchiſmaticus validè conſecrare templa, altaria, ac vaſa ad uſum divinum deputata, adeò ut conſecratio repeti non debeat: quia hi actus propriè ſunt Ordinis, licèt Epiſcopus ſchiſmaticus hos licitè non exerceat, eò quia ſit ipſo jure ab exercitio hujus poteſtatis ſuſpenſus. Secus poteſtatem jurisdictionis ſpiritualis, quia hæc eſt ab homine; nec validè, nec licitè poſſunt Epiſcopi ſchiſmatici exercere, quo pacto non poſſunt abſolvere à peccatis, nec excommunicare, nec leges ferre, nec alienare res eccleſiæ, nec indulgentias concedere, nec beneficia conferre, neque ad dignitates eligere, ſi ſint nominatim denuntiati.

Hinc patet ſolutio ad confirmationem, in
10 qua dicebatur, quod Epiſcopus ſchiſmaticus non poſſit validè ſacramentum Pœnitentiæ conferre, proinde neque ſacramentum Ordinis: ratio diſcriminis eſt, quia abſolvere à peccatis eſt actus jurisdictionis provenientis ab homine, & qua Epiſcopus ſchiſmaticus privatur ab Eccleſia, quæ ſicut dat jurisdictionem, ita poteſt eam auferre: ſecus conferre Ordines, non eſt actus jurisdictionis, ſed ipſius Ordinis Epiſcopalis, & characteris, qui datur à Deo, & eſt indelibilis, quapropter cum in ſchiſmatico non habeatur jurisdictio, quâ privatur, ab eccleſia; ſed in illo perſeveret Ordo, & character Epiſcopalis, ſequitur quòd poſſit validè ordines conferre, non ita à peccatis abſolvere.

Pœna ſchiſmaticorum eſt excommunica- 11
tio reſervata in Bulla Cœnæ *caſ. 1.* quam tamen aliqui putant, non extendi ad Fautores, & Receptores ſchiſmaticorum, eò quia id Bulla Cœnæ circa Schiſmaticos non exprimat ſicut circa hæreticos; in pœnalibus autem extenſio non eſt facienda, ut deſumitur *ex c. odia de regul. jur. in 6.* Verùm putârim id tantùm procedere de excommunicatione reſervata: ſiquidem Fautores, Receptores, & Auxiliatores ſchiſmaticorum incurrere excommunicationem videtur deſumi ex *c. ad ſuccedendos unic. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. anathemate percutit Fautores, & Auxiliatores Jacobi, & Petri Colonienſium: imò etiam inhabilitat ad Cardinalatum, & dignitates, deſcendentes ex familia Colonienſi uſque ad quartam generationem. Clerici ſchiſmatici licèt pro tempore, quo ſordeſcunt in ſchiſmate, ſint excommunicati, proinde ſuſpenſi ab executione Ordinum, immo ſi parati non ſint reſipiſcere, poſſit etiam contra ipſos pœna proferri depoſitionis *argu. c. qui contra cauſ. 24. q. 1.*

Nihilominus poſt peractam pœnitentiam, 12
& abjuratum ſchiſma, eos excuſari ab irregularitate docent plures cum Barboſa in *c. quod à Prædeceſſore 1. n. 5. h. t.* eò quia irregularitas non contrahatur abſque jure expreſſo *c. is qui de ſent. excommun. in 6.* Id tamen procedit, niſi Clerici in ſchiſmate celebraverint, quia celebrans in ſchiſmate, & poſt ſuſpenſionem fit irregularis *c. 1. §. ult. de ſent. & re judic. in 6.* Præterea quia ſchiſma plerúmque habet adjunctam hæreſin, proinde quæ de pœnis hæreticorum in ſuperiori titulo diximus, huc referri poſſunt, & accommodari.

§. III.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

QUæritur primò, an ſchiſma ex genere ſuo ſit peccatum lethale? Reſpondetur affirmativè, ídque colligi ex Apoſtolo 1. *ad Corinth. 1.* ubi ait: *Obſecro autem vos fratres per Nomen Domini Noſtri JESU Chriſti, ut id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* Ratio itidem eſt, quia recedere ab eo, quod eſt homini neceſſarium ad ſalutem, procul dubio eſt peccatum mortale, atqui per ſchiſma recedit homo ab eo, quod eſt illi neceſſarium ad ſalutem, ſiquidem nemo poteſt ſalutem conſequi extra communionem

Eccleſiæ, hinc S. Cyprian in *lib. de unit. Eccleſiæ* ait: *ſtare tu, & vivere putas, poſſe de Eccleſia recedentem? Sedes ſibi alias, & diverſa domicilia ſibi condentem? cum dictum ſit ad Rahab, in qua præformabatur Eccleſia: Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipſam, in domum tuam, & omnis, qui exierit oſtium tuum foras, Reus ſibi erit. Cum ſacramentum paſcha nihil aliud contineat, quàm ut agnus, qui in figura Chriſti accipitur, in domo una edatur:* unde ſchiſma, cùm ſeparet hominem ab Eccleſia, in qua tantùm poteſt quis ſalutem conſequi, procul dubio eſt peccatum lethale.

2 Quæritur ſecundò, cuinam virtuti ſpeciali opponatur peccatum ſchiſmatis? Reſpondetur opponi virtuti charitatis, idque deſumi ex ſcripturis, in quibus habemus, illam unitatem corporis myſtici Eccleſiæ, quæ per ſchiſma diſcinditur, conſiſtere per mutuam ejusdem Eccleſiæ membrorum charitatem, & pacem: ſicut enim charitas unit membra Eccleſiæ, ita ſchiſma ea ſeparat; proinde ſpecialiter opponitur charitati, cùm diſſolvat, quod illa unit, unde Apoſtolus *1. ad Corinth. 12. non ſit ſchiſma in corpore, ſed id ipſum pro invicem ſolicita ſint membra, & ſi quid patitur unum membrum: compatiuntur omnia membra, ſive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra:* ſcilicet per charitatem, de qua Apoſtolus ait, *quod non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati*, & ad *Epheſ. 4.* ait, *ſupportantes invicem in charitate, ſoliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis; unum corpus, & unus Spiritus:* unde ſi charitas vinculo pacis unit membra ſub uno capite, efficitque corpus myſticum Eccleſiæ; ſchiſma ſcindens hanc unitatem, & ſeparans membra hujus corporis, procul dubio opponitur charitati, & paci, quatenus hæc eſt actus charitatis: hinc Auguſtinus *lib. de fide, & ſymb. c. 10.* ait: Schiſmatici diſciſſionibus iniquis à fraterna charitate diſſiliunt, & *lib. 2. de bapt.* contra Donatum *c. 6.* alloquens ſchiſmaticos ait: *Vos ergo quare ſeparatione ſacrilega pacis vinculum dirupiſtis?* Ratio itidem eſt aſſignatu facilis, quia quilibet fidelis tenetur ſibi, & proximo ex charitate velle bonum illud communionis, & unitatis in eodem corpore myſtico Eccleſiæ; tenetúrque cum alijs membris ſervare pacem, & conſenſionem: ergo privare ſe illo bono unitatis, & communionis eſt contra charitatem, quia ſicut eſt juxta charitatem velle ſibi, & alijs bonum; ita eſt contra ipſam reſpuere tale bonum: & ſicut charitatis proprium eſt uniri, & concordari in bono, ita contra charitatem eſt ſejungi è bono unitatis, & communionis Eccleſiæ: & quia hæc ſeparatio fit per ſchiſma, eſt procul dubio peccatum charitati oppoſitum.

3 Quæritur tertiò, quanta ſit gravitas peccati ſchiſmatis? Reſpondetur, eſſe peccatum graviſſimum inter ea, quæ committuntur contra proximum. Ratio eſt, quia ſchiſma lædit bonum commune præſtantiſſimum, ipſam ſcilicet unitatem Eccleſiæ, quâ omnia membra, omnésque fideles ſimul conſentiunt, & communicant: ſed per ſchiſma hoc bonum ſitum in tali unitate, & communione deſtruitur, conſequenter eſt peccatum graviſſimum inter ea, quæ contra proximum committuntur, quapropter SS. Patres acriùs invehunt contra ſchiſma, veluti contra ſcelus nequiſſimum, eò quia per ſchiſma dilaceretur unitas Eccleſiæ, unde Irenæus *lib. 4. c. 34.* ait, qui ſcindunt, & ſeparant unitatem Eccleſiæ, eandem, quam Jeroboam pœnam percipiunt à DEO.

Quæritur quartò, an peccatum ſchiſmatis gravius ſit peccato hæreſis? Reſpondetur cum D. Thoma *2. 2. q. 39. art. 2.* peccatum ſchiſmatis ex objecto non eſſe gravius peccato hæreſis, & infidelitatis. Ratio eſt, quia hæreſis adverſatur divinæ veritati, cui hæreticus non credit, proinde opponitur ipſi DEO in ſe: ſecus ſchiſma tantùm opponitur bono divino, non in ſe, ſed ut participato in bono creato unitatis; quâ membra myſtici corporis Eccleſiæ invicem conſentiunt ſub uno capite, quod eſt ſummus Pontifex. Quamobrem licèt ſchiſma adverſetur virtuti excellentiori, ſeu charitati, quia tamen ei non opponitur immediatè ſecundùm ejus objectum formale, ſeu bonum divinum in ſe, ſicut eidem adverſatur odium DEI; ſequitur: quòd ſchiſma non ſit peccatum tam grave, ſicut hæreſis, & infidelitas, cùm hæ opponantur virtuti fidei immediatè ſecundùm ejus formale objectum, quod eſt veritas divina. Notat tamen D. Thomas *loc. cit.* poſſe ſchiſma ratione circumſtantiarum, damníque illati eſſe gravius peccatum, quàm ſit hæreſis, quia per diſciſſionem eccleſiaſticæ unitatis pejora ſubinde oriuntur damna, quàm ex hæreſi. In praxi tamen ſchiſma ſemper conjungitur hæreſi, proinde ex hoc capite eſt etiam gravius peccatum. 4

Quæritur quintò, an ſchiſma poſſit ex parte materiæ eſſe peccatum veniale? Reſpondetur negativè, adeò ut in ſchiſmate non detur parvitas materiæ. Ratio eſt, quia id, in quo formaliter ſchiſma conſiſtit, eſt divulſio ab unitate eccleſiæ; proinde ſemper eſt aliquod grave, in quacunque materia exerceatur: unde ratione materiæ non videtur poſſe eſſe peccatum tantùm veniale, ſed ſolùm fortaſſis ex imperfecta advertentia intellectûs, & indeliberatione voluntatis. Sicut perjurium, quamvis in quacunque materia committatur, ſemper eſt peccatum grave, eò quia ratio formalis perjurij ſit DEUS, qui adhibetur ut teſtis falſi, quod per ſe ſemper eſt aliquid grave; ita quia ſchiſma ſemper dilacerat unitatem, & communionem corporis myſtici Eccleſiæ, verſatur circa aliquid grave, proinde ex parte materiæ ſemper eſt peccatum grave. 5

Quæritur ſextò, an Schiſmatici non ſolùm per excommunicationem, quam incurrunt, ſi ſint Prælati inferiores Pontifice, verùm etiam ex vi ipſius peccati ſchiſmatis amittant ipſo facto poteſtatem juriſdictionis, adeò 6

ut

ut etiam ipſe Pontifex, ſi ſchismaticus fieret, excideret ipſo facto Pontificia poteſtate? Reſpondent plures, per peccatum ſchismatis, & hæreſis, ſive illud manifeſtum ſit, ſive occultum amitti ipſo facto poteſtatem jurisdictionis, & Papalem; adeò ut per ſenteutiam Eccleſiæ non propriâ poteſtate depouatur Papa hæreticus, vel ſchismaticus, ſed tantùm declaretur, eum jam fuiſſe à DEO depoſitum.

7 Ratio, quâ hæc ſententia nititur, eſt, quia qui non eſt membrum Eccleſiæ, nequit in Eccleſia habere poteſtatem jurisdictiouis præſertim Papalem, ratione cujus eſt Papa caput Eccleſiæ: ſiquidem uon poteſt eſſe caput alicujus corporis, qui non eſt membrum ejusdem, & cùm hæreticus, & ſchismaticus ipſo facto deſinat eſſe membrum Eccleſiæ; ideo amittit ipſo facto poteſtatem jurisdictionis; hinc Cœleſtinus Papa I. *in epiſt.* ad Clerum Conſtantinopol. ſcribit, *Neſtorium, & ſuos Aſſeclas poſtquam ſuas hæreſes prædicare cœperunt, non potuiſſe ullum excommunicare, aut ſuo loco movere, quia poteſtatem ad id ampliùs non habuerint.*

8 Verùm hæc ſententia in eo patitur difficultatem, quia aſſerit, etiam per peccatum occultum hæreſis, vel ſchismatis amitti ipſo facto poteſtatem jurisdictionis etiam Papalem: etenim ſi actiones Schismaticorum, & hæreticorum occultorum eſſent ipſo facto invalidæ, plura ſequerentur incommoda: ſi quis enim bona fide ordinaretur ab hæretico occulto, qui communi omnium fidelium opinione cenſeretur legitimus Miniſter, eò quia exteriùs non conſtaret de illius hæreſi; ſi poſtea talis Ordinatus promoveretur ad Epiſcopatum, & conſecraretur, hæc ſecunda actio non eſſet valida, eò quia promotus ad Epiſcopatum non fuiſſet validè ordinatus ſacerdos à tali hæretico. Verùm D. Thomas *in 4. diſt. 24.* reſpondet, DEUM in hoc caſu per ſe ſuppleturum defectum in prætercenſitis actiouibus.

9 Quamvis hac reſponſione ſalventur incommoda; nihilominus putârim eſſe diſtinguendum inter Schismaticum, & hæreticum manifeſtum, & occultum; eò quia manifeſtus ipſo facto poteſtatem amittit jurisdictionis, non ita occultus, donec manifeſtus fiat, vel per ſententiam Eccleſiæ declaretur ſchismaticus, & ita ſentiunt, qui cenſent, non omninò deſinere membra eſſe Eccleſiæ eos, qui externa ſaltem profeſſione fidei, & ſacramentorum communicant cum alijs fidelibus: in hac ſententia faciliùs vitantur incommoda, quæ ſequuntur ex præcedenti, & illi adhærent Waldenſis *tom. 1. lib. 2. c. 5.* Joannes Driedo *lib. 4. de ſcript. & dogmat. eccleſiaſt. c. 2. ſentent. 2.* ubi docet, eos tantùm ab Eccleſia ſeparari, qui vel eijciuntur ut excommunicati, vel per ſe diſcedunt, & oppugnant Eccleſiam, ut ſunt ſchismatici, & hæretici.

10 Quæritur ſeptimò, an Pontifex poſſit fieri Schismaticus, ſi ſe ſeparet à toto corpore Eccleſiæ, nolítque cum ea communicare, ſed velit ſibi aliquem novum cœtum congregare? Plures in ea ſunt opinione, ut cenſeant, tunc Pontificem futurum Schiſmaticum, eò quia ſcinderet unitatem Eccleſiæ, quam non ſolùm membra ſervare tenentur cum capite; ſed etiam ipſum caput cum membris totius corporis myſtici. Verùm licèt ſpeculativè in data hypotheſi, Pontifex futurus eſſet Schismaticus ex ſuppoſitione, quod omnia crederet, quæ de fide credenda ſunt; nihilominus tamen moraliter, & in praxi videtur impoſſibile, poſſe Pontificem, ita ſe ſeparare à tota Eccleſia ſine hæreſi; quia non apparet, qualem novum cœtum poſſet ſibi congregare: etenim ſi novus hic cœtus conſtaret ex hominibus non baptizatis, jam eo ipſo foret hæreticus, quia ſolus baptiſmus eſt janua, per quam homines ingrediuntur in Eccleſiam, quapropter ait Apoſtolus: eos qui foris ſunt, ſeu carent baptiſmo non ſpectare ad Eccleſiam catholicam. Sin verò Pontifex vellet cœtum illum congregare ex hominibus quidem baptizatis, ſed hæreticis approbando eorum errorem, tunc etiam ipſe Pontifex eſſet manifeſtè hæreticus, quapropter caſus videtur moraliter, & in praxi impoſſibilis.

Quæritur octavò, an Schismaticus gene- 11
ratim ſit à nobis vitandus, præſertim in ſacramentis recipiendis, & divinis miniſterijs exercendis? Reſpondetur cum diſtinctione, vel enim quæſtio procedit de Schismaticis vitandis, quatenus ſunt vinculo excommunicationis obſtricti: vel quatenus ſunt tantùm purè ſchismatici, adeò ut nulla excommunicationis ſententia ipſo jure teneantur. Si ſermo ſit de Schismaticis vitandis, & vinculo excommunicationis obſtrictis, certum eſt, hos in univerſum eſſe vitandos, ac proinde teneri nos à conſortio eorundem abſtinere, nec poſſe nos ſacramenta ab ijsdem ſuſcipere juxta *c. ordinationes 9. q. 1.* Sin autem Schismatici non teneantur ſententiâ excommunicationis, quamvis omnes Schismatici ſint ipſo jure excommunicatione affecti, non tamen ſunt à nobis vitandi, ut præcisè excommunicati; quia ob conſtitutionem Martini V. editam in Concilio Conſtantienſi uſu receptum eſt, ut duo tantùm excommunicatorum genera teneamur vitare, eos ſcilicet qui nominatim, & expreſsè ſunt denuntiati: & notorij Clericorum percuſſores: unde Schismatici, niſi nominatim denuntiati ſint, non ſunt vitandi in communi convictu civili.

Quæritur nonò, an Græci, Armeni, cæ- 12
teríque Orientales, ſimiléſque Chriſtiani, qui Romani Pontificis imperium recuſant, ſint purè Schismatici, vel etiam hæretici? Reſpondetur, Græcos, & Armenos non convenire inter ſe, plures enim ſunt, qui aliquid contra Romanæ Eccleſiæ ſenſum profitentur, & credunt; quatenus ſentiunt Spiritum S. ex Patre ſolùm, non verò ex filio procedere; Romanum Pontificem non eſſe totius Eccleſiæ generalem Paſtorem, nec habere jus, & poteſtatem in univerſam Eccleſiam. Purgatorium igcem, quo animæ corporibus ſolutæ ante in-

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Sex capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *PRÆTEREA 1. h. t. Alexander III. ſtatuit ut Clerici, qui relicto habitu ſuo, & ordine Clericali tanquam laici converſantur in Apoſtaſia, ſi in crimine comprehenſi fuerint, non liberentur per cenſuram eccleſiaſticam. Ex quo textu videntur Judices ſæculares, qui manus injiciunt in ejuſmodi Apoſtatas à clericatu, immunes pronunciari à cenſura excommunicationis. Contra quod tamen objicit Gloſſa* c. ſi verò aliquis de ſent. excommun. *ſed reſpondet eadem Gloſſa, id intelligi de illis, qui licèt tonſuram, aut habitum aliquando non portent; aliàs tamen clericaliter ſe habent. Alij etiam cenſent, præſentem decretalem procedere de illis, qui tanquam laici per omnia ſe habent, vel ſi poſt trinam præviam monitionem non ſe correxerint, tunc nullo privilegio eccleſiaſtico gaudent;* c. in audientiam c. ſi contingit de ſent. excommun. *ſecus capientes illos incurrunt excommunicationem, ſed eccleſia non præcipit eos liberari.*

C. *EX LITTERARUM 2. h. t. Idem Pont. reſcribit, quòd ſi aliquis Acolythus in minori ætate miniſtravit ſacerdoti rebaptizanti, ſi peccatum ſit occultum, poſſit promoveri ad ſuperiores Ordines, dummodo agat pœnitentiam de peccato: ſin verò peccatum ſit publicum, non poſſit promoveri, niſi fiat Religioſus, & in favorem Religionis cum ipſo diſpenſetur. Hinc notat Gloſſa, minorem ætatem non excuſare in totum, ſed ut mitiùs quis puniatur.* c. pueris de delict. pueror. *Rurſus irregularitatem, quæ conſurgit ex proprio delicto, non tolli per ingreſſum Religionis, ſed cum eo debere diſpenſari in favorem Religionis* c. 5. de eo qui fur. ord. recip. *Verùm ea irregularitas, quæ non oritur ex delicto proprio, tunc tollitur, & ſine diſpenſatione poteſt ordinari, ſed non ad dignitatem* c. 1. de fil. Presbyt. *Ex quo liquet, per ingreſſum Religionis, non tolli irregularitatem ortam ex proprio delicto ſed eam tantùm tolli, quæ oritur ex culpa aliena.*

C. *TUÆ FRATERNITATI 3. h. t. Reſcribit Innocentius III. Clericos de apoſtaſia infamatos ob clericalem habitum dimiſſum, vel abjectum eſſe coërcendos, donec, ſi alia probatio deficiat, ad infamiam abolendam, purgationem canonicam exhibuerint. Unde clerici, qui habitum clericalem dimiſerint, non ſunt relinquendi in habitu ſæculari, ſed cenſuris coërcendi, ut ſi defecerint probatione, canonicè ſe purgent. Ubi notat Gloſſa, hunc textum eſſe intelligendum de clerico in ſacris conſtituto, vel Religioſo, qui in Religione approbata emiſit ſolemnia vota* c. penult. de Regul. *ſiquidem Clerici in minoribus tantùm conſtituti, poſſunt etiam in totum renunciare Ordini clericali, & ſi velint etiam nubere* c. ult. de vita, & honeſt. cler. c. 10. de clerico conjug. *proinde ſi habitum clericalem dimittat, non eſt cogendus cenſuris eccleſiaſticis ad reaſſumendum habitum, & ſe purgandum. Religioſus itidem antequam ſolemnem emittat profeſſionem, quamdiu eſt Novitius, poteſt è Religione egredi, & habitum dimittere, quia tantùm eſt in Religione ad probandum inſtitutum abſque ulla obligatione profitendi.*

C. *QUIDAM SICUT 4. h. t. Ex Concilio Generali ſtatuitur, ut qui voluntariò ſunt Baptizati, ſi deinde ad priores ritus, & ſuperſtitiones revertantur, ſint per Prælatos eccleſiaſticos coërcendi. Innocentius III. ſtatuit, ut per Prælatos eccleſiarum coërceantur recèns voluntariè baptizati, ut omninò abſtineant à ritibus antiquis, quibus Chriſtianæ religionis decorem confundunt. Cùm enim maledictus ſit homo, qui terram duabus vijs ingreditur, & indui veſte non debeat lino, lanâque contexta diſtrictè præcipit, ut involuntariè baptizatus omninò compeſcatur obſervantia veteris ritus; ut quos Chriſtianæ Religionis liberæ voluntatis arbitrium obtulit, ſalutiferæ coactionis neceſſitas in ejus obſervatione conſervet.*

C. *A NOBIS 5. h. t. Declarat Honorius III. poſſe ſi congruum viſum fuerit Apoſtatas, qui dimiſſo habitu detinentur in carcere, & nec minis, nec blanditijs adduci poſſint, ut habitum reaſſumant ſub graviori, & arctiori cuſtodia reſerari, ut miſeram vitam ducant, donec à ſuæ præſumptionis nequitia reſipiſcant. Ubi notat Gloſſa; hunc etiam textum eſſe intelligendum de profeſſis, & de Clericis in ſacris. Cæterum ex hoc textu colligitur, Apoſtatas poſſe in carcere detineri, donec reſipiſcant, ſi enim eas pœnituerit, exerceatur cum ijsdem miſericordia.*

C. *CONSULTATIONI 6. h. t. Conſultus idem Pont. quid agendum cum Monacho, qui ſacrum Ordinem in apoſtaſia recipit, reſpondet Pontifex, Monachum in Apoſtaſia ordinatum, quamvis deinde fuerit Abbati reconciliatus, & pœnitentiam egerit, non tamen poſſe miniſtrare in illo ordine ſuſcepto in apoſtaſia ſine diſpenſatione ſummi Pontificis. Ex quo textu colligitur, diſpenſare, ut Monachus ordinatus in apoſtaſia miniſtret in tali ordine ſuſcepto eſſe reſervatum Papæ* c. excommunicamus de hæret. *Notandum tamen eſt Apoſtaſiam non convenire Novitio, quia hic poteſt exire è noviciatu abſque ullo peccato, niſi ex prava aliqua intentione exeat. Immo ſunt, qui cenſeant, nec profeſſum eſſe propriè apoſtatam, ſi deſerto monaſterio procul, & diu evagetur, niſi animum redeundi ad religionem omninò depoſuerit, & id factis demonſtret. Cæterum talis Religioſus profeſſus, ut*

fugi-

fugitivus è ſuo monaſterio ſine licentia ſui Abbatis puniri poteſt. Rurſus qui in ſubverſionem fidei ordinantur ab hæreticis, non poſſunt in iiſdem ordinibus ſuſceptis miniſtrare c. convenientibus 1. q. 7. *Sin verò Regularis tranſiret ad aliam religionem, & ibi ordinaretur, poſſet ſine diſpenſatione miniſtrare in ordine ſuſcepto* c. ex parte de tempor. Ordin. *quia tunc non fuit ordinatus in Apoſtaſia.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De Apoſtaſia quid, & quotuplex ſit, & quæ pœna eidem infligenda.

1 APoſtaſia vox eſt græca, quæ latinè idem ſignificat, ac deſertionem, adeò ut Apoſtata idem ſit, ac deſertor, vel transfuga *l. deſertorem ff. de re milit.* is enim, qui à ſuo Duce ad hoſtes transfugit, deſertor dicitur; ita etiam qui à Chriſtianis ad Ethnicos, Judæos, & Saracenos ſe confert: unde vox hæc Apoſtata græca eſt, idémque ſonat, quod apud latinos deſertor, ut notat S. Auguſtinus *lib. 20. de civit. DEI c. 19.* ubi Apoſtatam vocat *Refugam.* Hebræi Apoſtatam etiam vocant *Belial*, ut notat Raymundus *tractat. de apoſtaſia c. 1. per tot.* & Suarez *de fide diſp. 16. ſect. 5.* Species Apoſtaſiæ tres ſunt juxta præſens inſtitutum. Prima dicitur apoſtaſia perfidiæ, éſtque deſertio fidei catholicæ, & de hac ſpecie agitur *in c. quicquam 4. h. t.* Secunda ſpecies dicitur apoſtaſia inobedientiæ, & tunc habetur, quando quis præceptis ſuorum Prælatorum parêre penitus detrectat, & à religioſo ſtatu ſemel inito per profeſſionem, aut ſubſtantialia religionis vota deficit; ut etiam ſi quis DEI præceptis, & ſacris Eccleſiæ canonibus ex ſuperbia, & contemptu nolit obedire *c. 1. cauſa 3. q. 4. c. 2. de majorit. & obedient.* ut notat Farinacius *tractat. de hæreſ. q. 183. §. 5. num. 54.* Tertia ſpecies habetur per defectionem à clericali ſtatu per matrimonium, militiam, vel dimiſſionem habitûs clericalis. De hiſce apoſtaſiæ ſpeciebus fusè agit Ricciulus *lib. 7. de jure perſon. per tot.*

2 Apoſtaſia à fide ſpecies eſt infidelitatis, & tunc contingit, cùm quis à fide chriſtiana omninò deficiens tranſit ad judaiſmum, vel paganiſmum, ut deſumitur *ex c. non potuiſti 2. q. 7. c. contra de hæret. lib. 6.* ubi Apoſtatæ dicuntur, qui à fide catholica ad ritus judaicos, vel ſacrificia tranſeunt Paganorum, & hi dicuntur violatæ religionis Rei *l. 3. C. Theodor. de Apoſtat.* ut notat Farinacius *de hæreſ. q. 183. §. 2. n. 13.* Ad apoſtaſiam à fide duo requiruntur. Primò omnimodus à fide receſſus, quia ſi vir catholicus recedat ab uno, vel pluribus fidei articulis; ſi in reliquis fidem retineat, propriè non dicitur Apoſtata, ſed hæreticus, ut notat Royas *de hæret. p. 1. n. 486.* hoc enim eſt diſcrimen inter Apoſtatam, & hæreticum, quia ille totus recedit à fide, hic verò nonniſi in parte. Unde licèt omnis Apoſtata ſit etiam hæreticus, non ita, qui in hæreſin labitur propriè Apoſtata dicitur. Hinc hæreticus *Joan. 10.* dicitur fur, & latro, eò quia è verbo Domini aliquid intercipit, quia non credit in omnibus verbis Domini; ſed tantùm in aliquibus: Apoſtata verò dicitur plus quàm fur, eò quia totum ſurripiat. Secundò ad apoſtaſiam requiritur, ut receſſus ſit à fide catholica, qui enim ab improba aliqua ſecta ad aliam approbatam ſe transferret, veluti è paganiſmo ad judaiſmum, Machometiſmum, Apoſtata non diceretur, ut notat Julius Clarus *in praxi crimin. §. fin. q. 7. n. 4.* quia cum talis nunquam per baptiſmum fuerit Eccleſiam ingreſſus, neque chriſtianæ militiæ nomen dederit, nulla ſuppetit ratio; cur deſertor fidei dici debeat *argu. l. 4. §. idémque l. manumiſſiones ff. de juſtit. & jur. l. decem ff. de V. O.*

Verùm ſi quis ſit recèns baptizatus, ſed non ſub debita forma, tunc ſi ipſe ignorans defectum baptiſmi à fide recedat, & ſolùm poſt receſſum nullitas baptiſmi detegatur, tunc Apoſtata eſſet dicendus, & ut talis etiam puniendus, ut notat Ricciulus *de jur. perſon. lib. 6. c. 3.* Ratio eſt, quia tametſi hic baptizatus non eſſet, baptiſmo fluminis, erat nihilominus baptizatus baptiſmo flaminis, & ſi deceſſiſſet ſtatim poſt ſuſceptum talem baptiſmum ſub forma indebita, adhuc fuiſſet æternam conſecutus ſalutem, ut habetur *in c. fin. V. nullus de pœnit. diſt. 7. c. debitum de baptiſmo c. 2. de Presbyter. non baptizat.* unde quoad effectum baptiſmi nil differt ab eo, qui juxta Eccleſiæ ritum baptiſmum accepit. Vel ſciebat ſe baptizatum non eſſe, nec curavit baptizari, & nihilominus voluit ab omnibus haberi pro baptizato, & tunc quamvis in foro poli, ſeu conſcientiæ Apoſtata non eſſet; talis tamen in foro fori, ſeu exteriori judicandus eſſet; ac pœnis plectendus, quibus Apoſtatæ puniuntur: ratio eſt, quia cùm exteriùs ſe ut Chriſtianum geſſerit, & ut talis voluerit à cæteris haberi, ideo in foro exteriori judicandus eſſet ex illa exteriori apparentia, proinde habendus ut Apoſtata, ut rectè notat Ricciulus *l. 6. c. 3. n. 5.* quilibet enim judicandus eſt juxta habitum, quem defert *l. item 15. §. ſi quis virginem ff. de injuriis c. in audientia de ſentent.* 3

excommun. c. ſi quis eod. tit. in 6. Tum quia qui juxta habitum vult haberi ut Chriſtianus, tenetur chriſtianorum legibus ſubjici *arg. l. Judæi C. de Judæis.*

4 Tum quia qui vult commodum Chriſtiani nominis experiri, tenetur etiam incommoda ſubire, quibus obnoxij ſunt, qui à Chriſtiano nomine deficiunt; juxta enim vulgatum effatum ſentiens commodum, debet, & incommodum ſentire *l. ſecundum ff. de R. I. c. charitatem 12. q. 5.* Tum quia hæreticus reputatur, non ſolùm, qui cum verè eſſet Catholicus, poſtea deſciſcit à fide catholica: verùm etiam, qui tanquam catholicus vult haberi, ſi ab eadem fide deficiat *argu. l. 2. C. ſi minor ſe majorem,* ut notat Simancha *de cathol. tit. 31. n. 5.* ratio eſt, quia in hac parte plus dicitur operari opinio, & hominum æſtimatio, quàm ipſa veritas *c. fin. de Presbyter. non baptizat.*

5 Quòd ſi Catholicus tranſiret ad judaiſmum, adhuc diceretur Apoſtata, ut notat Farinacius *de hæreſ. q. 178. n. 136.* tametſi ritus tantùm obſervaret judaicos, quia non verbis tantùm; ſed etiam factis DEUS negatur *c. exiſtimant. 14. 11. q. c.* quinimmo facta potentiora ſunt ad explicandum animum, quàm ipſa verba *l. ſi. tamen 48. §. ei qui ff. de ædilit. edict.* ut notat Caſtillo *lib. 3. controverſ. c. 117. num. 17.* Hinc convictus de ritibus judaicis procul dubio damnandus eſſet ut Apoſtata; tametſi negaret, ſe intentionem habuiſſe judaizandi *c. filij. c. contra de hæret. in 6.* ut notat Farinacius *de hæret. q. 178. n. 139.* Verùm in tali caſu conſultiùs foret, ut cenſet, Simancha *de fid. cathol. tit. 65. n. 56.* Reum ſubjicere torturæ ſuper ſua intentione, præſertim ſi cæremoniæ à Reo factæ dubiæ ſint, cujuſmodi ſunt jejunia: ſecus ſi cæremoniæ eſſent apertè ex natura ſua reprobatæ, ut circumciſio, celebratio paſchæ Judæorum, & alia id genus, quæ nunc ita mala ſunt, ut non poſſint interpretari in bonam partem; tunc enim puniendus eſſet ut Apoſtata, quia in quolibet facto attenditur ejus natura *l. ſi unus 27. §. pact. ff. de pact.* hinc Lactantius Firmianus *lib. 3. de divin. inſtit. c. 15.* rectè ait: *Nihil intereſt, quo animo facias, quod feciſſe vitioſum eſt, quia facta cernuntur, animus non videtur.*

6 Verùm id quod aſſeritur, Apoſtatas eſſe puniendos videtur difficultatem pati, quia Patres Concilij Lateranenſis in *c. quidam 4. h. t.* tantùm ſtatuunt, Apoſtatas à fide catholica cogendos eſſe ritus alterius religionis deſerere, & fidem catholicam ſervare, & cuſtodire; nec ullam ibi Patres pœnam ſanciunt contra fideles lapſos in apoſtaſiam; proinde non videntur Apoſtatæ puniendi, ſed tantùm cogendi ad obſervantiam catholicæ religionis. Sed contra quia tametſi Patres Concilij Lateranenſis nullam *in d. c. quidam 4. h. t.* injungant pœnam fidei catholicæ deſertoribus, & ritus judaicos, ſeu paganicos ſectantibus; non propterea negârunt, eos debitis pœnis jure ſtatutis puniendos eſſe, non enim ex eo, quòd quis aliquid reticet, cenſendus eſt illud idem negare. Tum quia Patres eo ipſo, quòd ſanxerunt, tales Apoſtatas cogendos eſſe per judices eccleſiaſticos ritus abjurare judaicos, ſatis clarè ſupponunt, debitis pœnis per ſacros canones veteres, & novos ſtatutis eſſe plectendos, & adigendos ad catholicam religionem, quam ſemel profeſſi fuerunt, cuſtodire. Quamobrem licitum nunquam eſt fidelibus chriſtianis poſtquam à judaica perfidia ad fidem catholicam perveniunt, veteres ritus colere, nec ad priſtinam ſuperſtitionem redire.

Quid verò dicendum de illo, qui coactè, & per vim fidem catholicam abnegavit; vel invitus Idolis ſacrificavit, animo tamen fidem retinuit. Reſpondetur, quòd ſi coactio eſt abſoluta, adeò ut Chriſtianus omnino renuens, & invitus ligatis manibus, & pedibus circumcidatur, vel adhibitâ violentiâ ejus genua flectantur coram idolis, tunc nullo modo cenſendus eſt Apoſtata, nec ut talis puniendus *c. Presbyteros 31. 50. diſt. c. conſtat. q. 1.* ut notat Simancha *tit. 27. n. 19.* Ratio eſt, quia tunc ob ſibi impoſitam violentiam pati potiùs, quàm agere videtur *c. ſacris de his, quæ vi,* & hæc ratio eſt, cur pœnam non mereatur *l. fœdiſſimam C. ad leg. Jul. de adult.* Quòd ſi vis illata non fuerit abſoluta, ſed tantùm conditionalis, tametſi gravis fuerit, tunc nec cenſendus eſt Apoſtata, ſi revera animo non ita ſentiat, & immunis ſit à pertinaci errore, quo poſſet ſeparari à communione fidelium *c. non ſolum 85. 11. q. 3.* ut notat Ricciulus *lib. 6. c. fin.* non tamen excuſatur à peccato lethali, cum teneatur potiùs mortem ſubire, quàm fidem exteriùs abnegare. Tum quia quamvis coactè neget fidem, revera tamen eam negat, cùm voluntas licèt coacta, revera voluntas ſit *c. majores. §. final de baptis. l. ſi. patri. ff. de ritu. nupt.* 7

Tum quia licèt nolit, corde Chriſtum negare, revera tamen in opere, & exteriùs eligit illum potiùs negare, quàm pœnam ſubire: & quia Eccleſia non judicat de ijs, quæ quis animo meditatur, ſed de ijs, quæ exteriùs, & ſenſibiliter quis operatur; ideò puniendus eſſet in foro exteriori: hinc *in can. 2. Apoſtol.* habetur, *ſi Clericus ob metum Judæi, græci, vel hæretici negaverit nomen Chriſti, ejiciatur; ſi nomen clerici deponatur, ſed poſt pœnitentiam ut laicus ſuſcipiatur.* Et in Concilio Ancyrano *can. 4.* habetur. *De his, qui per vim immolârunt, & cœnam ſumpſerunt cum Idolis, quicunque habitu meliore profecti ſunt, & veſte pretioſiore accubuerunt, annum audiant, triennium ſubjiciantur, biennio tamen oratione tantùm communicent, poſtea in integrum reſtituantur.* Hinc S. Baſilius ad Amphylochium *c. 80.* ait: *Qui in Barbarorum incurſione fidem in Chriſtum violârunt factis ſacramentis Gentilibus, & quibusdam nefarijs, quæ Idolis magicis oblata ſunt, ab eis guſtatis, ij ſecundùm leges à Patribus jam editas, & canones diſpenſentur.* 8

Apoſtaſia igitur à fide dupliciter conſiderari poteſt, nimirum in ordine ad terminum *à quo,* quatenus eſt diſceſſus à vera fide, & ſic 9

differt ab hæreſi non eſſentialiter, ſed ut majus à minore: quia Apoſtata dicitur, qui Chriſtum, fidémque chriſtianam, quam ſuſcepit omninò, & totaliter abnegat; hæreticus verò, qui unum tantùm, vel plures, non verò omnes fidei articulos abnegat, eò quia adhuc plures fidei articulos teneat; quapropter minus recedit à fide catholica hæreticus, quàm Apoſtata. Secundò poteſt apoſtaſia conſiderari in ordine ad terminum *ad quem*, & tunc ſpectat, vel ad judaiſmum, vel ad Paganiſmum, vel Atheiſmum, quæ ſunt differentes ſpecies infidelitatis, & tunc apoſtaſia à fide licèt ſit etiam ſpecies infidelitatis; non tamen eſſentialiter diſtincta ab hæreſi, ſed ſolùm accidentaliter ſecundùm magis, & minus: ſiquidem Apoſtata revera eſt etiam hæreticus, à quo tantùm diſtinguitur, quia hæreticus tantùm ex parte deficit à fide catholica, quatenus unum, vel aliquos; non verò omnes negat fidei articulos. Apoſtata verò in totum recedit à fide, quam totaliter deſerit, major autem, vel minor receſſus à fide, quam quis ſemel eſt profeſſus, ſpeciem non mutat: neque obſtat, quòd Apoſtata fiat Paganus, vel Judæus, quia inde non ceſſat eſſe hæreticus, cum contradicat fidei catholicæ, quam antea confeſſus fuerat; & in hoc etiam differt à Pagano, vel gentili, quia hic negat fidem Chriſtianam, quam antea nullo modo ſuſceperat; à Judæo verò differt, quia Judæus contradicit fidei chriſtianæ, quam in typis, umbris, & figuris antea receperat, ac tenuerat, non verò re ipſa, hinc D. Thomas 2. 2. *q. 10. art. 5.* docet, tres tantùm eſſe ſpecies infidelitatis, paganiſmum, judaiſmum, & hæreſin, eò quia omnis Apoſtata à fide re ipſa eſt etiam hæreticus, licèt non omnis hæreticus ſit Apoſtata propriè, quia Apoſtata propriè dicitur, qui chriſtianam fidem, quam antea ſuſceperat, omnino abnegat: hæreticus verò, qui non omnino, ſed ſolùm quoad unum, vel alterum, aut alios articulos à fide recedit.

10 Quod verò ad pœnas attinet in Apoſtatas jure decretas. Certum eſt, ea execratione tales Deſertores primis Eccleſiæ ſæculis habitos fuiſſe, ut D. Baſilius ad Amphylochium *c. 1.* aſſeruerit: baptizatos ab Apoſtatis eſſe iterum baptizandos, quinimò illis etiam in mortis articulo venia negabatur, ut refertur *in l. 3. C. de Apoſtatis.* Verùm Nicena Synodus conceſſit poſtea Apoſtatis pœnitentiam, & Syricius Papa *epiſt. 1.* ad Himer. Teraconenſem Epiſcopum *c. 3.* nullum Apoſtatis pœnitentiæ tempus præſcripſit, ſed toto vitæ decurſu poſſe pœnitentiam agere; & voluit arceri à ſacra communione, præterquàm in articulo mortis. Puniuntur autem Apoſtatæ pœnis hæreticorum *c. contra de hæreticis in 6.* & quia pœna capitis in hæreticos ſancita fuit *l. Manichæos. l. Ariani C. de hæret.* eadem pœna etiam ſtatuitur in Apoſtatas *l. 5. C. de Apoſtat.* Ut etiam bonorum præſcriptio, ſeu confiſcatio à die commiſſi criminis *c. cum ſecundum de hæret. in 6.* ut notat Sylveſter *V. hæreſis 2. n. 1.*

Rurſus Apoſtatæ incurrunt excommunicationem majorem reſervatam in Bulla cœnæ, ut habetur *in c. ad abolendam de hæret. in 6.* & notat Sanchez *lib. 2. moral. c. 9.* Incurrunt etiam Apoſtatæ irregularitatem *ex c. ſaluberrimum. c. convenientibus 1. q. 7.* ut etiam infamiam juris, quæ etiam extenditur ad eorum filios uſque ad ſecundam generationem ex linea paterna, & uſque ad primam ex materna *c. ſtatutum 15. de hæret. in 6.* Hinc ſpoliantur etiam omni dignitate *l. 1. C. de Apoſtatis*, ut etiam utraque factione teſtamenti *l. 1. & 2. C. theodoſ. eod. tit.* Immo contra Apoſtatas in tribunalibus S. inquiſitionis eodem modo proceditur, ac contra hæreticos, conceſſâ eis pœnitentiâ revertentibus ad fidem catholicam; & injunctâ pœnitentiâ: datur vel tempus congruũ in carcere cum habitu *c. excommunicamus §. 1. de hæret.* quòd ſi relabantur in Apoſtaſiam, traduntur puniendi brachio ſæculari. 11

§. II.

De Apoſtaſia ab Ordine clericali, & religione, ejúsque pœnis.

APoſtaſia à clericatu eſt, cùm quis à ſtatu clericali, ſeu ſacro Ordine, quem ab Epiſcopo ſuſceperat, & in ejus manu votum continentiæ ediderat, ad ſtatum tranſit conjugis, vel laicalis converſationis dimiſſo propria authoritate, & temeritate habito clericali, ut deſumitur ex *c. ult. de vit. & honeſt. Cleric.* & notant Sylveſter *V. Apoſtaſia q. 2. n. 5.* Hoſtienſis *in c. quidam 4. n. 2. h. t.* & *c. præterea 1. h. t.* ubi Alexander III. ſtatuit, ut clerici, qui relicto habitu, & ordine clericali tanquam laici in apoſtaſia converſantur, ſi in crimine ſint deprehenſi, non liberentur per cenſuram eccleſiaſticam; ubi notat Gloſſa, quòd ſi prædicti Apoſtatæ fuerint ter admoniti, & non ſe correxerint, nullo gaudeant privilegio eccleſiaſtico juxta *c. in audientiam, c. ſi contingit de ſent. excommun.* Clerici omnes tam in ſacris, quàm in minoribus Ordinibus conſtituti, dummodo perſeverent in clericali ſtatu plenè, & integrè gaudent privilegio fori, niſi ob patrata crimina illo priventur, ut habetur in *c. 2. de for. compet.* quia omnes clerici ſpeciali titulo ſunt DEO mancipati, ac de illius familia ob divinum cultum, cui ſunt addicti. Tametſi inter ipſos clericos adſit diſcrimen quoad conſecrationem majorem, vel minorem, ſeu majus, vel minus ſacrum miniſterium; id tamen non ſufficit, ut inde evincatur, quoſdam magis exemptos fuiſſe ex vi juris divini, & quoſdam minus; quia magis, & minus ſpeciem non variant, & omnes ſunt divino cultui addicti; dummodo perſeverent in ſtatu clericali. 1

Hinc etiam initiati prima tonſura ad collegium pertinent eccleſiaſticum, & à fortiori initiati quatuor minoribus ordinibus: neq; obſtat, quòd prima tonſura non ſit propriè ordo, ſed tantùm diſpoſitio ad ordines, & quæ- 2

dam

Google

dam inchoatio, quia licèt id varum ſit, nihilominus in favorabilibus initiati prima tonſura comprehenduntur nomine clericorum, & gaudent integrè privilegio fori, idque intuitu ſtatûs clericalis; dummodo in illo perſeverent, ut dignoſcatur diſcrimen inter clericos initiatos majoribus, val minoribus ordinibus: quia tamatſi in omnibus claricis commune ſit, ut indelebilem accipiant characterem, attamen quoad parſaverantiam in ſtatu claricali, initiati ordinibus ſacris ſtabilitatam inducunt, & non poſſunt ab eodem ſtatu ratrocadere; ſed adiguntur in eodam manera; adeò ut ſi ſtatum illum daſerant, compellantur habitum reaſſumera, ut habetur *in c. tua fraternitati 3. h. t.* ubi Innocentius III. ſtatuit, ut clerici infamati de Apoſtaſia propter abjactum habitum clericalem ſint coërcendi, donec ſi alia probatio deficiat, ad infamiam abolendam purgationem canonicam adhibeant.

3 Secus clerici minoribus tantùm Ordinibus initiati liberè poſſunt ſtatui clericali renuntiare; ſéqua negotijs ſæcularibus immiſcera, vel etiam matrimonium contrahare, idque etiam propria authoritate; ſi tamen clericus ſit omni benaficio deſtitutus, quia libaram habet ad nuptias, vel ſtatum ſæcularam tranſeundi facultatem, & poteſt ranuntiare ſtatui claricali ipſo facto abijciendo habitum, & tonſuram; neque poteſt Clericus minoribus tantùm initiatus ordinibus compelli ad reaſſumendum habitum clericalem, ut daſumitur ax *c. Joannes 7. de cleric. conjug.* Secus ſi obtinueric banaficium ecclaſiaſticum, & ao ratento uxorem ducat, vel ad ſtatum laicorum ſe conſerat propria authoritate dimiſſo habitu clericali, Apoſtata aſſet cenſendus: quia ratione beneficij tenatur claricus etiam minoribus tantùm ordinibus initiatus habitum, & tonſuram ferre, & ad id poteſt etiam adigi.

4 Hinc clerici minoribus ordinibus initiati tamdiu cleticali privilagio gaudant, quamdiu eccleſiaſticis miniſterijs ſunt addicti, ſeu perſaverant in ſtatu clericali, cujus perſeverantiæ duos modos diſtinguit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. de reform. c. 6.* quorum primum eſt, ſi clericus in minoribus initiatus benaficium habeat acclaſiaſticum, quia tunc clarieus præſumitur valla parſavarara in ſtatu clericali, ut juſtè baneficium ratinare poſſit, & ejus fructus percipere, ut habetur *in c. commiſſa 35. §. caterum de elect. in 6.* ſiquidem benaficium ſuaptè natura perpetuitatem denotat *c. Sanctorum 70. diſt. c. unic. de capell. monach. lib. 6.* Non tamen nomine benaficij panſio claricalis comprahenditur, ut declavavit ſacra Congregatio Cardinalium, cui declarationi eſſa in praxi ſtandum, notat Gatzia *de benefic.* quamvis in puncto juris non immeritò da varitate hujus ſententiæ dubitar Suarez contra Regem Angliæ *c. 27. n. 11.* Secundus modus eſt, ſi claricus minoribus initiatus tonſuram, & habitum elericalem defarat, & ad inſarviendum alicui eccleſiæ ſit per Epiſcopum deſtinatus, vel ex ejus licentia diſponatur ad ſervitium clericale.

Cùm igitur privilegium fori competat clericis primâ tonſurâ, vel etiam ordinibus minoribus initiatis, ſi perſeverant in ſtatu clericali, quæ perſevarantia dignoſcitur præſertim ex delatione tonſuræ, & habitus elaricalis, ideo, qui dimiſſo habitu, & abjecto ſtatu elericali uxorem ducit, vel ut laicus inter laicos converſatur, indignum ſe conſtituit talis privilagij fori, quia ut notat Pontifex in *c. in audientia de ſentent. excommun* fruſtra ab ecclaſia privilegium fori petit, qui contra eccleſiam pescat, contemnítqua ſtatum clericalem contra ſacros canones prohibantes clericis induere vaſtes laicales. Quia in jure non reperitur cattus, & datarminatus habitus, quem ipſi clarici de neceſſitata teneantur induere, & deferra; idao illæ veſtes dicuntur clericis congruara, quæ à communi uſu, & conſuetudina Provinciæ non abhorrant, ut notat Gloſſa *in c. penult. V. deaurat. de vit. & honeſt. cleric.* & Covarruvias *pract. c. 31. n. 7.* ſiquidem circa vaſtium uſum religionis conſuatudo, val maximè attendenda eſt, ita tamen ut veſtis clericalis modeſtiam prodat, & religioſam compoſitionam, qualis clericum decet, abhorraátque à luxu, & vanitate. 5

Quòd ſi dicas, axemptionam clericorum à jurisdictione ſæculari provenire à jure divino, & tala privilegium fori conceſſum eſſe in favorem totius ſtatus clericalis; proinde non poſſa à claricis eidem ranuntiari; quamvis ipſe elericus expreſsè conſentiat in judicem ſæcularem, ut ab eo judicetur, & puniatur: conſequentar, naque poſſa judicem ſæcularem condamnara claricum dimittentem habitum, & primam tonſuram; quia ſi non poteſt expreſsè in aum conſentira, multò minus poterit ejus jurisdictionam prorogare, dimittendo facto ipſo habitum clericalam. 6

Contra aſt, quia exemptio cleticorum à jurisdictione ſæculari quoad cauſas criminales, & eiviles temporales eſt juris poſitivi, proinde in cettis caſibus per ſacros canones denegatur clericis privilegium fori, ut clerico aſſaſſinio *c. 1. de homicid. lib. 6.* Clerico joculatori poſt trinam monitionem *c. 1. de vit. & honeſt. cleric. lib. 6.* unde rectè clericus non deferens habitum clericalem, nec primam tonſuram privatur privilegio fori; proinde judex ſæcularis aſt tunc capax in eum ſententiam ferre. Ad id, quod dicebatur privilegium fori eſſe conceſſum in favoram totius ſtatus clericalis, & non poſſe clericum eidem renuntiare, id verum eſt, dummodo Clericus perſaveret in ſtatu clericali, cui perſona particularis non poteſt derogare; non ita ſi dimittat habitum, & renuntiat ſtatui clericali, quia tunc non punitur à Judica ſæculari ut clericus, ſed ut laicus. Eo ipſo quòd Clericus dimittit habitum clericalem, & tonſuram tranſit de ſtatu clericali ad laicalem, & Judex ſæcularis non cognoſcit de ajus cauſis criminalibus virtute proroga- 7

rogationis tacitæ, vel expreſſæ, quæ nulla hoc in caſu dator: ſed quia in pœnam deſertionis ſtatus clericalis privatur privilegio fori, quod ratione ſtatus clericalis illi competeret.

8 Pœnæ jure ſancitæ in Apoſtatas ab Ordine clericali ſunt. Primò ipſa excommunicatio non qoidem lata, ſed ferenda, ut notat Abbas in *c. præterea 1. n. 3. h. t.* Secunda pœna eſt infamia, quam ipſo facto incurrit durante apoſtaſia, & ratione hujus pœnæ arcetur ab accuſando, vel teſtimonio ferendo; neque admitti poteſt ad dignitatem, vel officium, ut notat Menoch. *de arbit. judic. caſu 14. n. 48.* Tertiò, ſi Clericus Apoſtata dimiſſo habitu clericali, tametſi tonſuram deſerat, ſi habitum non reſſumat, perdit privilegium Ordinis clericalis, adeò ut ipſum percutiens non incidat in canonem, *ſi quis ſuadente 29. cauſa 17. q. 4.* non ita privilegiom fori, ut deſumitur *ex d. c. præterea 1. h. t.* quia cùm eccleſiam contempſerit, æquum eſt, ot ab Eccleſia etiam contemnetur, adeò ut ſi captus fuerit, Eccleſia, eum non liberet per eccleſiaſticam cenſuram jure latam in capientes, & percutientes clericos, ot notat Abbas *in d. c. præterea 1. n. 3. h. t.* Sin verò Clerici Apoſtatæ depoſito habito clericali poſt monitionem ab Epiſcopo ipſis factam redire noluerint ad ſtatum clericalem, tunc nullo ampliùs gaudent clericali privilegio, ut deſumitur *ex c. in audientia 25. de ſent. excommun.* ut notat Farinacius *tract. de hæreſ. q. 183. §. 9.* Non tamen deſunt, qui putent, id tantùm procedere de clerico in ſacris conſtituto; ſi enim hic à ſtatu clericali recedat, & monitus ab Epiſcopo perſeveret in Apoſtaſia, habeatúrque incorrigibilis, deſtituitur omni privilegio clericali, etiam fori, ut notat Hoſtienſis *in d. c. præterea 1. col. 1. §. Tertij dicunt h. t.* ubi etiam addit, hoc procedere de clerico deprehenſo in delictis enormibus. Hinc contra Clericos infamatos de apoſtaſia ita procedi debet, ut priùs coërcendi ſint, donec ſe purgaverint; non quòd debeant compelli ad reaſſumendum habitum, donec ſe purgaverint, quia inde notarentur quadam infamia, ſi deberent reaſſumere habitum, quem poſtea ſecutâ purgatione deberent iterum deponere; ſed quia compelli debent ad reaſſumendum habitum clericalem, vel ad ſe purgandum de infamia, & deficiente probatione, ſtatuitur eis terminus ad ſe purgandum; quòd ſi purgationem hanc non præſtiterint, habentur pro convictis, & compelluntur reaſſumere habitum: quod procedit de initiatis ſacris Ordinibus, quia iſtis ad ſæculum non patet ampliùs aditus.

9 Quòd ſi Apoſtatæ, qui dimiſſo habitu detinentur in carcere, nec minis, nec blanditijs adduci poſſint, ut habitum reaſſumant, quem abjecerunt, ſi ita conſultius viſum fuerit ſub graviori cuſtodia, ac duriore carcere puniri poſſunt, ut deſumitur *ex c. à nobis 5. h. t.* ubi Honorius Papa conſultus ab Archiepiſcopo Turonenſi, quid agendum cum Apoſtatis in cuſtodia retentis, ſi nec minis, nec blanditijs induci poſſint ad abjectum habitum aſſumendum; reſcripſit Pontifex, quòd poſſit illos ſub gravi cuſtodia carcerare: ex quo textu deducitur Judici eccleſiaſtico ineſſe poteſtatem injungendi pœnam carceris; tametſi carcer deputatus potiùs ſit ad cuſtodiam, quàm ad pœnam *l. aut damnum 8. §. ſolent. ff. de pæn.* nihilominus jure canonico carcer ſervire etiam poteſt non ſolùm ad cuſtodiam, verùm etiam ad pœnam, ut habetur in *c. quamvis 3. de pæn. in 6.* & etiam notat Abbas *in d. c. à nobis 5. n. 2. h. t.* Hinc poteſt Clericus in pœnam ſuæ pertinaciæ detrudi in arctiorem carcerem, ot in illo pane doloris, & anguſtiæ, & potu lachrymarum ſuſtentetur, ut habetur in *c. novimus 27. in fin. de V. S.* Non tamen debet carcer ita eſſe durus, ut Clericus in illo detentus ob miſerias, quas patitur, mortis incurrat periculum, alioquin judex eccleſiaſticus fieret irregularis.

Apoſtaſia à religione eſt criminoſa, & mortifera receſſio à religioſi Ordinis inſtituto ſine propoſito revertendi: adeò ut Apoſtata non ſit, qui de licentia ſui Prælati egreditur, vel ab Ordinis obſervantiâ liberatur, neque qui ſecundùm canones ad Epiſcopalem dignitatem transfertur. Hinc ad Apoſtaſiam à religione duo requiruntur. Primò, ot quis abſque licentia ſui Prælati à ſuo religioſo Ordine, quem profeſſus eſt, diſceſſerit. Secundò, ut ab omni religioſo inſtituto, ſeu Ordine propria authoritate, & temeritate receſſerit: qui enim ab uno ordine religioſo, in quo ſolemnem emiſit profeſſionem ſine Prælati licentia, ac propterea illicitè ad alium tranſiret ordinem religioſum, quantumvis laicorum; non proinde eſſet Apoſtata, eò quia non deſereret omnem ordinem religioſum, ſed tantùm unum mutaret in alium: ad apoſtaſiam à religione requiritur, ut Apoſtata religionem, quam profeſſus eſt, omninò deſerat, abſque animo transeundi ad alium religioſum ordinem, & cum propoſito non ampliùs revertendi ad religioſum Ordinem: alioquin ſi quis tantùm ad tempus, & ſolùm vagandi cauſa ſuam religionem deſereret ſine licentia ſui Prælati, cum animo tamen poſt unum, vel alterum menſem redeundi, is propriè Apoſtata non eſſet, ſed tantùm fugitivus. 10

Id enim intereſt diſcriminis inter Apoſtatam, & fugitivum, quia licèt uterque ſine licentia ſuperioris deſerat Ordinem ſuum religioſum; Apoſtata tamen diſcedit cum propoſito nunquam ampliùs ad ſtatum religioſum redeundi, fugitivus verò diſcedit cum intentione redeundi ad ſuum religioſum Ordinem non poſt multum temporis. 11

Cæterum ſive qui ſine licentia ſui Prælati religionem deſerit cum propoſito nunquam ad illam redeundi, habitum religioſum retineat, ſive illum omninò abijciat, adhuc verus Apoſtata cenſendus eſt, quia habitus non facit Monachum, & apoſtaſia quoad ſubſtantiam conſiſtit in temerario, & illicito receſſu à regula Ordinis, ſeu à religioſo inſtituto, quod pro- 12

profeſſus fuerat, & cum animo ampliùs non revertendi, quòd poſtea habitum religioſum abijciat, vel non; id non pertinet ad ſubſtantiam religionis, nec apoſtaſiæ; ſed per accidens ſe habet, unde ad crimen apoſtaſiæ nil refert, utrum quis habitum religioſum abijciat, nec ne; quia cùm habitus Monachum non faciat, non eſt neceſſè, ut Apoſtata habitum ſuum religioſum exuat, & abijciat, ut notant Cajetanus 2. 2. *q. 12. art. 1.* Valentia *tom. 3. diſp. 1. q. 12. p. 1.* Sylvius *2. 2. q. 12. art. 1. q. 2. concluſ. 2.* Epiſcopus tamen regularis, ſi renuntiet Epiſcopatui, & maneat in ſæculo, nec velit ad priſtinum ſuum ordinem religioſum redire, non eſt Apoſtata; ratio eſt, quia per aſſumptionem ad Epiſcopatum fuit exemptus ex diſpenſatione Papæ à jugo religionis; quæ diſpenſatio non ceſſat, tametſi poſtea renuntiet Epiſcopatui: ratio eſt, quia diſpenſatio eſt annexa dignitati, ſeu characteri Epiſcopali, qui cùm ſit indelebilis, perſeverat etiam poſt renuntiationem.

13 Quòd ſi Epiſcopus Regularis propter culpam deponeretur ab Epiſcopatu, ſententia perquam probabilis eſt, quòd teneretur tunc redire ad ſtatum ſuum religioſum, quia tunc per depoſitionem redditur indignus privilegio ſuæ dignitatis, ut notant Sylveſter *V. Religio 4. in fin.* Lezana *tom. 3. V. Apoſtata n. 7.* quamvis Sanchez *lib. 6. moral. c. 6. n. 29.* contrariæ ſententiæ adhæreat. Quòd ſi crimen ab Epiſcopo commiſſum eſſet ita enorme, ut mereretur degradari, tunc per talem degradationem privaretur omnibus privilegijs conceſſis Epiſcopo ratione dignitatis, proinde etiam privilegio exemptionis, & teneretur redire ad ordinem ſuum religioſum. Quòd verò ad pœnas attinet jure ſtatutas contra Apoſtatas à religone, de illis fusè tractant Miranda in *manual. Prælat. tom. 1. q. 11. cap. 2.* Menochius *de arbit. jud. caſ. 546. n. 30.*

14 Prima igitur pœna, quâ punitur Religioſus Apoſtata, qui temerè habitum relinquit, & dimittit, tametſi ſine animo apoſtatandi, eſt excommunicatio, ut deſumitur ex *c. ut periculoſa ne Clerici, vel Monach. in 6.* & docet Suarez *de cenſur. diſp. 23. ſect. 4.* Temeraria autem dimiſſio habitus religioſi dicitur, quando fit ſine rationabili cauſa, & ex contemptu regulæ, ſeu Ordinis religioſi non obſtante prohibitione cognita; ſive dimiſſio hæc temeraria fiat in perpetuum, ſive ad tempus ad finem liberiùs vagandi. Putat Navarrus *c. 27. n. 131.* & cum ipſo Rodriquez *tom. 2. quæſtionum regularium. q. 77. art. 6.* habitûs dimiſſionem propriè eſſe, quando mutatio fit in alium habitum ad ſe occultandum, vel incedendum tali modo; adeò ut non afficiatur excommunicatione, qui ſe veſtibus ſpoliat, ut dormiat, vel eas reſarciat, vel ut ſtudeat, aut ludat, quia tunc Religioſus non dicitur habitum dimittere ad ſe occultandum, præſertim ſi id faciat per breve tempus, ut per ſpatium unius, vel alterius horæ, ut notant Sanchez *lib. 6. moral. c. 8. num. 55.* & Diana *p. 5. tract. 5. reſolut. 61.* Quòd ſi Religioſus per unam, vel alteram horam habitum religioſum dimitteret, ut incognitus poſſet liberiùs divagari ad committendum peccatum aliquod, tunc ratione brevitatis temporis non excuſaretur ab incurrenda excommunicatione, quia gravitas hujus delicti non tam penſatur ex temporis duratione, quàm ex fine, præſertim cùm ipſa dimiſſio habitûs ſit per ſe gravis, & ſufficiens ad peccatum mortale. Tum quia profeſſi Religioſi temerè dimittentes habitum ſuæ Religionis excommunicantur.

15 An verò, ſi Apoſtata à religione habitum religioſum non dimiſerit, incurrat excommunicationem? reſpondent plures negativè, quia hanc excommunicationem tantùm incurrunt, qui temerè habitum abijciunt etiam ſine animo apoſtatandi, ſeu ſine intentione deſerendi omninò religionem; ex quo conijcitur, quòd apoſtaſia impertinens ſit ad hanc excommunicationem incurrendam: & in jure nullibi reperitur excommunicatio lata in Apoſtatas non dimittentes habitum, quod ſanè argumento eſt ob ſolam apoſtaſiam non incurri excommunicationem.

16 Quòd ſi dicas, finem excommunicationis eſſe ſubtrahere occaſionem vagandi Religioſis. Reſpondetur, id non obſtare, quia finis illius excommunicationis non eſt quælibet occaſio vagandi, ſed illa, quæ oritur ex habitûs dimiſſione: hæc autem occaſio ceſſat, quando habitus religioſus retinetur, quia tunc Apoſtatæ ex ipſo habitu poſſunt facilè cognoſci, & capi, ut ad ſuum religioſum ordinem revertantur. Cæterum Apoſtatæ excommunicantur per ſpecialia privilegia conceſſa aliquibus religioſis Ordinibus, adeò ut religioſus Apoſtata, quamvis habitum ſuum religioſum retineat, adhuc incurrat excommunicationem; ut etiam is, qui illum recipit, occultat, aut defendit, ídque ex privilegijs Regularium; quia in corpore juris communis licèt talis religioſus poſſit, & debeat apprehenſione corporali, vel alijs medijs deficientibus per cenſuras eccleſiaſticas cogi redire ad religionem, ut habetur in *c. quando de offic. Ordinar. & c. ult. de regul.* nihilominus ipſo facto ante ſententiam Judicis, ſi habitum religioſum retineat, non incurrit Apoſtata excommunicationem, nec ejus Fautores, cùm id in jure expreſsè non habeatur: & quia particularia privilegia conceſſa aliquibus ordinibus religioſis paucis ſunt nota; ſequitur, quòd plerumque ignorantia excuſet à tali excommunicatione *argu. c. 1. & 2. conſtit. in 6.* in jure enim tantùm habetur, quòd Religioſi temerè dimittentes habitum ſuæ religionis ipſo facto incurrant ſententiam excommunicationis, quæ tamen non eſt de reſervatis.

17 Rurſus quamvis in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de Regular. c. 9. in fin.* prohibeatur, ne alicui Regulari detur licentia occultè ferendi habitum ſuæ religionis, & id extendatur etiam ad eum caſum, quo Religioſus vellet habitum ſuæ religionis cooperire habitu clericali *cle-*

ment. 2. de vit. & boneſt. cleric. c. 2. nihilominus cùm hæc lex ſit tantùm humana, non obligat cùm gravi vitæ diſcrimine, & corporis periculo: proinde condemnandi non videntur Religioſi, qui pertranſeuntes loca hæreticorum, vel infidelium, ubi ipſis periculum imminet vitæ, occultè ſerunt habitum ſuæ religionis, vel etiam omninò deponunt neceſſitate coacti.

18 Alia pœna contra Apoſtatas in jure ſtatuta eſt, ut Monachus in Apoſtaſia ordinatus, quamvis poſtea fuerit ſuo Prælato reconciliatus, & pœnitentiam egerit, non tamen poſſit miniſtrare in illo ordine ſuſcepto ſine diſpenſatione ſummi Pontificis, ut habetur *in c. conſultationi 6. & fin. h. t.* ubi Honorius III. conſultus de Monacho, qui ſacrum ordinem in apoſtaſia receperat, reſcripſit, quòd licèt ſuo fuerit reconcilietus Abbati, & receperit pœnitentiam; abſque diſpenſatione Romani Pontificis non poſſit in ſuſcepto Ordine miniſtrare, quia diſpenſare, ut ordinatus in apoſtaſia miniſtret in ſuſcepto Ordine, eſt reſervatum tantùm Papæ *c. excommunicamus de heret, c. penult. & ult. de filijs Presbyteror.*

19 Sunt tamen qui cenſent, eum, qui durante apoſtaſia nonniſi minores Ordines ſuſcepit, etiam incurrere hanc ſuſpenſionem, quâ prohibentur miniſtrare in ſuſceptis Ordinibus; licèt doceant poſſe Epiſcopos diſpenſare in eorum uſu, eò quia Papa non ſibi reſervet diſpenſationem, niſi quoad Ordines ſacros. Sed alij probabiliùs docent, Apoſtatam non incurrentem aliam cenſuram, & poſſe promoveri ad minores Ordines, & eorundem etiam recipere executionem; eò quia in jure tantùm prohibeatur Apoſtatis recipientibus ſacros ordines, uſus, & exercitium eorundem, & diſpenſatio reſervatur Papæ: unde ſine textu, & efficaci ratione non debet id extendi ad ſuſcipientes in apoſtaſia ordines minores. Quòd ſi Apoſtata aliam incurriſſet cenſuram, ut excommunicationem ob regularem habitum temerè dimiſſum; tunc ſi in excommunicatione minores ordines ſcienter ſuſcepiſſet, ſuſpenſus eſſet ab exercitio Ordinis ſuſcepti, ut habetur in *c. cum illorum 32. de ſent. excommun.*

§. III.

De Reiterantibus Baptiſmum, eòrúmque pœnis.

1 Pertinet textus ad ſecundam partem præſentis Rubricæ, quæ eſt de Iterantibus Baptiſmum. Sunt enim quidam hæretici, qui Anabaptiſtæ dicuntur: hi hominem ſemel in infantia baptizatum, in profectiore ætate, ubi poſſit ipſe fidem profiteri, iterum rebaptizant, quod grave eſt ſacrilegium, & crimen: quia Eccleſia ſæpiùs definivit, baptiſmum ſemel ritè collatum non eſſe reiterandum; & ratio eſt, quia cùm baptiſmus characterem imprimat ſuapte natura indelebilem, ſi ſemel baptiſmus ritè collatus ſit, imprimit tunc characterem indelebilem, proinde non poteſt baptiſmus ampliùs iterari, ut definivit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 7. can. 9. de Sacrament. in genere*, & *can. 11. de baptiſmo.* Hinc variæ ſtatutæ ſunt pœnæ tam in jure civili, quàm canonico contra reiterantes baptiſmum. Jure civili Epiſcopi rebaptizantes deponuntur, & tam hi, quàm qui ſcienter rebaptizari ſe patiuntur, privantur teſtamenti factione, & amittunt jus donandi, & exilio cum mulcta decem librarum auri, vel capite puniuntur *l. 1. 2. & 3. C. ne ſanctum baptiſma*, ut notat Cothofridus *ad tit. C. Theodos. ne ſanctum baptiſma.* Jure autem canonico non ſolùm qui ex hæretica pravitate id faciunt ijsdem, & alijs hæreticorum pœnis ſubijciuntur, verùm etiam rebaptizatis communio denegatur *c. eos. de conſecrat. diſt. 4.* Hinc Syricius in Synodo Romana *epiſt. 4. c. 8.* ait: *Venientes à Novatianis, vel Montenſibus per manûs impoſitionem ſuſcipiantur præter eos, quos rebaptizant.*

Pœnæ igitur in jure ſtatutæ contra reiterantes baptiſmum ſunt. Primò ut fiant irregulares, adeò ut ad ſuperiores ſaltem ordines promoveri non poſſint; hinc qui alterum ſciens, vel per ignorantiam craſſam, & mortaliter culpabilem iterum baptizat, abſolutè fit irregularis, ut hebetur *in c. final. 50. diſt. c. Aphroſ. 96. diſt. c. confirmandum 64. 50. diſt.* ubi dicitur: *Presbyter, vel Diaconus depoſitus ob crimen non revertetur ad clerum, ut nec rebaptizatus*: & *in can. 27. C. Eccleſia Afric.* dicitur, *ut rebaptizati ad clericatûs gradus non promoveantur*, & Felix Pontifex in Romana Synodo anno 487. cujus acta extant *tom. 2. Concilior.* ait: *Communis dolor, & generalis eſt gemitus, quòd intra Africam rebaptizatos etiam Epiſcopos, Presbyteros, Diacanóſque cognovimus.* Non tamen hæc irregularitas incurritur niſi præcedente delicto, adeò ut excuſetur quis ab incurrenda hac irregularitate, ſi ob ignorantiam excuſetur à culpa, ut docet Suarez *diſp. 42. de cenſur. ſect. 1.* 2

Quòd ſi aliquis permitteret ſe exteriùs iterum baptizari, ita tamen ut intentionem ſuſcipiendi baptiſmum non haberet, non incurreret irregularitatem, quia illa non dicitur formalis reiteratio baptiſmi ex parte ſuſcipientis, & cùm irregularitas hoc in loco ſit pœna, reſtringi debet ad formalem rebaptizationem: qua ratione nec infans rebaptizatus incurrit irregularitatem *c. placuit 1. q. 4.* quia infantes carent omni voluntatis judicio. 3

Neque oppoſitum docuit Felix III. *in epiſt. 6.* quam refert Ivo Carnotenſis *p. 1. decreti c. 293.* ibi: *Nequaquam qui in qualibet ætate alibi, quàm in Eccleſia catholica baptizati ſunt, aut rebaptizati ad eccleſiaſticam militiam prorſus permittantur accedere.* Ex eo enim, quòd Pontifex dicat in qualibet ætate, cenſent aliqui comprehendi etiam infantes. Sed contra, quia Felix tantùm fuit locutus de illis, qui doli erant capaces, & hos prohibuit promoveri ad ordines eccleſiaſticos, ſeu militiam eccleſia-

cleſiaſticam, ſi baptizari ſe, vel rebaptizari permiſerint ab hæreticis, ut docuerunt Gloſſa *in c. in qualibet 1. q. 7.* & Gaballinus *in d. c. 5.* idque ex eo etiam ſuadetur, quia Felix III. epiſtolam illam ad Africanos Epiſcopos ſcripſit in cauſa eorum, qui in perſecutione Hunnerici Regis lapſi ab Atrianis rebaptizati fuerant, & poſtea reſtituta Eccleſia priſtinæ tranquillitati à Gundebundo in catholicam communionem recipi poſtulabant anno 487. cùm jam Africani Epiſcopi ob ſimilem cauſam rebaptizatorum à Donatiſtis in Concilio Carthaginenſi diſputâſſent anno Chriſti 397. & in alia Syndodo Carthaginenſi coacta ab Aurelio ejusdem Urbis Epiſcopo anno 400. ſtatuerint, ut parvuli apud Donatiſtas baptizati, nondum ſcire valentes erroris eorum interitum, minimè impedirentur, quo minus poſſent ad ſacros ordines promoveri, ut notat Emanuel Gonaales *lib. 5. de præt. tit. 9. c. 2.* quamobrem non videtur vero ſimile prædictum Papam contrarium poſtea ipſis Epiſcopis præſcripſiſſe, præſertim cum in ſua epiſtola non intendat jus ullum novum condere, ſed tantùm antiquum confirmare, quapropter iteratio baptiſmi irregularitatem inducit: licèt enim ſecundus baptiſmus, ob cujus ſuſceptionem quis efficitur irregularis, non ſit ſacramentum, quia tamen per ipſum injuria fit priori baptiſmo, quaſi eſſet inſufficiens, & fidei; ideo ſecundo baptiſmo annexa eſt à jure irregularitas.

5 Hæc autem irregularitas, ut incurratur, non ſolum debet delictum ſupponere, ſed etiam delictum publicum, & notorium, ut docet Layman *lib. 1. tractat. 5. p. 5. c. 2. n. 1.* tametſi non deſint, qui cenſeant ad incurrendam hanc irregularitatem ſufficere delictum occultum; verùm id nullo jure probatur, quia in *c. ex litterarum 2. h. t.* id expreſſum eſt de miniſtrante rebaptizanti, proinde procedit etiam de rebaptizante, quia uſus, & conſuetudo hanc pœnam etiam intelligit de rebaptizante: etenim *in d. c. ex litterarum* habetur: quòd cùm quidam diu æger ſortilegarum mulierum ſuaſu pro ſanitate recuperanda reiterâſſet baptiſmum, eique Acolythus quidam adſtitiſſet, conſultus Alexander III. reſcripſit, quòd quando aliquis Acolythus in minore ætate miniſtravit ſacerdoti rebaptizanti, ſi peccatum ſit occultum, poteſt promoveri ad ſuperiores Ordines, dummodo agat pœnitentiam de peccato, ſin autem peccatum ſit publicum, non poteſt promoveri, niſi fiat Religioſus, & in favorem Religionis cum illo diſpenſetur: ubi notat Gloſſa, minorem ætatem non excuſare in totum, ſed ut delinquens mitiùs puniatur *c. pueris de delict. puer.*

6 Rurſus *ex d. textu* colligitur, irregularitatem conſurgentem ex proprio delicto non tolli per ingreſſum Religionis, ſed tantùm cum delinquente diſpenſari in favorem Religionis; & illam, quæ non oritur ex delicto proprio, tunc tolli, adeò ut ſine diſpenſatione poſſit ordinari, ſed non ad dignitatem, ut habetur *in c. in quibusdam de pœn. c. 1. de filijs Presbyteror.* Quòd ſi quis alium rebaptizet non abſolutè, ſed ſub conditione, ſi non eſt baptizatus, quamvis non præmiſſa inquiſitione, an baptizatus fuerit, non contrahit hanc irregularitatem: ratio eſt, quia conditio de præſenti, vel præterito appoſita, ſi ſubſit, impedit actum rebaptizandi, ne de facto ſecundus baptiſmus ſequatur.

Tum quia rebaptizans ſub conditione, non habet intentionem iterandi baptiſmum, ſed tantùm ponendi primum baptiſmum ex ſuppoſitione, ſi non fuerat antea poſitus: actus autem agentium liberorum non operatur ultra eorum intentionem, proinde cùm rebaptizans non intendat efficere ſecundum baptiſmum, ſed tantùm primum, ſi non ſit poſitus, non ponit ſecundum baptiſmum, conſequenter non incurrit irregularitatem, quæ cum in præſenti titulo imponatur ut pœna adnexa ſecundo baptiſmo; ubi non ponitur ſecundus baptiſmus, nec ibi ponenda eſt irregularitas, quia leges pœnales non aliter intelliguntur, quàm cum effectu, adeò ut ſi alicui delicto injuncta ſit pœna aliqua, hæc non contrahatur, niſi delictum ſit conſummatum cum toto ſuo effectu. Immò probabilius eſt, neque hanc irregularitem contrahi ab ignorante ſe jàm fuiſſe baptizatum, dummodo non ſit ignorantia craſſa, & culpabilis, ſed juſta, & probabilis, ut notàt Covarruvias *in clement. ſi furioſus in relect. 1. p. n. 7.* quia hujusmodi irregularitas, ut dixi, imponitur ut pœna, & propter delictum, conſequenter ubi nullum eſt delictum, ſeu culpa, nulla eſt irregularitas. Præterea quia quod neſcitur eſſe factum, non poteſt cenſeri eſſe iteratum: quia iterari eſt bis fieri, & qui neſcit, an primò factum ſit, non poteſt ſciri, an ſecundò fiat, quia ſcientia in ordine ad ſecundum regulatur juxta ſcientiam in ordine ad primum. Demum quia irregularitas, cùm ſit pœna, non incurritur niſi propter peccatum, & ubi eſt ignorantia juſta, & probabilis, ibi non eſt peccatum, conſequenter ignorans nequit irregularitatem contrahere. 7

Non ſolùm rebaptizantes, ſed etiam miniſtrantes rebaptizantibus irregularitatem contrahunt, ſive ſint Acolythi, ſive Diaconi, ſive Subdiaconi proprio fungentes munere, adeò ut ob contractam irregularitatem prohibeantur ad ordines ſuperiores aſcendere, ut Alexander III. reſcripſit ex *c. litterarum 2. h. t.* Debet tamen hoc delictum eſſe publicum, & notorium, quia ſi ſit occultum, non impedit, quo minus poſſit quis etiam ſine diſpenſatione promoveri ad Ordines ſuperiores. Rurſus irregularitas, quæ incurritur à miniſtrante rebaptizanti, non eſt totalis, ſed tantùm partialis, ut ad ſuperiores ordines promoveri non poſſit; quinimmo ad hanc partialem irregularitatem contrahendam requiritur etiam, ut quis per dolum, vel latam culpam, hoc eſt ſcienter, vel ſaltem per craſſam ignorantiam miniſtraverit rebaptizanti, quia cum irregularitas hic ſit pœna, debet culpam ſup- 8

ponere. An verò ignoranter rebaptizatus, ſi poſtea ſcienter ratum habeat ſecundum baptiſmum, fiat irregularis? Reſpondent communiter negativè, quia quamvis ratihábitio comparetur mandato quoad culpam, non ita quoad pœnam juris, niſi exprimatur. Cæterum in hac irregularitate orta ex rebaptiſmo ſolus Romanus Pontifex diſpenſat.

9 Quòd ſi quis perſæpe rebaptizaretur totidem irregularitatem incurreret, quot vicibus baptiſmum iteraret. Ratio eſt, quia quoties multiplicatur culpa, ob quam imponitur pœna, toties ſimilis pœna incurritur. Hinc ſi quis poſt ſemel iteratum baptiſmum pœnitentiam ageret, & diſpenſationem ab hac irregularitate obtineret; ſi poſtea baptiſmum iteraret, adhuc iterum incurreret irregularitatem; quia rebaptizatio non ſolùm dicitur ſecunda reiteratio baptiſmi, ſed tertia, & quarta, & aliæ ſequentes ad ipſas *argu. l. 1. ff. de vulgar.* E converſo ſi quis per errorem rebaptizatus, eò quia crediderit, ſe antea fuiſſe baptizatum, cùm revera nondum ſuſceperit verum baptiſmum, eò quia primus baptiſmus non fuerit validus, irregularitatem non incurreret: quia tametſi putaret ſe ſecundum baptiſmum ſuſcipere, in re tamen non ſuſcipit ſecundum baptiſmum, eò quia primus fuerit nullus, nihil enim refert, quòd habuerit animum ſe rebaptizandi, ſi verè, & realiter non fuerit rebaptizatus, quia irregularitas à jure non imponitur niſi reiterantibus ſecundum baptiſmum cum ſuo effectu.

§. VI.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quaſtiones.

1 Quæritur primò, quot modis poſſit eſſe Apoſtaſia? Reſpondetur, tribus modis poſſe apoſtaſiam contingere. Primò mentaliter cùm quis ſola mente recedit à fide catholica, & is non contrahit pœnas juris, quia Eccleſia non punit ob delictum purè internum, non enim hoc pertinet ad forum fori, ſed tantùm ad forum poli, ſeu conſcientiæ. Secundò, quando quis exteriùs verbis, & factis fidem catholicam quidem deſerit, ſed non coram pluribus, & tunc procedendum eſt cum diſtinctione; vel enim tale crimen apoſtaſiæ eſt penitus occultum, adeò ut nemo illud noverit niſi fortaſſis unus, vel alter; vel eſt manifeſtus, ſeu pluribus notum; quidquid dicant alij, putarim utroque modo ſemper Apoſtatam incurrere excommunicationem: ratio eſt, quia ſemel quòd delictum externè verbis, vel factis proditur, per ſe eſt manifeſtum, eò quia ſuaptè natura, ratione verborum, vel factis, eſt quid ſenſibile: quòd verò non innoteſcat alijs, id tantùm per accidens ſe habet, quia ſuaptè natura id delictum habet, ut poſſit innoteſcere, & Eccleſia cuilibet delicto ſuaptè natura manifeſto poteſt pœnam injungere, adeò ut pœna incurratur, eo ipſo quòd tale delictum committitur exteriùs, tametſi nullus alius ſit præſens, cui innoteſcat, quia eccleſia non conſiderat ea, quæ per accidens ſe habent, ſed quæ per ſe, & ex natura ſua ſunt talia. Tertiò, poteſt quis eſſe Apoſtata tam internè, quàm externò, adeò ut deſciſcat à fide catholica non ſolùm mente, ſed etiam facto, & is nulli eſt dubium, quin incurrat pœnas juris.

Quæritur ſecundò, an Apoſtata tantùm exterior excommunicationem incurrat, ſi metu pœnarum, vel mortis imminentis à fide deficiat facto externo, non verò animo, & mente? Reſpondent aliqui, talem contrahere excommunicationem à jure Apoſtatis, & hæreticis irrogatam. Primò, quia Eccleſia eum tanquam Apoſtatam punire conſuevit. Secundò, quia Eccleſia pœnas inſtituit ob exteriora crimina, eò quia jus habeat cognoſcendi, & vindicandi externa delicta. Tertiò, quia ſi Eccleſia excommunicationem ferret in fures, & adulteros, ſatis eſſet ad illam contrahendam opus exteriùs ſcienter factum. Nihilominus communior, & verior ſententia eſt, eum in foro conſcientiæ non contrahere excommunicationem, quam incurrunt hæretici, & Apoſtatæ, licèt in foro exteriori damnandus eſſet ut Apoſtata, & ut talis puniendus: ratio primæ partis eſt, quia nemo eſt Apoſtata niſi ſcienter, & ſpontè, ſeu liberè animo, & voluntate à fide, & religione catholica diſcedat. Ratio ſecundæ partis etiam eſt probatu facilis, quia eccleſia jodicat non juxta ea, quæ quis mente volvit, ſed quæ factis, vel verbis exteriùs prodit: quia cùm præſumatur quis ea exteriùs prodere, quæ interiùs habet in mente, ideò ptobabiliter credit Eccleſia, eum mente, & animo à fide receſſiſſe. Hac ratione vindicat etiam delicta exteriora; vel quia ſunt peccata, quæ opere, & facto externo complentur; cujuſmodi ſunt homicidium, ſacrilegium, apoſtaſis: vel quia probabiliter judicat, voluntate, & animo delinquere eos, qui ſcienter exteriùs aliquid admittunt contra fidem catholicam. 2

Quæritur tertiò, an Apoſtata rediens ad fidem, & religionem catholicam ex animo, recipi debeat, vel potiùs puniri capitis amputatione? Sunt qui cum Arrelatano in *tractat. de heret. not. 44.* putant, Apoſtatæ non eſſe indulgendum, ſed eum eſſe morte mulctandum, eò quia id ſit juxta jus civile, cui non adverſatur jus canonicum. Sed contra, quia quod ad pœnas attinet Apoſtatæ, jus canonicum non convenit cum civili: ſiquidem in jure civili in *l. Hi qui ſanctam C. de Apoſtat.* ſtatutum eſt ab Imperatoribus Theodoſio, Valentiniano, & Arcadio, ne unquam ſtatui priſtino Apoſtatæ reſtituantur, nec eorum flagitium pœnitentiâ unquam obliteretur. Secus jus canonicum quoslibet Apoſtatas, ſi verè reſipiſcant, eóſque commiſſi peccati pœniteant, benignè redeuntes ad eccleſiam recipit: ſiquidem Concilium Elibertinum *can. 46. de Apoſtat.* ait: *ſi quis fidelis Apoſtata per infinita tempora* 3

ad

ad Eccleſiam non acceſſerit, ſi tamen aliquando redjerit, nec fuerit Idololatra, poſt decem annos placuit eum ad communionem admittere. Cùm verò apoſtaſia ſit crimen eccleſiaſticum, debemus de eo judicare potiùs juxta canones, & decreta Eccleſiæ, quàm ex præſcripto juris civilis. Secundò jus civile *l. eos, qui C. Apoſtat.* conſtituit, Clericos, & Monachos, qui celicto orthodoxæ religionis cultu ſunt in hæreſin lapſi, repellendns omnino eſſe extra Romani Imperij ditionem. Secus jns canonicum jnbet in clericos, & Monachos, imò etiam in laicos hæreticos ſolos jndices eccleſiaſticos inquirere *c. ut inquiſitioni de haret. in 6.* quamobrem liquet, Apoſtatas ad fidem, & religionem cetholicam ex animo redeuntes eſſe ſuſcipiendos.

4 Quæritur quartò, an Religioſus Clericus Apoſtara incurret dupliciter pœnas juris? Reſpondetur affirmativè, quia cùm deſerat religionem, & clericatum eſt bis, ſen dupliciter Apoſtata, nimirùm ratione deſertionis religionis, & clericatùs, proinde incurrere pœnas apoſtaſiæ à religione, & apoſtaſiæ à clericatu, quæ pœnę deſignantur in Concilio Tridentino, & jure canonico. Quòd ſi ſolam religionem deſereret, & non clericatum, ot ſi ex religioſo fieret Clericus ſæcolaris, tunc tantùm incurreret pœnas apoſtaſiæ à religione, non à clericatu, nt notat Lezana *tom. 3. ſum. V. Apoſtata. n. 24.* Religioſus antem Apoſtata non gaudet privilegijs ſuæ religionis, ſi habitum dimittat prætendens irritam eſſe profeſſionem; ſiqoidem æqoum non eſt, ut privilegijs gaudeat illius ſtatûs, quem deſerit, & à quo abhorret. Idqne procedit non de quibuscunqne Apoſtatis, ſed de ijs tantùm, qui recedunt à celigione abijcisntes hebitum, & prærendentes profeſſionem eſſe nullam: ratio eſt, qnia cùm hujnsmodi decretum ſit pœnale, non debet extendi ed alios Apoſtatas, io quibus hujusmodi conditiones non concurrunt. Rurſns quia cum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 19. de Regularibus.* loqnatur per verbum futuri temporis, requiritur ſententia judicis, ut pœna incnrratur.

5 Quæritur quintò, an Apoſtata fugitivus à religione poſſit à ſuo ſuperiore ubique capi? Reſpondetur affirmativè etiam extre Monaſterium, & territorium: ratio eſt, quia poſſeſſor alicnjus rei poteſt eam ſibi vindicare, ubicunque eam invenerit: ſed Religioſus eſt ſub poteſtate, & poſſeſſione ſui ſuperioris; ſiquidem per ſolemnem profeſſionem ſe ipſum ei tradidit: hinc Carmelitis conceſſe ſunt privilegia, nt ſuos Apoſtatas capere poſſint etiam in orbe Romana; proinde ſuperiores religionum hac in re conſulere poſſunt privilegie, vel directè conceſſa ſuæ religioni, vel indirectè per communicationem, & perticipationem, uc notat Sanchez *lib. 6. moral. c. 8. n. 33.* & Navarcus *comment. 3 de Regul. n. 50.* Immo id etiam procedit, quando Religioſi Apoſtatæ, & fugitivi ab Epiſcopis detinentor ob conſtitutionem Pij V. quæ incipit, *& ſi mendicantium:* ſiquidem qni debent alijs perpetuam obedientiam, poſſunt de manibus qoorumcunqun capi, immo id etiam procedit, non ſolùm qnando Religioſus exijt è Monaſterio, ac fugit ſine licentia, ſed etiam quando exivit cnm licientia ſui ſuperioris per certum terminum, quem poſtea eſt transgreſſus, ut notet Lezana *in ſum. tom. 1. c. 16. n. 16.*

Quæritur ſextò, an Apoſtatæ, vel fugitivo à religione debeantur alimente? Reſpondetur negativè, quia Apoſtata, vel fugitivus eo ipſo, quòd aufugit à ſuo ordine religioſo, privatur jure alimentorom, quæ religio ei ſuppeditâſſet. Ratio eſt, quia frangenti fidem, non eſt fides ſervanda: etqui Apoſtata, vel fugitivns fidem frangit, quâ obedientiam, & obſequium fuerat religioni pollicitns, proinde non tenetur religio, & Monaſterium eidem fidem ſervere, qnâ ſe ad ipſum alendum, & ſuſtentandum obſtrinxerat. Hinc Monaſterium non tenetur ſolvere debita Apoſtatarum, vel fugitivorum; quia Monachus in jure quæſito poteſt Monaſterio prodeſſe, non verò obeſſe: quapropter Monaſterium non tenetur ſolvere debita ſui Religinſi Apoſtatæ, vel fugitivi, nec ſuccedit in obligationibus paſſivis, ſed tantùm in activis, & in juribus ntilibus. Non tamen Monaſterinm conſtituitur ad ſolvenda debita ab ipſis Monachis contracta; quia jus reſiſtit obligationibus ab ijsdem initis; licèt non reſiſtat ecquiſitioni dominij, quod per ipſos monaſterio poteſt obtingere. Verùm ſi id, ob quod debitum contractum fuit à Monacho, convsrſum ſit in ntilitatem ipſius Monaſterij, poſſunt tunc creditores exigere à Moneſterio, quæ ſibi à ſuis Apoſtatis debentnr; æquum ſiquidem eſt, ut qui commodum ſentit, debeat etiam ſentire incommodum, ut rectè notat Rodriquez *tom. 1. quaſtionum regul. q. 59. art. 11.* ubi addit, id etiam pcocedere de Minoribus regularis obſervantiæ, ſi ad ordinem reverſi alique bona ſecum detulerint, ex his enim debet Synodus horum Religioſorum debita cedeuntis Apoſtatæ extinguere, & ſatisfacere creditoribus, quia non eſt vero ſimile, velle ſedem Apoſtolicam ſibi arrogare dominium horum bonorum. 6

Quæritur ſeptimò, ad quem pertineant bona Apoſtatæ, vel fugitivi decedentis in ſæculo? Reſpondetur, jure antiqno hnjusmodi bona pertinuiſſe ad Monaſterium *c. Abbates 18. q. 2.* idque procedebat, quamvis Apoſtata deceſſiſſet in partibus remotioribus, quia ratione illius diſtantiæ non debuit jus monaſterij detrimentum pati. Hodie autem, & jure novo ob conſtitntionem Gregorij XIII. quæ incipit: *Officij noſtri* hojosmodi bone acquiruntur Cameræ Apoſtolicæ, ſive debeantur tali Religioſo Apoſtetæ ab inteſtato, ſive donatione, ſive elie ratione. Quòd ſi Religioſus non decedat in ſæculo, ſed trenſeat ad aliam religionem, tunc acquiſita poſt profeſſionem emiſſam in ſecnnda religione pertinent ad hanc ſecundam, ad quam transivit, qnia factus fuit ſubditus illius religionis ex ſnppoſitione, 7

tione, quòd legitimè ad illam tranſjerit. Sin verò illegitimè tranſivit, bona ipſius (ijs exceptis, quæ intuitu ſecundi Monaſterij acquiſivit) ad priorem pertinent religionem; quamvis fortaſſis ſecunda religio bona fide Apoſtatam, vel fugitivum receperit: ratio eſt, quia prima religio nunquam amiſit jus in præfatum religioſum, ut notat Sylveſter *V. religio 4. q. 10.* Molina *tom. 1. de inſtit. diſt. 144.* De rigore tamen juris Sedes Apoſtolica non ſuccedit in obligationibus, & debitis Apoſtatæ, ſed tantùm de æquitate, ut notat Navarrus *lib. 3. conſil. de Regul. conſil. 73. n. 3.* & ita videtur definiri in *c. Abbates 18. q. 2.*

8 Quæritur Octavò, an Apoſtata poſſit redire ad Religionem petendo admitti ut ſæcularis in Provincia ejuſdem Religionis, ubi tamen non eſt notus? Reſpondetur, Religioſum non poſſe tranſire ad aliam religionem niſi obtentâ licentiâ à ſuis ſuperioribus; unde tametſi tranſeat ad ſtrictiorem, adhuc tenetur petere licentiam, tunc enim licèt illam non obtineat, poteſt tranſire, quia id ei de jure conceditur, ut notant Gloſſa *in c. 2. V. Monachus 19. q. 3.* & *in c. intelleximus in fin. de ſtat. & qualit.* Innocentius ibidem *n. 2.* Hoſtienſis *n. 5.* & in *c. licet n. 9. & 15.* Et habetur etiam *in c. licèt de regularibus* ibi: *Debet tranſeundi licentiam poſtulare, ne bonum obedientia contemnere videatur*, loquitur ibi Pontifex de Religioſo, qui à laxiore ad ſtrictiorem cupit tranſire religionem. Ratio eſt, quia profeſſio religioſa eſt quidam contractus ſpiritualis inducens mutuam obligationem *c. porrectum. c. ad Apoſtolicam de Regular.* ut notat Gloſſa in *d. c porrectum V. non faciat*, ut etiam Abbas ibid. *n. 16.* quapropter nequit Religioſus ſine licentiâ ſe ſubtrahere ab obligatione aſſumpta inſerviendi religioni, in qua ſolemnè emiſit profeſſionem. Suppoſita igitur hac licentia reſpondetur, poſſe Religioſum validè profiteri in religione alterius Provinciæ, ſéque obligare religioni, perinde ac erat antea obligatus in alia Provincia: ratio eſt, quia ſicut validè emitteret profeſſionem, ſi ſuſciperetur ut tranſiens de alia ad illam religionem cum licentia ſuperiorum, eò quia hujuſmodi tranſitus de jure communi permiſſus ſit, ut notat Sylveſter *V. religio 4. q. 1. not. 2.* ita etiam in præſenti caſu, quia tametſi ſuſcipiatur ut ſæcularis, & liber, cùm revera ſit Religioſus; quia tamen obtinuit à ſuis ſuperioribus requiſitam à jure licentiam, perinde conſideratur, ac ſi liber omninò eſſet, idque virtute obtentæ licentiæ.

8 Quòd ſi dicas, talem eſſe Apoſtatam, & excommunicatum. Reſpondetur, fuiſſe tantùm Apoſtatam ante obtentam licentiam, non verò poſt; eo enim ipſo, quòd obtinuit licentiam à ſuis ſuperioribus tranſeundi ad aliam religionem, ceſſavit apoſtaſia, & excommunicatio; ſiquidem in tali actu petendi licentiam, & eam obtinendi intervenit virtualis reſtitutio, quâ ſe reſtituit religioni, & poſtea per conceſſam licentiam tranſeundi ad aliam ab ipſa dimittitur. Hinc ceſſante contumaciâ abſolvitur etiam ab excommunicatione, ut docent Sayrus *lib. 2. de cenſur. c. 9. n. 19.* Sanchez *lib. 5. ſum. c. 5. n. 36.* Paſqualigus *quæſt. moral. q. 295. n. 5.* Bordonus *de profeſſ. regul. c. 2. q. 36.* 9

Si dicas, talem tranſitum non oriri ex bono zelo, qui requiritur, ut tanſitus ſit permiſſus per *c. licet de Regul.*

Contra eſt, quia defectus hujus conditionis non irritat profeſſionem; ſiquidem hæc conditio non eſt neceſſaria pro valido tranſitu, ſed ut Prælatus teneatur concedere licentiam, alioquin intelligitur conceſſa à jure, ut deſumitur ex *c. licet de Regul.* 10

Quòd ſi dicas, validitati profeſſionis obſtare ignorantiam recipientium, qui ſi ſcivisſent, petentem admitti eſſe Religioſum Apoſtatam, eum non recepiſſent, vel ſaltem difficiliùs; quapropter admiſſio defectu intentionis videtur ſubreptitia, & irrita juxta *c. poſtulâſti de reſcript.* 11

Contra eſt, quia id tantùm procedit quoad ſummum Pontificem, eò quia jus ita ſtatuat, & etiam ſervatur de ſtylo Curiæ. Quod autem reſpicit ſummum Pontificem, id non debet extendi ad inferiores Prælatos. Præterea cùm Religioſus Apoſtata ſupponatur eſſe ejuſdem religionis, & tantùm petat admitti in alia Provincia ejuſdem religionis, ubi non eſt notus tanquam ſæcolaris, quamvis ſit Apoſtata, adhuc ſi id innoteſceret faciliùs à Religioſis alterius monaſterij ſuſciperetur, nimirùm ut religio ovem deperditam recuperaret. Cæterum pro hoc tranſitu requiritur licentia Prælati religionis, quia de jure ad ipſum pertinet, hujuſmodi licentiam concedere *c. licet de Regul.* Tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 19. de Regul.* ſolùm prohibet, ut nullus Regularis cujusvis facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem. Quamobrem Prælati Regulares poſſunt concedere licentiam ſuis Religioſis tranſeundi ad aliud monaſteriũ æqualis obſervantiæ ex juſta cauſa, & de conſenſu, ac licentia Capituli, ut notat Gloſſa *in c. cùm ſingula §. prohibemus V. canonic. de prebend. in 6.* Cum enim obligatio Religioſi ſit erga Prælatos religionis, & in tranſitu ad aliud monaſterium non ſolvatur obligatio religioſa tranſeuntis, ſed mutetur reſpectu unius ſuperioris ad alium, & remaneat æqualis obligatio in utroque monaſterio, cùm ambo ſupponantur ejuſdem religionis; ideò poterit Prælatus unius Monaſtrij cedere juri ſuo, & ſuum profeſſum Religioſum concedere alteri Monaſterio. 12

Quinimò ſi juſta ſubſit cauſa, non deſunt, qui cenſeant, poſſe Prælatum Religioſum licentiam impertiri tranſeundi ad aliam laxiorem religionem. Neque obſtat conſtitutio Pij V. cui initium eſt: *Quacunque ſacrarum*, in qua Pontifex prohibet ſuperioribus Regularibus recipere ad religionem alios regulares, jubétque receptos reſtitui ſuis ſuperioribus. Quia Pontifex tantùm diſponit de receptione, 13

quæ

quæ fit virtute privilegiorum, quæ in ſua conſtitutione revocat: non verò diſpônit de receptione, quæ fit ſecundùm jus commune, quia in dicta conſtitutione Pij V. dicitur *vigore hujuſmodi privilegiorum tantùm, ac præter juris communis diſpoſitionem:* atqui receptio, de qua eſt quæſtio, procedit ſecundùm diſpoſitionem juris communis ex juſta cauſa, & ea cognita.

15 Quæritur ſecundò, an retinentes Apoſtatas, ne redeant ad ſuam religionem, incurrant excommunicationem? Reſpondetur ex conſtitutione edita à Paulo IV. quæ incipit: *Poſtquam divina bonitas*, omnes, & ſingulos, qui Apoſtatas retinent, & auxilium præſtant, ne ad ſua revertantur monaſteria, incurrere excommunicationem, ſi poſtquam ab Ordinario loci, in quo degunt, admoniti non deſiſtant retinere Apoſtatas. Non tamen hujuſmodi excommunicatio eſt reſervata. Quinimò etiam alij Religioſi retinentes in ſuis monaſterijs Apoſtatas Ordinis Prædicatorum ex conſtitione Bonifacij, ſunt excommunicati.

Rurſus Prælati Religionum tenentur per ſe loquendo fugitivos, & Apoſtatas, ut etiam ejectos data occaſione, & opportunitate revocare, ſi ſpes affulgeat emendationis; ſiquidem ex officio, quo funguntur, ſubditorum ſaluti tenentur conſulere, ut deſumitur ex *c. ne Religioſi de Regular.* qui textus fuit etiam innovatus à ſacra Congregatione ex ſpeciali mandato Urbani VIII. qui innovavit decretum revocandi ſingulis annis fugitivos, & ejectos. Pœna autem injuncta transgreſſoribus hujus decreti eſt privatio ab omnib' officijs, quæ tunc obtinebant, & à voce activa, & paſſiva cum perpetua inhabilitate, & hæc pœna eſt reſervata Sedi Apoſtolicæ. Interdicta etiam fuit poteſtas ſuperioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus eam moderandi, ſeu relaxandi, & ſtatuitur irritum quidquid ſecus factum fuerit ex declaratione ſacræ Congregationis anno 1624 die 21. Septemb. apud Bonacinam *de clauſura q. 2. punct. 11. §. 2.* 16

TITULUS X.

De his, qui filios occiderunt.

CUm in præcedentibus titulis Pontifex de ijs egiſſet criminibus, quæ principaliter in DEUM committuntur, ut conſequenter procedat, incipit nunc agere de illis delictis, quæ principaliter tendunt ad lædendum proximum, quibus corpus, vel vita, aut pudicitia, vel torus offenditur, vel bona mobilia, vel immobilia ſurripiuntur. Delicta primi generis ſunt varia homicidia, quæ in filios, ſeu deſcendentes, vel in parentes, ſeu aſcendentes committuntur, & generali nomine dicuntur parricidia.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Trium Capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

C. VENIENS 1. h. t. Alexander III. declarat, mulierem, quæ ſpontè, licèt ex iracundia filium occidit eſſe inducendam, ut in Monaſterio agat perpetuam pœnitentiam: & ſi nolit ad id induci, & timeatur de incontinentia, concedit Pontifex, ut poſſit nubere petita priùs licentia ab Ordinario. Ex quo textu colligitur interfectionem filij eſſe impedimentum matrimonij non quidem dirimens, ſed impediens, adeò ut ſine diſpenſatione contrahi non poſſit, quia Pontifex mandat, ut Epiſcopus priùs ſuadeat tali mulieri, ut monaſterium ingrediatur: quòd ſi nolit, & timeatur incontinentia, poſſit cum ipſa diſpenſare, ut nubat, eò quia meliùs ſit nubere honeſtè uni ſoli, quam inhoneſtè multos admittere. Sin verò non eſſet præſumptio de incontinentia, non datur facultas nubendi propter ſuum crimen in adoleſcentia 23. q. 2.

C. INTELLEXIMUS 2. h. t. Lucius III. reſcribit Epiſcopo Pariſienſi mulierem, quæ occidit filios non eſſe ſeparandam à ſuo viro, ut poſſit gubernare alios filios, ſed teneri agere aliam pœnitentiam, & ita ſe gerere, ut conſulatur alijs filijs, etiam ſi juràſſet ſeparationem à viro, quia ut notat Gloſſa, eſt illicitum juramentum c. tua nos de jurejur *quia vinculum matrimonij eſt indiſſolubile, & quos DEUS conjunxit, homo ſeparare non debet c. 2. 33. q. 2. Hinc hæreſis, & infidelitas ſeparant conjuges à cohabitatione, non à matrimonio.*

C. DE INFANTIBUS 3. h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi reperiantur infantes mor-

tui in lecto, & neſciatur, an à patre, vel matre fuerint oppreſſi, vel etiam naturaliter mortui, parentes non debeant eſſe omninò tuti, ſed debeant agere aliquam pœnitentiam ad arbitrium Superioris. Sin verò ſint certi, quòd ipſi eos ſuffocaverint, graviter deliquerunt, & debent agere pœnitentiam ſecundùm aliquos trium annorum, quorum unum in pane, & aqua. Unde hujuſmodi parentes debent conſcientiam ſuam conſulere, ſi enim debitam cautelam adhibuerunt, ne infantes opprimerent in lecto, culpâ vacant, nec pœnam merentur niſi ad cautelam in foro externo ad evitandam cauſam ſcandali. Cæterum quòd in fine textus addatur, ex quorundam ſententia pœnam debere eſſe trium annorum, & unum ex illis peragendum in pane, & aqua, de illo intelligendum eſt, qui culpabiliter infantes ſuos ſecum cubantes opprimunt. Verùm uſu hujus pœna videtur hodie abolitus.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit Parricidium.

1 IN hoc titulo tria tantùm continentur capitula, in quorum primo Alexander III. cùm mulier veniens ad ipſum confeſſa eſſet, quòd filium ex quodam ſuſceptum, qui ipſi improperabat filium ſuum non eſſe, ex iracundia interfecerit, juſſit Pontifex, ut Epiſcopus eam induceret ad ingreſſum Monaſterij, ut in illo perpetuam pœnitentiam ageret, quòd ſi ad id nollet induci, & timeretur de incontinentia, mandat, ut eidem concedat licentiam nubendi, eò quia tutiùs ſit, ut in Domino nubat uni ſoli, quàm inhoneſtè multos admittat. Ex quo textu colligitur, interfectionem filij eſſe impedimentum matrimonij non quidem dirimens, ſed impediens, ut ſine diſpenſatione licitè non poſſit contrahi, ut notat Farinacius *p. 5. prax. crim. q. 120. num. 19.* proinde Pontifex mandat, ut Epiſcopus interfectionem priùs inducat ad ingreſſum Monaſterij, & ſi nolit ingredi, tunc primùm diſpenſet. Rurſus calorem iracundiæ non excuſare à culpa, & pœna, niſi superveniat furor impediens rationem liberi, & non percipiens quid agat, ut notat Barboſa *in collectan. n. 2.*

2 Hæc tamen conſtitutio Alexandri III. tantùm procedit in foro poli, ſeu conſcientiæ, in quo imponitur pœnitentia occidenti filium, ut ſatisfaciat DEO læſo: ſiquidem in foro fori, ſeu exteriori, licèt occidentes filios non puniantur ſecundùm canones pœnâ mortis; eò quia DEUS nolit mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat *argumento cap. Agnovimus 13. cauſ. 26. q. 6.* nihilominus Judex eccleſiaſticus Laicum Parricidam, qui temporali juriſdictioni eccleſiæ ſubjicitur, remittit ad judicem ſæcularem puniendum juxta leges civiles. Sin verò parricida ſit clericus deponitur, & degradatur, poſtea traditur magiſtratui ſæculari; quia pro tali crimine qualificato gravior pœna imponi debet, quàm pro ſimplici homicidio, ob quod deponitur clericus, & detruditur in monaſterium *c. cum non ab homine 10. de Judicijs.*

Rurſus *in c. Intelleximus 2. h. t.* cùm quædam mulier acta in furorem propriam filiam jugulâſſet, & Dominus terræ compuliſſet maritum eam ſub juramento abdicare. Lucius III. mandat Epiſcopo Pariſienſi, mulieri ſuadere, ut eam ſui pœniteat criminis, ac ejus ſaluti, ac filiorum conſulat; & non obſtante juramento, quod à viro Dominus extorſerat, eidem viro eam reſtituat, ut filios ſuos poſſit liberè gubernare. Ex quo textu liquet, vinculum matrimonij eſſe indiſſolubile, adeò ut nequeat homo ſeparare, quos DEUS conjunxit. Minùs tamen peccâſſe maritum, quia Dominus vi ab ipſo juramentum extorſerat. Præterea licèt mulier ob occiſionem filij non ſit ſeparanda à ſuo marito, curandum tamen eſt, ut pœnam ſui ſceleris luat in foro conſcientiæ, de quo etiam procedit præſens textus; quia in foro fori, ſeu contentioſo, & exteriori mulier occidens filium traditur curiæ ſæculari punienda juxta leges civiles pœna ſtatuta gravitati delicti. 3

Demum *in c. De Infantibus 3. & final. h. t.* Pontifex reſcribit, quòd quando reperiuntur infantes mortui in lecto, & neſcitur, an à Patre, vel matre ſint oppreſſi, vel naturaliter mortui, parentes non debeant eſſe omnino tuti, ſed debeant aliquam agere pœnitentiam ad arbitrium ſuperioris. Quòd ſi certi ſint, quòd ipſi filios ſuffocaverint, declarat Pontifex, graviter eos deliquiſſe, ac debere pœnitentiam agere trium annorum, quorum unum in pane, & aqua. Ex quo textu colligitur, teneri parentes propriam conſulere conſcientiam: ſi enim debitam adhibuerint cautelam detinentes ſecum infantes in lecto, tunc culpâ vacant, nec pœnam merentur; niſi ad cautelam in foro externo aliquam debeant pœnam ſubire causâ ſcandali vitandi. Rurſus in *c. conſuluiſti 20 cauſa 2. q. 5.* habetur monendos eſſe, & proteſtandos parentes, ne tenellos infantes ſecum in lecto collocent, ne qualibet negligentia superveniente ſuffocentur, vel opprimantur, ne ipſi Rei inveniantur homicidij. In fine autem *d. c. de infantib. 3. h. t.* dicitur talis parentum cubatio cum infante in lecto, ſi culpâ careat, 4

lateat, ceſſat pœna. Sin verò culpabilis ſit,
punitur pœnitentia trium annorum, quorum
unus peragendus ſit in pane, & frigidâ. Ve-
rùm hodie hujus pœnæ uſus jam prorſus ex-
olevit.

5 Quamobrem in toto hoc titulo pœna ca-
nonica præſcribitur contra eos, qui filios occi-
derunt, ut pœnitentiam agant delicto congru-
entem ſolemni ijsdem indicto jejunio. Præ-
terea cavetur de his, qui per injuriam infantes
oppreſſerunt, quod conſtitutum eſt *l. 7. capi-
tul. Caroli Magni c. 297.* Sed remiſſiùs ex
ſolita benignitate procedit jus canonicum reij-
ciens jus gladij; ſiquidem Imperium eccleſia-
ſticum, ut ait Gregorius Nazianzenus in qua-
dam epiſt. ad Africanum eſt *Imperium incru-
entum.* Jure autem civili, ſi pater, vel mater
filiorum fata properavit, pœna ſtatuta eſt ex
*l. pompeja de parricid. l. 5. §. fin. ff. de leg. pomp.
de parricid. l. unic. quod de his, qui lib. occid.*
Olim parricida, non is tantùm dicebatur, qui
parentem occidiſſet, ſed qui qualemcunque
hominem. Unde extat lex Numæ Pompilij;
*ſi qui liberum hominem morti ſciens dat, parri-
cida eſto.* Parricida ſiquidem æquè à pari,
quàm à patre deduci poteſt teſte Priſciano, quaſi
parentem, ſeu parem occidens. Hinc & par-
ricidij quæſtores appellabantur, eò quia crea-
rentur causâ rerum capitalium quærendarum,
ut notat Gudæus *in l. poſth. de orig. jur.*

6 Hinc parricidium apud antiquos dicebatur
quodlibet homicidium, & parricida quilibet
homo, qui alium hominem occidiſſet, ſcilicet
par parem; ſed tunc quando crudelitas erat,
& ſumma ſævities bovem occidiſſe, canem
interemiſſe, aut gallum gallinaceum. Poſtea
cum vulgare eſſe cœperit, ut humanus ſanguis
funderetur, & homo hominem occideret, vox
parricidij cœpit à voce diſtingui homicidij,
& vox parricidij ad ſummæ impietatis ſignifi-
cationem deflexa eſt; adeò ut hodiè illi tan-
tùm parricidæ dicantur, qui proprios occi-
dunt parentes; adeò ut propriè delictum par-
ricidij non committatur, niſi inter parentes,
& liberos, & impropriè, vel minùs propriè
inter collaterales, & affines; ut inter fratres,
ſorores, patrueles, conſobrinos, conjuges,
Virum, Nurum, Generum, Vitricum, Pri-
vignum. Nulla tamen in præſenti titulo fit
mentio, nec ulla habetur conſtitutio de filijs
parricidis impias manus violenter in proprios
parentes inijcientibus; ac eorum ſata prope-
rantibus. Forſan quia Eccleſiæ Patribus vi-
ſum fuit de parentum cæde tacenda, veluti de
ſcelere incredibili, & ultra audaciam longè
poſito, ne ſi vindicaretur, committi poſſe
oſtenderent.

7 Cum verò hoc delictum inſolitum eſſet, &
filij manus cœpiſſent parentum ſanguine fœ-
dare, varijs cœpit pœnis puniri in legibus Cor-
nelia de Sicarijs, & Pompeia de parricidijs, de
quibus eruditè Joannes Ramos *in opuſc. ad leg.
Pomp. de parricidijs.* Hinc jure civili ſtatu-
tum fuit, ut qui parentem, vel filium occidiſ-
ſet virgis ſanguineis verberatus, ſcilicet usque
ad ſanguinis effuſionem culeo, & ſacco coria-
ceo inſueretur ſimul cum cane, gallo gallina-
ceo, vipera, & ſimia, poſtea culeus clauſus in
profundum maris, vel in proximum flumen
projiceretur; vel beſtijs lacerandus objicere-
tur *l. pen. in princ. ff. ad leg. Pomp. de parricid.*
& *l. unic. C. de his, qui parent. vel fil. occid.* ubi
in fine etiam additur, ut omni alimentorum
uſu parricida vivus carere incipiat. Hæc autem
pœna non procedebat, niſi quando parricidium
committebatur in patrem, matrem, avum,
& aviam, qui enim alios laterales conſangui-
neos, vel affines occidiſſent, pœna capitis, ſeu
ultimi ſupplicij etiam nunc plectuntur, vel
etiam alio genere pœnæ ad judicis arbitrium
juxta conſuetudinem Regionis, ut notat Fari-
nacius *in prax. crim. p. 5. q. 120. ſect. 1. n. 12.*
& Julius Clarus *lib. 5. ſentent. §. parricidium
n. 5.*

Jure autem canonico, qui patrem, vel 8
matrem occidit, arcetur per annum ab ingreſ-
ſu Eccleſiæ, & per tres annos debet à ſuſce-
ptione ſacramentorum abſtinere, & jejunare
ſolo pane, & aqua exceptis diebus feſtis, &
dominicis, & à paſchâ usque ad pentecoſtes,
& ſingulis hebdomadis ter debet jejunare usq;
ad veſperam, & ſi domo exeat, non debet rhedâ
trahi, ſed pedeſter incedere, inermis, ut de-
crevit Nicolaus Papa in *c. laborem 15. cauſa 33.
q. 2.* Verùm poteſt Epiſcopus cognitâ cauſâ
relaxare pœnitentiam à Pontifice injunctam, ut
notat Gloſſa ibid. *V. converſationem.*

Ab his, qui filios occidunt, non multum 9
ſcelere differunt mulieres, quæ proprijs viſce-
ribus vim inferendo ſpem extingunt libero-
rum; ſiquidem homicida etiam is dicitur, qui
poculum dat, quo generatio, vel conceptio
impeditur, ut habetur *in c. 5. de homicid.* ubi
additur etiam pœna. Jure tamen civili fœmi-
næ, quæ partum abigunt, & execant, mittun-
tur in exilium *l. ſi mulierem ff. ad leg. Cornel.
de Sicar.* Quia verò frequenter fœminæ ex
delicto prægnantes ad occultandum ſcelus, aut
per medicinas aborſum procurant, aut partum
in utero, vel clam editum ſuppriment, ſuffo-
cant, vel in aquas projiciunt; ideò earum
pœna capitalis nunc eſt, ſi vel partus vivus fuit
occiſus, vel aborſus eo tempore procura-
tus, quo fœtus in utero exiſtens jam animatus
erat *l. ſi quis. 38. §. 5. ff. de pœn.*

In Jure tamen canonico hæc pœna eſt ar- 10
bitraria, & delictum punitur juxta ejus atro-
citatem: rurſus ſi Clericus etiam ex joco, &
levi culpâ apprehendat mulierem prægnan-
tem, & det cauſam abortui, fit irregularis,
ut habetur in *c. ſicut 20. de homicidio.* Qui
tamen ſolùm impediret generationem, aut
conceptionem, non contraheret irregularita-
tem, quia hæc exigit actuale homicidium,
quod non contingit niſi in fœtu jam
animato.

❀)†(❀

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, an licitum ſit dare pharmacum fœminæ prægnanti ad procurandum aborſum, ſi fœtus nondum ſit animatus, quando id neceſſarium creditur ad curationem matris gravi morbo laborantis, ac periclitantis? Reſpondent aliqui cum diſtinctione, ſi fœtus nondum ſit animatus, dicunt, id eſſe licitum; & aſſignant rationem, quia tunc fœtus in matris utero eſt aggreſſor, perinde ac pravus humor inficiens naturam; in cujus ſolamen ſicut poſſunt è corpore vitiato humores expelli, ita etiam fœtus nondum animatus, ut doceat Sanchez *de matrim. lib. 9. diſp. 20. n. 9.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 3. p. 3. c. 4. n. 4.* Sà *V. homicidium init.* Henriquez *lib. 11. c. 16. n. 8.* Sin verò fœtus ſit animatus, non eſt licitum dare fœminæ prægnanti pharmacum ad procurandum aborſum; quia qui procurat aborſum fœtûs animati revera homicida eſt, fitque irregularis. Mihi tamen probabilior videtur contraria ſententia aſſerens nullo modo licitum eſſe porrigere pharmacum fœminæ prægnanti ad faciendum aborſum, tametſi fœtus nondum ſit animatus, & id putetur neceſſarium ad curationem matris periclitantis: ratio eſt, quia procurare aborſum propter ſanitatem eſt illicitum, perinde ac procurare pollutionem ob eundem finem, quia utrùmque eſt contra naturam generationis. Tum quia fœtus licèt nondum ſit animatus, ſupponitur tamen proximè animandus, adeò ut inchoativè ſit verus homo, & dici poſſit, quòd talis fœtus habeat jus à natura ad animationem, eò quia ad talem finem inſtitutus ſit; proinde ſicut non licet tale pharmacum porrigere fœminæ prægnanti ad procurandum aborſum, ſi fœtus ſit animatus, ità nec erit licitum aborſum procurare, quamvis nondum ſit animatus fœtus, quia inchoativè eſt homo, & proximè eſt animandus. Tum quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, & aborſus nullo bono fine honeſtari poteſt, cùm impediat vitam hominis, & privet fœtum jure, quod à natura habet ad proximam animationem, ut docent Leſſius *lib. 2. de juſtit. c. 9. n. 61. & ſequent.* Covarruvias in *clement. ſi furioſus p. 2. §. 8.* Tannerus *2. 2. d. 4. q. 8. dub. 4. n. 58.*

2 Sin autem fœmina prægnans etiam poſt fœtûs animationem in periculoſum morbum incidat, nec aliud adſit remedium pro recuperanda ſanitate. Tunc poſſunt illa adhiberi medicamenta non ad procurandum aborſum; ſed quæ directè tendunt in ejus curationem, ut ſunt ſectio venæ, pharmaca purgativa, balnea, ſique quamvis per accidens ſequatur aborſus: quia mater habet jus ad ſervandam vitam talibus remedijs tendentibus directè ad ejus curationem; quia tunc aborſus nonniſi indirectè, ſecundariò, & præter intentionem ſequitur: tum quia aborſus tunc cenſetur tantùm permiſſus ex eo, quòd mater utatur jure ſuo, non verò procuratus.

Quæritur ſecundò, an ſi medicamenta æquè tendant ad ſalutem matris, & mortem fœtûs, ubi ſalus fœminæ prægnantis eſt omnino deſperata, & fœtus unà cum matre deberet omnino perire, licitum ſaltem tunc ſit dare matri pharmacum ad procurandum aborſum? Reſpondent, Sanchez *de matrim. lib. 9. diſp. 20. n. 19.* Diana *p. 7. tractat. 5. reſolut. 36.* & alij; licitum tunc eſſe, talia pharmaca etiam ad procurandum aborſum ſumere, eò quia in tali eventu meliùs ſit anceps auxilium experiri, quàm omni prorſus ſpe deſtitui, ac ſinere fœminam prægnantem perire: cùm ex una parte nulla ſupponatur affulgere ſpes ſanitatis recuperandæ: & ex alia poſſit aliqua ſpes haberi, ut per aborſum poſſit mater ſanitati reſtitui, ex duobus malis videtur minus eligendum, ut etiam quando duo debent ſimul perire, & non poſſint ambo ſalvari, recta ratio dictat, quòd ſi ſpes adſit, omnia adhibeantur media, ut ſaltem unus ſalvetur. 3

Verùm communior ſententia eſt, nunquam licitum eſſe prægnanti fœminæ aborſum procurare ad vitandum periculum vitæ, eò quia non ſint mala facienda, ut inde oriantur bona, cùm enim per procurationem aborsûs directè extinguatur vita fœtûs, quod eſt intrinſecè malum, pro nullo eventu fieri licitè poteſt: aliud eſt ſumere pharmaca ad directè procurandam ſalutem matris, & aliud ſumere pharmaca, quæ directè tendant ad faciendum aborſum. Primum eſt licitum, quia aborſus nonniſi indirectè per accidens ſecundariò, & præter intentionem ſequitur, ſiquidem fœmina per tale pharmacum directè, & primariò intendit conſervare propriam vitam, ad quam habet jus: ſecundum eſt directè privare fœtum vitâ, quod nunquam eſt licitum. Hinc nunquam eſt licitum aborſum fœtûs etiam nondum animati procurare, ad evitandum periculum vitæ, quod ex partu fœmina olim pluries experta eſt ſibi imminere; ut nec etiam ad evitandam jacturam vitæ, & famæ, in quam probabiliter incurreret, ſi pareret, ut fœtum in lucem ederet, quidquid in contrarium ſentiant Torreblanca *de magia lib. 2. c. 43. n. 10* Leo Zambellus, Lezana, Trullench. & alij apud Dianam *p. 7. tractat. 4. reſ. 32.* ubi aſſerit, hanc ſententiam fuiſſe damnatam in Congregatione S. officij. 4

Quæritur tertiò, an qui malitioſè impedit, ne fœtus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, incurrat irregularitatem? Reſpondetur negativè, quia qui ſolùm impedit generationem, aut conceptionem, non eſt propriè homicida, cum fœtus nondum ſupponatur conceptus, proinde non incurrit irregularitatem, quia hæc exigit actuale homicidium, quod non contingit niſi in fœtu. Hinc impediens generationem, vel conceptionem fœtûs, nonniſi impropriè eſt Reus Homicidij, quatenus impedit vitam prolis ſuſcipiendæ, proinde 5

mor-

mortaliter peccat, qoia ut notant Navarrus *in manual. c. 16. n. 33.* Layman *lib. 3. tractat. 3. p. 3. c. 3.* ſumptio pharmaci, quo conceptioni prolis obſtatur, nullo bono ſine honeſtari poteſt. Hinc illicitum omnino eſt procurare io uxoratis ſterilitatem ex quacunque cauſa: ratio eſt, quia impedire generationem, quæ ex ſua natura ſequitur ex uſo matrimooij, eſt contra naturam; proinde intrinſecè malum, & nunquam honeſtabile; quapropter prohibetur hæc ſterilitas inducenda iu uxoratis in Bulla Sixti V. de aborſu §. 5. ut etiam *in c. ſi aliquis de homicid.* ut notat Turrianus *tom. 2. diſp. 26. dub. 2. n 45.*

7 Quæritur quartò, an incurrat irregularitatem, qui fecit aborſum, ſi dubitet de fœtûs animatiooe? Reſpondetur, communiorem, & probabiliorem ſententiam eſſe affirmativam, quia tunc qui cauſam dedit aborsûs, eſt dubius, an ſit homicida, proinde cenſendus eſt irregularis, ut docent Sayrus *lib. 6. c. 15. n. 6.* Sotus *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 3. conſ. 4.* Saochez *lib. 1. moral. c. 10. n. 43.* Contraria tamen ſententia videtur etiam probabilis, quia cum tali dubio non eſt homicida, qui aborſum procuravit in ordine ad incurrendam irregularitatem, quia hæc cùm ſit pœna: quæ infligitur homicidis, ſupponit homicidium perfectum, & conſummatum, ac certum, pœnæ ſiquidem reſtringendæ ſunt, non ampliandæ ad caſus incertos, proinde dubitans, an fœtus fuerit animatus, cùm non ſit certus, an commiſerit homicidium perfectum, & conſummatum, videtur oon incurrere hanc pœnam irregularitatis. Tum quia dubium cadit ſupra conditionem ſubjecti, an viveret, nec ne, & jura non imponunt pœnas niſi ob delicta certa, niſi contrarium io jure exprimatur, & in præſenti caſu non conſtat, an irregularitas jure illata ſit, proinde non incurritur. Tum quia in dubio fœtus præſumitur inanimatus, niſi contrarium probetur.

8 Cæterum ſi velimus adhærere primæ, & communiori ſententiæ aſſerenti, hanc irregularitatem incurri etiam ab eo, qui dubitat de fœtûs animatione, adhuc hæc irregularitas reſtringitur ſolùm quoad ſuſcipiendos ordines, & in illis jam ſuſceptis miniſtrandum: hæ ſiquidem privationes intrinſecè includuntur in irregularitate: non ita extenditur ad alias pœnas, quæ ſolent à Judice imponi pro contracta irregularitate, ut eſt privatio beoeficiorum, & aliorum: ratio eſt, quia pœna ordinaria ſtatuta pro delicto certo non eſt imponenda pro delicto dubio, ſed huic injungitur tantùm pęna extraordinaria judicis arbitrio imponenda pro dubij qualitate, ut notat Sanchez *lib. 1. moral. c. 10. n. 45.*

9 Quæritur quintò, quales pœnas incurrant procurantes per ſe, vel per alios aborſum potationibus, medicamentis, percuſſiooibus, venenis, laboribus, vel oneribus impoſitis fœminæ prægnanti? Reſpondetur, plures incurrere pœnas, quæ exprimuntur in Bulla Sixti V. quæ incipit *Effrenatam*, edita anno 1588. in qua decrevit primò ut procurans aborſum, incurrat pœnas, quæ per leges civiles, & canonicas impoountur homicidæ *l. penult. C. ad leg. Cornel. de Sicar.* idque ſive aborſus ſit fœtûs animati, ſive inanimati, ut notat Quaranta in Bulla Sixti V. *V. abortus.*

Secundò, ſi procurantes aborſum ſint Clerici, ultra prædictas pœnas privantur etiam ipſo facto omni officio, & beneficio, & dignitatibus eccleſiaſticis obtentis, fiúntque inhabiles ad prædicta impoſterum obtinenda. Sin verò ſint ſæculares, redduntur inhabiles ad ordines ſacros obtinendos. 10

Tertiò, eaſdem pœnas etiam extendit ad omnes quoquo modo procurantes, vel conſulentes, ut fœminæ detur potio, vel remedium ad inducendam ſterilitatem, ſeu ad oon concipiendum. 11

Quartò, committit cuivis Judici ſæculari, vel eccleſiaſtico, ut poſſit cauſam prævenire, & cootra præfatos procedere, eos puniendo prædictis pœnis. 12

Quintò, addit etiam dictis pœnis excommunicationem, à qua per oullum privilegium etiam Regularium, neque per Jubilæum poſſit quis abſolvere. 13

Sextò addit, quòd nec poſſit quiſquam diſpenſare cum prædictis ſuper irregularitate inde contracta etiam virtute, & vigore cujusvis privilegij, & vult id etiam procedere, quando crimeo eſt occultum, & tantùm in foro conſcientiæ. 14

Verùm hanc Sixti V. Bullam Gregorius XIV. io duobus præcipuè reſtrinxit. Primò quòd quilibet ſacerdos ab Ordinario approbatus, & ad id ſpecialiter deputatus poſſit abſolvere à peccato aborsûs, & ab excommunicatione eidem impoſita. Secundò reſtringit eandem Bullam Sixti V. & ſtatuit, quòd ſi fœtus non ſuerit animatus, vel ſolùm datum pharmacum, vel remedinm ad non concipiendum, & ad ſterilitatem inducendam non incurrantur pœnæ ſtatutæ in Bulla Sixti, & mandat tuoc regulari delictum per jus commune canonicum, vel decreta Coocilij Tridentini. Declarat poſtea Gregorins XIV. ſuam intentiooem eſſe, ut reliqua contenta in Bulla Sixti maoeant, in ſuo robore, & vigore. Ex eo antem, quòd Pontifex exigat, ut Confeſſarius ſit ſpecialiter deputatus ad præfatam abſolutionem impertiendam, cenſent aliqui, Confeſſarios ab Epiſcopo approbatos, & habentes generalem poteſtatem abſolvendi à caſibus, & cenſuris Epiſcopo reſervatis, non poſſe talem abſolutionem impertiri, quia Confeſſarius debet ad hanc impertiendam ſpecialiter eſſe deputatos joxta Bullam Gregorij XIV. hæc ſententia verior eſt, & tutior, quamvis Bonacina *tom. 3. de cenſur. diſp. 2. q. 2. p. 10. n. 17.* aſſerat, confeſſarios habentes privilegium abſolvendi ab omnibus cenſuris Epiſcopo reſervatis, poſſe etiam abſolvere à præfata cenſura, eò quia ſic uſu receptum ſit. 15

TITU-

TITULUS XI.

De Infantibus, & languidis expoſitis.

APpoſitè ſuperiori titulo Pontifex præſentem adjungit, quia necare filios ij etiam dicuntur, qui eos abijciunt, qui alimonia ijsdem denegant, & qui publicis locis miſericordiæ cauſâ, quâ ipſi carent, exponunt, ut rectè notat Paulus Juris Conſultus *in l. 4. ff. de lib. agn.* unde parentes, qui infantes, ac liberos ſuos exponunt omni inhumanitati, & crudelitati, cenſentur homicidæ, & tanto deteriores homicidæ, quanto calamitoſioribus id inferunt, ut ait Juſtinus *novel. 153. in fin.* Quamobrem poſtquam Pontifex in præcedenti titulo egiſſet de his, qui filios occiderunt; rectè proſequitur contra parentes, qui infantes ſuos exponunt, quia necare videtur non tantùm is, qui partum præfocat; ſed etiam is, qui eum abijcit, vel alimenta eidem denegat.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Unici Capitis in hoc titulo contenti.

C. SI à PATRE unic. h. t. declarat Gregorius IX. infantem expoſitum à patre, vel ipſo ſciente, vel ratum habente fieri liberum à patria poteſtate: & id procedere etiam de Liberto, Servo, vel languido, ſi exponatur: immo etiam de filijs, ſi illis denegentur alimenta. Rurſus declarat Pontifex, eos, qui hos ſuſcipiunt, non acquirere jus in eorum perſonis. Ex quo textu colligitur, quòd ſi infans exponatur ab ipſis parentibus, liberatur ab eorum poteſtate, ut etiam pari ratione, ſi ſervus, aut libertus exponatur, vel ipſis infirmis alimenta denegentur, tunc enim conſequuntur ingenuitatem, ac libertatem, quia habentur pro derelictis, non tamen fiunt primò occupantis, quia homines donantur naturali libertate, & natura ſua ſunt liberi. Cæterum infantibus expoſitis, quorum parentes ignorantur, præſtari ſolet ab eccleſia ſubſidium: ſin autem illa non habeat ſufficientes reditus, & ubi non ſunt publica hoſpitalia, conſueverunt communitates curam eorum in ſe recipere, & nutricibus lactandos tradere publicis ſumptibus. Quamvis expoſiti ſint capaces ſucceſſionum, Ordinum, officiorum, ac dignitatum, non tamen ſunt capaces officiorum ſanctæ inquiſitionis, neque dignitatum eccleſiarum Cathedralium, collegiorum, & dignitatum majorum, quia talis expoſitio, quamvis poſſit contingere ex eo, quia parentes non habeant modum alendi prolem; inuric nihilominus ſemper aliquam maculam, ob quam ad majora non ſolent admitti. Rurſus quamvis parentes expoſitorum ſint ignoti, ſiunt tamen expoſiti cives illius civitatis, vel loci, ubi exponuntur, proinde conſequuntur privilegia aliorum civium. Notat Gloſſa in hoc textu ratihabitionem in maleficijs retrotrahi, & comparari mandato c. cum ad ſedem de reſtit. ſpol.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quinam dicantur liberos ſuos exponere, vel languidos, ſeu infirmos ab alijs nutriendos, & curandos, & quas incurrant pœnas.

1 UNicum præſens titulus capitulum continet, in quo ſi à patre, vel alio ſciente, vel ratum habente infans expoſitus ſit, reſpondet Gregorius IX. *in c. ſi à patre unic. h. t.* expoſitum eo ipſo à patria poteſtate eſſe liberatum, & libertum ingenuitatem, ſervum libertatem in hoc caſu conſequi. Hoc idem etiam aſſerit de cujuscunque ætatis languidis, ſi expoſiti fuerint, vel ijsdem alimenta impiè denegentur. Demum concludit, neque eos, qui infantes expoſitos, vel languidos ſuſcipiunt ullum jus in eorum poſſeſſores poſſe ſibi vendi-

vendicare, ubi notat Gloſſa, quòd ratihabitio tunc, ſicuti in maleficijs retrotrahitur, & mandato comparatur *c. cum ad ſedem de reſtit. ſpoliat.* Nomine tamen infantis is intelligitur, qui nondum eſt ſeptennis, vel ſaltem nondum ſeptimum ætatis explevit annum *cap. litteras 4. de ſponſ. impub.* Si igitur infans infra ſeptennium à proprio patre exponatur, vel ab alio, ipſo tamen ſciente, & non contradicente, vel etiam ratum poſtea habente, tunc filius expoſitus efficitur ſui juris, liberaturque à patria poteſtate, adeò ut patre infantem illum expoſitum non poſſit ampliùs dicere ſuum, eò quia liberatus ſit à patria poteſtate. Eadem ratione ſi ſervus, aut libertus exponatur, ut etiam ſi languidis, & infirmis alimenta impiè denegentur, ingenuitatem, ſeu libertatem conſequuntur, quia tunc hebentur pro derelictis *ff. pro derelict. tit. ult.* Deberet enim pater, aut Dominus, filium, vel ſervum, quem non poteſt alere ad Xenodochium mittere, vel aliter adjuvare. Sin verò infans, aut ſervus expoſitus ſit ab alio, quàm à parentibus, & ipſis inſcijs, aut invitis; tunc expoſitio infantis, vel ſervi non nocet patri, vel Domino, quia in *c. ſi à patre unic. h. t.* Pontifex expreſsè dicit *ſciente, aut ratumhabente*, unde ſi parens, nec ſciat, nec ratumhabeat, nil ipſi præjudicat proprij infantis expoſitio.

2 Quod verò ad languidos attinet, de quibus fit mentio in hoc textu, hi languidi dicuntur, qui perpetuo morbo detinentur, vel qui cuiſque rei gerendæ inepti ſunt *l. morbus de V. S.* ut notat Rebuffus; unde ſi tali morbo quis afficiatur, ſive filius ſit, ſive ſervus, etiam provectioris ætatis, & exponatur, ſeu deſeratur omni prorſus ope deſtitutus, liberatur patria poteſtate, ſi filius ſit; vel donatur libertate ſi ſervus; & qui ex miſericordia eisdem opitulantur, tametſi laudabile exerceant charitatis opus, nihil tamen juris in illos acquirunt, ne ſcilicet filij, vel ſervi innocentes luere debeant iniquitatem patris. Cæterum infantibus expoſitis, quorum parentes ignorantur, moris eſt, ut pia mater Eccleſia neceſſaria ſuppeditet ſubſidia; quòd ſi Eccleſia non habeat ſufficientes reditus, & nulla in loco illo ſint publica hoſpitalia, tunc pertinet ad communitates curam expoſitorum in ſe recipere, & nutricibus publico ſumptu dare lactandos, ut notat Barboſa in *c. ſi à patre n. 4. unic. h. t.*

3 Certum eſt, parentes, qui filios exponunt, graviter peccare, & explorati eſt juris, præſertim ſi filios nutrire, & alere commodè poſſint, quapropter *in l. necare. ff. de liber. agnoſ.* dicitur, necare videtur non tantùm is, qui partum præfocat; ſed etiam is, qui eum abijcit, & alimoniam denegat; & is, qui publicis locis miſericordiæ causâ exponit. & *in c. ſi expoſitus diſt. 87.* etiam videtur ſignificari, eum ut homicidam eſſe plectendum, qui poſt certum tempus expoſitum infantem non agnoſcit, & *in l. 2. de infant. expoſit.* dicitur, quòd pater non poſſit ſuum dicere filium, quem pereuntem contempſit, & hæc procedunt, de parentibus, qui per ſe, vel per alios enutrire liberos commodè poſſunt, & tamen eos exponunt. Quòd ſi præ inopia filios non poſſent alere, vel ſaltem ſine dedecore, & ignominia, tunc tenentur curare ſaltem, ut illi in hoſpitali aliqua domo ad pietatis officium fundata nutriantur, & educentur, ut de ſervo ſtatuitur *in l. e. C. de latina libert. tollen. §. ſed dicimus* ubi dicitur, quòd ſi Dominus ſervum ſuum ægritudine periclitantem habeat, quem neque ipſe curare poſſit, neque alteri commendare, teneatur eum in Xenodochium mittere. Quòd ſi infans à patre expoſitus ab alio alatur, & educetur, tunc ſi alimenta data ſint ab Eccleſia, vel Epiſcopo, non poſſunt ampliùs repeti, quia pietatis causâ data ſunt ab eo, qui debuit illa ſuppeditare, ut habetur in *c. ſacrorum 15. cauſa 12. q. 2.*

Sin verò infant nutritus fuit in aliquo loco publico miſericordiæ, vel pietatis causâ extructo, tunc nec repeti poſſunt expenſæ, niſi domus fortaſſis fundata ſit ad eos tantùm alendos, qui indigent; quia tunc ſi parentes infantium expoſitorum non indigerent, tenerentur compenſare expenſas factas ab illo loco pio pro educatione infantis expoſiti. Sin autem alimenta miniſtrata ſint infanti expoſito ab aliquo eidem ſanguine juncto; etiam veriſimiliter præſumitur pietatis causâ fuiſſe alimenta illa data infanti expoſito, adeò ut non poſſit illa repetere; niſi ab initio proteſtatus fuerit ſe illa repetiturum. Sin autem alius extraneus ſubminiſtravit talia alimenta infanti expoſito, tunc extraneus poteſt ea repetere, ſi ab initio proteſtatus ſit, ſe velle ea ſibi reſtitui; alioquin ſi aliàs eſſet vir pius, ſi divitijs affluerer, ſi ſoleret ſimilia charitatis opera exercere, ex conjecturis præſumi poſſet, pietatis causâ alimenta illa ſuppeditâſſe, & nolle ea ſibi reſtitui. Excipitur tamen in *l. patrem 16. C. de nuptijs* is, qui filiam à patre expoſitam nutrivit, ſi velit eidem nubere, vel filio ſuo in uxorem dare, & ejus pater nolit; tunc pater tenetur alimenta præſtita ſolvere, ut notat Abbas in *d. c. ſi à parte n. 3. unic. h. t.* 4

Jovat tamen obſervare, quòd cum in dicto textu dicitur, quòd ſi pater alimenta filijs denegat, amittat patriam poteſtatem, id non ſit intelligendum generatim de filijs etiam valentibus, & ſanis; ſed tantùm de languentibus, ſeu infirmis, cujuscunque ſint ætatis, quia pœnæ ſunt reſtringendæ, non ampliandæ; & graviùs peccat, qui alimenta denegat languentibus, & infirmis, quàm qui ſanis, proinde graviori pœna plectendus eſt. Præterea textus procedit de filijs legitimis, quia pater illegitimus non dicitur habere in patria poteſtate *§. ult. inſtit. de patria poteſtat.* ut notat Abbas *in d. c. ſi à patre unic. h. t. not. 3.* Quòd ſi ignoretur, quinam ſit pater filij expoſiti; Eccleſia ex charitate alimenta ei ſuppeditat. 5

Pœnæ igitur, quæ incurruntur à parentibus, qui filios exponunt ab alijs nutriendos, ſunt 6

principaliùs amittere jus patriæ poteſtatis, ut probant textus tam in jure canonico, quàm civili in illo *in c. ſi à patre unic. h. t.* in jure civili in *l. 2. 3. & 4. C. h. t. l. nemini 20. C. de Epiſc.* quia cùm in cunctis animantibus à natura indita ſit propenſio ad proprios fœtus educandos, ut refert Tullius *de natura Deorum*, quam propenſionem Juſtinianus *in l. unic. §. ſileat. C. de rei uxor. action.* ſtimulum vocat; ideo qui contra hanc naturalem propenſionem filios exponunt, patriam amittunt poteſtatem, quia filium ſuum dicere non poſſunt eum, quem deſerverunt, & pro filio habere noluerunt: imò neque collectores, neque educatores jus ullum dominij in eos acquirunt, non dominium, quia quamvis pro ſervo expoſitum habuerint, non tamen aſſertio ei denegatur, qui ex tali cauſa in libertatem vindicatur.

7 Tum quia libertas non benè redimitur alimentorum pretio, ut reſcripſit Trajanus Plinio: extat enim Trajani reſcriptum, quo ad ejusdem Plinij conſultationem, qui tunc temporis proconſulatum in Bithynia obtinuerat, reſcribit, quòd licèt infantes expoſiti in ſervitute fuiſſent educati; in priſtinum, quo nati erant, libertatis ſtatum ſint aſſerendi; eò quia æquum non ſit, libertatem, quæ inæſtimabilis eſt, pretio alimentorum redimi. Verùm hoc reſcriptum ad ſolam pertinuit Bithyniam, quia aliæ Provinciæ alio jure utebantur ex conſtitutionibus Anteriorum Principum: nam apud hebræos mos invaluit, ut infantes etiam exponerentur juxta propriam legem *Exod. c. 22.* & etiam ex Philone *lib. 2. de vit. Moyſis* ubi de Moyſe expoſito agitur: & de Ezechiele Propheta refert Clemens Alexàndrinus *lib. 1. ſtromat.* ibi: *Mater, quæ me peperit, abſcondit me tres menſes, ut dixi: cùm autem latere non poſſem, expoſuit:* apud Ethnicos exponebantur etiam in rupibus, & ſub arboribus, & qui relictos inveniebant, aut credebant, aut fingebant ex ſilice excuſſos, aut ſub arborum corticibus conceptos, ad quod alluſit *Virg. lib. 4. aneid.* ibi: *Sed duris genuit te cautibus horrens caucaſus.* Notavit etiam Petavius in not. *ad oration. 16. Themiſt.* Trajanum in monte Celio ampliſſimum ædificâſſe locum expoſitis nutriendis; quod etiam refert Sabellinus in vita Trajani, ubi addit, fuiſſe ibi etiam columnam lactèream in foro olitorio ad exponendos infantes. Conſtantinus *in l. 1. C. Theodoſ. de expoſit.* ſtatuit cujusque conditionis eſſet is, qui expoſitus fuiſſet, dominio ejus cedere, qui ſuſtuliſſet, & ejusdem arbitratu, vel tanquam ingenuum, vel tanquam ſervum poſſe retinere; dummodo Epiſcopalis ſubſcriptio ſubſecuta fuerit, ſeu ſi hac de re conteſtatio habita eſſet Epiſcopo, & Clericis ſubſcribentibus, idque confirmat. *can. ult. 87. diſt.* in Eccleſiis autem, quibus Epiſcopi non præerant, talis conteſtatio facienda erat coram Matricularijs Eccleſiæ, ut docet formula collecti, & diſtracti infantis edita à Juriſconſulto Cujacio *in tit. 1. lib. 5. ſent.* Juſtinianus tamen ab hoc jure receſſit, conſtituitque infantes, qui ſic collecti erant in libertatem vindicari, tametſi ſervi nati eſſent, nec in his jus ullum Educatoribus quæri, ne quaſi mercimonio contracto viderentur pietatis officium geſſiſſe *l. 25. nemini C. de Epiſ. aud. & ult C. de infant. expoſ.* & hoc jus à Juſtiniano inductum ſervatur, etiam in jure canonico *in d. c. ſi à parte unic. h. t.* ubi Gregorius IX. ſtatuit, ut infans à patre expoſitus ipſo ſciente, vel ratumhabente liberetur à patria poteſtate; quod etiam extendit ad ſervos, qui cum adverſa valetudine laborarent à Dominis neglecti, à domo excluſi ſunt: unde conſtat ex utroque jure, civili, & canonico filios expoſitos donari libertate.

Videtur tamen in contrarium poſſe objici, quia inter præcipuos patriæ poteſtatis effectus ille recenſetur, ut pater conſenſum præbeat nuptijs filiorum *l. Paulus ff. de ſtatu hominum §. 1. inſtit. de nupt.* atqui in nuptijs filiæ expoſitæ deſideratur conſenſus patris exponentis *l. patrem 16. de nuptijs.* ex quo infertur, parentes filios exponentes non amittere in expoſitos patriam poteſtatem. Tum quia patres jure communi ex *l. Romuli* in duodecim tabulis ſcripto jus habent vendendi, & oppignorandi filios *l. final. C. de patria poteſt. l. 1. C. de patribus, qui filios diſtraxerunt.* quinimò ſi patres eò ſint miſeriarum dedocti, ut aliter vivere non poſſint; etiam filiorum carnibus veſci poſſunt, hinc D. Hieronymus *lib. 3. ſuper Amos* ait: *nihil enim fame duriùs, quæ ſæpè compellit obſeſſos humanis veſci carnibus; & in ſuam ſævire naturam; ita ut nec parentes parvulis liberis parcant, & maritalis affectus uxoris dudum amata membra dilaceret.* unde ſi pater filium vendere, imò & illius veſci carnibus impunè poteſt, à fortiori erit eidem licitum filium exponere. 8

9 Sed contra, quia ex conſtitutione Juſtiniani *l. ult. h. t. novel. 153.* parentes omne jus amittunt in filios expoſitos; adeò ut iſti à patria poteſtate omninò liberentur, quæ conſtitutio accepta etiam fuit in jure canonico: unde ſi quæ extant leges in contrarium, abrogatæ fuerunt per conſtitutionem Juſtiniani, & jus canonicum. Tum quia ſi tutor, qui per mendacium negat pupillo alimenta, deducitur ad Præfectum urbis puniendus *l. 3. C. ſed ſi non latitet. ff. de ſuſpecto tutor.* à fortiori puniendi ſunt parentes, qui filios exponunt. Immo non ſolùm parentes amittunt jus in filios expoſitos; ſed etiam varijs pœnis puniuntur: ſi enim infans expoſitus inde moriatur, pater punitur ut homicida juxta ſententiam Ulpiani *in l. 15. ff. ad l. Corneliam de Sicar.* ibi: *Nihil intereſt, occidat quis, an mortis cauſam præbeat;* hoc idem etiam procedit, ſi parentes filios in ſolitudine exponant, ut fame moriantur, vel ferarum laniatu pereant, quamvis mors non contingat, quia quantum in ſe fuit, nihil defuit operi: hinc Lactantius *lib. 7. de divin. inſtitut. c. 20. non poſſunt innocentes exiſtimari, qui viſcera in prædam canibus objeciunt, & quantum in ipſis eſt, crudeliùs necant;*

quàm

quàm ſi ſtrangulâſſent, & nonnullis interjectis ſubdit, *tam nefarium eſt exponere, quàm necare*: quia exponere eſt morti tradere, ac dimittere. Eadem pœna capitis etiam puniuntur parentes, qui infantes in olla exponunt, eò quia facilè intercludi poſſit ſpiritus tenellus.

10 Alios caſus habetur, quando fœmina, quæ viri libidini obſecuta, metu ignominiæ adacta editum fœtum exponit cauſa pudoris ſervandi, & tunc mitiùs puniuntur matres, eò quia talis metus cadit etiam in viros conſtantes *l. iſti 8. §. penult. ff. de eo, quod metus cauſa*: quòd ſi, quæ peperit, & infantem expoſuit, fuerat puella, tunc etiam mitiùs punitur, ut docent Julius Clarus *lib. 5. ſent. §. final. q. 83.* & Menoch. *de arbit. caſ. 396. n. 7.* Sunt etiam alij caſus, in quibus parentes, qui filios exponunt, mitiùs puniuntur.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, an infantes expoſiti cenſendi ſint ſpurij? Reſpondetur, Covarruviam in *element. ſi furioſus p. 1. in princ. n. 9.* Majolum *c. 1. de irregularit.* & alios docere, infantes expoſitos habendos eſſe ut ſporios, eò quia filij legitimi moris non ſit, ut exponantur. Tum quia expoſiti vulgò æquiparantur quæſitis. Nihilominus communior, & verior ſententia, cui adhærendum omninò puto, eſt, liberos expoſitos eſſe cenſendos legitimos, ſi eorum parentes ignorentur. Moris enim antiquitus fuit, ut expoſiti legitimi haberentur, ut contigiſſe Moyſi, Cyro, Paridi, Oedippo, Semiramidi babyloniorum Reginæ hiſtoriæ memorant. Ratio itidem eſt, quia ſicut quivis præſumitur bonus, donec probetur malus, ita præſumi etiam debet legitimus, donec probetur illegitimus: ſiquidem legitimitas cùm ſit quoddam bonú morale, ita illegitimitas eſt malum morale, quod præſumi non debet, niſi probetur. Tum quia non ſolus pudor, ſed etiam metus infamiæ poteſt cauſa eſſe expoſitionis, ut etiam neceſſitas aliqua, vel extrema egeſtas, vel imminens periculum: unde cùm plures poſſint cauſæ eſſe talis expoſitionis, ea potiùs fomenda eſt, quæ favet conditioni expoſitorum: ita enim charitas exigit, & ratio naturalis ſuadet, hæc enim ſententia conformior eſt pietati.

2 Neque verum eſt, ſolùm illegitimos, aut ſolos vulgò quæſitos exponi, quia experientia conſtat, plerúmque ob paupertatem, & liberorum multitudinem etiam legitimos à parentibus exponi. Ex eo autem, quòd Expoſiti habendi ſint ut legitimi, niſi contrarium probetur, ſequitur, eos capaces eſſe Succeſſionum, Ordinum, & quorundam officiorum, ſeu dignitatum, & tantùm eſſe incapaces officiorum, ſeu dignitatum ſacræ inquiſitionis, Eccleſiarum Cathedralium, collegiorum, & dignitatum majorum, ut notat Barboſa in *coll. loc. cit. & tom. 6. in collect. in præfat. Rubric.* quia tametſi in dubio expoſiti præſumantur boni; hæc tamen præſumptio nil operatur, niſi probetur, quando certa qualitas ab ſtatuto requiritur: quia non ſufficit, ſi qualitas adſit præſumptivè, ſed probari debet. Tum quia hujuſmodi expoſitio quandam inurit maculam, ob quam ad majora admitti non ſolent.

3 Quæritur ſecundò, an conſtitutio Gregorij IX. in *c. ſi à patre unic. h. t.* in qua pater privatur patriâ poteſtate, ſi filium exponat; vel ipſo ſciente, & ratumhabente ab alio ejus filius exponatur; procedat de filijs tantùm languentibus, vel etiam ſe extendat ad benevalentes? Goffredus referente Abbate cenſuit, Gregorianam conſtitutionem locum habere in filijs, non ſolùm languentibus, ſed etiam benè valentibus, eò quia conſtitutio ſit generalis, & nullam adhibeat diſtinctionem. Nihilominus Innocentius, Hoſtienſis, Abbas, & communiter alij Canoniſtæ *in d. c. ſi à parte unic. h. t.* probabiliùs cenſent, Gregorianam conſtitutionem eſſe tantùm intelligendam de filijs languidis, non verò de benè valentibus, & huic ſententiæ adhærendum puto; quia pœnam injunctam à lege debemus mitiùs interpretari, adeò ut reſtringi debeat, non ampliari ad caſus explicitè non expreſſos: & quia ſi Gregoriana conſtitutio intelligatur de filijs languidis, quibus pater alimenta denegat excluſivè ad benevalentes, pœna mitiùs interpretatur, & reſtringitur ad ſolos filios languidos, quibus à patre denegantur alimenta, ſequitur eſſe hanc pœnam reſtringendam ad ſolos filios languidos, cum nulla in jure fiat mentio de filijs benevalentibus.

4 Idque ex eo firmari poteſt, quia quando pater filium exponit, dupliciter delinquit contra pietatem paternam in filios: Primò, quia pater denegat filio expoſito alimenta, quæ alioqui eidem debentur: Secundò, quia ſive ſit languidus, ſive benevaleat, denegat eidem debita alimenta, quod eſt deteſtabiliùs, & quia majus eſt crimen, negare alimenta filio languenti, quàm benevalenti, ideo pœna reſtringi debet ad crimen deteſtabilius, quod eſt denegare debita alimenta proprio infanti languenti, cùm id ſit proximiùs eum occidere. Nomine autem infantis intelligitur omnis ille infans, qui nondum eſt ſeptennis, quia infantilis ætas dicitur uſque ad ſeptennium: immo donec ſeptimum ætatis annum puer exceſſerit, in jure præſumitur infans.

5 Quæritur tertiò, quas impenſas poſſit repetere, qui infantem expoſitum enutrivit? Reſpondet Gloſſa in *c. ult. diſt. 87.* eas tantùm, qui curam infantis expoſiti habuit, poſſe jure expenſas repetere, quæ factæ ſunt in eo erudiendo, & docendo, non verò eas, quæ factæ ſunt in eo alendo, quia alimenta pietatis præſumuntur gratis data, quæ enim gratia pietatis dantur, cenſentur gratis dari, qua ratione, quæ pietatis cauſâ in aliquem erogantur, non repetuntur *c. ſacrorum 12. q. 2. l. alimenta*

C. de negot. geſt. Verùm huic ſantantiæ vidatur obſtara taxtus *in l. ſi invito C. de infant. expoſ.* ibi: *ſi invito, vel ignorante te, partus ancilla, vel adſcriptitia tua expoſitus ſit, reſtitutio ejus ita fiat, ut ſi in alendo eo, vel fortè ad diſcendum artificium juſta conſumpta fuerint, reſtituas.* Et licèt lex expreſsè loquatur tantùm de ſervo, vel liberto expoſito; procedit nihilominus etiam da filio.

6 Quamobram putârim procadendum cum diſtinctione, ut notat Abbas *in d. c. ſi à patre unic. h. t.* vel enim alimenta data ſont ab ao, qui tanebatur aa dare, & tunc ab ipſo non poſſont jure ampliùs repati, ſiva proteſtatos fuarit ſa aa repatiturum, ſive non. Hinc ſi Epiſcopus aloarit infantam axpoſitom, ut atiam ſi infans outritus fuerit, ut pauper ax communibus alicujus Eccleſiæ bonis, vel alicujus loci publici exſtructi caoſâ commonis miſaricordiæ, & piatatis, non potaſt Epiſcopus, nec locus pius poſtea repetare expenſas; quia locus pius ad aum finam fuit fundatus, ot hujusmodi infantas expoſitos alarat; quòd ſi locus pios aſſat taotùm fundatus ad aleados aos ſolos, qui indigent; & parentas filij axpoſiti non iodigarent, tuoc tanarentur iſti expanſas factas à loco pio eidem raſtituare, idqua daſumitur ax *c. ſacrorum 12. q. 2.* & ex *l. alimenta C. de negotijs geſtis.* Sin varò alimenta data ſint filio expoſito ab alio conſanguinao ejusdem filij; tunc etiam præſumuntur alimenta data pietatis gratiâ; proinde qui dadit, ax jure non poteſt repetere ſumptus factos, niſi fortaſſis fuerit antea proteſtatus, velle eosdem eſſa ſibi teſtitoendos, ot habetur in *l. Neſenius ff. de negot. geſt.*

7 Quæritur quartò, ad quam pertineant bona filij expoſiti, val langoidi, ſi poſt mortam ea reliquerit? Reſpondatur, talia bona non pertinere ad parentes, & conſanguineos deſerti, qoia cùm parantes, & conſanguinai daſaruerint filium, cui negârnot alimanta debita, indigni ſunt, ot in ajus bonis ſoccedant *novel. 115. c. 3.* unde ſi expoſitos fuit nutritus in aliquo loco pio ad talem locum pattinent omoia bona, quæ poſt mortam relinquit. Quòd ſi nutritus fuerit ab aliquo extranao, ipſi atiam dabentur hujusmodi bona, quia cum habuerit axpenſas in ao nutriendo, æquum eſt, ut ſi quæ ſunt bona ab illo relicta, poſt mortem ad illum pertineant axcluſo fiſco, & conſanguineis: ſiquidem baneficia banaficijs dabent companſari, & infans nullum habuit ſibi proximiotam quoad charitatam, eò qoia alimenta illi præbuit.

8 Quæritur qointò, an famulo ægrotanti teneatur Domious, qnæ naceſſaria ſunt ad recuperandam ſanitatem ſoppeditare? Raſpondent communiter Juriſperiti cum Bartol. in *l. ſi. dotem. §. ſi autem. ff. ſoluto matrimo.* non tenari Herum ex lage juſtitiæ ad ingentas, & extraordinarias expenſas faciendas in madicos, & pharmaca pro famulo ægrotante, ſed taotùm tenari ad tennas, & madiocres axpanſas juxta conditionem famuli, & ad alimenta quotidiana, adeò ot ſi herus pro famulo ægrotante majores habeat ſumptus; & protaſtatus fuerit velle eos ſibi eſſe reſtituendos, teneatur ſervus priſtinæ incolomitati reſtitutus ſatisfacere Hero ſaltam obſaqoijs aidem præſtandis: quòd ſi Herus divitijs affluat, & pro famulo majores facerit expenſas, nec in cootrarium fuit protaſtatus; canſetur tunc intuito piatatis id faciſſe, adeò ut non liceat poſtaa ab ipſo axpenſas repetera *argu. l. 1. & l. ſi alimenta C. de negot. geſt.* An varò etiam eo tampora, quo famulus ægrotat, debeatur ipſi marces? Raſpondetur affirmativè *l. qui operas ff. locati.* Varùm ne hujusmodi obligatio ad plures axcreſcat annos, communiter ſolat limitari, ut procadat quoad illum aonum tantùm, quo famulus ſervire incœpit *argu. l. poſt duos 15. §. 1. C. de Advocatis diverſ. judic.*

9 Quæritur ſaxtò, qoomodo infantibus debita ſint alimenta? Reſpondatur, filijs à parentibus daberi lagitimam portionam propriorum bonorum: eſt lagitima portio carta hæreditatis pars lege aliquibus dacrata, ac dabita; ſaw aſt illa pars hæreditatis, quam filij aſſent acceptori, ſi ab ioteſtato ſuccadarent; etenim cùm Teſtator nac omnia bona hæreditario jore in alterum poſſit transmittere, nae denegare idao lax ſtatuit, ut certa, ac definita hæreditatis portio io lagitimos hæredes teſtamanto tranſiret, quapropter dicitur lagitima, eò quia ſecundùm legas ſubrogetur loco alimentorum *inſtit. de ineffic. teſtam. §. igitur quartam.* Hæc igitur portio lagitima jure dabita filijs io jura triplax eſt, prima communi nomine *legitima* ſimplicitar dicitur: ſecunda *falcidia*, aò quia de aa Falcidius tribunus plabis lagam tularit: tartia dicitur *Trebellianica*, eò quia ſenatus Romanus Traballio Maximo, & Annæo Sanaca Coſs. eam lagem inſtituarit. Portio igitor lagitima debatur filijs, qui ſine cauſa excludi ab hæraditata non poſſunt, & ijs mortuis debetur atiam napotibus ax ijsdam lagitimè natis; adaò ut lagitima portio, nec per legata, nac par fideicommiſſa adimi poſſit; & detrahitur ex bonis parentum deducto alinno ære, & impanſa funaris *l. Papinianus §. 4. ff. de inoffic. teſt.* Falcidia aotam debetur hæredi jura inſtitutionis, & eſt quarta pars totius hæraditatis, quam hætes inſtitutus datrahit, ſibique ratinat ax ſingulis legatis, niſi ad piaa cauſas relicta ſint, *authent. ſimiliter C. ad leg. falcid.* Portio Trebelliaoica aſt quarta para totius hæraditatis, quam ſibi ratinat hæras inſtitutus ea conditiona, ut ſi dacadat ſine liberis, alteri eam reſtituat hæreditatem *inſtit. de fideicommiſſ. hære. §. ſed quia.*

10 Portio autem hæreditatis, quam parentas communi laga teoantur dara filijs olim apud Romanos in lega duodacim tabularum fuit tantùm quarta pars: ſed poſtea lagibus ſtatutum fuit, ot amplior, & major filijs lagitima debatetur, adeò ot ſi quatuor, vel pauciores ſint filij, ijsdam debaatur tanquam legitima portio *trions*, ſeu tettia pars hæraditatis, & quidem ex æquo in filios dividenda: ſin varò

ſint

ſint quinque, vel etiam plutes filij eis debent parentes *Semiſſem*, ſeu dimidiam partem bonorum inter ipſos ex æquo dividendam *l. noviſſima l. ſi pater C. de inoffic. teſtam. authent de triente, & ſemiſſe, §. nec nos. collat. 3 conſtit. 5.* & hæc lex hodie communi jure ervatur, & tantùm pro varietate Provinciarum, & locorum, ac Principum major, vel minor legitima decernitur, quæ filijs debeatur.

11 Quæritur ſeptimò, quale jus habeat filiua in legitimam portionem? Reſpondetur vivente patre filijs competere tantùm jus ad rem, non in re: quia quamdin pater vivit, planum habet ſuorum bonorum dominium, nec compelli poteſt dare legitimam filio, niſi in morte: quapropter parentibus adhuc vivis legitima, quæ debetur filijs, incrementum poteſt, & decrementum ſubire; quatenus parentes poſſunt propria bona augere per lucra, vel minuere per jacturas: unde in eorum obitu pro majore vel minore hæraditate relicta à patre legitima filiorum portio major eſt, vel minor deducto ære alieno, & impensâ funeris, ſervíſque libertate donatis *l. Papinianus §. quarta. ff. de inoff. teſtam.* mortuo verò patre filij habent jus in re, poſſúntque adire hæreditatem quoad legitimam portionem, quæ jure naturali debetur filijs: quia pertinet ad neceſſaria vitæ alimenta, quæ parentes tenentur jure naturali filijs ſuppeditare: exceptis autem alimentis parentes non tenentur filijs dare legitimam portionem jure naturæ, ſed tantùm jure ſcripto, quod ex æquo, pietate, & charitate parentum juber hæreditatem ad filios deſcendere.

Quæritur octavò, an filia ſimul cum filio inſtituenda ſit in legitima portione hæres? 12 Covarruvias *de teſtam. in c. Raynutius in ſumma n. 22.* improbat priſcas leges, eò quia fœminas ab hæreditate axcluſerint, & tantùm mares ad illam admiſerint, quod iniquum eſſe ait, & naturæ inconveniens. Verùm tripliciter perſæpe fœminæ à ſucceſſione æquè, & juſtè excluduntur, nimirum pacto, ſtatuto, & privilagio. Pacto repelluntur à ſucceſſione, eò quia qui filias in matrimoninm collocant, ſoleant cum ipſis paciſci, & convenire, ut ſucceſſioni renuntient hæreditatis; & licèt tale pactum jurè civili improbetur: ſi tamen jurejurando confirmetur, jure canonico ſubſiſtit *c. quamvis de pactis in 6.* Statuto, quia pluribus in locis ſtatutum eſt, ut exiſtentibus maſculis, fœminæ commodè dotatæ à parentibus ſucceſſione excludantur; & hoc ſtatutum approbat Covarruvias *loc. cit.* & viget præſertim apud Gallos ex lege ſalica, quâ fœminæ à Regni ſucceſſione excluduntur. Demum privilegio, quando Princeps aliquibus familijs concedit, ut tantùm mares jus habeant in bonis ſuccedendi: hæc autem ſtatuta ab aliquibus, vel maximè approbantur, dummodo fœminæ congruenter dotentur, ut poſſint honeſtè nubere juxta proprium ſtatum: ratio eſt, quia per fœminas tantùm abeſt, quòd familia conſervetur, ut potiùs extinguatur *l. pronuntiatio ff. familia.* Tum quia fœminæ filij non pertinent ad familiam, ex qua originem traxit fœmina, ſed ad familiam mariti, hinc rectè dixit Euripides *filij maſculi columna ſunt familiarum.*

TITULUS XII.

De Homicidio voluntario, & caſuali.

REctè Pontifex, cùm in præcedentibus titulis egiſſet de aliquibus homicidij ſpeciebus, nunc pergit agere de homicido in genere, quia tametſi, ſi attendamus ordinem doctrinæ ab univerſalibus incipiendum ſit, & inde deſcendendum ad particularia, ac proinde priùs de genere, quàm de ſpecie egerit Ariſtoteles: interdum tamen ex aliqua ſpeciali cauſa priùs agitur de ſpecie, quàm de genere, quæ ratio fuit, ut Pontifex hic præmiſerit ſpeciem generi; ratio autem præmittendi ſpeciem eſt ipſa criminis attrocitas. Quia verò homicidium poteſt eſſe voluntarium, & caſuale, ideo in præſenti Rubrica rectè etiam ſeparatur cauſa homicidij voluntarij, & caſualis, quia voluntas, & propoſitum delinquentis diſtinguit maleficia, ut ait Paulus J. C. *in l. 53. qui injuriæ ff. de* furt. & *in lib 5. ſentent. tit. 23.* ubi ajt: conſilium uniuſcujusque, non factum puniendum eſt.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

C. *SI QUIS* 1. *h. t. Statuitur illud Exodi, ut qui per inſidias, & induſtriam occidit proximum, ſit deponendus, ut moriatur, ſeu evellatur ab altari. Ex quo textu colligitur, eum, qui per inſidias hominem occidit, non gaudere immunitate eccleſiaſtica. Neque obſtat, quod in* c. inter alia de immunit. eccleſ. *duo tantùm dicantur extrahi ab eccleſia, ſcilicet publicus latro, & nocturnus agrorum depopulator: quia qui per inſidias hominem occidit, proditoriè id facit, proinde tale homicidium revocatur ad furtum publicum, & homicida ad publicum latronem: ſiquidem hujuſmodi homicidæ ſunt æquè noxij bono publico, quàm ſi publicè latrocinentur. Rurſus qui ſpe immunitatis in eccleſia, vel cœmeterio delinquunt, ut inde liberentur, non defenduntur* c. ult. de immunit. eccleſ. *& hoc eſt, quod dicitur in textu eſſe hujuſmodi delinquentes evellendos ab altari.*

C. *INTERFECISTI* 2. *h. t. Ex Pœnitentiali Romano ſtatuitur, ut, qui potuit aliter ſe defendere, & liberare, & nihilominus furem, vel latronem occidit, imponenda ſit eidem pœnitentia per 40. dies, quo tempore arcetur ab ingreſſu eccleſiæ, & indicitur illi abſtinentia à cibis, thoro, gladio, & equitatu. Rurſus ut tertia, quarta, & ſexta feria jejunet. Sin verò non potuit, aliter ſe liberare, & ſine odio occidit latronem, vel injuſtum aggreſſorem non imponitur ei pœnitentia, ſed ſi vult, poteſt jejunare, & eleemoſynas elargiri, Sin verò ſit Presbyter, non deponitur, ſed tamen quamdiu vixerit, debet pœnitentiam agere. Ideo non deponitur, ut notat Gloſſa, quia non eſt formaliter homicida; ſit tamen irregularis, quia potiùs debuit dimittere ſua, quàm illum occidere* c. ſuſcepimus h. t. *verùm cum illo diſpenſatur ex miſericordia, ut habeat beneficium ſine executione Ordinis. Cæterum textus loquitur de occiſione furis, vel latronis, qui poterat repelli ſine occiſione; & pœnas ſtatuit contra illos; quia in propria defenſione non ſervârunt moderamen inculpatæ tutelæ.*

C. *SI PERFODIENS* 3. *h. t. Ex D. Auguſtino ſtatuitur, quòd ſi quis occidat furem nocturnum, non imputatur ei homicidium; ſecus ſi diurnum, eò quia in die poterat cognoſcere, quòd venerat ad furandum, non ad occidendum, proinde non debebat occidi. Unde in legibus ſæcularibus impunè occiditur nocturnus fur, non verò diurnus niſi armis ſe defendendo, quia licitum eſt vim vi repellere* c. incontinenti c. ſine intervallo. c. ſi verò de ſent. excommun. *Sed poſt vim illatam non poteſt quis ampliùs percutere, quia percuſſio non eſſet in propriam defenſionem ad coërcendam vim, quæ ſibi infertur. Sunt tamen, qui cenſeant, poſſe aliquem prævenire alium, qui vult eum interficere. Cæterum leges ſæculares, quæ in hoc textu ex D. Auguſtino allegantur,* habentur l. itaque §. lex. ff. ad leg. Aquil. & l. furem ff. eod. ad leg. Cornel. de Siccar. *Leges verò Romanæ ſunt poſteriores legibus Moyſis. Quòd verò leges civiles dicant, licitum eſſe nocturnum furem, quoquo modo occidere, id debet intelligi juxta canones cum moderamine inculpatæ tutelæ.*

C. *CUM JURAMENTO* 4. *h. t. Ex D. Hieronymo ſuper* Matth. c. 14. *declaratur, quòd ſi quis promittat, & juret ſe facturum aliquid in genere non ſit id intelligendum, ſi ſit illicitum, ut homicidium: hinc ſi ſaltatrix ab Herode poſtulâſſet patris, vel matris interitũ, Herodes id facturus non fuiſſet: quod enim repudiaturus fuit in ſuis, contemnere debuit in Propheta. Hinc ſi quis abſolutè, & generatim promittit aliquid, non tenetur illud implere, ſi petatur aliquid illicitum, quia Herodes non credidiſſet, neque duxiſſet ſe teneri, ſi ſaltatrix poſtulâſſet ſibi afferri in diſco caput parentum ipſius.*

C. *SI ALIQUIS* 5. *h. t. Ex Concilio Guarmaicenſi ſtatuitur, ut qui ex libidine, vel odio homini, vel mulieri aliquid fecit, ut non poſſit generare, vel concipere, vel naſci ſoboles, teneatur ut homicida, quia impediens per remedia, vel venena, ne generetur, vel naſcatur proles, eſt cauſa, cur non naſcatur, & vivat homo, qui aliàs naſceretur, & viveret, unde reus eſt homicidij quantum ad pœnam legalem, immo etiam quantum ad ſpiritualem, ſeu peccatum, peccat enim lethaliter, qui impedit generationem prolis ex actione, ex qua debet oriri. Non tamen ſit irregularis, quia irregularitas non contrahitur niſi per actuale homicidium, quod non contingit niſi in fœtu jam animato, quia illud occiditur, quod vivebat, & erat animatum, cùm enim irregularitas ſit pœna, & contrahatur propter homicidium, debet contrahi ob homicidium propriè ſumptum, non verò extendi ad homicidium improprium, pœnalia enim ſunt odioſa, & reſtringi debent, non ampliari.*

C. *SICUT DIGNUM* 6. *h. t. reſcribit Alexander III. Epiſcopo Oxonienſi. Primò in exceſſibus ſingulorum debere diſcretum Judicem pro pœnitentia injungenda conſiderare omnes circumſtantias in qualitate pœnitentiæ imponenda, in quantitate, qualitate delicti; in ætate, ſcientia, ſexu, conditione delinquentis. Rurſus mandat Pontifex, ut conſiderentur etiam circumſtantiæ loci, & temporis, in quo fuit delictum perpetratum. Agitur in hoc textu de his, qui cooperati ſunt in morte Sancti Thomæ Cantuarienſis, &*

Ponti-

Pontifex reſcribit variè eſſe puniendos, illos qui animo occidendi, feriendi venerunt, & manus violentas injecerunt in ſanctum Antiſtitem. Et illos, qui venerunt, non ut ferirent, ſed ut percuſſoribus opem ferrent, ſi impedirentur, & hos vult minori pœna eſſe mulctandos. Rurſus alios, qui dicunt ſe Regem inflammâſſe, ac incitâſſe ad odium. & hos vult non ita ſeverè eſſe puniendos, niſi Regem ad illud homicidium ſuis ſuggeſtionibus incitâſſent. Rurſus declarat nec eos à culpa, & pœna eſſe liberos, tametſi fuerint ignari machinationis, qui Sicarijs ſcienter in ſarcinis cuſtodiendis miniſterium præbuerunt. Rurſus eos eſſe immunes à pœna mortis, qui ſancti viri, & ſuorum ſpolia tantùm occupârunt, ſed teneri occupata reſtituere illis, quorum intereſt, & vult eſſe mulctandos mitiori pœna. Demum vult Clericos, qui tanto facinori armati interfuerunt, & conſilium dederunt, ut Sanctus caperetur, non ſolùm ab altaris miniſterio deponendos eſſe, ſed ulterius, non poſſe in eccleſijs unquam lectiones legere, aut reſponſoria, ſed debere ſolos pſalmos cantare, & mandat eſſe claudendos in clauſtro Monachorum, vel Canonicorum Regularium, ſi fieri poſſit, & per ſeptennium, vel quinquennium etiam arcendos ab ingreſſu eccleſia. Ex hoc textu colligitur, homicidium committi non ſolùm facto, ſed etiam conſilio, & præcepto c. ſignificâſti h. t. ſi enim homicidium ſit voluntarium, fit, vel facto, vel præcepto, vel conſilio, c. ſi quis viduam diſt. 50. vel lingua, & exhortatione c. quod in dubijs de pœnis. & in his caſibus ſemper homicida eſt irregularis, nec debet promoveri, ſed in perpetuum deponi, ut in hoc textu, ubi Alexander III. decernit pœnas ſuper ſceleſtiſſima occiſione S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Martyris, quæ contigit anno reparatæ ſalutis 1171. ſub Rege Angliæ Henrico III.

C. PRESBITERUM 7. h. t. Idem Pont. declarat, eſſe deponendum ab officio ſacerdotali, & perpetuo removendum à miniſterio altaris Presbyterum, qui intuitu diſciplinæ percutit puerum in capite, vel alia parte corporis, ita tamen ut poſt paucos dies moriatur puer ex ipſa percuſſione, vel ex cauſa ipſius contrahat infirmitatem, ex qua moriatur. Ratio hujus textus poteſt aſſignari, quia quamvis correctio pueri fuerit ex genere ſuo licita, fuit nihilominus illicita quoad modum. eò quia fuit immoderata: hinc qui in caſtigando etiam licitè excedit limites diſciplinæ, ut committatur homicidium, non ſolùm Presbyter percuſſor declaratur irregularis. ſed etiam jubetur deponi: licèt Presbyter nunquam putâſſet ſe tali percuſſione puerum occiſurum, ac propterea ſit innocens quoad gratiam, & non peccaverit percutiendo, c. ſi quis non iratus 15. q. 1. Præterea qui dat cauſam infirmitati, ex qua quis moritur, fit irregularis c. de cætero 9. h. t. Immo ſi poſt infirmitatem puer convaleſcat, & poſtea ex recidiva moriatur, adhuc fit irregularis, quia ſola cauſa mortis ſufficit ad incurrendam irregularitatem c. ad audientiam 12. h. t.

C. CONTINEBATUR 8. h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi Clericus ludens aliquo ludo ſæcularium, vel cum ſæculari caſu aliquem occidit, non poſſit ordinari ſine diſpenſatione Papæ, nec miniſtrare in Diaconatu in aliquo tempore; poſſit tamen diſpenſari, ut miniſtret in Subdiaconatu: Ubi notat Gloſſa hunc Diaconum ideo ex morte laici incurriſſe irregularitatem, quia dedit operam rei illicitæ ludendo cum laico, quod non eſt licitum Clerico. Verùm non videtur per ſe prohibitum Clericis ludere ſimpliciter cum laicis, ſed tantùm per accidens, hoc eſt, ſi ludus aliquis dedeceat ſtatum clericalem. Quamobrem vera ratio, cur Diaconus incurrerit irregularitatem, eſt, quæ aſſignatur à Gloſſa, quia non adhibuit ſufficientem diligentiam, & cautelam, quam debuiſſet, cùm enim ſciret loci conſuetudinem, debuiſſet priùs falcem removere, erat enim Diaconus ille falce cinctus, quia redibat ex meſſe, & tali ludo luſiſſet, quo victores inſidebant victis, quibus pro equis utebantur, unde debuiſſet Diaconus ille omninò falcem illam abjicere, ne, ſi quis ipſum aſcenderet, feriretur.

C. LATOR 9. h. t. declarat idem Pont. homicidium purè caſuale ſine cauſa non impedire, quin aliquis ordinetur: cum enim Clericus in hoc textu cum alio clerico luderet, & ab illo projectus in terram in cultrum, quem ad latus habebat, incidiſſet, ac fortuito caſu occubuiſſet, ex vulnere ſibi inflicto, non impeditur alius Clericus liberè promoveri ad ſacros Ordines. Ratio, cur Clericus iſte non contraxerit irregularitatem, aſſignatur à Gloſſa, quia non ſolùm non luſit ludo illicito: verũ nec potuit à ſuo cultro tale periculum timere, ſicut à falce Diaconi in præcedente textu; unde cùm ludus fuerit licitus, & cum clerico, & ſolùm fuerit paſſus, nihilque fecerit, quod non contigit in præced. cap. ideo non ſit irregularis.

C. SUSCEPIMUS 10. h. t. Idem Pont. reſcribit, quòd qui ad ſua defendendum ligant latrones, & alter ligantium, ne deinde interimeretur, latrones occidit, ſimul peccant, ſiúntque irregulares, eò quia pro conſervandis rebus tranſitorijs, non debent homines interfici, id enim adverſatur manſuetudini eccleſiaſticæ. Ubi notat Gloſſa, textum loqui de Clericis, qui licèt poſſint latrones capere, ut res ſuas recuperent c. 1. de depoſ. c. ſi res 14. q. 6. non tamen ſua defendendo debent armis reſiſtere: ſecus enim eſt dicendum de laicis, qui poſſunt res ſuas armis tueri.

C. DE CÆTERO 11. h. t. reſcribit idem Pont. Diaconum, qui videtur homicidio cauſam dediſſe non eſſe promovendum ad ſacerdotium: ubi Gloſſa notat, id eſſe intelligendum de cauſa propinqua, non verò de remota c. exhibita 22. h. t. Verùm quia ex textu non apparet, an Diaconus, de quo loquitur Pontifex, homicidio cauſam dederit, vel ſaltem

id

id non ſit prorſus certum, & nihilominus Pontifex judicat, Diaconum illum contraxiſſe irregularitatem, infertur, hanc contrahi in dubio facti, an ſcilicet factum aliquod fuerit cauſa mortis, eo enim ipſo, quòd Diaconus, vel Sacerdos eſt cauſa facti, & dubitat, an ex eo, quòd fuerit cauſa facti, fuerit etiam cauſa mortis, contrahit irregularitatem.

C. *AD AUDIENTIAM* 12. *h. t.* *Clemens III. reſcribit de quodam Clerico, qui corrigens ſuum famulum, eúmq; verberans cum cingulo, quo cinctus erat, & caſu ex vagina egreſſus cultelus cingulo alligatus verberatum vulneraverit, & cum aliquando vixiſſet, & convaluiſſet à vulnere, & poſtea alia graviori infirmitate correptus deceſſerit, ſi conſtet, quòd ex alia infirmitate ſit mortuus, quàm ex vulnere, Presbyter eſt, & poteſt celebrare: ſin verò dubitetur, an ex vulnere fuerit mortuus, tunc Presbyter non debet in ſacris miniſtrare, ſed agere ſalutarem pœnitentiam: poſſet tamen ei concedi, ut in minoribus ordinibus miniſtret, & Pontifex nititur ea ratione, quia in dubio tutior ſententia eſt eligenda, quod tamen intelligendum eſt de dubio facti homicidij, quando conſtat, irregularitatem in tali caſu eſſe ſtatutam, & dubium ſit, an tale factum cauſaverit homicidium, ut in præſenti textu, an vulnus à cultro inflictum mortem intulerit: in hoc enim dubio facti, qui factum commiſit in utroque foro eſt irregularis: non ita in dubio juris, quando non dubitatur, an hoc, vel illud factum ſit, ſed utrum ob tale factum talis pœna in jure reperiatur impoſita. An verò id procedat de quolibet dubio facti, plures affirmant: ſed probabilior ſententia negat, quia textus loquitur tantùm de dubio homicidij, & cùm materia ſit odioſa, non debet ampliari ad caſus non expreſſos. Rurſus hæc irregularitas ſolùm incurritur in ordine ad ſuſcipiendos ordines, non autem quoad privationem beneficiorum, quia pœna ordinaria non eſt imponenda delicto dubio, ſed extraordinaria pro dubij qualitate.*

C. *DILECTUS* 13. *h. t.* *Innocentius III. declarat, quòd ſi clericus licitè, & ob licitam cauſam equitat, & equus ſine cauſa Seſſoris excuſſo, vel fracto fræno currit, & puerum interficit, non fiat irregularis, & poſſit propterea celebrare, quia non dedit operam rei illicitæ, nec voluntate commiſit homicidium, hinc notat Gloſſa, dantem operam rei licitæ, ſi caſu homicidium committatur ſine prævia culpa, non fieri irregularem. Quòd ſi de levi credebat poſſe frangi frænum, eſſet in culpa* c. ſignificâſti 16. h. t. *ut etiam ſi propter ſuam imperitiam, equus taliter laſcivíſſet. Cæterum ſolus actus homicidij non ſufficit ad incurrendam irregularitatem, niſi adſit voluntas, vel culpa, eſt autem homicidium voluntarium duplex, unum directè, & expreſſè volitum, & dicitur homicidium ex propoſito: aliud indirectè in cauſa valdè propinqua, ex qua ſolet talis effectus ſequi, ut ſi quis alterum vulneret punctim in pectore, vel caſim in capite, quia inflicta hæc vulnera ſolent lethalia eſſe. Ita homicidium caſuale aliud eſt, quod nec directè, nec indirectè, ſeu nec in ſe, nec in cauſa eſt volitum, & ideo mero caſui imputatur. Alterum quòd licèt præter intentionem accidat, & propterea ſit caſuale, videtur tamen volitum in cauſa, & per accidens, quia homicidium inde ſequitur: prius homicidium caſuale caret omni culpa, proinde etiam pœna, quia cum nullo modo ſit voluntarium, non eſt peccatum. Poſterius ſi effectus non ſit in cauſa præviſus, aut ſi præviſus ſit, ſufficiens cautela adhibeatur, ne ſequatur homicidium, & actus propter periculum homicidij non ſit ſpecialiter prohibitus, non incurritur irregularitas, & in hoc ſenſu Pontifex declaravit immunem ab irregularitate in hoc textu clericum, quia non prævidit fœminam cum infante futuram ſibi obviam in tali loco, nec equum potuiſſe frænum fregiſſe; unde quia Clericus non dedit tunc operam rei illicitæ, non contraxit irregularitatem: unde à ſenſu contrario, ſi dediſſet operam rei illicitæ, incurriſſet irregularitatem. Plures tamen valdè probabiliter cenſent, propter homicidium non præviſum, nec intentum, & poſt adhibitam debitam cautelam, ne ſequatur, ex opere illicito propter ſpeciale periculum homicidij non prohibito, non incurri irregularitatem, ut docent Covarruvias in* clement. furioſus p. 2. n. 9. *Vallens.* h. t. n. 7. *Ceſius ibid.* n. 69.

C. *EX LITTERIS* 14. *h. t. reſcribit idem Pontifex, eum, qui dat operam rei licitæ, & adhibita diligentia aliquis caſu interficitur præter omnem intentionem non fieri irregularem; niſi contra eum grave ſcandalum oriatur, vel tanta laboret infamia, ut ſit ei indicenda canonica purgatio, ut ſi Presbyter deponens de curru ſuum eijciat perticam factâ priùs diligenti circumſpectione, ſi puer quis inveniatur mortuus, non ſit irregularis, niſi adſit ſcandalum, quia hoc ſufficit ad reddendum hominem irregularem, tametſi res aliter ſe habeat, ſicque propter ſcandalum punitur etiam innocens* c. tua de cleric. ægrot. *ut etiam ob infamiam, ſi tanta ſit, ſed hæc purgatur* c. tua de cohabit. cler. *Cæterum ex hoc textu etiam colligitur, dantem operam rei licitæ, & præmiſſa omni diligentia, ne ſequatur homicidium; ſi hoc ſequitur, non ſit irregularis; ut in præſenti textu.*

C. *EX LITTERIS TUÆ FRATERNITATIS* 15. *h. t.* *Cum Monachus volens campanam deponere de campanili, & lignum quoddam decidens puerum oppreſſiſſet, & occidiſſet, mandat Pontifex, quòd ſi Monachus rem neceſſariam tunc egit, & utilem, & neminem credebat tranſire, aut ſolebat tranſire, poſſe illum præſertim in monaſterio ad altiores Ordines promoveri, quia Monachus iſte non potuit periculum homicidij prævidere in loco illo, ubi nullus conſueverat eſſe hominum tranſitus, & opus, quod exercuit, fuit licitum, proinde non contraxit irregularitatem.*

C. SIG-

C. SIGNIFICASTI 16. Cum Clericus quidam equitaret, & equus ſe in aquam projeciſſet, & eum calcaribus ſtimulâſſet, ut ſurgeret, & equus ſeſſore invito raptus in curſum obviam mulierem calcibus interfeciſſet, reſcribit idem Pontifex, quòd ſi clericus neſciebat equum tale vitium habere, debeat illi ad cautelam competens pænitentia injungi, quâ peractâ poſſit miniſtrare in ſuſceptis ordinibus, & etiam promoveri ad majores. Ex quo à ſenſu contrario infertur cum Gloſſa, quòd ſi Clericus ſeſſor ſciviſſet vitium equi, non fuiſſet ſine culpa. Ex quo ſequitur, etiam ex leviſſima culpa incurri irregularitatem.

C. PETRUS 17. h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi Clericus prohibeat fieri homicidium, & nullo modo dat cauſam homicidij, ſi ejus conſanguinei Clericum, ſeu Abbatem interfecerint, eò quia eum ſpoliaverit beneficio, non fiat irregularis, poſsitque officium miniſtrare, & promoveri ad ſuperiores ordines, ſi tamen eſſet infamatus, teneretur ſe purgare. Ratio, cur non contraxerit irregularitatem eſt, quia homicidium tale clerico nullo modo fuit voluntarium, immo directè involuntarium cum ipſo repugnante, & contradicente fuerit commiſſum, proinde cum non poſſit, nec directè, nec indirectè ei imputari homicidium, nullo modo peccavit, proinde non contraxit irregularitatem, quia hæc eſt pœna, quæ ſupponit culpam. Si tamen eſſet infamatus, non poſſet promoveri, niſi ſe purgaret c. ex tua de purgat.

C. SIGNIFICASTI 18. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi Clericus percutiat ſacrilegum aſportantem ab eccleſia Euchariſtiam, & ornamenta, & alij ſæculares hoc idem videntes percutiant etiam eundem ſacrilegum, & occidant, & ignoretur, an percuſſio facta fuerit à clerico ad mortem; ita debeat judicari: ſin autem poſſit conſtare, quòd percuſſio facta à clerico non fuit lethalis, ex qua propterea ſola ſine alijs non fuiſſet ſacrilegus ille mortuus; ſi tunc percuſſor Clericus non habuit voluntatem occidendi, neque ex ipſius conſilio, & mandato alij vulnerârunt ſacrilegum, non ſit judicandus irregularis, ſed poſt pœnitentiam injunctam ad cautelam miniſtret in officio, dummodo poſſit celebrare officium ſacerdotale ſine ſcandalo. Quòd ſi res ſit dubia, ut diſcerni non poſſit, a quo vulnere percuſſus interierit ſacrilegus, in hoc dubio facti Clericus percuſſor incurrit irregularitatem. Rurſus ſi ſacerdos fuit priùs percuſſus à ſacrilego, & poſtea eum percuſſit cum ligone in capite; ſit etiam irregularis tum ratione inſtrumenti, quod cum grave ſit, non ſolet vulnus leve infligere, tum ratione partis percuſſæ, ſeu capitis, quod tunc lethaliter læditur. Neque obſtat, leges omnes permittere vim vi repellere, quia id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ non ad propulſandam injuriam, nec ad ſumendam vindictam. Ubi notat Gloſſa, ſolam voluntatem imputari in homicidio, licèt ex vulnere percuſſus non fuiſſet mortuus c. quia Prælatus. Rurſus in dubio ſacerdotem eſſe cenſendum homicidam, & tutiùs eſſe à ſacerdotali officio abſtinere: canones enim id ſtatuerunt de dubio facti in materia homicidij, ut tantò magis à delicto homicidij abſterrerent: præſertim cum ex crimine homicidij oriatur ſpecialis indecentia ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, & exercendos. Ceterum quando unus vulnerat, & alter occidit, Primus ſecundùm leges non tenetur niſi de vulnerato; & ſecundus de occiſo, ſecus tamen contingit juxta canones c. ult. 25. q. ult.

C. TUA NOS 19. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi Religioſus peritus Chirurgus exerceat chirurgiam cum omni diligentia, & gratis pietatis, non quæſtûs causâ, ſi ex ea mors ſequatur fiat irregularis, eò quia deliquerit uſurpando alienum officium, quòd illi non conveniebat. Verùm poſt actam pœnitentiam poteſt cum ipſo diſpenſari, ut celebret. Rurſus declarat Pontifex, quòd ſi Clericus tradat Judici ſæculari inſignia relicta à fure, à quo fuit vulneratus, ut pugionem, calceos, pileum, licèt fur ille à Judice interficiatur, non fiat Clericus ille irregularis, & poſſit promoveri ad Ordines. Notandum eſt, Pontificem in hoc textu loqui hypotheticè, ſi tamen causâ pietatis omnem, quam debuit diligentiam, adhibuit: Utrum autem adhibuerit, relinquit in dubio, & cum non videatur pro certo poſſe deprehendi; meritò in dubio facti homicidij caſualis ſecundùm rigorem juris Monachus eſſe declaratur irregularis, eò quia dederit operam rei, quæ minimè erat Monacho licita: ſiquidem uſurpavit officium alienum, quod illi non congruebat.

C. SICUT 20. h. t. reſcribit Pontifex, eum, qui facit mulierem prægnantem abortiri, ſi fœtus erat animatus fieri irregularem, ſecus ſi non erat animatus. Ubi notandum eſt, fœtum maſculum ordinariè intra 40. dies animari, fœminam verò intra 80. interdum tamen ob calidiorem, & frigidiorem naturam matris tardiùs, vel citiùs.

C. POSTULASTI 21. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi Clericus civiliter petat juſtitiam ſimpliciter à Judice ſæculari contra laicum, non fiat irregularis, ſi Judex illum puniat pœnâ mortis: ratio eſt, quam aſſignat Gloſſa, quia tunc, quòd puniatur pœna mortis, eſt præter intentionem Clerici, proinde non poteſt Clerico imputari ad irregularitatem, ſi contra ſuos Malefactores querimoniam apud Judices ſæculares deponat. Hodie tamen tenentur Clerici deponentes hujuſmodi querimonias priùs proteſtari expreſsè, quòd non intendant, nec velint vindictam, ſeu pœnam ſanguinis, ut habetur in c. Prælatis 2 h. t. in 6 alioquin ſi Clerici non auderent conqueri coram Judice, aperiretur pluribus via ad eos inſultandos, & trucidandos.

C. EXHIBITA 22. h. t. Honorius III. declarat, quòd ſi puer ludens cum alio puero fugiente ad terrorem lapidem projiciat, nec tangat, ſed puer fugiens incidens in alium

lapidem cadat, & vulneretur, ex quo vulnere deinde per imperitiam medici, & incuriam patris moriatur, ſi inſequens veniam petat à patre defuncti, & pater affirmet, ac juret, eum nihil commiſiſſe in morte ſui filij, poſſit puer ille inſequens ordinari, & non ſit irregularis. Ratio eſt, quia talis caſus fuit plenè fortuitus, & non potuit prævideri, nec caveri. Rurſus puer dabat operam rei licitæ, quia licitum eſt pueris ſimul hoc modo ludere, nec projectio lapidis fuit cauſa, ut ad alium lapidem alter impingeret, quia ad illum fortaſſis impegiſſet, tametſi alius nullum projeciſſet lapidem.

C. *JOANNES 23. h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi ſacerdos det operam rei licitæ, ut pulſando campanam ad congregandum populum ad divina, ſi ex caſu omnino fortuito, & ſine ſua culpa cadens tintinnabulum prætereuntem interficiat, non ſit irregularis, quia homicidium prorsùs fortuitum, cùm culpa vacet, caret pœna, proinde ob illud non incurritur irregularitas.*

C. *PETITIO 24. h. t. reſcribit idem Pontifex, Clericum, qui contra inimicos Chriſtianorum ut Saracenos, pugnat cum alijs, & hinc inde multi occiduntur, ſi dubites, an aliquem interfecerit, ex eo, quòd aliquos percuſſerit, debere in tali dubio abſtinere ut irregularem. Ubi notat Gloſſa, poſſe Clericos in bello juſto hortari quidem milites contra hoſtes ad pugnam* c. igitur 23. q. ult. *non tamen poſſe propria manu pugnare* c. ex mult. de vot.

C. *QUIDAM 25. h. t. reſcribit Gregorius IX. quòd ſi Presbyter dans operam rei licitæ adhibeat totam illam diligentiam, quam debet, ſi poſtea ſequatur mors alicujus, non fiat irregularis quoad officium, nec quoad beneficium, quia non tenetur prævidere omnes caſus fortuitos, ſed ſufficit, ſi tempeſtivè altâ voce præmonuerit circumſtantes, quibus periculum imminebat. Ex quo textu notandum eſt, per impedimentum beneficij, vel officij in jure canonico ſignificari irregularitatem, quæ non incurritur ob caſum merè fortuitum, quia ut notat Gloſſa caſus fortuiti, non imputantur alicui, niſi præceſſerit culpa, mora, vel pactum* c. bona fides de depoſ.

IN SEXTO.

C. *PRO HUMANI 1. h. t. Innocentius IV. unà cum Concilio Lugdunenſi ſtatuit, ut qui per Aſſaſſinos fecerit interfici aliquem Chriſtianum, vel mandaverit, quamvis mors non ſequatur: vel eos receperit, defenderit, vel occultaverit, incurrat ipſo facto excommunicationem, & depoſitionem à dignitate, honore Ordine, officio, & beneficio; adeò ut hæc omnia poſſint ab eo, ad quem pertinet collatio, conferri alijs, imò declaratur etiam perpetuò diffidatus à toto Chriſtiano populo cum ſuis mundanis bonis, & poſtquam probabiliter conſtiterit, aliquem hujus ſceleris reum eſſe, alia excommunicationis, ſeu diffidationis ſententia, contra ipſum non requiratur. Eſt textus iſte, ut notat Gloſſa localis, pro illis, qui Romam proficiſcentes interficiebant, & loquitur de Aſſaſſinis, qui ſunt ſub Dominio alicujus Principis. Aſſaſſinus is dicitur, qui aliquem Chriſtianum mandat alteri pretio occidi, vel etiam ipſe interficit, ut notat Cardinalis Tuſchus* V. Aſſaſſinium, *nec refert, ſi homicidium fiat ſolutâ actù pecuniâ, vel tantùm promiſſâ, ut notat Tuſchus* loco cit. *ubi etiam* n. 3. *addit, hoc nomen aſſaſſinij non eſſe locale, ſed generaliter comprehendere omnes, qui pecuniâ ſolutâ, vel promiſſâ Chriſtianum interficit, vel mandat interfici. Quòd verò in textu dicatur* perpetuò diffidatus, *notandum eſt diffidare, idem eſſe, ac ſeidam, ac bellum indicere, & hoſtem declarare. Eſt etiam diffidatus idem, ac Bannitus, ac proſcriptus: hinc aſſaſſini ſunt perpetuò diffidati, ſeu Banniti.*

C. *PRÆLATIS 2. h. t. Bonifacius VIII. reſcribit, quòd Prælati, & Clerici de ſuis malefactoribus poſſint querelam deponere coram Judice ſæculari, & petere emendam ſibi fieri, & provideri, ne contra eos de cætero talia fieri præſumant, tametſi in tali caſu debeat Judex pœnam ſanguinis irrogare, dummodo Clerici priùs expreſſè proteſtentur, quòd nolint pœnam ſanguinis irrogari contra accuſatum: unde licèt non obſtante hac proteſtatione procedat ſecundùm jura, & mortem inferat, non fiunt Prælati, & Clerici irregulares. Ex quo textu liquet, eccleſiam ſemper abhorrere etiam in ſuis Miniſtris ab humanô ſanguinis effuſione, & ad illam impediendam induxiſſe etiam irregularitatem, quæ contrahitur ex defectu lenitatis ab omnibus publicæ juſtitiæ Miniſtris; ſive ſint præſides, ſive Cooperatores, ſive Executores, dummodo aliquo modo ſint cauſa mortis, vel mutilationis* c. ex litteris de exceſſibus Prælatorum c. quæſitum 23. q. 4. *Eſt autem hæc irregularitas ex defectu lenitatis ab eccleſia introducta. Primò quia par eſt, ut Miniſtri Eccleſiæ Chriſtum imitentur, qui neminem læſit. Secundò quia lex evangolica, cujus Clerici ſunt Miniſtri, neminem pœna mortis, vel mutilationis judicat puniri. Tertiò, quia ſacrificium altaris, ad quod Ordines referuntur, eſt ſacrificium vitæ, & redemptionis.*

C. *IS QUI ult. h. t. reſcribit idem Pont. eum, qui mandat aliquem verberari, licèt expreſſè prohibeat, ne occidatur, vel mutiletur, fierò nihilominus irregularem, ſi mors, vel mutilatio ſequatur, eò quia mandando fuit in culpa, & debuiſſet cogitâſſe, quòd mors ex verberibus evenire potuit, quatenus verberans potuit excedere fines mandati. Ratio eſt, quia tale mandatum cenſetur ex ſe eſſe expoſitum periculo, idque ex ſpeciali juris diſpoſitione in hoc caſu ſpeciali: quia extra hanc materiam non ſemper culpa mandatarij excedentis fines mandantis imputari debet, nec poteſt mandanti. Cæterum notat Gloſſa, quòd ſi quis det operam rei illicitæ, omnia, quæ inde ſequuntur, illi imputantur. Notandum*

ta-

Digitized by Google

tamen ad incurrendam irregularitatem requiri mutilationem membri, & non ſufficere debilitationem, quâ etiam reddatur inutile. Rurſus digitum non eſſe membrum, ſed officium membri, proinde ob ejus amputationem non incurri irregularitatem. Rurſus notandum eſt, regulariter ſolum Papam diſpenſare ſuper irregularitate, & ratio eſt, quia irregularitas non imponitur niſi per jus canonicum, quod cum totam ſuam authoritatem habeat à ſolis Pontificibus, vel ab ipſis, & Concilijs, nemo inferior Pontifice poteſt irregularitatem tollere; non enim inferior poteſt quidquam circa jura, & leges Superioris ſecluſo privilegio. Et licèt poteſtas diſpenſandi cenſeatur tacitè conceſſa Epiſcopis in omnibus, quæ Papa ſibi expreſſè non reſervavit, id tantùm procedit, niſi ex communi uſu, & praxi Papam diſpenſationem aliquam ſibi reſervâſſe colligatur: diſpenſatio autem in irregularitate ex communi uſu, & praxi Curiæ cenſetur reſervata Papæ, præſertim ſi oriatur ex delicto publico, quia Epiſcopi poſſunt diſpenſare in ijs irregularitatibus, quæ proveniunt ex delicto occulto juxta Tridentinum ſeſſ. 14. c. 6. *excepto homicidio voluntario, aliiſque deductis ad forum contentioſum.*

IN SEPTIMO.

C. *AD RETINENDOS* 1. *h. t. Pius III. declarat pœnas contra homicidas, & eorum fautores, cùm enim crimen homicidii ſit perniciosum Reipublicæ, ac deteſtabile, ſtatuit, ut juxta canonicas ſanctiones gravi animadverſione puniatur, ut tanto ſeveriùs extirpetur, quanto manifeſtiùs ex illo plura ſequuntur ſcandala. Primò ſtatuit, ut homicidis non detur ſalvus conductus repetendi patriam, tametſi injurijs, & damnis partium ſatisfecerit. Secundò, ut non ſit locus appellationi Bannitis ob homicidium. Et ut exilij fines 50. milliaribus à loco delicti extendantur. Tertiò, ut homicidij notorij rei, vel de homicidio infamati, ſeu condemnati non obſtante quacunque remiſſione, ceſſatione, vel annullatione ſententiæ, non poſſint habere officia, vel dignitates in quibuſcunque locis civitatibus, & terris, à quibus Banniti fuerint, in quibus domicilium eorum, & originem habuerint, ſeu aliam moram traxerint, vel reſederint, tametſi fuerint abſoluti, & rebanniti.*

C. *DEO* 2. *h. t. Sixtus IV. contra homicidas DEO, & hominibus exoſos innovat, & confirmat conſtitutionem Pij II. ac ad ferociorem petulantiam coërcendam adijcit alias pœnas, & ut contra illos procedatur, tametſi haberent ſalvum conductum, & licentiam ſecurè manendi in loco patrati criminis. Quòd ſi contingeret, Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem ad remiſſiones, ſive ſalvum conductum hujuſmodi procedere, talis remiſſio cenſeatur proceſſiſſe per præoccupationem, ut nemini prodeſſe poſſit, niſi in illa verè præſentium litterarum tenor de verbo ad verbum, non autem per clauſulas idem importantes inſertus foret, & ſpecifica, ac determinata cauſa exprimeretur, quæ Pontificem induceret ad derogandum præſentibus.*

C. *DUDUM* 3. *h. t. Julius II. renovat, & confirmat conſtitutionem Pij II. contra homicidas, & declarat homicidij Reos, & exules ob quodcunque capitale ſcelus bannitos recipientes, tuentes, faventes eſſe obnoxios pœnis canonicis, & à jure ſtatutis.*

C. *CUM NOS* 4. *h. t. Pius IV. ſtatuit, ut Reus homicidij in carcere conſtitutus audiatur, nec priùs ad locum cædis remittatur, quin juri hæredum occiſi ſatisfecerit.*

C. *LICET ALIAS* 5. *h. t. Sixtus V. ſtatuit, ut Rei pro cujuscunque flagitij culpa ad capitalem pœnam damnati etiam per contumaciam non audiantur, niſi in carceribus conſtituti, & hæredibus eorum, ad quos actio pertinet citatis.*

C. *PIÆ MEMORIÆ* 6. *h. t. Idem Pont. declarat, & confirmat conſtitutiones à ſuis prædeceſſoribus editas, & ſanctiones piè, ac juſtè emanatas contra homicidas, & mandat omnibus communitatibus, & univerſitatibus, ut in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna majoris excommunicationis, aliiſque injungendis à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, debeant eoſdem Sicarios, & bannitos in eorum civitatibus, caſtris, terris, & locis commorantes, ſeu per eas, & ea tranſeuntes capere, & ad populum convocandum, & coadjuvandum, campanas pulſare debeant, eóſque ſicarios ad carceres conducere, aut Curiæ temporali conſignare.*

C. *HOC NOSTRI ult. h. t. Idem Pontifex contra ſicarios, bannitos, latrones, homicidas renovat, & confirmat omnes, & ſingulas conſtitutiones editas à Pio II. Paulo II. Sixto IV. Julio II. Leone X. Clemente VII. Julio III. Pio IV. Pio V. & Gregorio XIII. cum omnibus, & ſingulis in eis contentis excepta ſententia excommunicationis per eaſdem conſtitutiones in ipſos contravenientes promulgata, quam ne animarum perniciem potiùs, quàm ſalutem adferat, conſultò ducit tollendam, & ſubmovendam.*

IN CLEMENTINIS.

C. *SI FURIOSUS unic. h. t. Clement V. declarat, quòd ſi Furioſus, vel infans, ſeu dormiens hominem mutilet, & occidat, non fiat irregularis, nec ille, qui mortem aliter vitare non valens occidit, vel mutilat ſuum invaſorem, quod tamen intelligendum eſt cum moderamine inculpatæ tutelæ, & ſi aliter non poteſt mortis periculum evadere: quia etiam honeſta perſona, ut notat Gloſſa, cui eſt dedecus fuga, ſi cùm poſſit fugere, interficit ſuum invaſorem, fit irregularis.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit Homicidium, quotuplex, & quæ requirantur ad ipſum.

1 HOmicidiom dicitur, cùm homo cæditur, ſeu occiditor; adeò ot à cæde ſuam homicidium trahat nomenclationem *c. ſi homicidium 41. cauſ. 23. q. 5* & *l. ita vulneratus in princ.* Clariùs tamen definitur à Weſenbec. *in paratit. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* *Exanimatio humani corporis violenter facta ab homine, vi cujus anima ſeparatur à corpore:* dicitor. *Exanimatio humani corporis*, quia per homicidium corpus humanum privatur vitâ, & exanime remanet, potredini expoſitum. Dicitur *ab homine facta*, quia homicidium eſt cædes facta ab homine io alium hominem: quando eoim homo occiditur à fera, propriè non eſt homicidium, nec fera propriè dicitur commiſiſſe homicidium, ſed taotùm trocidâſſe hominem; cujus nomine hîc compreheoditur quilibet homo cujuscunque ſit ætatis, ſexûs, vel conditioois *l. 1. §. & qui hominem ff. de homicid.* Reus homicidij olim adeò erat abomioandus, ot arceretur à ſacris, & in foto qooad judicium damnatus eſſet: ſed hodie ob immuoitatem eccleſiaſticam ſacrorum ædes ijs patent, quos conſtat eſſe in reatu cædis: habentur enim templa, & ſacræ aræ loco aſyli.

2 In jure canonico homicidium quantom ad pœnas contrahendas duplex eſt, voloota rium unum, alterum caſuale: illod dicitor, quod eſt per ſe intentum, ſeu procuratom, & contingit dupliciter. Primò, cùm quis ſtudio, & expreſſa inteotione, & aoimo aliqoid agit, ut inde mors alterius ſequatur. Secuodò cùm quis opus aliquod facit, quod ſuapte natura ordinatur ad mortem alicujus, licèt ex intentione operantis ooo dirigatur ad talem necem inferendam: ot ſi quis lethale veoenum porrigat ſine animo occidendi, vel vulnus infligat mortale ſine intentione occidendi. Et hoc homicidiom dicitor indirectè voluntarium. Eſt igitur homicidium voluntarium, quod deliberatè committitur, vel ex directa intentione occidendi, & hoc propriiſſimè dicitur homicidium directè, eò quia ex directa intentione patretur, & diſtioguitur ab homicidio indirectè voluntario, eò quia hoc tunc contingat, cùm quis id facit ex quo per ſe, non per accidens ſeqoitur mors alterios, licèt hanc oon intendat. Sobdividitur autem homicidiom tam directè, quàm indirectè voluntariom in illicitum, & licitum: illud eſt injurioſum, & repugnat legi divinæ, & naturali, ut etiam juri civili: alterum poteſt eſſe licitum, ut cùm fit ad ſui neceſſariam defenſionem cum moderamine incolpatæ tutelæ, & tooc vacat culpâ, & pœnâ: quia propria defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ eſt de jore naturæ.

3 Hinc homicidiom voluntarium poteſt eſſe illicitum, vel licitum: & priori modo poteſt eſſe vel directè voluntariom, ſeu per ſe intentum, eò qoia fiat deliberato animo occidendi homioem: vel tantùm indirectè in cauſa, adeò tamen propinqua, ut moraliter certum ſit, homicidiom ſecuturum, tametſi in ſe non intendatur formaliter, & explicitè; ut ſi quis poculum veneno infectom alteri præbeat cum morali periculo, ut ex tali hauſtu mori debeat: tametſi expreſsè non habeat animum illum occidendi, committit tamen indirectè homicidiom voluntarium, eò quia directè intendat dare poculum venenatum alteri. Homicidium voluntarium, ſed licitum, quod & neceſſariom dici ſolet, eſt defenſivum, vel punitivum; illud contingit, cùm quis ab injuſto aggreſſore cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendit eum occidendo, eò quia aliter non potuiſſet ipſe mortem fugere. Punitivum eſt, quod fit poblica auctoritate Magiſtratûs ad puoieoda delicta, oe ſcilicèt ſcelera graſſeotur, nec Reipublicæ tranquillitas turbetur.

4 Homicidium caſuale dicitur, quod contingit caſo, & præter intentionem agentis, vel omittentis opos aliquod, unde alterius mors conſequitur; adeò ut homicidiom caſuale ſit, quod nec in ſe, nec in ſua cauſa ſit volitum, ut ſi quis ſolitus inter dormiendum ambulare pugionem arripiat, & alium occidat *c. Presbyterum. Cap. dilectus h. t.* Tunc homicidium dicitur contiogere præter intentionem occidentis, proinde dicitur caſu contigiſſe, quatenus caſus eſt cauſa agens præter intentionem, ut notat Covarruvias *in clement. ſi furioſus.* Rurſus homicidium aliud dicitur ſimplex, & aliud qualificatum. Simplex eſt, cùm quis alium homioem nulla ſpeciali qualitate ſpectabilem occidit: qualificatum eſt, ſi filius occidat patrem, vel aliquem ſibi ſanguine junctum, & virum Religioſum, vel Epiſcopum, aut ſacerdotem, hæ ſiqoidem omnes perſonæ ſunt qualitate inſignitæ reſpectu occiſoris, proinde homicidium non eſt ſimplex, ſed qualificatum; ut etiam, ſi quis ex inſidijs alium occidat, quia injuſtè id facit; vel proditoriè, quando quis nolla præcedente inimicitia, vel rixa ſub ſpecie amicitiæ alium à tergo occidit, vel ſi per aſſaſſinium occidatur homo, adeò ut occiſor ad aſſaſſinium committendum ſit ab alio

pe-

pecuniâ conductus, ut notat Julius Clarus *lib. 5. ſent. §. homicidium. n. 8.*

5 Ut autem homicidium voluntarium ſit injuſtum, requiritur, ut commiſſum ſit per directam, vel indirectam, & expreſſam voluntatem occidendi; adeò ut voluntariè, & expreſsè ponatur talis actio, ad quam mors ipſa ſequatur, vel mediatè in ſua cauſa proxima, ſeu in tali actione, ex qua ſoleat ſemper certè, & inevitabiliter mors ſequi, adeò ut poſita tali actione moraliter non ſit poſſibile, quin mors ſequatur. Homicidium enim voluntarium poteſt eſſe, vel directè, & expreſsè volitum, & dicitur ex propoſito: vel indirectè in cauſa valdè tamen propinqua, & ex qua ſit moraliter impoſſibile, ut non ſequatur talis effectus, & tunc tale homicidium cenſetur etiam abſolutè, & ſimpliciter voluntarium; ut ſi quis etiam ſine expreſſa voluntate occidendi, abſolutè tamen velit illum punctim gladio ferire in pectore, & corde, vel cæſim in capite; tunc enim, quia ex tali vulnere cordi inflicto ſequitur ſemper homicidium, cenſetur hoc ſimpliciter, & perfectè voluntarium ſaltem mediatè, ſeu mediante cauſa proxima, ad quam infallibiliter ſequitur mors, cujuſmodi eſt vulnus cordi inflictum; hæc enim eſt cauſa proxima, quia habet infallibiliter annexum homicidium; ideò qui vult talem cauſam moraliter, & in cauſa cenſetur etiam velle ipſum homicidium ſaltem implicitè in ſua cauſa, tametſi explicitè illud tunc non intendat.

6 Juvat obſervare, aliud eſſe ponere cauſam, ad quam per ſe ſequitur homicidium, & aliud ponere cauſam, cum qua nonniſi per accidens homicidium nectitur: in primo caſu propter neceſſariam connexionem, qui vult explicitè cauſam, cenſetur ſaltem implicitè, & in actu primo velle etiam effectum; non ita quando hic tantùm per accidens nectitur cum tali cauſa; tunc enim poteſt quis intendere cauſam explicitè, & non intendere effectum, nec implicitè, nec explicitè. Hinc ſi quis gladio tantùm intendat leviter alium vulnerare in parte corporis minus nobili, & periculoſa, adeò ut voluntas vulnerantis non ſit lethale vulnus infligere, nec alium occidere; ſed tantùm leviter eum vulnerare; tunc enim ſi ex vulnere inflicto manui, vel brachio mors ſequatur, cenſetur ſequi præter intentionem vulnerantis, & tantùm per accidens, eò quia ad tale vulnus moraliter non ſoleat mors ſequi.

7 Homicidium directè voluntarium, & per inſidias commiſſum ſemper eſt illicitum, & peccatum graviſſimum puniendum morte Occiſoris, idque deſumitur *ex c. ſi quis per induſtriam 1. h. t.* ubi habetur: ſi quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, vel per inſidias, deponendus eſt, ut moriatur, ſeu evellatur ab altari; adeò ut occidens hominem per inſidias non gaudeat immunitate eccleſiaſtica: & quamvis plures, præſertim Sarpus *de jure aſylor.* Sanchez *tom. 2. conſil. lib. 16. c. 1. dub. 9.* Gutteres *lib. 1. pract. qq. quæſt. 2. n. 4.* cum Panormitano intelligant hunc textum de clericis, qui ob homicidium voluntarium evellendi ſunt ab altari, cui peculiariter ſunt mancipati, ut pœnam luant ultimi ſupplicij pro patrato ex inſidijs homicidio: nihilominus communior ſententia, quam docent Thomas Delbene *de immunit. eccleſ. c. 16 dub. 2. ſect. 1.* Marquez *in ſua guber. c. 21. §. unic.* & alij, quos plena manu congerit Barboſa *in d. c. ſi quis 1. h. t.* aſſerit, textum generatim, & indiſtinctè comprehendere omnia homicidia voluntaria, & per induſtrias patrata: unde nulla ſuppetit ratio limitandi verba generalia hujus textûs ad ſolos Clericos; præſertim cùm iſti tametſi attrociora etiam perpetrent ſcelera, non priùs tradantur Curiæ ſæculari, quàm fuerint degradati. Tum quia Clerici, ſi committant homicidium voluntarium etiam per inſidias perpetratum, non poſſunt per judices ſæculares ab Eccleſia, in quam confugerunt, extrahi, ut communior docet ſententia cum Covarruvio *lib. 2. variar. c. 20. n. 7.* & Aldrete *de relig. diſciplin. lib. 2. c. 26.* Quamobrem textus *ſi quis 1. h. t.* veriùs intelligitur de homicidijs proditorijs per inſidias commiſſis, quæ non gaudent immunitate eccleſiaſtica; proditorius autem homicida is dicitur, qui cùm nulla præceſſerit cauſa rixæ, vel diſcordiæ ſub ſpecie amicitiæ ſecurè à tergo occidit innocentem, nil tale ſuſpicantem *l. propter inſidias 14. C. qui accuſare l. final. C. de aleator. c. ſi cupis 16. q. 1.* & Thomas Delbene *de immunitat. Eccleſ. c. 16. dub. 20. ſect. 1.* Fachinæus *lib. 9. controverſ. c. 93.*

Cæterum homini privato nec licitum eſt occidere propria authoritate maleficum, & facinoroſum, quia non licet interficere peccatores niſi ob bonum publicum; perinde ac non eſt licitum amputare brachium, vel pedem niſi ob ſalutem corporis: procuratio autem boni publici pertinet ad publicam poteſtatem, quæ eſt in Principe, vel Magiſtratu, proinde ad ſolum Principem pertinet malefactores abradere è Republica, ut fusè oſtendit D. Auguſtinus *lib. 1. de civit. c. 17. 21. & 29.* Quòd ſi nonnunquam permittitur, ut poſſit quivis publicos occidere hoſtes Reipublicæ, & proſcriptos, tunc non privata, ſed publica authoritate occiſor hoſtem Reipublicæ, vel proſcriptum occidit: ſicut enim Reſpublica, & Princeps poteſt hanc facultatem dare carnifici; ita etiam cuilibet alteri; & tunc quilibet occiſor authoritate publica, & non privata hoſtes Reipublicæ proſcriptos occidit. 8

Solet Princeps hanc authoritatem nonnunquam concedere omnibus; adeò ut unicuique licitum ſit, talem facinoroſum occidere, quando crimen, quod commiſit, eſt attrociſſimum, & alia ratione non poteſt delinquens puniri, & tamen expedit, ut puniatur ad terrorem cæterorum, vel ne plura ampliùs ſcelera perpetret. Habet enim reſpublica facultatem occidendi homines delinquentes, idq; ratio naturalis etiam ſuadet, quia pars eſt propter totum; & ſicut ob conſervationem totius corporis po- 9

reſt brachium abſcindi; ita etiam ob bonum reipublicæ, & ne ſcelera impunè graſſentur, poteſt Magiſtratus ſubditos delinquentes, ot membra putrida exſcindere, & morte delere.

10 Neque obſtat, ſi dicas, non quosvis peccatores poſſe à poteſtate publica occidi, ſed eos tantùm, quos DEUS in veteri teſtamento expreſſit: quia DEUS *Exod. 20.* & *Matth. 5.* abſolutè prohibet hominis occiſionem, unde videtur non eſſe licitom, hominem quantumvis facinoroſum occidere, niſi DEUS diſpenſet in ſuo præcepto, & DEUS non diſpenſavit, niſi in quosdam, qui excipiuntor *Exod. 22.* Nam contra eſt, quia ſi illos ſolos liceret occidere, quos DEUS excepit *Exod. 22.* ſcilicet Maleficos, blasphemos, adulteros, violatores ſabbathi, & alios paucos, in novo teſtamento nunquam licitum eſſet quemquam quantumvis malefactorem occidere: ratio eſt, quia leges, quibus in veteri teſtamento præcenſiti malefactores occidebantur, erant judiciales, & accommodatæ ſtatui illius populi, quæ proinde unà cum lege ceſſârunt, & in novo teſtamento nil de his, vel alijs occidendis habemus.

11 Quamobrem generatim Reſpublica habet authoritatem puniendi malefactores juxta gravitatem delictorum; proinde etiam ultimo ſupplicio; quia ob incolumitatem totius corporis æquum eſt, ut membrorum unum, vel alterum putridum exſcindatur, ne totum corpus corrumpatur, & pereat. Hinc Apoſtolus ad *Rom. 13.* loquens de Principe ait: *Non ſine cauſa gladium portat, DEI enim Miniſter eſt, vindex in iram illi, qui malè agit.* Cæterum præceptum illud Decalogi *non occides*, intelligitur de innocentibus, & qui nihil mali egerunt, quo mori mereantur juxta illud: *Juſtum innocentem non interficies.* Rurſus communiter etiam explicant præceptum illud non occidendi de occiſione, quæ fiat privata authoritate, & non ſervato ordine juris.

§. II.

De Homicidio inculpabili.

1 Quia culpa ſupponit libertatem, & rationem voluntarij, ideo ſi dari poſſit homicidium, quod careat voluntario, & non procedat ex principio libero, procul dubio tale homicidium erit inculpabile, tale eſt, quod committitor à viro furioſo, qui non ſit ſui compos; vel ab infante nondum utente ratione, vel à dormiente, ut deſomitur ex *clement. 5.* in Concilio Viennenſi *c. ſi furioſus clement. h. t.* ubi habetur, ſi furioſus, vel infans, ſeu dormiens hominem motilet, vel occidat, non fit irregularis, ot nec ille, qui mortem aliter vitare non valens occidit, vel mutilat ſuum invaſorem.

2 Hinc durante furiâ, quæ tamen talis ſit, ut furioſum prorſus alienet ab uſo rationis, ſi hominem occidat, immunis eſt ab omni culpa, conſequenter etiam à pœna, cùm hæc non niſi propter culpam infligatur *l. ſed etſi 5. §. 2. ff. ad leg. Aquil.* unde furioſus dicitur poſſe quidem injuriam pati, ſed non facere *l. illud 3. in princ. ff. de injur.* eo enim ipſo, quòd furioſus uſu careat rationis, non poteſt in ſuis actionibus liberè operari, proinde quod tunc durante furore agit, nec ad culpam, nec ad meritum ei imputatur, defectu libertatis, & advertentiæ, quo pacto, ſi quis in ſomno arrepto pugione alium occideret, non diceretur homicidium illud culpabile, eò quia dormiens non agat liberè. Sin verò furioſus lucida haberet intervalla, & tunc hominem occideret, procul dubio homicidium tunc fieret culpabile, & ipſe in foro civili eſſet puniendus; & etiam irregularitatem incurreret, ut notat Covarruvias *in d. clement. ſi furioſus*, quia ob lucida intervalla cenſeretur liberè, & cum uſu rationis committere homicidium illud.

An verò incurrat irregularitatem, ſi furioſus ex gravi ſua culpa in furorem incidat: communior ſententia eſt negativa, quia tametſi tunc peccaverit ponens cauſam furoris inducendi; ſuperveniente poſtea furore ampliùs non peccat, niſi fortaſſis præviderit, ſe in furore eſſe ita operaturum, quia tunc homicidium eſſet ipſi voluntarium in cauſa, perinde ac qui prævidens in ebrietate ſe commiſſurum adulterium vult ſe inebriare; tunc enim adulterium datur illi culpæ in cauſa. 3

Sin verò dubitetur, an furioſus commiſerit homicidium tempore, quo habuit dilucida intervalla, vel tempore furoris: ſtante tali dubio præſumitur occidiſſe tempore furoris ad excludendum delictum, & ejus pœnam, niſi contrarium evincatur, ut notat Menochius *lib. 6. de præſumpt. 45. n. 63.* Ratio eſt, quia innocentia ſemper præſumitur in homine, niſi probetur nocens: homo enim ſemper præſumitur bonus, donec probetur malus. 4

Defectu uſus rationis, ſi infans nondum ſeptennis hominem, vel alium infantem occidat, eſt immunis à pœna, eò quia tale homicidium non datur eidem culpæ, defectu perfecti uſus rationis; ſiquidem ſine uſu rationis non poteſt, diſcernere id quod agit malum eſſe, proinde tale homicidium eſt inculpabile, & non eſt obnoxium pœnæ legali ipſius homicidij. Sin verò puer nondum ſeptennis nactus fuiſſet plenum rationis uſum, & malitia ſuperaret ætatem, tunc ſi alium occideret, probabiliùs irregularitatem non incurreret, quamvis homicidium ob plenum uſum rationis ei eſſet imputandum culpæ: quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus à jure expreſſis; & in jure non eſt expreſſum, quòd infans nondum ſeptennis, ſi plenum habeat rationis uſum, ſitque capax doli, hominémque occidat, incurrat irregularitatem: ſiquidem *in d. clement. ſi furioſus unic. h. t.* dicitur, quòd infans ſi mutilet, vel occidat hominem, non fiat irregularis: & cum id concedatur in favorem tenellæ ætatis, & ex cauſa miſerationis 5

in

in infantes, non eſt reſtringendum, ſed amplè intelligendum, ut notat Covarruvias *in d. clement. unic. p 3. in princ. n. 1.*

6 Neque nbſtat, quòd in infaote malitia ſuperaverit ætatem, & plenus rationis uſus ſeptennium prævenerit: quia inde tantùm ſequitur, quòd homicidium tunc à tali infante commiſſum ſit voluntarium, & culpabile; non verò quòd tali culpæ annexa ſit irregularitas; non enim hæc annexa eſt ſimplici, & præciſo homicidio, ſed tali homicidio ſcilicet perpetrato poſt ſeptennium, quia tunc tantùm lex præſumit in pueris uſum rationis, quòd enim hic in uno, vel altero præveniat ſeptennium, id raró contingit, ſùntque caſus peculiares, & lex ſancitur propter ea, quæ freqoentiùs, & communiùs ſolent contingere: unde quamvis ceſſet tunc ratio voluntarij ob uſom rationis prævenientem ſeptennium, non tamen ceſſat ratio ætatis requiſitæ à jure, ut homicidio ſit annexa irregularitas. Quòd ſi è contra puer eſſet major ſeptennio, & adhuc nactus non eſſet plenum rationis uſum, neque tunc ob commiſſum homicidium fieret irregularis: ratio eſt, quia ex defectu uſus rationis excuſaretur à culpa; proinde etiam à pœna irregularitatis, ſicot amens, vel furioſus ex eodem defectu uſus rationis; ubi enim non eſt culpa, ibi nec dari poteſt pœna: imò in dubio, ſi major ſeptennio nactus eſſet plenum uſum rationis, adhuc non eſſet cenſendus irregularis; quia in dubijs jura favent pupillari ætati: & ſi dubitetur, an actus, ſeu delictum ſit commiſſum tempore licito, vel illicito, præſumitur pro tempore licito, ut delictum excuſetur, & tunc onus probandi pro illicito incumbit actori, ut docet Bartol. in *l. non ſolùm 8. §. ſed ut probari. n. 3 ff. de nov. oper. nunt.* quia impuberes non puniuntur pœnâ ordinariâ delicti, niſi ſint doli capaces, & pubertati proximi: & tunc nec puniuntur ultimo ſupplicio, ſed mitiori pœnâ carceris, vel fuſtigationis, quia in ſupplicijs impubes non cenſetur doli capax.

7 Eſt etiam inculpabile homicidium, quod in pœnam delinqoentium fit à Magiſtratu authoritate publica, quia licitum eſt hominibus maleficis juridicè priùs, & legitimè convictis publica authoritate mortem inferre, ut habetur *Exod. 21. & 22.* & præſertim *verſ.* 18. ibi: *Maleficos non patieris vivere*, ubi etiam plura ſupplicia pro viris maleficis recenſentur; cùm enim hominum ſocietas ſit quoddam corpus myſticum, neceſsè eſt ex illo putrida membra exſcindere, ne reliqua inficiantur. Quòd ſi Magiſtratus, vel Princeps non ſervato ordine juris tirannidem in ſubditos exerceret, eóſque innocentes occideret abſque dubio graviter delinqueret; Reúſque eſſet homicidij, & quidem Princeps coram DEO, & Magiſtratus coram DEO, & Principe, à quo privandus eſſet juriſdictione.

8 An verò quando à Magiſtrato libera cuilibet conceditur poteſtas occidendi proſcriptum aliquem, tunc poſſit quilibet etiam in conſcientia eum licitè occidere: Communior ſententia eſt affirmativâ, quia cùm Magiſtratus poteſtatem habeat Malefactores occidendi per ſuos miniſtros inferiores, præſertim per carnifices; tunc utitur occiſore ut miniſtro, qui exequitur ſententiam judicis juxta leges, & mandatum Magiſtratûs: lex autem legitimi ſuperioris, & mandatum juſtum non ſolùm in foro externo, ſed etiam in foro interno juſtum eſſe cenſetur; dummodo concurrant aliquot conditiones, quarum prima eſt ut talis occiſio, fiat ex puro zelo juſtitiæ, non ex privata vindicta. Secundò, ne fiat pendente appellatione, ſeu eo tempore, quo Reus proſequitur coram ſuperiore appellationem à ſententia ſuæ proſcriptionis. Tertiò, ne occiſio committatur extra territorium proſcribentis *argu. l. ult. ff. de jurisd. omn. judic.* Quartò dummodo proſcriptus non ſit parens, filius, frater, cui jure naturæ debentur alimenta: quòd enim filius occidat patrem, vel pater filium, eſt contra pietatem, quæ naturaliter debet eſſe in filio erga patrem; vel in patre erga filium: unde natura ipſa abhorret à tali occiſione, & naturalia jura non poſſunt per civilia immutari.

9 Nihilominus ut notat Molina *de juſtit & jur. tract. 3. diſp. 7.* nonniſi raró, & ob graviorem cauſam debet Magiſtratus hanc publicam poteſtatem Reum occidendi cuilibet dare, quia tunc ſubditi lucri causâ Reum quàm diligentiſſimè quæront, ſi Magiſtratus præmium promiſerit occiſori, & Reus ſacramentis deſtitutus miſerè interficitur non ſine periculo, ut corpore ſimul, & anima pereat, quod chriſtianæ adverſatur pietati.

10 Inculpabile eſt itidem homicidium, quo quis injuſtum aggreſſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit. Dicitur injuſtus aggreſſor, qui ſine cauſa ſufficiente alium aggreditur, quem occidat: tunc enim poteſt quis in ſui defenſionem aggreſſorem offendere cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, quia propria defenſio eſt de jure naturæ: animantia enim ſolo inſtinctu naturæ vim vi repellunt; hinc omnes leges, & jura id etiam permittunt hominibus *c. ſignificâſti* 18 *h. t.* ubi dicitur, quòd jura omnia, & leges permittant vim vi repellere, dummodo id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc eſt non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam. Dicitur defenſio fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando media, quæ adhibentur, non excedunt limina defenſionis, & adhibentur ad vim arcendam, quando alia evadendi via non ſupperit.

11 Hinc non licet diurnum furem occidere, ſi ſe telo non defendat: nocturnum verò impunè occidi permiſſum eſt, ut habetur in *c. ſi perfodiens 3. h. t.* & eſt deſumptum ex Auguſtino ſuper *Exod. c. 22.* ibi: *Non pertinet quis ad homicidium, ſi fur nocturnus occidatur: ſin autem diurnus fuerit ad homicidium pertinebit*: hinc enim eſt, quod dicitur *Exod. 22. ſi ortatur ſol ſuper eum Reus, erit occiſi*: & additur etiam

ratio,

ratio; quia poteſt de die diſcerni, quòd ad furandum, non ad occidendum venerit, & ideo non debet occidi. Hoc enim in legibus ſæcularibus antiquis (quibus iſta *Exod.* eſt antiquior) invenitur, nimirùm impunè occidi nocturnum furem, non ita diurnum, niſi armis ſe defendat. Leges ſæculares, quas adfert S Auguſtinus, habentur *l. itáque §. lex, ff. ad leg. Aquil. & l. furem. ff. ead. ad leg. Cornel. de Sicar.*

12 Verùm quia hujusmodi leges fuerunt à Romanis ſancitæ nulli dubium, quin ſint poſteriores legibus Moyſis. Cæterum licèt leges dicant, licitum eſſe furem nocturnum quoquomodo interficere, id tamen ſemper intelligendum eſt cum moderamine inculpatæ tutelæ, adeò ut qui ſe defendit, non excedat limites defenſionis, nec ad vindictam furem occidat, ſed ſolùm ad propulſandam injuriam, vímque arcendam, quando alia evadendi via non ſuppetit. Alioquin ut habetur in *c. interfeciſti 2. h. t.* qui potuit ſe aliter liberare, & tamen furem, vel latronem occidit, imponuntur ei pœnitentiæ per 40 dies, quibus arcetur ab ingreſſu Eccleſiæ, & jubetur abſtinere à cibis, toro, gladio, & equitatu; eíque tertiâ quoque, quartâ, & ſextâ feriâ injungitur jejunium.

13 Sin verò non potuit ſe aliter liberare, & ſine odio occidit, non imponitur ei pœnitentia, ſuadet tamen Pontifex, ut tunc jejunet, & eleemoſynas faciat, quòd ſi occiſor fuerit Presbyter, non deponitur, ſed quamdiu vivit, debet pœnitentiam agere, ut enim notat Gloſſa *in d. c. interfeciſti 2. h. t.* non deponitur Presbyter, quia tunc non eſt formaliter homicida: incurrit tamen irregularitatem, quia debuit potiùs ſua dimittere, quàm illum occidere, cum eo tamen diſpenſatur ex miſericordia, ut habeat beneficium ſine executione Ordinis: loquitur textus de occiſione furis, aut latronis, qui ſine occiſione poterat repelli; proinde jus canonicum pœnas ſtatuit in eos, qui in propria defenſione modum excedunt inculpatæ tutelæ. Cæterum licitum eſt occidere injuſtum invaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, adeò ut ſi quis ſacerdotem invadaret divina in altari agentem, poſſit ſacerdos officium intermittere, & ſe defendere; immo ut cum Diana *tractat. 5. de homicid. reſolut. 1.* docent plures, quos ipſe congerit, ſi ſacerdos tunc ſe defendens cum moderamine juſto injuſtum invaſorem occideret, poſſet ſacrum perficere, eò quia tunc ſacerdos cum tali moderamine occidens injuſtum invaſorem non peccat. Molina autem *tom. 4. tract. 3. diſp. 11. n. 5.* ait, tunc aliquem cum moderamine inculpatæ tutelæ dici ſe defendere ab injuſto invaſore, quando aggreſſus videt, vel rationabiliter timet, non poſſe mortem declinare, niſi priùs aggreſſorem interficiat, & nihil tunc ei occurreret ad declinandum periculum.

14 Poſſet tamen in contrarium objici, quia nulli licet cujusvis cauſæ prætextu ſe vindicare, nec jus in propria cauſa dicere *l. nullus 14. C. de judic.* immo nec licitum eſt, rem propriam authoritate propria occupare *l. extat. 13. §. quod metûs cauſâ* imò qui eam occupat, lege Julia de vi tenetur *l. 12. §. ult. ff. eod. tit.* hinc Caſſiodorus *lib. 4. variar. c. 10.* eleganter ait, *legum reperta eſt via, & ſacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprie agatur impulſu:* unde nec furem nocturnum, nec invaſorem, licitum eſt privata authoritate occidere. Tum quia ſi licitum eſſet nocturnum furem occidere, poſſet etiam quis diurnum licitè interficere, cùm non minùs iſte, quàm ille auferat bona. Tum quia non minùs damni videtur quis pati ex omiſſione bonorum, vel pecuniæ, quàm ex vitæ privatione, cùm pecunia ſecundus ſanguis, & altera vita dicatur, & Salomon fateatur: *meliùs eſſe mori, quàm egere*, & ut notat Tiraquel. *de nobilit. c. 25.* major eſt pœna privatio bonorum, quàm mors ipſa, proinde ſi licet occidere nocturnum furem ob defenſionem vitæ; licitum quoque erit occidere furem diurnum ob bonorum defenſionem.

Sed contra, quia quando agitur de defenſione propriæ vitæ tunc ſervato moderamine inculpatæ tutelæ licitum eſt, aggreſſorem occidere, quia tunc occiſio aggreſſoris non eſt vindicatio, ſed mera defenſio, eò quia aliud non ſuppetat medium ad mortem declinandam. Ad id, quod addebatur licitum quoque eſſe aggreſſorem occidere ad ſervanda propria bona, reſpondent plures, id non eſſe licitum ad ſervanda propria bona, & colligitur *ex c. interfeciſti 2. h. t.* ubi Pontifex loquitur de occiſore, qui non potuit aliter ſe liberare ab aggreſſore, nec mortem declinare niſi eum occidendo. Unde *in c. ſi perfodiens. 3. h. t.* dicitur, quòd fur diurnus non aliter occidi poſſit, quàm ſi ſe telo defendat: unde Pontifex ſupponit, quòd tantùm pro defenſione propriæ vitæ, non verò pro ſervandis proprijs bonis temporalibus occidi poſſit Invaſor; ídque etiam clarè deducitur *ex c. ſuſcepimus 10. h. t.* ibi: *ſatius fuiſſe poſt pallium relinquere tunicam, & temporalium jacturam pati, quàm pro vilibus exardeſcere*, unde putârim non eſſe licitum furem occidere causâ rerum tantùm defendendarũ, niſi fortaſſis omnia bona fur ſurriperet, ut teneretur quis emendicare, quia bona temporalia quodammodo vitæ æquiparantur, cum ad eandem conſervandam ſint ſummè neceſſaria, ut habetur in *l. Advocati in fin. C. de Advoc. diverſ. judic.* & notat Tiraquel. *in l. ſi unquam V. bona. n. 1. C de revocan. donat.* quam ſententiam docent Covarruvias *in clement. ſi furioſus 3. p. §. unic. n. 6. h. t.* Diana *4. p. tract. reſol. 4.* Sotus *de juſtit. & jur. lib. 5. art 8.* Leſſius *lib. 2. de juſtit. c. 9. dub. 11.* Panormitanus in *c. interfeciſti 2. h. t.* & hoc pacto conciliantur textus contrarij adducti. 15

Quòd ſi defenſio ſit mixta rei, & perſonæ, tunc ſi conſideratis circumſtantijs loci, temporis, & perſonarum, periculum immineat, ne fur non ſolùm in bona, ſed etiam in perſonam auſus ſit aliquid moliri, conveni- 16

unt

venerunt Doctores, licitum eſſe in propriam defenſionem Invaſorem occidere: qua ratione *in c. interfeciſti 2. h. t.* dicitur, licitum eſſe, furem nocturnum impunè occidere, ſi ſine periculo capi, aut expelli non poſſit: cùm enim nox homines faciat temerarios, difficulter cognoſci poteſt, an ad furandum, vel occidendum venerit: ſecus non licet, furem diurnum occidere, niſi ſe armis defendat, ut habetur *in c. ſi perfodiens 3. h. t.* quia de die cognoſci poteſt, quòd veniat ad furandum tantùm, non ad occidendum: ex his duobus textibus deſumptis ex *c. 2. & 3. h. t.* claret ad mixtam defenſionem rei, & perſonæ ſimul, licitum eſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ invaſorem occidere: debet tamen moderamen tale eſſe, ut invaſus arbitrio boni viri conſideratis circumſtantijs loci, temporis, & perſonarum, non potuiſſet faciliori modo invaſori parcere.

17 Quid verò dicendum, ſi nullum perſonæ periculum immineat, & fur cum bonis ſublatis aufugiat, an tunc licitum ſit illum inſequi, & ſi bona non poſſint aliter recuperari, an liceat ſclopeto, vel telo fugientem furem vulnerare, vel occidere. Reſpondetur, quòd ſi fur totam ſubſtantiam, & omnia bona non fuiſſet furatus, ſed tantùm partem aliquam, quâ deficiente inſequens furem adhuc poſſet commodè vivere, tunc non eſt licitum, fugientem furem occidere, quia non benè compenſatur bonum illud temporale furto ſublatum cum amiſſione vitæ, & forſan etiam animæ ipſius furis, idque videtur deſumi ex *c. interfeciſti 2. h. t.* ubi illud homicidium tantùm impune dicitur, quod aliquis committit, ut ſe, & ſua defendat, adeò ut utrumque ſimul requiratur, ſcilicet defenſio rei, & perſonæ, quæ opinio tutior eſt in conſcientia, eámque approbat Fachinæus *lib. 1. controverſ. c. 31.*

18 Nihilominus cenſent alij cum Sylveſtro *V. bellum §. 1, q. 3.* Leſſio *de juſtit. & jur. lib. 2. c. 9. dub. 11.* licitum eſſe, furem fugientem cum bonis furto ſublatis occidere, ſi alia via non poſſit quis ſua bona recuperare; præſertim ſi ex tali furto notabile deberet pati incommodum. Nituntur quia res neceſſariæ ſunt ad vitæ conſervationem: unde ſicut licitum eſt vitam defendere, ita etiam propria bona. Firmant ex eo, quia pro recuperatione rerum ſuarum Principes licitè bellum inſtituunt; tametſi in ijsdem plura hominum millia debeant perire. Tum quia daretur occaſio furibus incognitis tantò audaciùs delinquendi, quantò tutiùs de vita poſſent aliena ſurripere. Idque etiam firmant ex *c. delicto*, ubi Pontifex ſupponit pro defenſione rerum ſuarum licitum eſſe uti gladio temporali: Demum quia in *l. 1. C. unde vi* conceditur poteſtas legitimè poſſidenti ſuam poſſeſſionem vi eam defendendi contra alium vim inferentem. Nihilominus prior ſententia eſt tutior, eíque adhærendum puto, quia vita hominis eſt pluris facienda, præſertim ſi detrimentum immineat ſalutis æternæ; quàm incommodum, quod alicui obtingit ex eo, quòd aliqua bona temporalia fuerint ipſi furto ſublata.

An verò ſicut ob defenſionem proprij corporis, ita ad tutandum proprium honorem licitum ſit invaſorem occidere. In hac quæſtione procedi ſolet cum diſtinctione. Si defenſio proprij honoris ſit reſpectu perſonæ magni momenti, tunc cenſent plures, præſertim Molina *tom. 4. tractat. 3 diſp. 17.* Azorius *tom. 3. lib. 2. c. 1. q. 14.* Eſcobar *1. p. de nobilit. proband. q. 1. §. 8. n. 13.* Turrianus *2. 2. tom. 2. diſp. 28. dub. 3. n. 1.* Tannerus *tom. 3. diſp. 4. q. 8. dub. 4. n. 74.* licitum eſſe pro defenſione honoris, qui alicujus ſit momenti habita ratione perſonarum, ac circumſtantiarum concurrentium Invaſorem occidere, ſi aliter honor conſervari non poſſit: hinc Sotus *de juſtit. q. 1. art. 8.* aſſerit, quòd ſi homo ſit ingenuus, cui magno dedecori vertatur fuga, quando alius ipſum aggreditur, licèt mediante fuga, poſſet tunc vitam propriam defendere, & illam aggreſſoris conſervare, adhuc non teneatur fugere, ſed poſſit ſe defendere, & etiam ſuum honorem, interficiendo injuſtum aggreſſorem, ſi non poſſit utrumque alio modo defendere. 19

Authores huic adhærentes ſententiæ nituntur; eò quia licitum ſit pro defenſione bonorum externorum invaſorem occidere: & ſubdunt honorem eſſe pluris faciendum, quàm bona externa: hinc concludunt, pro defenſione honoris, poſſe virum ingenuum, cui fuga magno dedecori verteretur, injuſtum aggreſſorem licitè interficere. 20

Notandum eſt, hos Authores id concedere, quando defenſio proprij honoris notabilis eſt momenti, nec aliter poteſt defendi, idque habita ratione perſonarum, & circumſtantiarum concurrentium: alioquin ſi fuga non cenſeatur perſonæ dedecori, ut quia hæc ſit eccleſiaſtica, vel religioſa, cui potiùs dedecus eſt arma ſumere, & diſtricto gladio pugnare; tunc tenetur beneficio fugæ conſervare vitam propriam, & proximi, ut etiam ſi invaſus ſit perſona vilis, & ex infima plebe, cui fuga non vertatur dedecori; hic enim tenetur etiam fugere ad propriam, & proximi vitam conſervandam: ratio eſt, quia tunc cum nullo, vel modico detrimento, poteſt quis mortem propriam, & proximi declinare; proinde ad id tenetur. 21

Hinc Clerici, & Religioſi, quibus fuga non vertitur ignominiæ, nec dedecori, ſi poſſint fugere, tenentur vitam propriam, & proximi mediante fuga ſervare, quia hujuſmodi homines divino cultui addicti à populo non habentur ut bellatores, ſed ut humilitatis Profeſſores, quapropter ſi pugnando ſe defenderent, non eſſent cenſendi proprium tueri honorem; quia viro eccleſiaſtico non vertitur dedecori fuga ad declinandum periculum vitæ, nec datur honori pugnare, quando poteſt fugiendo pugnam declinare. Hinc Abbas *in cap. ſignificâſti 18. de homicid.* licèt aſſerat, de rigore juris neminem teneri fugere, cujuſcun- 22

que ſit conditionis, eò quia omni jure permiſſum ſit vim vi repellere, & ipſa natura, & æquitas cuicunque contra quoſcunque defenſionem concedant: nihilominus in foro conſcientiæ cenſet, habendam eſſe rationem perſonarum, adeò ut Religioſi, & Clerici, ſi poſſint teneantur fugere ad conſervandam propriam, & proximi vitam.

23 Major difficultas eſt de viro milite, & alio honeſtioris conditionis, an teneatur fugere, ſi ab alio impetatur, & beneficio fugæ poſſit propriam, & proximi vitam conſervare. Communior ſententia eſt; inter milites quamvis invaſos eſſet vir infimæ notæ, humiliſque loco natus, & invadens vir ingenuus, ut non teneatur fugere, eò quia viro militi fuga maximo vertitur dedecori habita ratione ſtatûs, & militaris diſciplinæ, quam profitetur. Idque à fortiori procedit, ſi miles invaſus ſit vir ingenuus, & nobilis, & officium in bello exerceat, quo alijs præſit, ut ſi ſit ſignifer, dux, ſtrategus, quia fuga ſummo dedecori hujusmodi viris militiam profitentib⁹ vertitur, quia ſi fugerent, forſan excluderentur à militia. Tum quia viri ingenui, qui caſtra ſequuntur, pluris faciunt honorem, quàm ipſam vitam; & in morali cæterorum æſtimatione in ipſis honor præfertur vitæ, quapropter ſi ad conſervandam propriam vitam poſſunt cum moderamine inculpatæ tutelæ invaſorem occidere; ita etiam ad defendendum proprium honorem. Tum quia ſi vir ingenuus ab alio injuſtè impetatur, cùm hic alius nullum habeat jus eum de via depellendi, rectè in ea perſiſtere poteſt, & vim vi repellere, ut ex communi ſententia docet Panormitanus in *c. olim 12. de reſtitut. ſpoliat. n. 17.* & deſumitur etiam ex conſtitutionibus pœnalibus Caroli V. *c. 140.* ubi etiam dicitur, non teneri invaſum expectare primum ictum, ſi ex indicijs præcedentibus ſatis certus ſit de percuſſione alterius, quia melius eſt intacta jura ſervare, quàm poſt vulneratam cauſam remedium quærere.

24 Verùm ex eo, quòd apponatur diſtinctio inter viros nobiles, & plebeos, eccleſiaſticos, & milites, videtur ſequi, defenſionem proprij honoris cum occiſione invaſoris non eſſe juris naturalis, neque ex eo deſcendere, ſicut eſt defenſio propriæ vitæ: ratio mihi videtur clara, quia ex eo, quòd defenſio propriæ vitæ etiam cum occiſione injuſti aggreſſoris ſit de jure naturæ, licitum eſt unicuique absque ulla perſonarum diſtinctione ſive ſit ingenuus, ſive ruſticus, ſive miles, ſive religioſus, in quolibet etiam loco, quamvis ſacro ſe defendere, etiam cum occiſione injuſti invaſoris, ſi aliter non poſſit propriam vitam tueri: ſiquidem quæ ſunt juris naturalis, conveniunt toti ſpeciei, & non tantùm aliquibus individuis intra eandem ſpeciem, & non alijs: hinc quia eſt juris naturalis vim vi repellere; id inditum eſt omnibus individuis intra quaſcunque ſpecies animantium, adeò ut omnia animalia cujuſcunque ſint ſpeciei, ſi lædantur, nitantur inſtinctu naturæ vi ſe defendere; ac vim vi toto niſu repellere: quia hæc defenſio eſt ab ipſa natura, quæ prohiberi non poteſt ab ullo Imperatore, nec Pontifice: ex eo autem quòd tantùm viri ingenui, & nobiles, & alij, qui militiam profitentur, poſſint licitè pro defenſione honoris alium occidere; non verò id licitum ſit viris eccleſiaſticis, & plebeis, ſatis perſpicuum eſt, talem defenſionem proprij honoris cùm occiſione licita injuſti invaſoris non convenire omnibus individuis ſpeciei humanæ, proinde talem defenſionem honoris non eſſe de jure naturæ.

25 Hinc putârim, non eſſe licitum ad tuendum honorem, invaſorem fugientem poſt impactam alapam inſequi, & illum occidere, quia talis inſecutio tunc videtur potiùs in vindictam inſtitui, quàm ad defendendam propriam vitam. Id enim intereſt diſcriminis inter vindictam, & defenſionem, quia vindicta propriè eſt reddere malum pro malo; quod nunquam eſt licitum perſonæ privatæ: defenſio verò eſt aggreſſorem compeſcere, & cum moderamine inculpatæ tutelæ impedire damnum, quod jam imminet: atqui poſt impactam alapam inſequi invaſorem, & illum occidere, non eſt illum compeſcere, nec impedire, ne vim inferat, & corpus lædat, cùm jam ſe fugæ dederit, unde illa inſecutio potiùs eſt ad vindicandam impactam alapam, quàm ad ſe defendendum; conſequenter non videtur licitum, ad honorem tuendum invaſorem poſt impactam alapam inſequi, & occidere, quia id potiùs fit ratione vindictæ, & odij. Tum quia fugiens poſſet inſequenti reſiſtere, & cum ipſo pugnare, & inſequens occidi. Demum quia eo ipſo, quòd invaſor ceſſat ab injuria, ſive per fugam, ſive quovis alio modo non ampliùs vim infert; conſequenter repercutiens vim vi non repellit, ſed potiùs vindictam ſumit de de injuria ſibi illata; nec honorem ampliùs ſuum defendit, cùm jam per injuriam amiſſus ſit: Tum quia eò ipſo, quòd poſt impactam alapam invaſor fugit, ſignum eſt, quòd timeat invaſum, qui alapam impegit, proinde per talem fugam declarat ſe illi cedere, & hoc pacto ei reſtituit proprium honorem.

26 Quòd ſi dicas, poſſe aliquem perſequi furem, & illatâ vi etiam mortis illius furtim rapta recuperare: proinde à fortiori licitum eſſe infamatorem, & eum qui honorem rapuit per impactam alapam inſequi, eúmque occidere ad raptum ſibi honorem ab eodem extorquendum.

27 Contra eſt, quidquid ſit de antecedente, negatur illatum, & paritas; ratio diſcriminis eſt, quia in ſententia aſſerentium, licitum eſſe, furem inſequi, & eum etiam occidere, ſi aliâ viâ non poſſit quis ſua bona recuperare, ideò id licet, quia res furto ſublata adhuc extat apud furem, & inſequens, cui fuit furto ablata, non amiſit dominium in illam, proinde poteſt eam recuperare eo meliori modo, quo poteſt: atqui contumelia illata per impactam alapam jam ceſſavit, & quod ampliùs non exiſtit, non recuperatur; quapropter illa in-

fe,

ſecutio, & occiſio invaſoris fugientis, non eſt defenſio, ſed potiùs aggreſſio, & vindicta.

38 Sunt tamen, qui contrariæ ſententiæ adhærent, quia inſequens Invaſorem poſt impactam alapam tantùm intendit illatum ſibi damnum reſarcire, & ſoblatum ſibi honorem recuperare: ſi enim res furto ſublatæ poſſunt à vero Domino etiam cum damno furis recuperari, ita etiam honor, qui in hominum conſiſtit exiſtimatione: ex eo enim, quòd inſequens invaſorem poſt impactam alapam illum graviter percutiat in hominum exiſtimatione, dicitur recuperâſſe proprium honorem: quòd ſi dicas, impactam alapam non ampliùs exiſtere, proinde neque honorem amiſſum: reſpondent, quòd quamvis res non extarent apud furem, eò quia illas ejeciſſet in fluvium, adhuc poſſet damnum paſſus furem inſequi, & cogere, ut tantumdem reſtitueret: ita etiam quia per hoc, quòd invaſus poſt impactam ſibi alapam ſi inſequatur fugientem percuſſorem, & ipſum etiam percutiat, in hominum exiſtimatione cenſetur ſuum recuperare honorem: aſſerunt, poſſe eum inſequi, non quidem ut malum referat pro malo, ſed ut illatum ſibi malum curet reſarcire, cùm ad id nulla alia ei competat via, niſi inſequendo fugientem percuſſorem.

39 Verùm licèt hæc opinio ſub hac formalitate reſarciendi proprium honorem ſimpliciter, & præcisè videatur ſpeculativè probabilis, non tamen in praxi talem cenſerem; ſiquidem qui poſt impactam ſibi alapam invaſorem fugientem inſequitur, in odium potiùs, & vindictam, & ad referendum potiùs malum pro malo videtur illum inſequi; proinde ratione potiùs injuriæ vindicandæ, quàm defendendæ: vix enim eſt, qui poſt impactam ſibi alapam non iraſcatur contra invaſorem, & non intendat injuriam ſibi illatam vindicare, ſi illum inſequatur fugientem: non enim tunc percuſſus cogitat de honore amiſſo, & de illo recuperando, nec diſtinguit inter vindictam, & defenſionem.

40 Dubitari poſſet, an ſicut ad defenſionem propriæ vitæ licitum eſt injuſtum invaſorem occidere; ita etiam id licitum ſit ad defenſionem proximi? Reſpondetur effirmativè, quia ex divino præcepto tenemur proximum diligere ſicut nos ipſos, proinde non tantùm licet, verùm etiam quilibet Chriſtianus tenetur, ſi commodè poſſit, proximum ſuum ab interitu liberare; etenim ut habetur *in c. ſicut dignum 6. h. t. §. illi etiam: ſcriptum enim eſt, qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, eum occidit.* Hæc autem obligatio nonnunquam eſt tantùm ex charitate, quâ quis tenetur proximum ſuum diligere, ſicut ſe ipſum: aliquando eſt etiam ex juſtitia rigoroſè, etiam cum diſcrimine vitæ, ut quando ex officio alicui incumbit alios ab injurijs, & damnis defendere, ut Principibus reſpectu ſubditorum, vel etiam ex pacto, & obligatione, ut vaſallis reſpectu Dominorum, à quibus feuda ea conditione acceperunt, ut in defenſionem Principis teneantur bellum adire. Filij quoque ex naturali pietate, & gratitudine tenentur ſubvenire parentibus, & ſi detrectent id præſtare, redduntur incapaces hæreditatis eorum, *novell. 115. c. 3. §. 13.* Famuli verò niſi tacitè, vel expreſſè ad id ſint conducti, non tenentur Dominos defendere in periculis ex juſtitia commutativa; ſed tantùm ex præcepto charitatis. Diſcrimen inter utramque obligationem ex juſtitia, & charitate eſt; quia ex charitate non tenetur quis cum magno ſuo periculo alium defendere; benè tamen quando obligatio oritur ex juſtitia. Tum quia quando obligatio oritur ex juſtitia, debet damnum reſarciri, ſi omittatur, quod ex juſtitia erat faciendum: obligatio verò, quando oritur ex charitate, non adigit ad ullam reſtitutionem; quia ex omiſſione talis obligationis tantùm oritur peccatum, vel etiam pœna, ſi actus charitatis intermittatur, non verò obligatio reſtituendi.

Dubitârunt aliqui, an licitè poſſint homines animantia, & plantas interimere, id enim negârunt Manichæi cenſentes animantia, & plantas quasdam eſſe DEI particulas, ut refert D. Auguſtinus *lib. 1. de civit. c. 1.* Sed reſpondendum eſt de fide eſſe, poſſe homines licitè animantia, & plantas interimere, & id deſumi ex Geneſ. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, ut ſit vobis in eſcam* & ex *Geneſ. 9.* ubi poſt diluvium conceduntur hominibus in cibum omnia animantia, & viventia, hinc Apoſtolus *1. ad Corinth. 10.* ajt: *quidquid venit in macellum manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.* Tum quia Chriſtus Dominus in ultima cœna cum diſcipulis ſuis manducavit agnum paſchalem, quem antea oportuit occidere. 41

Ratio etiam id ſuadet, quia homo naturaliter habet dominium in omnes plantas, & animantia, résq; omnes inferiores Geneſ. 1. *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & univerſis beſtijs terræ*, proinde poſſunt omnes hæc omnia in proprios uſus, & cibum convertere. Tum quia cùm non poſſit homo ali ſimplicibus elementis, ut terra, igne, aëre, & aqua, neceſſè eſt, nutriatur animalibus, & plantis, quæ ſine anima ſtatim corrumpuntur, adeò ut anima ſit ipſis inſtar ſalis præſervantis à putredine, ut homo poſſit illis uti, prout opus habuerit. Abſtinendum tamen eſt à crudelitate exercenda in animantia, hinc Salomon *proverb. 12.* ait: *novit juſtus jumentorum ſuorum animas, viſcera autem impiorum crudelia*, & Exodi 23. dicitur *DEUS præcepit diem ſabbathi etiam propter quietem jumentorum.* Deuter. 22. *Non arabis ſimul cum bove, & aſino, ne ſcilicet totum jugum in aſinum decidat, cum ſit minor bove.* 42

❋)†(❋

§. III.

De Pœnis homicidij injuſti directè voluntarij, & obligatione compenſandi damnum illatum.

1 HOmicidium injuſtum directè voluntarium eſt, quod per directam, expreſſam, ac ſpontaneam voluntatem occidendi perpatratur, & ad qoam voluntatem mors ipſa ſequitur. Quæritur, quænam pœna ſit huic homicidio jure inflicta. Reſpondetur, de jure civili homicidium directè voluntarium, & ex vindicta commiſſum puniri diverſimodè juxta perſonarum diverſitatem, & modos varios, quibus committitur: ſi enim ex ira, & vindicta commiſſum ſit, capitis amputatione punitur: ſin autem per Inſidias, aut latrocinium rota etiam adhibetur ad ultimum ſuplicium infligendum, & crurifragium *l. 3. §. penul. ff. ad leg. Cornel. de Sicarijs* ubi tamen excipiontur nobiles, & altioris conditionis homines, qui pœna deportationis ad Inſulam, & publicationis bonorum puniuntur: de jura tamen novo hodie moris eſt ſaltem in pluribus regionibus, ut ſi per dolum facta ſit cædes, ſeu homicidium, ſive nobilis ſit homicida, ſive plabeus, pœnâ mortis puniatur; nobilis quidem capitis amputatione, & plebeus juxta varias Provinciarum conſuetudines ſuſpendio, ot notat Julius Claros §. *homicidium n. 8.*

2 Jure tamen canonico, ſi homicida ſit laicus per ſententiam judicis ecclaſiaſtici anathemate percutitur, ut notat Panormitanus *in c. ſi quis 1. n. 2. h. t.* & deſumitur etiam ex *c. itaque 20. cauſ. 24. q. 3.* & licèt in *c. omnes 4. diſt. 5.* dicatur, homicidam eſſe capite plectendum, non tamen id intelligitur de morte naturali, & ſeparatione capitis à reliquo corpore phyſico, ſed de morte morali, & civili, ac de ſeparatione homicidæ à reliqoo corpore myſtico ecclaſiæ, quæ ſeparatio ſit per excommunicationem, quâ anathemate percuſſus ſeparatur à communione ſuffragiorum Eccleſiæ, ac reliquorũ fidelium juxta *c. per venerabilem 13. prope fin. qui filij ſint legitimi* ubi flocci facientes, ac contemnentes ſententiam Apoſtolicæ Sadis, præcipiuntur mori per ſententiam excommunicationis: dicitur excommunicatus in jura canonico mortuus, eò quia tanquam mortuus ſeparatur à communione fidelium.

3 Hoc eſt notandum, qobd cùm jus canonicum non puniat gladio phyſico, quoties in ipſo reperitur impoſita pœna mortis, debet intelligi de ſententia axcommunicationis, qnia hæc dicitur mors civilis, per quam anima ratione delicti, & peccati perpetrati, & cui eſt annexa excomunicatio, ſeparatur à gratia DEI, quæ eſt vera vita animæ: licèt excomunicatio formaliter, & per ſa hanc mortem non inferat, cùm poſſit etiam exiſtens in gratia, incurrere excommunicationem; ut ſi quis mandaverit famulo clericum occidere, & poſtea ante exeçutionem mandati ipſum pœniteat, & non poſſit ampliùs mandatum revocare, eò qnia famulus jam diſceſſerit ad inquirendum clericum; ſi eliciat verum actum contritionis, utique reſtitoitor gratiæ: & nihilominus ſi poſt elicitum talem actum contritionis famulus clericum occidat, incurrit excommunicationem, quamvis ſit in ſtatu gratiæ, qoia præcedens mandatum per ſubſaquentem pœnitentiam non revocatur; & cùm excommunicatio non incurratur anta elicitum actum contritionis ex defectu executionis mandati, ideò tunc tantùm contrahitur, cùm primùm famulus mandatum exequitur; quo pacto etiam dormientes poſſunt in ſomno excommunicationem incurrere, ut ſi herus mandat famulo, ut clericum graviter percutiat, & interim Dominus eat dormitum, qnamvis ſit ſomno ſopitus, quando ſervus Clericum percutit, adhuc dormiens incurrit excommunicationem, unde excommunicatio dicitur mors civilis in ſua cauſa; ſcilicet in ipſo peccato mortali, cui eſt annexa, & ad quod veluti effectus conſequitur; adeò ut quod proprium eſt cauſæ, ſeu peccati lethalis, tribuatur effectui, ſeu excommunicationi majori, quæ propterea dicitur inferre animæ mortem, quia excommunicatio minor non habet in ſe adjunctum talem effectum.

Quòd ſi qui homicidium injuſtum, & directè voluntarium commiſit, ſit claricus, is deponendus eſt ab Ordine, & officio, ſed non privatur communione fidelium, ſeu anathemate non percutitur *c. Presbyter 12. diſt. 81. c. cum non ab homine 10. de judic.* & etiam ex *c. ſicut dignum 6. h. t.* Quòd ſi clericus depoſitus adhuc ſit pertinax, & incorrigibilis, nec reſipiſcat, tunc detruditor etiam in arctum Monaſterium ad agendam pænitentiam *c. tua 6. de pœn.* quòd ſi non raſipuerit, anathamatizatur, ſeu ſolemni ritu excommunicatur ab Epiſcopo circumſtantibus Presbyteris manu candelas accenſas tenentibus, quas deinde in terram projeiunt, pedibúſqoe conculcant juxta modum præſcriptum in rituali, & in *c. debent cauſ.* 11. *q. 3.* Demum creſcente contomacia etiam degradatur, & judicio traditur ſæculari puniendus ſecundùm leges *c. cum non ab homine de judic.* idque deſumitur ex *lib. Exod. c. 21.* & habetur in *c. ſi quis 1. h. t.* ubi dicitur: *ſi quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias; ab altari meo avelles eum, ut moriatur.* ubi verbum illud *moriatur*, Canoniſtæ præſertim Andreas *in d. c. ſi quis n. 1.* & Abbas *n. 2.* exponunt, ut idem ſignificet, ne *deponatur*, eò quia depoſitio ſit mors quædam civilis: unde juxta hanc expoſitionem clericus, qoi injuſtè, & voluntariè occidit hominem, eſt deponendus ab altaris miniſterio. Alij verò illud verbum *moriatur*, intelligunt non de civili, ſed de morte naturali, in caſu, quo clericus committat voluntariè injuſtum homicidium qualificatum; eò quia aliquem proditoriè occiderit, tunc enim non ſolùm deponi.

ponitur, ſed depoſitus degradatur, & traditur curiæ ſæculari ultimo ſupplicio puniendus.

5 Videtur tamen in contrarium obſtare, quia præfatus textus videtur ſine ſufficienti fundamento reſtringi ad ſolos clericos, quia *in d. c. ſi quis 1. h. t.* dicitur abſolutè, & generatim *ſi quis occiderit*. Unde non videtur textus reſtringendus ad ſolos clericos. Tum quia incertum eſt, an Clericus abſque alia ſpeciali enormitate, aut incorrigibilitate propter ſimplex homicidium voluntarium poſſit ſtatim degradari, ac tradi poteſtati ſæculari *c. cùm non ab homine 10. de judic.* Tum quia plures præfatum textum intelligunt de laico homicida, quòd debeat avelli ab altari, ſeu ab Eccleſia, & communione fidelium per excommunicationem, quæ expoſitio ex eo corroboratur, quia quando in jure canonico fit mentio de morte, intelligitur de morte civili, ſeu de excommunicatione: jura enim canonum ex ſola benignitate remiſsiùs procedunt, quàm jura civilia, & non progrediuntur ad mortem naturalem, cùm jus gladij non habeant; & imperium Eccleſiæ, ut ait Gregorius Nazianzenus *in epiſt. ad Afric. ſit imperium incruentum.*

6 Quamobrem textus *in d. c. ſi quis* veriùs intelligitur de eo, qui per induſtriam, ſeu ex propoſito, vel per inſidias, ſeu proditoriè aggrediendo à tergo alium occidit, & in eccleſiam aufugit, ſive homicida clericus ſit, ſive laicus; eò quia homicidium proditoriè perpetratum non gaudet immunitate Eccleſiaſtica, & poteſt etiam à ſuo judice violenter extrahi ab altari, ſeu Eccleſia, idque deſumitur ex *Exod. c. 21.* ubi dicitur, quòd *qui occidit per inſidias in templo, defendi non poſſit;* ſignificans pro tali homicida nullum ſuppetere aſylum, hinc Gregorius IX. qui ex illo textu Exodi legem canonicam ſancivit, in ſenſu proprio, & litterali cenſendus eſt uſurpâſſe textum illum, ut notat Suarez *tom. 1. de relig. lib. 3. c. 11. n. 20.* Nonnunquam etiam pro qualitate delicti pœna magis exaſperatur; adeò ut clericus homicida ad arctiores, diuturniores, imò & perpetuos carceres detrudatur. Jure novo in Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. de refor. c. 7.* ſtatuitur, ut homicida voluntarius licèt occultus, nec in judicio convictus nullo unquam tempore capax ſit Ordinum, & beneficiorum eccleſiaſticorum. Homicidium verò indirectè voluntarium, ſeu latâ culpâ tantùm commiſſum, ut ſi tormentū bellicum in loco exploſerit, ubi ſolent homines pertranſire, & aliquem occiderit, punitur pœna utroque jure extraordinaria, nimirum pro qualitate culpæ, & juxta conſuetudinem loci pro arbitrio judicis: aliquando enim pœna huic homicidio injuncta eſt deportatio ad inſulam; aliquando mulcta pecuniaria, vel etiam detruſio in carcerem: & licèt in contractibus lata culpa dolo æquiparetur *l. quod nerva 32. ff. depoſiti:* non ita in delictis, quia in iſtis ad pœnam ordinariam infligendam, non ſufficit lata culpa, ſed requiritur directa voluntas occidendi *l. 7. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* quinimò non dolo, ſed ſine culpa, & ſine animo occidendi præſumitur homicidium; ſi quis inſtrumento ad occidendum ordinariè inuſitato alterum occiderit; ut ſi pugno, lapide, baculo, calceo in rixa alterum percuſſerit, & ex tali percuſſione fuerit mors ſecuta, ut notat Farinacius *oper. crimin. p. 5. de homicid. concluſ 126. n. 127.* Id tamen procedit, quando aliunde de animo occidendi non poteſt conſtare.

Quid verò dicendum, quando plures in 7
occiſione alicujus intervenerint, & non poſſit probari, ex cujus percuſſione fuerit homo ille interemptus. Tunc ſi conſtet ex propoſito, omnes ſimul conveniſſe ad illum occidendum; tunc omnes ordinaria homicidij pœna plectuntur, tametſi ex illis unus tantùm hominem occiderit, idque fuit ſtatutum *in conſtit. Carolin. a. 148. c. ſicut dignus. §. illi. h. t.* ſin verò ex ſubita rixa caſu excitata plures diſtrictis gladijs adfuerint, & unus tantùm lethale vulnus inflixit, & non poſſit conſtare per tormenta, nec per alias probationes, quiſnam lethale vulnus inflixerit, tunc communior ſententia eſt, ob incertitudinem delinquentis nullum ex ipſis, qui diſtrictis gladijs fuerunt rixati, eſſe capite plectendum, ſed omnes puniendos pœna extraordinariâ; eò quia omnes propter rixam fuerint aliquo pacto Rei talis homicidij, vel propter auxilium præſtitum, vel quia mortem illam, ne ſequeretur, non impedierint, ut notat Julius Clarus *lib. 5. ſent. 5. homicidium n. 38.* Quòd ſi vulneratus per aliquid temporis vixerit; & dubium ſit, an mors ſecuta fuerit ex inflicto vulnere, vel ex imperitia potiùs medicorum, aut alio morbo ſuperveniente, tunc incumbit judici maturè per ſe, vel per delegatum adhibitis peritis medicis, & chyrurgis ſaltem duobus, ſi haberi poſſint, inquirere, an mors ſecuta ſit ex tali vulnere; & debent etiam Medici, & Chyrurgi juramentum præſtare, quòd erunt dicturi ſincerè ſuam opinionem: auditis poſteaMedicorum depoſitionibus, & conſideratis alijs circumſtantijs tenetur judex ſuam ſententiam ijsdem conformare. Julius Clarus *loc. cit.* ait, quòd ſi vulneratus poſt vulnus ſibi inflictum ambulavit per triduum, vel vixit in lecto decumbens ultra quadraginta dies, non ſit præſumendus ex tali vulnere deceſſiſſe, ſed ex alijs accidentibus.

Quòd ſi aliquis alium in ebrietate occiderit, tunc ſi ebrietas tanta fuit, ut omni uſu rationis vino madidum privaverit, homicidium non imputatur ebrio, eò quia non potuit deliberationem, & propoſitum habere; & non magis, quàm amenti, ei imputandum eſt delictum, ut deſumitur *ex clement. ſi furioſus de homic. h. t.* immo id nonnulli probabiliter extendunt etiam ad eum caſum, quo quis ſe voluntariè inebriaverit ſine tamen intentione homicidij, quia licèt tunc deliquerit ſe inebriando, non tamen deliquit in ebrietate occidendo *argu. c. inebriaverunt c. ſine cauſa 15. q. 1.* Quòd ſi prævidiſſet ſe in ebrietate occiſurum 8

 alium

alium, tunc non excuſaretur ipſum homicidium à culpa, quia eſſet volitum in ſua cauſa, ſeu in ebrietate. Hinc vulgare illud effatum, quo *cauſa cauſæ* dicitur eſſe *cauſa cauſati* intelligitur de cauſa directa, ex qua ſolet per ſe ſequi malus effectus: ad ebrietatem autem non ſemper per ſe ſequitur homicidium: unde niſi hoc intendatur in ipſa ebrietate, ſeu in ſua cauſa, non imputatur Ebrio culpæ, ſin autem quis ſe inebriaret, ut ad homicidium audacior fieret, & in ebrietate poſtea alium occideret; tunc nullam haberet excuſationem, ſed cenſendus eſſet homicida voluntarius. Neque eſſet immunis à pœna ordinaria, qui levi tantùm ebrietate madidus alium occideret, quia tunc non præſumeretur omninò dejectus ab uſu rationis, ut docet Menochius *de arbitrar. caſ. 326. n. 7.* Quòd ſi ebrietas notabilis eſſet, & majori ex parte uſum rationis interverteret, vel dubium eſſet, num talis ebrius, quando homicidium commiſit, fuerit omninò deſtitutus uſu rationis; tum mitiori pœnâ eſſet homicida ebrius puniendus *arg. l. omne delictum §. 7. V. per vinum. ff. de re milit.* Cæterum qui ſolitus eſt in ebrietate rixari, & alios vulnerare, tenetur ab hauſtu abſtinere, & ebrietate, ad declinandam occaſionem alios vulnerandi; alioquin ſi ſtante hac conſuetudine aliquem in ebrietate occideret, cenſeretur voluiſſe ipſum homicidium in ſua cauſa; ſeu in ipſa ebrietate, & eſſet homicidium ſaltem indirectè, ſeu in cauſa voluntarium, & culpabile: proinde tunc homicida puniendus eſſet pœnâ extraordinariâ, ſeu arbitrariâ, non verò ordinariâ; quia quando homicidium commiſit, ebrietas plenum ſaltem rationis uſum impedivit, & antecedenter, qui ſe inebriavit deliberatam, & directam voluntatem occidendi non habuit.

9 Quòd ſi quæratur, quánam pœnâ puniendus ſit, qui non ſervato moderamine inculpatæ tutelæ alium occidit, cui fortaſſis potuiſſet vitam ſervare, ut etiam ſibi ipſi. Reſpondent plures cum Baldo *in l. 11. C. de emendat. ſervor.* talem puniendum eſſe pœnâ ordinariâ: & ea nituntur ratione, quia generatim habens animum occidendi ſit pœna ordinaria puniendus *l. 1. §. Divus. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* & qui non ſervato moderamine inculpatæ tutelæ alium occidit, præſumitur habuiſſe animum occidendi.

10 Communior tamen, & verior ſententia mitiùs procedit; aſſeritque, talem non eſſe pœnâ ordinariâ puniendum, ſed mitiori, ſeu extraordinaria ſtatuenda à judice, eò quia aggreſſor debet ſibi imputare damnum, quod ſibi contigit; quia per aggreſſionem ipſum quaſi quæſivit; cùm eum non latuerit, alium toto niſu ſe defenſurum: unde ignoſcendum aliquo modo eſt invaſo, & provocato, ſi ſtatim iram non temperaverit *argu. text. in l. ſi adulterium §. Imperatores ff. de adulter.* ibi *difficillimum eſt juſtum dolorem temperare, & ideo pæna eſt mitiganda*, & docet Fachin. *lib. 1. controverſ. c. 32.*

Alia pœna homicidij directè voluntarij, & injuſti, ſi homicida clericus fuerit, eſt, ut privetur omnibus beneficijs eccleſiaſticis obtentis, & fiat inhabilis ad illa obtinenda, ut notat Clarus §. *homicidium n. 21.* communiter tamen id ita intelligitur, ut clericus homicida ſit quidem inhabilis ad beneficia obtinenda, non verò ipſo jure privetur beneficijs priùs obtentis, ſed privandus ſit per ſententiam judicis; adeò ut ſi clericus animo deliberato aliquem injuſtè occidat, privetur quidem omnibus beneficijs eccleſiaſticis obtentis; non tamen ipſo jure, ſeu facto, ſed tantùm per ſententiam judicis ſit privandus; ut docet Covarruvias in clement. *c. ſi furioſus unic. b. 1. p. 2. §. 3. n. 6.* Ratio generatim ex eo deſumitur, quia nullum crimen infert ipſo jure privationem alicujus boni, niſi id expreſsè in jure exprimatur, ut notat Farinacius *q. 119. n. 93.* & in jure non exprimitur, quòd ipſo facto privetur omnibus beneficijs: imò jus potiùs exigit, ut patratum delictum juridicè cognoſcatur, & Reus per judicem condemnetur. Hæc autem pœna privationis ampliatur etiam, ut clericus homicida voluntarius fiat etiam inhabilis ad alia beneficia obtinenda abſque diſpenſatione, & hoc nec ita intelligitur, ut ſit ipſo jure incapax obtinendi nova beneficia; adeò ut collatio ſit ipſo jure irrita, ſed ſolùm quòd ſit prohibita, ut deſumitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 7.* ubi Concilium tantùm dicit, quòd Clerico homicidæ non liceat conferre beneficia eccleſiaſtica; tametſi curam non habeant animarum. Alia itidem pœna eſt, ut homicida voluntarius privetur ſucceſſione illius, quem interfecit, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato tota hæreditas, vel pars illius eidem obtingat; quia tunc in pœnam commiſſi delicti devolvitur ad fiſcum, ut notat Clarus §. *homicidium n. 22.* & deſumitur *ex l. cum ratio 7. §. fin. ff. de bon. damnat.* Demum homicida jure canonico fit etiam irregularis, tametſi homicidium occultum ſit, adeò ut non poſſit ad ordines eccleſiaſticos promoveri, nec in illis miniſtrare etiam poſt peractam pœnitentiam *c. inquiſitionis 21.* & ibi Gloſſa *V. ſi homicidium de accuſat.* 11

In hiſce tamen pœnis imponendis debet judex eſſe diſcretus, & maturè procedere conſiderando circumſtantias, quæ augere, vel minuere poſſunt delictum, ut habetur in *c. ſicut dignum 6. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, in cauſa eorum, qui cooperati fuerunt in morte S. Thomæ Cantuarienſis, ut in qualitate pœnitentiæ imponendæ judex maturè procedat, ſitque diſcretus, & primò ut in exceſſibus ſingulorum pro pœnitentia injungenda conſideret omnes circumſtantias. Secundò mandat eos, qui animo occidendi, feriendi, aut capiendi Cantuarienſem Archiepiſcopum citra manuum injectionem ſe fatentur veniſſe, pari pœna eſſe puniendos. Tertiò, qui venerant, non ut occiderent, ſed ut percuſſores aliquo modo juvarent, paulò minori pœna eſſe mulctandos. Quartò eos, qui fatentur, ſe Re- 12

gem

gem excitâſſe ad odium contra Archiepiſcopum, non eſſe ita ſeverè puniendos niſi Regem ad tale homicidium ſuis ſuggeſtionibus provocâſſent. Quintò eos à culpa, & pœna non eſſe immunes, qui tametſi fuerint machinationis ignari, ſicarijs tamen ſcienter in ſarcinis cuſtodiendis ſuum præbuerant miniſterium. Sextò eos, qui ſancti Archiepiſcopi, & ſuorum ſpolia ſolùm occupârunt, ab ultimo ſupplicio eſſe quidem immunes, ſed teneri reſtituere clericis Eccleſiæ omnia, quæ occupârunt injunctâ ijsdem ſalutari pœnitentiâ, & licèt aliqui jam pauperibus ablata clericis erogaverint; Pontifex declarat, non debuiſſe aliena dare pauperibus, ſed ijs reſtituere, ad quos ſublata pertinebant. Septimò illis, qui ſola Excommunicatorum participatione peccârunt conſideratâ temporis morâ, & utrum timore, vel affectione, ſcienter, vel ignoranter id effecerint pœnitentiam congruam, & ſalutarem eſſe injungendam. Octavò mandat Pontifex, ut clerici, qui armati interfuerunt tanto facinori, & & conſilium dederunt, ut S. Thomas Cantuarienſis caperetur, non ſolùm ab altaris miniſterio deponantur, ſed ulteriùs, ut in Eccleſijs nunquam lectiones legant, aut reſponſoria, ſed ſolùm pſalmos cantare debeant. Et demum ut in clauſtro Monachorum, vel canonicorum Regularium recludantur, & usque ad ſeptennium, vel quinquennium ab Eccleſiæ ingreſſu arceantur. Hæ ſunt pœnæ, quæ *in d. c. 6. h. t.* Alexander III. decernit ſuper ſcelerata occiſione S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, quæ contigit anno reparatæ ſalutis 1171. regnante Henrico III. Rege Angliæ. Ex quo textu colligitur homicidium comitti non ſolùm facto, ſed etiam conſilio, & præcepto.

13 Si enim homicidium committatur voluntate, id caſu, vel neceſſitate, vel omninò liberè; ſi liberè, & voluntariè fit, vel facto, vel præcepto, vel conſilio *c. ſi quis viduam*, & id procedit, quamvis interficiat Paganum, & homicidium ſit occultum *c. ult. de temp. ordin.* Si homicidium committatur caſu, ut ſi aliquis cùm daret operam rei licitæ, & adhibuit diligentiam, quam moraliter potuit, & debuit; homicidium ei non imputatur *c. ex litteris c. ſignificâſti 16. h. t.* ubi Innocentius III. cùm Clericus equitans ſtimulaverit equum calcaribus ſe proijcientem in aquam, & præter intentionem mulierem interfecit, mandat, quòd ſi clericus neſciebat talem equum vitium illud habere, ſit illi ad cautelam competens pœnitentia injungenda, quâ peractâ poſſit miniſtrare in ſuſceptis ordinibus, & promoveri ad majores: unde quando homicidium omnino caſu contingit, & ſine culpa in nullo imputatur, niſi fortaſſis eſſet grave ſcandalum, & tantâ quis laboraret infamiâ, ut eſſet eidem purgatio indicenda *c. ex litteris 14. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd qui dat operam rei licitæ, & adhibitâ diligentiâ aliquis interficitur, non eſt irregularis, niſi contra eum grave ſcandalum oriatur, vel tantâ laboret infamiâ, ut ſit ei indicenda canonica purgatio; ut ſi Presbyter deponens de pluſtro fœnum, eijcit perticam factâ priùs diligenti circumſpectione, ſi puer quis inveniatur mortuus, non eſt irregularis, niſi adſit infamiâ, vel ſcandalum, quia ut notat Gloſſa *in d. c. ex litteris* ſcandalum reddit hominem irregularem, etiam ſi res aliter ſe habeat; ſicque punitur innocens propter ſcandalum *c. tua de clerico ægrotan. c. cùm teneatur de prebend.*

Sin verò non adhibuit diligentiam, quam debuit; tunc imputatur ei culpæ, quia negligentia ipſa eſt culpa; proinde fit irregularis, & non poteſt promoveri ad ordines, nec miniſtrare in ordine ſuſcepto, *c. Presbyterum 7. h. t.* & *c. ad audientiam 12. h. t.* niſi Papa diſpenſet, *c. tua nos 19. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd poſt peractam pœnitentiam poſſit cum eo diſpenſari, ut celebret. Sin verò dabat operam rei illicitæ, ſive adhibuerit diligentiam, ſive non, ſemper ei imputatur culpæ *c. clerico diſt. 50.* Si demum ex neceſſitate, ſeu cauſa defenſionis propriæ; ſi homicidium potuit evitari, imputatur culpæ, & ad ordines ſuperiores clericus homicida non promovetur, ſed in ſuſceptis toleratur *c. de his, diſt. 50.* Si erat inevitabilis ſine omni diſpenſatione, poteſt in ſuſceptis ordinibus miniſtrare *c. quia te diſt. 50.* 14

Si petatur, quamnam incurrat pœnam ille, qui ſe ipſum interficit, aut mutilat. Reſpondetur de jure canonico privari eccleſiaſtica ſepultura, dummodo probari poſſit, quòd interfectus fuerit ſanæ mentis, & deliberatè ſe ipſum interfecerit, conſequenter in ſtatu peccati deceſſerit. De jure autem civili bona illius, qui ſe ipſum interimit, applicantur fiſco, ſi tamen duo concurrant, quorum primum eſt, ſi id fecerit metu pœnæ promeritæ, non verò ex impatientia carceris, ex triſtitia, vel alia cauſâ. Secundum quòd priùs tale crimen commiſerit, quod habeat annexam pœnam confiſcationis bonorum, ut ſunt crimina hæreſis, & læſæ majeſtatis *l. ult. §. idem reſcripſit ff. de bonis eorum*, ut tradit Fachinæus *q. 128. n. 77.* Sin autem quis tantùm ſe ipſum vulneraverit, non verò occiderit, licèt alicubi videatur præter infamiam etiam incurrere pœnam capitis, ſi ex mera malitia ſe vulneraverit, non ex impatientia doloris, vel aliâ cauſâ *l. ſi quis 38. §. ult. ff. de pœn.* & *l. omne delictum §. qui ſe vulneraverit. ff. de re milit.* nihilominus ut notat Farinacius *oper. crimin. p. 5. de homicid. concluſ. 126. n. 34.* in praxi hodie ſervatur, ut qui ſe ipſum vulnerat, puniatur pœnâ extraordinariâ arbitrio judicis; perinde ac punitur, qui alium diſtricto gladio ferit. Qui autem alium vulnerat, vel occidit, tenetur damnum illatum reſarcire; & in æſtimationem illati damni veniunt impenſæ in Medicos, & Chyrurgos, & generatim in curatione vulneris facti *c. 1. de injur. l. ex actione. ff. ad leg. Aquil.* 15

Quòd ſi vulneratus talis ſit conditionis, ut quotidiano labore lucrum, & victum ſibi conſueverit quærere. & pro vulnere ſibi inflicto lucro illo privetur; etiam hoc damnum lucri 16

ceſ-

ceſſa-‐is compenſandum eſt *l. ult. ff. de his, qui dejecerunt.* deductis tamen expenſis, quas vulneratus quærendo lucrum feciſſet; ut ſi pingendo tabulam debuiſſet emere colores, telam, & alia materialia; quia lucrum non computatur niſi deductis impenſis. Pro labore autem corporis, & moleſtia, ut communior fert opinio, nil deducendum eſt, quia operarius libenter ſubit pro victu neceſſario, & lucro talem laborem, qui cum ſæpe correſpondeat mercedi, & lucro, ſi deduceretur, plerúmque nil reſtitueretur. Præterea vulnerator, qui ſuo facto vulneratum impedivit à labore divino, tenetur integrè lucrum illius diei reſarcire, nulla parte detracta ratione laboris non obiti ob ſibi inflictum vulnus; quia vulneratus cupiebat talem laborem ſubire, eúmque ſubijſſet, ſi vulnus non fuiſſet ſibi inflictum. Quòd ſi homicida, qui damnum intulit, decedat poſt perpetratum homicidium, tenentur ejus hæredes reſarcire damna illata ab occiſore ex ejus bonis: quia hæredes ſuccedunt in locum defuncti, & in omnia ejus bona, & jura; conſequenter etiam in omnes ejus obligationes; quibus ex juſtitia erat alijs debitor.

17 Poſſet tamen in contrarium objici textus *in l. ex Judiciorum de accuſationibus* ibi: *Pœna pecuniarum, quæ deſcendit à delicto, non tranſit ad hæredes lite non conteſtata.* Verùm hic textus nullum faceſſit negotium; quia intelligitur de pœna propriè dicta, quâ puniendus erat per ſententiam is, qui delictum commiſerat; quam pœnam non tenetur delinquens ſubire ante Judicis ſententiam, ut notat Covarruvias *lib. 2. variar. reſol. c. 10.* Alij cenſent, præfatam legem tantùm negare hæredibus occiſi actionem de damno in foro externo in hæredes occiſoris; niſi ante ejus mortem lis conteſtata fuerit, ut docet Gomez *tom 3. c. 3. n. 37.* non tamen eos liberare in foro conſcientiæ: quia coram DEO nil refert, an lis conteſtata fuerit, vel non.

18 Rurſus tenetur homicida reſarcire damnum etiam illis, qui ex tali homicidio per ſe, & directè læduntur, ſeu omnibus illis, quibus defunctus ad alimenta, vel rem aliam præſtandam tenebatur ex juſtitia; & nunc ob mortem occiſi compelluntur carere, cujuſmodi ſunt liberi, uxor, & parentes defuncti, quibus competebat jus petendi alimenta à defuncto. Immo probabiliter putant aliqui, teneri occiſorem etiam reſarcire damna creditorum, qui defraudantur pecunijs mutuò datis occiſo. Docet hanc ſententiam præ cæteris Molina de juſtitia *tract. 3. diſp. 83 n. 8.* ubi aſſignat rationem, quia occiſus majori obligatione juſtitiæ tenebatur erga creditores, quam erga parentes, uxorem, & filios; & ideo his alimenta, & hæreditas non præſtantur, niſi ſolutis priùs creditoribus; proinde ſi homicida tenetur damnum reſarcire, quod accidit uxori, liberis, parentibus occiſi ex homicidio; à fortiori erit damnum reſarciendum creditoribus, ſi ob tale homicidium ſuo fuerant debito privati.

Putârim tamen contrariam ſententiam probabiliorem, quam docent Leſſius *lib. 2. c. 9. dub. 26.* Sotus *de juſtit. lib. 4. q. 6. a. 3.* Becanus *de juſtit. & jure q. 14. de reſtit. concluſ.* & alij, quos citat, & ſequitur Diana *tract. 5. reſol. 74.* Ratio eſt, quia creditor non habet jus in debitorem, niſi juxta menſuram bonorum, quæ actu poſſidet, vel veriſimiliter erit habiturus; atqui hæc eadem bona, ſi quæ paſſa ſunt detrimentum, homicida reſtituit hæredibus, ad quos tranſeunt jura defuncti, & transfertur obligatio, quam defunctus putabatur habuiſſe; proinde homicida nullam facit injuriam creditoribus occiſi, quia poſſunt iſti ab hæredibus exigere, ut ſibi ſatisfiat ex bonis creditoris defuncti. 19

Tum quia creditor non eſt ita conjunctus debitori ut damnum, quod fit debitori, cenſendum ſit fieri creditori: ſiquidem nonniſi per accidens, & civiliter debitor creditori cohæret, quâ ratione poſſunt ſexcenti, & plures hoc pacto conjungi cum debitore: & videtur abſurdum, omnes iſtos habere jus juſtitiæ in ipſius inimicum, ne hic eum occidat. Quamobrem quia damnum, quod patitur debitor occiſus per accidens obvenit creditoribus, eò quia illa actio homicidij ex ſua natura non ſit illis damnoſa, cùm poſſit contingere, ut nullum illis inferat damnum; ideo non infert iiſdem injuriam, nec tenetur occiſor damnum illatum creditoribus ob mortem occiſi reſarcire. Hinc patet ſolutio ad rationem, quâ nititur Molina, falſum enim eſt, quòd damnum illa occiſio inferat creditoribus, quia cùm occiſor teneatur reſtituere damnum illatum hæredibus occiſi, ad quos transferuntur jura occiſi, & obligationes ejusdem; debent creditores ab iiſdem, non ab occiſore exigere reſtitutionem. Præterea occiſor eatenus tenetur filijs occiſi reſtituere damnum illatum, quia iſti videntur una perſona cum patre, ac propterea cenſentur damnum paſſi in proprijs bonis, quæ per parentem poſſidebant: creditores autem non cenſentur una perſona cum debitore, proinde tenetur homicida filijs reſtituere damnum illatum; non verò creditoribus, qui debent à filijs ſuccedentibus debitori in juribus, & obligationibus ſatisfactionem exigere. 20

Si dicas, eum qui hypothecam perimit teneri creditori de damno, conſequenter etiam eum, qui debitorem interficit, quia ratione obligationis perſonalis eſt inſtar hypothecæ. Contra eſt, quia perimens hypothecam ſatisfacit, ſi det æquivalens illi hypothecæ, vel ſi det æſtimationem, compenſet fructus pro tempore, quo illos impedivit, ſi enim hypotheca erat domus, ſatisfacit ædificando ſimilem domum. Præterea falſum eſt, debitorem obligari ſecundùm ſe, quia tantùm oritur obligatio ratione bonorum, quæ actu habet, vel habiturus erat, proinde hæc tantùm compenſantur ab homicida, & reſtituuntur ejus hæredibus. 21

Hinc

22 Hine nec tenetur occiſor reſarcire, ac reſtituere damnum per accidens illatum familiaribus, & amicis occiſi: ratio eſt, quia occiſus non tenebatur ex juſtitia familiaribus illis, & amicis beneficia impendere, vel eleemoſynas elargiri, ſed tantùm ex mera liberalitate id præſtitit, unde illis tale beneficium non erat debitum; neque jus ullum ad illud acquiſiverunt: atqui occiſor tantùm tenetur ex juſtitia compenſare damnum illatum ortum ex obligationibus occiſi; conſequenter non tenetur ex juſtitia reſarcire damnum, quod per accidens familiaribus, & amicis occiſi ex ejus morte ſequitur. Idque procedit, ſi occiſor homicidium commiſit abſque intentione inferendi damnum familiaribus illis, & amicis occiſi: ſi enim mors non fuit interfecto illata animo privandi tales homines emolumento, quod ex occiſo accipiebant, & ſperabant accipere in futurum, tunc damnum illis tantùm per accidens obtingit, & præter interfectoris intentionem.

23 Contrarium tamen docet Vasquez *opuſc. de reſtit. c. 2. §. 3. dub. 2. n. 24.* ea innixus ratione, quia ſicut qui per vim, vel fraudem impedit aliquem à conſecutione boni alicujus legati, quod probabiliter conſequeretur, avocans animum illius, qui conferre decreverat legatum, vel aliud beneficium; tenetur ad reſtitutionem illius; & prout ſpes illa æſtimaretur arbitrio prudentis viri, quamvis ſperans legatum non haberet ad illud jus ullum: ita à pari infert Vasquez: ergò qui occidit alium, qui amicis decreverat aliquod beneficium conferre vi impedit illud commodum, quod alij erant conſecuturi ex defuncto, proinde tenetur occiſor ad reſtitutionem. Verùm hæc ratio non mihi videtur tanti momenti, ut non ſit adhærendum contrariæ ſententiæ communiori: quia aliud eſt per vim, vel fraudem impedire aliquem à conſecutione alicujus beneficij, & aliud præter intentionem tantùm eſſe cauſam, ut aliqui non percipiant beneficium, quod aliàs eſſent percepturi: impediens enim per vim, vel per fraudem, directè, & primariò intendit privare alium tali beneficio: ſecus qui abſque intentione nocendi Paulo occidit Joannem, non intendit per ſe damnum ullum inferre Paulo; proinde damnum, quod illi obtingit, eſt omninò per accidens.

24 Præterea qui per vim, vel fraudem impedit aliquem à conſecutione alicujus beneficij, ſi ſperans beneficium habuit jus ad illud, utique impediens tenetur reſarcire damnum, quod ipſi infertur: ſecus ſi nullum habuit jus, nec ullam connexionem cum tali beneficio; quia ubi non læditur jus tertij, non violatur juſtitia: & quia familiares, & amici occiſi, quæ ab ipſo erant percepturi, connexionem non habent cum ejus vita in ratione debiti, & mors non obvenit ex intentione privandi tales homines ullo jure; adeò ut homicida non intenderit impedire beneficium, quod ex liberalitate ab occiſo præſtabatur ejus familiaribus, & amicis, ſed tantùm per accidens obtigerit tale impedimentum, perinde ac ſi mors ex alia cauſa contigiſſet; ideo non tenetur homicida reſtituere talia emolumenta, quæ ex homicidio per accidens impedivit.

Tum quia homicida non tenetur reſtituere amicis interfecti, quæ ſperabant ab illo ex liberalitate ſibi conferri, eò quia conſueverit eos ad prandium invitare, & etiam munera illis elargiri, aut faciliùs concedere, quod ab eo petebant: idque non ob aliam rationem niſi, quia hæc beneficia illis non debebantur ex juſtitia, neq; occiſus ullam contraxerat obligationem, hæc beneficia iiſdem præſtandi: ita etiam in caſu noſtro non tenetur homicida reſtituere damnum, quod per accidens familiaribus, & occiſi amicis obtingit ex ejus morte. 25

An verò, ſi occiſus habens filios, adhuc omnia interfectori remittat, teneatur nihilominus interfector reſtituere damnum illatum filijs occiſi. Reſpondetur cum Soto *de juſtit lib. 4. q. 6. art. 3. ad 5.* & Leſſio *lib. 2. c. 9. dub. 20.* probabiliùs interfectorem non teneri reſtituere filijs damnum illatum, quia filijs non fit injuria illata per homicidam in bonis fortunæ, niſi prout læduntur in parente contra ejus voluntatem; alioquin ſicut pater poteſt diſponere de bonis, quæ poſſidet, ea exaugendo, vel minuendo; ita poteſt damnum, quod per homicidium infertur ſuis bonis condonare ſine injuria filiorum: quia ſicut pater citra injuriam filiorum poteſt ſua bona, quæ poſſidet, diminuere; ita poteſt etiam damnum, quod iiſdem bonis obtingit ob homicidium remittere occiſori, & tunc nullum jus acquirunt filij ad reſarcitionem ejuſdem damni: quia ſicut filij per patrem jus acquirunt in talia bona; ita etiam illud amittunt, ſi à patre talia bona minuantur. Non tamen laudabiliter ſe gereret pater, ſi habens filios pauperes, & indigentes, vellet occiſori condonare omnem reſtitutionem; quia licèt tunc in conſcientia talis condonatio valeret, niſi fortaſſis per legem aliquam poſitivam ei promitteretur ſola diſpoſitio alicujus certæ portionis bonorum, ut certæ quartæ, vel quintæ partis: quia tunc remiſſio non valeret niſi juxta hanc moderationem à lege præſcriptam. Verùm quia viri pietati addicti, & timoratæ conſcientiæ ſolent juxta conſilium Chriſti etiam inimicis benefacere, & bonum pro malo reddere; ideo cenſerem, poſſe occiſum remittere occiſori omne debitum, eique condonare omnem reſtitutionem, etiam cum aliquo detrimento filiorum; quia eſt actus perfectior ex charitate ipſis inimicis benefacere, & perfectè condonare omne damnum illatum. Tum quia tale bonum reſarciendum ab interfectore non videtur cenſeri inter bona creditoris, de quibus loquuntur leges, quando præſcribunt legitimam portionem, & nemo compellitur actiones ex delicto naſcentes recenſere in ſuo cenſu. 26

Quòd ſi occiſus careat filijs, aliiſque cognatis intra tertium gradum; an teneatur tunc occiſor ad aliquam reſtitutionem. Reſpondetur probabiliter negativè cum Soto *lib. 4. de juſtit.* 27

q. 6, art. 3. ad 3. ubi addit, nec fratribus teneri occiſorem reſtituere in ſoro conſcienciæ, quidquid ſit in foro judiciali: verùm id eſt dubium, quia ſi fratres hæredes ſint, cum jura, & obligationes occiſi ad ipſos devolvantur; tenear ijsdem demnum reſarcire, quod illatum eſt per tale homicidium: ratio igitur eſt, quia interficiens hominem non habentem filios, nec fretres hæredes, immo nec alios conjunctos intra tertium gradum non tenetur alijs reſtituere ratione dicti homicidij, quia circa extraneos hęredes in conſcientia vix conſideratur damnum, vi cujus teneatur homicida ad aliquem reſtitutionem, ſiquidem defunctus, ſi adhuc viveret; non teneretur ijsdem alimente præſtare, & poſſet liberè inſtituere hæredem, quem mallet: proinde non tenetur occiſor compenſare damnum cognatis occiſi ultra tertium gradum. Occiſor enim ſolùm videtur obligari parentibus occiſi, filijs, & uxori, & non alteri, quamvis ſit freter in ſententia probabili nonnullorum, eò quia frater non ſit neceſſarius hæres, nec cenſeatur una perſona cum occiſo: imò cenſet Leſſius *lib. 2. de juſtit. c. 9. dub. 26. n. 157.* probabile, non teneri homicidam reſtituere uxori, ſi ex interſectione mariti nullum acceperit notabile detrimentum, & aliàs poſſit æquè commodè nubere elteri, quia tunc non cenſetur in rebus pecuniê æſtimabilibus læſa; immo eddit, neque teneri occiſorem reſtituere parenti occiſi, niſi fortaſſis ſit hæres, vel alimenta conſueverit eccipere à filio occiſo, nec aliunde ſit illi proſpectum. Hinc Tannerus *tom. 3. diſp. 4. q. 6. dub. 4. n. 122.* putet perquàm probebile, quòd ſi occiſus de pretio non convnnerit, dum viveret, & ejus parentes, ac uxor non indigeant alimentis, ut nec filij neceſſarijs ad vitam; non tenearur homicida ante judicis ſententiam quidquem reſtituere. Verùm contraria ſententia eſt communior, eique adhærendum; adeò ut occiſor teneatur reſtituere parentibus, filijs, & uxori occiſi, ſi ex homicidio damnum aliquod paſſi ſunt.

28 Difficultas eſſe poteſt, an cùm quis prævidet ex ſuo homicido ſecuturum damnum tertij, teneatur tunc ad reſtitutionem: ut Petrus ſciens, Paulum eſſe Joanni inimicum, & hanc inimicitiam eſſe publicam, notámque omnibus, interficit ipſum Joannem prævidens homicidium ſore imputandum Paulo, qui poſt patretum homicidium revera capitur, & ultimo ſupplicio demnetur: dubitatur, an Petrus verus homicida teneatur ed reſtitutionem hæredibus Peuli damneti ad ultimum ſupplicium. Reſpondetur, quòd ſi Petrus, qui Joannem occidit, nullam habuerit intentionem, ut Peulo præſumpto homicidæ inde damnum eveniret, neque prævidit eventurum, non cenſetur cauſe per ſe illius demnationis; proinde non tenetur ed reſtitutionem; alioquin quoties unus occideret alium, & tertius condemnaretur, quia in judicio præſumeretur homicida; occiſor teneretur reſtituere damnum ejus hæredibus; tametſi illos nunquam noviſſet.

Sin verò occiſor prævidet demnum ſecuturum Paulo, quia Petrus edhuc non peccaret peccato injuriæ in ipſum Peulum, ideo cenſent plures, non teneri ad reſtitutionem; quia quando ex aliqua actione ſequitur damnum tertio non ex natura actionis, ſed ex malitia, vel ignorentia eliorum ſe immiſcentium, non cenſetur illa actio injurioſa tertio, ſi damnum ſequatur ex opere quidem, ſed non ex natura operis; ſed tantùm per accidens; tunc enim non tenetur quis ex juſtitia cevere, ne ſequatur damnum tertio, ſed ſolùm ex charitate: proinde non tenetur ed reſtitutionem, quia tale damnum non provenit tertio, ut plurimum ex hujusmodi actione, ſed rarò; proinde non provenit ex netura talis actionis: ergo qui illem poſuit, non tenebatur advertere ex juſtitia damnum illud ſecuturum, & cum non advertetit, non tenetur ad reſtitutionem, quia nihil omiſit cevere, quod teneretur.

Quòd ſi adverterit damnum ſecuturum, & nihilominus ponit illam actionem; adhuc non tenetur ad reſtitutionem, quia talis actio per ſe, & ex natura ſua non eſt injurioſa tertio. Si dicas, eum, qui advertit ex opere ſuo ſecuturum damnum tertio, teneri debitem cautionem adhibere, ne ſequatur. Reſpondetur id verum eſſe, quando damnum ſequitur ex natura ipſius operis, non verò quendo tantùm per eccidens; quia tunc non tenetur ex juſtitia cavere, ne ſequatur; ſed tantùm ex cheritate; edeò ut ſi non caveet, ne ſequatur, peccet tantùm contra charitatem, non contra juſtitiam; ut ſi quis vender erme militi, quibus malè uſurum putat, non propterea venditor cenſetur euthor illorum malorum, tametſi peccet contra charitetem. 29

30 Quòd ſi ponens talem actionem intenderet damnum tertij, adhuc ſi actio exterior telis ſit ex ſe, ſuiſque circumſtentijs, ut ex ea non ſequatur damnum ut plurimum, ſeu ex conditione actionis, ſed tantùm eliunde; nec videtur eſſe peccatum injuſtitiæ: tum quia ſola intentio non facit opus injuſtum, niſi eliàs ex natura ſua, & concurrentibus circumſtantijs ſit tale: unde cùm actio, ut ſupponitur, non ſit ex natura ſua injuſta reſpectu tertij, non ſit injuſta ex intentione; quia intentio deſumit ſuam ſpecificationem eb objecto, quod ſi non ſit injuſtum reſpectu intendentis, nec intentio injuſta erit, ſed tantùm contra charitetem

31 Dubitari poteſt, an ex occiſione ſacta in duello oriatur obligatio reſtitutionis. Reſpondetur cum diſtinctione, ſi provocatos ad duellum provocentem occidit, non videtur teneri ed ullem reſtitutionem, eò quia involuntarius, ſeu provocatus cenſeatur deſcendiſſe ad ſingulare certamen, ne ſcilicet apud alios vilis haberetur. Tum quia provocans invitavit provocatum ad ſui occiſionem, unde ſcienti, & volenti non ſit injuria; ſin verò provocans provocatum in duello occideret, non eſſet à reſtitutione excuſandus, eò quia nullum jus habuerit ad inferendum provocato damnum illud. Sin verò ambo ſe ad duellum pro-

provocârunt, tunc neuter alteri ad reſtitutionem tenetur, quia tunc præſumitur pactum implicitum, ut nihil occiſo occiſor inde debeat, ut docent Rebellius *de obligat. juſtit. p. 1. lib. 3. q. 12. n. 8.* Layman *lib. 3. ſect. 3. tractat. 3. c. 6. lib. 3.* Stroversdorff *de juſtit. & jure in 2. 2.* D. Thumæ *q. 67. diſp. unic. memb. 2. concluſ. 3.*

32 Juvat obſervare, quòd inter nobiles ex homicidio regulariter nulla videtur oriri obligatio reſtitutionis, ut notat Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 1. c. 4. dub. 11. n. 6.* eò quia nobiles, & ingenui viri, ut etiam divites ex communi uſu videntur renunciâſſe tali juri, proinde cenſentur ſemper tacitè remittere obligationem reſtituendi, ut notat Sotus *lib. 4. de juſtit. q. 6. art. 3. ad 3.* Hinc inter illuſtres viros hæc reſtitutio non petitur, quia viri nobiles damna ſibi illata condonant, ſolámque injuriam memoriâ tenent. Inter viros autem infimæ notæ homicida tenetur ad impenſas in curatione volneris, & morbi, & ad damna omnia ex homicidio ſecuta; ad lucrum ceſſans: non tamen tenetur ad integrum lucrum reſtituendum: ratio eſt, quia lucrum in ſpe cum poſſit pluribus modis impediri, non æſtimatur tanti, quanti lucrum in re: quapropter in taxando hoc lucro attendi debent circumſtantiæ perſonæ, loci, temporis, ut ſi occiſus adhuc erat in florente ætate, firmæ valetudinis, ſic at excellens artifex, ſuóque labori aſſiduus, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 62. art. 2. ad 1.* Sotus *de juſtit. lib. 4. q. 6. art. 3. ad 3.*

33 Alij tamen cenſent, hanc æſtimationem faciendam eſſe juxta diſpoſitionem juris civilis, quæ habetur in *l. computationi ff ad leg. falcid.* ut ſi quis ſit annorum 30. vel infra is putetur adhuc victurus 30. annos, ſi ſit 35. putetur victurus 25. ſi ſit 40. adhuc 20. ſi 50. adhuc decem ſemper diminuendo usque ad ſexageſimum. Verùm ex hac opinione ſequeretur, cum ad nullam teneri reſtitutionem, qui virum ſexagenarium occideret, quod tamen non eſt concedendum, cùm adhuc poſſit ulterius per plures annos vivere, & ſuo laboré etiam aliquid lucrari. Præterea quando læſus remanet cum membri abſciſſione, vel perpetua debilitate; non videtur locum habere hæc annorum vitæ computatio; ſed potiùs ſolvendum eſt illi annuatim aliquid pro illo lucro, quod habiturus eſſet, ſi membrum illud non perdidiſſet. Cæterum cum perdifficile ſit ratione circumſtantiarum reſtituere, cuique ex damnificatis, quod ei ex juſtitia debetur; conſultiùs eſt uti compenſatione cum his, quibus eſt facienda reſtitutio; adeò ut iſti ſibi mutuò remittant, ſi quid minùs, vel plus debeatur.

34 An verò homicida ex juſtitia teneatur pro anima defuncti miſſas offerre, ac preces fundere, affirmant Scotus in *4. diſt. 15. q. 3.* Julius Clarus in *prax. crimin. lib 5. §. homicidium V. tenetur.* Molina *tom 4. tractat. 3. diſp. 84. n 11.* ratio, quâ hæc ſententia nititur, eſt, quia ſatisfactio injuriæ perſonalis fieri poteſt per ſuffragia pro occiſo, & ad hoc homicidam non ſolùm teneri ex charitate, ſed etiam ex juſtitia. Verùm putârim probabilius tantùm teneri ex charitate, ut docet Layman *in theol. moral. lib. 3. ſect. 5. tractat. 3 p. 3. c. 6 n. 11.* quia nemo tenetur damnum reſarcire ex bonis diverſi generis, ac ordinis, ſi in eodem non poſſit; ſiquidem ſolùm bona ejusdem generis, ac ordinis inter ſe poſſunt commenſurari juxta proportionem dati, ac accepti, quæ commenſuratio requiritur ad reſtitutionem damni per juſtitiam commutativam: unde ex charitate homicida tenetur preces fundere, & ſacrificia offerre pro anima occiſi.

Quid verò dicendum, ſi homicida ex reſtitutione conſtitueretur in gravi neceſſitate: 35
plures cum Ledeſma *in 2. p. 4. q. 18. dub 2. a. 2.* docent, adhuc homicidam compellendum eſſe ad reſtitutionem, dummodo ex hac non conſtituatur in extrema neceſſitate. Verùm putârim, id tantùm procedere, ſi hæredes occiſi eſſent itidem conſtituti in gravi neceſſitate; alioquin homicida non tenetur cum tanto diſpendio reſtituere damnum illatum, ut debeat ſe in extrema neceſſitate conſtituere. An verò hæredes homicidæ teneantur reſtituere damnum illatum, ſi homicida fuerit capite diminutus. Affirmant Sanchez *in opuſc. tom 1. lib. 1. c. 4. dub. 1. n 2.* Malderus *de juſtit & jur. tract. 3. c. 3 dub. 5.* Navarrus *de reſtit. lib. 4. c. 1. n 91.* Covarruvias *lib. 2. var. c 10. n. 7.* ratio, quâ nituntur, eſt, quia pœna infligitur à judice, non ut damnum illatum parti læſæ compenſetur, ſed ut injuria Reipublicæ illata vindicetur, aliiſque terror incutiatur. Verùm ſi hæc ſententia vera eſſet, hoc onus etiam tranſiret ad fiſcum; licèt Julius Clarus *in praxi lib. 5. § homicidium n. 23.* fateatur, id malè in praxi ſervari. Unde alij forſan probabiliùs docent, hæredes homicidæ excuſari à reſtitutione, ſi ille fuerit capite plexus, ut docet Bannez *de juſtit. & jur q. 62, art. 2.* Gabriel *in 4. diſt. 50. q. 3. art. 2.* Leſſius *lib. 2 c. 9. dub. 22.* quia revera capitis ſententia compenſat omnem injuriam, damnúmque homicidij; quinimò huic ſententiæ, vel maximè adhærendum eſt, ſi hæres occiſi nihil tunc pro ſatisfactione damnorum exigat. Rurſus nonnulli adhærentes primæ ſententiæ cenſent, eam procedere, quando bona damnati ad mortem pervenerunt ad hæredes non ſucceſſione hæreditaria, ſed libera legatione.

§. IV.

De Irregularitate, quæ contrahitur ob homicidium voluntariè, & injuſtè patratum.

Est irregularitas juxta præſens inſtitutum quædam inhabilitas, ſeu impedimentum ad ordines eccleſiaſticos ſuſcipiendos, vel miniſtrandum in jam ſuſceptis: dicitur irregularitas quaſi exceptio à regula; etenim cùm poſſint regulariter omnes homines ad ſa- 1

cros ordines promoveri, ideo qui ſpecialiter excipiuntur, vel prohibentur ad eosdem promo eri dicontor irregulares. Non tamen irreg laritas orta ex homicidio, vel mutilatione eſt tantùm pura pœna delicti; ſed ulterios etiam de ectus man uetudinis, & lenitatis, non enim videtur decere, eum Chriſti mitiſſimi, qui pro nobis ſanguinem ſuum fudit, perſonam in in altari repræſentare, & hoſtiam imaculatam, & incruentam offerre DEO patri, qui auſus eſt humanum ſanguinem fundere, ac ſuum interficere proximum

2 Ob hanc rationem hæc irregularitas non ſolùm ex homicidio, dolo, vel lata culpa; verùm etiam ex levi, imò interdum etiam licitè commiſſo contrahitur. Suam hæc irregularitas originem trahit ex jure divino veteris teſtamenti, in quo legimus, Deum noluiſſe acceptare ædificationem rempli à Rege Davide, eò quia in bello multum ſanguinis effuderit, ſed tantùm ab ejus filio Salomone pacifico ut habetur in *lib. 1. paralip c. 22.* quia tamen cæremoniæ veteris legis veluti umbræ ad acceſſum Chriſti veri juſtitiæ ſolis evanuerunt, iden hæc irregularitas per Pontifices in Eccleſia introducta, & recepta fuit; adeò ut non ſit ampliùs de jure divino; ſed tantùm Eccleſiaſtico: & ſicut in alijs legibus eccleſiaſticis poteſt Pontifex declarare, & relaxare, ita etiam in irregularitate, quæ tamen non incurritor, niſi proot in jure canonico exprimitur *c is qui 18. de ſentent. excommun. in 6.* quia cùm injungatur ut pœna in odium patrati delicti, non debet ampliari ad caſus non expreſſos.

3 Qui igitur aliquem voluntariè, & injuſtè per ſe ipſum immediatè interficit, incurrit hanc irregularitatem, ut etiam is, qui dat cauſam propinquam efficacem mortis, licèt ea nonniſi poſt longum tempus ſequatur; ut ſi quis miſcuit hauſtui venenum, quod poſt unum tantùm, vel alterum menſem interimit: quia qui dat cauſam damni, videtur damnum dediſſe *l. qui occidit 30. §. penult.* & deſumitur etiam *ex c. de cætero 11. h. t.* ubi Alexander III. Epiſcopo Lucenſi reſcribit, Diaconum qui homicidio cauſam dediſſe videtur, non videri ad ſacerdotium promovendum ob irregularitatem, in quam incidit: ex eo autem, quòd Pontifex dicat, non videri ad ſacerdotium promovendum, colligitur dubium fuiſſe, an revera Diaconus ille cauſam dederit homicidio: & nihilominus Pontifex judicavit, eum contraxiſſe illam irregularitatem, quæ contrahitur in dubio facti, an ſcilicet factum aliquod fuerit cauſa mortis.

4 Idque firmat etiam Clemens III. *in c. ad audientiam 12. h. t.* ubi Clericus corrigens ſuum famulum, & verberans cum cingulo, quo cinctus erat, & caſu ex vagina egreſſus cultellus verberatum vulneravit, cúmque aliquandiu vixiſſet, & convaluiſſet ex vulnere, poſtea alia graviori infirmitate vexatus deceſſiſſet, judicat Pontifex, quòd ſi conſtet, quòd ex alia infirmitate ſit famulus ille mortuus, quàm ex vulnere, Clericus ſit liber, & poſſit celebrare; ſin verò dubium ſit, an ex vulnere occubuerit, prohibet Clerico miniſtrare in ſacris, eíque injungit ſalutarem pœnitentiam; unde in dubio facti, quando ſcilicet conſtat irregularitatem in tali caſu eſſe ſtatutam, & dubium eſt, quis homicidium perpetraverit, vel cauſa illius fuerit, ut in præſenti textu, utrum vulnus à cultello inflictum mortem intulerit? In tali dubio, qui factum commiſit in utroque foro, eſt irregularis: non ita in dubio juris, quando non dubitatur, an hoc, vel illud factum ſit; ſed ambigitur, an tali facto talis pœna in jure ſit impoſita, ut notant Barboſa *in d. c. ad audientiam n. 2.* & alij ab ipſo allegati: hinc plures cenſent, id procedere in quolibet dubio facti; quia Pontifex generatim utitur ea ratione, quòd in dubijs tutior pars ſit eligenda. Verùm contraria ſententia videtur probabilior, quia præfati textus loquuntur ſpeciatim de dubio homicidij, cúmque ſint in materia odioſa, non debent extendi ad alios caſus non expreſſos.

Quòd verò Pontifex dicat *in c. ad audientiam 12. h. t.* in dubio eligendam eſſe partem tutiorem, id intelligitur tantùm de dubio facti in hac materia irregularitatis, & homicidij, non de dubio juris. Rurſus hæc irregularitas ſolùm incurritur in ordine ad Ordines ſuſcipiendos; non verò quoad privationem beneficiorum; ratio eſt, qoia pœna ordinaria non eſt imponenda delicto dubio, ſed extraordinaria pro qualitate dubij, ut notat Barboſa *loc. cit. n. 3.* Hinc irregularitatem incurrit, qui fœminæ prægnanti procuravit abortum, idque deſumitur *ex c. ſicut 20. h. t.* ubi cùm quidam Presbyter mulierem prægnantem, cum qua conſuetudinem inhoneſtam contraxit per zonam arripuiſſet, qoaſi ludens; & mulier dixiſſet ſe ea occaſione abortum feciſſe. Innocentius III. reſpondet, hunc Presbyterum, ſi nondum conceptus fœtus erat vivificatus, poſſe miniſtrare, non ita ſi jam fuerit animatus: ex communi autem medicorum ſententia fœtus in matris utero, ſi maſculus eſt, ordinariè intra 40. dies, animatur; ſi fœmina intra 80. licèt nonnunquam ob calidiorem, vel frigidiorem matris naturam tardiùs, vel citiùs animetur, ut notant plures apud Barboſam *in d. c. ſicut 20. n. 6. h. t.* 5

6 Ratio verò, cur talis Presbyter incurrerit irregularitatem, fuit, quia arreptio per zonam, quaſi ludendo fuerit cauſa propinqua; & moraliter ſufficiens ad inducendum abortum, cùm mulier ex illa ſe lædi ſenſerit, & paulò poſt aborſum fecerit, quapropter luſus ille non ſolùm fuit illicitus; ſed etiam noxius, cùm cauſaverit aborſum, ut notat Covarruvias in *in element. unic. p. 2. §. 4. n. 4. & 10.* juxta tamen jus civile dans cauſam aborſui poſt animationem fœtûs afficitur ultimo ſupplicio *l. ſi quis 28. §. qui aborſionis ff. de pœn.* ſiquidem ex quovis homicidio quomodocunque contingente incurritur irregularitas, præſertim ſi rei illicitæ data ſit opera, ut in dicto caſu illius Presbyteri, qui arreptâ zonâ mulieris prægnantis

tis per luſum cauſavit aborſum, tametſi hic obtigerit præter intentionem, quia juxta commune effatum danti operam rei illicitæ, quæ ſequuntur, eidem imputantur, quamvis adhibuerit diligentiam in prætavendo damno, & præſertim, ſi actus ille illicitus ex ſua natura ſit periculoſus, vel ordinetur ad gravem læſionem alterius, & ex eo ſi non ſemper, ſaltem frequenter ſoleat homicidium ſequi; alioquin ſi actus ex alio fine fuerit illicitus, non tamen per ſe, & ex ſua natura; tunc non inducitur irregularitas, ſi per accidens, & caſualiter contingat homicidium (niſi alio modo agens fuerit in culpa ſaltem levi) unde non eſt irregularis, qui gladium furto ſublatum reſtituit vero Domino bono animo, & ea tantùm intentione, ut non retineat rem alienam, ſi Dominus poſtea accepto gladio aliquem ſtatim occidat; qui gladium reſtituit, non incurrit irregularitatem, quia talis reſtitutio eſt licita, imò ex juſtitia, & homicidium evenit præter intentionem reſtituentis gladium: cum enim tunc homicidium contigerit ſine culpa reſtituentis gladium; non eſt, cur debeat incurrere irregularitatem, cùm in jure id non ſit expreſſum, & pœnæ, ac odia non ſint extendenda ultra caſus in jure expreſſos. Quòd ſi actio ex ſe licita exerceatur ab alio, qui non deberet illam exercere, ſi inde ex illa ſequatur homicidium, incurritur irregularitas, idque deſumitur ex *c. tua nos 19. h. t.* ubi Innocentius III. declarat, quòd Religioſus peritus chyrurgus exercens chyrurgiam cum omni diligentia, & causâ pietatis, ſi ex ea mors ſequatur, fit irregularis, eò quia delinquat uſurpando alienum officium, quod ei non congruebat: ſed poſt actam pœnitentiam, poteſt cum eo diſpenſari, ut celebret: tamen ſi ſecus, ſine diligentia, vel non causâ pietatis chyrurgiam exerceat, ei interdicitur executio Ordinis.

7 Mirum ſanè videri poteſt; quòd Monachus quamvis omnem adhibuerit diligentiam aperiendo apoſtema in gutture mulieris, à Pontifice declaretur irregularis, ibi enim Pontifex dicit, in rigore eſſe illi interdicendam Ordinis ſacerdotalis executionem: in rigore autem intelligitur ex vi juris; & tamen præcedentes canones ſolùm ſtatuunt irregularitatem in defectu non adhibitæ diligentiæ debitæ, ex quibus videtur colligi, quòd ſi hæc adhibeatur, irregularitas non incurritur.

8 Ob hanc difficultatem Canoniſtæ variè explicant præfatum textum apud Barboſam *in d. c. tua nos. n. 4. h. t.* Putârim tamen, poſſe dici, dubium tunc fuiſſe, an Religioſus ille adhibuerit convenientem diligentiam; quia Pontifex in dicto textu loquitur hypotheticè, *ſi tamen causâ pietatis* exercuerit debitam diligentiam, ſeu omnem, quam debuit, adhibuit; utrum autem illam adhibuerit, relinquit in dubio, neque videtur poſſe certò deprehendi: hinc in dubio facti homicidii caſualis Pontifex declarat irregularem clericum in ſacris conſtitutum ſecundùm rigorem juris, eò quia dubium ſit, an mors mulieris contigerit, eò quia Religioſus ille non adhibuerit omnem majorem diligentiam, quam potuit.

Quid verò dicendum de eo, qui alium mutilavit, vel etiam lethaliter vulneravit, ſed alius poſtea eum occidit, num etiam, qui tantùm vulneravit, ſive lethaliter, ſive non, incurrat irregularitatem, eò quia vulneratus ab alio fuerit interfectus. Reſpondetur, in dubio, quòd vulneratus fuiſſet mortuus ex vulnere priùs ſibi inflicto, qui tale vulnus inflixit, irregularitatem incurrit, tametſi in re fortaſſis ex ſolo illo vulnere mors non contigiſſet, idque deſumitur ex *c. ſignificâſti 18. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd ſi clericus percuſſit ſacrilegum aſportantem ab Eccleſia Euchariſtiam, & ſacramenta; & alij ſæculares hoc videntes percuſſerunt eundem ſacrilegum, & occiderunt, ignoterúntque, an percuſſio facta fuerit à Clerico ad mortem; ita ſit judicandum, ſi poteſt conſtare, quòd percuſſio facta à clerico non fuit lethalis, ex qua ſola ſine alijs non fuiſſet mortuus, ut ſi percuſſio appareat, fuiſſe tam modica, tamque levis, & in ea parte corporis, in qua judicio peritorum non ſolet eſſe ad mortem; & ſi percuſſor non habuit voluntatem occidendi, neque ipſius ſtudio, conſilio, vel mandato alij vulnerârunt; de quibus eſt ipſi credendum, quando non accuſatus, neque denuntiatus, ſed ſponte, & ex ipſo petit conſilium ſalutare; non eſt judicandus tunc irregularis; ſed poſt peractam pœnitentiam ſibi injunctam ad cautelam poteſt in officio miniſtrare, dummodo poſſit celebrare, & officium ſacerdotale exercere ſine ſcandalo. 9

Quòd ſi res dubia ſit, nec diſcerni poſſit, ex quo vulnere interjerit ſacrilegus ille, an ex primo inflicto à ſacerdote, vel ex alio; tunc in dubio ſacerdos habetur irregularis, & homicida: & quamvis in re talis non eſſet; adhuc declarat Pontifex, tutiùs eſſe ceſſare à celebratione. 10

Ex quo textu colligitur, eum eſſe irregularem, qui alium lethaliter percuſſit, & dubium eſt, an percuſſus ex tali vulnere interjerit, quia in dubio tutius eſt abſtinere ab officio ſacerdotali, quam temerè celebrare: quia tametſi non conſtet, ex quo vulnere percuſſus interjerit, adhuc percutientes incurrunt irregularitatem, tametſi non omnes lethaliter percuſſerint. Quòd ſi primus percuſſor non lethaliter percuſſerit, ſed tamen conſtet, quòd ob illam percuſſionem non potuerit percuſſus fugere, adeóque fuerit poſtea ab alio occiſus, tunc ille prior percuſſor, quamvis non incurrat pœnam ordinariam homicidij, fit tamen irregularis; eò quia dederit occaſionem homicidio poſtea ſecuto. 11

Quòd ſi conſtet, primam percuſſionem non fuiſſe lethalem, & primum percuſſorem non habuiſſe animum occidendi, imò potiùs juſtam cauſam percutiendi, ob defenſionem ſcilicet rerum eccleſiaſticarum, tunc is non incurrit irregularitatem, ut declarat Pontifex in *d. c ſignificâſti 18. h. t.* ratio eſt, quia cùm clericus dederit operam rei licitæ, mors ab alio poſtea 12

illata non debet ei imputari, & cùm quoad homicidium non ſit culpabilis, non eſt, cur debeat abſtinere à divinis.

13 Eſt in homicidio peculiare, ut dubitans, an fuerit cauſa illius, debeat ſe habere pro irregulari, ut ſtatuitur *in c. ad audientiam 12. & in c. ſignificâſti 16. h. t*, adeò ut id procedat non ſolùm quoad judices, verùm etiam quoad vulnerantes, qui propterea tenentur ſe gerere, ut irregulares, non ſolùm in ſoro externo, verùm etiam in foro conſcientiæ, quia tametſi pœna imponi non poſſit pro delicto dubio; & in dubio ſavendum potiùs ſit reo ex *c. cum jura de reg. jur. in 6.* Nihilominus in hoc caſo voluerunt Pontifices, quòd etiam in dubio homicidij pœna locum haberet, idque lege ſanxerunt moti ex convenientia; quòd in materia homicidij in dubio ſit tutior pars eligenda: ſiquidem cenſuerunt, vel maximè inconveniens, quòd etiam dubiè pollutus ſanguine humano miniſtret in altari, & conficiat corpus, & ſanguinem Chriſti. Quamobrem cum in præfatis canonibus dicitur, quòd in dubijs eligenda ſit pars tutior, id tamen non ponitur ut regula univerſalis, ſed tantùm aſſignatur ratio convenientiæ ita ſtatuendi in materia homicidij.

14 Sin verò præſumatur, vulneratum non eſſe mortuum ex vulnere, ſed potiùs ex negligentia curationis, aut ex alia cauſa, tunc oritur dubium, an vulnerans adhuc debeat ſe gerere ut irregularem. Quòd Judex in dubio, an mors ſecuta ſit ex vulnere, vel ex alia cauſa ſuperveniente, debeat pronuntiare non eſſe ſecutam ex vulnere, docent Baldus *conſil 338. in fin. lib. 2.* Menoch. *de arbit. caſ. 175. n. 13.* quòd ſi judex pronuntiaverit, non eſſe mortem ſecutam ex vulnere, non videtur vulnerans habendus pro irregulari, quia poſt ſententiam judicis non ſumus ampliùs in dubio; ſed in certis, quia ſententia judicis, cum tranſierit in rem judicatam, habetur pro veritate *l. 1. ff. de re jud. & c. 1. de re judic.* ut notat Innocentius *in c. ſuper litteris de reſcript.* & ita cenſuit Rota Romana *in Aſtenſi juris paſcendi 24. Januarij 1614. coram Veroſpio.*

15 Idque etiam procedit, ſi judex pronuntiet, mortem non fuiſſe ſecutam ex vulnere; ſed etiam ſi puniat vulnerantem ſolùm ut vulnerantem, non verò ut homicidam: quia irregularitas non incurritur niſi propter homicidium, & judex tunc tacitè declarat vulnerantem non fuiſſe homicidam, cum illum non puniat, ut homicidam: ſiquidem ex qualitate pœnæ, qualitas dignoſcitur delicti *c. homo diſt. 40. & clement. 1. §. quæ omnia de pœn.* ut notat Fulious in *c. 1. inst. de calum.* Et cum vulnerans non fuerit condemnatus de homicidio, habetur pro abſoluto juxta doctrinam Scacciæ *de appellat. q. 17. limit. 6. n. 7.* & abſolutus declaratur non commiſiſſe delictum. Quinimò ſi dubitetur, an vulneratus ſit mortuus ex vulnere, vel ex alia cauſa, & medici, ac periti judicent, non eſſe mortuum ex vulnere, tunc vulnerans non incurrit irregularitatem, quia judicium peritorum declarat, inflictum vulnus non fuiſſe lethale, nec mortem ex ipſo ſecutam fuiſſe; ut tradunt Baldus *conſil. 328. V. tertiò dixi lib. 2.* Menochius *de arbit. c. 275. n. 11. lib. 2.* ubi addit, hoc judicium peritorum eſſe veram probationem; & tali judicio ſtandum eſſe, liquet ex *l. 3. C. fin. regul.* & notant Gomez *variar. reſol. c. 3. n. 8. V. unde in hoc caſu tom. 3.* Rota Romana coram Ludoviſio *deciſ. 161. n. 8.* & coram Merlino *deciſ. 52. n. 1.* idque non ſolùm quoad ſorum internum, verùm etiam quoad externum, adeò ut in utroque foro ſit immunis ab irregularitate, eò quia non ſimus in dubio poſt judicium peritorum, ſed habetur pro certo, quòd mors non fuerit ſecuta ex tali vulnere.

Cæterum procedi ſolet cum diſtinctione, 16 ſi vulneratus mortuus fuerit, non quidem immediatè ex vulnere, ſed vel ex imperitia medicorum, vel morbo, aut alio caſu ſuperveniente, tunc ſi vulnus dedit occaſionem tali morbo ſupervenienti, adeò ut cauſa fuerit febris, vel inflammationis, quam imperiti medici non potuerunt curare; tunc vulnerans ſit irregularis; quia danti operam rei illicitæ imputantur, quæ ſequuntur *cap. de cætero & c. ad audientiam h. t.* Sin verò mors contigerit omnino à cauſa extrinſeca; adeò ut vulnus fuerit leviſſimum, & nullo modo periculoſum ex communi Peritorum ſententia, tunc quamvis medicus, vel etiam ipſe æger noxium adhibuerit medicamentum, tunc vulnerans non incurrit irregularitatem, ut habetur in *c. ad audientiam 12. in fin. h. t.*

Quia verò paſſim in jure homicidio accen- 17 ſetur mutilatio, ut *in c. 1. de clericis pugnant. c. ult. h. t. in 6.* & *clement. unic. eod. tit.* declarandum eſt, quid nomine mutilationis *in ordine* ad incurrendam irregularitatem intelligatur: pro quo juvat obſervare, illud verbum *mutilare* in materia pœnali eſſe ſtrictè ſumendum; ut ſignificet totalem amputationem alicujus membri, ut habetur in *c. clericis ne cleric. vel Monach. c. in Archiepiſcopatu de Raptor.* quo fit, ut non ſufficiat ad incurrendam irregularitatem, ſi quis tantùm alterum vulneraverit, vel etiam membrum inutile reddiderit; quia cùm non habeatur totalis membri amputatio, non habetur propriè mutilatio, cui in jure annexa eſt irregularitas. Rurſus notat Covarruvias *in relect. clement. ſi furioſus h. t. p. 3. in princ. n. 8* nomine membri intelligi totum organum, ſeu partem aliquam principalem, & peculiarem functionem obtinentem in corpore humano, ut eſt brachium, manus, pes, oculus, adeò ut, qui alteri unum tantùm digitum abſcinderet, vel partem auriculæ, non incurreret irregularitatem. Notat tamen Sylveſter *V. homicidium §. 10. n. 4.* per vulnerationem, debilitationem, aut digiti abſciſſionem, tunc quaſi jure talionis aliquem fieri irregularem, ſi alter inhabilis redditur ad ordines, ut quia notabiliter deformatus ſit, vel policem, aut indicem amiſerit. Verùm id videtur dici ſine fundamento, cùm in jure nullibi ſimilis pœna talionis reperiatur.

18 An verò ſi cùm populus furens irruit in damnum clerici armata manu, inimicus ſumpta occaſione occidat clericum, contrahant tunc omnes irruentes in clericum irregularitatem, videtur dubium: quia irregularitas ex homicidio non contrahitur niſi ex effectu ſecuto, & ſolùm ab ijs, qui cauſa ſunt homicidij, vel phyſica, vel moralis, ſive directa, ſive indirecta; & cum nullus ex illo populo irruente fuerit cauſa phyſice homicidij, cùm nihil egerit, ex quo phyſicè mors contigerit, cùm nemo de populo illo vulneraverit, nec percuſſerit, aut alio modo læſerit clericum; ideo videtur populus ille excuſandus ab irregularitate; tametſi fortaſſis animum habuerit occidendi Clericum; ratio eſt, quia ad contrahendam irregularitatem non ſufficit ſolus animus occidendi, ſed requiritur ipſa occiſio, quia in hac materie odioſa non attenditur animus, ſed effectus ſubſecutus, ut notat Sayrus *lib. 7. theſaur. c. 16. n. 5. in fin.* Quia irregularitas non imponitur pro animo occidendi, ſed pro homicidio ſubſecuto. Tum quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus à jure determinatis *c. is qui de ſent. excommun. in 6.* & eſt communis regula: & in jure non ſtatuitur, ut per ſolam intentionem occidendi incurratur hæc irregularitas, effectu externo non ſequuto.

19 Difficultas igitur eſt, an omnes illi tunc irruentes in Clericum fuerint cauſa moralis, ut Clericus à ſuo inimico occideretur, proinde ex hoc capite incurrent omnes irregularitatem. Reſpondetur, quòd ſi non incitaverint, nec auxilium occiſori dederint, irregularitatem non contrahunt, ut docent ferè communiter in *c. ſignificâſti 16. h. t.* Covarruvias *in element. ſi furioſus p. 2. §. 2. n. 3.* & alij aſſerentes, quòd quando quis ex rixa lethaliter vulneratus eſt unico vulnere, ſi conſtet, quis vulnus inflixerit, cæteri qui intervenerunt, non ſint irregulares; quamvis habuerint animum occidendi. Rurſus firmari poteſt ex doctrina aſſerentium, quòd quando ſimul plures concurrunt, non tamen ſe mutuò incitant, nec juvant, quamvis primus percutiat, ſed leviter, & alius occidat; ſolus ſecundus eſt irregularis, ut habetur *in d. c. ſignificâſti 16. h. t.* & docet Panormitanus *ibid.* Sayrus *lib. 7. theſaur. c. 4. n. 15.* & alij, qui id etiam extendunt, quando primus lethaliter percuſſit, & ſecundus ita percuſſit, ut ſtatim vulneratus obierit, ut docet Coninck *de cenſur. diſp. 18. dub. 8. n. 70.*

20 Immo deſumi etiam poteſt ex doctrina docentium, non eſſe irregularem eum, qui aliquem vulneravit, quem poſtea ruens domus interfecit, ut docet Molina *tom. 4. de juſtit. & jur. diſp. 33. memb. 7. n. 4.* Bonacina *de cenſur. diſp. 7. de irregularit. q. 4. punct. 8. n. 33.* Covarruvias *in element. ſi furioſus p. 2. §. 2. n. 4.* In his enim, & ſimilibus caſibus non incurritur irregularitas; quia quamvis quis interveniat occiſioni, vel etiam percutiat; ſi tamen non ſit cauſa homicidij, nec phyſicè mortem inferat, nec in aliquo genere cauſæ ad occiſionem ab alio perpetratam concurrat, non dicitur cauſa homicidij, quia quando quis concurrentibus pluribus ad aliquem offendendum aliqui ſolùm leviter, & non lethaliter percutiunt; & aliquis lethaliter percutit, & occidit, tunc cum iſte non occidat ſtudio, conſilio, aut mandato aliorum, ſolus iſte, qui eſt occiſor, contrahit irregularitatem, non verò alij, ut habetur *in d. c. ſignificâſti 16. h. t.* & quia populus irruens in domum Clerici eum non percuſſit, nec fuit cauſa phyſica homicidij, imò nec moralis, cùm nec ſtudio, nec conſilio, aut mandato, vel quovis alio modo occiſorem movit; ſed iſte ex privata inimicitia uſus occaſione Clericum inimicum ſuum occidit, ſolus iſte occiſor irregularitatem contrahit, non verò cæteri de populo, qui non fuerunt cauſa phyſice, nec moralis talis homicidij.

21 Neq; obſtat, quòd populus irruens armatus in domum Clerici incitaverit inimicum ad eum occidendum, ex quo videtur colligendum, omnes fuiſſe cauſam moralem talis occiſionis.

22 Contra eſt, quia quamvis populus irruerit etiam diſtrictis gladijs in domum Clerici, non tamen incitavit inimicum Clerici ad illum occidendum, ſed tantùm illi exhibuit occaſionem, quâ poſſet eum occidere: & quia hujuſmodi occaſio nonniſi per accidens, & præter intentionem data fuit, eò quia nemo ex illo populo habuerit animum inducendi inimicum Clerici ad illum occidendum, nec ipſi præbuerit commoditatem, immo neque occaſionem ex intentione directa; ideo non videtur populus fuiſſe cauſa moralis illius occiſionis.

23 Cæterum qui mandat alium occidi, fit irregularis, ſi mors ſequatur, & punitur pœnâ ordinariâ homicidij, quia mandans actum aliquem fieri eſt cauſa moralis, & quidem principalis ipſius actus, qui verò exequitur, eſt cauſa ſolùm minus principalis, & velut inſtrumentalis in genere moris; unde qui mandat alium occidi, verè intendit homicidium, & eſt cauſa proxima mortis: ſiquidem ex *regula jur. 72.* quando quis per alium facit, perinde eſt, ac ſi per ſe ipſum faciat. Imò non ſolùm qui directè, & expreſsè mandat aliquem occidi, irregularitatem incurrit; verùm etiam is, qui mandat aliquem verberari, quamvis expreſsè intendat, ne verberandum occidat, neque ejus membra mutilet, fit irregularis, ſi mandatarius fines excedens mandati mutilet, & occidat, ut deſumitur *ex cap. is qui 3. & ult. h. t. in 6.* ubi habetur, eum, qui mandat, aliquem verberari, licèt expreſsè inhibeat, ne occidatur, vel membro àliquo mutiletur, fieri irregularem; ſi mandatarius fines excedens ſui mandati mutilet, vel occidat, & additur etiam ratio: quia mandando fuit in culpa, & debuiſſet cogitâſſe, mutilationem, vel occiſionem poſſe contingere; ut etiam quòd excedantur fines mandati; unde quia mandando fuit in culpa, ut homicidium contingeret, quamvis hoc non fuerit directè voluntarium ipſi Mandanti, eò quia illud non intenderit in ſe, fuit nihilominus voluntarium indirectè, quatenus mandans operam dederit rei illicitæ, ex qua ſecutum

fuit

fuit homicidium, qui enim dat operam rei illicitæ, omnia, quæ inde equuntur, illi imputantur; quia potuit, & debuit cogi âſſe ex tali re illicita, ſeu verberatione ſequi potuiſſe mortem, vel mutilationem, qui enim mandat illicitum, cenſetur etiam ea mandare ſaltem indirectè, quæ veri ſimiliter poſſunt concomitari rem illam illicitam. Juvat obſervare, hunc caſum eſſe ſpecialiter in dicto textu expreſſum, & à jure definitum, ſcilicet ut mandans alterum verberari, ſi mors, vel mutilatio ſequatur, fiat irregularis; eò quia hujusmodi mandatum cenſeatur ex ſe periculo expoſitum eſſe, ne verberans mandati fines excedat; idque ex ſpeciali juris diſpoſitione; quia extra hanc materiam culpa Mandatarij excedentis fines mandantis non ſemper imputari poteſt, nec debet mandanti.

24 Rurſus procedit textus *in d. c. is qui* de percuſſione illicita, non ita de licita: ſi enim pater mandaret verberari filium, vel Dominus ſervum ad correctionem, ſi Mandatarius mandatum excedens illum mutilaret, vel occideret, mandans non fieret irregularis: ratio eſt, quia tunc illa verberatio præcepta à patre in filium, & à Domino in ſervum caret culpâ, quia fuit præcepta, & intenta ad ſimplicem correctionem, conſequenter debet etiam carere pœnâ, quia ubi non eſt culpa, ibi pœna non debet poni. Cæterum irregularitas incurritur, non ſolùm quando mandans expreſsè mandat illicitè verberari alium; ſed etiam quando tacitè, licèt præmiſſa fuerit proteſtatio de non occidendo, vel non mutilando: quia tametſi ſit præter intentionem mandantis, ſi mandatarius mutilet, vel occidat, non tamen eſt præter præviſionem, eò quia mandans tam periculoſo caſui exponat mandatarium; hinc ſi pater ob injuriam ſibi à Cajo illatam mandet filio ad vindicandam talem injuriam, ita tamen ut filius non occidat, nec mutilet Cajum, ſi tamen dicat filio, quòd non revertatur domum, donec aliquid novi audjerit de Cajo, tunc ſi filius irruens in Cajum eum mutilet, vel occidat, ejus pater ſit irregularis, quia licèt homicidium potuerit eſſe præter ejus intentionem, non tamen præter præviſionem, cùm tam periculoſo caſui filium expoſuerit, ut notat Barboſa *in d. c. is qui ult. h. t. in 6.*

25 Imò fit etiam mandans irregularis, ſi mandatarius ab alio, quem intendebat percutere, occidatur; quia tametſi tale homicidium non ſit directè à mandante intentum, nec voluntarium; eſt tamen indirectè intentum ob periculum, cui expoſuit mandatarium, ut occideretur ipſe ab alio; proinde tale homicidium vertitur indirectè culpæ ipſi mandanti: qui enim temerè, & injuſtè ſe injjcit in proximum periculum mortis, cenſetur homicida ſui ipſius; proinde qui mandat, ut ſe injjciat in tale periculum, moraliter eſt cauſa mortis ipſius, conſequenter fit irregularis. Secus ſi mandans mandaret mandatario occidere alium, ſi homicidium non ſequeretur, tametſi fuiſſet à Mandatario attentatum, mandans non fieret irregularis: ratio eſt, quia pœnæ non incurruntur niſi propter actum perfectum, & conſummatum, cui illæ ſunt annexæ: pœnæ enim, & odia reſtringuntur, non ampliantur; hinc generaliter quando in jure alicui actui prohibito imponitur pœna, hæc non incurritur, niſi actus ponatur, & perfectè conſummetur, niſi aliter in jure fuerit expreſſum, ut notat Barboſa *in d. c. is qui ult. n. 7. h. t. in 6.*

Hinc jure canonico pœnæ ſtatutæ in mandantem committi homicidium, aliquando incurruntur, tametſi homicidium non contigerit, ut habetur in *c. pro humani 1. h. t. in 6.* ubi Innocentius IV. in Concilio Generali Lugdunenſi ſtatuit, ut quicunque Princeps, Prælatus, ſive quævis alia eccleſiaſtica perſona, vel ſæcularis quempiam Chriſtianorum per aſſaſſinos fecerit interfici, vel etiam mandaverit (quamvis mors fortaſſis ex hoc non ſequatur) aut eos receptaverit, vel defenderit, ſive occultaverit, excommunicationis, vel depoſitionis à dignitate, honore, Ordine, officio, & beneficio incurrat ſententiam ipſo facto, & illa liberè alijs per illos, ad quos collatio ſpectat, conferantur; immo ut etiam cum ſuis mundanis bonis perpetuò diffidatur à Chriſtiano populo; & poſtquam probabiliter conſtiterit, aliquem hujus generis Reum eſſe; alia excommunicationis; ſive diffidationis adverſus eum ſententia non requiratur. Aſſaſſinium tunc committi dicitur, cùm quis aliquem Chriſtianum occidit pretio, vel mandat alteri, ſive homicidium fiat pecuniâ actu jam ſolutâ, ſive tantùm promiſſâ, ut notat Tuſchus *V. aſſaſſinium* ubi *n. 3.* ajt, hoc nomen aſſaſſinij non eſſe locale, ſed generaliter comprehendere omnes, qui pecuniâ, veluti pretio Chriſtianos occidunt, vel mandant interfici, adeò ut per aſſaſſinos communiter non ſolùm mandatarij, ſed etiam mandantes intelligantur. 26

27 Quòd ſi Chriſtianus infidelem pretio conduceret ad occidendum alium Chriſtianum; tunc non ipſe mandatarius, ſeu homicida, ſed ſolus mandans pœnas incurreret jure latas *in d. c. pro humani*: quia ipſe interfector, cùm eſſet infidelis, non poſſet puniri pœnis eccleſiaſticis, eò quia non ſubjiciatur jurisdictioni Eccleſiæ: benè tamen has incurreret mandatarius fidelis. Rurſus ut putant plures, excommunicatio, & aliæ pœnæ ſtatutæ *in d. c. pro humani 1. h. t. in 6.* incurruntur propter ſolum mandatum occidendi Chriſtianum opera infidelium aſſaſſinorum, quamvis mors non ſit ſecuta; idque propter attrocitatem mandati cedentis in graviſſimam infamiam nominis Chriſtiani: & quia præfata conſtitutio eſt pœnalis, non extenditur à mandante ad mandatarios, quamvis ſit utrinque par ratio, ut notat Covarruvias *lib. 2. reſol. c. 20. n. 10.* Immo ſunt, qui cenſent, Clericos committentes hoc crimen aſſaſſinij ipſo facto incurrere pœnam depoſitionis etiam ab Ordine, & amittere omne privilegium clericale, adeò ut capi, & puniri poſſint per judicem ſæcularem; tametſi non præceſſerit degradatio realis, quia ob criminis enor-

mita-

mitatem ipſo jure degradantur, ut notat Covarruvias *lib. 2. reſol. c. 20. § 6.* Julius Clarus *§. fin. q. 36. n. 30. & ſequent.* ubi tamen cenſet requiri, ut præcedat ſententia declaratoria criminis per judicem eccleſiaſticum.

28 Verùm probabiliùs eſt, tales Clericos non amittere ipſo jure privilegium clericale ante actualem, & realem degradationem, ratione cujus tradantur curiæ ſæculari: ratio eſt, quia cùm ſimus in odioſis, & pœnalibus talis depoſitio, non eſt aſſerenda niſi in caſibus jure expreſſis, inter quos non habetur crimen aſſaſſinij: ſiquidem *in d. c. pro humani 1. h. t.* dicitur quidem, quòd depoſitio à lege ipſo facto ſit impoſita, ſed ad ipſam requiritur degradatio actualis, priusquam clericus à judice ſæculari punietur, ut notat Barboſa *in d. c. 1. n. 13. h. t. in 6.*

29 Demum qui mandat, operâ infidelium aſſaſſinorum Chriſtianum interfici, perpetuò eſt diffidatus à populo Chriſtiano; hoc eſt declaratus inimicus Chriſtianæ religionis; adeò ut à quovis privato impunè poſſit occidi, cedántque bona illius primo occupanti: eſt *diffidare*, faidam, ſeu bellum indicere, hoſtem declarare, bannire, proſcribere, unde diffidatio vulgò dicitur denuntiatio hoſtibus facta, antequam committatur bellum, quæ non minus, quàm trium dierum ſpatio compleri debeat, ut notat Cujacius in ſuo lexico juridico. *Faida* enim idem eſt, ac bellum, unde diffidare perinde eſt, ac hoſtem declarare: hæc autem pœna conſtituta eſt in ordine ad ſæculares, ut deſumitur *ex d. c. pro humani 1. h. t. in 6.* ubi ponuntur illa verba *cum ſuis bonis mundanis omnibus*, unde ſupponit tractus perpetuò diffidatos eſſe mundanos. Id etiam habet ſpeciale crimen aſſaſſinij, quia ad ejus probationem admittuntur etiam argumenta probabilia, ut deſumitur ex *d. c. pro humani in fin.* Ibi: *Ita ut quando conſtiterit probabilibus argumentis, aliquem tale ſcelus commiſiſſe, non requiratur alia excommunicationis, vel depoſitionis, vel diffidationis ſententia.* Notat tamen Gloſſa ibid. *V. excommunicationis* ab hac excommunicatione poſſe Ordinarium abſolvere, eò quia non ſit reſervata Papæ.

30 Ac verò etiam conſentiens in homicidium injuſtum, vel illud approbans, ratúmque habens incurrat irregularitatem, vel alias pœnas homicidij. Reſpondetur cum diſtinctione, ſi quis conſentiat in homicidium, poſtquam illud intellexit eſſe commiſſum, adeò ut abſque ulla ſua cooperatione, nec ſuo nomine patratum fuerit, non incurrit irregularitatem, nec alias pœnas latas in homicidas; quia tunc nullo modo fuit cauſa influens in homicidium; ſecus ſi antequam committatur, conſentiat in illud, in quod aliquo modo influat, adeo ut conſentiat, ut ab alio fiat, vel etiam ſuo nomine, tunc incurrit irregularitatem, & alias pœnas latas in homicidas, quia tunc eſt vera cauſa moralis: ut etiam ſi conſenſum præbeat in homicidium, quod fit ab alio in ſuo nomine, vel ad vindicandum ipſum conſentientem; eò quia homicida putet, id ei placiturum; tunc etiam fit conſentiens irregularis, quia moraliter cenſetur cooperari ipſi homicidio: ſecus tamen eſſet, ſi exteriùs contradiceret, ac oſtenderet ſibi diſplicere tale homicidium, tametſi in animo contrarium ſentiret, non fieret tunc irregularis, quia tunc homicidium tantùm eſſet mentale, quod non punitur irregularitate, quia de purè internis Eccleſia non judicat.

Tum quia quævis pœna jure lata non incurritur, niſi ob delictum exteriùs conſummatum: & generatim non cenſetur conſummari, 31
niſi ponatur actus perfectus quoad effectum, nec conſummatur niſi ab illo, qui influit ut cauſa, vel phyſica, vel moralis: poſtquam autem homicidium eſt commiſſum, non dicitur quis ampliùs in ipſum influere phyſicè, nec moraliter, licèt illud ratum habeat, adeò ut per talem ratihabitionem non fiat irregularis, quia irregularitas, non incurritur niſi in caſibus jure expreſſis, & nullibi reperitur, quòd ratihabitio inducat irregularitatem poſt commiſſum homicidium, & lex pœnalis non debet extendi ad caſus jure non expreſſos.

Quòd ſi dicas *ex reg. jur. 10. in 6.* ratiha- 32
bitionem retrotrahi, & æquiparari mandato, proinde ſi mandans homicidium fit irregularis, etiam qui illud ratum habet.

Contra eſt, quia ratihabitio propriè non 33
eſt mandatum, quia non influit in actum ratificatum ſicut mandatum, quo fit, ut lex lata contra mandantem non comprehendat ipſum ratumhabentem. Tum quia cùm ſit lex pœnalis, non eſt extendenda ultra verborum proprietatem ad ea, quæ ſolùm per quandam analogiam, vel ſimilitudinem cum alijs comparantur, ut docet Suarez *de cenſur. diſp. 44. ſect. 3 n. 26.* quamobrem ratihabitio non comparatur mandato niſi in caſibus in jure expreſſis.

Tum quia ratihabitio tantùm comparatur 34
mandato quoad culpam, antequam hæc committatur, eò quia aliquo modo influat in delictum morali influxu, non verò poſt commiſſum delictum in ordine ad contrahendas pœnas juris, niſi id exprimatur; quia tunc non cenſetur ampliùs in delictum influere. Hinc ſi poſt commiſſum homicidium Petrus, qui nullo modo in ipſum influit, recipiat, occultet homicidam, non fit irregularis, quia hi, & alij actus, tunc ponuntur poſt homicidium jam patratum; conſequenter non poſſunt in ipſum ampliùs influere.

Secus conſulens homicidium injuſtum an- 35
tequam committatur, fit irregularis, & incurrit alias pœnas jure latas in homicidas, dummodo tale homicidium, vel mutilatio ſequatur, quia cum homicidium committatur ex vi dati conſilij, conſulens influit in homicidium, éſtque cauſa moralis illius, ut habetur in *can. pernicioſè 23 diſt. 1. de pœnit.* ubi habetur, quòd non ſolùm homicidæ ſint, qui hominem proprijs manibus occidunt, ſed etiam qui dant conſilium, & alios hortantur ad committendum homicidium, ídque expreſſiùe etiam

etiam habetur in *can. ſi quis 8. diſt. 50. c. ſicut dignum 6. h. t.* ubi Alexander III. anathemate etiam percutit eos Clericos, qui dederunt conſilium, & auxilium, ut S. Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis occideretur, ſiquidem dans conſilium eſt vera cauſa moralis influens in effectum, hinc regulariter conſulens delictum fit Reus talis delicti, & incurrit pœnas jure latas pro eodem delicto *c. nuper 29. de ſent. excommun.* dummodo delictum ſequatur; alioquin qui conſilium dedit, licèt peccaverit, non tamen dicitur illud commiſiſſe. Quòd ſi homicidium ſequatur, quamvis homicida fuiſſet paratus ad illud committendum, etiam ſine conſilio alterius, adhuc, qui conſilium dedit, incurrit irregularitatem, ſi voluntatem auxit, vel animum excitavit, ut tanto promptiùs, vel citiùs illud committeret: quia tunc conſulens verè influit in homicidium augendo, vel incitando voluntatem occiſoris, ut deſumitur ex *c. ſicut dignum 6. h. t.* ubi Alexander III. expreſsè reſcribit, eos eſſe puniendos, qui incitârunt alios ad occidendum S Thomam Cantuarienſem, licèt non ita ſeverè puniendi ſint.

36 Quòd ſi conſulens homicidium ſuum revocet conſilium ante executionem ejusdem, non tamen ſtatim liber eſt ab irregularitate, ſi mors illius, contra quem conſilium fuit datum, ſequatur: ratio eſt, quia conſilium quamvis revocetur, adhuc poteſt influere in homicidium; cùm intellectus humanus ſemel imbutus aliqua opinione haud facilè ab illa dimoveatur: unde ad declinandam irregularitatem debet, qui conſilium dedit, omnem adhibere conatum, ut non ſequatur homicidium, & deponere omnes rationes, quibus conſilium dedit, tunc enim cùm fecerit, quantum in ſe fuit, non cenſetur influere in ipſum homicidium, cùm potiùs adhibuerit omnem conatum ad illud impediendum.

37 Non ſolùm qui mandat, & conſulit homicidium, fit irregularis, ſed etiam qui eidem cooperatur, ſi qui fert auxilium, ſit cauſa proxima homicidij, ſive directè ad illud cooperando, percutiendo, vel infligendo vulnera; ſive indirectè detinendo eum, qui eſt occidendus, ne fugiat, poſsitque mortem declinare; vel animando, & comitando occiſorem, quia tunc phyſicè, vel moraliter cooperatur neci alterius, ut habetur *in d. c. ſicut dignum 6. h. t.* Hinc quando plures ſimul concurrunt ad occidendum aliquem, & præfatis modis opem ferunt, cooperantúrque ad tale homicidium, incurrunt irregularitatem ſive ex condicto, & propoſito aggrediantur aliquem ad eum occidendum, ſive ex ſubita rixa plures in aliquem inſurrexerint, quem vulneraverint, vel occiderint; quia tunc omnes concurrunt, veluti una cauſa moralis, ídque deſumitur ex *d. c. ſicut dignum 6. h. t.* ubi Alexander III. mandat, variè puniri, qui occidit, & qui eſt aſſociatus animo occidendi, non tamen occidit; & qui incitavit ad homicidium in communi, quia tunc talis aſſociatio auget animum occidentis, proinde omnes aſſociantes moraliter influunt in tale homicidium.

An verò non impediens homicidium fiat irregularis, reſpondetur cum diſtinctione; ſi tantùm ex charitate tenebatur illud impedire, nec potuit abſque ſuo periculo illud impedire, non fit irregularis; ratio eſt, quia homicidium propriè eſt delictum contra juſtitiam, proinde qui non peccat contra juſtitiam, non poteſt dici cooperari ad homicidium, proinde non fit irregularis. Neque obſtat, quòd canones dicant, homicidam eſſe eum, qui cùm poſſit, non ſubvenit proximo in periculo mortis conſtituto: ſiquidem canones tunc loquuntur de homicidio laxè ſumpto, ut etiam vocant culpam omne id, ratione cujus non conſervatur vita proximi contra legem charitatis: irregularitas autem in jure lata contra homicidas non incurritur, niſi ob homicidium propriè ſumptum, & quod fit contra juſtitiam, quia cùm talis irregularitas ſit ibi injuncta ut pœna, non incurritur niſi ob homicidium propriè tale, & quòd ſit contra juſtitiam; quia leges pœnales ſunt ſtricti juris, & non intelliguntur niſi de actu proprio, & perfecto. 38

Quòd ſi dicas in *c. quanta 47. de ſent. excommun.* eum excommunicari, qui cùm poſſit impedire percutionem Clerici, illam non impedit. Contra eſt, quia irregularitas, cùm ſit pœna, non contrahitur niſi in caſibus jure expreſſis, & nullibi habetur, quòd non impediens homicidium, ad quod tenetur tantùm ex charitate, incurrat irregularitatem. Quòd ſi dicas in *c. ſicut dignum 6. h. t.* Alexandrum III. reſcribere, eum, qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, illum occidiſſe, proinde fieri irregularem. Reſpondetur, ibi Pontificem loqui de auxiliantibus, & non de illis, qui non impediunt, ut liquet ex textu. 39

Alij tamen reſpondent, non impedientes homicidium, cùm poſſint in foro externo cenſeri irregulares, eò quia præſumantur cum occiſore occultam iniviſſe ſocietatem, non ita in foro conſcientiæ, ſi revera tantùm interſecit omiſſio contra charitatem. Cæterum ſi ex juſtitia teneatur quis impedire homicidium, poſsitque illud citra periculum vitæ impedire, & nihilominus voluntariè illud non impediat, vel ex odio interno, & deſiderio mortis proximi, vel ex alia cauſa, fit irregularis, ſi mors alterius ſequatur; quia tunc peccat contra juſtitiam, & eſt cauſa moralis talis homicidij. 40

§. V.

An ex homicidio neceſſario contrahatur irregularitas.

SUmitur hic neceſſarium, non prout opponitur libero; ſed quia fit coactè, & non ſpontè, licèt voluntariè, & liberè; adeò ut non intendatur per ſe, ſed tantùm ex neceſſitate juſtæ defenſionis contra injuſtum aggreſſorem. Ob homicidium neceſſarium ad tuendam 1

endam propriam vitam ſervatō moderamine inculpatæ tutelæ non incurri irregularitatem, certum eſt, quidquid in contrarium aſſerant A. curtius, & Glolla in *l. vim vi. ff. de juſtit. & jur.* Joannes Gerſon in *tract. de Eucharist.* quia jure naturæ permiſſum eſt, vim, atque injuriam propulſare, & corporis ſui tutelam ſuſcipere contra injuſtum invaſorem, ut deſumitur ex ſcripturis *Exod. c. 22.* & ex jure canonico *clement. ſi furioſus unic. h. t. in fin.* ubi expreſsè dicitur eum irregularitatem non incurrere, qui aliter vitare mortem non potens ſuum occidit invaſorem ex jure civili in *l. 1. C de vi, & vi armata l. ſcientiam §. qui cum aliter ff. ad leg. Aquil. l. vim ſi. ff. de juſtit & jur.*

2 Hinc invaſus ab altero, cui imminet vitæ periculum, ſi ſe defendat ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, ſeu ſi ſeveriùs cum adverſario non agit, quàm neceſſitas exigat ad propriam vitam tuendam, injuſtum aggreſſorem occidat, non incurrit irregularitatem: quapropter ſi quis ſacerdotem ſacra agentem in altari injuſtè invadat; poteſt ſacerdos intermiſſo ſacro ſe defendere cum juſto moderamine, & ſi non poſſit aliter mortem declinare niſi occidendo injuſtum invſorem, poteſt illum occidere, & poſtea ſacrum perficere; quia tunc ſacerdos nullum committeret peccatum, nec ullam incurreret irregularitatem, ut communiter docent. Notat Molina *tom. 4. tract. 3. diſp. 11 n. 5.* tunc invaſum dici invaſorem occidiſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando rationabiliter timet, ſibi inferri poſſe mortem, niſi injuſtum aggreſſorem interficiat; & nihil ei tunc occurreret, nec facilè, ſi voluiſſet, potuit occurrere, ſtante animi perturbatione in illo conflictu, & conſideratis circumſtantijs occurrentibus, quod efficeret, ut ſe ipſum à periculo ſine aggreſſoris morte liberaret: tunc enim ait Molina, talis occideret cum moderamine inculpatæ tutelæ injuſtum aggreſſorem, nec irregularitatem incurreret, eò quia tale homicidium non potuerit evitari, quin invaſus interficeretur.

3 Quòd ſi dicas, incurri tunc irregularitatem ob defectum lenitatis. Contra eſt, quia talis defectus non intervenit, quando homicidium committitur neceſſariò cum moderamine inculpatæ tutelæ, ne ab injuſto aggreſſore invaſus occidatur, idque non ſolùm de jure novo, ſed etiam antiquo, quia nec olim, qui ſe defendendo alium occidiſſet, irregularitatem incurrebat; ſive laicus fuerit, ſive Clericus, niſi quando homicidium vitari potuit, quia tunc defenſio non fuit cum moderamine inculpatæ tutelæ, in quo ſenſu intelliguntur textus, in quibus dicitur quòd qui in propria defenſione, alium necidit, incurrit irregularitatem, eò quia defenſio non fuit facta cum juſto moderamine, & ſi voluiſſet, potuiſſet occiſor propriam, & proximi vitam ſervare; hinc etiam quando Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 2. de reform.* loquens de homicido, quod vim vi repellendo in propria defenſione commiſſum fuit, ejus diſpenſationem committit loci Ordinario; intelligitur de eo caſu, quo quis exceſſit moderamen inculpatæ tutelæ, eò quia poterat propriam, & proximi vitam ſervare juxta declarationem Cardinalium Congregationis Concil. apud Joannem Gallemart. in *dict. ſeſſ. 14. n. 3.* Imò nec fieret irregularis, ſi quis injuſtum aggreſſorem præveniret, dummodo aliud medium evadendi mortem ei non ſuppeteret; quia nemo tenetur expectare, donec ab hoſte, & injuſto evaſore volente eū occidere, præveniatur, ut enim docet D Thomas *2. 2. q. 64. art. 7. in corp.* major obligatio eſt ex ordine charitatis conſulere propriæ ſaluti, & vitæ, quàm alienæ.

4 Hinc nec incurrit irregularitatem, qui ob ſui neceſſariam defenſionem occidit innocentem invaſorem, amentem, vel furioſum, ſi aliter non poſſet mortem declinare, quia tunc, quòd invaſor ſit innocens, tantùm per accidens contingit, quia attenditur illa invaſio violenta, & injuſta, quæ non poſſet declinari ſine cæde invadentis: tunc enim, qui ſe defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ, non intendit innocentem occidere, ſed tantùm propriam vitam tueri, & tollere illa impedimenta, quibus non poſſet propriam vitam ſervare. Imò tunc neque fieret irregularis, ſi impotens ad ſe ipſum defendendum alios advocaret, ut ipſum defenderent ab injuſto invaſore, quamvis iſti ſupervenientes invaſorem illum occiderent; quia quod poteſt quis per ſe ipſum facere ſine irregularitate, poteſt illud idem præſtare etiam per alium ſine irregularitate.

5 Neque fit irregularis, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ injuſtum invaſorem occidit, tametſi tunc concipiat odium in eundem: ratio eſt, quia irregularitas non incurritur ob actum internum, & aliàs actus externus ſupponitur licitus, & inculpabilis.

6 Quinimò poteſt interdum contingere, ut homicidium ſit ita neceſſarium, ut invaſus etiam citra periculum incorrendi irregularitatem teneatur injuſtum aggreſſorem ſe defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere, ut docent Sotus *de juſtit. lib. 5 q. 1. art. 8.* Sylvius *in 2. 2. q. 64 a. 7. quæritur 1.* Molina *de juſtit. tom 4. tract. 3. diſp. 14. num 1.* Diana *tract. de homicid. reſol. 16.* eò quia poſſit contingere, ut etiam ſub culpa gravi teneatur invaſus ſe defendere; ut ſi Princeps, vel alius Reipublicæ perquàm neceſſarius ab impio aliquo, & ſceleſto viro impetatur: tunc enim ob damnum, quod immineret toti Reipublicæ, ſi invaſus non ſe defenderet, cùm poſſet; teneretur, ſi aliter non poſſet propriam vitam tueri; injuſtum aggreſſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere, ne toti Reipublicæ graviſſimum damnum immineret.

7 Tum quia invaſus prodigus eſſet propriæ vitæ, ſi ſe injuria laceſſitum non defenderet, præſertim cùm agatur de communi maximo bono, in cujus præjudicium non poteſt ſine culpâ lethali non conſervare propriam vitam eo medio, quo poteſt cum moderamine inculpatæ tutelæ: quia ipſe non habet dominium

in propriam vitam, ſed quantum poteſt, tenetur eam conſervare. Imò ſunt, qui id extendunt, ſi ex morte injuſtè invaſi ſequeretur maximum detrimentum familiæ, ut uxori, & filijs, quos alere teneretur, quia tametſi poſſit cedere jure ſuo permittendo ſe ab injuſto aggreſſore interfici ad eum finem, ne aggreſſor incurrat damnum mortis temporalis, & æternæ; non tamen poteſt cedere jure Reipublicæ, & ſuæ familiæ, quibus ejus vita eſt neceſſaria. Neque obſtat, quòd in ſcripturis hortemur ad ponendam vitam etiam pro inimicis, quia id intelligitur ex charitate, & quoad laboras ſubeundos ad promovendam ſalutem omnium; non verò ita intelligitur, ut teneamur permittere, ut injuſtus aggreſſor nos occidat, eò quia ſit noſter inimicus, quia propria defenſio etiam habetur in ſcripturis *Exod. c. 22.* & natura ipſa eam nos docet teſte Tullio in oratione in Milonem.

8 Qui tamen ob daſenſionem proprij honoris occiderit injuſtum invaſorem, fieret irregularis, ut docent Navarrus *lib. 5. conſ. 6. n. 4. h. t.* Layman *lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 9.* & id etiam videtur deſumi *ex clement. unic. h. t.* ibi *qui mortem aliter vitare non valens ſuum occidit invaſorem, non fit irregularis*, hinc à contrario ſenſu, ſi mortem evadere poſſit, & occidat, fit irregularis: qui autem ob ſolum honorem defendendum alium occidit, potuit mortem propriam vitare, ut ſupponitur, & honor læſus potuit alijs competentibus medijs reparari, proinde qui ad tutandum proprium honorem alium occidit, incurrit irregularitatem, ut etiam, qui potens fugere ad mortem propriam, & proximi vitandam, non fugit, quia tametſi regulariter non teneatur quis fugere, eò quia habeat jus ſtandi in loco, ubi reperitur, adeòque non peccet, ſi non fugiat, ut patet in viro nobili, & milite, cui fuga verteretur probro; ut etiam ſi non ſe defenderet: nihilominus quamvis ſe defendendo ab injuſto aggreſſore, ſi illum occidat cum moderamina inculpatæ tutelæ, non peccet lethaliter, nec propterea incurrat irregularitatem ex delicto; eam tamen incurrit ex defectu perfectæ lenitatis, ſi non fugiat, cùm poſſit, eò quia ſit chriſtianæ charitati, & manſuetudini magis conſonum tolerare, & ſuſtinere injuriam, quàm ob defenſionem ſui honoris alium occidere. Excipitur tamen, niſi fugiens rationabiliter timeret, ne à tergo ab inſequente aggreſſore curſu velociore occideretur, tunc enim non teneretur ſe injicere in tale periculum, & poſſet ſe defendere, & licitè cum juſto moderamine occidere injuſtum invaſorem citra periculum incurrendi irragularitatem.

9 Alij tamen cum Suarez *de cenſur. diſp. 46. ſect. 1. n. 5. & ſequent.* procedunt cum diſtinctione, qui enim ſine dedecore, & infamia poſſunt fugere, ut Clerici, Religioſi, & homines infimæ notæ, qui militiam non profitentur, & præſertim ubi non ſunt noti, tenentur fugere ad ſervandam propriam, & proximi vitam; & ſi non fugiant, ex homicidio incurrunt irregularitatem, eò quia ſine morali neceſſitate interficiunt occiſorem. Alij verò, quibus fuga vertitur probro, & ignominiæ, ut viris ingenuis, nobilibus, & militibus, ſi non fugiant, & cum juſto moderamine invaſorem occidant, putant, tunc non incurrere irregularitatem: & nituntur ea ratione, quia quod non poteſt vitari ſine magna infamia, moraliter eſt inevitabile. Tum quia tale homicidium cum juſto moderamine in propriam defenſionem non imputatur occiſori culpæ, eò quia ſit illi moraliter neceſſarium ad ſui defenſionem; non enim poteſt aliquid magis eſſe neceſſarium moraliter ad ſui defenſionem, quàm vitare gravem infamiam, vel jacturam honoris, cùm honor æquiparetur vitæ, & viro ingenuo majus malum ſit amiſſio honoris, quàm vitæ, *l. iſti 8. §. penult. ff. quod metus cauſa.*

Verùm ex hac ſententia tantùm videtur ſequi, occiſorem cum juſto moderamine in ſui defenſionem non incurrere irregularitatem ex delicto; quia ſe defendenti defenſio, & conſequenter occiſio injuſti invaſoris cum juſto moderamine non vertitur culpæ, & ubi non habatur culpa, non incurritur pœna propter culpam: non tamen ſequitur, quòd non incurratur irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis, ſi Chriſtianus non fugiat, cùm poſſit ad ſervandam propriam, & proximi vitam, hęc enim fuga maximè congruit charitati Chriſtianæ, & manſuetudini; conſequenter putârim incurri irregularitatem à tali occiſore nolente fugere, ſi non ex delicto, ſaltem ex defectu perfectæ lenitatis. 10

An verò irregularitatem incurrat, qui ad defendenda propria bona furem occidit, non conveniunt Doctores. Plures præſertim recentiores cum Covarruvia in *clement. unic. h. t. p. 3. §. unic. n. 6. in fin.* cenſent, irregularitatem non incurrere eum, qui ad defenſionem ſuorum bonorum furem occidit: ratio, quâ nituntur, eſt, quia tale homicidium caret omni culpâ, nec eſt omnino voluntarium, nec per ſe intentum, quia tunc intenditur ſola defenſio, & conſervatio ſuorum bonorum, & homicidium tantùm per accidens, quatenus ſine ipſo non poſſet occiſor ſua bona conſervare; adeò ut ad ſervanda propria bona moraliter adigatur ad occidendum furem, quapropter occiſio illa eſt potiùs neceſſaria defenſio, cui non aſt annexa culpa, nec irregularitas. 11

Tum quia bona temporalia æquiparantur vitæ, ad cujus conſarvationem ſunt neceſſaria *l. Advocati 14. in fin. C. de advocat. diverſ. judic.* atqui licitum eſt occidere ad defendendam propriam vitam injuſtum invaſorem; proinde licitum etiam erit ad defendanda propria bona temporalia, & per quorum amiſſionem quis conſtituitur in extrema, vel gravi neceſſitate, furem occidere.

Hæc ſententia tametſi aliquibus cenſeatur probabilis, contraria eſt probabilior ac tutior, proinde eidem adhærendum, nimirum eum incurrere irregularitatem, qui ob defenſionem bo- 12

bonorum temporalium, quæ poſſidet, alium occidit, eſt enim hæc ſententia certa de jure antiquo ob textum in *c. ſuſcepimus*, & *in c. ſignificâſti 18. c. petitio h. t.* & in *clement. unic. eod tit.* ubi ille tantùm excipitur, qui mortem aliter vitare non valens ſuum occidit adverſarium: unde videtur hic locum habere vulgatum axioma, *quòd exceptio firmet regulam in caſibus non exceptis*, proinde eum eſſe irregularem, qui cùm poſſit fugâ, vel omiſſione propriorum bonorum declinare mortem propriam, & proximi, non fugit, nec omittit res proprias, ut notat Gloſſa *ibid.* Hinc Layman *tract. de injuſt. læſione corporis c. 9. n. 3.* aſſerit, hanc ſententiam eſſe hodie tutiorem, & ex Navarro *in manual. c. 15. n. 4.* ubi addit, hanc ſententiam eſſe conformem ſtylo curiæ Romanæ, qui cùm ſit interpres voluntatis legiſlatoris, facit jus *c. quam gravi 6. de crimine falſ.*

14 Quòd autem ſit etiam hæc ſententia conformior juri, videtur deſumi ex eo, quia jus canonicum *in d. c. clement unic h. t.* tantùm excipit ab incurrenda irregularitate defenſionem propriæ vitæ ob ſummam neceſſitatem naturalem, quapropter minor neceſſitas non videtur ſufficere ad excuſandum ab irregularitate, quia quamvis neceſſitas defendendi bona temporalia ſit gravis; nunquam tamen eſt tanta, quanta eſt neceſſitas defendendi propriam vitam, & cùm jus excipiat ſolam defenſionem propriæ vitæ, ſequitur, quòd neceſſitas defendendi bona temporalia non excuſet ab incurrenda irregularitate, ſi defendens propria bona furem occidat. Tum quia in *c. interfeciſti 2. h. t.* ei qui potuit aliter ſe liberare, & tamen furem, vel latronem occidit, injunguntur pœnitentiæ per 40. dies. Sin verò non potuit aliter ſe liberare, & ſine odio occidit, non imponitur ei pœnitentia: ſed ſi vult, jejunet, & eleemoſynas elargiatur pauperibus: ſin verò ſit Presbyter, non deponitur, egit tamen pœnitentiam, dum vixerit, ubi notat Gloſſa, non deponitur, quia non eſt formaliter homicida; fit tamen irregularis, quia debuit potiùs dimittere ſua, quàm furem occidere.

15 Idque firmatur etiam *ex c. ſuſcepimus 10. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd qui ad defendenda ſua bona ligant latrones, & alter ligantium, ne deinde interimeretur, latrones occidit, ſimul peccant, & fiunt irregulares, & additur etiam in eodem textu ratio: quia pro conſervandis rebus tranſitorijs non ſunt homines interficiendi; & irregularitas præſertim incurritur, eò quia ſit contra manſuetudinem eccleſiaſticam occidere homines pro conſervandis rebus tranſitorijs, cùm iſtæ potiùs eſſent dimittendæ, ne homo occideretur: ex quo textu infertur, licitum non eſſe præſertim Clerico, & Religioſo ob conſervandas res temporales occidere latronem, ſeu furem, quamvis res aliter conſervari non poſſint, ſed potiùs teneantur Clerici, & Monachi jacturam ſuſtinere rerum temporalium, ut habetur in *d. c. ſuſcepimus 10. h. t.* ubi cùm duo Monachi domum quandam cuſtodirent, noctu ingreſſi latrones eos turpiter obligare, & veſtibus nudare præſumpſerint; & fratres reſumptis viribus illos ligaverint, & unus abiens, ut Abbati nuntiaret, in cuſtodia alterius ligatos reliquerit, qui cùm ſe ſolvere niterentur, frater ne ab ipſis occideretur, eos occidit. Conſultus hac ſuper re Alexander III. reſcripſit, debuiſſe illos potiùs poſt tunicam relinquere pallium, quàm pro vilibus rebus tam acriter in illos exardeſcere, ideóque jubet, illum, qui Abbati nuntiaverat, ab altaris miniſterio totaliter abſtinere, & utrumque peccatum ſuum ad arbitrium Abbatis expiare: eò quia contra dictos latrones deliquerint contra manſuetudinem eccleſiaſticam. Hinc notat Gloſſa, Monachos limites exceſſiſſe licitæ defenſionis, quia cùm latrones non plus intenderint, quàm veſtes auferre, non erant ob hujuſmodi veſtes ligandi, nec exacerbandi, ut periculum eſſet necis ab ipſis inferendæ.

16 Hinc ad fundamentum, quo nititur contraria ſententia, reſpondetur, homicidium ſine culpa commiſſum excuſare quidem ab incurrenda irregularitate orta ex delicto, quia cùm tale homicidium ob defenſionem rerum ſuarum nonnunquam ſit licitum, & inculpabile, eò quia occiſor tantùm intendat primariò, & directè propria bona conſervare, & necem occiſi tantùm per accidens; eò quia non ſuppetat aliud medium ad conſervanda propria bona, quæ cùm ſint omninò neceſſaria ad vitam conſervandam, ſolent etiam æquiparari ipſi vitæ. Non tamen inde ſequitur, quòd occiſor excuſetur ab irregularitate, quæ incurritur ex defectu perfectæ lenitatis: quamvis enim neceſſitas defendendi bona temporalia excuſaret à culpa, non tamen excuſat à defectu lenitatis, cùm homo velit potiùs occidere proximum ſuum, quàm res temporales amittere.

17 Præterea ad incurrendam irregularitatem non ſemper requiritur culpa; judices enim, & Miniſter juſtitiæ, qui reos ultimo ſupplicio damnant, irregularitatem incurrunt, quamvis in ferenda ſententia non peccent, nec ullam committant culpam; quia tunc irregularitas incurritur ab ipſis defectu lenitatis. Præterea poſſet reſponderi, tantùm homicidium caſuale, quod eſt ſine culpa, & præter intentionem excuſare ab irregularitate, non autem homicidium quamvis licitum ex intentione commiſſum, ſicut in judice ferente ſententiam mortis.

18 Quamvis ad irregularitatem ex mutilatione, vel homicidio incurrendam requiratur, ut plurimum culpa, non tamen hæc ſemper eſt neceſſaria, quia tametſi homicidium licitum ſit, proinde inculpabile, ſi tamen fiat ex intentione occidendi proximum, incurritur irregularitas non ex delicto, ſed ex defectu perfectæ lenitatis: quia judicavit eccleſia, eum, qui voluntariè, & extra neceſſitatem adigentem, alium quamvis juſtè, & ſine culpa, occidit, vel mutilet, non ſatis repræſentare poſſe Chriſti lenitatem, & manſuetudinem; ideo arce-

tur ab omnibus Ordinibus, ſuſcipiendis, vel ſuſceptis exercendis, eò quia omnes referantur ad ſacramentum Euchariſtiæ, & ſacrificium altaris, in quo immolatur mitiſſimus agnus Chriſtus, qui pro nobis ſuum proprium ſanguinem fudit in ara crucis; quo fit, ut irregularitas contracta ex defectu perfectæ lenitatis ſit potiùs quædam macula moralis, ob quam non deceat, qui eam contraxit, offerre in altari DEO patri mitiſſimum agnum Chriſtum, ut liquet *ex c ſuſcepimus 10. h. t.*

19 Hinc hæc irregularitas cùm ſit pœna Eccleſiaſtica, non incurritur, niſi ab hominibus baptizatis: quia ſi Turca, vel alius infidelis voluntariè, & iuſtè occideret alium, ſive fidelem, ſive infidelem, non incurreret hanc irregularitatem, neque ex delicto, neque ex defectu perfectæ lenitatis, eò quia infidelis non eſt membrum Chriſti, nec ſubjicitur juriſdictioni Eccleſiæ. Fidelis verò, ſive Clericus ſit, ſive laicus, ſi ut judex ferat ſententiam mortis, & eam exequatur, vel etiam ſolam mutilationem, fit irregularis ex defectu perfectæ lenitatis, ut deſumitur ex *c. 1. diſt. 57. c. ex litteris 10. de exceſſ. Prælator.* & alijs pluribus canonibus, qui ta.neſi ut plurimùm loquantur de Clericis, nihilominus adhuc procedunt de judice laico, in quo reperitur defectus perfectæ lenitatis, ut liquet ex *c. 1. diſt. 57.* Imò non ſolùm judices (infra ſummum Pontificem) quia hic cùm careat in Eccleſia ſuperiore, nequit ab alio puniri, nec judicari; ſed etiam omnes Aſſeſſores, Conſultores, Exhortatores, & alij omnes, qui concurrunt cum judice ad ferendam ſententiam mortis, vel mutilationis, vel influunt in ejus executionem, incurrunt hanc irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis; ut etiam torquentes Reum, ut fateatur crimen, ob quod poſtea condemnatur ad mortem, ut etiam ſcribentes ſententiam ſanguinis, & eam ſignantes, vel proprio ſigillo reddentes authenticam, ut etiam eam legentes, ac publicantes: & multò magis miniſtri juſtitiæ, Satellites, Executores ſententiæ, & alij ducentes ad ultimum ſupplicium Reum cuſtodiæ causâ, ne fugiat, morte ſecuta incurrunt omnes irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis. Non ita ſi judex tantùm ferat ſententiam, quâ Reus debeat ſolis flagellis cædi ſine mutilatione, & abſciſſione alicujus membri contrahit irregularitatem, tametſi Reus flagellis cæſus valdè fuerit debilitatus, & ſanguinem effuderit; ratio eſt, quia ſine mutilatione, & morte ſimplex ſanguinis effuſio non ſufficit ad hanc contrahendam irregularitatem.

20 Rurſus Judex prolatâ mortis ſententiâ ſi Reus non occidatur, eò quia vita ei condonetur, non contrahit irregularitatem, quia pœnæ eccleſiaſticæ non incurruntur, niſi ſecuto effectu, ſi in jure aliter ſpeciatim non exprimatur: atqui in jure nulla irregularitas ſtatuta eſt in occidentes, vel mutilantes niſi effectu ſecuto: hinc etiam per mandatum injuſtum non incurritur irregularitas niſi effectu ſecuto. Nomine ſententiæ intelligitur quodvis præceptum judicis, quo punitur Reus, ut ſi judex jubet, Reum detrudi in arctum, & rigidum carcerem, in quo non poſſit diutiùs vivere, ſi ibi moriatur judex ob datam ſententiam, vel mandatum fit irregularis ex defectu perfectæ lenitatis.

Poſſunt tamen Prælati eccleſiaſtici, quibus temporalis juriſdictio competit, delegare juriſdictionem criminalem alijs citra periculum incurrendæ irregularitatis etiam ad cognoſcendas cauſas ſanguinis, imò & in particulari ad cognoſcendum ſpeciale factum homicidii; dummodo determinatè non delegent talem juriſdictionem ad inferendam alicui pœnam mortis, vel mutilationis; nec mandent, Reum ultimo ſupplicio affici, ſed tantùm præcipiant generatim, ut cognoſcant, & decernant juxta regulas juſtitiæ, idque omnino in generali, quia quò commiſſio eſt generalior, eò eſt remotior ab omni influxu in pœnam mortis. Et quamvis delegans juriſdictionem criminalem videatur eſſe cauſa principalis homicidij facti à delegato; à quo ſine delegatione non fuiſſet factum, non tamen ſequitur, delegantem incurrere irregularitatem defectu lenitatis, quia voluntas delegantis non tendit ad homicidium, ſed tantùm directè, & per ſe ad juſtum regimen juxta leges; quapropter homicidium tantùm per accidens, & remotè ſequitur non ex voluntate delegantis, ſed ex ipſa exigentia juſtitiæ, ut notat Covarruvias *in d. clement. unic. h. t. p. 2. §. 5. n. 8.* 21

Immo tametſi delegatus per injuſtam ſententiam aliquem condemnet ad mortem; adhuc delegans non incurrit irregularitatem, licèt delegatus exceſſerit terminos mandati contra voluntatem delegantis, quia delegatio fuit juſta, & ad illam non ſequitur per ſe, imò nec per accidens injuſta ſententia, quæ tantùm ſequitur ex malitia, vel odio, aut ignorantia judicis. Quinimò ſi Prælatus eccleſiaſticus ſententiam mortis latam ab inferiore judice ordinario, vel delegato minueret; adeò ut Reus damnatus ad rotam ex mandato Prælati capite plecteretur, probabile eſt, nec in iſto caſu incurrere irregularitatem; ratio eſt, quia ipſe non eſt cauſa mortis, ſed tantùm diminutionis pœnæ, hæc autem diminutio non eſt actus ſeveritatis, ſed potiùs pietatis. 22

Non tamen ſunt irregulares Concionatores publicè monentes Miniſtros, & Judices, ut ſervent leges, juſtitiam exerceant, vitia non dimittant impunita, Rempublicam noxijs hominibus purgent, quia iſti tantùm in generali ſuadent Miniſtros ſervare leges, & exercere juſtitiam, nec deſcendunt ad caſum ullum particularem, proinde non influunt in mortem ullius; ut nec etiam incurrunt irregularitatem opifices cudentes gladios, vel conficientes inſtrumenta, quibus Carnifices Reos occidunt, quia iſti conficiunt hæc inſtrumenta indifferenter, ut inſervire poſſint pluribus rebus. Immo neque qui patibulum conſtruit, fit irregularis, quia hic non eſt cauſa proxima homicidij, ſed tantùm remota, & per ac- 23

cidens

cidens, quia per ſe ipſe non intendit, ut ullus ſuſpendatur; ſed tantùm per ſe intendit conficere tale inſtrumentum, ut inde poſſit aliquid lucrari; ſicut ex alijs ſuis opificijs. Secus applicantes ſcalam ad ſuſpendendum Reum, vel parantes ligna ad illum comburendum, vel exhibentes laqueum ad illum præfocandum, quia iſti ſunt cauſæ proximæ homicidij, incurrunt irregularitatem. Neque Confeſſarius fit irregularis, ſi abſolutionem ſacramentalem nolit impertiri judici detrectanti condemnare Reum ad mortem, quem ex officio tenetur; quia Confeſſarius per ſe, & directè non intendit mortem delinquentis, ſed tantùm mederi animæ pœnitentis; fungitur enim Confeſſarius ſuo munere, neque Eccleſia intendit, ut tunc irregularitatem incurrat, quam neque incurrunt Inquiſitores, & alij Judices eccleſiaſtici, ſi tradant Reos Clericos convictos de crimine curiæ ſæculari, à qua poſtea mortis ſupplicio afficiuntur: quia Judices eccleſiaſtici tradentes Reos Clericos convictos de crimine curiæ ſæculari, à qua poſtea mortis ſupplicio afficiuntur, obſequuntur mandatis eccleſiæ præcipientis, ut Clerici delinquentes puniantur juxta leges, ne delicta maneant impunita: nec Clerici directè influunt in pœnam mortis, quia non dant illis juriſdictionem, neq; dictant ſententiam mortis, nec influunt in illam, ſed tantùm declarant delictū, & per degradationem privant Clericum privilegio clericali, quem etiam excludunt à juriſdictione eccleſiaſtica, ratione cujus excluſionis incipit ſubijci Curiæ ſæculari, à qua judicari poteſt, & condemnari independenter à Judice eccleſiaſtico, qui tantùm per accidens, ut removens prohibens dici poteſt, quòd concurrat, ut habetur in *c. ad abolendam 9. de hæret.*

24 Moris eſt, ut Eccleſia, vel Judex Eccleſiaſticus, ſi Reum tradat ſive Clericum, ſive laicum poteſtati ſæculari efficaciter pro eo intercedat, ut citra mortis periculum ſententia contra ipſum mitigetur, idque ſtudio evitandæ irregularitatis, ut habetur in *c. novimus 27. de V. S.* Solet etiam præmitti proteſtatio, quâ eccleſia, vel judex eccleſiaſticus declarat ſuam intentionem non eſſe, ut Reus morte puniatur, ſed potiùs ut liberetur ab extremo ſupplicio ad oſtendendam manſuetudinem eccleſiæ; & ejus lenitatem, quâ Judex eccleſiaſticus pronior eſt ad Reum abſolvendum, quàm puniendum: hæc autem proteſtatio, & interceſſio ſemper præmittitur, ut tollatur omnis ſcrupulus, ac periculum incurrendæ irregularitatis: ſiquidem jus commune id præſcribit, & conſuetudo ſemper approbavit, tametſi fortaſſis non ſit abſolutè neceſſaria talis proteſtatio, & interceſſio, ut docet Suarez *de cenſur. diſp. 47. ſect. 1. n. 12.* An verò, qui Reum accuſat de crimine morte digno, fiat irregularis, procedendum eſt cum diſtinctione; ſi accuſat Reum criminaliter ad publicam vindictam, & non ad privatum intereſſe, & ex ejus accuſatione ſequatur mors accuſati, tunc accuſator fit irregularis, tametſi proteſtaretur, ſe non petere, ut accuſatus ultimo puniatur ſupplicio, quia non pertinet ad accuſantem determinare, quâ pœnâ ſit accuſatus puniendus; quia pœna infligi debet, prout à jure ſtatuta eſt, vel juxta arbitrium Judicis, ſi in jure non exprimatur: ratio, cur fiat irregularis, eſt, quia per hoc, quòd accuſet Reum criminaliter, eſt cauſa, cur Reus capiatur, & ultimo ſupplicio puniatur, quod eſt cooperari morti Rei accuſati, & irregularitas non ſolùm incurritur ab eo, qui phyſicè alium occidit; verùm etiam à quocunque alio moraliter concurrente, & cooperante neci alterius.

Sin verò quis accuſet Reum tantùm civiliter, petendo duntaxat recompenſationem illati ſibi damni, non incurrit irregularitatem; tametſi judex contra Reum procederet uſque ad ſententiam mortis: imò id etiam procedit, quamvis accuſans ſit Clericus, & præviderit mortem accuſati à Judice infligendam ob delictum, dummodo expreſsè, & exteriùs fuerit in ipſo judicio proteſtatus, quòd nolit contra reum criminaliter procedere, nec petere vindictam criminis; ſed tantùm civiliter, ut ſibi compenſetur damnum illatum: hæc enim proteſtatio hodie præmittenda eſt, quia eâ præmiſsâ; eſt præter intentionem Clerici, quòd Reus morte puniatur, idque deſumitur ex *c. poſtulâſti 21.* ubi Innocentius III. Epiſcopo quærenti, an contra quoſdam contemptâ excommunicatione Eccleſiæ decimas ſubtrahentes Regem liceat implorare, cùm vix abſque effuſione ſanguinis poſſint coarctari, reſcribit Pontifex, ſi Epiſcopo hujuſmodi querimoniam ſimpliciter deponente Rex in eoſdem Rebelles ſibi traditam exerceat poteſtatem; eorum eſſe duritiæ, & malitiæ imputandum. 25

Ex quo inferunt communiter Canoniſtæ, non imputari Clericis ad irregularitatem, ſi contra ſuos malefactores querimoniam apud Judices ſæculares deponant; tametſi in tali caſu debeat pœna ſanguinis irrogari, & ea ex ſententia Judicis poſtea ſequatur. Ratio itidem poteſt aſſignari, quia ſi Clerici non poſſent, ita conqueri ob timorem irregularitatis incurrendæ, anſa aperiretur pleriſque eos trucidandi, eorúmque bona liberè deprædandi: hinc Bonifacius VIII. *in c. Prælatis 2. h. t. in 6.* ſtatuit, quòd Prælati, & Clerici poſſint de ſuis malefactoribus deponere querelam coram judice ſæculari, & petere emendam ſibi fieri, & provideri; ne contra eos de cætero talia fieri præſumant; quamvis in tali caſu pœna ſanguinis irrogetur à Judice, qui mortem inferat ſecundùm jura; dummodo expreſſè Clerici proteſtentur ſe non intendere vindictam, nec pœnam ſanguinis; tunc enim non fiunt irregulares: alioqui ſi non auderent conqueri, daretur occaſio alijs ipſos trucidandi, & ipſorum bona deprædandi; eſtque ratio, quam adducit Bonifacius *in d. c. Prælatis.* Immo nec fiunt irregulares, ſi poſt pœnam illatam reo, complacentiam de illa concipiant, dummodo præmiſerint præfatam proteſtationem; 26

quia

quia talis complacentia eſt actus purè internus, cui non eſt annexa irregularitas.

27 Hinc poſſunt Clerici reum laicum detinere, Judici tradere, locum ubi lateat, indicare, ut damnum ſibi illatum compenſetur; quia cùm accuſatio præmiſſa tali proteſtatione ſit licita; erunt etiam licita talia media ad hunc finem neceſſaria, ut deſumitur ex *c. tua nos 19. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, Clericum, qui Judici ſæculari tradit inſignia relicta à fure, à quo fuit vulneratus, ut cultrum, calceos; licèt ille fur à judice interficiatur, non fieri irregularem; & poſſe promoveri ad Ordines ſuperiores, & licèt Pontifex loquatur de Clericis, quòd non fiant irregulares, ſi civiliter tantùm ad reparanda propria damna reum accuſent, tametſi judex accuſato mortem poſtea inferat per ſententiam juſtam.

28 Rectè tamen alij hanc conſtitutionem etiam ad laicos extendunt, ſi civiliter tantùm ad jus ſuum proſequendum alium laicum accuſent, qui poſtea à Judice morte puniatur: dummodo laici perinde ac Clerici proteſtentur ſe nolle criminaliter agere contra Reum, nec ad vindictam ſanguinis, ſed ſolùm civiliter, ut damna ſibi illata reparentur. Quòd ſi quis alium accuſaret de damno non ſibi, ſed alteri illato, non excuſaretur ab irregularitate incurrenda, quia jura expreſsè dicunt, accuſantem excuſari ab irregularitate, ſi præmiſſa præfatâ proteſtatione accuſeat ſuos malefactores de damno ſibi illato, non verò de damno illato alteri; ratio eſt, quia defenſio proprij juris eſt maximè naturalis, proinde faciliùs à jure conceditur.

29 Solent etiam plures dari caſus, in quibus proteſtatio non eſt neceſſariò præmittenda. Primò ſi accuſatio ſit neceſſaria ad impediendum imminens reipublicæ periculum.

30 Secundò ſi quis accuſet alium de crimine levi, ex quo Judex ſumat occaſionem accuſatum damnandi mortis ſententiâ ob alia crimina, quæ poſtea deteguntur: ratio eſt, quia id ſequitur præter intentionem primi accuſantis de crimine levi.

31 Tertiò ſi Judex excedat limites juſtitiæ poſitivæ ex propria malitia, puniátque morte accuſatum, qui tantùm ad mulctam pecuniariam damnandus fuiſſet.

32 Quartò ſi accuſatus damnetur poſtea per quid aliud, quod accuſans non potuit prævidere.

33 Quintò ſi accuſatio inſtituatur coram Judice eccleſiaſtico, quia cùm in hoc tribunali non procedatur ad ſententiam ſanguinis, proteſtatio ſupervacanea foret.

34 Teſtes itidem fiunt irregulares, ſi in cauſa criminali criminaliter acta contra accuſatum teſtimonium dixerint, & mors fuerit inde ſecuta; ſive teſtes Clerici ſint, ſive laici, & ſive proteſtati fuerint, vel non; idque deſumitur ex *c. de his 6. c. ſi quis 8. diſt. 50.* ubi illi dicuntur fieri irregulares, qui verbo, vel facto ad homicidium cooperantur; & teſtes, qui verbo concurrunt, nullibi in jure reperiuntur excepti; conſequenter fiunt irregulares: ratio itidem eſt, quia teſtes deponentes de crimine movent Judicem ad ferendam ſententiam mortis; proinde ſunt cauſa moralis moraliter influens in necem Rei: quin immo teſtes cæteris efficaciùs in judicio ſanguinis cooperantur, cum ex ijsdem eliciatur veritas criminis, & ad eorum atteſtationem firmetur Judicis ſententia: neque proteſtatio in contrarium illis prodeſt, quia teſtes non proſequuntur propriam cauſam, ut compenſentur damna ſibi illata, ſed proſequuntur alienam: & hac ratione in jure excipitur accuſator, ne fiat irregularis, ſi præmiſerit talem proteſtationem, non verò excipitur teſtis.

Advocatus itidem in cauſa ſanguinis fit irregularis, ſi contra accuſatum patrocinetur pro accuſatore, & poſtea mors accuſati contigerit; tametſi præmiſerit proteſtationem, quòd non intendat mortem accuſati: ratio eſt, quia Advocatus, qui patrocinatur pro accuſatore contra accuſatum, efficaciter influit in mortem Rei, docendo, vel movendo Judices ſuis argumentis ad ſententiam ferendam; proinde proteſtatio illa eſt contra factum; cùm de facto influat in necem Rei, ut notat Suarez *de cenſur. diſp. 47. ſeſſ. 4. n. 3.* Sin verò Advocatus patrocinetur in favorem Rei producendo argumenta, quibus liberari debeat ab ultimo ſupplicio, quamvis Reus poſtea morte damnetur, advocatus non fit irregularis, quia ex ejus patrocinio tantùm abeſt, ut ſequatur mors; ut potiùs ſequi debuerat abſolutio Rei; unde cùm Advocatus tunc non influat in ſententiam à Judice latam, fit immunis ab irregularitate. 34

§. IV.

An & quomodo ex homicidio caſuali contrahatur irregularitas.

Caſuale dicitur, quod fortuitò homini accidit, in quo ſenſu *l. 31. §. ſacram. ff. de V. S.* dicitur, *quòd caſum, adverſámque fortunam hominis liberi ſpectare, nec civile ſit, nec naturale*, & Ulpianus *l. 2. §. ſi tempore ff. de adminiſt. rer.* definit caſum fortuitum, quem nullum conſilium humanum prævidere poteſt, & cui humana infirmitate reſiſti non poteſt *l. 1. §. his quoque ff. de oblig. & act.* hinc homicidium caſuale dicitur quod per ſe, & directè non eſt in ſe volitum, ſed tantùm indirectè, & in ſua cauſa. Caſus autem contingentes præter intentionem operantis, tametſi ab eo prævi ſi non ſint, imputantur nihilominus ad culpam ſaltem in foro externo, ſi ex opere illo per ſe, & neceſſariò ſequantur, vel etiam ut plurimum; quia tunc cenſentur indirectè voluntarij, ut notat Covarruvias *in clement. unic. h. t. p. 2. §. 4. n. 9.* 1

Poteſt autem dupliciter contingere, ut homicidium caſuale ad culpam alicui imputetur. Primò ſi diligentiam quantum ſufficiens erat 2

ad

ad præcavendum homicidium, non adhibuit, quamvis dederit operam rei licitæ.

3 Secundò ſi dedit operam rei illicitæ. Quia ſi quis dans operam rei licitæ omnem ſufficientem adhibuerit diligentiam ad impediendum mortis periculum; tametſi ex tali opere licito homicidium ſequatur, non fit irregularis, nec ullam aliam incurrit pœnam homicidij; & deſumitur *ex c. dilectus. 13. h. t.* ubi Innocentius III. cùm Capellanus infirmitatis cauſâ equum, qui ſuccuſſor erat, aſcendiſſet, & calcatibus ſtimulâſſet, iſque fræno fracto, ſine culpa ſeſſoris infantem, quem mulier geſtabat, interfeciſſet, conſultus Pontifex reſpondit, ſi ita eſt, cùm Capellanus, nec voluntate, nec actu homicidium perpetraverit, neque dederit operam rei illicitæ, poſſe divina celebrare: ubi Pontifex aſſignat etiam rationem, quia Capellanus non dederit operam rei illicitæ, nec actu, nec voluntate commiſerit homicidium; unde ratio, quam Pontifex aſſignat, eſt, quia Capellanus dederit operam rei licitæ, eò quia per ſe non ſit illicitum equo ſuccuſſore uti, dummodo eidem regendo ſe parem putet; quamvis eventus inſperatus rupti fræni tunc Capellanum fefellerit. Hins Canoniſtæ à ſenſu contrario inferunt, ſi ex opere illicito homicidium ſequatur, quantacunque adhibitâ diligentiâ ad illud vitandum incurrit irregularitatem.

4 Verùm contraria ſententia videtur probabilior, eique adhærendum, quia ſi homicidium in ratione homicidij, nec prævifum fuit, nec intentum, & rurſus fuerit tota ſufficiens diligentia adhibita, ne ſequeretur: ex opere illicito cùm non incurratur irregularitas, neque hæc incurritur ob homicidium, quod non imputatur culpæ, cùm non fuerit, nec directè, nec indirectè prævifum, ut docent Covartuvias *in clement. ſi furioſus p. 2. n. 9.* Zœſius *h. t. n. 69.* Sotus *lib. 5. de juſtit. q. 1. art. 9.* Suarez *de cenſur. diſp. 5. ſect. 6. n. 9.* & deſumitur ex D. Thoma *1. 2 q 72. art. 8.* ibi propter negligentiam conſiderandi, imputantur homini ad pœnam nocumenta, quæ ſequuntur, ſi dabat operam rei illicitæ: ratio hujus imputationis poteſt ex eo deſumi, quia homines non ſolent illicitè agere, niſi ducti prava cupiditate, quæ facilè hominem obcæcat, ne attendat ad damna, vel pericula, quæ inde ſequi poſſunt, hinc oritur præſumptio; agentem illicita non adhibuiſſe ſufficientem diligentiam, & cautelam; hinc ſi ſequatur homicidiũ onus probandi fuiſſe adhibitam omnem ſufficientem diligentiam, incumbit danti operam rei illicitæ, quòd ſi probaverit ſe omnem ſufficientem adhibuiſſe diligentiam, fit immunis ab irregularitate: hac diſtinctione adhibitâ poſſunt pugnantes ſententiæ reconciliari. Prima ſententia poteſt intelligi procedere, ut dicat; homicidium ex opere illicito ſecuto præſumi ex defectu ſufficientis cautelæ: proinde dans operam rei illicitæ, ſi ex illa ſequatur homicidium fit irregulatis. Secunda verò ſententia procedit ex eo, quòd dans operam rei illicitæ probaverit ſe adhibuiſſe omnem diligentiam poſſibilem ad præcavendum homicidium, quòd cùm nec directè, nec indirectè fuerit ipſi voluntarium, non poteſt eidem verti culpæ; conſequenter non debet fieri irregularis, cùm irregularitas ſit ob homicidium pœna, quæ non incurritur niſi ob culpam.

5 Tum quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus jure expreſſis: & quòd incurratur irregularitas per homicidium ex opere illicito ſecutum, ſi debita fuerit adhibita cautela, & ſufficiens, ne ſequeretur, nullibi in jure reperitur expreſſum: & licèt à contrario ſenſu poſſet deduci; nihilominus in odioſis, & pœnalibus deductio à contrario ſenſu non admittitur, quia pœna ſine lege expreſſa, aut ſententia Judicis non infertur, ut notat Navarrus *c. 27. manu. n. 221.* ubi ait, homicidium debere ſaltem in cauſa eſſe voluntarium, ut ex illa incurratur irregularitas.

6 Generatim quoties ſufficiens præmittitur diligentia ad vitandum quodvis periculum mortis, ſi homicidium inde poſtea contingat, nec directè, nec indirectè eſt voluntarium; proinde non poteſt imputari ad culpam danti operam etiam rei illicitæ; quòd enim nullo pacto eſt voluntarium, eſt immune à culpa, nec per illud poteſt contrahi irregularitas, cùm hæc non contrahatur niſi propter culpam, eſt enim pœna à jure injuncta ob culpam: quòd ſi negligentia aliqua interveniſſet vitandi periculum mortis, tunc contrahitur irregularitas, eò quia homicidium præſumitur aliquo pacto voluntarium: quia tametſi opus ſecundùm ſe, & ex ſuo objecto ſit licitum, non tamen fit licitè propter annexum homicidij periculum, & non adhibitam ſufficientem diligentiam.

7 Hinc ſi mors contingat ex ferocitate equi recalcitrantis præter voluntatem, & culpam Seſſoris non imputatur ipſi ad culpam; neque ob homicidium, quod contingit, fit irregularis: ſin verò equitans ſit in culpa, eò quia ipſum non lateret equi vitium, vel frænum fuiſſe nimis tenue ad eum coërcendum, & compeſcendum à curſu; tunc ob annexum periculum ſeſſor incurrit irregularitatem. Imò quamvis det quis operam rei illicitæ irregularitatem non incurrit, ſi poſt adhibitam omnem diligentiam ad evitandum homicidium, hoc caſu ſequatur; quia tametſi opus ſit illicitum ratione finis, ut fornicationis; non tamen fornicatio parat viam ad homicidium, nec eſt opus periculoſum ratione homicidij.

8 Quòd ſi actus ſint ſpecialiter prohibiti propter periculum homicidij, & non propter aliam cauſam, ut religionem, decentiam ſtatûs religioſi, tunc incurritur irregularitas, quia periculum homicidij præſumitur annexum tali actui, qua ratione Clericis, & Monachis prohibetur ars chirurgiæ *c. tua nos 19. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd ſi Religioſus peritus chirurgus exercens chirurgiam cum omni diligentia, & cauſâ pietatis, ſi ex ea mors ſequitur, fit irregularis, & Pontifex aſſignat ætiam rationem; eò quia deliquerit

uſurpandò alienum officium, quod ei non congruebat. Juvat tamen adnotare, quòd jura ſolùm loquuntur de ſacerdotibus Diaconis, & Subdiaconis. Quòd ſi in homicidio caſuali committatur ſolùm peccatum veniale ob levem negligentiam, tunc in foro conſcientiæ non incurritur irregularitas; ratio eſt, quia hæc eſt pœna gravis, quæ in jure non infligitur ob culpam levem; alioquin pœne non commenſuraretur culpæ, & juxta exceſſum eſſet injuſta.

9 Cæterum non ſolùm ob homicidium, ſed etiam ob grava ſcandalum poteſt incurri irregularitas, ac puniri innocens, ut ceſſere debeat à divinis, idque deſumitur *ex cap. ex litteris 14. h. t.* ubi cùm Presbyter fœnum de curru deponens, perticam ſuperiùs alligatam projeciſſet in terram, & quidam puer juxta currum repertus eſſet ſemivivus. Innocentius III. dictum Presbyterum interrogavit, ſi priusquam jaceret perticam, circumſpexiſſet ſollicitè, num eſſet aliquis circa currum, eóque affirmante eundem remiſit ad Epiſcopum, mandans, quòd ſi res ita ſe habeat, & niſi exortum eſſet ſcandalum, aut tante infemie, ut oporteat eidem canonicam purgationem indici; ipſum liberè permittat, exequi officium ſacerdotis. Ex quo textu colligitur ob grave ſcandalum etiam incorri irregularitatem, quia Pontifex licèt illum declaret immunem ab irregularitate propter adhibitam ſufficientem diligentiam, excipit tamen, niſi ſcandalum, aut infamia purgationem requirat canonicam. Similis caſus etiam habetur in *c. ex litteris 15. h. t.* ubi Monachus inſerviens ad deponendam campanam de turri, quia ipſo movente lignum campanæ corruit, & occidit puerum; reſcribit Innocentius III. hac ſuper re conſultus, quòd ſi Monachus tunc rem neceſſariam, & utilem agebat, & neminem credebat ibi tranſire, aut tranſire ſolere, poſſit ad eltiores ordines promoveri, præſertim cùm illuc de conſuetudine nemo veniret, quando lignum movit.

10 Similes caſus fortuiti habentur in pluribus aliјs hujus tituli capitulis, præſertim in *c. continebatur 8. h. t.* ubi cum quidam laicus in certo ludo, quo victores inſilіebant in victos, illiſque pro equis utebantur, in Diaconum falce cinctum (redibat enim ex meſſe) velut victor equitaturus incautè inſiluiſſet, & à falce lethale vulnus accepiſſet, ex quo poſt octiduum occubuit. Reſcribit Alexander III. ne ſine licentia Papæ Diaconus ille ad ſuperiorem gradum aſcendat, nec in Diaconatûs officio unquam miniſtret, & tantùm permittatur in ſubdiaconatus officio diſpenſativè miniſtrare. Ubi notat Gloſſa, hunc Diaconum incurriſſe irregularitatem ob mortem, quæ obtigit huic laico, eò quia dederit operam rei illicitæ ludendo cum laico, quod minimè licitum erat Clerico. Verùm videtur hæc ratio non ſubſiſtere, quia nullibi eſt per ſe prohibitum Clericis, ne ludant cum laicis, niſi per accidens ludus ſtatum dedeceat clericalem, qualis non videtur præſens fuiſſe.

11 Ratio igitur eſt, quia Diaconus ille non adhibuit ſufficientem diligentiam, & cautelam, quam debuiſſet; quia cum illi innotuerit loci conſuetudo, debuiſſet priùs falcem removiſſe: etenim ſive det quis operam rei licitæ, vel illicitæ, ſi non adhibeat debitam diligentiam, fit irregularis, ſi ex ipſius facto ſequatur mors alterius: cùm enim Clericus ſciret naturam ludi, quòd victor portaretur humeris victi, debuiſſet falcem abjeciſſe, ne ſi quis ipſum aſcenderet, feriretur, ut de facto contigit. Ex quo texto colligitur, Clericum ludentem aliquo ludo proprio ſæcularium cum ſæculari, ſi caſu aliquis occidatur, non poteſt ordinari ſine diſpenſatione Papæ, nec miniſtrare in Diaconato, ſed tantùm poteſt diſpenſari, ut miniſtret in ſubdiaconatu.

12 Similis caſus etiam refertur *in c. lator. 9. h. t.* ubi cùm quidam Clericus caſu luderet cum aliquo Clerico, & ab illo projectus in terram incidiſſet in cultellum quem ad latus habebat, & fortuitò ex ſibi inflicto vulnere occubuiſſet, mandat Pontifex, quòd ſi ita res ſe habeat, & alia juſta cauſa non impediat, prædictus Clericus liberè poſſit ad ſacros ordines promoveri. Ratio verò, cur Clericus in hoc textu non incurrat irregularitatem; & Diaconus, qui in præcedenti capite continebatur, fuerit factus irregularis, aſſignatur à Gloſſa: quia Clericus in præſenti *cap. lator.* non ſolùm non luſit ludo illicito, verùm etiam nec poterat à cultello tale periculum timere: ſecus Diaconus in præcedenti *cap. continebatur*; quia ſciebat naturam ludi, quòd victor portaretur humeris victi, debuiſſet abjicere falcem, ne ſi quis ipſum aſcenderet, feriretur, & quia non adhibuit eam diligentiam, quam debuiſſet, ideo fuit irregularis. Ludus alius eſt noxius, & periculoſus, ut in umbratili pugna, haſtiludio, jactû lapidum, & ludo, qui calcibus, vel pugnis exercetur, & tunc ſi ex tali ludo ſequatur homicidium incurritur irregularitas. Alius verò eſt ludus non noxius, & carens periculo, ut ludere conis, pilâ, ſaltationibus, luctâ ſine armis, & ſolis brachijs, & ex hujuſmodi ludis non incurritur irregularitas, dummodo ludens debitam priùs adhibuerit diligentiam, ne ſequeretur homicidium, alioquin ſi fuerit negligens, non excuſatur ab irregularitate.

13 Quanta verò debeat eſſe negligentia ad incurrendam irregularitatem ortam ex homicidio caſuali facto ab eo, qui dedit operam rei licitæ? Reſpondetur, negligentiam includentem latam culpam ſufficere ad incurrendam irregularitatem: ratio eſt, quia tunc homicidium eſt voluntarium in cauſa, quatenus omittitur illa diligentia in cavendo homicidio, quam homines mediocriter prudentes ſolent ſemper adhibere. Quinimò ex levi negligentia etiam incurri irregularitatem, videtur inferri *ex c. continebatur 8. h. t.* ſed ibi negligentia

necli-

nectitur cum ludo illicito, & fortaſſis negligentia illius Diaconi non fuit ita levis, cùm ipſum non latuerit natura ludi, quô victor portaretur humeris victi, unde debuiſſet falcem abjeciſſe, ne ſi quis ipſum aſcenderet, feriretur. Ob culpam tamen leviſſimam, qui dat operam rei licitæ, non contrahit irregularitatem, quia nulla eſt lex divina, vel humana, quæ obliget ad adhibendam illam exactiſſimam diligentiam, quam homines etiam diligentiſſimi nonnunquam non adhibent.

14 Sunt tamen qui procedentes cum diſtinctione dicunt, tunc ob culpam leviſſimam non contrahi irregularitatem, quando culpa eſt in omittendo, ſeu non impediendo homicidium: non ita ſi ſit in committendo, quando non adhibetur debita diligentia in cavendo periculo homicidij proveniente ex propria, & poſitiva actione, ut notat Covarruvias *in clement. ſi furioſus unic. h. t.* adeò ut in hac ſententia ob culpam leviſſimam procedentem omiſſivè, non incurratur irregularitas; benè tamen ſi procedat commiſſivè. Verùm putârim ob culpam leviſſimam ſe habentem omiſſivè, vel commiſſivè, non incurri irregularitatem, quia cùm hæc ſit pœna gravis impediens, ne quis poſſit promoveri ad ordines eccleſiaſticos, debet ſupponere culpam ipſi proportionatam, qualis non eſt culpa leviſſima, ſive ſumatur commiſſivè, ſive omiſſivè, ídque probari poteſt ex *d. c. lator. 9. h. t.* ubi Alexander III. declarat, Clericum non eſſe irregularem, tametſi aliom projecerit in terram, quem etiam proprio cultello lethaliter caſu vulneravit; ſiquidem Clericus ille non videtur poſſe excuſari à culpa leviſſima, quia ut ſine omni protſus periculo luctaretur cùm alio, debuiſſet cultellum priùs depoſuiſſe; præſertim cum res ex natura ſua non careat omni periculo.

15 Hinc ad incurrendam irregularitatem ex hoc textu putârim non ſufficere culpam leviſſimam, ſive hæc ſumatur omiſſivè, ſive commiſſivè. Imò ſunt, qui putant, nec ſufficere culpam levem, ſed requiri culpam latam, quando quis operam dedit rei per ſe licitæ, & non adhibuit debitam diligentiam, ne mors contingeret, ídque videtur etiam deſumi ex *c. quæſitum de pœnitentia*, ubi Pontifex conſultus de ſacerdotibus Græcis, qui filios in lecto oppreſſerunt, reſcribit, quòd ſi ipſis procurantibus, vel ſtudioſè negligentibus filij extincti reperiantur in lectis, ab officio altaris debeant abſtinere; ubi Gloſſa *V. negligentibus* notat, ſtudioſam negligentiam non carere omni dolo, ac propterea ſecum trahere culpam latam, & non levem.

16 Verùm ut rectè notat Pirhing *lib. 5. tit. 12. ſect. 2. §. 3.* in foro conſcientiæ hæc irregularitas non incurritur ob ſolam culpam juridicam, ſed ob culpam veram theologicam: ratio eſt, quia cùm irregularitas accenſeatur pœnis ſpiritualibus, debet ſupponere verum peccatum: quia licèt irregularitas poſſit incurri ſine ullo peccato ex homicidio publica auctoritate facto: non tamen incurritur irregularitas ſine ulla culpa ex homicidio facto à privato: ratio eſt, quia tale homicidium debet aliquo modo eſſe voluntarium ſaltem indirectè, & in cauſa, alioquin ſi foret omninò involuntarium, careret omni culpa, nec ſecum traheret irregularitatem, ut notat Covarruvias in *clement. unic. h. t. p. 2. §. ex his n. 9.* Imò probabiliùs forſan videtur ad incurrendam irregularitatem non ſufficere culpam venialem; ſed requiri culpam gravem, & negligentiam inducentem peccatum lethale, adeò ut ex tali negligentia deliberata contingat homicidium caſuale, quia cùm irregularitas ſit pœna valdè gravis, non videtur vero ſimile, hanc imponi propter culpam tantùm venialem, niſi in jure aliter exprimatur. Ex hac doctrina ſolvuntur plures caſus, qui exhibentur in varijs hujus tituli capitulis, quos omnes recenſere nimis prolixum foret.

An verò occidens baculo aggredientem ſolis 17
calcibus, vel pugnis, ſeu manu clauſâ, & in condylos contractâ contrahat irregularitatem, non videtur carere difficultate, quia baculus ſolùm ordinatur ad percutiendum, non ad occidendum; ſiquidem baculus non eſt aptus per ſe uno ictu mortem inferre, niſi fortaſſis aliquam ſpecialem corporis partem percutiat, ex qua præter intentionem ex aliquo accidente mors ſequatur; qui enim intendit alium occidere, non utitur baculo, ſed gladio, vel ſclopeto; unde mors, quæ ſequitur ad percuſſionem baculi, præſumitur caſualis, proinde ſi quis ſe defendens aggreſſorem baculo percutiat, eúmque occidat, oritur difficultas, an contrahat ex tali homicidio irregularitatem. Videtur reſpondendum affirmativè; quia defenſio non præſumitur facta cum moderamine inculpatæ tutelæ: fuit enim occiſor aggreſſus ſolis calcibus, & pugnis, & poterat ſe itidem pugnis, & calcibus defendere, & non uti baculo: non enim ſi Petrus Paulum baculo aggrederetur, diceretur Paulus ſe defendere juſto moderamine, ſi gladio aggreſſorem vulneraret: quia gladius eſt inſtrumentum, quod regulariter aſſumitur ad infligendum lethale vulnus, & mortem inferendam, non ita baculus; exceſſus enim inſtrumentorum, quæ pro defenſione adhibentur, quando offenſa non tendit ad mortem inferendam refundit exceſſum in defenſionem, quam propterea non relinquit inculpatam: ſiquidem baculus ordinatur ad majorem percuſſionem, quàm ordinetur pugnus, vel ictus calcis; conſequenter, qui ſe baculo defendit contra aggredientem ſolis pugnis, non videtur dicendus ſe defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Nihilominus eſt ſententia aſſerentium ir- 18
regularitatem non incurri, niſi homicidium caſuale ſit conjunctum cum peccato lethali, ut docent Suarez *de pœnit. diſp. 31. ſect. 6. dub. 7.* Valentia *tom. 4. diſp. 7 q. 19. punct. 3.* Conink *de cenſur. diſp. 18. dub. 2. n. 12.* Sotus *lib. 5. de juſtit. & jur. q. 1. art. 9. in fin.* Navarrus *c. 27 manu. n. 252.* & alij quos refert, & ſequitur Pasqualig. *qq. moral. jurid. q. 21. n. 3.*

ea innxi ratione, quia irregularitas, cùm ſit pœna graviſſima, non imponitur à jure niſi ob peccatum grave: quæ ratio eſt, cur ex homicidio caſuali non incurratur irregularitas, niſi adſit culpa gravis. Si tamen invaſus ſit viribus valenrior aggreſſore, cùm facilè poſſet ſine baculó ſe defendere; ſi baculo percutiat aggreſſorem, non ſervat juſtum moderamen in ſui defenſionem, quæ propterea tranſit in vindictam, ut contingit, quoties invaſus non ſervat debitum modum ad ſe defendendum, & plus ponit, quàm neceſſitas exigat ad propulſandam injuriam; ut norant Julius Clarus in *prax. §. homicidium V. ſi eſt tamen. n. 2.* Abbàs in *c. ſignificâſti n. 9. h. t.*

19 Id tamen limitat Paſqualigus, niſi invaſus improviſâ aggreſſione turbatus ſtatim arrepto baculo invaſorem percuteret, quia tunc illa percuſſio videtur procedere ſine ſufficienti deliberatione neceſſaria ad peccatum grave. Quòd ſi invaſus viribus, & animo ſit imbecillior injuſto aggreſſore; adeò ut pugnis non poſſit ſe ſufficienter defendere, nec propulſare injuriam ſibi illatam, tunc baculo percutiens pugnis aggredientem, non videretur mortaliter peccare, nec conſequenter contrahere irregularitatem, quia licitum eſt vim vi propulſare *l. ſcientiam §. qui cum plures ff. ad leg. Aquil. c. ſignificâſti h. t.*

20 Id tamen procedit, dummodo invaſus, qui baculo utitur contra aggredientem pugnis, non intendat eum percutere in capite, vel alia parte, in qua lethale vulnus poſſet infligi, ſed tantùm in brachijs, vel humeris ad debilitandum aggreſſorem: alioquin non præſumeretur ſe defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sin verò invaſus, & injuſtus aggreſſor viribus, & animo ſint æquè fortes, tunc non liceret invaſo uti baculo, alloquin in ſui defenſione non obſervaret maderamen inculpatæ tutelæ, quia baculus longè graviùs percutit, quàm pugnus: quòd ſi invaſus haberet præ manibus baculum, & illo uteretur tantùm ad propulſandam vim ſibi illatam percutiendo manus, & brachia aggreſſoris, tunc ſervaret moderamen inculpatæ tutelæ, quia non plus intenderet, quàm propulſare injuriam ſibi illatam, quòd verò id præſtet pugnis, vel baculo, materialiter ſe habet, quia tunc defenſio non tranſit ad vindictam; & modus defenſionis attenditur in eo, quod fit ob defenſionem; non verò in eo, quo fit, ſeu inſtrumento defenſionis *l. ut vim ff. de juſtit. & jure.* ibi *quòd quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, hoc jure feciſſe exiſtimatur.* Hinc Georgius Obrechtus *de neceſſaria defenſione c. 10. n. 6.* & alij cenſent, ad juſtum moderamen inculpatæ defenſionis non requiri, quòd invaſus paribus armis propulſet injuſtum aggreſſorem.

21 An verò ſi aggreſſor cùm ſolo animo tantùm inſultandi, non verò occidendi, nec vulnerandi alium invadat; ſi invaſus poſtea ita ſe defendat, ut aggreſſor conſtituatur in neceſſitate ob ſui defenſionem, alium, quem invaſerat occidendi, incurrat irregularitatem, videtur etiam non ita exploratum. Communior ſententia, & tutior eſt, aggreſſorem incurrere irregularitatem, quia tametſi homicidium ſit ob propriam defenſionem, neceſſitas tamen talis defenſionis oritur ex culpa occidentis, & ideò cùm occidat culpabiliter, incurrit irregularitatem. Tum quia dedit operam rei illicitæ aggrediendo alium, & danti operam rei illicitæ imputatur homicidium, ſi ex tali opere ſequatur, ut deſumitur *ex c. dilectus 13. h. t.* à contrario ſenſu, ibi enim Innocentius III. reſcribit, eum, qui non dedit operam rei illicitæ nec actu, nec voluntate commiſit homicidium, non incurrere irregularitatem, ex quo inferunt Canoniſtæ: ergo qui dedit operam rei illicitæ, ſi inde ſequatur homicidium, fit irregularis: deſumitur etiam *ex c. continebatur 8. h. t.* ubi Clericus, qui luſit ludo ſibi non licito, in quo caſu alium occidit, fuit irregularis.

Alij tamen putant, aggreſſorem in tali caſu 22
non incurrere irregularitatem, ut docent Sotus *lib. 5. de juſtit. & jure q. 1. art. 9.* Sayrus *lib. 6. de cenſur. c. 17. n. 19.* Paſqualigus *quæſt. moral. jurid. q. 19. n. 3.* Covarruvias *in clement. ſi furioſus p. 3. §. 4. n. 9.* & hanc ſententiam probabilem cenſet Suarez *de cenſur. diſp. 46. ſect. 1. n. 11.* Ratio, quâ hæc ſententia nititur, eſt, quia irregularitas orta ex homicidio contrahitur, vel quia homicidium ſit directè voluntarium: vel quia licèt tantùm per accidens fiat, nihilominùs ſaltem indirectè eſt volitum, eò quia occiſor dedit operam rei illicitæ, ſéque injecit in neceſſitatem occidendi invaſum: atqui irregularitas in præſentī caſu non contrahitur ob homicidium directè voluntarium, quia ſi homicidium eſt directè voluntarium, eſt etiam neceſſarium ad propriam defenſionem, & committitur inculpabiliter; quia voluntas tendit directè in propriam defenſionem: atqui homicidium neceſſarium ob propriam defenſionem non inducit irregularitatem, ut habetur *in clement. ſi furioſus unic. h. t.* quia cùm irregularitas ſit ex delicto, præſupponit culpam in occiſore.

Neque obſtat, quòd occiſor priùs attentaverit 23
inferre injuriam, quia licèt id verum ſit, non propterea amiſit jus ad ſe defendendum, cùm omnia jura id concedant, & natura hoc idem ſuadeat. Tum quia invaſus non acquiſivit jus occidendi invaſorem, ſed tantùm ſe defendendi juſto moderamine inculpatæ tutelæ in ordine ad propulſandam injuriam, quam commodè potuiſſet propulſare abſque intentione homicidij. Neque videtur contraxiſſe irregularitatem, eò quia dedit operam rei illicitæ, ut fuit injuſta aggreſſio, quâ ex propria culpa ſe injecit in neceſſitatem alium occidendi, quia tunc homicidium caſuale ex actu illicito inducit irregularitatem, quando eſt ſaltem indirectè voluntarium; adeò ut opus illicitum ſit aliquo pacto inductivum homicidij, vel ſaltem ſit opus in jure ſpecialiter

pro-

prohibitum ob periculum homicidij, ot do-
cent Covarruvias in *clement. ſi furioſus p. 2. §.
2. c. 10.* Navarrus *in manual. c. 27. n. 221.
V. 3.* Sotus *lib. 5. de juſtit. & jure, q. 1. art. 9.*
ſiquidem irregularitas, cùm ſit pœna gravis,
non contrahitur, niſi ob culpam itidem gra-
vem, adeò ut ſupponat homicidium ſaltem in-
directè voluntarium, & runc contingit, quan-
do actio eſt prohibita ob periculum homicidij,
tunc enim qui vult talem actionem directè;
præſumitur indirectè velle periculum illud,
quod ex tali actione ſequitur: atqui in præ-
ſenti licèt invaſor operam dederit rei illicitæ,
non tamen invaſin illa erat ex ſe inductiva ho-
micidij, neque cnnnexa cum ejus periculo, ne-
que ſpecialiter eſt in jure prohibita ob pericu-
lum homicidij, cùm potiùs adſuerit voluntas
directa non occidendi: neque invaſus habuit
jus invaſorem occidendi, ſed tantùm ſe defen-
dendi juſto moderamine; nnde cùm invadens
non intenderit occidere, immo nec vnlnerare
invaſum; non potuit hic adigere aggreſſorem
ad homicidinm committendum in defenſio-
nem prapriæ vitæ.

24 Hæc ſententia videtur probabilis, imò & in
praxi tuta, quia tametſi aggreſſor peccet per
illam injuſtam invaſionem, quia tamen hæc
non influit in homicidium, cùm invadens non
intendat directè, nec indirectè ipſum homicidi-
um; ideò hoc non imputatnr ſe defendenti cul-
pæ, & illa injuſta aggreſſio tantùm eſt occaſio
quædam, & quidem remota homicidij; qua-
tenus occiſus inde ſumpſit occaſionem inva-
dendi aggreſſorem ultra limites juſti modera-
minis: ex eo autem quòd quis excedat termi-
nos juſtæ defenſionis, oritur in alio neceſſitas
tuendi propriam vitam; onde homicidium
tunc non oritur ex illa invaſione injuſta; ſed ex
exceſſu defenſionis ultra moderamen inculpa-
tæ tutelæ. Neque obſtat, quòd occiſor priùs
alium invaſerit, quia licèt id verum ſit; mutata
tamen poſtea fuit aggreſſio in defenſionem, &
qui priùs erat invaſor, factus fuit invaſus ob
non ſervatum moderamen inculpatæ tutelæ in
defenſione.

25 Aliud eſt dare operam actioni illicitæ, quæ
tamen ex ſe nnn inducat proximum periculum
homicidij: & aliud dare operam rei illicitæ,
quæ ſuàptè natura apta ſit ad inferendam mor-
tem, ac propterea ſit ſpecialiter prohibita ob
periculum annexum homicidij; qui dat ope-
ram rei illicitæ, quæ ex ſe non inducit propin-
quum periculum homicidij, non fit irregula-
ris, ſi hoc ſequatnr, dummodo debitam dili-
gentiam adhibuerit ad illud vitandum: ratio
eſt, quia tunc homicidium nec directè, nec in-
directè eſt voluntarium, ſed tantùm merè ca-
ſuale, non enim eſt voluntarium in ſe, & dire-
ctè ut ſupponitur: nec virtualiter indirectè, &
in cauſa, ſeu ipſo opere ratione ipſius negli-
gentiæ, quia ſupponitur, quòd omnis dili-
gentia ſufficiens fuerit adhibita, quapropter
etiam præſumitur homicidium ex illo opere ſe-
cutum fuiſſe invincibiliter ignoratum, ex quo
ſequitur, quòd fuerit omninò involuntarium,
quia ignorantia invincibilis tollit volunta-
rium.

Secus dans operam rei illicitæ, quæ ſuaptè 26
natura poteſt mortem inferre, ac propre-
rea eſt ſpecialiter prohibita ob periculum ho-
micidij, ſi hoc ſequatur, fit irregularis: ratio
eſt, quia quando in jure aliqua actio eſt ſpe-
cialiter prohibita, eò quia inducat propinqu-
um periculum homicidij, quod ex illa frequen-
ter conſequitur; tunc homicidium, ſi ſequatur,
ſupponitur voluntarium in illa actione illicita,
ad quam frequenter ſequitur: qui enim vult
talem actionem lege prohibitam ob periculum
homicidij ex ejusdem legis interpretatione
cenſetur velle ipſum homicidium, quod ſequi-
tur ex tali actione: & jus præſumit, talem
nunquam adhibuiſſe debitam, & ſufficientem
diligentiam in præcavendo homicidio, ne ſe-
queretur.

Neque obſtat, quòd propter homicidium 27
caſuale ex opere illicito ſecutum irregularitas
non incurratur, niſi in caſibus jure expreſſis:
quia ſufficit, ſi ipſa actio ſit ſpecialiter prohi-
bita propter periculum homicidij, tunc enim
cenſetur in jure prohiberi homicidium in ſua
cauſa, ſeu in tali actione, & caſus cenſetur
ſufficienter expreſſus, & poteſt etiam jus pu-
nire actionem illam tali pœna, ſi ad illam ſe-
quatur homicidium.

Cæterum plures in jure recenſentur caſus 28
ſpeciales, in quibus ob homicidium, quod con-
tingit ex opere illicito, & periculoſo contra-
hitur irregularitas; tametſi ſufficiens, & de-
bita diligentia præceſſerit; & habetur in *c.
tua nos 19. h. t.* ubi cùm quidam Monachus
chirurgię peritus voluerit mulierem à quodam
tumore gutturis ſanare; eúmque ferro aperuiſ-
ſet; fœminæque præcepiſſet, ne ſe vento ex-
poneret, & ea neglecto præcepto ex plurimo
ſanguine per guttur effuſo obijſſet, conſultus
Innocentius III. utrum Monacho, qui erat ſa-
cerdos, liceret ſacerdotale officium exercere;
reſcripſit Pontifex, quòd tametſi Monachus
multum deliquerit alienum officium exercen-
do; ſi tamen chirurgiæ peritus ſolius pietatis
cauſâ id egerit, debitámque adhibuerit dili-
gentiam, non ſit adeò reprobandus ob id,
quod culpâ mulieris contigit, ut poſt ſatisfa-
ctionem condignam non poſſit miſericorditer
cum illo agi, ut divina valeat celebrare, alio-
quin interdicenda eſſet illi ſacerdotalis ordinis
executio in rigore.

Ad alteram quæſtionem de quodam ſtu- 28
dioſo vulnerato à latrone, quem alij ſtudioſi
inventum Magiſtratui tradiderunt, ad quem
cum latronis cultrum, quem ipſi latroni ab-
ſtulerat, & ſubtulares ab eodem in ipſius do-
mo dimiſſos, quos abſtraxerat, ne pedum
ſtrepitus audiretur ſcholaris ille vulneratus
miſiſſet, nihil ulteriùs ſe intromittens; Ap-
paritores verò latronem ſibi traditum ita per-
versè tractâſſent, ut præ ira, & dolore nec po-
tum ſumens, nec cibum occubuerit. Reſcri-
bit Pontifex præfatum ſtudioſum, ſi dignis
meritis adjuvetur ob talem eventum à ſacris

 ordi-

ordinibus non eſſe arcendum. Ex hoc textu conſtat, Monachum illum, qui actum chirurgiæ exercuit, irregularitatem incurriſſe, tametſi absque omni ejus culpa mulier, cui tumorem in gutture aperuerat, occubuerit; idque quia Monachus operam dederit rei illicitæ, ſibique ſpecialiter prohibitæ ob periculum homicidij, quapropter homicidium, quod contigit, fuit ipſi imputatum ſufficiens ad contrahendam irregularitatem, tametſi ſufficientem diligentiam in præcavendo homicido adhibuerit. Quamvis in hoc textu ſermo ſit de Monacho, procedit tamen de quolibet alio Clerico etiam ſæculari in ſacris conſtituto, cui ſimiliter interdictum eſt exercitium chirurgiæ, quæ fit per aduſtionem, vel inciſionem *c. penult. ne clerici, vel Monach.* quia qui dat operam rei illicitæ, ſeu periculoſæ, quæ eſt proxima occaſio mortis, cenſetur indirectè, & in cauſa velle ipſum homicidium, quia tenebatur abſtinere à re illa illicita ad evitandum homicidium; quod ex illa poterat contingere, & hoc procedit, quamvis ſufficientem priùs adhibuerit diligentiam, ne homicidium contingeret.

30 Secus ſi chirurgus, vel Medicus ſit laicus, quamvis ipſi prohibitum ſit exercere artem in pœnam aliſujus criminis, vel etiam ob aliam cauſam extrinſecam non propterea ſit irregularis, ſi petitus ſit, debitámque in curando adhibeat diligentiam, ſi poſtea mors contingat, quia exercitium chirurgiæ laicis non prohibetur ratione periculi homicidij, ſed tantùm Clericis, ut notat Covarruvias *in clement. unic. h. 1. p. 2. §. 4.* Sin verò ob imperitiam, vel negligentiam culpabilem Chirurgi, vel Medici mors contingat, tunc homicidium ijsdem imputatur, fiúntque propterea irregulares, quia imperitia accenſetur culpæ in ijs, qui ut periti operam ſuam promittunt *l. ſi domum 9. §. Celſus ff. locati.* & tunc hæc irregularitas non contrahitur ex defectu lenitatis, ſed oritur ex delicto, & pertinet ad homicidium potiùs caſuale, quàm voluntarium.

31 Ruſus etiam Infirmarij, ſive laici ſint, ſive Clerici gerentes curam infirmorum non incurrunt irregularitatem, ſi debitam adhibeant diligentiam: ſecus ſi ob culpabilem negligentiam mors infirmis notabiliter acceleraretur, ſi periculum potuerit prævideri, ut docet Suarez *diſp. 47. de cenſur. ſect. 7. n. 3. & ſequent.* unde ſi Infirmarius inſerviens ægroto illum charitatis causâ in lecto moveat, ut commodiùs jaceat, non ſit irregularis, tametſi talis motus videatur acceleràſſe infirmo mortem: niſi fortaſſis culpa lata interveniret, alioquin ſi tantùm ex pura charitate, & adhibita debita diligentia Infirmarius moveat in lecto ægrotum, ut commodiùs cubet, quamvis hic ſtatim moriatur, Infirmarius non fit irregularis.

❀)†(❀

§. VII.

De Irregularitate, quæ contrahitur ob homicidium in bello commiſſum.

Bellum à bellua propriam trahens nomenclationem, eò quia nil magis belluinum, quàm hominem homini lupum eſſe, vitámque crudeli bellorum ſævitia eripere; dupliciter ſumi ſolet: primò pro ipſo conflictu, quo, nudatis, diſtrictiſque gladijs caſtra caſtris conſeruntur, curvantúrque modò in cornu lunatæ militum turmæ, modò faſtigiantur in obeliſcos, modò dividuntur in forpicem, modò acuuntur in cuneum; modò confuſa, ac promiſcua militum turba, ſe feriunt homines cæſim, punctim, eminus, cominus, & utrinque funditur ſanguis, cadúntque plures enecti: ſecundò ſumitur pro tempore, quo in militia ſumus *l. bello ff. de captiv. & poſtlim.* Definitur autem bellum *legitima defenſio adverſus offenſionem imminentem, vel procedentem ex publica, vel privata cauſa:* quia ubi nulla eſt læſio injuſta, ibi nulla poteſt defenſio cenſeri, quæ bellum juſtificet. Hinc bellum ex natura ſua non eſt illicitum, adeò ut ſubinde licitum ſit, bellum gerere, ſi adſint conditiones, quibus conſtituitur juſtum; ſúntque *auctoritas legitima, cauſa juſta, intentio recta.* Poſſe bellum eſſe licitum, & honeſtum, ex eo liquet, quia DEUS in ſcripturis nonnunquam bella imperavit; & certum eſt, DEUM non poſſe malum jubere, nec eſſe authorem peccati. Quòd verò imperaverit bella liquet *Judic. 3.* ubi habetur. *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in ijs Iſraëlem, & omnes, qui moverant bella Cananeorum. & poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi:* quæ verba non ſimplicem promiſſionem, ſed abſolutam DEI voluntatem ſignificant. 1. Reg. 15. *Hæc dicit Dominus exercituum: recenſui quæcunque fecit Amalech Iſraëli, quomodo reſtitit ei in via, cùm aſcenderet de Ægypto. Nunc ergò vade, & percute Amalech, & demolire univerſa ejus, non parcas ei:* ubi DEUS non ſolùm permiſit, ſed etiam imperavit bellum: & cum DEUS non poſſit imperare niſi licita, & honeſta, ſequitur, bellum poſſe honeſtum, ac licitum eſſe. Tum quia DEUS non ſolùm bella imperavit, ſed etiam ſpeciale auxilium contulit præliantibus; quinimò & pro ipſis etiam aliquando pugnavit Exod. 17. *Cùm levâſſet Moyſes manus, vincebat Iſraël.* Deut. 1. *Nolite metuere, neque timeatis eos, Dominus DEUS, qui ductor eſt veſter pro nobis, ipſe pugnabit.* Si igitur DEUS opus fert præliantibus; ſi prælium docet; ſi pugnat ipſe pro hominibus, ſequitur manifeſtè, prælium non eſſe ex natura ſua illicitum. 1

Poteſt igitur bellum eſſe licitum, vel illicitum: illud eſt, quod ex edicto geritur de rebus ſuis repetundis, aut hoſtium propulſandorum causâ: vel quod propter defenſionem ſuam, vel ſuorum, quatenus exigit hoſtium 2

teme-

temeritas, ſuſcipitur, *l. ut cùm ff. de juſtit. & jure.* Bellum injuſtum eſt, quod geritur ſine juſta cauſa; & quinque modis poteſt contingere: primò ratione rei, ut ſi non ſit de repetendis rebus, nec pro defenſione patriæ *c. 2. 23. q. 2.* Secundò ratione cauſæ, ut ſi voluntariè non ex neceſſitate geretur. Tertiò ex animo, ut ſi ſt inferetur ad vindictam. Quartò ſi non fiat authoritate Principis. Quintò ratione perſonæ, ut ſi ſit eccleſiaſtica, cui non licet ſanguinem fundere laſ. *l. ex hoc jure ff. de juſt. & jur.* Hoſtienſis in *Rubric. de Treug. & pace.* Rurſus bellum aliud eſt aggreſſivum, ſeu offenſivum; & aliud defenſivum: illud eſt, quo alius impetitur: defenſivum verò, quo quis ab impetente ſe tuetur vim vi repellens; & hæc armata inſurrectio, ad tutelam, & propriam defenſionem pertinet; non ad aggreſſionem.

3 Prætereà in bello varia poſſunt opera conſiderari: ſcilicet ipſa actio bellandi, quæ Clericis omninò prohibetur, & omnes functiones, quæ per Clericos, vel Religioſos poſſunt in bello obiri, ut comitari exercitum ad cauſas militares de jure tractandas; ad annonam miniſtrandam, ſumptúſque bellicos ſuppeditandos, vel ad conſilium circa bellica negotia pro eccleſiæ militate præbendum *c. ex multa de voto. c. quòd hortatur 13. quæſt. 8.*

4 Item poſſunt Clerici comitari exercitum ad miſſarum ſolemnia peragenda, & ſacramenta militibus adminiſtranda; vel etiam ad reliquias Sanctorum geſtandas: ſolemne ſiquidem erat olim apud Gallos in bello deferre cappam S. Martini, ait Walfridus Strabo *De rebus Eccleſiaſt. c. ult.* ibi: *Dicti ſunt primitùs Capellani à cappa B. Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoria in prælys ſolebant ſecum afferre, quam ferentes, & cuſtodientes cum cæteris Sanctorum reliquijs, Clerici Capellani cœperunt vocari*, ſcilicet à cappa S. Martini. Licitum itidem eſt Clericis, & Religioſis aſſiſtere bello aggreſſivo, ſine tamen pugna: hinc plures Epiſcopi ſub Crucis vexillo nomina dederunt militiæ in varias expeditiones cruciatas contra Sarracenos, & Hæreticos, ut refert Gretſerus *tom. 1. de Cruce, & lib. 2. in Apologet. pro expeditionibus cruciatis.* neque Clerici aſſiſtentes, imò & hortantes milites ad ſtrenuè pugnandum abſque tamen ſpecifica ſanguinis effuſione ullam contrahunt irregularitatem *c. Maximianus 23. quæſt. 3.*

5 Certum eſt, pugnantes in bello injuſto, vel ijsdem cooperantes, ferentéſque qualecunque auxilium, ſive arma ſuppeditantes, ſive eorum ſarcinas cuſtodientes, ſive hortantes ad pugnam, vel quovis alio modo adjuvantes, & incitantes, tametſi ipſi ſuis neminem manibus occidant incurrere irregularitatem, ſive Clerici ſint, ſive Laici. *c. ſicut dignum 6. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, puniendos eſſe non eos ſolùm, qui occiderunt, ſed etiam qui fuerunt aſſociati animo occidendi, licèt non occiderint; vel animo ſolùm defendendi occiſorem; & illos etiam, qui incitârunt ad homicidium in communi, vel ad hoc in particulari, & qui cuſtodierunt ſarcinas occidentium, occupârunt bona occiſi, communicârunt in executione homicidij, conſilium dederunt, vel auxilium.

Ratio eſt, quia quotiès plures communi 6
auxilio, vel conſilio concurrunt ad aliquod homicidium omnes ſuadentes, auxiliantes, cooperantes, conſulentes conſtituunt veluti unam cauſam moralem, quia omnes influunt in homicidium, quod committitur, ut notat Gloſſa *in d. c. ſicut dignum* non ſolùm gladio, & facto, ſed etiam conſilio, præcepto, ſuaſione, auxilio: hinc hæc irregularitas non contrahitur ex defectu perfectæ lenitatis, ſed ex delicto, ſeu homicidio injuſto: dummodo aliquo pacto influant in homicidium injuſtum, quia ſine influxo ſaltem morali non habetur ratio cauſæ in actu ſecundo; quapropter aſſiſtentes in bello injuſto ad componendos animos, promovendam pacem, & adjuvantes milites in ſpiritualibus non fiunt irregulares. Quòd ſi in bello injuſto, nulla fieret hominis occiſio, nec mutilatio, milites, qui tali bello nomina dederant, non fierent irregulares; quia ad contrahendam irregularitatem non ſufficit ſola intentio occidendi, aut mutilandi; ſed requiritur actus externus completus; adeò ut neque inchoatus ſit ſufficiens, niſi exprimatur in jure: quia pœnæ jure impoſitæ propter delictum non incurruntur, niſi delictum conſummetur.

Videtur tamen in contrarium obſtare *c.* 7
Clerici 5. cauſ. 23. q. 8. éſtque textus deſumptus ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 7.* ibi: *Clerici, qui in quacunque ſeditione arma volentes ſumpſerint, reperti, amiſſo ordinis gradu in monaſterio pœnitentia causâ trudantur.* Sed hic textus nullum faceſſit negotium, quia pœna ibi impoſita non eſt propriè irregularitas, ſed potiùs ſuſpenſio, non ipſo jure lata, ſed per Judicem imponenda; idque infertur ex illo verbo *trudantur:* quia Clerici per ſententiam debent ſuſpendi ab executione ordinis ob grave ſcandalum datum, cum arma ſumpſerint in in publica ſeditione, tametſi nullum commiſerint homicidium. Hinc prohibentur Clerici in bello munera obire Ducis, Strategi, Præfecti militum, quamvis bellum ſit juſtum; & ipſi Clerici nullius ſanguinem fundant, neminem occidant, vel mutilent, quia non decet Clericum bellicam exercere artem, ut deſumitur ex *can. Apoſtol. Concil. Chalcedon. can. 7.* ubi expreſsè dicitur: *Eos, qui ſemel in clero cooptati ſunt, & monaſticam vitam expetiverunt, ſtatuimus nec ad malitiam, nec ad ſæcularem dignitatem venire; aut hoc audentes, nec pœnitentiam agentes, ut ad id revertantur, quod propter DEUM priùs elegerant, anathematizari.* In Concilio Andagavenſi 4. coacto anno 453. *can. 5.* hoc idem etiam ſtatuitur, ibi: *Si qui clericorum tradendis, vel capiendis civitatibus fuerint interfuiſſe detecti; non ſolùm à communione habeantur alieni; ſed nec conviviorum quidem admittantur eſſe participes.*

Ratio

Digitized by Google

8 Ratio deſumi poteſt ex averſione, quam habet Eccleſia ad humani ſanguinis effuſionẽ, adeò ut nulli Eccleſiæ Miniſtro licitum ſit humanum ſanguinem fundere, conſequenter neque arma tractare, nec deferre, qua ratione Eccleſia jam primis temporibus prohibuit Clericis dare nomen militiæ, ut habetur in *can. 83. Apoſtol.* ibi: *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, qui militiæ vacaverit, & ſimul utrúmq; retinere voluerit tam officium romanum, quàm functionem ſacerdotalem, deponitur; quæ enim Cæſaris ſunt, Cæſari dentur; quæ Dei, DEO.* Hinc etiam Ethnici ſuos ſacerdotes à bellis omnino arcebant, ut notat Lipſius *lib. 1. de milit. roman. dialog. 4.* Immo jure civili Flamini Diali claſſem præcinctam extra Pomerium, ſeu exercitum armatum, ne videre quidem fas fuit, referente Gellio *lib. 10. noctium attic. c. 15.* ubi addit hac ratione flamines rarò conſules creari, eò quia bella conſulibus mandarentur; immo è bello reduces non aliter ſacra contingere poterant, quàm præmiſſa purgatione. Idque ex eo firmari etiam poteſt, quia ſi ſanctitas loci ſacri DEO dicati ut Eccleſiæ, templi, Baſilicæ, tanta eſt, ut in eo homicidium quantumvis juſtum perpetrare, vel noxium ſanguinem effundere ſacrilegium ſit, inducátque templi pollutionem, quantumvis tale homicidium nonnunquam ex parte occiſi ſit DEO gratiſſimum, eò quia inde Martyr cœleſte ingrediatur capitolium: multò magis dedecet ſacerdotem militiam ſequi, humanum ſanguinem fundere, & homines occidere; ſiquidem intimiùs, & arctiùs nectitur perſona ſacerdotis cum ſacrificio, & Chriſti corpore, quàm nectatur templum, cùm hoc ſit mera circumſtantia extrinſeca inanimata, quæ nihil influit in ſacrificium; cujus ſacerdos eſt cauſa efficiens miniſterialiter, vel cooperans; quapropter majus eſt piaculum pollui ſacerdotem humano ſanguine, quàm templum: quòd ſi templum polluitur, nec in ipſo poſſunt ſacra peragi, ſi ſanguine humano pollutum ſit, ſeu in eo homicidium committatur: multò magis debet ſacerdos arceri à ſacris peragendis in altari, ſi in bello ſe humano ſanguine fœdaverit.

9 Tum quia ſi in diebus feſtis ob ſanctitatem temporis non eſt licitum belligerare, quamvis bellum juſtum ſit, ne ſcilicet effuſione humani ſanguinis diei ſanctitas quodammodo polluatur, ut deſumitur *ex c. 1. de treug. & pace.* multò magis debet quocunque tempore effuſio humani ſanguinis abhorrere à ſacerdote, ſeu perſona ſacra, cum intimiùs ſacerdos nectatur cum tali effuſione ſanguinis, quàm ipſe dies feſtus, qui nonniſi extrinſecè adjacet actioni: & ſacerdos eſt vera ejus cauſa efficiens: quapropter ſi non licèt die feſto belligerare, ne humani ſanguinis effuſione temporis ſanctitas fœdetur; multò magis prohibitum erit, ſacerdotes pugnare, homines mutilare, occidere; quapropter incurrunt irregularitatem, quantumvis bellum juſtum ſit; quinimò privantur etiam privilegio canonis; adeò ut eos percutientes non incurrant excommunicationem, ut deſumitur *ex cap. contingit c. in audientia de ſent. excommun.* ut notat Sayrus *lib. 3. theſaur. c. 27. n. 1.* quinimò ſi Clerici pugnantes in bello deceſſerint, non juvantur Suffragijs Eccleſiæ, ut habetur in Concilio Tribürenſi celato *in c. quicunque 24. q. 8.* ubi habetur: *quicunque Clericus, aut in bello, aut in rixa, aut in gentilium ludis mortuus fuerit; nec in oblatione, neque in oratione pro eo poſtulatur: ſed in manus incidat Judicis, ſepulturâ tamen non privetur.* Hæc autem conceſſio ſepulturæ admittitur ex ſuppoſitione, quòd ante obitum eos pœnituerit, ac piè obierint. Hactenus tamen dicta procedunt de Clericis pugnantibus in bello juſto tantùm aggreſſivo, & offenſivo.

10 Cæterum in bello defenſivo, juſto, & neceſſario, & inevitabili, ſi Clerici, vel etiam Religioſi pugnent ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, tametſi ſanguinem fundant; immo & occidant, non incurrunt irregularitatem, quia licitum eſt cuilibet neceſſitate adactus vim vi repellere: hac ratione pro defenſione patriæ adigi poſſunt Clerici ad peragendas vigilias in muris; immo licèt juxta ſacros canones Eccleſia non poſſit incaſtellari, ſeu converti in propugnaculum, vel arcem contra hoſtem *c. ſanctorum 10. q. 2.* ut communiter docent *in c. cum Eccleſia de immunit. Eccleſ.* nihilominus in bello defenſivo licitum eſt, uti Eccleſia pro arce, ut docent Suarez *tom. 2 de relig. lib. 3 c. 4. n. 17.* Layman *lib. 4. ſum. c. 7. tractat. 10. n 8.* Si igitur bellum ſit juſtum, & defenſivum tantùm, non aggreſivum, & curſus neceſſarium, & inevitabile, & non adſint laici, qui patriam poſſint defendere contra injuſtum aggreſſorem, qui ferro, & igne intendat omnes delere: in iſto caſu, ſi Clerici, & Religioſi ſe defendant, nolíntque patriæ excidium, & propriam mortem expectare, non incurrunt irregularitatem, ſi pugnantes cum moderamine inculpatæ tutelæ hoſtes mutilent, & etiam occidant, quia jure naturæ licitum eſt vim vi repellere, & propriam tueri vitam, ac omnia illa adhibere media, quæ neceſſaria ſunt ad conſervationem vitæ: ſupponuntur enim tunc Clerici, vel Religioſi non poſſe fugere, & ex duobus unum eſſe ijſdem neceſſarium, vel mori cum patriæ excidio, vel pugnando ſe defendere; quia tunc urget neceſſitas omninò inevitabilis, & deſunt laici, qui poſſint patriam contra hoſtes defendere, vímque illatam propulſare; cum omnibus prærecenſitis circumſtantijs poſſunt Clerici, & Religioſi pugnare ſine metu irregularitatis, tametſi proprijs manibus hoſtes occidant: ratio eſt, quia talia homicidia ſunt tunc neceſſaria ad defenſionem propriæ vitæ, & aliud non ſuppetit eis medium declinandi mortem, cùm fugere non poſſint, ut notat Abbas in *c. petitio 24. h. t.* & communiter Canoniſtæ apud Fagnanum ibid *n. 2. & ſequent.*

11 Quòd ſi Clerici, & Religioſi poſſint abſtinere à pugna, eò quia ſunt laici, qui poſſint

pug-

pugnare, tunc ſi Clerici pugnantes alios mutilarent, vel occiderent, fierent irregulares, & deciditur *in d. c. petitio 14. h. t.* ubi Honorius III. reſeribit: Clericus, qui contra inimicos Chriſtianorum, ut Sarracenos pugnat cum alijs, & hine inde multi interficiuntur, ſi dubitet, aliquem interfeciſſe, ex eo quòd aliquos percuſſerit, in tali dubio abſtineat, ut irregularis: ratio eſt, quia quamvis Clerici poſſint alios hortari ad pugnam in bello juſto contra hoſtes *c. ut prædam 17. cauſa 23. q. ult. c. Adrianus. 22. diſt. 63.* non tamen in propria perſona poſſint pugnare, quia officium Clericatûs eos reddit inhabiles ad pugnandum *c. ex multa 9. §. fin. de voto.*

12 Hinc Clerici in bello juſto defenſivo evitabili tamen quoad ipſos, & non neceſſario, eò quia non deſint laici, qui poſſunt hoſtes propulſare; ſi pugnent, alios mutilent, & occidant, non ſolùm peccant, ſed etiam incurrunt irregularitatem, quia licèt poſſint Clerici alios hortari ad pugnam in bello juſto defenſivo contra hoſtes, non tamen licitum eſt illis, proprijs manibus pugnare; ſi ad id neceſſitas omninò inevitabilis eos non adegerit. Ut enim Clerici ſine metu irregularitatis poſſint pugnare, debet intervenire neceſſitas, non qualiscunque, ſed ſumma, & inevitabilis: quia in bello licèt defenſivo canones non approbant ultroneum Clericorum concurſum ad bellandum: quia pugna abhorret à ſtatu clericali, & eſt graviter mala, niſi neceſſitate inevitabili excuſetur, & deſint alij, qui poſſint militaria munia obire, & vim aggreſſoris propulſare: ſiquidem extra hanc inevitabilem neceſſitatem peccant lethaliter Clerici, & fiunt irregulares, ſi bellicis negotijs ſe implicent; quia canones arcentes clericos à bello non minùs vigent in bello defenſivo, quàm offenſivo: & ratio deducitur ex natura ſtatûs clericalis abhorrentis ab effuſione humani ſanguinis.

13 Omnes verò, qui in bello juſto offenſivo, ſeu aggreſſivo per ſe homines occidunt, vel mutilant, incurrunt irregularitatem, non ita ſi proprijs manibus humanum ſanguinem non effundant, nec mutilent, nec occidant, quamvis alij id præſtent, & deſumitur ex *c. ſi quis 4.* juncta Gloſſa *V. militaverit, diſt. 51.* Neque urget, ſi dicas, in bello juſto pugnantes non peccare, proinde non incurrere irregularitatem, cùm hæc ſit pœna, quæ debet delictum ſupponere. Nam contra eſt, quia tametſi mutilantes, & occidentes in bello juſto, etiam aggreſſivo non peccent, adhuc tamen fiunt irregulares, quia irregularitas tunc non incurritur ex delicto, ſed ex defectu perfectæ lenitatis, à qua juſtitiæ cauſa non excuſat, ſi cædes, & homicidia contigerint. Quòd ſi pugnantes in bello juſto aggreſſivo non mutilent, nec occidant, nec humanum ſanguinem effundant, non fiunt irregulares, tametſi alij id præſtent quia in bello offenſivo juſto milites licitè, & juſtè pugnant; unde ſi per ſe non occidant, nec mutilent ex nullo capite incurrunt irregularitatem: non defectu perfectæ lenitatis, quia ipſi proprijs manibus non ſupponuntur ſanguinem fundere: neque ratione delicti, quia pugnare in bello juſto non eſt peccatum, & qui non fundunt ſanguinem, non ſunt cauſa proxima homicidiorum, & mutilationum, quæ ab alijs fiunt; ſed tantùm adjuvant, quatenus componunt cum alijs unum corpus, ſeu exercitum.

Nec obſtat, quòd cùm alijs conſtituant 14
unam totalem cauſam moralem, quia licèt id verum ſit, quia tamen dant operam rei licitæ, ideò jus canonicum noluit ut pugnantes in bello juſto, fierent irregulares; niſi propria manu mutilent, & occidant: alioquin nimis multi fierent inhabiles ad ordines, qui propterea retraherentur à bellis juſtis, ut notat Avila *diſp. 6. ſect. 3. n. 2. reſp. ad 1.* Hinc Præfecti exercitus, Strategi, bellique Duces incitantes in bello juſto milites ad fortiter pugnandum, ſi directè, ac determinatè non provocent ad occidendum, non fiunt irregulares, quia ſimplex incitatio ad pugnam eſt actio juſta, & indifferens: hinc nec Clerici fiunt irregulares, ſi in bello juſto hortentur milites ad ſtrenuè pugnandum; quia directè non provocant ad cædes, ſed tantùm ad fortiter pugnandum, quod eſt licitum, & juſtum in bello juſto, quapropter nonniſi remotè, & per accidens concurrunt ad homicidium; niſi incitent ad hunc, vel illum hominem in particulari occidendum.

Major difficultas inter Canoniſtas eſt, an 15
in caſu dubio debeat quis irregularis judicari, vel non. In dubio neminem eſſe cenſendum irregularem, docent Innocentius *in c. ad audientiam 12. h. t.* Covarruvias *in clement. ſi furioſus h. t. 1. p. init.* Navarrus *in c. ſi quis autem de pœnit. diſt. 7.* Garcia *de beneſic. p. 7. c. 1. n. 10.* Ugolinus *tractat. de cenſur. c. 4. §. 2. n. 3.* Alij cenſent, tantùm in foro interiori in caſu dubio eſſe aliquem cenſendum irregularem, eò quia probi hominis ſit ibi culpam timere, ubi ſola eſt culpæ ſuſpicio *c. fin. 5. diſt. c. 2. de obſer. jejun.* non ita in foro externo; quia in caſu dubio poſſeſſio ſtat pro poſſidente, ut notat Joannes Andreas in *c. ad audientiam 12. h. t.*

Alij diſtinguunt inter irregularitatem pro- 16
venientem ex homicidio, & alijs cauſis; & dicunt, quòd ſi proveniat ex homicidio, tunc dubitantem teneri ſe gerere ut irregularem, & id deſumunt *ex d. c. ad audientiam 12. h. t.* ubi Clemens III. de quodam Clerico, qui caſu vulneraverat famulum, reſcribit, quòd ſi Clericus ſit dubius, an famulus ex vulnere occubuerit, non debeat miniſtrare in ſacris, eò quia in dubio tutior ſententia ſit eligenda: ſin autem irregularitas ſequatur ex alijs cauſis, tunc dicunt, dubitantem non eſſe cenſendum irregularem, ita docent Diana *p. 4. tract. 4. reſol. 93.* Layman *p. 2. moral. lib. 1. c. 5. § 4. n. 39.* Bonacina *de cenſur. diſp. 7. q. 1. punct. 5.* Barboſa *in d. c. ad audientiam n. 3.* Hoc enim eſt ſpeciale in hac irregularitate, ut etiam in dubio locum habeat, ſi irregularitas oriatur

tur ex homicio, eò quia canones *in d. c. ad audientiam 12. h. t.* & in alijs locis hanc irregularitatem imponunt etiam pro homicidio dubio; eò quia in dubio ſupponitur, Clericum non adhibuiſſe omnem diligentiam ad evitandum homicidium; ac proinde fuiſſe in culpa, ut alius occubuerit.

17 Alij meliùs diſtingnunt in dubio facti, & juris; an ſcilicet irregularitas ſit juris, ſeu inflicta pro certo delicto; vel ſit dubium tantùm facti, & tunc contingit, quando dubitatur de facto, propter quod irregularitas imponitur, an commiſſum ſit: & dicunt, in dubio facti, quando ſcilicet certum eſt, irregularitatem in aliquo caſu eſſe jure inductam; & dubium eſt, an hic, vel ille homicidium commiſerit, vel fuerit cauſa illius, tunc in utroque foro interno, & externo eſſe cenſendum irregularem, ut notat Covarrovias in *clement. ſi furioſus h. t. in princ. p. 1, n. 3.* & alij Canoniſtæ communiter *in c. ad audientiam 12. h. t.* ratio eſt, quia in dubio facti tenetur quis ſe gerere ut irregnlarem in utroqne foro interno, & externo, quia Clemens III. in *c. ad audientiam* reſcribit, Clericum dubitantem, an ex vulnere, quo caſualiter ſuum famulum vulneraverat, ſi is occubuerit, teneri ſe abſtinere à ſacris peragendis, & addit etiam rationem, quia in dubio tutior ſententia ſit eligenda, & loquitur Pontifex de utroque foro interno, & externo, cùm prohibeat, Presbyterum illum miniſtrare in ſacris: tum quia quod in foro interno eſt licitum, vel illicitum; tale etiam cenſetur in foro externo, quia ubi non proceditur ex ſola præſumptione, forum internum non diſcrepat ab externo; & in dubio facti forum externum non fundatur in præſumptione: ſed eodem modo ſupponitur res eſſe dubia, ſicut ſupponit forum conſcientiæ, proinde qui judicatur irregularis in foro conſcientiæ, debet etiam in fnro externo talis judicari. Præterea quia illa communis regula: quòd in dubijs tutior pars ſit eligenda, vera eſt, & procedit in utroque foro ob periculum incurrendi peccatum: tum qoia quòd Clericus dubius de homicidio à ſe commiſſo abſtineat à ſacris peragendis, nullum incurrit peccandi periculum contra prohibitionem legis: ſin verò dubius miniſtret in ſacris ordinibus, ſe exponit tali periculo violandi irregularitatem; proinde ut tutiùs procedat, tenetur ſe abſtinere à tali miniſterio.

18 Sin verò dubiom non ſit facti, ſed juris, hoc eſt, ſi quis certus ſit de tali actione à ſe commiſſa, dubitet tamen, an eidem actioni ſit irregularitas à jure impoſita, tunc in neutro foro dubitans cenſetur irregularis; ídque deſumitur *ex c. is qui 18. de ſent. excommun. in 6.* ubi dicitur, quòd irregularitas non incurritur, niſi id ſit in jure expreſſum: proinde non incurritur, quando dubitatur, an jure ſtatuta ſit irregularitas, ſiquidem quod cenſetur dubium, non creditur expreſſum. Præterea, quia canones inducentes irregularitatem, quando dubitatur de homicidio ſunt præſertim tres *in c. ad audientiam 12. c. ſignificâſti 18. c. petitio 24. h. t.* hi autem canones loquuntur de dubio commiſſi homicidij, proinde de dubio facti; & quia irregularitas impoſita per tales canones eſt pœna, non debet extendi ad dubium juris, ſed reſtringi ad ſolum dubium facti. Tum quia licèt irregularitas procedat ex facto, ut ex radice, vel occaſione: per ſe tamen oritur ex jure, à quo illa ſtatuitur, & ſine quo non habetur; unde ſi jus ſit dubium, vel incertum, non poteſt irregularitatem inducere: at licèt factum ſit dubium, adhuc poteſt jus eſſe certum, quod ſtatuat in tali dubio facti irregularitatem: hinc liquet, quomodo ex dubio facti incurratur irregularitas orta ex homicidio, non ita in dubio juris; quia quando jus non eſt certum, ſed tantùm dubium, nulla ſit illi injuria, tametſi contrarium fiat, nec ullum ſubeſt morale periculum violandi legem: quod tamen periculum habetur, quando jus eſt certum, & factum tantùm dubium.

19 Cæterum hæc regula, quòd in dubio ſit tutior pars eligenda, an cenſendus ſit irregularis, qui dubitat de homicidio à ſe commiſſo, ſi certus ſit de jure eſſe homicidio impoſitam irregularitatem, procedit ſpecialiter in irregularitate homicidij, non verò in alijs irregularitatibus, in quibus nec in dubio juris, nec in dubio facti neceſsè eſt, ut quis partem tutiorem ſequatur, ut cenſent plures cum Suarez *diſp. 40. de cenſur. ſect. 6 n. 8.* quia in dubijs Reus eſt abſolvendus, & ex *reg. 125. §. de reg. jur.* favorabiliores habendi ſunt Rei, quàm Actores, & ſi Actor nil probet, Reus abſolvendus eſt *c. unic. ut Eccleſ. benefic. ſine diminut. confer.* Quandn verò dubitatur de ipſo facto, delictum non eſt probatum, proinde Reus debet abſolvi, quamvis altera pars etiam ſit dubia, materia autem irregularitatis cùm ſit odioſa, non debet extendi ultra caſus in jure expreſſos ſine evidenti neceſſitate; neque ob ſimilitudinem rationis: ratio eſt, quia lex in pœnis injungendis non ſolùm dependet à ratione, ſed etiam à voluntate Legislatoris imponentis talem pœnam.

20 Immo non deſunt, qui cenſeant, dubium de homicidio à ſe commiſſo non incurrere irrégularitatem niſi ob dubium practicum, quo ſtante eligendum eſt, in quo nullum timetur peccatom; non verò de dubio ſpeculativo excludente omnem aſſenſum: ſtante enim dubio tantùm ſpeculativo, poteſt quis perquàm probabiliter judicare ob rationes ſibi valdè probabiles ſe non incurriſſe irregularitatem, quia innixus ijsdem rationibus probabilibus poteſt deponere dubium, & nullum incurrere animæ periculum.

21 Supereſt difficultas orta ex *c. petitio tua penult. h. t.* ubi Honorius III. declarat, ſacerdotem, qui exivit è caſtro contra aggreſſores illius, & ob plurium occiſionem quærebat, num eſſet irregularis, reſcripſit Pontifex; non eſſe irregularem, ſi eum non remordeat conſcientia de aliquo homicidio, unde Pontifex videtur

tur declarare, ſacerdotem illum in dubio facti non eſſe irregularem; eò quia ut reſpondent plutes cum Covarruvia in *element. ſi furioſus p.* 2. *§. 3. n. 2. h. t.* ſacerdos exjerit è caſtro contra Saracenos in propriam deſenſionem. Verùm hæc ratio non ſatisfacit, quia ut occiſio ob defenſinnem non inducat irregularitatem, requiritur, ut ſervetur modeiamen inculpatæ tutelæ, ut habetur in *d. element. ſi furioſus h. t.* atqui id non videtur procedere in bello defenſivo, in quo milites toto conatu irruunt in hoſtes, & procurant illis inferre totum illud majus damnum, quod poſſunt.

22 Reſpondetur igitur, Honnrium III. in *d. c. petitio penult. h. t.* tantùm reſcripſiſſe, ſacerdotem illum non eſſe irregularem, ſi ſua ipſum conſcientia non remorderet de homicidio commiſſo in tali conflictu: ait Pontifex: *Mandamus quatenus ſi de interfectione cujuſquam in illo conflictu tua conſcientia te remordeat, miniſterio altaris abſtineas reverenter, cùm ſit conſultiùs in hoc dubio abſtinere, quàm temerè celebrare:* hinc colligitur, non debuiſſe Presbyterum illum ſe reputare irregularem, niſi eum conſcientia remorderet de interſectione alicujus, proinde niſi eſſet dubius, eò quia in dubijs tutior pars eligenda ſit: communiter enim Canoniſtæ explicantes præfatum textum explicant illa verba, *niſi tua conſcientia te remordeat*, idem ſignificare, ac ſi dixiſſet, niſi dubites de homicidio à te commiſſo: quæ tamen explicatio poſſet difficultatem pati, quia cùm Pontifex dixerit, ſacerdotem illum non debuiſſe ſe reputare irregularem, niſi eum conſcientia remorderer de interſectione alicujus, non videtur Pontifex intellexiſſe, niſi ſacerdos ille dubitaret de homicidio à ſe commiſſo: quia in dubijs conſcientia non remordet, ſed ſolum in certis, aut quaſi certis, quia remorſus conſcientiæ in eo conſiſtit, quòd conſcientia redarguat de maleſactis, & hæc redargutio ſupponit maleſactum: hinc D. Chryſoſtomus *homil. 20. in c. 4. Geneſ.* ait: *quis enim iſtam die obſecro talem ad confeſſionem adegit? certè nullus alius, quàm conſcientia, & incorruptus ille Judex. Nam ſimul, ac in peccatum declinaverat, & opere perfecerat malum conatum, ſtatim ſurrexit conſcientia, inclamánsque, & oſtendens peccatorum magnitudinem.*

23 In dubio autem hæc non procedunt, quia non adeſt, quod redarguatur, proinde tunc conſcientia non remordet. Tum quia Pontifex *in d. c. petitio tua* non dicit eſſe irregularem, ſi eum conſcientia remordeat de exceſſu defenſionis; adeò ut non ſit obſervatum moderamen inculpatæ tutelæ, ſed abſolutè dicit, ſi eum conſcientia non remordeat de alicujus interſectione: ratio etiam eſt, quia in bello etiam defenſivo non poteſt habere locum moderamen inculpatæ tutelæ; non enim poteſt diſcerni quouſque pertingere debeat neceſſaria defenſio, nec habetur ad hanc ulla ratio, cum toto conatu impetantur hoſtes. Tum quia cùm Clericus *in d. c.* fuerit è caſtro egreſſus cum alijs, non videbatur talis pugna ampliùs defenſiva, ſed offenſiva; nec talis Presbyter potuit ſervare moderamen inculpatæ tutelæ, cùm potuerit in caſtro manere, & pugnam declinare.

Quòd ſi objicias textum deſumptum *ex cap. ad audientiam 12 h. t.* ubi Clemens III. diſponit, Clericum dubium de homicidio à ſe commiſſo debere, ſe ut irregularem gerere, & non miniſtrare in ſacris. Reſpondent, Pontificem diſponere de homicio propriè dicto; & nomine talis homicidij intelligi occiſionem crimionoſam, ut notant Zerola *p. 1. prax. V. irregularitas §. 8.* Sayrus *lib. 6. de cenſur. c. 19. n. 16.* Navarrus *in manual. c. 27. n. 240. V. nota*, quamobrem cum occiſio in belllo juſto non ſit criminoſa, ſed juſta, & licita, non continetur ſub diſpoſitione, quâ dubius de homicidio debeat ſe irregularem cenſere. 24

Si objicias alium textum deſumptum *ex c. petitio penult. h. t.* ubi Honorius III. expreſsè declarat, dubium de homicidio à ſe commiſſo teneri abſtinere, ut irregularem à ſacris peragendis. Reſpondent, Pontificem ibi non loqui de dubio abſoluto, ſed de tali ſpeciali dubio, ait enim Pontifex, *cùm ſit conſultiùs in hujuſmodi dubio abſtinere, quàm temerè celebrare:* ex quo inferunt, Pontificem non loqui abſolutè de eo, qui dubitat, an in bello defenſivo occiderit: ſed de dubio ſibi in illo ſpeciali caſu propoſito, in quo dubitabatur; an qui egreſſus è caſtro pugnaverat contra aggreſſores, quorum plures occiſi ceciderant, deberet ſe ut irregularem gerere: & Pontifex reſpondet, in hujuſmodi dubio conſultiùs eſſe ſe abſtinere à celebratione ſacrorum, non quidem abſolutè, ſed ſi eum conſcientia remorderet de alicujus occiſione. Rectè dixit Pontifex conſultiùs eſſe ſe abſtinere, cùm in foro externo non conſtiterit, an revera aliquem occiderit, & ideo relinquitur ſuæ conſcientiæ, & conſulitur, quòd abſtineat, ſi ſua ipſum conſcientia remordeat de aliquo homicidio. Ex quo colligitur militem, qui in bello juſto nunquam cum globulo exploſit, non contraxiſſe irregularitatem; tametſi plures enecti ceciderint, quia cùm exploſio ſui ſclopi globulo vacui neminem potuerit occidere, & gladio neminem mutilaverit; nec occiderit, certus eſt, neminem à ſe fuiſſe occiſum, proinde non poteſt conſcientia eum remordere de alicujus occiſione, nec tenetur ſe gerere, ut irregularem. 25

§. VIII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

Quæritur primò, cur irregularitas jure impoſita ſit pro occiſione, quæ fit in bello defenſivo, & non pro occiſione, quæ fit in propria privata defenſione? Reſpondetur, quia in bello etiam defenſivo hoſtes occiduntur authoritate publica, proinde intenditur à militibus eorundem occiſio; & ad hunc finem pugnam ineunt, ut illos tanquam 1

quam nocentes communitati deleant: quæ ratio eſt, ut licitum ſit eos interficere, quia ut docet D. Thomas *2. 2. q. 64. art. 2. in corp. & ad 3.* licitum eſt homini privato authoritate publica interficere malefactores, eò quia tunc exerceat officium Miniſtri Reipublicæ; quapropter eſt etiam licitum cuique militi intendere hoſtium interfectionem: hinc occiſio in bello tanquam intentata, & authoritate publica facta inducit irregularitatem ex defectu lenitatis, quia eo ipſo, quòd quis homicidium intendit; & hoc contingit, incurrit irregularitatem. Secus in occiſione ob privatam defenſionem, quia Occiſor non intendit injuſtum aggreſſorem occidere ſaltem primariò, & directè; ſed tantùm propriam vitam tueri; ſéque defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ, ideò ſi non poſſit aliter conſervare propriam vitam, niſi occidendo aggreſſorem; hæc occiſio cùm non fuerit intenta primariò, & directè, ſed contigerit præter intentionem, non habet annexam irregularitatem.

2 Quæritur ſecundò, an qui manifeſtat alteri adventum ſui hoſtis, quem intendit occidere, contrahat irregularitatem, ſi nuntiato adventu contingat homicidium? Reſpondetur, eſſe procedendum cum diſtinctione; vel enim, qui manifeſtavit alteri adventum ſui inimici, ſciebat ſuam intentionem eum occidendi, vel non. Si primum contrahit irregularitatem, eò quia ex eo, quòd manifeſtaverit adventum inimici, fuit cooperatus ejus homicidio, ut docent Felinus *in c. ſicut dignum 20. h. t.* Suarez *de cenſur. diſp. 43. ſect. 2. n. 1* & deſumitur ex *c. ſuſcepimus* 10. *h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd qui ad defendendum ſua, ligant latrones, & alter ligantium, ne deinde interimeretur, latrones occidit, ſimul peccant, & fiunt irregulares: & ratio eſt, quia cùm ſciret intentionem ſibi committentis talem denuntiationem; denuntiando dedit operam rei illicitæ, & graviter peccavit, quia fuit cauſa, & cooperator talis homicidij; ſiquidem talis denuntiatio fuit cauſa, cur citiùs iret ad inimicum, eúmque occideret, quod inducit irregularitatem, quia ut reſcribit Alexander III. in *c. de cætero 11. h. t.* qui dat cauſam homicidio, non poteſt promoveri ob irregularitatem, quam incurrit.

3 Sin verò monens adventum inimici neſciebat intentionem occidendi; adhuc eſt diſtinguendum, vel ſciebat inimicitiam, & non voluntatem occidendi, & tunc etiam fit irregularis, quia tametſi neſcierit intentionem occidendi, ſciebat nihilominùs inimicitiam, & quia homicidium contigit; ideò per ſuam denuntiationem in cauſa, & culpa fuit talis homicidij, quia fuit cauſa ut Nuntiatarius fieret ad occidendum paratior, & debuiſſet id conijcere ex inimicitia: unde cùm dederit cauſam homicidio, ſubintrat diſpoſitio *in c. de cætero 11. h. t.* per quam ſtatuitur irregularitas contra dantem cauſam homicidio: vel qui nuntiavit adventum, neſcivit intentionem nuntiatarij, & tunc non fit irregularis: quia homicidium tunc reſpectu nuntiantis ſequitur omninò per accidens, & præter intentionem: ſiquidem nuntiare ſimpliciter adventum alicujus non eſt per ſe illicitum, ſed licitum; proinde non habet adnexam irregularitatem, idque etiam deſumitur ex *c. lator. 11. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, homicidium purè caſuale ſine culpa non impedire, quin aliquis ordinetur. Et *cap. ex litteris 14. h. t.* ubi Innocentius III. declarat, dantem operam rei licitæ, ſi adhibitâ diligentiâ aliquis interficitur, non fieri irregularem, niſi contra eum grave ſcandalum oriatur, ex quibus, & alijs textibus homicidium non imputatur ei, qui non fuit in culpa, nec dedit operam rei illicitæ, conſequenter hic non fit irregularis, ſi per accidens ſequatur homicidium; qui autem neſcit malam intentionem jubentis nuntiare adventum alterius, nec ſcit inimicitiam; ex eo, quòd præcisè, & ſimpliciter nuntiet illi ejus adventum, non eſt cauſa homicidij; quia nuntiatio præcisè, & ſimpliciter ſumpta non eſt ma a, nec inductiva ad occidendum; nec ullam habet connexionem per ſe cum ipſa occiſione.

Quæritur tertiò, an licitum ſit occidere invaſorem, ſi ex ejus morte ſequatur notabile damnum Reipublicæ, eò quia ſit perſona valdè neceſſaria? Reſpondetur, communiorem, & probabiliorem ſententiam docere, non eſſe tunc licitum occidere talem invaſorem, quando ex ejus morte reſpublica grave pateretur detrimentum: ratio eſt, quia bonum publicum præferendum eſt bono privato, unde tunc teneretur invaſus mortem potiùs ſubire, quàm occidere invaſorem cum tanto damno boni communis: hoc enim, vel ipſa natura nos docet, cùm ne detur vacuum, quod eſſet maximum damnum univerſi, elementa ipſa, quaſi propriæ oblita naturæ è ſuis ſedibus contra innatam ſibi propenſionem moveantur, ut gravia ſurſum, levia deorſum. 4

Cenſet tamen Bannez *de juſtit. q. 64. art. 7. concluſ. 2.* occidere invaſorem ad propriam tuendam vitam cum moderamine inculpatæ tutelæ non eſſe peccatum contra juſtitiam commutativam per comparationem ad inimicum occiſum: ſed tantùm eſſe peccatum contra charitatem, & pietatem contra patriam, & contra juſtitiam commutativam per comparationem ad Rempublicam, cui maximum infertur tunc damnum. 5

Alij tamen cum Wisfeldio de injuriis, & damno dato *c. 1. q. 5. concluſ. 6.* cenſent, neminem obligari ad permittendum potiùs ſe occidi, quàm interficere invaſorem, eò quia ejus mors detrimentum inferret Reipublicæ; quia lex naturalis dictat eſſe vim vi repellendam: & jura non diſtinguunt; & ubi leges non diſtinguunt, nec nos debemus diſtinguere *l. pretio §. de publ. in rem action.* & hæc ſententia mihi videtur valdè conſona rationi: quia cùm propria defenſio ſit juris naturalis, convenit unicuique ubique, & ſemper, & contra quemcunque, quia natura homines æquales fecit: jus autem naturæ eſt fortius jure poſitivo huma- 6

no,

no, quaptopter licèt perſona ſit publica, & reipublicæ neceſſaria, ſi hæc injuſtè aliquem invadat, quem nitatur occidere; ſi invaſus nnn poſſit aliter mortem declinare, quàm invaſorem occidendo, putârim poſſe in tali caſu ſervato moderamine inculpatę tutelæ injuſtum invaſorem occidere ad proptiam vitam defendendam, ſi alius mndus non ſubſit elabendi è periculo: neque tunc læditur chariras, quia cùm hæc ordinata ſit, incipit à ſe ipſo. Si tamen poſſet invaſus invaſotem debilitare, vel leviter ferire, ut noo poſſet oncere, teneretur abſtinere ab illius occiſione; alioqnin excederet juſtum moderamen, & grave damnum Reipublicæ inferret.

7 Quæritur quattò, ao invaſus ſe defendere poſſit cum periculo mortis alicujus innocentis? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi invaſos poſſit, licèt cnm periculo, & incommodo, tunc ſe tueri; adeò ut poſſit ſimul propriam, & innocentis vitam ſervare, tenetur id præſtare, quia innocens eſt juſtus poſſeſſor ſuæ vitæ: unde ſi invaſus ad ſe tuendum fugeret, & per viam eſſet ad tales adactus anguſtias, ut deberet, vel proſequendo fugam occidere jacentem in via pnerum; vel ſiſtendo pugnare cum invaſore cum aliquo ſuo periculo, teneretur ſervare vitam innocentis, quia puer jacens in via, vel dnrmiens eſt juſtus poſſeſſor ſuæ vitæ, & viæ, ſeu loci communis, in quo jacet, ſicut ille fugiens. Sin verò invaſus oon poſſet alitet mortem evadere, quàm occidendo innocentem, tunc poſſet innocentem occidere, quia invaſus habet jus ad fugam pet viam publicam; quo jure non poteſt privari in tanto diſcrimine ratione innocentis: ſicuti ſi fugienti amens quiſpiam obviaret, eúmque detineret, & interim ejus inimicus veniret, ut illum occideret, poſſet tunc amentem detinentem occidere ad toendam ptoptiam vitam, ſi aliud ei medium non ſuppeteres conſervandi propriam vitam: quiſque enim tuendo propriam vitam utitur jure ſuo, dummodo id juſto modetamine præſtet.

8 Quæritur quintò, an licitum ſit occidere contumelioſum, quando aliter non poteſt ea injuria arceri? Plures affirmant eum Petro Navarra *de reſtitutione lib. 2. c. 3. n. 346.* Gaſpare Hurtado *de juſtit. & jure diſp. 11.* obi ait, licitum eſſe læſo, eum occidere, qui contumelijs gravibus illum afficit, ſive verbis, ſive ſignis, quando non poteſt aliter honor defendi, cui ſententiæ adhæret Layman *lib. 3. tractat. 3. p. 3. c. 3. n. 3.* Ratio, quâ hæc ſententia nititur, quia ratio natutalis dictat, licitam eſſe eam defenſionem, quæ neceſſaria eſt ad contumeliam depellendam, & comprimendam; alioquin daretur ania hnminibus improbis viros probos contumelijs vexandi; quæ ramen plerúmque acerbiùs torquent, quàm affligant damna rei familiaris.

9 Potâtim tamen cum communiori ſententia nunquam licitum eſſe, contumelioſum ob ſola convicia occidere, ut docent Diana *tractat. 5. de homicidio reſol. 12.* Leſſius *lib. 2. c. 9. dub. 12. n. 78.* Molfeſius *in ſum. tom. 1. tractat. 11. c. 19. n. 74.* tatio eſt, quia convicia poſſunt propulſari alijs cnnvicijs: ſicut enim, qni alium pugnis tantùm invaderet, ſi invaſus gladio ſe defenderet, id minimè ipſi licitum eſſet, quia excederet in moderamine inculpatæ tutelæ, quia pugnus non eſt ad inducendam mortem, ſicut gladius: ita qui motte convicia vindicaret: unde ſicut vis, quæ fit gladio, propulſatut gladio, ita quæ fit verbis, debet ſolis verbis repelli. Tum quia leges tantùm loquuntur de defenſione neceſſaria in vita, & corpore; & quando proferuntur convicia, nlla infertur vis corpori, neque vita periclitatur; proinde propter ſola verba non poteſt invaſus contumelioſum occidere.

10 Neqne eſſet tunc invaſus prodigus propriæ famæ, quam negligeret tueri: nam ad tuendam propriam famam non eſt neceſſè tunc contumelioſum occidere, ſed ſufficit publicè oſtendere falſa eſſe, quæ contta ipſum contumelioſus evulgavit, tunc enim conſulit propriæ famæ, & ſimul ſervat vitam invaſoris.

11 Neque obſtat, ſi dicas, honotem, & vitam paribus incedere paſſibus, & æquiparari *l. juſtitia 9. ff. de manumiſſ. vind. l. iſti quidem 8. §. penult. ff. quod metus cauſa infam. 8. C. de Decur.* Nam falſum eſt, honorem æquiparari vitæ quoad coovicia, & contumelias; ſiquidem vita ſemel ablata nunquam reparatur: honor verò revera non aufertur per convicia illa ſaltem apud homines probos, & prudentes: & ſi lædatut, adhuc poteſt reſarciri: & non deſunt remedia, qoibus honor ooſter ab alio læſus poſſit reparari, præſertim per actionem ad recantationem: quamobrem quando jura dicunt, honorem, & vitam paribus ambulare paſſibus, id intelligitur, quatenus otriusque accurata, ac diligens habenda ſis ratio; eò quia utriusque jactura gtavis ſit; ac proinde ab utroqoe periculum imminens avertendum ſit; diverſimodè tamen, quia vitæ poſſumus cooſulere vim vi repellendo, & ſi non poſſit invaſus aliter proptiam tueri vitam, quàm occidendo invaſorem; dummodo id præſtet cum juſto moderamine, eſt illi licitum: ſecus famæ, & honori conſulimus litem, ſeu actionem inteodentes apod Judicem *inſtit. de injur.* oon enim quisque debet ſibi ipſi jus dicere, ſed tenetor legitimis remedijs jus ſuum proſequi; hoc eſt per viam actionis apud Judicem *l. extat 13. ff. quod metus cauſa l. creditores 7. ff. ad leg. Jul. de vit. privat.*

12 Hinc Religioſi non poſſunt ſuum honotem defendere occidendo calumniatorem, & ctimina gravia de ſua religione, vel de ſe ipſis ſpargentem, & id declaravit ſacra Congregatio Indicis, in qua Cardinales poſt multa diſcuſſa, & aodita cenſuerunt, ſententiam Amici docentis, licitum eſſe Religioſis aliquando occidere calumniatorem ſpargentem gravia crimina de ſua religione expungendam eſſe *ex tom. 5. de juſtit. diſp. 36. ſect. 7. n. 118.*

13 Rationes plures videntur eſſe. Primò quia occidere calumniatotem ſpargentem gravia

crimina de ſua religione non eſt defenſio cum juſto moderamine, quia calumniator offendit verbo, & Religioſus ſe defendit gladio, vel veneno.

14 Secundò, quia non eſt licitum ſtatim occidere eum, qui minatur damnum aliquod etiam grave inferre, conſequenter nec erit licitum occidere eum, qui minatur infamare.

15 Tertiò quia non licet eum occidere, qui paratus eſt falſum teſtimonium contra aliquem dicere, vel illum falsò apud Judicem accuſare, quamvis alio modo obviare non poſſit accuſationi falſæ, ut communiter docent cum Diana *3. p. tract. 5. reſol. 97.* unde multò minùs erit licitum viris religioſis occidere calumniatorem gravia crimina de ſua religione ſpargentem, cùm non deſint alia media conſulendi proprio honori, accuſando calumniatorem apud Judicem, ut adigatur honorem reſtituere: hinc talis occiſio non eſſet defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ, cùm plures alij modi ſuppetant ad evitandam infamiam præter occiſionem calumniatoris.

16 Quartò quia viri graves, & prudentes non ſolent fidem præſtare detractoribus, præſertim ſi perſonis religioſis honorem detrahant; judicant enim, eos ex paſſione, vel ex alia cauſa injuſta calumnias illas ſpargere; vel res ipſas exaggerare, & ex muſca prægrandem elephantem fingere.

17 Quintò quia tametſi viri prudentes, & graves talia ſaltem ex parte crederent, adhuc non eſſet licitū viris religioſis calumniatorem occidere, cùm ſuperſint plura alia media ad tollendam hanc ignominiam.

18 Sextò, quia quæ ſunt ex ſe, & ab intrinſeco prohibita, ut vulnera infligere, homines occidere, non poſſunt eſſe licita niſi urgente inevitabili neceſſitate tuendi propriam vitam: at quando injuria illata conſiſtit in ſolis verbis, poteſt etiam per ſola verba propulſari, vel etiam per litem, & actionem coram Judice. Tum quia verba contumelioſa lædunt tantùm extrinſecum honorem; homicida autem intrinſecè tollit vitam, quæ ſemel amiſſa non poteſt ampliùs reſarciri.

19 Quæritur ſextò, an pro defenſione pudicitiæ licitum ſit occidere invaſorem? Reſpondetur, communiorem ſententiam id affirmare, eò quia ſi licitum ſit vim vi repellere in re magni momenti; & cum pudicitia ſecundùm ſe magni æſtimetur, imò pluris, quàm divitiæ; ideò licitum erit ad tuendum proprium honorem, & pudicitiam violentum invaſorem occidere. Tum quia in violatione pudicitiæ magnum poteſt eſſe peccati periculum, cùm facilè ſic tunc aſſentiri peccato. Verùm putârim probabiliùs non eſſe licitum, invaſorem occidere, eò quia talis defenſio non ſit cum juſto moderamine; poteſt enim puella invaſa alio modo ſe defendere, vel fugere, & quamvis non poſſet fugere, adhuc poſſet non aſſentiri peccato, unde beata Lucia ad impium Tyrannum affirmantem ſe eam ad lupanar ductūrum, ut ibi à juvenibus ſtupraretur: *non inquinatur*, inquit, *corpus, niſi de conſenſu mentis, violentia tua mihi duplicabitur ad coronam.*

Ratio eſt, quia pudicitia eſt virtus animi, 20
habétque comitem fortitudinem: onde cum virtus ſit animi, conſiſtit in animi conſenſu; quapropter ſi in impudicitiàm non conſentitur, non amittitur pudicitia; & cùm comitem habeat fortitudinem, debet potiùs quis ex fortitudine quælibet mala citra culpam, & mortem tolerare: quàm hominem interimere ad vitanda mala. Hinc neque licitum eſt, ſe ipſum interimere ad defendendam propriam pudicitiam, quia ſine divina authoritate non eſt licitum ſe ipſum directè, ſeu ex intentione perimere, eſt enim contra illud præceptum *Exod. 20. non occides*, ubi prohibetur occiſio cujusvis hominis ſine legitima authoritate: & homo non habet authoritatem in ſe ipſum, cùm non ſit ſe ipſo ſuperior.

Secundò quia adverſatur etiam illi præcepto; 21
diliges proximum tuum ſicut te ipſum, ubi dilectio noſtri conſtituitur menſura dilectionis proximi; & ſicut non licèt occidere proximum ſine authoritate publica; ita nec ſe ipſum.

Tertiò quia ſe ipſum occidens injuriam facit Reipublicæ; 22
quia illâ invitâ, veluti quoddam ipſius membrum abſcindit, & quamvis Reſpublica non habeat dominium in ſuos cives, ſicut Dominus in ſervum; habet tamen jus quoddam illis utendi in rebus neceſſarijs.

Quartò quia ſe interimens injuriam quandam DEO facit, quatenus rem, quæ ſoli DEO 23
ſubjicitur, abſque legitima authoritate deſtruit, ſiquidem ſolus DEUS, ut dicitur *Sapientiæ 16.* vitæ, & necis poteſtatem habet: Ordo autem naturalis rerum exigit, ut ſicut ea, quæ ſunt homine inferiora, ipſius poteſtati ſubjiciantur; ita quæ non ſunt illi inferiora, ut eſt propria vita, quæ nonniſi DEO ſubjicitur, non poteſt homo ijsdem uti ea deſtruendo, prout ipſi magis libuerit.

Neque obſtat, quòd Eccleſia colat S. Apolloniam, 24
quæ ſe ipſam in rogum injecit, & plures alios Martyres, qui directè ſe ipſos occiderunt, ut fœminæ illæ, quæ cùm ad Tyrannum eſſent adducendæ, ſe in flumen præcipitaverunt, ne pudicitiam amitterent, de quibus ſcribit Euſebius *lib. 8. c. 12. & 17.* Palladius etiam *c. 150. hiſtoria Lauſiaca* aliam quandam fœminam laudat, quæ cùm accerſeretur à Tyranno, ſe ipſam interfecit ad tuendam propriam pudicitiam.

Nam reſpondetur dupliciter poſſe excuſari. 25
Primò quia id fecerint ex divina inſpiratione, ut notat D. Auguſtinus *lib. 1. de civitate c. 26.* & hac ratione excuſat etiam Samſonem *c. 21.* hinc S. Apollonia, & aliæ fœminæ, quæ pro defenſione Pudicitiæ ſe occiderunt, & coluntur, ut Martyres, divino inſtinctu id egerunt.

Secundò poſſunt fortaſſis fœminæ faciliùs 26
excuſari per ignorantiam inculpabilem: ſiquidem ſe occidere ob patriæ ſalutem, vel ad tu-

endam

Goog

endam propriam pudicitiam oon eſt ita evidens, quòd ſit ita intrinſecè malum, ut non poſſit incolpatè ignorari, & putari licitum, cùm non ſolùm Ethnici, ſed etiam plures Chriſtiani ad tuendam propriam pudicitiam ſe ipſus interfecerint, ut Bernardinus Schardeonius de antiquitate Urbis Patavij *lib. 2. claſſ. 14.* refert de qoadam Iſabella Bavignana poella agreſti, quæ cùm Maximilianus Auguſtus agrum Patavinum excurſionibus devaſtaret, poella cùm ooo poſſet aliter manus militum effugere, propriámque tueri pudicitiam ſe ſe de ponte Corvo in adjacentem fluvium præcipiti ſalto dimiſit, & pudicitiam ſuam DEO commiſit: & dum propoſiti ſui tenax à militibus, qui aderant adjuvari recuſaret, maluit abſorpta à fluvio ſuffocari, quàm à militibus cum detrimento pudicitiæ liberari. Hæ & aliæ, quæ ſe ipſas ad tuendam propriam pudicitiam interemerunt, excuſari poſſunt per ignorantiam inculpatam.

27 Cæterum nunquam licitum eſſe videtur, ſe ipſam, vel invaſorem occidere ob tueodam pudicitiam, cùm hoic non cooſentienti nullum inferatur damnum culpæ. Quòd ſi periculum adeſſet conſentiendi peccato; tunc potiùs mors eſſet eligenda invaſoris, qoàm peccatum: quinimò ſunt, qui cenſeant, poſſe ſœminam, quæ vi opprimitur, ab alio juvari, & ipſius adjutorem non peccaturom, etiamſi occideret invaſorem, ſervato tamen juſto moderamine; eò quia jure naturæ licitum ſit juvare innocentem vim, & injuriam patieotem. Verùm hoic ſententiæ non adhærerem, quia invaſori non ſolùm per occiſionem vita temporalis eriperetur, verùm etiam excluderetur à vita æterna, quia in peccato occiſos eſſet æternùm damnandus; & poſſet alio modo ionocentem liberare, vulnerando tantùm noo occidendo invaſorem.

28 Quæritur ſeptimò, an dari poſſit caſus, ut licitum ſit innocentem interficere, Certum eſt, ſimpliciter, & præcisè nunquam eſſe licitum innocentem occidere, quia homo non habet dominium in vitam alterius, adeó ut homo non poſſit hominem interficere, niſi ob neceſſariam ſui defenſionem com moderamine ioculpatæ tutelæ, vel publica authoritate ob criminum punitionem, oe vitia graſſentur impunita cum reipublicæ detrimento: hinc D. Auguſtinus *lib. 1. de civit. c. 17.* aſſerit, gravius eſſe delictum innocentem occidere, quàm peccatorem, & DEUS *Exod. 23.* præcepit, innocentem oon occidi, inquiens: *inſontem, & juſtum non occides; quia averſor impium*: unde impietas eſt, ſimpliciter, & præcisè innocentem occidere.

28 Quòd ſi dicas, poſſe rempublicam exponere vitam ſuorum civium ob communem ſalutem, proinde etiam cives aliquos quamvis innocentes pro publica ſalute interficere.

29 Coorra eſt, quia tantùm ad publicam defenſionem poteſt reſpublica vitam expooere ſoorum civium, qoi jure naturæ teoentur patriam defendere; ex hoc autem non ſeqoitur, poſſe rempublicam innocentes occidere ob patriæ ſalutem: quia id periode eſſet, ac directè velle mortem innocentis, qood eſt per ſe malum, oec ſit licitum ex eo, quia referatur ad ſalutem patriæ: alioquin licitum etiam foret ſacramenta profanare ad talem finem, ſi Tyrannus id præciperet, & aliàs minaretur publicum excidium. Aliud eſt directè ioiendere mortem innocentis, & aliod tantùm indirectè, & præter inteotionem eum interficere: qui in bello juſto urbem obſidiooe vallatam expugnant, poſſunt tormentis bellicis turrim demoliri, tametſi certò ſciant in illa detineri pueros, & poellas iooocentes, quia tunc explodentes tormenta bellica directè tantùm intendunt turrim illam demoliri; qnòd verò ex tali exploſiooe, & demolitiooe turris ioterficiantur plures inoocentes, id ſequitur indirectè, & præter intentiooem: alioquin ſi id non eſſet licitum, nuoquam poſſeot urbes expugnari, quia poſſent cives pueros, puellas, & reliquam imbellem turbam collocare ſuper moros, & propugnacula, quæ expognantur, ſi enim obſidentes ooo poſſent, nec iodirectè innocentes illos occidere, nec poſſent explodere tormenta contra moros illos, vel propugoacula, cùm certi eſſent, quòd ex tali exploſione plures occiderent innocentes.

30 Si dicas *4. Reg. c. 10.* virus Samariæ occidiſſe 70. filios Achab ob timorem belli, quod Jehu illis minabatur: & illam occiſionem Deo placuiſſe. Reſpondeot plures interpretes, Jehu ſignificâſſe viris illis Samariæ, voluntatem DEI eſſe, ut progeniem Achab delerent: unde cùm obedierint DEI præcepto per Jehu ipſis manifeſtato, non peccârunt, quia DEUS eſt vitæ, necíſque omnium Dominus. Hæcque expoſitio firmari etiam poſſet, quia *paralip. c. 22.* habetur, quòd DEUS unxerit Jehu, ut deleret domom Achab. Cæterum ſi tota Reſpublica ultimum deberet excidium pati, niſi aliquis innocens occideretur, adeò ut Tyrannos mioaretur ferro, & igne totam urbem delere, nec ulli parcere, niſi aliquis innocens interficeretur, valdè probabile putârim; poſſe tunc Rempublicam talem innocentem tradere Tyranno; quia reſpublica ad quodvis debitum, ſibíque oeceſſarium virtutis officium poteſt ſubditum civem tradere alteri.

31 Quinimò teneretur innocens ſe ipſum tradere Tyranno pro ſalute patriæ, ſi hæc alia ratione oon poſſet ſalva eſſe: quia non ſolùm tenetur quis pro comuni ſuæ Reipublicæ ſalute mortem oppetere; verùm etiam quia tunc civis ille quantumvis innocens in ſe, incipit tamen eſſe valdè noxius toti Reipublicæ, quia ob ejus cauſam debet tota Reſpublica perire, ultimúmque pati excidium, ideóque ceoſetur eſſe cauſa moralis communis excidij: & quia Reſpublica habet jus declinandi periculum ultimi excidij, & ſe defendendi, ſi aliud medium ei non ſuppetat ad tale excidium declinandum, quàm tradere Tyranno innocentem; poteſt in propriam defenſionem tradere Tyranno innocentem civem etiam invitum, quia tunc

Reſ-

Reſpublica directè tantùm intendit ſervare propriam ſalutem, ad quam habet jus: quòd poſtea ſequatur mors innocentis, eò quia traditur Tyranno eum petenti, id per accidens ſe habet, & mors innocentis indirectè, & præter intentionem Reipublicæ ſequitur. Immo Tannerus *tom. 3. diſp. 4. q. 8. dub. 4. n. 54.* addit, poſſe tunc Rempublicam innocentem illum occidere, ſi contumaciter detrectet adire Tyrannum, à quo petitur, quia tunc non eſt ampliùs innocens, ſed vel maximè nocens toti Reipublicæ, eò quia ſit cauſa moralis ejus ultimi excidij.

33 Quæritur octavò, an Clericus ſcribens proceſſum in cauſa ſanguinis excuſetur ab irregularitate? Certum eſt, non pertinere ad Clericum ſcribere acta in cauſa ſanguinis, quia ſcribere ejuſmodi acta eſt cooperari, & influere in mortem alterius, quod perinde eſt, ac incurrere irregularitatem: quo pacto etiam Notarius, qui acta conficit, & ſcribit dicta teſtium, incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, ut notat Gloſſa *in c. 1. V. ad ſacerdotium diſt. 57.* Reſpondetur igitur cum diſtinctione; ſi Clericus ſcribat hujuſmodi acta, ut ſubſtitutus Notarij publici, & mors ſequatur, incurrit irregularitatem, quia tunc agit perſonam ipſius Notarij, qui cooperatur ad ſententiam ſanguinis tanquam perſona publica, quæ dat vim ipſis actis, quæ influunt in ſententiam ſanguinis, ut deſumitur ex *epiſt. 24.* Innocentij III. & refertur in *c. 1. diſt. 51.*

34 Quòd ſi objicias textum *in cap. ſententiam ne Clerici, vel Monachi*, ubi prohibentur Clerici, ſolùm dictare, aut proferre ſententiam ſanguinis, non verò ſcribere acta; ſiquidem dicitur expreſſè, *ſententiam ſanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat*, & pœnalia non eſſe extendenda, ſed potiùs reſtringenda, proinde Clericum tantùm ſcribentem proceſſum in cauſa ſanguinis non incurrere irregularitatem.

35 Contra eſt, quia nomine ſententiæ intelligantur etiam ipſa acta, cùm ex eorundem viſceribus trahatur, & in ijſdem contineatur, adeò ut ſcribere acta in cauſa ſanguinis perinde ſit, ac ſcribere ſententiam, cùm hæc in illis contineatur ſaltem virtualiter; quapropter notat Gloſſa ibid. *V. ſententiam*, quòd prohibeantur etiam omnia ea, ex quibus ſequitur, vel poteſt ſequi ſanguinis effuſio, vel amiſſio, Quinimò *in d. c. ſententiam* non ſolùm prohibentur Clerici dictare, & proferre, ſed etiam ſcribere in cauſa ſanguinis, dicitur enim, *nec quiſquam Clericus litteras dictet, aut ſcribat pro vindicta ſanguinis deſtinata*, ſed cùm in cauſa ſanguinis Clericus ſcribit proceſſum; ſcribit procul dubio aliquid deſtinatum pro vindicta ſanguinis. Quòd ſi ſanguis non effunderetur, eò quia Reus fugâ ſe ſubtraheret, tunc probabilior ſententia eſt, Clericum illum non incurrere irregularitatem, eò quia hæc non incurritur, quando res, cui eſt annexa, ſuum non ſortitur effectum, ut docent communiter Canoniſtæ in *c. ſententiam ſanguinis ne Clerici, vel Monachi*, & in *c. ad audientiam de homicid.* & ratio deſumitur ex eo, quia fundamentum irregularitatis ſit ipſum homicidium, quod quamvis juſtum; adhuc habet annexam irregularitatem ob defectum perfectæ lenitatis: hinc deficiente fundamento, ſeu homicidio, vel effuſione ſanguinis non incurritur irregularitas, eſt enim communis ſententia, non incurri irregularitatem, niſi ſequatur effectus, quamvis aliàs homicidiũ fuerit attentatum, & per attentantem non ſteterit, quin ſequeretur.

Quæritur nonò, an abſcindens alicui au- 36
res, vel naſum, fiat irregularis: Certum eſt, ob ſolam membrorum mutilationem incurri irregularitatem, ut deſumitur ex *c. Clericus 5. ne Clerici, vel Monachi*; & mutilationem propriè eſſe amputationem alicujus membri humani corporis, adeò ut ad mutilationem non ſufficiat ſola vulneratio, neque ſi pars aliqua carnis abſcindatur; quia caro propriè non dicitur membrum humani corporis: eſt membrum propriè ſumptum, quod peculiarem functionem, & diſtinctum officium habet à cæteris corporis partibus, ut oculus ad videndum, auris ad audiendum, naſus ad olfaciendum: idque colligitur ex *l. idem 10. in princ. ff. de ædilit. edict.* ubi digitus dicitur pars membri, & non totum membrum; hinc Apoſtolus *1. ad Corinth. 12.* ſcribit: *Omnia membra corporis non eundem actum habent*, ex quo colligitur, illa propriè eſſe membra, quæ diſtinctis funguntur officijs in humano corpore, & diverſas exercent operationes: & cùm præſens materia irregularitatis ſit pœnalis, & odioſa reſtringi debet ad membrum propriè, & ſtrictè ſumptum, adeò ut pro mutilatione, cui eſt adnexa irregularitas, intelligatur amputatio alicujus membri propriè, & ſtrictè talis, ut docent Covarruvias *in element. ſi furioſus unic. h. t. p. 3. in princ. n. 8.* Navarrus *in manual. c. 27. n. 206.* & juxta hanc ſententiam poſſet reſponderi, eum non fieri irregularem, qui alteri aures amputavit, vel naſum, eò quia pars illa aurium, vel naſi abſciſſa ſit tantùm quædam cartilago ejuſdem membri, non verò totum membrum, adeò ut, cui abſciſſæ ſunt aures quoad partes externas, adhuc poſſit audire.

Tum quia partes illæ externæ, quæ ſunt 37
cartilagines talis membri, tantùm ſpectant ad ornatum, & cuſtodiam ejuſdem membri, auris ſcilicet, vel naſi, adeò ut per illam cartilaginem abſciſſam non deleatur ſenſorium, imò non eſt ipſa cartilago amputata, quæ ſenſationem exercet; proinde cùm non habeatur mutilatio propriè dicta; non incurritur irregularitas: ut nec etiam fieret irregularis, qui digitum abſcinderet alterius; quia digitus non eſt membrum, ſed tantùm pars membri, & non habet peculiarem operationem diſtinctam ab operatione manus, cui loco inſtrumenti deſervit in operando.

Nihilominùs alij cum Layman *lib. 3. tra-* 38
ctat. 3. p. 3. c. 11. contrarium aſſerunt, quia tametſi phyſicè, & juxta leges civiles pœnales nomine membri intelligatur membrum integrum;

rum; dicunt tamen juxta canones in ordine ad incurrendam irregularitatem, non requiri mutilationem integri membri, ſed ſufficere abſciſſionem partis ejuſdem, eò quia tunc talis abſciſſio dicatur abſolutè mutilatio, idque deſumitur etiam ex *clement. ſi furioſus unic. h. t.* ubi mutilans invaſorem, ſeu minuens notabiliter principale aliquod membrum fit irregularis, tametſi totum membrum non amputetur. Tum quia *in c. 1. de Clericis pugnantibus in duello* liquet, ad mutilationem in ordine ad incurrendam irregularitatem ſufficere diminutionem gravem alicujus membri, & in hac ſententia fit irregularis, qui cartilaginem auris, vel naſi abſcindit, quia multum præſtat ad organum auditûs, & odoratûs: ut etiam ſi quis tres majores digitos manus abſcinderet, non excuſaretur ab irregularitate, eò quia per talem abſciſſionem integritas corporis humani in principali parte organica, ſeu membro notabiliter diminuatur: Verùm licèt hæc ſecunda ſententia ſit tutior: prima tamen eſt valdè probabilis.

39 Quæritur decimò, an incurrat irregularitatem, qui mandat alteri amputare membrum alicujus ſui inimici? Reſpondetur affirmativè, quia ut deſumitur *ex clement. ſi furioſus unic. h. t.* ſi quis per ſe, & directè, vel indirectè mutilet, ſive per alium, incurrit irregularitatem, ſive mutilatio licita fuerit, ſive illicita, & ſive quis tantùm mandaverit, vel conſuluerit, aut ſuaſerit alteri mutilationem; quia ſemper cooperatur ſaltem moraliter ad talem mutilationem, cui annexa eſt irregularitas ob defectum perfectæ lenitatis.

40 Juvat obſervare, quòd licèt hæc irregularitas orta ex mutilatione jungatur cum illa, quæ oritur ex homicidio ob ſimilitudinem culpæ; differt tamen ab illa homicidij, ut quid imperfectum à perfecto; adeò ut, qui alium percutit, vel vulnerat animo tantùm mutilandi, & non occidendi, fiat quidem irregularis, non tamen titulo homicidij, ſed ſimpliciter, & præciſè ratione mutilationis, ſi hæc actu contigerit: unde ſicut ſunt duæ diſtinctæ irregularitates, ita non omnia, quæ jure ſtatuta ſunt circa irregularitatem homicidij voluntarij, extendi debent ad irregularitatem ortam ex ſola mutilatione. Hinc Suarez *diſp. 47. de cenſuris ſect. 5. n. 4.* docet, regulam ſervandam in materia irregularitatis, ut quæ jure ſtatuuntur circa irregularitatem homicidij, ſi pœnam diminuant, extendenda ſint ad irregularitatē mutilationis; non ita ſi pœnam augeant: è contra ſi jus diſponit aliquid circa irregularitatem mutilationis, quod rigorem contineat, id extendi debet ad homicidium: non quidem ob argumentum deſumptum à ſimili, vel à minore ad majus: ſed ob argumentum deductum à parte ad totum; eò quia mutilatio, vel formaliter, vel eminenter ſemper continetur in homicidio tanquam pars in toto, vel inchoatio in conſummatione: ſin verò irregularitas orta ex mutilatione favorem contineat, non extenditur ad illam homicidij, & ratio eſt perſpicua, quia cùm delictum minus mitiori pœna puniatur, non ſequitur, quod eâdem pœnâ debeat etiam puniri delictum gravius: alioquin pœna non proportionaretur delicto: hinc favor annexus irregularitati ortæ ex mutilatione non extenditur ad illam, quæ oritur ex homicidio.

41 Quæritur undecimò, an ſe ipſum mutilans fiat irregularis? Reſpondetur affirmativè, quia ſicut, qui alium mutilat, fit irregularis, ita etiam qui ſe ipſum: quinimò mutilatio quæ facta in alio non ſufficeret ad incurrendam irregularitatem, eadem ſufficit, quæ fit in ſeipſo: ut ſi quis digitum policem ſibi abſcinderet abſque neceſſitate, fieret irregularis: non ita ſi alteri eundem amputaret in ſententia probabili plurium: quia major atrocitas conjicitur in eo, qui membrum, vel partem membri ſibi ipſi præcindit, quàm alteri *c. qui partem. diſt. 55.* & docet Suarez *de cenſur. diſp. 44. ſect. 2. n. 10.* ubi duplicem diſtinguit mutilationem activam unam, paſſivam alteram, ratione cujus fit quis inhabilis ad congruum exercitium ordinis eccleſiaſtici ob defectum corporis, adeò ut ſine ſcandalo non poſſit miſſam celebrare, ſive à ſe, ſive ab alio fuerit deformatus. Hinc poteſt quis alium reddere irregularem eum percutiendo, vel vulnerando, tametſi non fiat ipſe irregularis, eò quia poſſit alterum inhabilem reddere ad miniſterium altaris peragendum ſine mutilatione; rurſus poteſt è contra contingere, ut irregularis fiat mutilans, non autem mutilatus, ut ſi quis invitus fiat ab alio Eunuchus: qui verò ita membrum læderet, vel debilitaret, ut inutile protſus fieret ad operandum, ſi illud non mutilaret, nec abſcinderet, non fieret irregularis: quia aliud eſt mutilare, & aliud debilitare, ſeu reddere inutile ad operandum: mutilatio enim dicit ipſius membri abſciſſionem, debilitatio autem non importat amputationem, ſed tantùm virium deſtitutionem: ita tamen ut membrum debilitatum adhuc maneat vivum: & quia canones imponunt irregularitatem tantùm homicidio, & mutilationi; & debilitatio non comprehenditur nomine mutilationis, ſequitur, quòd per talem debilitatem membri non fiat quis irregularis: quia irregularitas non incurritur, niſi jure ſit expreſſa. Tum quia ob ſolam debilitationem membrum non deperdit ſuam rationem membri, quamvis fiat inhabile ad operandum.

42 Quòd ſi dicas, paria eſſe, non eſſe, & inutile eſſe: reſpondetur, hanc paritatem tantùm valere quoad operationem, quia neutrum operatur; non autem quoad effectum irregularitatis contrahendæ. Quòd ſi ita quis membrum aliquod debilitaret, ut totaliter areſceret, & vitam amitteret, tametſi illud à reliquo corpore non abſcinderet, adhuc cenſendus eſſet irregularis, quia eſſet cauſa homicidij.

43 Quæritur duodecimò, quis poſſit in hac irregularitate diſpenſare? Reſpondetur ordinariè diſpenſationem in jure competere ſoli ſum-

ſummo Pontifici , quia ille ſolus eſt ſuper jus *clement. ne Romani in princ. de elect.* & quia omnis irregularitas in lege evangelica inducta eſt jure eccleſiaſtico , ideò poteſt Pontifex diſpenſare in omni irregularitate orta quomodocunque à quovis homicidio ſive publico , ſive occulto , ſive voluntario , ſive involontario : ex Concilio tamen Tridentino *ſeſſ. 24. de refor. c. 6.* & jure nuvo conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ortis ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario occulto , & alijs deductis ad forum contentioſum , de quibus in jodicio lis jam eſt inchuata. Hinc ſi irregularitas oriatur non ex homicidio , ſed ex ſola mutilatione tametſi voluntaria ; vel etiam ex homicidio culpabili non tamen voluntario poteſt Epiſcopus ſuper tali irregularitate diſpenſara, dummodo factum non ſit deductum ad forum contentioſum : & tunc dicitur factum adhuc occultum , quod non eſt propalatum , nec adeſt periculum , ut manifeſtetur ; tametſi unus , vel alter illud ſciat , ut notat Barboſa *in collect. ad d. c. 6.* Concilij Tridentini.

44 Quæritur tertiodecimò, an Epiſcopus poſſit diſpenſare ſuper irregularitate orta ax mutilatione voluntaria illicita, & occulta ; Ratio dubitandi eſt, quia cùm non poſſit diſpenſare in homicidio occolto directè voluntario ; ita videtur , nec poſſa diſpenſara in mutilatione. Verùm valdè probabile eſt , poſſe Epiſcopum diſpenſare in irregularitate ex ſola mutilatione illicita , & occulta , ut docent Soarez *diſp. 44. de cenſur. ſect. 2. n. 4.* Layman *lib. 3. tractat. 3. p. 3. c. 12. aſſer. 2.* qoia Concilium non excipit irregularitatem ex mutilatione , ſad tantùm ax homicidio voluntario : atqui motilatio non eſt homicidium , quia potaſt eſſe mutilatio ſine homicidiu : & mutilatio eſt delictum levius homicidio , proinde exceptio homicidij firmat regulam in alijs exceptis.

45 Præterea quia facultas diſpenſandi in omni irregularitate ex delicto occulto conceditur Epiſcopis ut facultas ordinaria , unde reſervatio , & reſtrictio illius , cùm ſit quid odioſum , & derogans poteſtati Epiſcoporum , non debet extendi ultra proprietatem verborum : & quamvis homicidium , & mutilatio in jure æqoiparentur in ordine ad incurrendam irregularitatem , non tamen quoad gravitatam culpæ , nec quoad diſpenſationem : & ita declaràſſe ſacram Congregationem , refert Gallemart. in dict. Concil. Trident. *c. 6. n. 9.* hinc cenſent plures, poſſe Epiſcopum etiam diſpanſare cum homicida occulto, qui non ex propoſito , & directè intenderat hominem occidere , ſed tantùm indirectè , & in cauſa , ut docant Suarez *de cenſur. diſp. 44. ſect. 1. n. 4.* Layman *lib 3 tractat. 3. p. 3. c. 12. n. 2.* quia tametſi tale homicidium non ſit merè caſuale , non tamen eſt ſimpliciter , & perfectè voluntarium, eò quia non fiat ex propoſito directè , & formaliter , ſad ſolùm ſit voluntarium indirectè in ſua cauſa ſecondùm qoid : unde probabile eſt , quòd à Concilio Tridentino non fuerit comprehenſum ſub exceptione homicidij voluntarij , ut ſi quis mulierem prægnantem incautè percuſſerit , & cauſavit aborrum : ſi quis tagulam è tecto improvidè projecit , & hominem tranſeuntem per plateam occidit : hi , & alij ſimiles committunt homicidium merè caſuale , quod non eſt in ſe directè , & formaliter voluntarium , ſed tantùm ſecundùm quid indirectè , & in ſua cauſa , adeò ut dicatur homicidium mixtum ex voluntario caſuali , & ut docet D. Thomas *2. 2. q. 64. art. 8.* probabilo eſt , Epiſcopum poſſe ſuper hac irregularitate orta ex homicidio occulto , & caſuali diſpenſara ad ſacros ordines ſuſcipiendos , vel ſuſceptos exercendos.

Quæritur qoartodecimò , an Epiſcopus 46
poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio occulto facto quidem defenſionis cauſâ , ſed cum exceſſu moderaminis inculpatæ tutelæ ? Reſpondetur cum Layman *lib 3. tract. 3. p. 3. c. 12. n. 2. aſſer. 3.* Navarro *lib. 5. conſil. 36. h. t.* affirmativè ; ratio eſt , quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 7. de refor.* concedit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irragularitatibus provenientibus ax delicto occulto , & ſolùm excipitur homicidium directè , & ſimpliciter voluntarium , ac illicitum : atqoi homicidium quod fit cauſa propriæ defenſionis , tametſi cum aliquo exceſſu incolpatæ tutelæ ; quamvis ſit illicitum ratione talis exceſſus , non tamen eſt ſimpliciter voluntarium ; qoia ſupponitur coactè commiſſum ob neceſſariam defenſionem , in qua occiſor tantùm peccavit quoad modum : & cum pœnalia , & odioſa ſint reſtringenda , non debet extendi ad homicidium occultum coactè commiſſum ob neceſſariam ſui defenſionem : debet tamen hojuſmodi homicidium eſſe occulrum , alioquin ſi eſſet publicum , non poſſet Epiſcopus in illo diſpenſare : quia Concilium tantùm dat facultatem diſpenſandi in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto.

Quòd ſi Clericus contra canonas in bello 47
juſto pugnaret , & propria manu aliquem occideret , probabile eſt , poſſe Epiſcopum diſpanſare , quia quamvis tale homicidium ſit illicitum contra prohibitionem juris canonici ob indecentiam ſtatûs , eſt tamen juſtom , & ſupponitur occultum , eò quia in illa confuſione pugnæ , nemo attendit , quid alius agar : & ſub exceptione homicidij voluntarij in decreto Concilij Tridantini excipitur ſolom homicidium injuſtum : quia homicidium juſtom propriè , & in rigore loqueado non eſt homicidium , quia non eſt crimen , ſed tantùm phyſica hominis occiſio.

Quæritur quintodecimò , an Epiſcopus 48
poſſit diſpenſare in irregularitate ortâ ex defectu perfectæ lenitatis , ut cum Judice condemnante Reum ad mortem , Accuſatore , Teſte ? Reſpondent plures affirmativè , præſertim Covarrovias *in clement. ſi furioſus unic. h. t. p. 1. §. 3. n. 7. in fin.* Navarrus in *manual. c. 27. n. 240. ver. 4.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 39. n. 47.* & alij plures , quos citat , & ſequitur

quitur

quitur Diana *part. 3. tractat. 1. reſol. 26.* Nituntur, eò quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 6. de reform.* tantùm excludat homicidium voluntarium, atqui nomine homicidij voluntarij intelligitur tantùm homicidium injuſtum contra quintum præceptum decalogi: ergò Epiſcopus poteſt diſpenſare in irregularitate orta ex defectu lenitatis. Verùm probabiliùs putárim, non poſſe Epiſcopum diſpenſare, quia in Concilio non datur facultas diſpenſandi Epiſcopis niſi in irregularitate proveniente ex delicto occulto: irregularitas autem orta ex defectu perfectæ lenitatis in Judice, Accuſatore, & teſte non deſcendit ex delicto, neque hujusmodi irregularitas eſt occulta, conſequenter facultas conceſſa Epiſcopis à Concilio non ſe extendit ad irregularitatem ortam ex defectu perfectæ lenitatis: ſiquidem diſpoſitio Concilij clarè, & expreſsè reſtringitur ad irregularitates ortas ex ſolo delicto occulto, à quibus etiam excipit irregularitatem ex homicidio voluntario, ait enim Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 6. de refor.* *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum, diſpenſare.* Ex quo textu conſtat, irregularitatibus, pro quibus conceditur facultas diſpenſandi, adijci qualitatem originis, ſeu quòd irregularitas oriatur ex delicto occulto, quo fit, ut diſpoſitio reſtringatur ad hoc tantùm genus irregularitatum; ſiquidem qualitas adjecta diſpoſitioni, cùm ſit veluti forma quædam determinans, quod venit in tali diſpoſitione, illam reſtringit, adeò ut ex vi ipſius excludatur, quidquid caret tali qualitate, ut notant Bartol. *in l. 4. §. prætor ait. n. 26. ff. de damno infect.* Felin. *conſil. 24. n. 23.* Surdus *conſil. 224. n. 23.* hinc qualitas adjecta declarat, quid veniat in diſpoſitione, ut tradunt Bartol. in *l. 4 §. quoties. ff. de damno infect.* Baldus in *l. proculus. ff. de uſufruct.* Alexander *conſil. 150. init. vol. 7.*

49 Hinc cùm Concilium adjecerit, ex delicto occulto, declaravit, de quibus expreſsè irregularitatibus intellexerit, ſcilicet de ortis ex delicto occulto voluntario. Hinc ad fundamentum primæ ſententiæ, reſpondetur, nomine homicidij voluntarij intelligi quidem homicidium injuſtum, non tamen utcunque, ſed ut occultum; & hoc excipitur in diſpoſitione Concilij, quia accipiendo homicidium voluntarium pro ſolo injuſto, exceptio irregularitatis ex tali homicidio facit, ut ſub regula comprehendatur quidquid per exceptionem non excluditur: atqui regula in diſpoſitione Concilij eſt, Epiſcopos poſſe diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, proinde eſt de certo genere irregularitatum, quæ ſcilicet oriuntur ex delicto occulto, ex quo genere Concilium per exceptionem excludit irregularitatem ortam ex homicidio voluntario, quamvis occulto: quapropter regula non eſt, poſſe Epiſcopos ſimpliciter diſpenſare in omnibus irregularitatibus, ſed tantùm in ijs, quæ oriuntur ex delicto occulto excepta illa, quæ oritur ex homicidio occulto voluntario, & alijs deductis ad forum contentioſum.

Quæritur ſextodecimò, an dubius de homicidio à ſe commiſſo ſit irregularis? Reſpondetur in dubio facti circa homicidium, vel concurſum ad illud, eum, qui dubitat, eſſe cenſendum irregularem, & deſumitur ex *c. ult. h. t.* & ex *c. ad audientiam 12. eod. tit.* quæ jura innituntur illi principio naturali, quòd in dubio tutior pars ſit eligenda, ex quo ſequitur, quòd in dubio facti circa homicidium, dubitans ſit cenſendus irregularis, & quidem in utroque foro, & deſumitur in *d. c. ad audientiam*, ubi Pontifex loquitur de dubio facti, & ait, ita dubitantem præſumi irregularem in foro externo, cum enim Pontifex utatur verbis illis, *ad Audientiam Apoſtolatûs noſtri pervenit*, loquitur Pontifex de homicidio dubio, & declarat in tali dubio, præſumi in foro externo irregularem eum, qui dubitat, à ſe commiſſum fuiſſe homicidium, ídque etiam colligitur ex ſequentibus verbis in eodem textu, ait enim Pontifex: *Poteris concedere* (ſcilicet in dubio facti) *quòd minoribus ordinibus ſit contentus.* In dubio verò juris non videtur cenſendus irregularis, quia jura ex ſolo dubio facti circa mutilationem impoſuerunt irregularitatem, & cùm ſimus in pœnalibus, pœna non eſt extendenda ad dubium de mutilatione. Tum quia mutilatio propriè non eſt homicidium, ſed tantùm ſecundùm quid, unde hæc irregularitas ſtatuta in dubio facti circa homicidium non extenditur ad mutilationem, quia pœna non eſt amplianda, ſed ſtrictè accipienda. Extra tamen ſpecialem caſum homicidij tam in dubio juris, quàm in dubio facti, nemo eſt cenſendus irregularis, ſi poſt diligentem inquiſitionem hæret anceps, & dubius: etenim de dubio juris non conſtat ex ullo jure ſtatutam eſſe irregularitatem in tali dubio, imò in *c. is qui de ſententia excommun. in 6.* habetur non incurri irregularitatem, niſi hæc ſit expreſſa in jure, proinde ubi eſt dubium juris, non procedit irregularitas, & integrum eſt dubitanti ſe potiùs abſolvere, quàm damnare, quoties jus eſt dubium. De dubio autem facti ſunt, qui cenſent, dubitantem teneri ſe gerere irregularem, eò quia in dubijs ſit tutior pars eligenda, *c. Petitio 24. h. t.* 50

Communior tamen ſententia, quæ probabilior eſt, cenſet, in tali dubio facti non eſſe tutiorem partem eligendam extra ſpecialem caſum homicidij, ſed meliorem eſſe conditionem poſſidentis ſuam libertatem, quando dubitat, an aliquid egerit, cui eſt annexa irregularitas, quod etiam procedit de dubitante, an voverit, juraverit, promiſerit aliquid, tuta enim conſcientia, ſi verè hæſitet, ut non poſſit judicare, ſe voviſſe, juràſſe, aut promiſiſſe, poteſt uti ſua libertate, ut docent Sotus *lib 7. de juſtit. q. 3. art. 2* Suarez *tom. 5. diſput. 40. ſect. 6. n. 8.* & alij aſſerentes in 51

utroque foro in dubijs eſſe quidem tutius eligendum ex vi præcepti, ſeu in caſibus à jure expreſſis: non ita in alijs non expreſſis, quia extra expreſſos in jure non eſt præceptum, ſed tantùm conſilium, ut in dubijs tutiorem partem quis eligat. Cùm igitur non extent jura, quæ definiant univerſalem regulam, in omni dubio facti eſſe neceſsè ex præcepto ſequi, quod eſt tutius; non tenetur, qui dubitat dubio facti ſe condemnare, ſed poteſt ſtare pro poſſeſſione ſuæ libertatis, ſéque abſolvere, quia nemo tenetur ſe ſpoliare ſuâ poſſeſſione, ac libertate quamdiu dubitat, niſi poſtquam conſtiterit eam perdidiſſe, ut docet Bellam. *diſp. 34. dub. 10. n. 85. & ſequent.*

52 Quæritur decimo ſeptimò, an qui occidit furem, à quo potuit aliter ſe liberare, incurrat pœnas homicidij? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. interfeciſti 2. h. t.* ubi habetur, quòd ſi quis interfecerit furem, aut latronem, qui comprehendi poterat absque occiſione per quadraginta dies privetur ingreſſu in eccleſiam, & abſtineat à cibis, thoro, gladio, & equitatu, ac jejunet tertiâ, quartâ, & ſextâ feriâ. Ratio ex eo petitur, quia tametſi licitum ſit cuilibet vim vi repellere, id tamen fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ *c. jus naturale diſt. 1. l. ut vim. ff. de juſtit. & jur.* qui verò furem, aut latronem interfecit, quem poterat ſine occiſione comprehendere, occidendo exceſſit fines moderatæ tutelæ, proinde cum non excuſetur à culpa, incurrit pœnas juris. Quòd ſi non potuit aliter ſe liberare, & ſine odio eum occidit, non imponitur ei pœnitentia, ſed Pontifex ſuadet, ut jejunet, & eleemoſynas elargiatur. Sin verò fuerit Presbyter, qui furem occidit, à quo non potuit ſe liberare, quamvis non deponatur, agit tamen pœnitentiam, quamdiu vixerit: Non deponitur autem, ut notat Gloſſa, quia non eſt formaliter homicida: fit tamen irregularis, quia debuit potiùs dimittere ſua, quàm illum occidere *c. ſuſcepimus 10. h. t.* verùm cum illo diſpenſatur ex miſericordia, ut habeat beneficium ſine executione Ordinis, ſi potuit ſe liberare: textus enim loquitur de occiſione furis, qui poterat repelli ſine occiſione, & pœnas ſtatuit contra occidentem, quia excedit modum inculpatæ tutelæ.

53 Quæritur decimo octavò, cur occidenti furem nocturnum non imputetur homicidium, benè tamen occidenti furem diurnum, ut habetur in *c. ſi perfodiens 3. h. t.* ubi Auguſtinus in *c. 22. Exod.* ait, non pertinet quis ad homicidium, ſi fur nocturnus occidatur: ſecus, ſi diurnus fuerit, ad homicidium pertinebit, hoc enim eſt, quod dicitur *Exod. 22. ſi orta eſt ſol ſuper eum, reus erit occiſi*, & addit rationem, quia interdiu poteſt diſcerni, quòd ad furandum, non ad occidendum venerit, proinde non debet occidi. Secus in nocturno fure hoc diſcerni non poteſt: hinc patet diſcrimen, quia ſi occidatur fur diurnus, exceduntur fines licitæ defenſionis, non ita, ſi occidatur fur nocturnus *c. ſuſcepimus 10. h. t. l. furem. ff. ad leg. Cornel. de ſiccar.* Hoc idem etiam ſtatutum fuit in antiquioribus legibus, impunè ſcilicèt occidi nocturnum furem quoquo modò, & diurnum nonniſi in caſu, quo ſe telo defenderit, quia tunc plus eſt, quàm fur, ut dicitur *in d. c. ſi perfodiens 3. h. t.* & in *l. itaque ff. ad leg. Aquil.*

Quæritur decimo nonò, an quando quis jurat, ſe in genere facturum aliquid, intelligatur etiam de homicidio? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *cap cum juramento 4. h. t.* ubi S. Hieronymus in *c. 14. Matth.* ait, quòd ſi ſaltatrix ab Herode patris, vel matris interitum poſtulâſſet; Herodes id facturus non fuiſſet, ex quo concludit, debuiſſe recuſare in Propheta, quod in ſuis non egiſſet: unde ſi quis abſolutè, & generatim promittat aliquid, non tenetur illud implere, ſi petatur aliquid illicitum; neque ipſe Herodes credidiſſet, neque exiſtimâſſet, ſe teneri, ſi ſaltatrix poſtulâſſet, ſibi offerri in diſco capita parentum ipſius: unde quod noluiſſet fieri in ſuis parentibus, non debuit egiſſe in capite S. Joannis Baptiſtæ. In generali enim ſermone, ſeu promiſſione plura excipiuntur *l. ſicut. ff. de ſervit.* & ea præſertim, quæ promittens generaliter non eſſet ſpecialiter conceſſurus *l. obligatione ff. de pignor.* non enim juramentum promiſſorium debet eſſe vinculum iniquitatis *c. quemadmodum de jurejur.* Tum quia nemo præſumitur velle promittere illicitum, ne ſuæ ſalutis ſit immemor *c. ſancimus 1. q. 7.* & nemo privatus poteſt impedire, quin leges procedant in ſuis proprijs diſpoſitionibus *l. 1. ff. de leg.* Proinde licèt Herodes promiſerit ſaltatrici, ſe ei conceſſurum quidquid petierit, non tamen ob jusjurandum debuiſſet petitum caput S. Joannis Baptiſtæ eidem conceſſiſſe, cùm id fuerit omninò illicitum. 54

Quæritur vigeſimo, an ſit homicida, qui venena ſterilitatis dat puellæ, quam corrumpit? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c ſi aliquis 5. h. t.* ubi ex Concilio Guarmacienſi habetur, quòd qui ex libidine, vel odio homini, vel mulieri aliquid dederit, ut non poſſit generare, aut concipere, vel naſci ſoboles, habeatur ut homicida. Ratio eſt, quia vel fœmina jam generavit, & fœtus eſt animatus, & tunc fœtus eſt verus homo, & qui ipſum occidit veneno, vel alio modo, ſeparat animam rationalem à corpore, in qua ſeparatione violenta conſiſtit homicidium *c. Moyſes 32. q. 2.* Si verò fœtus nondum eſt animatus, adhuc eſt reus homicidij, quia impedit vitam proli ſuſcipiendæ. Verùm tunc minùs propriè dicitur homicida, cùm non ſeparaverit animam à corpore, ſed tantùm impediverit, ne corpus informaretur ab anima, & propter hoc impedimentum dicitur committere homicidium, ſi non formaliter, ſaltem in cauſa, quod ſub graviſſima pœna coërcetur *l. ſi quis §. qui abortionis ff. de pœnis c. de pœnit. diſt. 5.* Non tamen qui impedit generationem, vel conceptionem, aut abortum fœtûs nondum animati irregularitatem contrahit, quia 55

ad hanc incurrendam requiritur actuale homicidium, quòd non contingit propriè, & formaliter niſi in fœtu jam animato: habetur tamen contra procurantes abortum, vel impedientes generationem conſtitutio Sixti V. cui initium eſt *Effranatam*, quæ tamen ad moderationem deducta fuit per aliam conſtitutionem Gregorij XIV. cui initium eſt *Sedes*.

56 Quæritur vigeſimo primò, an in pœnitentia injungenda homicidæ attendendæ ſint circumſtantiæ, ex quibus augetur, vel minuitur delictum? Reſpondetur affirmativè ex *c. ſicut dignum 6. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd in qualitate pœnitentiæ imponendæ diſcretus Judex debet conſiderare quantitatem, & qualitatem delicti, ut etiam ætatem, ſcientiam, ſexum, conditionem delinquentis, imò etiam locum, & tempus, in quo quis deliquit, & Pontifex etiam agit de iis, qui cooperati ſunt in morte S. Thomæ Cantuarienſis. Ratio eſt, quia pœnarum varietas requiritur ſecundùm qualitatem delictorum, ne Judex imitetur imperitum medicum, qui uno eodem collyrio omnium oculos vult curare *c. neceſſe diſt. 29.* Quamobrem pro menſura peccati debet eſſe & plagarum modus *Deuter. c. 25.* Tum quia cum plures concurrant circumſtantiæ aggravantes, vel minuentes delictum *c. 1. de pœnit diſt. 5.* ſequitur quòd in exceſſibus ſingulorum attendendæ ſint omnes circumſtantiæ, quoad quantitatem, qualitatem, ætatem, ſexum, conditionem delinquentis, & etiam ſecundùm locum, & tempus, quo delictum fuit commiſſum, adeò ut pœnitentia injungatur major, vel minor juxta majorem, vel minorem exceſſum, & varias circumſtantias, quibus interdum idem exceſſus magis in uno, quàm in alio punitur *c. qui viderit 32. q. 5.* adeò ut pœnitentia ſit regulariter arbitraria, nec poſſit dari certa regula, quia juxta varietatem animorum, & circumſtantiarum major, vel minor pœnitentia eſt injungenda, & ob hanc rationem etiam in pœnitentiis jure taxatis, poteſt ſacerdos recedere, & aliam pœnitentiam arbitrari *c. Deus qui, de pœnit. & remiſſ.* Præterea in *d. c. ſicut* habetur, quòd concomitans homicidam animo occidendi, quamvis non apponat manum, ſi tamen ex ſua cauſa mors fuerit ſecuta, teneatur verè tali pœna cum homicida: ratio eſt, quia non ſolùm, qui occidunt cenſentur rei, ſed etiam qui occidentibus conſentiunt *c. omnes 17. q. 4.* verùm quia conſummatio operis aliquid addit *c. ſuper trib. de pœnit diſt. 2.* qui tantùm opem præſtitit ad delictum, ex quo non fuit Principalis, videtur aliquantulum minori pœnâ puniendus ut habetur in textu, & etiam in *c. ſi cui de pœnit. diſt. 1.*

57 Quinimò qui homicidam concomitatur tantùm animo prohibendi, ne impediatur, minori etiam pœnâ punitur; quia cum non habuerit ipſe animum occidendi minùs deliquit, quàm ipſe homicida, qui venit animo occidendi. Verùm cum ex charitate proximi teneatur quiſque hominem à morte liberare ſi poſſit, & ſi non liberet dicatur illum occidere *proverb. c. 24.* ideo non eſt à reatu homicidij immunis, qui occiſori contra alios opem præſtat *c. ſi quatuor 23. q. 8.* proinde qui concomitantur occiſorem, non ut vulnera infligant, ſed ut vulneranti opem ferant, ſi fortè impediretur ab alijs, ſunt & ipſi puniendi licèt pœna paulò minori eâ, qua punitur occiſor *c. qui poteſt 23. q. 3.*

58 Præteres incitans alium ad homicidium mitiùs etiam punitur, quàm homicida: ſecus tamen ſi incitavit ad certum homicidium, quia eo ſecuto perinde tenetur ac homicida, quia quò quis eſt cauſa proximior alicujus delicti, eò plus eſt in culpa, ut notat Felinus in *d. c. ſicut 6. n. 2. h. t.* & qui aliquem incitat ad certum homicidium eſt cauſa magis proxima homicidij, quàm qui tantùm in genere incitavit ad homicidium, ut notat Gloſſa in *clement. 1. v. defenſaverit de pœn.* Hinc qui alium excitavit ad odium, inflamavit ad vindictam, unde homicidium fuit ſecutum, debet quidem durè, & aſperè, ſed non ita ſeverè puniri ſicut ipſe homicida niſi fortâſſis ipſum homicidam ſuis ſuggeſtionibus provocâſſet ad homicidium perpetrandum, ut habetur in textu *d. c. ſicut 6. h. t.* & *l. 15 qui opem* & ibi Bartolus *ff. de furt.* quinimò etiam ſervantes ſarcinas, & veſtimenta occidentium, ſcientes eos eſſe ſicarios non ſunt immunes à pœna homicidij: ratio eſt quia aſſiſtens malefactori, eúmque juvans, ut faciliùs vel promptiùs delictum committat, tenetur ut præſtans opem, & conſenſum ad idem delictum: qui autem ſervat veſtimenta malefactoris in ipſo actu, quo delictum committit cenſetur id præſtare, ut malefactor expeditiùs, ac faciliùs ſuum committat delictum, ut notat Bartolus in *l. in furti. ff. de furt.* Hoc idem in *A&. Apoſtol. c. 7.* legimus, præſtitiſſe Saulum in lapidatione S. Stephani.

59 Occupans tamen bona occiſi per hoc non tenetur de homicidio, quia ex diverſis non fit illatio *l. Papia ff. de minor.* furtum autem, & homicidium ſunt diverſa delicta *Levit. c. 19.* & r... quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt factum *c. Ratum de regul. jur. in 6.* proinde qui poſt necem alicujus ejus occupat ſpolia per hoc præciſè non cenſetur reus talis homicidij niſi in illud antecedenter influxerit. Non tamen qui ſpolia occupavit occiſi, poteſt ea in eleemoſynam elargiri pauperibus, ſed tenetur ea reſtituere illis, quorum intereſt, non enim remittitur debitum, ſi uni ſolvatur, quod alteri ex debito eſt ſolvendum *c. Ex te de jurejur.* Neque de re aliena poteſt quis elargiri eleemoſynam tametſi is, ad quem pertinent res illæ, eſſet peccator, & vir nequam, *c. tua nobis de decim.* res enim ablata reſtituenda eſt Domino *c. cum de uſur.* hinc qui res aliquas occupavit tenetur in integrum reſtituere eis, ad quos pertinent, ſi habeat in facultatibus, unde poſſit ea reſtituere.

60 Rurſus etiam participantes cũ interfectori-

bus in excommunicatione diverſimodè puniuntur juxta modum participationis: ſiquidem in participatione cum excommunicato debent conſiderari plures circumſtantiæ minuentes, vel augentes delictum *c. inter alias de ſent. excommun.* & pœna debet commenſurari delicto c. diſciplina *diſt. 45.* proinde qui tantùm participârunt, ac fuerunt converſati cum excommunicatis conſiderata temporis mora, qua in eadem nequitia perdurârunt, & affectu, qua ſcienter cum ipſo communicârunt ſcienter, vel ignoranter eſt pœnitentia levior eis injungenda.

61 Quæritur vigeſimo ſecundò an homicidium caſuale, quod contigit præter intentionem occidentis, ſit ei imputandum, ſi non adhibuit eam diligentiam, quam debuit? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. Presbyterum 7. h. t.* ubi cum quidam Presbyter puerum intuito diſciplinæ percuſſiſſet in capite, & is ex tali percuſſione poſt paucos dies mortuus fuiſſet, reſcribit Alexander III. Presbyterum illum percuſſorem eſſe removendum perpetuò tam ab omni altaris miniſterio, quàm deponendũ ab officio ſacerdotali, ſi puer ex ipſâ percuſſione intereat, vel etiam aliam infirmitatem contrahat, de qua tamen moriatur. Ratio eſt, quia quilibet in ſuo officio tenetur eſſe diligens, & non negligens *l. D. ff. de offic. præſid.* ſiquidem negligentia ſi fuerit nimia imputatur culpæ *l. præceptoris ff. ad leg. Aquil.* proinde cum Presbyter, qui intuitu diſciplinæ puerum percuſſerat in capite, & percuſſus poſt paucos dies expirâſſet, removetur in perpetuũ percuſſor, qui tam ab omni alteris miniſterio, quàm ab officio deponitur ſacerdotali, quia tametſi correctio pueri intuitu diſciplinæ ex ſuo genere ſit licita, poteſt tamen eſſe illicita ex modo, eò quia in illa excedatur, proindè ſi ex tali exceſſu puer moriatur; Presbyter non ſolùm declaratur irregularis, ſed etiam jubetur deponi. Verùm ad cognoſcendum, an percuſſus interierit ex tali percuſſione judicium petendum eſt à Chyrurgis, ac medicis, qui debent examinare, an vulnus inflictum fuerit in parte periculoſa, ut in capite; tunc enim præſumptio cauſatæ mortis eſt, ſi percuſſus poſt paucos dies ex tali percuſſione decedat. Plura de hac præſumptione habent Farinacius in *prax. criminal. p. 5. q. 126 n. 196.* Menochius *de arbit. n. 44.* Julius Clarus §. *homicid. 44.*

Quæritur vigeſimo tertiò, an homicidium caſuale imputetur ei, qui non fuit in culpa? 62
Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. Lator. 9. h. t.* Ratio eſt, quia homicidium, quod omnino contingit caſu, & præter intentionem, non imputatur alicui culpæ, nec propriè eſt homicidium, ſed ſimplex occiſio: dicitur autem caſu contingere, quando nec in ſe, nec in ſua cauſa eſt voluntarium, ut ſi cauſa non fuerit efficax, adeo ut ex ea non ſoleat ut plurimum talis effectus ſequi, ſed aliunde ex eo, quod per accidens ſupervenit: ut ſi alicui quis vulnus infligat non lethale; & mors poſtea ſequatur, vel ex malitia Medici, qui noxia appoſuit, vel ex incuria ejuſdem, vel temeritate læſi, qui remedia opportuna noluit adhibere: tunc mors cenſetur omnino caſualiter, & fortuitò contigiſſe reſpectu illius, qui vulnus illud inflixit. Idque evincitur etiam ex *c. ſignificâſti 2. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit quòd *ſi percuſſio medicorum judicio lethalis non fuit, percuſſor poſt pœnitentiam ad cautelam injunctam poterit in officio ſacerdotali miniſtrare,* quia vulnus licèt tunc ſit aliqua occaſio, non tamen eſt cauſa mortis.

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

EGit Pontifex in præcedentibus titulis de homicidio tam in ſpecie, quàm genere, nunc pergit agere de quibusdam actibus, qui interdum dant cauſam homicidio, quâ ratione cùm reſpiciant homicidium, quod nonnunquam cauſant, Pontifex in præſenti, & ſequentibus duobus titulis agit de hiſce actibus, & primò de ludis equeſtribus, ſeu haſtiludijs, vulgò torneamantis.

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Trium capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

C, *FELICIS* 1. *h. t. Ex Concilio Lateranenſi diſtrictè probibentur torneamenta ad oſtentationem virium, & audacia inſtituta, unde mortes proveniunt. Quinimò, ſi quis in his moriatur caret eccleſiaſtica ſepultura: licèt petenti non ſit deneganda pœnitentia. Vbi notat Gloſſa, quòd tametſi petenti concedatur pœnitentia, & Eucharistia; negatur nihilominus ſepultura.*

C. *AD AUDIENTIAM* 2. *h. t. Alexander III. declarat, eum, qui acceſſit ad locum torneamenti non animo pugnandi, ſed ex alia cauſa, ut exigendi debita, ſi caſu moriatur, eſſe ſepeliendum in loco ſacro. Hinc liquet, quòd tametſi contra pugnantes in torneamentis ſtatuatur privatio ſepulturæ, non tamen hanc pœnam incurrit, qui caſu intervenit, non animo pugnandi, vel ludendi; ſed quid aliud agendi, ut dicitur in textu de eo, qui acceſſit ad locum torneamentorum, ut poſſet exigere debitum à debitore ſuo, quem ſciebat intereſſe.*

C. *QUIA unic. h. t.* In Extravagantibus Joannis XXII. *Revocatur Conſtitutio Clementis inhibentis in quibusdam regnis torneamenta ſub pœnis excommunicationis, & interdicti, & illi, qui hujus occaſione ſententias incurrerant, abſolvuntur, & permittuntur torneamenta, & haſtiludia. Notandum eſt hanc Clementis V. conſtitutionem haberi quidem in Concilio Viennenſi non tamen extare in corpore juris, & Joannes XXII. hîc illam ſolam revocat, non verò conſtitutiones Alexandri III. in Concilio Lateranenſi, & aliam ad Epiſcopum Anatenſem, in quibus privantur ſepultura, qui in torneamentis moriuntur, quæ tamen pœna non fertur in eos, qui causâ exercitij & experiendæ virtutis, nec non cum debita cautela, ne quiſquam occidatur torneamenta inſtituunt & exercent; unde prohibitio tantùm procedit contra eos, qui temerè congrediuntur, ubi antè non eſt temeritas, & periculum, de jure canonico caſus contingens non imputatur, immo nec de jure civili* l. qua actione §. ſi quis ff. ad leg. Aquil.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſint torneamenta, & cur in jure canonico prohibita.

1 TOrneamentum teſte Sylveſtro *V. torneamentum* ſuam deſumit nomenclationem à circuitu, & regreſſione pugilum; ſunt enim torneamenta haſtiludia, ſeu ludicra equeſtris pugna, & quoddam veluti ad bellum choragium; unde dicitur torneamentum à verbo *circumeo*, ut notat Covarruvias in theſaur. *V. Torneo*: alijs tamen placet à ludo Trojano torneamentum deducere, quaſi *Trojamentum*, eò quia equeſtri pugna ſolerent juvenes Trojanum excidium repræſentare, de quo ludo agunt Tacitus *lib. 6. annal.* & Virgil. lib. 5 Aeneid. ubi hanc equeſtrem pugnam vocat Trojanum agmen, & Tacitus *lib. 1c.* ait *ſedente Claudio circenſibus ludis cùm pueri nobiles equis ludicrum Troiæ inirent.* & Suetonius in Julio *c. 36.* ibi *Trojanum luſit turma duplex majorum, minorúmque puerorum.* Nec torneamentum ſolum ſignificavit pugnam umbratilem, ſeu fictum prælium, ſed etiam cruentum: in quo etiam viri decertabant non aperto capite, ſed caſſide tecto. Fiebant hæc haſtiludia dupliciter. Primò ad oſtentationem virium, & tunc temerè homines lanceis acutas cuſpides habentibus congrediebantur. Verùm hæc ſpectacula gladiatoria ſublata poſtea fuerunt nova conſtitutione Conſtant. Imperatoris in *l. unic. C. de gladiator. lib. 12.*

Secundò fiebant haſtiludia tantùm virtutis & exercitij causâ, & in iis nobiles lanceis ſine cuſpide ſimul congrediebantur, & enſibus hebetibus, & vallo in medio curriculi in directum ducto, ut equi utrinque ex adverſo poſiti currentes obviare ſibi non poſſent: & hæc haſtiludia laicis etiam nunc permittuntur; clericis verò prohibentur, ut liquet ex Concilio Herbipol. tempore Honorij IV. coacto *can. 4.* ibi *haſtiludia, & torneamenta Clerici, qui ſunt in dignitatibus, perſonatibus, ſeu in ſacris ordinibus conſtituti, hoc edicto perpetuo ſibi noverint interdicta*; & probat Julius Clarus *lib. 5. ſent. §. ludus n. 4.* & Cæleſtinus III. in epiſt. ad Epiſcopos Angliæ, quam refert Rogerius *in annal.* prohibuit, ne in terra ſancta, ubi ſteterunt pedes Domini torneamenta Tyronum exercerentur virtutis causâ. 2

Com-

3 Complectitur præſens titulus tria tantùm capitula, in quorum primo deſumpto ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III ſtatuitur, ne torneamenta ad oſtentationem vicinm, & audaciæ, unde mortes proveniunt, permittantur. Vocantur ibi hæc torneamenta induciæ quædam, vel nundinæ, ac feriæ, in quibus milites ex condicto vel conducto convenientes ad oſtentationem virium ſuarum, & audaciæ temerè congrediuntur: & hæ deteſtabiles nundinæ, ſeu feriæ prohibentuc, quòd ſi non obſtante prohibitione inſtitnantor, & aliquis in ijsdem decedat, privatuc eccleſiaſticâ ſepulturâ, licèt petenti non denegetur pœnitentia. Hinc quamvis torneamenta dicta à circumeundo, in quibus pugiles dum intec ſe exercentur unus alium occidic non injuriæ, ſed gloriæ, & virtutis causâ videantur jure civili eſſe permiſſa, vel ſaltem relinqui impunita *l. ceactione 7. §. ſi quis in colluctatione. ff. ad leg. Aquil.* pcohibentur tamen jura canonico ob hominum cædes, quæ inde provenire ſolerenc; idque ſub pœna privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ.

4 Ratio eſt, quia ludus debet eſſe omnino inculpatus, & innoxius *l. nam 10. ff. ad leg. Aquil. l. in furti 50. §. final. ff. de furt.* & quia ex hiſce rorneamentis plerumque hominum cædes contingebant, ur inſauſtè obtigir Henrico II. Galliæ Regi: is enim in torneamentis, quæ ad pacem cum Philippo II. Hiſpániacum Rege recèns initam, nuptiásque ejus & Eliſabethæ filiæ cognomento pacificæ celebrandas edidit, poſtquam plures haſtas felicitec rnperit, com ad ultimam manus adijceret, com Comite de Montgomery ſatellitum ſuorum duce congrediens; adverſarij lanceæ loricâ percuſsâ ictu vehementi fragmen ſciſſum caſſidis proſpectũ intravit, & in oculo dextro læſus, intra decem dies inſeliciter occubuit non ſine totius Chriſtiani orbis mœrore.

5 Hinc Eccleſia repetitis legibus prohibuit hujusmodi torneamenta, ceu deteſtabiles nundinas ſub pœna privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ. Quia percreverat in Italia conſuetudo, ut non ſolùm privati privatos, ſed etiam populi popolos ad controverſiss dirimendas torneamentis uterentur, & illa pars causâ caderet, quæ in torneamentis vinceretut: ideo Innocentius III. ſcripſit ad Antiſtites Lombardiæ ut hujusmodi torneamenta omnino delerent per interdictionem ſacrorom, ut reſert Spondanus ad annum Chriſti 1198. n. 12. Rurſus inſtar torneamentorum prohibita etiam fuic taurorum agitatio intra circum pec conſtitntiones Pij V. anno 1567. Gregorij XIII. anno 1575. Sixti V. anno 1586. Clementis VIII. anno 1595. idque ob periculum homicidij, cùm in taurorum agitatione frequenter homines occiderentur ab impetentibus tauris.

6 Quòd ſi dicas, certamina gladiatoria eſſe quidem jure prohibita *l. unic. de gladiator. l. 12.* non ita illa certamina, quæ exercendæ virtutis causâ fiunt, ſic enim jactus haſtæ, pilæ, lucta, curſus, ſaltus, & pugilatus permittuntur *l. ſolent. ff. de aleator. l. 1. c. eod. tit.* ergo non rectè videnrur torneamenta prohiberi præſertim cùm iisdem populus in otio ferox fiat & effrænis, in pace permiſſis hiſce voluptatibus detinestnc, ne ruat ad illicita: qua ratione Principes ſtudioſi pacis eorundem conſtitutionibus hujusmodi torneamenta permiſerunc, unde Theodoricus apud Caſſiodorum *lib. 1. variar. c. 10.* loqnens de hiſce ſpectaculis ait: *undecunque præſtare poſſumus dignum noſtris ſenſibus æſtimamus; præſertim cùm beatitudo ſit temporum, lætitia populorum, tum gratiâ oſtendendæ virtutis, tum causâ experiendarum virium* & *l. 1. §. item ſenatus ff. de poſtul.* hoc idem etiam permittitur, tametſi nonnunqnam in ijsdem ſpectaculis peragendis aliquis decedat, quia non moritur injuriæ causâ, ſed virtutis oſtendendæ gratiâ. Qnamobrem non rectè in præſenti titulo videntuc torneamenta prohiberi, quæ inter aptiores ad pugnam inſtitountur. Tum quia quoties finis, ad quem actus dirigitur, eſt bonus, etiam ipſe actus cohoneſtatur *l. in Inſulam 124. ff. de V. O. l. rem non novam 14. C. de judic.* atqui torneamenta facta ad virium oſtentationem reſpiciunt finem honeſtum, ad quem dirigontur ſcilicet ad exercitia militaria: ſiquidem ut notat Vegetius *lib. 1. de re milit c. 1.* in quovis prælio non tam multitudo, & virtus indocta, quàm ars, & exercitium victoriam pariunt: unde non rectè videntur prohiberi in præſenti torneamenta.

7 Sed contra, quia tametſi jure civili pleraque permitterentuc ludorum genera, de quibus eleganter tractant Petrus Faber *in agonit.* Pantoja *de Aleatoribus*, Bulengerus *in opuſc de circo.* nihilominus torneamenta, tametſi virtutis exercendæ gratiâ inſtituantur, adhuc prohibentur, non quia ſimpliciter ſint populo oblectamento; nec quia fiant ad exercendam virtutem: ſed quia ſunt plena periculis; proinde quatenus ſunt ludi noxij jure merito prohibentur in jure canonico, eò qoia ſe exponere mortis periculo nentiquam licitum ſic. 8

Quòd ſi dicas, eſto prohibeantor ratione periculi, non tamen qui in ijsdem occumbunt privandi videntur eccleſiaſtica ſepulturâ, præſertim cùm ijsdem concedatur pœnitentia; ſiquidem quibus communicamus vivis, debemus etiam defunctis communicare, ut deſumitur ex *c. quæſitum 13. q. 2.* quapropter ſi occumbentibus in torneamentis conceditur pœnitentia, non videtuc ijsdem juſtè denegari eccleſiaſtica ſepoltura.

9 Contra eſt, quia temetſi regulariter verum ſit, quòd quoties conceditur pœnitentia alicui, concedatuc etiam eidem eccleſiaſtica ſepultura: nihilominus in aliqoibus caſibus ad terrorem cæterorum, & ut homines abſtineant ab aliquo ſpecialiter prohibito, denegatur transgreſſoribus eccleſiaſtica ſepultura, quamvis concedatur pœnitentia, ut colligitur *ex cap. ſuper eo de raptoribus.*

10 Quòd ſi torneamenta ita inſtituantur, ut

care-

careant omni periculo mortis, tunc permittuntur etiam jure canonico, quapropter Joannes XXII. in ſua *Extravag. unic. h. t.* revocat conſtitutionem Clementis V. cui initium erat *Paſſiones*, inqua torneamonta, in quibusdam regnis prohibebantur ſub pœna excommunicationis in perſonas; & interdicti in terras eorum lata; & non ſolùm in exercentes torneamenta, vel haſtilodia, ſed etiam in ferentes eis opem, conſiliō, vel favorē, vel in recipientes eos in locis, vel domibus ſuis, vel etiam commercium quomodolibet cum ijsdem exercentes: etenim *in extravag.* Joannis XXII. abſolvuntur, qui ſententias excommunicationis, & interdicti incurrerunt occaſione torneamentorum, ut etiam ab irregolaritate; ratio, cur Clementis V. conſtitutio revocata fuit, hæc dicitur eſſe, quia plures inde retraherentur à ſubſidio terræ ſanctæ, ne præfatas incurrerent cenſuras, ut habetur in *d. extravag.* Joannis XXII. *h. t.*

11 Prohibentur igitur à jure canonico ludi equeſtres, quando periculoſi ſunt, & cædibus obnoxij, non verò quando in iisdem ceſſat omne periculum, & ita inſtituuntur, ut citra cædis periculum virtus bellica exerceatur: alij verò ludi, in quibus probabiliter imminet mortis periculum prohibentur ratione homicidij. Cæterum Alexander III. *in c. ad audientiam 2. & ult. h. t.* etiam ſtatuerat, ut qui ad locum torneamenti non animo pugnandi, ſed alia cauſa accederent, ut ratione exigendi debita; ſi caſu decederent; eſſent ſepeliendi in loco ſacro.

§. II.

Proponuntur & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 Quæritur primò, an licitum ſit animi relaxandi causâ torneamenta inſtituere diebus feſtis? Reſpondetur, plures cenſere cum Richardo *in 3. diſt. 37. art. 3 q. 4.* & alijs; id non eſſe licitum, & nituntur ea ratione, eò quia torneamentum ſit valde laborioſum, & proinde opus ſervile. Alij tamen communiùs, & probabiliùs cum Cajetano *2. 2. q. 168 art. 3. dub. 3.* aſſerunt, labores ludicros non eſſe ſerviles, ſed liberales. Verùm hæc ratio videtur difficultatem pati, quia labor de ſe ſervilis, ex eo, quòd fiat ludicrè non evadit liberalis, quia finis extrinſecus; qualis eſt fieri ludicrè eſt finis ſolius operantis, non ipſius operis; proinde non immutat naturam ipſius; unde ſi opus eſt ex ſe ſervile, non evadit liberale ex eo præcisè, quòd ludicrè fiat. Reſpondetur nihilominus, non eſſe illicitum torneamenta die feſto exercere laxandi animi cauſa: ratio eſt, quia ludi ex ſua natura instituti, ut deſerviant ad relaxandos animos non prohibentur die feſto, quo pacto licitum eſt ludere pila, folli luſorio inflato, conis, ſeu piramidibus, tametſi laborem exigant: atqui torneamenta, in quibus ceſſat omne periculum cædis ex ſua natura, & intrinſeco fine ordinantur ad relaxandos animos; ſiquidem cùm cauſent delectationem, faciunt animum quieſcere, ac refocilari; perinde ac corpus per corporalem quietem reſtauratur, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 168. art. 2. in corp.* Tum quia in torneamentis, alijsque ſimilibus ludis exercetur virtus Eutrapeliæ; quapropter non ſunt operationes ſerviles cum proximus effectus talium operationum ſit præcicè animum relaxare.

Quòd ſi dicas, eſſe opus ſervile ob extraordinarium, & violentum laborem totius corporis. Reſpondetur, inde non ſequi, fieri opus ſervile, quia labor corporalis ex ſe eſt indifferens ad eſſe, & non eſſe opus ſervile, & determinatur à fine intrinſeco ipſius operationis; ſi enim hic ſit lucrum, tunc operatio eſt mercenaria, & ſervilis, ſive majorem, ſive minorem exigat laborem: ſin verò opus ex natura ſua ordinetur ad ſolam animi relaxationem, eſt opus liberale; quamvis majorem exigat laborem, quàm opus aliquod ſervile: hinc qui ſe exercent in hujusmodi ludis, quamvis plurimum defatigentur in corpore, relaxantur tamen in animo, & ſublevantur. Non tamen inde ſequitur, ut putat Sylveſter *in ſumma V. ludus q. 2.* quòd ſiquis per jocū araret die feſto, vel aliquid ſimile perageret, non imputaretur eidem peccato. Nam contra eſt, quia arare terram ex natura ſua, & per ſe eſt opus ſervile, & prohibitum; unde ſicut peccaret, qui per jocum Deum blaſphemaret, eò quia exerceret opus ex ſe prohibitum; ita etiam dicendum de eo, qui opera ſervilia per jocum diebus feſtis exerceret; niſi fortaſſis parvitate materiæ excuſaretur. 2

Quæritur ſecundò, an licitum ſit torneamenta exercere in adventu, & quadrageſima? Plures cenſent, eſſe peccatum lethale torneamenta inſtituere, & exercere tempore pœnitentiæ, & devotionis; ſcilicet ab adventu usque ad Epiphaniam, & à Septuageſima usque ad paſcha, niſi fortaſſis aliter exigeret rationabilis cauſa, ut eſſet nativitas alicujus Principis, adventus, & ingreſſus in urbem alicujus Regis partâ victoriâ. Corduba verò *in ſumma q. 42.* cenſet, torneamenta exercere in Adventu non eſſe peccatum lethale, benè tamen in Quadrageſima: & addit, in dubio eſſe cenſendum mortale. 3

Nihilominus reſpondendum eſt, ſecluſo ſcandalo, & omni irreverentiâ torneamenta inſtituere, & exercere recreationis causâ duntaxat in adventu, & quadrageſima non eſſe peccatum grave; quia non eſt opus ſervile, ſed liberale ex natura ſuâ, & ex fine intrinſeco ordinatum ad laxandum animum. Si tamen exercerentur torneamenta in hebdomada ſancta, vel in die paraſceve, tunc ob grave ſcandalum ea exercentes non excuſarentur à culpa lethali; qui tamē talibus ludis intereſſent poſſent excuſari à lethali, quia ad privatos non pertinet diſcernere; an cauſa inſtituendi hujusmodi ludos ſit ſufficiens, nec ne: neque dicerentur conſentire peccato aliorum, ut docet Sanchez *lib. 5. conſil. c. 2. dub. 17.* 4

Quæritur tertiò, an licitum ſit militibus pugnare die feſto? Certum eſt, urgente neceſ- 5

ſtate licitum eſſe militibus præliari etiam die feſto, ut etiam munera militaria exercere, quia ſi bellum eſt defenſivum, hoc ordinatur ad propriam defenſionem, quæ ex naturâ ſuâ eſt licita. Sin verò ſit aggreſſivum, neceſſitas urget acquirendi victoriam, quando opportunitas occurrit; quæ ſi omitteretur, grave inde ſequeretur damnum: quamobrem ratione neceſſitatis præliari ſemper eſt licitum *l. omnes Judices C. de ferijs*, & *l. Duces ff. de ferijs*.

6 Quòd ſi nulla urgeat neceſſitas, Doctores non conveniunt, plures cenſent, tunc præliari non eſſe licitum, eò quia bellum ſit opus ſervile, & actio merè corporalis, & laborioſa, uſúſque artis mechanicæ, ita cenſent Palaus *p. 2. tractat. 3. de obſer. feſt. diſp. 2. punct. 5. n. 21.* Fagondez *lib. 1. in præcept. Eccleſ. c. 11. n. 2.* Putârim tamen valde probabile cum alijs præſertim Suarez *de virtut. theolog. diſp. 13. de bell. ſect. 7. n. 24.* Cajetano *2. 2. q. 40. art. 4. §. ad 2.* Valentia *diſp. 6. q. 16. punct. 5.* Layman *lib. 4. tract. 7. c. 2. n. 4.* eſſe licitum, eò quia exercitium militiæ non ſit opus ſervile, cùm apud Romanos non fuerit conceſſum ſervis, ſed tantùm liberis: tum quia bellum eſſe exercitium dignum viro ingenuo, ac propterea liberale, conijcitur ex plurimis privilegiis, quibus gaudent milites.

7 Hinc etiam hodie viri nobiles non dedignantur, perinde ac gregales milites prima militiæ rudimenta addiſcere: ut autem aliquod opus non dicatur ſervile, ſatis eſt, ſi poſſit abſque nota à viris nobilibus exerceri, quia quoties ſine detrimento nobilitatis militia exercetur, hæc in morali æſtimatione virorum prudentum non cenſetur opus ſervile, quia hac derogat nobilitati. Neque obſtat, quòd plures ſufcici ratione mercedis, quam accipiunt, inſerviant militiæ: quia inde non ſequitur, eſſe exercitium ſervile, quia ſive ſint ruſtici, ſive nobiles, qui aliquod opus exercent, per id non variatur natura intrinſeca talis operis, quia exercentes opus ſunt quid extrinſecum eidem. Quòd verò militia ex ſua natura non ſit opus ſervile, ex eo etiam deduci poteſt, quia exercitium militiæ eſt quædam adminiſtratio reipublicæ: ſiquidem eſt agere cauſam communem reipublicæ: atqui nemo dicet, quòd ſuſtentare partes reipublicæ ſic opus ſervile, quia eſt quædam participatio in adminiſtratione reipublicæ: ſiquidem milites exequuntur ipſam adminiſtrationem reipublicæ, prout hæc à Ducibus dirigitur. Hinc patet ſolutio ad fundamentum appoſitæ ſententiæ; quia pugnare, revera non eſt opus ſervile, nec actio purè corporalis, ſed pars quædam adminiſtrationis reipublicæ, proinde non eſt exercitium artis mechanicæ, quamvis utatur artibus mechanicis; ſed eſt pars quædam politiæ, eò quia ea milites exequuntur, quæ bonum reipublicæ præſcribit pro communi ſalute.

8 Quæritur quartò, an ſpectacula, quibus tauri intra circum agitantur ſint ex natura ſua illicita? Communior ſententia eſt affirmativa, eò quia frequenter ex illis ſoleat mors hominis ſequi, vel vulnus aliquod lethale: cùm igitur noxia ſint; habeántque adnexum periculum, cenſenda ſunt illicita, quamvis non deſint, qui cenſeant, eſſe indifferentia, immo & licita. Verùm quicquid ſit, an licita ſint, vel non; certum eſt, hujuſmodi ſpectacula ut ſaltem noxia, & perículoſa potuiſſe prohiberi à ſummis Pontificibus, & defacto fuiſſe prohibita à Pio V. qui in ſua conſtitutione declarat irritas omnes obligationes, juramenta, vota, à quibusvis perſonis, univerſitatibus, vel collegijs de taurorum agitatione in honorem ſanctorum, vel Eccleſiarum ſolemnitates facta, vel facienda impoſterum: & licet Gregorius XIII. in ſua conſtitutione tollat excommunicationem, aliáſque cenſuras à Pio V. latas contra laicos permittentes hanc ſupradictam taurorum agitationem in ſuis terris, urbibus, provincijs, locíſque fieri; ut etiam contra laicos, qui cum tauris in ſupradictis ſpectaculis pedeſtres, vel equeſtres congrediuntur, in reliquis tamen confirmat Bullam Pij V.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

Quia homicidia, cædéſque hominum frequentiùs naſcuntur ex duellis, quàm ex torneamentis, ideo Pontifices ſeveriùs duella prohibuerunt. Torneamenta ſolius virtutis naturalis probandæ inſtituebantur: duella verò ad controverſiarum deciſionem, & in defectum probationis ab aliquibus offerebantur, & ab alijs ſuſcipiebantur, ut hac ratione Victor probâſſe intelligeretur, & victus cenſeretur defeciſſe in probatione.

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. PORRO 1. *h. t. Declarat Alexander III. Clericum eſſe deponendum, ſi ſponte alicui duellum obtulit, vel oblatum acceptavit. Verùm ſi mors non contingit; vel mutilatio, poteſt cum ipſo Epiſcopus diſpenſare. Ubi notandum eſt, per depoſitionem hic intelligi ſuſpenſionem, quæ tamen non de facto incurritur, ſed per ſententiam, quia in textu dicitur quòd ſit deponendus: qui autem eſt deponendus nondum dici poteſt depoſitus. Rurſus quòd non intelligatur de depoſitione propriè dicta ex eo liquet, quia cum ſemel depoſito Epiſcopus nunquam diſpenſat. Hodie ex concilio Tridentino* ſeſſ 25. de refor. c. 19. *offerentes, & acceptantes duellum incurrunt excommunicationem, à qua ſolus Papa abſolvit, vel diſpenſat, tametſi duellum non ſequatur.*

C. HENRICUS 2. *h. t. Cœleſtinus III. declarat, eſſe irregularem Clericum, qui ſecundum conſuetudinem patriæ in aliqua lite deficiente probatione introducit pugilem, qui in duello pugnet, cum litigante, ſi quis interficiatur: & ratio eſt, quia homicidium committitur non ſolùm facto, ſed etiam præcepto, conſilio, & defenſione. Verùm poteſt Epiſcopus cum eo diſpenſare circa beneficium. Quando verò diſpenſet, habetur in Concilio Tridentino* ſeſſ. 25. de refor. c. 19. *Notandum eſt, fuiſſe antiquitùs moris, ut deficientibus probationibus reus compelleretur innocentiam ſuam duello probare, in quo ſi vincebat, abſolvebatur. & hanc conſuetudinem damnat in hoc textu Pontifex; & declarat irregularem Presbyterum, qui militem quendam in laicum furti à ſe accuſatum immiſit, & coactum cum illo duellare per eundem pugilem interfecit. Rurſus quia irregularis amittit uſum beneficij, proinde perdit beneficium, quia non poteſt exercere officium propter quod datur beneficium; in hoc tamen Pontifex poteſtatem diſpenſandi relinquit Epiſcopo, ne Presbyter privetur neceſſaria ſuſtentatione.*

IN SEPTIMO.

C. REGIS PACIFICI Julius II. declarat excommunicatos pugnantes in duello, immo etiam permittentes duellum ex quacunque cauſa etiam jure probata, eóſque etiam privat eccleſiaſtica ſepulturâ. & vult pugnantes notari infamiâ, ac diverſis alijs pœnis puniri, & mandat, duellantes ubique impune capi poſſe, ac puniri pro homicidio, vel vulnere inflicto juxta juris communis diſpoſitionem nullâ eis conſuetudine ſuffragante.

C. QUAM DEO 2. *& ult. h. t. Leo X. ſtatuit, ut Duelli authores proſcriptione bonorũ, & ſpectatores excommunicatione, & etiam mulcta pecuniaria puniantur, immò qui ad cruenta hæc ſpectacula videnda conveniunt, ſi ſint nobiles quingentorum, ſi mediocris fortunæ centum, ſi verò ignobiles 25. ducatorum pœna plectuntur, & etiam excommunicationis ſententiam, ac perpetuæ maledictionis pœnam incurrunt: & locus in quo commiſſum fuit duellum, eccleſiaſtico interdicto ſubjacet.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit Duellum, cur prohibitum, & quæ pœna ſtatuta contra duellantes.

1 DUellum ſpectata nominis ethimologia eſt bellum duorum: veteres conſuevêre nomina contrahere, ſicque pugnam inter duos initam maluerunt vocare *duellum*, quàm *duorum bellum*: ait Cicero de orat. *Antiqui nomina contrahebant, quò eſſent aptiora, ut duellum*, quò à duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur: Græcis Monomachia eſt, quaſi pugna ùnius tantùm cum altero *can. Monomachiam* 2. *q.* 5. Licèt etiam veteres duellum dixerint, quod nos bellum; unde & perduelles hoſtes, quos nos hoſtes dicimus, ipſi ſimpliciter perduelles appellârunt, ut fatetur Caſus *in l. quos nos hoſtes* 234. *ff. de V.S.*

Definitur Duellum: *Pugna duorum ex condicto, ab utroque ſuſcepta ad certum locum, & tempus, cum periculo occiſionis*. Dicitur *pugna cum periculo occiſionis*, ut diſtinguatur à pugna ludicra, & umbratili, ceu haſtiludio, & ab aliis pugnis inter pannos ſine armis, & abſque periculo occiſionis: hinc fœminæ inter ſe altercantes pugnis, unguibus, & capillorum avulſione non dicuntur duellum committere, eò quia ſint pugnæ ex ſe non ordinatæ ad occiſionem. Duellum enim debet fieri inſtrumentis, vel armis inſtitutis ad vulnera infligenda, mutilationem inducendam, necémque inferendam.

Adduntur reliqua verba: *Ab utroque ſuſceptâ ad certum locum, & tempus*, quia ut duellum diſtinguatur à rixa requiritur loci, & temporis deſignatio ex conſilio; propterea dicitur *pugna ex condicto*, quia debet deſignari locus, in quo ſit pugna ineunda; & tempus fixum, ac certum, quo ſit pugnandum; adeout inter provocationem, & pugnam intercedat tempus, quo contendentes pugnare poſſint ſufficienter, & maturè conſiderare, quid acturi ſint. Hinc ſine deſignatione temporis, & loci non poteſt pugna eſſe duellica, quia hæc exigit tempus interjectum inter pactum, & pugnam: qui enim ad pugnam ſe provocantes nullo loco, nulloque tempore deſignato illico diſtrictis gladiis dimicant, non eſt hæc pugna duellum, ſed ſimplex rixa.

3 Dividitur duellum juxta varios, ob quos initur fines: olim plerumque ſuſcipiebatur ad veritatem eruendam, ac dicebatur purgativum: vel ad vires corporis oſtentandas, & gloriam inde captandam, ſi quis vinceret: vel ad dirimendam controverſiam, litémque civilem. Hodie verò ut plurimum initur duellum ad tuendum proprium honorem, vindicandam injuriam, declinandam ignominiam. Certum eſt, duellum eſſe prohibitum lege divina, quamvis ſit purgativum, ſeu ſuſceptum ad eruendam veritatem. Permittebatur olim hæc duellica pugna, quoties negotij notitia, & delicti probatio obſcura eſſet: ſi enim fuiſſet quis accuſatus coram Judice de gravi aliquo delicto, & accuſator non exhibuiſſet plenam probationem; neque accuſatus rationes ſufficientes, quibus propriam evinceret innocentiam; Judex permittebat eis duellũ, ut qui victor evaderet cenſeretur ſufficientem adduxiſſe ſui dicti rationem: tanta erat antiquis illis hujus certaminis æquitas, ut putaretur Deus ei victoriã adjudicare, à cujus partibus juſtitia ſtaret: hæcque cauſa fuit, cur in dubiis controverſiis non aliunde quæreretur purgatio, quàm à Monomachiâ.

4 Hoc purgativum duellum eſſe lege divina prohibitum liquet ex ſcripturis Deut. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum* Matth. 4. Chriſtus ſuadenti diabolo ruinam ait: *ſcriptum eſt, non tentabis Dominum Deum tuum*. Quòd ſi jure divino prohibitum eſt, Deum tentare: erit procul dubio etiam prohibitum duellum purgativum. Tum quia eatenus permittebatur hoc duellum, ut per ejus eventum veritas innoteſceret; & juſtitia alterius partis, quando aliter conſtare non poterat: ſed duellum non eſt ex ſe medium aptum ad aſſecutionem hujus finis, cum plerumque contingat, eum in duellis ſuccumbere, qui juſtam habet cauſam, *c. ſignificaſti extr. de purgat. vulg.* quapropter *c. cum ſuſcepti eod. tit.* damnantur hujuſmodi duella inita manifeſtandæ veritatis cauſa, tanquam vana, & ſuperſtitioſa ſortilegia. Cumigitur per hujuſmodi duellum purgativum tentetur, & adigatur Deus ad favendum potiùs uni, quàm alteri parti, eſt omnino illicitum, ac prohibitum jure divino. Tum quia id eſſet petere miraculum ad oſtendendam veritatem, quod illicitum eſt.

Illicitum eſt etiam, ac jure divino prohibitum duellum quod initur ad corporis vires 5
oſtentandas, & gloriam inde captandam: quia *Exodi 22.* inter cætera præcepta, quæ ſervanda Deus tradidit ſuo populo, habetur illud: *Non occides:* quod præceptum etiam confirmavit Chriſtus *Matth. 5.* ubi expreſsè prohibemur, inferre damnum proximo, & eidem injurias irrogare: ergo multo magis prohibemur proximum occidere. Tum quia quando prohibetur unum, eadem lege prohibetur id per quod pervenitur ad illud *c. præterea de offic. deleg. Leg. oratio ff. de ſponſalibus*: ſed convicia, odia, iræ, verba contumelioſa prohibẽtur à Chriſto, quia damnum inferunt proximo: & poſſunt eſſe cauſa remota homicidij; ergo multo magis prohibetur duellũ, quod eſt cauſa proxima ejuſdẽ homicidij; adeout per ſe tendat ad inferendã mortem proximo: & ſi jure divino homicidium eſt prohibitum, erit etiam eodem jure prohibitum duellum, cum ſit cauſa proxima homicidij, ad quod per ſe directè tendit. Rurſus duellum ſuſceptum authoritate perſonæ privatæ eſt itidem prohibitum jure naturali, & gentium. Quia duellum adverſatur naturali æquitati: ſiquidem æquum eſt, & naturæ conſentaneum, vitam ſervare quantum poſſumus; ad id enim obligamur naturali lege: ſed per duellum vita exponitur mortis diſcrimini: proinde per duellũ læditur æquitas naturalis; eſtque jure naturæ prohibitum.

Tum quia ipſa natura abhorret à vulne- 6
ribus, membrorum mutilationibus, ac hominum cædibus; quæ mala cum oriantur à duello; ſequitur, hoc naturæ jure prohibitum eſſe. Quòd verò etiam jure gentium prohibitum ſit fusè, & eruditè probat Galleſius *tract. contra uſum duelli*, ubi oſtendit, gentes *omnes*, quæ politica gubernantur ratione, duella prohibuiſſe, ac graviſſimis pœnis ſubditos ab iiſdem abſterruiſſe. Id enim præſtiterunt Græci, Romani, Carthaginenſes, Perſæ, Hebræi, Arabes, Itali, Galli, Hiſpani, & Germani, qui omnes capitali pœna duella prohibuerunt; utpote naturali diſſona æquitati, ac publico Reipublicæ Bono: hinc Plutarchus in vita Antonij refert, Auguſtum reſpondiſſe Antonio provocanti ad duellum: *Si Antonium vita ſua tædet, ſatis multa ad interitum cauſa patent: ego autem in cives nunquam arma ſumpſi.*

Quia verò hæc duellica pugna Clericis po- 7
tiſſimum interdicta eſt, ideo præſens titulus inſcribitur de Clericis pugnantibus in duello, & jure canonico prohibentur omnia duella, ut patet ex textu in *c. Monomachiam 2. q. 4. cauſ. 2.* ubi Nicolaus Pontifex monomachiam prohibet & *c. porro. 1. h. t.* ubi Alexander III. ſtatuit, quòd ſi Clericus alicui ſponte duellum obtulerit, vel oblatum ſuſceperit, ſive victus fuerit, de rigore juris ſit deponendus: ſed ſi non eſt ſecuta mors, vel mutilatio, poſſit cum eo Epiſcopus diſpenſare: extant etiam plures conſtitutiones Pontificum, quibus ſeveriſſimè duella prohibentur, ut liquet ex conſtitutionibus Julij III. Leonis X. Clementis VII. Julij III.

III. Pij IV. Gregorij XIII. quas refert Quaranta *V. duellum*. Quòd verò per Pontificias conſtitutiones prohibeantur tum viris, tum fœminis, laicis, & eccleſiaſticis, ſæcularibus, & regularibus, Principibus, Regibus, & Imperatoribus, Epiſcopis, & Cardinalibus, & quidem ubique locorum etiam extra Italiam ex eo evincitur; quia lex prohibens duella eſt generalis, nec reſtringitur ad certa loca, vel perſonas; ſiquidem qui omne dicit, nihil excludit, & ubi nihil excluditur, nihil excipitur: ſed præfatæ conſtitutiones ſummorum Pontificum, & decretum Concilij Tridentini ſunt leges generaliter in omnes latæ; conſequenter comprehendunt omnes Chriſtianos cujuscunque ſtatus, & conditionis: etenim in conſtitutione Clementis VIII. expreſse habentur hæc verba: *Excommunicamus, & execramus omnes quoſque:* ubi nullus excipitur, ſed æquè omnes includuntur.

8 Rurſus in conſtitutione Pij IV. habetur: *Etiamſi prædicta, ſeu cujuscunque alterius dignitatis, nobilitatis, ſtatus, gradus, & ordinis, tam eccleſiaſtica, quàm mundana exiſtant, etiam ad hoc, ut ipſi ultra pœnas prædictas excommunicationis majoris lata ſententia pœnam, à qua nonniſi à nobis, ſeu à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, abſolvi poſſunt, eo ipſo incurrunt.* Neque urget, quòd ait Layman, in Germania ſive ex ignorantia Pontificiarum Bullarum, ſive quia receptæ non ſint, non infligi eas pœnas in duellantes privatim; adeò ut nobiles, qui in partibus Germaniæ privatà ſuſcipiunt duella, non incurrant pœnas in Pontificiis conſtitutionibus ſtatutas. Contra eſt, quia Tannerus, & Valentia, qui poſt Concilium Tridentinum ſcripſerunt in Germania, fuerùntque publici Profeſſores Theologiæ Ingolſtadij, abſolutè ſupponunt Pontificias conſtitutiones vim etiam habere per totam Germaniam. Tum quia conſtitutio Clementis VIII. expreſsè comprehendit partes omnes ſeptentrionales, ait enim: *Verùm quia cum magna animi noſtri moleſtia intellexerimus, adhuc in quibusdam præſertim Tranſalpinis, ac remotis regionibus, ac potiſſimum ubi bella vigent &c. nos nefaria Diaboli arma &c.* paucisque interjectis ſubjungit. *Inſuper authoritate, & tenore præmiſſis decernimus, & declaramus, easdem conſtitutiones decretorum locum habere ubique gentium, & terrarum inter quascunque perſonas etiam armatas, & in caſtris, ſeu propugnaculis militantes; etiam ubi noſtrorum, & S. Romanæ Eccleſiæ, aut fidei catholicæ hoſtium furor impunè graſſatur, vel in Dominijs per eos occupatis, & detentis:* hæc Bulla Clementis VIII. fuit ita promulgata, ut obliget omnes fideles ubique locorum, adeò ut non poſſit oſtendi eam non fuiſſe admiſſam à Germanis magis, quàm ab Italis, aut Gallis, vel Hiſpanis.

9 Tum quia omnes Chriſtiani oves ſunt Dominici gregis, proinde tenentur audire voces ſummi Paſtoris, ſeu Romani Pontificis leges pertinentes ad animarum ſalutem; cùm enim ſpirituale regimen ſummi Pontificis extendatur ad omnes, & ſingulas orbis Chriſtiani partes, ubique locorum tenentur Chriſtiani Pontificias leges pertinentes ad ſalutem animarum ſervare, ac parêre ſummo Pontifici: ſiquidem Chriſtus dixit ſancto Petro, & ejus Succeſſoribus indiſtinctè *paſce oves meas*, quòd ſi omnes Chriſti fideles ubique locorum ſunt oves dominici gregis, & paſcuntur ſpirituali pabulo à ſummo paſtore, ſeu Romano Pontifice, procul dubio tenentur omnes fideles cujusvis ſexûs & conditionis, & in quocunque loco parêre Pontifici in iis, quæ ad promovendam animarum ſalutem pertinent; quia id eſt paſcere oves Chriſti.

10 Pœnæ jure ſtatutæ in eos, qui ad ſingulare certamen deſcendunt, habentur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. c. 19. de refor.* ubi Primò anathemate percutiuntur Imperatores, Reges, Duces, Principes, Comites, & alij quicunque Domini temporales concedentes locum ad monomachiam in ſuis terris.

11 Secundò privantur etiam juriſdictione, & dominio civitatis, caſtri, vel loci, in quo permiſerunt duellicam pugnam fieri, ſi illud ab Eccleſia obtineant: ſin verò feudum, id ſtatim deperditur, & redit ad Dominum directum.

12 Tertiò pugnantes, & eorum patrini excommunicationis, & omnium bonorum proſcriptionis, nec non perpetuæ infamiæ pœnam incurrunt; adeò ut perinde, ac homicidæ juxta ſacros canones puniantur.

13 Quartò ſi in ipſo conflictu deceſſerint perpetuâ careant ſepulturâ. Quintò dantes conſilium ad duellum, ut etiam Spectatores excommunicationis vinculo irretiuntur, non obſtante quocunque privilegio, aut pravâ conſuetudine etiam immemoriali. Juvat etiam obſervare, quod ex his pœnis ſola excomunicatio incurritur ipſo facto, cæteræ verò per ſententiam Judicis.

14 Rurſus has pœnas impoſitas à Concilio Gregorius XIII. in ſua Bulla, cui initium eſt *ad tollendam* extendit etiam ad duella privata, quæ ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco convento fiunt, etiam ſine patrinis, & ſocijs ad id vocatis, & ſine alijs ſolemnitatibus. Ut etiam Clemens VIII. in ſua Bulla, quæ incipit, *illius vices* extendit decretum Concilij Tridentini, ut etiam alias Apoſtolicas conſtitutiones, quas confirmat, ad pugnantes in duello publicè, vel privatim, & ad alios fautores, reſervavitque abſolutionem à prædictis pœnis Sedi Apoſtolicæ.

15 Pœnæ jure canonico ſtatutæ contra Clericos pugnantes in duello ſunt ipſa depoſitio à beneficio, ut deſumitur ex *c. porro. t. h. t.* ubi Alexander III. quæſitus quomodo puniri debeat clericus, qui alicui ſponte duellum obtulit; vel oblatum ſuſcepit, reſcripſit Pontifex, quòd talis clericus ſive victor, ſive victus fuerit, ſit deponendus; ſed ſi mors non eſt ſecuta, vel mutilatio poſſit cum ipſo Epiſcopus diſpenſare.

Obſervandum eſt, hanc pœnam depoſitionis non eſſe intelligendam rigorosè, & propriè, ſed tantùm laxè, adeò ut intelligatur de ſuſpenſione; quia in depoſitione ſtrictè & propriè ſumpta Epiſcopus nunquam poteſt di-

ſpenſare, immo & Papa nonniſi raro ſolet diſpenſare. Quinimò cenſent plures, hujuſmodi clericum ipſo jure non eſſe ſuſpenſum ab officio, & beneficio, ſed eſſe ſuſpendendum per ſententiam Judicis; ratio eſt, quia Pontifex *in d. c. porrò 1. h. t.* dicit, Clericum de rigore juris meritò eſſe deponendum, ſeu ſuſpendendum: unde cùm non dicat, quòd de facto ſit ſuſpenſus ante ſententiam Judicis, non eſt ſuſpenſus; & Epiſcopus poteſt cum ipſo diſpenſare. Cæterum ſive clericus provocaverit, ſive fuerit provocatus ad duellum, ſi illud ineat, incurrit hanc pœnam, quia prohibentur Clerici ſponte duellum offerre, vel oblatum acceptare *c. quomodo monomachiam 22. caus. 2. q. 5.* quia duellantes habentur ut homicidæ. Quòd ſi Clerici provocantes, vel provocati ad duellum illud acceptaverint, & poſtea non pugnaverint non incurrunt hanc pœnã; quia pœnæ à jure impoſitæ non incurruntur niſi effectu ſecuto, niſi aliter ſit in jure expreſſum: & *in d. c. porro* Pontifex ſupponit pugnam ſecutam cùm dicat *ſive victor, ſive victus fuerit.*

17 Rurſus ſi Clericus non ſponte, ſed ſola neceſſitate adactus ad pugnam, & quam declinare non poteſt, pugnet cum alio non incurrit pœnam ſuſpenſionis; quia quando neceſſitate adigitur ad ſe defendendum, pugna eſt licita, dummodo fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ: quia propria defenſio eſt de jure naturæ; adeò ut ſi injuſtò moderamine aggreſſorem occideret, pœnam non incurreret: ſecus tamen ſi poſſet pugnam evitare per fugam, vel medium aliud, & præſertim ſi pugnaret ob recuperationem bonorum, quæ aliter recuperare poterat, quia tunc incurreret pœnam non impoſitam à jure, ſed ab arbitrio Judicis: ratio, cur non incurreret pœnam juris, eſt, quia quamvis poſſit Clericus abſolutè declinare pugnam, quia tamen ad illam ab alio adigitur, ideo neceſſitas quamvis abſolutè evitabilis, non minuit culpam, quæ major eſſet, ſi nulla neceſſitate cogeretur: atqui neceſſitas, eò ipſo quòd minuit culpam, minuit etiam pœnam. Quamobrem Clericus, qui pugnaret ex neceſſitate abſolutè evitabili, non eſſet ſuſpendendus, quia ad hanc pœnam ſtatutam *in d. c. porro.* incurrendam, requiritur ut duellum ſponte, & non coactè acceptetur, & ineatur, qua propter Clericus tunc mitius eſſet puniendus à Judice eccleſiaſtico, immò poteſt Epiſcopus in tali pœna diſpenſare dummodo ex duello non fuerit mors, vel mutilatio ulla ſecuta, ut habetur in *d. c. porro* non ita ſi mors, vel mutilatio ſit ſecuta; quia tunc incurritur irregularitas, in qua ſolus Papa diſpenſat.

18 Quòd ſi dicas, Epiſcopo concedi diſpenſationem, proinde Clericum pugnantem incurrere de facto, & ipſo jure ſuſpenſionem, & non per ſententiam judicis, Contra eſt, quia Epiſcopus dicitur poſſe diſpenſare cum tali Clerico poſt incurſam ſuſpenſionem: & quia Clericus hanc non incurrit, niſi poſt ſententiam Judicis: ideò Epiſcopus tunc tantùm poteſt abſolvere poſt ſententiam Judicis cum tunc tantùm incipiat Clericus eſſe ſuſpenſus, non antea. Per depoſitionem igitur, de qua loquitur Pontifex *in d. c. porro,* intelligitur depoſitio, quæ tamen de facto non incurritur, ſed tantùm per ſententiam, cùm Pontifex dicat, quòd ſit deponendus: qui enim eſt deponendus, nondum poteſt dici depoſitus; & Epiſcopus non diſpenſat, niſi poſt incurſam depoſitionem, ſeu ſuſpenſionem. Infertur tamen, Epiſcopum non poſſe diſpenſare niſi in caſibus eidem à jure conceſſis; quia ſi poſſet in omnibus caſibus ſibi non prohibitis diſpenſare, ſupervacaneum hîc ſeret exprimere, quòd poſſit diſpenſare cum clerico pugnante in duello.

Alia pœna, quæ incurritur à Clerico pugnante in duello eſt irregularitas, ut deſumitur *ex c. Henricus 2. h. t.* ubi cùm Henricus Presbyter laicum quendam apud ſæcularem Judicem ſuper furto accusâſſet, & teſtibus deficientibus, pugilem ſecundùm pravam terræ conſuetudinem induxiſſet, qui adeò illum vulneravit, ut moreretur. Conſultus Cœleſtinus III. reſpondit, tales pugiles veros eſſe homicidas, neque prædictum ſacerdotem, licèt alius pro eo in duello pugnaverit, debere in ſacris ordinibus miniſtrare juxta canonum inſtituta. Homicidium autem tam facto, quàm præcepto, ſivè conſilio, aut defenſione, non eſt dubium perpetrari: poſtea concludit Pontifex, quòd poſſit Epiſcopus cum eo miſericorditer circa beneficium diſpenſare. 19

Ex quo textu liquet, irregularem fieri non illum ſolum, qui per ſe immediatè alium interficit in duello, ſed etiam eum qui mediante alio pugili ab ipſo conſtituto adverſarium occidit. Moris olim fuit, ut deficientibus probationibus adigeretur Reus innocentiam ſuam *duello* probare, in quo ſi vinceret, abſolveretur; quam conſuetudinem Cœleſtinus III. *in d. c. Henricus 2. h. t.* damnat, & Presbiterum illum, qui pugilem conſtituit, declarat irregularem, eò quia per eundem pugilem interfecerit laicum furti à ſe accuſatum. Quamvis autem irregularis poſtquam amiſit uſum officii, perdat etiam beneficium; eò quia non poſſit exercere officium, propter quod datur beneficium: in hoc tamen, poteſtatem diſpenſandi Papa relinquit Epiſcopo, ne Presbyter ille privetur ſuſtentatione neceſſaria; unde jure canonico antiquo Epiſcopus poterat cum voluntario homicida diſpenſare quoad beneficium ſimplex obtinendum, ne cogeretur cum opprobrio ſtatûs clericalis mendicare, ut liquet *ex d. c. Henricus 2. & ult. h. t.* Jure tamen novo ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. c. 19.* Clericus pugnans in duello eſt etiam ipſo jure, & facto excommunicatus, conſequenter etiam ſuſpenſus ipſo jure ab officio, & beneficio. 20

❀)†(❀

§. II.

§. II.

Proponuntur, & dilauntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 Quæritur primò, an Princeps Chriſtianus poſſit duellum permittere ineundum inter chriſtianum, & infidelem; Reſpondetur negativè, quia Concilium Tridentinum abſolutè prohibet Principibus concedere in propriis ditionibus locum pro monomachia, eò quia nullo pacto vult Eccleſia, hunc deteſtabilem duelli uſum à Chriſtianis exerceri: & cùm pernicioſiſſimus hic uſus ſit ſingulis Chriſtianis interdictus; non poteſt princeps Chriſtianus locum concedere in ſuis ditionibus, ut chriſtianus monomachiam exerceat cum infideli. Tum quia mens concilii fuit prohibere effuſionem Chriſtiani ſanguinis ab alio Chriſtiano, proinde à fortiori cenſendum eſt prohibuiſſe, ne ſanguis chriſtianus effundatur in duello ab infideli. Tum quia Clemens VIII. prohibuit Chriſtianis militibus ob privatas inimicitias deſcendere ad ſingulare certamen cum alio milite contrarij exercitus, ſive fidelis ſit, ſive infidelis. Quòd ſi Princeps Chriſtianus concederet locum monomachiæ in ſua ditione duobus infidelibus Turcis, vel Judæis, non incurreret excommunicationem, eò quia infidelibus non ſit prohibitum duellare ſub pœna excommunicationis, cujus non ſunt capaces, eò quia non comprehenduntur in corpore Eccleſiæ, nec ejus ſubijciantur juriſdictioni *c. gaudemus de divort. c. de Judæis diſt. 45.*

2 Quæritur ſecundò, an per Pontificum conſtitutiones prohibeantur Judæi duellare? Quæſtio non procedit de prohibitione ſub pœna excommunicationis, quia cùm Judæi non comprehendantur in corpore Eccleſiæ, eò quia careant baptiſmo; ideo non ſunt capaces eccleſiaſticæ cenſuræ, quæ non infligitur niſi in ſubditos Eccleſiæ: unde quæſtio procedit tantùm de alijs pœnis, quas ſummi Pontifices ſtatuerunt contrà duellantes? Reſpondetur, quòd ſi Judæi commorentur in ſtatu eccleſiaſtico, ſit ipſis prohibitum jure Pontificio, & ex decreto Tridentini duellum. Ratio eſt, quia commorantes in ſtatu eccleſiaſtico in temporalibus ſubijciuntur ſummo Pontifici, ut principi temporali illius ſtatus, conſequenter tenentur Judæi ſervare leges talis Principis: & quia Princeps habet jus in ſuis Provincijs condendi leges, ut ſerventur ab omnibus in ijsdem commorantibus, tenentur Judæi degentes in ſtatu eccleſiaſtico leges Pontificias pertinentes ad temporale regimen ſervare. Præterea cùm ſit duellum jure naturæ prohibitum, Judæi duellantes tanquam transgreſſores legis naturalis poſſunt à ſummo Pontifice puniri tanquam ab eorum Principe. Sin verò Judæi commorantes extra ſtatum eccleſiaſticum duella committant, pertinet tunc ad Principes eorum ſtatuum, quorum dominio ſubduntur, eos punire juxta leges ipſas civiles cujuſcunque Provinciæ, & ſtatuta municipalia.

Neque obſtat, ſi dicas, finem, ob quem infliguntur pœnæ committentibus duellum eſſe, ut evitentur animarum diſcrimina; ſed Judæi cùm ſint extra corpus Eccleſiæ, careántque baptiſmo, jam ex ſe ſunt in ſtatu perditionis; proinde ceſſat finis, ob quem fuerunt duella prohibita, & propterea non videntur comprehendi Judæi ſub pœnis duellatoribus infligendis.

3 Contra eſt, quia cauſa finalis adæquata, cur fuerint duella prohibita, non eſt ſolùm impedire, ne animæ miserè pereant: ſed etiam ne homines occidantur, pereántque quoad corpora, ut ſatis perſpicuè deprehenditur ex omnibus Pontificijs conſtitutionibus, & decreto Tridentino: quapropter licèt in Judæis ceſſet periculum animarum, quia adhuc remanet periculum corporale, ideo remanet etiam cauſa finalis inadæquata, & ſufficiens, ut Judæi comprehendantur ſub pœnis infligendis duellatoribus. Præterea quamvis Judæi ſint in ſtatu perditionis; adhuc quamdiu vivunt, poſſumus ſperare eorum converſionem ad fidem catholicam, proinde eorundem ſalutem: quia poteſt DEUS ex vaſis iniquitatis facere vaſa electionis, & de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Præterea quia Judæi duellantes committunt novum crimen.

Quæritur tertiò quænam duellicæ actiones ſint ſub pœna excommunicationis prohibitæ? Reſpondetur ex conſtitutione Pij IV. prohiberi duellum publicum, & ſolemne, quod ſit præmiſſis teſtibus, ſcheda promulgatoria affixa in locis publicis, pattinis, qui debeant aſſiſtere duellatoribus, & alijs circumſtantijs, quibus conſtituitur duellum publicum. Hæc autem prohibitio extenditur ad Principes concedentes locum duellantibus, ut etiam ad aſſiſtentes, comitantes, conſulentes, adhærentes, Fautores, ſubſcribentes chartas duelli, & eas affigentes, ac publicantes. Rurſus ex conſtitutione Gregorij XIII. prohibetur etiam duellum privatum ſine patrinis, & ſocijs, & ſine præcedentibus litteris provocatorijs commiſſum; & extenditur prohibitio ad omnes ſocios, & duelli ſpectatores *ex compoſito*, quamvis qui ad locum pugnaturi acceſſerunt, ob aliquod impedimentum pugnam non commiſerint, dummodo per ſocios, & ſpectatores non ſteterit, quo minus pugnarent. Includuntur etiam in eadem prohibitione locorum Domini, qui tale duellum permittunt, vel non impediunt, cùm poſſint: ex conſtitutione verò Clementis VIII. confirmantur omnes prædictæ conſtitutiones, & declaratur, habere locum in toto chriſtiano orbe, & etiam inter quaſcunque perſonas etiam militantes in caſtris, & in terris hæreticorum. 4

5 Unde ſub clementina prohibitione comprehenduntur, Primò milites etiam in bello juſto, qui ob privatas inimicitias provocant ad ſingu-

ſingulare certamen milites contrarij exercitus; quamvis id à Ducibus permittatur.

7 Secundò paciſcentes de dirimendo certamine, ſtatim ac alteruter vulneratus fuerit, aut certus otrinque illatus ſit ictuum numerus.

8 Tertiò etiam qui bini, vel terni hinc indè pugnant.

9 Quartò Domini Magiſtratus, Officiales, qui duellum permittunt, vel non impediunt cùm poſſint; vel poſt commiſſum duellum concedunt impunitatem, & veniam duellatoribus.

10 Quintò componentes, dictantes, ſcribentes, mittentes, referentes, divulgantes, affigentes, ſubſcribentes, intimantes, denuntiantes, atteſtantes, & etiam imprimentes typis ſuo, vel alieno nomine manifeſta provocatoria ad duellum.

11 Sextò comprehenduntur etiam ij omnès, qui conſilium, favorem, opem præſtant ad duellum ineundum, vel quoquo modo ſe immiſcent, ut deſcendatur ad ſingulare certamen, tametſi Pugna, & acceſſus ad duellum peractum fuerit dummodo per ipſos non ſteterit, quò minus duellatores pugnarent.

12 Septimò enumerantur etiam præparatoria ad duellum cuiusmodi ſunt manifeſta, vel per modum epiſtolæ, vel publicæ atteſtationis; vel arguendo mendacij eum, qui contradixerit, vel quærendo, quo ſenſu verba prolata fuerint ex militari conſuetudine; & etiam denuntiationes factæ in locis publicis, ubi hominum frequentia ſolet intereſſe. Hi omnes ex Pontificijs conſtitutionibus ſubijciuntur pœnæ excommunicationis.

13 Quæritur quartò, quid per pœnam privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ intelligatur. Reſpondetur, privationem eccleſiaſticæ ſepulturæ dupliciter poſſe intelligi: primò pro privatione eorum omnium, quorum mortui ſunt capaces; perinde ac excommunicati privantur iis omnibus rebus ſacris, quas cum cæteris fidelibus poſſent participare: in hoc ſenſu privatio eccleſiaſticæ ſepulturæ non ſolùm negat, cadavera humari in loco ſacro, verùm etiam negat defunctis ſuffragia, miſſas, officia, & alia bona ſpiritualia, quæ ſolet eccleſia fidelibus defunctis applicare: imò negat etiam exequias, apparatus lugubres, & alia id genus pertinentia ad defunctos, & iis privantur, qui decedunt excommunicati; quia juxta SS. canones ſtatutum eſt, ut quibus non communicamus vivis, neque communicemus mortuis, ut habetur *in c. ſacris de ſepult.*

14 Secundò pœna privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ intelligitur minus rigoroſè, ut cadaver ſepeliatur in loco non ſacro abſque funebri apparatu, ſine pompa, ſine exequiis. Quando Concilium Tridentinum, & Pontificiæ conſtitutiones privant duellatores eccleſiaſtica ſepultura intelligitur privatio in hoc ſecundo ſenſu: ratio eſt, quia cum privatio ſit pœna, & odioſa, debet ſtrictè ſumi, ut ſonat in verbis: eſt enim regula communis, odioſa non eſſe extendenda ad alias pœnas non expreſſas in decretis.

Hinc duellatores decedentes in conflictu, 15
ſi in articulo mortis abſolvantur ab excommunicatione, & peccatis, privantur quidem eccleſiaſticâ ſepulturâ, ſed poſſunt pro iisdem offerri ſuffragia omnia, quæ pro iis offeruntur, qui ſine excommunicatione decedunt.

Poſſet tamen in contrarium obijci, quia 16
Concilium Tridentinum eatenus prohibet decedentes in duello ſepeliri in loco ſacro, quia ſupponit eos mortuos in peccato lethali, qua ratione eos judicat indignos loco ſacro: ergò ſi in mortis articulo abſolvantur ab excommunicatione, & peccatis, non ſunt privandi eccleſiaſtica ſepulturâ.

Sed contra quia Concilium non privat 17
decedentes in duello eccleſiaſticâ ſepulturâ ob illam rationem, quia ſupponat eos mortuos in lethali; ſed ratio Concilij fuit, ut per eam pœnam infligendam decedentibus in duello, alij abſterreantur à duellica pugna, idque ex eo firmatur, quia Concilium privat etiam Dominos dantes locum duellis dominio loci illius; adeò ut illis non proſit, ſi poſtea reſipiſcant: quia Concilium eam pœnam ſtatuit, non propter peccatum, ſed ad reſcindendas occaſiones pugnandi in duellis: unde licèt Domini reſipiſcant, non tamen eisdem reſtituitur dominium loci illius: Præterea vult Concilium, ſuperviventes à duello eſſe perpetuò infames; quamvis non neget, eos poſſe per confeſſionem pœnitentiam agere, quæ licèt apud Deum utilis ſit; non tamen prodeſt ad evitandas pœnas à Concilio inflictas contra duellatores: unde ratio, cur Concilium Tridentinum privet decedentes in duello eccleſiaſtica ſepulturâ, non eſt, quia ſupponat eos mortuos in peccato; ſed in deteſtationem monomachiæ, & ut alij ab eadem abſterreantur.

Cæterum privatio eccleſiaſticæ ſepulturæ 18
non indicat, eos qui tali pœna afficiuntur eſſe damnatos, quia ſepeliri extra locum ſacrum non eſt ex natura rei malum; plures enim ſunt, qui decedentes in gratia non ſepeliuntur in loco ſacro, ut ſunt, qui morientes in navibus, proijciuntur in mare; non enim eſt ulla obligatio ſervandi cadavera, ut cùm primum naves ad portum appulerint, ſepeliantur in loco ſacro: quòd ſi ſepeliri extra locum ſacrum eſſet ex natura rei malum, utique cadavera ſervanda eſſent in navibus.

Præterea poſt Rituale Romanum editum 19
juſſu Pauli V. nulla poteſt difficultas ſupereſſe; ſiquidem expreſsè in titulo de exequiis prohibentur Parochi eos ſepelire in loco ſacro, qui obierint in duello, quamvis dederint ſigna pœnitentiæ, & abſoluti fuerint à cenſuris; & Pontifex alluſit ad cenſuras inflictas à Concilio Tridentino, & alijs anteceſſoribus Pontificibus, quia Paulus in illo Rituali nullas de novo imponit cenſuras, ſed tantùm dirigit Rubricas juxta mandata ſuorum Prædeceſſorum à

& quia

& quis Romanus Pontifex eſt optimus, ac legitimus interpces legum eccleſiaſticarum, ſequitur, mentem Pontificum, & Concilij fuiſſe privare eccleſiaſticâ ſepulturâ decedentes in duello, quamvis ſigna dederint pœnitentiæ, & abſoluti fuerint ab excommunicatione,& peccatis.

20 Tum quia *in c. felicis 1. de torneamentis.* pcohibentur ſepeliti in loco ſacro, qui in iiſdem occiduntur, tametſi ſacramentum Pœnitentiæ iiſdem petentibus denegandum non ſit; unde multò magis debent eccleſiaſticâ ſepulturâ privari decedentes in duello: & licèt in odioſis ob paritatem retionis oou videatur argumentum procedere ab uno ad alium caſum: nihilominus inde evidentec probatur pœnâ privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ poſſe eos etiam puniri, qui ſigna dederunt pœnitentiæ, immo obtinuerunt abſolutionem ab excommunicatione, & peccatis, & deceſſerunt in gratia. Neque obſtat, quòd caſus de torucamentia ſit diverſus, quia moraliter conſideratus plurimum habet affinitatis cum duello; ſiquidem includit duellum malitiam quaſi ſpecificam, quæ eſt in torneamentis, quia homines congrediuntur inter ſe in loco, & tempore condicto cum vitæ periculo.

21 Quæritur quintò, an vulnerati in duello, ſi uno, vel altero die poſt completum duellum ſupervixerint, ſiut etiam privandi eccleſiaſtica ſepulturâ ex ſuppoſitione, quòd moriantur in propria domo, ſacramentaliter confeſſi, & abſoluti à cenſuris, & peccatis? Reſpondetuc, tales eſſe ſepeliendos in loco ſacro: retio eſt, quia Concilium, & Poutifices tautùm ſtatuerunt pœnam privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ, pro iis, qui deceſſerunt in ipſo duello: quando autem duellatores ſupervivantes uno, vel altero die moriuntur in proptia domo ſacramentaliter confeſſi, & abſoluti à cenſura, & peccatis,non dicuntur mortui in ipſo conflictu, neque in loco pugnæ; conſequentec non verificatur de ipſis ille clanſula appuſita in decreto Concilij Tridentini *ſi in ipſo conflictu deceſſerint*, odie enim, & pœnalia amplianda non ſunt, ſed reſtringenda, proinde pœna privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ ad eos tantùm reſtringi debet, qui in ipſo cooflictu decedunt ſtatim, vel poſt breve tempus, non verò extendi ad illos,qui poſt conflictum contriti,& confeſſi ſupervixerunt uno, vel altero die, & deceſſerunt in propria domo.

22 Quætitur ſextò, au provocantes, & provocati ad duellicam pugnam, ſi accedentes ad locum duelli cum animo ſimul congrediendi, & pugnaudi; poſtea non pugnent, vel quia nolint, vel quia ab amicis impediantur, incurrant excommunicationem, ex vi Gregocianæ conſtitutionis? Reſpondetur negativè, quia ex vi conſtitutionis Gregorianæ ij tantùm excommunicantur,qui ſe provocantes ad duellum, & de facto ſe conſerentes ad locum ſtatutum ſimul congrediuntur, & pugnant, ſiquidem habentur expreſsè hæc verba: *Qui monomachiam commiſerunt*, ſed ſe provocantes ad duellum, & eccedentes ad locum pugnæ cum animo ſimul congrediendi; ſi poſtea ſimul non congrediantur ex quacunque cauſa, & non pugnent, monomachiem non committunt, proinde ex vi Gregorianæ conſtitutionis non incurrunt excommunicationem: lex enim pœnalis, quando propter actum injungit pœnam, requirit ectum conſummatum, ut talis pœna incurratur;& præfata Bulla Gregoriana quoad ipſos pugnantes requirit actum conſummatum, ſeu ipſum effectum pugnæ, quie ij excommunicantur, qui monomachiam committuuc: excommunicatio enim quæ imponitur propter eliquem effectum, non incurritur, niſi ſecuto effectu. Tum quia cùm ſimus in pœnalibus, & odioſis, quæ noo ſunt extendenda, ſed potius teſtringenda; verba præfatæ Bullæ non debent ad eos extendi, qui de ſecto non committunt duellum.

Neque obſtat, quòd in conſtitutione Gregoriana incurrant excommuuicationem, conſulentes,auxiliantes,ſuadentes duellum,tametſi poſtee duellica pugne non ſequetur. Nam contra eſt, quia in pœnalibus non valet argumentum à majori ad minus,ſed verba Bullæ intelligenda ſunt ut formaliter ſonant, & pœna excommunicationis non iucurritur niſi formaliter exprimatur in jure: in præfata autem conſtitutione tantùm excommunicantur principales, qui monomachiam committunt: unde ſi non pugnent, non incurrunt excommunicationem ex vi talis conſtitutionis; tametſi præceſſeriot provocatio, & acceſſus ad locum ſtatuto tempore, & aliæ circumſtantiæ, quia hæc omnie ſe habent antecedentet ad monomachiam, quam tamen formaliter non conſtituunt. Secus in Gregoriana conſtitutione expreſsè excommmunicantur ſocij, ſautores, auxiliantes, & alij, qui ſe immiſcent duellicis actionibus, quamvis principales non pugnent. 23

Neque ſequituc abſurdum, ut magis dicantuc puniri, qui minus delinquunt: quia ad duellum magis videntur delinquere ſuadentes, & ſautores, quàm ipſi principales, qui ex injuriis ſibi illatis ſe ad duellum provocant, quia in iſtis ob iræ calorem, paſſioniſque efferveſcentiam, & alias circumſtantias impellentes ad pugnam, minuitur cetio liberi; non ita in ſocijs conſulentibus, & opem præſtantibus, ut ineatur duellum, quia iſti cùm nullam acceperint injuriam, nec læſi fuerint, non ducuntur paſſione, ſed malitie,quæ eo creſcit major,quo catio liberi eſt expeditior: & hæc eſt ratio, cur in conſtitutione Gregoriana incurrant excommunicationem, conſulentes, auxiliantes, ſuadentes duellum, quamvis principales poſtea non pugnent; licèt iſti, ſi pugna non ſequatur, non incurrant excommunicationem, 24

Quæritur ſeptimò, quo tempore cooperantes duello incurrant pœnam excommunicationis: cum enim, qui cooperantuc duello, non excommunicentur abſolutè, ſed tantùm conditionatè, ſi per ipſos non ſteterit, quo minus pugna duellica committeretur, oritur difficultas, quando hæc conditio cenſeatur adim- 25

p'eri, & proinde quo tempore cooperantes duello incurrant excommunicationem ? Reſpondetur, eam incurrere cùm primùm Principales duellatores incipiunt diſtrictis gladijs pugnam, vel minores ſclopos explodere : quòd ſi duellum non ſequatur, & per ipſos cooperatores non ſteterit, quo minus ſequeretur, tunc incurrunt excommunicationem eo ſtatuto tempore, quo pugna ex condicto erat committenda. Quòd ſi tempus ad duellum præſcriptum non eſſet, ſed tantùm locus deſignatus, & condictus, tunc cenſuras contraherent, quando duellatores ad condictum locum accederent, nec per ipſos cooperatores ſtaret, quo minus pugna iniretur, ut docet Carafa *tractat. 2. de duello sect. 3. quæſ. 54.* Immo ſi Principales duellatores non pugnarent, eò quia impedirentur ab alijs, non tamen ab ipſis cooperatoribus, adhuc iſti incurrerent excommunicationem ; quia Pontifex non imponit Cooperatoribus pœnam excommunicacionis, eò quia ſimpliciter poſſint duellum impedire, antequam committatur; ſed quia cùm poſſint, non impediunt, nec per ipſos ſtat, quo minus duellum committatur.

26 Quæritur octavò, an ſuadentes, vel conſilium dantes in ordine ad ineundum duellum, ſi poſtea conſilium revocent, ſuadeantque duellatoribus, ut omittant duellicam pugnam; & nihilominus iſti pugnent, an tunc ſuadentes incurrant cenſuras eccleſiaſticas ? Reſpondetur negativè: quia tametſi ſuadentes duellum ab initio fuerint cauſa moralis illius ; nihilominus ſi conentur poſtea avertere duellatores à duello, ac impedire omni conatu ne duellicam pugnam ineant , tunc ipſi poſtea non ampliùs influunt phyſicè, vel moraliter in duellum, quia revocare conſilium, & impedire duellum non eſt peccatum, immo opus bonum, proinde per talem actionem non poſſunt excommunicationem incurrere, quæ cùm ſit pœna gravis, ſupponit culpam gravem : neque obſtat, quòd antea duellum perſuaſerint : quia tale conſilium fuit poſtea revocatum, nec ampliùs manſit , proinde non potuit influere in duellum, ſiquidem ex *c. 1. extra de regul. jur*, res quælibet per eaſdem cauſas diſſolvitur, per quas naſcitur, ſed culpa contracta fuit ex dato conſilio, conſequenter ex eodem revocato, & diſſoluto diſſolvitur culpa ; Tum quia Pontifex anathemate percutit dantes conſilium ad duellum etiam non ſecuto effectu, non tamen ſimpliciter, & abſolutè eos excommunicat, ſed conditionatè , ſi per ipſos non ſteterit, quò minus duellum committeretur : ſin autem poſt primam ſuaſionem ſupponantur poſtea adhibuiſſe omnem conatum ad avertendos duellatores à pugna; ipſi tunc impediverunt duellicam pugnam, conſequenter non incurrunt excommunicationem.

27 Quæritur nonò, an provocatus ad duellum, ſi armatus ſe conferat ad locum pugnæ ea intentione, ut tantùm ſe defendat, ac proprium tueatur honorem, incurrat excommunicationem, ſi pugna ſequatur ? Reſpondetur affirmativè, quia eo ipſo, quòd armis inſtructus accedit ad locum pugnæ, illuc ſe confert animo ; pugnandi quod prohibetur ſub pœna excomūnicationis, quam procul dubio incurrit, ſi pugnet: ſiquidem ex eo, quòd compareat ad locum pugnæ armis inſtructus, cenſetur annuiſſe, ac reſpondiſſe provocanti; quod verò dicatur illuc acceſſiſſe animo tantùm ſe defendendi ; ac tuendi proprium honorem, illi non ſuffragatur, quia eo ipſo , quòd vult armis ſe defendere in loco ſtatuto, & tali tempore , vult formaliter duellum committere, quod ſub excommunicatione prohibetur ; tunc tantùm diceretur ſe defendere, quando fortuitò, & caſu illi obvians adverſarius enſem evaginaret, ac illum percuteret, tunc enim ſi ipſe provocatus nudaret gladium, & pugnaret, ne ab aggreſſore vulneraretur , rectè diceretur ſe defendere.

Quæritur decimò, an duellum ita ſit malum, ut pro nullo eventu poſſit eſſe licitum ? 28
Reſpondetur quòd tametſi duellica pugna ſuſcepta authoritate privata ſemper ſit illicita, poteſt tamen cohoneſtari, ſi ineatur authoritate publica ad evitandum majus malum. Ratio primæ partis eſt, quia deſcendere ad ſingulare certamen privata authoritate adverſatur legi naturæ, quæ dictat, non debere quemquam voluntariè, & liberè vitæ diſcrimini ſe exponere. Tum quia eſt contra præceptum legis divinæ, quâ prohibetur homicidium ; quapropter deſcendentes ad ſingulare certamen incurrunt graviſſimas pœnas inflictas ab utroque jure canonico, & civili. Tum quia non urgente graviſſima neceſſitate pro reparatione majoris mali imminentis, non licèt hominem occidere ; cùm id adverſetur divino præcepto: ſed per duella, quæ ſuſcipiuntur privata authoritate regulariter tantùm intenditur damnum adverſarij, & non reparatio gravioris mali, quod immineat toti reipublicæ, proinde hujusmodi duella, cùm non poſſint cohoneſtari, ſunt pro omni eventu illicita, ac prohibita.

Quinimò quamvis publica etiam inirentur authoritate, & de conſenſu Principis, adhuc eſ- 29
ſent illicita ; niſi ex tali ſingulari certamine impediretur graviſſimum damnum, quod reipublicæ immineret: ratio eſt, quia ſi præſcindamus à majori malo imminenti toti reipublicæ, & duellum inſtituatur inter duas perſonas privatas ad oſtentationem virium , vel ad reſarciendum tantùm proprium honorem, publica authoritas non poſſet duellum à crimine eximere, perinde ac ſine juſta, & legitima cauſa non poteſt hominem innocentem occidere. Ratio ſecundæ partis, nimirum poſſe aliquē licitè duellicam pugnam inire ex publica authoritate, & ad evitandum majus malum imminens ex eo liquet, quia pro evitando majori malo legimus, viros alioquin ſanctos deſcendiſſe ad ſingulare certamen, ut S. Wenceslaus Bohemiæ Rex, qui collectis contra vicinum Principem juſtis armis eò quia ſuos fines cum Wenceslai injuria transgreſſus regredi renueret ; miſeratus tunc pientiſſimus Rex, tot inno-

nocentes utrinque caſuros, ſi plenis exercitibus pugna iniretur, provocavit ad ſingulare certamen ſupremum Præfectum adverſarij exercitus; ut expoſitione ſui tantùm in diſcrimen, ſanguini parceret totius multitudinis, & fertur, ut narrat Aeneas Sylvius per miraculum fuiſſe à periculo ereptum, ac victoriam reportâſſe demonſtrante Deo Principis juſtitiam ſibi eſſe cordi, ac terrente per Angelos ejus inimicos. Conſtat etiam *1. Reg.* 17. Davidem cum Goliatho ſingulari certamine honeſtiſſimè decertâſſe: quòd minimè contigiſſet, ſi duellica pugna pro nullo eventu poſſet cohoneſtari.

30 Neque obſtat, quod reſpondet Gomitolus *l. 6 q. 16. n. 10.* duellum illud fuiſſe à Davide ſuſceptum ex divino inſtinctu, & impulſu: quia ſi ita eſt: ergo non omne duellum eſt ex natura ſua illicitum, & impium, ſi enim duellum eſſet ab intrinſeco malum, ut mendacium, & odium Dei, non juſſiſſet Deus, Davidem inire hoc ſingulare certamen, cùm repugnet, Deum jubere, quod eſt intrinſecè malum; ſicut non poteſt præcipere mendacium, & odium Dei, eò quia hæc ſint intrinſecè mala, ita nec præcepiſſet Davidi hanc duellicam pugnam, ſi eſſet intrinſecè mala. Firmari ex eo poteſt, quia ſi ſupponantur duo milites ob patrata ſcelera à bellico conſilio damnati ad mortem, ſi Princeps vellet tantùm ut unus moreretur, & alter vitâ donaretur, qui ſocium in duello occideret: tunc duo illi milites jam damnati ad mortem poſſent licitè deſcendere ad ſingulare certamen ad propriam vitam tutandam; quia cùm jam actum ſit de ipſis, & ſaltem mediante ſingulari certamine affulgeat iiſdem ſpes aliqua mortis declinandæ, ſcilicet ſi victor evadat in illa duellica pugna, tunc eſt minus malum ſe exponere periculo vitæ cum ſpe aliqua evadendi mortem, quàm certiſſimè mortem ſubire: & cùm teneatur quiſque juxta rectæ rationis dictamina, & legem naturæ tutari, & conſervare, quantum poteſt, propriam vitam, certò in hoc caſu ſi milites illi damnati ad mortem conſentiant duellicæ pugnæ licitè, & honeſtè agunt juxta dictamina rectæ rationis; cum poſſint tali via mortem, certiſſimè aliàs ſubeundam, declinare.

Similiter ſi à Magiſtratu duo Rei ad mortem damnati ita conſtituantur, ut ſimul debeant pugnare, vita ei, qui vicerit condonata, licitum eſſet Reis jam damnatis, tale certamen ſuſcipere, quia cùm uterque jam ſit Reus mortis, unus conſtituitur miniſter juſtitiæ contra alterum, ut ſententiam mortis in alium exequatur. Nihilominus, quia id ob adjunctas circumſtantias non careret periculo ſcandali, ideo ex hoc capite hujuſmodi ſingularia certamina non videntur licita; tametſi ipſi Rei poſſint, talem facultatem ſibi à Principe, vel Magiſtratu factam licitè acceptare, licèt non ex odio, ſed ex zelo publicæ juſtitiæ, & cauſa tuendæ propriæ vitæ. Dantur igitur plures caſus, in quibus duellica pugna poteſt cohoneſtari. 31

Tum quia ſi poſſunt pugnare licitè ex juſta cauſa duo exercitus, non video, cur non poſſit pugna reſtringi ad pauciores utrinque milites, adeò ut cauſa belli committatur decidenda tribus, vel etiam duobus ſelectis ex utroque exercitu, imò etiam uni ex utraque parte, & qui vicerit, cauſam pro ſua parte, à qua fuit ſelectus obtineat: eſt enim minus malum, quòd unus tantùm, vel alter occumbat in duellica pugna, quàm quòd plura millia cadant in pleno utrinque exercitus conflictu. 32

TITULUS XV.

De Sagittariis.

Cum in præcedentibus titulis Pontifices prohibuerint torneamenta, & duella, eò quia habeant adnexum mortis periculum: ita in præſenti prohibent artem Sagittariorum, & Balliſtariorum, eò quia hæc ars ſit etiam pluribus obnoxia periculis, & dederit cauſam pluribus homicidijs, quæ contigerunt; non ſecus ac conflictus illi haſtiles, qui torneamenta vulgariter dicuntur, & duella: unde ob eandem cauſam, qua Pontifices prohibuerunt haſtiludia, ſeu torneamenta, & duella, prohibent etiam in præſenti titulo artem Sagittariorum, ſeu Balliſtariorum.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Unici Capitis, in hoc Titulo contenti,

C. ARTEM UNIC. h. t. Innocentius III. declarat, eſſe excommunicandos, qui exercent mortiferam, & odibilem artem Balliſtariorum, & Sagittariorum contra Chriſtianos, & catholicos. Textus autem ut notat Gloſſa procedit contra exercentes hanc artem in bello injuſto. Cæterum quando Pontifex ait, præcipimus ſub pœna, vel ſub interminatione excommunicationis, vel ſub excommunicatione, non eſt quis excommunicatus, ſed excommunicandus, adeo ut excommunicatio ſub conditione, ut excommunico, quicunque furtivè ad ordines accedit, tunc accedens ad ordines furtivè eſt ipſe facto excommunicatus c. 1, de eo qui fur. ordin. recip. *Cæterum notat Barboſa nomine Sagittariorum, & balliſtariorum hic eos intelligi, qui fœdere cum Dæmone inito ei animam, & corpus addixerunt, ut eminus trajcere, ac ferire poſſint, quos voluerint; adeò ut nomine Sagittariorum non intelligantur illi, qui artem ſagittandi legitimè exercent.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſint Sagittarij, & Balliſtarij, & quæ pœna jure canonico imponantur Sagittariis.

1 Sagittarij juxta præſens inſtitutum ij dicuntur, qui jacula, ſeu ſagittas emittunt ex arcu: & Balliſtarij, qui balliſta utuntur. Sunt Balliſtarij, qui balliſtas conficiunt: ſunt autem Balliſtæ, Catapultæ, ſeu machinæ quædam, quibus in hoſtes vibrantur, & emittuntur gravioris ponderis lapides ad eos contundendos, de quibus loquens Syneſius *epiſt. 133.* ait: *Non mihi otium alienæ arti mentem applicanti: accingor enim, ut ex turribus jacula emittamus valida, lapidibus gravia.* Unde balliſtæ, ſeu catapultæ ſunt inſtrumenta ad jaciendos lapides, ſeu machinæ emittentes prægrandia ſaxa: imò & ferreæ trabes ejusmodi inſtrumentis maximo impetu in mediam hoſtium aciem contorquebantur. Nunc hoc nomine comprehenduntur etiam tormenta bellica ad muros diruendos, aut concutiendos, ut notat Lipſius *lib. 21.* Ejusdem generis fuerunt etiam arietes, de quibus Cicero *lib. 1. de offic.* ait, *qui poſitis armis ad Imperatorum fidem confugiunt, quamvis aries murum percuſſerit, ſunt recipiendi.* Fuit aries machina quædam bellica ad muros deſtruendos compacta, de qua Xenophon *lib. 6.* Oportet, machinas conſtruere ad hoſtium muros ſubvertendos. Refert Plutarchus, Demetrium ſuopte ingenio ſibi ejusmodi inſtrumenta bellica fabricâſſe, & machinas obſidionales vocâſſe, ac propterea fuiſſe Demetrium ipſum per antonomaſiam dictum urbium expugnatorem. Balliſtis accedunt etiam arcus, è quibus ſagittæ eminùs jaciuntur; quapropter appoſitè in præſenti titulo Sagittarij Balliſtarijs conjunguntur: & in hanc rem fortaſſis comparatæ ſunt minores balliſtæ; ſiquidem moris fuiſſe, ut in bello milites uterentur majoribus, & minoribus balliſtis refert Livius *lib. 26.* ubi agit de apparatu belli, quã Carthagini urbe captâ inventus eſt: ex qua autem materia balliſtæ conficerentur, refert Conſtantinus Cæſar *libell. de adminiſt. imper. ad Romanum filium c. fin. in. pittacio quódam donationis*, ubi ait, præterea præbemus vobis juxta cunmquemque morem nervos, & arcus, ferrum, & oleum ad præparationem balliſtarum veſtrarum.

2 In primævo hominum ſtatu arma tantùm fuerunt manus, ungues, & dentes, *& lapides, item ſylvarum fragmina, rami*, ut notat Lucretius *lib. 5. de rerum natur.* & habetur in *l. armorum 41. ff. de V. S.* Creſcente poſtea hominum malitia, dominandíque cupiditate, cùm bella crebra eſſent, furor arma ſeveriora invenit, & miniſtravit, & quia inter armorum genera nullum fuit ſævius illo ſagittarum, & balliſtarum, eò quia ſagittæ eſſent veneno illitæ, ut refert Ælianus *lib. 9. hiſtor. animal. c. 15.* ideò Innocentius III. *in c. artem unic. h. t.* artem hanc mortiferam, & odibilem balliſtariorum, & Sagittariorum adverſus Chriſtianos, & Catholicos prohibet exerceri, & quidem ſub pœna excommunicationis.

3 Sunt tamen, qui cenſent Innocentium III. *in d. c. artem unic. h. t.* prohibere artem balliſta

liſtariorum, & ſagittariorum; ſeu balliſtis, & ſagittis uti in bello injuſto contra Chriſtianos, non verò in bello juſto; in quo utrum aperta pugna, an inſidijs vincatur, nihil ad juſtitiam intereſt: hinc cenſent, artem hanc balliſtariorum, & ſagittariorum non prohiberi in hoc titulo in bellis juſtis, ſed tantùm injuſtis; quia in juſtis ſicuti licitum eſt uti alijs armis, ita etiam illis mortiferis. Sed hæc ſententia non videtur veritati, & textui conſona, quia Pontifex in *in d. c. Artem unic. h. t.* improbat hanc artem balliſtariorum, & ſagittariorum in bellis contra Chriſtianos ſuſceptis.

4 Tum quia in bello injuſto alia potiore ratione viderentur prohiberi balliſtæ, & ſagittæ, ſcilicet ratione injuſtitiæ, quia in bello injuſto non eſt licitum ſagittis, nec alijs armis uti, non ſolum contra Chriſtianos, ſed nec etiam contra Paganos. Hinc Barboſa in præſenti *c. artem unic. h. t.* cenſet, ſagittarios, & Balliſtarios, de quibus ſit mentio in hoc textu eſſe homines fœderatos cum dœmone, qui illis viciſſim pollicetur ſe adfuturum, ut quem longiſſimè diſſitum malverint, ineluctabili ictu traijciant, & ait Barboſa, hanc artem neſariam improbâſſe, & damnâſſe Innocentium in præſenti titulo. Verùm etiam hæc explicatio videtur captu difficilis: quia ſi ars hæc malefica eſſet, & ex pacto cum dœmone inito procederet, ſequeretur, quòd non ſolùm contra Chriſtianos, ſed nec etiam contra hæreticos, & paganos liceret illâ uti, & tamen Pontifex tantùm prohibet artem hanc ſagittariorum adverſus Chriſtianos, & Catholicos exerceri ſub excommunicatione: cum enim nunquam licitum ſit pactum inire cum Dœmone, talem artem prohibuiſſet procul dubio Pontifex contra quemcunque etiam Paganum.

5 Hinc alij cenſent, in hoc titulo non fuiſſe prohibitas ſagittas, & balliſtas, ſed tantùm quoddam militum genus his utentium, qui impij, & crudeles admodum erant, & Ruptarij dicebantur. Verùm cùm Innocentius expreſsè loquatur de Balliſtarijs, & Sagittarijs non eſt textus intelligendus de Ruptarijs.

6 Quamobrem probabilius eſt in præſenti titulo non damnari omnino artem Balliſtariorum, & ſagittariorum, ſed tantùm caveri, ne ulli Chriſtiano licitum ſit, hanc artem exercere contra alios Chriſtianos, & Catholicos, & id prohiberi ſub pœna excommunicationis: imò non ſolùm prohibetur uſus hujus artis contra Chriſtianos, ſed etiam prohibentur ſagittæ ſieri à Chriſtianis, & deſerri ad infideles, ut illis utantur contra Chriſtianos, idque etiam vetant Imperatores in *l. 2. C. quæ res export.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

Quæritur primò, an licitum ſit bellum indicere infidelibus? Reſpondetur, poteſtatem belli indicendi infidelibus ob ſolam infidelitatem non eſſe penes Reges ſæculares, ſed tantùm penes ſummum Pontificem. Ratio eſt, quia Reges ſæculares nullibi habent jus directè, vel indirectè in aliorum Regna, ſi non adſint ſufficientes rationes, quibus unos Rex habeat jus in bona alterius: Reges autem Chriſtiani nullum habent jus ſupra Provincias infidelium propter ſolam infidelitatem, quæ cùm ſit tantùm perſonalis, non infert injuriam cæteris, nec dat iiſdem jus ad bellum inferendum; unde ex ſimplici infidelitate non poſſunt Reges Chriſtiani bella indicere directè Regibus infidelibus, ſi eorum Regna olim non pertinuerint ad Reges Chriſtianos, nec fuerint injuſtè ab infidelibus uſurpata: ſiquidem Imperator, & alij Principes Chriſtiani poſſunt ſemper bellum Turcæ indicere ad recuperandas Provincias pertinentes ad Chriſtianos, & quas Turca injuſtè armorum violentia ſibi uſurpavit. Cæteroquin Principes Chriſtiani, nec jus indirectum habent in ordine ad bellum indicendum Regibus infidelibus: quia jus indirectum oritur ex jure directo prædicandi evangelium, & hoc jus non pertinet ad Regem ſæcularem, ſed ad ſolum ſummum Pontificem: unde Rex Chriſtianus ob ſolam infidelitatem non poteſt bellum indicere infidelibus, nec illos privare dominio ſuarum Provinciarum, ut docet Molina *tom. 1. de juſtit. diſp. 105.* 1

Quamobrem ſolus ſummus Pontifex poteſt prædicatores mittere ad promulgandum evangelium; quòd ſi poſtea ab infidelibus impedirentur, poſſet tunc Pontifex facultatem concedere Principibus fidelibus, ut armis Principes infideles invaderent; quia licèt infideles, nec mediatè, nec immediatè cogi poſſint, ut fidem & baptiſmum ſuſcipiant; poſſunt tamen adigi, ut ipſam fidem à prædicatoribus Catholicis enuntiandam, & promulgandam attentis audiant auribus, & ſeriò de ea recipienda, vel reſpuenda deliberent; & prædicatores Chriſtianos hoc tam utile, & ſalutare officium erga illos volentes exercere tuto, fidóque hoſpitio recipiant, liberúmque tranſitum per ſuas Provincias concedant, in quibus evangelium enuntiare, ac fidem catholicam propagare deſiderant, adeò ut ad id cogere Principes infideles licitum ſit, poſſitque jure optimo iiſdem detrectantibus bellum inferri. Verùm antequam ad id deveniatur omnia alia adhibenda ſunt media, quæ ad munus apoſtolicum pacificè obeundum concurrere poſſunt. 2

3 Quæritur ſecundò, an prædicatores Chriſtiani poſſint incedere per iufidelium Provincias cum militibus armatis, & cogere infideles ad audiendum evangelium? Reſpondetur, id non videti licitum, quia evangelium non alia ratione promulgari debet, quàm à Chriſto præceptum fuerit: modus autem prædicandi cum exercitu, & vi cogere infideles ad audiendum, eſt contra rationem à Chriſto præceptam; ſiquidem *Matth. 1.* Chriſtus mittens Apoſtolos ad prædicandum, eos miſit ſine militibus, ſine armis, quinimò agnorum more inter lupos, quorum ungues eſſent pluries experturi. Suarez tamen *de charitate diſp. 18. ſect. 1. n. 8.* cenſet, Principes Chriſtianos ad convertendos Barbaros poſſe Prædicatores mittere cum ſufficienti exercitu, non ut bellum inferant, ſed ut Prædicatores defendant, qua ratione cenſet, poſſe etiam arces munitas in confiniis Provinciarum infidelium conſtruere, ut facilior, ac tutior aditus, & exitus fidelibus pateat; dummodo tamen infideles fuerint priùs pacificè moniti ad audiendam, & recipiendam prædicationem: quapropter, infideles poſſunt juſto jure compelli, ne ullo modo Chriſti fidem impediant, quia id non eſt compellere ad recipiendam fidem, ſed defendere Prædicatores volentes exercere jos, quod habent ad annuntiandum, & prædicandum evangelium gentibus omnibus ex Chriſti mandato.

4 Quæritur tertiò, an in aliqnibus caſibus licitum ſit inferre bellum iufidelibus, non quidem ob ſolam infidelitatem, ſed ob aliquam aliam circumſtantiam eidem adnexam? Reſpondetur cum Reginaldo *tom. 2. lib. 21. c. 8. n. 49.* dari aliqnot caſus, in quibus licitum eſt Principibus Chriſtianis bellum inferre infidelibus. Primus eſt, ſi infideles defacto Provincias occupent, quæ olim pertinebant ad Chriſtianos, hac ratione Principes Chriſtiani poſſunt licitè ſemper movere bellum contra Turcas, eò quia iſti Regna, & Provincias occupent, quæ olim erant Chriſtianorum.

5 Secundus eſt ſi infideles injurias fidelibus inferant.

6 Tertius, ſi ſuadeant Chriſtianis à vera deſciſcere religione.

7 Quartus, ſi infideles impediant liberam prædicationem evangelij, tunc enim poſſunt Principes Chriſtiani illis bellum indicere authoritate Eccleſiæ, quæ cùm acceperit poteſtatem à Chriſto prædicandi evangelium per totum mundum *Matth. ult.* infideles impedientes hanc prædicationem inferunt Eccleſiæ injuriam, quam propterea poteſt Eccleſia licitè armis propulſare, & facultatem concedere Principibus Chriſtianis bellum indicendi talibus infidelibus impedientibus jus, quod habet *Eccleſia* promulgandi evangelium per totum mundum.

8 Quintus, ſi *infideles*, qui ſubſunt Principi *Chriſtiano* leges ipſis ab eo præſcriptas, & conſentaneas legi naturæ detrectent obſervare.

9 Sextus, ſi Princeps infidelis nulli fideli ſubditus peccata committit non ſolùm contra Deum, verùm etiam contra proximum, adeo ut ſi in infidelibus non ſolùm reperiatur idololatria, verùm etiam effrænata Tyrannis, humanæ carnis ingluvies, cruenta, & execranda Innocentium ſacrificia, tunc ob has injurias, & oppreſſiones tollendas poſſunt Chriſtiani Principes infideles debellare, tametſi ijsdem non ſubijciantur, ſed degentes in remotiſſimis mundi partibus velint ita vivere ſua ſorte contenti; hinc Hiſpani occupârunt novum orbem, cujus Incolæ non homines, ſed bruta animalia potiùs videbantur, cùm Reges ſuos paſſim per tyrannidem occiderent, dijs immolarent, innocentes opprimerent, humanis carnibus veſcerentur: hinc Alexander VI. amplas illas Indiarum Occidentalium Regiones catholicis Regibus Ferdinando, & Iſabellæ, eorúmque ſucceſſoribus conceſſit in dominium perpetuum: quia Pontifex poteſt dono dare Principibus Chriſtianis ea infidelium Regna, quæ Chriſtianorum nunquam fuerunt, ad Chriſtinæ fidei, & evangelij propagationem; atque idololatriæ extirpationem: quia ſummus Pontifex ut Chriſti Vicarius habet jus propagandi evangelium in univerſum terrarum orbem, & ubique locorum extirpandi Idololatriam, accepit enim Eccleſia hanc poteſtatem à Chriſto *Matth. ult.* & *Marc. ult.* quapropter ſi infideles recuſent verum Dei cultum, poteſt Pontifex Chriſtianis Principibus facultatem concedere, ut Provincias illas occupent, verúmque in ijsdem introducant Dei cultum, ut in ipſis floreat Chriſtiana religio.

10 Quæritur quartò an licitum ſit etiam hæreticis bellum indicere ob ſolam hæreſin? Reſpondent plures juſtam cauſam inferendi bellum hæreticis eſſe ſolam, & præciſam hæreſin, eò quia olim Deus *Deuter. 13.* præceperit filijs Iſrael, ut civitatem, quæ in tale crimen incurriſſet armis aggrederentur, ac delerent: hinc filij Iſrael voluerunt bellum movere contra filios Rubem, & Gad; eò quia exiſtimaverint ipſos receſſiſſe à fide, ut habetur *Joſuæ c. 22.* Ratio itidem eſt, quia hæreſis graviſſima damna toti infert reipublicæ: proinde ad hujusmodi damna impedienda poſſunt hæretici bello cogi ad deſiſtendum à ſuis erroribus: quilibet enim poteſt impedire damna, quæ ſibi inferuntur ab alijs. Verùm ſervandus tunc eſt ordo juris, quia non poſſunt Catholici bellum indicere hæreticis, niſi priùs ab Eccleſia fuerint declarati hæretici *c. cum ſecundum leges de hæret. in 6.* poſt declarationem autem poteſt quivis Princeps catholicus ſuis ſubditis pro juriſdictione, quam in eos habet, bellum inferre; & ſi nolint à ſuis erroribus deſiſtere, poteſt etiam eorum bona occupare.

11 Putârim tamen eſſe procedendum cum diſtinctione; ſi quidem dupliciter poteſt hære-

ſis

ſis conſiderari. Primò ut ſimpliciter eſt peccatum: ſecundò ut eſt tale peccatum, quòd ſcilicet turbat pacem Eccleſiæ, & plurima adfert Reipublicæ incommoda, & ſeducit fideles; & ſub hac ſecunda conſideratione tantùm putârim, hæreſin eſſe ſufficientem cauſam, ut catholici poſſint hæreticis bellum indicere. Quamobrem ſi ſubditi alicujus Regis, vel Principis deficiant à fide catholica, & alios fideles trahant ſecum ad eoſdem errores, & hac ratione Regnum turbent, diſſidia excitent, rebellionem foveant, & alia adſerant incommoda, poteſt tunc Rex catholicus eos bello coërcere, ſi alio modo non poſſit eos ad unitatem fidei catholicæ trahere: Id enim præſtitit Moyſes, cùm pars populi incidit in idololatriam exhibendo cultum vitulo ex auro conflato; fuit enim eos bello aggreſſus, & triginta tria millia ex ipſis interfecit. Præterea ſi Rex, vel ſubditi unius Regni deſciſcant à fide catholica, & nitantur ſubditos vicini Regni in eandem pertrahere defectionem, poteſt vicinus Rex illis bellum indicere, & injuriam ſibi illatam armis vindicare.

12 Quæritur quintò, an quando juſta ſuppetit cauſa bellum indicendi, non ſolùm tunc poſſint illi licitè bellum ſuſcipere, quorum intereſt; verùm etiam poſſint adjuvari ac promoveri ab alijs, qui velint ſocij eſſe juſti belli? Reſpondetur affirmativè, quia *Gen.* 14. Abraham juſtè pugnavit contra quatuor Reges in gratiam fratris ſui Loth, eò quia eum captivum ducerent. Rurſus 4. *Reg.* 3. Joſaphat pugnavit contra Meſam Regem Moab pro Joram. Rario eſt, quia charitas in proximum unit homines affectivè, adeò ut ſocij juſti belli reputentur pro uno, & eodem. Præterea opus eſt charitatis juvare innocentem, ne opprimatur ab injuſto aggreſſure, & ſicut exercere opus charitatis, eſt exercere opus ex natura ſua bonum; ideo licitum eſt, alios in ſubſidium juſti belli accerſere, immo etiam infideles, dummodo ſcandalum ceſſet, & periculum fidei abſit: etenim Machabæi in ſuis juſtis bellis auxilium petierunt à Romanis; licèt tunc temporis infideles fuerint: ratio eſt, quia quod alij poſſunt ſpontè ſua rectè facere, poteſt etiam licitè ab eis peti.

13 Quæritur ſextò, an ad juſtum bellum ineundum ſufficiat titulus puniendi culpam in aliquem commiſſam? Reſponderi ſolet cum diſtinctione, ſi, qui pœnam pro culpa ſubire detrectant, ſint ſubditi alicujus Principis, tunc poteſt Princeps, ut ſuperior eos vi, & armis coërcere ad ſubeundam pœnam; quia Princeps ut ſuperior habet jus puniendi ſuos ſubditos detrectantes acquieſcere juri Principis: tunc enim habentur ut rebelles, poſſúntque armis coërceri. Sin verò, qui pœnam pro culpa ſubire nolunt, ſint ſubditi alterius Principis: vel ſit unus Rex, qui nolit pœnam ſubire ob culpam commiſſam in alium Regem; tunc non poteſt unus Rex ex ſola ratione puniendi culpam bellum indicere alteri Regi poſt damna omnia ſarta; ratio eſt, quia tunc ambo Reges ſunt independentes, & unus ob commiſſam culpam præcisè non ſubijcitur alteri, & cum ex alio capite ſupponantur damna omnia ſarta, non videtur, quo jure poſſit unus Rex alium bello aggredi: etenim ex natura rei non videtur hoc licitum ob plurima, & graviſſima, quæ inde ſequerentur inconvenientia: ſiquidem cum homo facilè exardeſcat irâ, & injuriam ſibi illatam longè graviorem exiſtimet, quàm re ipſa ſit; ita conveniens non erat, ut ex natura rei ipſe læſus eſſet Judex alterius, ex eo præcisè capite, quòd eſſet ab altero læſus: hac ratione ſtatutum eſt jure civili, ut Reus non debeat comparere apud Judicem Actoris, ſed debeat ad forum Rei cauſa deduci; quia timetur, ne ex conjunctione Judicis Actoris cum Actore gravius, quàm par ſit, Reus puniatur, cùm potiùs jura Reis faveant.

Unde eo ipſo, quòd ſatisfactum eſt omnibus damnis tam famæ, quàm honoris, non poteſt unus Rex inferre bellum alteri ſibi non ſubdito, ea tantùm ratione, ut puniatur delictum. Quòd ſi objicias exemplum Davidis, qui ob hanc ſolam cauſam bellum intulit Amonitis, eò quia raſerint barbam ſuis Legatis: & exemplum filiorum Iſrael, qui Benjamitas profligârunt armis, eò quia noluerint exhibere viros, qui uxorem Levitæ occiderant. Contra eſt, quia David bellum indixit Amonitis non præcisè, ut eos puniret ob raſuram barbæ; ſed ad compenſandum honorem læſum per injuriam ſibi illatam ab Amonitis. Ad id, quod addebatur de Benjamitis, reſpondetur, id non eſſe ad rem, quia iſti fuerunt ſubjecti toti communitati Judæorum, adeò ut tenerentur parêre Judæis; & quia noluerunt obſequi, ideo fuerunt puniti tanquam ſubditi rebelles. Alij cenſent, Iſraelitas nonniſi conſulto Deo deleviſſe armis Beniamitas. Potuit enim Deus hanc ſpecialem facultatem concedere Iſraelitis, ut armis Beniamitas delerent. 14

Quæritur ſeptimò, an ad juſtum bellum indicendum ſufficiat qualiscunque perſuaſio de juſta ejus cauſa. Reſpondetur negativè, quia ad juſtum bellum ineundum requiritur certa, vel ſaltem probabilis ratio in eo, qui bellum infert; adeò ut res debeat maturè per ſe conſiderari, & per alios, alioquin nonniſi temerè, ac injuſtè bellum iniretur. Quòd ſi poſt maturam inquiſitionem res adhuc dubia ſit, tunc procedendum eſt cum diſtinctione, vel enim res eſt in poſſeſſione alterius, & tunc non eſt licitum ei bellum indicere; quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis, ut docet Sotus *lib. 4. de juſt. & jur. art. 1.* Sin verò res in neutrius partis ſit poſſeſſione; tunc in dubio neutra pars poteſt alteram oppugnare pro te tota habenda; ſed tantùm pro illa parte æquali, vel inæquali obtinenda, prout dubium eſt utrinque æquale, vel inæquale. 15

Non tamen milites tenentur examinare, an bellum indictum à Principe juſtum ſit, nec ne; quia hoc examen pertinet ad Principem, 16

& ejus

& ejus Conſiliarios. Milites tamen, qui Principi ſubijciuntur, vel ſunt ejus ſtipendiarij debent ſcrire, quòd bellum oon ſit evidenter injuſtum; quòd ſi dubitent, adhuc tenentur obedire ſuo Principi. Sio verò milites non ſubijciantur Principi moventi bellum, nec ſint ejus ſtipendiarij, ſed ſpontè, & voluntariè ad bellum accedant, tunc communior ſententia eſt; non poſſe milites adſcribi militiæ, ſi dubitent de juſtitia belli: quia cùm liberi ſint, oulla adigontur neceſſitate parendi Principi bellum moventi: debent enim tunc ſibi perſuadere bellum eſſe juſtum, ad quod ſufficit, ſi credant Principem juſtum eſſe, & communem opinionem eſſe, bellum illud juſtè inſtitui; quia milites non tenentur acutiſſimè omnes belli cauſas examinare, id enim pertinet ad Principem, & ejus Conſiliaros.

17 Quæritur octavò, an damnum ſine culpa illatum ſit ſufficiens cauſa belli movendi? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi qui damnum intulit inculpabiliter, non ſit inde factus ditior, ad nihil tenetur: quia neque ratione culpæ, nec ratione injuſtæ detentionis, quæ ſunt duo capita obligantis ad reſtitutionem, poteſt qui damnũ ſine culpa intulit obligari ad reſarciendum: cùm enim non ſit ditior factus, nil actu retinet, quod debeat reſtituere? rurſus cùm non peccaverit, nec tenetur reſarcire: ſecus ſi ditior factus ſit, tenetur reſtituere, quidquid ipſi inde accreſcit, ſive habeat de facto rem illam, ſive dum illam conſumpſit, ſuis pepercerit: hinc ſi Rex aliquis non ſit ditior factos; ac propterea nolit reſtituere, non poteſt armis impeti, quia ad nihil tenetur: ſin verò factus ſit ditior, & nolit reſtituere, tunc poteſt armis cogi.

Sin verò Rex retinendo rem alienam in- 18
vincibiliter, reputaret eſſe ſuam, vel monitus ab alio nollet eam reſtituere, eò quia nolit credere monentibus, vel quia rationes, quæ ipſi adferuntur, non convincant, an tunc poſſit in eum juſtum bellum moveri, ut armis adigatur ad reſtituendum. Reſpondetur, quòd ſi tales rationes allatæ ſint moraliter efficaces, & hiſce non obſtantibus nolit alter Rex reſtituere, tunc communior ſententia eſt, poſſe Regem, ad quem res illa pertinet, eum bello invadere, quia hebetudo alterius, vel ignorantia non debet ei ſuffragari in damnum tertij. Verùm tunc non plus damni debet inferri, quàm ſimpliciter neceſſarium ſit ad repetendam rem propriam.

Sin verò rationes allatæ non ſint morali- 19
ter efficaces, non poteſt bello cogi ad reſtituendum, quia ex ſola privata ſcientia alterius Regis repetentis rem illam, non poteſt ferri publica ſententia: alioquin in tali caſu daretur bellum ex utraque parte per ſe juſtum, & non ſolùm quaſi ex ignorantia juſtum, ſed quia revera quilibet haberet verum jus ad illud inſerendum: bellum autem ex utraque parte per ſe juſtum non datur, quamvis dari poſſit bellum, quod reſpectu unius partis ſit per ſe juſtum, & reſpectu alterius tantùm per accidens.

TITULUS XVI.

De Adulterijs, & Stupro.

CUm Pontifex egiſſet in præcedentibus titulis de homicidio, & quibusdam actibus, ad quos homicidium nonnunquam ſequitur; & quibus propterea corpus, & vita proximi læditur; nunc ordine decalogi agit de adulterio, & ſtupro, quæ ſequuntur ad præceptum non occidendi: dicitur enim in decalogo *non occides, non mœchaberis*; homicidium enim pertinet ad quintum, & adulterium ad ſextum decalogi præceptum. Quamobrem in præſenti Pontifex agit de delictis carnis, quibus læditur pudicitia, & Doctores etiam de cæteris illiciti concubitûs generibus.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *SI SEDUXERIT h. t. Statuitur ſicut in exodo, eum qui ſeducit virginem non deſponſatam & dormit cum illa teneri eam dotare, & habere in uxorem: quòd ſi pater virginis nolit eam dare declarat Pontifex, teneri tunc eam dotare juxta conſuetudinem Regionis. Hæc olim ſervabantur in Exodo, nunc verò quia lex Moyſis Chriſtianos in Cæremonialibus & judicialibus non obligat, videretur aliter ſtatuendum, & nihilominùs*

à Pon.

à Pontificibus lex illa Moyſis recipitur inter decretales. Verùm de obligatione ſolvendi dotem plura habet Barboſa hîc, ubi alios allegat. Cæterum qui virginem ſtupraverit ſinè ſeductione, eò quia puella ſe ſpontè obtulerit, nec fuit à ſtupratore perſuaſa, non ſubjacet pœnæ hujus textus, quia loquitur de eo, qui ſeduxit virginem, & cùm lex ſit pœnalis non eſt extendenda ultra caſus expreſſos.

C. PERVENIT 2. h. t. Gregorius reſcribit Epiſcopo Sipontino, ut qui virginem decepit, & ſtupravit, teneatur eidem nubere, & ſi nolit eam ducere, caſtigetur corporaliter, anathemate percutiatur, & poſtea detrudatur in monaſterium, in quo agat pœnitentiam, & à quo non egrediatur ſine licentia. Ubi notat Gloſſa teneri ſtupratorem nubere puellæ à ſe ſtupratæ, ſi ipſa & ejus pater voluerint. Ceterum pœna legis civilis, quam Pontifex in hoc textu ſignificat, eſt, ut ſtupratores virginum relegentur, vel ſi viles ſint perſonæ, verberentur, inſtit. de pub. Jud. §. 2. Sin autem per vim hoc fecerint capite plectuntur ibid. §. ſin autem: ſed Pontifex hanc pœnam civilem mutat in canonicam, & verberationi addit excommunicationem, ac detruſionem in monaſterium ad perpetuam pœnitentiam ibi agendam: hæc autem pœna aliquibus videbatur durior pœnâ relegationis, vel etiam ſupplicij capitalis. Verùm hodie non eſt amplius in uſu, & tantùm ſtuprator virginis tenetur, vel illam ducere, vel congruam dotem tradere.

C. SI VIR 3. h. t. Ex Concilio Arelatenſi ſtatuitur, quòd ſi maritus ſciens ſuam uxorem deliquiſſe, nec egiſſe pœnitentiam, cùm adhuc in fornicatione permaneat, ſi cum illa vixerit, ſit Reus, & particeps delicti: ſin verò mulier dimiſſa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum reverti, debeat, ſed non frequenter recipere peccatricem. Ex quo textu liquet, maritum fieri participem turpitudinis uxoris, ſi ejus adulterium non denunciet ad pœnitentiam, adeo ut teneatur vir ſub gravi peccato adulteram ad pœnitentiam, & emendationem denunciare c. ſi peccaverit 2. q. 1. & ſi perſeveret in adulterio tenetur eam dimittere, & à copula abſtinere, ut notat Cavarruvias p. 2. de ſponſal. c. 7. § 2. n. 4. Cæterum licèt poſſit vir uxorem ſuam adulteram redeuntem ad ipſum recipere, non tamen frequenter: quia id eſſet dare illi occaſionem crebriùs peccandi, aut in peccato perſiſtendi. Tenetur enim maritus ignoſcere uxori peccanti, & illi remittere injuriam in animo, non verò pœnam in foro externo debitam: poteſt enim fieri, ut quis remittat injuriam ex corde illi, quem propter bonum, & periculum publicum nihilominus teneatur accuſare.

C. MARITIS 4. h. t. Ex Concilio Pariſienſi ſtatuitur, ut maritus ex ſuſpicione poſſit accuſare uxorem de adulterio. & ut in accuſando præferatur alijs, ut etiam in defendendo. Notandum tamen eſt, non ſufficere quamcunque ſuſpicionem, ſed debere eſſe violentam, & ſufficientem ad condemnandum c. litteris de præſumpt. unde maritus tantùm ex ſuſpicione violenta, non ex temeraria poteſt uxorem accuſare de adulterio. Ratio verò cur maritus ex tali ſuſpicione violenta poſſit uxorem accuſare de adulterio, eſt quia agitur res ipſius, eſt enim ipſe, qui injuriam patitur, ſi ejus uxor non ſit illi fidelis.

C. SIGNIFICASTI 5. h. t. Alexander III. ſtatuit, ut ſi mulier publicè fateatur, ſe intra eccleſiam peccâſſe cum ſacerdote, ſit ei imponenda condigna pœnitentia, & eccleſia ſit reconcilianda aſperſione aquæ benedictæ. Sin verò ſacerdos neget crimen, ut indicatur illi canonica ad arbitrium purgatio coram quinque Presbyteris; & ſi ſe purgare poſſit, permittatur miniſtrare in ſuo officio, ſi non poſſit, tunc ſuſpendatur ob officio: & id fiat, etiam ſi Presbyter, qui nunc negat, confeſſus fuerit coram alio ſacerdote, qui hoc idem affirmet; quia ut notat Gloſſa confeſſio unius ſuper eodem crimine alteri non nocet, ſed tantùm indicitur ei purgatio, ſi ſit infamatus. Ad dictum tamen unius, ſi alter neget, eccleſia eſt purganda. Dicta tamen paucorum non infamant, ſed indicitur purgatio.

C. INTELLEXIMUS 6. h. t. Innocentius III. declarat, quòd ſi conjux ſeparata à viro petat ſibi virum reſtitui, vir compellendus ſit ad ſuam recipiendam uxorem: ſin verò conſtet per evidentiam rei, vel legitimam confeſſionem mulieris ſponte fuiſſe hanc adulteratam, tunc non ſit cogendus vir illam aſſumere niſi per legitimos teſtes, qui non poſſint à viro reprobari, conſtet, etiam virum fuiſſe adulteratum, tunc enim compellendus eſt aſſumere uxorem affectu maritali: & ratio etiam aſſignatur à Pontifice, quia cùm jus matrimonij in utroque ſit læſum, tunc paria delicta mutua compenſatione tolluntur. Hinc uxor accuſata à marito de adulterio poteſt excipere de adulterio ipſius mariti, quando agitur ad thori ſeparationem, vel ad dotis, vel donationis propter nuptias aſſignationem; quamvis enim uxor accuſata, & convicta de adulterio amittat dotem, & donationem propter nuptias; poteſt tamen de eodem adulterio contra maritum excipere, ſicque unum cum altero compenſare. Sin verò maritus contra uxorem agat criminaliter ad pœnam publicam, non poteſt mulier excipere contra maritum de adulterio ad eum repellendum ab accuſatione. Secus ſi mulier receſſerit de domo viri ſui, ſi volens redire non admittatur à viro, intelligitur ſpoliata, & eſt audienda. Præterea vir non poteſt uxori adulterium objicere, ſi ipſe ſit etiam adulteratus; vel uxorem alteri tradiderit adulterandam c. diſpenſare de eo qui cogniſcit conſ. uxor.

C. TUA FRATERNITAS 7. h. t. Idem Pont. declarat, eum, qui conjugi in adulterio deprehenſa denegavit debitum conjugale, ſi deinde ipſe manifeſtè adulteretur cum alia, debere conjugem affectu maritali tractare, eò quia paria crimina mutua compenſatione de-

licantur. Ubi notat Gloſſa, quòd ſi unus ex conjugibus publicè fornicetur, poteſt alter ei debitum denegare; & ſi alter publicè fornicetur, Primus recuperat ſuam poteſtatem. Notandum eſt, hanc compenſationem delictorum admitti quocunque tempore, adeò ut ſi facta ſeparatione alter conjux etiam fornicetur, tunc matrimonium reintegretur, & datur locus compenſationi per Judicem ex officio, ut notat Panormitanus hic n. 5. immo competit etiam conjugi dimiſſo actio ſuper repetitione alterius.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit adulterium, quomodo accuſandum, & probandum.

1 TAmetſi adulterium laxè ſumptum extendatur ad ſignificandum omnem carnalem copulam illicitam *can. nemo blandiatur §. tolerabilior. 32. q.* & lex Julia de adulteriis pnmiſcuè ſtuprum, & adnlterium uſurpet, *l. inter liberas. 6. ff. eod.* & *l. inter ſtuprum ff. de V. S.* nihilnminus ſpecialiter, & propriè ſumptum adulterium eſt alieni tori violatio *can. non machaberis 32. q. 5.* & quaſi acceſſio ad alterius tornm: hinc de jnre civili adulterium non cnmmittitnr, niſi in nuptam; & ſtuprum in virginem, & viduam, ſnlétque definiri alienæ matris familias cnrruptin: quapropter adulterium in eam, quæ nnpta eſt, committitur, ſtuprum verò in virginem, vel viduam *l. 6. §. 1. ff. ad leg. Jul. de adult.*

2 Qnamobrem adulterium propriè ſumptum duplicem in ſe continet defnrmitatem, ſeu malitiam; unam luxuriæ, eò qnia ſit concubitus viri cum fœmina extra conjugium; alteram injuſtitiæ, eò quia utitur corpore fœminæ, in qund ſolus ejus maritus habet jus, qnod eſt lædere jus alienum, quatenus adulter ſibi uſurpat injuſtè uſum cnrporis fœminæ, qui uſus pertinet ad ſnlum maritum ejusdem fœminæ, neqne hæc malitia injuſtitiæ tollitur ex eo, quòd maritus adulteræ conſentiat in adulterium uxoris, quia tametſi volenti, & conſentienti non fiat injuria, infertur tamen hæc Deo authori naturæ, qui tam arctè, & indiſſolubiliter utrumque conjugem ſibi invicem adſtrinxit, nt nolit ens ſeperari, nec etiam qnoad uſum corpnris; adeo ut hic non poſſit niſi ad ſnlos vinculn matrimoniali junctos pertinere excluſivè à quocunqne alin: hinc quamvis maritus conſentiens in adulterium uxoris non poſſit actionem cnntra illam inſtituere ſuper illata ſibi injuria, eò quia ſcienti, & conſentienti non fiat injuria *ex regul. jur. 27. in 6.* fit tamen injuria Den Authori natnræ.

3 Triplicitet cnmmitti poteſt adulterium. Primò ſi vir conjugatus cognnſcat carnaliter ſolutam; tunc enim habetur adulterium ſimplex ex parte viri conjugati. Secundò ſi ſolutus è cnntrario cognoſcat carnaliter fœminam cnnjugatam, & eſt etiam tunc adulterium ſimplex ex parte ipſius fœminæ conjugatæ. Tertiò ſi cnnjugatus fœminam conjugatam carnaliter cognnſcat, & tunc habetur duplex adulterium ex parte ſcilicet viri, & fœminæ. Hinc liquet adulterium eſſe gravius peccatum fornicatione; quia continet totam malitiam fornicationis, & nlterins injnſtitiam contra jus alterius conjugis: hanc tamen malitiam non habet delectatio mnroſa circa cnnjugatam, quamvis talis delectatio ſit in ſpecie adulterij, quod exactiùs poſſet definiri *concubitus mentalis, vel realis, per quem alterius torus violatur*, quæ definitio conſtat genere, & differentia, dicitur enim *concubitus mentalis, vel realis* locô generis, in quo cnnvenit cum ſimplici fornicatione, ſtuptn, & inceſtu: dicitut *mentalis*, quia quoad forum internum cnnſcientiæ concubitus mentalis cum perſona ligata eſt intra ſpeciem adulterij: dicitur *vel realis*, quia ſi exteriùs realiter conſummetur opus, eſt adulterium etiam in ſoro externo, & punitur tunc pœnis jure ſtatuis contra adulteros. Adjiciuntur reliquæ particulæ *per quem alterius torus violatur* loco differentiæ.

Quia in ſimplici fornicatinne, ſtupro, & inceſtu alterius torus non vinlatur. Eſt tamen diſcrimen intet jus civile, & canonicum; quia ſi vir conjugatus cnncumbat cum ſoluta jure civili talis concubitus non cenſetur adulterium, nec ex parte viri, nec ex parte mulieris: neque pœnæ jure ſtatutæ in adulteros procedunt, quia licèt ex parte viri jure canonico habeatut adulterium, eò quia violet alienum torum, licèt ipſe ſit ſolutus: nihilominus jus civile exigit in adulterio, ut vir conjugatus, vel ſnlutus concumbat cum conjugata: quòd ſi vir conjugatus concumbat cum ſoluta, tunc de jure civili nec ex parte viri, nec ex parte mulieris cenſetur adulterium, quia in *l. fugitivus 225 ff. de V. S.* adulter vncatur, *qui alienam matremfamilias corrupit*; quo fit, ut in jure civili ſi conjugatus cognoſcat mulierem ſolutam non ſit adulter, eò quia non violet alterius torum, ac propterea non pnſſit de adulterio accuſari ab uxore, tam civiliter, quàm criminalitet *l. 1. C. de adult. l. 1. C.* 4

Theo-

Theodoſ. de repud. & docent Tiraquel ad leges connub. *in l. 7. n. 42.* Covarruvias in *4. p. 2. c. 7. §. 6.*

5 Ratio, cur jure civili illud tantùm cenſeatur adulterium, quo vir ſive ſolutus ſit, ſive conjugatus cognoſcit carnaliter mulierem conjugatam; non verò ſi vir conjugatus cognoſcat mulierem ſolutam, hæc aſſignatur, quia quando vir cognoſcit fœminam conjugatam, confunditur ſemen adulterinum cum maritali, & ex eo naſcitur proles incerta cùm ipſa mulier neſciat, an ex marito, vel adultero conceperit. Secus jure divino, & canonico, ſi vir torum, & fidem conjugalem violet, accedendo ad aliam etiam ſolutam, ut ad propriam conjugem, adulter efficitur, non minus ac mulier conjugata ſi rem habeat cum alio viro etiam ſoluto, quàm proprio marito: ratio eſt, quia Deus creavit marem, & fœminam, non fœminas in plurali; *Genes. c. 1 v. 27.* diſrumpit autem, & violat fidem conjugalem, qui ad aliam mulierem accedit, id enim expreſsè docetur jure canonico *c. nemo 32. q. 4. c. non mœchaberis 32. q. 6. c. illo 14. 32. q. 5. c. transmiſſa de eo qui cognovit conſanguineam.*

6 Hinc nullum poteſt deteſtabilius probrum, nullum peccatum fœdius adulterio patrari, nec ullum contra jus gentium injurioſius facinus committi, unde *Genes. c. 26.* dicitur *potuit coire quiſquam de populo cum uxore tua, & induxeras ſuper nos grande peccatum.* Dicitur etiam adulterium eſſe nuptiarum ſacrilegium *l. quamvis ff h. t.* huc pertinet, quod dixerat Nicoſtratus *in l. de nupt. Quanta turpitudo, nequitia, injuſtitia ſit in adulterio, quantam utrique ſexui ignominiam inurat*, & Clemens Alexandrinus *lib. 3. Pedagog. c. 2.* inter attrociora, & immaniora ſcelera recenſet adulterium, quod committitur etiam, quando vir cognoſcit carnaliter alienam ſponſam de præſenti ductam, tametſi nondum à viro ſuo cognita fuerit, quia ſponſalia per verba de præſenti contracta ſunt verum matrimonium, quod per conſenſum, non per concubitum efficitur. Hinc ſi poſt contractum matrimonium mulier priùs cognoſcatur ab alio viro, quàm à proprio marito, cui nupſit, adulterium committit; ſecus ſi eſſet tantùm ſponſa de futuro, eò quia adulterium propriè in ſolam nuptam committitur *l. inter 6. §. 1.* & *l. ſtuprum 34. in fin. ff. eod. tit.* quapropter concubitus ſoluti cum aliena ſponſa de futuro non eſt adulterium, eò quia ſponſus antequam contrahatur matrimonium de præſenti; non habet ius accedendi ad ſponſam.

7 Contra adulterium agitur civiliter, vel criminaliter; priori modo agit maritus contra uxorem adulteram, & vice verſa uxor contra maritum adulterum ad divortium perpetuum, dotíſque amiſſionem, vel donorum propter nuptias. Rurſus hæc civilis obligatio etiam in foro conſcientiæ incumbit adultero, ſi ex aſſertione adulteræ, & alijs ſufficientibus argumentis poſſit ſibi perſuadere prolem ex ſe genitam eſſe, ut reſtitutionem faciat marito, qui cùm ſe patrem crediderit proli adulterinæ alimenta miniſtravit, vel eam dotavit, immo debet etiam compenſare damnum illarum reliquis liberis, qui propter ſucceſſionem ſpurij læſi ſunt: ſiquidem adulter fuit cauſa talis læſionis, conſequenter cum læſerit contra juſtitiam liberos legitimos, tenetur reſarcire damnum illatum.

8 Rurſus non ſolùm adulter, verùm etiam mater adultera, ut ſimultanea cauſa dictæ læſionis obligatur, vel ad manifeſtandam prolem marito, vel alijs liberis; vel ad aliam compenſationem de proprijs bonis faciendam ad reſarciendum damnum illatum legitimæ proli.

9 Plures tamen dantur caſus, in quibus excuſantur adulteri ab hac obligatione, & reſtitotione. Primò, ſi ipſis deſint media ad reſarciendum damnum illatum; ratione enim inopiæ, ac paupertatis excuſantur à reſtitutione *l. nam is nullam ff. dolo, & malo*, quia ad impoſſibile nemo tenetur.

10 Secundò, ſi adulter certus ſit, damnum illatum ſufficienter compenſatum iri ab adultera.

11 Tertiò, ſi adulterium ſit occultum, & compenſatio tacita, vel expreſſa, vel manifeſtatio adulterij fieri non poſſit ſine magno periculo vitæ, vel famæ; quia cum tanto detrimento non tenetur quis ſe prodere, ut docent communiter in *c. officij 9. de pœnit. & remiſſ.*

12 Quartò, ſi adultera ex eo quòd ſuum adulterium revelaret ſuo marito, nihil efficeret, eò quia ſufficiens probatio ei non ſuppeteret; non enim tenetur filius ſpurius credere, ſe eſſe adulterinum; nec jura talem præſumunt, quamvis mater fateatur ſe illum concepiſſe ex adulterio, quia ſicut bonus ſemper ſupponitur talis, donec probetur malus; ita filius præſumitur legitimus, donec probetur adulterinus *c. per tuas. de probat. l. filium 6. ff. de his qui ſunt ſui, vel alien. jur.*

13 Quintò, ſi adulter, vel adultera verè dubitent, an fœtus ex adulterio, vel ex marito conceptus ſit. Tunc cenſent plures, & quidem probabiliter, tale dubium excuſare à reſtitutione, quia in dubijs pronior quis debet eſſe ad abſolvendũ, quam ad obligandum *l. Arianus de oblig. & action.* & cùm adulteri hactenus fuerint reputati liberi ab omni obligatione, utique ſunt in poſſeſſione ſuæ libertatis, & in dubio conditio poſſidentis cenſetur melior *l. in pari ff. de regul. jur.*

14 Criminaliter ex adulterio dicitur agi, quando proceditur ad pœnam, & vindictam publicam adulteris imponendam. Tunc verò debet præcedere criminis accuſatio, ad quam accuſationem ante omnes admittitur maritus *l. 2. §. ſi ſimul. ff. ad leg. Jul. de adult.* ubi dicitur, quòd maritus ſit præferendus in hac accuſatione patri mulieris adulteræ, eò quia propenſiore irâ, & dolore correptus credendum ſit, eum accuſationem eſſe producturum: & id etiam

am procedit, quamvis pater prævenerit in accuſando, dummodo maritus non neglexerit accuſationem inſtituere; vel niſi pater maritum infamem argueret; tunc enim pater præferendus eſſet marito. Poſt maritum ad accuſandum admittitur pater mulieris adulteræ *l. 2. §. ſi ſimul. & l. ſeq. ff. ad leg. Jul. de adult.* Poſt patrem admittuntur reliqui conſanguinei adulteræ, ut frater, patruus, avunculus, allique, quos verus dolor ad accuſandum adulteram impellit *l. quamvis 30. c. ad leg. Jul. de adulter.* Poſt conſanguineos admittuntur etiam extranei, ut poſſint accuſare, quamdiu perſonæ propinquæ, & neceſſariæ extant, & accuſare detrectant.

15 Cæterum cum adulterium accenſeatur criminibus publicis *l. 1. ff. de public. judic. §. item lex Julia inſtit. eod. tit.* quilibet de populo poteſt accuſare, dummodo mas ſit, & major annis 25. quia minor annis 25. non habetur in jure idoneus accuſator defectu robuſtæ ætatis. Rurſus licèt maritus poſſit uxorem adulteram accuſare, non ita hæc maritum criminaliter ſpectato jure civili, quod procedit ſive maritus acceſſerit ad ſolutam, ſive conjugatam, ut notat Farinacius *in prax. crimin. p. 5. q. 141. n. 104.* quia uxor majorem debet marito reverentiam, quàm hic uxori, cùm mulier ſubijciatur viro. Præterea quia adulterium ex parte uxoris eſt longè gravius ob prolis incertitudinem, & damnum, quod infertur reliquæ legitimæ proli, ſi filius ſpurius admittatur ad ſucceſſionem hæreditatis. Ob has, & alias rationes jura admittunt, ut vir criminaliter accuſet uxorem adulteram, non hæc virum adulterum.

16 Poteſt solùm uxor contra maritum adulterum agere civiliter ad inſtituendum divortium, & repetendam dotem. Hoc autem diſcrimen inter maritum adulterum, & uxorem adulteram in ordine ad accuſationem criminaliter non procedit ſpectato jure cononico; quia ſecundùm canones adulterium conſideratur eodem modo in utroque conjuge, proindè poteſt in judicio eccleſiaſtico uxor accuſare criminaliter maritum ſuum adulterum in ordine ad pœnam legalem infligendam, quamvis etiam in hoc jure mulieres non ita frequenter ſoleant maritos adulteros criminaliter accuſare ob reverentiam, quam debet majorem mulier marito, quàm hic mulieri.

17 Hæc autem accuſatio, ſi fiat criminaliter ad pœnam ſanguinis, vel mortis imponendam, fieri debet coram Judice ſæculari, quia Judex eccleſiaſticus prohibetur eam pœnam infligere; mitiùs enim agit judicium eccleſiaſticum, quàm laicale, illud enim abſtinet à ſanguine, & mutilatione, ut notat Abbas in *c. tua 5. de procurat. n. 6.* Quòd ſi præſcindamus à pœna ſanguinis adulterium accenſetur iis criminibus, quæ dicuntur mixti fori, ſeu pertinent ad utrumque Judicem eccleſiaſticum, & ſæcularem, ac propterea datur inter eos locus præventioni, ut habetur in *c. 1. de offic. judic. ordin.* ubi expreſsè habetur, quòd Epiſcopi in ſuis diœceſibus habeant liberam poteſtatem inquirendi ſuper adulteria, eáque ulriſcendi.

Quòd verò in cauſa adulterij poſſit etiam Judex ſæcularis cognoſcere ad legitimam pœnam infligendam deſumitur ex *c. tua 5. de procurat.* & de utroque Judice eccleſiaſtico, & ſæculari in *c. cùm ſit 8. de foro compet.* ubi dicitur, quòd malefactores, ſacrilegi eccleſiarum coram utroque Judice, eccleſiaſtico ſcilicet & ſæculari poſſint conveniri; & adulterium in jure habetur, ut quoddam quaſi ſacrilegium *l. quamvis 30. in fin. C. h. t.* ubi adulteri ſacrilegi vocantur, ut etiam notat Cavarruvias *in 4. decret. p. 2. c. 7. §. 7. n. 20:* & Julius Clarus in *pract. crimin q. 37. n. 3.* ſiquidem per adulterium infertur injuria ſacramento matrimonij, quæ cauſa eſt, ut non minus ad Judicem eccleſiaſticum, quàm ſæcularem pertineat cognoſcere ſuper adulterio: quoties enim fit injuria alicui ſacramento, quoddam committitur ſacrilegium, ſeu delictum contra rem ſacram. 18

Sin verò de adulterio agatur civiliter in ordine ad divortium, tunc ſolus Judex eccleſiaſticus, & non ſæcularis de illo cognoſcit, quia ſicut ſacramentum matrimonij pertinet ad Eccleſiam, & judicare de illius valore ad Judicem eccleſiaſticum; ita etiam quando agitur de matrimonio diſſolvendo, ut cùm agitur de adulterio in ordine ad inſtituendum divortium coram Judice eccleſiaſtico: quinimò acceſſoriè judicat eccleſiaſticus Judex in cauſa amiſſionis dotis allatæ; quia acceſſorium ſequitur ſuum principale, proinde qui cognoſcit ſuper principali, debet etiam de acceſſorio cognoſcere. 19

Quòd verò ad tempus adulterium accuſandi pertinet, marito jure ſpeciali permittitur, ut poſſit uxorem adulteram accuſare intra ſexaginta dies utiles, computandos à tempore ſoluti matrimonij per divortium *l. non ſolùm 3.* ibi Gloſſa *V. ex diſſolutione* illud tempus etiam conceditur patri, cui tamen non currit, dum maritus accuſat: quòd ſi uterque tam maritus, quàm pater differat accuſare, tempus utrique currit *l. ſi maritus 4. in princ. ff. h. t.* Poſt 60. dies elapſos admittuntur ad accuſandum etiam extranei, & inter hos etiam maritus, & pater, ſi intra 60. dies iiſdem in jure conceſſos neglexerint accuſare, ſed tunc non ampliùs admittuntur jure mariti, vel patris, ſed tantùm jure extranei; & quidem intra quatuor menſes utiles. 20

Accuſare verò de adulterio poſſunt tam adulter, quàm adultera, dummodo adulterium ſit doloſè commiſſum, ſeu vir ſciverit mulierem, quam cognovit, fuiſſe uxorem alterius, alioqnin licèt ignorantia hæc non excuſaret à peccato fornicationis, excuſaret tamen à ratione adulterij: qui enim cognoſcit mulierem, quam putat liberam eſſe, tale peccatum non imputatur ipſi adulterio, ſed tantùm fornicationi, eò quia neſcierit, mulierem illam fuiſſe ligatam: hinc *l. penul. ff. h. t.* adulterium non dicitur committi ſine dolo malo. Mulier tamen 21

men conjugata quamvis quæſtûs cauſâ copiam ſui corporis cuique faciat, ſitque publica meretrix, adhuc poteſt accuſari, ut adultera, & puniri, ut talis, *l. ſi uxor. 13. §. ſed & ſi ea ff. h. t.* quia quamdiu ejus maritus vivit eſt matrimonio ligata, & ſi rem habeat cum alio, committit adulterium: non enim ob meretricium minus deberet puniri, quàm alia mulier ſimpliciter adultera, & quæ tantùm occultè cum alio rem habuit; quod eſſet abſurdum: quia culpa minor in hac muliere gravius puniretur, quàm culpa gravior in muliere conjugata meretricium exercente, ſic pœna non eſſet delicto proportionata. An verò ſi vir conjugatus accedat ad talem mulierem conjugatam exercentem publicum meretricium poſſit accuſari, vel puniri tanquam Reus adulterij: reſpondetur cum Wesenbech. *in paratit. ff. h. t. n. 14.* negativè: quia conjugatus accedens ad publicam meretricem quamvis conjugatam non cenſetur violare torum alienum: ſiquidem ubi nullus eſt tori pudor, ſed promiſcua marito connivente turpitudo, non fit injuria marito ſcienti, & conſentienti: & Farinacius *q. 141. n. 85.* ait in praxi hoc idem hodie ſervari. Rurſus non ſolùm accuſari poſſunt perſonæ conjugatæ, quæ mœchantur; verùm etiam, quæ quæſtum ex adulterio faciunt, cujusmodi ſunt exercentes lenocinium, & proſtituentes ſuas uxores, vel qui dant domum, ut ſcelus committatur adulterij *l. qui domum 8. l. mariti 29. §. qui quæſtum, ff. h. t.*

22 Quod verò ad probandū adulterium attinet, res eſt difficilior, cùm ſoleat adulterium committi omnino occultè, ſine teſte, abſque arbitris, adeò ut vix directè probari poſſit per teſtes; vel per documenta, aut inſtrumenta: ideo fit, quòd nonniſi per præſumptiones, conjecturas, ac indicia ex defectu directæ probationis poſſit judicari, ut notant Maſcardus *de probationibus conclus. 57. n. 3.* Menochius *lib. 1. de præſumpt. 58. n. 3.* quapropter *in c. maritū 4. h. t.* ſtatuitur, ut maritus ex ſuſpicione poſſit accuſare uxorem de adulterio, & in accuſando debeat alijs præferri, ut etiam in defendendo. Non tamen quævis ſuſpicio ſufficit ad accuſandam uxorem de adulterio, alioquin ex ſuſpicione temeraria detraheretur uxori; debet igitur ſuſpicio eſſe violenta, quæ ſufficiat ad condemnandum juxta *c. afferte 2. c. litteris de præſumpt.* Immo ſunt, qui cenſent, talem ſuſpicionem non ſufficere ad petendum divortium, ſed ſolùm ad inveſtigandum adulterium, quod tamen videtur improbabile, quia ad probanda crimina, quæ ſine arbitris fiunt, & nonniſi in occulto, præter præſumptiones violentas, vix alia probatio haberi poteſt: præſumptio autem violenta ea cenſetur eſſe; ſi nudus cum nuda in eodem lecto reperiatur jacere locis ſecretis, tunc enim poſſe promulgari ſententiam divortij, aſſerit Pontifex *c. litteris de præſumpt.*

23 Cæterum præſumptiones violentæ plures recenſentur à Maſcardo *de probat. conclus. 59.* quarum prima deſumitur ex ipſâ naturâ rei, ſi abſente marito per annum, vel ampliùs, is poſtea reverſus uxorem gravidam reperiat: hæc enim habetur præſumptio violenta ſufficiens ad illam accuſandam, & condemnandam ad pœnam ordinariam adulterij, ut notat Menochius *de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 41. n. 5.*

24 Secunda, ſi accuſati de adulterio, & poſt factam excuſationem, ac defenſionem, quòd eſſent ſanguine juncti; matrimonium poſtea contraxerunt; tunc enim eſt præſumptio violenta, quòd ante matrimonium adulterium commiſerint, de quo accuſati fuerant *l. ſi qui 34. C. ad leg. Jul. de adult.*

25 Tertia, ſi maritus ter, vel quater alicui injunxerit in ſcriptis, vel præſentibus tribus teſtibus, ne ſolus cum ſua uxore, vel alio occulto loco moraretur, & nihilominus deprehendatur cum illa eſſe: tunc haberetur etiam præſumptio juris, & de jure ſufficiens ad pœnam adulterij infligendam; ut notat Menochius *lib. 5. de præſumpt. præſumpt. 44. n. 9.*

26 Quarta, ſi vir nudus deprehendatur jacere in eodem lecto cum uxore nuda *c. litteris 12. de præſumpt.*

27 Quinta, ſi domus mulieris juvenis præter conſuetudinem frequentetur à juvenibus, & mulier pauper ſit, & indiga, ut notat idem Menochius *n. 21.*

28 Sexta, ſi mulier inſcio, & invito viro extra domum pernoctavit, niſi honeſtæ perſonæ teſtentur, uxorem illam pernoctâſſe apud ipſas, ut notat Menochius *loc. cit. n. 24.*

29 Septima, ſi repertæ ſint litteræ amatoriæ mulieris, in quibus fateatur adulterium præteritum, vel promittat futurum, ut ait idem Menochius *loc. cit. n. 39.* Sed hæc confeſſio cum ſit extrajudicialis non probat plenè adulterium, nec aliud delictum proprium, ſed tantùm inducit ſufficiens indicium ad torturam. Cæterum confeſſio conjugis, ſi fiat in judicio plenè probat adulterium contra ipſam, idque deſumitur ex *c. intelleximus 5. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd ſi conſtet per evidentiam rei, vel legitimam confeſſionem mulieris ſponte fuiſſe adulteram, non ſit cogendus vir illam aſſumere, niſi per legitimos teſtes, qui non poſſint à viro reprobari conſtet, virum etiam fuiſſe adulteratum, quia tunc vir adigitur accipere uxorem affectu maritali: & aſſignatur etiam ratio, quia cùm jus matrimonij in utroque læſum fuerit, tunc paria delicta mutua tolluntur compenſatione. Non tamen confeſſio uxoris facta in judicio probat plenè contra maritum, ut ex illa condemnari poſſit de adulterio; ratio eſt, quia confeſſio unius ſuper aliquo crimine non nocet alteri etiam ſocio criminis; etenim ut habetur *in c. neſcientes 10. de teſtib. c. 1. de confeſſ.* nulli de ſe confeſſo adverſus alium in eodem crimine eſt credendum. Cæterum ad probandum adulterium vix dari poteſt regula certa, cùm res tota dependeat ex conjecturis, & circumſtantijs;

proinde relinquitur prodeutiæ judicis judicare, quæ ſigna, & conjecturæ ſufficiant ad probandum adulterium.

30 Vir autem ſi ſciat, uxorem ſuam adulterium commiſiſſe, & in eodem adhoc perſiſtere, tenetur eam deſerere; ſin autem poſtea reſipiſcat, eámque pœuiteat ſui facti, debet illam iterum recipere affectu maritali, idque colligitur *ex c. ſi vir 3. h. t.* & deſumitur ex Concilio Arelateuſi, ubi dicitur: ſi vir ſciens uxorem ſuam deliquiſſe, & permauere in fornicatioue, vixerit cum illa, Reus erit, & ejus peccati particeps. Quòd ſi mulier dimiſſa egerit pœnitentiam, & volverit ad virum ſuum reverti, debet, ſed non ſæpe, peccatricem recipere. Ex quo textu colligitur, maritum cenſeri participem ejusdem turpitudiuis, ſi uxoris celet adulterium, ut etiam ſi in illo depreheuſam, adhuc domi eam detineat; tunc euim lenocinij reus tenetur: quia vir tenetur uxorem in adulterio depreheaſam, & perſeverantem etiam ſub gravi culpa dimittere; ita tamen ut obligatio ſeparandi ſe ab uxore adultera, quamdiu non reſipuerit, non oriatur præciſè ex adulterio; cùm Chriſtus *Matth. 5.* permiſerit tantùm divortium ab uxore ob cauſam fornicationis, non verò illud præceperit: & ratio itidem eſt, quia cùm divortium ſit pœna adulterij, æquum non eſt, ut conjux innocens adigatur talem pœnam ſubire, unde maritus poteſt, ſi velit, cedere jure ſuo, & illatam ſibi injuriam condouare uxori.

31 Immo neque hujusmodi obligatio dimittendi uxorem oritur ex præcepto fraternæ correctionis; quia huic præcepto ſufficienter poſſet vir ſatisfacere, ſi uxorem adulteram moueret, ut deſiſteret ab adulterio, & reſipiſceret. Tum quia præceptum charitatis potiùs ſuadet marito non dimittere ſuam uxorem, ne liberiùs libidini vacet, turpiúsque coinquinetur. Quamobrem hæc obligatio dimittendi uxorem adulteram, & perſiſtentem in adulterio publico potiùs oritur ex præcepto vitandi ſcandalum, ut rectè notat Pirhinch *lib. 5. tit. 16. ſect. 1. §. 4. n. 16.* ratio eſt, quia niſi vir dimitteret uxorem ſuam perſiſtentem in publico adulterio, præberet anſam ſuſpicandi ex conſenſo mariti uxorem in adulterio perſiſtere, eo enim ipſo, quòd maritus eam non dimitteret, cenſeretur counivere, & patrocinari adulterio ſuæ uxoris, qua ratione etiam fieret particeps ipſius criminis *c. quemadmodum §. 1. de jurejur.* qua ratione Domitianus Imperator romanum equitem ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimiſſæ adulterij crimen intenderat, delevit è judicum albo, ut narrat Suetonius in Domitiano *c. 6.* Habetur etiam Solonis lex, quâ maritus ob uxorem adulteram infamiâ notatur, ut Demoſthenes narrat in oratione contra Nicetam. Jure civili etiam lex Julia eum coërcet, qui ſtatim poſt adulterium uxorem ſuam non dimittit; ut etiam eum, qui in adulterio depreheuſam uxorem ſuam retinet *l. mariti 29. ff. ad leg. Jul. de adulter.* ſiquidem id habetur loco lenocinij *l. 2. C. eod. tit.* S enim tanta ſit mariti lenitas, ut uxori matrimonium per adulterium violanti non iraſcatur, delictúmque non coërceat, lenocinij crimine redarguitur, & jura eum vel lenonem eſſe dicunt, vel ferreum, aut lapideum, cùm ſine dolore, & ira tantam valeat injuriam pati. Quapropter rectè *in d. c. ſi vir. 3. h. t.* docetur, maritum teneri uxorem adulteram dimittere ad vitandum ſcandalum. Ex quo infertur, quòd ſi adulterium, ita occultum fuerit, ut probari non poſſit, non teneatur maritus uxorem dimittere, quamvis adulteram: quia tunc ceſſat ratio ſcandali, ut notat Turrecremata in *c. Apoſtolus 32. q. 7. art. 2.* Eodem pacto neque uxor tenetur dimittere maritum adulterum pertinacem, & publicum: quia ſcandalum in uxore non dimittente virum adulterum prorſus ceſſat, neque uxores tam ægrè ferunt, ut viri alijs commiſceantur. Immo nec tenetur maritus dimittere uxorem adulteram ſi ſcandalum, quod inde oritur, alijs remedijs tolli poſſit.

Quòd verò ſi uxor adultera reſipiſcat, petátque ad virum reverti, teneatur maritus eam recipere, ut habetur *in d. c. ſi vir. 3. h. t. in fin.* id intelligitur, quòd poſt actam pœnitentiam debeat maritus eam recipere debito honeſtatis, & non neceſſitatis: ſiquidem adhuc poſſet eam accuſare de adulterio. Hinc jure civili maritus uxorem adulteram, & dimiſſam iterum recipere non poſſet *l. caſtitati C. ad leg. Jul. de adult.* & tantùm ad eam poterat reverti poſt criminis abolitionem *l. generali. 34. §. ream. ff. de ritu nupt.* aut ſi maritus ab accuſatione deſtitiſſet *l. ſine 27. de adult.* Verùm quia per pœnitentiam delicta abolentur, rectè jure canonico ſtatutum eſt, ut maritus uxorem adulteram poſt peractam pœnitentiam recipiat, & quamvis ad id non teneatur ex juſtitia, tenetur tamen ex charitate, de qua obligatione intelliguntur textus *in c. quod autem 32. q. 1. c. de benedicto c. ego dixi 35. q. 1.* 31

Alij verò cenſent *in d. c. ſi vir 3. h. t.* tantùm contineri conſilium non verò præceptum, eò quia nunquam teneatur innocens nocentem recipere; quòd ſi velit innocens nocentem recipere, tenetur nocens eum ſequi: ratio eſt, quia ſententia divortij prolata eſt, in favorem innocentis, cui prodeſſe debet non obeſſe. 32

Sunt tamen caſus aliquot, in quibus innocens omnino cogitur recipere uxorem adulteram poſt peractam pœnitentiam. Primò ſi ſuſpectus ſit de propria incontinentia. 33

Secundò, ſi maritus ante, vel poſt ſententiam divortij etiam adulterium commiſit, quia tunc paria delicta mutua compenſatione tolluntur *l. viro ff. ſoluto matrim.* 34

Neque obſtat, ſententiam divortij jam fuiſſe prolatam, quia cum talis ſententia reſpiciat ſtatum præſentem, juxta quem prolata fuit, non tollit jus compenſationis ſi alter conjux adulterium committat. 35

§. II.

§. II.

De Pœnis adulterio impoſitis, déque cauſis ab ijsdem excuſantibus.

1 ADeo natura à turpitudine abhorret adulterii, ut ubique locorum, gentes tantum ſcelus ſeverioribus pœnis multaverint. Apud Ægyptios in adulterio deprehenſos cæſos ad mille plagas fuiſſe, & mulierem naſo mutilatam refert Diodorus Siculus *lib. 2. Biblioth. c. 3.* Parthos nulla delicta ſeverius adulterio vindicâſſe teſtis eſt Juſtinus *lib. 41.* Et Elianus *lib. 17. hiſt. c. 12.* refert moris fuiſſe apud Lydios, ut fæminæ adulteræ abſque ulla miſericordia, & venia graviùs punirentur. Et apud Danos referente Saxone *lib. 5. de rebus Danicis* parte corporis ſpoliatæ necarentur. De Wandalis ait Salvianus *l. 7. de providentia. Addiderunt quoque ad libidinem comprimendam ſeveras pudicitiæ ſanctiones, gladio impudicitiam coërcentes, ut puritatem ſcilicet utriusque ſexûs, & domi connubio reſervaret affectus, & in publico metus legum; ac ſi in duplici præſidio caſtimonia niteretur, cùm & intus eſſet, quod amaretur, & foris, quod timeretur.* Lege divina, & Moſaica fuiſſe adulterium pœna mortis multatum liquet ex ſcripturis. *Genes. c. 38.* adultera flammis comburenda tradebatur; & in lege Moyſis, adeò fuit adulterium prohibitum, ut quicunque mœchatus fuiſſet cum uxore proximi ſui ultimo afficeretur ſupplicio: quapropter apud Hebræos moris fuit, ut adulteri lapidibus obruerentur, ne mœcharentur *Levit. c. 2. Exod. c. 27. Danielis c. 23. Joan. c. 8. Marci c. 10. 1. ad Corinth. c. 6.* Hinc jure civili Cæſareo decreta poſtea fuit adulteris utriusque ſexus pœna gladij, ſeu amputatio capitis *l. quamvis 30. in fin. C. ad leg. Jul. de adult. §. item. lex Julia inſtit. de public judic.*

2 Verùm pœna hæc amputationis capitis in fæminis adulteris fuit poſtea cum alia mitiori commutata, ut fæminæ adulteræ flagellis cæſæ in monaſterium poſtea detruderentur ea conditione, ut licitum eſſet viro intra biennium ſuam repetere uxorem; biennio verò tranſacto, vel viro mortuo priusquam uxorem ſuam adulteram repeteret; hæc tonſa capite, & monaſtico habitu ſuſcepto reliquum vitæ adigebatur in monaſterio agere *authent. c. ſed hodie C. eod.*

3 Sin verò nullum adeſſet Monaſterium quod vellet adulteram recipere Judex tunc pœnam carceris in Monaſterio in illam commutabat exilij, & fiſco adjudicabatur pars illa bonorum, quæ Monaſterio debuiſſet applicari, ut notat Farinacius *in prax. crimin. p. 5. q. 40. tit. 16. n. 19.* Licèt olim adulteri ultimo plecterentur ſupplicio; nunc rarò ex particularibus ſingularium Provinciarum ſtatutis adulteri maximè pro prima vice capitis obtruncatione plectuntur, ſed potiùs pœna pecuniaria multantur, vel pœna fuſtigationis, carceris, relegationis vel alterius, adeò ut pœna adulterij ſit hodie juxta diverſas Provinciarum conſuetudines arbitraria, ut notat Farinacius *de delict. carn. tit. 16. q. 141. n. 72.*

4 In partibus Germaniæ præſertim hîc Monachij adulteri, & adulteræ in pœnam parrati flagitij tribus diebus feſtis adiguntur genu flexi ſtare ad januam majoris Eccleſiæ, quando frequentior populus ſolet ſacra adire, & quidem cum accenſa candela, quæ eſt ſignum commiſſi adulterij. Cæterum gravioris peccati arguuntur Judices, qui in puniendis adulterijs mitiùs, quàm par ſit procedunt, cum ex conniventia Judicum, & remiſſione pœnarum multiplicentur adulteria, augeantur ſcandala, diſſidia, & cædes excitentur, ut notat Julius Clarus *§. adulterium n. 7.*

5 Gravius etiam punitur illud adulterium, quod ſub ſpecie matrimonij perpetratur, & polygamia dicitur; ſiquidem major per tale delictum irreverentia ſacramento irrogatur matrimonij; cùm priore adhuc ſtante matrimonio, ac vivente conjuge, ſcienter ſimul, & voluntariè cum alia perſona ſecundum initur matrimonium. Adeo eſt atrox hoc delictum, ut Carolus V. in ſuis *conſtitut. pœnal. a. 121.* videatur, pœnam capitis ſtatuiſſe contra taliter delinquentes. Verùm Carolina conſtitutio ita intelligitur, ut non ſufficiat, ſolùm contraxiſſe ſecundum matrimonium, ſed requiratur etiam, quòd fuerit conſummatum, quia ut ait Imperator polygami non ita puniuntur niſi quatenus ſunt adulteri; & adulterium non committitur niſi per ipſam conſummationem ſecundi matrimonii. Quinimò cum Imperator pœnam capitis ſtatuat viro, vel fæminæ jam priori matrimonio ligatis, ſequitur, hanc pœnam non eſſe extendendam ad perſonam ſolutam; tametſi hæc ſcienter cum polygamo matrimonium contrahat, quia pœnalia non extenduntur ultra caſus expreſſos in lege, & cùm Carolus V. dicat eos viros, vel fæminas incurrere pœnam capitis, qui primo matrimonio jam ligati ineunt ſecundum matrimonium, & fiunt adulteri, ſupponit tam marem, quàm fæminam in ſtatu maritali, & hoc non obſtante inire ſecundum matrimonium. Idque ex eo etiam firmatur, quia in jure civili, ſi ſoluta rem habeat cum ligato, non cenſetur adultera, cùm jure civili non committatur adulterium niſi cum conjugata.

6 Jure canonico priſcis Eccleſiæ canonibus adulteria publicâ pœnitentiâ multabantur, adeò ut adulteris pœnitentia publica imponeretur, ut inde anſam ſumerent magis erubeſcendi, & impoſterum abſtinendi à ſimili delicto *c. ſi. quid 33. q. 2.* immò nonnunquam etiam communio adulteris negabatur. Immo approbata etiam fuit jure canonico pœna à Juſtiniano ſtatuta *in novel. 134. c. 10.* quæ erat detruſio in Monaſterium *c. intelleximus 6. h. t. & c. gaudemus de convert. conjug.* Facultas autem occidendi adulterum, vel adulteram omni-

omnino denegata fuerat *c. ſi quid 33. q. 2.* Quòd ſi maritus inveniſſet Clericum jacentem in lecto cum ſua uxore, eúmque graviter percuſſiſſet, non propterea adigebatur Sedem Apoſtolicam adire pro abſolutione obtinenda, ut notat Covarruvias *2. p. de matrim. c. 2. §. 7.* eò quia cenſeretur maritus ex juſto dolore commotus, irâ accenſus, & perturbatus inconſideratè clericum illum percuſſiſſe.

7 Jure novo canonico adulteri ſive mares, ſive fœminæ ſi in adulterio perſeverent, gladio feriuntur excommunicationis *c. intelleximus 6. h. t.* ubi Diœceſanus loci adulterum, & adulteram excommunicavit. Verùm pœna hæc excommunicationis vix nunc videtur eſſe in uſu.

8 Secundò, uxor adultera amittit dotem, quæ propter adulterium poſt ſententiam Judicis adjudicatur marito, qui eam de adulterio accuſavit *c. plerumque de donat. inter virum, & uxorem*, ubi uxor adultera amittit etiam arrhas, & munera, quæ occaſione nuptiarum, ſeu ſponſaliorum, & propter nuptias fuerant ipſi dono data. Non tamen uxor adultera dotem amittit ſtatim poſt commiſſum adulterium, & accuſationem factam à marito, ſed ſolùm poſt ſententiam Judicis; quia non ſufficit accuſare delictum, niſi juridicè probetur.

9 Tertiò, ſi maritus poſtea rem habeat cum alia fœmina poteſt ejus uxor contra illum agere, eúmque adigere ad dotis, & munerum reſtitutionem, ut etiam ad tori conſortium. Quinimò quamvis maritus nullum committat adulterium, ſi reconcilietur ſuæ uxori adulteræ, hæc beneficio reconciliationis omnia iterum recuperat, eò quia cenſetur maritus ei condonare injuriam ſibi illatam, ut notat Covarruvias *p. 2. c. 7. §. 6. n. 6.*

10 Quartò, uxor adultera poſt mariti obitum non poteſt accuſari ab hæredibus mariti ad amiſſionem dotis, ſi adulterium innotuerit marito, & hic neglexit eam accuſare, quia præſumitur condonâſſe uxori injuriam ſibi illatam. Secus ſi adulterium marito non innotuerit jus accuſandi fœminam adulteram tranſit ad hæredes, à quibus poteſt propterea accuſari ad amiſſionem dotis.

11 Quintò, adulter, vel adultera ob adulterium amittit jus petendi debitum conjugale, adeò ut si petenti non teneatur alter conjux non adulter ei reddere, eò quia per commiſſum adulterium amiſit jus in corpus alterius conjugis: & tantùm alteri petenti tenetur reddere, quia innocens per delictum nocentis, non amittit jus: alioquin puniretur per delictum à ſe non commiſſum.

12 Sextò, adulter per ſententiam Judicis poteſt privari cohabitatione cum altero conjuge, & hæc pœna propriè dicitur divortium, non quòd matrimonium ſolvatur, ſed quia fiat ſeparatio à toro, ut habetur in *c. ex literis de divort.*

13 Septimò, mulier adultera in Monaſterium detruditur, & ſi maritus nolit eam recipere, adigitur ibi perpetuò manere *c. gaudeamus 19. de convers. conjug.*

14 Octavò Clericus adulter notorius deponitur ab officio, & in Monaſterium toto vitæ tempore detruditur, fitque infamis: immo & irregularis; quia omne crimen depoſitione dignum, ſi ſit notorium inducit irregularitatem *c. ſi quis clericus diſt. 81. c. fin. de tempor. ordin.* dicitur autem adulterium notorium, vel quia adulter in judicio fuerit ſuum delictum confeſſus, vel quia de illo in eodem judicio fuerit convictus, vel quia eſt adeò manifeſtum, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, ut ſi adulter habeat eam publicè in menſa, in lecto, & publicè nutriat filios ex ea ſuſceptos, ut notat Sylveſter *V. adulterium q. 7.*

15 Hinc clericus ut puniatur tanquam adulter non ſufficit, ſi ſit ſuſpectus, & infamatus de adulterio, ſed debet eſſe omnino convictus; quia ſola infamia non ſufficit ad infligendam Clerico pœnam ordinariam adulterij: ſed ſi ſit infamatus, & ſuſpectus, eſt tantùm eidem purgatio indicenda, in qua ſi defecerit, ſuſpendendus eſt ab officio, & ad certam pœnam ſubeundam adigendus, ut deſumitur ex *c. ſignificaſti 5. h. t.* ubi Alexander III. cùm quidam Presbyter cum alterius conjuge intra Eccleſiam dormiviſſet, & mulier confeſſa hoc cuidam ſacerdoti publicè detexerit, & ipſe ſacerdos nomen adulteri celans, in præſentia Epiſcopi dixiſſet, adulterium in Eccleſia commiſſum: reſcripſit Pontifex hoc ſuper facto conſultus, Eccleſiam debere aquæ benedictæ aſperſione reconciliari impoſita adulteræ pœnitentia: ſacerdoti autem coram quinque Presbyteris juxta arbitrium Epiſcopi purgationem indici, qui ſi purgare ſe poterit, miniſtrare permittatur in ſuo officio; ſecus, ſit ab illo ſuſpendendus.

16 Juvat in hoc textu obſervare Quòd ſacerdos, qui confeſſionem audivit mulieris adulteræ, nonniſi de illius licentia, & conſenſu manifeſtâvit Epiſcopo delictum in Eccleſia commiſſum, alioquin videretur violâſſe ſigillum confeſſionis. Verùm mihi magis placet ſententia quorundam aſſerentium, ſacerdotem non manifeſtâſſe Epiſcopo delictum commiſſum intra Eccleſiam eò quia illud audierat in confeſſione, ſed extra ſacramentum confeſſionis, & ex alia occaſione occurrente, adeò ut mulier, & ſacerdos extra ſacramentum manifeſtaverint tali epiſcopo adulterium in Eccleſia patratum, ad id ſtimulatus ſacerdos, quia putaverit, Eccleſiam per tale adulterium fuiſſe pollutam, & non potuiſſe reconciliari, niſi delictum Epiſcopo manifeſtaretur.

17 Cæterum ob ſolam confeſſionem mulieris adulteræ non poterat ſacerdos puniri, quia uni ſoli teſti, quamvis idoneo non adhibetur fides *c. licèt 23. de teſtib.* Tum quia teſtis tunc erat mulier, quæ in criminibus non poteſt teſtis eſſe *c. thorus 10. de V. S.* Tum quia cùm fuerit particeps delicti, propriúmque confeſſa delictum non poterat admitti in præjudicium ſocij

cij

cij, *c. 1. de confeſſ. c. veniens 10. de teſtib.* Hinc reſcripſit Papa, Eccleſiam per aſperſionem aquæ benedictæ eſſe reconciliandam, eò quia mulier manifeſtaverat adolterium à ſe, & ſacerdote commiſſum fuiſſe, alioquin ſi manſiſſet omnino occultum, non fuiſſet neceſſaria reconciliatio Eccleſiæ, quamvis ad cautelam fieri potuiſſet; ſed occultè, ut notat Hoſtienſis hîc *V. reconciliare.*

18 Si conjux ſeparata à viro petat ſibi virum reſtitui, vir eſt cogendus accipere mulierem; ſed ſi conſtet per evidentiam rei, vel legitimam confeſſionem mulieris fuiſſe hanc ſpontè adulteratam, non debet vir adigi ad eam reaſſumendam; niſi per legitimos teſtes, qui non poſſint à viro reprobari conſtet, virum etiam fuiſſe adulteratum; quia tunc vir cogitur accipere uxorem affectu maritali, quia cùm jus matrimonij in utroque fuerit læſum, paria delicta tolluntur mutua compenſatione, ut deſumitur ex *c. intelleximus 6. h. t.* ubi Innocentius III. cùm quidem laicus uxorem ſuam à toro ſuo repuliſſet, & Epiſcopus audiens eam cum quodam adultero fornicari, utrumque excommunicâſſet, & mulier adulterum abjurans præfatum maritum ſibi reſtitui poſtularet, & hic objiciens, quòd ſpontè receſſiſſet de ſua domo, & poſtea adulterium commiſiſſet, recuſaret eam recipere; & mulier negans adulterium replicaret in ipſum, quòd fuerit fornicatus: Pontifex reſcribit Epiſcopo Turonenſi, ut adulterij viri probatione ceſſante teneatur ſuam recipere uxorem; immo etiam ad id compellatur niſi conſtiterit, vel per evidentiam rei, vel legitimam confeſſionem mulieris, quòd adulterium voluntariè commiſerit. Ex quo textu infertur, quòd tametſi mulier ſpontè recedat à domo viri ſui, ſi volens redire non fuerit admiſſa, intelligatur ſpoliata, ac proinde audienda ſit, quia ſola receſſio à domo viri non eſt cauſa ſufficiens divortij quoad torum, niſi accedat adulterium, & mulier de illo convincatur. Mulier verò accuſata à marito de adulterio poteſt etiam excipere de adulterio ipſius mariti; quando agitur de tori ſeparatione, vel de amiſſione dotis, vel donationis propter nuptias: quamvis enim uxor accuſata, & convicta de adulterio dotem, & munera illi dono data ob matrimonium ammittat; poteſt adhuc de eodem adulterio contra maritum excipere, ſicque unum cum altero compenſare.

19 Mulier enim ſi probet adulterium à ſuo marito commiſſum recuperat dotem, & omnia ratione adulterij amiſſa, quia adulterium unius conjugis compenſatur cum adulterio alterius; non enim compenſatio tunc fit ſolùm quoad divortium; ſed etiam quoad amiſſionem dotis, & bonorum uxoris adulteræ, & donationis ob nuptias viri adulteri, adeò ut neque vir adulter lucretur dotem, vel alia bona adulteræ; nec uxor adultera donationem propter nuptias ſibi factam à viro, ſed mutua fiat delictorum compenſatio, ut deſumitur ex *l. viro 39. ff. ſolut. matrim.* ubi habetur, quòd ſi vir, & uxor ſe invicem accuſent de adulterio, & uterque dederit cauſam repudij, uterque pœnam ſubeat: eò quia paria delicta mutua compenſatione diſſolvuntur.

20 Vnde ſi agatur civiliter ad ſeparationem tori, & ad privatam utilitatem, tunc paria delicta mutua compenſatione tolluntur. Secus ſi maritus contra uxorem agat criminaliter ad pœnam publicam, non poteſt mulier *excipere* contra maritum accuſatorem de adulterio, ut eum repellat ab accuſatione. Tenet tamen Heneriquez *lib. 11. c. 17. n. 3.* quòd ſi accuſatio ſit ad mortem non poſſit adultera ad mortem damnari, ſi vir quoque ſit adulter, & deſumitur *ex l. ſi uxor §. Judex. ff. de adult.* Rurſus *ex d. c. intelleximus 6. h. t.* colligitur, non eſſe admittendam probationem per teſtes, ſi maritus crimen adulterij objectum uxori velit probare, ut notat Panormitanus *in d. c. intelleximus §. 4.* ſed ad id requiritur, vel rei evidentia, eò quia mulier fuerit publicè fornicata; vel confeſſio uxoris, ut notat Panormitanus *in d. c. intelleximus n. 6.* & etiam Ananias *n. 10.* qui ita explicant publicum adulterium, quòd non ſit ita intelligendum, ut mulier omnibus videntibus fuerit publicè proſtituta; ſed quia deſerto viro adhæſerit publicè concubinario, quem in menſa, & lecto ſecum habuit; vel paſſim recepit viros infames ad adulterandum; vel filium tanto tempore abſens à marito genuerit; ut ex illo concipere non potuerit.

21 Cæterum ſuffitit marito ad probandum adulterium uxoris ejus propria confeſſio, dummodo hæc ſit judicialis. Ad materiam verò quod attinet adulterij, puniendum eſt etiam adulterium, quamvis uterque conjux deliquerit: ſiquidem non debent delicta manere impunita, adeò ut regula illa, quâ delicta paria mutua compenſatione dicuntur tolli, tantùm procedat in actione civili; ſi maritus, qui adulterium commiſit, vellet contra uxorem adulteram ad divortium agere; non autem ſi agatur criminaliter ad pœnam infligendam authoritate Magiſtratûs.

22 Cæterum ſi poſt latam divortij ſententiam conjux innocens adulterium committat, poteſt conjux dimiſſus non obſtante ſententia divortij jam lata jure actionis petere, ut admittatur ad conſortium conjugis dimittentis, & hæc eſt prima cauſa excuſans à pœnis adulterij incurrendis. Quia quando fertur ſententia ſeparationis quoad torum ob adulterium conjugis, ſubintelligitur ſemper ſententia lata ſub conditione, ſi vir continentiam ſervaverit: alioquin adulterium unius conjugis compenſatur cum adulterio alterius, ſi civiliter agatur ad privatam utilitatem; tunc enim paria delicta mutua compenſatione tolluntur. Tum quia cum poſt ſententiam divortij alter conjux, qui erat innocens etiam peccaverit contra legem conjugii, non poteſt uti beneficio ſententiæ, cùm hæc fundetur in violatione conjugij *argum. c. ult. de immunit. Eccleſ.* Tum quia quando cauſa ſententiæ venit ad non cauſam, ſeu

ceſſat eſſe cauſa, ob quam lata fuit ſententia,
tunc oon poteſt agi, non obſtante exceptione
rei indicatæ, ut dncet Bartol. in *l. 21. ff. de con-
dit. ſine cauſa n. 1.* & qnando lata eſt ſenten-
tia divortij ob adulterium uxoris, ſi vir poſtea
ſit adulter, ceſſat cauſa, ob quam lata eſt ſen-
tentia ſeparationis, quæ propterea reducitur
ad non cauſam, proinde poteſt nxor dimiſſa
etiam poſt latam divortij ſenrentiam jure a-
ctionis repetere virum, & dotem, quæ ſenten-
tia eſt communior.

23 Hinc ſi poſt ſententiam divortij ob adul-
terium conjugis alter conjux, qni antea erar
innocens, fiat nocens, eò quia & ipſe in adul-
terium labatnr, debet Judex eccleſiaſticus ex
officin ſuo matrimonium reintegrare, eóſque
inter ſe reconciliare; ut iterum cohabitent:
quia tunc adulteria inter ſe compenſantur, &
delictum ſuperveniens ex parte illius, qui erat
innocens ante latam ſenrentiam, præjudicat
poſtea rei judicatæ ob animæ periculum: qua-
propter Judex eccleſiaſticus tenetur omne ſtu-
dium adhibere, ut conjuges reconcilientur, ſi-
múlque cohabitent, nt periculo conſularnr for-
nicationis, & impediantur peccata, quæ facilè
ſequerentur. Procedit hæc compenſatio in-
ter cnnjuges etiam qnando unus conjugum po-
ſteriùs alio, immo & poſt latam divortij ſen-
tentiam in adulterinm labitur: quia jura tan-
tùm conſiderant æquale crimen utriusque con-
jugis quoad violatiooem matrimonij nulla ha-
bita ratione ad tempus, ut notat Farinacius in
prax. crimin. q. 143. n. 33. Immo procedit
etiam qnando unus conjugum plura commi-
ſit adulteria, & alter nnicum tantùm: quia jn-
ra non ponderant numerum delictorum, ſed
ſolam rationem violatæ fidei conjngalis.

24 Si tamen ambo conjuges adulterium
commiſerint, & reconciliati poſtea fuerint, ſi
poſt reconciliationem alteruter iterum in adul-
terium relabatur, poteſt alter divortinm petere;
quia per reconciliationem matrimonium reſti-
tuitur priſtino ſtatui, ac ſi nullum nnqnam fa-
ctum fuiſſet divortium. Quinimo, ſi unus
conjngum tantùm ſit adulter, & alter conjux
innocens injuriam ſibi illatam ei condonet, ſi
poſtea hic, qui injuriam condonavir, adulterium
committat, non poteſt poſtea illud compenſa-
re cnm adulterio priùs condonato alteri, cui
petenti divortinm non poteſt objicere adulte-
rinm, qnod antea ei remiſerat: quia remit-
tentibus proprias actiones non datur regreſ-
ſus *l. quæritur 4. §. ſi venditio ff. de ædilit. edict.*
ratio eſt, quam paulò ſuperiùs innuimus, quia
per reconciliationem matrimoninm ita reſtitu-
25 itur priſtino ſtatui, ut nullum ampliùs præſuma-
tnr adulterium commiſſum.

Immo hæc compenſatio non ſolùm pro-
cedir, quando alter conjnx, qni ante ſenten-
tiam divortij erat innocens, labitur poſtea in ad-
ulterium formaliter ſumptum, ſed etiam in ſo-
domiam, & beſtialiratem, quia in ordine ad di-
vortium inſtituendum hæc crimina reputantur
æqualia, quamvis in ordine ad matrimonium
gravior injuria fiat alteri conjugi per adulteri-
um. Ratio verò, cur in ordine ad divortium præ-
fata crimina cenſeantur æqualia, eſt, quia per
ipſa fit diviſio contra ſidem in matrimonio da-
tam: hæc enim diviſio reperitur in omni con-
cubitu extra propriam uxorem: hinc Chriſtua
Matth. 5. & 19. aſſeruit, licitum eſſe divortium
ex cauſa fornicationis.

Vt autem compenſatio adulterij cum adul- 26
terio inter conjuges procedat, debet adulteri-
um; pro quo compenſatio petitur eſſe cer-
tum, & notorium, ut deſumitur *ex l. ult. C. de
compenſat.* ubi expreſsè habetur, compenſa-
tionem non poſſe fieri, niſi ex cauſa omnino
liquida. In foro tamen conſcientiæ adulteri-
um occultum compenſari poteſt cum adulterio
publico alterius conjugis, quia in foro iorerno
non requirnntur teſtes, ſed ſufficit, ſi conſtet,
conjuges fuiſſe revera in adulterinm lapſos.
Juvat obſervare, quòd ſi agatur criminaliter,
exceprio compenſationis debet opponi ante
conteſtationem litis; ſi verò civiliter tantùm,
& in ordine ad ſeparationem tori, vel amiſſio-
nem dotis, poteſt ſemper opponi, ſive ante, ſi-
ve poſt litis conteſtarionem usque ad ſenten-
tiam: ſiquidem eſt tunc exceptio peremptoria,
& exclndit alterum conjugem ab actione pe-
tendi divortium: ſecus in cauſa criminali non
extinguit delictum, ſed tantùm excludit virum
ab accnſando, proinde exceptio tantùm eſt di-
latoria, quæ debet opponi ante litis conteſta-
tionem, ut ootat Farinacius in *prax. crimin. p. 5.
q. 142. n. 41.*

An verò excuſanda eſſet uxor à pœna 27
adulterij incurrenda, ſi propter extremam ne-
ceſſitatem famis, vel propter ſummam pauper-
tatem adulrerium committeret. Reſponde-
tur negativè, quia turpitudo adulterij eſt tan-
ta, ur nullo humano conſenſu, nulláque cir-
cnmſtantia extrinſecùs adveniente extingui
poſſit, nec ipſo conſenſu mariti lenonis; imò
neque ob imminens vitæ periculum: ratio eſt,
quia omnis fornicatio extra matrimonium eſt
intrinſecè illicita ſive vi, metúve extorqueatur,
idque independenter ab omni extrinſeca cir-
cumſtantia: quia ſi licitnm eſſet fæminæ extra
matrimoninm mœchari cum uno viro, licitum
etiam eſſet cum alio, & alio; cùm non ſic
major ratio de uno, qnàm de alio: & ex eo,
quòd carnaliter commiſceretur pluribus viris,
contraheret ſterilitatem; qua ratione meretri-
ces non concipiunt, nec pariunt: & quia con-
cubitus maris cum fœmina à natura ordinatur
ad generationem prolis, ideo eſſet contra na-
turam ejusdem concubitus, qui propterea eſt
intrinſecè malns, & pro nullo eventn honeſta-
bilis, unde tenetur quis potiùs millies mori,
quàm in adulterium aſſentiri.

Neque obſtat, ſi dicas in extrema neceſſi- 28
tate licitum eſſe furari qnantum ſufficit pro
ſuſtentatione vitæ nnius, vel alterius diei.
Nam eſt diſcrimen, quia urgente extrema ne-
ceſſitate nulla infertur injuria Domino rei ſub-
latæ; quia runc oon poteſt eſſe rationabiliter
invitus, cùm teneatur ex præcepto ſaltem cha-
ritatis ſuccurrere proximo conſtituto in illa
extre.

extrema neceſſitata, ne fame pereat. Tum quis ipſa lex natoræ etiam præcipit, ut Domini rerum ſua bona temporalia tunc communicent proximo extremè indigenti, ne ſame pereat, proinde tunc caſſat malitia furti, cùm nulla inſeratur Domino injuria. Secus per adulterium ſemper fit injutia alteri conjugi: & violatur lex naturæ, quæ inſtituit talem concubitum ad genarationem prolis. Tum quia adulterium non aſt medium per ſe ordinatum ad vitæ ſuſtentationam, ſicut eſt acceptio rei alienæ in ſumma neceſſitate; hinc ſicut conjux adulter non axcuſatur à culpa gravi; ita neque à pœna contrahenda.

30 Sunt tamen plures aliæ cauſæ axcoſantes à pœnis adulterij, quarum prima eſt, ſi uxor fuerit violentar oppreſſa, quia tunc ceſſanta culpa debet etiam pœna ceſſare, quia hæc non incurritur niſi propter culpam *l. ſi uxor 13. §. ſi quis.* Quòd ſi mulier tantùm ratione gravis matus incuſſi ſiueret ſe carnaliter cognoſci ab alio viro, tunc non excuſaretur ab omni colpa quoad Deum, proinda neque à pœna contrahenda; quamvis mitiùs aſſet tunc punienda ob gravam metum eidem incuſſum; unde non eſſet punienda pœna legali, & ordinaria adulterij; con ſequenter neque privanda dote, neque cohabitatione cum marito, quis ſine malo dolo non committitur adolterium *l. penult. ff. h. t.* ut notat Sylvaſter *V. adulterium.*

31 Secundò ſi maritus conſcius adolterij commiſſi à ſua uxore aam non accuſet, & interim moriatur maritus, tunc enim hæredes, non poſſunt ampliùs viduam da adulterio accuſare, nec dotem repetere *l. rei judicata 15. ff. ſoluto matrimonio.* Secus ſi maritus deceſſiſſet inſcius de adulterio uxoris: quia tunc jus accuſandi tranſit ad hæredes in ordine ad repetendam dotem.

32 Tertiò ſi maritus uxorem in adulterio deprehenſam occidat, non lucratur dotem: ratio eſt, quia nemo poteſt propria authoritate jus ſibi dicere, & qui id præſtat indignum ſe conſtituit commodo, & ſavora cauſæ, & tunc hærades oxoris occiſæ à marito poſſunt dotem repetere *l. ſi. ab hoſtibus 10. §. ſi vir. ff. ſoluto matrimonio.* ſimilitar ſi uxor occidaret virum adultarum non lucraretur donationem ob nuprias ſactam.

33 Quartò nec adultar incurrit pœnas adulterij, quando intra tempus à lega præfixum non contigerit accuſatio, extenditur autem hoc tempus ad quinquennium durante matrimonio, & computandum eſt à die patrati adulterij *l. mariti 29. §. hoc quinquennium*, ut notat Julius Clarus §. *adulterium n. 20.* Quintò ſi maritus uxorem adulteram poſt adulterium retinuit, vel eam ſibi reconciliavit *argu. c. quemadmodum 25. de jurejur.*

34 Sextò ſi oxor ex viri conſenſo adoltariom, commiſit, eò quia maritus eam proſtituerit lucri, val alicujus commodi cauſâ *l. cum mulier 47. ff. ſoluto matrimonio*, tunc enim vir non poteſt ampliùs opponare uxori adulterium, quia volanti, & conſentienti non fit injuria.

Dubitari tamen ſolet, an quandò maritus conſentit in adulterium ſuæ uxoris, ſitque leno ipſius, an revara uxor à viro proſtituta committat adulterium, & reſpondetur affirmativè: & ratio deſumitur ex ipſa definitiona adultarij, eſt enim acceſſus ad alianum torum, neque obſtat, quòd ſcienti, & conſentienti non fiat injuria, ut habetur *in regul. jur in 6.* quia illud axioma intalligandum eſt de rebus, quarum homo voluntata ſua, & libero arbitrio aſt Dominos, non verò de alijs: ex vinculo autem matrimonij, in quo traduntur corpora conjugum, naturaliter oritur obligatio ſervandi fidam ad invicem, & hanc obligationem neutar conjugum poteſt ulla ratione, vel conſenſu à ſe abijcere, eò quia ſit obligatio matrimonio connaturalis. Tum quia per adulterium fit contra jus matrimonij, cui non poteſt alter conjugum afficaciter cedere, cùm ipſi non competat in ordine ad privatum bonum, ſad tantùm ratione ſtatus matrimonalis, qui eſt communis omnibus conjugatis: quamobrem licèt vir conſentiat in adulterium ſuæ uxoris quæſtûs causâ, adhuc ſemper fit injuria ipſi matrimonio, & committitur adulterium. 35

§. III.

De Stupro, ejúsque pœnis.

STuprum interdum in jura ſumitur laxè prout comprehendit omnem copulam carnalem cum vidua honeſta, immo etiam adulterium, ut daſumitur *ex l. inter liberas §. lex Julia.* & *l. ſtuprum ff. ad leg. Jul. de adulter.* Juxta tamen præſens inſtitutum ſumitum præſsè, & propriè, & definitur à Gratiano *36. q. 1. c. lex*, quod ſit *illicita virginis defloratio ſine praecedente conjugali pactione.* Rurſus duplex eſt ſtuprum, violentum unum, aliud voluntarium; illud eſt, quò per vim corrumpitur virgo, cui adimitur ſui corporis virginitas, & hoc propriè, & ſtrictè aſt ſtuprum, prout in præſenti ſumitur: voluntarium eſt, quando puella virgo aſſentitur, ut carnaliter cognoſcatur ab aliquo viro, & corrumpatur; adeò ut puella virgo conſentiat in ſui violationem, ſive id contingat plenè liberè, ſivè per aliquam fraudem ad id inducatur, ſive etiam per metum incuſſum axtorquaatur ejus conſenſus. An verò ſtuprum ſtrictè ſumptum contineat malitiam ſpecia diſtinctam à fornicatione, & propterea, quæ ſit necaſſariò aperienda in confeſſione. Reſpondetur ſtuprum violanter illatum virgini continere malitiam ſpecie diſtinctam à ſimplici fornicatione, ſcilicet injuriam per vim illatam. 1

An verò etiam ſtuprum volontariom, & ſpontaneum malitiam contineat diſtinctam; cenſent aliqui, & quidem probabiliter deflorationem virginis conſentientis eſſe diſtinctam 2

ſpeciem luxuriæ aperiendam neceſſariò in confeſſione ſacramentali: hæc autem ſententia admittit ſpeciem ſtupri ſine raptu, eò quia per ſtuprum puella virgo inferat injuriam ſuo patri, cui concredita eſt cura corporis ſuæ filiæ; unde ſive hæc conſenſerit, ſive non, ſemper ob injuriam patri illatam committit peccatum includens malitiam diſtinctam à ſimplici fornicatione. Probabilior tamen ſententia docet, non dari ſpeciem ſtupri ſine raptu, & violentia, adeò violatio virginis ſponte conſentientis, tametſi ſit ſub paterna cura, non differat à ſimplici fornicatione: ratio, qua hæc ſententia nititur, eſt, quia tunc ſolùm habetur ſpecies ſtupri, quando adeſt injuſtitia, quâ virgo invita violatur, ſive hæc ſit ſub cura parentum, ſive non: quia non reperitur in ſtupro ſpecialis malitia, niſi adſit ſpecialis injuria: & quando puella virgo conſentit in ſui deflorationem, non fit illi ſpecialis injuria, quia volenti, & conſentienti non fit injuria, ut docet Layman. *lib. 3. tract. 3. c. 13. n. 1.* Tum quia fornicatio cum virgine conſentiente in violationem ſuæ virginitatis eſt intra genus intemperantiæ, ſeu luxuriæ, proinde non videtur habere aliam ſpeciem malitiæ, quàm ſimplicis fornicationis, quia ex eo, quòd fiat extra ſtatum matrimonij, ſolùm repugnat caſtitati, ſi virgo conſentiat in ſui deflorationem.

3 Quòd verò hujusmodi ſtuprum non contineat ſpecialem malitiam injuſtitiæ ex eo etiam liquet, quia cùm virgo conſentiat in ſui deflorationem, non fit illi injuria *l. 1. §. neque adeo ff. de injuriis.* Quòd nec parentibus inferatur injuria, ſub quorum cura puella virgo vivit, ex eo etiam videtur evinci, quia puella habet liberum uſum ſui corporis, adeò ut liberum ſit illi ſervare, vel non ſervare caſtitatem, prout eſt in ſe; & quamvis tunc extra ſtatum matrimonij peccet contra temperantiam, ſeu caſtitatem, ſi conſentiat in ſui deflorationem, nulli tamen facit injuriam, nec ejus pater habet majus jus in corpus filiæ corruptæ, quàm incorruptæ. Sin verò puella virgo vi rapiatur, vel invita defloretur, tunc fit ipſi injuria, ratione cujus ſtuprum contrahit ſpecialem malitiam, ut etiam ſi invito patre abducatur filia etiam volens è ſua domo; quia tunc violatur ius patriæ poteſtatis, & infertur injuria patri.

4 Quòd ſi dicas, ſtuprum continere injuſtitiam ob damnum proli inde illatum, quia licèt puella virgo conſentiat in ſui violationem, & concipiat, ac fœtum enitatur, ſemper proles eſt illegitima; proinde fit illi injuſtitia. Sed contra quia ſimplex fornicatio adverſatur quidem bonæ educationi prolis, quatenus facit eam eſſe iniquam, ac repugnantem juri naturæ contra caſtitatem, non tamen facit, ut ſit contra juſtitiam, quia proles, cùm nondum extiterit, non potuit eſſe capax injuſtitiæ, nec juris alicujus, ex cujus violatione oriatur injuſtitia.

5 Ex jure Cæſareo pœna huic crimini ſtatuta eſt publicatio dimidiæ partis bonorum, ſi ſtuprator honeſtus ſit; alioqnin ſi humilis coërcetur in corpore cum relegatione §. *item lex inſtit. de public. judic.* Neque obſtat, quòd Paulus Juriſconſultus *in l. 1. §. ult. ff. de extraordin. crimin.* doceat, non ſolùm eum, qui puero; verùm & qui mulieri, puellæve ſtuprum fecerit perfecto flagitio capite eſſe puniendum; imperfecto autem in Inſulam deportandum; nam ut reſpondet Alciatus *lib. 5. paradox.* ſtupri pœna regulariter non eſt capitalis ſed tantùm quando ejus improbitas eſt major, ut cùm quis puellas valde honeſtas, & pudicas pravis perſuaſionum illecebris circumvenit, ut probat Duarenus *ad tit. ff. de adult. c. 5.* vel etiam cùm quis puellam virginem immaturam, & nondum decennem corrumpit, tunc enim ſi corruptor honeſtior ſit in Inſulam relegatur; ſin verò ſtuprator ſit humilior damnatur ad metalla *l. ſi quis aliquid 38. §. qui nondum. ff. de pœn.* Alia de ſtuprante immaturam virginem congerunt Julius Clarus §. *ſtuprum n. 9.* Menochius *de arbit. caſ. 295.* Molina Juriſta *ad leg. Aquil. lib. 2. c. 3. ſect. 5.* Harprecht. *in §. item lex inſtit. de public. judic. n. 59.* Quòd ſi tutor virginem pupillam corruperit, tunc pœna imponitur major *l. unic. C. ſi quis eam cujus tutor fuerit.*

Sin verò ſervus corrumpat ſuam Dominam, corruptor ſubijcitur flammis *l. unic. C. de mulier. quæ ſe propriis ſervis.* Quòd ſi vis adhibeatur, pœna magis exaſperatur, fitque major *l. 3. §. præterea ff. ad leg. Jul. de vi public.* Rurſus damnati ob ſtuprum habentur infames, perinde ac alij, qui in reliquis judicijs damnantur *l. infames 7. ff. de public. judic.* nec poſſunt eſſe teſtes *l. 3. §. lege. l. ex eo 12. ff. de teſtibus.* Viduæ itidem intra annum luctûs ſtupro cognitæ in pœnam commiſſi flagitij incurrunt privationem omnium illarum rerum, quas amittunt tranſeuntes ad ſecundas nuptias, ut habetur *in novel. 39. inſt. c. 2. §. ult.* ut explicat Menochius *de arbit. caſ. 288. n. 28.* ut autem hæ pœnæ procedant, debet ſtuprator accuſari intra quinquennium à die admiſſi criminis *l. mariti 29. §. hoc quinquennium.* Quòd ſi ſtuprum admiſſum ſit cum vidua poteſt accuſari intra ſex menſes utiles, ut habetur *in d. l. mariti 29. §. ſex menſium.* Quòd ſi ſtuprum fuerit violentum poteſt accuſari etiam intra annum vigeſimum *l. 21. §. ult. l. querela 12. C. ad leg. Corn. de falſis.* 6

Ex jure canonico ſtuprator tenetur virginem ſtupratam, vel in uxorem ducere, vel dotare, & deſumitur *ex c. ſi ſeduxerit 1. h. t.* ibi *ſi ſeduxerit quis virginem nondum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem; ſi verò pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam, quam virgines accipere conſueverunt.* Et quamvis ex hoc textu nonnulli Canoniſtæ cenſuerint, copulativè imponi traditionem dotis, & matrimonium cum virgine conſtuprata; adeo ut ſtuprator adigatur ad dotandam, ſimúlque ducendam in uxorem virginem ſtupratam; nihilominus communior, & probabilior ſententia eſt, ut deflorator non copulativè, ſed disjunctivè adigendus ſit, vel ad ducendam in uxorem virginem ſtupratam, vel 7

ad

ad eam dotandam: in alternativis autem debitoris eſt electio, proinde ſufficit alterum impleri *c. in alternativis 7. de regul. jur. in 6. l. plerumque in fin. de jure dotium.*

8 Idque etiem deſumitur ex *c. pervenit. 2. h. t.* ubi cùm Felix quandam virginem ſtupráſſet, reſeribit Gregorius Sipontino Epiſcopo, quòd quamvis eſſet de lege puniendus, ſe pœnam tamen hoc modo mollire, ut quam ſtupravit, uxorem habeat, vel ſi renuat, corporaliter caſtigetus, & excommunicatus in Monaſterio aget pœnitentiem, è quo non liceat egredi, donec jubeatur. Pœne eutem legis civilis, quam Pontifex in hoc texto intelligit contra ſtupratores virginum eſt, ut relegentur, vel ſi viles perſonæ ſint, verberentur *inſtit. de public. judic. §. 2.* Quòd ſi per vim hoc fecerint capite plectentur: & hanc pœnem juris civilis Pontifex mutat in canonicam, & verberationi eddit excommunicationem, & detruſionem in monaſterium ad pœnitentiam perpetuò agendam: quæ remen pœna pleriſque viſa fuit durior pœnâ relegationis.

9 Cæterum qui virginem ſeduxit, & corrupit, tenetur ad eam dotandam juxta qualitatem ſuæ perſonæ; adeò ut ſtuprator tantum ex bonis ſuis illi aſſignet in dotem, quantum virgines ejusdem qualitatis ſolent in dotem accipere; tametſi virgo corrupta aliàs habeat ex proprio. Imò tenetur etiam ſtuprator hanc dotem tradere, quamvis pater puellæ ſtupratæ nolit illam in uxorem dare ſtupratori, ut etiam quamvis puella ipſe recuſet ipſi nubere, ut habetur *in d. c. ſi ſeduxerit t. h. t. in fin.*

10 Sio verò ſtuprator non poſſit puellam conſtupratam ducere in uxorem, eò quia ſit ſacris initiatus ordinibus, vel quia ſit conjugatus; vel quia ipſe mulier ſit diſparis, ac inferioris conditionis, ite temen ut per mulierem ſtupretem non ſtet, quo minus ſtupratori nubet, tunc tenetur ſtuprator dare tantem dotem, quanta eſt puellæ ſtupratæ neceſſeria, ut æquè commodè nubet, ac ſi corrupta non eſſet; ſiquidem debet illi compenſari, quòd ſtuprator eam non ducat in uxorem: ratio eſt, quia cùm ob amiſſem virginitatem non poſſit puella conſtuprata facilè maritum invenire, debet ſtuprator, à quo damnum eſt paſſa, eam in uxorem ducere, vel legitimè dotare, ut pecunie ſuppleat defectum virginitatis; & cujus beneficio maritum poſſit invenire ſibi æquelem; & quali potuiſſet nubere, ſi conſtupreta non fuiſſet.

11 Poſſet tamen in contrarium objici, quia matrimonia debent omnino libera eſſe, adeò ut nemo compellatur nubere *c. cum locum c. veniens c. ad id c. gemma de ſponſal.* unde non videtur compellendus ſtuprator ad nubendum puellæ conſtupratæ: quòd ſi compellatur ad tale matrimonium contrahendum cum puella vitiata, videtur matrimonium irritum eſſe, quia hoc omnino liberè iniri debet.

12 Sed contra, reſpondetur cum Innocentio *in d. c. ſi ſeduxerit t. h. t.* conſtupratorem non ducere invitum puellam à ſe conſtupratam, quia præſumitur conſenſiſſe tacitè, tunc quando puellam virginem conſtuprevit; adeò ut poſt commiſſum ſtuprum neceſſitas nubendi conſtupratæ ſit tantùm conſequens, quæ non tollit libertatem, quam præſupponit in ipſo delicto à ſe liberè perpetrato; ratio eſt, quia cum lex tali delicto injunget matrimonium cum ipſa conſtuprete; ideo qui vult liberè ſtuprum, tacitè vult etiam matrimonium cum ſtupro, ad quod ſe habet acceſſoriè, & qui conſentit liberè in principale, tacitè etiam conſentit in acceſſorium connexum cum principali. Hinc falſum eſt, matrimonium, quo ſtuprator compellitur puellæ nubere à ſe conſtupratæ, non eſſe liberum; & initum eſſe irritum defectu libertatis: ſicuti ſi quis contrahat ſponſalia de futuro cum aliqua puella, quam corrumpat ſpe futuri matrimonij, tametſi ipſum poſtea pœniteat talium ſponſaliorum, & quòd puellam illam corruperit ſpe futuri matrimonij, quod tamen nollet contrahere, adhuc adigitur ad illud contrahendum, & matrimonium eſt validum ob conſenſum antecedentem datum tempore ſponſaliorum, & tunc etiam quando conſtupravit puellam ſpe futuri matrimonij.

Quòd ſi dicas, tunc ſaltem ratione metûs matrimonium non ſortiri ſuum valorem. Contra eſt, quia talis metus cùm ſit juſtè incuſſus, non irritat contractum. Id intereſt diſcriminis inter metum juſtum, & injuſtum; quia metus injuſtè illatus tollit rationem liberi, & vitiet matrimonium; non ite metus juſtè incuſſus ejus valorem impedit. Quòd ſi dicas in *c. pervenit 2. h. t.* ſtupratorem effici etiam corporali pœna, ſi detrectet puellæ à ſe conſtupratæ nubere. Contra eſt: quia hæc pœna non ſtatuitur in pœnam contracti matrimonij, ſed tantùm in pœnam illati ſtupri, ne aliàs delictum cum tanto ſeductæ puellæ incommodo maneret impunitum: unde non quia duxit, ſed quia ſeduxit, pœna imponitur. 13

Poſſet tamen adhuc quis objicere, quia qui demum infert pluribus, tenetur omnibus illatum damnum reſarcire *c. final. de injuriis:* ergo qui puellam virginem conſtupravit, non ſolùm tenetur puellam vitiatam ducere, ſed etiam ejus parentibus illatum damnum reſarcire. Tum quia ex lege divina in veteri teſtamento *Exodi 22.* deflorator virginis tenebatur copulativè ſimul ducere, & dotare puellam à ſe defloratam: habetur enim *Exodi 22. dotabit eam, & uxorem habebit.* Sed contra, quia cùm principaliter injuria inferetur virgini, illi ſoli ſatisfaciendum eſt, eam ducendo, vel dotando, unde non eſt neceſsè, quòd debeat etiam compenſare parentibus, quia ipſis ſufficienter ſatisfit, eò quia eorum filiam dotet, vel nubat ſtupratori. Ad id, quod addebatur ex *c. 22. Exodi,* reſpondent varij varie: alij enim dicunt, interdum conjunctivam particulam apponi pro disjunctiva *l. ſæpe 53. ff. de V. S.* Alij tamen, & veriùs cenſent, ex lege ve- 14

teri

teri, ſtupratori fuiſſe injunctum ducere conſtupratam, & eandem dotare, eo tamen modo, quo viri dotem conſtituebant uxoribus, hoc eſt in dotis augmentum aliquid aſſignando, non verò dotem omnino conſtituendo.

15 Alij reſpondeant, legem illam *Exod. 22.* non eſſe moralem, ſed judicialem, & leges judiciales per Chriſti adventum expirâſſe, adeò ut in novo teſtamento tranſumptæ obligeant tantùm ex jure humano: hinc hodie non eſt dos uxoris à marito aſſignanda, eò quia uſu ita receptum ſit, ut ſtuprator teneatur tantùm virgini ſeductæ nubere, non verò donationem propter nuptias in eam conferre: unde rectè potuit uſus disjungere, quæ lex judicialis in veteri teſtamento conjunxerat: quia Deus non ſimpliciter jubet utrumque fieri; ſed ita jubet, ſi non diſſentiat pater. Quòd ſi patri permittitur conjuncta ſeparare, multò magis ex uſu talis disjunctio admitti potuit. Quòd ſi cum ſtupro ſimul contingat raptus, & vis illata in puellam, tunc tenetur ſtuprator, & Raptor eam ducere, & dotare ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 6. de reform.* Quòd ſi ſtuprator puellam non rapuit, ſed tantùm blanditijs, ſuaſionibus, vel etiam precibus importunis, aut muneribus eam induxit, ut conſentiret in ſtuprum abſque alia fraude, tunc cenſent plures, ſtupratorem non incurrere obligationem eam ducendi, nec dotandi, quæ ſententia eſt valde probabilis, quia blanditiæ, preces, & munera non inferunt vim, nec tollunt rationem voluntarij, ſicut metus injuſtè incuſſus; ſed ſolùm blandè alliciunt, & facilè repelli poſſunt, ſi fæmina ſeriò velit.

16 Excipitur tamen niſi puella precibus Principis, vel ſui ſuperioris fuiſſet inducta ad conſenſum, quia cum puella non audeat diſſentire voluntati Principis, vel ſui ſuperioris, aut Domini, hujuſmodi preces cauſant metum reverentialem, minuúntque libertatem conſenſûs, & ſpecialem continent injuriam; ratione cujus ſtuprator tenetur, fœminam ducere, vel dotare; idque etiam procedit ſi fæmina præ verecundia non fuerit auſa diſſentire, quia tunc præſumitur coactè conſenſiſſe, ut notat Molina *tract. 3. diſp. 208. conclus. 1. in fin.*

17 Cæterum qui importunis precibus, vel donis allicit puellam, ut conſentiat in ſtuprum, probabile, eſt quòd contrahat etiam obligationem eam ducendi, hæc enim ſententia eſt puellis favorabilior. Ratio eſt, quia importunæ preces vim quandam videntur inferre, quæ minuit voluntarium.

18 Poteſt tamen puella, quæ per vim, metum, vel fraudem conſenſit in ſtuprum, quamvis ſub patria poteſtate adhuc conſtituta, remittere obligationem ſatisfaciendi ſtupratori, adeout hic ad nihilum teneatur in conſcientia ante Judicis condemnationem, quia poteſt puella cedere juri quod habet ad detrimenta nuptiarum reſarcienda: eſt enim ipſi liberum abſtinere, ſi velit à nuptiis; idque procedit etiam poſt damnum ſibi illatum, & ſine conſenſu parentum; Ratio eſt, quia hoc debitum non eſt per ſe, ac immediatè pecuniarum; ſed eſt debitum, quo tenetur ſtuprator ducere fœminam conſtupratam, ſi ipſa velit, quia hæc non poteſt adigi ad matrimonium ineundum; unde cum poſſit velle non nubere; ita poteſt debitum remittere ſtupratori; ut ei non nubat, etiam poſt damnum ſibi illatum independenter à conſenſu Patris.

Oritur hic dubium, an ut puellæ violenter oppreſſæ ſtuprum non imputetur ad culpam, teneatur clamare, & facere quantum poteſt ad violentiam repellendam? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi periculum immineat puellæ conſentiendi, certum eſt, imputari illi ad culpam, ſi non fecerit quantum potuit ad repellendam violentiam clamando, & omnia ea præſtando, quæ ſibi poſſibilia tunc ſunt. Ratio eſt, quia tametſi puella non conſentiret in ſtuprum; voluntariè tamen ea omitteret, quibus poſſet illud impedire; quapropter ſtuprum illi eſſet indirectè voluntarium, ut docet Cajetanus 2. 2. *q. 154. art. 4. §. ad hujus dubij evidentiam.* Tum quia conſenſus in ſtuprum prohibetur præcepto negativo, quod ſemper, & pro quovis tempore obligat, adeò ut ſemper urgeat obligatio ea omnia præſtandi, quæ poſſibilia ſunt ad impediendum ſtuprum, tametſi deberet puella graviſſima ſuſtinere damna etiam mortis, quia tenetur mori potius, quàm Deum graviter offendere: tunc concurrunt Deus, & creatura, cui debet Deus præferri, proinde ejus offenſa vitari debet omni medio poſſibili, nulla habita ratione ad creaturam, alioquin Deus non præferretur creaturis, nec amaretur ſupra creaturas. 19

Sin verò non adſit periculum conſenſus in ſtuprum, & puellæ, quæ violentiam patitur damnum aliquod grave in corpore, fama, aut bonis immineat, ſi reſiſtat ſtupratori, tunc cenſent nonnulli, non teneri puellam illam actu exteriori reſiſtere, ſed ſufficere, ſi eam tantùm adhibeat reſiſtentiam, quam commodè poteſt: aiuntur eò quia exterior illa reſiſtentia non ſit neceſſaria ad evitandum conſenſum, cum poſſit puella ſine exteriori illa reſiſtentia, animo, & voluntate non conſentire: ſed illa reſiſtentia videtur tantùm requiri in defenſionem proprij corporis, ne illi per ſtuprum inferatur injuria: atqui præceptum defendendi proprium corpus a tali injuria non obligat, cum tantò diſcrimine: ſiquidem eſt præceptum affirmativum, quod non obligat, niſi quando ſine gravi incommodo ſervari poteſt. 20

Quòd ſi illis objicias, eum, qui adigitur Idolis ſacrificare, teneri actu externo tale ſacrificium non offerre, tametſi certus eſſet, quòd animo, & voluntate in illud non conſentiret: proinde teneri puellam impedire omni medio poſſibili, & per omnem exteriorem reſiſtentiam ſtuprum, quo Deus offenditur ab ſtupratore, quamvis ipſa non conſentiat in peccatum. Reſpondent negando conſequentiam, & aſſignant 21

gnant

gnant rationem diſcriminis, quia actus ipſe exterior ſacrificandi prohibetur præcepto negativo, ut oppoſitus virtuti confeſſionis exterioris fidei: ſecus reſiſtere exteriori actu ſtupratori adhibenti violentiam oritur ex præcepto poſitivo, quod non obligat pro ſemper, & cum gravi incommodo. Poſſet etiam reſponderi, eſſe diſparem rationem, quia actus exterior ſacrificandi ſe habet per modum actionis voluntariæ, quapropter & ipſe actus exterior ſacrificandi præſumitur tunc voluntarios; ſi enim non ſit totaliter violentos, debet oriri ab aliquo actu voluntatis: è converſo non reſiſtentia non ſe habet per modum actionis, ſed potiùs omiſſionis; & tunc tantùm intervenit violentia ſtupratoris vim facientis in puellam, quæ propterea ſe habet merè paſſivè, non poſitivè, & cùm non conſentiat ſtupro, illa paſſiva violentia non imputatur eidem ad culpam.

22 Nihilominus ſi puella poſſet etiam cum aliquo ſuo gravi incommodo impedire ſtuprum per exteriorem reſiſtentiam clamando, vel quid aliud præſtando, puràrim ad id teneri, ne ſtuprum ei imputaretur culpæ: ratio eſt, quia cum poſſet impedire ſtuprum, & omitteret id præſtare, cenſeretur non habere voluntatem efficacem contrariam ſtupro: hæc enim voluntas efficax requiritur, ut illi ſtuprum non vertatur vitio: atqui de ratione voluntatis efficacis eſt, ponere omnem reſiſtentiam poſſibilem ad impediendum ſtuprum, quòd ſi omitteret aliquod medium, quod poſſet ponere, & non poneret, & quo poſito impediret ſtuprum, tunc non cenſeretur facere, quantum poteſt, nec ponere omnimodam reſiſtentiam ad impediendum ſtuprum, quod propterea non eſſet illi omnino involuntarium. Immo eſſet ei voluntarium, & involuntarium ex ſuppoſitione, quòd illud non impediret, cum poſſet: ſiquidem inter voluntarium, & involuntarium non datur medium. Neque obſtat ſi dicas, eſſe tantùm voluntarium permiſſivè. Nam contra eſt quia puella tenetur non permittere ſtupratori, ut eam conſtupret, & violet, unde adhuc ſtuprum ei imputaretur culpæ.

§. IV.

De Reliquis luxuriæ ſpeciebus.

1 Luxoria ſuam à luxu nomenclationem trahit, & ſumitur laxè, & generatim pro quovis exceſſu non ſolùm in re venerea, verùm etiam in veſtitu, epulis, aliiſque delicijs. Juxta tamen præſens inſtitutum coarctatur ad ſignificandum ſolum exceſſum in re venerea, unde luxurioſus, ut notat D. Thomas *22. q. 159.* dicitur quaſi laxatus, ſeu ſolutus in voluptates carnis, eò quia venereæ voluptates maximè hominis diſſolvunt animum; & in hoc ſenſu luxuria opponitur caſtitati, eſtque peccatum ex genere ſuo mortiferum, ut colligitur ex Apoſtolo Paulo ſcribente *ad Galat. 5.* ubi luxuria ponitur inter opera carnis, de quibus ait Apoſtolus: *Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*: poſtea ſubdit, *quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur*: & ad Ephes. ſcribit. *ſcitote, quòd omnis fornicator, aut immundus non habet hereditatem in regno Chriſti, & Dei*: unde ſi luxuria excludit à regno DEI, procul dubio eſt peccatum lethale, cùm per ſolum veniale non excludatur quis à regno DEI. Gravitatem hujus peccati etiam ratio ipſa naturalis ſuadet, quia uſus rei venereæ ex natura ſua eſt opus neceſſarium ad propagandam, perennandàmque ſpeciem humanam in ſuis individuis; perinde ac eſt neceſſarius uſus ciborum ad conſervandum individuum, ut notavit D. Auguſtinus de *bono conjugali c. 6.* ubi ait: quod eſt cibus ad ſalutem hominis, hoc concubitus ad ſalutem generis: unde uſus rei venereæ, in ordine ad propagandam, & perennandam ſpeciem humanam in ſuis individuis eſt res omnino gravis, & maximi momenti in rebus humanis, conſequenter inordinatio talis uſus, ſeu ordinatio illius ad alium finem, quàm ad propagandam, & perennandam naturam eſt inordinatio in re graviſſima proinde ex genere ſuo mortifera: quia quo bonum eſt excellentius, eò pluris æſtimatur opus, ex quo provenit; & majus peccatum, quod per tale opus opponitur bono illi, & propagatio naturæ humanæ, ejuſque conſervatio in ſuis individuis eſt bonum valde excellens, proinde inordinatio, quæ committitur circa opus illud eſt omnino gravis, & inducit gravem culpam, quia luxuria eo ipſo, quòd non tendit ad propagandam naturam humanam deordinatur à ſuo fine intrinſeco; proinde eſt ab intrinſeco gravis deordinatio, & peccatum lethale.

Hinc in rebus venereis, neque admittitur parvitas materiæ, eò quia quævis voluntaria actio in hoc genere ſit inchoatio ad hanc graviſſimam deordinationem, & ut notavit Galenus, omnis actus venereus eſt initium pollutionis trahentis hanc graviſſimam deordinationem, & quamvis pollutio non ſequatur, id per accidens ſe habet, quia actus ille ex ſe, & ex natura ſua ad illam ordinatur; unde ſi actus ſit voluntarius, non excuſatur ob materiæ parvitatem à culpa gravi. 2

Eſt autem luxuria vitium capitale, ut docet D. Gregorius *lib. 31. moral. c. 31.* quia ex illa veluti ex putidiſſimo fonte plura alia ſcatu(riunt vitia. Hinc filiæ luxuriæ octo recenſentur à D. Gregorio ſcilicet *cæcitas mentis, præcipitatio, inconſideratio, inconſtantia, amor ſui, odium DEI, affectus præſentis ſæculi, & horror futuri*: ex hiſce vitijs quatuor priora ad intellectum pertinent, quia in hoc ſunt quatuor operationes, quarum prima eſt ſimplex conſideratio boni ſcilicet ſpiritualis, & per hanc dicitur homo benè apprehendere, & intelligere, quàm bonum ſit caſtè vivere, & DEO inſervire: ſecunda eſt conſultatio de medijs ad id exequendum. Tertia examen de modis, & medijs occurrentibus. Quarta imperium, quò ratio imperat alijs potentiis, ut id exequantur: hæ autem quatuor operationes intel- 3

tellectus, ut rectè docet D. Thomas *2.2.q.159. art.5.* turbantur, & impediuntur per luxuriam, quia voluptas hæc ob ſuam vehementiam impedit conſiderationem ſpiritualium. eò quia totam animam, omnéſque ejus vires ad ſe violenter rapiat. Tum quia voluptas venerea cùm ſit intima, & ſecundùm infimum ſenſum, ac propterea communis cùm brutis, maximè mentem deprimit, & in brutalem deformat indolem; ut igitur hæc voluptas impedit conſiderationem ſpiritualium, generat cæcitatem mentis; & intellectus immerſus rebus carnalibus fit ineptus ad conſultandum non ſolùm de modo rectè vivendi, verùm etiam de alijs rebus, & ut illum reddit ineptum ad rectè judicandum, non ſolùm generat præcipitationem in conſultando de medijs ad ſalutem neceſſarijs, ſed etiam inconſiderationem, quæ oritur ex defectu judicij. Ut autem homo per luxuriam fit mollis, & debilis in ordine ad ſuperandas difficultates exequendi, quæ ſunt neceſſaria ad aſſecutionem æternæ ſalutis, generat etiam inconſtantiam, quia ut notat D. Auguſtinus *lib. 8. confeſſ. c. 5. & 11.* quamvis homo luxurioſus aliquid boni perſæpe ſibi proponat, quando tamen animus debet imperare executionem; ſtatim luxurioſus retrocedit perterritus ſpecie aſperitatis; quæ ipſi tunc repræſentatur.

4 Quatuor poſteriores luxuriæ filiæ pertinent ad voluntatem, quia in hac duæ ſunt operationes ſcilicet intentio finis; & electio mediorum. Primam operationem luxuria pervertit ex eo, quòd voluntatem trahat ad delectationes carnis, & ingeneret amorem ſui, quatenus homo vult proprio ſenſui indulgere, ſibique ſatisfacere: hinc oritur etiam odium DEI graviter prohibentis, ac punientis hujusmodi voluptates. Præterea pervertit etiam electionem mediorum ad finem, quatenus ingenerat amorem hujus ſæculi, ſeu præſentis vitæ, rerúmque oblectantium ſenſus: ex quo etiam oritur horror & deſperatio futuri ſæculi: quia luxurioſi cùm nolint ſe talibus privare voluptatibus, & ſciant eos manere graviſſimas pœnas in futuro ſæculo, hoc exhorrent; quia nollent pœnas illas ſubire. Ab Iſidoro etiam adduntur aliæ quatuor luxuriæ filiæ, ſúntque externæ; nimirum turpiloquium, quia ex abundantia cordis os loquitur. Secundò, ſcurrilia, quæ ſunt verba, vel facta parùm honeſta, & quæ riſum movent. Tertiò ludicra, quatenus luxurioſi ex varijs libris; quæ turpia ſunt colligunt, ad ludicras narrationes, & ut in promptu ſemper habeant in conſortio aliorum. Quartò ſtultiloquium, quod ſequitur ex mentis cæcitate, quia mens libidine cæca nonniſi ſtulta effutit, & ſcurrilia.

5 Species luxuriæ à Gratiano *26. q. c. 1.* ſeptem aſſignantur, ſcilicet *ſimplex fornicatio, adulterium, ſtuprum, ſacrilegium, inceſtus, raptus, & peccatum contra naturam.* Ratio harum ſpecierum ex eo deſumitur, quia cùm luxuria ſit deordinatus concubitus, vel actus ſenſitivus per ſe ad illum ordinatus; vel hujusmodi inordinatio eſt circa actum principalem, qui ita fiat, ut ex illo impediatur generatio, & ſic eſt peccatum contra naturam; vel quia ita fit, ut non poſſit ſequi commoda inſtitutio, & promanatio prolis usque ad ſtatum perfectum, & eſt ſimplex fornicatio ſoluti cum ſoluta: vel quia fit cum perſona incongrua, idque, vel quia ſit nimis propinqua, & eſt inceſtus, vel quia alteri conjuncta, & eſt adulterium; vel quia ſub poteſtate parentis, & eſt ſtuprum; vel quia fœmina non conſentit, & eſt raptus: vel quia perſona eſt Deo dicata, & eſt ſacrilegium, quod D. Thomas non diſtinguit ab adulterio, eò quia perſonæ ſacræ, ſint connubio quodam ſpirituali Deo conjunctæ.

Fornicationem, ſeu concubitum ſoluti cum ſoluta eſſe peccatum mortale, liquet ex ſcripturis *1. ad Corinth. 6.* ubi Apoſtolus ſcribit. *An neſcitis, quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt? nolite errare, neque fornicarij, neque molles regnum DEI poſſidebunt.* Quòd ſi fornicarij excluduntur à regno Dei, ſequitur, fornicationem eſſe peccatum mortiferum, quia hoc ſolùm excludit à regno DEI. Tum quia per fornicationem impeditur generatio prolis: ſiquidem ſi hæc licita eſſet fœmina ſoluta non minus cum uno, quàm altero, & pluribus viris ſolutis poſſet conjungi: ex hac autem multudine virorum impeditur finis humanæ generationis, qui eſt proles perfecta: meretrices enim ob plures, quos admittunt viros quæſtûs causâ ſunt ſteriles, nec concipiunt fœtum: quo fit, ut ſimplex fornicatio ſit ab intrinſeco mala, & peccatum mortiferum; eò quia impediat finem humanæ generationis; adeò ut proles perfecta, quæ eſt talis finis, non habeatur niſi per matrimonium unius viri cùm una fœmina. Neque obſtat, ſimplicem fornicationem in plerisque locis permitti impunitam: quia inde non ſequitur, non eſſe peccatum, vel approbari ut licitam; ſed tantùm diſſimulari pœnam ad evitanda graviora delicta, eò quia homines in locis illis in adulteria proruerent, vel peccata contra naturam. Quando enim concurrunt duo mala, quorum utrumque vitari non poteſt, quod eſt minus à viris probis diſſimulanter toleratur, ut docemur in ſcripturis *Genes. 9. judic. 19.* 6

7 Quòd ſi dicas, Deum præcepiſſe Oſeæ Prophetæ accedere ad mulierem fornicariam Oſeæ *1. ſume tibi uxorem fornicationum, & fac filios fornicationum.*

8 Contra eſt, quia ut reſpondet S. Thomas. *2. 2. q. 154. art. 2. ad 2.* inde tantùm ſequitur, fornicationem interdum ex divina diſpenſatione poſſe fieri licitam ob pleniſſimum dominium, quod habet Deus in omnes creaturas, & eorum corpora; & ratione cujus poteſt unam creaturam alteri ſubijcere. Contra ſecundò, quia communior, & verior reſponſio eſt, Deum tantùm præcepiſſe Oſeæ, ut ſumeret meretricem, ſeu mulierem, quæ valde dedita erat fornicationi, uxorem; ut colligitur ex illo hebraiſmo, dicitur uxor fornicationum.

onum. & dicuntur filij fornicationum, qui ſuis nominibus, & ordine naſcendi repræſentaturi erant filios Iſrael (qui ob multiplicem idololatriam dicebantur filij fornicationum, quatenus fornicabant à DEO) quapropter hîc non agitur de actu carnali fornicationis permittendæ. Tertiò reſpondetur etiam, poſſe textum illum ita explicari, ut Propheta nuberet mulieri, quæ antea erat fornicaria, & ex illa per licitum uſum matrimonij filios generaret, qui eatenus dicuntur filij fornicationum, quia erant repræſentaturi filios Iſrael, qui ob idololatriam dicebantur filij fornicationum.

9 Pœna ſimplicis fornicationis licèt de jure civili nulla conſtituta ſit, ut liquet *l. ſi uxor 13. §. 2. ff. ad leg. Jul. de adult. l. 1. C. de concubinis*. Hodie tamen ſimplex fornicatio pleriſque in locis punitur à Magiſtratu pœna arbitraria juxta locorum conſuetudines, ut notat Menochius *de arbit. cas. 288. n. 12.* Non tamen ſimplex fornicator adigitur ad contrahendum matrimonium cum fœmina, quam carnaliter cognovit; ſed tantùm tenetur prolem ex illa ſuſceptam alere *c. 5. de eo qui duxit*, neque illi ſuffragatur ſi neget, ſe eſſe patrem, quia ſi ſemel convictus fuerit de copula cum tali fœmina, præſumitur in jure pater prolis ab eadem fœmina enixæ; niſi alium demonſtret, qui rem habuit cum eadem fœmina, & probet, ex illo concepiſſe: quando plures eandem mulierem cognoſcunt, tunc ad probandum, ad quem proles, pertineat, fit recurſus ad circumſtantias, & cui tempus partûs, vel phyſionomia prolis magis correſpondeat, & eidem adſcribitur proles: quinimò interdum favore prolis, ne careat neceſſarijs alimentis creditur juramento mulieris. Quamvis pœna ſimplicis fornicationis à laico commiſſæ de jure canonico ſit arbitraria, ut notat Julius Clarus §. *fornicatio n. 3.* Clericus tamen in ſacris conſtitutus punitur, ſi ſit fornicarius, pœna ſuſpenſionis ab officio, ut notat idem Clarus *loc. cit. n. 4.*

10 Sin verò Clericus ſit notorius fornicator ſcandaloſus, & incorrigibilis, tunc omnino deponitur ab officio, & beneficio, imò eſt ipſo jure ſuſpenſus, ut notat Menochius *de arbit. judic. cas. 289. n. 10.* & deſumitur *ex c. prater 6. diſt. 32. c. ult.* ubi dicitur, quòd ſi Clericus fuerit publicus, ſeu notorius concubinarius ipſo jure eſt ſuſpenſus ab officio, & beneficio, quamdiu in tali vitio perſeverat; quòd ſi in tali ſtatu celebret, vel actum Ordinis exerceat, ſit irregularis, & cum eo ſolus Papa poteſt diſpenſare: non ita ſi ſit concubinarius occultus, ut notat Sylveſter *V. concubinarius q. 4.* Eſt concubinatus, cùm quis cum certa aliqua fœmina ſive ſoluta, ſive ligata matrimonio, ſive intra, ſive extra domum aſſiduam exercet libidinem; & deſumitur *ex tit. §. de concubinis* ut habet Farinacius *in prax p. 5. q. 138. n. 9.* Hodie non tantùm in foro eccleſiaſtico, ſed etiam in civili concubinatus acriùs punitur, quàm ſimplex fornicatio: quia concubinatus ſimplici fornicationi addit perſeverantiam in tali delicto, ideo ratione frequentiæ, & perſeverantiæ aggravatur peccatum, quod tantò ſit gravius, quantò diutius durat, ut habetur *in c. ult. de conſuetud.*, diuturnitas enim temporis in eodem peccato tantùm abeſt, quod illud minuat, ut potiùs augeat *c. enim haberet de eo qui duxit.*

Ad extirpandum verò peccatum concubinatûs Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de reform. c. 8.* ſpecialiter ſtatuit, ut concubinarij 11
ſive ſoluti fuerint, ſive uxorati, & cujuscunque ſtatus, dignitatis, & conditionis ſint, ſi poſtquam ab Epiſcopo, ſeu Ordinario etiam ex officio ter moniti hac de re fuerint, & concubinas non ejecerint, ſéque ab earundem conſuetudine non ſeparaverint, anathemate percutiantur; neque ſunt ab excommunicatione abſolvendi, donec re ipſa paruerint admonitioni factæ. Rurſus idem Concilium Tridentinum *loc. cit.* decrevit, ut mulieres concubinæ, ſive ſolutæ ſint, ſive ligatæ ab Ordinario loci ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum, vel diœceſim ejiciantur invocato etiam ad id, ſi opus fuerit, brachio ſæculari. Huic conſtitutioni Concilij etiam in foro ſæculari parendum eſt, quia in materia peccati lex civilis corrigitur à canonica, cui paret *argu. c. ult. de præſcript.*

Juvat obſervare, quòd quamvis Chriſti- 12
anus rem habeat cum fœmina ſoluta Judæa, vel vice verſa Judæus cum fœmina Chriſtiana, quamvis peccatum ſpecie non ſit diſtinctum à ſimplici fornicatione, quæ eſt inter ſolutum, & ſolutam; eſt nihilominus gravius peccatum propter irreverentiam, & injuriam, quæ infertur legi, & religioni Chriſtianæ, proinde tunc delictum, graviùs etiam punitur: non tamen pœna mortis, ſed aliâ mitiore, & extraordinaria arbitrio Judicis: quia in jure nulla certa pœna in hoc caſu ſtatuta eſt, ut notat Julius Clarus § *fornicatio n. 6.*

De ſecunda, & tertia ſpecie luxuriæ, ſeu de 13
adulterio, & ſtupro abundè in præcedentibus diximus. Quarta ſpecies eſt ſacrilegium, quod in genere eſt omnis violatio rei ſacræ, ſeu indigna tractatio: ſtrictius verò, & ſecundùm præſens inſtitutum eſt illa ſpecies luxuriæ, quâ violatur corpus perſonæ Deo conſecratæ per votum perpetuæ continentiæ; adeò ut ſacrilegium ſit ſacrilegus concubitus cum perſona Deo dicata, ut notat Farinacius *p. 5. q. 146. §. ſacrilegium n. 2.* unde ſacrilegium committitur non ſolùm ſi perſona violata, ſed etiam ſi violans adſtricta ſit voto caſtitatis, eſt propterea hæc circumſtantia voti neceſſariò aperienda in confeſſione, quia mutat ſpeciem peccati, quia non ſolùm eſt fornicatio, ſed etiam talis fornicatio ſacrilega, ac in ſpecie ſacrilegij. Licèt fornicario Clerici tam regularis, quàm ſæcularis in ſacris conſtituti cum ſoluta ſit verum ſacrilegium ratione voti caſtitatis annexi ordinibus ſacris; nihilominus in foro externo non punitur ut ſacrilegium, ſed ut ſimplex fornicatio, ut notat Julius Cla-

tus §. *fornicatio n. 18.* Sacrilegium quod ſeverius in utroque jure civili, & canonico punitur, eſt ſtuprum cnmmiſſum à Clerico, vel laico cum Moniali, ut notat Farinacius *loc. cit. q. 146. n. 5.* ſiqnidem hoe crimen jure civill punitur pœna morris *c. ſi quis 30. caus. 27. q. 1.*

14 Jure canonico ſtuprator ſacrilegus, ſi laicos ſit excommnnicatur, ſin verò Clericus non ſolùm privatur beneficijs, ſed etiam deponitur ab ordine, & detrnditur in Monaſterium, ut perpetnam ibi pœnitentiam agat *c. ſi quis Epiſcopus 6.* Monialis autem quæ ſe carnaliter cognoſci paſſa eſt, detruditur in Monaſterium ſtrictioris obſervantiæ, ut ibi orationibus, & jejunijs vacet, ac perpetuò ſuum deflear peccatum, pœnitentiam agendo *c. ſi qua Monacharum 28. in fin. caus. 27. q. 1. c. ſi quis rapuerit 30. caus. 27. q. 1.* Rurſus bnna illius, qui Monialem violavit Eccleſiæ, vel Mnnaſterio, in quo erat Monialis violata, applicantur *l. unic C. de rapt. virg. juncta novel. 103. c. 43.* & *d. c. ſi quis rapuerit. 30. caus. 27. q. 1.* His ſacrilegis Monialinm Violatoribus Farinacius. *q. 145. n. 32.* eos etiam annumerat, qui delictum carnis in Eccleſia conſummant, ſi ex inde Eccleſia polluatur, & indigeat reconciliatione. Sed de violatoribus Eccleſiarnm in ſequenti titulo dicemus.

15 Quinta ſpecies luxuriæ eſt inceſtus, qui definitur concubitus illicitus cum conſanguineis, vel affinibus in gradu prnhibito, adeò ut inceſtus ſit abuſus conſanguineorum, vel affinium, ut dicitur in *c. lex illa 2. §. cum ergo cauſa 36. q. 1.* Illi tamen ſolùm dicuntur juxta præſens inſtirntum conſanguinei, & affines, cnm quibus prohibitum eſt matrimonium inire, ſcilicet jure divino inter aſcendentes, & deſcendentes per lineam rectam in infinitum, ut inter patrem, & filiam; avum, & neptem; aviam, & nepotem, & ſic de reliquis: jure autem humano inter cognatos, & affines in linea laterali, ſeu transverſali usque ad quartum gradum incluſivè excepto primo gradu inter fratrem, & ſororem, inter quos juxta probabiliorem ſenteatism jure naturæ prohibitum eſt matrimonium inire. Quamvis affinitas, ſi oriatur ex copula illicita, cenſeant tunc aliqoi de jure civili non committi inceſtum, ſed tantùm ſimplicem ſnrnicarionem, eò quia affinitas de jure civili nonniſi ex matrimonio oriatur non verò ex copula illicita *argu. l. non facitis §. ſciendum ff. de gradid. affin.* nihilominus de jure canonico etiam ex copula illicita vera contrahitur affinitas, conſequenter committitur inceſtus ab illo, qui carnaliter duas ſorores, vel conſanguineas cognoſcit *c. diſcretionem de eo qui cognovit conſanguineam uxoris*, ubi notat Farinacius *q. 149. n. 102.* id etiam procedere de jure civili quoad pœnam inceſtûs imponendam. Obſervandum tamen eſt, quòd de jure novo cùm Concilium Tridentinum *ſeſſ 24. de refor. matrim. c. 4.* reſtrinxerit impedimentum affinitatis ortæ ex copula illicita ad ſecundùm gradum, ideo probabilis eſt multorum ſententia, quæ docet, non committi inceſtum ab eo, qui carnaliter cognoſcit conſanguineam in tertio, vel quarto gradu illius, cum qua carnaliter peccavit, ut notat Barboſa *in d. c. 4.* Concilij Tridentini *n. 12.*

Quòd ſi quis peccaret cum conſanguinea ſuæ ſponſæ de præſenti, cum qua tamen nondum matrimonium conſummâſſet, non diceretur propriè inceſtum committere, quia ſola ſponſalia de præſenti ante conſummationem matrimonij non inducunt propriam affinitatem, ſed tantùm quaſi affinitatem, & impedimentum publicæ honeſtaris, ut notat Covaruvias *de matrim. p. 2. c. 1. § 8. n. 4.* Hoc etiam procedit de cognatione legali, ſeu adoptione; vel ſpirituali, quæ oritur per baptiſmum, vel confirmationem: cùm enim talia concubitus propriè non ſit inceſtus, ideo miciore pœnâ punitur. Committitur autem inceſtus dupliciter, ſcilicet vel ſub prætextu matrimonij, vel absque tali prætextu: pœna inceſtûs ſine matrimonio de jure cannnico eſt, ut laicus inceſtuoſus anathemate percutiatur: Clericus verò omnino deponatur, & quidem perpetuò ab ordine, officio, & beneficio *argu. c. non debet 10. caus. 30. q. 1.* hic tamen textus tantùm loquitur de Clerico cognoſcente carnaliter filiam ſpiritualem, quæ ipſi ſua peccata confeſſa fuit, ut nntat Julius Clarus §. *inceſtus n. 2.* 16

Immo ſi Clericus primò fornicatus ſit cum aliqua muliere, & pnſtea cum ejus conſanguinea intra quartum gradum eſt deponendus, maximè ſi cum matre, & filia, vel duabus ſororibus fornicatus fuerit, & crimen publicatum. De jure autem civili in foro ſæculari pœna hujus criminis erat gladius *l. cum vir nubit. C. ad leg. Jul. de adult. §. item lex Julia* Immo ex conſtitutionibus pœnalibus Caroli V. *art. 116.* Rei hujus delicti traduntur flammis comburendi. 17

Verùm cùm hodie adulterium non ampliùs puniatur pœnâ capitis, ſed alia arbitraria pro conſuetudine locorum, ut docet Farinacius *loc. cit.* ita pœna inceſtûs eſt etiam arbitraria, niſi committatur inceſtus cum illis conſanguineis, cum quibus jure divino, & naturali prohibitum eſt matrimonium, ut cum liberis, & collateralibus primi gradus; quia tunc inceſtus punitur pœna mortis, ut ſi pater propriam filiam carnaliter cognoſcat, vel frater ſuam ſororem, quia jure divino, & naturali non poteſt inter ipſos matrimonium contrahi; ſin verò inceſtus committatur ſub prætextu matrimonij, plures etiam jure canonico ſtatuuntur pœnæ: nam, qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis jure canonico interdictis matrimonium ineunt, ſunt ipſo jure, ſeu facto excommunicati *clement. unic. de conſanguin. & affin.* hanc tamen pœnam non incurrunt ignoranter contrahentes etiam ex lata culpa: ratio eſt. quia quando dolus expreſsè requiritur ad pœnam, lata culpa non ſufficit. Verùm quoad ignorantiam juris contrarium docet Gloſſa *in d. clement. V. ſcienter.* 18

Rur-

Rurſus debent, qui matrimonium contraxerunt in gradu prohibito invicam ſeparari, ut liquat *ex d. clement. unic. de conſang. & affin.* Præterea prohibentur inceſtuoſi matrimonium cum alijs contrahere, niſi fortaſſis ignoranter contraxarint in gradu illo prohibito, ut deſumitur *ex c. qui propinquam 4. cauſa 35. q. 2.*

19 Sexta ſpecies luxuriæ eſt raptus, qui committitur, quando Virgo, vel etiam alia fœmina, ſive vidua, ſive ligata, aut ſoluta dummodo ingenua ſit, honeſta, &, libara libidinis explendæ causâ par vim abducitur: unde raptus, eſt vis illata mulieri abductæ, val ejus parentibus, val alijs, in quorum potaſtate, & cura conſtituta arat. Hinc diffart raptus à ſtupro. Primò quia raptus interdum atiam fit conſentienta puella, val muliere, quæ rapitur, ſed raluctantibus ejus parentibus, vel tutoribus: ſecus ſtuprum propriè ſumptum, ſemper excludit conſenſum ſaltem plenum, & includit abſolutam violantiam, quæ fit puellæ ſtuprandæ; adaò ut hæc ſaltem non omnino libarè, ſad coactè conſantiat. Secundò quia in raptu præter injuriam illatam fœminæ, & ejus parentibus, aut tutoribus requiritur, ut rapta par vim traducatur da loco in locum: ſecus hæc traductio non requiritur in ſtupro, ſed tantùm quòd vis inferatur puellæ virgini. Tertiò, quia raptus plerumqua fit ea intantione, ut Raptor puellæ raptæ poſſit nubere. Stuprum varò non fit proprer talem finem.

20 Pœnam hujus delicti ſtatuit Juſtinianus Imparator in *l. unic. C. de rapt. virg.* nimirum ut Raptoras quarumcunqua mulierum honeſtarum, ſive ſibi, ſiva alijs deſponſatarum capitali ſupplicio plactantur, & bona eorum omnia raptis mulieribus applicantur, & prohibentur raptores ducere uxores mulieres raptas. Rurſus daclara. Imparator, non aſſe procadandum cum diſtinctione, an fœmina volens, val invita rapta fuerit; quia ſamper præſumitur fœmina dolo raptoris inducta ad conſenſum. Immo daclarat Imperator, hanc eandem pœnam etiam extendi ad omnes alios, qui raptoribus auxilium, vel favorem, quomodocunque præbuerint. Quòd autem Iuſtinianus in ſua *l. unic. C. de raptu virgin.* ſtatuerat, ut Raptor nunquam poſſit nubera fœminæ raptæ, jure novo id tantùm procedit, quamdiu rapta in poteſtate raptoris manſerit, ut ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de refor. matrim. c. 6.* alioquin ſi rapta à raptore ſeparetur, & mulier in loco tuto, & libaro conſtituta adhuc velit liberè raptori nubere, id illi permittitur ex Concilio Tridentino *loc. cit.* quod tamen ad deteſtationem raptûs addit, ut ipſe raptor, & omnes illi, qui conſilium, auxilium, val favoram quomodocunque ad raptum dedarunt, ſint ipſo jure, & facto excommunicati, ac perpetuò infamas, omniúmque dignitatum incapaces. Sin verò raptor fuerit Clericus, hic in pœnam ſui dalicti decidit de proprio gradu, & ſi non ſit in ſacris, tenetur mulierem raptam ſiva eam duxerit in uxorem, ſive non, decanter dotare arbitrio Judicis.

Quòd ſi rapta ſit Monialis, vel alia mulier, quæ ducat vitam raligioſam, ejus bona applicanda ſunt Ecclaſiæ, val Monaſterio, in quo rapta habitabat *c. ſi quis rapuerit 30. cauſa 27. q. 1.* ubi atiam additur quòd rapta datrudenda ſit in arctiori Monaſterio; ita tamen ut quantum ad uſum fructuum ex bonis ſuis, val à raptore ei acquiſitis ſuſtantetur, donec vixerit; & poſt ajus mortem talia bona reſtituantur Monaſtario, val Ecclaſiæ, in qua mulier DEO dicata arat. Verùm ut hæ pœnæ incurrantur, pluras requiruntur conditiones; quarum prima aſt, ut raptus fiat cum violantia illata, vel fœminæ raptæ, vel ajus parentibus, aut tutoribus: & defactu hujus conditionis, ſi pualla rapta ſit ſui juris, & ſub nullius potaſtate conſtituta, & volens ſine vi abducatur, propriè non dicitur rapi, nac Raptor incurrit pœnas juris, quia rapare dicit eſſantialiter vim, & impatum, quo aliquid rapitur invito altero *l. quo naufragium 3. §. aliud autem.* Quòd ſi puella adhuc ſit ſub cura parentum, & volens abducatur, ſi ejus parentes non conſentiant committitur raptus, quia par talem raptum gravis injuria infartur parantibus, quam filia non poteſt remittara. Quòd ſi paranias, & filia conſentiant, & puella poſtea repugnat cognoſci, non habetur raptus, quia non fuit violenta abductio *l. Divus 14. §. ad leg ſicar.* ubi expraſsà dicitur, quòd *in maleficijs voluntas ſpectatur non exitus:* ſecus ſi fœmina ab initio invita, & violenter abducatur, tametſi poſtea liberè conſentiat, ut cognoſcatur à raptora, tunc hic varè aſt raptor, & incurrit pœnas juris, eò quia ab initio violenter puellam abduxerit. Quòd ſi ſola pualla diſſantiat raptui, tametſi ejus parentas in illum conſentirent, adhuc propriè eſſet raptus, ut notat Hoſtianſis *in ſum. h. t. n. 2.* ratio eſt, quia parentes non habant dominium in corpus, proinde ſi ſint in cauſa, ut puella rapiatur, injuriam ipſi infarunt, & peccant contra juſtitiam. 21

Secunda conditio aſt, ut raptus fiat causâ explendæ libidinis, alioquin ſi fiaret ex alia cauſa non eſſat ſpecies luxuriæ. Quòd ſi raptor poſtea non cognovit carnaliter raptam, eò quia non potuit, adhuc remanet obnoxius pœnis ordinarijs raptûs; non ita ſi illam non cognovit, aò quia ipſum pœnituarit ſui facti, ac propteraa pœnitentia ductus noluerit illam cognoſcare, tunc anim non punitur pœna juris, ſad aliâ mitiori & arbitraria proptar infamiam illatam puallæ raptæ, cujus pudicitia creditur violata. Quòd ſi rapta fuerit Monialis, tametſi raptor eam non cognoverit ductus pœnitentia, adhuc incurrit pœnam juris, quia raptus Monalis aſt longè gravius criman, quàm raptus ſimplicis virginis. Præſumitur autem muliar rapta luxuriæ explendæ causâ, ſi ſit juvanis, formoſa; ſecus ſi ſanio confacta, & in quam non cadit ſuſpicio libidinis, ut notat Farinacius *5. p. q. 145. n. 78.* 22

23 Tertiò requiritur, ut mulier rapta traducatur de loco in locum; defectu hujus conditionis ſi quis per vim extorqueret copolam à puella, vel vidua, eam noo traducendo de loco in locum committeret tantùm ſtuprum, non verò raptum. proiode foret tantùm obnoxius pœnis ſtupri *l. mariti 29. §. fin. ff. ad leg. Jul. de adult.* Rurſus debet fœmina rapta traduci de una domo in aliam, aoimo eam abducendi de loco ubi morabatur, ut notat Claros §. *raptus n. 1.* & hæc procedunt, quoad forum externum, qoia in foro conſcieotiæ ad raptum non requiritur violenta abductio mulieris de loco ad locum, ſed ſatis eſt, ſi fœminæ quoquo modo vis inferator in ordine ad expleodam libidinem, quia tunc habetur duplex malitia ſpecie diſtincta, una fornicationis contra caſtitatem, & altera violentiæ cōntra juſtitiam, quæ infertur ipſi puellæ raptæ, vel ejus parentibus;

24 Quarta conditio eſt, ut mulier rapta ſit honeſtæ vitæ, quia ſi quis raperet publicam meretricem non incurreret pœnas juris: non enim ſcorta compreheoduntur nomine honeſtarom mulierum, ut notat Gloſſa *in d. l. unic. V. Virginum* unde raptor tantùm punietur pœna arbitraria Judicis, ut notat Clarus §. *raptus q. 5.* ratio eſt, quia meretrix non præſumitur vim pati ab eo, qui eam rapit, niſi probetor: & quia raptus non fit ſine violentia, ideo raptor tantùm punitur ratione hujus violentiæ.

25 Limitatur tamen niſi mulier, quæ erat meretrix, pœnitentia ducta incœperit emendare vitam, & honeſtè vivere: ſi enim id probetur raptor ſit obnoxius pœnis raptûs: non ita ſi meretrix non honeſtè vivat, quamvis deſierit eſſe meretrix, & facta fuerit alicujus concubina.

26 Septima, & ultima ſpecies luxuriæ eſt peccatum contra naturam, ſeu concubitus ioter duos non ſervato ſexu, ut inter marem marem; fœminam, & fœminam, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 154. *art. 1. in corpore*, & propter hoc vitium ignis de cœlo perpluit, & quinqoe civitates combuſſit. Eſt enim hoc vitium turpiſſimum, & omnino infame, homine Chriſtiano indignum; & generatim ſumptum ſignificat omnem libidinem contra naturam, ſeu aliter peractam, quàm rectus naturæ ordo ad liberorum procreationem inſtituerit: ſive talis actus exerceatur cum beſtijs, ſive cum maribus, aut fœminis: & dividitur io ſodomiam, beſtialitatem, & mollitiem, de quibus vitijs agunt Caſuiſtæ.

27 De jure canonico pœna ſodomiæ eſt, ut laici excommonicentur, Eccleſiaſtici verò ſuis priventur beneficijs, ac deponaatur à ſuis officijs *c. ut Clericorum 13. de vita, & honeſt. Clericor.* quin imò hodie jure novo ex conſtitutiooe Pij V. edita anno 1568. Eccleſiaſtici qui hoc turpiſſimo vitio coinquinantur omni privilegio clericali privantur, ut etiam omni beneficio, dignitate, & officio, authoritate eccleſiaſtica, adeò ut degradati per Judicem eccleſiaſticum brachio traddantur ſæculari, ut debitis puniantur ſupplicijs. De jure verò civili olim in foro ſæculari pœna hujus criminis erat gladius *l. cum vir nubit. C. ad leg. Jul. de adulter. §. item lex Julia 4. inſtit. de public. judic.* immo ex conſtitutionibus pœnalibus Caroli V. *art. 116.* rei hujus criminis traduntur flammis cumburendi, præſertim ob crimina beſtialitatis, & ſodomiæ. Mollities enim punitur pœna extraordinaria juxta qualitatem, & frequentiam delicti pro arbitrio Judicis.

Verùm ut Clericus incurrat pœnas ſtatutas in Bulla Pij V. & præſertim pœnam degradationis requiritur, ut nefandum delictum ſit reiteratum pluribus actibus, idque colligitur ex illo *V. exercentes*, quo Pius V. utitur in ſua Bulla: non enim is dicitur aliquid exercere, ſi ſemel tantùm, vel iterum id faciat, ſed requiritur, ut pluries hoc idem frequentet, & quaſi ex conſuetudioe, ut notat Quaranta in *d. Bulla limitat. 4.* Rurſus requiritur, ut peccatum ſit totaliter conſummatum, ut docent Suarez *diſp. 31. de cenſur. ſect. 4.* Quaranta in *Bull. V. ſodomia in addit. limitat. 5.* Ratio eſt, quia in jure, quando pœnæ imponuntur alicui actui, ſupponunt talem actum in ſua ratione omnino conſummatum, & perfectum; adeò ut pœnalia non extendantur ultra tales actus totaliter conſummatos, ſed ad illos tantùm reſtringantur. Tertiò requiritur ut Sodomita ſit notorius, quia ſi fuerit occultus non incurrit tales pœnas. Quartò ut ſit Clericus, quia in Bulla Pij V. non comprehenduntur laici. Quintò Clericus non incurrit pœnam degradationis ante ſententiam Judicis eccleſiaſtici, adeò ut pœna degradationis ſaltem in ſententia probabili non incurratur ipſo facto, ſed tantùm poſt ſententiam condemnatoriam Judicis, vel ſaltem declaratoriam criminis. Verùm ſententia retrotrahitur poſtea ad diem commiſſi delicti, quia ut notat Quaranta *in ſumma Bull. V. ſodomia in addit. limit. 5.* nemo tenetur exequi pœnas in ſe ipſum: immo addit, conſtitutionem Pij V. quoad forum internum conſcientiæ in praxim receptam non eſſe, ſed tantùm in foro externo. 28

§. V.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

Quæritur primò, an, ſi mulier libidinis explendæ causâ juvenem raperet, pœnas incurreret juris? Reſpondetur cum communiori ſententia, fœminas raptrices non eſſe puniendas pœna ordinaria raptûs, ſed alia extraordinaria arbitrio Judicis, ut notat Julius Clarus §. *raptus n. 6.* ratio eſt, quia in *l. unic. C. de raptu Virginis.* fit tantùm mentio de ſolo viro rapiente, non verò de fœmina: 1

& quia

& quia pœnalia non ſunt extendenda ultra ea, quæ exprimuntur in lege, ideo pœna hæc non eſt extendenda ad fœminas, ſed reſtringenda ad ſolos mares. Tum quia in odioſis ſexus fœmineus non comprehenditur ſub maſculino *l. 1. §. quare, ff. de ventre in poſſeſ. mittent.* Tum quia leges non feruntur de ijs, quæ nonniſi rariſſimè contingunt, ſed tantùm de illis, quæ frequenter accidunt: quòd verò fœmina marem rapiat explendæ libidinis cauſa rariſſimum eſt, & ferè nunquam contingit, proinde lex illa pœnalis non videtur ſancita propter fœminas raptrices, ſed tantùm propter mares raptores. Tum quia in fœmina rapiente virum non militat eadem ratio, quæ in viro rapiente fœminam, quia ex priori raptu non oriuntur tam gravia ſcandala, & damna, ſicut ex poſteriore: eſt enim gravius delictum, ſi fœmina rapiatur à viro, quàm ſi fœmina juvenem rapiat.

2 Tum quia fœminæ raptæ major injuria infertur, quàm viro rapto: non enim ſi mas rapiatur à fœmina cenſetur tantam infamiam pati, ſicut quando fœmina à viro rapitur: hinc cùm delictum non ſit utrinque æquale, æquitas non exigit, ut æqualiter puniatur, ſed ut mitiùs fœmina raptrix in foro externo: quia in foro conſcientiæ uterque raptus continet eandem malitiam ob violentiam injuſtè illatam, tametſi major ſit injuria, cùm vir fœminam rapit.

3 Quæritur ſecundò, an matrimonium initum inter Raptorem, & raptam ſit illicitum, & irritum? Reſpondetur de jure civili tale matrimonium non ſolùm eſſe illicitum, verùm etiam irritum, & deſumitur *ex authent. de raptis mulieribus §. unico.* ubi dicitur *tale ſtare matrimonium, & ſi rapta voluerit, prohibuimus*: illud autem verbum *ſtare* idem ſignificat, ac conſiſtere, ſeu validum eſſe, quod ſemel initum fuerat. De jure autem canonico tametſi olim tale matrimonium inter raptorem & raptam fuerit prohibitum *ex c. de puellis 4. in fin. c. ſi autem 10. & c. ſequent. cauſa 36. q. 2.* nihilominus id poſtea fuit correctum, & ſtatutum, ut matrimonium inter raptorem, & raptam licitè, & validè iniretur, dummodo rapta liberè conſentiat *c. tria 8. c. ſequent. c. accedens 7. & ult. de Raptorib.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd rapta cum raptore poſſit matrimonium contrahere, ſi ambo conſentiant, licèt priùs diſſenſerint, dummodo ſint legitimæ perſonæ; ex quo infertur, per conſenſum conſequentem tolli vitium præcedens, qua ratione ſi quis per metum promiſit dare aliquid, quod poſtea ſublato metu ſolvat, tollitur per ſolutionem poſteriorem vitium metûs præcedentis *l. 2. C. de his quæ vi, metúve cauſa*: ita pari pacto *in d. c. accedens* per poſteriorem liberum conſenſum tollitur violentia raptûs præcedentis.

4 Verùm licèt de jure antiquo canonico, matrimonium fuerit validum, quamvis initum cum adhuc rapta detinebatur à raptore, dummodo liberè conſentiret, Jure tamen novo ex conſtitutione Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. c. 6. de Refor. matrim.* ad valorem matrimonij requiritur ut rapta tunc liberè conſentiat, quando eſt omnino libera à poteſtate raptoris, & ab ipſo ſeparata. Raptor tamen, & omnes eidem conſilium auxilium, & favorem præbentes ſunt ipſo jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniúmque dignitatum incapaces: quòd ſi ſint clerici, decidunt de proprio gradu. Rurſus ex eodem Concilio Trident. tenetur raptor mulierem raptam ſive eam duxerit, ſive non, dotare arbitrio judicis. Ex quo liquet, hodie de jure novo, raptum eſſe impedimentum dirimens matrimonium, non tamen perpetuum; ſed temporale; donec rapta libertati ſuæ reſtituatur, ſeparetur à raptore, & ceſſet omnis violentia.

Quæritur tertiò, an pœnæ à Concilio Tridentino impoſitæ raptoribus incurrantur ipſo jure, & de facto. Sunt hujuſmodi pœnæ excommunicatio, quam incurrunt etiam qui conſilium, auxilium, favorem præbent raptui; nota infamiæ; incapacitas ad dignitates quaſcunque; & ſi ſint clerici, dejectio de proprio gradu; & demum dotatio fœminæ raptæ arbitrio judicis. Reſpondetur, excommunicationem incurri ipſo jure, & facto. Non tamen ejus abſolutio eſt Papæ reſervata, quia in conſtitutione Concilij Tridentini nulla fit mentio de hac reſervatione: & quando Conditor canonis abſolutionem excommunicationis ab ipſo injunctæ ſibi ſpecialiter, & expreſsè non reſervat, cenſetur hanc facultatem abſolvendi conceſſiſſe alijs; eſt enim hæc regula valde communis, & habetur *in c. nuper 29 de ſent. excommun.* Aliæ pœnæ à Concilio impoſitæ non incurruntur à raptoribus, niſi poſt ſententiam Judicis; adeò ut raptor non incurrat perpetuam infamiam, nec inhabilitatem ad omnes dignitates, quæ proximè ſequitur ad infamiam, niſi poſt ſententiam Judicis ſaltem declaratoriam criminis: ab hac autem pœna infamiæ non liberatur raptor, quamvis raptæ nubat, quia Concilium expreſsè ait, quòd non obſtante matrimonio inito inter raptorem, & raptam, adhuc raptor incurrat pœnas excommunicationis, infamiæ, & inhabilitatis ad omnes dignitates: neque ideo compellitur puella rapta nubere raptori, & infami; ad id enim non adigitur, ſed relinquitur rapta in plena ſua libertate, ut nubat liberata à poteſtate raptoris, cui ipſi magis libuerit.

5

6 Neque id repugnat favori matrimonij: ſiquidem ea pœna imponitur raptori non ob contractum matrimonium cum rapta, ſed ob delictum raptûs. Tum quia declaratur, quòd raptor non liberetur à tali pœna, tametſi nubat raptæ, ex quo liquet, pœnam non infligi in odium matrimonij, ſed ad puniendum delictum raptûs. Ad pœnam verò depoſitionis à gradu impoſitam Clericis raptoribus quod attinet, etiam ut hæc pœna incurratur, requiritur ſententia Judicis, adeò ut Clerici raptores non ſint ipſo jure, & de facto depoſiti, ſed tantùm ſint deponendi per miniſterium Judicis,

ſaltem per ſententiam declaratoriam criminis. Quoad ultimam pœnam, quâ raptor tenetur raptam dotare; neque iſta obligatio contrahitur à raptore ante ſententiam Judicis: quia Concilium Tridentinum expreſsè ait, *Raptorem teneri decenter dotare raptam arbitrio Judicis*: quòd ſi arbitrio Judicis: ergo debet expectare judicium, & ſententiam Judicis, quæ declaret raptorem teneri dotare raptam ſpectata qualitate, & conditione raptoris, & raptæ, quia pro circumſtantijs utriusque perſonæ major, vel minor infertur injuria, cujus pœna eſt dotatio raptæ.

7 Hinc colligitur, raptorem Clericum, vel laicum ex vi Concilij Tridentini non incurrere irregularitatem directè, ſed tantùm infamiam; quæ eſt cauſa irregularitatis; unde ratione infamiæ tantùm incurrit indirectè irregularitatem: & quia infamia non incurritur ante ſententiam Judicis, neque irregularitas contrahitur ante eandem ſententiam, per quam deponatur ab ordine, ſi ſit Clericus; vel reus criminis declaretur infamis,. quod procedit etiam de conſulentibus, & præbentibus auxilium quomodocunque. Parochus verò aſſiſtens matrimonio, quod raptor, & rapta ſimul contrahunt, etiam quando rapta eſt ſub poteſtate raptoris, non incurrit pœnas inflictas à Concilio Tridentino, quia tunc Parochus non favet delicto raptûs, cùm hoc crimen jam fuerit commiſſum, & conſummatum: unde Parochus tantùm favet ipſi matrimonio: niſi fortaſſis ante raptum promiſiſſet raptori, ſe illum copulaturum raptæ, ac proinde animâſſet ex tali promiſſione ad committendum delictum raptûs, tunc enim incurreret, & ipſe pœnas Concilij.

8 Quæritur quartò, an qui fœminam rapuit ſolius libidinis explendæ causâ ſine animo eidem nubendi pœnas incurrat à Concilio Tridentino inflictas? Reſpondetur, non incurrere pœnas raptûs à Tridentino decretas, benè tamen aliam pro modo culpæ: hinc ſaltem in foro conſcientiæ validum foret matrimonium inter raptorem ſine animo nubendi raptæ, ſi poſtea, quando raptam habet in propria poteſtate velit cum ipſa matrimonium contrahere, & rapta liberè conſentiat, quamvis non conſtituta extra poteſtatem raptoris: ratio eſt, quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* tantùm loquitur de matrimonio contrahendo inter raptorem, & raptam, & poſtea ſubijcit pœnas transgreſſoribus, idque ſanè argumento eſt, Concilium tantùm loqui de illo raptu; qui ſit cauſa matrimonij ineundi. Idque ex eo etiam firmari poteſt, quia cum tale decretum ponatur ſub rubrica de reformatione matrimonij: ideo pœnæ ibi ſtatutæ ſunt in ordine ad matrimonium, & imponuntur raptoribus ad eum finem, ut matrimonium omnino liberè contrahatur, & quia in rapta ſaltem ab initio intervenit coactio; ideò Concilium exigit, ut rapta priùs reſtituatur priſtinæ libertati, ac totaliter liberetur à poteſtate raptoris: & cùm hæc ratio ceſſet in eo, qui ſolius libidinis explendæ causâ fœminam rapit, ideo nil videtur is contra matrimonium, & ejus libertatem agere, cum ſupponatur ſine animo nubendi fœminæ raptæ.

Neque obſtat quòd id in Concilio Tridentino non reperiatur expreſſum: ſiquidem ſufficit, ſi ex ejus decreto cum ſufficienti fundamento deducatur. Tum quia neque contrarium exprimitur; adeò ut textus ſaltem quoad hoc dubius ſit: atqui in dubijs pœnalia non extenduntur ultra caſus ſpeciatim expreſſos, ſed ad illos tantùm reſtringuntur. Immo raptores ob aliam cauſam, quàm matrimonij ineundi non comprehendi à Concilio Tridentino liquet ob identitatem, vel etiam majoritatem rationis: neque decretum Concilij ad illos extendi, fuiſſe à ſacra Congregatione Concilij declaratum die 23. Januarij anno 1586. refert Joannes Gallemart. *in d. decret. Concil.* 9

Quæritur quintò, an dentur caſus, quibus raptor non incurrat pœnas inflictas à Concilio Tridentino? Reſpondetur affirmativè, & plures eſſe hujusmodi caſus. Primò ſi fœmina rapta non ſit abducta à domo propria, vel paterna ad alium locum, in quo ſub plena poteſtate raptoris conſtituatur, ut notat Navarrus *lib. 5. conſil. 1. n. 1.* quia quamdiu rapta non eſt ſub poteſtate raptoris, raptus non eſt totaliter conſummatus: & in jure pœnæ non infliguntur niſi ob actum conſummatum, niſi aliter in jure expreſſum ſit. 10

Secundò ſi fœmina annuat raptui, & conveniat cum raptore de tali raptu, adeò ut velit ab illo ſe rapi, tametſi poſtea mutata voluntate reſiſtat raptui: non ita ſi ab initio invita abducatur, & poſtea conſentiat; ratio eſt, quia in maleficijs attenditur initium. 11

Tertiò ſi fœmina ſolis importunis precibus, vel etiam muneribus conſenſit in ſui abductionem, quia tunc non cenſetur invita, ſeu reluctans rapi, niſi fortaſſis precibus fuerint minæ adhibitæ, vel metus reverentialis; quia hæc æquiparantur violentiæ. 12

Quartò ſi puella dolo circumventa patiatur ſe abduci cauſa matrimonij ineundi, quia tunc puella non patitur violentiam, cùm matrimonij ineundi causâ conſentiat in raptum, ſuique abductionem. Neque obſtat, quòd dolus ſufficiat ad incurrendas pœnas *l. unic. C. de raptu Virginis*: quia licèt id verum ſit; quando in jure exprimitur; nihilominus quia Concilium præfatas pœnas non imponit niſi ſolis raptoribus, & ille raptor non ſit, qui puellam conſentientem in ſui abductionem causâ matrimonij ineundi rapuit; ideo propriè non eſt raptor, quia hic debet violentiam adhibere contra fœminam reluctantem ſui ipſius abductioni. Neque obſtat, quòd dolus adverſetur libertati matrimonij, & tollat voluntarium, quia non omnis dolus tollit voluntarium; ſed tantum, qui verſatur circa errorem, perſonam, vel conditionem illius: tunc enim dolus licèt auferat libertatem, reddátque matri- 13

matrimonium invalidum non tamen infert violentiam, quæ tamen requiritur neceſſariò ad raptum, quo raptor ſit obnoxius pœnis impoſitis à Tridentino.

14 Quintò, ſi puella conſentiens è domo parentum ipſis ignorantibus abducatur, quia tunc non habetur propriè raptus. Secus ſi ipſis invitis matrimonij causâ rapiatur puella etiam conſentiens in ſui abductionem, quia tunc eſt verè, & propriè raptûs; quia ut puella dicatur propriè rapta ſufficit, ut contra voluntatem patris è ſua domo ſit abducta, ſive puella conſentiat, ſive non. Verùm in ordine ad incurrendas pœnas non videtur id ita certum, & putârim probabile, pœnas non incurri à raptore, ſi puella conſentiat in ſui abductionem etiam invitis parentibus, quia tunc non læditur libertas matrimonij, proinde ob ſolum diſcenſum parentum, non videntur incurri præfatæ pœnæ, quia conſenſus parentum tantùm requiritur ad honeſtatem matrimonij, ut licitè, & decenter ineatur, non verò ad valorem ejusdem, quia ut matrimonium validum ſit, ſufficit, ſi ambo contrahentes liberè contrahant, hinc Concilium exigit, quòd ſi puella violenter rapta ſit, debet reſtitui priſtinæ libertati, & collocari in aliquo tuto loco ſeparata à totali raptoris poteſtate, adeò ut ſit cum plena ſua libertate, tunc enim ſi fœmina conſentiat in matrimonium poteſt validè nubere raptori: unde ſicut voluntas parentum non eſt neceſſaria ad validitatem matrimonij, ita licèt puella conſentiens rapiatur invitis ejus parentibus, non videtur raptor incurrere pœnas inflictas à Concilio.

15 Sextò ſi ſponſa de futuro conſentiens abducatur à ſponſo causâ ineundi matrimonij, quamvis parentes contradicant, quia tunc cum ſponſa conſentiat, non habetur raptus ut deſumitur *ex cap. cum cauſam 6. de raptor.* ubi Lucius III. reſcribit, non eſſe raptum, quando mulier conſentit, & ſi fiat matrimonium, tenet; quòd ſi conſummetur, non poteſt ingredi religionem, nec continentiam ampliùs profiteri ſine conſenſu viri. Secus ſi ſponſa invita, & reclamans à ſponſo abducatur ſivè parentes conſentiant, ſive non; quia tunc læditur libertas matrimonij: non enim poteſt ſponſa compelli ad ſervandam fidem ſponſaliorum; poteſt enim ex juſta cauſa non ſtare promiſſis, præſertim ſi velit religionem ingredi.

16 Quæritur ſextò, ad quem Judicem pertineat cognoſcere in causâ raptûs? Reſpondetur, Judicem eccleſiaſticum poſſe cognoſcere, & punire in cauſa raptûs, id enim deſumitur *ex c. in Archiepiſcopatu 4. h. t.* ubi cum in Archiepiſcopatu Panormitano nonnunquam Saraceni Chriſtianas mulieres, & pueros raperent, eisque abuterentur, & quosdam etiam occiderent, & Rex Siciliæ hujusmodi exceſſus Archiepiſcopo Panormitano, & alijs Epiſcopis Siciliæ puniendos commiſiſſet, conſultus Alexander III. reſcribit Archiepiſcopo; tales poſſe ab illo pecuniariâ pœnâ mulctari, & etiam flagellis cædi, dummodo non tranſeant in vindictam ſanguinis; quòd ſi exceſſus, mortem, vel detruncationem membrorum mereatur, vult Pontifex, vindictam reſervandam eſſe Regiæ poteſtati. Quòd verò in hoc textu Archiepiſcopi dicantur poſſe punire delinquentes propter crimen raptûs id intelligi debet, quatenus raptores exiſtebant ſub jurisdictione ſpirituali Archiepiſcopi, & Epiſcoporum Siciliæ, proinde poterant Epiſcopi Saracenos exiſtentes in eorum diœceſibus jure proprio punire pœna etiam corporali, & virtute propriæ jurisdictionis ſpiritualis, & ordinariæ, & non ſolùm ex delegata à Rege Siciliæ: ratio eſt, quia Eccleſia habet jurisdictionem etiam in infideles, ſi iſti peccent contra legem naturæ, quia Deus tales criminoſos punivit *Genes. 19.* unde Chriſti in terris Vicarius, ſeu Papa, alijque Prælati eccleſiaſtici, id etiam poſſunt, adeò ut Judex eccleſiaſticus, & ſæcularis poſſit cognoſcere de tali crimine, quod propterea eſt mixti fori, & datur locus præventioni. Non tamen Judex eccleſiaſticus poteſt punire pœna capitis, nec mutilationis membri, ſed ſolùm pœnâ pecuniariâ, vel ut delinquentes verberentur flagellis, quia Pontifex prohibet pœnam tranſire in vindictam ſanguinis, & mandat, quòd ſi exceſſus mereatur mortem, vel detruncationem membrorum vindicta reſervetur Regiæ poteſtati. Infertur tamen ex dicto textu, poſſe cauſas criminales laicorum delegari eccleſiaſticis usque ad pœnam ſanguinis.

Notat tamen Barboſa *in d. c. in Archiepiſcopatu 4. n. 4. h. t.* hanc delegationem non dici à Pontifice legitimè fieri à Rege Siciliæ, licèt Pontifex eam permittat: ratio eſt, quia Princeps ſæcularis nullam habet jurisdictionem in eccleſiaſticos, ut tali delegatione eos gravet absque eccleſiæ conceſſione: idque ex eo liquet, quia Pontifex in dicto textu reſtringit punitionem citra pœnam ſanguinis. 17

Quamvis prohibeantur Clerici recipere delegationes cauſarum forenſium, ſeu civilium ſæcularium, *cap. te quidem 29. caus. 11. q. 1.* ubi prohibetur Epiſcopo, ne ſit judex in cauſis negotiorum ſæcularium, id tamen Gloſſa *in fin. ibidem* limitat, eò quia Epiſcopi, & alij eccleſiaſtici poſſint agere de illis negotiis temporalibus, quæ ad Eccleſiam ſpectant, imò aſſerit, poſſe Eccleſiaſticos licitè delegari ad unam, vel alteram cauſam particularem ſæcularium tractandam, dummodo non conſtituantur Officiales, aut generales delegati, ut notat Abbas in *d. c. in Archiepiſcopatu 4. h. t. litt. E.* Quòd ſi delegatio facta Clericis à Principe laico fiat in favorem, & commodum totiùs religionis Chriſtianæ, & utilitatem eccleſiarum, ſeu animarum ſalutem; poſſunt Clerici generaliter delegari ad plures cauſas civiles, vel criminales tractandas, ut fuerunt à Rege Siciliæ in *d. c. in Archiepiſcopatu 4. h. t.* delegati ad cognoſcenda, & punienda crimina Saracenorum, quæ in detrimentum ſalutis animarum, opprobriúmque chriſtiani nominis dietim gli- 18

ſcat

ſcebant: unde poſſunt Clerici delegari ad cognoſcendas cauſas criminales etiam pertinentes ad merum imperium, quia hos Saracenos criminoſos punire pertinebat ad merum imperium, ut habetur in *l. 3. in princ. ff. de juriſdic. om. judic.* Verùm delegatio propriè non fit à Principe ſæculari, cujus juriſdictioni neutiquam Clerici ſubjiciuntur, ſed authoritate Summi Pontificis.

19 Quæritur ſeptimò, an ſtuprum ſit crimen mixti fori? Reſpondetur, certum eſſe de ſtupro commiſſo à Clerico cognoſcere Judicem Eccleſiaſticum; & de ſtupro commiſſo à laico Judicem ſæcularem, proinde pertinere ad Judicem eccleſiaſticum arbitrari, quantam dotem teneatur ſtuprator clericus dare fœminæ ſtupratæ, ut notat Fatinacius *p. 5. q. 147. n. 53.* Reſpondetur tamen, ſtuprum etiam à laico commiſſum eſſe crimen mixti fori, adeo ut poſſit etiam à Judice eccleſiaſtico cognoſci, & puniri pœnâ carceris, idque deſumitur ex *c. pervenis 2. h. t.* quia pœnæ ibi ſtatutæ, à Judice eccleſiaſtico ſunt infligendæ, ut notat Fagnanus *ibid. n. 8.* eſt enim *in d. c. pervenit* ſermo de laico, qui virginem ſeduxerat, & ad ſtuprum induxerat; & Gregorius Papa præcipit, ut non ſolùm excommunicetur, ſed etiam corporaliter caſtigetur, ac in Monaſterium detrudatur, ſi detrectaverit ſtupratæ nubere: atqui certum eſt, ſæcularem tunc non potuiſſe excommunicare, neque in monaſterium detrudere: unde has pœnas infligere tantùm potuit Judex eccleſiaſticus, ex quo clarè conſtat, ſtuprum etiam à laico commiſſum eſſe crimen mixti fori; & de ipſo poſſe etiam Judicem eccleſiaſticum cognoſcere.

20 Tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 3. de reform. matrim.* aſſerit, Prælatum eccleſiaſticum poſſe laicos punire mulctâ pecuniariâ, etiam in delictis mixti fori. Hinc Fagnanus *in d. c. pervenis n.* 10. *h. t.* infert in terris, quæ ſubjiciuntur temporaliter Romanæ Eccleſiæ, immo etiam in terris Imperij in foro, ſeu tribunali eccleſiaſtico ob ſtuprum à laico commiſſum poſſe infligi pœnas in jure canonico ſtatutas: & in terris Imperij in foro civili pœnas ſtatutas jure civili.

21 Quæritur octavò, ad quid teneatur ſtuprator, ſi conjugium non promiſit ſtupratæ? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi fœmina ſtuprata liberè conſentit in ſtuprum, ſententia communis eſt, ſtupratorem tunc nullam contrahere obligationem, eò quia volenti, & conſentienti non fiat injuria; & docent Doctores tunc propriè non haberi ſtuprum, ut notat Sotus *lib. 4. q. 7. a. 1. ad 1.* ratio eſt, quia nulla fit tunc injuria fœminæ conſtupratæ niſi fortaſſis quatenus lædi cenſetur honor familiæ; alioquin fœmina eſt domina ſui corporis. Sin verò vir fraude, vel vi adhibita puellæ conſtupratæ extorſit corporis uſum; tametſi ſine promiſſione conjugij, tenetur tamen adhuc eidem nubere, vel damnum eidem illatum reſarcire, quia ratione violentiæ adhibitæ, vel fraudis, per injuriam eſt puellæ damnum illatum: quòd propterea debet eidem reſarciri per matrimonium, vel aliam compenſationem proportionatam damno illato.

Hoc autem procedit, ſi ſtuprator ſine promiſſione conjugij puellam virginem corrupit, quia ſi ei promiſerit conjugium, tenetur ſtare promiſſo, & eidem nubere. Quòd ſi ejus parentes nolint admittere tale matrimonium, ut etiam ipſa puella nolit eidem nubere; ſiquidem ſi vi deflorata fuit, habet jus recuſandi eidem matrimonium: tunc poteſt exigere totam dotem, ut alteri liberè pro ſua conditione poſſit nubere. Id etiam procedit, ſi fœmina fallaciter inducta fuit, ut conſentiret in ſtuprum, eò quia vir finxerit ſe nobilem, & divitem, ut illam deciperet, quia fingens aliquid, ob quod fœmina conſentit in ſtuprum, & ſine quo non conſenſiſſet, injuriam ei irrogat, conſequenter tenetur de damno ipſi illato. Covarruvias *p. 2. de ſponſal. c. 6. § 8. n. 19.* cenſet, fœminam conſtupratam tunc teneri admittere matrimonium ſi viri conditio ei correſpondeat. Communior tamen ſententia eſt, non teneri fœminam nubere tali viro ex rigore juſtitiæ, eò quia decepta fuerit per injuriam, ut exiſtimaret eſſe alterius conditionis quoad nobilitatem, & divitias, quæ deceptio fuit cauſa damni, cujus compenſationem poteſt fœmina decepta, & conſtuprata exigere. 22

Quæritur nonò, ad quid teneatur ſtuprator ſi puellam ſtupratam decepit promiſſione conjugij? Reſpondetur ſtante tali promiſſione ſive vera, ſive ficta, teneri eam in uxorem ducere, eò quia talis promiſſio facta ſit per modum contractûs; quem cum puella ex parte ſua compleverit; æquitas exigit, ut etiam vir teneatur ex parte ſua eundem contractum complere, prout exteriùs ex prolatis verbis promiſſio facta ſonat judicio prudentum: non enim in foro externo aliter judicatur de promiſſione facta, quàm ex verbis, quibus ſenſibiliter fuit promiſſio facta: alioquin ſi ſtandum eſſet promiſſori dicenti ſe tantùm fictè promiſiſſe, infinitis propemodum fraudibus humana commercia paterent. Præterea quia puella ideo conſenſit, quia ſe credebat certam de matrimonio futuro, adeò ut ex vi promiſſionis ſibi factæ acquiſierit jus ad matrimonium contrahendum cum ſtupratore, qui non poteſt tali juri ſatisfacere niſi conſentiendo in matrimonium: hinc quia puella jus acquiſivit in ipſum matrimonium, non ſufficit, ſi ſtuprator, velit eam dotare, & profuſis donationibus illatum damnum reſarcire, ſi puella corrupta nolit acquieſcere niſi cum ipſo matrimonio. 23

Hoc etiam procedit, ſi animo ficto cum ea per verba de præſenti contraxit eo tantùm fine, ut uſuram extorqueret ſui corporis, ut docet Sotus *in 4. diſt. 29. q. 1. a. 3.* quia tametſi in tali caſu matrimonium ſit nullum, quia clandeſtinum; manet tamen in viro obligatio nubendi puellæ, ſi hæc velit, ratione injuriæ ſibi illatæ. Excipiuntur tamen ali- 24

quot

quot caſus. Primò ſi vir ſit longè nobilior, & ditior, & puella infimæ notæ, tunc ſi id ſciverit: quia facilè potuit conijcere, ac ſuſpicari, promiſſionem illam nuptiarum eſſe tantùm ſimulatam ad extorquendam uſuram ſui corporis.

25 Quòd ſi puella conditionem ignoravit viri, nec ullam exteriùs cauſam habuit ſuſpicandi de fraude, tenetur tunc conſtuprator nubere puellæ ſtupratæ, quia tenetur ex parte ſua complere contractum, ſicut puella eum complevit ex ſua parte; unde ne hæc damnum patiatur, tenetur vir eidem nubere, & tunc divitiæ, & nobilitas non niſi per accidens ſe habent ad contractum.

26 Non tamen deſunt, qui cenſeant, poſſe tunc pecuniâ à viro compenſari damnum illatum puellæ arbitrio prudentum: quia ſi quis in contractu aliquid fictè promittat, quod eſt longè pretioſius non tenetur illud dare, ſed ſufficit, ſi det quid aliud judicio prudentum æquale, quia tunc contractus reducitur ad æqualitatem.

27 Secundò ſi puella ex conjecturis potuit facilè deprehendere, quòd vir non ſincetè promitteret, præſertim ſi verbis ambiguis fuerit uſus, vel inconſtanter locutus, vel nimis exageraverit, quia tunc puella poteſt facilè conijcere, & ſuſpicari, virum non ſeriò promittere.

28 Tertiò ſi aliquod interveniat legitimum impedimentum, ut ſi fiat ejus affinis, vel ſi aliam ducat per verba de præſenti, vel ſacris initietur ordinibus; vel tandem ſi aliquod grave ſcandalum, vel damnum ex tali matrimonio oriretur, quia tunc ſufficeret, ſi vir puellæ damnum illatum reſarciret.

29 Quartò ſi puella ſtuprata poſtea cum alio viro fornicaretur, quia in promiſſione ſponſalium tacitè ſubintelligitur conditio, dummodo cum alio non fornicetur, immo tunc non tenetur ſtuprator ei compenſare damnum illatum, niſi antea conventum fuerit: ratio eſt, quia ex vi promiſſionis tantùm tenetur eidem nubere, & quia hæc obligatio ceſſat, poſtquam puella conſtuprata fornicata eſt cum alio, ideo ſtuprator non videtur ad quid aliud teneri.

30 Quintò ſi puella ſe dixerat virginem eo fine, ut matrimonium iniret; & vir, qui promiſit ei nuptias, eam poſtea non deprehendat virginem, quia tunc fraus fraude compenſatur, ſicut enim fœmina decepit virum; ita vir fœminam.

31 Sextò, ſi illam non deprehenderit virginem, & putaverit eſſe virginem, ut docet Corduba *lib. 1. q. 13.* ubi vult teneri tantùm compenſare pecuniâ, quia tunc fœmina pro uſura ſui corporis nimium exigeret exigendo matrimonium, cùm talis uſura tanti non æſtimetur, ut matrimonio debeat compenſari.

32 Quæritur decimò, an qui vovit religionem ingredi, ſi poſtea puellam corrumpat ſub promiſſione etiam ficta matrimonij, teneatur eidem nubere? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi puellæ notum erat tale votum religionis ingrediendæ non tenetur vovens ei nubere, quia tunc præſumitur puella conſenſiſſe, tametſi vir non eſſet eam ducturus in conjugem, cum crediderit, voventem teneri ſemper implere ſuum votum, unde cum puella ſciverit ipſum non potuiſſe tales nuptias promittere ratione voti religionis, ideo non bona fide contraxit: immo vovens nec tenetur tunc pecuniâ compenſare damnum illatum, quia non fuit puella ab ipſo decepta, cum ſciverit promiſſionem non potuiſſe licitè adimpleri à ſtupratore. Immo nec in tali caſu neceſſe eſt procurare diſpenſationem à voto niſi fortaſſis vellet eidem nubere; alioquin nunquam poſſet debitum petere, ſed tantùm reddere.

Quòd ſi puella ignoraverit votum religio- 33
nis, tunc tenetur ſtuprator ei nubere: ratio eſt, quia ingreſſus religionis jam factus eſt illi illicitus, cùm non poſſet fieri Religioſus niſi gravem injuriam inferendo puellæ à ſe conſtupratæ; ſiquidem hæc bona fide ex parte ſua complevit contractum cum damno propriæ pudicitiæ, conſequenter tenetur etiam vir ex parte ſua eundem complere contractum: immo non tenetur puella admittere aliam compenſationem, eò quia pudicitia non ſit pecunia æſtimabilis, & ſemel amiſſa nullo fiat ampliùs pretio venalis. Demum quia non tenetur puella infamiam ſubire amiſſæ virginitatis, ut ille fiat Religioſus.

Quæritur undecimò, an licitum, ſit uxo- 34
rem, & adulterum in ipſo adulterio deprehenſos propria authoritate occidere? Reſpondent aliqui cum Caſtillo *lib. 8. taur. n. 6.* fas eſſe parenti filiam in adulterio deprehenſam cum ipſo adultero ſimul occidere, dummodo concurrant aliquot conditiones, quarum prima eſt, ut filia ſit juncta matrimonio. Secunda ut ſit in patris poteſtate. Tertia ut eodem prorſus impetu occidat filiam, & adulterum. Quarta ut id faciat in domo patris, vel generi. Quinta ut eos deprehenderit actu in opere turpi. Dicunt etiam poſſe maritum tuta conſcientia uxorem deprehenſam in adulterio interficere, eò quia in *l. meritò ff. de adulter. & in l. Grachus. eod. tit.* maritus inſtituitur miniſter juſtitiæ, eique datur facultas occidendi etiam uxorem deprehenſam in adulterio, ita enim ſentit Julius Clarus *lib. 5. ſent. §. homicidium n. 48.* Tum quia leges permittentes tale uxoricidium redactæ ſunt in Codicem Juſtiniani Principis Chriſtiani; & à juris conſultis Chriſtianis acceptæ fuerunt, quod non contigiſſet, niſi licitæ fuiſſent. Tum quia leges civiles de facto poſſunt dare facultatem occidendi bannitos ob grave aliquod crimen, immo etiam transfugas, qui ad hoſtes fugiunt *l. 3. § transfugas ad leg. Cornel. de ſicar.* ergo poſſunt etiam dare facultatem occidendi uxorem deprehenſam in adulterio. Verùm in hac quæſtione diſtinguendum eſt jus civile à canonico: quia jure cæſareo, & civili fas eſt patri adulterum cum filia deprehenſa in adulterio impunè

puoè occidere, ſi illam habeat in poteſtate *l. patri 20. l. quod ait. 23. §. ad leg. Jul. de adult.* Non tamen jure cæſareo, & civili licitum eſt marito interficere uxorem deprehenſam in adolrerio *l. nec. in ea 22. §. fin. ff. eod.* ubi etiam aſſignatur ratio diſcriminis, cur patri id licitum ſit reſpectu filiæ, non marito reſpectu uxoris, quia plerumque pietas paterni amoris conſilium pro liberis capit, ut notat Gloſſa ibid. *V. capit.* ſecus mariti calor, & impetus facilè decernentis coërcendus fuit: eodem tamen jure Cæſareo licitum eſt marito, adulteros deprehenſos cum ſua uxore interficere, ooo tamen quoſcunque, ſed tantùm ſi viles, vel ioſames fuerint *l. marito 24. ff. h. t.* ut etiam ſi maritos eum, quem ſuſpectum de ſua uxore habet, ter in ſcriptis admonuit præſentibus tribus teſtibus fide dignis, ut ſe abſtineat à frequeotia ſuæ conjugis, ſi poſtea ipſum ſolum cum ſua conjuge domi inveniat, impunè poteſt occidere *authent. ſi quis C. dicto tit.* ut notat Covaruvias *in 4. decret. p. 2. §. 7. n. 1. & 2.*

36 Plures tamen cum Fortunato *in tractatu de ultimo fine dilat. 11.* has leges cenſent injuſtas. Sed quidquid ſit de jure cæſareo, certum omnioo eſt, de jure canonico, & in foro conſcientiæ, nunquam licitum eſſe patri filiam deprehenſam in adulterio occidere, nec id fas eſſe marito reſpectu uxoris, & adulteri cujuscunque conditionis ſit, etiam infimæ notæ, adeò ut licitum nunquam ſit patri, vel marito adulteros cum filia, vel uxore deprehenſos privata authoritate occidere, quia id eſt ſemper graviſſimum peccatum homicidij, ut notat Covarruvias *loc. cit. n. 8.* unde leges civiles quoad hoc improbatæ ſunt per ſacros canones: nam in *cauſa. 33. q. 2. c. inter hæc* Nicolaus Papa conſultus, an marito liceat occidere uxorem ob adulterium, quod patravit, reſpondit Pontifex: *Sancta Dei Eccleſia mundanis nunquam conſtringitur legibus: gladium non habet niſi ſpiritualem, quo non occidit, ſed vivificat:* obi Pontifex inſinuat Eccleſiam improbare leges illas civiles: unde D. Auguſtinus *lib. 2. de adulterinis conjugiis c. 15.* ait: *Poſtremò quaro abs te, an marito Chriſtiano liceat, vel ſecundùm veterem Dei legem, vel leges Romanas adulterum occidere?* & paucis interjectis ſubdit: Si *quod verius dicitur non licet homini chriſtiano conjugem adulteram occidere, ſed tantùm dimittere: quis dicat tibi, fac quod non licet, ut tibi liceat, quod non licet? cum enim utrumque ſecundùm legem Chriſti illicitum ſit, ſive adulteram occidere, ſive illa vivente alteram ducere, ab utroque abſtinendum eſt:* unde maritus propter adulterium poteſt uxorem dimittere, non verò occidere: ratio eſt, quia alioquin ſalus animæ eorum, qui deprehenſi io adulterio, ſi licitè interficerentur, exponeretur manifeſto diſcrimini, & quidem abſque ulla neceſſitate, cum adulteri poſſint capi, & accuſari, & per ſententiam Judicis puniri, unde non eſt par ratio de bannitis, qui non poſſunt capi.

Quæritur duodecimo, an in dubio ſi pro- 37
les ſit adulterina, teneatur adulter ad aliquam reſtitutionem, ſi probabiles adſint rationes dubitandi, quòd mulier non conceperit ex adultero, eò quia ſoleret etiam tunc temporis cum proprio marito dormire? Reſpondetur io foro externo oon teneri ad ullam reſtitutionem, quia natus ex conjugata in foro externo præſumitur filius mariti *l. filium definimus. ff. de his qui ſunt ſui. l. miles §. defuncto. ff. ad l. Jul. de adulter. l. ſi vicinis C. de nuptijs*, ut notat Alciatus *l. 3. præſumpt. 37. n. 1.* id etiam procedit, quamvis tempore conceptionis probetur probabiliter interveniſſe commercium inter adulterum, & adulteram *d. l. miles. §. defuncto ff. ad leg. Jul. de adulter.* & notat Menochius *caſ. 89. n. 20. de arbitrar.* ratio eſt, quia poſſeſſio ſtat pro matrimonio; quo ſtante præſumitur ex legitimo concubitu; matrimonium enim dat titulum legitimæ nativitatis, & hæc poſſeſſio non ceſſat, niſi probetur oppoſitum, quod tamen probari non poteſt, ſi eodem tempore maritus habuit acceſſum ad uxorem. Quinimò licèt filius adultero aſſimilaretur, adhuc præſumendus eſſet legitimus, & conceptus ex legitimo concubitu, ut cenſuit Rota Romana *decis. 146. n. 7. p. 2. recent.* quia aſſimilatio oon eſt ſignum filiationis.

Tum quia hujusmodi aſſimilatio reſpectu 38
adulteri potuit provenire ex fixa imaginatione mulieris tempore conceptionis; eſt enim hujusmodi imaginatio ſufficiens ad inducendam talem ſimilitudinem. Tum quia licèt mulier rem non habuerit cum alio viro, potuit tamen illum prædiligere præ marito, & de ipſo tempore conceptioois cogitare, ac imprimere fœtui ejus ſimilitudinem.

Quod verò ad forum pertinet conſcientiæ, 39
oec tenetur adulter in dubio, an proles ſit adulterina, ad ullam reſtitutionem, ſi probabiles adſint rationes dubitandi; quia poſſeſſio ſtat pro matrimonio, & leges præſumuot, filium eſſe legitimum, adeò ut hæc præſumptio ſit ſaltem juris, ut cenſuit Rota coram Achille de Graſſis *decis 1. qui filij ſint legitimi.* & licèt hæc præſumptio admittat probationem in contrarium, quamdiu tamen noo conſtat de oppoſito habet vim probationis, ut docoot Menochius *præſumpt. 56. de præſumpt. n. 1.* Maſcardus *de probat conclus. c 222. n. 2.* adeò ut juxta hanc præſumptionem judicandum ſit in materia juſtitiæ; & ita in praxi ſervari ſolet, & quia materia juſtitiæ inducit obligationem ſecundùm conſcientiam; ſequitor, quòd ſecundùm conſcientiam procedendum itidem ſit ſecundùm talem præſumptionem: quia quacunque diligentia adhibita, eo ipſo, quòd maritus habuit ſemper acceſſum ad ſuam conjugem; remanet ſemper dubium, an filius ex adultero, vel marito genitus fuerit: unde cùm adulter ſit in poſſeſſione non ſubminiſtrandi alimenta, nec reſarciendi alia damna, ad nihil tenetur, quia conditio poſſidentis eſt melior *c. in pari. de reg. jur in 6.* & notat Covar-

varruvias ex communi ſententia *in regul. poſſeſſor p. 2.§.7. n. 3.*

40 Quæritur tertiodecimò, an ſi duo adulteri cognoverint eandem fœminam conjugatam tempore, quo ejus maritus abſuit, & mulier concepit, ac peperit, teneatur uterque ſuppeditare alimenta neceſſaria proli? Reſpondetur cum Molina *tom. 4. de juſtit. tractat. 3. diſp. 113.* & Vasquez *1. 2. diſp. 66. c. 8. n. 48.* affirmativè, adeò ut uterque adulter teneatur ad alimenta prolis, & reſtituere damna pro ſua parte, & altero nolente teneatur alter in integrum. Hoc etiam procedit, quoties duo cognoſcunt eandem ſolutam, ex qua proles generatur, & dubium eſt, cujusnam ſit. Ratio eſt quia ſicut in dubio, an res pertineat ad hunc, vel illum, priusquam unus eorum illam poſſideat, debet res illa æqualiter dividi, ut nulli inferatur injuſtitia, nec tollatur jus ad rem illam: ita dicendum eſt de debito, quando dubitatur, ad quem pertineat, æquè enim dividendum eſt, cùm ſit utrinque par ratio, quapropter quando duo adulteri cognoverunt eandem fœminam conjugatam, quæ tempore, quo maritus abſuit, concepit; tenetur uterque ad alimenta prolis, & damna reſtituere pro ſua parte.

41 Verùm contrariam ſententiam docet Lugo *de juſtit. tom. 1. diſp. 13. ſect. 2.* quia quoties ſaltem per præſumptiones, & indicia probabilia non conſtat filium eſſe Petri, non tenetur Petrus illi alimenta ſuppeditare: etenim ſi aliquis inveniatur occiſus, & dubitetur, an occiſus ſit à Petro, vel Paulo, iniquum eſt, utrumque punire, eò quia certum ſit, alterum eorum eſſe innocentem; unde ſi uterque puniretur, innocens etiam puniretur contra juſtitiam: ita à pari argumentatur Lugo, quia licèt reſtitutio, vel ſolutio propriè non ſit pœna, eſt tamen quaſi pœna, quia ſicut ex furto oritur debitum pœnæ; etiam ſic oritur debitum reparandi damnum datum, quod ex furto conſequitur: quamobrem ſicut ob delictum incertum non eſt aliquis afficiendus pœnâ certâ, ita nec obligandus ad certam ſolutionem, & reſtitutionem, quamdiu non conſtat de debito.

42 Verùm non putârim adhærendum ſententiæ Lugonis, eſt enim diſcrimen de prole nata ex adulterio; & homicidio, & eſt argumentum à pari, quo nititur Lugo, quia homicidium in hac ſuppoſitione dicitur tantùm commiſſum ab uno ex illis duobus licèt ignoretur à quónam commiſſum fuerit; proinde ſi ambo punirentur, utique innocens contra juſtitiam puniretur: at ſi duo adulteri cognoverunt eandem fœminam conjugatam, quæ tunc temporis concepit, quo maritus abſuit, uterque eſt nocens, quia adulter; & rem habuit cum tali fœmina conjugata, proinde ratione adulterij, & copulæ, cenſetur uterque concurriſſe ad generationem prolis, tametſi revera ab uno tantùm eorum mulier concepegit, quia fortaſſis tantùm per accidens ſe habuit, quòd ab alio non conceperit, tùm per ipſum non ſteterit: in foro autem externo ex copula conſummata, ſi fœmina concipiat eidem tribuitur, unde cum uterque eam conſummaverit, uterque contrahit debitum.

Quòd ſi conſtaret, duos ſimul percuſſiſſe alium in argumento Lugonis, & utrumque lethalia vulnera inflixiſſe, licèt poſtea non conſtaret, ex quo vulnere percuſſus deceſſerit, adhuc uterque puniretur ut homicida: ita à pari, quando duo adulteri cognoſcunt eandem fœminam conjugatam, tenetur uterque ad alimenta prolis, ac reſtituere damna pro ſua parte: videtur enim hæc ſententia magis conſona æquitati, ut in pari cauſa uterque delinquens eandem contrahat obligationem.

Quæritur quartodecimò, an adulter teneatur ad aliquam reſtitutionem faciendam marito adulteræ præciſè ratione adulterij, ſi mulier ex adulterio non concepit? Reſpondetur cum Molina *tom. 4. de juſtit. tract. 3 diſp. 100.* & Sylvio *2. 2. q. 66. art. 2. q. 7. conclus. 1.* negativè, quia injuriæ ab omni damno ſeparatæ non debetur ex juſtitia, niſi ſatisfactio per ſigna doloris, & petitionem veniæ, non verò debetur ulla reſtitutio pecuniaria, adeò ut ſi maritus adulteræ hanc exigat, non teneatur adulter illam præſtare præſertim, cùm hæc transactio pro injuria adulterij prohibeatur *l. tranſigere 18. C. de transaction.* Quòd ſi maritus occultè tranſigeret cum adultero citra omne ſcandalum poſt commiſſum adulterium, non videretur teneri ad reſtitutionem, ſi aliquid acciperet ab adultero quia præfata lex *tranſigere.* magis pertinet ad Judices, ne concedatur actio in pœnam præſumpti lenocinij, quàm ad mores privatos. Quòd ſi adulter nihil promiſit adulteræ pro actu turpi, tunc ad nihil tenetur, quia uſus corporis ſecluſo contractu, & promiſſione non eſt pretio æſtimabilis; unde ut oriatur obligatio requiritur aliqua prævia ratio contractus. 43

Cæterum ſi adulter aliquid dedit adulteræ, tunc tenetur hæc illud impendere in commodum mariti, quamvis eidem nihil dicat; quia quæ adultera acquirit, marito acquirit: non enim uxor habet poteſtatem in ſuum corpus ſicut ſoluta, ſed ſolus maritus habet talem poteſtatem in corpus uxoris; proinde quæ acquirit uxor per conceſſionem uſus ſui corporis factam alteri, marito acquirit. Non tamen tenetur adultera ſi honeſtæ ſit conditionis revelare marito prolem eſſe illegitimam, ſi adſit periculum vitæ, vel famæ, vel honoris, præſertim ſi proles communiter cenſeatur legitima. 44

Ratio eſt, quia vita nullo pretio eſt æſtimabilis; unde propter rei pecuniariæ reſtitutionem non tenetur mulier eam prodigere, neque exponere diſcrimini. Immo neque ſi immineat periculum famæ, ſeu honoris: ratio eſt, quia honor eſt etiam res ordinis ſuperioris, quæ nunquam exponi debet pro rebus inferioris conditionis ſaltem neceſſariò. Non enim 45

enim ſama ſolet apud homines pecunia æſtimari, unde Salomon *Proverb. 22.* ait: *Melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Cæterum in tali caſu tenetur adultera, quantum fieri poteſt absque periculo famæ, & vitæ procurare, ne legitimi hæredes retione illegitimæ prolis detrimentum patiantur: hinc ſi mulier habeat bona paraphernalia, tenetur ea relinquere legitimis filijs in compenſationem, ut etiam ſi quid ex propria induſtria, & labore accipit lucri: quòd ſi his modis non poteſt ſatisfacere, tenetur qnantum poteſt filio ſpurio ſnadere, ut aliquem ingrediatur ordinem Religioſorum: qoòd ſi id non poſſit obtinere, nec ullo modo compenſare damnnm, non tenetnr prodere ſuum adulterium marito cum periculo famæ, vel vitæ.

47 Quæritur quintodecimò, an filius teneatur ſe gerere ut irregnlarem, ſi mater ei dicat, quòd natus ſit ex adulterio? Procedit quæſtio ex ſuppoſitione, quòd quando ſœmina concepit ex adulterio, ejus maritns acceſſum habuerit ad illam: alioquin ſi matitus abfuiſſet, tunc eſſet moreliter certum, prolem pertinere ad adulterum, proinde eſſe illegitimam, & irregularem: ratio eſt, quia abſentia mariti elidit præſumptionem, quòd uxor ex illo conceperit *l. filium ff. de his qui ſunt ſui, vel alterius juris*, nt notat Covarruvias *de ſponſal. p. 2. c. 8. §. 3. n. 8.* Gozadinus *conſil. 13. n. 45.* & ita etiam cenſuit Rota Romana coram Achille de Graſſis *decis 1. de probat. & decis. 164. n. 2. p. 3.* Ex ſnppoſitione igitur, quòd tunc maritns habnerit acceſſnm ad ſuam conjugem reſpondetur; filium non teneri ſe gerere ut illegitimum, & irregnlarem, ex eo quòd ejus mater illi dicat, fuiſſe natum ex adultetio, quia filius nec in ſoro externo, nec in foro conſcientiæ tenetur credere matri dicenti ipſum eſſe ſpurium, tametſi id aſſerat cum juramento, & etiam in articulo mortis; quia filius eſt in poſſeſſione legitimæ nativitatis, à qua non poteſt deijci per dictum matris, quia dictum unius non ſufficit ad deijciendum aliquem à poſſeſſione; non enim confeſſio, & juramentum matris in hoc caſu admittitur, ut notat Gloſſa *in l. ſi poſthumus §. fin. ff. de lib. & poſth.* Abbas *in c. accedens 4. de purgat. canon.* & ratio eſt, qnia allegans ſuam turpitudinem præſnmitur non moveri ſecundùm rectam rationem, qnia hæc non movet ad detegendem propriam turpitudinem, niſi fortaſſis neceſſarinm ſit pro ſalute animæ: unde talis manifeſtatio turpitudinis cenſetur potiùs oriri ex eliqna inordinata paſſione, quæ propterea poteſt eſſe cauſa falſæ confeſſionis, vel etiam quòd mater ſibi perſuadeat verum, quod revera non ſit tale.

48 Hinc licèt mater juraret filio, ſe illum concepiſſe ex adulterio, non teneretur in conſcientia illi credere, quia non haberet mejorem vim, quàm unos teſtis juratus, qui ſi deponat de facto proprio, non probat, ut docent Cinnns in *l. ſi quis decurio oppos. 4. C. de fals.* Soccin. *conſil. 62. n. 8. vol.* Innocentius *in c. dilectus de accuſat.* Præterea quia cùm filius fuerit natus, & educatus in domo legitimè conjugatorum, favor matrimonij prævalet, ut præſnmatur ex legitimo matrimonio natus. Tum quia nunquam poteſt mater de certa ſcientia deponere, filium eſſe ſpurium, quia cùm tunc maritus habuerit acceſſum ad illam, poteſt aliter res ſe habere.

49 Quæritur ſextodecimò, an adulterium ſit mixti fori, adeò ut pro eo puniendo poſſit procedere uterque Judex tam ſæcularis, quàm eccleſiaſticus? Reſpondetur, Doctores non convenire, plures enim cenſent, adulterium eſſe crimen ex ſe totaliter ſæculare tem ratione materiæ, qnàm perſonarum, & ita præ cæteris cenſent Innocentius in *c. tua de Procurator.* Alciatus in *c. de officio Ordin.* ubi aſſerunt, cognoſcere de adulterio in ordine ad punitionem pertinere ad jndicem ſæcularem. Communior tamen, & verior ſententia eſt, adultetium eſſe mixti fori, dummodo ſit publicum; proinde in eo dari locum præventioni. Ratio eſt, quia adulterium, ut ait Imperator in *l. quamvis C. de adult.* continet in ſe ſacrilegium, & Imperator vocat adulteros ſacrilegos nuptiarum, ut notat Julius Clarus in *praxi §. fin. q. 37. V. quæro nunquid.* Hinc Epiſcopus propter adulterium poteſt etiam punire laicos, & illos anathemate perentere, vel in monaſterium etiam detrudere, ut notat Abbas in *c. Intelleximus n. 1. h. t.* & ita cenſent ferè communiter Canoniſtæ in *c. gaudemus de converſione conjugatorum.* Imò ſi agatur de adulterio civiliter in ordine ad ſeparationem thori, & amiſſionem dotis, ſolus Judex eccleſiaſticus de illo cognoſcit, quia tunc agitur de adulterio, ut ratione illius celebretur divortium, cùm enim agatur de juribus matrimonij diſſolvendis, & matrimonium ſit ſacramentum, cognoſcere tunc de tali cauſa ad ſolum pertinet Judicem eccleſiaſticnm, ut docent communiter in *c. 1. de offic. Ordin.* & docet Covarruvias *de ſponſal. 2. p. c. 7. §. 6. n. 8.* quapropter non eſt adhærendum Decio aſſerenti *cons. 212. n. 2.* ſæcularem eſſe Judicem competentem ſi agatur ſimul de divortio, & amiſſione dotis, putat enim tunc, cauſam eſſe mixti fori eccleſiaſtici, quinimo quamvis agatur de ſola ſeparatione ad tempus ob morbum contagioſum ſolus Judex eccleſiaſticus debet de tali cauſa cognoſcere, & deſumitur etiam ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de refor. c. 8.* ubi præſcribit ordinem Epiſcopis procedendi contra reos adulterij.

50 Quamobrem quando agitur de divortio coram Judice eccleſiaſtico, etiam quæſtio dotis amittendæ, ut quid acceſſorium ſequens ſuum principale pertinet ad Judicem eccleſiaſticum. Quando verò agitur de adulterio ad pœnam ſanguinis, tunc ſolus Judex ſæcularis procedit; qnia eccleſiaſticus ad hanc pœnam infligendam nihil poteſt, ut notat Abbas in *c. tua n. 2. de Procuratorib.* quoad alias verò pœnas hoc delictum eſt mixti fori, & datur locus præventioni; & de jure canonico injungitur pœna detru-

detruſionis in monaſterium, de qua agitur in *c. gaudemus de converſione conjugatorum*, & in *c. fraternitatis diſt. 34.* Imò hodie hæc pœna etiam injungitur de jure civili *authent. ſed hodie C. de adult. §. ſi verò* adeo ut uterque Judex poſſit concurrere ad hanc pœnam imponendam, ac detur locua præventioni; ſed ſi ſemel pœna imponatur à laico, ejus executio poſtea pertinet ad eccleſiaſticum, eò quia Monaſteria ſint ſub juriſdictione eccleſiæ *l. inter pœnas C. de interdic. & releg.*

51 Quæritur decimoſeptimò, an etiam adulterium commiſſum à Clerico cum conjugata ſit mixti fori? Reſpondetur affirmativè, adeo ut poſſit Epiſcopus punire mulierem laicam non obſtante ejus ſtatu *argum. c. quidam diſt. 81.* ubi Judex eccleſiaſticus punit mulierem ſolutam, eò quia rem veneream habuerit cum Clerico, proinde à fortiori poteſt etiam punire conjugatam, ut notat Gloſſa in *c. placuit in v. melius 37. q. 6.* Sin verò Judex laicus præveniat in punienda fœmina, tunc Clericus, qui cum ipſa deliquit, remittitur ad Judicem eccleſiaſticum, à quo deponitur ab officio, & detruditur in monaſterium *argum. c. ſi quis clericus diſt. 81.* & docent communiter Canoniſtæ cum Diaz in *prax. crimin. c. 79. in v. adulterij.*

52 Quæritur decimooctavò, an ſi vir accuſet uxorem adulteram criminaliter in judicio ſæculari, poſſit tali judicio finito accuſare civiliter, ad dotis, & reliquorum bonorum amiſſionem? Reſpondetur cum ſententia communiori negativè, quia eo ipſo, quòd vir incepit à jure civili, non poteſt tranſire ad criminale, quia utrumque judicium tam criminale, quam civile rapitur ad eundem finem, ſeu ad pœnam adulterij imponendam, ut docent Sotus in *4. diſt. 37. q. unic. art. 8.* Abbas in *c. tua de Procurat. n. 5.* Verùm id procedit, quando utrumque judicium tendit ad eundem finem, quia ſi feratur ad diverſos fines, ut ad ſatisfactionem unum, & alterum ad vindictam, tunc finito uno judicio poteſt aliud intentari, tametſi oriatur ex eadem cauſa, & in hoc ſenſu intelligitur *lex unica C. quando civilis actio criminali præjudicet:* & tunc unum judicium intentatum non tollitur per aliud, eò quia finis utriusque ſit diverſus.

Verùm ſi quis intentet principaliter judicium criminale, & judicium civile, non poſſunt hæc duo remedia in eodem libello ſimul ſuſtineri, quia cauſa criminalis eſt major civili, & quando una cauſa eſt major alterâ non poſſunt ſimul duæ actiones intentari, ut habetur in *l. edita C. de edendo.* benè tamen poteſt intentari principaliter judicium criminale, & poſtea incidenter civile, adeò ut qui criminaliter, & principaliter accuſat de furto, poſſit deinde incidenter petere, ut ſibi reſtituatur, quod fuerat ſibi furto ſublatum, ut notat Bartolus in *l. interdum §. qui furem n. 5. ff. de furt.* Ratio eſt, quia licèt de eodem crimine non poſſit ſimul agi eodem tempore criminaliter & civiliter *l. interdum ff. de publ. judic.* benè tamen poteſt criminaliter cauſa principaliter tractari, & incidenter cumulari civiliter judicium. 53

Quæritur decimononò quis ſit Judex competens, quando in terris Principis Chriſtiani conjuges Judæi ibi commorantes agunt de divortio? Reſpondetur Judicem competentem tunc eſſe ſæcularem: ratio eſt, quia matrimonium initum inter infideles eſt contractus merè ſæcularis, cui nullum eſt annexum ſacramentum, quando uterque conjux eſt infidelis; proinde ſicut contractus eſt purè ſæcularis, ita etiam Judex debet eſſe ſæcularis, quia infideles non ſubſunt juriſdictioni eccleſiaſticæ. Quòd ſi alter conjux converteretur ad fidem, tunc Actor deberet ſequi forum Rei, adeò ut ſi infidelis petat divortium, debeat convenire fidelem apud Judicem eccleſiaſticum, quia hic in cauſa matrimoniali eſt Judex competens fidelium: ſecus ſi conjux fidelis ſit Actor, tunc debet infidelis conveniri coram Judice ſæculari, cùm is ſit Judex competens infidelium, ſiquidem ex vulgari regula Actor ſequitur forum Rei *c. cum ſit generale de for. compet.* Cæterum ſtandum eſt conſuetudini locorum. Pragæ enim in Bohemia Judæi cauſas ſuas matrimoniales deferunt cognoſcendas ad conſiſtorium eccleſiaſticum: licèt Judex laicus eſſet Judex competens earundem, malunt tamen Judæi ſtare judicio illius conſiſtorij. 54

TITULUS XVII.

De Raptoribus, incendiarijs, & violatoribus Eccleſiarum.

Quia in Decalogo poſt homicidium, & adulterium ſequitur præceptum *non furandi*, ideo Pontifex cùm in præcedentibus titulis egiſſet de homicidio, & adulterio, pergit agere de furto, & quia rapina eſt quid medium inter adulterium, & furtum, dicatúrque rapina improbum furtum, ideo in præſenti titulo agit de Raptori-

ptoribus, Incendiarijs, & Violatoribus Eccleſiarum; qui titulus eſt generalis de his, qui bona Eccleſiæ, vel clericorum, vel etiam virgines rapiunt, ut etiam eſt de his, qui quoquo modo Eccleſias incendunt, aut violant, quique agros obambulant diripiendi cauſâ; naves expugnant, vel ex naufragio lucrum ſibi quærunt. Quia verò de raptu mulieris abundè jam diximus in præcedenti titulo; ideo hîc de rapina, & Raptoribus agendum erit.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. DE ILLIS 1. h. t. ex Concilio Meldenſi Statuitur, ut deprædantes, vel rapientes in aliena diœceſi debeant excommunicari à Prælatis ejuſdem diœceſis, à qua non poſſint exire, donec plenè ſatisfaciant, quòd ſi excommunicentur in aliqua Parochia à Prælato ejuſdem; debeat excommunicationis latæ ſententia ſignificari proprio Epiſcopo, ne eos recipiant, donec reſtituant in loco furti. Ex hoc textu liquet, ratione delicti fieri delinquentem de foro loci illius, in quo deliquit c. ult. de foro compet. *Hinc delinquens remitti debet ad locum delicti, ut ibi puniatur ad aliorum exemplum, & ad compenſandam reipublicæ læſionem, quamvis delinquens ſit vagabundus; quod vel maximè procedit ſi pars læſa remiſſionem petat ad locum delicti* Covar. c. 11. pract. n. 2. *Quinimo ſi delinquens pro delicto alibi commiſſo captus ſit per judicem ſui domicilij, vel originis, & is procedat ex officio, & non ad petitionem partis, remitti tunc debet ad judicem loci, in quo deliquit, ſi Judex loci petat ſibi remitti.*

C. SUPER EO 2. h. t. Statuit Eugenius III. ut violentus raptor, & etiam deprehenſus manifeſtè violare eccleſiam non poſſit beneficiis pœnitentiæ recipere, niſi prius ablata reſtituat, ſi poſſit; & ſi non poſſit niſi det priùs firmam, & plenam ſecuritatem emendationis: quòd ſi uſque ad obitum manſerit contumax, privandus ſit eccleſiaſtica ſepultura; quæ illi conceditur ſi humiliter petat remedium pœnitentiæ; & firmiter proponat emendationem, præstétque ſecuritatem illius, quod ſi presbyteri, vel clerici tentaverint prædictis contumacibus ſive in vita, ſive in morte dare pœnitentiam, vel intereſſe ſepulturæ, vel acceptare eorum eleemoſynas, vel eſſe participes de rapinis, deponuntur ab ordine, & beneficio. Contrito tamen viaticum non denegatur. Nota ex eo quòd Clerici huic decretali contravenientes dicuntur irrecuperabiliter pati damnum ſui ordinis; inde ſequi indigere diſpenſatione Papæ.

C. EXCOMMUNICATIONI 3. h. t. Ex concilio Lateranenſi declarantur excommunicati præſumentes capere, vel ſpoliare Chriſtianos navigantes; vel ſurripere res ſpectantes ad naufragium paſſos niſi ablata reſtituant. Nota ſpoliantes eos, qui mare trajiciunt, vel naufragium ſunt paſſi non eſſe ipſo facto excommunicatos, ſed eſſe excommunicandos; adeo ut non ſit executio latæ ſententiæ, ſed ferendæ. Rurſus textum procedere contra eos, qui Chriſtianos navigantes adoriuntur, non verò infideles, quamvis & ipſi delinquant, ſi innocentibus damnum inferant.

C. IN ARCHIEPISCOPATU 4. h. t. Alexander III. declarat, Epiſcopos ſi eis delegetur à Principe, poſſe de criminibus judicare, imò etiam punire in pecunia, vel fuſtibus, exceptâ vindictâ ſanguinis: quod ſi crimen mereatur mortem, vel mutilationem, mandat Pontifex, ut Epiſcopi tunc remittant Reum ad Principem. Ubi notat Gloſſa, hodie poſſe omnia committi Judici eccleſiaſtico præter mortem, & mutilationem. Sin verò Epiſcopus habet temporalem poteſtatem infligendi pœnam mortis, vel mutilationis, debet alteri hanc demandare. Ex hoc textu liquet, cauſas criminales etiam laicorum poſſe delegari Eccleſiaſticis uſque ad pœnam ſanguinis. An verò id legitimè fiat à Principe ſæculari Pontifex non explicat; ſed tantùm videtur permittere. Cæterum Princeps ſæcularis nil habet juris in eccleſiaſticos, ut hac delegatione illos aggravet abſque Eccleſiæ licentia, & permiſſu: idque etiam deducitur ex ipſo textu, in quo Pontifex hanc punitionem reſtringit uſque ad pœnam ſanguinis.

C. IN LITTERIS 5. h. t. Idem Pontifex reſcribit, incendiarium Eccleſiæ ſi in morte ipſum pœniteat delicti, poſſe abſolvi, ac ſepeliri in loco ſacro: ejus tamen hæredes teneri tunc illata Damna reſarcire. De bonis hæreditatis. Ubi notat Gloſſa, incendiarios, & eccleſiarum fractores eſſe ipſo jure excommunicatos c. conqueſt. de ſent. excommu. *Imò ſi ab Eccleſia ſunt publicati nequeunt ab alio abſolvi. Cæterum ex hoc textu colligitur, hæredes defuncti crimino ſi etiam in mortis articulo à ſacerdote abſoluti eſſe compellendos etiam eccleſiaſticis cenſuris ad ſatisfaciendum pro defuncto.*

C. CUM CAUSAM 6. h. t. Lucius III. declarat, non eſſe raptum, quando mulier conſentit, & ſi contrahatur matrimonium valet; & ſi conſummetur, non poteſt ingredi religionem, nec continentiam profiteri abſque conſenſu viri: declarat etiam matrimonium fuiſſe contra-

tractum ex probationibus viri, vel ex confeſſione mulieris. Ex quo textu colligitur, ad diſſolutionem conjugij ſpiritualis in favorem matrimonij carnalis credi confeſſioni conjugum; quia nemo præſumitur immemor ſuæ ſalutis: non ita ad diſſolutionem matrimonij carnalis. Ratio cur ſi mulier conſentiat, non ſit raptus eſt, quia ad raptum requiritur violentia. Præterea non eſt raptus ſi fiat ex alia cauſa, quàm libidinis: quia raptus eſt ſpecies luxuriæ.

C. *ACCEDENS 7. h. t. Declarat Innocentius III. raptam cum raptore poſſe matrimonium inire ſi ambo conſentiant; quamvis prius diſſenſerint; dummodum ad contrahendum habeantur legitimæ perſonæ. Concilium Tridentinum* ſeſſ. 24. de matrim. c. 6. *pœnas raptoribus decernit.*

IN SEPTIMO.

C. *ETSI SOLERTEM 1. h. t. Clemens VI præter pœnas excommunicationis, & interdicti latas contra occupantes, & detinentes bona eccleſiæ, addit etiam, ut tales violenti occupatores priventur beneficijs eccleſiaſticis, & privilegiis.*

C. *STATUIMUS 2. h. t. Leo X. in Concilio Lateranenſi anathemate percutit principes occupantes bona eccleſiaſtica, & detrahentes eorum libertati; tametſi principes ſint Imperatores, Reges, Reſpublicæ, & id præſtiterint per ſuos officiales, ſeu judices, etiam eccleſiaſticos; vel quaſcunque alias perſonas publicas, vel privatas. Et confirmat hac ſuper re conſtitutiones Bonifacij VIII. & Clementis V.*

C. *QUACUNQUE 3. h. t. Paulus IV. declarat, occupatores bonorum, ac redituum Eccleſiaſticorum teneri ſub pœna excommunicationis reſtituere ſingula ablata, & detenta. Verùm hæc pœna excommunicationis non eſt latæ, ſed ferendæ ſententiæ. adeout non incurratur, niſi per ſententiam Judicis, à quo declaretur violenta occupatio bonorum eccleſiaſticorum.*

C. *PASTORALIS 4. h. t. Pius IV. decernit pœnas incurrendas ab illis, qui detinent bona Romanæ eccleſiæ, & Palatij Apoſtolici. Cum tempore infirmitatis, ac mortis ſummorum Pontificum quamplurima etiam pretioſa jocalia, ornamenta, picturas, gemmas, vaſa aurea vel argentea ſpectantia ad cameram Apoſtolicam ex dicto Palatio ſurriperentur à domeſticis, vel extraneis, non ſine ejuſdem Palatij ignominia, ſedis Apoſtolicæ damno, & Pontificiæ authoritatis injuria. Ideo præcipit Pontifex, ut omnia, & ſingula, jocalia, ornamenta, aurum, argentum, margarita, gemma, lapides pretioſi, pecunia, veſtes, panni, imagines, & alia ſupellectilia cujuſvis generis mobilia, vel ſe moventia reſtituantur, ac conſignentur Præfecto Cameræ Apoſtolicæ ſub pœna incurrenda excommunicationis, alijſque ſtatutis ab alijs ſummis Pontificibus, quorum conſtitutiones hac ſuper re innovat, & confirmat. Rurſus vult, ut excommunicatio ipſo facto incurratur, & ejuſdem abſolutionis beneficium excepto mortis articulo non poſſit ab alio obtineri, quàm à Romano Pontifice.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit Rapina, quomodo accuſetur, & puniatur.

1 RApina laxè dicitur illicita uſurpatio rei temporalis alienæ, quomodocunque fiat, in quo ſenſu ſumitur *in cap. ſi quis 10. caus. 14. q. 4.* & in *c. 6. caus. 14. q. 5.* in quibus rapere dicitur, qui uſuram accipit, aut inventum retinet. Preſsè, & ut ad præſens pertinet inſtitutum definitur rapina *violenta ablatio rei alienæ mobilis facta dolo malo, & animo lucri faciendi.* Dicitur *violenta ablatio rei alienæ,* quia per hoc differt rapina à furto, quia tametſi furtum ſit ablatio rei alienæ, non tamen eſt ablatio violenta, quia furtum fit Domino ignorante, qui propterea violentiam non patitur ob ignorantiam continentem involuntarium: rapina verò fit Domino ſciente, ac propterea vim patiente: ex eo etiam, quòd ſit ablatio rei alienæ includit injuſtitiam, quia ſi quis rem alienam juſtè tamen, licèt per vim auferat, ut contingit in bello juſto talis ablatio non dicitur propriè rapina, quia hæc includit violentiam, & injuſtitiam: ſi quis verò rem alienam injuſtè, ſed non per vim ſive occultè, ſive manifeſtè auferat, furtum quidem committit, ſed non rapinam, quia hæc ſine vi non committitur; eſt autem hæc vis duplex, publica una, quæ fit medijs armis; & alia privata, quæ committitur ſine armis. Hinc patet diſcrimen inter furtum, & rapinam, quòd licèt omnis rapina ſit etiam furtum; non è contra omne furtum eſt rapina; unde omnis Raptor eſt etiam fur, ſed non vice verſa omnis fur eſt Raptor. Additur *rei alienæ* quia ſi quis rem ſuam propriam tollat ab eo, qui illam abſtulit, non eſt raptor, nec punitur pœnâ jure impoſitâ Raptoribus; ſed alia mitiore ob vim privata authoritate illatam; debuiſſet enim eam repetere in judicio, & publica authoritate. Dicitur *rei alienæ mobilis,* quia objectum rapinæ eſt res aliena mobilis:

bilis: res enim immobilis, cùm non ſit objectum furti, nec poteſt conſtituere objectum rapinæ, cum ferri, nec auferri poſſit *l. 1. C. de vi bonor. raptor.* unde qui rem alienam immobilem vi occupat non dicitur raptor, ſed invaſor; neque actione vi bonorum raptorum, ſed interdicto *unde vi*, vel condictione triticaria, vel judicio publico legis Juliæ concutitur *l. 1. ff. de vi & vi armat. l. 2. ff. de condict. triticar. l. 3. §. ult. ff. ad leg. Jul. de vi publ. l. 5. ff. de vi privat.* Quòd ſi in ipſa dejectione etiam res mobiles ereptæ fuerint, illarum nomine, non ſolùm interdictum, ſed etiam actio de bonis vi raptis moveri poteſt *l. 1. ff. de vi & vi armat.*

2 Neque refert, an res magna, vel parva direpta fuerit, quia ob rem minimam competit etiam actio vi bonorum raptorum *princ. inſtit. h. t.* alioquin ſi modica violentia impunita foret, facilè ſuccreſcerent delicta, & vires proterviæ incrementum ſumerent. Additur *facta dolo malo*, quia tametſi vis generaliter dolum includat *l. 2. §. doli ff. de vi bonor. raptor.* aliquando tamen datur vis ſine dolo, ut in vi juſtè illata à Magiſtratu *l. 3. §. 1. ff. de eo quod metus:* ideo in definitione rapinæ *violentia* additur *dolus malus*, & quidem ſignanter, quia pleruṁque res auſertur vi, ſed ſine dolo malo, ut ſi Publicanus Petri pecus abducat, fortè quia putat legem vectigalis fuiſſe à Petro circumventam, ut etiam ſi Dominus repetat rem ſuam, vſque illam occupet, eò quia exiſtimat, ſibi licere eam propria authoritate per vim occupare; tunc enim Publicanus non tenetur actione de bonis vi raptis, quia dolo caret *l. 2. §. 10. ff. h. t.* nec Dominus, qui vi occupat rem ſuam, putans ſibi licere quovis modo eam eripere tenetur judicio de bonis vi raptis, quia excuſatur ignorantiâ juris; unde ſi actione hac de facto pulſetur; ratio juris exigit, ut abſolvatur, *princ. inſtit. h. t.* Adduntur poſtremæ particulæ *animo lucri faciendi*, quia cum diripiat rem alienam, ad quam nullum habet jus, non alia ratione vim illam adhibet in ſibi uſurpanda re aliena, niſi ut commodum aliquod, ac lucrum inde habeat.

3 Quia verò exemplo grave eſt, neglecto juris ordine jus ſibi dicere, & Dominum propria authoritate rem ſuam violenter occupare; ideo cautum fuit conſtitutione Theodoſij, & Arcadij; ut ſi Dominus rem ſuam propria authoritate violenter occupet, pœnâ aliâ coërceatur, & excidat jure ſuo, & ſi non fuerit Dominus non ſolùm compellatur reſtituere rem illam violenter occupatam, ſed etiam ejus æſtimationem, *l. ſi quis tantam 7. C. unde vi* quæ conſtitutio ſumma nititur æquitate, quia conſulitur publicæ quieti; ſi enim civibus licitum foret authoritate privata jus ſibi dicere, utique innumera propemodum orirentur inter cives jurgia, & violentas manus etiam inter ſe injicerent; & plura committerentur homicidia.

Severiùs etiam jura procedunt cum creditore: is enim ſi res pignori obligatas neglecto juris ordine temerè occupet, non jus crediti tantùm amittit, ſed etiam tenetur actione de bonis vi raptis, & judicio publico legis Juliæ *l. 3. C. h. t. l. ult. ff. ad leg. Jul. de vi privat.* Ratio, cur ſeveriùs procedatur cum creditore, quàm cum Domino eſt, quia Dominus cùm putet ſibi licitum occupare etiam violenter rem ſuam; ideo aliquo modo excuſatur per ignorantiam juris: creditor autem ſcit, rem eſſe alienam, proinde non poteſt ſe tueri prætextu ignorantiæ, quæ ejus non ſuffragatur temeritati.

Hinc Marcus Imperator conſtituerat, ut ſi creditor debitori vim feciſſet debiti extorquendi gratiâ, amitteret jus crediti *l. penult. ff. ad leg. Jul. de vi privat.* An verò incidat creditor in decretum Marci Imperatoris, & edictum Prætoris de bonis vi raptis, ſi vi conventionis fundum ſibi obligatum propria authoritate occupet? Reſpondetur eum diſtinctione, ſi debitor conniveat creditori apprehendenti poſſeſſionem, tunc creditor non incidit in decretum Marci, neque in edictum Prætoris; ratio eſt, quia tunc ratione conniventiæ in debitore, creditor non infert illi violentiam, quia ſcienti, & conſentienti non fit injuria, unde cum vim non videatur inferre *l. 3. C. de pignor.* non incidit in decretum Marci, nec in edictum Prætoris de bonis vi raptis. Sin verò debitor reſragetur, & reclamet; tunc creditor incidit in decretum Marci, & edictum Prætoris *argu. l. 3. C. h. t.* ratio eſt, quia invitum, & reluctantem cogere ad illum tantùm pertinet, penes quem eſt juriſdictio, & imperium, hoc eſt ad Magiſtratum, non ad privatum hominem; quia ſicut privata conventio non tribuit uni juriſdictionem, aut imperium in alterum, ita neque efficit, ut creditor poſſit ſuo debitori invito vim inferre. 4

Si petas, an rapina ſit ſpecie diſtincta à furto; reſpondetur, rapinam eſſe delictum ſpecie tam theologica, quàm juridica à ſimplici furto diſtinctam, diſtinguitur enim à furto ſpecie theologica ratione violentiæ, quâ injuria infertur non ſolùm rebus, ſed etiam perſonæ; ſpecie verò juridica, quia ex rapina oritur actio propria, & diſtincta. Verùm poſſet objici, quia qui vi rapit rem alienam, tenetur etiam actione furti *princ. inſtit. h. t.* proinde rapina non videtur ſpecies à furto diſtincta, alioquin non poſſet explicari, quomodo Raptor teneretur etiam furti: quia ſi furtum, & rapina ſunt diverſa delicta, non poteſt furti argui, qui furatus non eſt; & Raptor tantùm rapuit, non verò furatus eſt, ſi rapina diſtinguitur à furto; proinde raptor non eſt arguendus furti. 5

Quòd ſi dicas, Raptorem eſſe etiam furem, ſed improbiorem. Reſpondetur, id concedi; ſed inde adhuc ſequitur, Raptorem non eſſe ſimplicem furem, conſequenter neque teneri actione furti ſimplicis, quia effectus debet prodire à ſua cauſa propria. 6

Verùm hæc objectio non multum faceſſit negotij, quia hodie violentiæ actio furti à 7

Præ-

Prætore latiùs producitur, & ad raptores extenditur: non enim eſt novum in jure, ut actio latiùs pateat, quàm nomen præſeferat. Præterea nil vetat, quin vocabulum furti poſſit nonnihil latiùs accipi, adeò ut furtum ſimplex etiam ad rapinam extendatur: ratio enim furti eſt generica, quæ prædicatur tam de furto ſimplici, quàm de rapina, & ſub hoc genere militant ambæ ſpecies furti ſimplicis, & rapinæ: hinc ex rapina oritur actio propria ob violentiam, quæ adhibetur in rapina, & injuriam, quæ infertur Domino rei raptæ; quæ violentia non reperitur in furto, quod definitur delictum, quo lucri gratiâ invito Domino aliquid contrectatur. Vis quæ altari infertur, alia eſt perfecta, alia imperfecta; illa eſt quæ reſpicit rem quamlibet ſive mobilem, ſive immobilem, vel mobilem tantùm, aut immobilem tantùm: imperfecta eſt, quâ quis turbatur in ſua poſſeſſione, & hæc dicitur vis compulſiva, & vindicatur actione, quòd metus causâ. Vis perfecta dicitur expulſiva, & punitur tum interdicto *unde vi*, tum legibus Julijs *de vi publica, & vi privata*, ut etiam pœna conſtitutionum *§. 6. inſtit. de interdict.* Alia etiam dicitur vis ablativa, & hæc conſtituit delictum rapinæ, quæ tamen non eſt neceſſè, ut ſit vis actualis, ſed ſufficit habitualis, adeò ut non ſolùm ſit raptor qui illatâ violentiâ rem alienam rapuit, ſed etiam, qui eo animo conclave alienum ingreſſus eſt, ut obvia quæque vi raperet, quamvis nullum repagulum ſuæ obſtiterit proterviæ *l. 52. §. fin. ff. de furt.*

9 Hinc effectus rapinæ eſt duplex proximus, & remotus, ille eſt obligatio, hic actio tam civilis, quàm criminalis. Actio civilis adhuc bipartitur in communem, & propriam, illa eſt actio furti, quia omnis raptor, ut diximus eſt etiam fur; nullus enim magis rem alienam invito Domino contrectat, quàm qui eandem vi adhibita à reluctante extorquet *princ. inſtit. h. t.* & hac ratione raptor dicitur improbior fure ſimplici, eò quia delictum ſuum non conatur celare, ut fur ſimplex; ſed fronte aperta, & deperdita, excuſſóque pudore in ſcelus ruit *l. 2. §. 10. & 24. ff. h. t.* Quòd ſi Raptor fuerit in delicto deprehenſus, tunc fur cenſetur manifeſtus; non ita ſi non ſit in delicto deprehenſus. Vlpianus *in l. 52. §. ult. ff. de furto* ait cum quis ex domo, in qua nemo erat rapuit, non teneri furti manifeſti, ſi nemo tollentem deprehenderit; ſecus ſi quis eum tollentem deprehendat, tenetur furti manifeſti.

10 Rurſus actio civilis propria eſt actio perſonalis, quâ quis petit, ut quadruplum rei violenter ablatæ præſtetur, & dicitur hæc actio prætoria, perſonalis, & mixta; ſeu partim rei perſecutoria, partim pœnalis; quoad triplum annalis, quoad ſimplum perpetua famoſa *l. 1. l. 2. princ. ff. h. t.*

11 Cauſa efficiens proxima hujus actionis eſt obligatio, remota eſt delictum, ſeu violenta contrectatio rei alienæ: ſubjectum hujus actionis aliud eſt activum, & aliud paſſivum; activum eſt is, cui datur; ſiquidem non ſolùm Domino & bonæ fidei poſſeſſori datur hæc actio; ſed etiam convictori, commodatario, & generatim omnibus, ad quos pertinet emolumentum rei, vel periculum *§. fin. inſtit. h. t.* Vnde etiam Depoſitario competit hæc actio, ſi periculum rei ſuſtineat, forſan quòd depoſito ſe obtulerit, aut honorarium acceperit.

12 Subjectum paſſivum eſt is, contra quem datur actio, hæc autem datur contra eum, qui rem rapuit, vel rapinæ dolo malo cauſam dedit *l. 80. §. 4. ff. de furt.* Si noverca rem Petri abſtulit, & ſurreptam vendidit, in arbitrio Petri eſt, ſi velit hac actione experiri in quadruplum; an venditione juſta pretium actione negotiorum geſtorum repetere. In hæredes tamen Raptoris hæc actio non datur, benè tamen actiones mixtæ dari in eos ſolent, ſi ex delicto defuncti aliquid ad eos pervenerit *l. 16. §. 2. l. 17. & 19. ff. quod metus cauſa.*

13 Actioni civili ſuccedit criminalis, quâ raptores bonorum puniuntur, ſicut enim ſi agatur civiliter, in jure civili punitur Raptor infra annum utilem in quadruplum; poſt annum verò in ſimplum; ita tamen ut in illo quadruplo inſit rei perſecutio, ſive ipſa res ablata computetur, & pœna ſit triplum tantùm, & poſt annum ſimplum, ſcilicet res tantùm, vel ejus æſtimatio præſtanda. Ita ſi agatur criminaliter tunc vel rapina facta eſt armis, & tunc Raptor punitur pœna legis Juliæ de vi publica, quæ eſt ut damnato aqua & igne interdicatur *l. qui dolo 10. §. fin. ff. ad leg. Jul. de vi public.* quæ pœna tamen fuit poſtea commutata in pœnam deportationis: verùm hodie loco pœnæ deportationis infligitur pœna banni, ut notat Mynſing. *in §. item lex Julia de vi public. inſtit. de public judic. n. 3.* Quòd ſi rapina facta ſit ſine armis, tunc punitur Raptor pœna legis Juliæ de vi privata, & eſt amiſſio tertiæ partis bonorum *dic. §. item lex Julia de vi*, & amiſſio omnis dignitatis, ſeu honoris; imò & ipſa infamia *l. 1. in princ. ff. ad leg. Jul.*

14 Rurſus jure civili aliter puniùntur Expilatores, qui noctu, & prima facie obvios corripiunt, & aliter Graſſatores: ſiquidem Expilatores opere publico puniuntur, & ſi honeſtiores ſunt ab ordine ad tempus moventur, aut jubentur patriæ fines excedere *l. 1. §. 1. ff. de expil.* Graſſatores verò, qui prædæ causâ cum ferro aggrediuntur, & ſpoliant obvios, puniuntur capite, ſi ſæpius in publicis itineribus in tale crimen lapſi fuerint: alioquin ad metalla damnantur, vel relegantur in Inſulam *l. 28. §. 10. ff. de pœn.*

15 Verùm ut quis jure civili cenſeatur Graſſator, ut poſſit pœna capitis plecti, quatuor requiruntur. Primò ut Graſſator armata manu alium aggrediatur, alioquin ſi quis ſub veſperam non nudato gladio pallium, & veſtes detrahat alteri pertranſeunti, & ſtatim ſe in

fugam conjiciat, non punitur pœna gladij, eo quia pedibus magis, quàm armis fiderit.

16 Secundò ut prædæ caoſâ quis alium aggrediatur, alioquin ſi quis res Petri extorqueret, eò qoia putaret ad ſe pertinere; vel quis loco pignoris eas rntineret, non eſſet puniendus pœnâ capitis.

17 Tertiò, nt in itineribus, & qoidem cum armis alium aggrediatur, & ſpoliet, alioquin ſi domi alium ſpoliaret graſſator non eſſet.

18 Quartò, ut hoc delictum frequenter admiſerit: quia ſi prima vice tantùm fuerit quis graſſatus, non gladio, ſed relegatione, & opere publico punitur *d. l. 28. §. 10. ff. de pœn.*

19 Hodie tamen Expilator, & graſſator puniuntur juxta circumſtantias concurrentes, & quibus in fures proceditur. Is verò qui ſemel graſſatus eſt, plecti non poteſt gladio jure communi, nec qui in villis, aut ædibus rapinam exercuit, quia Graſſator eſt, qui in itineribos prædatur, quorum ſecuritati voluit jus proſpicere.

20 Jure canonico Raptores multipliciter puniootur, ut deſumitur ex pluribus capitulis hujus tituli: etenim *in c. de illis 1. h. t.* Concilium Meldenſe ſtatuit, ut qui deprædantur, vel rapiunt in alia Diœceſi excommunicentur à Prælatis illius loci, nec exeant à parochia, donec plenè ſatisfecerint; & excommonicatio eſt ſignificanda proprio Epiſcopo, ne eos recipiat, donec reſtituant in loco furti. Ex quo textu ſatis apertè conſtat, Raptores eſſe obnoxios pœnæ excommunicationis. Verùm hæc non incurritur à jure, & ipſo facto, ſed tantùm per ſententiam Judicis; & quia ſententia excommunicationis ab homine ferri non poteſt, niſi ob contumaciam conſurgentem ex delicto, ſeqoitur, eſſe priùs Reum monendum, ut ſatisfaciat, antequam excommunicetur; quòd ſi nolit ſatisfacere, tunc anathemate percutitur *c. ſacro 48. de ſentent. excommun.* Quando enim excommunicatio fertur à jure, tunc incurritur ſine contumacia, & prævia monitione, quia ipſum jus tunc ſufficienter monet, oe quis contra legem delinquat ſub tali pœna.

21 Rurſus excommunicatus in uno loco eſt vitandus in omni alio loco; ſi tamen fuerit nominatim denuntiatus, & ratione delicti commiſſi in alieno territorio ſubijcitur delinquens Judici loci illins, in qno delictum commiſit; non ſolùm quoad pœnas temporales, verùm etiam quoad ſpirituales, ſeu cenſuras incurrendas, adeò ut ſi ſubditus Epiſcopi Frinſingenſis delinquat in Diœceſi Epiſcopi Auguſtani poſſit ab hoc excommunicari, quòd procedit in foro externo, & contentioſo; quia in foro interno conſcientiæ, & pœnitentiæ ratioe delicti præcisè commiſſi non ſubijcitur delinqoens Epiſcopo, vel ſuperiori eccleſiaſtico illius loci, in quo deliqoit, adeò ut in foro conſcientiæ debeat ab ipſo abſolvi.

22 Id enim intereſt diſcriminis inter forum externum, & conſcientiæ; quia in foro contentioſo eatenus pœna imponitur delinquenti, ut per talem punitionem ſatisfiat reipublicæ læſæ ob ſcandalom eidem datom, proinde pœna infligenda eſt reo, io eo loco, in qno deliquit. Secus in foro interno pœnitentia iojungitur, ut Reus ſatisfaciat Deo, cui per peccatum injuriam intolit, proinde à proprio ſacerdote, qui vicem gerat DEI eſt Reus abſolvendus, & debet pœnitentiam ab eodem ſibi injunctam implere.

23 Prætetea *in c. ſuper eo 2. h. t.* Eugenius III. ſtatuit, ut violentus raptor, ſive in Eccleſiarum violatione manifeſtè deprehenſus, niſi ablata reſtituat, ſi potuerit; aut emendationis plenam ſecuritatem fecerit, pœnitentiæ beneficium ei penitus denegetur. Sin verò usque ad obitum contomax maneat, & in mortis articulo pœnitentiæ remedium humiliter poſtulet, emendatiooe, vel emendationis ſecuritate præſtita ei pœnitentia, & ſepultura concedatur. Quòd ſi ſanus ſit pertinax, nec ipſum ſui pœniteat delicti, nec ſe emeodaverit, & in morte ſecuritatem præſtare non potuerit ei ſolemnitas pœnitentiæ parum proderit; ſed mandat Pontifex ut contrito viaticum coocedatur, ſed nullus Clericus ejus interſit ſepulturæ, nec ejus accipiat eleemoſynam. Demum in fine prædicti capitis: ut ſi qui Presbyterorum, vel Clericorom contravenire attentaverint, ordinis ſui damnom irrecuperabiliter patiantur; & eccleſiaſtico careaot beneficio.

24 In hoc textu quatuor ponuntur caſus, quorum primus eſt, ut qui in vita, & in morte noluit pro rapina ſatisfacere, huic denegetur pœnitentia, eò quia conſtet deceſſiſſe in peccato lethali.

25 Secundus qui in vita noluit ſatisfacere, cum poſſet, ſed conſtitutos in vitæ extremis poſtea ſatisfacit, huic concedenda ſit pœnitentia, & eccleſiaſtica ſepultura, eò quia reſipoerit, ipſúmque pœnituerit ſoi criminis.

26 Tertius cùm qois io vita ooloit reſipiſcere, nec reſtituere raptum, ſed perſeveraverit in ſoa contumacia; & in morte poſtea ipſum quidem pœnituit, & ſatisfacere volvit, ſed non potuit; immo nec ſecoritatem præſtare, & in hoc caſu mandat Pontifex, ut occultè abſolvatur, & tantùm denegetur publica, & ſolemnis reconciliatio in opprobrium hæredum, ut iſti ſatisfaciant; proinde injungit etiam Clericis, ne ejus interſint ſepulturæ, eò quia cum viveret, fuerit contumax, hoc eſt ſæpe admooitos, ut reſtitueret, cùm poſſet, & commodum ipſi eſſet, & ſemper recuſaverit.

27 Quartus habetor à ſenſu contrario, hoc eſt, ſi raptor oon fuerit obſtinatus, imò in vita voluiſſet libenter reſtituere, ſed oon potuit ob paupertatem; & tunc non eſt huic deneganda publica, & ſolemnis abſolutio, nec ſepultura eccleſiaſtica, cui Clerici poſſunt intereſſe, ut etiam ejus eleemoſynam recipere.

28 Juvat tamen obſervare, hæc procedere tantùm de publicis, & manifeſtis raptoribus, qui

quí poſſunt judicialiter convinci, non verò de occultis, ut notat Hoſtienſis *in d. c. ſuper eo 2. h. t.* & Sylveſter *V. rapina q. 1. not. 1.* ubi etiam addit, quòd tametſi raptor ſit manifeſtus, ſi tamen nunquam monitus fuit, dummodo paratus ſit reſtituete, poſſit recipi ad pœnitentiam, & deſumitur etiam *ex d. c. ſuper eo.* Raptor manifeſtus is propriè dicitur, quem Dominus agnoſcit, & deprehendit ſua rapientem, & appetentem; quia tunc Dominus poteſt contra ipſum judicialiter procedere: quòd ſi Raptor cautè vim inſerat, ut ſi abſente Domino fores infringat, & intus graſſetur, non dicitur manifeſtus *l. ſi quis uxori §. ult. ff. de furt.*

29 Cæterum raptor ſive manifeſtus, ſive non manifeſtus is ſemper intelligitur, qui vi, & dolo malo, coactisque hominibus armatis deprædatur *l. 7. de vi bonor. raptor.* unde Raptor manifeſtus cenſetur, qui conveniri poteſt ex lege Julia, ac puniri in quadruplum actione privata manifeſti furti. Sin verò collectis hominibus armatis, ita callidè, & doloſè verſatus eſt, ut non fuerit deprehenſus, tunc non punitur furti pœnâ, ſed alia vi bonorum raptorum, quem ordinem juris civilis ſecutus eſt Eugeginus *in d. c. ſuper eo.* innuens gravius agendum eſſe cum raptore manifeſtè deprehenſo.

30 Quòd ſi petas, cur Raptores *ex d. c. ſuper eo 2. h. t.* non ſint abſolvendi quamvis regulariter abſolvatur à peccato, qui non poteſt, cùm velit ſatisfacere. Reſpondetur, id ſpecialiter ſuiſſe ſtatutum in odium rapinæ; ut tametſi in mortis articulo raptorem pœniteat, ſi tamen non ſatisfaciat, quamvis non poſſit; adhuc ſit puniendus, ut deſumitur *ex d. c. ſuper eo 2. h. t.* ubi Clerici prohibentur intereſſe ſepulturæ raptoris, tametſi antequam decederet, ipſum pœnituerit, eò quia non potuerit ſatisfacere; hæcque eſt ratio, cur ita puniantur raptores, non ita Uſurarij, qui regulariter ſi non poſſint ſatisfacere, abſolvuntur à peccatis, nec ulla mulctantur pœna *c. cum tu 5. de uſur.* quia in jure hæc pœna ſpeciatim eſt impoſita Raptoribus, & nulla ſit mentio de uſurarijs: pœnalia autem ad alios caſus, & delicta extendi non debent.

31 Rurſus raptoribus, tametſi eos pœnituerint in morte commiſſi delicti, quia ſatisfacere non potuerunt, denegatur tantùm ſepultura in Eccleſia, non verò in alio loco ſacro, quia adhuc poſſunt ſepeliri in cœmetrio, dummodo Clerici non interſint tali ſepulturæ, immo prohibentur etiam Clerici recipere eleemoſynas à Raptoribus, ſeu violatoribus, Eccleſiarum, dum non ſatisfaciunt, idque non ſolùm in pœnam, & odium delicti, verùm etiam, quia bona Raptorum ad eos pertinent, quibus per vim fuerunt ablata, & ex re aliena non poteſt eleemoſyna fieri, nec recipi; ſiquidem raptor bonorum aliorum non ſolùm tenetur de peccato commiſſo pœnitentiam agere, & DEO ſatisfacere; ſed etiam reſarcire damna illata proximo, & reſtituere bona ablata *c. cum tu de uſur.* Hinc Eugenius raptorem etiam pœnitentiam petentem vult cogendum eſſe ad reſtitutionem, eò quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum *ex reg. peccatum de reg. jur. in 6.* quòd ſi cùm potuerit, noluit reſtituere, & poſtea in extremo vitæ, cùm amplius reſtituere non poſſit pœnitentiam petat, vult Pontifex non eſſe ei denegandam reconciliationem, ſed privandum eſſe eccleſiaſtica ſepultura, ut alij terreantur & reſtituant ablata, cum poſſint.

§. II.

De Incendiarijs, & violatoribus Eccleſiarum.

QUia peculiaris rapinæ ſpecies eſt, ſi quis occaſione incendij, vel ruinæ bona aliena rapiat, ideo in ſecunda parte hujus Rubricæ Pontifex agit de Incendiariis, & Violatoribus eccleſiarum. Is dicitur Incendiarius, qui datâ operâ, & ſcienter appoſito igne prædium, domum, oppidum, vel civitatem incendit, idque ſtudiò, ſive dolo malo ex odio, aut vindicta; ut etiam omnes, qui quoquo modo fuerunt cauſa talis incendij, illud ſuadentes, mandantes: quia dantes auxilium, & conſilium, ut committatur aliquod crimen influunt in illud, ſúntque cauſa moralis ejuſdem *c. ſi quis domum 6. de injurijs.* Unde non dicitur Incendiarius, qui propriam domum, vel ſegetem flammis comburit, quamvis peccet, eò quia abutatur re propria, quâ potuiſſet proximo prodeſſe. Neque in bello dicuntur Incendiarij illi milites, qui authoritate Principis, vel ſupremi Præfecti exercitûs, & ex ejus mandato ſuburbia, oppida, domus incendunt, ſi bellum ſit juſtum. 1

Neque dicuntur Incendiarij, qui caſu, vel etiam ex negligentia, & incuria, domum aliquam incendunt, quamvis iſti teneantur reſarcire damnum illatum *c. ult. de injuriis*: non enim negligentia unius debet ei prodeſſe, ut liberetur à damno, quàm alteri intulit; unde negligens quamvis non ſit obnoxius pœnis incendiarij, tenetur tamen reſarcire damnum illatum ob ſuam negligentiam; immo ſi lata culpa, & dolo proximam domum incenderit, tenetur etiam pœnâ incendiarij, ut deſumitur *ex l. pœn ff. de incend.* & docet Hoſtienſis *in ſumma h. t. de incendiar. n. 1.* Quia verò grave nimis, ac calamitoſum eſt per incendia hominibus nocere; ideò jura contra incendiarios pœnas graviùs exaſperârunt, qui igitur ſtudiò, & data opera alienas ædes incendit, ſi ſit vir infimæ notæ beſtijs ſubijcitur: ſin verò in aliquo conſtitutus gradu capite plectitur, vel in Inſulam deportatur *l. ult. in fin. ff. de incendio.* immo ut ibi notat Gloſſa etiam traditur igni comburendus, adeò ut qui ob inimicitias, vel rapinam alienas ædes incenderint, de jure civili jubeantur beſtijs obijci, vel vivi exuri, & ſolùm dignitas perſonæ, vel parvitas 2

vitas damni illati ex incendio præſertim, ſi hoc contigerit extra civitatem pœnam minuunt in illam decapitationis, vel deportationis ad Inſulam, ut habetur In *l. capitalium* §. *Incendiariis. ff. de pœn. l. ult. ff. de incendio*: quinimò ſi quis acervum frumenti juxta domum poſitum comburat datâ operâ, & ſcienter, ad damnum alteri inferendum ſi ſit humilis conditionis, vinctus, & verberatus jubetur tradi flammis.

3 Quòd ſi ex negligentia ſua incendium contigerit, jubetur damnum reſarcire, & ſi non habeat in bonis, leviùs punitur, qui enim non poteſt ſatisfacere in ære, debet luere in pelle.

4 De Jure Imperij Carolus V. in ſuis conſtitutionibus *art. 125.* generaliter contra Incendiarios ſtatuit pœnam ignis; adeò ut de jure novo non ſit diſtinguendum qualis ſint Incendiarij conditionis, nec quantum damni dederint; ſed omnes tradantur flammis comburendi. Quia verò inter Chriſtianos nonniſi rariſſimè devenitur ad cumbuſtionem hominis vivi ob deſperationis periculum, & nonniſi ob atrociſſima delicta; ideo conſtitutio Carolina ſolet mitiùs interpretari juxta priores leges civiles. Quinimò moris hodie inter Chriſtianos eſt, ut qui damnantur ad flammas cremandi, priùs occidantur, & poſtea eorum corpora projiciantur in ignem cumburenda ad terrorem adſtantium, ut abſtineant ab hujusmodi delictis: neque hac pœna plectuntur incendiarij niſi ex dolo, & malitia ædes, vel ſegetes alienas incenderint: alioquin ſi ex culpa, vel negligentia alicujus contigerit incendium, tunc contra ipſum datur tantùm actio civilis ad compenſationem, & interdum etiam pro qualitate culpæ pœna extraordinaria, non tamen capitalis infligitur *l. capitalium*, §. *incendiarij vers. nam fortuita. ff. de pœn.*

5 De jure canonico Incendiarij Eccleſiarum, vel locorum piorum, aliorúmque iisdem contiguorum intra triginta paſſus *c. definivit 35. caus. 17. q. 4.* ſunt ipſo jure, ſeu facto excommunicati, ut habetur *in c. canonica 107. caus. 11. q. 3.* ubi extenditur hujusmodi excommunicationis pœna ad omnes Violatores Eccleſiarum, & ſacrilegos: imò in *c. omnes Eccleſia 5. caus. 17. q. 4.* hoc idem etiam procedit contra Raptores rerum eccleſiaſticarum, & ſacrilegos. Rurſus Incendiarij, ſi ſint notorij, & publicati per ſententiam Judicis eccleſiaſtici, & nominatim denuntiati, non poſſunt abſolvi ab excommunicatione, quam ipſo jure contraxerunt; niſi à ſolo Papa, ut habetur *in c. tua nos 19. de ſent. excommun.* Incendiarij verò aliorum ædificiorum, quæ non ſunt ſacra, etiam ſunt excommunicati, & non ſolùm qui phyſicè ignem appoſuerunt alienæ ſegeti, vel domui; verùm etiam qui auxilium, vel conſilium, vel quoquo modo ſcienter fuerint cauſa talis incendij, omnes enim incurrunt excommunicationem, ut habetur *in c. ſi quis 31. caus. 23. q. 8.* Nec poſſunt, ſi incendiarij fuerunt nominatim denuntiati, ab alio abſolvi, quàm à ſolo Papa, ut notat Sylveſter *V. Incendiarius n. 2.* ex approbata conſuetudine omnes incendiarios ædificiorum etiam profanorum haberi ipſo jure pro excommunicatis; quamvis denuntiati non ſint, etiam tradit Hoſtienſis *in ſumma rubric. de Incendiar. h. t. n. 9.* Rurſus qui ſcienter, & voluntariè alienas ædes, vel ſegetes incenderunt, tenentur ad reſarcienda damna omnia illata *l. penult. ff. de incend.* immo tenentur etiam compenſare res deperditas causâ incendij *argu. c. fin. de injurijs.*

Quòd ſi incendium contigerit ex culpa levi, vel leviſſima alicujus, adhuc in foro externo tenetur ad reſtitutionem damni illati; ſi ex hujusmodi culpis tenebatur reſtituere: alioquin ſi abſque ulla culpa Petri incendium contigerit, ad nullam tenetur Petrus compenſationem, nec ulli eſt pœnæ obnoxius. Juvat tamen obſervare, quòd ſi Incendium contingat in aliqua domo, in qua plures habitant, tunc præſumitur incendium traxiſſe orginem à culpa inhabitantium, eò quia plerumque hujusmodi incendia eorum culpâ fiunt, *l. 3. ff. de offic. Prætor.* 6

Rurſus de jure canonico Incendiarij non ſolùm ſunt excommunicati; ſed etiam privantur ſepulturâ eccleſiaſticâ, niſi ante mortem ipſos pœnituerit delicti commiſſi, & abſoluti fuerint: quæ tamen abſolutio non debet ipſis impertiri, antequam per ſe, vel ſuos hæredes ſatisfecerint, quibus damnum intulerunt per incendium, ut habetur in *c. peſſimam caus. 23. q. 8.* & licèt de jure civili hæredes ex delicto defuncti non poſſint conveniri, niſi ex tali delicto facti ſint locupletiores, vel lis cum defuncto fuerit antea conteſtata *l. unic. C. ex delicto defuncti, quemadmodum hæredes* nihilominus de jure canonico in beneficium defuncti, qui jure naturali tenebatur læſis damnum compenſare; etiam hæredes pro viribus hæreditarijs tenentur læſis ſatisfacere; idque deſumitur *ex c. in litteris 5. h. t.* ubi Alexander III. cùm quidam pluribus irretites criminibus incendia Eccleſiarum commiſiſſet, & in ægritudine conſtitutus petierit abſolutionem, & Capellanus acceptâ pecuniâ pro damnis reſarciendis, eum ab anathemate abſolviſſet, ſed morienti poſtea Eccleſiaſtica ſepultura negaretur; reſcripſit Pontifex, ejus corpus ceſſante appellatione eſſe ſepeliendum in cœmeterio, & compellendos hæredes, ut iis, quibus ille per incendium, vel alio modo damnum intulerat, juxta facultates ſuas condignè ſatisfaciant; ut ſic à peccato valeat liberari: ubi hæc poſtrema verba, quæ ſunt in dicto textu *ut à peccato valeat liberari* diverſimodè leguntur, ut notat Panormitanus in *d. c. in litteris n. 4.* plures enim legunt in ſingulari *valeat*, quod refertur ad defunctum, ut ſcilicet ille liberetur à peccato; & ſumitur hìc peccatum per metonymiam ſumendo cauſam pro effectu; ſeu peccatum pro pœna, quæ eſt effectus peccati. 7

Alij verò legunt in plurali ſcilicet *ut valeant liberari*, quòd refertur ad hæredes, quatenus iſti graviter delinquunt, ſi conſcientiam defuncti non exonerent ſatisfaciendo læſis, & ſine in causa, ut diutius detineatur in purgatorio. 8

Ex

Ex his duobus modis legendi ultima verba præfati textos, prior quamvis ſit probabilis; putârim tamen ſecundum probabiliorem, quia uc docet D. Thomas *quodlib. 6. art. 13.* ſolucio debiti parum prodeſt defuncto, niſi accidentaliter, quatnnus juvatur per preces creditorum, & Religioſorum, vel aliorum pauperum; quibus aliquid pro animæ ſuæ levamian legavic; proinde verba illa vnriùs videntur referri ad hæredes non ſatisfacientes teſtatori, ac impedientes, ne legatarij gratos ſe exhibeant defunctn per preces, & ſuffragia, quod præſtarent, ſi hæredes legata ſolverent: & ſi id non præſtent, non excuſantur à peccato: proinde Pontifex in *d. c. in litteris 5. b. t.* ait eſſe compellendos, ut à peccato liberentur.

9 Sin verò defunctus decederet cum vera contritione ſufficiente ad omnem pœnam delundam; vel virtute alicujus Jubilæi, auc plenariæ indulgentiæ in articulo mortis abſolutus fuiſſet ob omni reatu culpæ, & pœnæ, adeò ur ſtatim poſt mortem ad cœleſtem patriam evolâſſet, ubi ampliùs non indigeret precibns, & ſuffragiis, adhuc hæredes tenerentur legata ſolvere, quia ipſi debent ſatisfacere propriæ obligationi, nec bona illa legata ad ipſos pertinent, ſed ad Legatarios. Hínc cum dicitur, quòd non dimittitur peccatom, niſi reſtituatot ablatum, id intelligicur de peccato propriè ſumpto, ſeu ipſa culpa; quæ non remittitur, niſi ſeriò ipſum pœniteat, & proponat reſtituere id, quod abſtulit, & de facto reſtitnat, ſi poſſit, non verò intelligicor de pœna debica pro peccnto, Quia verò præſens maceria percinet ad conſcientiam, & favorem animarum, ideo jus civile corrigitur per canonicum,

10 Notandum eſt, pœnas in jure impoſitas Incendiarijs tantùm comprehendere laicos, quia Clericis jure canonico nulla reperitur pœna ſtatuta: idque ſortaſſis contigit, quia Conditores canonum non potuerunt cogitare, quòd tantùm ſcelos poſſit à Clerico divino cultui addicto ſine olla prorſus utilitate, abaque ullo commodo proprio, vel voluptate, ſed tantùm com ingenti jactuta cæterorum perpetrari: proinde quoad Clericos Incendiarios pœna relinquenda eſt arbitrio Judicis eccleſiaſtici, quæ determinanda eſt juxta varias circumſtantias, quæ poſſunt occurrere, damnorúmque qualitatem, & quantitatem. Urgente exttema neceſſitate, ſeu in mortis articulo, quilibet ſacerdos poteſt Incendiarios abſolvere ab excommunicatione, tametſi ſoli Papæ reſervata; quia Pontifex ſemper intendic conſulere alterius ſaluti, nec ſolet ſibi reſervare abſolutinem ab excommunicatione etiam in articulo mortis, ſed tanrùm, quamdiu excommunicatus vivic, ut ipſemet Romam proficiſcatur pro abſolutione: urgente enim extrema neceſſitate, & in mortis arriculo Pontifex concedit facultatem cuilibet ſacerdoti abſolvendi à tali excommunicarione, idque deſumitur *ex c. litteris 5. b. t*, ubi Capellanns incendiariom in mortis articulo conſtitutum abſolvit à cenſura excommunicationis, à qua extra tale periculum mortis illum abſolvere non potuiſſet, ſed ſolus Papa: quia nimirum in mortis articulo nulla habetur reſervatio caſuum, uc declaravit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 7. de ſacrament. Pænit.* Rurſus *ex eod. cap. in litteris* etiam habntur, quòd incendiario conſtituto in mortis articulo, ſi ipſum pœniteat anteactæ vitæ conceditor ſepultura licèt, rapcori etiam in morte pœnitenti denegetur, ut habetur *in c. ſuper eo 2. b. t.* ratio diſcriminis ſolet hæc aſſignari, quia *in c. ſuper eo* raptor ille erat manifeſtus, proinde erar illi deneganda ſepultura ad terrorem cæterorum: *in c. verò in litteris* Incendiarius erat occultus, & volebat ſatisfacere læſis.

In tertia parte hujus rubricæ agitur de Violatoribus Eccleſiarum. Sumitur hic Violatot 11
Eccleſiarum pro eo, qui Eccleſijs, vel rebus ſacris injuriam infert, ac propterea committit ſacrilegium, vel lædendo immunitatem eccleſiaſticam, vel diripendo res Eccleſiæ, vel ſacra indignè, ac irreverenter tractando. Hæcque cauſa eſt, cur rapina, vel furtum rei ſacræ aliam induat malitiæ ſpeciem, & ſacrilegium rapina, vel furtum cenſeatur, quia nimirum res Eccleſiæ urpore divino cultui deſtinatæ ſunt ſacræ, proinde eas furari eſt rem ſacram violare, & furtom dicitur ſacrilegium: quinimò ſi res non ſacra depoſitetur in Eccleſia ſecuritatis cauſâ, ſi ſurripiatur in eadem Eccleſia, etiam committitur ſacrilegium, eò quia licèt tunc non violetur res ſacra; violatur tamen locus ſacer, ſeu Eccleſia, in qua committitur furtum.

Quòd ſi res ſacra, ut calix de loco ſacro 12
transferatur ad locum non ſacrum, ſi quis calicem illum furaretur, adhuc ſacrilegium committeret, non ratione loci, ſed rei ſacræ furto ablatæ, quod verum eſt de jure canonico: licèt plures dubitent de jure civili circa duos poſtremos caſus ſcilicet de re non ſacra ſublata in loco ſacro, & de re ſacra furto ſublata in loco non ſacro. Verùm ſi ſacrilegium eſt violatio rei ſacræ, irrevetentia hæc tam infertur loco ſacro ſi in ipſo ſurripiatur res non ſacra; quàm rei ſacræ ſi ſurripiatur in loco non ſacro. Neque obſtat, quòd pro re in Eccleſia depoſita, & furto ſublata *in l. Divus, & l ſacrilegium* detur tantùm actio furti. Reſpondetur enim, id procedere, ſi agatur civiliter, adeò ut accuſatio tantùm inſtituatur pro reſtitutione; alioquin ſi agatur criminaliter, & accuſatio inſtituatur ad vindictam publicam, tunc tale furtum punitur, non pœna ſimplicis furti, ſed ſacrilegij.

Pœna furti ſacrilegi pro qualitate, & quan- 13
titate rei, modóque rapiendi olim de jure civili fuit damnatio ad baſtias, vel ad metallum, vel deportatio in Inſulam *l. ſacrilegij 6. ff. ad leg. Jul. peculatus*: immo etiam pœna capitis *l. ſi quis hoc genus*, & *authent. de novo jure C de Epiſcop. & Cler.* & præſertim contra eos, qui in Eccleſiam irruentes ſacra miniſtera rurbaverant, vel celebrari prohibuerant, Hodie tamèn ex conſtitutione Caroli V. *art. 127.* ſi quis vaſa ſive ex loco ſacro, ſive profano ſurripiat, & etiam ſi intentione furandi januas Eccleſiæ, vel ſacriſtiæ, vel alterius loci, ubi oblationes repo-

nuntur effregerit, vel aperuerit illicitis inſtrumentis morte punitur; mitigato tamen, vel exaſperato ultimi ſuplicij genere pro qualitate, & gravitate delicti, & circumſtantiarum. Si quis enim res non ita ſacras cujusmodi ſunt ce:ei, linteamina, candelabra in Eccleſia ſurripiat, is ex eadem conſtitutione Carolina *art. 147.* gravius etiam punitur, quàm ſi ſimplex furtum commiſiſſet.

14 Verùm in tali furto ſacrilego attenditur gravitas rei ablatæ, famis neceſſitas, ætas, & imprudentia delinquentis, qui pro diverſitate circumſtantiarum acerbiùs, vel mitiùs punitur. De jure canonico per Bullam cænæ *art. 18.* qui furantur in Eccleſijs, incurrunt excommunicationem reſervatam ipſo facto, ut etiam qui territorium, bona, aut jura immediatè ſpectantia ad Rumanam Eccleſiam invadunt. Rurſus ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. c. 12.* excommunicationem reſervatam incurrunt (à qua non abſolvuntur niſi priùs integrè ſatisfecerint, ac reſtituerint) qui jura, fructus, & quaſcunque obventiones Eccleſiarum, beneficiorum ſæcularium, vel regularium, vel piorum locorum, quovis quæſito colore, vel modo ſibi uſurpant, vel impediunt per ſe, vel per alios, ne deveniant in uſum Miniſtrorum Eccleſiæ; vel pauperum, quibus debentur.

15 Quinimò ſi Patroni Eccleſiæ id fecerint, etiam jus patronatus amittunt, & Clerici hæc eadem perpetrantes ſuis privantur beneficijs, & contrahunt inhabilitatem ad alia obtinenda. Generatim omnes ſacrilègè invadènres, violantes, vel deprædantes loca ſacra, & Eccleſias anathemate percutiuntur, quinimò ſi deprædatio fiat cum violenta invaſione, & effractione, invaſor non tantùm ipſo facto incurrit excommunicationem; verùm etiam tenetur pro abſolutione adire ſummum Pontificem, vel Prælatum eccleſiaſticum habentem privilegium abſolvendi à caſibus reſervatis *c. conqueſti 22. de ſent. excom.*

16 Quòd ſi quis ſine adhibita violentia, & clangulò res ſacras ſurripiat, probabile eſt, talem ipſo facto non incurrere excommunicationem; ſad tantùm eſſe excommunicandum per ſententiam Judicis, ut notat Barboſa *in d. c. conqueſti 22. n. 2.* Qui verò pixidem cum Euchariſtia ſurripit, vel indignè tractat ex conſtitutione Carolina *art. 172.* traditur flammis comburendus: ſin verò fuerit hæreticus pro prima vice non punitur tam acerbo ſupplicio, dummodo monitus ipſum pœniteat facti, & velit hæreſin abjurare, quia Eccleſia non claudit gremium volenti ad ipſam redire. Quòd ſi abuſus ſit ſacramento Euchariſtiæ etiam pro prima vice ultimo ſupplicio afficitur ex conſtitutione Pauli IV, ut notat Farinacius *de hæreſi q. 193 n. 39.* Quòd ſi ſacrilegus fuerit Clericus, degradatur, & curiæ ſæculari traditur puniendus ex Pio V. *in ſua conſtit.* immo Menochius *de arbitrar. cas. 39. n. 3.* ait, eos etiam mortis ſupplicio eſſe plectendos, qui ſacras imagines, & Crucifixum irreverenter, & contumelioſè tractant. Et demum *in l. ſi quis hoc genus C. de Epiſcop. & Cleric.* generatim pro injuria Eccleſiis illata capitalis pœna ſtatuitur.

17 Rurſus aliæ rapinæ etiam ſpecialiter puniuntur: etenim ſi quis occaſione incendij, ruinæ, naufragij, navis expugnatæ rapiat; contra ipſum edicto prætorio peculiaris inſtituitur actio, eò quia publice intererſit in præfatis caſibus nihil rapi, cùm ipſum naufragium, ruina, incendium, videantur ad rapinam invitare; ſiquidem afflictis non eſt addenda afflictio; nec calamitati aſſocienda calamitas; id enim omni humanitati refragatur *l. 1. §. 1. ff. h. t.* Hæc autem actio edicto prætorio inſtituta definitur eſſe actio perſonalis, quâ quis petit, ut quadruplum rei in naufragio, ruina, vel incendio ereptæ ſibi præſtetur. Hujus actionis cauſa proxima efficiens eſt obligatio: remota ipſa rapina, vel damnum illatum occaſiune incendij, ruinæ, vel naufragij. Subjectum activum eſt illa perſona, cui datur hæc actio, eſtque quæ occaſione incendij, ruinæ, vel naufragij damnum eſt paſſa, vel etiam ejus hæres; poteſt enim hanc inſtituere actionem contra eum, qui damnum intulit, qui etiam dicitur ſubjectum paſſivum ejusdem actionis *l. 4. §. fin. ff. h. t. & l. 3. §. ff. h. t.*

18 Immò non ſolùm ſubjectum paſſivum eſt, qui occaſione incendij, ruinæ, naufragij rapuit, vel alio modo damnum intulit; ſed etiam, qui Raptorem recepit; ſiquidem fautores, & receptores non minus cenſentur delinquere, quàm aggreſſores *ex d. l. 3. §. 3.* Imò hac eadem actione conveniuntur etiam piſcarores, qui nocte oſtenſo lumine navigantas fallunt, quaſi in portum illos delaturi, & revera in ſcopulos, vel periculum naves deducunt, ut ſibi ex alieno naufragio parent prædam, ut habetur in *l. 10. ff. h. t.* Vt autem hæc actio deducatur in judicium, probandum eſt, Primò quòd occaſione incendij, ruinæ, vel naufragij rapina ſit commiſſa, & damnum illatum. Ex incendio autem non ſolùm rapere videtur, qui ex ipſo igne, vel loco, quo flamma graſſatur aliquid ſurripit, ſed etiam qui propter incendium, ſeu ob tumultum, vel trepidationem incendij rapit *l. 1. §. 2. ff. h. t.*

19 Ex ruina rapere dicuntur non ſolùm qui ex iis, quæ ruerunt aliquid ſurripiunt, ſed etiam ex adiacentibus *l. 1. §. 3.* Ex naufragio etiam illi cenſentur rapere, qui eo tempore, & loco, quo fuit naufragium, in trepidatione illa aliquid abſtulit *l. 1. §. fin. l. 4. princ. ff. h. t.* Idque procedit etiam de iis, qui poſt naufragium res in liture jacentes ſurripiunt, parùm enim intereſt, ſive in mare, ſive in litore res navis naufragium paſſæ ſurripiantur *l. 5. ff. h. t.*

20 Secundò probari debet dolo malo fuiſſe res raptas, & damnum illatum *l. 3. §. 3.* unde ſi accenſo incendio in aliqua domo Petrus ad defendendas ſuas ædes vicinas alias diſſipet ædes, ceſſat contra ipſum edictum, quia dolo caret, cùm intenderit tantùm ſuas ædes tueri, nec potuerit id alio modo præſtare, quàm diſſipando vicinas ædes *l. 3. §. 7 ff. h. t. & l. 49. §. ult. ff. ad*

ff. ad leg. Aquil. Actione hac ritè in judicium deducta, & probata, qui occaſione incendij, ruinæ, vel naufragij aliquid ſurripuit intra annum jubetur præſtare quadruplum, & poſt annum ſimplum *l. 1. princ. ff. h. t.*

§. III.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an omnis rapina commiſſa in loco ſacro ſit peccatum grave? Reſpondetur, certum eſſe, ſacrilegium eſſe ex natura ſua peccatum lethale, quando procedit ex contemptu rei ſacræ, vel cultûs, ad quem refertur, cujuſmodi ſunt ſacrilegia hæreticorum, quando in Eccleſiis vaſa ſacra ſurripiunt, & ſacramenta, altaria, imagines ſanctorum, Reliquias violant, proterunt, profanant; vel etiam quando ſacerdotes, vel Religioſos, aut alios eccleſiaſticos ut tales contumelijs afficiunt, ac damnum ipſis inferunt; quia tunc directè intendunt profanare ſanctitatem in talibus perſonis eccleſiaſticis. Rurſus eſt etiam peccatum lethale, ſi fiat aliquid voluntariè in materia gravi, quod peculiarem habet repugnantiam cum rei ſanctitate, ut ſi qui votum emiſit caſtitatis fornicetur. Sin verò materia ſit parva, nec habeat repugnantiam peculiarem cum ſanctitate rei, ſed ſolùm generalem, eò quia omnia peccata quæcunque ſint, repugnant ſanctitati loci, temporis, & perſonæ, ut ſi quis die feſto, vel loco ſacro detrahat ſuo proximo, vel malum alteri imprecetur: tunc enim malitia ſacrilegij per ſe ratione circumſtantiæ loci, vel temporis eſt tantùm veniale, tametſi peccatum, cui adnectitur ſit per ſe mortiferum. Excuſat etiam à peccato gravi ipſa ignorantia, quâ rei ſacræ fit notabilis injuria, ut ſi in peccato mortali, vel in irregularitate, aut alia cenſura quis ordinetur, tunc enim ſi ignorantia eſt inculpata excuſat totaliter à culpa.

2 Quæritur ſecundò, an omnes ſacrilegi incurrant pœnam excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto? Reſpondetur, talem excommunicationem non contrahere niſi percuſſores Clericorum *c. 27. ſi quis ſuadente 17. q. 4.* & incendiarios, qui Eccleſias, vel alia loca ſacra incendunt, expilant, vaſtant, *c. tua nos 19. de ſent. excommun.* ut communiter docent Canoniſtæ. Cajetanus tamen *V. excommunicatio c. 22.* cenſet, præfatum canonem non probare efficaciter intentum, eò quia ut notat Navarrus *c. 27. n. 94.* in præfato canone tantùm dicitur: *etiam Incendiarios, ex quo ſunt per Eccleſia ſententiam publicati pro abſolutionis beneficio mittendos ad ſedem Apoſtolicam*: unde Gloſſa putat, eſſe primò excommunicandos per Epiſcopum juxta hunc canonem, & poſtea publicandos. Verùm in contrarium ſaltem videtur eſſe conſuetudo à Prælatis approbata, ut ipſo facto incurrant excommunicationem. Præterea *in c. conqueſti. 22. de ſent. excom.* anathemate percutiuntur, qui effringunt, & ſpoliant Eccleſias, ut etiam qui eas incendunt, quia tunc illas effringunt, cùm omnino deſtruant, imò etiam dicuntur eas ſpoliare, quia hoc nomine ſignificatur quævis damnificatio rebus Eccleſiæ illata; quæ ſententia utpote in ſavorem Eccleſiæ eſt ad praxim deducenda.

3 Quæritur tertiò, an defuncto abſoluto ab excommunicatione, qui non potuit ſatisfacere, compellendi ſint hæredes ad reſarcienda damna illata? Reſpondetur affirmativè, adeò ut defuncto abſoluto ab excommunicatione, ſi non potuit ſatisfacere pro damnis injuſtè illatis alijs, eò quia morte fuerit præventus, compellendi ſint à Judice eccleſiaſtico ejus hæredes ad ſatisfaciendum pro viribus hæreditatis defuncti; idque deſumitur ex *c. in litteris 5. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd hæredes ſuccedunt in jura defuncti, proinde contrahunt eaſdem obligationes; & quia defunctus ſi ſupervixiſſet, utique debuiſſet ex obligatione reſarcire damna alijs injuſtè illata; ita ad id etiam tenentur hæredes ſive defunctus pœnitens, ſive impœnitens obierit; quia omnes obligationes defuncti ſaltem non merè pœnales, ſed rei perſecutoriæ, inter quas eſt reſtitutio, & compenſatio damni alijs à defuncto illati, tranſeunt ad hæredes activè, & paſſivè, & præſertim ad hæredes raptoris, & incendiarij, ut notat Covarruvias *lib. 3. reſolut. c. 3. n. 7.* & id procedit ſive defunctus fuerit incendiarius Eccleſiarum, ſive ædium ſæcularium, vel alienæ ſegetis.

4 Quòd ſi hæredes negligant reſarcire, damna injuſtè á defuncto illata non propterea dicitur defunctus tamdiu detineri in purgatorio, quamdiu ejus hæredes non ſatisfecerint, adeò ut non poſſit liberari à pœnis purgatorij, niſi per reſtitutionem: id enim non eſt veritati conſonum, quia reſtitutio non fit in purgatorio, ſed in hac vita mortali, adeò ut non aliter fiat, quàm vel ab ipſo debitore vivente, vel ab ejus hæredibus ex mandato defuncti; unde in purgatorio non ſatisfit niſi pro pœnis peccatorum: alioquin ſequeretur, defunctum nunquam liberari ab igne purgatorio, ſi ejus hæredes nunquam reſtituerent, quod eſt abſurdum; ſiquidem ſubiret pœnam illam in purgatorio pro culpa, quæ non eſſet in libera poteſtate detruſi in purgatorio.

5 Quamobrem ſi defunctus priusquam è vita decederet, ſuis præcepit hæredibus, ut debita ſolverent, & illata à ſe damna alijs reſarcirent; tunc ſi hæredes nollent reſtituere, nec damna reſarcire, ipſis verteretur id culpæ, non defuncto, qui adhuc liberaretur è purgatorio, nec ulteriùs in eo detineretur, quàm pro pœna debita pro alijs peccatis. Sin verò debitor culpabiliter, & ſcienter nullam impoſuit ſuis hæredibus obligationem reſtituendi, & reſarciendi damna illata à ſe, & haberet, unde ſolveret; tunc decederet in ſtatu peccati lethalis, nec poſſet liberari à pœnis inferni, ad quas damnaretur ob omiſſam reſtitutionem, ut docent communiter Theologi, & Canoniſtæ præ-

ſertim

ſertim Barboſa in *collect. in d. c. in litteris 5. n. 4. h. t.*

6 Quæritur qoartò, an booa oaufragorum, ſi poſt aliquot annos reperiantur in mari, & ignorentur Domini, fiant primò occupantis? Soleot Vrinatores non ſine paticulo quærere, ubi naves ſuerant oaufragium paſſæ, ut inde aliquid pretioſi extrahant. Quæritur, ao posſint hujusmodi res protioſas apud ſe retioere? Reſpondetur, quòd ſi ex ſignis, ſigillis, quibus vectoras utuntur poſſit certa, & morali probabilitate ſciri, quis fuerit Dominus earundem rerum, & quòd is oon fuerit hoſtis, oec pirata; ſunt illi, vel ejus hæredibus res illæ reſtituendæ, quia ex oatura ſua ad ipſos pertinent, ot liquet ex jure communi. Ratio eſt, qoia propter naofragij caſum, noo debet qois ſpoliari rebus ſuis; non enim afflicto addenda eſt afflictio, & iniquum eſt, ac injuſtum privare verum Dominum rebus ſuis, eò quia naoſragium ſecerit. Quamobrem tunc Vrinatores detractis axpenſis, & mercede debita pro labore, & periculo ſuſcepto teneotur veris Dominis res in mari ioveotas reſtituere.

7 Quòd ſi ex nullo ſigoo poſſit cooijci, ad quem res illæ pertineaot, tooc videtur major difficoltas, an res illæ fiant primò occupaotis. Certum eſt, rerum pretioſarum, qoæ ob naufragium in mare decidunt, poſſeſſionem amitti, eò quia earum Domioi oon habeaot ſaeultatatem, ac facilitatem eas ampliùs retinendi, cùm noo poſſint eas habere, tametſi veliot; non tamen amitti dominium cùm ejus retentio noo dependeat à faeultate retinendi rem, ſed à jore *l. Pomponius 13. in princ. de acquir. poſſ.* quo fit, ut quamdiu Domious ioveniri poſſit, ſint illi res illæ reſtituendæ, oec poſſint Vrioatores, vel alij eas ſibi retioere.

8 Quando verò de Domioo prorſus ignoratur, tunc non conveniunt Doctores; plures cum Soto *lib. 5. de juſtit. q. 3. art. 3. ad 2.* cenſent booa illa noo eſſe comparanda bonis adeſpotis, quæ dominos amiſerunt, ſed illis, quæ communia ſunt per naturam, & quæ ounqoam Dominos habueroot, quæque cedunt primò occopanti. Nititur hæc ſententia, quia flumina, & maria ſunguntur vice cenſitorom, adeò ut quæ occupant, ſaciant publica, & qoæ deſerunt privata: quia omois res induit eam qualitatem, quam habet mare, vel flumen, quod illam occupavit *l. ariſto penult. de rer. divis. l. ergo. §. alluvio 3. de acquir rer. domin.* unde cum mare ex natura ſua ſit commune, erit etiam commune quidqoid mara occupaverit poſtqoam privatum dominum amiſit. Tum quia talia bona, ſi poſt ſedulam inquiſitionem & tampus ad id ſufficiens, adhuc non poteſt ſciri ad quem domioum pertineant, cenſentur eſſe deſtitota Domino particulari, proinda eſſe bona communia, quæ jura naturæ fiunt primò occupaotis, ſicut res aliæ, quæ oullius ſunt Domini. Dicunt tamen eſſe tacitam quandam obligationem illis annexam, ot ſi Dominus compareat, debeant eidem reſtitui. Verùm licèt hæc ſententia probabilis ſit; adhuc tamen putârim adhærendum eſſe contrariæ aſſerenti, res illas oon eſſe primò occupantis, ſed eſſe pauperibus, vel alijs piis operibus impendendas, ut docet D. Thomas *q. 62. art. 5. ad 3.* & ferè omnes Canoniſtæ, quia id magis cooſooum eſt piatati, & conſolitur alienæ miſeriæ, quapropter moris eſt apud homines pios, ut res ita inventæ piis operibos impaodaotur; hæc enim cooſuetudo videtur vim legis habere.

Tum quia talis videtur etiam eſſe Domini 9
voluntas, ut ſi oon poſſit res ſuas recuperare, ſaltem impendantur ad pias cauſas, & in ſolatium pauperum, quia ſic proſunt veris Dominis: quilibet enim ſemper ioteodit eam majorem utilitatem percipere ex rebus ſuis, quam poteſt. Tum quia id eſt magis cooſentaneum juri commuoi; ſiquidem io *authent. omnes peregrini C. communia de ſucceſſ.* ſtatuitur: *ſi peregrinus inteſtatus deceſſerit, ad hoſpitem nihil perveniet, ſed bona ipſius per manus Epiſcopi loci ſi fieri poteſt hæredibus tradantur, vel in cauſas pias erogentur.*

Quæritur quintò, an raptor continuò pec- 10
cet, donec reſtituat? Reſpondetur, peccare toto illo tempore, quo cùm poſſit noo reſtituit. Ratio eſt, quia ex eo, quòd non reſtituat infert damoum proximo detinendo rem alienam invito Domioo, quem propterea impedit à poſſeſſione, & uſu rei ſuæ: hæc autem læſio, quò diutius durat, eò cenſetur gravior: & quia hæc læſio ſemper dependet, vel à libera voluntate non reſtituendi, vel à libera omiſſione voluotatis; ideo ſemper eſt culpabilis, & vertitur culpæ non reſtituendi, conſequenter eſt peccatum actuale, quod tamdiu durat, quamdiu protrahitur reſtitutio. Tum quia raptor qui rem alienam invito Domino detinet, nec reſtituit, cùm poſſit, utique voluotariè eam retioet; ſed detentio rei alienæ, quamvis propriè oon ſit actio, ſe tamen habet inſtar actionis, periode ac poſſeſſio: quò fit, ut quamdiu hæc exterior deteotio liberè dependet à voluntate, ſit actuale peccatum, quo actualiter damnum infertur proximo, quatenus hic impeditur à poſſeſſione, & uſu rei ſuæ. Idque ex eo etiam firmari poteſt, quia ſi quis conijceret ionocentem in vioculá, in quibus injuſtè per multum temporis relinqueret, utique ceoſeretor continuò peccare, quia continuò oocaret innocenti: ergo à pari, qui per multum temporis rem alienam cum incommodo veri Domioi detinet, tamdiu peccat, quamdiu eam oon reſtituit.

Quòd ſi dicas, inde ſeqoeretur, eum, qui 11
alteri vulnus inflixit continuò peccaturum, donec vulnus eſſet perfectè priſtinæ ſaoitati reſtitutum.

Contra eſt, negatur ſequela, quia qui vul- 12
nus inflixit, propriè non dicitur cootiouò lædere, ſed ſemel læſiſſe, & tunc tantùm peccâſſe, quando illud inflixit; omne oocumentum poſtea, quod ex inflicto vulnere ſequitur emaoat naturaliter ab eodem vulnere, adeo ut oon dependeat ampliùs à voluntata illius, qui vulous in-

inflixit, qnem tametſi pœniteat vulneris infli-
cti, non tamen poteſt ampliùs impedire, ne no-
cumentum ex tali vulnere ſequatur. Quòd ſi
eſſet in ipſius poteſtate tollere moleſtias illas,
quæ ex inflicto vulnere naturaliter ſequuntur,
& eas non tolleret, utique continuò peccaret,
quia continnò noceret proximo: & quia raptor
qnamdiu detinet rem alienam invito Domino
ei nocet, & cùm poſſit eam reſtituere, nihilomi-
nus non reſtituit; ideo voluntate præſenti ſem-
per nocet proximo, conſequẽter ſemper peccat.

Si dicas, inde ſecuturum, quòd ſingulis mo-
13 mentis peccaret, donee reſtitueret. Reſpon-
detur, id eſſe verum in hoc ſenſu, ut dicatur ſin-
gulis momentis peccare, non quia addat no-
vum peccatum diſtinctum, ſed quia continuet
prius peccatum, quod incrementum ſubit ex ip-
ſa continuatione: ſicut ſi quis habeat turpem
cogitationem, cui adhæreat per integrum
diem, eſt quidem unum peccatum con-
tinuum, ſed cæteris paribus gravius illo,
quo qnis tantùm per mediam horam adhæret
turpi cogitationi: pari pacto detentio rei a-
lienæ tametſi ſit unum peccatum, quia tamen
durat toto eo tempore, quo non fit reſtitutio,
quæ poſſet fieri, ideo ſingnlis momentis dicitur
incrementum ſubire, ac fieri gravius peccatum
non ſolùm ratione majoris liberæ durationis,
verùm etiam ratione majoris nocumenti, quod
infertur vero Domino, qui impeditur à poſſeſſi-
one, & uſu rei ſuæ: ex eo igitur, quòd ſingulis
momentis peccatum incrementum ſubeat, dici-
14 tur raptor continuò peccare, & quidem ſingulis
momentis, donec rem alienam reſtituat.

Si urgeas, inde ſecuturum quòd raptor e-
tiam dormiens peccaret, eò quia non fieret tunc
reſtitutio. Contra eſt, quia ſi propriè loqua-
mur, quando raptor dormit, non peccat vero,
& formali peccato cùm ſomnus non dependeat
à voluntate dormientis, ut actio, quæ aſiduè libe-
rè fiar, ſed tantùm ut effectus præcedentis vo-
luntatis, à qua ita dependet, ut ſi ſemel incæpe-
rit, non ſit amplius in poteſtate dormientis,
ſomnum continuare, vel abrumpere, quaprop-
ter peccatum non creſcit, quamvis ſomnus diu-
tiùs prodncatur.

Hinc peccatum detentionis rei alienæ pro-
priè, & formaliter in ſomno non dicitur conti-
nnari, ſed tantùm effectivè; quatenus ejus ef-
fectus antea præviſus, & volitus continuatur:
hic autem effectus cùm ſit executio malæ vo-
luntatis dicitur peccatum, & continuatio exe-
cutionis antea inchoatæ per pravam volunta-
tem. Ratio, cur non dicatur in ſomno forma-
liter creſcere, eſt, quia ut peccatum formaliter
continuetur, requiritur, ut dependeat ſemper
& continuò à libertate hominis, qui poſſit quo-
vis momento illud tollere, & nolit, ſaltem vir-
tualiter, adeò ut frequenter advertat ſe detine-
re rem alienam invito domino, & poſſe eam
reſtitnere, & nihilominns liberè omittat talem
reſtitutionem, tunc enim cenſetur habere actua-
liter voluntatem interpretativam, & continu-
am detinendi rem alienam invito Domino, ſeu 15
nocendi proximo eum impediendo à poſſeſſio-
ne, & uſu rei ſuæ, ac ſibi debitæ.

Quæritur ſextò, quomodo rapina differat
ab injuria, quæ per iniquum contractum infer-
tur proximo? Reſpondetur, differre rapinam
à tali injuria, eò quia per rapinam Dominus rei
raptæ patiatur damnum involuntariè per vim
ſibi illatam: & per iniquum contractum patiatur
damnũ involuntariè mixtũ, ſi ſciat iniquitatem
contractûs, hoc eſt partim voluntariè, & partim
involuntariè, quatenus eligit potiùs pati injuſtè
tale damnum, qnàm recedere à tali contractu.
Quòd ſi ignoret iniquitatẽ contractûs, tune ſi
contrahat cnm alio iniquè contrahente, habetur
furtnm ratione ignorantiæ; non verò rapina,
quia hæc includit violentiam, qnæ fit Domino
ſcienti, & renitenti, quam furtum excludit:
ratio enim communis furto, & rapinæ eſt in-
juſta ablatio rei alienæ abſolutè involuntaria;
& ratio differentiæ, quòd rapina includat vio-
lentiam, eò quia fiat Domino ſcienti, quam fur-
tum excludit, eò quia fiat Domino ignoranti.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

SUperior titulus fuit de furibus improbioribus, qui palam, & vi illatâ aliena abripiunt, hîc verò Pontifex agit de his qui clangulum aliena ſurripiunt, quod eſt peccatum contra ſeptimum præceptum decalogi, quo prohibetur iniqua rei alienæ uſurpatio, ſive fiat palam per vim illatam, ſive clam inſcio vero Domino, & ſi ſumatur laxè eſt omnis acceptio injuſta rei alienæ, in quo ſenſu *Exod.* 20. prohibetur furtum, ſeu omnis iniqua acceptio rei alienæ, ut docet D. Auguſtinus *lib.* 2. *q.* 71. *in Exod.* & in hoc ſenſu tripartitur furtum in fraudulentum, occultum, & violentum. In hoc autem titulo Pontifex agit de furto, prout diſtinguitur à rapina, & uſuris, alijsque injuſtis acceptionibus per iniquos contractus.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *QUI FURATUR* 1. h. t. *Ex c. 21. Exodi ſtatuitur, ut qui furatur hominem, & eum vendiderit, convictus noxa, morte moriatur. Ubi notat Gloſſa, textum eſſe intelligendum de furto hominis liberi, non ſervi; ſiquidem qui furatur ſervum hac pœna non tenetur* l. ult. ff. ad legem Flaviam de plagio. *Mirum tamen videri meritò poteſt, quòd hac pœna mortis recipiatur à ſacris Canonibus, qui ita abhorrent ab effuſione humani ſanguinis, ut pœnam mortis nunquam infligant* c. inter hæc 33. q. 2. *Imò etiam irregularitatem ex defectu lenitatis in eos inducant, qui licèt ex juſtitiæ officio, alijs mortem inferunt, vel mutilationem. Pro intelligentia hujus textûs, notandum eſt cum Panormitano per mortem in jure canonico, prout eſt pœna ab eodem inflicta intelligi excommunicationem juxta* c. Per venerabilem *ubi Pontifex juxta analogiam legis Moſaycæ per mortem intelligit excommunicationem.*

C. *FURES* 2. *h. t. Ex Concilio Triburienſi declaratur, non eſſe orandum pro furibus, & latronibus, qui in peccato occiduntur. Sed ſi comprehenſi, aut vulnerati fuerint confeſſi ſuo presbytero ſtatuit Concilium, ut illis detur communio. Imò ut notat Gloſſa etiam ſepultura, quia jam confeſſi ſunt. Præterea textus eſt intelligendus de furibus qui notoriè decedunt in peccato mortali: quia decedens in delicto manifeſto habetur pro impœnitente: & pro tali non ſolet eccleſia preces ad Deum fundere. Cæterum homini quantumvis ſcelerato dummodo in extremis vitæ ipſum pœniteat ſuorum ſcelerum ab Eccleſia non denegantur ſacramenta. Verùm quòd in textu dicatur, ſi Presbytero vel diacono confeſſi fuerint communio illis non denegatur; intelligitur non de confeſſione ſacramentali, ſed de conteſtatione facta coram ſacerdote, vel diacono: & per communionem non intelligitur Euchariſtia, ſed communio fidelium, cujus beneficio oratur pro mortuis. Cæterum diaconus non poteſt ſacramentaliter abſolvere à peccatis etiam in mortis articulo ex defectu juriſdictionis; quidquid in contrarium ſentiat hic Panormitanus.*

C. *SI QUIS* 3. *h. t. Ex Pœnitentiali Theodori ſtatuitur, ut ſi quis propter neceſſitatem famis, vel nuditatis furetur, non ſit ei gravis pœnitentia injungenda; ſed compellendus ſit ſublatâ neceſſitate ad reſtituendum. Ubi notat Gloſſa textum eſſe intelligendum de modica neceſſitate: quia ſi eſt neceſſitas extrema, & urgens non teneretur reſtituere, quia licitè poteſt tunc accipere ex rebus alienis, quantum neceſſarium eſt ad vitam conſervandam. Unde textus intelligitur de neceſſitate modica, in qua ſi quis furatus fuiſſet juxta canones antiquos debuit ſubire pœnitentiam trium hebdomadarum.*

C. *QUI CUM FURE* 4. *h. t. Ex D. Hieronymo ſuper parabolas declaratur, eum qui cum fure partitur, occidere animam ſuam: quia non ſolùm fur, ſed ille etiam reus habetur furti, qui furti conſcius furem non indicat quærenti poſſeſſori. Unde ex hoc textu liquet eum eſſe furti reum, qui ejuſdem conſcius illud non revelat: eſtque propterea particeps culpæ non ſolùm jure divino juxta doctrinam Chriſtianam de peccatis alienis: verùm etiam jure civili tenetur de furto* §. ſi verò ope Inſtit. de oblig. quæ naſc. ex delicto: *quamobrem qui participat de furto, vel occultat furem tenetur reſtituere.*

C. *EX LITERIS* 5. *h. t. Alexander III. declarat, furem occultum, ſeu de quo non eſt nota, vel infamia manifeſta, factâ ſatisfactione, vel ſaltem aliqua parte pœnitentiæ ſibi injunctæ poſſe ordinari, ſi aliud non obſtat. Ex quo textu liquet, eccleſiam mitiùs agere cum ſponte confeſſis, quàm cum convictis. Imò ſi aliter non poſſit fur ſatisfacere, ſufficit ſi exequatur pœnitentiam ſibi injunctam. Rurſus colligitur, infamiam naſcentem ex facto notorio eſſe impedimento promotioni; non ita delictum occultum.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *INFIDELIS UNIC. h. t. Joannes XXII. anathemate percutit aliquos fures, qui furati fuerant bona Eccleſiæ Peruſinæ, & tranſtulerunt in Lucanam urbem: & textus continet prolixam publicationem excommunicationis latam in eos qui deprædantur res pretioſas eccleſiæ: & etiam praxim monendi malefactores, ut intra certum tempus ſatisfaciant, ne incurrant excommunicationem. Cum res in hoc textu ſit meri facti, ulteriori explicatione non indiget.*

COM-

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit Furtum, & quotuplex.

1 FUrtum Labeo cenſet dici à *furvo*, ſeu *nigro*, eò quia furtum plerumque clam, & obſcurè, ſeu nocte committatur. Sabinus verò cenſet, furtum *à fraude* ſuam ſortiri nomenclationem. Alij à verbo *fero l. 1. princ. ff. h. t.* & hæc ultima nomenclatio videtur cæteris præferenda, eò quia fur ſemper rem alienam invito Domino ſecum ferat, adeò ut dicatur *fur à ferendo*, ut notat Gellius *lib. 1. noctium Atticar. c. 18.* Sumi poteſt furtum laxè, & preſsè; priori modo complectitur omnem injuſtitiam, quæ circa bona aliena committitur, adeo ut furtum, in hoc ſenſu complectatur omnem injuſtam actionem, quâ infertur damnum in re aliena: & in hoc ſenſu ſumitur in ſeptimo præcepto decalogi. Si preſsè ſumatur ſignificat illam ſpeciem particularis injuſtitiæ, quâ lucri gratiâ invito Domino citra vim aliquid contrectatur; in quo ſenſu à Jurisperitis communiter definitur furtum: *contrectatio rei alienæ fraudulosa invito Domino lucri gratiâ faciendi, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, vel poſſeſſionis ff. de furtis l. 2. & inſtit. de oblig. quæ ex delicto naſcuntur. §. furtum.*

2 Dicitur *contrectatio* quia ſolà voluntas furandi, vel cogitatio non facit furtum, nec furem: quapropter ſi quis animo ſurripendi rem alienam ingrediatur ædes ſui vicini, ſi nihil rapuerit, tametſi habuerit animum furandi, non dicitur fur, nec fit obnoxius pœnis jure impoſitis contra fures: dicitur etiam *contrectatio*, quia movens rem mobilem de loco in locum dicitur, illam contrectare *l. poſſideri §. ſi rem apud te. ff. de acquir. poſſeſſ.* & quia fures rem furto ſublatam movent de loco, in quo erat, & transferunt in alium, ideo dicuntur eam contrectare, & actio furandi dicitur contrectatio.

3 Additur *rei alienæ*, quia ſi quis de loco in locum moveat rem propriam, non dicitur eam furari, niſi fortâſſis in illa alius haberet etiam aliquod jus, ſcilicet uſum, vel uſumfructum, vel poſſeſſionem, aut cuſtodiam, aut jus pignoris. Præterea neque committitur furtum, ſi quis rem derelictam de loco moveat, & ſecum deferat, quia furtum rei ſupponit eſſentialiter Dominum ejusdem rei; nec committitur furtum niſi ſit cui damnum inferatur. Quòd ſi quis furaretur rem propriam, quatenus putaret eſſe alienam; tunc in foro contentioſo adhuc non eſſet fur, quia revera non ſurriperet rem alienam, ſed in conſcientia committeret peccatum furti, quatenus intenderet rem alienam invito Domino ſurripere.

Additur *fraudulosa* quia ut furtum committatur debet fieri animo ſurripiendi rem alienam, alioquin ſi quis deceptus bona fide utatur re aliena putans, illam eſſe ſuam, non committeret furtum.

5 Subjungitur *invito Domino*, quia ſi bona fide quis crederet Dominum id permiſſurum non eſſet furtum *c. de furtis l. ſi is qui.* In dubio tamen Dominus præſumitur invitus *ff. de furtis l. qui fas §. quod ſi vers. vetare* Imò tametſi Dominus videret rem ſuam auferri, & ex metu non contradiceret, adhuc cenſeretur invitus *ff. de furtis l. penult.* quòd ſi ſecluſo omni metu poſſet facilè contradicere, & non contradiceret, tunc præſumeretur conſentire.

6 Subjunguntur aliæ particulæ *lucri faciendi gratiâ*, quia ſi quis non lucri gratiâ, ſed injuriæ causâ rem alienam ſurripiat, punitur in jure, non ut Reus furti, ſed ut Reus injuriæ alteri illatæ *ff. de furtis l. qui injuria* eadem ratione ſi quis fructus immaturos decerpat, arbores frugiferas excindat. non habetur in jure furti, ſed damni reus; ut etiam ſi quis deſtruat ædes alienas, vel equum occidat, vel res proijciat in mare; in his enim, ut reus damni illati compellitur reſarcire.

7 Adduntur ultimæ particulæ *vel ipſius rei uſus, vel poſſeſſionis*, quia in jure furtum committitur, ſi creditor utatur pignore, vel depoſitarius re depoſita, vel ſi commodatarius utatur aliter re, quàm fuerit ipſi conceſſa. Ut etiam debitor, ſi ſubtrahat creditori rem pignori datam, quia diſtrahit ejus poſſeſſionem. Colonus etiam, qui fundum conduxit per ejus venditionem fraudat Dominum poſſeſſione, in his enim omnibus ſemper habetur fraudulosa contrectatio rei alienæ invito Domino lucri faciendi gratiâ

8 Solet tamen contra præexpenſam definitionem furti objici. Primò quia quando conjux conjugi, vel liberi parentibus aliquid ſurripiunt, dicuntur contrectare rem alienam invito Domino, & nihilominus non committunt furtum, quia non tenentur actione furti *l. 1. l. 2. ff. de act. rerum. amot. l. 16. §. h. t.* unde furtum non videtur rectè definiri *contrectatio fraudulosa rei alienæ invito Domino.*

9 Secundò quia quando ex hæreditate jacente aliquid auſertur, revera contrectatur res aliena invito Domino, & nihilominus non committitur furtum *l. 68. ff h. t. l. 2. §. 1 ff expil. hæred.*

10 Tertiò quia Iſraëlitæ ſpoliârunt Ægyptios invitos vaſis ſuis aureis, & argenteis, & nihilominus non fuerunt rei furti, quapropter ſine vitio furti poteſt res aliena invito Domino contrectari.

11 Quartò quia furtum ex natura ſua non eſt probroſum, quia quæ ſunt intrinſecè mala, ſemper ſunt prohibita, & pro nullo eventu poſſunt cohoneſtari, & furtum tantùm cœpit eſſe prohibitum, quando homines cœperunt res inter ſe dividere.

12 Quintò quia ſurripiens rem alienam Domino vidente, eam non accipit occoltè, & tamen committit furtum.

13 Sextò quia detentio cei alienæ habet rationem furti, quod pcopterea non videtuc conſiſtere tantùm in contrectatione, ſeu acceptione.

14 Sed contra ad primum ceſpondetur ex eo, quòd conjugi, vel liberis denegetuc actio furti, inde non ſequi, eos non committere verum fuctum, quia ut ait Imperator *in §. 12. inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſc.* furtum interdum committitur, quin detur actio furti: unde poſſunt liberi ſurripientes parentibus aliquid, committere verum furtum, rametſi non teneantur actione furti; catio eſt, quia non magis eum his, quos in poteſtate habemus, quàm nobiſcum ipſi agere poſſumos; proinde actio futti non datur *l. 16. §. h. t.* Conjux itidem ſi alteri conjugi ces ſuttipiat, verum committit furtum, niſi parvitas materiæ excoſet, vel res ſublata impendatur beneficio familiæ, & tamen propter honocem matrimonij non tenetur actione furti.

15 Ad ſecundum, qoi ex hæreditate jacente quid ſurripit, ideo non tenetur actione furti, eò quia ſubtili jure non datur poſſeſſor, cui furtum fiat: ſiquidem hæreditas jacens defuncti vices quoad poſſeſſorem non ſuſtinet.

16 Ad tertiom Iſraëlitas ſurripuiſſe vaſa Ægyptiorum juſſu DEI, qui transtulit dominium ex Ægyptijs ad Iſraëlitas, eſt enim DEUS abſolutus diſpoticus, & ſupremus Dominus bonorum omnium, de quibus poteſt prout ipſi magis libuerit, diſponere. Tum quia vaſa illa non fuerunt ablata tanquam ſpolium, & per mndum expilationis; ſed jure compenſationis pco laboribus exantlatis, & ob ſervitutem præſtitam Ægyptijs.

17 Ad quartum ceſpondetur, aliud eſſe aliquid omni tempore eſſe pcohibitum, & aliud omni tempore committi poſſe. Furtum fuit ſemper prohibitum, eo ipſo quòd fuerit furtum, quia nunquam fuit licitum, rem alienam invito Domino lucri causâ contrectare: ſed ex defectu materiæ non potuit ſemper committi: hoc autem non impedit quò minus ſit ex natura ſua prohibitum: alioquin ſeqoeretur, quòd neque parricidiom, neque inceſtus eſſent delicta ex natuca ſua prohibita, quia antequam liberi Adæ, & Evæ naſcerentur committi non poterant. Præterea etiam ante rerum diviſiones potuiſſet furtum committi, ſi aliquis nimirum ſibi uſurpâſſet rem, qoæ potuiſſet communitati inſervire, quia tunc verè ſurripuiſſet rem, etiam ſpectantem ad alios, & quidem illis invitis.

Ad quintum reſpondetur, quòd ſi fur ſciat Dominum videre, & id non curet, ſed violenter adhuc rem alienam contrectet, tunc potiùs capinam committit, quàm furtum; ſin autem ignoret, Dominum id videre, committit furtum, eò qnia intendat contrectate rem alienam neſciente, & invito Domino. 18

Ad ſextum detentionem cei alienæ ſe habere inſtac acceptionis, quia acceptio, & accepti detentio moraliter cenſetur eadem actio.

Cæterum clariùs, & brevius definitur fuctum à D. Thoma *occulta acceptio rei alienæ invito Domino*: ubi per *rem* intelligituc non ſolùm ces ipſa, ſed etiam ejus, vel uſusfructus, vel poſſeſſio, vel quodcunque aliud jus in re. Et per *Dominum rei* intelligitur tam qui habet dominium, & proprietatem rei, quàm qui habet uſum, & poſſeſſionem civilem, aut aliud jus in re. Additur *occulta*, ut furtum diſtinguatur à capina, quæ committitur ſciente, & invito Domino. 19

Quòd ſi dicas, erimen non deſumere ſuam ſpeciem ex eo, quòd ſit occultum, proinde rationem oeculti non facete ad rationem furti. 20

Contra eſt, quia cùm qois in fetenda alteci injuria utitur modo occulto, ut medio ad exequendum ſuum opus, utique facit ſpeciem diſtinctam ab opere & modo manifeſto, quia tunc occultum, & manifeſtom continent diverſas injorias; & hæc eſt ratio, cur furtum ſpecie differat à rapina, ut etiam doloſa invaſio à manifeſta, & contumelia à detractione. 21

Quòd ſi quis utatur modu occulto tantùm ex verecundia, vel ad vitandum ſcandalum; tunc eſt circumſtantia generalis, vel modus peccati: at furtum hoc modo non dicituc oceultum; ſed quia verus Dominus illud ignoret, & tunc occulrum eſt cauſa peccati, & poteſt conſtituere rationem peccati, & D. Thomas in hoc ſenſu rationem occulti punit in definitione peccati: eatenus furtum habet rationem injuſtitiæ, quia in ipſa ſurripitur res aliena ignurante, & invito Dominu; tunc enim dicitur quis injuriam pati, quando aliquid patitur non volens. Si quis antem ſurripiat violenter hominem liberum, vel uxorem, aut prolem alicujus, in jure non dicitur propriè fur, nec committere furtum, quia homo liber non habet Dominum, à quo poſſideatur: unde qui rapit uxorem alienam, vel hominem liberum dicitur tantùm committere plagium, ſeu crimē plagiatûs, ſi fiat ad vendendum, vel retinendum in mancipium: vel ſi fiat, ut ſurripiens fruatur conjuge, vel filia alterius dicitur raptus. Secus ſi quis furetur mancipium alterius, ut illud vendat, committit verum furtum, quia mancipium habet verum Dominum. Si quis verò furetur ancillam alterius, non ut illam vendat, ſed ut illa ad tempus abutatur, non dicitur furtum, quia tunc illa ancilla ſecundùm illum actum non ſubijcitur dominio alterius, nec qui illam ſurripuit, quærit in ancilla, quod per- 22

pertinet ad Dominum, ſed tantùm quod eſt ipſius ancillæ.

24 Hinc furtum ex parte rei, quæ ſurripitur, ſolet multipliciter dividi, ſi enim ſit res ſacra dicitur *ſacrilegium*; ſi ſint bona reipublicæ dicitur *peculatus*; ſi ſint pecora diſperſa à toto grege dicitur *abigeus*; ſi homo liber *plagiarius*; ſi mancipium *fur*. Sacrilegium in jure canonico ſobdividitur tripliciter. Primò cùm res ſacra ſurripitur ex loco ſacro. Secundò quando ex loco non ſacro ſurripitur res ſacra. Tertiò quando res non ſacra ex loco ſacro ſurripitor *c. quiſquis 17. q. 4.* quia tametſi res non ſit in ſe ſacra ſi ſurripiatur in loco ſacro delinquitur contra immunitatem, & ſanctitatem, quæ tali loco eſt debita: quando verò eſt ſacra, ubicunque ſurripiatur ſemper committitur peccatum contra immunitatem, & ſanctitatem debitam tali rei. Jure tamen civili non cenſetur ſacrilegium, niſi quando res ſacra aufertur ex loco ſacro *l. ſi quis in hoc C. de Epiſcop. & Cleric.* Jure autem civili dividitur furtum in manifeſtum, & non manifeſtum, illud eſt cum fur deprehenditur in flagranti, vel ſaltem antequam ad locum perveniret, in quo delictum committeret *l. 4. & 5. princ. ff. h. t. §. 3. inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſc.* Fur manifeſtus cenſetur, qui in ipſo facto deprehenditur, vel in loco commiſſi furti, vel extra domum in loco publico, vel privato, ſed cum re furtiva; antequam eam pertuliſſet, quò diſtinaverat *l. 3. 4. & 5. ff. h. t.*

25 An verò ſola viſio ſufficiat ad furtum manifeſtum, vel ulterius requiratur clamatio, & inſecutio, communior ſententia eſt, ſolam, & ſimplicem viſionem non ſufficere ad furtum manifeſtum, & deſumitur *ex l. 7. §. 1. ff. h. t.* ubi negatur, furtum manifeſtum eſſe, ſi Dominus cùm videret furtum ſibi fieri, ſe abſcondit ne occideretur, unde ſola viſio non reddit furem manifeſtum. Furtum non manifeſtum dicitur, quando fur rem furtivam pertulit, quò deſtinavit abſque eo, quòd deprehenderetur in flagranti, vel cum re furto ſublata *l. 5. §. & l. 6. ff. h. t.*

26 Secundò dividitur furtum in ſimplex, & periculoſum, illud dicitur, cui nulla circumſtantia aggravans adhæret; periculoſum verò, cui adhæret, ſunt autem in jure hujuſmodi circumſtantiæ, aſcenſio, effractio, violentia, & alia id genus.

27 Tertiò in furtum parvum, & magnum, illud eſt, cujus æſtimatio infra quinque ſolidos conſiſtit; hoc quod illos excedit, vel æquat: ſed nomine ſolidi in jure Cæſareo intelligitur aureus Hungaricus, ut fusè deducit Henricos Bocerus *tract. de furt. c. 1. n. 44.*

28 Quartò in furtum primum, & iteratum; illud dicitur, quod non habet aliud prius ſe; iteratum, quod ſupponit aliud furtum priùs commiſſum fuiſſe: æſtimatur autem iteratio furti non ex numero rerum ablatarum, ſed ex tempore, adeò ut plura furta cenſeantur, quæ commiſſa ſunt diverſo tempore *argu. l. 14. §. ff. h. t.* unde ſi quis tria, vel quatuor millia aureorum ſimul rapiat, & ſemel æſtimatur primũ furtum: ſin verò per partes, adeò ut mille ſurripiat hodie, & alia mille poſt duos menſes, & ſic de alijs, dicitur furtum iteratum: quòd ſi fur non poſſet ſimul omnes illos aureos deferre ad alium locum, ſed tantùm per partes; adeò ut ſæpe iret, & rediret eodem tamen tempore continuato, unicum tantùm diceretur furtum committere.

29 Quòd ſi dicas, ex rerum in conventionem deductarum numero ſtipulationes multiplicari; adeò ut quot ſunt res, tot cenſeantur eſſe ſtipulationes diſtinctæ *l. 1. §. penult. l. 29.* Reſpondetur, ſſſe diſparem rationem, quia ſtipulationes æſtimantur ex numero rerum deductarum in conventionem, quæ propterea ſi multiplicentur, debent etiam ſtipulationes multiplicari: at furtum non multiplicatur ex numero aureorum, qui ſimul ſurripiuntur, alioquin qui ſimul furaretur mille aureos, mille committeret furta, quod non conceditur, unde deſumitur numerus in furto ex ipſa actione furandi, quæ cùm poſſit durare ſine interruptione per mediam, vel etiam horam eundo, & redeundo, & ſurripiendo per partes rem, quam quis furatur, ideo dicitur eadem actio moraliter perſeverare, ac eſſe unicum tantùm furtum.

30 Si dicas, convicia, ſi pluries dicantur contra aliquem multiplicare injurias alteri illatas, adeò ut tot ſint injuriæ, quæ inferuntur, quot convicia, quæ proferuntur *l. 7. §. penult. ff. de injur.* ergo etiam furta multiplicanda ſunt ex numero rerum ſurreptarum.

31 Contra eſt, ratio enim diſcriminis in eo eſt ſita, quia eatenus in convicijs jura attendunt pluralitatem, & numerum, ut inde colligant, an non incorrigibilis ſit cenſendus, qui toties convicijs alium laceſſivit. Secus incorrigibilis non dicitur, qui eodem tempore res plures abſtulit.

32 Quintò dividitur fur, & furtum in diurnum, & nocturnum; fur diurnus dicitur, qui res alienas invito Domino ſurripit in tanta ſolis luce, ut agnoſci, & deprehendi facilè poſſit. Nocturnus fur dicitur, qui nocte furatur. Aliqui tamen id ponunt diſcriminis inter furem diurnum, & nocturnum, ut illum occidere aliter non liceat, quàm ſi telo ſe defendat: hunc verò licitum ſit ſemper interficere, ſi tamen cædem Dominus cum clamore teſtetur. Ratio quæ aſſignatur, eſt, quia tempore diurno poteſt quis facilè diſcernere, num fur ſit, an ſicarius, qui domum ingreditur, non ita nocte; proinde Dominus poteſt ſuſpicari eſſe ſicarium, *l. 9. §. ad leg. Cornel. de ſicar.* ubi etiam de fure nocturno dicitur, quod ita poſſit impunè occidi, ſi Dominus ei parcere ſine periculo non potuit.

33 Demum dividitur furtum in domeſticum, & non domeſticum. Illud dicitur, quod à perſonis de familia, & quidem in eadem domo committitur. Iſtud verò quod à perſonis extraneis. Ad furta domeſtica pertinent. Primò furtum, quo oxor conſtante matrimonio

rem mariti, vel è contra maritus rem uxoris intervertit: neutor tamen tenetur actione furti, licèt uterque teneatur rem furtivam reddere; quia indecens videtur honorem matrimonii actione furti in foro contentioſo labefactare. Quamobrem loco actionis furti introducta eſt actio non famoſa de rebus amotis in ſimplum *l. 52. §. 1. & 2. ff. h. t.* ſed locum tantùm habet poſt divortium. Secundò ad furtum domeſticum pertinet furtum à ſervis, vel liberis commiſſum, quamdiu ſunt ſub poteſtate patris, & tunc licèt res, quæ ſurripiuntur, contrahant vitium furti, & effugiant uſum capionem; non tamen liberi ſub patria poteſtate tenentur actione furti *l. 36. §. 1. ff. h. t.* quia pater in filios habet jus privatæ animadverſionis, ut etiam Dominus in ſervum *l. 17. princ. ff. h. t.* Quòd ſi filij habeant peculium caſtrenſe defendi poſſunt actione utili, quia habent, unde poſſunt ſatisfacere *l. 52. §. 5. ff. h. t.* ut etiam è converſo ſi pater peculium caſtrenſe filio ſubtrahat, furtum committit, & tenetur actione utili, non verò furti, & famoſa, quia reverentia parentibus debita non patitur, ut actio famoſa moveatur contra ipſos *l. 5. ff. de obſequiis parent. præſt.* Pertinet etiam huc furtum à liberis, clientibus, & Mercenarijs admiſſum, eò quia ſint perſonæ domeſticæ, quæ nec etiam tenentur actione furti *l. 89. ff. h. t.* quia in iſtos poteſt etiam paterfamilias licitè animadvertere; unde cum habeat jus privatæ emendationis, non debet judicio cum iisdem contendere *argu. l. 17. ff. h. t.*

34 Verùm licèt recenſitæ hactenus perſonæ domeſticæ non teneantur actione furti, benè tamen tenerentur exteri conſulentes, ſuadentes, juvantes, & auxilium quoquo modo præſtantes actione furti *l. 52. ff. h. t. & §. 12. inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſc.* An verò furta domeſtica immunia ſint à publica vindicta? Reſpondetur, plurimum intereſſe à quónam hujusmodi furta commiſſa ſint, an à conjuge, vel à liberis, aut ſervis, libertis, aut mercenarijs; non enim conjux in judicio, nec extra ordinem poteſt criminaliter accuſari: ſiquidem judicium criminale eſt gravius civili, unde ſi jura ob honorem matrimonij non ferunt talem accuſationem civilem, nec ferunt criminalem *argu. l. 5. ff. expil. hered.* Quamobrem furta, quæ inter conjuges committuntur; hodie vix puniuntur, ſive enim conjux vivo altero conjuge, ſive eo mortuo quædam domi amoverit, non propterea judicio criminali percellitur.

35 Sin verò furtum commiſſum ſit à liberis, libertis, elientibus, aut mercenarijs proceditur cum diſtinctione, ſi enim res furto ſublata ſit levis, & parvi momenti, non ſubjacet publicæ vindictæ *l. 11. §. 1. ff. de pœn.* ſecus ſi res furto ſublata ſit magni pretij ſubjacet publicæ vindictæ *l. 11. §. 1. l. 5. C. de patria poteſtate.*

36 Verùm cenſent plures in filium neque ob furtum grave poſſe publicè animadverti, eò quia diſtinctio inter furtum leve, & grave *in d. l. 11. §. 1.* tantùm adhibeatur pro ſolis ſervis, libertis, & mercenarijs, non verò pro liberis, de quibus nulla ibi fit mentio, quia filij ob vinculum arctioris neceſſitudinis gaudent majori prærogativa, proinde non utuntur eodem jure ſicut ſervi, & mercenarij, quæ ſententia eſt valde probabilis; & conſona æquitati.

§. II.

De cauſa efficiente, & objecto furti.

Cauſa efficiens furti alia eſt phyſica, moralis alia. Hæc dicitur, quæ tantùm per influxum moralem eſt cauſa furti, ut qui conſilio furem inſtruit, modumque, & viam aperit, quâ poſſit furari, ut etiam qui alteri furtum ſuadet, eúmque quoquo modo juvat, ut furari poſſit; dicitur is cauſa moralis efficiens furti, eò quia in illud moraliter influat. Hinc conſilium per ſe, & ſeparatim incidit in crimen furti, & operatur actionem furti, ſi eventus ſequatur, ſeu revera alius furetur *l. 36. in fin. princ. l. 50. §. 3. l. 52. §. 19. ff. h. t. l. 53. §. 1. ff. de V. S.* Hinc tenetur etiam actione furti, qui mandat furtum fieri, & hoc ſequatur; ut etiam dans conſilium ad furtum faciendum, vel ad illud præſtans miniſterium, opem, vel auxilium *§. interdum quoque inſtit. h. t. l. in furti 50. §. conſilium.* Id tamen procedit, dummodo furtum ſequatur, tunc enim conſulens, vel opem ferens tenetur eadem actione furti, ac ipſe fur, ut notat Tuſchus *V. furtum conclus. 562. n. 1.* 1

Quòd ſi furtum non ſequatur, qui conſilium, vel opem ad furtum præſtitit, non tenetur actione furti *l. 53. §. 1. ff. de V. S. & l. ſi quis uxori 52. §. neque verbo ff. h. t.* ubi habetur, quòd tunc tantùm noceat opem tuliſſe, vel conſilium dediſſe quando furtum eſt commiſſum; rurſus notat Farinacius *q. 168. n. 39.* ob ſolum conſilium furi datum, teneri conſulentem actione furti; ſi aliàs fur non fuiſſet furtum commiſſurus; quia tunc, qui dedit conſilium fuit vera cauſa, cur alius furaretur: quòd ſi fur independenter à conſilio adhuc furtum commiſiſſet, tunc conſulens non punitur eadem pœna, quâ fur, ſaltem ordinaria, ſed ſolùm extraordinaria, ut notat Farinacius *in d. q. 168. n. 41.* unde mandantes, conſulentes, auxilium dantes, opem ferentes, & alij hujusmodi influentes in furtum, ſunt cauſa moralis ejusdem; & eventu ſecuto tenentur actione furti, non ita ſi furtum non committitur. 2

Cauſa efficiens phyſica furti eſt ipſe fur, qui realiter, & phyſicè ſurripit rem alienam invito Domino; eſt enim cauſa principalis; inſtrumentalis verò eſt illud medium, quo quis rem alienam ſurripit, hinc contrectatio phyſica rei alienæ operatur actionem furti, ſive quis contrectet rem alienam, ut cauſa principalis, ſive ut inſtrumentalis; hinc ſi quis furi ſurripien- 3

tirem

ti rem alienam maligno, & fraudolento propoſito opem ferat, tenetur actione furti, tametſi illum conſilio non juverit *l. 54. §. penult. ff. h. t.* Neque urget textus *in l. 53. §. 1. ff. de V. S.* ubi dicitur, quòd opem tuliſſe is non videatur, qui conſilium malignum non habuit. Nam reſpondent Canoniſtæ, vocem conſilij eſſe homonymam, & interdum ſumi pro adhortatione, ſuaſione, & inſtructione; & aliquando pro maligno propoſito, unde ſi ſumatur in priori ſenſu tenetur actione furti, qui opem tulit, tametſi nullum ejus conſilium intervenerit; in ſenſu poſteriori, verum eſt, quod dicitur *in l. 53. §. 1. ff. de V. S.* nimirum non videri opem tuliſſe, qui malignum conſilium non habuit.

4 Immo non solùm qui rem alienam invito Domino ſurripit ſibi acquirendi causâ, tenetur actione furti; ſed etiam qui illam contra voluntatem Domini contrectat, vel eâ utitur, uterque enim dicitur furtum committere *§. furtum autem fit inſtit. de. oblig. quæ ex delict.* Vnde creditor ſi utatur re ſibi pignori data, vel apud ſe depoſita, dummodo depoſitum ſignatum ſit, tenetur actione furti ſi inſcio, & invito Domino Depoſitarius utatur re ſibi depoſita *l. ſi ſacculum 29. ff. depoſiti.*

5 Commodatarius etiam ſi utatur re commodata ad alium uſum inſcio, & invito Domino rei commodatæ, tenetur actione furti, ut ſi quis uteretur alieno equo ad iter decem dierum, ſi Dominus tantùm illi commodaverit equum per iter unius tantùm, vel alterius diei *l. qui inventa 40. ff. h. t.* ut etiam ſi rem ſibi commodatam inſcio, & invito domino alteri commodaverit *l. qui pignore. §. 1. ff. h. t.*

6 Rurſus qui rem alienam jacentem reperit in via publica, vel loco privato, & lucri causâ eam ſurripit, animo illam retinendi ſive ſciverit Dominum ad quem pertinet, ſive ignoraverit, tenetur etiam actione furti, ſiquidem ad furtum minuendum nil facit, quòd fur ignoret Dominum rei illius: verùm ſi habeat animum eam reſtituendi vero Domino non tenetur actione furti *d. l. falſus. §. proinde.*

7 Neque tenetur actione furti ſi quis contrectet rem ab alio derelictam, quia cùm nullius tunc ſit Domini, non habetur contrectatio rei alienæ invito Domino. Filiusfamilias verè etiam committit furtum, ſi res paternas ſurripiat, eò quia ſit diverſa perſona à patre, ac propterea contrectet rem alienam, cujus ipſe non eſt Dominus; tametſi in probabiliori ſententia non teneatur filiusfamilias actione furti, ut ſuperiùs diximus. Qui beneficia eccleſiaſtica absque legitima inſtitutione occupant, vel ſi vacent ipſo jure ſibi retinent, ex jure canonico habentur ut fures, & raptores *c. non furem 10. caus. 7. q. 1. c. dudum 54. de elect. c. ſæpe 17. de reſtitut. ſpoliat.* ratio eſt, quia jura pro eodem reputant auferre, & injuſtè detinere: hinc malæ fidei poſſeſſor, qui fructus beneficij, vel alterius rei injuſtè percipit, verè, & propriæ dicitur furtum committere.

Immo non solùm fur, ſed etiam furti conſcius ſi furem non manifeſtet reus eſt furti, & tenetur actione furti, idque deſumitur *ex c. qui cum fure 4. h. t.* ubi dicitur *qui cum fure participatur* (nimirum accipiendo partem furti) *occidit animam ſuam non fur solùm, ſed ille reus etiam tenetur, qui furti conſcius quærente poſſeſſore non indicat.* priora verba hujus textus deſompta ſunt *ex proverb. c. 29.* alia verò, quæ ſequuntur de furti conſcio, ſunt D. Hieronymi *in. d. c. 29. proverb.* Eſt enim furti conſcius, illudque celans, furti particeps, non solùm jure divino, verùm etiam jure civili, & tenetur actione furti *§. ſi verò ope inſtit. de oblig. quæ naſc. ex delict.* Quamvis furti conſcius, ſi illud non revelet Domino rei furto ablatæ fiat particeps quoad culpam, eò quia ex præcepto charitatis teneatur quilibet proximum ſuum ab injuria defendere, ſi poſſit id commodè præſtare, ut habetur *in c. dilecto, & c. quanta 47. de ſent. excom.* non tamen obligatur ad reſtitutionem, ſi furem non manifeſtet, niſi ex juſtitia ratione publici officij ad id teneatur.

8 Quamobrem etiam privatus tenetur ſaltem ex charitate furem indicare, ſi aliter à Domino non poſſit recuperari res furto ſublata, ut etiam tenetur indicare locum, in quo res furto ſublata poſita fuit, ex charitate, quâ tenemur impedire damnum proximi. Hinc Magiſtratus per generalem inquiſitionem poteſt ſubditos compellere ad indicandum furem: ſiquidem ad Magiſtratum pertinet omnibus modis licitis improbos homines arcere à republica. Immo etiam Prælati eccleſiaſtici ut Epiſcopi, & eorum Vicarij poſſunt ad inſtantiam partis publicare monitorias generales ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ contra eos, qui res alienas injuſtè detinent, niſi eas intra certum tempus reſtituerint, ut etiam contra eos, qui non revelaverint illos, quos ſciunt detinere injuſtè res alienas, ut notat Barboſa *in d. c. qui cum fure 4. n. 3. h. t.* limitatur tamen niſi juſto titulo quis rem ab alio ſublatam retineat, quia tunc non fit illi injuria, ſi qui illam retinet, habeat titulum compenſationis, vel alium juſtum.

9 Tenetur etiam actione furti, qui ob neceſſitatem famis, vel paupertatis rem alienam aufert, & deſumitur *ex c. ſi quis 3. h. t.* ubi dicitur: *ſi quis propter neceſſitatem famis, vel nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres; & ſi reddiderit, non amplius cogatur jejunare:* ex quo textu colligitur ei qui ob neceſſitatem famis, vel nuditatis furatur, imponendam quidem eſſe pœnitentiam, ſed non admodum gravem; ſed eum teneri ad reſtitutionem.

10 Juvat tamen oſervare cum Canoniſtis communiter, hunc textum non intelligi de neceſſitate urgente, aut extrema; quia in extrema neceſſitate conſtitutus, ob quam illi imminet mortis periculum, vel gravis, & periculoſa infirmitas poteſt licitè res alienas ſibi neceſſarias, præſertim cibaria uſurpare *argu. c. diſcipulos 26.* & ibi Gloſſa *V. fame diſt. 5. ex conſec.*

ſet. quia neceſſitas legem non habet, & urgente extrema neceſſitate, ob quam immineat mortis periculum, omnia ſunt communia *c. non ſatis 14. c. paſſce. 21. diſt. 86.* Immo probabile eſt etiam, in valde gravi neceſſitate, tametſi extrema non ſit, dummodo urgeat neceſſitas gravis morbi, videri licitum clam ſurripere à divitibus quantum eidem ſufficit, ut pro tunc ſibi conſulat: verùm id tantùm procedit, ſi aliter non poſſit ſibi neceſſaria comparare, ac propriæ indigentiæ ſoccurrere, quia tunc tenetur eleemoſynas à fidelibus petere, vel ſaltem exponere gravem ſuam neceſſitatem alicui diviti, quia tunc tenetur hic ex præcepto charitatis eidem opitulari. Quamobrem textus *in d. c. ſi quis 3. b. t.* ſolùm intelligitur de difficultate etiam notabili ſe ſuſtentandi, dummodo non ſit extrema, nec multum urgeat; quia tunc ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 66. art. 7. ad 1.* qui rem alienam invito Domino ſurripit non excuſatur ex toto à culpa, & pœna, quamvis ſit mitiùs puniendus, quia nec leviſſima culpa in delictis eſt omnis pœnæ prorſus expers *l. in lege. 44. ſi. ad leg. Aquil.*

12 Quinimò tenetur etiam, qui ita rem alienam ſurripit, ſtatim ſine mora, vero Domino reſtituere quapropter in dicto *cap. ſi quis 3. b. t.* imponitur illi pœnitentia, quæ tamen ei remittitur cum primùm reſtituit, quod invito Domino ſurripuit. Quinimò licèt urgente extrema neceſſitate poſſit in illa conſtitutus aliena ſurripere, ut propriæ conſulat neceſſitati, non tamen licitum eſt luxuriari, ſeu plus ſurripere, quàm hic, & nunc poſſit opus habere: ratio eſt, quia extrema neceſſitas, & furtum ſunt tantùm remedia, quæ per ſe referuntur ad vitæ ſuſtentationem, unde non debent excedere ſuos terminos.

13 Objectum furti eſt res aliena mobilis, & duæ requiruntur conditiones, ut res aliena conſtituatur objectum furti, prima eſt ut ſit mobilis: ſiquidem exploſa eſt ſententia eorum, qui putârunt etiam fundi, vel loci poſſe furtum fieri: ſiquidem furtum dicitur à ferendo, & cùm res immobiles efferri, & ſurripi non poſſint, ita non ſunt obnoxiæ furto. Secunda conditiò eſt, ut res ſit aliena, non enim quis dicitur committere furtum, ſi rem propriam contrectet *l. 59. ff. b. t.* Verùm id ita debet intelligi, ut res tota ſit propria, alioquin ſi ſecundùm partem aliena foret, vel uſus ejusdem, aut poſſeſſio ad alium pertineret, tunc procul dubio furto ſubjaceret; quapropter furrum committit debitor, ſi rem pignori traditam auferat creditori, quia tunc contrectat poſſeſſionem pertinentem ad alium *l. 12. §. 2. l. 19. §. penult. l. 79. l. 89. ff. b. t.* Pari pacto ſi quis rem nuda conventione obligatam diſtrahat, furti actione tenetur; ratio eſt, quia jus, quod creditor in re illa habet, nititur intervertere *l. 19. §. ult. l. 66. princ. ff. b. t.*

14 Immo etiam ipſum pignus videtur furto obnoxium *ex l. 6. c. de uſucap. pro Emptore*, ubi res pignori obligata, & à debitore diſtracta tanquam furtiva negatur poſſe uſucapi. Verùm in contrarium videntur obſtare textus in *l. 4. §. 21. ff. de uſucap. & l. 5. ff. pro Emptor.* ſiquidem in locis iſtis perſpicuè dicitur, quòd res pignoris tradita, & à debitore ſurrepta poſſit uſucapi. Ad conciliandos hos textus ſolet diſtinctio adhiberi; vel enim debitor creditori rem pignori traditam aufert, & tunc dicunt eſſe locum uſucapioni *ex l. 4. §. 21. ff. de uſucap.* vel debitor aufert creditori rem nuda conventione pignori obligatam, & tunc negant procedere uſucapionem juxta *l. 6. C. de uſucap. pro Emptore.*

15 Verùm videtur magis procedere uſucapio, quando debitor hypothecam, quàm cùm pignus diſtrahit: quia quando diſtrahit pignus, poſſeſſionem contrectat; non ita quando hypothecam. Unde melius videntur textus præfati conciliari, ſi diſtinguatur pignus ſumptum *ſpecificativè*, & *reduplicative*: ſiquidem priori modo ſpecificativè, ſeu materialiter, ſi res pignori obligata ſpectetur, furtiva non efficitur, ſi à debitore diſtrahatur, quia rei propriæ furtum non committitur, & res pignori obligata pertinet ad ipſum debitorem ſpecificativè, & materialiter: qui enim indiget viginti aureis, & oppignorat gemmam, cujus valor excedeat 50. aureos, certè gemma hæc oppignorata pertinet ſpecificativè, & materialiter ad oppignorantem, ſeu debitorem, qui accepit 20. illos aureos: unde ſi hic accipit, ac diſtrahit ſuam gemmam etiam invito creditore propriè non dicitur furari rem alienam, cùm gemma illa ad ipſum ſurripientem pertineat, rei enim propriæ furtum non committitur *l. 4. §. 21. l. ult. ff. de uſucap.* Verùm ſi conſideretur res pignori obligata *reduplicativè*, ſeu ut eſt affecta jure pignoris, efficitur procul dubio furtiva; quia ratione juris pignoris cenſetur aliena, & ſic procedit textus in *l. 6. C. de uſucap. pro Emptore.*

16 In re quavis furto obnoxia tria poſſunt conſidersri, proprietas, uſus, & poſſeſſio. Tunc contrectatur proprietas, cùm quis ſibi uſurpat rem propriam alterius, ſibíque facit propriam. Uſus dupliciter poteſt contrectari. Primò ſi quis re utatur, qui uſum ejus non habeat, ut ſi Depoſitarius utatur re apud ſe depoſita, & creditor re oppignorata. Secundò ſi quis utatur re ultra modum præſcriptum; vel in uſum alium rem illam transferat inſcio, & invito Domino, ut ſi quis equum contra fidem datam longiùs pro itinere ducat *l. 5. §. 8. ff. commod.* Ille etiam actione furti tenetur, qui quod in proprium commodum ab alio accepit, alteri commodavit; quia videtur ſpecies furti ex alieno largiri, & debitorem beneficij ſibi acquirere *l. 54. §. 1. ff. b. t.* Quod verò ad rei poſſeſſionem attinet, contrectatur poſſeſſio, ſi pignus à debitore creditori auferatur, quia tunc non aliud contrectatur à debitore, quàm rei poſſeſſio, quæ erat apud creditorem *§. 10. inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſc.*

17 Ruſſus contrectatur poſſeſſio etiam quando

Digitized by Google

do proprietas aufertur, quia unà cum proprietate rei tollitur etiam poſſeſſio. An verò ſi quis ex acervo tritici unum tantùm, vel alterum modium ſurripiat, cenſendus ſit totius acervi fur. Aliqui putant cum Ovilio eſſe totius acervi furem, eò quia videatur totum contrectâſſe, perinde, ac qui aurem hominis tetigit, totum tetigiſſe hominem dicitur *l. 21. princ. ff. h. t.* Verùm communior, & verior ſententia eſt, furem non teneri ad totum acervum reſtituendum, ſed tantùm ad illam quantitatem, quam abſtulit, ut notat Ulpianus *l. 21. princ. ff. h. t.* ubi ait: *ſi quis de horreo pleno aliquid frumenti; de ciſterna parum aquæ, de nave vinaria nonnihil vini abſtulerit, durum fore, ſi fur totius fuiſſe dicatur.* Hoc idem etiam tradit *in* §. *6. cit. leg. 21. ff. h. t.* inquiens: Si quis ex apotheca amphoram ſuſtulerit, vel ex horreo mercis aliquid, ejus quod abſtulit, fur eſt, non totius.

18 . Quòd ſi pugnantes textus conciliare velimus, poteſt diſtinctio adhiberi conſiderando furtum moraliter, & philoſophicè: in genere moris certum eſt, furem totius non eſſe cenſendum, qui partem tantùm abſtulit: ſiquidem videtur æquitati adverſari, eum teneri actione furti earum rerum, quas minimè contrectavit; philoſophicè verò poteſt dici fur totius, qui nonniſi partem ſuſtulit; ratio eſt, quia qui partem tametſi minimam aufert, non ampliùs manet idem totum quod antea, proinde qui partem etiam minimam contrectat philoſophicè dicitur totum contrectare, eò quia non manet ampliùs ipſum totum, quod erat antea; quod tamen non debet ita intelligi, ut non maneat totum etiam quoad ſingulas ejus partes, cum plures ejusdem maneant materialiter, & diſtributivè ſumptæ, ſi enim totum coaleſcat ex decem partibus, & fur duas tantùm contrectet, adhuc materialiter manent aliæ octo partes diſtributivè: unde cùm dicitur eum qui partem contrectat, totum contrectare, id intelligendum eſt formaliter, & metaphyſicè in ratione præciſa illius totius, quod erat antea, & coaleſcebat ex decem partibus: ſublatis enim duabus non manet ampliùs idem totum, quod conſtituebatur ex decem partibus, ſed habetur aliud totum diſtinctum, quod tantùm conſtat ex octo partibus: unde inducitur aliud totum numero à priore diverſum.

19 Hinc ſi quis contrectet partem aliquam alicujus totius in ſenſu morali non tenetur actione furti totius, alioquin teneretur actione furti earum rerum, quas minimè contrectavit, proinde non poteſt conveniri ſecundùm valorem totius actione furti in duplum, vel quadruplum *l. 21. princ.* §. *5. & 6.* juncta *l. 22.* §. *1. ff. h. t.* Philoſophicè verò poteſt dici contrectâſſe totum, eò quia non maneat ampliùs idem numero totum, quod erat antea, quia ceſſante conſtitutivo neceſsè eſt, ceſſet & conſtitutum, & conſtitutivum primi totius erant decem partes, & conſtitutivum ſecundi ſunt tantùm octo, proinde non manet ampliùs idem conſtitutum.

An verò res incorporales furti objecto poſſint accenſeri, videtur difficultas. Primò quia res incorporales tangi non poſſunt *princ. inſtit. de rebus corpor. & incorpor.*: proinde nec poſſunt contrectari, & cùm furtum ſit contrectatio fraudulosa rei alienæ invito Domino non videntur res incorporales poſſe conſtituere objectum furti. Secundò, quia ut committatur furtum, neceſſariò requiritur res aliqua corporea, quæ animo furandi contrectetur: etenim ſolum corporeum poteſt contrectari *l. 25.* §. *h. t.* unde cum res incorporales, nec corpore conſtent, nec contrectari poſſint; videtur dicendum, non poſſe objectum furti conſtituere. Nihilominus dicendum eſt, res incorporales poſſe itidem objectum furti conſtituere: etenim ſi quis uſum rei, vel poſſeſſionem intervertat, utique tenetur actione furti, tametſi non intervertat, nec contrectet rem corporalem; eò quia uſus, & poſſeſſio rei ex numero ſint rerum incorporalium, ex quo liquet, etiam in rebus incorporalibus poſſe furtum admitti. Præterea ſi quis rem nuda conventione pignori obligatam invito creditore diſtrahit, tenetur actione furti; & nihilominus non contrectat rem corporalem, quia illa oppigneratio præciſsè ſumpta non eſt res corporea, & diſtinguitur formaliter à re oppignerata, quia poteſt tota res exiſtere ſine oppigneratione, quæ propterea eſt quid adſcititium, & diſtinctum à tota corporeitate, & materialitate rei, quæ pignori nectitur.

20 Neque argumenta in oppoſitum allata magni ſunt momenti. Ad primum quod attinet, tametſi res incorporales tangi non poſſint, nihilominus interverti, & minui poſſunt cum præjudicio alieno, quod ſufficit ad furtum, non enim eſt ſemper neceſsè quod objectum furti contrectetur per ſe primò directè, & immediatè; ſed ſufficit ſi contrectetur indirectè mediatè, & ſubjectivè, ſeu in illo ſubjecto, ſeu re corporea, quæ contrectatur.

Hinc ad ſecundum reſpondetur, quòd tametſi res incorporales per ſe primò, & directè ſine interventu rei corporalis contrectari non poſſint; non tamen inde ſequitur, non eſſe furto obnoxias, quia ad id ſufficit, ſi adminiculo rei corporalis poſſint interverti. Immo poteſt etiam res incorporalis occaſione rei corporalis interverti, quin corpus ipſum efficiatur furtivum; etenim ſi quis rem pignori obligatam invito creditore diſtrahat, tenetur actione furtiva ob interverſum jus pignoratitium, tametſi res ipſa pignori adnexa non efficiatur furtiva.

21 An verò etiam homo liber poſſit conſtituere objectum furti, affirmare videtur Imperator *in* §. *9. inſtit. de obligat. quæ ex delict. naſc.* ubi perſpicuè aſſerit, interdum etiam liberos homines eſſe furto obnoxios, quam ſententiam videntur etiam confirmare textus in *l. 14.* §. *13. l. 38.* §. *1. ff. h. t.* etenim in hiſce textibus pater dicitur habere actionem furti, ſi filius familias aliquid domi ſurripuit. Nihilominus dicendum abſolutè eſt, hominem liberum non

pnſſe conſtituere objectum furti: ratio eſt perſpicua. quia objectum furti eſt res aliena furto ſublata invito Domioo, adeò ut debeat eſſentialiter ſubijcere dominio alterios, atqui liber homo, eo ipſo quòd eſt liber non ſubijcitur dominio alterius, conſequeoter non poteſt eſſe
21 objectum furti.

Tum quia illæ tantùm res poſſunt objectum furti conſtituere, quæ æſtimationem recipiunt, & duplicari, vel quadruplicari poſſunt: ſed liber homo æſtimationem non recipit, nec duplicari poteſt, aut quadruplicari *l. 3. §. ſi quadrupl. l. 1. §. 9. ff. de his qui deiec.* Præterea ot actio furti locum habeat, neceſſe eſt, quòd bonis furtunæ damnum aliquod inferatur, vel patrimoniom imminuator: ſed liber homo non pertinet ad bona fortunæ, nec cenſetor eſſe pars patrimonij, conſequenter non videtur poſſe conſtituere objectnm furti. Nihilominus, ſi velimus pugnaotes textus conciliare, poteſt diſtinctio adhiberi: vel enim cooſideratur liber homo in ſe præcisè quatenus eſt liber homo, & ſub hac conſideratione non poteſt objectum furti conſtituere, quia noo recipit æſtimationem, nec pertinet ad bona fortunæ. Vel conſideratur liber homo, oon præcisè ut eſt liber; ſed ſob hac alia formalitate, quatenus ſubijcitur patriæ poteſtati, & ſub hac formalitate poteſt conſtituere objectum ſurti, etenim qoi ſurripit filiumſamilias, quantum eſt in ſe, molitur intervertere jos, quod competit patri in filiom, proinde tenetur reſpectu patris actione furti, eò qoia tuoc lædit jus, qood habet pater in ſuum filium, privat enim patrem injuſtè pluribus commodis, quæ ex filio poſſent in ipſum derivari.

§. III.

De Actione civili, & condictione furti.

1 EXpendimus in præcedenti §. caoſam efficientem furti, ejúsque objectum, ſupereſt nunc explicandus effectus, qoi eſt vel proximos, vel remotus: ille eſt obligatio reddendi rem furto ſublatam, & ſolvendi, ac ſuſtinendi pœnam tali delicto à jure præſtitutam. Remotus eſt actio tam civilis, quàm criminalis; illa eſt vel pœnalis, vel rei perſecutoria: ratione pœnæ competit actio ſurti, quæ difinitur: *actio perſonalis, quâ duplum, vel quadruplum rei ablatæ quis perſequitur:* eſt hæc actio civilis, ſi deſcendat ex furto noo manifeſto; eſt verò prætoria, ſi deſcendat ex furto manifeſto: & rurſus tripartitur hæc actio in perſonalem, pœnalem, & perpetuam; cujus cauſa efficiens eſt proxima, vel remota; illa eſt obligatio; hæc delictum, ſeu ipſum furtum: ſubjectum ejusdem actionis eſt etiam duplex, activum, & paſſivum; activum dicitor illa perſona, cui talis actio competit, & ei dicitur competere, cujus intereſt, rem ablatam non eſſe §. *14. inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſc.*

2 Veròm id ut clariùs explicetur diſtinctione indiget; etenim vel Petrua habet jus reale in re ſublata; vel perſonale; ſi reale ntique ipſius intereſt rem ablatam non eſſe, neque eam poſſideri à tertio: onde ſi creditori res pignori tradita ſurrepta fuerit, habet actionem furti, tametſi nulla ejns culpa intervenerit, quia præſtat pignori incumbere, quàm in perſonam agere §. *14. inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſc.* Sin verò tertius rem Petri poſſideat actione furti, non aliter juvatur, quàm ſi aut ille ſolvendo non exiſtat, aut citra culpam ejos fortum contigerit, *l. 12. princ. l. 14, §. 6. ff. h. t.* unde ſi Petrus ſuas veſtes, vel induſia fulloni polienda dederit, & ſurrepta fuerint, habet Petrus actionem ſnrti in fullonem; tametſi ſine ejus cnlpa ſorreptæ ſuerint. Si jua perſonale Petrus habeat in re ſublata, eò quia fortâſſis cooductor ſit, vel commodatarius. Intereſt, an periculum res ſuſtinear, nec ne. Si primum & culpâ ſuâ furtnm contigerit, habet actionem furti, quia ipſius intereſt, furtum commiſſum non eſſe propter æſtimationem, quam tenetur Domioo ſolvere *l. 14. §. 12. & 16. ff. h. t.*

3 Quòd ſi periculom rei non ſuſtinet, non habet actionem furti, quia ad nihil tenetur Domino *l. 14. §. 3. ff. h. t.* hinc ſurrepta re depoſita Depoſitarius non habet actionem furti, quia ipſius non intereſt, rem depoſitam interverſam non eſſe, ſolùm enim Depoſitarios tenetur ad fidelitatem.

4 An verò Depoſitarius habeat, actionem forti tnnc ſaltem, quando ad culpam levem eum pacto ſe adſtrinxit, aut depoſito ſe obtulit, vel honorarium accepit; videtur eſſe dubium, quia tunc depoſitarius periculum rei ſuſtinet, & ille juvatur actione furti, qui tale periculum ſuſtinet *l. 14 §. 16. ff. h. t.* & quando Depoſitarins ad culpam levem ſe obſtrinxit, aut depoſito ſe obtulit, vel honorarium accepit, periculum rei ſnſtinet, proinde videtur juvari actione furti. Nihilominns contrarium habetur in *l. 2. §. 24. ff. de vi bon. rapt.* ubi actio furti dicitur ceſſare quamvis culpa remiſſa, aut honorariom acceptum fuerit. An verò Depoſitarius habeat actionem furti, ſi ipſins culpâ latâ res ſublata fuerit, aliqui reſpondent negativè, quia depoſitarius non habet actionem furti, ſi dolo ipſius res ablata fuerit, conſequenter neque ſi culpa lata: quia hæc in contractibus æquiparatur dolo *l. 1. §. 5. ff. de O. & A. l. 1. 2. 3. ff. ſi his, qui teſtam.*

5 Verùm non putârim hoic ſententiæ adhærendum, quis enim dicat, quòd culpa lata æquiparetur dolo io favorem, & utilitatem furis? qui cum dolo peccaverit, utique majnre odio dignus eſt, quàm Depoſitarius, qui culpa lata; ut conſoltius ſit huic actionem furti concedere, qnàm illum relinquere impunitum? Quamobrem ſi Dominus furti agere tunc velit, verior ſententia eſt, quòd ſit audiendus, unde Domino potius actio furti datur, quam Depnſitatio.

rio. Quòd ſi ille actionem depoſiti elegerit, ratio exigit, ut huic concedatur actio furti, quia abſurdum eſſet magis furi, quàm Depoſitario favere.

6 Subjectum paſſivum hujus actionis eſt is, contra quem inſtituitur, & quia hæc actio datur adverſus illum, qui rem phyſicè, vel moraliter contrectavit, ideo is dicitur ſubjectum paſſivum hujus actionis *l. 53. §. 1. ff. de V. S.* Contra hæredem hæc actio non datur, quia pœnam perſequitur niſi fortaſſis lis cum defuncto conteſtata fuerit *l. 139.* & *l. 164. ff. de regul. jur.* Quòd ſi plures rem eandem ſurripuerint animo furandi, tametſi non idem omnium robur fuerit, ſed diſpari actione rem illam ſuſtulerint, adhuc tamen ſinguli tenentur actione furti in ſolidum; adeò ut pœna ab uno præſtita reliquos non liberet *l. 51. in fin. ff. ad leg. Aquil.* hujus objectum actionis eſt quod eadem actione quis perſequitur, ſcilicet duplum, vel quadruplum ejus, quod ablatum eſt. Hinc refert, an res ipſa in furti crimen ceciderit, vel ejus uſus, aut poſſeſſio; priori caſu geminatur pretium ipſius rei; poſteriore autem duplicatur, vel quadruplicatur id, quod intereſt; hinc ſi Domino res erepta ſit, duplicatur pretium totius rei, eò quia tota privetur *l. 74. ff. h. t.* Pari pacto, ſi conductori, vel commodatario res ablata ſit, duplicatur pretium totius rei, quia conventi actione locati, vel commodati ſolidam æſtimationem tenentur præſtare. Secus ſi fructuario, vel poſſeſſori bonæ fidei furtum ſit factum, non geminatur niſi pretium poſſeſſionis, aut fructuum, quia proprietas obeſſe iiſdem non cenſetur *l. 46. §. 1. l. 74. ff. h. t.*

7 Quamobrem pœnæ civiles furti jure communi cæſareo decretæ ſunt, ut ſi furtum fuerit manifeſtum præter rem furto ablatam ſolvatur quadruplum: & ſi furtum non fuerit manifeſtum, tantùm duplum *§. pœna. ff. ult. inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſc.* & ad hoc datur actio furti, quæ eſt merè pœnalis, ac pertinet ad ſolam perſecutionem pœnæ *d. §. ult.* & *l. qui vas. 48. in princ. ff. h. t.* hoc tamen ita procedit, ut in hac pœna verùm pretium rei ablatæ multiplicetur, non verò id, quod intereſt: & rurſus ipſa rei æſtimatio fieri debet tempore, quo furtum commiſſum eſt *l. in furti 50. in princ. ff. h. t.*

8 Quòd ſi petas, cur furtum manifeſtum graviùs puniatur, quàm non manifeſtum: ratio eſt, quia delicta, quæ apertè fiunt, ſunt cæteris ſcandalo, maloque exemplo, ideóque cenſentur graviora, quàm quæ fiunt occultè. Præterea furtum manifeſtè commiſſum majorem arguit impudentiam in fure, qui non erobeſcit publicè delinquere, proinde cùm graviùs peccaverit, duriùs etiam punitur. Hæc autem actio pœnalis furti ſolùm competit ei, cui intereſt furtum factum non eſſe, ſeu domino *l. dum is 11. ff. h. t.* & hæc actio datur contra illum, qui furtum commiſit, quamvis res ablata jam perierit *l. inter omnes 46. in princ. ff. h. t.*

Imò etiam contra impuberem, & doli capacem *l. impuberem 23. ff. h. t.* non ita in hæredem furis; quia eſt actio pœnalis, ut ſuperiùs diximus. Quinimò datur etiam contra eos, qui opem vel conſilium dederunt, vel receperunt rem furtivam *l. eos qui 14. h. t.* non tamen datur contra perſonas domeſticas, ut contra filiumfamilias, & ſervum; immo nec contra uxorem mariti conſtante matrimonio, idque in honorem matrimonij. Forma hujus actionis conſiſtit in modo eam deducendi in judicium, ut enim rectè deducatur, duo ſunt probanda. Primò furtum ab adverſario commiſſum fuiſſe. Secundò noſtra intereſſe rem interverſam non eſſe. Effectus verò hujus actionis ritè in judicium deductæ eſt, quòd jubeatur alteri duplum, vel quadruplum rei furto ablatæ præſtare; duplum quidem ſi commiſerit furtum non manifeſtum; quadruplum ſi manifeſtum *§. 5. inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſcunt.*

Condictio furtiva definitur actio perſonalis, 9
quâ rem furto ablatam Dominus ejusdem eam à fure, ejuſque hærede repetit, & bipartitur in condictionem certi, & incerti; illa experitur Dominus rei ipſius nomine *l. 1. l. 11. ff. h. t.* Condictione incerti agit creditor ſurrepto pignore, quia non ſolùm ipſam rem, ſed etiam ejus poſſeſſionem, vel intereſſe perſequitur *l. 12. §. fin. ff. h. t. l. 22. ff. de pign. act.* Condictione incerti juvantur etiam ij, quorum ob jus perſonale intereſt, rem ſurreptam non eſſe, ut commendatarius, & conductor *l. ult. §. 3. C. de furt.*

Sunt tamen qui cenſent conductori & 10
commodatario non competere condictionem certi, neque incerti, eò quia per textum in *l. 14. §. 16. ff. de furt.* condictio ſurtiva ei tantùm competere dicitur, qui dominium habet. Verùm in hoc textu eſt tantùm ſermo de condictione certi, alioquin nec creditor juvari poſſet condictione incerti, quod eſt falſum.

Impugnat tamen Antonius Faber *decad. 81. error. 3.* hanc diviſionem, & negat dari 11
condictionem furtivem incerti per textum *in l. 9. §. 1. ff. de R. C.* ubi ex cauſa furtiva dicitur condictio certi competere. Verùm exinde non ſequitur, non dari etiam condictionem ſurtivam incerti, quia incluſio unius non eſt excluſio alterius. Tum quia in *l. 40. §. 1. ff. de condict. indeb.* qui domum, quam ſuis ſumptibus refecit, impenſis non deductis tradiderat, condictione incerti juvari dicitur: quâ ſanè condictione non aliud reperitur, quàm ipſa poſſeſſio, unde liquet, dari condictionem incerti quoad poſſeſſionem.

Hujus condictionis cauſa efficiens eſt 12
duplex proxima, & remota, illa eſt obligatio, hæc delictum; ſeu furtum; quia ſicut ex alijs delictis duplex deſcendit actio una rei perſecutoria, & altera pœnalis; ita ex furto, duplex oritur actio, una rei perſecutoria, ut condictio furtiva, altera pœnalis, ſeu actio furti.

Subjectum hujus condictionis eſt duplex 13

actìvum, & paſſivum; illud eſt ea perſona, cui datur? ubi condictio certi ſecernenda eſt à condictione incerti: ſiquidem condictio certi datur primò Domino, cui res naturaliter, vel civiliter ſurrepta eſt *l. 11. l. 12. princ. ff. h. t.* unde ſequitur condictione hac non iuvari legatarium, quia quamvis ſit Dominus rei legatæ poſſeſſionem tamen ante traditionem non habet, proinde res ipſi non cenſetur ſurrepta *l. 11. ff. h. t.* Immo neque condictio ei prodeſt, cui dominium rei legatæ poſtea ſupervenit, quia hâc tantùm ille juvatur, qui tempore furti dominium rei habuit *l. 14. §. 16. ff. h. t.* Multò minus convenit illi hæc condictio, à quo dominium rei furtivæ poſtea receſſit; eò quia fortâſſis eam alienaverit, quia cum detur tantùm Domino, non debet intentari poſt amiſſum dominium, cùm tunc non habeatur ampliùs Dominus, ſiquidem ſine dominio nullus dicitur Dominus *l. 10. §. 2. ff. h. t.* Tum quia condicere in uſu juris nil aliud ſignificat, quàm petere, ut aliquid detur, ſeu ut Dominium transferatur *§. 14. inſtit. de act.* & ille non poteſt dominium transferre, qui illud non habet, ſicut non poteſt dominium, quod jam habet, iterum accipere.

15 Quòd ſi exinde inferas, dominum non poſſe repetere condictione dominium rei ſurreptæ. Contra eſt, quia tametſi dominium rei ſurreptæ verè non tranſierit in furem, ſed manſerit ſemper apud verum Dominum: nihilominus quia jura fingunt, tale dominium rei per furtum tranſiviſſe in furem, ideo juris fictione putatur dominium translatum, & datur condictio vero Domino ad repetendum dominium rei ſuæ. Rurſus datur condictio furtiva certi non ſolùm Domino, cui res ſurrepta eſt, ſed etiam ejus hæredi *l. 11. ff. h. t.* Imò datur etiam poſſeſſori bonæ fidei, quia hic ſe habet inſtar Domini.

16 Condictio verò furtiva incerti datur primò creditori, cui pignus ereptum eſt; ſiquidem non ad hoc agit, ut rem ipſam, ſed ut ejus poſſeſſionem, vel intereſſe recuperet, proinde dicitur agere condictione furtiva incerti, eò quia non agat in rem ipſam, ſed in rationem aliquam ipſi adjacentem *l. 22. princ. ff. de pignor. act.*

17 Secundò datur fructuario, ſi fructus maturos fur abſtulerit *argu. l. 12. §. 2. de uſufruct.* Fructuarius non juvatur condictione certi, ſed tantùm incerti, quia non aliter efficitur Dominus fructuum, quàm ſi aut ipſe, vel alius nomine ipſius eos perciperet *l. 12. §. fin. ff. h. t.* & ideo ei competit condictio incerti, quia illius intereſt fructus ſurreptos non eſſe *argu. l. ult. §. 3. C. de furt.* Imò competit etiam conductori, & commodatario, ſi res conducta, aut commodata ſurrepta fuerit; non verò ipſis competit condictio certi, quia hanc nemo habet, niſi qui dominium obtinet *l. 14. §. 16. ff. de furt.* unde juvantur tantùm condictione incerti, eò quia eorum interſit rem ſurreptam non eſſe.

18 Subjectum paſſivum hujus condictionis eſt ille, contra quem datur. Primò datur contra eum, qui rem alienam, ut cauſa phyſica principaliter contrectavit, ſive ut fur manifeſtus, ſive ut non manifeſtus, ſivè tanquam fur in ſpecie, ſive prædo *l. 10. princ. §. 1. ff. h. t.* Quòd ſi plures rem eandem contrectaverint, ſinguli tenentur in ſolidum, ita tamen ut ſolutione unius reliqui liberentur *l. 1. C. h. t.* non tamen ſi unus ex furibus pœnam præſtiterit, cæteri liberantur: ratio diſcriminis eſt, quia condictio furtiva eſt rei perſecutoria, proinde conſummitur, ſi totum quod Domino fuerit ablatum, unus reſtituat. Secus actio furti eſt pœnalis, & ſingulos onerat, qui per delictum facti ſunt obnoxij pœnæ. Secundò datur contra illum, cujus ope, conſilio, vel alio modo phyſico furtum fuit commiſſum *l. 53. 7. 1. ff. de V. S.*

19 Verùm procedendum eſt cum diſtinctione: ſiquidem qui ſolum conſilium dedit non tenetur condictione furtiva, ſive furtum ſit commiſſum, ſive non *l. 53. §. 1. ff. de V. S.* Qui verò opem tulit, quandóque tenetur, & interdum non: tunc tenetur ſi rem alienam tanquam cauſa phyſica inſtrumentaliter contrectaverit, fortâſſis quia onus raptoris humeris injecerit, ut commodius aſportaretur: vel nummos tertio excuſſerit, ut ſocius auferret, vel pecus è paſcuis abegit, ut alter raperet *l. 53. §. 1. ff. de V. S.* Non tenetur verò ſi concurſus, quo in furtum influxit, fuit tantùm moralis, ut quod ſcalam furi commodaverit, quâ ædes conſcenderet, vel excubias egerit, ut tutius fur rem alienam raperet *l. 6. ff. h. t.* Rurſus datur etiam contra ſucceſſorem furis, ſeu ejus hæredem, non verò adverſus ſucceſſorem ſingularem; quia hic non tenetur hac condictione, ut deſumitur *ex l. 5. §. h. t.* ubi hæc condictio dicitur dari tantùm contra furem, & ejus hæredem. Tum quia hæc condictio eſt ex numero actionum perſonalium, quæ ſuapte natura ſemper dantur contra eundem, & non tranſeunt in alias perſonas *l. 25. princ. ff. de O. & A.*

20 An verò detur condictio furtiva contra hæredes furis in ſolidum, quamvis nihil ad eos pervenerit, ſolet acriter controverti, plures negant, & nominatim Cuiacius *lib. 7. obſer. c. 37.* Vulteus *ad §. 14. inſt. de act.* Nititur hæc ſententia. Primò quia in textu *l. 9. §. fin.* & *l. 15. ff. de tut. & ration. diſtrah.* poſtquam dictum eſſet, actionem furti, Aquilianam, & condictionem dari adverſus tutorem, poſtea ſubjungitur: *morte tutoris eas interire.*

21 Secundò quia actio rerum amotarum in hæredes datur tantùm in id, quod ad eos perveniret *l. ult. C. rerum amotarum* proinde etiam condictio furtiva, cujus, actio de rebus amotis eſt ſpecies *argu. l. 6. §. 4. & l. 21. §. 26. ff. de act. rer. amot.*

22 Tertiò quia condictio furtiva non datur in patrem, vel dominum niſi in quantum peculium ex furto ſubit incrementum, & effectum

ctum eſt locupletius *l. 3. §. penult. ff. de pecul.* ergo neque in hæredem dari debet, niſi quatenus hæreditas ex furto effecta eſt locupletior, quod non contingit, quando ex furto nil ad hæredes pervenit.

23 Quartò quia in *l. 2. §. ult. ff. de bon. rapt.* eatenus actio de bonis vi raptis negatur dari in hæredes in id, quod ad eos pervenit, eò quia Prætor exiſtimaverit, condictionem ſufficere: ergo condictio furtiva non datur in hæredes raptoris, niſi in quantum furtum ad eos pervenit.

24 Quintò, quia actiones ex delicto rei perſecutoriæ non dantur in hæredes, niſi in id, quod ad eos pervenit *l. 9. §. ult. l. 10. ff. de tribut. act.* Sed condictio furtiva eſt actio ex delicto rei perſecutoria; proinde non datur in hæredes niſi in id, quod ad eos pervenit.

25 Nihilominus communior, & verior ſententia eſt, dari condictionem furtivam contra hæredes furis in ſolidum; tametſi nihil ad eos pervenerit, & huic ſententiæ adhærendum puto: quia in *l. 9. ff. h. t.* clarè dicitur in condictione furtiva, hæredes teneri non ſolùm pro parte, quæ pervenit, ſed etiam in ſolidum. Neque obſtat, quòd aliqui interpretentur, textum eſſe intelligendum de caſu, quo lis cum defuncto conteſtata fuit: etenim ſi condictio in ſolidum datur contra hæredes in caſu, quo lis cum defuncto conteſtata fuit, nullum inter condictionem, & actiones pœnales poſſet diſcrimen aſſignari, cùm iſtæ lite conteſtata etiam tranſeant ad hæredes in ſolidum. Tum quia quando hæredes in ſolidum non tenentur, id jura expreſsè adjiciunt, vel negant teneri *l. 23. §. 8. ff. ad leg. Aquil. l. 13. princ. ff. de ſer. corrupt.* atqui nuſlibi reperitur in jure, quòd hæredes furis non teneantur in ſolidum, ſi nihil ad eos pervenerit, quinimò jura abſolutè, & indiſtinctè aſſerunt, dari condictionem furtivam contra hæredes furis in ſolidum.

26 Ratio etiam ſuffragatur, quia ſicut omnia jura defuncti tranſeunt ad hæredes; ita etiam omnes obligationes ejuſdem, quia hæ ſunt annexæ, & acceſſoriæ ipſi hæreditati, quæ propterea ſimul cum hæreditate tranſeunt ad hæredes, quia acceſſorium ſequitur ſuum principale: atqui condictio furtiva in ſolidum, datur contra furem, adeò ut fur ex ſuo delicto contraxerit hanc obligationem reſtituendi in ſolidum, & quòd detur contra ipſum condictio furtiva in ſolidum; proinde tranſit etiam ad hæredes, qui cum ſentiant commodum hæreditatis, æquum eſt, ut etiam ſint participes incommodorum, quæ eidem ſunt adnexa.

27 Tum quia condictiones aliæ, quibus dare, vel facere in adverſarium intendimus, dantur in ſolidum contra hæredes *l. 157. §. fin. ff. de reg. jur.* ergo datur etiam condictio furtiva in ſolidum adverſus hæredes. Tum quia licèt aliæ actiones interitu rei perimantur, non tamen perimitur condictio furtiva, quia ut dicitur in *citat. legib.* fur in continua mora cenſetur eſſe, cujus ea vis, & poteſtas eſt, ut actionem efficiat perpetuam *l. 91. §. 3. ff. de V. O.* unde condictio furtiva interitu rei non perimitur, nec interitu perſonæ, cùm fur in perpetua mora eſſe cenſeatur, cujus eſt ea vis, ut actori rem efficiat perpetuam.

Demum quia ſi velimus ſtare in jure naturæ, hæredes furis tenentur in ſolidum, quia tenentur ſatisfacere obligationibus defuncti: ergo etiam ſtando in jure poſitivo, quia hoc nec latum unguem recedit à jure naturali, cui potiùs in omnibus ſe conformat: Hinc quando jus naturæ eſt certum, & jus poſitivum dubium, tunc ſtandum eſt juri naturali certo; quia jus certum ſemper prævalet juri dubio. Vnde ſi inſpecto jure naturæ eſt certum, quòd hæredes furis teneantur condictione furtiva in ſolidum, quamvis jure poſitivo id eſſet dubium, adhuc hæredes furis tenerentur in ſolidum condictione furtiva, quia tunc ſtandum eſt juri naturali certo. 28

Neque argumenta, quibus nititur oppoſita ſententia ullum faceſſunt negotium. Primum enim videtur nimis probare, quia ſi morte tutoris condictio furtiva interiret ſequeretur, quòd hæredes non tenerentur condictione furtiva in ſolidum; tametſi res furto ſublata ad eos pervenerit; quia cum ſupponatur fur mortuus interiret talis actio, & tamen omnes etiā adverſarij tenentur fateri, dari condictionē furtivam in ſolidum contra hæredes furis, ſi res furto ſublata ad eos pervenerit. Quamobrem quando in *l. 9. §. fin.* & *l. 10. ff. de tut. & ration. diſtrah.* dicitur, eas actiones ibi receſitas morte tutoris interire, verba illa *morte tutoris eas interire* referuntur ad actionem Aquilianam, ac ſi Juriſconſultus dixiſſet, aliquas, & pleraſque ex memoratis actionibus morte tutoris interire. 29

Ad ſecundum reſpondetur, actionem rerum amotarum non eſſe propriè ſpeciem condictionis furtivæ, vel ſaltem non mereri, ut tam prolixo ſtudio proſequatur, ſicut condictio furtiva. Et licèt actio rerum amotarum comparetur condictioni furtivæ: non tamen ſimpliciter; ſed duntaxat ſecundùm quid, & per certum reſpectum, quia ſicut condictio furtiva eſt rei perſecutoria, ita etiam actio de rebus amotis; & ſicut illa, ita etiam hæc datur contra hæredes. Cæterum actio rerum amotarum differt à condictione furtiva, quia hæc in hæredes datur in ſolidum: & actio de rebus amotis tantùm in id, quod pervenit. Poteſt etiam ratio hujus diſcriminis aſſignari, quia ſicut ob honorem matrimonij, & memoriam anteactæ vitæ jura non ferunt, ut conjux perſtringatur actione furti, ac propterea mitiùs procedunt cum conjuge, qui aliquid amovit, quàm cum alio fure: Ita etiam ſeparant hæredes conjugis ab hæredibus furis alterius, & illos in id, quod ad eos pervenit; & hos in ſolidum volunt teneri. 30

Ad tertium negatur, condictionem furtivam dari in patrem, vel Dominum, quatenus peculium ex furto incrementum ſubijt: quia condictio furtiva cùm oriatur ex delicto, non datur in patrem *argu. l. 5. §. 2. l. 44. ff. de pecul.* Cæterum quia iniquum eſt, patrem ex de- 31

delicto filij reddi locupletiorem, ideo eatenus, tenetur pater actione de peculio, quatenus peculium effectum eſt locupletius: unde pater non tenetur condictione furtiva, ſed tantùm actione de peculio aucto.

32 Ad Quartum reſpondetur, ſenſum illius textûs eſſe, quòd actio de bonis vi raptis non detur in hæredes in id, quod ad eos pervenit, eò quia actio pingulor locum habeat, nimirum condictio furtiva, quâ licitum eſt exigere ſolidum.

33 Ad quintum reſpondetur, generi in jure ſemper derogari per ſpeciem, quapropter licèt actiones ex delicto rei perſecutoriæ ſuaptè natura non dentur in hæredes, niſi in id, quod ad eos pervenit; eſt tamen diſcrimen de condictione furtiva, quia hæc odio furum deflectit in hoc à communibus regulis juris, ut fures arcerentur à ſurripiendis rebus alienis invito Domino, cùm debeant etiam hæredes in ſolidum reſtituere.

34 Si petas, quódnam ſit objectum condictionis furtivæ. Reſpondetur eſſe duplex, principale unum, & aliud minus principale; & illud eſſe rem ipſam furto ablatam, quæ ſi adhuc extet, ipſa repetitur, tametſi in formam aliam mutata fuerit *l. 8. princ. l. 13. ff. h. t.* ut ſi quis furatus ſit catenulam auream, ex qua confecit annulos, Dominus catenulæ poteſt condictione furtiva repetere annulos, & totam illam materiam, & quantitatem auri, quâ catenula conſtabat: hinc ſi ex lana furtiva, quis confecerit ſibi veſtem, poteſt hæc condictione furtiva repeti, quia veſtis cenſetur furtiva, cùm fuerit compacta ex lana furtiva *l. 4. §. 20. ff. de uſucap.*

35 Hoc autem non procedit, ſi ex pecunia furtiva fur rem alienam emerit, tunc enim non poteſt actione furtiva repeti res empta, cùm non cenſeatur furtiva; ſed empta: ſicut nec pretium ex re furtiva redactum cenſetur furtivum *l. 48. §. fin. ff. de furt.* ratio eſt, quia regulariter pretium non ſuccedit in locum rei, neque hæc in locum pretij, unde quamvis pretium vitio furti affectum fuerit, res tamen ex illo empta non contrahit vitium furti: ſecus veſtis compacta ex lana furtiva, ideo cenſetur furtiva, quia tametſi materia ex mutatione formæ videatur ampliùs non eſſe: nihilominus odio furum jura conſiderant eandem materiam induiſſe aliam formam, & quia materia illa perſeverat in veſte, tametſi ſub alia forma, cenſent veſtem furtivam ſicut materiam, ex qua fuit confecta.

36 Objectum minus principale condictionis furtivæ dicuntur fructus, acceſſiones, & omne, quod intereſt *l. 3. l. 8. §. fin. ff. h. t.* ſiquidem in condictionem furtivam non tantùm venit res ipſa furto ſurrepta, ſed etiam intereſſe, & omne genus fructuum ſive percepti ſint, ſive percipi potuerint, ſive extent, ſivè conſumpti ſint *l. 8. §. ult. ff. h. t. l. 2. C. de fruct.* Ut autem condictio furtiva rectè deducatur in judicium tria requiruntur, nimirum duo ex parte actoris, & unum ex parte conventi: ex parte actoris probandum eſt, quòd actor ſit Dominus rei ſurreptæ, ſi agatur condictione certi: vel quòd intereſit ejus rem ſurreptam non eſſe ſi condictione incerti *l. 1. l. 12. §. fin. ff. h. t. l. ult. §. 3. C. de furt.*

37 Non tamen neceſſe eſt, ut tam exactè probetur dominium, ut probari deberet, ſi moveretur rei vindicatio: ſiquidem iniquum foret, & abſurdum, actorem injecta quæſtione dominij à fure poſſe repelli. Unde videtur ſufficere ſi actor ſe Dominum aſſerat, ſuámque aſſertionem uno, vel altero indicio muniat. Secundum quòd Dominus fuerit tunc temporis, quando res ſurrepta fuit; ſi poſtea primùm rem illam acquiſierit condictione hac non juvatur *l. 11. ff. h. t.* Ex parte verò Rei conventi probandum eſt; quòd ipſe rem illam tanquam cauſa phyſica principaliter, vel inſtrumentaliter contrectaverit *l. 53. §. 1. ff. de V. S.* Effectus furtivæ condictionis ritè deductæ in judicium eſt, ut fur, vel ejus hæres jubeatur reſtituere rem furto ſublatam, ſi adhuc extet; quòd ſi non ampliùs extet, ejus æſtimationem cum fructibus, acceſſionibus, & omni eo, quod intereſt *l. 3. l. 8. §. 1. & ult. ff. h. t.*

§. IV.

De pœnis criminalibus furti, déque varijs circumſtantiis eas minuentibus.

1 EGimus in præcedentibus, quomodo ex furto agatur civiliter, ſupereſt ut expendamus, quomodo procedatur criminaliter ad pœnas. Iuré civili antiquo fur accuſabatur extra ordinem, ac pœna arbitraria coërcebatur *l. ult. ff. h. t.* neque referebat, rem modicam, an magnæ quantitatis quis abſtulerit; utroque enim caſu poterat fur ad Præfectum Urbis deduci, ut habetur *in l. ult. ff. h. t.* ubi furtum modicum non ſecernitur à gravi. In conſtitutione tamen Caroli V. majore aſperitate contra fures proceditur, ſiquidem Nemeſis Carolina carceres, virgas, funes, enſem, & alias pœnas minatur juxta gravitatem delicti. Eſt enim furtum, ſimplex, vel periculoſum; illud eſt parvum, vel magnum. Furtum parvum vel eſt primum, vel iteratum; ſi primum, vel eſt manifeſtum, vel non manifeſtum. Furti ſimplicis parvi primi, & non manifeſti delictum punitur alia pœna, ſi fur ſolvendo exiſtat: ſiquidem in priori caſu præter redditionem rei ſurreptæ tenetur fur duplum ſolvere. Poſteriori caſu cùm non poſſit ſolvere in ære, luit in pelle; & punitur carcere temporali, jubetúrque Domino rei ſurreptæ ſatisfacere, & cautionem præſtare de carcere non ulciſcendo, ut habetur in Carolina conſtitutione *art. 157.*

2 Furti ſimplicis parvi primi, & manifeſti delictum punitur diverſa pœna, ſi enim fur ſic per-

perſona vilis publicè exponitur nomellis, cæditur virgis, & territorio exterminatur; ſin verò fur ſit perſona honeſta, & de qua ſit ſpes emendationis coodemnatur in quadruplum; vel ſi ſolvendo non exiſtat, punitor carcere, jubetúrque Domino rei ablatæ nomine ſatisfacere, & cautionem præſtare de carcere oon ulciſceodo, ut habetur io dicta Carolina conſtitutione *art.* 158.

3 Furti ſimplicis primi, ſed magni pœna eſt arbitraria, quem Judex adhibito prudentum conſilio pro modo admiſſi delicti exaſperat, vel mitigat; noo tamen facilè pœnam capitalem imponit, niſi concurrant aliquot circumſtantiæ, nimirum quòd res ablatæ quantitas exorbitet: quòd res furto ſublata fuerit ſacra, & magni valoris, quòd fur fuerit deprehenſus in delicto, & fuerit perſona vilis: & qood notabile damnum ſoerit Domino illatum, ut habet Nemeſis Carolina in *dict. conſtit. art.* 160.

4 Furtum ſecundum etiam diverſimodè punitor, ſi utriusque ſumma oon excedat quinque ſolidos, tunc enim ſur numellis exponitur, ac territotio exterminatur, vel jubetur manere in loco, in quo deliquit ætemùm. Sin verò utriusque furti ſumma exceſſerit quinque ſolidos, ſeu aureos Hungaricos ut plures explicant, pœna tunc eſt arbitraria, qnam Judex conſultis prudentibus joxta modum patrati delicti exaſperat *art.* 161. ejuſdem Carolinæ conſt. Tertium furtum punitur pœna capitali, mas laqueo perimitur, & ſœmina in aqua ſuffocator *art.* 162.

5 Rurſus furtum periculoſum ſive parvum ſit, ſive magnum; ſive primum, ſive iteratum, ſive manifeſtum, ſive non manifeſtum plectitur pœna afflictiva corporis, & quidem capitali, vel ſi circumſtantiæ ſuadeant, aliâ non capitali, ut habetur *in ead. carol. conſt. art.* 159. Quamobrem hodie vel ex novis conſtitutionibus, vel ex cooſuetudioe apud pleroſque populos pœna capitalis infligitur propter furtum, ſi magnum ſit, & ſæpius iteratum, ut notac Menochius *de arbit. judic. cas.* 295. *n.* 9. & habetur etiam conſtitutio Friderici Impetatoris *lib.* 2. *feudor. tit.* 27. §. *fin.* ut ſi qnis quinque ſolidos valens, vel plus fuerit furatus, laqueo ſuſpendatur: ſi minus ſcopis, vel ſorcipe excorietur, & tondatur: & notat Weſeobech, *in paratit. ff. h. t. n.* 15. ſolidum, cojus meminit Fridericus, æquivalete uno eureo Hungarico.

6 Videtur tamen non carere difficultate, an pœna capitis præſtituta furto ſimplici *in conſtit. Carolina*, vel etiam ex conſuetudine juſta ſit. Etenim pœna furti capitalis videtor adverſari juti divino *Exod.* 21. ubi furibus pœna pecuniaria imponitur tantùm in quadruplum, quintuplum: ergo pœna capitis videtur injuſta, eò quia vita pluris æſtimatur, quàm pœna pecuoiaria. Secundò quia pœna ſi ſit improportionata delicto eſt injuſta, hujusmodi eſt pœna furti, quia nulla eſt proporrio inter furtum decem, vel mille aureorum, & pœnam capitis: quia vita hominis utique eſt ordinis longè eminentioris, quàm ſint bona omnia fortunæ: ergo pœna ſurti oon eſt delicto proportionata, conſeqnenter videtur injuſta.

Verùm communior ſcntentia aſſerit, pœoam capitis furto ſimplici præſtitutam eſſe ju- 7
ſtam, ut docent Molina *tractat.* 2. *de juſtit. & jur. diſp.* 695. *n.* 1. & 7. Layman *tractat.* 3. *p.* 1. *c.* 1. *n. ult.* Wenſenbech. *ff. h. t. n. ult.* Zœſius *ff. h. t. n.* 31. Ratio potiſſima eſt, quia poteſtas à Deo Reipublicæ coocceſſa in ordioe nd punienda delicta pœnâ condignâ non eſt reſtricta ed cettum pœnarum genus; ſed eſt data illimitata, ptout magis expedire videbitur utilitati reipublicæ; & bonum communoe exegerit: hinc ſi Magiſtratus advertat ſubditos pœnis levioribus à delicto valde ſrequenti ſufficienter ooo abſterreri; poteſt delictis, prout conſultiùs viſum ſuerit, graviores pœnas præſtitucre, ſive pœna ſit pecuniaria, ſive corporis afflictiva: quo pacto etiam leges civiles pleriſque io locis hodie pœnam pecuniariam converterunt io corporis afflictivam, & hanc ſi ſit minus ſufficiens etiam in capitalem: idque ut conſuleretut bono communi, quieti civium, & bono regimini reipublicæ: ſiquidem experieotia deprehenſum eſt, opes, & ſortunas civium io lubrico poſitas eſſe, nec ullam domum ſatis tutam, nec munitam contra dolos, & machinationes ſurum; niſi acerbiora ſupplicia cootra ipſos adhiberentur: unde ab bonum commune, rectúmque reipublicæ regimen poſſunt Magiſtratus pœnam capitalem præfigere furibus: ratio eſt, quia omnis illa poteſtas concedenda eſt humano Legislatoti, quæ neceſſaria eſſe cenſetur ad bonum Reipublicæ regimen, & ad promovendum bonum commune: alioquin non poſſet Legislator rectè ſungi ſuo officio.

Neque argumenta in contrarium addu- 8
cta videntur magni momenti; ad primum petitum ex illo *Exod.* 22. reſpondent communiter, jus illud fuiſſe judiciale, ſeu ex numero jurium divinorum ſorenſium, quæ Chriſtianox non obligant, & ceſsâruot cum morte Chriſti, perinde ac cætera præcepta judicialia, & cætemonialia, quia hæc accommodata fuerunt ad genium populi judeici, & lata ſimplicitet pro republica Hebræorum, cum qua fuetunt ſimul extincta.

Ad ſecundum, in quo dicebatur, quòd 9
pœna improportionata delicto ſit injuſta, & inter ſuttum centum, vel mille aureorum, & pœnam capitis non eſſe proportionem, eò quia vita hominis pluris ſit æſtimaoda, reſpoodetur, non dari propottionem præcisè, & materialiter, quia vita præcisè conſidetata ſecundùm ſe eſt certè pluris æſtimanda, quacunque auri quantitate: formaliter tamen datur proportio inter delictum ſurti, & pœnam capitis: io æſtimaoda autem ptoportione delictum inter, & pœnam, non eſt attendenda ſola materia culpæ, & comparanda cum materia pœnæ, ſeu cum bono, quo pœna reum privat; ſed penſanda eſt ſceleris gravitas, quæ ex varijs de-

ſumi-

ſumitur circumſtantijs, & interdum tale ſubit incrementum, ut ad ſervandam indemnem rempublicam, ac tuendum bonum commune, cnnſultiùs ſit pœnâ capitali punire ea delicta, qoæ aliàs poſſent pœnâ mitiori puniri, ſi iode alij non ſumerent anſam delinqnendi.

10 Hinc etiam Deus mortem corporis, & animæ minatns fuit Adamo, & ejus poſteris, ſi pomum vetitum comederenr, tameiſi nulla videatur eſſe proportio inter morſum pomi, & infinitas propemodum miſerias, quas morſns ille in mundum invexit. Vnde ſi bono communi ſit neceſſarium, poteſt delicto, quod aliàs mitiori pœnâ poniri poſſet, pœna capitis præfigi.

11 An verò tertium furtum poniendum ſit ſemper laqueo. Plures affirmanr; eò qoia in conſtitorione Carolina *art.* 162. furto tertio abſolutè imponaıur pœna capitis, idque ob eam fortâſſis rationem, qnia repetitio tam frequens cùm arguat incorrigibiliratem furis; ideo tertio furto præſtituitur pœna laquei, ſive æſtimatio rerum ſorrepıarum excedat quinqne ſolidos; ſive deprimaıor infra eorum valorem; quia Imperator in *art.* 160. de furto primo quærit, an quantitas rerum ſurreptarum ſuperer quinqne ſolidos, vel non; & hoc idem etiam diligenter diſtinguit *in art.* 161. ergo cùm circa furtum tertium Imperator non diſtingnat, ſed illi præſtituat pœnam laquei apertè indicar, quòd velit tertium furtum puniri laqueo, eò qoia tam frequens repetitio in idem delictúm arguit incorrigibilitatem.

12 Verùm putârim, Carolinam Nemeſin temperandam, ſi dicamus Imperatorem impoſuiſſe tertio furto pœnam laquei ex ſuppoſitione, quod æſtimatio rerum ſurreptarom tameıſi infra qoinqne ſolidos, non tamen multum ab eorundem valore deflecteret, ſi enim rerum ſurreptarum æſtimatio attingat qnatuor ſolidos, & medium pro furto primo, & etiam pro ſecondo; tunc ſi tertium furtum excedat valorem quinque ſolidorum imperator abſolurè ſive exceſſus ſit parvus, ſive magnns ſtatuit, tertiom furtum puniri laqueo: alioquin durum nimis foret, ſi quis onum, vel alterum florenum diverſis vicibus ſurriperer, vel etiam tres florenos tertia vice, adeò ut æſtimatio rernm ſurreptarum in tribus furtis, oon excederet valorem quinque florenorum eſſet fur laqneo poniendus; id anim parum blandiretur humanltati, parúmque commendaret clementiam Principis, onde puıârim, habendam eſſe raıionem præſertim ad quantitatem, & priora furta. Quòd ſi Carolina conſtitntio quoad pœnam præſtituram ıertio furto, patirur difficulıatem, adeò ut Doctores dubitent de menıe Legislaroris: in dubio eligenda eſt pars mitior *l.* 56. *l.* 155. §. *fin.* *l.* 192. §. *fin.* *ff. de regul. jur.*

13 Quòd ſi reus ob furtum primum, & ſecundum jam pœna aliqua affectus fuerır, qnamvis ex vi Carolinæ conſtiıurionis videatur dicendum tertio furto eſſe præſtitutam pœnam laquei, eò qoia abſolutè talem pœnam tertio furto imponat; adhoc tamen videtur eſſe mitiùs procedendum, quia tametſi iteratio tam frequena arguat incorrigibilitatem furis, nihilominus cùm hic pro primo, & ſecundo, iam debiras ſibi pœnas ſubierir, videtur Carollnæ Nemeſi ſarisfeciſſe; unde pro tertio furto eſſet quidem fur puniendus; ſed mitiùs, quàm ſi pro primo, & ſecundo furto nullam ſubiviſſeı pœnam: alioquin æquè punireıur, qui nullam pœnam lubivit, neć ullo pacto ſatisfecir, ac ılle, qui pro primo, & ſecundo furıo ſatisfecit juſtitiæ parti: hæc ſententia eſt magis conſentanea humanitati, & æquitari: quamvis communior ſir: quòd ſi reus ob furtum primum, & ſecundum fuerit pœna aliqua affectus, adhuc pro terrio furto ſit laqueo puniendus, eò quia rertio furto ideo ſir pœna laquei præſtitura, qnia iteratio tam frequens arguaı incorrigibilitarem, & tunc ſpes emendaıionis videatur conclamata, ſi pœnam bis inflictam reus conıempſit argumento *l.* 28. §. 3. *ff. de pœnis.*

Quòd ſi reus ob furtnm primum, & ſecundum fuerit affectus pœna juſta, & condigna, an tunc eıiam poſſit ob tertium furtum laqueo perimi: ſi mitiùs velimus loqui, & humanitati eblandiri, videtur tertium furtum oon eſſe puniendum laqueo, eò quia per redditionem pœnæ juſtæ, & condignæ furıa priora fuerunt extincta, proinde per illa oon videtur aggravari furtum terrium, quod perinde ſe habet, ac ſi eſſet primum, ſi quis enim ſic debitor centum, & illa ſolvat, extinguir per ſolurionem centum omnino, & toıaliıer ſuum debitum, ac ſi non fuiſſet: ita ſi reus ob furtum primum, & ſecundum juſta, & condigna pœna affectus fuit, ſolvit toıaliter pro ſuo debito, quod propterea oon poteſt aggravari debitum ſubſequens; quod perinde poſtea ſe habet, ac ſi eſſer primum; & quia primo furtn, non eſt præſtiruıa pœna laquei, ita neque tertio ex ſuppoſitione, quòd reus ob furtum primum, & ſecnndum pæna juſta, & condigna affectus fuerit, ac toıalirer ſatisfecerit. 14

Nihilominus communis ſenıentia eſt, adhue furtum rertium eſſe puniendnm laqueo, non quia per furta priora graveıur, ſed quia arguat incorrigibilitaıem furis. Vnde quamvis furta priora per redditionem pœnæ extincta ſint effectu illo, nt puniri deinceps nnn poſſint: non propterea cenſentur omnino extincta, quia ſuperveniente tertio furto reſumunt veluti ſpiritum, & redarguuot incorrigibilitatem furis, & quidem rantò vehementiùs, quantò improbior eſt, qui poſt geminatam pœnam ſibi inflictam ex bina commiſſione ejusdem delicti; adhuc propriam non emendavit proterviam. 15

Quòd ſi Princeps priora duo furta reo indulſerir, ac totaliter remiſerir, adhuc in communiori ſententia, ſi fur terıium commiıııt, punitur laqueo, ıametſi indulgenıia Principis priora furta deleverit: quia vel maximè incorrigibilis videtur, quem clemeotia Principis ad 16

ſan

ſaniora non reduxit, nec metus inflictæ pœnæ à propria revocavit pravitate: ideo enim punitur laqueo tertium furtum, quia hoc arguit delinquentis incorrigibilitatem, qui ſi impunitus dimitteretur, alia ſcelera ſceleribus acervaret cum detrimento civium, & boni communis: unde licèt indulgentia Principis reatum abſtulerit duorum præcedentium furtorum; quia tamen reus ad Principis clementiam proterviam non fregit, nec ad meliorem frugem ſe convertit; ideo quia adhuc pravam delinquendi conſuetudinem non exuit, tantùm abeſt, quòd Principis clementia furto tertio patrocinetur, ut potius ei reſiſtat: ille enim non meretur Principis clementiam, qui ad peccandi licentiam eadem abutitur.

17 Interdum tamen nonnullæ occurrunt circumſtantiæ, ob quas pœna mitior furibus decerni ſolet. Prima eſt, ſi impubes furtum admiſit, tunc illi ob immaturum animi judicium pœna mitior ordinariâ in jure ſtatuta injungitur, ut habetur *in Carol. conſtit. art. 164*. Verùm procedendum eſt cum diſtinctione, quia impubes infantiæ proximos, ſi quid ſurripiat, vix ulli ſit pœnæ obnoxius, quia conſilij innocentiâ defenditur *l. 22. princ. ff. ad leg. Cornel. de fals. l. 3. §. 1. ff. de ſepulch. viol.* Sin verò impubes ſit proximus pubertati, quia tunc eſt doli capax, & ſcit malum eſſe furari, tunc non defenditur conſilij innocentiâ *l. 23. ff. de furt. l. 5. ff. de reg. jur. §. penult. inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſc.* Nihilominus quia judicium nondum ante pubertatem cenſetur totaliter firmatum, ideo impubes, quamvis pubertati proximus pœnâ ordinaria regulariter non percellitur, niſi fortâſſis ab anno 14. ſeu ab ipſa pubertate non multum diſtet; & furtum ab ipſo commiſſum ſit graviſſimum, & periculoſum: & malitia ætatem ſupleat, quia ſi hæc tria concurrerent non ſolùm pœna corporali, ſed etiam capitali poſſet impubes puniri, ut habetur *in d. conſtit. carol. art. 164.*

18 Sin verò unum, vel alterum ex prærecenſitis requiſitis deſit, tunc impubes non punitur pœnâ ordinariâ, ſed fuſtibus cæditur; vel in carcere virgis ſeverè excipitur; etiam adhibitâ comminatione gravioris pœnæ, niſi à tali inpoſterum delicto deſtiterit.

19 Juvat obſervare, pubertatem aliter æſtimari jure Romano, & aliter Nemeſi Carolina in ſua conſtitutione, quia hæc tam in maribus, quàm fœminis initium pubertatis computat ab anno 14, completo. ut habetur in *art. 154.* jus verò Romanum ſeparat mares à fœminis, & in illis pubertatem incipit æſtimare ab anno ætatis 14. in iſtis verò à duodecimo, hujus diſcriminis ratio ex eo petitur; quia anni pubertatis jure romano definiuntur maximè propter nuptias: & cum vis generandi citiùs in fœminis perficiatur, quàm viris, ideo in fœminis ſtatuitur, ut pubertas ſuum ducat initium ab anno duodecimo ætatis, & in viris à quartodecimo. Secus Carolus V. in ſua conſtitutione non conſideravit nuptias, ſed capacitatem doli, & vires ingenij, & quia judicium fœminarum non citiùs firmatur, quàm illud marium, ideo utriusque pubertatem uno eodem tempore præſcripſit. Cæterum ætas minor à pœna laquei eximitur regulariter, niſi tria prærecenſita requiſita concurrant,

20 Secundò ſi conjux conjugi, vel filiusfamilias ſuo patri rem ſurripiat, pœna mitiori punitur furtum: immo hodie vix pœnæ ulli publicæ ſubjacent conjuges, & liberi, quia vivente patre jura permittunt, ut ab ipſo corrigantur, & puniantur filii. Neque ob honorem matrimonij punitur furtum, quo conjux res alterius conjugis ſurripit.

21 Tertiò, ſi fur ſit nobilis, & honeſtate vitæ aliàs conſpicuus, talis enim non facilè laqueo plectitur, quia in conſtitutione Carolina *art. 160.* expreſsè jubetur Judex examinare ſtatum perſonæ, quæ furtum commiſit. Tum quia *in l. 1. §. 3. ff. de abigeis l. 3. §. penult. l. pœn. ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* habetur, perſonas illuſtres, & vitæ honeſtate conſpicuas coërcendas eſſe propter delicta patrata mitiori pœnâ, quàm puniantur aliæ infimæ notæ. Tum quia videtur indignum in ſublime tolli, ac luci patibulariæ exponere, quem ipſi natales ſupra conditionem humilium hominum, & ſupra obſcurum vulgus jam evexerant.

22 Quartò, ſi quis ad furandum fuerit tantùm alterum hortatus, & furtum non promoverit, eò quia alter jam animo decreverit furari: tunc hortator pœnâ ordinariâ juris non eſt coërcendus, eò quia propriè non cenſeatur cauſa furti.

23 Quintò ſi quis principaliter rem ipſam furto ſurreptam non contrectavit, ſed tantùm opem furi præſtitit. Hic etiam pœnâ coërcetur mitiore ſervata tamen differentia inter auxilium præſtitum ante actum, in actu, & poſt actum; quia ante actum infligitur pœna mitior, ſi non obſtante tali auxilio adhuc furtum fuiſſet commiſſum, quia tunc non cenſetur cauſa furti, qui opem tulit: in ipſo actu coërcetur pœnâ ordinaria, quia tunc concurrit tanquam ſocius ad furtum, propterea plectendos pœnâ furti; poſt actum, & citra prævium tractatum, pœna etiam coërceretur mitiore, quia poſt factum non eſt ampliùs ſocius facti.

24 Sextò, qui poſt furtum commiſſum de re furtiva participat mitiùs punitur extra ordinem ſive furtum ipſi innotuerit, ſive non; nunquam tamen pœnâ ordinaria coërcetur, quia nec phyſicè, nec moraliter cenſetur cauſa furti. Punitur verò pœna arbitraria, quia ex eo, quòd participet de furto, videtur ratum habere ipſum furtum, & eſt cauſa cur fur difficiliùs poſtea rem furto ſublatam ſuo Domino reſtituat.

25 Septimò, qui rem ab alio ſurreptam ſcienter emit, dummodo nec conſilium, nec auxilium dederit furi ad rem illam ſurripiendam. Is enim plectitur pœna arbitraria relegationis, vel carceris: habenda tamen eſt ratio ad pretium, quo res empta fuit vili, an honeſto; ſi vilè

vili emptor ad tempus poteſt relegari, eò quia ſe participem conſtituit rei furtivæ, & videtur ratum habuiſſe ipſum furtum. Si pretio honeſto illam emit, tunc perſtringitur pœnâ carceris, vel pecuniariâ, ſi non conſtet, fuiſſe conſcium rei furtivæ; quod ex circumſtantijs ſolet conjici.

26 Octavò ſi quis res furto ablatas, ut etiam ipſum furem ſcienter receptaverit, dummodo non fuerit ſocius ſceleris, nec ſocietatem lucri cum fure contraxerit, is enim non punitur laqueo, ſed coërcetur mulctâ pecuniariâ, vel etiam ad tempus parriâ exterminatur, vel etiam pœnâ corporis afflictivâ Judicis arbitrio coërcetur *argu. l. 1. in fin. C. de his qui latron.* Alioquin ſi ſocietatem lucri cum fure contraxerit, eâdem coërcetur pœnâ, ſicut fur *argu. l. 1. ff. de receptator. l. penult. C. ad leg. Jul. de vi public. 9.*

27 Nonò qui furtum attentavit, ſed illud non conſummavit; adeò ut furandi animo ſit alienam domum ingreſſus, ſed nihil in ea ſurripuit, mitiùs punitur, quia nondum cenſetur fur, unde pœnâ arbitrariâ tantùm caſtigatur, eò quia hodie furtum numero accenſeatur criminum attrociorum, in quibus non ſolùm ſcelus punitur, ſed etiam conatus ſceleris pœnâ coërcetur, ſaltem arbitrariâ.

28 Decimò, ſi quis non rem ipſam, ſed uſum tantùm, vel poſſeſſionem intervertit, ut ſi Depoſitarius re depoſita ſit uſus, vel commodatarius rem in uſum certum acceptam in alium uſum tranſtulit; is non plectitur pœna ordinaria, quia parvitas materiæ non fert tantùm rigorem.

29 Vndecimò ſi Depoſitarius rem apud ſe depoſitam, vel etiam, quam ex prævio contractu tenetur Domino reſtituere in proprios convertit uſus, & quidem lucri cautâ, is neque afficitur pœnâ ordinariâ, ſi ſolvendo exiſtat, quia Domino jam ſufficienter conſulitur per actionem ex contractu, poteſt enim per hanc actionem exigere rem ſuam.

30 Duodecimò qui pecunias, quas ex officio adminiſtrat in proprios uſus convertit, ſive officium ſit publicum, ſive privatum non afficitur pœnâ ordinariâ, quia jus tractandi res alienas, & ipſa adminiſtratio videntur delictum minuere *argu. l. 55. §. 1. ff. de adminiſtrat. & peric. tutor.*

31 Decimotertiò qui rem inventam Domino non reddit, non ſit obnoxius pœnæ ordinariæ, quia ſic invenientes res alienas ſe putant fortunatos, & hæc communis perſuaſio malitiam minuit delicti. Qui verò rem inventam illicitè retinet, & ſcienter, adeò ut ipſi conſtet rem illam pertinere ad talem Dominum, & nihilominus ſimulatè ſe gerit, notitiam ſuam ſtudioſè occultat, ut rem inventam in uſus proprios convertat, tunc ad tempus coërcetur relegatione. Sin verò notitiam ſuam non ſolùm diſſimulat, verùm etiam perfractè negat, rem amiſſam apud ſe exiſtere, tunc quia improbitate non caret, nec ſuſpicione delicti, graviore puniturſupplicio, & vel fuſtibus cæditur, vel in perpetuum relegatur. Si verò ignoret, ad quem pertineat res illa inventa, & moralem non adhibeat diligentiam veniendi in notitiam Domini, tunc coërcetur pœna pecuniaria, aut carceris.

Decimoquartò, qui in neceſſitate conſtitutus furtum commiſit, non ſit pœnæ ordinariæ obnoxius; tametſi rem abſtulerit magni pretij, ut deſumitur ex Carolina conſtitutione *art. 166.* Verùm attendendum eſt, an neceſſitas ſit gravis, vel extrema: is dicitur in gravi neceſſitate conſtitutus, qui ita indiget, ut vitam miſeram, ac notabiliter moleſtam ducat; & ille in neceſſitate communi, qui licèt in neceſſarijs ad vitam, & ſtatum incommodum ſuſtineat, non tamen, ut vitam miſeram, & prorſus moleſtam agat. Is verò dicitur conſtitutus in neceſſitate extrema, qui ita indiget, ut in proximo vertetur vitæ diſcrimine, & hic ſi non plus ſurripuit, quàm indiguit in illa extrema neceſſitate immunis eſt ab omni pœna, quia non cenſetur furtum commiſiſſe, cùm in extrema illa neceſſitate bona extorta fiant communia. Sin verò plus ſurripiat, quàm opus ſit ad declinandam extremam illam neceſſitatem, culpâ non caret, & puniri poteſt; non tamen pœnâ ordinariâ, quia ipſa neceſſitas illi patrocinatur; & id etiam procedit de conſtituto in gravi neceſſitate, quia gravitas neceſſitatis etiam ipſi patrocinatur, dummodo non plus ſurripiat diviti, quàm requiratur ad illam indigentiam ſublevandam. 32

Verùm ut tale furtum non fiat pœnæ obnoxium aliquot requiruntur conditiones, ut quòd conſtitutus in gravi neceſſitate, ſit ineptus ad laborandum, & quærendum, ut nihil in bonis habeat, quibus poſſit ſe ab illa neceſſitate eripere. Vt mendicare erubeſcat, ac ejus dedeceat ſtatum. Ut non poſſit per modos occultos à viris piis, & divitibus aliquid titulo eleemoſynæ exigere. Vt certò ſciat, eum, cui furatur, divitijs diffluere, ac bona naturæ habere ſtatui ſuo ſuperflua. Ut ſciat, eum non habere conſanguineos pauperes, quibus potiore jure teneatur oppitulari. Vt quantitas, quam ſurripit careat omni exceſſu, & tantùm præſenti reſpondeat neceſſitati. Ut evidenter ſciat non ſuppetere pauperes alios paris, vel ſupparis neceſſitatis. 33

Decimoquintò, ſi res furto ablata abſque notabili damno ad ſuum pervenerit Dominum, tunc etiam pœna ordinaria convertitur in mitiorem, & fur non perimitur laqueo, ſed cæditur virgis, & relegatur ex Carolina *conſtit. art. 160.* Et licèt ex eo, quòd res furtiva reverſa ſit ſine notabili damno ad ſuum Dominum, delictum non minuitur: nihilominus tunc pœna laquei videtur nimis gravis, & Imperator monet, ut Judex expendat gravitatem damni, & pœnam ordinariam convertat in arbitrariam mitiorem, dummodo res ſurrepta abſque notabili damno ad Dominum pervenerit. Neque refert, ſi rem ſurreptam alius, vel fur ipſe 34

pœ-

pœnitentia ductus Domino reſtituerit, quia utroque modo ceſſat pœna ordinaria, quia ceſſat gravitas damni, ot deſumitur *ex Carolin. conſtit. art. 160.*

35 Cæterum pœnitentia & reſtitutio rei ablatæ à peccato commiſſo, & pœna civili, & pecuniaria non liberat *l. 65. ff. d. furt.* ſed tantùm liberat à pœna mortis, & ſanguinis, quia cùm Dominus receperit rem ſuam totam, grave dãnum non patitur. Sin verò fur non reſtituerit rem totam integram, ſed pars reſidua quinque ſolidos ſuperet, vel æquet; tunc ſi reddidit rem non integram antequam comprehenderetur ac in vincula conijceretur, pœna mitiore coërcetur; eò quia ſe ipſum emendaverit; non ita pœnam declinat, ſi rem non integram tantùm reſtituit poſtquam fuit comprehenſus, & in vincula conjectus.

36 Decimoſextò ſi fur cum parte offenſa de damno transegit, tunc pœna mitiore, & arbitraria coërcetur, quia pactio privata coërcitionem publicam non tollit, neque transactione ita perimitur crimen, ut repeti reus à Magiſtratu non poſſit *l, 2. C. de abolition. l. 7. §. 14. ff. de act.*

37 Decimoſeptimò, ſi de corpore delicti ſufficienter non conſter, tunc fur non plectitur pœna ordinaria, quia in delictis, quæ veſtigia poſt ſe relinquunt, requiritur, ut crimen appareat: ratio eſt, quia homines interdum expaveſcentes vim tormentorum, & ut ſtatim capite plectantur abſque alijs prævijs cruciatibus fingunt ſe commiſiſſe, quæ non commiſerunt, proinde cavendum Judici, ne ſupplicium præcipitet antequam de corpore delicti ſufficienter conſtet argu. *l. 1. §. 24.*

§. V.

De Pœnis jure Canonico impoſitis furto.

1 JUre canonico plures contra fures ſtatuuntur pœnæ, quatum prima eſt depoſitio ab ordine, & officio clericali, idque deſumitur *ex cap. Presbyter 12. diſt. 81.* ubi dicitur quòd Presbyter, vel Diaconus, aut quivis alius clericus, qui in furto captus, ſeu deprehenſus, ac convictus ſit, debeat deponi, non tamen excommunicari; ſed tantùm tunc debeat privari cõmunione, ſi Clericus ob furtum depoſitus, ſit poſtea incorrigibilis, imò creſcente contumacia etiam anathemate feriri, ſeu ſolemniori ritu ad majorem terrorem excommunicari: quod ſi non obſtante anathemate adhuc contumax fuerit, tunc traditur brachio ſæculari puniendus cum proteſtatione tamen, ne ultimo ſupplicio damnetur, ſed ei inferatur exilium, vel alia legitima pœna, ut notat Gregorius Toloſanus *ſyntag. jur. univers. p. 3. lib. 7. c. 2. n. 23.* Non tamen hæc pœna depoſitionis imponenda eſt clerico, ſi quod furatus eſt, non eſt magni pretij; non enim ex eo, quòd Clericus furto alteri ſurriperet rem, cujus pretium non excederet valorem unius, vel alterius aurei eſſet ſtatim deponendus, præſertim ſi rem ſublatam vero Domino reſtitueret.

Clericus tamen convictus, & condemnatus de furto incurrit infamiam, non ſecus ac laicus condemnatus in foro ſæculari: ſiquidem qui ſecundùm leges civiles eſt infamis, fit etiam infamis ſecundùm leges canonicas, dummodo oppoſitum in jure non ſit expreſſum *cap. Euphemium 7. §. hinc colligitur cauſ. 2. q. 3.* Notant tamen communiter Canoniſtæ cùm Diaz *in d. c. 94. n. 2.* Clericum condemnatum duntaxat ad reſtituendam rem furto ſublatam non incurrere infamiam, eò quia poſſit tunc intelligi, quòd fuerit actum condictione furtiva, quæ per ſe non infamat, non verò actione furti quâ incurritur infamia. 2

Quia verò, qui publicâ ſunt furti infamiâ notati, non poſſunt ad ordines eccleſiaſticos promoveri ſinè diſpenſatione, ſequitur, Clericum convictum, & condemnatum de furto in judicio non poſſe ſine diſpenſatione ad ordines promoveri; & ratio eſt perſpicua, quia ſicut pœna furti eſt depoſitio ab ordine, ab officio clericali *c. Presbyter 12. diſt. 81.* à fortiori, ſi nondum ſit promotus, prohibendus eſt, ne promoveatur. Verùm id procedit, quando furti delictum eſt notorium, quod etiam procedit de alijs criminibus notorijs: quia cum Clericus incurrat has pœnas ante ſententiam Judicis, debet crimen deferri in judicium, & per ſententiam Judicis publicari, quia poſt talem ſententiam ſolùm incurruntur pœnæ depoſitionis; & infamiæ *c. fin. de temp. ordin.* 3

Hinc ſi fur fuerit occultus, quamvis ſit ſacrilegus, ſi reſtituat, & pœnitentiam agat, non prohibetur promoveri ad ordines eccleſiaſticos, ut deſumitur ex *c. ex litteris 5. & fin. h. t.* ubi cùm quidam Clericus calicem in Eccleſia minus cautè dimiſſum rapuiſſet, ac die detinuiſſet, reſcribit Alexander III. Epiſcopo Cremonenſi, quòd ſi ſpontè confeſſus Eccleſiæ calicem reſtituerit, nec ſuper hoc fuerit manifeſtâ infamiâ aſperſus poſt peractam congruam pœnitentiam (dummodo aliàs idoneus ſit) ad ſacros ordines ſi promovendus. Quia Eccleſia mitiùs procedit cum ſponte confeſſis, quàm cum convictis. 4

Hinc conſtat, infamiam naſcentem ex facto notorio impedire promotionem ad ordines eccleſiaſticos; non ita furtum occultum quale in præſenti textu videtur fuiſſe furtum hujus calicis. Ex hoc enim texto communiter deducitur, ſurem occultum poſt pœnitentiam, & ſatisfactionem poſſe promoveri ad ſacros ordines. 5

Poſſet tamen in contrarium quis objicere, ſiquidem qui furtum perpetravit, eo ipſo juris infamia notatur, quia quocunque genere furti notorij, vel occulti quis damnetur ſemper incurrit infamiam, ut notat Paulus Ictus *l. 2. ſent. tit. 31. §. 14.* ſed infamia notatus removetur ab officijs, & dignitatibus eccleſiaſticis *c. inter 11. de exceſſibus Prælat. c. querela de jurejur. regula infamibus de reg. jur. lib. 6,* unde 6

qui furtum commiſit etiam poſt pœnitentiam, & ſatisfactionem non poteſt promoveri ad Ordines ſacros.

7 Sed non videtur id ullum faceſſere negotium, quia infamis infamiâ juris eſt irregularis, adeo ut non poſſit promoveri ad ſacros ordines, neque in ſuſceptis miniſtrare *c. qui in aliquo c. fin. 51. diſt.* c. *Euphemius.* §. *hinc q. 3. c. ipſi Apoſtoli 2. q. 7.* idque procedit, quamvis infamia ſtatuta ſit à jure civili, quia qui ſecundùm jus civile infamis ſit, habetur etiam talis ſecundùm ſacros canones *c. 6. q. 1.* ubi Pontifex ait, *omnes eos infames eſſe dicimus, quos leges ſæculi infames appellant.* Infamis autem infamiâ facti, ut eſt, cujus opinio ex facto, vel delicto apud probos, & graves viros onerata eſt, ut habetur in *cap. omnipotens de accuſat. c. infames 3. q. 2. l. 2. ff. de obſequiis, & l. ea quæ C. ex quibus cauſ. infamia;* irregularis habetur quantum ad ſuſcipiendos ſacros ordines, qua ratione accuſatores, qui pendente accuſatione notantur infamiâ facti, prohibentur promoveri ad ſacros ordines.

8 Duplex aſſignari ſolet diſcrimen inter infamiam juris, & facti. Primò quia in infamia juris ſolus ſummus Pontifex poteſt diſpenſare *argu. text. in c. cum te de ſent. & re judic.* ſecus in infamia facti poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut ſcilicet eâ notatus poſſit in ſacris ordinibus miniſtrare. Secundò quia irregularitas orta ex infamia juris, non tollitur per pœnitentiam, ut deſumitur *ex cap. Euphemium 2. q. 3.* ubi Pontifex ait, *quòd quamvis animas per pœnitentiam ſalvare poſſimus infamiam abolere non poſſumus:* ſecus infamia orta ex facto, & irregularitas, quæ contrahitur ex ipſa purgatur per emendationem vitæ, & tollitur per pœnitentiam, ut notat Gloſa *in c. ille qui 6. q. 1.* & etiam Abbas *in c. ex diligenti de ſimonia* ubi etiam addit rationem hujus diſcriminis: quia tunc infamia facti tollitur per actum contrarium, ſeo per vitæ emendationem; ſiquidem per quaſcunque cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, ut habetur *in c. 1. de regul. jur.*

9 Neque obſtat textus *in c. at ſi Clerici 2. de adulter. de judic.* ubi ſtatuitur, quòd poſt peractam pœnitentiam, adhuc cum clerico infamia facti notato debeat diſpenſari, ut deleatur infamia facti. Nam contra eſt, quia textus ille non procedit in infamia facti, ſed juris; ut docent Imola *in d. c. at ſi Clerici n. 6.* & Felinus *c. 16.*

10 Idque etiam colligitur ex generalitate ejuſdem textus, quia ibi dicitur, quòd clericus convictus, vel confeſſus deponendus ſit ab Epiſcopo: qua propter, quòd Alexander III. ſubjungit *in* §. *adult.* debet intelligi poſt ſententiam, adeò ut ſenſus illius textus ſit, quòd Clericus convictus de crimine ſit ſuſpendendus, vel deponendus perpetuò, niſi Epiſcopus eum ipſo diſpenſaverit, quòd poteſt præſtare in adulterijs, alijsque minoribus delictis. Neque id repugnat doctrinæ, quâ Canoniſtæ docent in irregularitate orta ex infamia juris tantùm Romanum Pontificem diſpenſare, quia intelligitur de immediatâ diſpenſatione ab irregularitate, non verò de mediata, & indirecta, à qua poteſt Epiſcopus diſpenſare indirectè: ſiquidem eò ipſo, quòd directè diſpenſat à delicto, cui eſt annexa irregularitas; indirectè etiam diſpenſat ab ipſa irregularitate, adeò ut ſublato principali, ſeu delicto acceſſoriè tollatur infamia orta ex eodem delicto.

Hinc Clericus, de quo loquitur Alexander III. *in d. c. ex litteris ult. h. t.* potuit ad ſacros ordines promoveri, quia tale furtum fuit occultum, & fur non fuit infamis infamiâ juris: & rurſus ipſum pœnituit ſui delicti, egitque pœnitentiam, ac ſatisfecit pro calice ſurrepto; onde cum poſitæ fuerint omnes hæ circumſtantiæ, mandavit Alexander III. ut poſſet ad ſacros ordines promoveri, dummodo idoneus eſſet, quia tunc ceſſavit irregularitas. 11

Quòd ſi dicas, furem *in d. c. ex litteris* ſuiſſe confeſſum ſuum furtum, quòd propterea fuit etiam factum notorium per talem confeſſionem, & ex delicto notorio incurri infamiam juris, quæ per pœnitentiam non purgatur. 12

Contra eſt, quia fur tantùm fuit *in d. c. ex litteris.* confeſſus ſuum delictum in foro pœnitentiæ; non verò in foro contentioſo, & in judicio: ut autem delictum ſit notorium, non ſufficit quæcunque confeſſio, ſed requiritur, quod reus ſuum confiteatur delictum in judicio publico, ſeu foro contentioſo, tunc enim hujus notoreitatis incurritur infamia: & quia fur *in d. c. ex litteris* non fuit in judicio furtum ſoum confeſſus, ſed tantùm in foro pœnitentiæ, ideo nullâ fuit infamiâ juris notatus. 13

Hinc ut poſſit fur promoveri ad ordines, quinque requiruntur conditiones, quarum prima eſt, ut ſpontè fuerit confeſſus ſuum delictum; quia mitiùs agitur cum ſponte confeſſo, quàm cum convicto *c. Presbyterum 3. diſt. 50.* Secunda ut integrè ſatisfaciat parti læſæ, alioquin ipſum non pœniteret ſui delicti, neque purgaretur, cùm non remittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſi hoc poſſit reſtitui. Tertia ut fur non ſit publicè infamatus de furto, nec per conſequens fuerit notatus infamia juris. Quarta ut debitam egerit pœnitentiam, quia tametſi quis ſatisfecerit parti læſæ reſtituendo rem ſublatam: nihilominus adhuc eidem injungenda eſt pœnitentia, quâ ſatisfiat Deo *cap. apud miſericordem 10. cauſ. 32. q. 1.* Quinta ut ſit idoneus; quia ſi non eſſet idoneus, non poſſet promoveri, tametſi nullum commiſiſſet furtum. Rurſus ex eo, quòd Clericus ille potuit promoveri ad ordines ſacros, infertur non incurri ipſo jure, & facto excommunicationem, ex eo, quòd quis rem aliquam ſurripiat in Eccleſia: alioquin Clericus, qui calicem minus cautè relictum ſurripuit in Eccleſia, non potuiſſet ad ordines promoveri; cùm excommunicatio impediat hanc promotionem *c. cùm illorum 34. de ſent. excommun.* Quòd Clericus ille non incurrat excommunicationem, ex eo etiam liquet, quia Pontifex non mandavit eum abſolvi ab excommunicatione, tametſi 14

tametſi foret fur ſacrilegus, qui eſt excommunicandus, ut etiam ſpoliator rerum Eccleſiæ *c. conqueſtus 16. de for. compet.* Juvat tamen obſervare, quòd Clericus ille uullam adhibnerit violentiam, alioquin ſi fores Eccleſiæ effregiſſet; ipſo jure, & facto fuiſſet excommunicatus *c. conqueſti 22. de ſent. excommun.* Poteſt igitur committi furtum ſacrilegum, quin iucurratur ipſo jure, & facto excommunicatio,

15 Furto ſacrilego jure cauouico variæ etiam impouuntur pœnæ, quarum prima eſt pecuniaria *c. quiſquis 21. in princ. cau. 17. q. 4.* ubi dicitur, quòd reus furti ſacrilegi trigiuta libras argenti debeat præſtare Epiſcopis, vel Abbatibus, vel alijs perſonis, ad quas quærimonia ſacrilegij juſtè pertinet. Secunda eſt ut perpetuâ damnetur infamiâ, ſi furtum ſacrilegum ſit notorium; adeò ut uon incurratur hæc pœna, niſi poſt ſenteutiam condemuatoriam, ut notat Farinacius in *prax. crimin. p. 7. q. 172. n. 22.* Tertia ut fur ſacrilegus tradatur carceri, vel relegetur in perpetuum exilium, ut deſumitur ex *can. attendendum 13. cau. 17. q. 4.* Quarta jubentur etiam ſacrilegi res eccleſiarum injuſtè ſurreptas reſtituere, & ſi eas non reſtituant, & citò ſe correxerint anathemate feriri, & excommuuicari *c. indignè 21. cau. 12. q. 2.*

16 Tripliciter poteſt ſacrilegium in ratione furti committi. Primò ſi ſurripiatur res ſacra de loco ſacro. Secundò ſi res ſacra de loco uon ſacro: tertiò ſi res non ſacra de loco ſacro *c. quiſquis 21. §. ſimiliter cau. 17. q. 5.* Probabile tamen videtur aliquibus furtum rei uon ſacræ in loco ſacro uon eſſe ſacrilegium.

17 Verùm putârim procedendum cum diſtinctione, ſi enim res non ſacra ſurrepta iu loco ſacro nou ſit deputata ad uſum Eccleſiæ, tunc verum eſt, tale furtum non eſſe ſacrilegium, neque locum addere malitiam ſpecie diſtinctam à furto: ratio eſt, quia tuuc res in loco ſacro ſurrepta uou habet ſpecialem relationem cum ſanctitate loci ſacri, ſed tautùm quandam generalem irrevereutiam: ut ſi die domiuica ruſticus cum pullis ingrediatur eccleſiam, ut ſacro interſit, ſi alius in Eccleſia pullos illos ſurriperet, quos ruſticus, inteudebat, vel iu foro vendere, vel deferre ad ſuum Dominum tale furtum, licèt in Eccleſia commiſſum uon contraheret malitiam ſacrilegij; ut nec etiam ſi quis iu Eccleſia alteri clam furriperet ſex, vel ſeptem aureos, quos deferebat iu crumena, quia hujusmodi res uon habeut ſpecialem relationem, cum ſanctitate loci, ſed tautùm generalem quaudam irreverentiam; unde probabile videtur, hujusmodi fures non incurrere pœnas iu fures ſacrilegos jure ſtatutas: ſin verò res non ſacra ſit deputata ad uſus eccleſiaſticos, cujusmodi ſuut candelabra argentea, anathemata parietibus appeuſa, oruamenta altarium, & alia id genus, ut etiam, quæ cuſtodiæ, & ſecuritatis causâ deponuntur in Eccleſia, ſi hæc ſurripiautur in loco ſacro, quamvis non ſiut res ſacræ, nec benedictæ furtum coutrahit ſpecialem malitiam ſacrilegij ob deputationem, vel relationem earundem ad uſus eccleſiaſticos.

Quamobrem *in c. quiſquis 21. §. ſimiliter cau. 17. q. 5.* licèt Joannes VIII. inter ſacrilegia enumeret etiam furtum rei uon ſacræ in loco ſacro, id intelligitur de re non ſacra in loco ſacro, quæ tameu ad Eccleſiam aliquo modo pertineat; vel quoad uſum, ornatum, vel cuſtodiam. 18

Cæterum furtum ſacrilegum eſt mixti fori, & datur locus præventioni, adeò ut etiam laicus, qui in Eccleſia furatus eſt, poſſit à jure eccleſiaſtico puniri, ut notat Farinacius iu *prax. crimin. p. 7. q. 172. n. 3.* Notat tamen Julius Clarus §. *ſacrilegium n. 3.* plerisque in locis uſum invaluiſſe, ut ſolus Judex ſæcularis de ſacrilegio cognoſcat, eò quia ob circumſtantiam loci, & rei furto ablatæ, quæ ſacra eſt, mereatur fur puniri pœnâ ſauguinis, vel capitis amputatioue, à qua pœua abſtiuet Eccleſia. Dantur etiam aliæ pœnæ, quæ deſumuntur ex pœnitentiali Romano, & habentur in *c. ſi quis 17. cau. 17. q. 4.* Sed quia hujusmodi cauones pœnitentiales nou ſunt ampliùs in uſu, ideo nou eſt, cur in ijsdem expendendis hæreamus. 19

§. VI.

De varijs furtorum generibus in utroque jure.

HActenus diximus de furtis in geuere, ſupereſt nunc deſcendere ad particularia, de quibus curſim aliqua expendemus. Prima ſpecies eſt furtum tigni, ex quo naſcitur actio de tigno juucto, & definitur actio perſoualis, quâ quis alienum tiguum ædibus ſuis junxit, convenitur, ut duplum ejus præſtet *l. 1. ff. h. t.* Cauſa efficiens hujus actionis proxima eſt obligatio præſtandi duplum; remota eſt multiplex, quia ſi tignum furtivum mala fide fuit junctum ædibus, tuuc actio oritur ex delicto: ſiu verò bona fide, uaſcitur ex naturali æquitate, quam jus civile ad agendum efficacem reddidit. Siquidem cùm tignum ædibus jam injunctum vindicari ampliùs uon poſſit, æquum erat, ut remedio alio indemnitati Domini conſuleretur; hujus actioui anſam dedit *lex 12. tabul.* quæ tignum alienum ædibus junctum nou vindicari tautùm, ſed etiam ſolvi prohibuit; unde nec actionem ad exhibeudum eo nomine conceſſit *l. 1. ff. h. l.* & hujus prohibitionis duplex ſolet ratio aſſignari, quarum prima eſt, ne ædificia jam conſtructa reſcindantur *l. 1. ff. h. t.* Altera ne urbis aſpectus ruinis deforpetur *l. 2. §. 17. l. ult. ff. ne quid in loco publico.* Subjectum hujus actionis activum eſt is, cui datur, ſeu eſt Dominus, cujus tignum alienis ædibus 1
junctum

ctum fuit: non enim qui Dominus erat materiæ deſinit eſſe Dominus, ſed tantùm ſtante ædificio prohibetur vindicare tignum. Non enim qui ex aliena materia in ſuo ſundo ædificat; quamvis ædificator ſit dominus ædificij, non ita tamen ſit Dominus materiæ, ex qua ædificium conſtruxit, quia verus Dominus materiæ non ſpoliatur jure, & dominio in talem materiam, ex eo, quòd alius eo inſcio, & invito eam ſurripuerit.

2 Quamobrem in tali caſu uterque ſecundùm diverſam rationem videtur Dominus materiæ illius, ex qua ſuit domus conſtructa: quì domum ædificavit in ſuo ſundo, fit Dominus talis materiæ, eò quia eam ſuo connexuit ædificio; is verò, ex cujus materia conſtructum fuit ædifitium, eſt etiam Dominus talis materiæ, ſi hæc conſideretur in ſe, & ſine reſpectu ad ædificium, proinde conceditur ei actio, in duplum ſibi præſtandi *l. 1. ff. h. t.*

3 Subjectum paſſivum eſt is, contra quem inſtituitur hæc actio, ſeu eſt is, qui alienum tignum ſuis ædibus junxit; vel ex aliena materia propriam domum in ſuo fundo conſtruxit. An verò hæc actio etiam detur contra eum, quì tignum non ſurtivum bona fide ſuis junxit ædibus? Duarenus, & Zœſius *ff. h. t.* negant.

4 Sententia affirmativa probabilior eſt, & verior, & colligitur ex *l. 23. §. 6. ff. de R. V.* ubi actio hæc dicitur in eum dari, contra quem nec in rem, nec ad exhibendum agi poteſt, ex quo doctores inſerunt, dari etiam contra poſſeſſorem bonæ fidei eò quia contra hunc nec in rem, nec ad exhibendum agi poſſit. Tum quia in *l. 23. §. 6.* opponitur actio ad exhibendum actioni de tigno juncto in eo quia non detur niſi in illum, qui alienum tignum ſuis ædibus junxit: hæc autem oppoſitio nulla foret, ſi poſſeſſor bonæ fidei actione de tigno conveniri non poſſet.

5 Verùm tamen eſt eximi ab hac actione eum, qui ſciente, & patiente Domino ædificavit; quia tunc præſumitur conſenſus veri Domini, qui non cenſetur læſus, eò quia ſcienti, & non contradicenti non fiat injuria.

6 Cæterum hæc actio de tigno juncto, ideo fuit in jure introducta, quia cùm tignum alienum alienis ædibus jam junctum vindicari ampliùs non poſſit idem numero; æquum erat, ut indemnitati veri domini alio remedio conſuleretur, & cum tignum bona fide junctum fuerit, tenetur etiam poſſeſſor bonæ fidei actione de tigno juncto,

7 An verò hæc actio detur contra ſabrum lignarium, quì tignum junxit, quamvis ædes non poſſideat, reſpondetur probabiliùs negativè; quia ſi Dominus ædificij tenetur hac actione non ſuppetit ratio, quâ debeat eâdem teneri etiam ſaber lignarius, cùm hic conſtruxerit operâ alienâ tale ædificium: unde hæc actio datur tantùm contra ipſum dominum; ſiquidem, quì ædes conſtruunt operâ plerumque utuntur alienâ: & quod quis per alium facit per ſe ipſum facere cenſetur *c. 72. de regul. jur. in 6.*

An verò ſi qui tignum junxit, ædes alteri vendiderit, poſſit Emptor hac actione conveniri. Aliqui affirmant, quia hæc actio imitatur rei vindicationem, in cujus locum fuit introducta, unde ſicut emptor tigni poſſet conveniri rei vindicatione; ita etiam actione de tigno juncto: verior tamen ſententia eſt negativa, quia ex lege *12. tabular.* hæc actio de tigno juncto tantùm datur contra eum, qui convictus ſuit, tignum junxiſſe *l. 1. princ. ff. h. t.* proinde Emptor ædificij hac actione non tenetur, cùm nec per ſe, nec per alium tignum junxerit. Præterea actio de tigno juncto accenſetur numero actionum perſonalium, quæ ſuapte natura non dantur in ſucceſſorem ſingularem. 8

Rurſus qui tignum alienum ſuis junxit ædibus etiam poſt alienationem adhuc ſubjacet actioni de tigno juncto, non enim eſt in poteſtate debitoris invito creditore nexum deponere obligationis ſemel contractæ: ergo cùm venditor poſſit hac actione conveniri; eâdem non poteſt Emptor. Neque obſtat, quòd hæc actio de tigno juncto imitetur rei vindicationem, quia adhuc directè eſt in perſonam; proinde non datur in ſucceſſorem ſingularem. 9

Objectum hujus actionis eſt id, quod quis perſequitur ſcilicet duplum tigni juncti; neque refert bona, an mala fide alius tignum junxerit, quia utroque caſu tenetur is duplum ſolvere *l. 1. princ. ff. h. t.* ubi qui tignum alienum ædibus ſuis junxit, indiſtinctè jubetur ſolvere duplum, nec ullum ponitur diſcrimen inter poſſeſſorem bonæ, vel malæ fidei. Neque obſtat textus in *l. 63 ff. de donat. inter vir. & uxor.* quia ibi tantum dicitur, quòd non teneatur ſolvere duplum, qui ſciente, & tacente Domino tignum alienum ſuis junxit ædibus, quia tunc præſumitur conſenſus veri Domini. 10

Si dicas, eum, qui bona fide tignum junxit tantùm teneri pretium ſolvere *l. 98. §. fin. ff. de ſolut.* proinde non teneri ad duplum. Contra eſt quia is qui bona fide tignum junxit tenetur pretium ſolvere non nudum, ſed cum eo, quod jure intereſt; proinde tenetur duplum ſolvere, cùm id jure ſtatuatur. 11

Si dicas, poſſeſſorem bonæ fidei non deliquiſſe, conſequenter non teneri ſolvere duplum, cùm iniquum ſit eum puniri, qui non deliquit. Contra eſt, quia poſſeſſor bonæ fidei non dicitur teneri ſolvere duplum, ut pœnam, ſed tantùm dicitur teneri ſolvere pretium tigni alieni, non nudè, ſed ſimul cum eo, quod intereſt. 12

Ratio eſt, quia cum Dominus tigni nequeat illud ampliùs vindicare, eò quia jam connexum ſit alienis ædibus, cogitur invitus illo carere, hæc autem injuria compenſanda eſt commodo aliquo ſaltem pecuniario. Hinc 13

cùm

cùm duplum perſequitur, id Dominus tigni non perſequitur ut pœnam, ſed ut pretium ſui tigni, & injuriæ ſibi illatæ juxta legis determinationem. Vt autem actio hæc tigni juncti deducatur in judicium duo ſunt probanda. Primò quòd tignum junctum ædibus Petri pertinuerit ad Paulum. Secundò quòd ædificium etiamnum exiſtat; quia diſſoluto ædificio ceſſat actio de tigno juncto; & rei vindicatio, vel actio ad exhibendum locum habet *§. 29. inſtit. de R. D.* Differt tamen poſſeſſor bonæ fidei à poſſeſſore malæ fidei, quia ille exiſtente ædificio non poteſt conveniri actione ad exhibendum; benè tamen poſſeſſor malæ fidei. Hinc effectus hujus actionis ritè in judicium deductæ, eſt, ut qui alienum tignum per ſe, vel per alium ſuis junxit ædibus jubeatur duplum ſolvere.

14 An verò qui egit de tigno juncto, & duplum obtinuit, diruto ædificio poſſit adhuc tignum vindicare. Reſpondetur cum diſtinctione, ſi qui ſolvit duplum fuit poſſeſſor bonæ fidei, diruto ædificio contra hunc tigni nomine non poteſt inſtitui rei vindicatio, eò quia præſtatione dupli tignum veluti emit *§. 29. inſtit. de R. D.* Sin verò ſit poſſeſſor malæ fidei poteſt contra hunc inſtitui rei vindicatio, & colligitur ex *l. ult. ff. h. t.* ubi mota actione de tigno juncto dicitur supereſſe rei vindicacio.

15 Ubi juvat obſervare, quòd actio de tigno juncto prout datur contra poſſeſſorem malæ fidei eſt merè pœnalis, nec officit actioni vindictoriæ, quia eſt regula juris: actione pœnali non conſummi rei perſecutionem.

16 Secunda furti ſpecies eſt plagium: dicitur plagium furtum hominis liberi, qui ſit ſui juris, ſi enim ſurripiatur, vel abducatur animo eum celandi; tametſi in rigore talis ſurreptio non ſit furtum, eò quia hoc ſit contrectatio rei alienæ invito Domino, & homo liber ſub nullius ſit dominio, eſt nihilominus quaſi furtum, & ideo conſtituit diſtinctam ſpeciem, & dicitur propriè plagium; & plagiarius in jure vocatur, qui furatur, vel abducit hominem liberum, ut eum vendat, tanquam ſervum: & hoc crimine tenetur etiam, qui ſcienter, & dolo liberum hominem invitum emit, vel detinet invitum; vel etiam ſervum alienum dolo malo abducit, celat, vel retinet *l. 1. & ſequent. ff. ad leg. Fabian. de plagiar*: & nomine venditionis comprehenduntur omnes contractus, per quos dominium transfertur, ſive ſint contractus donationis, ſive permutationis. Hinc ſi non homines liberi, ſed qui ſub poteſtate detinentur aliena abducantur, & ſurripiantur, tunc non committitur plagium, ſed furtum *§. interdum inſtit. de obligat. quæ ex delict.*

17 Pœna plagij de jure antiquo civili fuit pecuniaria *l. in fuga 6. juncta Gloſſa litt. B. C. ad leg. Fabian. de plagiar.* Sed poſtea pœna pecuniaria commutata fuit in graviorem pro modo, & circumſtantijs delicti, adeò ut ad metallum damnetur, ſi nobilis ſit; ſin verò ignobilis, & ingenuus plectitur gladio, ſin verò ſervus, libertus traditur beſtijs *l. 5. fin.* & ibi Gloſſa *ff. ad leg. fabian. de plagiar.* Permiſſum tamen eſt Judici mitiori pœnâ plagiarium punire pro modo delicti, & perſonarum, ut notat Weſenbech *in. c. fin. c. eodem n. 5.* Olim tamen in veteri lege, qui ſciens liberum hominem venderet morte puniebatur, ut liquet *ex lib. Exod. c. 21.* ubi habetur: *qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.*

Quia tamen præceptum illud fuerat judiciale, expiravit cum morte Christi, adeò ut in lege evangelica non ampliùs obliget. Vnde in foro eccleſiaſtico plagiarij puniuntur quidem graviter, ſed citra mortem, quia Eccleſia pœnam ſanguinis non infligit *c. in Archiepiſcopatu 4. de raptorib.* Tum quia quòd in jure civili eſt mors, ſeu ſeparatio animæ à corpore; hoc in jure canonico eſt excommunicatio, quâ reus ſeparatur à communione fidelium *c. per venerabilem 13. prope fin. qui filij ſint legitimi*, & hac pœna poteſt Judex eccleſiaſticus coërcere furantes homines liberos, quia quoad hoc crimen, etiam ſi fures ſint laici, adhuc ſubijciuntur jurisdictioni Judicis eccleſiaſtici, eò quia per tale crimen detrahatur religioni chriſtianæ. 18

Non tamen deſunt, qui per mortem cenſeant eſſe intelligendam depoſitionem ab ordine, & officio, eò quia hujusmodi depoſitio ſic etiam quædam mors civilis: & nituntur ea ratione, quia excommunicatio non poteſt infligi, niſi quis ſit contumax, & incorrigibilis *c. nemo 41.* & plerumque ſurripiens hominem liberum non eſt contumax. Verùm licèt excommunicatio præſupponat contumaciam, nihilominus ob enormitatem delicti Judex eccleſiaſticus, poteſt hominem plagiarium tradere puniendum poteſtati ſæculari adjuncta proteſtatione, ne pœna mortis, vel mutilationis ei inferatur *argu. c. 2. de homicid. in 6.* 19

Tertia ſpecies eſt de furto commiſſo in navi, caupona, vel ſtabulo: ſi enim ab ijs, quorum operâ navis, caupona, vel ſtabulum, exercetur, furtum ſit factum; tunc Exercitor navis, cauponæ, vel ſtabuli actione in furtum tenetur in duplum *l. unic. princ. §. 2. ff. h. t.* Hinc difinitur hæc actio, quòd ſit perſonalis, quâ ob furtum in navi, caupona, vel ſtabulo à famulis, vel ijs, qui ibi habitant admiſſum, Exercitor convenitur, ut duplum ejus, quod ſublatum eſt præſtet *§. 2. ff. h. t.* Vnde hæc actio dicitur prætoria, perſonalis, pœnalis, perpetua: ejus cauſa efficiens proxima eſt obligatio, remota quaſi delictum conſiſtens in culpa quadam præſumpta, quæ illi imputatur, qui operâ hominum minus fidelium utitur, vel certè domeſticos, aut minus idoneos non excludit à tali ſervitio *l. unic. §. fin. ff. h. t.* 20

Subjectum activum hujus actionis eſt is, cui datur talis actio, ſuntque vectores, & viatores, quibus furtum in navi, caupona, vel ſtabulo factum eſt, imò etiam eorum hæredes; 21

ſub-

ſubjectum paſſivum eſt, contra quem datur talis actio, & eſt ipſe Exercitor, in cujus navi, caupona, vel ſtabulo furtum admiſſum fuit; excluſivè tamen ad ejus hæredem; quia pœna ad hæredem non tranſit *l. ult. §. fin. ff. nauta, caup. ſtab.* quòd ſi plures ſint Exercitores, tunc in unum quemque hæc actio dirigitur pro ea parte, quâ navem exercet *l. ult. §. 5. ff. nauta. caup. ſtab.*

22 Sin verò ſit ipſe exercitor, qui furtum commiſit actione hac non tenetur tanquam fur, ſed arbitrio permittitur illius, cui res ſurrepta fuit, an malit cum exercitore jure honorario, vel cum fure jure civili experiri *l. unic. §. 3. ff. h. t.* Objectum hujus actionis eſt id, quòd quis eadem actione perſequitur; ſeu duplum ejus, quod furto ſurreptum eſt *l. unic. §. 2. ff. h. t.* Deducitur verò in judicium hæc actio, ſi probetur, res furto ſublatas in navem, cauponam, vel ſtabulum illatas fuiſſe: & quidem ab ijs, qui exercendæ cauponæ gratiâ adhibentur, & ſurreptas eſſe ab ijs, qui habitandi causâ, ibi ſunt *l. unic. 6. ff. h. t.* Effectus hujus actionis ritè in judicium deductæ eſt, quòd exercitor navis, cauponæ, vel ſtabuli teneatur duplum præſtare eorum, quæ ſurrepta ſunt *l. unic. princ. §. 2. ff. h. t.* eſt tamen in poteſtate illius, cui res ſublatæ ſunt, malit ne cum exercitore actione hac honoraria; an cum fure actione furti agere *l. unic. §. 3. ff. h. t.*

23 Quarta eſt furtum à familia factum, ex quo naſcitur actio prætoria, quæ definitur actio perſonalis, quâ Dominus, quo ignorante furtum à familia factum eſt convenitur, ut vel omnes ſervos noxæ dedat, vel æſtimationem rei ablatæ, & duplum pœnæ nomine perſolvat *l. 1. princ. l. 2. ff. h. t.* proxima hujus actionis cauſa efficiens eſt obligatio; remota principalis eſt Prætor, qui actionem hanc introduxit, eò quia videretur durum ob familiæ maleficium totum Domini patrimonium everti. Inſtrumentalis eſt ipſum furtum à familia factum. Subjectum hujus actionis activum eſt is, cui datur, ſeu cui furtum à familia eſt factum, & ejus hæredibus *l. 4. h. t.* Paſſivum is eſt, in quem datur: datur autem in Dominum à cujus familia furtum factum eſt: non tamen tranſit hæc actio ad hæredes, quia oritur ex delicto, & pœnam perſequitur *argu. leg. 1. ff. de privat. delict.* Quòd ſi communis familia furtum commiſerit, & unus ſciverit, alter verò ignoraverit, is qui ſcivit, tenetur omnium nomine; & conventus, alterum quoque liberat, neque à ſocio quidquam repetit, eò quia ſui facti pœnam promeruerit *l. 9. ff. de noxal. action.* Sin verò, qui ignoravit, duplum præſtitit, ſimplum à ſocio recuperat, *d. l. 9. ff. de noxal. action.* Immo etiam ille, qui ſcivit, ſed prohibere non potuit, ſimplum à ſocio repetit, ſi hac actione conventus duplum præſtiterit *l. pæn. ff. h. t.* Objectum hujus actionis eſt, quod eâdem petitur. Forma conſiſtit in modo deducendi talem actionem in judicium: ut autem rectè deducatur duo probanda ſunt. Primò quod furtum à familia ſeu ſervis ad minimum tribus factum ſit; ſiquidem familia eſt nomen collectivum, quo corpus quoddam ſervorum deſignatur; adeò ut unus ſervus, imò nec duo ſufficiant ad conſtituendam familiam *l. 40. §. fin. ff. de V. S.*

Secundò probari debet, quod furtum ig- 24
norante Domino factum ſit; quia ſi ſciverit, proprio, & ſervorum ſingulorum nomine conveniri poteſt *l. 1. §. ff. h. t.* Effectus hujus actionis jam ritè in judicium deductæ eſt, quòd Dominus jubeatur, vel ſervos omnes noxæ dedere, vel æſtimationem rei ablatæ, & duplum pœnæ nomine perſolvere *l. 2. ff. h. t.* Dominus igitur ſi ipſo ignorante furtum à ſervis pluribus admiſſum ſit, liberatur, ſi aut omnes dedat; vel tantùm præſtat, quantum unus liber ſoluturus erat: quòd ſi familiæ injuriam fecerit, tunc Dominus non liberatur à præſtatione illius, quod ſolvendum erat, ſi homo liber deliquiſſet, ſed in ſolidum ſervorum ſingulorum nomine tenetur *l. 34. ff. de injur.* quia in effectu non intereſt, an patrimonium ab uno diſſipetur, vel à pluribus; cùm non magis admittatur, quòd plures, quàm quod unus abſtulit. Secus plurimum refert, an ab uno inferatur injuria, vel à pluribus, quia pro numero perſonarum inferentium injuriam contumeliæ multiplicantur *l. 34. ff. de injurijs.*

Ruſus ſi plures famuli damnum intule- 25
rint, intereſt, an conjunctis viribus, & animis id præſtiterint, & tunc quia ex factis omnium coaleſcit unum delictum, liberatur dominus, ſi tantum præſtet, quantum unus liber erat ſoluturus: id enim in furto obſervatur, eò quia durum videbatur ob unum delictum totam familiam profligare: unde meritò id in damno à familia dato receptum fuit *l. 32. ff. ad leg. Aquil.* Sin verò unus ſine alio integrum damnum animo deſtinavit, adeò ut ſinguli damnum integrum voluerint, tunc quia ſervi ſinguli ſunt totalis damni; ideo intelliguntur plura furta commiſiſſe; nec liberatur Dominus, ſi tantùm præſtet, quantum unus liber dediſſet, ſed tenetur pro quolibet ſervo pœnam ſolvere *l. 9. ff. de juriſdict.*

Quinta eſt peculatus, ſeu furtum pecu- 26
niæ publicæ *l. ſacrilegi 9. §. labeo ff. ad leg Jul. pecul.* Nomine autem peculatûs ut comprehenditûr hîc, nôn intelligitur ſola pecunia, ſed etiam res omnes ad ærarium reipublicæ, vel fiſcum Principis pertinentes *l. lege 4. §. fin. ff. eod.* imò ſub crimine peculatûs comprehenditur etiam furtum pecuniæ ſacræ, & religioſæ *l. 4. in princ. ff. ad leg. Jul. pecul.* Pœna hujus delicti in privatis regulariter eſt deportatio *l. 3. ff. ad leg. Jul. pecul. §. item lex Julia pecul. inſtit. de public. judic.*

Verùm quia hodie pœna deportationis 27
non eſt amplius in uſu, in ejus locum pœna ſucceſſit arbitraria, ut notat Farinac. *in prax. p. 7. q. 171. n. 5.* Judices verò ſeu Magiſtratus, qui tempore adminiſtrationis publicas pecunias ſubtraxerunt, vel qui miniſterium eis

ad

ad hoc exbibuerunt, vel ſubtractas pecunias ab eis ſcienter acceperunt, ultimo ſupplicio afficiuntur §. *item lex Julia peculat.* Hoc crimen etiam committunt Preshyteri, vel Clerici bona eccleſiaſtica ſibi attribuentes, vel alienantes; & hi jure canonico excommunicantur, niſi res ſurreptas, quàm primùm poſſunt, reſtituant *c. ſi. quis 6. de reb eccleſiaſt. non alien.* Quòd ſi reſtituere non poſſunt, plectuntur pœna depoſitionis *c. Diaconi 25. caus. 12. q. 2.* ut notat Farinac. *in prax. crimin. q. 171. n. 10.*

28 Sexta eſt abigratus, quo furto tenentur, qui pecus ex paſcuis, armentis, aut gregibus abducunt, & deprædantur, & fures dicuntur abigei *l. 1. §. 1. ff. de abigeis.* Quòd ſi quis boves errantes, aut equos in ſolitudine relictos abegerit, tunc non eſt abigeus, ſed fur, niſi frequenter abegerit unum ſolum, vel alterum pecus *l. 1. §. 1. & l. fin. §. penult. ff. de abigeis.* Pœna in jure impoſita huic delicto eſt, ut abigei ſi ſæpius pecora ex paſcuis, armentis, aut gregibus abduxerint, ac fuerint deprædati, damnentur ad gladium; quia frequentia delicti ſolet pœnam augere, præſertim ſi in abigendis pecoribus fuerit vis adhibita *l. 1. in princ. & l. 2. ff. de abigeis.* In honeſtioribus tamen viris ſolet puniri pœna temporali. Hi enim relegantur, vel ordine privantur, niſi gladio, & armis abegerint pecora, quia tunc puniuntur ut graſſatores *l. 1. §. quamquam.* ſeveriùs etiam puniuntur, qui pecus è ſtabulo abigunt, quàm qui è grege, paſcuis, aut ſylva *l. ult. §. 1. ff. eod.* quia tunc committunt abigeatum cum effractione ſtabuli: hæc enim violentia crimen auget, & graviùs punitur, ut notat Harbrecht. *§. pœna n. 108. inſtit de oblig. quæ. ex delicto.* Jure canonico, quamvis nulla videatur pœna in abigeos ſtatuta, nihilominus quia canones pœnas infligunt juxta quantitatem, & qualitatem culpæ, & abigeus ſit fur improbior, ideo majore etiam punitur pœna, quàm ob furtum ſimplex, proinde Clerico imponitur pœna depoſitionis, ut notat Farinacius *in prax. crimin. p. 7. q. 167. n. 109.*

29 Septima, eſt furtum arborum furtim cæſarum, ſeu clandeſtina arborum ſucciſio, ex qua oritur actio arborum furtim cæſarum; & eſt actio perſonalis, quâ qui alienam arborem clam ſuccidit, convenitur, ut duplum præſtet, ejus quod intereſt arborem cæſam non fuiſſe *l. 7. §. fin. l. 6. ff. h. t.* unde hæc actio eſt civilis, perſonalis, & mixta, ſeu partim rei perſecutoria, & partim pœnalis, ut etiam perpetua *l. 7. §. penult. & ult. ff. h. t.* ejus cauſa efficiens proxima eſt obligatio, remota delictum, ſeu ipſa clandeſtina arborum ſucciſio *l. 7. princ. ff. h. t.* Quamobrem hæc actio non oritur ex lucro, quia locum habet, tametſi ex alio fine, quàm ex lucro cædantur furtim arbores, vel tantùm clandeſtinè *l. 7. §. 1. ff. h. t.* hinc ſubjectum hujus actionis activum eſt is, cui datur, diſtinguitur tamen actio directa ab utili, quia directa datur Domino non ſolùm pleno *l. 7. princ. ff. h. t.* ſed etiam Domino minus pleno, & emphyteutæ *l. 5. §. fin. ff. h. t.* Immo etiam eorum hæredibus *l. 7. §. penult. ff. h. t.*

Quòd ſi plures ſimol convenerint ad ar- 30
bores furtim cædendas univerſi pœnâ unicâ plectuntur *l. 6. §. 1. ff. h. t.* actione utili iuvatur fructuarius *l. 11. §. ult. ff. ad leg. Aquil.* Subjectum paſſivum hujus actionis eſt is, contra quem datur; nimirum is, qui arborem alienam furtim ſuccidit, ſive manu propria eam ſucciderit, ſive mediante famulo, ſive præceperit alteri, ut arborem illam cæderet *l. 7. §. 4. ff. h. t.* non tamen hæc actio datur in hæredes, eò quia naſcatur ex delicto infœcundo; ſiquidem ex eo, quòd pater ſucciderit arborem alienam, inde augetur patrimonium filij *l. 7. §. 6.* & quamvis in foro conſcientiæ teneantur hæredes ſatisfacere læſo; adeò ut filij etiam teneantur reſarcire damnum ab eorum patre illatum tertio; non tamen tenentur in foro externo quoad clandeſtinam ſucciſionem arborum: quia actio arborum furtim cæſarum reſpectu ipſius delinquentis eſt merè pœnalis: atqui actiones pœnales ſuapte natura ante litem conteſtatam non tranſeunt in hæredes *l. 1. ff. de privat. delict. l. 3. §. 1. ff. de reg. jur.*

Si tamen plures eaſdem arbores cæciderint, 31
ſinguli tenentur in ſolidum *l. 6. ff. h. t.* ſin verò unus tantùm eam cæciderit, tenetur ad duplum, & in ordine ad ſimplum omnes liberantur. Objectum hujus actionis eſt id, quod per eandem quis perſequitur, ſeu duplum illius, quod ejus intereſt, ſi arbor non eſſet excisa; deducitur tamen æſtimatio lignorum, ſi quam utilitatem domino afferant *l. 8. princ. ff. h. t.* Hinc ſi arbor antequam ſuccideretur, conſtiterit viginti florenis, & ex lignis quinque florenos extraxerit, tunc viginti illi floreni reſidui duplicantur. Ut autem hæc actio rectè deducatur in judicium duo probanda ſunt. Primò arborem ſuccisam fuiſſe: quid verò nomine arboris comprehendatur; plures exiſtimârunt etiam vites nomine arboris comprehendi *l. 3. princ. ff. h. t.* immo etiam hederas, arundines, & ſalices *d. l. 3. §. 1. & 2. ff. h. t.*

Si quis verò ſurculos præcidaneos, ſeu vir- 32
gas ex ſalicibus ſurriſas ripæ delabentis fluvij fixerit, ut radices agerent; & alius ſurculos hoſce avelleret, priusquam revera radices agerent, non poſſet conveniri hac actione arborum furtim cæſarum, ut docent communiter cum Pomponio: ratio eſt, quia ſurculi deprompti ex arboribus, & terræ infixi non ſunt arbores, antequam radices agant. Excipiuntur tamen ſurculi olivæ, cujus ſtirpes, ſi in terram defixæ fuerint, licèt radices nondum egerint; numero tamen ex privilegio accenſentur arborum; adeò ut qui eas præcidit actione teneatur arborum furtim cæſarum *l. 3. §. 7. ff. h. t.* Immo ſi quis ex ſeminario, in quo novellæ plantæ ſurculis inſititijs adoleſcunt, arbo-

arbores transferret quamvis fibris non firmiter in terram deductis, adhuc hac actione teneretur, quia avulſa eſt vera arbor, quamvis adhuc infans, & tenella; ſicut dicitur homicidium committere, qui infantem nondum trimulum interficeret.

33 Secundò probandum eſt, arborem clam fuiſſe ſuccisam inſcio, & invito Domino *l. 8. §. fin. ff. h. t.* Effectus hujus actionis ritè in judicium deductæ eſt, ut qui arborem ſuccidit, jubeatur duplum ſolvere, ejus quod intereſt non fuiſſe cæſam *l. 7. §. fin. ff. h. t.* Huc etiam pertinet furtum frugum, & fructuum, Differunt fruges, & fructus, quia nomine frugum intelliguntur frumenta, ut triticum, hordeum, avena, ſiliga; & legumina, ut faba, cicer, faſolus.

34 Nomine autem fructuum propriè intelliguntur omnes plantarum fructus; immo etiam vindemiæ, ſylvæ cæduæ, cretæ ſodinæ, lapicidinæ, & id genus alia *argu. l. 7. §. 12. & 13. ff. ſolut. matrim.* Imò nomen frugum latius etiam ſe extendit, ut complectatur reditum omnem, non ſolùm, qui ex frumento, & leguminibus, ſed etiam qui ex vineis, lapicidinis, ſylviſque cæduis percipitur *l. 77. ff. de V. S.* & nomine fructuum intelliguntur etiam omnes reliquæ utilitates, quæ appellatione frugum non veniunt *argu. l. 45. ff. de uſur. & fruct.* Vel igitur fruges, aut fructus deſerviunt eſui, vel alijs uſibus. Si eſui, vel decerpuntur eo animo, ut ſtatim abſumantur, vel ut inde aliquod percipiatur lucrum, eò quia exhibeantor venum. Si primum & fruges, aut fructus ſint in modica quantitate vix judicio civili, vel criminali peſtſtringitur, qui fructus illos furtim ſurripuit, *argu. §. fin. 2. feud. 27.* Sin verò immoderatiùs quis tales fructus, vel fruges ſurriperet, ut ventri pleniùs indulgeret, ſuæque gulæ intemperiei ſatisfaceret, non dimitteretur omnino impunè, ſed verberibus exciperetur, ut ingluviem poſtea dediſceret. Sin verò fructus, & fruges decerpantur ex alieno fundo lucri causâ, & præſertim tempore nocturno, tunc decerptor ex Carolina conſtitutione incurrit pœnas furtis præſtitutas, ut habetur *in d. conſtit. art. 167.* quia nocturno tempore invadens fructus alienos colorem non poteſt producere, quo propriam malitiam oblinire poſſit; quia vel ipſæ tenebræ, & nox intempeſta num redarguunt improbitatis.

35 Sin verò diurno tempore fruges, & fructus decerpſit in magna quantitate, ut damnum notabile Domino fundi intulerit, non liberatur à pœnis furibus præſtitutis, ut habetur in *Carolina conſtit. art. 167.* Sin verò in parva quantitate, ut damnum illatum non fuerit notabile, non fit tunc obnoxius judicio criminali, ſed punitur civiliter; jubetúrque duplum, vel quadruplum ſolvere; quòd ſi tantùm non habet in ære, luit in pelle; ſeu in carcerem detruditur *art. 167.* Sin verò fruges non deſerviant eſui, ſed uſui alteri, tunc qui abſtulit ſegetes, avenam, gramen incurrit pœnas furtis præſtitutas *art. 166. ex Carol. conſtit.*

36 Octava eſt fericidium, ſeu illicita captura animalium, quæ in crimen furti interdum incidit, & aliquando non. Ex animalibus quædam ſuapte natura ſunt manſueta, ut oves, boves, equi, gallinæ, anates domeſticæ; alia ſylveſtria, & feræ, ex quibus quædam uſu ſunt manſuefacta, ut cuniculi, cervi, quos domi nutrimus, item pauones, columbæ domeſticæ; alia retinent ſylveſtrem indolem. Certum eſt, animalia naturali indole manſueta & domeſtica, tametſi dominorum poteſtatem longiùs evaſerint, non eſſe licitum capere inſcio, & invito Domino §. *Gallinarum inſtit. de rer. diviſ.* ubi dicitur, eum furtum committere, qui hæc animalia, cum effugerint, detinet: quia licèt fugerint, non tamen recuperant libertatem cum naturali ſua indole ſint domeſtica, proinde manent ſub jure prioris domini, & ubicunque reperiantur errare, ſuis ſunt Dominis reſtituenda. Hoc idem etiam procedit de animalibus ſuapte natura ſylveſtribus, quæ tamen uſu manſuefacta conſuetudinem habent ex libera vagatione redeundi in poteſtatem Domini; cujuſmodi ſunt columbæ: qui enim in ſuo columbario appoſitis illecebris aliorum columbas eò trahunt, ut ſibi uſurpent, tenentur ad reſtitutionem: ſin autem abſque ulla fraude cæterorum columbæ ad ſuum veniant columbarium, ibique nidificent, eò quia commodiorem inveniant ſtationem, & lautiùs alantur, tunc non tenentur ad reſtitutionem, quia ſponte veniunt.

37 Cæterum ſi hujuſmodi animalia manſuefacta amittant conſuetudinem redeundi, tunc iterum fiunt ſylveſtria, ſiúntque primò occupantis: cenſentur enim tunc fuiſſe naturalem enacta libertatem, conſequenter non ampliùs eſſe ſub jure prioris domini. Dicuntur autem conſuetudinem redeundi deſerviſſe, ſi bis, vel ter non redeant, quod verum eſt, præſertim de columbis, quæ ſi ſe aggregaverint columbis alterius columbarij, & conſuetudinem redeundi ad proprium deſerverunt, fiunt alterius: non tamen id procedit de cervis, alijſque ſimilibus animalibus, quæ interdum vagantur juxta domum, & ſponte non redeunt, facilè tamen patiuntur ſe reduci. Quod verò ad animalia fera, & ſylveſtria attinet, hæc ſunt etiam duplicis generis, quædam enim ſunt cuſtodia hominis coërtita, adeò ut non poſſint ſugere è loco, ſeu ſylva, in qua coërcentur; & alia ſunt relicta in ſua naturali libertate. Si capiantur animalia prioris generis procul dubio committitur furtum, quia jure dominij pertinent ad eum, cujus cuſtodiâ coërcentur, ut habetur *inſtit. de rer. diviſ. §. 12. l. 3.* Animalia verò poſterioris generis, ſi capiantur, furtum non committitur, quia nullius ſunt Domini, & naturali jure cedunt primo occupanti. Difficultas eſt, an Principes poſſint juſtè prohibere venationem, piſcationem, & aucupium in locis publici juris, adeò ut ſi quis non

Digitized by Google

non obſtante tali prohibitione occidat cervos, vel alias feras narurali libertate aberrantes furtum commirtat, ob quod poſſit à Printipe juſtè puniri.

38 Dicendum eſt, poſſe Principes jus venandi licirè adimere ſuis ſubditis, ſeu prohibere venationem, ſeu captionem animalium in locis publici juris, non ſolùm ex conſenſu populi, cùm poſſit hic cedere jure ſuo; ſed criam, ſi id neceſſarium viſum fuerit ad reipnblicæ onera ſuſtinenda; adeò ut poſſint Principes etiam exquiſiris ſupplicijs ſericidium compeſcere: ſiquidem eſt principium juris: ubi pondus circumſtantiarum rigorem exigit, poſſe Principes, qui Rempublicam moderantur, ſub gravi pœna actum prohibere. Rario eſt, qnia jus naturæ non viderur velle abſolurè, & ſimpliciter venationem licitam eſſe, ſed pro certo ſaltem rerum ſtatu, & ſub conditione, ſi humana poteſtas ex juſta canſa eam non prohibeat; unde poruit humana poreſtas venationem edicto prohibitorio illicitam reddere, quarenus cauſæ eam prohibendi juſtæ eſſe poſſnnr; rametſi jus civile non poſſit præcipere, quod jus naturæ prohibet, nec prohibere, qnod præcipit; poteſt nihilominus libertatem naturalem circumſcribere, & id prohibere, quod antea naturaliter licirum erar; conſequenter potuit lex civilis ex juſta, & concnrrentibus certis circumſtantijs illicitam reddere venationem, præſerrim ſi venatio valde abſtrahat à laboribus, & functionibus ad uſum humanæ vitæ neceſſarijs ſubditos: ſi venario der anſam ſubditis inſtruendi ſe in armorum exercitijs, & expeditiores conſtiruendi ſe ad quodvis facinus: ſi occaſionem ijsdem præbeat, conventicula perniciosa conſtitnendi: ſi ad prædas alliciat, & latrocinia: ſi cives armis inſtructi faciliùs diſſidia excirent inter ſe, & in parres diviſi Rempublicam rurbent: ob has, & alias ſimiles rationes poteſt Princeps moveri ad prohibendam ſubdiris venarionem.

39 Tum qnia venario magis videtur ad Principem pertinere, quàm ſubditos, quia cum Princeps gravioribus ſemper ſit negorijs occnparus plus cæteris indiget animi relaxarione, præſertim in venatione, quæ innocens eſt exercitium dignum viro Principe: æquum enim eſt, ut qui curas publicas ſuſtinet, recreationem habeat convenienrem, quâ easdem ſoletur. Tum quia Princeps venationis exercitio aſſneſcit duris, & arduis, & ad labores bellicos ſubcundos ſit aptior: unde has ob rariones poteſt etiam Princeps venationem, & aucupium etiam in locis publici juris ſibi reſervare, ut etiam ad reipublicæ onera ſuſtinenda; & nt ærarium Principis inde augearur, quo pacto Covarruvias *ad regul. peccatum p. 2. §. 8.* aſſerit, apud Hiſpanos jus piſcandi thymnos eſſe reſervatum. Quòd verò etiam ob ſolam recreationem poſſint Principes ſine conſenſu populi jus venandi etiam in locis publici juris ſibi reſervare, docet idem Covarruvias, quia Princeps cùm laboret pro Republica, poreſt aliqua loca communia ſuæ recrearioni reſervare. Tum quia id etiam pertincr ad digniratem Principis.

Rurſus poſſunt Principes jus venandi alijs titulis enanciſci, præſertim per conſuetudinem, eò quia jus venandi antecedenter ad prohibitionem pertinuerit ad Principem, vel quia conſuetudo à rempore immemorabili ſemper fuit, ut ſolus Princeps in locis illis etiam publici juris venarionem, & aucupium exercerer. Vel quia loca illa facta ſunt ſub jure Principis bellica occupatione, vel ſpontanea ſubditorum ceſſione, vel præſcriptione; ſunr enim omnes tituli, ſufficientes ad acquirendam venationem. Immo ita poſſunt Principes venationem prohibere, ut ne quidem dominium feræ occupantibus acquiratur; ſiquidem poſſunt Principes extinguere in ſubditis dominium acquiſitum, quia per legem uſucapionis, illud de facto extinguunt; proinde poſſnnt etiam à forriore impedire dominium acquirendum: ſiquidem plus eſt adimere jus quæſitum, quàm impedire acquirendum. 40

Tum quia poſſunt Principes voluntatem ſubditorum ira inhabilitare, ut fiat inepta ad dominium transferendum: de facto enim inhabilitârunt voluntatem pupillorum, minorennum, & aliarum id genus perſonarum: proinde poſſunt etiam voluntatem ſubditorum ita inhabilitare, ut fiat inepta ad acquirendum dominium: & quia occnpatio non tribnir dominium feræ captæ, niſi prout ſubſtat voluntati occupantis, ſequitur, quòd ſi Princeps voluntarem ſubditorum poteſt ineptam reddere ad dominium transferendum; poſſit etiam ad acquirendum. 41

Sin verò Princeps venationem ſimpliciter prohibeat, tunc non videtur impedire acquiſitionem feræ, & effectum dominij; ratio eſt, quia quando Principes venationem ſimpliciter probibent, non conſtar, an ipſi velint acquiſitionem feræ impedire, & eriam effectum dominij: ergo non cenſentur de facto effectum dominij impedire: rario eſt, quia contra illos, qui legem dicere potuerunt apertiùs facienda eſt interpretatio *c. 58. de regul. jur. in 6.* & quando Principes tantùm ſimpliciter venationem prohibent, eſt ſaltem dubium, an velint effectum dominij impedire: proinde non cenſentur tunc effectum illum impedire, quia in dubijs, & obſcuris pars benignior præferenda eſt *l. 9. l. 56. l. 192. §. fin. ff. de reg. jur.* Tum quia feræ, ſi naturali gaudeant libertare jure genrium fiunr primò occupanris, quia ſunt nullius Domini: ergo non obſtanre ſimplici prohibitione Principis fiunr etiam primò occupantis, qnoad effectum dominij, quia Princeps in dubio non eſt cenſendus ita velle venationem deprimere, ut ne quidem effectnm à natura ſibi congenitum opererur. 42

Qnando verò Principes prohibent venationem verbis conjunctivè mixtis, nt cùm dicunt: *Nemo deinceps venetur; qui venatus fuerit duodecim aureis mulctabitur*, peccant ſubditi contra obedientiam debitam Principi, ſi ejus 43

præceptum transgrediantur, quia lex pœnalis conjunctivè mixta obligat in conſcientia ad ipſum actum à lege intentum: & Legiſlator poteſt in conſcientia obligare ad actum primariò intentum; & quoties utitur verbis præceptivis, vel prohibitorijs, declarat, ſe hoc modo velle obligare. Tum quia ſi Princeps uteretur verbis merè prohibitorijs non ſubnexa mentione pœnæ, induceretur obligatio in conſcientia, quia verba prohibitoria hanc obligationem indicant: ergo eandem etiam inducunt; quamvis Princeps mentionem pœnæ ſubnectat prohibitioni, quia hæc non apponitur, ut legis obligatio mitigetur, ſed ut magis exaſperetur.

44 An verò ſubditi peccent contra juſtitiam quando Princeps ex motivo publicæ utilitatis venationem prohibet, ſi interdictum transgrediantur. Reſpondetur negativè, quia tunc delictum ſubditorum transgredientium interdictum, conſiſtit in nuda transgreſſione legis, quæ ex ſe non eſt contra juſtitiam. Tum quia ut transgreſſio inducatur contra juſtitiam debet violari jus alienum ſtrictè ſumptum, & quando ſubditi transgrediuntur interdictum, quo Princeps tanquam merus legiſlator venationem prohibuit, non læditur jus alienum ſtrictè ſumptum; quia jus, quo Princeps tanquam merus legiſlator venationem prohibet, non læditur; quia tale jus, quo Princeps ſubditos tenet obligatos, ne leges à ſe latas violent, non eſt jus ſtrictè ſumptum: quia non habet pro menſura bonum obligantis, ſed ipſorum ſubditorum; quo fit, ut ſubditi transgredientes interdictum, quo Princeps tanquam merus legiſlator venationem prohibet, non peccent contra juſtitiam, quia tunc non læditur jus alienum propriè ſumptum.

45 Benè tamen peccarent ſubditi contra juſtitiam ſi jus venandi antecedenter ad prohibitionem ex juſto titulo fuiſſet jam Principi quæſitum, quia tunc jus venandi; & feræ, quæ venatione capiuntur ſunt ſub jure ſolius Principis, unde qui feras capit, lædit jus alienum ſtrictè ſumptum: ſiquidem jus venandi cenſetur eſſe in patrimonio Principis. Tum quia ſi quis habeat jus venandi ex juſto titulo quæſitum; peccant alij contra juſtitiam ſi feras capiant in tali loco, quia tunc lædunt jus alienum ſtrictè ſumptum: ergo etiam lædunt ſubditi jus Principis, cùm hic antecedenter ad prohibitionem jus venandi ex juſto titulo quæſitum habeat: unde ejus prohibitio non operatur, ut obligationem juſtitiæ, quam parit jus illud antecedens, tollat; ſed ut eandem nova obligatione firmiorem conſtituat, & duplici vinculo ſubditos abducat à venatione.

46 Hinc ſubditi tenentur ad reſtitutionem ſi in locis feras capiant, in quibus jus venandi ad ſolum Principem pertinet, quia ex injuſta læſione juris alieni oritur obligatio reſtituendi; eo ipſo quòd ſolus Princeps jus venandi ex juſto titulo habet, obligat ſubditos, ne venentur: & ſi venantur, reſultat in Principe jus ad aliquid æquivalens, ſeu ad obtinendum tantùm, quantum intereſt, venationem fuiſſe omiſſam, & cùm jus activum non poſſit dari ſine paſſivo, reſultat etiam in ſubditis obligatio reſtituendi tantùm, quantum intererat venationem fuiſſe omiſſam.

Sunt tamen, qui putant, injuſtos venatores non teneri ad reſtitutionem, eò quia Principes hanc non urgeant, neque curent contenti pœna præſtituta fericidio. Verùm licèt unus, vel alter Princeps hanc reſtitutionem non urgeat, ſiſque contentus pœna fericidio præfinita, non tamen inde ſequitur, quòd cæteri reſtitutionem non urgeant, quia ex motivo publicæ utilitatis venationem prohibent, & tunc ſubditi non peccant contra juſtitiam, nec tenentur ad reſtitutionem. 47

Principes tamen, qui jus venandi ſibi reſervant obligantur ad cavenda damna, quæ feræ multiplicatæ poſſent agris vicinorum inferre, & ſi inferant, tenetur ipſe Princeps compenſare damna illata, ut notat Covarruvias *p. 2. §. 8. n. 10.* quia per reſervationem hujus juris, quo prohibentur feræ ab alijs occidi, dat Princeps cauſam, quòd feræ multiplicentur, & damnum inferant: & qui eſt cauſa damni illati, ipſi imputatur damnum illud, quod propterea tenetur reſarcire. Tum quia debent Principes cavere, quantum opus eſt, ne damna inferantur; nec ſufficit, ſi dicant ſe velle compenſare damna, quæ inferuntur; quia aliud eſt inferre damnum, & aliud velle compenſare illatum damnum, ſi enim parati ſint totum damnum abſque mora compenſare, tunc non mortiferè peccârent, quia non inferrent notabilem injuriam. Cæterum ſi ſint in cauſa, ut multiplicatæ feræ alienos agros devaſtent, tenentur ipſi illata damna reſarcire. 48

Nona ſpecies furti eſt illicita piſcatio. Piſces alij continentur in piſcina, vel ſtagno, alij vagantur in flumine, quod poteſt eſſe privatum, vel publicum. Qui piſces capit in piſcina, vel ſtagno incurrit pœnas jure impoſitas furibus, quia piſces illi pertinent ad Dominum, cujus eſt piſcina: qui piſces capit in flumine privato punitur pœna arbitraria: qui verò eos capit in flumine publico nulla coërcetur pœna. Hinc qui in aliena piſcina piſces capit, tenetur actione furti, quia piſces in piſcina conjecti ſubijciuntur juri illius, cujus eſt piſcina *l. 3. §. 14. ff. de acquir. & amitten. poſſeſſ.* proinde extrahi ab aliena piſcina non poſſunt piſces; & ſi lucrandi animo extrahantur committitur formale furtum, & incurruntur pœnæ furibus præſtitutæ. Tum quia perinde greges ſquamigeri coërcentur piſcinis, ac feræ vivarijs *l. 3. 14. ff. de acquir. & admitt. poſſeſſ.* ſed feræ vivarijs incluſæ non poſſunt auferri ſine crimine furti, quia amiſerunt naturalem libertatem: ergo nec piſces conjecti in piſcina poſſunt ſine crimine furti extrahi, & ſurripi, quia amiſerunt libertatem naturalem. 49

Qui verò piſces in flumine privato capit, tametſi non teneatur actione furti, incurrit tamen pœnam arbitrariam, & pro modo circumſtantiarum poteſt coërceri pœnâ pecuniariâ, vel afflictivâ corporis; etenim qui piſces in flumine 50

mine privato capit, jure civili non tenetur furti, quia non occupat rem alienam: piſces enim in tali flumine non cenſentur amiſiſſe naturalem libertatem: hinc qui in flumine privato piſces capit, non tenetur determinatè illos reſtituere: quia tamen id jure prohibetur, ideo incurrit pœnam arbitrariam, & obligatur ſaltem, ut tantùm præſtet, quanti refert ejus, cujus eſt flumen, piſces captos non eſſe.

51 Immo etiam ille pœnam incurrit arbitrariam, qui piſces capit in flumine publico, ſi alius ex juſta cauſa jus piſcandi quæſitum habeat: quia ſicut qui piſces capit in flumine privato incurrit pœnam arbitrariam, ut habetur in conſtitutione Caroli V. *art. 169.* ita etiam eandem pœnam arbitrariam incurrit, qui piſces capit in flumine publico, in quo alius jus piſcandi ex cauſa juſta quæſitum habet: eatenus enim, qui piſces capit in flumine privato, pœnam meretur arbitrariam, quia iniquè violat jus alienum: atqui qui piſces capit in flumine publico, in quo jus piſcandi alius ex juſta cauſa quæſitum habet, iniquè lædit etiam jus alienum, proinde æquè meretur pœnam arbitrariam.

52 Cæterum qui piſcatur etiam frequenter in flumine, ſive publico, ſive privato, vix pœna mortis plectitur, ſed alia mitiore: quia piſcatio periculoſum armorum appatatum non exigit, ut venatio, ſed contenta eſt inermi hamo, innoxio rete, vacua ſagena; neque quærit abditos ſylvarum receſſus, ut venatio; ſed candore ingenuo aquis innavigat. Quòd ſi quis aquas inficeret veneno, unde contingeret magnam vim piſcium mori, vel alio modo grave damnum inſerret, utique teneretur ad reſtitutionem Reipublicæ habenti jus piſcandi, quia cenſeretur jus illud graviter læſiſſe, & ſpem lucri, ac oblationis eripuiſſe.

§. VII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an qui in alieno fundo, vel ſylva invitn Domino occidit feras, teneatur ad reſtitutionem; Reſpondetur negativè, quia feræ illæ non erant ſub jure Domini illius fundi, vel ſylvæ; proinde tranſeunt in dominium primò occupantis: non enim feræ huc, illúcque diſcurrentes per ſylvas varias ſunt veluti fructus agrorum, vel ſylvarum, aut fluviorum, ſicuti ſunt arbores, quæ fixæ hærent ſolo, in quo radices egerunt: feræ enim incertum habent domicilium, & modò fundum unius, modò ſylvam alterius pertranſeunt; & ex illis aliæ procreantur: unde licèt fundus pertineat ad particularem aliquem Dominum; non tamen feræ illuc diſcurrentes ſunt ſub jure Domini fundi, quia gaudent naturali libertate, proinde fiunt primò occupantis; quòd ſi Dominus fundi haberet jus ſibi ſoli quæſitum venandi in ſuo fundo, tunc ipſa venatio eſſet quidem prohibita alteri in tali fundo; non tamen fera ibi capta ab alio eſſet reſtituenda Dnmino fundi, quia cùm ſupponatur gaudere naturali libertate, & diſcurrat per varias ſylvas pertinentes ad varios Dominos, ideo fera eſt nullius particularis domini, proinde fit primò occupantis.

2 Peccatet nihilominus, qui in alieno fundo, in quo jus quæſitum venationis ex juſto titulo pertinet ad ſolum Dnminum ejusdem fundi, apros venaretur, & ceruos caperet; quia tunc venator exterus invito Domino venaretur in ſuo fundo, proinde injuriam ei inferret: ſiquidem Dnminus habet jus quæſitum venandi in illo §. *feræ inſtit. de rer. divis. & l. item ſi fundi. 9. §. aucupiorum de uſufruct.* ubi habetur, *Reditus aucupiorum, ſicut & venationum ad fructum agri pertinere, nec eſſe rationabile in agro alieno quemquam nolente Domino aucupari.* Hinc ſi venator extetus damnum aliquod inferat in fundo alieno, ut ſi ſegetes conterat, ſi ſepimenta diſrumpat, ſi tenellas plantas diſſipet, tenetur ad reſtitutionem, ut etiam ſi jus venandi Dominus fundi alteri elocaverit, & venator exterus crebra venatione effecerit, ut parvi æſtimetur: tenetur etiam in hoc caſu: ut etiam in quovis alio illatum damnum reſarcire. Sin verò nullum ſit damnum illatum, non tenetur venator ad ullam reſtitutionem; tametſi invito Domino venatus ſit, cùm notabile damnum non intulerit. Tum quia illa prohibitio videtur parum rationi conſentanea, quando Dominus ſundi non vult ipſo jure venandi uti. Idque procedit etiam de extraneo venante in loco publico, & de cive venante in loco privato alterius invito Domino; tametſi neuter teneatur reſtituere feras, uterque tamen tenetur reſarcire damnum, ſi quod ſit illatum,

3 Quæritur ſecundò, an, ſi fera incidat in caſſes, vel laqueum Petri, & Paulus eam laqueo eximat, & anſerat, pertineat ad Petrum, cujus ſunt caſſes, & laqueus; vel ad Paulum. Reſpondent plures cum Covarruvia *ad regul. peccat. p. 2. §. 8. n. 13.* talem feram eſſe adjudicandam eximenti niſi contraria vigeat cnnſuetudo in aliquo particulari lnco, & nituntur *l. in laqueum 55. ff. de acquir. rer. domin.* ubi ſignificatur, pertinere ad eum, qui illam exemit laqueo. Tum quia dnminium feræ non acquiritur niſi pet apprehenſionem: & qui caſſes, vel laqueum poſuit, nondum feram apprehenderat. Verùm licèt hæc ſententia nitatur probabilitate; eſt nihilominus oppoſita probabilior, magisque conſentanea rationi naturali, ſiqnidem qui eam apptehendit, & occupavit per ſuas caſſes, vel laqueum ademit feræ libertatem naturalem; proinde videtur eſſe ſub illius dominio; nil enim refert, an apprehendatur immediatè manu; vel tantùm mediatè, ſeu mediante aliquo inſtrumento; utraque apprehenſio ſufficit, ut fera fiat apprehendentis, quia utraque apprehenſinne privatur fera ſua naturali libertate, & ita detinetur, ut

non poſſit aufugere, ſitque propterea in poteſtate illius, qui caſſes, vel laqueum poſuit. Tum quia in *d. l. in laqueum de acquir. domin.* ponitur idem caſus, & reſpondetur, feram eſſe illius, in cujus poteſtatem devenit: & cum devenerit in poteſtatem Petri per ſuas caſſes, vel laqueum, ideo ad Petrum pertinet, non ad Paulum, qui illam laqueo exemit.

4 Hinc patet ſolutio ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ, quia lex illa *in laqueum 55.* noſtræ favet ſententiæ; ſiquidẽ eo ipſo, quòd fera incidit in caſſes alicujus eſt ſub poteſtate illius, proinde non poteſt alter eam capere, quin injuriam inferat ei, qui caſſes poſuit. Ad ſecundam rationem reſpondetur, eum, qui caſſes poſuit, apprehendiſſe feram, quam privavit naturali libertate mediatè, ſeu mediante ſuo inſtrumento, quod ſufficit. Quòd ſi fera, adeo ſit viribus valens, ut ex illis caſſibus facilè poſſit ſe extricare, & alius ſuperveniens eam exploſione, vel jaculo feriat, & occidat, tunc quia nondum præſumitur carere naturali libertate probabile eſt, fieri occupantis, cùm nondum pervenerit in poteſtatem illius; qui caſſes poſuit.

5 Verùm tunc æquius videtur, ſi fera dividatur inter occupantem, & eum, qui caſſes poſuit, quia uterque ſua inſtrumenta poſuit ad capiendam feram. Quid verò dicendum ſit ſi fera ab uno vulnerata poſtea ab alio capiatur, ſit ne vulnerantis, vel capientis. Communior ſententia docet, eſſe capientis cum Covaruvia *p. 2. §. 8. n. 13.* & videtur deſumi ex *§. illud quæſitum inſtit. de rer. divis.* Verùm id intelligi debet dummodo inflictum vulnus non fuerit lethale, & fera à vulnerante fuerit jam derelicta: alioquin ſi fuerit lethaliter vulnerata, & percuſſor eam inſequens fuiſſet illam capturus, tunc ad vulnerantem pertinet, non capientem: quapropter ut fiat capientis debet fera non ampliùs à percuſſore prætendi; adeò ut hic eam non ampliùs inſequatur, quia tunc habetur pro derelicta, & fit primi occupantis.

6 Ut autem fiat vulnerantis, tres requiruntur conditiones, quarum prima eſt, ut eam læſerit, quantum ſufficit ad illam capiendam. Secundò ut percuſſor eam adhuc inſequatur læſam. Tertiò, ut moraliter certum ſit, eſſe eam apprehenſurus; quia tunc habet illam quodammodo in ſua poteſtate, & cenſetur quaſi capta, proinde non poteſt alius illam præuertere. Quòd ſi dubium ſit, an fera ſit evaſura; tunc cenſent plures, fieri occupantis, eò quia adhuc videatur habere ſuam naturalem libertatem, & videtur deſumi ex *l. naturalem 5. inſtit. de acquir. rerum domin:* ubi dicitur, *feram recepiſſe naturalem libertatem, quando difficilis eſt ejus perſecutio.* Sed in tali dubio æquius videtur feram dividere, quia vulnerans, & capiens mutuò concurrunt, ut fera capiatur, proinde effectus capturæ utrique cauſæ tribuendus eſt.

Quæritur tertiò, an venæ metallicæ auri, & argenti, etiam lapilli pretioſi, gemmæ, corallium & alia id genus, quæ in littore maris, vel promontorijs, aut fluminibus inveniuntur, ſint primò occupantis, perinde ac feræ naturali libertate donatæ? Reſpondetur hæc omnia fieri primò occupantis, ſi reperiantur in locis communibus, quæ ad nullum ſpecialem dominum pertinent. De venis metallicis, auri, & argenti docet Sotus *l. 5. q. 3. art. 3.* Ratio eſt, quia Principes paſſim ſibi vendicant jus effodiendi hujuſmodi metalla, & concedunt etiam privatis hominibus jus ea acquirendi ubilibet etiam in alieno agro, & etiam ſibi reſervandi pinguem eorundem partem compenſato tantùm damno, quod inſertur loco: hoc autem non juſtè fieret, ſi hujuſmodi venæ metallicæ ad eum pertinerent, cujus eſt ager; hinc qui eruit aurum, & argentum in fundo alieno etiam invito Domino, non tenetur ad reſtitutionem auri Domino fundi, ſed tantùm ad compenſandum damnum illatum, in quo tamen æſtimari debet ſpes illa, qua Dominus fundi poterat facilè ijsdem metallicis venis potiri. Quod verò ad lapillos, gemmas, & alia id genus pertinet, hæc fieri primò occupantis, habetur expreſsè in *§. per fera, & §. lapillorum, inſt. de rerum divis.* 7

Verùm quoad hæc ſtandum eſt conſuetudini locorum, & legibus Principum: alioquin ſecluſa omni conſuetudine, & lege, ſi jus effodiendi tantùm competat Domino fundi, ad ipſum potiùs videtur pertinere quidquid eruitur ex ſuo fundo, ſive locus ſit hominis privati, ſive reipublicæ; quia metalla ſunt fundo permixta, & inhærentia. Hinc Indi Occidentales antequam ſubijcerentur Hiſpanico Imperio, potuerunt prohibere, ne Hiſpani metallicas venas in ſuis regionibus occuparent, ut notat Sotus *lib. 5. q. 3. a. 3. ad 2.* quia quilibet poteſt prohibere extraneum, ne effodiat in ſuo fundo. 8

Quæritur quartò, an furtum committat creditor, ſi debitori rem auferat? Reſpondetur cum diſtinctione, vel enim Creditor aufert ipſam rem, quæ eſt in obligatione, & tunc ſi Debitor injuſtam habet detinendi cauſam rem illam, creditor eam contrectans non committit furtum, quia accipit rem ſuam: ſin verò debitor habet juſtam cauſam rem illam detinendi, eò quia ad ipſum pertineat uſus fructus illius rei, tunc creditor, qui illam ſurripit non excuſatur à furto, quia fructuarij intereſt rem non dividi *l. 15. §. 1. ff. h. t.* Pari pacto, ſi creditor rem aufert, in quam commodatarius impenſas fecit, tenetur actione furti, quia tunc commodatarius habet juſtam cauſam detentionis *l. 15. §. fin.* aliud eſſet, ſi creditor commendatario nudum uſum interverteret; tunc enim non tenetur furti, quia illius non intereſt, rem ſalvam eſſe, cùm non poſſit actione commodati conveniri *l. 15. §. fin.* Rurſus ſi Emptor rem ſibi venditam contrectat, adeò ne 9

ut pretium non ſolvat, tenetut furti, quia venditoris intereſt, rem ſuam ab alio ſine ſolutione pretij ſurripi. Rurſus ſi Dominus rem auferat, quam ex donatione tertij alter habet, ſi ipſius interſit, poſſeſſionem non perdit, eò quia ægtum curaverit, vel quid aliud egerit, actionem furti habet; ſecus non habet talem actionem *l. 53. §. fin. ff. h. t.*

10 Quòd ſi creditor non quod ſibi debetur ſurripit, ſed rem alienam æquivalentem, excuſatur à furto, dummodo aliquot concurrant conditiones, quarum prima eſt, ut debitum difficulter creditor potuiſſet aliâ viâ obtinere; vel quia debitor porentiâ valet; vel quia ſine magnis expenſis, vel periculo gravis inimicitiæ conveniri non poſſit. Secunda ut debitum ſit liquidum, juſtum, & moraliter certum. Tertia ut id, quod creditor accipit, pertineat ad ipſum debitorem, non verò ad aliam tertiam perſonam. Quarta ut quod debetur in ſpecie, vel in genere obtineri non poſſit. Quinta ut jure ſuo cedat, & etiam renuntiet ſolutioni ſecundæ. Hæ conditiones ſi concurrant, ſi Creditor moroſo debitori rem æquivalentem ſurtipiat, excuſatur à furto, quia tunc debitor in talibus circumſtantijs non niſi imprudenter poteſt eſſe invitus, nec creditor lucrum quærit, ſed tantùm, quod ſuum eſt. Sin verò una, vel altera ex præfatis conditionibus deſit, creditor non excuſaretur à furto, quia tunc debitor prudenter eſſet invitus; & creditor non ſolùm ſuæ indemnitati ſtuderet, ſed etiam lucro injuſto, eò quia ex motivo commodi privati adigeret debitorem invitum ad rem ſuam cum alia permutandam, ut docet Molina *tract. 2. de juſt. & jur. diſp. 69.*

11 Quæritur quintò, quænam quantitas requiratur, ut furtum ſit peccatum grave? Certum eſt, peccatum furti, & injuriæ eſſe ex genere ſuo mortale, niſi vel inconſideratio, vel parvitas materiæ excuſet. Quòd enim detur parvitas materiæ, ex eo conijcitur, quia nemo ſibi perſuaderet, eum æternam pœnam ex natura rei mereri, qui alteri non indigenti unum, vel alterum crucigerum, aut obolum ſurriperet, ſi nullum aliud damnum per accidens ſequatur, nec lucrum impediatur, ut contingeret, ſiquis ſutori non habenti niſi unicam ſubulam, ſine qua non poſſet lucrari, quod cum illa lucraturus fuiſſet, eam ſurriperet; tunc enim quamvis ſubula ſecundùm ſe conſiderata ſit res levis, juncta tamen cum damno ſubſecuto eſt quid grave inferens ſutori notabile damnum, ex ſuppoſitione quòd aliunde non poſſit ſibi lucrari neceſſaria pro vitæ ſuſtentatione. Hinc præter materiam levem, poteſt etiam in furto aſſignari materia, quæ omnium judicio ſit gravis, cujuſmodi ſunt centum aurei; & alia quæ ſit ex ſe levis, ut unus obolus.

12 Difficultas eſt, quænam ſint utriusque materiæ gravis, & levis confinia, ſeu quænam ſit illa quantitas, quæ ita ſit gravis, & lethalis; ut vel minima parte dempta non ſit ampliùs lethalis; & quænam ſit ita levis, ut fiat lethalis per aliam minimam partem ſuperadditam: dari utriusque materiæ gravis, & levis terminum ultimum eſt certum, verùm qualis ſit, videtur adhuc nobis prorſus ignotum, præſertim in ordine ad praxim ob varias Doctorum ſententias, & diverſas circumſtantias præſertim perſonarum, & temporis, quæ occurrunt: neque hujusmodi ignorantia cenſenda eſt humano obeſſe generi, cùm potiùs eidem videatur prodeſſe, quia in dubio, an materia ſit gravis, vel levis tenetur quis ſub mortali abſtinere, ne in periculum ſe inijciat peccandi; quo fit ut ſaltem à viris timoratis multa furta prætermittantur, quæ aliàs committerentur, ſi adeſſet ſcientia.

Vix igitur poteſt univerſim teneri ultimos hic terminus, quo habito conſtituatur materia gravis, & quo dempto materia fiat levis. Solùm in genere dici poteſt ad conſtituendam materiam gravem requiri quantitatem notabilem juxta arbitrium prudentis viri pro varia tum locorum, tum perſonarum conditione; quia quod reſpectu unius cenſetur notabile, & grave, reſpectu alterius, qui divitijs affluit, eſt exiguum, & parvi momenti. Nihilominus res furto ſublata dupliciter poteſt conſiderari. Primò in ordine ad ſe ipſam; ſecundò reſpectu illius, cui ſurripitur: priori modo conſiderata poteſt una, ac eadem quantitas ex natura rei eſſe ſufficiens ad mortale pro quacunque hominum conditione, niſi per accidens contingat, ut minor quantitas ſit læſio gravis. 13

Quæ verò ſit hæc quantitas, quæ reſpectu omnium ſit gravis, hoc opus, hic labor; aliqui recentiores cenſent, hanc quantitatem conſiſtere in ipſa damnificatione, quæ ſi ſufficiens ſit ad diſſolvendam amicitiam inter homines, ſit materia gravis, eò quia grave inferat damnum. Verùm adhuc ſupereſt aſſignanda quantitas illa, quæ præcisè ſecundùm ſe ſit diſſolutiva amicitiæ inter homines, etenim ſi uni amico ab altero ſurripiatur unicus aureus, non propterea diſſolvit amicitiam, neque tam parvi amicitiam æſtimat, ut amiſſione unius aurei velit eam ſolvere; ſin verò alteri amico ab alio ſurripiatur medius tantùm aureus, ſtatim adeò iraſcitur, ut nolit amplius eum amicum habere, unde hæc damnificatio diſſolutiva amicitiæ inter homines adhuc non explicat gravitatem furti, quæ ſit omnibus communis. 14

Tum quia licèt aliqua certa damnificatio ſit diſſolutiva amicitiæ inter homines, adhuc non rectè infertur, quòd ſit etiam diſſolutiva inter hominem, & DEUM, & ſufficiens ad peccatum lethale, etenim mendacium ſæpe repetitum, infidelitas in ſervandis promiſſis, ingratitudo, ſolet inter homines communiter cauſare abalienationem, & diſſolutionem amicitiæ, & tamen non ſufficiunt ad diſſolvendam amicitiam cum DEO, eò quia ſint peccata ex genere ſuo tantum venialia, unde à diſ- 15

ſolu-

ſolutione amicitiæ inter homines, non rectè infertur diſſolutio amicitiæ inter hominem, & DEUM, proinde neque rectè infertur gravitas ſufficiens in furto ad peccatum lethale: poteſt enim læſio aliqua eſſe diſſolutiva amicitiæ inter homines, quæ non ſit diſſolutiva amicitiæ inter DEUM, & hominem, cum amicitia inter homines longè faciliùs diſſolvatur, quàm inter DEUM, & hominem.

16 Alij dicunt, hanc gravitatem conſtitui per effectum aliquem experimentalem phyſicum, & dicunt, hunc effectum, à quo homines ſolent damnum vocare grave, & notabile, non videri commodiorem eſſe alium, quàm triſtitiam, ſeu animi dolorem, aut moleſtiam imperio voluntatis moraliter inimpedibilem, ſeu non cohibendam per ſe loquendo, ſpectata communi hominum complexione, & conſtitutione. Verùm in praxi aſſignare, quanta ſit hæc gravitas in furto adhuc difficulter concludi poteſt, quia ſi uni ſurripiatur aureus vix triſtatur; ſin verò alteri decima pars aurei, vel maximè triſtatur: & ſicut complexiones, & conſtitutiones hominum variæ ſunt, ita tot eſſent aſſignandæ quantitates diverſæ, quot variæ ſunt hominum complexiones magis, vel minus pronæ ad triſtitiam, ob res in parva, vel magna quantitate ipſis ſublatas.

17 Quamobrem ut rem ad praxin deducamus putârim cum Molina *de juſtit. & jur. tom. 3. diſp. 685.* tantùm pecuniæ valorem, qui in unoquoque loco ſufficit ad conducendas operas unius diei foſſoris terræ, videri materiam ſufficientem ad furtum lethale in eos, qui non ſunt valde divites: & generatim, quoad omnes ſecluſo omni alio damno extrinſeco ſummam trium Juliorum in ſe eſſe materiam notabilem, & ſufficientem ad peccatum lethale. Unde ſumma trium Juliorum cùm ſit ex ſe materia notabilis præſcindendo à perſona, & ſtatu, vel dignitate illius, cui talis ſumma ſurripitur eſt ſemper peccatum grave, adeò ut ſive quis talem ſummam ſurripiat viro Principi, ſive equeſtri, ſive Mercatori, vel alteri inferiori perſonæ, ſemper ſit materia notabilis, & peccatum grave, licèt etiam ſumma duorum Juliorum, vel etiam unius Julij poſſit eſſe materia gravis ſufficiens ad peccatum lethale, non quidem in ordine ad ſe, ſed ad pauperem, qui mendicatò vivit, nec habet niſi Iulium, quo poſſit ſibi conſulere de neceſſarijs pro vita ſuſtentanda.

18 Quamobrem putârim, materiam per ſe notabilem reſpectu omnium eſſe ſummam trium Juliorum, & in ordine ad perſonas, quibus res propriæ ſurripiuntur poſſe etiam minorem ſummam eſſe materiam notabilem; hinc ſi quis ſurripiat Principi unum tantùm Julium non peccat lethaliter, benè tamen ſi illum ſurripiat pauperi non habenti quid aliud, non quod ſumma ſit ex ſe notabilis; ſed tantùm reſpectu pauperis, cui infertur notabile damnum, ſumma verò per ſe notabilis ſunt tres Julij, adeò ut qui invito Domino hanc ſummam ſurripit ſive Principi, ſive viro equeſtri, ſive Mercatori, ſive cuilibet alteri peccet mortaliter. Quamobrem non putârim adhærendum ſententiæ eorum, qui cenſent illam eſſe notabilem quantitatem, quæ excedit duos aureos, ut putat Rodriquez *in ſum. tom. 5. c. 118. n.* 27. quam ſententiam in ordine ad divites docent Sotus *lib. 5. de juſtit. q. 3. art. 3. ad 3.* Vasquez *opuſc. de reſtit. c. 5. §. 1.* & alij.

19 Quæritur ſextò, an poſſit dari caſus, in quo ultima acceptio rei ablatæ comprehendens materiam notabilem non ſit peccatum lethale? Reſpondetur cum Granado *p. 2. controvers. 6. tractat. 2. diſp. 2. ſect. 3. n. 51.* & alijs affirmativè, quia poteſt caſus contingere, ut aliquis jam ſurripuerit Petro 29. baioccos, & ſi ſurripiat trigeſimum, peccet mortaliter, eò quia ſummam trium Juliorum ſurripiat, quæ eſt materia notabilis. Poteſt etiam contingere, ut habeat animum quàm primùm reſtituendi trigeſimum illum bajoccū, vel quid aliud; tunc enim cùm nolit ſibi retinere notabilē quantitatem, & ſtatim velit ultimum baioccum reſtituere, quo completur materia notabilis, in hoc caſu, non videtur per ſurreptionē trigeſimi oboli lethaliter peccare, quia tunc acceptio rei alienæ non eſt mortalis, quando fit animo illam reſtituendi, & ratione dilationis non infertur Domino damnum gravis momenti. Pari pacto ſi homo furetur ultimum obolum, & jam conſumpſerit omnes, quos priùs ſurripuerat, adeò ut non habeat, unde ſolvat, non peccat mortaliter, ſi animum habeat ſolvendi illam quantitatem, cùm primùm pervenerit ad pinguiorem fortunam: ratio eſt, quia in hoc ultimo furto tantùm poteſt fur mortaliter peccare, quia invito Domino vult retinere ſaltem per longum tempus notabilem quantitatem: id autem non contingit in ultimo furto, quia fur intendit ſtatim obolum reſtituere, & poteſt ſimul dolere de furtis præcedentibus cum animo obolos omnes à ſe ſublatos reſtituendi cùm primùm ad pinguiorem venerit fortunam: in hoc caſu ultima acceptio rei ablatæ, tametſi compleat materiam notabilem, non conſtituit peccatum mortale.

20 Quæritur ſeptimò, an fur, vel quivis alius iniquus poſſeſſor rei alienæ teneatur reſtituere majorem ſummam, ad quam excrevit res furto ſublata tempore iniquæ detentionis, ſi fur illam vendidit in illo optimo ſtatu; ut ſi res furto ablata tempore furti valuit decem aureis, & poſtea antequam reſtituatur, excreverit pretium ad viginti aureos, an tunc fur teneatur reſtituere tantùm decem, vel viginti aureos? Ad hanc quæſtionem ſolet reſponderi cum diſtinctione, an mutatio valoris ſit intrinſeca, vel extrinſeca; tunc eſt intrinſeca, quando res in ſe creſcit, vel decreſcit, ut ſi res furto ſublata fuit agnus, qui poſtea excrevit in ovem: mutatio extrinſeca eſt, quando res ſecundùm ſe phyſicè invariata manet ſemper in

co-

eodem ſtatu, & tantùm mutatur ob aliquas extrinſecas circumſtantias valor ipſius, ut ſi modius tritici, qui hodie valet quinque florenis, poſt octiduum valeat ſeptem, vel octo florenis, tunc valor tritici dicitur extrinſecè auctus.

21 Ut ſatiſfiat quæſito reſpondetur juxta probabiliorem ſententiam eſſe reſtituendam domino rem ipſam furto ablatam, vel ejus ſummum valorem pro tempore, quo fuit detenta, ut ſi quis ſurripuit agnum, quem non reſtituit, donec excreverit in ovem, vel ita excreviſſet, ſi non fuiſſet agnus occiſus, tenetur fur Domino reſtituere valorem ovis; adeò ut non ſufficiat, ſi valor reſtituatur agni; ratio eſt quia fit Domino injuria eum privare ſua re eo tempore, quo cariori pretio potuiſſet illam divendere, & cum furtum alterius fuerit cauſa illius damni, tenetur fur illud reſarcire; ſiquidem injuriæ illatæ Domino non ſatisfit, ſi illi reſtituatur, quantum res valebat ante furtum: ſed ſi pretium crevit poſt furtum, cùm Dominus potuiſſet rem ſuam vendere, & lucrum ſibi acquirere; fur fuit in cauſa, cur Dominus tale fuerit damnum paſſus, & propterea tenetur illud reſarcire: quòd ſi dicas, Dominum fortaſſis non fuiſſe venditurum rem illam pro illo tempore, quo carior erat: id non ſuffragatur furi, quia ſufficit, ſi Dominus potuerit rem ſuam vendere in illo cariori pretio, & quod fur id impediverit.

22 Quæritur octavò, an, qui furatur in Eccleſia, gaudeat ejuſdem Eccleſiæ immunitate. Ratio dubitandi eſt, quia delictum furti, quamvis tendat contra Eccleſiam, non eſt tamen de exceptis in Bulla Gregorij XIV. de immunitate Eccleſiarum: etenim cum Rei gaudeant immunitate non obſtante quocunque delicto, non excepto in Gregoriana conſtitutione à privilegio immunitatis; eadem etiam debet gaudere, qui furatur res Eccleſiæ. Tum quia ſi quis furetur in una Eccleſia, & ad aliam confugiat, videtur gaudere immunitate, quia tametſi furatus ſit res Eccleſiæ, & commiſerit ſacrilegium contra Eccleſiam, adhuc gaudet immunitate.

23 Nihilominus probabilius videtur dicendum, non gaudere, quia tam in jure communi, quàm in Gregoriana conſtitutione conceditur immunitas extra delicta ibi excepta confugientibus ad Eccleſiam, ut liquet *ex §. 3. ejuſd. conſtitut.* ibi. *Ut laicis ad Eccleſias locaque ſacra, & religioſa prædicta confugientibus*, unde in conſtitutione Gregoriana tantùm diſponitur de confugientibus ad loca, quæ gaudent immunitate: & ſub tenore eorundem verborum diſponitur in jure communi, adeo ut ſolis confugientibus concedatur immunitas: ſed confugientes hi tantùm dicuntur, qui ad Eccleſiam recurrunt implorantes auxilium, & protectionem; ſiquidem confugere perinde eſt, ac auxilij cauſâ, & præſidij ad aliquem recurrere: qui autem accedit ad Eccleſiam, ut furetur res ipſius, non accedit ad implorandum ejus auxilium, & protectionem; ſed potiùs ad inferendam illi injuriam; unde cùm de ipſo non verificentur verba diſpoſitionis, neque poteſt locum habere diſpoſitio *l. 4. §. toties. ff. de damno infect. l. quod conſtitutum. ff. de milit. teſtam. c. indemnitatibus §. ſed cum eas de elect. in 6.* & notat Tiraquel in *l. ſi. unquam. V. libertis n. 2. C. de revocand. donat.*

24 Præterea ex cauſa finali hoc idem conjicitur, quia finis concedendi immunitatem confugientibus ad Eccleſiam eſt miſereri delinquentibus, eiſque ut pœnitentes protegere, non autem fovere eorum delicta: hinc quando fures confugiunt ad Eccleſiã, hæc accipere ſolet rem furtivam, quam Domino reſtituit, ne videatur Eccleſia delicta furum protegere, ut notat Suarez *de relig. tom. 1. tractat. 2. de immunit. lib. 3. c. 12. n. 3.* cùm enim Eccleſia ſit juſtitiæ cultrix, debet quidem delinquentes pœnitentes protegere, non verò eorum delicta fovere: unde cauſa finalis immunitatis in furibus, qui in eccleſia furantur, ceſſat contrariè, alioquin Eccleſia foveret injoriam ſibi illatam: ideo debet etiam ceſſare ipſa conteſſio immunitatis *l. Titio §. uſuras ff. de leg. 2. l. adigere §. quamvis ff. de jure patron.* & notat Tiraquel *tractat ceſſante cauſa p. 1. n. 11.* Rota coram Mantica *deciſ. 131. n. 4.*

25 Excipitur tamen, ſi fur poſt ablatum furtum illud reſtitueret eidem Eccleſiæ, quia tunc, ut pœnitens eſſet protegendus, nec Eccleſia foveret ampliùs delictum, nec injuriam ſibi illatam, ſed hominem reſipiſcentem, qui propterea gauderet immunitate; quia ratio finalis privilegij immunitatis eſt protegere reum pœnitentem, & eo ipſo, quòd furtum reſtituit, pœnitentiam oſtendit; proinde locum habet diſpoſitio *l. his ſolis §. etiam cautè C. de revocand. donat.* & *l. illud C. de SS. Eccleſ.* ut notat Gloſſa. Hinc patet ſolutio ad rationem dubitandi initio poſitam.

26 Quæritur nonò, ad quid teneatur, qui furatus eſt in Eccleſia reliquiam alicujus ſancti, quam non poteſt reſtituere, eò quia non ſit ampliùs in poteſtate furis? Reſpondetur teneri tunc furem compenſare furtum re alia ſpirituali æquivalente, quæ tantæ ſit æſtimationis, quantæ erat reliquia furto ſublata: unde tunc tenetur aliam parem reliquiam eidem Eccleſiæ dono dare, quia ut docet D. Thomas 2. 2. q. 62. a. 2. reſtitutio neceſſaria eſt ad ſalutem, quia neceſſarium eſt ſervare juſtitiam, proinde æqualitatem, quæ eſt objectum juſtitiæ; & cùm per furtum inſurgat inæqualitas, debet hæc tolli, & poni æqualitas per reſtitutionem, unde quando non poteſt fieri reſtitutio ejuſdem rei numero, debet fieri in æquivalente, ut quantum poſſibile eſt, inducatur æqualitas, & ſervetur juſtitia. Quòd ſi non poſſit hoc modo compenſari, tenetur ſaltem compenſare injuriam ei, qui poſſedit reliquiam: ſiquidem in furto conſideratur res quæ aufertur; & injuria, quæ infertur; hæc conſiſtit in eo, quòd Dominus privetur poſſeſſione ſuæ rei, & licèt teli-

Digitized by Google

reliqoiæ ſanctorum non ſint pretio compenſabiles, injuria tamen illata poſſeſſori ejusdem eſt pretio æſtimabilis, conſiſtit autem hæc injuria in quadam violentia, & paſſione injuſta illata ei, cui alter ſurripuit rem ſuam: onde ſicur fur tenetur reſtituere tam ratione rei acceptæ, quàm ratione injuſtæ acceptionis, ideo debet compenſare injuriam illatam poſſeſſori reliquiarum, adeò ut compenſatio ſit talis, quæ ſufficiat ad tollendam inæqualiratem, & qoia hæc non poteſt tolli, oiſi Eccleſia, & ejus rectores de minus habentibos, ſiant æquè habenres, ideo ea compenſatio eſt facienda, quæ ſecundùm regulas rectæ ratioois de minus habeotibus ſiant æqoè habentes.

27 An verò io hoc ſurto Reliquiarom dari poſſit parvitss matetiæ, quæ excuſet à mortali. Reſpondetur affirmativè, verùm hæc parvitas matetiæ ſpectanda eſt non ſolùm penes rei materiam, ſed etiam penſanda eſt ejus dignitas, æſtimatio, & raritas, unde ſi quis parvum fruſtulum ex corpore alicujus S. Martyris aoferret, eſſet hæc materia parva inſufficiens ad peccatum lethale, qnia parum damni etiam inferretur Eccleſiæ, quæ adhuc retineret reliquom cotpus ejusdem Martyris. Sin verò ſorriperet fruſtulom S. crucis, quod lo tali Eccleſia eſſet in maxima veneratione, tunc licèt materia quoad ſe eſſet abſolotè in parva quantitate: nihilominus quia ejus dignitas, æſtimatio, & raritas eſt maxima; noo excuſaretur fur à peccato graviſſimo, & furtum illud eſſet ſacrilegium.

28 Quæritur decimò, an ſi res furtiva pereat; teneatur fur ad reſtitutionem? Reſpondetur, qoòd ſi res iniquè parta caſu pereat, tenetur is, qui illam ſuſtulit ad reſtitutionē pretij, ſi tamen non putetur perituta fuiſſe etiam apud Dominom, ut notat Covarruvias *ad regul. peccat. p. 2. § 6. n. 1.* ratio eſt, quia is, qui illam injuſtè ſuſtulit non ſolùm obligatur ratione rei acceptæ; verùm etiam ratione injuſtæ acceptionis: unde ſive res adhuc exiſtat, ſive oon, ſemper, qui illam ſorripuit, tenetur damnum alteri illatum reſarcire: quia per injuſtam ſurreptionem ſit cauſa, cur res illa peteat, eò quia præſumatur non perijſſe, ſi apud verum Dominom manſiſſet. Tum quia injoſtè detineos rem alienam ſemper eſt in mora, cui propterea impotator caſus fortuitus *c. 68.* 10. *16. q. 1.* niſi fortâſſis moram purgâſſet offerens rem Dominò, & is ooluiſſet eam acceptare, ſed illi cuſtodiendam commiſiſſet: ſiquidem in hoc caſu non teneretur ex caſu fortuiro, quia non ſuppooeretur ampliùs in morà. Sin verò res æquè periiſſet apud verum dominum, ac apud iniquum poſſeſſorem; ut ſi hic eam abſtulerit è domo ſui vicini, & transtuletit in propriam, & paulò poſt ex incendio utraque domus cumbuſta fuerit. Plures cum Paludano *in 4. diſt. 15 q. 2. art. 1. conclus. 5.* docent etiam in hoc caſu iniquum detentorem rei alienæ teneri ad reſtitutionem pretij, eò quia ſemper fuerit in mora, quæ trahit ad ſe periculum, ut ſtatuunt jora.

29 Nihilomious alij probabiliter ceoſent, iniquom poſſeſſorem non teneri pretium reſtituere, ſi res caſu, vel juſta hoſtium incurſione erat certò peritura etiam apud Dominum: qoia ſi res erat certò perirura apud Dominum, adeò ut nihil juris, vel commodi, potuiſſet verus Dominus ex re illa ſuſcipere; nihil novi detrimenti fuit illi illatum ex eo, quòd perierit in domo ſui vicini, cùm æquè debuiſſet certè perire in propria domo: unde quod perierir in hoc, vel illo loco per accidens ſe haber ſi præſumarur, quod abſolutè debuiſſet perire, etiam in domo legitimi poſſeſſoris: ſiqnidem detrimentum, quod patitur dominus jam erat præparatum in cauſa, nec poterat impediri à Domino, proinde in morali æſtimatione cenſebatur damnum illud jam illatum: unde fur non cenſetur illud intuliſſe, eùm jam fuerit præparatum in ſuis cauſis; proinde non videtur iniquus poſſeſſor, apud quem res illa periit, teneri ad reſtitutionem pretij.

Tum qoia iniquus poſſeſſot non eſt cauſa damni ratione interitûs rei, quia ad hunc non fuit cooperatus: neque eſt cauſa damni ratione iniquæ acceptionis, cum res petinde inteitura fuiſſet apud ſuum Dominum, ſi non fuiſſet ſurrepta: non enim Dominos poteſt conqueri de damno illato per acceptionem, cùm res furto ablata fuiſſet peritura etiam apod legitimum ſuum Dominum. Tum quia iniqua ſurreptio rei alienæ non inducit obligationem reſtituendi, niſi quatenus infert efficaciter alteri damnum, & in caſu noſtro ſurreptio rei alienæ non infert tale damnum, cum res ſurto ſurrepta æquè perijſſet in domo legitimi, ac iniqui poſſeſſoris.

Quæritur undecimò, an, qui ſibi propoſuit aliquid furari, ſi pet plures vices ſurripiat Domino ſemper aliquid, committat multiplex furtum; an verò unum tantùm. Vt ſi fur ſibi propoſuit furari alteri vigioti aureos per decem vices, ſurripiendo binos auteos ſingulis vicibos plura committat futta? Certum eſt, quòd ſi furtum unius partis diſcontinuetur à furto alterius, cum aliqua voluntatis retractatione eſſet tunc multiplex furtum, quia ratione retractationis voluntas furandi unam partem, non eſt voluntas furandi altetam; nec onum furtum nectitur cum alio: quinimo illa retractatio inducit quandam pœnitentiam prioris furti; proinde ſuperveniente novo propoſito committitur novum peccatum, & novum ſurtum, quia tunc non ſolùm multiplicantur actus voluntatis, ſed etiam propoſita furandi, proinde tot multiplicantur futta, quot ſunt actus furandi. 31

Sin verò nulla interveniat voluntatis retractatio; ſed tantùm quædam intertuprio, adeò ut prima nocte fur ſurripiat binos aureos, totidem ſecunda, & ſic ſucceſſivè donec compleat integrum numerum viginti aureorum, quos propoſuit ſurari; in hoc caſu putârim adhuc multiplicari futta, ut docent Navarrus *in c. conſider. n. 49. de pœnit. diſt. 5. c. 6. manual.* 32

Digitized by Google

nual. n. 16. Suarez *diſp. 22. de pœnit. ſect. 5.* quia tunc adhuc concurtunt principia ſufficientia diſtinctiva peccati: ſiquidem multiplicantur actus interni habentes objectum peccaminoſum, & objectum externum: unde ceſſante primo furto, cenſetur moreliter fur ceſſâſſe à furto: & dum ſecunda nocte iterom furetur, in communi æſtimatione cenſetur novum furtum committere, quia revera ſunt actus diſtincti realiter, & interrupti per moram unius integri diei: tametſi in fure perſeveraverit idem propoſitũ furandi donec compleat numerum viginti aureorum; ſiquidem pro unitate peccati non ſufficit unitas propoſiti, quando executio inferr diſtinctos actus externos; quia runc propoſitum tantùm ſe habet ut imperans actus illos intarnos, & externos: & quia actus interni imperati verſantur circa objecta illicita, etiam actus externi multiplicantur, cum in ipſis nova ſemper malitia conſummetur. Idque vel maximè procedit, quando actus ſunt contra præcepta negativa, quia tunc ſingulæ vices ſunt transgreſſiones per ſe prohibitæ; adeò ut tot ſint actus illiciti diſtincti, quot transgreſſiones.

Quòd ſi plura furta ratione continuatio-
33 nis ſe habeant pet modum unius, ut ſi fur ſibi ptoponeret ſurripere inſcio, & invito Domino decem menſuras frumenti, & quia non poſſet totam illam quantitatem ſimul deferre in propriam domum, prima vice unicam tantùm menſuram ſurriparet, & evacuato ſacco, iterum rediret immadiatè pro ſacunda menſura, & ſic ſucceſſivè iret, & rediret, donec decem menſuras, quas ſibi propoſuerat ſurripere, compleret; tunc eſſet unicum furtum continuatum, tametſi interrumperetur aliqua morulâ, dummodo, talis non eſſet, ut moraliter interrumperet actionam furandi. Ratio, cur nonniſi unicum tum committatur furtum, eſt, quia ax parte propoſiti, ſeu intantionis, ot etiam ex parte objecti, ſeu materiæ furtum non eſt niſi unicum, quia fur unico tantùm propoſito ſibi propunit ſurripere certam illam quantitetem tritici, & licèt conſtet decem menſuris, hæc tamen ſunt unicum tantùm objectum, & unica materia furti, unde cum principia conſtitutiva furti ſint ſingularia; furtum quoque erit ſingulare, tum quia ſi fur ſimul ſurripuiſſet, & tranſtuliſſet in propriam domum totam illam quantitatam decem menſurarum, vel modiorum unicum tantùm commiſiſſet furtum rationa propoſiti ſurripiendi totam illam quantitatam: ſed propoſitum eſt idam, quamvis non ſimul, & ſemel, ſed tantùm pet partes eandem tritici quantitatem ſurripiat, ac deferat in propriam domum; licèt anim multiplicentur vicas, non propterea multiplicatur furtum, quia hoc pertinet ad executionem operis, quæ eſt effectus voluntatis paccaminoſæ, proinda conformatur voluntati, ut docet D. Thomas *1. 2. q 20. art. 1. ad 1.* unde cùm furtum conſummetur in voluntate, illæ deportationes ſuccaſſivæ ratione unius propoſiti, ſunt unica executio completa, & correſpondens propoſito.

Tum quia bonitas, & malitia actus ex- 34
terioris, & interioris eſt una, & eadem, quatenus bonitas actus exterioris, quæ habetur ex objecto, & circumſtantijs refunditur in actum interiorem; & bonitas actus interioris, quæ habetur ex fine, redundat etiam in exteriorem, ut docet D. Thomas, *1. 2. q. 20. art. 3.* ſiquidem bonitas, & malitia moralis ſequitur actum humanum, quà talis eſt, ſeu prout exercetur libero modo: & actus externus non eſt talis, niſi quatanus libero modo exercetur: unde ratione actus externi non multiplicatur peccatum, neque furtum, niſi etiem multiplicetur actus malus internus: hic autem non dicitur multiplicari, quando qui ex unico tantùm propoſito furandi decem modios tritici, eos ſurripit ſucceſſivè per partes, quia tum moraliter continuatur idem propoſitum furandi, & idem furtum.

Quæritur duodecimò, an malæ fidei poſ- 35
ſeſſor teneatur reſtituere fructus perceptos, & qui percipi poterant. Is dicitur poſſeſſor malæ fidei, qui ſcit, val putat, ſe non legitimè detinere ram aliquam, eò quia dominium illius ad alium pertineat: ſicut è contra ille dicitur poſſeſſor bonæ fidei, qui putat, rem, quam detinet, ad ſe pertinere. Fructus autem quidam dicuntur rei, eò quia ab ipſa proveniant, tametſi humana intercedat induſtria; cujusmodi ſunt fructus agrorum, arborum, ædium, & rerum illarum, quæ habent uſum locabilem. Alij ſunt fructus induſtriales, qui oriuntur ex ſola induſtria, ut quæſtus, qui percipitur negotiatione, eò quia quis vili emat, & carò vendat, ratione temporis, & loci. Nudum pretium rei non dicitur fructus ajusdem rei, quia ſuccedit in locum rei tanquam res altera; Reſpondetur, poſſeſſorem malæ fidei, non ſolùm teneri reſtituere rem alienam, verùm etiam fructus ex eadem perceptos, non verò fructus ſimplicis induſtriæ; ratio eſt, quia fructus rei cùm oriantur ax ipſa ra, ſe habent acceſſoriè ad illam; proinde cedunt in dominium illius, qui jus habet in rem illam; acceſſorium enim ſequitur ſuum principale: unda perindè ſunt fructus reſtituendi vero Domino, ac res ipſa deductis rantùm expenſis, quas Dominus feciſſet ad fructus illos percipiendos; quod procedit non ſolùm de impenſis neceſſarijs, ſed etiam utilibus, quibus res effecta eſt fructuoſior, ut ſi fur agrum alterius axcoluit, ac melioravit.

Videtur tamen in contrarium poſſe obij- 36
ci, quia ſi expenſæ ſunt deducendæ, id ſanè ratione damni, quod fur incurrit, agrum alienum excolendo, & meliorando: ſed Dominus non tenetur damnum illud æſtimare, ſed fur dabet id ſibi imputare, quòd agrum non ſuum excoluerit. Sed contra, quia axpenſæ non deducuntur præcisè ratione damni furis, ſed quia agrum alienum ſuo ſumptu, & labora meliorem effecit. De alijs verò impenſis, quæ tantùm ad ornatum, vel caprandam voluptetem pertinent, procedendum eſt cum di-

ſtinctione, ſi Dominus eoſdem ornatus velit retinere ſunt etiam ſumptus deducendi; ſecus ſi nolit detinere: unde ſi quis invito Domino alienas ædes occupavit, quas pluribus excellentibus picturis ornavit, ſi Dominus ædium velit picturas illas habere, deducendæ tunc ſunt expenſæ factæ in iisdem emendis, vel delineandis.

37 Quòd ſi picturæ ſint parietibus appictæ, tunc arbitrio prudentis, & periti viri ſunt æſtimandæ. Fructus autem puræ, ac nudæ induſtriæ non ſunt reſtituendi: etenim ſi fur ſurripuit alteri mille aureos, quibus eſt negotiatus, ſi ex ſuo negotio lucratus ſit 200. aureos, non tenetur lucrum dare, ſed tantùm reſtituere ſurreptos mille aureos, & compenſato tantùm damno emergente; ſi quod ratione raritatis pecuniæ interceſſiſſet. Qui tamen torquem aureum furto ſurreptam pretio locavit, tenetur non ſolùm torquem reſtituere, ſed etiam, pretium locationis, tametſi Dominus torquem illum non conſueviſſet locare, quia tale lucrum non pertinet ad fructum induſtriæ, ſed ad pretium locationis, & uſum torquis aurei: eſt enim talis uſus inſtar fructus rei, cujus utilitas ad Dominum pertinet.

38 Hoc idem etiam procedit de equis, mulis, alijsque ſimilibus ſurreptis, & elocatis, tametſi vetus Dominus non conſueverit hæc animalia locare: quia lucrum locationis eſt fructus rei, & pertinet ad Dominum ejuſdem rei. Quinimmo non ſolùm fructus percepti debent reſtitui, ſed etiam non percepti, ſi Dominus ſingulari ſua diligentia conſuevetit eos percipere. Quia tunc per ſuam iniquam detentionem fur fuit cauſa illius lucri ceſſantis, tenetur enim poſſeſſor malæ fidei ad totum lucrum ceſſans, & damnum emergens, quod Dominus ratione iniquæ detentionis patitur, compenſare. Imò tenetur etiam reſtituere fructus rei, quos ipſe ſuâ ſingulari induſtriâ percepit deductis expenſis; quamvis Dominus eos non fuiſſet percepturus, quia omnes fructus rei cedunt in dominium illius, ad quem pertinet res illa, ſi hæc exiſtat, ut habetur *in §. ſi Titius de rerum divis.*

39 Tum quia fructus in probabilioti ſententia eo ipſo, quòd extant, ſive ſpontè, ſive caſu oriantur, Domino cedunt, ad quem pertinet res, ex qua proveniunt, proinde ſunt reſtituendi Domino, non ſecus, ac res ipſa, unde ſi fur eos conſummeret, damnum inferret Domino rei: imò cùm teneatur fur eos ſtatim reſtituere, ſi negligat eorum reſtitutionem, & ſit in mora; ſi poſtea fortuitò apud ipſum pereant tenetur ad reſtitutionem, non ita ſi pereant fortuitò, vel ex culpa levi priusquam commodè potuiſſet eos reſtituere, quia tum non cenſetur fuiſſe in mora.

40 Quæritur tertiodecimò, qualem pœnam incurrat, qui furatus eſt hominem, eúmque vendidit? Reſpondetur, talem furem incurrere pœnam mortis, & deſumitur ex *c. qui furatur 1, h. t.* ubi ex *c. 21. Exod.* ſtatuitur, ut qui furatus fuerit hominem, eúmque vendiderit, convictus, ſit ultimo ſupplicio puniendus, & hæc lex Molaica à jure civili etiam ſervatur, debet tamen textus intelligi de homine libero, ſiquidem qui furatur ſervum, non tenetur hâc pœnâ *l. ult. ff. ad legem Flaviam de plagio.* Ratio verò, cur lex iſta recipiatur inter canones, cum hi nunquam, pœnam mortis imponant, videtur difficilis aſſignatu, comunior tamē & verior ſententia, quā docet Panormitanus hic *num. 4.* aſſerit, canones recepiſſe hanc legem, non quia pœnam mortis corporalis imponāt, ſed quia privant influxu ſpirituali, & vitali, qui habetur ex comunione fideliū, adeò ut per mortem de jure canonico intelligatur excommunicatio juxta *c. per venerabilem*, ubi Pontifex juxta analogiam legis Moſaicæ *Deut. 17.* cum aliquid fuerit difficile, vel ambiguum, dicit, eſſe recurrendum ad judicium ſedis Apoſtolicæ, cujus ſententiam, qui ſuperbiens contempſerit obſervare, mori præcipitur, quatenus per ſententiam excommunicationis tanquam mortuus ſeparatur à communione cæterorum fidelium.

Quæritur quattodecimò, quomodo furtum, & rapina differant inter ſe? Reſpondetur cum D. Thoma, differre ſpecificè, eò quia rapina includat violentiam, quæ fit Domino ſcienti res ſuas ab alio uſurpari, nec potenti eidem obſiſtere. Furtum verò excludit violentiam, quapropter rapina includit novam rationem injuriæ, quia continet novam rationem involuntarij: ſiquidem aliud eſt involuntarium, quo quis ignoranter patitur res ſuas ab alijs occupari; & aliud, quo ſciens videt, & cognoſcit res ſuas violenter ab alijs abripi, quibus non poteſt reſiſtere, tametſi utrumque ſit abſolutè involuntarium, unum tamen eſt magis involuntarium propter violentiam, quàm aliud, quod excludit talem violentiam, & includit ignorantiam: hinc cæteris paribus rapina eſt gravius peccatum, quàm furtum, ut docet D. Thomas 2. *2. q. 66. art. 9.* Differunt etiam furtum, & rapina ab injuria, quæ fit per iniquos contractus: ſiquidem per furtum, & rapinam Dominus omnino involuntariè patitur damnum, quatenus ipſo invito ejus res ſurripiuntur per ignorantiam, vel per vim: ſecus in contractibus patitur damnum ex involuntario mixto, quatenus, ſi ſciret iniquitatem contractûs, eum non iniret: dicitur autem hoc involuntarium mixtum, quia voluntariè init talem contractum, qui propterea eſt partim voluntarius, & partim involuntarius. 41

Quæritur quintodecimò, an ſi fures, & latrones occidantur in ipſo actu furandi ſit pro ipſis orandum? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. fures 2. h. t.* ubi ex Concilio Triburienſi habetur, quòd ſi fures, & latrones deprehendantur in ipſo actu furandi, & occidantur, non ſit pro eis orandum: bene tamen ſi comprehenſi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confeſſi fuerint, quia tunc communio non eſt eis deneganda. Ratio cur fu- 42

furibus, & latronibus in peccato obeuntibus ſint denegànda eccleſiaſtica ſacramenta, ea eſt, quia tunc in peccato lethali decedunt *exod. c. 20.* & docet D. Thomas *2. 2. q. 66. art. 6.* exiſtentes autem in peccato lethali tanquam indigni excluduntur à ſacramentis eccleſiaſticis *c. placuit. 23. q. 5.* quo ſit, ut fures, & latrones ſi occidantur in ipſo actu, quo furantur, non ſit orandum pro ipſis. Hinc notat Gloſſa, non eſſe orandum pro decedentibus notoriè in peccato lethali, quia ut notat Panormitanus in *d. c. fures* qui moritur in ſcelere manifeſto habetur pro impœnitente, & pro impœnitentibus, & decedentibus in peccato lethali, non ſolet eccleſia orare *c. pro obeuntibus q. 2. c. placuit. q. 5.* Hinc à contrario ſenſu infertur ab eccleſia non negari ſacramenta homini quantumvis ſcelerato ſi ipſum in extremis pœniteat peccatorum, ut etiam habetur in *d. c. fures*, quia per pœnitentiam renuntiatur improbitati, & adſciſcitur virtus, quia eo ipſo, quòd excluditur malitia, accedit probitas *c. cum renuntiatur 32. q. 1.* quia verò eccleſia non claudit oſtium redeunti *c. ſuper eo 2. 2. de pœnit. diſt. 7.* ideo eo ipſo, quòd peccatores quantumvis ſcelerati reſipiſcunt, eccleſia ſuo benignè eos excipit in gremio.

43 Obſervandum tamen eſt, quòd cum in *d. c. fures 2. h. t.* dicitur, ſi Presbytero, vel Diacono cònſeſſi fuerint, non ſit eis communio deneganda, id non debet intelligi de ipſa confeſſione ſacramentali, ſed tantùm de confeſſione, vel conteſtatione coram ijsdem ſacta per ſigna pœnitentiæ; adeò ut Presbyter, vel Diaconus poſſit teſtificari, delinquentem dediſſe talia ſigna pœnitentiæ, ex quibus ſeriò conjici poteſt, quòd reſipuerit: neque per communionem intelligitur Euchariſtia, ſed communio fidelium, juxta quam oratur pro mortuis, & offertur ſacrificium. Ratio, cur textus, non intelligatur de confeſſione ſacramentali, eſt, quia Diaconus non habet poteſtatem clavium, nec abſolvendi à peccatis: hinc errant, qui cenſent, textum ita eſſe intelligendum, ut in caſu neceſſitatis poſſit quis confiteri Diacono, quamvis ab illo non poſſit abſolvi, eò quia non habet poteſtatem clavium: unde neque adhærendum eſt Panormitano aſſerenti in *d. c. fures* teneri peccatorē in extremis confiteri Diacono, vel alteri non Presbytero, quamvis neuter poſſit eum abſolvere; quia nullibi reperitur hæc obligatio confitendi ſacramentaliter non ſacerdori, unde cum nec Chriſtus, nec eccleſia id præcipiat, ſufficit tunc in tali extremo elicere quantum quis poteſt, actum contritionis.

44 Quæritur ſextodecimò, an qui non indicat furem propter lucrum, quod ab eo ſperat, reus ſit peccati? Reſpondetur affimativè, & deſumitur ex *c. qui cum. fure*, ubi habetur quòd non ſolùm fur, ſed furti conſcius, qui quærenti poſſeſſori furem non indicat, reus ſit furti. Ratio eſt, quia non indicans furem ob lucrum eſt particeps ejusdem furti, quod cùm poſſit impedire absque ullo ſuo damno, illud non impedit, ſed potiùs ex ipſo lucrum, conſequitur, quod tamen turpiter accipit, & tenetur reſtituere vero Domino *l. 4. ff. de condit. ob turp. caus.* proinde qui cum fure partitur occidit animam ſuam *proverb. c. 29.* & non ſolùm fur, verùm etiam is reus eſt, qui furti conſcius quærenti poſſeſſori furem non indicat, ut habetur in *d. c. cum fure.* & ex D. Hieronymo in *c. 29. proverb.*

An verò etiam famuli teneantur ad reſtitutionem, ſi non manifeſtent Domino alios ſamulos, qui res ſuas ſæpius furantur. Reſpondetur, quòd ſi uni ex ſamulis injuncta ſit cura cuſtodiendi res illas ſui Heri, tunc is cui talis cura eſt demandata, ex juſtitia tenetur monere ſamulum furem, ut reſtituat, & ſi nolit, tenetur eum Hero manifeſtare, alioquin obligatur ipſe ad reſtitutionem: ſin verò non ſit ei demandata cura cuſtodiendi res illas, tenetur tunc ex ſola lege charitatis furtum illud impedire, ſi facilè, & commodè poſſit. Quòd ſi fures eſſent extranei, qui domum ingrederentur, tunc quilibet ſamulus etiam ex juſtitia teneretur, vel furta impedire, vel fures manifeſtare vero Domino, quia non ſolùm ij, quibus ſpecialiter cura cuſtodiendi res Domini demandata eſt, ſed etiam alij famuli tenentur impedire, ne res Domini eo invito ab exteris ſurripiantur, quia hæc eſt procul dubio voluntas Domini, ut ejus famuli invigilent, ne ipſi ab exteris damnum ullum inferatur. Famulus tamen, cui non eſt demandata cura ſpecialis cuſtodiendi res ſui Domini videtur non teneri ad reſtitutionem, ſi videat furtum fieri ab alio ſamulo domeſtico, quia tunc non ex juſtitia, ſed tantùm ex lege charitatis tenetur furtum illud impedire, ut docent Molina *diſput. 735. n. 2.* Rebellus *1. p. de obligat. juſtit. lib. 2. q. 14. ſect. 8.* 45

Generatim tamen omnes, qui ex officio tenentur impedire damna aliorum ſi ex culpa gravi id negligant, obligantur ad reſtitutionem, & reparationem damnorum. Hinc etiam Principes, Magiſtratus, Prætores, Duces belli tenentur ad reſtitutionem, ſi omittant impedire latrocinia injuſta, monopolia, & alia id genus mala, quando ea impedire in eorūdem eſt poteſtate: ratio eſt; quia ex officio tenentur ex juſtitia ad illa impedienda, quia ad id ſunt aſſumpti, vel conducti. Hoc idem etiam extenditur ad eos, qui per modum contractûs ad cuſtodiā aliquarum rerum ſe ſe obligârunt, accipientes ob id mercedem; tunc enim lege juſtitiæ ob contractum initum tenentur res illas cuſtodire, & ſi id negligant, tenentur de damno illato ſive ab hominibus, ſive ab animalibus ſylveſtribus, quæ coërcere, & abigere debuiſſent. Hinc etiam tutores, & curatores tenentur ad reſtitutionem, ſi negligant impedire damna pupillorum, aut Minorum, quia ex juſtitia ad id obligantur: quia licèt ſtipendia non recipiant, lege tamen ju- 46

ſtitiæ tenentur impedire, ne damna pupillis, & Minoribus inferantur: hæc enim obligatio eſt ipſis injuncta à publica poteſtate.

47 Quæritur decimo ſeptimò, an qui commodè poteſt impedire damnum alterius teneatur ad reſtitutionem, ſi illud non impediat? Reſpondetur, quòd ſi ex officio teneatur illud impedire, tunc oritur in ipſo obligatio reſarciendi damnum illud. Sin verò ex officio non tenebatur, tunc putârim nec teneri ad reſtitutionem: ſiquidem ad id non obligatur ex juſtitia, quia non tenetur ex officio, neque ex contractu: ſed ad ſummum ex charitate, vel potiùs ex Miſericordia erga proximum, proinde non tenetur ad reſtitutionem damni illati; quia obligatio reſtituendi damnum orta ex delicto; ex ſola violatione juſtitiæ oritur; non verò ex violatione charitatis, aut alterius virtutis. Quamobrem ij tantùm, qui ex juſtitia ratione officij, vel contractûs tenentur damna impedire in favorem damnificati, & id negligunt culpabiliter culpâ latâ, ac theologicâ tenentur ad reſtitutionem damni, quod poterant, & tenebantur impedire: hinc etiam debitor tenetur reſtituere ſuo creditori damnum, quod ei obtingit ex eo, quòd culpabiliter omittit ei ſolvere.

48 Quæritur decimooctavò, an licitum ſit Chriſtiano bona poſſeſſa à Turcis ſibi uſurpare? Reſpondetur, hanc quæſtionem fuiſſe Romæ propoſitam, in ſacra congregatione de propaganda fide, & theologos ſuper eadem conſultos ſeptimo Aprilis 1629. reſpondiſſe, licitum eſſe chriſtianis captivis bona ſurripere, non ſolùm Principis Saraceni ex tacita voluntate Principum fidelium, verùm etiam dominorum particularium, ſub quorum violenta ſervitute detinentur, idque jure compenſationis pro injuria captivæ libertatis; pro mercede debita laboribus, quos captivi tenentur ſubire; pro lucro ceſſante, & damno emergente in ſuis negotiationibus, ac bonis ob abſentiam à patria. Rurſus cum eadem quæſtio fuiſſet iterum diſcuſſa in congregatione ſancti officij die 13. Auguſti anno 1630. referente Laurentio Peyrino in *privilegijs Minimorum tom. 3. c. 4. n. 29. & 43.* reſponderunt theologi, chriſtianos captivos injuſtè detentos ab infidelibus poſſe à ſuis Dominis etiam particularibus accipere ſine injuſtitia, quantum ſufficit ad congruam compenſationem, etiam pro ſufficientia redemptionis faciendæ illis, vel alijs, qui ſunt partes Reipublicæ, ſive illi Judei ſint, ſive Turcæ: communiter etiam alij Theologi docent, fas eſſe chriſtiano captivo apud Turcas ſurripere Domino ſuo ea, quæ ſunt ei neceſſaria ad fugam, & iter faciendum, ut revertatur ad ſuos; eò quia Chriſtianus iniquè detineatur captivus à Turca. Tum quia poteſt jure operas, quas præſtitit, & labores, quos ſubivit pro ſervitio Turcæ ſibi compenſare alijs rebus.

TITULUS XIX.

De Uſuris.

1 Titulus de uſuris jure meritò à Pontifice ſubnectitur titulo de furtis, quia ferè pari conditione cenſentur, qui uſuras exigunt, & qui furantur: hinc furtum, rapina, & uſura cognata ſunt crimina, eſt enim uſura ſpecies quædam rapinæ, ut habetur in *can. ſi quis uſuram 14. q. 2.* Imò non minus crudelis dicitur, qui pauperes exacto fænore torquet, quàm qui ſubtrahit aliquid, vel eripit diviti *can. quid dicam. 14. q. 4.* Furtum, rapina, & uſura veluti putidiſſimi rivuli ab eodem dimanant fonte, ſeu ex avaritia. Cùm igitur in ſeptimo decalogi præcepto ſub furti nomine prohibeatur omnis rei alienæ injuſta acceptio, uſurpatio, & invaſio; ideo huc pertinet etiam uſura, quæ injuriam magnam infert ei, qui in neceſſitate conſtitutus adigitur mutuum petere, & accipere ſub uſura, quæ propterea propria eſt avaritiæ filia, cùm furtum, & rapina non rarò neceſſitatem potiùs, quàm cupiditatem pecuniæ præſeferant. Quamobrem cùm in præcedentibus expenderimus, quæ ad furtum, & rapinam pertinent, congruo ordine agendum hic eſt de uſuris.

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *PLURES 1. h. t. Alexander III. in Concilio Turonenſi declarat, eum qui datâ pecuniâ poſſeſſiones in pignus accipit, teneri fructus pignoris in ſortem principalem computare deductis expenſis: & ſorte expleta teneri reſtituere pignus liberè, & ſi ſors non ſit expleta, & ſolvatur id, quod ſupereſt, debere pignus reſtituere: alioquin committitur uſura. Rurſus declarat, clericum uſurarium eſſe deponendum ab officio eccleſiaſtico. Rurſus quòd ſi laicus detineat injuſtè poſſeſſionem eccleſiæ datam in beneficium clerico, poſſit clericus eam in pignus recipere non computatis fructibus in ſortem principalem: quia cum poſſeſſio ſit ei data in beneficium, debentur eidem fructus poſſeſſionis, quos propterea poteſt citra ſuſpicionem uſuræ pro ſe retinere. Tum quia ex eo, quòd clericus recipiat in pignus talem poſſeſſionem eam reddit eccleſiæ. Et hoc, ut notat Gloſſa, etiam procedit de feudo eccleſiæ, ſi aliter recuperari non poſſet* c. conqueſtus 8. h. t. *ſed eccleſia interim non debet ſervitia exigere à laico vaſallo, ut ſtatuitur* in c. 1. de feud. *Pari pacto poteſt etiam laicus ſuam ſibi redimere poſſeſſionem de manu injuſti detentoris, non tamen poſſet poſſeſſionem non ſuam eodem modo redimere, quia cum fructus non ſint ſui, eſſet uſura. Imò in primo caſu expenſæ, quæ ſunt deducendæ, debent eſſe neceſſariæ, & tunc poſſet quis rem detinere, donec expenſas deducat.*

C. *QUONIAM 2. h. t. Idem Pont. ſtatuit idem ac in præcedente cap. niſi quòd decretum extendat etiam ad uſurarios laicos, adeò ut in hoc capite tam loquatur de clericis, quàm laicis: & addit eſſe compellendos ad reſtituenda pignora diſtrictione eccleſiaſtica, quando deductis expenſis receperunt ex fructibus ſortem principalem. Quamobrem decretum, quod in primo cap. hujus tituli erat contra eccleſiaſticos uſurarios; hic etiã ſtatuitur contra quosvis alios, etiam laicos, qui æquè ac clerici tenentur fructus pignoris computare in ſortem.*

C. *QUIA IN OMNIBUS 3. h. t. Idem Pont. quia crimen uſurarum ita invaluit, ut plures quaſi licitè eas exercuerint licèt ab utroque teſtamento condemnatas conſtituit cum Concilio Lateranenſi ad eradicandum penitus hoc crimen, ut uſurarij manifeſti, nec ad communionem altaris admittantur, immo neque chriſtianam habeant ſepulturam, ſi in hoc peccato deceſſerint, & prohibentur etiam clerici eorum oblationes accipere, & contravenientes compelluntur accepta reſtituere, imò etiam ſuſpenduntur ab officio, donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfecerint. Ubi notandum eſt, eos dici uſurarios manifeſtos, qui vel facto, vel jure tales ſunt, & infamibus etiam accenſentur jure civili* l. improbum 20. C. ex quibus cauſis infamia irrogetur. *&* *jure canonico in* c. infames q. 2. in fin. *Qui autem palam, & coram omnibus non erubeſcit uſuras exercere, & exigere, adeò ut nulla tergiverſatione poſſit negare à ſe uſuras exerceri, is tunc dicitur manifeſtus uſurarius ipſo facto, quia factum uſurarium eſt omnibus manifeſtum. Ille verò dicitur in jure manifeſtus uſurarius, qui hoc crimen in jure confeſſus eſt, hoc eſt in judicio, adeò ut per ſententiam Judicis ſit quis condemnatus de uſura* c. fin. de cohabit. Cleric. *Quòd verò in textu dicatur decedentes in hoc crimine eſſe privandos eccleſiaſtica ſepultura. id ut notat Gloſſa hic, eſt commune omnibus, de quibus conſtat decedere in peccato mortali,* c. Monachi de ſtatu Regul,

C. *SUPER EO 4. h. t, Idem Pont. reſcribit, non poſſe aliquem accipere uſuram, ſeu involvi crimine uſurario ad eum finem, ut ex accepta uſura poſſit captivos redimere, eò quia uſura in utroque teſtamento prohibetur, & non poteſt in illa dari diſpenſatio: unde ſi eſt prohibitum mentiri etiam ad ſalvandam vitam alterius, multò magis uſuras accipere, quia licèt finis ſit ex ſe bonus, non tamen licitum eſt pro aſſecutionem ejusdem finis facere quod ex ſe eſt malum, & peccatum; neque in hoc poteſt diſpenſari.*

C. *CUM TU 5. h. t. Idem Pont. reſcribit Archiepiſcopo Salernitano, Uſurarios eſſe cogendos pœnâ, ut reſtituant iis, à quibus acceperunt uſuras, vel eorum hæredibus: qui ſi non ſuperſint, debeant acceptas uſuras pauperibus diſtribuere, quòd ſi non habeant unde poſſint reſtituere, tunc non debent pœna affici; quia excuſantur paupertate; ſi tamen habeant prædia empta ex uſuris debent illa vendere, & reſtituere. Ubi notat Gloſſa, hanc conſtitutionem contra uſurarios extendi tam ad illos, qui poſt eam editam, quàm ad alios, qui ante illam uſuras exercuerunt, exegerunt; adeò ut conſtitutio hæc retrotrahatur. Rurſus tenetur uſurarius mittere uſuras Domino abſenti expenſis ipſius Domini, ſi ſumptus itineris excedat ſummam rei: ſi tamen ignorat, ubi moretur Dominus, non tenetur vagari, ſed tantùm inquirere, ubi ſit, & ſi poſt diligentem inquiſitionem adhuc neſciat, ubi ſit, non tamen poteſt uſuras ſibi retinere, ſed tenetur eas pauperibus diſtribuere, adeò ut uſurarius ſemper teneatur reſtituere ſecundùm jus divinum & naturale: oritur enim hæc obligatio, quia peccatum uſuræ eſt directè contra juſtitiam: detinet enim uſurarius rem alienam, quam ſui juris non poteſt facere: non enim qui uſuras ſolvit, intendit eas donare; neque plus dare, quàm ex juſtitia teneatur, tametſi neceſſitate compulſus det plus* in-

invitus. Quoties deeſt voluntas dandi aliter, quàm juſtitia exigit, non tranſit dominium uſuræ in accipientem uſuram, talis enim contractus eſt nullus utpote iniquus. Rurſus in hoc textu declarat Pontifex, uſuras ſive ante, ſive poſt decretum Concilij Lateranenſis eſſe reſtituendas, quia cùm hæc obligatio reſtituendi rem alienam fundetur in jure divino naturali, non dependet per ſe à conſtitutione humana niſi declarativa, quatenus conſtitutio canonica declarat accipere, & retinere uſuras eſſe contra jus divinum, & naturale: proinde conſtitutio declaratoria retrotrahitur ad tempus acceptæ uſuræ, quæ propterea reſtituenda eſt. Quòd ſi res ipſa uſuræ nomine accepta non amplius exiſtat, reſtitui tunc debet æquivalens juxta prudentum æſtimationem ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis.

C. *IN CIVITATE 6. h. t. Idem Pont. reſcribit Archiepiſcopo Genuenſi, quòd licèt vendens merces, quæ tempore venditionis non valent niſi quinque; & ex eo, quòd vendat ad tempus ſpectatâ pecuniâ vendat ſex, adeò ut exigat unum ſupra conſuetum pretium, quamvis in foro exteriori forma contractûs non videatur uſuraria, eò quia non excedat dimidium juſti pretij: nihilominus vendens peccat contra juſtitiam, niſi dubium fuerit, quòd merces tempore ſolutionis ſint valituræ ſex, vel plus, minúsve. Demum concludit Pontifex in hoc textu tutiùs ſemper eſſe à tali contractu ceſſare, quia DEUS intuetur cor. Ex hoc textu notat Gloſſa, in jure civili licitum eſſe contrahentibus ſe decipere infra dimidium pretij* c. cum delicti de empt. & vendit. *Verùm jure divino, & in lege DEI hæc deceptio non eſt licita, & tantùm dubium, an tempore ſolutionis res ſit plus valitura, excuſat à peccato uſurarum.*

C. *PRÆTEREA 7. h. t. Reſcribit idem Pont. quòd ſi Parochianus uſurarius admonitus ab Epiſcopo non deſiſtat ab exercendis uſuris, ſi ſit Clericus, debeat ſuſpendi ab officio, & beneficio: ſi laicus debeat excommunicari, donec ſatisfaciat, ubi notat Gloſſa, quòd ſi Clerici uſurarij ſunt ſuſpendendi ab officio, & beneficio, à fortiori ſunt etiam repellendi ab iiſdem obtinendis, adeò ut nec Epiſcopus ſuper illis poſſit diſpenſare: ſiquidem uſurarij manifeſti infamibus accenſentur. Putat tamen Barboſa hic* n. 4. *poſſe Epiſcopum diſpenſare in ſuſpenſione circa beneficia obtenta. Verùm id intelligendum eſt poſt datam ſatisfactionem, quia id non prohibetur.*

C. *CONQUESTUS 8. h. t. declarat idem Pont. fructus pignoris eſſe computandos in ſortem, & hac expleta eſſe pignus reſtituendum, niſi pignus ſit terra de feudo monaſterij. Ratio eſt, quia de jure canonico prohibetur contractus antichreſeos, quo abſolutè fructus pignoris conceduntur creditori, etiam poſtquam ſortem æquaverint, vel etiam exceſſerint. Excipitur tamen res feudalis, ſi Domino directo detur in pignus. Cæterum in caſu feudi non debet recipere ſervitium à vaſallo* c. 1. de feud.

C. *TUA NOS 9. h. t. reſcribit idem Pont. filios, & extraneos hæredes uſurariorum eſſe cogendos iiſdem pœnis ad reſtituendas uſuras, quibus cogerentur defuncti uſurarij, ſi viverent. Ratio eſt, quia filij, & hæredes etiam extranei repræſentant perſonam defuncti, proinde contrahunt easdem obligationes: & hæreditas ad eos tranſit cum ſuis oneribus. Tum quia cum defunctus dominium in acceptas uſuras nunquam acquiſierit, neque hæredes illud acquirunt, proinde tenentur uſuras illas reſtituere: idque procedit de jure canonico, ſive defunctus deceſſerit pœnitens, ſive impœnitens, quia textus loquitur indiſtinctè. Notat tamen Gloſſa hic, non teneri hæredes reſtituere ultra vires hæreditatis, ſed tantùm pro quanto valet hæreditas. Hinc à contrario ſenſu poteſt etiam filius defuncti repetere uſuras extortas à patre* c. Michael 17. h. t.

C. *CONSULUIT 10. h. t. Urbanus III. declarat, uſurarium mentalem, ſeu illum qui ſine conventione, ſed eo animo mutuat, ut aliquid plus ultra ſortem accipiat, & alias non mutuaret, teneri in conſcientia reſtituere, ut etiam eum, qui ut vulgò dicitur non aliter parabolam juramenti concedit, donec, quamvis ſine exactione, aliquid inde percipiat, vel commodum aliquod aſſequatur. Immo etiam eum qui ob dilationem ſolutionis plus accipit, quàm ſit pretium ordinarium, adeò ut negotiator eadem pœna ſit condemnandus ſi merces ſuas longè majori pretio diſtrahat, ſi ad ſolutionem majus tempus prorogetur, quàm ſi ſtatim pretium ſolveretur. In his enim caſibus tenentur prærecenſiti in hoc textu reſtituere ex Evangelio, ut notat Pontifex, ubi dicitur:* date mutuum nihil inde ſpectantes. *Quamobrem præfati homines pro intentione lucri, quam in ſe habent judicantur malè agere, & adiguntur ad reſtituenda accepta. Procedit autem textus de uſura purè mentali, quæ nulla externa conventione manifeſtatur, ſed conſiſtit in ſola intentione, aliter non dandi, niſi ſciret, vel ſperaret, ſe ultra ſortem aliquid recepturum, tunc enim contractus eſt uſurarius, & inducit obligationem ad reſtitutionem per textum* l. 4. §. 2. ff. de condict. ob turpem cauſam. *Ubi dicitur, quod turpiter, & ſine titulo acceptum poſſit repeti, quamvis non ſit turpiter datum. Ubi tamen notat Gloſſa id procedere ex cauſa mutui, & ſpe lucri principaliter, quia ſecundariò liceret, immo debitor naturaraliter eſt illi obligatus ad antidora.*

C. *QUAM PERNICIOSUM 11. h. t. Innocentius III. reſcribit, quòd ſi manifeſtus uſurarius conveniatur de uſura, & appellet ad ſubterfugiendam ſolutionem non ſit appellatio admittenda, maximè ſi uſuris publicè renuntiavit, adeò ut manifeſtus uſurarius conventus nullo poſſit appellationis ſubterfugio ſe tueri,*

ri. Ubi notandum eſt, textum procedere de manifeſto vſurario, cujus appellatio non recipitur, quia etiam in alijs notorijs delictis ſive civilibus, ſive criminalibus non admittitur appellatio, & poteſt Judex ſtatim procedere ad executionem ſententiæ c. cum ſit Romana de appellat. Idque procedit, quando non exprimitur juſta cauſa appellandi: quia ſi injuſtè quis gravaretur, & ex juſta cauſa appellaret, utique ejus appellatio eſſet admittenda c. cum inter de except.

C. MISERABILEM 12. h. t. reſcribit idem Pont. Judæos per Principes ſæculares eſſe compellendos ad remittendas vſuras Chriſtianis; & donec eis remiſerint, Pontifex eis denegat omnimodam communionem per ſententiam excommunicationis latam contra fideles communicantes in mercimonijs, & alijs, adeò ut ſub pœna excommunicationis teneantur Chriſtiani abſtinere a commercijs, & omnimoda communione cùm Judæis, donec remittant vſuras. Ex quo textu liquet, Judæos poſſe coërceri ab eccleſia cenſuris eccleſiaſticis non quidem directè; quia cùm non ſint membra eccleſiæ, non poſſunt directè ligari cenſuris eccleſiaſticis, ſed indirectè; quatenus eccleſia poteſt ſub pœna excommunicationis præcipere fidelibus, ne communicent cum Judæis; tunc enim Judæi indirectè privantur ab eccleſiæ communione cum fidelibus. Cæterum ex eo, quòd Pontifex in hoc textu præcipiat, ut Judæi per Principes, & poteſtates ſæculares compellantur ad remittendas vſuras Chriſtianis, colligitur, crimen vſurarum eſſe mixti fori, & poſſe puniri tam in foro eccleſiaſtico, quàm ſæculari. Rurſus licèt eccleſia vſuras prohibeat, non tamen prohibet, ne Judex ſæcularis de illis cognoſcat.

C. TUAS DUDUM 13. h. t. reſcribit idem Pont. non obſtante juramento, quod exigunt vſurarij ab ijs, à quibus extorquent uſuras, teneri Judicem eos compellere vſuras reſtituere, vel non extorquere, etiam, per cenſuras eccleſiaſticas excluſâ appellatione. Cùm enim quidam dantes pecunias ad vſuram, cogerent recipientes juramentum præſtare de vſuris non repetendis, declarat Pontifex, hujuſmodi vſurarios monitione premiſſa per cenſuras eccleſiaſticas ſecluſa appellatione eſſe compellendos, ut ante ſolutionem vſurarum, deſiſtant ab earundem exactione, & ſolutas reſtituant, ne de fraude commodum reportent. Conſiſtit enim fraus in eo, quia vſurarij exiſtiment, mutuatarios religione juramenti poſſe adſtringi ad ſolvendas vſuras, vel ad illas non repetendas in judicio: unde hæc fraus non debet vſurarijs patrocinari, nec ex illa commodum reportare. Hinc notat Gloſſa, hanc relaxationem poſſe etiam petere eum, qui juravit, quia non renunciavit huic petitioni c. cum inter de renunci. c. ad audientiam quod metûs cauſa. Quinimo tametſi juraverit non petere abſolutionem, adhuc poteſt vſurarium denuntiare c. quemadmodum de jurejur. quamvis ob privatum commodum denunciet.

C. QUIA FRUSTRA 14. h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi vſurarius impetret litteras Apoſtolicas ſuper reſtituendis vſuris, vel fructibus computandis in ſortem, non ſit audiendus, niſi priùs ipſe reſtituerit uſuras, quas ab alijs accepit, quia peccans contra legem, fruſtra invocat legis auxilium: quod tamen intelligitur, ut notat Gloſſa, quando contra eandem legem numero peccavit; ſecus enim ſi contra aliam. Rurſus ut audiatur vſurarius non ſufficit cautionem dare de reſtituendo ſi poſſis reſtituere, ſed de facto tenetur priùs reſtituere: ſecus tamen ſi non poſſit, vel pars remittat. Cæterùm licèt non ſit meris ut quis condemnetur, & propter diverſum crimen patiatur præjudicium in gratia ſibi conceſſa, eſt tamen hic caſus ſpecialis: in quo ratione doli ſit compenſatio circa diverſa: ſiquidem iſti petunt ſibi remitti vſuras, quas alijs perſolverunt, vel fructus in ſortem computari; doloſè reticentes, quòd ipſi uſuras ab alijs extorqueant, proinde privantur beneficio litterarum Apoſtolicarum, niſi priùs uſuras reſtituerint: verùm id fallit in clerico repetente vſuras à ſe ſolutas nomine eccleſiæ; auditur enim in favorem eccleſiæ, quamvis ipſe ſit uſurarius.

C. CUM IN DIOECESI 15. h. t. Idem Pont. declarat, contra vſurarios manifeſtos poſſe Ordinarium procedere cum pœnis quamvis contra eos nullus appareat accuſator: ſi tamen alijs argumentis conſtiterit, eos eſſe vſurarios manifeſtos, præſertim ipſo facto, eò quia in aliorum oculis uſuras exerceant: non tamen tunc cenſentur infames ipſo jure idque defectu accuſatoris, quia infamia juris non contrahitur niſi in judicio per ſententiam condemnatoriam, quæ ſemper præſupponit accuſatorem.

C. SALUBRITER 16. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi ſocer det genero in pignus poſſeſſionem pro dote numerata obligata; gener non teneatur computare fructus pignoris in ſortem principalem, cum frequenter fructus dotis non ſufficiant ad ferenda onera matrimonij. Ubi notandum eſt, in hoc textu haberi aliam exceptionem à communi regula in c. 1. & 2. h. t. quia ſicut regula de reſtituendis fructibus pignoris, deductis expenſis non procedit in feudo, ſeu beneficio eccleſiaſtico, ita neque in re pignori per ſocerum obligata. Notat tamen Zœſius in textu non eſſe legendum pro numerata, ſed pro numeranda dote; idque evincit clarè quia ipſa dos numerata cùm ſit in manibus Generi non recipit aſſecurationem pignoris, cùm Gener illam habeat, & ejus fructus liberè accipiat. Cæterum de jure civili dos eſt debita marito pro ferendis oneribus matrimonij c. de jure dotis idque videtur etiam Pontifex in hoc textu innuere, cùm dicat, fre-

quenter dotis fructus non ſufficere ad onera matrimonij ſupportanda; hinc fructus prædij dotalis dati in pignus pertinent ad maritum absque nota vſuræ, à qua excuſatur, non ob favorem dotis, ut putant plures, ſed ob intereſſe damni emergentis ex oneribus matrimonij ſuſtinendis, quod damnum redundat in maritum ex dote non ſoluta, proinde meritò in compenſationem talis damni conceduntur ipſi fructus pignoris ſalva ſorte ipſius dotis integra ſolvenda, quia cùm interim ſupportet onera matrimonij, ob quæ illi deberentur fructus dotis, locò horum fructuum percipit fructus pignoris ſibi à ſocro dati.

C. *MICHAEL 17. h. t. reſcribit idem Pont. eum, qui repetit ſibi reſtitui vſuras à ſe, vel ſuo patre extortas, non eſſe audiendum, ſi ipſe non reſtituat uſuras, quas ipſe, vel ſuus pater fecit, & ipſe ſit hæres. Ubi notandum eſt, id ſpeciale eſſe in crimine vſuræ, ut vſurario non concedatur ſuper vſuris actio, niſi reſtitutis vſuris, quas ipſe, vel ſuus pater ab alijs extorſerunt. Immo notat Gloſſa, per hunc textum etiam teneri filium ex delicto paterno vſurarum, ſi tamen ſit ejus hæres: ſecus ſi non ſit hæres* c. tua nos 9. h. t.

C. *QUANTO 18 h. t. ſtatuit idem Pont. decreto ſynodali, ut ſi Judæi graves, & immoderatas vſuras extorſerint à Chriſtianis, debeat ijsdem ſubtrahi participium Chriſtianorum, donec de immoderato gravamine competenter ſatisfecerint. Immo præcipit Pontifex, ut ſi opus fuerit, debeant Chriſtiani compelli cenſuris eccleſiaſticis poſtpoſitâ appellatione, ut abſtineant ab eorum commercijs; & ut ijsdem pœnis compellantur Judæi ſatisfacere pro decimis, & oblationibus debitis, quas ſolvebant domus, & poſſeſſiones eorum, quæ priùs ad Chriſtianos pertinebant. Verùm jure novo per extravag. Pauli III. & Pij V. Judæi hodie non poſſunt poſſidere bona immobilia in terris chriſtianorum. Rurſus quòd in textu dicantur Judæi puniri per cenſuras eccleſiaſticas, id intelligendum eſt indirectè, quatenus prohibentur Chriſtiani, ne commercia, & communionem habeant cum Judæis. Rurſus ex eo, quòd in textu prohibeantur graves uſuræ non ſequitur à contrario ſenſu concedi moderatas; graves autem vſuræ dicuntur, quæ excedunt legitimum modum à lege ſtatutum* l. eos c. de vſur.

C. *NAVIGANTI 19. h. t. Gregorius IX. declarat, eum, qui mutuat naviganti, vel eunti ad nundinas pecuniam, & ſuſcipit in ſe periculum pecuniarum, ſi ex hoc accipiat aliquid ultra ſortem, eſſe vſurarium. Item qui dat decem aureos ut tempore meſſis ei reddantur totidem menſuræ grani, vel olei, aut vini, quamvis quando dantur pecunia, plus valeant menſuræ, ſi tamen dubitetur veriſimiliter, an tempore ſolutionis ſint valituræ plus, vel minus, tunc declarat Pontifex, non eſſe talem judicandum vſurarium. Rurſus ratione hujus dubij etiam excuſari eum, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut plus quàm tunc valeant in certo termino recipiat pro ijsdem, ſi tamen tempore contractus ea non erat venditurus, dummodo vendens dubitet, an tempore ſolutionis ſit eorum pretium incrementum, vel decrementum ſubiturum: alioquin ut notat Gloſſa, ſi vendens certus eſſet quòd pro tempore ſolutionis merces illæ eſſent plus valituræ, non excuſaretur ab vſura: quando enim eſt dubium tunc ex dilatione ſolutionis tam emptor, quam venditor expectat commodum, ſéque exponit periculo, eo quia tempore ſolutionis poſſint merces illæ plus, vel minus valere. Hinc ſola mora ſolutionis niſi damnum inde emergat, vel lucrum ceſſet, aut aliquod incommodum inde oriatur, non eſt pretio æſtimabilis: proinde cenſetur vſurarius qui ſimplici titulo ſolius moræ aliquid exigit ultra ſortem: ſecus quando eſt veriſimile tempore ſolutionis merces plus valituras, habetur tunc titulus aliquis exigendi, quia creditor plus perciperet, ſi usque ad id tempus merces ſuas retineret; ſi tamen tempore contractus eaſdem merces erat venditurus, tunc non poſſet cariùs vendere, tametſi ſciret pluris poſtea valituras: quia majus illud lucrum, quod in futurum prævidebat, mercibus jam diſtractis, aut ſtatim diſtrahendis ampliùs nec ſperare, nec habere poterit. Cæterum tutius ſemper eſt ab hujusmodi contractibus abſtinere.*

IN SEXTO.

C. *USURARIUM 1. h. t. Gregorius X. in hac decretali ſtatuit, ut nulla univerſitas, vel ſingularis perſona permittat alienigenas vſurarios, volentes vſuras exercere in terris ſuis, domos conducere, vel conductas habere, vel aliàs habitare: & rurſus mandat, hujusmodi vſurarios manifeſtos intra trimeſtre expelli de terris ſuis, & non admitti alios, prohibetque ne ullus illis domum locet, vel ſub alio titulò concedat ad fœnus exercendum, & contrafacientes ſi ſint eccleſiaſtici etiam Patriarcha, & Archiepiſcopi vult incurrere ſuſpenſionem; ſi minores perſonæ ſingulares excommunicationem; ſi collegium, vel univerſitas interdictum ipſo facto, & ſi per menſem ſint obſtinati, vult eorum terras eſſe interdictas, quamdiu ibi degunt vſurarij. Sin verò fuerint laici, jubet eſſe compellendos per cenſuram eccleſiaſticam ab Ordinario, ne vſuras exigant ceſſante etiam omni privilegio. Verùm hujusmodi pœna non videntur hodie ampliùs eſſe in uſu, eò quia fortaſſis uſuræ à Chriſtianis rariùs ſaltem publicè exerceantur.*

C. *Quamquam ult. h. t. reſcribit idem Pont. manifeſtis vſurarijs decedentibus, tametſi teſtentur ut reſtituantur vſuræ ab ipſis acceptæ, ſive explicent quantitatem, ſive non, non eſſe dandam*

dam eccleſiaſticam ſepulturam donec de uſuris ipſis ſecundùm facultates fuerit plenariè ſatisfactum, vel de Ordinarij mandato idoneè de reſtitutione ſit cautum, in qua cautione debeant omnes ſingillatim vſura manifeſtè exprimi. Rurſus declarat Pontifex Religioſos, & alios qui manifeſtos vſurarios ad eccleſiaſticam ſepulturam admittunt pœnis ſubjacere in Concilio Lateranenſi contra vſurarios promulgatis. Rurſus prohibet, ne ullus interſit manifeſtorum vſurariorum condendis teſtamentis, & ne ullus ſacerdos eos abſolvat, niſi priùs ſatisfecerint, vel idoneam præſtiterint cautionem. Demum declarat, teſtamenta manifeſtorum uſurariorum aliter facta non valere, ac eſſe ipſo jure irrita. Notat tamen Covarruvias lib. 3. va iar. c. 3. n. 9. *legata pia in talibus teſtamentis ſuum ſortiri valorem, dummodo non excedant vires hæreditatis, & tantum ſuperſit, ut poſſint plenè ſatisfieri vſura accepta, quia tunc legata pia non fiunt ex rebus alienis: alioquin, ſi eſſent ex acceptis vſuris, non valerent, quia eleemoſyna non debet fieri ex rebus alienis. Hinc neque Codicilli vſurariorum valent; alioquin fruſtranea eſſet lex, quæ prohiberet teſtamentum, ſi liciti eſſent Codicilli. Cæterum neque mortis cauſâ licitum eſt uſurario donare, quia tunc talis donatio æquivalet legato. Ut enim donatio poſſit ab vſurario fieri, debet hic priùs planè ſatisfacere, vel dare idoneam cautionem.*

IN CLEMENTINIS.

C, *EX GRAVI unic. h. t. Clemens V. in Concilio Viennenſi declarat, excommunicatos officiales Communitatum, qui faciunt, ſcribunt, dictant ſtatuta, ut ſolvantur uſuræ, vel non reſtituantur ſoluta, quando repetuntur, vel ſi ita judicant, idque cum præſumptione. Ut etiam ſi dicta ſtatuta intra tres menſes non delent, ſi poſſint, à libris Communitatum: vel etiam ſi prædicta ſtatuta, vel conſuetudines obſervare præſumpſerint. Rurſus præcipit Pontifex, ut Fœneratores, quando agitur de cauſa vſuraria cogantur cenſura eccleſiaſtica producere ſuos libros rationum. Demum declarat hæreticum, qui pertinaciter præſumit affirmare, non eſſe peccatum vſuram exercere, & ſi ſint diffamati, vel ſuſpecti de tali errore præcipit, ut Ordinarij, & Inquiſitores procedant contra eos tanquam ſuſpectos de hæreſi. Quæ omnia juri divino & naturali ſunt conformia.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

1 VSura ſi nominis ſpectemus etymologiam græcè dicitur *partus*, ſeu *fructus* pecuniæ; hæbraicè *morſus*, eò quia ſit veluti quidam morſus in bonis alterius, Latinè verò dicitur ab *uſu*, ſeu *lucro*, quod ex mutuo acquiritur, unde vſura ſignificat vſum rei alicujus. in quo ſenſu Cicero in oratione pro Papirio dixit, vſuram lucis, & vitæ, & transfertur etiam ad ſignificandum lucrum, quod percipitur ex uſu alicujus rei, hinc Cicero *lib. de ſenect.* ait; *terra nunquam ſine vſura reddit, quod accipit.* Ut autem ad præſens pertinet inſtitutum vſura ſignificat lucrum, ſeu illam acceſſionem, quæ ex vſu pecuniæ numeratæ oritur juxta jus civile *l. ſi is, qui §. 1. ff. de pignor.* SS. Canones etiam quamlibet acceſſionem lucri ſupra ſortem vſuram vocant *c. conſuluit. 10. h. t. c. qui fruſtra 14. eod. tit.* Dicitur etiam fœnus, eò quia ſic veluti quidam pecuniæ fœtus, vel dicitur fœnus quaſi fœtura, ſeu fructus pecuniæ parientis, & accreſcentis, ut notat Varro apud Gellium *l. 16. c. 12.*

2 Hinc vſura latiſſimè ſumpta aliqoando ſignificat cuiusvis rei vſum, quo pacto dicimus *lucis, & vitæ vſuram*: nonnunquam ſumitur pro fructu proveniente ex uſu rerum ultra rem ipſam, ut ſunt fructus, qui percipiuntur ex ſeminibus mandatis terræ ultra ipſa ſemina, & dicitur vſura, ſeu fructus ſeminis. Nonnunquam ſignificat quæſtum, ſeu lucrum, quod ex mutuo recipitur, & in hoc ſenſu ſumitur in utroque jure canonico, & civili: & hoc pacto ſumpta vſura adhuc dupliciter in jure ſumitur.

3 Primò laxè pro lucro, quod ex mutuo ultra ſortem nobis accreſcit; non tamen ex ipſa vi mutui, ſed aliunde ſcilicet ex ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis; vel ratione periculi, cui mutuum exponitur; vel ratione laboris, vel ſumptuum, qui probabiliter timentur futuri in recuperando mutuo, vel ratione alterius contractus admixti ipſi mutuo.

4 Secundò ſumitur preſſiùs, & magis propriè ut ad præſens pertinet inſtitutum pro ipſo lucro, quod exigitur ex mutuo ex vi ejusdem mutui, & non aliunde. Sicut enim furtum interdum ſumitur pro ipſa re aliena invito Domino furto ſublata, & nonnunquam pro actione, quâ res aliena ſurripitur: ita vſura aliquando ſumitur pro lucro ex mutuo acquiſito ex vi cuiusdam mutui, & dicitur lucrum vſurarium, ac turpe: & aliquando ſumitur pro ipſa actio-

actione, quâ ex mutuo lucrum acquiritur, & dicitur peccatum vſuræ. Unde vſura propriè eſt lucrum immediatè ex mutuo proveniens: & nomine lucri intelligitur illa acquiſitio rei ſupra ſortem pecuniâ æſtimabilis, & aliàs indebita; nam quicquid ſorti accreſcit dicitur vſura, ſive illud ſit pecunia, ſive oleum, frumentum, aut vinum, aut quodvis aliud temporale, ſi exigatur ſupra ſortem; ſeu ampliùs, quàm quod mutuo datum eſt *c. 1. & ſeq. cauſ. 14. q. 3.*

5 Sicut vſura dupliciter ſumi ſolet ſcilicet pro conventione, ſeu contractu vſurario, & pro ipſo lucro, quod ex contractu acquiritur ſupra ſortem, ideo priori modo ſolet vſura definiri cum Covatruvia *l. 3. variar. reſolut, c. 1. n. 2. §. vſura*: actus voluntatis interior: vel exterior conventio dandi, vel accipiendi lucrum aliquod temporale vltra ſortem principaliter ex vi, & cauſa mutui.

6 Hinc ad rationem vſuræ quatuor ad minimum requiruntur. Primum eſt *mutuum*, cujus communiſſima materia eſt res vſu conſumptibilis; ſiquidem plures cum Sylveſtro *V. mutuum* Navarro *c. 17. n. 206.* Soto *lib. 6. q. 1. art. 1.* & aliis cenſent, mutuum non haberi locum in rebus uſu non conſumptibilibus: ſed jura materiam mutui generaliter extendunt ad res illas omnes, quæ conſiſtunt in numero, ut pecunia; in pondere, ut aurum, argentum, & quodlibet aliud metalli genus; & in menſura ut ſunt vinum, oleum, frumentum.

7 Secundum eſt *lucrum ultra ſortem*, ſeu ultra ſummam capitalem; ita ſcilicet ut mutuans ultra ſummam, quam mutuavit, quod antea ſuum non erat, exigat, & accipiat.

8 Tertium, *ut lucrum ſit res pretio æſtimabilis.* Hinc ſi quis mutuat cum pacto ut ultra ſortem reſtituendam mutuatarius oret, vel ſacrum faciat, non eſſet vſura, ſed potiùs ſimonia, quia nihil temporale accipitur ſupra ſortem, quia licèt mutuò detur aliquid temporale, quod tamen accipitur in compenſationem eſt res ſpiritualis: ſi quis etiam mutuo daret, ut ultra ſortem conſequeretur beneficium eccleſiaſticum, talis contractus vſurarius non eſſet, ſed ſimoniacus; ſi quis verò mutuo det, ut ultra ſortem, amicitiam, & benevolentiam conſequatur mutuatarij, nec talis contractus eſt vſurarius, quia amicitia, & benevolentia non accenſentur rebus, quæ pretio æſtimantur, ſi non ex obligatione juſtitiæ, ſed gratis, & voluntariè exhibeantur. Quòd ſi pecunia eſſet mutuò data cùm pacto, ut mutuatarius obligetur ad obſequia, vel externum honorem præſtandum mutuatori, ut mutuatarius illum commendent, laudet apud Principem, vel alios, tunc contractus foret vſurarius, quia munus ab obſequio, & à lingua accenſetur rebus pretio æſtimabilibus; ſuntque propterea materia vſuræ, ſi deducantur, eò quia ultra ſortem præſtari debeant. Neque obſtat, quòd honor, & obſequium ex ſe non ſit quid pecuniâ æſtimabile; quia licèt id verum eſſet, adhuc onus, & obligatio, quæ imponitur ultra ſortem mutuatario ad præſtanda obſequia eſt aliquid pretio æſtimabile: ideo ratione hujus obſequia ipſa etiam cenſentur pretio æſtimabilia, ac fieri materiam vſuræ. Hinc etiam foret contractus vſurarius, ſi quis mutuò daret alicui pecunias cum pacto, ut ſibi remitteret obligationem reſtituendi famam mutuatori priùs injuſtè ab ipſo læſam: ſiquidem talis remiſſio eſt etiam pretio æſtimabilis; eò quia ſit oneroſa, & moleſta ipſi mutuanti, qui famam læſit.

Quartum requiſitum eſt, ut *lucrum proveniat ex vi mutui* ſeu ratione mutuationis, 9 quia ſi ex alia cauſa proveniat, ut ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, contractus non eſſet vſurarius, quia lucrum principaliter debet intendi ex lucro. Verùm ſive ex primaria, ſive ex ſecundaria intentione ſperetur lucrum, ſemper contractus eſt vſurarius, ut communior, ac verior docet ſententia, ſi lucrum ſperetur ex mutuo, ut ex titulo juſtitiæ.

Vſura ſecundo modo ſumpta pro lucro, quòd ex contractu vſurario acquiritur, definitur eſſe *lucrum immediatè proveniens ex mutuo tanquam debitum*: ſeu eſt incrementum, quod 10 vi mutui intenditur, & accipitur ſupra id, quod mutuò datum eſt: & hoc mutuum propriè eſt objectum contractus vſurarij, ut ſi pro mille aureis mutuò datis exigantur ſupra ſortem, ſeu totam ſummam, centum alij aurei, in hoc contractu mille aurei mutuò dati dicuntur ſors, ſeu capitale; centum aurei, qui exiguntur ſupra numerum millenarium ſunt vſura, ſeu fœnus, ſeu lucrum ſupra ſortem.

Debet hoc lucrum immediatè provenire ex mutuo, quia debet provenire ex vi 11 pacti; ſi enim immediatè proveniret ex amicitia, vel gratitudine, vel ex ſpe alliciendi mutuantem ad continuandum mutuum, non eſſet vſura. Rurſus debet ex mutuo provenire, quia ſi quis venderet ſuum equum ſupra juſtum pretium, utique aliquid lucraretur, ſed hoc lucrum non eſſet vſura, quia non proveniret ex vi mutui, ſed ex iniqua venditione. Juvat obſervare duobus modis poſſe intendi lucrum ex mutuo. Primò, quaſi debitum ratione juſtitiæ, & ut pretium mutui, ſeu immediatè ex mutuo. Secundò tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, eò quia mutuatarius ex naturali honeſtate teneatur ad remunerandum mutuantem, tanquam ſuum benefactorem, ut notat Navarrus *c. 17. n. 209.* Sed nec principaliter, nec minus principaliter licitum eſt ſperare lucrum, quod detur ex obligatione juſtitiæ propter mutuum, quia qui dat mutuum nullum acquirit jus ad lucrum, nec ille obligationem juſtitiæ contrahit ad illud dandum, proinde iniquum eſt illud deſiderare, ut ex obligatione juſtitiæ inducta per mutuum. 12

Non tamen videtur iniquum principaliter ſperare lucrum ex mutuo mediante amicitia

titia, vel gratitudine: quia accipere lucrum ſic datum non eſt iniquum, neque vſura; cùm non accipiatur invito Domino, ſed ſine ulla injecta prævia obligatione omnino liberè detur: unde ſi accipere ab alio, quod ſpontè offertur, & omnino liberè non eſt vſura; neque iniqua erit intentio illud acceptandi; iniquitas enim vſuræ fundatur in natura mutui legitimi, eſt enim mutuum res ex ſuo vſu conſumptibilis, cujus proprietas transfertur in alium ipſo petente neceſſitatis, aut commodi causâ; ut tantundem, ſeu idem, non quidem numero, ſed valore, vel ſpecie poſtea reſtituat: per rem autem hic intelligitur ipſa pecunia, quia quæ vſu non conſumuntur, ut ager, domus, & alia id genus ſub mutuum propriè non cadunt, ſed dicuntur commodari, & locari *l. 2. ff. ſi cert. petat.* Dicitur autem *mutuum* quaſi *ex meo tuum*, quia mutuans res ſuas transfert in mutuatarium, & rem ſuam facit propriam mutuatatij.

13 Dividitur vſura in mentalem, & realem, imò & conventionalem; adeo ut perinde dividatur ac ſimonia, quæ dividitur in mentalem, realem, & conventionalem *c. de ſimonia tit. de ſimon.* Mentalis eſt, cùm quis ea intentione mutuat, ut ex mutuo lucrum enanciſcatur, tanquam ex juſtitia debitum in compenſationem ipſius mutui, tametſi nullum interveniat pactum expreſſum, vel tacitum de lucro: quamobrem non ſumitur vſura mentalis pro ſola voluntate, ſeu interno peccato vſuræ in ſola mente conſummato; ſed ſumitur pro actu externo, quo mutuum datur cum ſpe accipiendi lucrum ex vi, & cauſa talis mutui, quamvis nullum intercedat pactum. Vſura realis eſt, cùm quis mutuat cum pacto expreſſo, vel tacito accipiendi aliquid ultra ſortem, ſeu lucrum ex mutuo, & hoc pactum poteſt eſſe explicitum, vel implicitum, ut ſi mutuans dicat mutuatario: do tibi mutuas has pecunias, quia ſcis, qualis ſit conſuetudo recognoſcendi mutuantem: unde ſpero pecuniam mutuò à me tibi datam non reverſuram vacuam, tunc enim contractus eſt vſura realis implicitè.

14 Vſura conventionalis eſt, quando non ſolùm adeſt internum propoſitum obligandi, ſed etiam proceditur ad externam conventionem ſine tamen executione ſaltem utrinque facta, & hæc conventio ſit verbis expreſſis, & directis, vel obliquis, & obſcuris, vel nutibus. Ex his tribus ſpeciebus vſuræ, mentalis non committitur ab eo, qui pecuniam mutuò dat alteri indigenti, ſperans illum gratum fore, ac liberalem; quamvis mutuans non mutuâſſet, niſi mutuatarium, gratum fore ſperâſſet. Quinimo quamvis mutuans ſi excitet mutuatarium ad aliquid ſibi tradendum in remunerationem mutui ſit acriter reprehendendus ob vſuræ periculum; re tamen ipſa non cenſetur committere vſuram, neque teneri ad reſtitutionem, ut notat Molina *tract. 2. de juſtit. & jur. diſp. 305.* ſi tamen ſolùm intendat excitare mutuatarium ad aliquid ſibi tradendum, ex liberalitate, & gratitudine, non verò ex juſtitia. Vſuratius mentaliter propriè eſt, qui dat mutuò pecuniam Principi ſperans lucrum ex mutuo tanquam pretium, & in recompenſationem non gratuitam, nec liberalem, ſed ex vi mutui dati.

Ad dignoſcendum animum vſurarium 15
aliquæ ſolent à Doctoribus regulæ aſſignari, Prima eſt, ſi mutuator ſperaverit, acceperit lucrum ex liberalitate, & gratitudine mutuatarij tantummodo, ſibique perſuaſerit eo animo mutuatarium dediſſe, tunc mutuator non eſt vſurarius. Secunda, ſi mutuator intenderit, vel acceperit aliquid ſupra ſortem tanquam pretium pro mutuo dato eſt cenſendus vſurarius. Tertia ſi mutuator dubitans de animo mutuatarij, an dederit aliquid ſupra ſortem ex liberalitate, vel ex obligatione tanquam pretium, tunc non excuſatur ab vſura, eò quia ſe ſaltem injecerit in periculum eam exercendi. Quarta eſt quòd ſi non conſtet de animo dantis, tunc regula deſumitur ex qualitate ipſius tradentis, ſi enim tradens ſponte ſua tradat abſque prævio pacto, & alioquin ſit munificus, liberalis, ac gratus, tunc præſumitur ex liberalitate dediſſe.

Rurſus dividitur uſura in expreſſam, ſeu 16
formalem, & virtualem, ſeu palliatam: expreſſa, ſeu formalis, quæ etiam manifeſta dicitur, tunc contingit, quando expreſſè pretium exigitur pro mutuo, ut ſi Petrus det mutuos Paulo mille aureos hoc pacto, ut Paulus teneatur reddere ſingulis annis quinque pro centum ſupra ſortem reſtituendam poſtea integrè. Vſura virtualis, ſeu palliata eſt cùm res venditur cariùs, vel viliùs ob anticipatam, vel dilatam ſolutionem. Juriſconſulti dividunt etiam vſuras tripliciter: alias enim vocant compenſatorias, quæ exiguntur pro mutuo ratione juſti intereſſe, ſeu damni emergentis, & lucri ceſſantis, & etiam ratione periculi, vel laboris, aut expenſarum *l. ſi. commiſſa ff. de ratihab.* Alias vocant punitorias, & ſunt, quæ in pactum deducuntur, ac ſolvuntur, non ratione lucri puniendi, ſed ratione vindicandi tarditatem ſolutionis, & hæ vſuræ jure civili vocantur etiam conventionales *ff. de pactis & l. legem C. eod.* dicuntur enim hujuſmodi vſuræ punitoriæ, eò quia in ipſis ineatur pactum de ſubeunda pœna aliqua ultra ſortem ſi mutuatarius in mora fuerit non reddendi mutuum tempore ſtatuto. Alias vocant lucratorias, & ſunt, quæ ratione ſolius mutui lucrum exigunt, & de hiſce poſtremis vſuris lucratorijs propriè agitur in præſenti titulo: tunc committitur hæc vſura lucratoria, quando initur pactum, quo mutuatarius ſe obligat ad præſtandum aliquod lucrum temporale ultra ſortem nomine mutui.

Vſuras hujus poſtremi generis, ſeu lucratorias 17
eſſe jure divino prohibitas eſt certū, ſiquidè in *pſal. 14.* is dicitur habitaturus in tabernaculo, & monte ſancto Domini, qui pecuniam

Digitized by Google

ſuam non dedit ad vſuram: unde à contrario ſenſu, qui pecuniam ſuam dederit ad vſuram, non habitabit in tabernaculo DEI, ſeu excludetur à Regno Cœlorum. Rurſus *Deuter. c. 23.* dicitur *non fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniam*, unde DEUS expreſsè prohibet vſuram, & *Ezech. c. 18. qui ad vſuram non commodaverit, & ampliùs non acceperit: vitâ vivet*: ergo à contrario ſenſu, qui ad vſuram commodaverit morietur. Verùm licèt in veteri lege prohibita fuerit vſura Judæis exercenda inter ipſos, videtur tamen quòd fuerit permiſſa, dummodo cum gentibus exerceretur: omnes conveniunt, fuiſſe Judæis interdictum accipere vſuram à ſuis fratribus, ſeu Judæis: omnes enim Judæi in veteri teſtamento vocantur fratres, eò quia originem duxerint ab eodem capite, qua ratione Judæi vocant gentes alienigenas, ſeu alterius generis, & originis: hinc quando *Deuter. 23.* dicitur *fratri tuo non fœnerabis* interdicitur Judæis accipere vſuram ab alio Judæo. An verò authoritate DEI licitum eſſet Judæis vſuras univerſim accipere à gentibus: an verò id tantùm ipſis permitteretur impunè, eſt difficultas: quòd enim fuerit permiſſum Judæis accipere vſuram ab alienigenis, ſeu gentibus, deſumitur ex dicto textu *Deuter. 23.* cùm enim DEUS dixiſſet *non fœnerabis fratri tuo pecuniam ad vſuram* ſtatim ſubjungit, *ſed alieno.*

18 Hinc oritur tota difficultas, an fuerit ipſis permiſſa vſura, ut licita, ſed tantùm ut minus malum impunè factum; eo pacto, quo in pluribus locis permittuntur meretrices impunè quæſtum facere ex proprio corpore, idque ad evitandum alia longè majora, & longè plura mala. Plures cenſent, vſuram fuiſſe permiſſam Judæis authoritate DEI tribuentis eis dominium lucri per vſuram accepti, ita docent Major *in 4. diſt. 15. q. 29. §. 3.* Gabriel *in 4. diſt. 15. q. 11. art. 1.* Covarruvias *lib. 3. variar. reſol. c. 1. n 7.*

19 Verùm impugnatur hæc ſententia à Soto *lib. 6. de juſtit. q. 1. art. 1.* Primò quia non potuit Judæis licitum eſſe vſuras accipere ex gentibus ob ſcandalum quod iiſdem dabatur. Secundò quia alibi in ſcriptura reprehenduntur generatim ij, qui mutuant cum vſuris, & locantur, ut liquet ex citatis textibus. Tertiò quia alioquin gentes averterentur à cultu veri DEI. Quartò quia Judæis vſura non erat licita ex aliqua DEI diſpenſatione. Nihilominus hæc opinio eſt perquam probabilis, quàm docet expreſsè D. Ambroſius *lib. de Tobia c. 15.* & refertur *c. 14. q. 4. c. fin.* ubi etiam D. Ambroſius addit rationem: quia ſi jure belli poſſunt milites accedente publica Principis authoritate bona temporalia auferre ab alijs; DEUS, qui eſt omnium bonorum ſupremus Dominus, adeò ut res omnes ſint ſub pleniſſimo DEI domino, potuit ſine dubio lucrum à gentibus per vſuras acceptum transferre in dominium Judæorum: perinde ac tranſtulit ad Iſraëlitas dominium, quod Ægyptij habuerunt in vaſa ſua aurea, & argentea; & quæ Iſraëlitæ aufugientes ſurripuerunt.

Hinc ad primum argumentum Soti poſſet reſponderi, non innotuiſſe gentibus, quòd Judæi vſuras ab ipſis acciperent tanquam licitè ex lege eis conceſſas; ſed tantùm ut impunè in lege permiſſas, quod non fuit ſcandalum dare, ex eo, quia ad impedienda plura graviora mala lex impunè permittat meretrices. 20

Ad ſecundum reſpondent communiter, in alijs veteris teſtamenti locis reprehendi Judæos ob vſuras, eò quia eas acceperint non ſolùm à gentibus, quod erat ipſis permiſſum, ſed etiam à Judæis, ſeu fratribus, quod in lege eis prohibebatur. 21

Ad tertium reſpondetur, gentes inde non potuiſſe occaſionem ſumere ſe ſcandalizandi, cùm ſcirent vſuras tantùm permiſſas eſſe Judæis impunè, perinde ac permittuntur aliqua mala ad impedienda majora. 22

Ad quartum reſpondetur, DEUM non diſpenſaſſe, ut Judæi vſuras acciperent vi mutui; id enim erat intrinſecè per ſe malum: in his enim, quæ ſunt natura ſua mala, non poteſt cadere divina diſpenſatio, non enim poteſt DEUS diſpenſare, ut mendacium ſit licitum, vel blaſphemia honeſta: unde DEUS ut ſupremus Dominus tantùm concedebat Judæis dominium illius lucri, quod per vſuras accipiebant à gentibus, perinde ac tranſtulit in Iſraëlitas dominium, quod Ægyptij habebant in vaſa ſua aurea, & argentea. Unde permiſſæ tantùm fuerunt vſuræ Judæis impunè ad vitandum majus malum, ne ſcilicet Judæi à ſe invicem vſuras extorquerent, & acciperent ob avaritiam, cui dediti erant, ut docet D. Thomas *q. 78. art. 1. ad 2.* Alij etiam reſpondent, DEUM permiſiſſe Judæis, ut vſuras acciperent à gentibus, tanquam ab hoſtibus, quos licet in bello juſto ſpoliare, adeò ut Judæi lucrum illud non acceperint ex vi mutui; ſed tantùm ex occaſione mutui, eò quia aliunde tale lucrum debitum eſſet Judæis. 23

In novo teſtamento etiam prohibitam eſſe vſuram liquet ex verbis illis *Luc. 6. mutuum date nihil inde ſperantes*, quæ verba communiter intelliguntur de vſura à Chriſto Domino prohibita, adeò ut illis verbis partim conſilium contineatur, eò quia dicatur *mutuum date*, & partim præceptum, cùm ſubdantur alia verba *nihil inde ſperantes*. Præterea vſuræ etiam juri naturali adverſantur: ſiquidem naturali lumini repugnat, ut idem bis ſeu duplicato pretio ſolvatur, vel vendatur, quod non ampliùs eſt venditoris, ſed emptoris: qui autem vſuras accipit, vel pro ipſa ſorte, vel ſumma mutui exigit, duplex accipit pretium, ſcilicet ſummam mutui, & rurſus vſuram: vel exigit vſuras pro vſu ſortis, & ſic vendit alteri vſum rei non ſuæ, ſed ipſius Mutuatarij, in quem per contractū mu- 24

tui

tui transfert dominium pecuniæ mutuatæ, conſequenter etiam vſum.

25 Ratio itidem, quæ communiter ſolet aſſignari ad oſtendendas vſutas illicitas, deſumitur exeo, quòd pecunia non ſit ex ſe frugifera, ſed ſolùm per operationem, ſeu induſtriam utentis; unde nihil eſt in mutuo, ob quod poſſit lucrum exigi vltra ſortem principalem: ſiquidem vſus mutui non diſtinguitur ab ejus ſubſtantia, cùm conſiſtat in alienatione, vel conſumptione rei mutuatæ; ergo nec pro vſu rei mutuo datæ, nec pro ſubſtantia ejuſdem poteſt aliquid exigi ſupra ſortem. Præterea prohibentur etiam vſuræ principaliter ob gravamen indigentium, qui ſpe recipiendæ pecuniæ cum proprio detrimentu, quælibet pacta facile ineunt, ut ſibi de præſenti conſulant: eſt enim gravamen indigentium, ſi certò ſciant non poſſe aliter obtinere pecunias, nec proprijs opitulari indigentijs, quàm pecunias accipiendo mutuas cum vſuta ſolvenda ultra ſortem: ad hos enim contractus iniquos neceſſitas ipſa adigit.

26 An verò jure civili vſura ſit prohibita, videtur eſſe aliqua difficultas, quia leges civiles approbant vſuras, ut liquet ex *titulo ff. & C. de vſur.* atqui non videtur vero ſimile, has leges ſancitas à viris ſapientiſſimis iniquas eſſe. Sed contra quia jus civile licèt interdum permittat vſuras, non tamen tanquam licitas, ſed perinde ac in Republica permittuntur minora mala, ad impedienda majora. Verùm meliùs reſpondetur, ſi dicamus, jure civili communi permitti non tanquam malas, ſed ut licitas vſuras, dummodo iſtæ immodicæ non ſint, ut docet Covarruvias *lib. 3. variar. reſol. c. 1.* Siquidem *in l. placuit. l. etiam l. quod in ſtipulatione ff. de vſur.* & in *l. lecta ff. de reb. credit.* videntur expreſsè vſuræ approbari ut licitæ. Quinimò etiam in *l. eos* & duabus ſequentibus *C. de uſur* apertè conceditur actio ad exigendas vſuras *l. conſuetæ*, & negatur repetitio vſurarum jam ſolutarum, imò compelluntur, qui contraxerunt, vſuras ſolvere; unde jure civili nulli dubium, quin vſuræ ſint licitæ.

27 Juvat tamen obſervare in præfatis legibus permitti vſuram centeſimam, ut notat Covarruvias *lib. 3. variar. reſolut. c. 2.* quâ ſingulis menſibus ſolvebatur unum pro centum mutuatis, adeò ut ſingulis annis duodecim ſolverentur pro centum: quia verò hujusmodi vſura videbatur nimis gravis, ideo non permittebatur niſi in pecunia trajectitia, ut cùm quis mutuabat Mercatori trajecturo eam pecuniam per mare: ſiquidem pecunia trajectitia dicebatur, eò quia trans mare veheretur cum periculo creditoris, ſi navis periret *l. trajectitia ff. de vſur. l. C. de nautico fænor.* Aliæ etiam dicebantur in jure civili vſuræ beſſes, & erant, quibus ſolvebantur duæ partes ex tribus partibus centeſimæ, ſeu octo pro centum quot annis. Aliæ erant ſemiſſes, quibus ſolvebantur tria pro centum.

28 Aliæ quadrantes quibus quatuor. Aliæ quincunces quibus quinque pro centum ſolvebantur. Vſuræ verò vſurarum fuerunt ſemper prohibitæ: ſic lege civili ſi centum, & lucrum duodecim non ſolverentur ad annum ſtatutum, prohibitum erat, ne anno ſecundo creditor ex illis duodecim ultra ſortem quicquam exigeret: ſed tantùm ex centum ſicut primo anno, & ſic ſucceſſivè, adeò ut vſuræ vſurarum fuerint ſemper prohibitæ, ut deſumitur *ex l. ut nullo de uſur.* Cæterum omnes iſtæ leges civiles permittentes, & approbantes vſuras contra jus divinum, & naturale abrogatæ ſunt per jus canonicum, ut liquet *ex clementina unic.* cui initium eſt *ex gravi h. t.* & huic juri omnes Principes, & Magiſtratus Chriſtiani tenentur parere; etenim ſummus Pontifex plenam habet poteſtatem ſuper laicos omnes in ijs, quæ ad ſalutem pertinent animarum, ut notat Covarruvias *l. 3. var. reſol. c. 1. n. 6.*

29 Videntur tamen vſuræ ex eo capite licitæ eſſe, quia volenti, & conſentienti non fiat injuria, neque dolus *l. in donationis 34. C. de tranſact.* & quando ex pacto promittuntur vſuræ, id fit à volente, & conſentiente, quia pactum eſt duorum, vel plurium in idem placitum, ſeu conſenſũ *l. 1. ff. de pact.* quo pacto contractus dicuntur ab initio eſſe voluntatis, ſcilicet conſentientis: ergo mutuator, qui vſuras recipit à mutuatario nullam ei injuriam facit, cùm volverit vſuras ſolvere, & conſenſerit pacto inito. Verùm inde non probantur vſuræ licitæ, quia tunc non fieret injuria mutuatario, ſi hic omnino gratuitè, & ex mera liberalitate aliquid daret ultra ſortem mutuatori pro beneficio accepto; quia tunc verum eſſet, quòd volenti, & conſentienti nulla fieret injuria: non ita ſi mutuatarius ex obligatione, & pacto teneatur vſuras ſolvere, quia tunc licèt mutuatarius liberè contraxerit cum mutuatore, non tamen libertate plena, quia ob indigentiam coactus quodammodo fuit ad pecunias illas mutuas accipiendas cum onere ſolvendi vſuras, eò quia non potuerit alio modo pecunias acquirere, & propriæ ſuccurrere Indigentiæ: unde dans vſuras non dicitur ſimpliciter volens, ſed potiùs neceſſitate adactus eas ſolvit, eò quia mutuator ſine vſura pecunias illas non dediſſet: quapropter eſt voluntas mixta involuntario; proinde præſumitur mutuatarius invitus vſuras ſolvere.

30 Præterea ſunt etiam hujusmodi vſuræ illicitæ ratione transgreſſionis legis divinæ, & naturalis, quæ prohibet vſuras: unde promiſſio ſolvendi vſuras cùm ſit contra legem eſt prohibita, & nulla *l. non dubium 5. c. de legib.* Tum quia vel mutuator accipit lucrum ex mutuo pro ipſa ſorte, vel pro vſu ſortis, ſed pro ſorte non poteſt lucrum exigere, quia juſtitia commutativa ſervanda in contractibus exigit æqualitatem, nec permittit, ut pars contrahens plus reddat, quàm acceperit: nec pro vſu ſortis poteſt lucrum exigi, quia vſus, vel utili-

tilitas rei pertinet ad Dominuum; & mutuatarius ſit Dominus rei ſibi mutuatæ: mutuum enim ſuam deſumit uomenclationem, ex eo quia aliquid ex meo tuum fiat *l. 2. §. ſi cert. petat.* proiude vſus ad mutuatarium pertinet, nou ad mutuautem. Tum quia mutuum cùm tautùm conſiſtat in pecunia, vino, frumento, oleo, alijsque ſimilibus, quæ vſu conſummuntur nou poteſt vſus ſeparari à dominio *l. hoc Senatusconſulto in fin. ff. de uſufruct. earum rerum quæ uſu conſum.* & hæc eſt ratio, cur in coutractu locationis ſi alteri per annum Petrus locet ſuas ædes, vel agrum poſſit aliquid magis quàm in mutuo petere ultra reſtitutionem domûs, vel agri; quia ſcilicet in hoc coutractu locator manet Dominus, proinde utilitas ex re ſua à conductore præcepta debet ad ipſum reſpicere. Tum quia locatio eſt ſemper rerum, quæ manent, & vſum adſeruut, ac vtilitatem: pecunia autem ex natura ſua eſt ſterilis, & ejus vſus potiùs conſiſtit in abuſu, quod etiam novit ſolo naturali lumine inſtructus Ariſtoteles *1. politic. c. 7.* inquiens: *Maximè præter naturam eſſe hunc acquirendi modum, ut in fænore nummus nummum pariat.*

31 Quòd ſi dicas, licitum eſſe pro vſu vaſorum aureorum, & argeuteorum aliquod accipere lucrum ex eorumdem vſu, cum vaſa hæc locari poſſint; proinde poſſe etiam ex pecunia mutuata aliquid ſupra ſortem accipi. Coutra eſt, ſiquidem eſt diſcrimen inter pecuniam ſignatam mutuatam, & vaſa; quia pecunia vſu conſumitur, non enim poteſt quis uti pecuniâ, quin eam transferat in dominum alterius, vel ſolvendo debitum, vel emendo aliquid, proinde pecunia non reſtituitur eadem numero: ſecus vaſa per vſum non conſumuntur, ſed remanent eadem, & reſtituuntur etiam eadem in individuo, unde eſt diſcrimen de vaſis, & pecunia, quia in pecuniam non cadit ſingularis affectio, neque debet in eadem ſpecie, aut individuu reddi, ſed tantùm in eadem quautitate, ſecus vaſa reſtituuntur eadem numero, & eorum vſus, qui conceditur, eſt ſeparatus à dominio rei, quia dominium vaſorum ſemper remanet apud Dominum, ad quem pertinent vaſa: vſus autem transfertur in eum, cui mutuantur vaſa, proinde poteſt pro tali vſu aliquid accipi.

32 An verò ob ſavorem cauſæ piæ poſſint licitè vſuræ exigi? Reſpondetur negativè, & deſumitur *ex c. ſuper eo 4. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit Archiepiſcopo Panormitano, quòd cùm vſurarum crimen utriusque teſtamenti pagina deteſtetur, ſuper hoc diſpenſationem aliquam non poſſe fieri, quia cum ſcriptura prohibeat pro alteriùs vita mentiri; multò magis prohibendus eſt quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, vſurarum crimine involvatur: unde Pontifex expreſsè declarat, non poſſe aliquem vſuram accipere etiam ad eum finem, ut vitam redimat captivorum, eò quia nulla diſpenſatio fieri poſſit in eo, quod utroque teſtamento antiquo, & novo prohibetur, quia lex humana non poteſt diſpenſare in divina, cum inferior poteſtatem non habeat in ſuperiorem. Tum quia non ſunt mala facienda, ut inde bona eveniant, ut ait Apoſtolus *ad Roman. 3.* & ſicut non poteſt quis furari, ut det eleemoſynam, ita neque poteſt exigere ſœnus, & vſuram, ut opus pium valeat exercere *c. non eſt putanda 27. caus. 1. q. 1.* Tum quia non eſt licitum etiam pro vita alterius ſervanda mentiri *c. ne quis 14. c. ſi quis 17. caus. 22. q. 2.* unde à fortiori nec licitum erit, vſuras exigere in ſavorem proximi, cùm multo gravius ſit peccatum, quàm mendacium, ut notat Tholoſanus *l. 2. de uſur. c. 8. n. 16.* Hinc non poteſt Princeps etiam ſupremus per leges civiles ſacere, ut vſuræ licitæ ſint, poſſintque ſine peccato exigi, quia Princeps ſæcularis non habet jus immutandi leges divinas, nec canonicas, ſeu Pontificias maximè in ijs, quæ peccatum reſpiciunt *c. inferior 4. de majorit. & obedient.* Nihilominus vſuræ ſi ſint in ea quantitate, in qua tolerantur ſecundùm leges civiles, non puniuntur propter ipſas vſurarij: quia poteſt Imperator, vel alius Princeps vſuras ut minus malum permittere, & pœnam remittere; non tamen poteſt eas præcipere, nec ſacere ut vſuræ ſint licitæ, imò nec ſummus Pontifex diſpenſando poteſt vſuras licitas ſacere, ut deſumitur ex *d. c. ſuper eo 4. h. t.* non enim poteſt Pontifex diſpenſare contra prohibitionem juris divini, & naturalis in his, quæ ſecundùm ſe, & ex objecto mala ſunt.

Hinc Principes Chriſtiani non excuſa- 33
rentur à gravi peccato, ſi præciperent, ut eorum ſubditi Chriſtiani, qui mutuas à Judæis pecunias acceperunt ſuæ jurisdictioni ſubjectis vſuras ſolvant: ut etiam ſi leges conderent, & ſtatuta, quibus imponerent ſolvi vſuras, quas Chriſtiani ſe ſoluturos Judæis promiſeruut, adeò ut non obſtante pacto, & promiſſione de ſolvendis vſuris non poſſit Princeps ſubditos ſuos Chriſtianos adigere ad ſolvendas vſuras Judæis, quia cùm ſint vſuræ jure naturali, & divino prohibitæ, non ſolùm graviter peccant, qui vſuras exigunt; ſed etiam qui conſentiunt, ut exigantur, vel authoritativè approbant vſuras, aut alio modo cooperantur, ut vſuræ exigantur.

Ad ſummum poſſunt Principes Chriſtia- 34
ni permittere vſuras impunè à Judæis exerceri, ut etiam alijs infidelibus; imò & fidelibus; adeò ut poſſint non punire exigentes vſuras, idque ad cavenda majora mala, & ſcandala, quæ ſequerentur ſi Princeps non permitteret vſuras, cujusmodi eſſent ſurta, homicidia, ad quæ neceſſitas non raro compelleret: permittere igitur uſuras hoc modo ad impediendum majus malum, non eſt directè conſentire in peccatũ uſuræ, nec illud approbare, ſed tantùm permittere tale peccatũ impunitum ad vitanda majora mala, perinde ac permittuntur meretrices in Republica, & etiam ſpectacula, in-

Digitized by Google

in qoibus peccata qoædam commtiti ſolent. Immo non poſſunt Principes facultatem Judæis concedere exercendi vſuras cum onere, & obligatione ſolvendi majora tributa, quia id eſſet aſſeotiri in peccatum.

§. II.

De Pactis, quæ contractui mutui licitè, vel illicitè adijciuntur.

1 SOlent tres aſſignari regulæ, quibus cognoſci poſſit, quæ pacta ſint uſuraria; quarum prima eſt, ut pacta, & obligationes, quas mutuans exigit pro aſſecuratione rei mutuatæ, ſi non contineant lucrum aliquod ſupra ſortem licita ſint, poſſintque iniri absque peccaio: ſiquidem mutuans alteri mille florenos, poteſt licitè ſuæ conſulere indemnitati, ne ſors principalis pereat: & pro hac aſſecuratione poteſt mutuaior paciſci com mutuatario: vel etiam pignus ab ipſo accipere reſtituendum tamen, cùm primum mutuatarius acceptam pecuniam erit reſtituturus.

2 Secunda regula eſt, quod ubicunque ſunt tria hæc, mutuum, lucrum ex illo, & pactum, habeatur uſura formalis, quia omne pactum, vi cujus præter ſortem exigitur qnid aliud, vel imponitur mutuatario aliquod gravamen, id quod ultra ſortem exigitur, eſt contra juſtitiam commutativam, quæ in contractibus obſervatur, & deſiderat æqualitatem, nec permittit, ut pars contrahens plus reddere teneatur, quàm accepit; onde in permutatione, vel emptione pro equo valente in ſummo pretio centum florenis, non poteſt accipi alius equus, vel quantitas pecuniaria centum, & viginti quinque florenorum: ita eadem juſtitia commutativa deſiderat, ut in mutuo pro centum florenis mutuatis non accipiantur plus quàm centum floreni, quia in hoc conſiſtit æqualitas dati, & accepti: quando enim mutuatarius tantundem reddit, quantum à mutuante acceperat, tunc totum id, qnod mutuans dedit, compenſatur ad æqualitatem: proinde quidquid plus, ſeu ultra ſortem exigitur, iojuſtè exigitur, ſeu contra juſtitiam commutativam.

3 Tertia regula eſt, ut omois pactio, & conventio, per quam imponitur mutuatario aliquod onus, vel obligatio, quaſi ex juſtitia, ad quam mutuatarius aliàs noo tenebatur, uſuram redoleat: ſiquidem tale onus injunctum ſupra ſortem eſt pretio æſtimabile, conſequenter exigitur contra juſtitiam commutativam: poteſt autem hoc onus multipliciter injungi, ut ſi mutuatarius teneatur præſtare munus à lingua, ab obſequio, à manu. Tunc dicitur quis præſtare munus à lingua, ſi obligationem contrahat loquendi in favorem alicujus, & præſertim mutuantis, ut Princeps eum promoveat ad dignitatem aliquam; ſi quis enim dares mutuas pecunias Petto cum tali pacto, ut Pettus teoeatur in favorem motoantis alloqui Principem, & poſtea reſtituere totam illam quantitatem pecuniæ, quam mutuò dedit, talis contractus non excuſaretur ab uſura.

Munus ab obſequio eſt onus, quod alteri imponitur, ut præſtet ſua ſervitia in favorem mutuantis, ut ſi hic mutuatariom obligaret ad ſua peragenda negotia, vel ad aliud præſtandum ſervitium filijs, uxori, & domui. 4
Munus à manu eſt agrum excolere, domum conducere, aliquid elargiri ſive ſit pecunia, ſive quid aliud: hinc ſi Petrus hac conditione mutuò daret ruſtico centum florenos, ut hic obligaretur ad excolendum agrum Petri, vel ad dandas tot menſuras frumenti, vel vini ultra ſortem; talis contractus neque excuſaretur ab vſura, quia cultura agri, vel illæ menſuræ tritici, aut vini exigontur ex juſtitia vi contractus initi; cùm tamen non debeantur, ſintque contra ipſa juſtitiam commutativam.

An verò eſſet vſurarius ſi pro obligatioe oon repetendi ſuas pecunias mutuò datas ante quinquennium aliquid exigeret ſupra ſortem, & de eo paciſceretur, communior ſententia eſt affirmativa, quam docet Molina *tractat. 2. de juſtit. & jur. diſp. 308. n. 10.* Layman *lib. 3. theolog. moral. tractat. 4. c. 16. n. 8.* Ratio eſt, quia obligatio carendi pecuniâ, & non repetendi mutuum ante quinquennium ex ſuppoſitione, qnòd mutuans det mutoo illas pecunias pro toto illo tempore, eſt intrinſeca, & eſſentialis mutuo: & ſicut non poteſt ſine vſura aliquid accipi pto mutuo, quod debet eſſe omnino gratuitum; ita neque pro obligatione ad illud non repetendum, ſive detur ad quinquennium, ſive ad decennium, quia eſt de natura mutui afferre ſecum obligationem illud non repetendi per totum illud tempus, quo mutuò datur: alioquin non eſſet mutuum, ſed potius precarium, quamobrem ſicut mutuo ad anoum dato iotrinſeca eſt obligatio, noo repetendi intra annum mutuum: ita etiam mutuo dato ad quinquennium, vel decennium, vel etiam longius tempus eſt intrinſeca obligatio, illud non repetendi intra tale tempus: non enim mutuum eò quia detur ad quinquennium, vel detennium immutat naturam mutui, ſed tantùm illud idem mutuum, quod daretur ad octiduum prorogaretur ad qninquenniom, vel etiam decennium; adeò ut ſupra mutuum non addatur niſi quædam extenſio gratuiti beneficij ad longius tempus: onde ſicut non poteſt ex mutuo aliqoid accipi ultra ſortem, ita oeque pro obligatione non repetendi mutuum ante quioquennium, vel decennium. 5

Tum quia mutuum ſive ad brevius, ſive ad longius tempus concedatur, ſemper ſufficienter compenſatur ad æqualitatem, ſi reſtituantur tot nummi ejuſdem valoris, quot fuerunt accepti, ſeu mutuò dati, ſi enim mutuans dedit centum florenos; ſi alios centum accipiat florenos ſive poſt annum, ſive poſt quinquen- 6

quennium, vel longius tempus ſemper accipit æquale, & utrinque juxta exigentiam juſtitiæ commutativæ ſervandæ in contractibus ponitur æqualitas, quia una pars tantundem reſtituit, quantum altera dederat. Et licèt, qui dat mutuos centum florenos alteri, poſſit ſemper illos repetere etiam poſt unum, vel alterum diem, proinde ex eo, quòd ſe obliget ad eos non repetendos niſi poſt elapſum quinquennium videatur talis obligatio, valde oneroſa, ac pretio æſtimabilis; nihilominus non poteſt pro eadem obligatione quidquam ſupra ſortem accipi: ratio eſt, quia qui dat mutuum ad quinquennium determinatum, non imponit ſibi ullam obligationem, ſed ſolùm ex ſua liberalitate extendit beneficium mutui ad quinquennium, cùm potuerit illud coarctare ad ſolum octiduum; unde ſicut obligatio eſt beneficium meræ liberalitatis; intuitu ejusdem non poteſt ex juſtitia quidquam exigi ultra ſortem: etenim etiam qui ſuum horologium donat alteri, nullam in ſe contrahit obligationem, eò quia ex pura liberalitate velit alteri ſuum dare horologium; ſed ſolùm ſe abdicat poteſtate eo impoſterum utendi: ita nec mutuans ex eo, quòd det mutuum per integrum quinquennium, ullam in ſe contrahit obligationem, quia omnino liberè vult per totum quinquennium ſe abdicare vſu talis pecuniæ mutuò datæ: quamobrem ut eidem ex juſtitia integrè ſatisfiat, ſufficit, ſi mutuatarius dilapſo quinquennio eandem quantitatem pecuniæ reſtituat mutuatori, quam ab eodem acceperat, tunc enim ſi mutuatarius reſtituat pecuniam ejusdem quantitatis, bonitatis, & valoris cum libera facultate ea utendi pro libito in perpetuum, ſatisfacit ad æqualitatem: unde ſi pretium aliquod ex juſtitia ſupra ſortem exigatur, eſt manifeſta vſura.

7 Præterea quando dantur mutuò pecuniæ, transfertur earum dominium in mutuatarium, adeò ut mutuans ſe abditet dominio, & poteſtate utendi ijsdem pecunijs pro toto eo tempore, quo alteri eas mutuò conceſſit: unde poſt peractum contractum mutui nulla oritur obligatio ex parte mutuantis, ſed ſolùm ex parte mutuatarij, quia hic contrahit obligationem reſtituendi eandem quantitatem pecuniæ poſt tale tempus.

8 Eſt etiam mutuans vſurarius, ſi mutuet alteri cum pacto, ut mutuatarius ſibi mutuatori quantumvis digno tribuat aliquod officium, vel det privilegium, vel exemptionem à tributis, aut aliquo alio onere, ad quod aliàs mutuans teneretur. Hoc idem etiam procedit de eo, qui mutuat cum pacto, ut ſibi, vel alteri beneficium conferatur; committitur enim vſura ſimoniaca; quia initur pactum rei temporalis pro ſpirituali. Unde officium temporale, vel beneficium eccleſiaſticum, quod mutuator obtinuit à mutuatario ratione, & ex vi mutui, reſtituendum eſt mutuatario, quia injuſtè acceptum eſt cum damno mutuatarij, qui nonniſi voluntariè mixtè præſumitur contraxiſſe. Sunt tamen qui cenſent, mutuantem Principi cum pacto, ut ſibi officium conferat, non teneri officium reſignare, eò quia collatio facta fuerit ex contractu oneroſo, & non fuit data omnino gratuitè, proinde fuit collatio valida.

Rurſus eſt etiam vſura in mutuante, ſi det mutuò oleum, vel pecuniam alteri ea conditione, ut mutuatarius ſibi mutuum reſtituat in re diverſæ rationis, vel vendat vinum, aut triticum tempore meſſis pretio communi; ratio eſt, quia tunc imponit mutuatario obligationem pretio æſtimabilem vendendi res ſuas tali tempore, quo viliori pretio vendi ſolent. Hinc eſt etiam vſurarius, qui mutuat alteri pecuniam cum hoc pacto: *mutuo tibi centum florenos ſolvendos in tritico tempore meſſis pretio communi*: ſi mutuator intendat inire contractum mutui & obligare ex juſtitia mutuatarium, quia tunc illi imponit obligationem reſtituendi triticum tali tempore, quo viliori pretio venditur locò pecuniæ. Sin verò intendat tantùm contractum emptionis quaſi tradendo anticipatè pecuniam, ut pretium tritici taxandi juxta communem æſtimationem futuri temporis, tunc contractus non eſſet vſurarius, nec illicitus. Ad dignoſcendum autem, an in tali contractu ſit mutuum, vel emptio, hæc ſolet regula tradi. Si tradens pecuniam eam tradidit revocabiliter, ita ut poſſit illam repetere, tunc cenſetur celebrâſſe contractum mutui: ſin verò eam tradidit irrevocabiliter cenſetur, contractum emptionis anticipata ſolutione inijſſe. 9

Vſura eſt etiam ſi quis alicui eo pacto, & obligatione pecuniam mutuet, ut mutuatarius viciſſim ex juſtitia teneatur mutuò dare; quia tunc ſupra ſortem ſuo tempore reſtituendam imponitur mutuatario onus, ſeu gravamen pretio æſtimabile, quod eſt vſurarium. Licet enim pactum de remutuando, vel emendo juſto pretio in officina mutuantis excuſetur ab vſura, ſi tantùm inducatur obligatio gratitudinis, eò quia tunc nulla major imponatur obligatio, quàm quæ oritur ex ipſa natura beneficij; ſi tamen addatur major obligatio, nempe civilis non excuſatur tale pactum ab vſura, quia talis obligatio civilis eſt pretio æſtimabilis, proinde mutuans ex vi mutui lucraretur aliquid ſupra ſortem. Hinc eſt etiam vſura mutuare alteri cum pacto, ut veniat ad ſuum molendinum, vel emat in ſua apotheca, vel frequentet ſuas tabernas, vel ut non poſſit repetere mutuum, donec mutuatarius frequentaverit ſuum molendinum, vel cum pacto, ut mutuatarius non teneatur ſolvere toto tempore, quo venerit ad molendinum, apothecam, vel tabernas ſuas frequentaverit: ratio eſt, quia tunc mutuans ſemper ultra ſortem imponit obligationem frequentandi molendinum, apothecam, & tabernas, conceſſâ propter hoc dilatione ad ſolvendum. In hoc autem caſu mutuator ad aliud non tenetur, quàm ad relaxandam obligationem impoſitam 10

tam

tam mutuatario per pacta illa vſuraria; adeò ut liberum ei ſit, ſolùm ex pura gratitudine, & ſi ipſi magis placuerit, molendinum, apothecam, & tabernas illas frequentare.

11 Quòd ſi gravamen mutuatario impoſitum jam fuerit præſtitum, tenetur mutuator ipſi mutuatario reſtituere, quantum ejus intereſt, ſeu quanti prudentis viri arbitrio gravamen illud æſtimari poterat, niſi mutuatarius omnino liberè talem reſtitotionem remittat; non tamen tenetur mutuator ad reſtitutionem lucri, quod inde accepit ex eo, quia mutuatarius ejus molendinum, apothecas, vel tabernas frequentaverit: dummodo non adſit ullus exceſſus ſupra juſtum pretium, neque ſupra juſtam mercedem pro ipſa molitione. An verò committat crimen vſuræ, qui mutuat fœminæ cum pacto, ut in pretium mutui vſuram ſui corporis ei ſaciat. Reſpondetur, tale pactum eſſe vſurarium, quia ſupra ſortem imponit onus ex obligatione juſtitiæ, & quidem graviſſimum, ſi fœmina illa ſit honeſta: mutuator enim ab ipſa ex juſtitia commutativa nequit quid aliud exigere præter ipſam ſummam pecuniæ ei mutuò datam. Pari pacto, qui mutuat medico, vel Chirurgo cum pacto, ut teneatur mutuantem curare, & mederi: ut etiam qui mutuat Advocato, ut teneatur mutuantem defendere: ut etiam qui mutuat ruſtico; ut teneatur ſuum excolere agrum, committit vſuram, tametſi juſtum pretium aliunde illi conſtituat: ratio eſt, quia obligatio illa adjecta eſt aliquid ultra ſortem, quo mutuatarius gravatur: proinde ex juſtitia non poteſt à mutuante exigi; cum juſtitia commutativa, quæ in contractibus obſervatur, exigat æqualitatem, & non permittat ut pars contrahens plus teneatur reddere, quàm accepit: eo autem ipſo, quòd mutuatarius adimplet obligationes illas ſibi impoſitas à mutuante dat aliquid ultra ſortem, quod eſt contra juſtitiam commutativam.

12 Si quis verò mutuet alteri pecunias, ut viciſſim hic alius mutuet illi triticum, vel oleum tunc non videtur vſura, quia illud pactum tantùm ſe habet per modum meræ conditionis, ut ſi Cajus dicat Titio, ſi tu vis à me mutuas obtinere pecunias, debes tu mihi mutuum dare triticom, aut oleum, alioquin nolo tibi meas pecunias mutuò dare: quia tunc neganti beneficium negat etiam beneficium; & concedenti concedit: qui enim deſiderat mutuum accipere, & cùm poſſit, nolit viciſſim mutuum dare, oſtendit ſe ingratum eſſe, & indignum tali beneficio.

13 Non tamen eſt licitum exigere obligationem mutui in futurum, ut detur mutuum in præſenti, quia tunc exigitur obligatio civilis ad viciſſim mutuandum, quæ cùm ſit pretio æſtimabilis, utique exigitur aliquid ultra ſortem, quod adverſatur juſtitiæ commotativæ. Secus quando pro mutuo aliud mutuom in præſenti petitur tanquam conditio, nulla intervenit obligatio, quæ ſit pretio æſtimabilis, vel aliquid ultra ſortem: ſed ſicuc Titius dat mutuum Caio, ſi exigat etiam à Caio mutuum æquale, licèt rei alienæ, non petit aliquid à Caio ſupra ſortem, quia tunc mutuum compenſatur per mutuum, perinde ac ſors per ſortem; dummodo utrinque æquivalenter ſervetur æqualitas, & nullus adſit exceſſus. Pactum itidem in mutuo, ut reſtituatur in eadem menſura, etiam ſi pretium creverit, dummodo ſit utrinque dubium, an res tempore ſolutionis ſit plus, vel minus valitura, & utrinque ſit æquale periculum, ut pretium incrementum ſubeat, vel decrementum, non eſt vſurarium, quia tunc mutuator non exigit quidquam ſupra ſortem, ſed tantùm rem ſuam in eadem quantitate, & menſura.

Quinimò ſi probabilius ſit, rem minoris valituram tempore reſtitutionis, quàm valeat tempore mutui, poteſt tunc mutuator vendere mutuatori ſuum triticum, vel oleum eo pretio tunc currente: quòd ſi tempore meſſis mutoator velit exigere ſuas pecunias juxta pretium quod tunc currebat, cum dedit mutuum ſuum triticum, poteſt eas exigere; quamvis triticum tempore meſſis viliori pretio vendatur; quòd ſi mutuatarius velit non numerata pecunia ſatisfacere mutuatori, ſed per ſolutionem tritici, debet tantum tritici dare, quod reſpondeat pecuniæ, quam tenetur dare mutuatori: ratio eſt, quia tunc contractus non fuit mutui; ſed venditionis, & emptionis, & venditor indulſit Emptori, ut pecuniam ſolvendam poſſet differre ad tempus meſſis. 14

Quòd ſi è contra probabilius ſit, quòd res tempore reſtitutionis ſit pluris valitura, quàm modò valeat, non poteſt ad parem mutuator menſuram reddendam obligare mutuatarium. Sed tantùm ad parem menſuram reddendam, quæ tunc temporis adæquabit pretium rei traditæ, quia non poteſt quis paciſci, ut aliquid reddatur ſibi ultra id, quod æquivalet rei ſuæ. Molina tamen *de juſtit. & jur. diſt. 311.* autumat, non eſſe contra juſtitiam; quamvis Titius exigat à Caio eandem menſuram, dummodo illum non obliget, ut differat ſolutionem usque ad illud tempus; ſed ſolùm illum obliget, ut ſolvat, quando mutuans eam repetit. Hæc autem ſententia rectè poſſet procedere, ſi Titius certus non eſſet de incremento pretij. 15

An verò ſit vſura mutuare cum pacto, ut mutuatarius condonet injuriam ſibi à mutuante illatam. Reſpondetur, tale pactum eſſe vſurarium, ut ſi Titius gravem intulit Cajo injuriam, & hic velit Titium accuſare, ut ſibi compenſetur damnũ illatum, ſi Titius Cajo indigenti det mutuò pecunias cum pacto, ut illi condonet illatã à ſe injuriã, hoc pactum eſt vſurarium, non ſolùm ſi talis condonatio injuriæ exigatur vi mutui ex juſtitia; ſed etiam ſi exigatur ut pretium pro mutuo, ut ſcilicèt remittatur injuria illata mutuatario in honore, fama, corpore, vel bonis ſortunæ: quia tunc mutuans ex vi pacti initi ſemper exigit aliquid ſupra ſortem, quod eſt iniquum, & contra juſtitiam commutativam, quæ in contra- 16

ctibus exigit, ut ſervetur utrinque æqualitas, ſi enim mutuans deberet compenſare injuriam illatam mutuatario, vel damna, quæ eſt paſſus in bonis fortunæ, utique obligaretur ad dandum aliquid mutuatario, quod non comprehenderetur in ſorte mutuò data: hoc autem mutuatarius ex vi pacti initi teneretur dare mutuanti, ratione mutui ab ipſo accepti, proinde mutuans ex vi mutui aliquid acciperet ſupra ſortem, quod eſt iniquum, & contra juſtitiam commutativam exigentem ſervari æqualitatem in contractibus; adeò ut una pars contrahens non plus teneatur reddere, quàm accepit ab alia pariter contrahente.

17 Immo tale pactum eſt etiam vſurarium quamvis exigatur condonatio injuriæ, tanquam pretium pro mutuo; quia malitia vſuræ in eo eſt ſita, ut injuſtè, & ſine titulo obligetur mutuatarius ad aliquid, ad quod ex præciſa vi mutui non tenetur, ſive illud ſit aliquid ſpirituale, ſive temporale, ſive pecunia, ſive honor, aut fama, quia licèt pœna ante ſententiam Judicis non ſit debita illatæ injuriæ; nihilominus jus ad illam exigendam competit injuriam paſſo etiam ante ſententiam Judicis, & tale jus in eo, qui ſuit injuriam paſſus, eſt aliquid pretio æſtimabile, quod adigeretur dare, ſeu remittere ex vi mutui accepti ab eo, qui injuriam intulit; propterea mutuans, etiam ante ſententiam Judicis, aliquid acciperet à mutuatario ſupra ſortem ex vi mutui, quod iniquum eſt, & contra iuſtitiam commutativam in contractibus ſervandam.

18 Neque obſtat, ſi mutuatarius fuerit tantùm læſus in honore, & ſama, nòn verò in bonis fortunæ: quia licèt honor, & fama non ſint bona pretio æſtimabilia, ſicut ipſa bona fortunæ; ſunt tamen quid ſublimius, quod longè ſuperat, omne bonum pecuniarium: & mutuatarius injuſtè, & ſine titulo privatetur jure, quod habet ad exigendam pœnam pro injuria ſibi illata; jus enim ad exigendam hanc pœnam eſt aliquid pretio æſtimabile; conſequenter etiam ejus remiſſio, unde ſi exigatur ut pretium mutui, vel in compenſationem injuriæ illatæ tanquam ex juſtitia, non excuſatur ab vſura.

19 An verò ſit etiam vſura mutuare cum pacto, ut mutuatarius obligetur ad fidejubendum pro mutuatore. Reſpondetur affirmativè ob eandem rationem, quia imponitur mutuatario novum onus ſupra ſortem, & mutuans ſupra id, quod mutuò dat mutuatori exigit quid aliud à mutuatore, ſcilicet ipſam obligationem ad fidejubendum pro mutuante, quod eſt iniquum, & contra juſtitiam commutativam exigentem ſervare in contractibus æqualitatem, ut una pars contrahens non teneatur plus reddere, quàm accepit: & in hoc caſu mutuatarius ultra ſortem, quam accepit à mutuante, teneretur etiam dare ipſam obligationem ad fidejubendum pro mutuante, quod eſt aliquid ſupra ſortem: id autem procedit, ut notat Molina *de juſtitia & jur. diſp.* *319.* dummodo obligatio fidejubendi petatur ratione mutui ex juſtitia, vel ut pretium mutui: non verò ſi petatur ſine ulla obligatione, & tantùm ut conditio, quia non tenetur quis alteri mutuò dare ſuas pecunias.

Hinc nec eſſet vſura ſi quis ſimpliciter ſibi aſſumeret obligationem ad fidejubendum pro debitore hac conditione, ut debitor det ipſi aliquid pro tali obligatione, quam in ſe aſſumit; quia tunc non intervenit ullum pactum mutui, ſed potiùs contractus: *facio, ut des*: hoc eſt facio talem obligationem pro aſſecuratione creditoris; ut tu debitor mihi des hoc, vel illud; in hoc enim contractu pretium non datur pro mutuo, ſed pro obligatione ſolvendi pro debitore: eſt enim hujusmodi obligatio omnino diverſa ab illa, quæ oritur ex mutuo. Quinimò quamvis nullum omnino adeſſet periculum ſolvendi pro debitore, eò quia debitor divitijs affluat, & alias ſit vir timoratæ conſcientiæ; nec multum ſit alieno ære gravatus, adhuc accipere pretium pro ipſa obligatione ad fidejubendum non eſſet vſura, quia neque in hoc caſu pretium illud accipitur pro mutuo; nihilominus tale pretium redoleret injuſtitiam, proinde putàrim eſſe reſtituendum ei, pro quo facta eſt fidejuſſio, quia quando hæc nulli prorſus ſubeſt periculo, nullo cenſenda eſt pretio æſtimabilis: ſiquidem fidejuſſio eatenus eſt pretio æſtimabilis, quatenus ſecum trahit aliquod periculum, ratione cujus tantùm poteſt aliquid juſtè exigi plus, minúsve, ſi periculum majus, vel minus fuerit. 20

Cæterum in contractu mutui ſicut etiam in alijs contractibus, ut in cambio, cenſu, alijsque ſolutio ſemper facienda eſt juxta valorem rerum, quem tunc res habuerunt, quando fuit contractus initus, & res mutuò data, ſive pretium rei poſtea incrementum ſubeat, vel decrementum; quia hoc pacto ſervatur æqualitas inter datum, & acceptum; hoc autem procedit, dummodo aliud non deducatur in pactum, quia ſi contrahentes conveniant de eadem quantitate reſtituenda, tunc fieri debet reſtitutio ſecundùm eandem quantitatem habita tamen ratione periculi, augmenti, vel decrementi, ne contractus injuſtitiam contineat. In mutuo verò ſi non exprimatur ſub qua materia ſit pecunia reſtituenda; poteſt reddi in quacunque placuerit debitori, dummodo ſit idem valor; ſi quis enim accepit centum aureos mutuos, poteſt reſtituere in eodem auro, vel argento, dummodo valor ſit æquivalens. Quòd ſi manente eadem materiæ bonitate, & pondere extrinſecus valor incrementum ſubeat, vel decrementum poſt mutuum, tunc hæc mutatio prodeſt, vel obeſt mutuatario etiam ante moram, non verò creditori, ut notat Bonacina *de uſur. q. 5.* 21

Poteſt tamen tunc mutuatarius reſtituere eandem ſpecie pecuniam, ſi enim accepit à mutuante centum aureos, & tempore mutui valor aurei Hungarici non excedebat tres florenos, & medium, ſi poſtea crevit ad quatuor flo- 22

florenos, ſufficit ſi mutuatarius reſtituat mutuanti centum aureos Hungaricos, quia tunc compenſat ad æqualitatem, Cæterum pactum de reddendo mutuo in alia materia ab ea, quam mutuatarius accepit, eſt vſurarium, quia eſt contra naturam mutui, & quid oneroſum ; propterea pretio æſtimabile, ad quod mutuararius non tenebatur, non ita eſt vſurarius contractus, ut reddantur totidem nummi ſive majoris ſive minoris ſint valoris futuri, dummodo æquè dubium ſit de incremento, & decremento. Quando verò authoritate Principis variantur menſuræ, tunc ſolvenda eſt res mutuata in eadem menſura, quâ fuit accepta, quia ſic ſervatur æqualitas, quam exigit juſtitia commutativa in quovis contractu.

§. III.

An ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis poſſit aliquid exigi ſupra ſortem in mutuo.

1 DAmnum emergens tunc contingit, quando quis ratione mutui, locationis, patitur damnum aliquod in rebus ſuis, quas habet, vel quæ ſibi debentur, ut cùm quis ratione mutui alteri dari adigitur ipſe pecuniam fœnori accipere, & vſuram ſolvere, aut res ſuas viliori vendere, ut ſi domus Titij ob vitia, quæ contraxit, ruinas minetur, & ad quam fulciendam paratam habeat pecuniam, quam tamen dat mutuò Caio, eam enixim petendo. Rurſus egebat quis frumento ad ſuæ familiæ vſum, pecuniam jam paraverat ad emendum, quam tamen accedente amico eam petenti dat mutuò ; rurſus volebat Petrus paratis jam pecunijs cenſum redimere, æs alienum ſolvere, & debitum extinguere, rogatus Petrus à Paulo dat eidem mutuò pecunias illas, & ratione hujus mutui remanet Petrus gravatus ære alieno, & tenetur vſuras ſolvere ſuo creditori : quo pacto ex mutuo dato Paulo oritur damnum in Petro, quod dicitur propriè damnum emergens ex mutuo, quia ſi pecunias mutuò non dediſſet, domus non fuiſſet diruta ; familia defectu panis non fuiſſet detrimentum paſſa ; æs alienum fuiſſet ſolutum, & non ampliùs teneretur Petrus ſuo creditori vſuras ſolvere, nec ampliùs eſſet ære alieno gravatus.

2 Hoc autem damnum emergens eſt duplex intrinſecum unum, quod quis patitur in ipſa re mutuò data, ut ſi quis mutuò det tempore verno frumentum, quando plus valet ; reſtituendum in autumno, quando viliori pretio venditur : aliud eſt extrinſecum, ſeu aliunde proveniens, ut cum pater familias pecuniam, quam deſtinaverat ad emendum frumentum, quo indigebat ad vſum totius familiæ, & tunc vili pretio potuiſſet emere ; & nihilominus totam paratam illam pecuniam mutuò dedit alteri roganti & poſtea mutuans adactus fuit cariori pretio triticum emere.

Certum eſt, licitum eſſe mutuatori in principio contractûs paciſci cum mutuatario de pecunia aliqua ultra ſortem reddenda, vel ratione periculi, vel damni ex mutuatione impendentis etiam ante terminum, & moram mutuatarij : vel etiam ratione ipſius damni, ſi quod evenerit, ita docent communiter cum D. Thoma *2. 2. q. 78. art. 2. ad* 1. quia tunc tale damnum emergens eſt procul dubio pecuniâ æſtimabile ; & æquitati minimè conſentaneum eſt, ut quis ob beneficium mutui, quo ſe in gratiam alterius privat ad tempus vſu ſuæ pecuniæ, damnum reportet, cùm facilè potuiſſet mediante pecunia illa alteri mutuò data impedire, ne damnum illud emergeret : unde mutuatarius, qui enixim rogavit, ut mutuator ſibi mutuò daret pecunias jam paratas ad reſarciendas ædes ruinam minantes ; vel ad ſolvendum æs alienum ; & ſe liberandi ab onere ſolvendi vſuras ; vel ad emendum frumentum vili pretio, ut propriæ conſuleret familiæ, cum poſtea debuerit cariori emere ; hujus damni emergentis cauſa quodammodo fuit ipſe mutuatarius, qui enixim rogavit mutuantem, ut ſibi daret pecuniam mutuò ; qui autem eſt cauſa damni, tenetur illud reſarcire, conſequenter poteſt mutuator ratione damni emergentis aliquid exigere ſupra ſortem. 3

Tum quia poteſt quiſque ſe indemnem ſervare, nec tenetur alteri ſubvenire cum damno notabili proprio, proinde poteſt aliquid exigere ratione talis damni, quod aliàs non ſubiret. Quòd ſi mutuatarius fuit in mora ſolvendi, eò quia tempore præfixo mutuum non reſtituit, ſicut debuiſſet, & potuiſſet, & inde mutuator damnum aliquod eſt paſſus, ratione moræ in ſolvendo, tenetur tunc mutuatarius ad compenſationem, ſi mutuator implicitè, vel explicitè deſideravit ſuas pecunias mutuò datas ; non enim eſt neceſſe, ut mutuator interpellet mutuatarium de ſolutione, quia tempus ipſum præfixum ſufficienter interpellat pro mutuatore ex vi pacti ab initio initi ; unde propriè is dicitur eſſe in mora in ſolvendo, quando elapſo jam termino, non ſolvit, cùm poſſit, advertens implicitè, vel explicitè velle creditorem ſibi talem pecuniam ſolvi. 4

Ratio, cur quando mutuatarius eſt in mora teneatur compenſare damnum inde ſecutum ex eo deſumitur ; quia per omiſſionem ſolutionis eſt cauſa damni illius, quod evenit, & quia talis mora, ſeu omiſſio ſolutionis tempore præfixo eſt cauſa damni illius contra juſtitiam, quod evenit mutuatori, ideo tenetur ad compenſationem. Tum quia quando in contractibus conſtituitur terminus ſolutionis initur pactum tacitum, ut ſolvens teneatur ad intereſſe defectu ſolutionis obvenïens ; quia paciſcens intendit, ut ſibi compenſetur damnum, ſi quid contigerit ex eo, 5

quòd ſibi non reſtituantur tempore præſixo tales pecuniæ.

6 Id tamen procedit, niſi mutuatarius abſque omni ſua culpa factus fuerit impotens ad ſolvendas pecunias illas tempore præfixo, ut ſi tempore intermedio ejus ædes ſuerint incendio abſumptæ, vel grando ejus ſegetes protriverit, vel ſuerit ipſe in captivitatem abreptus, vel tandem ex caſu furtuito ad eam devenerit paupertatem, ut non poſſit ſolvere, quin ſe, ſuàmque ſamiliam in extremam coonjiciat neceſſitatem: in his enim caſibus non videtur tacitum pactum ad hos caſus ſe extendere; nimis enim durum ſoret, & præter humanam conſuetudinem, non compati in ſimilibus caſibus proximo; non enim afflicto addenda eſt afflictio: unde quamvis poſtea ad pinguiorum deveniat ſortunam, non tenetur intereſſe ſolvere, dummodo non ſit ampliùs in mora; ſed ſuſficit ſi integram reſtituat ſortem. Quòd ſi tempore præfixo non obſtante aliquo inſortunio poteſt ſolvere, etiam cum aliquo detrimento rei familiaris, tenetur ſatisfacere ſuo creditori, quia non poteſt quis rem alienam invito Domino retinere.

7 Ut autem mutuans poſſit ratione damni emergentis aliquid vltra ſortem exigere à mutuatario tres requiruntur conditiones, quarum prima eſt, ut revera mutuum fuerit in cauſa, quòd damnum contigerit mutuatori, adeo ut ſi pecunias non dediſſet alteri mutuas damnum illud non contigiſſet, ut ſi domus Titij ob contractum vitium ruinam minetur, & Titius habeat paratã pecuniã ad illam reparandam; & paratus ſit eam reparare, & interim veniat Cajus ad ipſum enixè rogans, ut velit ſibi mutuò pecunias illas dare; tunc tale mutuum ſi domus ruat, dicitur cauſa damni emerſi, ſeu domus dirutæ; proinde poteſt tunc Titius licitè exigere à Cajo ratione damni emergentis, aliquid ultra ſortem. Non ita tamen ſi Titius haberet alias pecunias, quibus commodè poſſet domum ſuam reparare; quia tunc mutuum non præſumitur ampliùs cauſa domus dirutæ, ſed hic effectus tribuitur negligentiæ Titij; qui cùm haberet ſufficientes pecunias nõn obſtante mutuo ad ſuas ædes reparandas noluit, vel neglexit eas reſtaurare. Ut mutuum dicatur cauſa damni, debet conſtituere mutuantem impotentem ad impediendum damnum illud, quod ſequitur poſt mutuum: & quando adhuc ſuperſunt Titio pecuniæ pro domo reparanda mutuum non conſtituit illum impotentẽ ad impediendum, ne domus diruat. Secunda eſt, ut mutuans præmoneat mutuatarium de damno emergente, quia fortâſſis mutuatarius cum tali onere nollet mutuum accipere. Cenſent tamen aliqui, non eſſe neceſſè, ut mutuans expreſsè de damno illo emergente admoneat mutuatarium, ſed ſufficit paciſci de exceſſu aliquo pecuniæ dandæ ultra ſortem, quamvis non exprimatur eam peti ob damnum emergens; quia tametſi mutuatarius ignoret cauſam exigendi, pecuniam ultra ſortem, non tamen mutuator eam injuſtè accipit, cum illi ſubſit juſta cauſa exigendi pecuniam illam ultra ſortem.

8 Verùm tutius ſemper eſt, ſi initio contractûs moneatur mutuatarius de damno emergente; & ratione cujus ſi evenerit, velit aliquid ultra ſortem exigere; tunc enim mutuator ſi ratione mutui damnum poſtea patiatur, habet juſtum titulum exigendi aliquid ſupra ſortem, & mutuatarius, ſi conſentiat, non poſt conqueri de mutuatore. Tertia eſt, quòd quamvis mutuatarius ex contractu mutui ſit tacitè obligatus ad compenſandum damnum, quod emergit, ſive obtingat mutuanti ob moram mutuatarij in ſolvendo tempore præfixo; nihilominus ſi damnum aliquod obtingat ante terminum præfixum ſolutioni, tunc mutuatarius non tenetur ad reſarciendum, niſi id in pactum deductum fuerit.

9 Quòd ſi mutuator nec damnum, nec periculum damni deduxit in pactum, non tenetur tunc mutuatarius quidquam pro eo ſolvere, tametſi poſtea damnum eveniat, dummodo ipſe non fuerit in mora ſolvendi, quia tunc mutuatarius non tenetur ad compenſandum damnum emergens ratione pacti, cùm id non ſupponatur in pactum deductum, nec ratione culpæ, cum hæc non ſupponatur in mutuatario: aliud eſt, ſi damnum emergat, eò quia mutuatarius ſit in mora ſolvendi, & aliud, quando damnum emergit, antequam mutuatarius ſit in mora ſolvendi; in primo enim caſu tenetur damnum compenſare, quia illa mora ſolvendi ſuit in cauſa damni, quod emerſit, non ita in poſteriori caſu.

10 Generatim quando damnum emergit ſine culpa debitoris moruſi, & ante præfixum terminum ſolutionis faciendæ, non tenetur debitor damnum emergens compenſare, ſi non præceſſerit pactum de ſolvendo intereſſe procedente etiam ex mora inculpabili, quia non poteſt debitor, vel mutuatarius obligari niſi ex culpa, vel pacto, quorum neutrum tunc intervenit: hinc in regulis juris ille dicitur non eſſe in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri: & omiſſio inevitabilis nullam habet rationem acceptionis, nec retentionis injuſtæ, quæ conſtituatur radix obligationis ad reſtitutionem. Quòd ſi aliquid detur mutuò ad certum tempus, & debitor elapſo tempore non ſolvit, cùm poſſit, tunc tenetur ad compenſandum damnum emergens poſt elapſum terminum; quia eo ipſo, quòd terminus ſolutioni mutui præfigitur; tacitè, & virtualiter cenſetur intervenire pactum, quòd mutuatarius teneatur ad intereſſe, quo mutuans defecto ſolutionis in eo termino privatur; quia cùm poſſit ſolvere, mora vertitur mutuatario culpæ. Quinimo putat Molina *de juſt. tom. 1. diſp. 315. n. 2.* teneri mutuatarium tametſi inculpabiliter ſit moroſus, eò quia talis obligatio oriatur ex contractu; unde licèt abſque culpa, etiam juridica mutuatoris ſolutio

ſit

ſit omiſſa, cenſet Molina, adhuc mutuatarium teneri ad intereſſe nullâ expectatâ ſententiâ, Molinæ videntur adhærere Reginaldus *tom. 2. lib. 27. c. 7. n. 77.* Zecchius *tom. 2. tract. de uſur. c. 16.* Emanuel Sà *V. mora n. 2.* ubi in fine etiam addit, hanc opinionem videri vſu mercatorum receptam.

11 Alij etiam cenſent ex mora inculpabili oriri obligationem tantùm ad intereſſe intrinſecum, quod ex re mutuata profluxit, ut Petrus mutuavit Paulo Triticum, quod à tempore moræ poſſet vendere decem florenis, & nunc tantùm ſex; dicunt, teneri Paulum mutuatarium ad illius intereſſe: non verò oriri obligationem ad intereſſe extrinſecum, quod procedit ab alio, quàm à mutuo non ſoluto, quamvis omiſſio ſolutionis dederit illi occaſionem: cui tamen ſententiæ non putârim adhærendum; quia nimis durum eſſet, debitorem adigere ſine mora inculpabili ad ſolvendum intereſſe; cùm ad impoſſibile nemo teneatur *ex regul. 6. de reg. jur. in 6.* Cæterum debitor ex delicto, vel quaſi delicto tenetur ſub mortali ſtatim reſtituere, cum primum commodè poteſt; alioquin cenſetur eſſe in mora *l. in re furtiva ff. de condict. furt.* Debitor autem ex contractu, vel quaſi contractu, tenetur reſtituere ſtatim ac elapſus eſt terminus ſolutioni conſtitutus; tametſi non admoneatur, quia dies definita ſufficienter interpellat pro Domino *c. fin. de locat. & conduct.* Quòd ſi terminus ad ſolvendum non fuit conſtitutus, non videtur tunc eſſe in mora, nec graviter peccare, ſi non reſtituat, antequam admoneatur; quia creditor ſciens, & potens petere, ſi non petat, videtur dilationem concedere: ſin verò non petat ob timorem, vel impotentiam, aut oblivionem, tunc debitor dicitur tenere rem alienam invito Domino, & cenſetur eſſe in mora, ſi illam non reſtituat, ut notant Covarruvias *in regul. ad peccat. p. 1. §. 1. n. 1.* Navarr. *l. 4. c. 3. n. 12.*

12 Quòd ſi ex dato mutuo emerſit damnum notabile mutuatori, antequam mutuatarius fuiſſet in mora ſolvendi, putant aliqui mutuatarium teneri aliquid pro illo damno ſolvere; ita docent Major *in 4. diſt. 15. q. 23. ad confirmat. 1. argument.* Pitigianus *in 4. ſent. tom. 2. diſt. 15. q. 1. art. 3.* ubi ait, teneri mutuatarium ſolvere expenſas, & omnia damna creditori, ratione mutui illata; ut ſi corruat domus, vel alia id genus infortunia ei obtingant, poteſt mutuator exigere totum damnum, quia non amittit, quod erat habiturus, ſed quod actu habebat; unde poteſt recompenſationem bonorum, quæ ratione mutui amittit exigere, non obſtante, quòd mutuator nullum adjecerit pactum de tali damno emergente, ac proinde non poſſit contra mutuatarium inſtituere actionem in foro exteriori, quia in foro conſcientiæ, tenetur debitor ultra ſortem ad intereſſe.

13 Huic tamen ſententiæ adhærendum non puto, quia mutuatarius cum tali onere forſan mutuum non accepiſſet, præſertim cùm motis non ſit, ut mutuatarius debeat compenſare damnum, quod emergit mutuatori ante præfixum terminum ſolutionis faciendæ. Præterea cùm mutuatarius non teneatur in foro externo compenſare damnum emerſum, antequam mutuatarius fuiſſet in mora ſolvendi: neque tenetur in foro conſcientiæ; ſiquidem quod in foro interno ex juſtitia eſt reſtituendum; eſt etiam reſtituendum in foro externo, niſi ſufficiens probatio actori deſit. Hinc ſi non interſit pactum ante moram, non tenetur mutuatarius quidquam ſolvere pro damno emerſo mutuatori. Poſt moram autem tenetur ad damnum intrinſecum non ad extrinſecum, ſi mora fuit culpabilis. Sin autem adjiciatur pactum poteſt mutuatarius teneri ad omne damnum intrinſecum, & extrinſecum ante, & poſt moram juxta pactum initum: ſiquidem qui mutuat poteſt cavere omni ſuæ indemnitati.

Non ſolùm ex damno emergente, ſed etiam ex lucro ceſſante, poteſt mutuatarius obligari ad compenſandum damnum. Lucrum ceſſans illud dicitur, quod quis non percipit, eò quia mutuum dederit alteri, ut ſi quis per vim, vel metum, aut dolum compellatur injuſtè ad mutuandum, & ex tali mutuo alteri dato lucrum aliquod ei ceſſet, eò quia amittat occaſionem domum, vel agrum frugiferum emendi, vel negotiatione licita aliud lucrum quærendi, & quod habuiſſet, ſi ſuas pecunias paratas ſervâſſet, & non dediſſet alteri mutuo; tunc hoc lucrum dicitur ceſſare ratione mutui. Poſſe mutuatorem ratione hujus lucri ceſſantis aliquid ultra ſortem exigere à mutuatario, eſt communis ſententia; adeò ut dans mutuum alteri poſſit licitè paciſci ab initio cum mutuatario, quia lucrum ceſſans, & ex mutuo conſurgens non eſt pretio minus æſtimabile, quàm damnum emergens, & mutuator cum ſuo detrimento non tenetur mutuare, quia potiùs quiſque propriæ ſtudet indemnitati. 14

Tum quia omiſſio rei ſperatæ computatur inter damna, quod enim ſpe poſſidemus, aliquo modo cenſemus habere; idque procedit quamvis mutuator voluntariè, vel involuntariè per vim, vel fraudem, vel per præceptum ſuperioris adigatur mutuare, ut notat Covarruvias *variar. reſol. c. 4.* 15

Vt autem pactio de lucro ceſſante in mutuo ſit licita tres deſiderantur conditiones; quarum prima eſt, ut ipſa mutuatio ſit cauſa, cur lucrum ceſſet, quod habebatur in ſpe certa, vel ſaltem probabili, ut accidit, quando mutuator ſtatuerat pecuniam, quam mutuò tradidit, in negotijs impendere, vel quando pecuniam negotiationis ſubtraxit; quia tunc mutuatio eſt cauſa, cur ceſſet mutuatori lucrum, quod ex negotiatione ſperabatur. Verùm id procedit, quando mutuans non poteſt damnum illud impedire per aliam pecuniam; alioquin ſi aliam pecuniam habeat otioſam, quam poſſit commodè ſubſtituere ſine periculo locò 16

pecu-

pecuniæ mutuatæ, non poteſt à mutuatario tunc pro lucro ceſſante quidquam exigere ultra ſortem: ratio eſt, quia mutuator, tunc non patitur damnum, ſeu non ceſſat illi lucrum ratione mutui, ſed ex propria negligentia, & injuria, ut notat Navarrus *c. 17. n. 212.* Pari pacto, qui non decreverat pecuniam pro negotiatione, non poteſt quidquam exigere pro lucro ceſſante, quia tunc ex tali pecunia mutuator nullum ſperabat lucrum. Quòd ſi probabiliter fuiſſet illam deſtinaturus negotiationi, tunc poteſt aliquid ad ratam probabilitatis initio paciſci; quia tunc mutuator ratione mutui amittit lucrum; quinimmo mutuatarius, ut notat Filiucius *c. 4. tractat. 35. n. 74.* non ſolùm tenetur ad ſolvendum intereſſe immediatum, ſed etiam mediatum, ſi mutuator jacturam ob mutuum realiter patiatur in utroque intereſſe.

17 Secunda conditio eſt, ut non exigatur tantum, quantum cenſetur eſſe lucrum, quod ſperatur, ſed minus, nimirum quantum valet illa ſpes lucri deductis expenſis, quæ facta fuiſſent in negotiatione, & æſtimatione laboris, qui in illa ponendus erat; adeò ut ſi ſpes lucri valeat centum aureis, & labor, & expenſæ æſtimentur 40. aurei, non poſſint exigi pro lucro ceſſante niſi ſexaginta: quamobrem tantum detrahi poteſt de lucro ſperato ratione incertitudinis, quantum ipſe mutuator daret alteri, ſi ipſum redderet ſecurum de lucro ſperato detractis ſimul expenſis: ratione verò laboris, & moleſtiarum, quas mutuator ſubijſſet negotiando, ſi pecuniam alteri non mutuâſſet, tantum detrahendum eſt quantum mutuator impendiſſet pro laboribus, & moleſtijs redimendis, lucrum enim dicitur, quod ſupereſt detractis expenſis, & æſtimatione laboris, & periculi, ut notat Leſſius *lib. 2. de juſt. & jur c. 20. dub. 11. n. 96.* ubi aſſerit, dupliciter hoc lucrum poſſe in pactum deduci. Primò indeterminatè, ut mutuatarius teneatur tantùm ſolvere pro intereſſe, quantum eventus declaraverit, lucrum fuiſſe futurum, adeo ut ſi poſtea ex eventu deprehenſum fuerit mutuo non dato, lucrum fuiſſe centum florenorum, teneatur pro eo centum ſolvere deductis deducendis. Sin verò ex eventu deprehenſum fuerit mutuo non dato, lucrum futurum fuiſſe tantùm decem flurenorum, teneatur tantùm ad hos decem ſolvendos: ſi deprehenſum fuerit, nullum fuiſſe futurum lucrum, ad nihil teneatur. Secundò determinatè ſtipulando ab initio à mutuatario, ut aliquid determinati promittat pro ſpe lucri, quo ſe mutuans privat per mutuum, & tunc poteſt mutuans hoc determinatum exigere; tametſi eventus poſtea declaret, nullum lucrum tunc fuiſſe futurum; quia ſpes illa revera eſt pretio æſtimabilis, & mutuans poteſt illam vendere.

18 Tertia conditio lucri ceſſantis eſt, ut compenſatio non exigatur ſtatim poſt datum mutuum, ſed poſt conveniens intervallum; hinc ſi ex mutuo centum florenorum debeantur mutuanti decem floreni, ratione lucri ceſſantis non poſſit mutuator paciſci, ut decem illi floreni ſtatim ei dentur à mutuatario, quia mutuatarius non tenetur ad reſtitutionem damni antequam mutuator illud patiatur; & mutuator non patitur damnum ſtatim initio contractûs, unde mutuatarius non tenetur ſtatim ſolvere.

Licitum etiam eſt ſine coactione, ſed omnino ſponte ſtatim ab initio paciſci cum mutuatario, ut ultra ſortem aliquid ſolvat ratione lucri ceſſantis, quantum id arbitrio prudentis viri æſtimari poterit: quia non minus lucrum ratione mutui ceſſans eſt pretio æſtimabile, quàm damnum emergens ex mutuo: ſi quis enim paratam habeat pecuniam, quâ beneficio negotiationis poſſit aliquid lucrari intra annum illa ſpes eſt ipſi pretio æſtimabilis, quâ propter non vult gratis ſe illâ privare, ſed poteſt illam vendere, perinde ac res alias, quæ ſunt pretio æſtimabiles: proinde licitum eſt ſponte ſine coactione, vel præcepto ſuperioris ab initio paciſci cum mutuatario, ut ultra ſortem aliquid ſolvat ratione hujus ſpei, ſeu lucri ceſſantis. Tum quia venditor tunc poteſt ſupra juſtum pretium aliquid exigere, quando res vendita ipſi plus valet ob peculiare commodum, quod illi afferebat: ſed pecunia, quam mercator deſtinaverat ad negotiationem plus valet mutuanti, non quidem in ſe, ſed quatenus ſubeſt induſtriæ mercatoris, & ob lucrum, quod ex illa ſperat mediante negotiatione; quàm valeat alteri non mercatori, qui pecuniam illam in ſuis ciſtis otioſam ſervaret: tunc poteſt mercator aliquid ultra ſortem exigere propter lucrum ceſſans. Tum quia ſi petat quis ab operario, ut hodie à labore ceſſet, eumque deducat ad aliquem locum, poteſt licitè Operarius pretium exigere ratione lucri ceſſantis, eò quia Operarius omittit, quod ex ſuo labore, & ſuâ induſtria fuiſſet lucratus: unde etiam negotiator, ſi in gratiam alterius ceſſet à ſua negotiatione, in qua fuiſſet aliquid lucratus, poteſt exigere aliquid ratione ceſſationis à negotio, eſt enim par ratio, ac de Operario ceſſante gratiâ alterius à ſuo labore. 19

20 Demum piſcator poteſt licitè vendere piſces, quos ex jactu retis ſperat ſe capturum, ut habetur in *l. ſi jactum 12. ff. de act. empt.* quia ſpes illa capiendi piſces ex jactis retibus eſt pretio æſtimabilis; tametſi piſces nondum ſint capti: ita etiam mercator poterit licitè vẽdere mutuatario intereſſe quod ſperat ex pecunia negotijs deſtinata ſe lucraturum: ſicut enim Piſcator ex jactu retis ſperat aliquos ſaltem piſces capere, alioquin rete ſuum non jaceret, nec ſubiret talem laborem; ita etiam mercator ex ſuis negotijs ſperat aliquid lucri obtinere, alioquin non ſubiret labores negotiorum: & ſicut piſcator poteſt licitè vendere piſces, quos ſe capturum ſperat, ita etiam mercator lucrum, quod ſperat ex ſuis negotijs aſſecuturum: eſt hujuſmodi contractus unus ex innominatis, ſicut enim poteſt quis facere aliquid

liquid, ut alius det, & eſt contractus innominatus: *facio ut des*; ita poteſt quis deſiſtere à ſua negotiatione in gratiam, & commodum alterius, ſi hic alter ſit ei aliquid daturus, & eſt contractus iſte: *deſiſto ab opere in tui gratiam, ut des*.

21 Poſſet támen quis in contrarium objicere. Primò quia ut docet D. Thomas *q. 78. art. 2.* compenſatio damni, quod conſideratur in hoc, quòd de pecunia non lucretur, non poteſt in pactũ deduci, quia non poteſt quis vendere, quod nondum habet, à quo poteſt multipliciter impediri. Secundò quia mutuum debet dari gratis, proinde quando quis non tenetur mutuare, non poteſt quidquam accipere ultram ſortem. Tertiò quia quòd lucrum ceſſet mercatori, perinde eſt, ac mercatorem impedire à tali lucro: atqui mutuatarius non impedit violenter mercatorem à tali lucro obtinendo, quia preces mutuatarij non compellunt mutuatorem; qui propterea non videtur poſſe ratione lucri ceſſantis aliquid accipere ſupra ſortem: & id vel maximè procedit, quando mutuator ſe offert ſponte ad dandas mutuò ſuas pecunias.

22 Sed contra, ad primum reſpondetur, D. Thomam tantúm loqui de lucro remoto, & quando pecunia nondum erat negotiationi deſtinata; quia tunc cùm ceſſet ſpes lucri, quæ oritur ex tali deſtinatione ceſſat etiam ratio exigendi compenſationem pro lucro ceſſante. Alij reſpondent, non poſſe tunc tantùm exigi quantum erat lucrum poſſibile, & dicunt, hanc fuiſſe mentem D. Thomæ in illa *q. 78. art. 2.* non verò D. Thomam negare, ſpem illam lucri, quæ minoris valet, quàm ipſa res ſperata, poſſe in pactum deduci, ut docet Cajetanus *q. 78. art. 2. ad 1.* prior tamen reſponſio videtur conformior doctrinæ D. Thomæ, quia ceſſante ſpe lucri non poteſt quidquam exigi ex mutuo ratione lucri ceſſantis; & talis ſpes ceſſat, quando pecunia, quæ mutuò datur, non erat deſtinata negotiationi, ſed ſervabatur otioſa in ciſtis.

23 Ad ſecundum mutuum debere quidem gratìs fieri, quia pro ipſo mutuo præcisè, & ſimpliciter ſpectato non poteſt quidquam exigi ultra ſortem: ſed inde non ſequitur, nunquam eſſe licitum pro mutuo non præcisè ſpectato, ſed quando ratione illius ceſſat ſpes lucri, aliquid exigere ſupra ſortem, quia tunc cùm ſpes lucri ſit pretio æſtimabilis, poteſt vendi, & ſicut ratione damni emergentis, poteſt quis licitè aliquid ultra ſortem exigere, ita etiam ratione lucri ceſſantis: mutuum igitur dupliciter conſideratur, primò ut præcisè, & ſimpliciter eſt mutuum, & ſub hac conſideratione debet gratìs dari, nec poteſt exigi quidquam ultra ſortem, quia pecunia eſt èx genere ſterilium, & non parit pecuniam, quam mutuator debet exigere. Secundò ſpectatur quatenus pecunia jam erat deſtinata negotiationi, & illi erat annexa ſpes lucri, quæ cum ſit pretio æſtimabilis, & mutuator ſe illâ privet in gratiam mutuatarij poteſt pro tali ſpe aliquid exigere ultra ſortem; quia poteſt ſpem illam vendere.

Ad tertium reſpondetur lucrum non tantùm dici ceſſare alicui, quando invitus privatur, vel impeditur. Verùm etiam, quando ipſe in gratiam alterius ſe ſponte privat ſpe illa lucrandi; cùm enim ſit hæc ſpes aliquid pretio æſtimabile, poteſt vendi, & aliquid accipi: ſi enim Petrus rogaret Paulum, ut ipſi commodaret inſtrumenta ſuæ artis, quibus duos ad minimum ſingulis diebus lucrabatur florenos, poſſet Paulus commodans Petro ſua inſtrumenta cum illo paciſci de tali lucro ceſſante; quia Paulus non tenetur ſe privare ſuo emolumento gratis: ita etiam dicendum de mercatore, cui pecuniæ ſunt inſtrumenta negotiandi, & lucrandi, poteſt enim ratione lucri ceſſantis aliquid ultra ſortem exigere. 24

§. IV.

An ratione periculi ſortis, vel difficultatum, aut expenſarum, quæ in illa recuperanda metuuntur licitum ſit aliquid ultra ſortem exigere.

SEnſus quæſtionis eſt, an ſi res ipſa mutuata ſubjaceat periculis, ut non ampliùs reſtituatur mutuatori, poſſit hic ratione hujus periculi aliquid exigere ultra ſortem ab ipſo mutuatario, & Cononiſtæ communiter affirmant in *c. naviganti 19. h. t.* & docet Covarruvias *lib. 3. variar. reſolut. c. 2. n. 5.* Ratio eſt, quia quando res mutuata eſt expoſita periculo, licitum eſt ratione talis periculi aliquid ultra ſortem exigere à mutuatario, dummodo res ipſa mutuata ſubjaceat periculis, ut contingit, quando viri nobiles pecunias mutuant mercatori per mare eas tranſvecturo; ſiquidem in mari ſolent plura oriri pericula, eò quia piratæ poſſint navim expilare, vel tempeſtates eam abſorbere. Tunc enim duo diſtincti concurrunt, & fiunt actus, unus eſt contractus mutui, vi cujus mutuans nil exigit ſupra ſortem; quia cùm dominium rei mutuatæ, eâ traditâ ſtatim tranſeat in mutuatarium, ideo hic obligatus eſt ad reſtituendam totam ſortem, quamvis res mutuata pereat: ſiquidem res domino ſuo perit, proinde mutuatario, in quem fuit tranſlatum dominium rei mutuatæ; non verò perit mutuanti.

Secundus actus eſt contractus aſſecurationis, in quo mutuatarius timens, ne in itinere ſit pecuniam ſibi mutuatam perditurus, ideo paciſcitur, & convenit cum mutuante, ut pro tempore itineris eam aſſecuret & pro tali aſſecuratione viciſſim promittit ſe ipſi juſtum pretium ſoluturum ultra ſortem ob periculum rei alienæ, quod in ſe ſuſcipit, & eſt pretio æſtimabile. Cùm hujuſmodi contractus aſſecurationis

onis poſſit licitè fieri cum aliquo tertio, nil videtur obſtare; quin poſſit etiam iniri cum ipſo mutuante, cum is non ſit ampliùs Dominus rei mutuatæ, & ideo periculum rei mutuatæ ad ipſum non ſpectat, niſi ſpeciatim fuerit in pactum deductum.

2 Quòd ſi periculum oriatur ex parte ipſius mutuatarij, qui facilè poſſit ad inopiam devenire, & impotentiam reſtituendi ſibi mutuò datam pecuniam, vel quia ſoleat eſſe fraudulentus, vel malæ fidei debitor; an poſſit tunc etiam in pactum deduci, ut ratione talis periculi teneatur mutuatarius aliquid ultra ſortem ſolvere mutuanti, videtur eſſe difficilius. Sotus *l. 6. de juſtit. q. 4. art. 1. ad 1.* & cum ipſo plures alij cenſent, nun poſſe tale periculum oriens ex parte mutuatarij in pactum deduci: ratio quâ nituntur, eſt, quia tunc mutuator cùm ſciat, mutuatarium poſſe facilè ad inopiam devenire, & fieri impotentem ad reſtituendam pecuniam ſibi mutuò datam, & eſſe itidem fraudulentum, & debitorem malæ fidei, ſi non obſtante hac notitia dat illi mutuò ſuas pecunias, ſciens, & volens ſubit hoc periculum; proinde ſibi tantùm debet imputare totum periculum, in quod ſe voluntariè injecit: unde nulla fuit ipſi injuria illata, nec læſio facta; quia ſciens, & volens non præſumitur lædi.

3 Nihilominus communior, & probabilior ſententia docet, ratione periculi etiam orti ex parte mutuatarij poſſe pro periculo ſortis amittendæ aliquid exigi ultra ſortem ſolvendam; non quidem ſimpliciter, ſed mediante alio contractu aſſecurationis; dummodo id exigatur non in pretium mutui, ſed tanquam conditio, ſine qua non vult mutuator ſuas pecunias exponere periculo; & mutuatarius ſua ſpontè velit contractum illum aſſecurationis inire, ſeque liberè obligare ad aliquid ultra ſortẽ, quod eſt pretio æſtimabile, ut ſi mutuet homini non ſatis noto, aut decoctori, aut nullius fidei; unde poteſt ad ſe conſervandum indemnem contrahere pro aſſecuratione ſortis, ut docent communiter Molina *de juſt. & jur. tractat. 2. diſp. 318. n. 4.* Angelus *uſura 1. n. 38.* Sylveſter *V. uſura 1. q. 35.* Joannes Medina *C. de reſtitut. q. 38. §. ad tertiam cauſam* Læſſius *lib. 2. c. 20. dub. 13. n. 111.* Petrus Navarra *lib. 3. c. 2. n. 343.* eo enim ipſo, quòd ſuſcipere in ſe tale periculum eſt pretio æſtimabile, poteſt deduci in contractum aſſecurationis, & pro eo aliquid exigi.

4 Tum quia poteſt quis aliquid exigere ultra ſortem ob timorem, ne adigatur expenſas facere in mutuo recuperando, tametſi mutuum poſtea illi reſtituatur ſine expenſis, ut docent plures, eò quia talis timor, ſit etiam aliquid pretio æſtimabile, ergo multò magis propter periculum ipſius ſortis poterit iniri contractus aſſecurationis; & aliquid exigi ultra ſortem. Nec obſtat, quòd res mutuata reſtituatur poſtea eadem, & abſque ulla diminutione, quia id non obſtat, quin minus poſſit iniri contractus aſſecurationis ratione periculi: etenim etiam qui locat equum alicui poteſt propter periculum, ne equus ſurripiatur ab hoſtibus in viciniis, aliquid exigere ultra pretium locationis, tametſi equus ſurreptus non fuerit ab hoſtibus. Tum quia debita periculoſa poſſunt minori pretio ab alio emi, ut ſi debitor ſit dubiæ fidei, proinde hoc idem erit etiam licitum in mutuo, ſi mutuatarius ſit malæ fidei, & decoctor. 5

Videntur tamen urgere in contrarium aliquot textus, quorum primus deſumitur ex *c. in civitate 6. b. t.* ubi Alexander III. videtur contrarium determinâſſe, & declarâſſe ſimilia pericula non venire in conſiderationem. Secundus habetur *in c. naviganti 19. b. t.* ubi Gregorius IX. declaravit, naviganti, vel eunti ad nundinas ſi quis mutuet certam pecuniæ quantitatem ut pro eo, quòd in ſe ſuſcipit periculum, recepturus aliquid ſit ultra ſortem, cenſetur vſurarius. Verùm hi textus non obſunt, ad illum enim deſumptum *ex c. in civitate 6. b. t.* reſpondetur, in illo capite nihil aliud definiri ab Alexandro III. quàm quòd ratione ſolutionis dilatæ non ſit licitum merces pluris vendere, quàm valeant tempore venditionis; niſi dubium ſit, illas plus, minusvè tempore ſolutionis valituras, unde Pontifex non damnat eum, qui ratione periculi non vult dare mutuò ſuas pecunias, nec prohibet contractum aſſecurationis ratione periculi, de hoc enim nulla fit mentio, & omnes concedunt, talem contractum eſſe licitum, ſi mutuatarius ſua ſponte, quamvis ad invitationem mutuantis talem ineat contractum; quia ſuſcipere in ſe tale periculum perdendi ſortem eſt aliquid pretio æſtimabile; proinde poteſt aliquid exigi.

Tum quia Pontifex in *d. c. in civitate 6. b.* 6
t. expreſsè ait, poſſe venditorem aliquid exigere ſopra pretium ordinarium ſi dubitet, merces tempore ſolutionis eſſe valituras ſex, vel ſeptem, cùm tempore venditionis non valuerint niſi quinque: unde in dubio licitum eſt quod valet quinque, vendere ſex dilata ſolutione, ſi dubitetur, quòd tempore ſolutionis ſint merces plus, minúsve quàm ſex valituræ: ex quo inferri poteſt, licitum itidem eſſe aliquid exigere ſupra rei præſentem æſtimationem ratione periculi totius ſortis.

Ad ſecundum textum deſumptum ex *c.* 7
naviganti 19. b. t. reſpondetur, Canoniſtas diverſimodè exponere textum illum: ſiquidem Gregorius IX. declarat, ut, qui mutuat naviganti, & eunti ad nundinas, & ſuſcipit in ſe periculum pecuniarum, ſi ex hoc accipiat aliquid ultra ſortem cenſendus ſit uſurarius: quem textum ita aliqui explicant, ut cenſeant, locum tantùm habere in eo caſu, quando pretium ob periculum, quod in ſe ſuſcipit creditor, vel mutuans, eſt injuſtum, vel excedit æquitatem, quia tunc accipitur ultra ſortem quod excedit juſtum pretium ratione mutui, quod eſt uſura: non ita ſi pretium pe-

riculi ſit juſtum, & judicio prudentis viri non excedens æſtimationem pericoli.

8 Verùm hæc interpretatio, non videtur conformis textui, quia Pontifex expreſsè dicit, eum eſſe uſurarium, qui ex eo, quòd mutuet naviganti, & eunti ad nundinas pecunias, & in ſe ſuſcipit periculum pecuniarum, aliquid accipir ultra ſortem: unde Pontifex abſolutè declatat, eum committere uſuram, qui tunc aliquid licèt modicum exigit ultra ſortem; ſiquidem illa dictio *aliquid* verificatur de qualibet re minima, etenim quæcunque ſit, & quantumvis minima, cùm non ſit nihil, eſt neceſſariò aliquid, quod propterea in tali contratractu non poteſt exigi.

9 Alij volunt textu illo Pontificem ſolùm damnare vſuras centeſimas ſortis pro ſingulis menſibus, quæ jure civili permittebantur in pecunia, quæ per mare traiiciebatur. Verùm licèt hæc expoſitio, cui adhæret Leſſius *loc. cit. n. 116.* poſſet defendi, imò vera eſſet, ſi Pontifex in *d. c. naviganti 19. h. t.* fuiſſet ſolùm locutus de navigantibus; non tamen videtur poſſe ſuſtineri, quia Pontifex non ſolùm loquitur de navigantibus, ſed etiam de euntibus ad nundinas.

10 Alij aſſerunt, Gregorium IX. in dicto textu fuiſſe locutum de periculo proveennite ex parte mutuatarij impotentis ad ſolvendum, vel quia ſit infidelis, vel quia non ſtet promiſſis, & declarâſſe, quòd pro illo periculo nihil poſſit accipi ſupra ſortem. Verùm neque iſta explicatio ſatisfacit, quia in præfato textu mutuans non ſuſcepit in ſe periculum mutui, ſeu ſortis ſibi ſolvendæ, ſed exegit aliquid ultra ſortem ob periculum pecuniæ mutuatæ.

11 Hinc alij cenſent, hunc textum prócedere in eo caſu, in quo probabiliter nullum ſubeſſet periculum amittendi ſortem, & tantùm prætenditur à creditore, ſeu mutuante, ut ſub tali prætextu lucretur pretium ſupra ſortem conventum. Verùm nec iſta expoſitio congruit textui, in quo tantùm eſt ſermo de mutuante pecuniam naviganti, vel eunti ad nundinas; & navigantibus plura imminent pericula ob piratas, ſeu latrunculos maritimos naves onerarias expugnantes: vel ob exortas procellas, quibus navis ad nauſragia adigitur: vel ob pericula impingendi in ſcopulos inter trajiciendum mare, unde *in d. c. 19. h. t.* talia pericula non ſunt ficta, ſed facta.

12 Probabilior eſt expoſitio Proſperi Fagnani in *d. c. naviganti 19. n. 21. & 22. h. t.* ubi aſſerit, Pontificem tantùm declarâſſe Vſurarium contractum aſſecurationis, in quo mutuans ſuſcipit in ſe periculum rei mutuatæ in ſoro externo, quatenus apud publicum Eccleſiæ judicium talis contractus aſſecurationis præſumitur vſurarius: cùm ut plurimum creditores, ſeu mutuatores ſuſcipiant in ſe periculum rei mutuatæ, ut aliquid accipiant pro eo ultra ſortem ad palliandam pravam, & vſurariam intentionem, quam gerunt lucrandi ex pecunia mutuâta, & quia jura ſtatuuntur ex ijs, quæ frequentiùs, & utplurimùm ſolent contingere *l. nam ad ea 14. ff. de legibus:* ideo Pontifex ſe conformans juri, pronuntiavit, talem contractum eſſe cenſendum vſuratium, proinde ab Eccleſia in foro externo reputari vſurarium: nec eſſe audiendum, ſi mutuator dicat, ſe non recipere lucrum ex vi mutui, ſed ratione periculi, niſi aliunde de contrario conſtet. Vnde tametſi talis contractus aſſecurationis initus cum prærecenſitis conditionibus revera in foro conſcientiæ, & ex natura rei non ſit vſurarius; ut talis tamen judicatur in foro externo, eò quia ut plurimum ſoleant hujuſmodi contractus palliari, ne appareat vſura.

Vt enim talis contractus aſſecurationis ſortis ratione periculi ſit licitus neceſſe eſt. Primò ut mutuans nolit ſuas pecunias mutuare cum tali periculo. Secundò ut mutuatarius ſua ſponte, quamvis ad invitationem mutuantis velit contractum illum aſſecurationis inire. Tertiò ut periculum ſortis in pactum expreſsè, vel tacitè deducatur, adeò ut fiat contractus innominatus, & dicat in tuam gratiam ſubijciam me periculo ſortis, dummodo tu des mihi octo pro centum, & ſi navis vel à piratis capta fuerit, aut expilata, vel naufragium paſſa non exigam à te quidquam de ipſa ſorte, quæ tota mihi erit amiſſa; hic enim contractus eſt ex ſua natura juſtus, & eſt contractus innominatus *faciam, ut des*, ſeu deſiſtam exigere ſortem, ſi navis capta fuerit, vel naufragium paſſa, dummodo tu des mihi octo pro centum.

Hinc eſt etiam licitus contractus, quo quis contrahit cum mercatore navigante apud Indos, & dat illi mille aureos cum pacto, quòd ſi navis pereat, nil ampliùs debeat reſtituere de illis mille aureis: ſin verò ſalva in patriam fuerit reverſa, teneatur dare mille & trecentos aureos mutuatori, ſeu trecentos aureos ſupra ſortem, quia tunc lucrum illud accipitur ratione periculi, quod in ſe mutuans ſucipit, non verò ratione mutui. Tum quia mutuatarius traijciens Oceanum usque ad Indos poteſt negotiari, & plus ſuâ induſtriâ lucrari beneficio illorum mille aureorum, quàm ſit daturus mutuanti, proinde cùm nullum ipſi inferatur damnum, imò potiùs mutuatarius lucrum ex tali contractu reportet, & nulli ſubjaceat periculo reſtituendi ſortem, ſi navis pereat, eſt contractus juſtus. 13

Quamobrem ratione periculi ſortis, vel 14 etiam difficultatum, aut expenſarum, quæ impenduntur pro recuperanda ſorte licitum eſt aliquid exigere, ut docent communiter præſertim Molina *de juſt. & jur diſp. 356.* Diana 1. *p. reſol. 37. & 57.* Filiucius *tract. 24. n. 97.* & alij ea nitentes ratione, quia hujusmodi pericula ſint pretio æſtimabilia, & mutuator non tenetur ea gratis ſubire, conſequenter poteſt aliquid accipi, dummodo tria concurrant. Primò ut mutuator non roget mutuatarium, ut ſe exhibeat loco Fidejuſſoris; ſed liberum ei faci-

faciat pignore, vel fidejuſſore carere, Secundò ut non plus mutuans exigat ratione hujus periculi, quàm ipſe alteri vellet dare pro ejusdem periculi redemptione, Tertiò ut reverà ſit periculum amittendi ſortem, & difficultas eandem recuperandi. Rurſus ſi ex carentia pecuniæ ſimul etiam ceſſet mutuanti aliquod lucrum, vel ſubeat aliquod damuum, vel timeat aliquod periculum; tuuc ratione lucri ceſſantis, & damni emergeutis ſimul conjuncti cum illa careutia pecuniæ poteſt aliquid accipi pro quantitate damni emergentis, & lucri ceſſantis. Quòd ſi ex carentia pecuuiæ nullum ceſſet lucrum, nullum emergat damuum, nullum immineat periculum; tuuc non poteſt quidquam accipi ſupra ſortem; tametſi mutuans contraxerit, ſe uon repetiturum ſortem, niſi poſt quinquennium; ratio eſt, quia ſimplex carentia pecuniæ, & obligatio nou repetendi mutuum aute hoc, vel illud tempus eſt quid intrinſecum, & eſſentiale contractui mutui, per quod differt à precario; quia iſtud ſemper poteſt repeti; mutuum verò nou debet ſtatim repeti, ſed tantùm poſt præfixum terminum.

16 An verò ratione incommodi, & gravaminis, quod oritur ex tali carentia mutuatori, poſſit ab hoc aliquid exigi ſupra ſortem. Quidam cenſent poſſe ratione trauslationis dominij, carentiæ pecuniæ, & commodi, quod ex illa præſente poſſet ſtatim haberi iu rebus viliori pretio emendis, aliquid ſupra ſortem à mutuatore exigi. Probari ſolet hæc ſententia, quia ſi id, quod eſt ultra ſortem, exigatur, tantùm intuitu trauslationis domioij, & privationis ejusdem uon autem intuitu mutui, non videtur illicitum, quia omne dominium rei utilis, ut eſt dominium pecuniæ præſentis, quæ ſubeſt poteſtati alicujus, eſt pretio æſtimabile, ſicut etiam privatio eiusdem rei utilis: ſicut enim eſt pecuniâ æſtimabile, quod artifex in gratiam alterius privet ſe inſtrumentis ſuæ artis, idque non alia ratione, niſi quia privat ſe aliquo, quo utitur in ordine ad aliquam propriam utilitatem: ita eſt etiam pretio æſtimabile, quod aliquis privet ſe pecuniâ, quâ poſſet uti in omnem ſuam utilitatem: ſunt enim pecuniæ inſtrumenta mercatorem, quibus propriam exercent artem, proinde ſi dent illam mutuò, privant ſe facultate, & potentia convertendi pecunias mutuatas in obvios vſos lucrativos, cujusmodi ſunt cambium, mercatura, emptio rei frugiferæ; unde ceſſante mutuatori hac poteſtate utendi proprijs pecuniis in obvios vſus locrativos, poteſt pro tali carentia, quæ eſt pretio æſtimabilis, aliquid accipi. Cum igitur translatio domioij, & carentia pecuniæ ſint res pretio æſtimabiles, ac pecunia per ſe utilis, & primò per ſe veuiant hæc omnia in conſiderationem, mutant rationem contractus, & faciunt, ut qood alioquin fuiſſet mutuum, fiat contractus venditionis ad certum tempus, quo elapſo res vendita ad priſtinum Dominum devolvatur; unde cùm non interveniat ampliùs mutuum, ideo trauslatio dominij, & carentia pecuuiæ non ſuut quid ampliùs intriuſecum mutuo; ſed per ſe fiunt quid venale: hoc pacto in fundatione censûs excluditur vſura non alia ratione, uiſi quia mutuatio pecuniæ reducitur ad emptionem, & venditionem, & ideo cenſus fuerunt in Republica introducti, ut eorum beneficio poſſet quisque ex propria pecunia aliquod percipere lucrum.

17 Si dicas, translationem dominij pecuniæ, & ejusdem carentiam cum obligatione non repetendi niſi poſt terminum præfixum eſſe prædicata ita mutuò intrinſeca, ut nullo pacto poſſint ab eodem ſeparari, proinde ſi mutuum ſit gratis, non poſſit quidquam accipi pro hac translatione dominij, careutia pecuniæ, & obligatione non repetendi pecuniam mutuatam, niſi poſt terminum præfixum; ratio eſt, quia hæc prædicata conſtituunt ipſum mutuum: atqui pro mutuo non poteſt quidquam accipi; conſequenter neque pro ſuis prædicatis intrinſecis, quibus conſtituitur.

18 Poſſet reſponderi, hoc totum tantùm ſequi, quando pecuuia traditur ſub ratione mutui, tunc enim translatio dominij, carentia pecuniæ & obligatio eam nou repetendi niſi poſt præfixum terminum, ſe habent conſecutivè ad ratiouem mutui, & ideo ſequuntur naturam mutui, perinde ac acceſſorium ſeqnitur naturam ſui principalis: & hoc pacto ſub ratione mutui uon poteſt qnidquam accipi ob trauslationem dominij pecuniæ, ejus carentiam, & obligationem illam non repetendi niſi poſt certum têmpus: quia hæc prædicata ſtant ſub determinatione mutui, pro quo non poteſt quidquam accipi; cum ſuapte natura exigat dari gratis. Sic verò principaliter conſiderentur translatio dominij pecuniæ, ejus carentia, & obligatio eam non repetendi niſi poſt certum tempus; cùm hæc ſint aliquid pretio æſtimabile, & ipſa pecunia ſit utilis, & per ſe primò veniat in conſiderationem; ideo talis contractus non induit naturam mutui, ſed venditionis, & emptionis, qoia qui pecuniam poſſidet, ſentit illud commodum, quod poſſit ſemper pro ſuo libitu ea uti cum ſua otilitate emendo res, quæ venales poſſunt occurrere viliori pretio; & cum privare ſe tali potentia converteudi ſuam pecuniam in obvios vſus lucrativos, ſit illi incommodum; ideo hæc translatio dominij, pecuniæ carentia, & obligatio non repetendi uſque ad certum tempus eſt quid pretio æſtimabile cadens in contractum venditionis, & emptionis absque ſuſpicione vſuræ.

19 Cæterum ſententia transferens contractum mutui in contractum venditionis, & emptionis ſpeculativè eſt perqnam probabilis, & eam docent Medina *c. de reſtit. q. 32.* §. *inde* Paſqualigus. *in ſuis decis. moral. decis. 184.* quia poſſumus diſtinguere pecuniam, & poteſtatem utendi pecunia, eamque convertendi in obvios uſus

lucra-

Digitized by Google

lucrativos; tametſi pecunia per ſe præciſè conſiderata ſit de genere ſterilium, nec poſſit pro ipſa præciſè ſumpta quidquam ultra ſortem exigi, eò quia pecunia pecuniam non pariat; nihilominus ipſa poteſtas utendi pecuniâ præſente, prout poſſidenti eam magis libuerit, eamque convertendi in obvios uſus lucrativos juxta majus ejus commodum eſt aliquid pretio æſtimabile, unde tametſi mutuans nil exigat pro ipſa pecunia; nihilominus poteſt contractum venditionis, & emptionis inire cum ipſo Mutuatario circa talem poteſtatem utendi pecuniâ præſente, prout ipſi magis libet juxta proprium commodum, & convertendi eam in obvios uſus lucrativos, prout id eſt ipſi magis utile, & illam vendere; quia cum ſit quid pretio æſtimabile vendi poteſt, & exigi pretium, & Mutuarius poteſt illam emere, & ſolvere pretium pro tali emptione, hic enim contractus non eſt mutui, ſed venditionis, & emptionis, & quidem rei pretio æſtimabilis.

20 Neque obſtat, ſi dicas, hanc poteſtatem utendi tali pecunia in obvios uſus lucrativos non diſtingui ab ipſa pecunia, eò quia in rebus conſumptibilibus uſus non diſtinguatur à Dominio, quod transfertur in mutuo ſimul cum pecunia. Nam contra eſt, quia etiam in rebus uſu conſumptibilibus uſus diſtinguitur à Dominio, ut docent Leſſius *lib. 2. de juſt. & jur. c. 3. n. 32.* Paſqualigus *in decis. moral. decis. 184. n. 17.* Molfeſius *tom. 2. ſum. tractat. 12. c. 1. n. 65.* Sotus *lib. 4. de juſtit. & jur. q. 1. Act. 1.* Navarrus *comment. 2. de regul. n. 3.* & id declaravit etiam Nicolaus III. *extravag. exiit qui ſeminat de V. S. in 6* & Clemens V. *in clement. Exivit de Paradiſo eod. tit.* ratio eſt, quia uſus conſumptibilium poteſt ſeparari ab ipſis rebus conſumptibilibus, conſequenter ab earum Dominio, etenim Regulares ob votum paupertatis non habent Dominium in pecunias, & tamen ipſis conceditur uſus, adeo ut Religioſus ex licentia ſui ſuperioris, licèt non habeat Dominium in pecunias, poſſit tamen illis uti expendere in rebus licitis, & utilibus ſibi, vel religioni: unde ſicut datur poteſtas utendi pecuniis ſine dominio, ut in Regularibus, ita diſtinguitur potentia, ſeu poteſtas convertendi pecuniam in obvios uſus lucrativos ab ipſa pecunia, & ejus dominio. Et poteſt illa poteſtas utpote aliquid pretio æſtimabile vendi, & pretium exigi perinde ac ex qualibet alia re pretio æſtimabili, & quæ datur venum. Hoc pacto non exigitur quidquam ratione mutui ultra ſortem, quod eſſet iniquum, & injuſtum, ſed tantùm exigitur pretium rei vendibilis, & pretio æſtimabilis: per mutuum transfertur dominium rei mutuatæ, proinde ſi mutuatarius aliquid ſolveret ratione mutui, utique ſolveret ut uteretur eo, quod ſuum eſt: ſed ſi vendatur illa poteſtas convertendi pecuniam in obvios uſus lucrativos, tunc mutuatarius non ſolvit, ut utatur eo, quod ſuum non eſt, fiat ſuum, ſeu poteſtas convertendi talem pecuniam, prout ipſi magis libuerit in uſus obvios lucrativos.

In praxi tamen non adhærerem huic ſen- 21
tentiæ, quia eo ipſo quòd transfertur dominium, transfertur etiam poteſtas utendi pecuniâ, prout ipſi magis libuerit, dominium enim dicit hanc poteſtatem: quòd ſi dominium non transferatur cum pecunia, jam contractus non eſt mutui, ſed precarij, quia mutuatarius poſſet ſemper repetere ſuas pecunias ut ratione dominij, quod apud ſe retinet ſuis uteretur pecunijs in obvios uſus lucrativos; diſtinguitur enim mutuum à precario, quia ratione mutui non poteſt mutuator exigere pecuniam mutuatam niſi poſt certum tempus determinatum in contractu, ſecus in precario, poteſt ſemper quod ſuum eſt exigere, & illo uti.

Quamobrem in praxi non eſt recedendum 22
à communi ſententia, quia ſi licitum eſſet hoc modo diſtinguere & ſeparare unum prædicatum ab alio, ſicut præſcindimus unam formalitatem metaphyſicam, & diſtinguimus ab alia formaliter; nullus contractus eſſet re ipſa uſurarius, ſed tantùm per accidens ob ignorantiam contrahentium, eò quia iſti neſciant diſtinguere in mutuo rationem pecuniæ à ratione dominij, & poteſtatis ea utendi in obvios uſus lucrativos, prout magis libet poſſidenti eas pecunias: nam re ipſa ſive id, quod exigitur ſupra, ſortem exigatur ut pretium poteſtatis utendi pecunia, ſive ratione gravaminis, quod oritur in mutuatore ex carentia ſuæ pecuniæ, revera ſemper propter mutuum exigitur lucrum, quod eſt prohibitum: alioquin illud idem lucrum, quod ob mutuum illicitè exigitur, poſſet ſemper licitè exigi, non propter ipſum mutuum ſub formalitate mutui, ſed ſub alia formalitate, vel propter obligationem novam ſuperadditam non repetendi mutuum intra tale tempus: vel propter venditionem poteſtatis utendi pecunia, vel ob aliquam aliam formalitatem: unde inutiles eſſent omnes leges in hac materia prohibentes uſuras, quia beneficio diverſarum formalitatum, quæ diſtinguuntur, nullus eſſet contractus mutui, qui non poſſet licitè iniri lucri causâ: quapropter tota controverſia de uſuris reduceretur ad quæſtionem inutilem de puro nomine.

Pro fidejuſſione tamen poteſt aliquid ac- 23
cipi, quia illa obligatio, qua aliquis tertius fidejubet pro mutuatario, ut mutuans ſit ſecutus, eſt aliquid pretio æſtimabile, eſt enim gravamen, quòd fidejuſſor in ſe ſuſcipit ſolvendi mutuanti, caſu, quo mutuator non poſſet, vel nollet reſtituere: unde quo majus eſt periculum ſolvendi, eo etiam pluris debet æſtimari pretium fidejuſſionis: quòd ſi nullum timeretur periculum, adhuc poſſet fidejuſſor aliquid licet tenue exigere ratione ſolius obligationis: quia nemo tenetur hanc obligationem, & gravamen in ſe ſuſcipere in gratiam alterius.

Eſſet tamen uſura ſi mutuans remitteret 24
mutuatario obligationem dandi fidejuſſorem

ſub ea conditione, & pacto, ut ſibi mutuans ſolvat id, quod dediſſet Fidejuſſori: ratio diſcriminis eſt, quia eatenus fidejuſſor licitè accipit aliquid pro fidejuſſione, quia revera recipit in ſe gravamen, & onus, quod eſt pretio æſtimabile: ſecus mutuans remittendo fidejuſſorem mutuatario nullum recipit onus, nec gravamen ex ſe, cum poſſit mutuatarius eſſe perſona ſecura, & quæ fideliter ſit reſtitutura ſuo tempore acceptum mutuum. Quòd ſi mutuator ex eo, quòd non exigat fidejuſſorem exponat ſe periculo probabili amittendi ſortem, tunc non ratione fidejuſſoris, ſed ratione periculi poteſt aliquid ſupra ſortem exigere.

§. V.

An Pactum Antichriſeos licitè procedat in mutuo, vel ſit uſurarium.

1 PLura poſſunt contractibus mutui adjici pacta, quorum primum dici ſolet pactum antichriſeos, de quo dubitatur an citra uſuram fieri poſſit. Eſt antichriſis pactum inter creditorem, & debitorem, ut creditor tamdio pignore uti, & fructus ejus lucrari poſſit, donec ſibi pecunia mutuo data à debitore reſtituatur. Dicitur hic contractus antichriſeos; quia antichriſis græcè idem ſignificat, ac contrarium, ſeu mutuum uſum rei in pignus conceſſæ pro uſu pecuniæ mutuò datæ *l. ſi pecuniam 33. ff. de pignorat. act. l. ſi is quis 11. §. 1. ff. de pignor.* De hoc contractu antichriſeos controvertitur, an ſit uſurarius. Plures Juriſperiti eum liberant ab omni uſura præſertim Alciatus *lib. 2. diſt. c. 3.* & alij apud Mynſingerum *centur. 6. obſervat. 71.* & Andream Gallum *lib. 2. obſerv. 3.* Nituntur primò, quia pactum antichriſeos diſertè approbatur in *l. ſi pecuniam l. ſi is qui. l. ſi ea 17. c. de uſur.*

2 Secundò quia *in c. 1. de feud.* Dominus dicitur lucrari fructus ex re feudali ſibi à Vaſſallo oppignorato.

3 Tertiò quia in *c. ſalubriter 16. h. t.* Urbanus III. decidit, quòd maritus pro dote uxoris ſibi debita accipiens à ſocero pignus, lucretur fructus ejusdem pignoris, & non teneatur ob fructus interim ex pignore perceptos minorem dotem accipere.

4 Quartò quia non videtur eſſe illicitum, ſi creditor ex fructibus pignoris lucrum accipiat propter culturam, & curam, quam in illis ferendis, & colligendis impendit *arg. §. ſi quis a non Domino 35. inſtit. de rer. diviſ.* ubi dicitur, quòd poſſeſſor bonæ fidei ex re aliena lucretur fructus ſaltem conſomptos propter culturam, & curam, quam rei alienæ adhibuit.

5 Quintò quia poteſt creditor pignus emere pro illa eadem ſumma pecuniæ, quam mutuare intendit mutuatario ea conditione, ut pro eodem pretio licitum ſit debitori, quandocunque placuerit pignus redimere; & quamvis creditor tunc percipiat fructus pignoris pro toto eo tempore, quo debitor illud non redimit eâdem ſummâ pecuniæ ſibi mutuatæ; nihilominus contractus non eſt uſuratius, ſed licitus; adeò ut mutuator faciat ſuos omnes fructus pignoris, donec redimatur à mutuatario *l. 2. c. de pact. inter Empt. & vendit.* unde ſi licitum eſt creditori per pactum emptionis fructus pignoris percipere toto eo tempore, quo debitor illud non redimit: erit etiam licitum per pactum antichriſeos eosdem pignoris fructus percipere; quia vel uterque contractus eſt licitus, vel neuter, quia utriusque eſt idem effectus, neque unâ viâ permitti debet, quod aliâ prohibetur juxta *regul. 84. jur. in 6.*

Nihilominus communis, & vera ſententia eſt, pactum antichriſeos olere uſuram, & eſſe illicitum, ut docent Caniſius *de uſur. c. 5. n. 15.* Cavarruvias *variar. reſolut. lib. 3. c. 2. n. 3.* & deſumitur *ex c. plures 1. h. t.* ubi Alexander III. expreſsè declarat, eum, qui data pecuniâ poſſeſſiones in pignus acceipit, teneri fructus pignoris deductis expenſis in ſortem principalem computare, quâ expletâ reddendum eſt pignus liberè, & ſi non eſt expleta, ſi ſolvatur id, quod ſupereſt, reſtituendum eſt pignus, alioquin eſt uſura. Hoc idem etiam ſtatuitur *in c. quoniam 2. h. t.* ubi Alexander III. explicans, quod ſtatuerat *in c. plures 1. eod. tit.* ait, id procedere tam de clericis, quàm de ſæcularibus, & addit eſſe compellendos mutuantes ad reſtituenda pignora diſtrictione eccleſiaſtica, quando deductis expenſis receperunt ex fructibus ſortem principalem. Ratio, cur pactum antichriſeos ſit uſurarium eruitur ex ipſa natura, & definitione uſuræ: eſt enim uſura quidquid cauſa mutui pretio æſtimabile creditor lucratur ſupra ſortem ſive in fructibus, vino, tritico, oleo, ſive in numerata pecunia: ſed ſi fructus percepti ex pignore non computentur in ſortis exonerationem, ſed cedant lucro mutuatoris, percipit hic aliquid ultra ſortem mutuatam, ſeu ipſos fructus ex pignore perceptos, quia cùm hi ſint revera pretio æſtimabiles augent pretium ſortis, & totum hoc augmentum percipitur à mutuante ultra ſortem, quod propiè, & formaliter eſt uſura. 6

Quamobrem mutuator tenetur fructus perceptos ex re oppignorata deductis expenſis in eosdem factis in ſortem computare ad exonerandam, & extenuandam, immo etiam extinguendam ſortem principalem, ſi fructus ei æquentur, vel reſtituere fructus ex pignore perceptos mutuatario; ad quem pertinet res oppignorata, & ſi hic ſolvat mutuum, tenetur etiam eidem reſtituere ſuum pignus: alioquin ſi faciat ſuos fructus rei oppignoratæ non excuſatur ab uſura, quia ſibi arrogat ex mutuo lucrum ſupra ſortem, quod ipſi non debetur. Tum quia ſicot omne incommodum, quod rei oppignoratæ poteſt fortuitò contingere eſt debitoris, eò quia ſit hic verus Dominus rei oppignoratæ: ita æquitas exigit, ut omne commodum ejusdem rei oppignoratæ ad eundem pertineat, qui eſt verus poſſeſſor, & Dominus ejuſdem *l. ſi inter 21. §. quidquid ff. de pignor.* quando enim mutuatarius pro aſſecuratione mutui dat pignus mutuatori; dominium, 7

Digitized by Google

nium, & poſſeſſio pignoris adhuc pertinet ad mutuatarium, ideóque etiam ipſi perit *l. pignus 9. c. de pignorat. act.* ſicut igitur incommoda, quæ obtingunt rei oppignoratæ tribuuntur, & pertinent ad mutuatarium, qui eſt Dominus rei oppignoratæ, ita etiam commoda ejuſdem rei oppignoratæ, debent ad eundem mutuatarium, ut Dominum pertinere, commoda enim cujusque rei debent eum ſequi, quem ſequuntur incomoda ex *regula jur. 10. & regul. 55. in 6.*

8 Quamobrem in contractu antichriſeos fructus rei oppignoratæ non poſſunt cedere mero lucro creditoris, niſi fortaſſis hic velit ſibi retinere partem aliquam horum fructuum jure compenſationis, ſeu ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel ſuſcepti periculi, vel titulo expenſarum, quæ fiunt ad cuſtodiendum pignus, vel ad colligendos fructus, quia non dicuntur fructus pignoris, niſi qui ſuperſunt ex deductis expenſis *l. fructus 7. ff. ſolut. matrim.*

9 Quamobrem non ſolùm eſt uſura ſi aliquid annuatim ratione mutui accipiatur ultra ſortem; verùm etiam ſi ex pacto creditor lucretur fructus rei oppignoratæ: ratio eſt, quia fructus ſunt aliquid pretio æſtimabile, & superveniunt ſorti ex pacto præcedente, perinde percipere fructus rei oppignoratæ eſt propriè, & formaliter uſura; quia eſt percipere lucrum ſopra ſortem ex vi mutui; dicitur enim lucrum quidquid eſt pretio æſtimabile, & percipitur ultra ſortem, ſivè ſit pecunia numerata, ſivè vinum, oleum, triticum, & alia id genus; quapropter tenetur mutuator fructus, quos ex pignore percipit computare in ſortem principalem ad eam exonerandam, & extenuandam. Juvat tamen obſervare diſcrimen inter pignus, quod conſiſtit in re mobili, & in re immobili, quia ſi pignus ſit res mobilis, & mutuator inſcio, & invito mutuatario illa utatur, committit furtum *l. ſi pignore 54. in princ. ff. de furt.* ratio eſt, quia mutuatarius nonniſi ſecuritatis cauſa dat mutuatori rem ſuam mobilem, quæ cùm æquivaleat mutuo dato, redditur mutuator ſecurus de non amittendo mutuò dato, & quia mutuator ob puram ſecuritatem dat ſolùm in pignus rem, & non uſum rei, ſequitur quòd mutuator furtum committat, ſi inſcio, & invito Domino ſibi uſurpet uſum rei.

10 Quando verò rei oppignorata eſt immobilis, ut ager, domus, campus, tunc ſi mutuator ſibi uſurpat uſum rei oppignoratæ non committit furtum *§. quod autem ad eas res inſtit. de uſucap.* unde poteſt creditor, ſeu mutuator rem immobilem ſibi obligatam pignoris cauſa alteri locare *l. creditor 23. ff. de pignor.* vel poteſt, ſi velit ea uti, quia jura eatenus id permittunt, quia prædia per culturam fiunt meliora, ſicut ſterileſcunt, niſi colantur *l. 3. §. divi fratres ff. de jure fiſc.* domus etiam per inhabitationem magis conſervantur, ſicut vitium contrahunt ſi vacuæ maneant: ſed tunc quidquid fructus & lucri percipitur ex re oppignorata computari debet ad extenuationem, & extinctionem ſortis principalis: vel ſi mutuatarius reſtituat totum mutuum acceptum, tenetur mutuator etiam reſtituere non ſolùm rem ſibi pignoris cauſâ obligatam, ſed etiam omnes, quos ex ipſa percepit fructus.

Quòd ſi fructus rei oppignoratæ ſint tales, 11
qui ſervando ſervari non poſſint, ſed ſint corruptioni ſtatim obnoxij, tunc poteſt mutuator licitè eos percipere, & perceptos conſummere, vel diſtrahere potius, quàm permittere, ut corrumpantur *l. fin. §. ult. c. de adminiſt. tut.* Sed tunc pretium perceptum ex iiſdem fructibus computari debet in ſortem debiti principalis ad illud exonerandum, & minuendum, imò etiam extinguendum, ſi adæquent quantitatem ſortis, ſeu ſummæ capitalis. Dicuntur autem fructus conſumpti, venditi, compenſari cum ſorte, non per ſe, ſed ratione æſtimationis fructuum *l. ſi convenerit 18. in princ. ff. de pignorat. act. l. ſi conſtat. 4. c. de compenſat.*

Secus fructus à creditore percepti, ſi adhuc extent, non computantur in ſortem, ſed 12
jure pignoris manent apud creditorem, donec debitum ſolutum ſit, tunc enim ſunt reſtituendi debitori, vel mutuatario. Immo non ſolùm fructus percepti à creditore, ſed etiam percipiendi, ſeu qui percipi potuerunt, & non fuerunt percepti computandi ſunt in ſortem principalis debiti: Adeò ut ſi Mutuatarius in pignus accepti mutui dedit domum, vel prædium, quod locari ſemper conſueverat; ſi non locetur, & aderant conductores, tunc tenetur mutuator, ſeu creditor perinde reſtituere fructus percipiendos, ac perceptos: quia ex propria injuria & negligentia obtigit, quod pignus locatum non fuerit *l. 2. c. de pact. pignor. c. gravis 11. de reſtit. ſpoliat.* Cæterum ſi mutuator ipſemet excolat prædium ſibi in pignus datum, tenetur quidem fructus reſtituere, ſed deductis omnibus expenſis, quia nomine fructuum hîc tantùm veniunt fructus illi, qui deductis omnibus expenſis ſuperſunt.

Ad primum argumentum, quo nititur con- 13
traria ſententia, reſpondetur, præfatos textus deſumptos ex lege civili nil relevare, quia leges civiles permittentes uſuras, & contractus uſurarios fuerunt correctæ, & abrogatæ per ſacros canones, & præſertim *in clement. unic. h. t.* ubi Pontifex anathemate percutit Officiales communitatum, qui faciunt, ſcribunt, dictant ſtatuta, ut uſuræ ſolvantur, vel ſolutæ non reſtituantur, quando repetuntur.

Ad ſecundum, in quo dicitur Dominus lu- 14
crari fructus ex re feudali ſibi à vaſallo oppignorata, reſpondetur, ſpeciale eſſe in feudo, ut Dominus ex eo ſibi à vaſallo oppignorato fructus lucretur *c. 1. de feud. & c. conqueſtus h. t.* quod etiam de emphyteuſi aſſerunt Doctores, qui tamen procedunt cum hac limitatione: dummodo interea vaſallo ſervitia, quæ ex feudo t[illegible]ebatur præſtare remittantur, ut etiam Emphyteutæ canon: ratio aſſignatur à Panormitano *in d. c. 1. de feud.* eò quia hæc ſit natu-

ra feudi,

ra feudi, & emphyteuſis, quam habet ex prima ſua inſtitotione, conventione, & conſuetudine: ſiquidem cum in feudo, & emphyteuſi dominium directum maneat penes Dominum, & tantùm dominium utile transeat in vaſallum, & Emphyteutam; per oppignorationem autem res tota revertatur ad Dominum directum, videtur convenientius, ut res oppignorata Domino potiùs, quàm alteri fructificet: ſecus cum in mutuo dominium rei oppignoratæ pro aſſecuratione mutui maneat apud mutuatarium; ſequitur, quòd debeat fructificare ipſi mutuatario, qui eſt Dominus rei oppignoratæ non verò ipſi mutuatori.

15 Ad tertium in quo ex *c. ſalubriter 16. h. t.* Pontifex decidit quòd maritus pro dote uxoris ſibi debita accipiens à ſocero pignus lucretur ejus fructus, & non teneatur ob fructus interim ex pignore perceptos minorem dotem accipere, reſpondetur, id contingere ratione lucri ceſſantis: etenim ſi maritus dotem haberet; ex fructibus, quos ex ipſa perciperet, onera matrimonij ſuſtineret, ideo ob cõpenſationē hujus lucri ceſſantis licitè, & rectè facit ſuos fructus, quos percipit ex re ſibi oppignorata locò dotis: ſiquidem maritus, cui dos promiſſa non ſolvitur, non tenetur ſuſtinere onera matrimonij, & pater uxoris, vel etiam alius extraneus, qui dotem promiſit, tenetur compenſare marito fructus dotis *l. ſi is quem vos. §. 1. ff. de jure dot.* Cæterum ſi ab initio cùm de dotis conſtitutione ageretur, conventum ſit inter maritum, & dotem conſtituentem, ut dos intra menſem, vel annum ſolvatur pignoribus datis, quamvis maritus interim ſuſtineret onera matrimonij, non tamen poſſet fructus pignoris lucrari, aut uſuras dotis petere, niſi pactum interceſſiſſet ab initio. Ratio igitur, cur maritus poſſit fructus pignoris percipere, nec teneatur eos in dotem computare, hæc eſt: quia fructus dotis non percipit ratione mutui, nec dilatæ ſolutionis; ſed tantùm ex ea cauſa, quia uxorem aluit, & alia omnia matrimonij onera ſuſtinuit ſine dote, quæ ſuſtinere debebat ſocer; hinc apparet, cur poſſit licitè gener ex rebus ſoceri, vel ex fructibus pignorum onera matrimonij ſuſtinere; quia ad id tenebatur pater uxoris, & hæc eſt vera ratio, cur maritus non teneatur fructus pignorum imputare in ſortem principalem, quia maritus ex talibus fructibus debet ſuſtinere onera matrimonij.

16 Ad quartum reſpondet Caniſius *c. 5. n. 25.* debere creditorem ſibi imputare, qui culturam, & curam ex contractu illicito in rem alienam impendit, quapropter non fuit creditor comparandus bonæ fidei poſſeſſori, ſed potiùs malæ fidei, qui ob culturam, & curam nullos prorſus fructus lucratur; ſed tenetur univerſos reſtituere *l. certum 22. c. de rei vindicat.* Et quamvis fortàſſis creditor fuerit in errore juris, & putaverit, fructus pignoris poſſe ex pacto ſuo lucro acquiri, non propterea error cenſetur prodeſſe volenti acquirere, & lucrari *l. juris 7. ff. de jur. & facti ignorantia.*

Ad quintum reſpondetur, eſſe diſcrimen inter emptionem pignoris cum pacto redimendi, & inter pactum antichriſeos: ſiquidem, ſi creditor pignus emat, deponit qualitatem creditoris mutui, & pignoris, & talis contractus non eſt mutui, ſed venditionis, & emptionis quo unus vendit, & alter emit; proinde emptor tunc non titulo mutui, ſed jure dominij lucratur fructus ex re ſua. Tum quia res ſemel empta ſi caſu fortuito pereat, non poteſt amplius repeti ejus pretium, quia res perit ſuo Domino, ut habetur *in tit. ff. de peric. & commodo rei vendita.* Secus in pacto antichriſeos mutuator non acquirit dominium pignoris, ſed tantùm illud apud ſe retinet pro ſimplici aſſecuratione mutui dati: & quia fructus rei acquiruntur Domino ejusdem rei; ideo cùm dominium rei oppignoratæ maneat apud mutuatarium, non verò apud mutuatorem; non poteſt hic ſuus facere fructus rei oppignoratæ; ſed hi debentur mutuatario, ad quem pertinet dominium rei oppignoratæ, quia quælibet res fructificat ſuo Domino. 17

Quando igitur mutuator emit pignus ea conditione, ut mutuatarius poſſit illud redimere, mutuator per veram emptionem acquirit dominium in pignus à ſe venditũ, cujus fructus propterea poteſt licitè percipere: ſed in contractu antichriſeos mutuator non emit pignus, nec ullum acquirit dominium in illud, ſed tantùm illud apud ſe retinet pro aſſecuratione mutui dati: & quia res quælibet fructificat ſuo Domino, ſequitur in pacto antichriſeos fructus pignoris pertinere ad mutuatarium. 18

Juvat tamen obſervare, quòd tametſi emptio cum pacto redimendi jure ordinario permittatur *l. 2. c. de pact. inter emptor. & venditor.* & propterea antichriſis poſſit cohoneſtari, ut notat Layman *in Theol. moral. lib. 3. tract. 4. c. 16. n. 17.* id tamen procedit, dummodo ſingula bona fide agantur, nimirum ut res juſto pretio vendatur; & creditor non conſueverit uſuras exercere, neque cogat debitorem pecuniæ indignè ad talem contractum, quem aliàs non iniret: alioquin ex modicitate pretij, conſuetudine fœnerandi, & ſi rem intra certum tempus non licuerit venditori redimere, poteſt emptio cum tali pacto redimendi eſſe contractus uſurarius, ut notat Fachineus *lib. 2. controvers.* 19

Sunt tamen in jure canonico aliquæ ſpeciales cauſæ, ob quas citra uſuram poſſunt fructus rei oppignoratæ licitè percipi à creditore, quamvis hic eos in ſortem non computet. Prima deſumitur *ex c. plures 1. h. t.* ubi cùm Alexander III. decreviſſet, ne quisquam clericorũ aliquod uſuræ genus exerceat, poſtea ſubdit, *niſi fortè Eccleſia beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laici videatur.* Hinc ſi laicus injuſtè detineat poſſeſſionem aliquam, ſeu prædium, quod fuerat clerico in beneficium aſſignatum ſi poſtea illud pro mutuo obliget, vel det in pignus, poteſt Cleri- 20

cus

ejus fructus ex tali prædio licitè percipere, & retinere; adeò ut non teneatur eos conferre in diminutionem ſortis: ratio eſt, quia tunc Clericus non committit uſuram, cùm percipiat, quod ſuum eſt, & per viam occultæ compenſationis redimat, quod ad ſe legitimè ſpectabat, & fortaſſis alio modo non poterat recuperari. Quòd ſi Clericus prædium, vel rem ſpectantem ad Eccleſiam, & quæ ipſi in beneficium nunquam fuit aſſignata pro mutuo, ſeu debito in pignus acciperet, non poſſet fructus ex re illa perceptos retinere, ſed teneretur eos in ſortem computare, niſi fortaſſis ex conceſſione Eccleſiæ id ageret: ut quis licitè percipiat ex mutuo aliquid ultra ſortem debet res illa, ex qua fructus percipit, ſibi deberi, alioquin non poſſet licitè ejus fructus percipere; & ſibi retinere; quia res quælibet, ſuo tantùm Domino fructificat.

21 Idque non ſolùm verum eſt de Clerico, ſed etiam de laico: ſi enim Petrus dat mutuos Paulo mille aureos, & Paulus pro aſſecuratione mutui dat Petro in pignus prædium, quod aliàs pertinet ad ipſum Petrum, & cujus Paulus tantùm erat iniquus poſſeſſor, tunc Petrus habet juſtum titulum percipiendi fructus talis prædij; adeo ut non teneatur eos computare in diminutionem ſortis principalis, quia cum ſupponatur dominium prædij pertinere ad ipſum Petrum, hic percipit fructus ex re ſua.

22 Secundus titulus, ſeu cauſa eſt, quando creditori datur in pignus, ſeu hypothecam res, in qua creditor habet dominium directum, & debitor tantùm utile: ut ſi vaſallus dat domino directo feudum in pignus pro mutuo, ſeu debito, tum enim fructus percepti ex re oppignorata non computantur in ſortem, ſed fiunt creditoris *c. 1. de feud.* c. *conquaſtus 8. h.t.* & hoc etiam procedit de re emphyteutica, quam ſi Emphyteuta det in pignus Domino proprietatis, non tenetur hic fructus ex illa perceptos in diminutionem ſortis computare; quia natura, & conditio contractus feudalis, & emphyteutici ex primæva ſua inſtitutione eſt, ut in quibusdam caſibus jure expreſſis dominium utile redeat ad Dominum directum: & in jure eſt etiam ille caſus: ſi res feudalis, vel emphyteutica à vaſallo, vel Emphyteuta detur in pignus pro debito Domino directo, vel proprietario: quia tunc dominium utile conjungitur cum directo, & conſolidatur pro tempore, quo pignus ſoluto debito non redimitur: proinde poteſt Dominus directus fructus ex re feudali, vel emphyteutica percipere non diminuta ſorte, quia tunc Dominus directus percipit fructus ex re ſua.

23 Ut autem hoc procedat tres requiruntur conditiones. Prima eſt, ut interim Dominus directus non exigat pro bono feudali obſequium, quod è vaſallo ei aliàs debebatur, neque penſionem ab Emphyteuta: alioquin ſi à vaſallo adhuc exigeret Ordinaria obſequia, & ab Emphyteuta penſionem, & canonem, teneretur fructus ex pignore perceptos computare in diminutionem ſortis. Quòd ſi vaſallus ex ſe vellet debitum obſequium, & ſervitium præſtare, poteſt Dominus directus non acceptare tale obſequium, & percipere fructus ex re feudali ſibi oppignorata.

Secunda conditio eſt, ut Dominus directus non percipiat ex re feudali, vel emphyteutica oppignorata fructus provenientes ex meliorationibus factis per induſtriam vaſalli, vel Emphyteutæ; quia tunc quoad exceſſum pertinent fructus illi ad vaſallum, vel Emphyteutam, & ſi Dominus directus eos percipiat, tenetur illos computare in ſortem, & reſtituere vaſallo, quia tales fructus non cenſentur ex parte exceſſus eſſe ex re feudali, vel emphyteutica. 24

Tertia conditio eſt, ut feudum oppignoratum non fuerit pretio emptum à Vaſallo, quod etiam procedit de re emphyteutica, nec datum in compenſationem præcedentium meritorum; quia tunc fructus eſſent etiam computandi in diminutionem ſortis. 25

Tertius titulus, ſeu cauſa, ob quam fructus pignoris non computantur in ſortem eſt, ſi maritus pro dote uxoris ſibi promiſſa loco pignoris accipiat prædium, vel domum, ex qua fructus percipiat, donec promiſſam ſibi dotem accipiat; tunc maritus facit fructus etiam ſuos ob compenſationem lucri ceſſantis: quia ſi haberet dotem, ex ea fructus omnes lucraretur propter onera matrimonij, quæ tenetur ſubire *l. dotis fructum 7. §. de jure dotium*, & cùm non percipiat juſtum lucrum fructuum dotalium ob dotem nondum ſolutam, meritò maritus compenſationem facit ex fructibus rei pro dote debita oppignoratæ. 26

§. VI.

An lucrum, quod ex mutuo percipitur in montibus, qui dicuntur pietatis ſit immune ab omni labe uſura.

Mons pietatis eſt ſumma quædam pecuniæ, vel alterius rei mutuabilis deputatæ ad ſubveniendum per mutuum neceſſitatibus pauperum, & ſolet hujusmodi mons pietatis erigi à Principe, vel Domino loci, vel à communitate ex publico ærario, aut ex eleemoſynis, vel largitionibus privatorum civium, vel ex alia pecunia donata inter vivos, aut relicta per ultimam voluntatem cuidam loco, civitati, vel oppido ad eum finem, ut ſemper ſit in prompta pecunia, quæ poſſit dari mutuo, immo, & debeat ad ſuccurendas indigentias pauperum, ne aliàs adigantur indigentes uſuras ſolvere uſurariis, ſi ab iiſdem mutuò accipiant pecunias: non tamen è montibus pietatis mutuò accipiuntur pecuniæ in quacunque quantitate, ſed determinata ad certum numerum, & ea conditione, ut mutuatarij aliquod certum pignus conſignent iiſdem montibus, & aliquod exiguum lucrum ſolvant ſingulis menſibus pro ratione quantitatis mutui. 1

2 Horum montium hæ potiſſimum ſunt leges; quarum prima eſt, ut mutuum usque ad certam ſummam, ſeu quantitatem detur ſolis pauperibus, & indigentibus præcipuè loci illius, & non divitibus, nec exteris.

3 Secunda, ut mutuum non detur niſi ad certum tempus, ut ad annum, vel ad ſummum ad duos annos.

4 Tertia, ut Mutuatarij dent ſufficiens, & certum pignus pro aſſecuratione montis, qui alioquin facilè exhauriretur; ſi plures ob indigentiam poſtea acceptum mutuum non ſolverent, nec reſtituerent.

5 Quarta, ut mutuatarij ſingulis menſibus exiguum aliquod ultra ſortem ſolvant pro ſumptibus neceſſarijs ad conſervandum montem, ut pro alimentis, & ſtipendiis Miniſtrorum, qui pignora, & montem cuſtodiunt, & adminiſtrant; ſempérque parati eſſe debent ad mutuandum, ut etiam pro rationibus reddendis, & ſcribendis, pro conductione domûs, & cæteris neceſſarijs expenſis, quæ ſi ex ipſa coacervata montis peccunia deſumerentur, mons brevi exhauriretur; ſi ſemper deberet ſolvere pro Miniſtris.

6 Quinta demum lex eſt, ut ſi debito tempore mutuum non reſtituatur pignus pro aſſecuratione montis poſitum vendatur, & ex pretio pignoris pecunia debita monti ſolvatur, & reliquum, quod ſupereſt Domino pignoris reſtituatur. Difficultas eſt, an illa pecunia, quæ à monte exigitur ultra ſortem pro miniſtris & expenſis neceſſariis ad conſervationem montis, poſſit exigi ſine omni labe uſuræ.

7 Sotus *lib. 6. de juſtit. & jur. q. 1. art. 6.* aſſerit, tale lucrum, quod à montibus pietatis exigitur ultra ſortem à mutuatarijs, mediante pignore dato aſſecurantibus montem, non eſſe immunem ab uſura, idque probat; primò, quia ſi quis divitijs affluens ſtatueret mutuare cuique petenti ſuſcepto pignore usque ad certum tempus, perinde ac ſi à monte pietatis, non poſſet ultra ſortem aliquid recipere, eò quia non recipiat pignus in utilitatem mutuatarij, ſed in propriam, ut certam ſibi faciat ſolutionem, ergo neque mons poteſt exigere tale lucrum ultra ſortem. Secundò quia de natura mutui eſt, ut gratis conferatur, adeo ut mutuans teneatur omnino gratis onera mutui ſuſcipere, & ſervare pignus, illúdque poſtea reſtituere mutuatario ſolventi eandem quantitatem peccuniæ, quam acceperat: ergo etiam mons tenetur gratis dare mutuò pecunias, & onera ſuſcipere, quæ ſunt mutuationi annexa, ut ſcribere mutuum, accipere, ſervare pignora, & alia id genus. Immo addit Sotus, quòd ſi pignus ſit cuſtoditu difficile, teneatur mutuans proteſtari, quòd ſi pereat, non ſibi, ſed mutuatario pereat, qui ſi voluerit pignus tutius cuſtodire, ſuppeditet ipſe expenſas. Tertiò quia non omnia pignora exigunt curari, ſed tantùm aliqua, cujusmodi ſunt veſtes, quæ tineis roduntur: quamobrem per accidens eſt, quòd aliqua pignora indigeant expenſis: & quod contingit per accidens non debet in legem deduci, ut omnes mutuatarii debeant ſolvere pro expenſis, alioquin ij etiam ſolverent, quorum intuitu nullæ fierent expenſæ. Videtur huic opinioni Cajetanus adhæſiſſe *tom. 2. opuſc. 6.* & Sylveſter. V. *uſura 5. q. 4.* ait rem eſſe dubiam.

Communis tamen, & vera ſententia docet, 8
montes pietatis cum ſupra dictis legibus, & conditionibus eſſe liberos, & immunes ab omni labe uſuræ. Innititur hæc ſententia definitione Concilij Lateranenſis ſub Leone X. *ſeſſ. 10.* ubi Pontifex in ſua Bulla id declarat his verbis. *Sacro approbante Concilio declaramus, & definimus, montes pietatis ante dictos, & authoritate Sedis Apoſtolicæ hactenus approbatos, & confirmatos; in quibus pro eorum impenſis, & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas Miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad earum conſervationem (ut præfertur) pertinentium pro earum indemnitate duntaxat, ultra ſortem absque lucro eorundem montium præcipitur, neque ſpeciem mali præſeferre, neque peccandi incentivum præſtare; neque ullo pacto improbari: quinimò meritorium eſſe.* Et poſteà in eadem Bulla Pontifex anathemate percutit docentes oppoſitum. Approbantur itidem montes pietatis cum præpoſitis legibus à Paulo II, Sixto IV, Innocentio VIII, Alexandro VI, & Julio II. in ſuis Bullis, ut notat Navarrus *c. 17. n. 217.*

Reſpondet tamen Sotus primò, hos montes fuiſſe approbatos, ex qua tantùm parte, 9
juſtitiæ, & SS. canonibus non repugnant. Verùm id gratis aſſeritur, quia revera approbantur cum illa conditione, ob quam Sotus cenſet repugnare juſtitiæ, & ſacris canonibus, & eſt, quòd aliquid exigatur à mutuatarijs ultra ſortem pro impenſis Miniſtrorum.

Reſpondet ſecundò Sotus, Bullas illas 10
Pontificias, & Concilium Lateranenſe non recipi in his, quæ ſtatuunt circa hujusmodi montes.

Sed contra, quia definitio Pontificis in 11
Conlio Lateranenſi non eſt lex, quæ debeat dependere à receptione ſubditorum; ſed eſt declaratio veritatis facta à Pontifice auctoritativè in Concilio, hoc eſt cum aſſiſtentia Spiritus S. cui propterea tenentur fideles omnes acquieſcere, eámq; neceſſariò recipere, niſi velint ſe à corpore Eccleſiæ, & ejus capite ſeparare.

Addit Sotus non pertinere ad Concilium 12
definire hujusmodi quæſtiones, eò quia dependeant potius ex Philoſophia, quàm ex ſacris litteris.

Sed contra, quia definitio harum quæſtio- 13
num pertinet ad bonum regimen Eccleſiæ, & ad mores fidelium, conſequenter pertinet ad Pontificem ſtatuere, quid opportunius viſum fuerit pro regimine Chriſti ovilis; ſiquidem Chriſtus dixit Petro, & ejus ſucceſſori pro tempore *paſce oves meas*; ſcilicet ipabulo doctrinæ, & inſtructionis docentis ad vitam æternam: proinde pertinet ad Pontificem declara-

re,

re, quæ licita ſint, & quæ illicita, ut ab iſtis abſtineant fideles, & illa amplectantur: & licet non poſſit id ſemper explicitè, & immediatè definiri ex ſacris litteris, poteſt tamen implicitè, & immediatè. Addit Sotos, excommunicationem latam in Concilio tantùm fuiſſe ad coërcendas diſputationes. Sed contra, quia non ſolùm fuit excommunicatio lata, verùm etiam definitum authoritativè à Pontificè, hujuſmodi montes pietatis cum præfatis legibus eſſe licitos, proinde anathemate feriuntur docentes contrarium.

13 Subjungit Sotus, hunc atticulum in Concilio Lateranenſi non fuiſſe definitum de fide. Sed contra, quia tametſi non fuiſſet definitum de fide, adhuc fuit declaratum, montes pietatis cum præpoſitis legibus eſſe licitos: & quia Pontifex, præſertim in Concilio, quando docet ex cathedra non poteſt errare in ordine ad inſtruendos mores fidelium ob ſpecialem aſſiſtentiam Spiritus S. ideo declaratio Pontificis non poteſt falſitati eſſe obnoxia.

14 Ratione etiam evincitur honeſtas horum montium, quia nihil exigitur, aut ſolvitur à mutuatariis ultra ſortem ratione mutuationis; ſed ſolùm ratione expenſarum, quæ neceſſariò fieri debent pro conſervatione, & adminiſtratione eorum montium: licitum autem eſt, & omnino æquum aliquid exigere, & accipere pro illis expenſis, quæ fiunt ad conſervationem, & adminiſtrationem talium montium: ſiquidem hujuſmodi expenſæ fiunt, non in commodum eorundem montium, cùm nihil lucri illis accreſcat; ſed in gratiam, & commodum eorum, qui mutuum petunt, ne majus damnum incurrant, ſi aliàs adigerentur ab uſurarijs mutuum accipere ſub vſuris longè majoribus: Unde cùm id, quod ſupra ſortem ſolvitur, cedat in commodum Mutuatarij non montis mutuantis, juſtè, & licitè exigitur à Mutuatario illud exiguum ultra ſortem, non ratione mutuationis, ſed ratione expenſarum, quæ neceſſariò debent fieri pro conſervandis, & adminiſtrandis montibus.

15 Tum quia cum mons det mutuo pecunias indigentibus cum hac conditione, ut Mutuatarij pro rata ſolvant expenſas, quæ fiunt in ordine ad mutuandum dum accipiunt mutuum à monte, paciſcuntur tacitè cum ipſo monte de ſolvendis expenſis, ut ſcilicet mons ſervetur indemnis: quapropter Mutuatarij non ſolvunt ratione mutui, ſed ratione pacti ſervandæ indemnitatis: poteſt autem quiſque licitè ita paciſci, quia poteſt quiſque exigere ſuam indemnitatem ab eo, cujus intuitu damnum patitur, non enim mutuans tenetur mutuare cum ſuo damno? cum enim mutuum fiat in favorem Mutuatarij, æquum eſt, ut Mutuator ſervetur indemnis: hinc omnes Caniſtæ, & Theologi cum D. Thoma *22. q. 78. art. 2. ad 1.* docent, poſſe ex mutuo ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis recipi lucrum aliquod.

16 Quamobrem montes pietatis juſtè, & licitè, ut ſerventur indemnes, poſſunt exigere illud exiguum lucrum ultra ſortem: quia illud non exiguunt ratione mutuationis, neque ut aliquid lucri ipſis accreſcat; ſed in commodum ipſius Mutuatarij: adeò ut tale mutuum ſit opus charitatis ordinatum ad ſuccurrendam indigentiam pauperum: qua propter in Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. c. 8. de reformat.* inter alia pia opera recenſentur etiam montes pietatis.

17 Neque argumenta, quibus nititur Sotus, ullum faceſſunt negotium. Ad primum reſpondetur etiam privatam perſonam poſſe aliquid exigere à Mutuatariis ſi mutuando patiatur aliquod damnum, vel faciat expenſas; neque obſtat, quòd pro ſecuritate ſortis principalis recipiat pignus: quia illud recipit ut conſervet, proinde ſuſcipit onus illud conſervandi in commodum Mutuatarij, proinde ſi ſint neceſſariæ expenſæ in eo conſervando poſſunt licitè exigi à Mutuatario, ut Mutuator ſervetur indemnis: æquum enim non eſſet, quòd Mutuator non ſolùm ſe privaret pecunia, quam mutuò dat alteri, ſed etiam deberet inde ſubire damnum, & habere expenſas: ſufficit enim ſi ratione mutui, non habeat lucrum.

18 Ad ſecundum, verum eſſe, mutuum eſſe gratis conferendum; ſed inde non ſequitur, quòd gratis debeant etiam ſuſcipi onera annexa mutuationi: alioquin neque ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis poſſet aliquid recipi; cùm hæc onera ſint extra mutuationem, & pretio æſtimabilia, utique poſſunt pretio compenſati.

19 Ad tertium reſpondetur, id quod exigitur à Mutuatarijs, non eſſe intuitu rantùm conſervandi pignora, ſed pro conſervatione montis, & expenſis, quas facit in commodum, & beneficium mutuatarij. Non enim poſſet mons dare motuò pecunias, niſi haberet Miniſtros, qui ipſi inſervirent, proinde æquitas exigit, ùt mons ſervetur indemnis ab expenſis, quas facit pro Miniſtris, ut ſemper ſint parati ad inſerviendum, & ad quos etiam pertinet curare pignora, ſi indigeant; non enim illud exiguum lucrum datur pro ſola cuſtoratione pignorum, ſed etiam pro reliquis expenſis, quæ neceſſariò fiunt à monte.

20 Oritur tamen dubium, an ſi aliquid ſingulis annis ſuperſit ex lucris, quæ ultra ſortem ſolvunt Mutuatarij, poſſit accreſcere in bonum ipſius montis: ut ſi Mutuatarij ultra ſortem ſolvant tria pro quolibet centenario, & pro expenſis, & ſtipendiis Miniſtrorum montis tantùm ſufficiunt duo, adeò ut in fine anni ſuperſit unum dubitatur, an hoc accreſcat monti: quia ſi aſſeratur, certè id cedit in bonum etiam ipſorum pauperum, quia ſi mons fiat pinguior poſſunt plures mutuò accipere. Nihilominus dicendum abſolutè eſt, hoc unum quod ſupereſt, non poſſe monti accreſcere; & ratio eſt evidens, quia ultra fortem

ſortem non poteſt mutuans ex vi mutui, quidquam exigere à Mutuatario: atqui hoc annum, quod ſupereſt detractis expenſis, ſtipendiis Miniſtrorum, exigeretur à monte ratione mutui, quia nullus alius ſuppeteret titulus illud exigendi, conſequenter eſſet uſura, quia eſſet exigere aliquid ultra ſortem ex præciſa vi mutui: tametſi poſſit mons ex hujuſmodi lucris ſe indemnem ſervare, non tamen poteſt ſe locupletare. Quamobrem illud unum, quod ſupereſt, reſtituendum eſt mutuatarijs, à quibus acceptum fuerat, eò quia ſolverint ultra id, quod tenebantur ſolvere? Quòd ſi Mutuatarij ſint ita multi, ut non poſſit ſciri ad quos pertineat hoc annum, eò quia plures ſint abſentes, nonnulli mortui, & alij ignoti; tunc reſtitutio facienda eſt juxta regulas communes: quando enim creditor eſt ignotus, vel incertus reſtitutio fit pauperibus, vel in pios uſus. Hinc quia ſi Mutuatarij ſint ignoti, & incerti, quod ſupereſt debet reſtitui pauperibus, vel impendi in pios uſus, poteſt licitè, applicari eidem monti; cùm ſit hæc applicatio in beneficium pauperum, proinde opus pietatis, quo egentes adjuvantur.

21 Cæterum ſi experientia conſtet, ſufficere duo pro quolibet centenario ad ſolvendas expenſas, & ſtipendia miniſtrorum montis, non poſſunt impoſterum ampliùs exigi tria à mutuatarijs; ſed tantùm duo, ut etiam è converſo, quando deprehenditur non ſufficere duo, poſſunt tria exigi, ut mons ſervetur indemnis, ſemper enim tot poſſunt exigi quot ſunt neceſſaria pro expenſis Miniſtrorum, & ut mons ipſe ſervetur indemnis. Cæterum conſtituto ſemel monte pietatis poteſt cumulus augeri ex bonis privatorum hominum mutuantium ipſi monti, dummodo Mutuatores nullum lucrum inde percipiant ex vi mutui niſi ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis: quo pacto Mutuatarij, quibus aliquid ex monte mutuatur, non teneantur ad expenſas neceſſarias monti.

22 Non tamen licitum eſt, montem pietatis dare quatuor pro quolibet centenario deponentibus pecuniam apud ipſum, ſive ratione depoſiti, vel mutui; niſi fortaſſis deponentes illam pecuniam recipiant illa quatuor à monte ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, & tunc in hoc caſu non poteſt mons obligare eos, quibus ipſe mutuat, ut ſolvant ſex pro centenario, ſcilicet quatuor pro deponentibus, & duo pro expenſis Miniſtrorum, & tantùm poſſunt hujuſmodi montes excuſari ſi dentur quatuor deponentibus ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, & duo ipſis Miniſtris montis pro officio, & alijs expenſis; tunc enim illa ſex ſolvuntur ratione damni, ſive in deponentibus, ſive in miniſtris montis.

23 Dantur etiam montes vacabiles, vel non vacabiles, quorum praxis eſt iſta. Principes, vel civitates habentes certos annuos reditus ex vectigalibus, gabellis, vel alijs impoſitionibus antiquis, aut novis, ſive fructibus, aut juribus, quia hujuſmodi reditus nonniſi minutatim ſolvuntur Principi, vel civitati; ideo ſolent Principes, vel civitates certam aliquam ſummam, & penſionem conſtituere tanquam veros eorum redituum fructus, quæ penſio ſingulis annis ab ipſis percipitur; & interdum illam etiam vendunt; & quia tota ſumma horum redituum excreſcit ad magnam quantitatem, ut unus particularis, non poſſit illam integrè emere; inde fit, ut habitâ proportione totius illius penſionis ad omnes reditus, eam dividant in multas æquales partes in decem, viginti, triginta, & ultra: quæ ſingulæ ſunt partes illius magnæ penſionis debitæ Principi, & coaleſcit ex fructibus, quos minutatim, & annuatim recipit ex vectigalibus, gabellis, impoſitionibus, fructibus, aut juribus: hæ autem partes hujus totius penſionis, quæ etiam dicuntur penſiones partiales emuntur à multis, quorum quiſque contribuit ſuam partem; & ita pro quantitate pecuniæ, quam dat, emit partes illorum redituum plures, vel pauciores: imò nonnunquam ab homine privato perquam opulento, & divite emitur tota ſumma, qua æſtimantur annui reditus, ſeu emuntur omnes illæ partes, ſeu penſiones partiales, in quas diviſa fuerat tota penſio debita Principi.

Hæc igitur ſumma redituum annuorum dicitur mons, ut etiam ipſi reditus annui dicuntur montes, qui nonnunquam ex nomine rerum, ex quibus percipiuntur, denominantur, mons farinæ, mons vini, mons carnium, mons olei, eò quia reditus deſumantur à farina, vino, carne, oleo. Interdum denominantur à cauſa, ob quam ſunt, ſeu à fine, ob quem inſtituuntur hujuſmodi montes, ut ſi fiant pro bello inſtituendo in publicam defenſionem dicitur mons belli, mons fœderis, mons redemptionis captivorum; ſi pro fide propaganda, dicitur mons fidei. Nonnunquam etiam denominatur ab Authore, à quo fuerunt tales montes inſtituti, quo pacto dicitur mons Pius, mons Julius, eò quia à Papa Pio, vel Julio fuerit inſtitutus. Portiones ſingulæ, ſeu illæ partes in quas dividuntur omnes illæ penſiones, quæ debentur Principi, dicuntur loca montis; & habent jus exigendi portiones, quas ſuis pecunijs emerunt. 24

Rurſus hujuſmodi montes nonnunquam ſunt perpetui, interdum temporales, & aliquando vacabiles, vel non vacabiles: dicuntur vacabiles, eò quia per obitum Emptoris vacent, & redeant ad Principem, qui propterea poteſt eos iterum vendere: non vacabiles dicuntur, qui obitu Emptoris non vacant, ſed ad ejus tranſeunt hæredes. Aliquando ſunt etiam redimibiles, quatenus Princeps, qui montem conſtituit, poteſt reſtituere pecuniam capitalem iis, qui eam dederunt, ut emerent loca montis, ſeu portiones præfatas, quo pacto dicitur Princeps liberare ſe ab onere ſolvendi inter- 25

interdum ſunt irredimibiles, adeò ut à Principe non poſſint redimi, & tunc emuntur ſub ea conditione, ut Princeps non poſſit ampliùs loca illa redimere. Qui verò ſuis pecuniis emunt portiones, ſeu loca montium pietatis authoritate Principis habent jus transferendi portiones, ſeu loca, quæ habent, in ſuos hæredes, ut etiam ea loca reſignandi, ſeu renunciandi alijs ſive vendendi, & ſolent vendi interdum pluris, & aliquando minoris, quàm ipſi emerint, idque abſque ſuſpicione vſuræ, quia tunc non initur contractus mutui exigentis, ut gratis mutuum detur, ſed contractus emptionis, & venditionis, quo res nunc pluris, modò minoris venduntur.

26 Ut autem hujusmodi montes, ſeu loca, quæ vulgò dicuntur montium debitam ſervent juſtitiam aliquæ requiruntur conditiones, quarum prima eſt, ut reditus ſuper quos fundantur loca montium, ſeu portiones, quæ venduntur, revera exiſtant; quia res non exiſtens non venditur niſi in ſpe, non verò in re.

27 Secunda, ut loca quæ vendantur, contineantur in ipſo monte: alioquin ſi venderentur penſiones, ſeu loca quæ non continerentur in monte contractus emptionis, & venditionis eſſet vſurarios, & acciperetur pretium rei vendibilis pro re non vendibili.

28 Tertia, ut ſi mons in totum vel ex parte pereat, pereant etiam pro rata ipſa loca, ſeu portiones, quia pereunte fundamento, neceſſe eſt pereat & res fundata; pereunte re, perit quoque jus conſtitutum in eadem: quod tamen procedit, dummodo mons non pereat ex Domini culpa, nec Dominus montis ſe obligaverit pro capitali, & pro reditu locorum, ſeu portionum in caſu, quo mons perierit, vel damnum ſubierit, ac decreverit.

29 Quarta, ut montes ſive penſiones, ſive loca dentur tunc, quando montes ſunt vacabiles, quia tunc ſunt perpetui: ratio eſt, quia quando montes non ſunt vacabiles, ſeu temporales habent multa, & non modica incommoda ex parte eorum, qui loca æquè vacabilia habent in montibus, quo fit ut montes iſti vacabiles non conſtituantur ſine gravi, & urgente cauſa ob incommoda, quæ inde ſequuntur. Hinc quando loca ſunt vacabilia ſolent portiones vacabiles emi ad rationem octo, vel decem, vel etiam duodecim pro quolibet centenario & quando loca ſunt perpetua penſiones ſolent emi ad rationem quinque, & ad ſummum quinque cum dimidio pro quolibet centenario.

30 Solet etiam Princeps, vel Reſpublica, ſi pecunijs indigeat nonnunquam compellere cives mercatores opulentiores, & etiam alios divitijs affluentes ad mutuandum ea lege, ut donec acceptam pecuniam reſtituat, ſolvat illis annuatim aliquam pecuniæ ſummam; ſcilicèt quinque, vel ſex pro quolibet centenario: hæcque pecuniarum centenaria alicubi vocantur montes, alibi loca, vel mutua: & illi cives, qui pecunias mutuò dederunt Principi, ſolent creditores montis vocari; quibus conceditur facultas, ut reditus ſeu fructus, quos ſuis datis pecunijs accipiunt vendere poſſint, & alienare eadem conditione, ut & ipſi emptores non poſſint ſuas pecunias repetere, ſed teneantur tantùm quinque, vel ſex pro quolibet centenario quot annis accipere: & è contra Princeps, vel civitas poſſint, prout ipſis magis libuerit pecunias creditoribus reſtituere, ſeque liberare ab onere ſolvendi quinque, vel ſex pro quolibet centenario.

31 An verò hujusmodi montes liciti ſint, vel vſuram redoleant. Reſpondetur, poſſe licitos eſſe, dummodo aliquot concurrant conditiones, quarum prima eſt, ut hujusmodi montes fundentur in veris Principis, civitatis, aut reipublicæ fructibus, juribus, vel reditibus antiquis, vel per novam aliquam impoſitionem recèns inſtitutis: alioquin pretium, quod exigeretur vſurarium foret, quia nihil extaret, quòd per illud emeretur.

32 Secunda eſt, quòd cùm Princeps, Reſpublica, vel civitas quinque, vel ſex pro quolibet centenario annuatim ſolvat, cives pecunias, quas dederunt, non mutuaverint Principi Reipublicæ, vel civitati, ſed eas dederint, ut pretium quo in contractu venditionis, & emptionis emerint jus percipiendi quinque, vel ſex, quot annis pro quolibet centenario, adeo ut conſideretur jus illud percipiendi quinque, vel ſex annuatim: eſt enim hoc jus vendibile, & pretio æſtimabile pro cujus pretio datur tota illa quantitas pecuniæ, pro qua percipiuntur quinque vel ſex quot annis; hinc hi montes differunt à precedentibus, quia in iſtis cives, & mercatores adiguntur authoritate Principis, reipublicæ, vel civitatis emere has portiones fructuum ſuorum.

33 Unde Tertia conditio eſt, ut hujusmodi montes non fiant ſine gravi, & urgente neceſſitate; quia ſi præſcindamus ab hac urgente neceſſitate, nemo poteſt cogi ad aliquid emendum: ſin verò neceſſitas urgeat præſertim pro bono publico, poſſunt cives, qui divitijs affluunt, compelli ad emendos præfatos fructus: perinde ac ſolent etiam Principes, Reſpublicæ, vel civitates urgente neceſſitate ſubditos nonnunquam adigere ad vendendum triticum, vel emendum, ad charitatem arcendam, quæ probabiliter timebatur, & illud emerant; & repoſuerant in horreis; qui niſi cogerentur vendere, triticum putrefieret.

34 Quarta eſt, ut mercatores, vel cives pecunias dent Principi, Reipublicæ, vel Civitati tanquam pretium portionum, ſeu locorum, quæ emunt: alioquin, ſi mutuò darent pecuniam illam, & ex illa perciperent quot annis quinque, vel ſex pro quolibet centenario, tunc non poſſent excuſari ab vſura, à qua tantùm liberantur, ſi per verum, & realem contractum venditionis, & emptionis dent pecuniam illam, ut pretium, quo intendant emere fructus illos Principis, qui conſiſtunt in illis quinque, vel ſex, quæ percipiunt quot annis ex fructibus,

juribus, reditibus antiquis, vel novis pertinentibus ad Principem, qui ſicot habet jus verum, & reale fructus illus percipiendi; ita poteſt tale jus cùm ſit pretio æſtimabile alijs vendere, qui propterea poſſint quot annis percipere quinque, vel ſex pro qnolibet centenario.

35 Major difficultas videtur eſſe de aliquibus montibus pietatis, in quibus ſolent depoſitari pecuniæ, quibus mons uticur ad ſublevandam inopiam Pauperum, certam ſummam mutuando ipſis indigentibus, à quibus etiam accipit pignus, qund poſtea reſtituit, nihil accipiendo ultra ſortem: ſed illis qui pecunias depoſitant in monte ſolent ſolvi quor annis quatuor, vel etiam quinque pro quolibet centenario. Difficultas eſt, an depoſitantes pecuniam poſſint ultra ſortem illa quatuor, vel quinque quot annis recipere licitè, & ſine vſura: & reſpondetur, quod ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis poſſint illa quatuor, vel quinque licitè recipere: ratio eſt illa communis, quia æquum eſt, ut mutuantes ſerventur indemnes: an verò ſecluſo hoc lucro ceſſante, & damno emergente poſſint etiam depoſitantes recipere illa quatuor, vel quinque ultra ſortem, communior ſententia eſt negativa, quia ubi intervenit ſolòm mutuum, non poteſt quidquam exſolvi ultra ſortem: & inter montem, & tradentes pecunias eidem monti, non poteſt alius intervenire contractus, quàm depoſiti, ſeu mutui: ſiquidem qui deponit pecuniam dat facultatem Depoſitario, ut illa utatur; proinde cenſetur eam mutuare *l. certi conditio* §. *fin.* & *l. ſequent. ff. de reb. credit*, atqui ratione mutui non poteſt aliquid recipi, quia videtur eſſe contra præceptum naturale, & divinum *c. conſulvit de vſuris* ut docet D. Thomas *2, 2. q. 78. a. 1, ad 4.*

36 Quamobrem non videtur licitum eſſe ſive ratione depoſiti, ſive ratione mutui aliquid recipere ultra ſortem, niſi deponentes recipiant ea quatuor, vel quinque, ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis: & tunc non poteſt in hoc caſu mons obligare eos, quibus ipſe mutuat, ut ſolvant ſex pro centenario ſcilicèt quatuor pro deponentibus pecunias in monte, & duo pro expenſis, quæ fiunt in conſervatione, & Miniſtris ejusdem montis, ut notat Navarrus *lib. 5. de vſur. cons. 17.* & ſolùm montes poſſunt excuſari, ſi dentur quatuor deponentibus ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, & duo ipſis miniſtris montis pro officio, & ſervitio, quod præſtant.

37 Nihilominus non deſunt, qui cenſeant, licitum eſſe recipere illa quatuor, vel quinque quot annis pro quolibet centenario, eò quia civitas poſſit ſuos compellere cives, ut contribuant ad montem, ad finem ſubveniendi indigentiis pauperum, & ita docent Geminianus *tract. de uſur. com. 3. §. 3. n. 54.* Alexander *l. item quia §. 1. n. 2. ff. de pact.* Abbas *in c. in civitate de uſur. circa fin.* Lappus *alleg. 137. n. 1.*

Non tamen quia cives compelluntur mutuare ipſi monti, ſequitur, quòd ratione coactionis poſſint quatuor vel quinque recipere ſupra ſortem: quia cives tunc coguntur ita exigente bono communitatis: & cives tenentur conſulere bono communi: tum quia coactio non tollit, quin ſit mutuum: onde ratione coactionis tale lucrum ex mutuo non ſit licitum: imò nec lucrum illud ſit licitum, eò quia civitas habeat reditus, & cenſeatur virtualiter conſtituere cenſum, quia cùm adſit contractus formalis mutui, non poteſt hic mutari in aliam ſpeciem ex interpretativa voluntate: ſiquidem ſola interpretativa voluntas cenſetur inſufficiens ad contractum.

38 Reſpondet tamen Abbas, illa quatuor, vel quinque poſſe quot annis recipi pro quolibet centenario, eò quia mutuantes ſuas pecunias monti non poſſint eas repetere.

39 Sed hæc ratio non ſatisfacit, quia eatenus non poſſunt eas repetere, quia compelluntur ad contribuendum pro bono communitatis, & ratione urgentis neceſſitatis. Tum quia licèt ipſi mutuantes non poſſint pecunias mutuatas repetere; civitas tamen vel Princeps ſibi reſervavit determinate tempus reſtituendi tales pecunias, quando ſcilicet contributio non erit ampliùs communitati neceſſaria: alioquin quamdiu eſt neceſſaria, non poſſunt cives eam repetere, ratione obligationis conſulendi bono communi; perinde ac mutuans ei, qui conſtitutus eſt in gravi neceſſitate, non poteſt à mutuatario mutuum repetere, quamdiu durat illa gravis neceſſitas: quia mutuans ex præcepto charitatis tenetur tunc oppitulari ſuo proximo indigenti: quamobrem ex eo præcisè quod adigantur cives ad contribuendum, ſeu ad mutuandum monti, non poſſunt licitè lucrum ex tali mutuo ſupra ſortem recipere. Ratio igitur, cur videantur poſſe recipi quatuor, vel quinque pro quolibet centenario ultra ſortem eſt, quia Paulus III. indulſit in favorem montis pietatis Ferrarienſis ut deponentes pecunias apud montes pietatis poſſint quatuor, vel quinque pro quolibet centenario ultra ſortem recipere, ut habet in ſua Bulla, cuj initium eſt *charitatis opera* & hæc Bulla data fuit Romæ apud S. Marcum ſub annulo piſcatoris die 10. Julij 1549. Pontificatus ſui anno 15.

40 Neque dici poteſt, indultum Pontificis tantùm extendi ad illos, qui aliàs ſunt capaces percipiendi tale intereſſe, eò quia in ipſis tunc ceſſet lucrum, vel emergat damnum. Nam contra eſt, quia conceſſio eſt juxta menſuram narrativæ, quæ id operatur, ut omnia, quæ ſunt narrata, cenſeatur conceſſa, quamvis in conceſſione non exprimantur, ut docent Bartolus *l. ff. ad leg. Jul.* Butrios *conſil. 81.* Felin. *in c. ſuper litteris n. 9. vers. tertia regula de reſcript.* Præterea quia conceſſio, & privilegium ita accipi debent, ut non ſint omnino inutilia *l. ſi quando ff. de legibus c. ſi Papa 1. de privileg.* & docent Decius *in c. paſtoralis n. 1. de appellat.*

Imo-

Imola conſil. 33. n. 38: præfata autem conceſſio inutilis foret, ſi ad illos tantùm extenderetur, qui aliàs intereſſe poſſent recipere ob lucrum ceſſans, & damnum emergens, quia tunc privilegium nihil operaretur: ſiquidem etiam ſine illo poteſt lucrum percipi ſupra ſortem ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis.

41 Præterea, quia narratio, & proœmium demonſtrant cauſam finalem *l. 1. ff. ad Marcel. & l. regula §. & licet ff. de jur. & fact. ignor. l. fin. ff. de hered. inſtit.* ut notat Pariſius *conſil. 96. n. 45.* cùm igitur conceſſio in privilegijs, & obligatio in legibus menſuretur ſecundum finem *c. fin. de præbend. & l. in aqua ff. de acquiren. rerum domin.* ſequitur ea debere intelligi conceſſa, quæ finem reſpiciunt & ea reſpiciunt, ſine, quæ narrantur, ut conducentia ad eundem finem. Unde ſtante indulto Pontificio non dubitârim, licitum eſſe percipere quatuor, vel quinque pro quolibet centenario ex pecuniis, quæ montibus dantur pietatis: quia ſummi Pontifices poſſunt declarare tum legem divinam, tum naturalem, quòd in aliquo ſpeciali caſu non ſit contra finem legis, ut docent communiter Canoniſtæ Covarruvias *in 4. p. 2. c. 6. §. 9.* Abbas *in c. A. nobis n. 4. de decimis. & in c. cum tanto n. 3. de conſuet.* Felin. *in c. quæ Eccles. n. 26. de conſtit.* Gloſſa *in c. à nobis de decimis V. exemptus*, & Gloſſa *l. manumiſſiones V. naſcerentur*, adhærent etiam huic opinioni Sotus *6. de juſt. & jur. q. 7. a. 3. ad 3. Cajetanus 2. 2. q. 120. art. 1.* Suarez *lib. 2. de legib. c. 16.* ubi concedit interpretationem doctrinalem. Hi autem procedunt de lege naturali, ejúſque declaratione, quam aliqui etiam vocant diſpenſationem.

42 Rurſus de lege divina docent Panormitanus *c. propoſuit. n. 20. de conſ. præbend.* Felinus *in c. quæ in Eccles. n. 19. & 20. de conſtitut.* Decianus *conſil. 112. n. 3. in fin.* ut etiam alij plures tum Juriſtæ, tum Canoniſtæ, qui licèt utantur nomine diſpenſationis, non tamen aliud intelligunt, quàm declarationem. Tunc enim interpretatio legis procedit, quando ejus obſervantia eſt impeditiva majoris boni: eſt enim de ratione legis reſpicere bonum communitatis, quo fit, ut debeat eſſe juxta menſuram, & exigentiam boni communis, quapropter non obligat niſi ſecundùm menſuram, & exigentiam ipſius boni communis: unde non cenſetur obligare, quando ejus obſervantia eſt directè contra bonum communitatis, vel etiam privatæ perſonæ; quia tunc non obligat reſpectu illius perſonæ: vel quando impedit majus bonum, licèt cauſet minus bonum; quia tunc minus bonum in comparatione majoris boni non eſt dignum electione: hac ratione Pontifex diſpenſat in voto, & juramento, declarans hic, & nunc legem non obligare: ergo ſi Pontifex declaret legem prohibentem lucrum ex depoſitione pecuniæ ſupra montem pietatis non obligare, eò quia ejus obſervantia ſit impeditiva majoris boni, & pertineat ad bonum communitatis, quòd ſubleventur pauperes per montes pietatis, quod bonum ceſſaret, ſi pecuniæ non depoſitarentur ſupra montem pietatis; & niſi depoſitantes perciperent aliquod lucrum nollent ſuas pecunias depoſitare: Ideo ex eo, quòd permittatur tale lucrum, promovetur bonum commune, & maximè neceſſarium, quo indigentijs conſulitur pauperum: & ſub hac ratione hæc ſententia videtur probabilis, præſertim ſuppoſito indulto Pontificis: alioquin nullo modo putârim recedendum eſſe à ſententia communi, quæ verior, & tutior eſt, proinde ipſi adhærendum, quia ſi præſcindamus à lucro ceſſante, damno emergente pro ſimplici depoſitione, vel mutuatione pecuniæ non poteſt quidquam recipi ultra ſortem, quia id eſt manifeſta uſura.

§. VII.

De Uſuris in contractibus cenſualibus Venditionis, & emptionis.

CEnſus variè ſumitur, ut notat Covarruvias *lib. 3. var. reſol. c. 7.* juxta tamen præſens inſtitutum definitur cenſus, eſſe *jus percipiendi annuam penſionem ex re utili & fructifera, certa, & deſignata alterius.* Quamvis enim nonnunquam penſio ipſa vocetur cenſus; ſi propriè tamen loquamur cenſus non eſt penſio ipſa, quæ ſolvitur, ſed eſt ipſum jus, quod quis habet exigendi, & percipiendi talem penſionem: hinc Petrus ſi ſe obliget Paulo ad conferendam ei certam partem fructuum propriæ vineæ quot annis, jus quod habet Paulus percipiendi talem penſionem propriè dicitur cenſus; & Petrus, qui ſe obligat ad ſolvendam penſionem dicitur *Cenſuarius:* Paulus verò, qui jus habet percipiendi talem penſionem dicitur *Cenſualiſta.*

Unde dicitur jus, quia cenſus non eſt res 2
illa, quæ percipitur, ſed jus eam percipiendi; ut etiam in re civili hæreditas non eſt pecunia, nec res, quæ continentur in hæreditate, ſed jus ſuccendi in bonis alterius: uſus itidem, & uſus fructus eſt uſus utendi, vel etiam fruendi re; & in jure canonico beneficium eſt jus percipiendi reditus annuos ex bonis eccleſiæ: penſio itidem eccleſiaſtica eſt jus percipiendi certam partem fructuum ex beneficio eccleſiaſtico alicujus: unde etiam cenſus dicitur *jus.*

Additur *percipiendi annuam penſionem,* 3 ſeu annuum reditum, qui ſive fructuarius ſit, ſive pecuniarius, quot annis ſolvitur: *ex re alterius*: quia nemo ex re ſua propria dicitur cenſum percipere, quamvis fructum accipiat emphyteoſis, vel locationis.

Adduntur aliæ particulæ *ex re utili fructifera,* 4 quia ſi res ſterilis foret, ita ut cenſum ferre non poſſet, cenſui minimè ſubjiceretur.

Adduntur poſtremæ particulæ *ex re certa, & deſignata alterius,* quia eo ipſo, quòd cenſus

ſus

ſub ea conditione, & pacto, ut ſibi mutuans ſolvat id, quod dediſſet Fidejuſſori: ratio diſcriminis eſt, quia eatenus ſidejuſſor licitè accipit aliquid pro fidejuſſione, quia revera recipit in ſe gravamen, & onus, quod eſt pretio æſtimabile: ſecus mutuans remittendo fidejuſſorem mutuatario nullum recipit onus, nec gravamen ex ſe, cum poſſit mutuatarius eſſe perſona ſecura, & quæ fideliter ſit reſtitutora ſuo tempore acceptum mutuum. Quòd ſi mutuator ex eo, quòd non exigat fidejuſſorem exponat ſe periculo probabili amittendi ſortem, tunc non ratione fidejuſſoris, ſed ratione periculi poteſt aliquid ſupra ſortem exigere.

§. V.

An Pactum Antichriſeos licitè procedat in mutuo, vel ſit uſurarium.

1 PLura poſſunt contractibus mutui adijci pacta, quorum primum dici ſolet pactum antichriſeos, de quo dubitatur an citra uſuram fieri poſſit. Eſt antichriſis pactum inter creditorem, & debitorem, ut creditor tamdiu pignore uti, & fructus ejus lucrari poſſit, donec ſibi pecunia mutuo data à debitore reſtituatur. Dicitur hic contractus antichriſeos; quia antichriſis græcè idem ſignificat, ac contrarium, ſeu motuum uſum rei in pignus conceſſæ pro uſu pecuniæ mutuò datæ *l. ſi pecuniam 33. ff. de pignorat. act. l. ſi is quis 11. §. 1. ff. de pignor.* De hoc contractu antichriſeos controvertitur, an ſit uſurarius. Plures Juriſperiti eum liberant ab omni uſura præſertim Alciatus *lib. 2. diſt. c. 3.* & alij apud Mynſingerum *centur. 6. obſervat. 71.* & Andream Gaillum *lib. 2. obſerv. 3.* Nituntur primò, quia pactum antichriſeos diſſertè approbatur in *l. ſi pecuniam l. ſi is qui. l. ſi ea 17. c. de uſur.*

2 Secundò quia *in c. 1. de feud.* Dominus dicitur lucrari fructus ex re feudali ſibi à Vaſſallo oppignorato.

3 Tertiò quia in *c. ſalubriter 16. h. t.* Urbanus III. decidit, quòd maritus pro dote uxoris ſibi debita accipiens à ſocero pignus, lucretur fructus ejusdem pignoris, & non teneatur ob fructus interim ex pignore perceptos minorem dotem accipere.

4 Quartò quia non videtur eſſe illicitum, ſi creditor ex fructibus pignoris lucrum accipiat propter culturam, & curam, quam in illis ferendis, & colligendis impendit *argu. §. ſi quis an non Domino 35. inſtit. de rer. divis.* ubi dicitur, quòd poſſeſſor bonæ fidei ex re aliena lucretur fructus ſaltem conſumptos propter culturam, & curam, quam rei alienæ adhibuit.

5 Quintò quia poteſt creditor pignus emere pro illa eadem ſumma pecuniæ, quam mutuare intendit mutuatario ea conditione, ut pro eodem pretio licitum ſit debitori, quandocunque placuerit pignus redimere; & quamvis creditor tunc percipiat fructus pignoris pro toto eo tempore, quo debitor illud non redimit eâdem ſummâ pecuniæ ſibi mutuatæ; nihilominus contractus non eſt uſurarius, ſed licitus; adeò ut mutuator faciat ſuos omnes fructus pignoris, donec redimatur à mutuatario *l. 2. c. de part. inter Empt. & vendit.* unde ſi licitum eſt creditori per pactum emptionis fructus pignoris percipere toto eo tempore, quo debitor illud non redimit: erit etiam licitum per pactum antichriſeos eosdem pignoris fructus percipere; quia vel uterque contractus eſt licitus, vel neuter, quia utriusque eſt idem effectus, neque unâ viâ permitti debet, quod aliâ prohibetur juxta *regul. 84. jur. in 6.*

Nihilominus communis, & vera ſententia eſt, pactum antichriſeos olere uſuram, & eſſe illicitum, ut docent Caniſius *de uſur. c. 5. n. 15.* Cavarruvias *variar. reſolut. lib. 3. c. 1. n. 3.* & deſumitur *ex c. plures 1. h. t.* ubi Alexander III. expreſsè declarat, eum, qui data pecunia poſſeſſiones in pignus accipit, teneri fructus pignoris deductis expenſis in ſortem principalem computare, quâ expletâ reddendum eſt pignus liberè, & ſi non eſt expleta, ſi ſolvatur id, quod ſupereſt, reſtituendum eſt pignus, alioquin eſt uſura. Hoc idem etiam ſtatuitur *in c. quoniam 2. h. t.* ubi Alexander III. explicans, quod ſtatuerat *in c. plures 1. eod. tit.* ait, id procedere tam de clericis, quàm de ſæcularibus, & addit eſſe compellendos mutuantes ad reſtituenda pignora diſtrictione eccleſiaſtica; quando deductis expenſis receperunt ex fructibus ſortem principalem. Ratio, cur pactum antichriſeos ſit uſurarium eruitur ex ipſa natura, & definitione uſuræ: eſt enim uſura quidquid cauſa mutui pretio æſtimabile creditor lucratur ſupra ſortem ſive in fructibus, vino, tritico, oleo, ſive in numerata pecunia: ſed ſi fructus percepti ex pignore non computentur in ſortis exonerationem, ſed cedant lucro mutuatoris, percipit hic aliquid ultra ſortem mutuatam, ſeu ipſos fructus ex pignore perceptos, quia cùm hi ſint revera pretio æſtimabiles augent pretium ſortis, & totum hoc augmentum percipitur à mutuante ultra ſortem, quod propiè, & formaliter eſt uſura. 6

Quamobrem mutuator tenetor fructus perceptos ex re oppignorata deductis expenſis in eosdem factis in ſortem computare ad exonerandam, & extenuandam, immo etiam extinguendam ſortem principalem, ſi fructus ei æquentur, vel reſtituere fructus ex pignore perceptos mutuatario; ad quem pertinet res oppignorata, & ſi hic ſolvat mutuum, tenetur etiam eidem reſtituere ſuum pignus: alioquin ſi ſaciat ſuos fructus rei oppignoratæ non excuſatur ab uſura, quia ſibi arrogat ex mutuo locrum ſupra ſortem, quod ipſi non debetur. Tum qnia ſicut omne incommodum, quod rei oppignoratæ poteſt fortuitò contingere eſt debitoris, eò qoia ſit hic verus Dominus rei oppignoratæ: ita æquitas exigit, ut omne commodum ejusdem rei appignoratæ ad eundem pertineat, qui eſt verus poſſeſſor, & Dominus ejuſdem *l. ſi inter 21. §. quidquid ff. de pignor.* quando enim mutuatarius pro aſſecuratione mutui dat pignus mutuatori; domi- 7

nium.

nium, & poſſeſſio pignoris adhuc pettinet ad mutuatarium, ideóque etiam ipſi perit *l. pignus 9. c. de pignorat. act.* ſicut igitur incommoda, quæ obtingunt rei oppignoratæ tribuuntur, & pertinent ad mutuatarium, qoi eſt Dominus rei oppignoratæ, ita etiam commoda ejusdem rei oppignoratæ, debent ad eundem mutuatarium, ut Dominum pertinere, commoda enim cujusque rei debent eum ſequi, quem ſequuntur incomuda ex *regula jur. 10. & regul. 55. in 6.*

8 Quamobrem in contractu antichriſeos fructus rei oppignoratæ non poſſunt cedere mero lucro creditoris, niſi fortaſſis hic velit ſibi retinere partem aliquam horum fructuum jure compenſationis, ſeu ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel ſuſcepti periculi, vel titulo expenſarum, quæ fiunt ad cuſtodiendum pignus, vel ad colligendos fructus, quia non dicuntur fructus pignoris, niſi qui ſuperſunt ex deductis expenſis *l. fructus 7. ff. ſolut. matrim.*

9 Quamobrem non ſolùm eſt uſura ſi aliqoid annuatim ratione mutui accipiatur ultra ſortem; verùm etiam ſi ex pacto creditor lutretur fructus rei oppiguoratæ: ratio eſt, quia fructus ſunt aliquid pretio æſtimabile, & ſuperveniunt ſorti ex pacto præcedente, perinde percipere fructus rei oppignoratæ eſt propriè, & formaliter uſura; quia eſt percipere lucrum ſupra ſortem ex vi mutui; dicitur enim lucrum quidquid eſt pretio æſtimabile, & percipitur ultra ſortem, ſivè ſit pecunia numerata, ſivè vinum, oleom, triticnm, & alia id genus; quapropter tenetur mutuator fructus, quos ex pignore percipit computare in ſortem principalem ad eam exonerandam, & extenuandam. Juvat tamen obſervare diſcrimen inter pignus, quod conſiſtit in re mobili, & in re immobili, quia ſi pignus ſit res mobilis, & mutuator inſcio, & invito mutuatario illa utatur, committit furtum *l. ſi pignore 54. in princ. ff. de furt.* ratio eſt, quia mutuatarius nonniſi ſecuritatis cauſa dat mutuatori rem ſuam mobilem, quæ cùm æquivaleat mutuo dato, redditur mutuator ſecurus de non amittendo mutuò dato, & quia mutuator ob puram ſecuritatem dat ſolùm in pignus rem, & non uſum rei, ſequitur quòd mutuator furtum committat, ſi inſcio, & invito Domino ſibi uſurpet uſum rei.

10 Quando verò rei oppignorata eſt immobilis, ut ager, domus, campus, tunc ſi mutuator ſibi uſurpat uſum rei oppiguoratæ non committit furtum §. *quod autem ad eas res inſtit. de uſucap.* unde poteſt creditor, ſeu mutuator rem immobilem ſibi obligatam piguoris cauſa alteri locare *l. creditor 23. ff. de pignor.* vel poteſt, ſi velit ea uti, quia jura eatenus id permittunt, quia prædia per colturam fiunt meliora, ſicut ſterileſcunt, niſi colantur *l. 3. §. divi fratres ff. de jure fiſc.* domus etiam per inhabitationem magis conſervantur, ſicut vitium contrahunt ſi vacuæ maneant: ſed tunc quidquid fructus & lucri percipitur ex re oppiguorata computari debet ad extenuationem, & extinctionem ſortis principalis: vel ſi mutuatarius reſtituat totum mutuum acceptum, tenetur mutuator etiam reſtituere non ſolùm rem ſibi pignoris causâ obligatam, ſed etiam omnes, quos ex ipſa percepit fructus.

Quòd ſi fructus rei oppignoratæ ſint tales, qui ſervando ſervari non poſſint, ſed ſint corruptioni ſtatim obnoxij, tunc poteſt mutuator licitè eos percipere, & perceptos conſummere, vel diſtrahere potius, quàm permittere, ut corrumpantur *l. fin. §. ult. c. de adminiſt. tut.* Sed tunc pretium perceptum ex iiſdem fructibus computari debet in ſortem debiti principalis ad illud exonerandum, & minuendum, imò etiam extinguendum, ſi adæquent quantitatem ſortis, ſeu ſummæ capitalis. Dicuntur autem fructus conſumpti, venditi, compenſari cum ſorte, non per ſe, ſed ratione æſtimationis fructuum *l. ſi convenerit 18. in princ. ff. de pignorat. act. l. ſi conſtat. 4. c. de compenſat.* 11

Secus fructus à creditore percepti, ſi adhuc extent, non computantur in ſortem, ſed jure pignoris manent apud creditorem, donec debitum ſolutum ſit, tunc enim ſunt reſtituendi debitori, vel mutuatario. Immo non ſolùm fructus percepti à creditore, ſed etiam percipiendi, ſeu qui percipi potuerunt, & non fuerunt percepti computandi ſunt in ſortem principalis debiti: Adeò ut ſi Mutuatarius in pignus accepti mutui dedit domum, vel prædium, quod locari ſemper conſueverat; ſi non locetur, & aderant conductores, tunc tenetur mutuator, ſeu creditor perinde reſtituere fructus percipiendos, ac perceptos: quia ex propria injuria & negligentia obtigit, quod pignus locatum non fuerit *l. 2. c. de pact. pignor. c. gravis 11. de reſtit. ſpoliat.* Cæterum ſi mutuator ipſemet excolat prædium ſibi in pignus datum, tenetur quidem fructus reſtituere, ſed deductis omnibus expenſis, quia nomine fructuum hic tantùm veniunt fructus illi, qui deductis omnibus expenſis ſuperſunt. 12

Ad primum argumentum, quo nititur contraria ſententia, reſpondetur, præfatos textus deſumptos ex lege civili nil relevare, quia leges civiles permittentes uſuras, & contractus uſurarios fuerunt correctæ, & abrogatæ per ſacros canones, & præſertim *in clement. unic. h. t.* ubi Pontifex anathemate percutit Officiales communitatum, qui faciunt, ſcribunt, dictant ſtatuta, ut uſuræ ſolvantur, vel ſolutæ non reſtituantur, quando repetuntur. 13

Ad ſecundum, in quo dicitur Dominus lucrari fructus ex re feudali ſibi à vaſallo oppignorata, reſpondetur, ſpeciale eſſe in feudo, ut Dominus ex eo ſibi à vaſallo oppignorato fructus lucretur *c. 1. de feud. & c. conqueſtus h. t.* quod etiam de emphyteuſi aſſerunt Doctores, qui tamen procedunt cum hac limitatione: dummodo interea vaſallo ſervitia, quæ ex feudo t[illegible]ebatur præſtare remittantur, ut etiam Emphyteutæ canon: ratio aſſignatur à Panormitano *in d. c. 1. de feud.* eò quia hæc ſit natu- 14

raſeudi,

ſuos fructus ex tali prædio licitè percipere, & retinere; adeò ut non teneatur eos conferre in diminutionem ſortis: ratio eſt, quia tunc Clericus non committit uſuram, cùm percipiat, quod ſuum eſt, & per viam occultæ compenſationis redimat, quod ad ſe legitimè ſpectabat, & fortaſſis alio modo non poterat recuperari. Quòd ſi Clericus prædium, vel rem ſpectantem ad Eccleſiam, & quæ ipſi in beneficium nunquam fuit aſſignata pro mutuo, ſeu debito in pignus acciperet, non poſſet fructus ex re illa perceptos retinere, ſed teneretur eos in ſortem computare, niſi fortâſſis ex conceſſione Eccleſiæ id ageret: ut quis licitè percipiat ex mutuo aliquid ultra ſortem debet res illa, ex qua fructus percipit, ſibi deberi, alioquin non poſſet licitè ejus fructus percipere, & ſibi retinere; quia res quælibet, ſuo tantùm Domino fructificat.

21 Idque non ſolùm verum eſt de Clerico, ſed etiam de laico: ſi enim Petrus dat mutuos Paulo mille aureos, & Paulus pro aſſecuratione mutui dat Petro in pignus prædium, quod aliàs pertinet ad ipſum Petrum, & cujus Paulus tantùm erat iniquus poſſeſſor, tunc Petrus habet juſtum titulum percipiendi fructus talis prædij; adeo ut non teneatur eos computare in diminutionem ſortis principalis, quia cum ſupponatur dominium prædij pertinere ad ipſum Petrum, hic percipit fructus ex re ſua.

22 Secundus titulus, ſeu cauſa eſt, quando creditori datur in pignus, ſeu hypothecam res, in qua creditor habet dominium directum, & debitor tantùm utile: ut ſi vaſallus dat domino directo feudum in pignus pro mutuo, ſeu debito, tum enim fructus percepti ex re oppignorata non computantur in ſortem, ſed fiunt creditoris *c. 1. de feud. c. conquaſtus 8. h. t.* & hoc etiam procedit de re emphyteutica, quam ſi Emphyteuta det in pignus Domino proprietatis, non tenetur hic fructus ex illa perceptos in diminutionem ſortis computare; quia natura, & conditio contractus feudalis, & emphyteutici ex primæva ſua inſtitutione eſt, ut in quibusdam caſibus jure expreſſis dominium utile redeat ad Dominum directum: & in jure eſt etiam ille caſus: ſi res feudalis, vel emphyteutica à vaſallo, vel Emphyteuta detur in pignus pro debito Domino directo, vel proprietario: quia tunc dominium utile conjungitur cum directo, & conſolidatur pro tempore, quo pignus ſoluto debito non redimitur: proinde poteſt Dominus directus fructus ex re feudali, vel emphyteutica percipere non diminuta ſorte, quia tunc Dominus directus percipit fructus ex re ſua.

23 Ut autem hoc procedat tres requiruntur conditiones. Prima eſt, ut interim Dominus directus non exigat pro bono feudali obſequium, quod à vaſallo ei aliàs debebatur, neque penſionem ab Emphyteuta: alioquin ſi à vaſallo adhuc exigeret Ordinaria obſequia, & ab Emphyteuta penſionem, & canonem, teneretur fructus ex pignore perceptos computare in diminutionem ſortis. Quòd ſi vaſallus ex ſe vellet debitum obſequium, & ſervitium præſtare, poteſt Dominus directus non acceptare tale obſequium, & percipere fructus ex re feudali ſibi oppignorata.

Secunda conditio eſt, ut Dominus dire- 24
ctus non percipiat ex re feudali, vel emphyteutica oppignorata fructus provenientes ex meliorationibus factis per induſtriam vaſalli, vel Emphyteutæ; quia tunc quoad exceſſum pertinent fructus illi ad vaſallum, vel Emphyteutam, & ſi Dominus directus eos percipiat, tenetur illos computare in ſortem, & reſtituere vaſallo, quia tales fructus non cenſentur ex parte exceſſus eſſe ex re feudali, vel emphyteutica.

Tertia conditio eſt, ut feudum oppigno- 25
ratum non fuerit pretio emptum à Vaſallo, quod etiam procedit de re emphyteutica, nec datum in compenſationem præcedentium meritorum; quia tunc fructus eſſent etiam computandi in diminutionem ſortis.

Tertius titulus, ſeu cauſa, ob quam fru- 26
ctus pignoris non computantur in ſortem eſt, ſi maritus pro dote uxoris ſibi promiſſa locò pignoris accipiat prædium, vel domum, ex qua fructus percipiat, donec promiſſam ſibi dotem accipiat; tunc maritus facit fructus etiam ſuos ob compenſationem lucri ceſſantis: quia ſi haberet dotem, ex ea fructus omnes lucraretur propter onera matrimonij, quæ tenetur ſubire *l. dotis fructum 7. §. de jure dotium*, & cùm non percipiat juſtum lucrum fructuum dotalium ob dotem nondum ſolutam, meritò maritus compenſationem facit ex fructibus rei pro dote debita oppignoratæ.

§. VI.

An lucrum, quod ex mutuo percipitur in montibus, qui dicuntur pietatis ſit immune ab omni labe uſuræ.

MOns pietatis eſt ſumma quædam pecu- 1
niæ, vel alterius rei mutuabilis deputatæ ad ſubveniendum per mutuum neceſſitatibus pauperum, & ſolet hujusmodi mons pietatis erigi à Principe, vel Domino loci, vel à communitate ex publico ærario, aut ex eleemoſynis, vel largitionibus privatorum civium, vel ex alia pecunia donata inter vivos, aut relicta per ultimam voluntatem cuidam loco, civitati, vel oppido ad eum finem, ut ſemper ſit in promptu pecunia, quæ poſſit dari mutuo, imo, & debeat ad ſuccurendas indigentias pauperum, ne aliàs adigantur indigentes uſuras ſolvere uſurariis, ſi ab iiſdem mutuò accipiant pecunias: non tamen è montibus pietatis mutuò accipiuntur pecuniæ in quacunque quantitate, ſed determinata ad certum numerum, & ea conditione, ut mutuatarij aliquod certum pignus conſignent iiſdem montibus, & aliquod exiguum lucrum ſolvant ſingulis menſibus pro ratione quantitatis mutui.

2 Horum montium hæ potiſſimum ſunt leges; quarum prima eſt, ut mutuum usque ad certam ſummam, ſeu quantitatem detur ſolis pauperibus, & indigentibus præcipuè loci illius, & non divitibus, nec exteris.

3 Secunda, ut mutuum non detur niſi ad certum tempus, ut ad annum, vel ad ſummum ad duos annos.

4 Tertia, ut Mutuatarij dent ſufficiens, & certum pignus pro aſſecuratione montis, qui alioquin facilè exhauriretur; ſi plures ob indigentiam poſtea acceptum mutuum non ſolverent, nec reſtituerent.

5 Quarta, ut mutuatarij ſingulis menſibus exiguum aliquod ultra ſortem ſolvant pro ſumptibus neceſſarijs ad conſervandum montem, ut pro alimentis, & ſtipendiis Miniſtrorum, qui pignora, & montem cuſtodiunt, & adminiſtrant; ſempérque parati eſſe debent ad mutuandum, ut etiam pro rationibus reddendis, & ſcribendis, pro conductione domûs, & cæteris neceſſarijs expenſis, quæ ſi ex ipſa coacervata montis peccunia deſumerentur, mons brevi exhauriretur; ſi ſemper deberet ſolvere pro Miniſtris.

6 Quinta demum lex eſt, ut ſi debito tempore mutuum non reſtituatur pignus pro aſſecuratione montis poſitum vendatur, & ex pretio pignoris pecunia debita monti ſolvatur, & reliquum, quod ſupereſt Domino pignoris reſtituatur. Difficultas eſt, an illa pecunia, quæ à monte exigitur ultra ſortem pro miniſtris & expenſis neceſſariis ad conſervationem montis, poſſit exigi ſine omni labe uſuræ.

Sotus *lib. 6. de juſtit. & jur. q. 1. art. 6.* aſ-
7 ſerit, tale lucrum, quod à montibus pietatis exigitur ultra ſortem à mutuatarijs, mediante pignore dato aſſecurantibus montem, non eſſe immunem ab uſura, idque probat: primò, quia ſi quis divitijs affluens ſtatueret mutuare cuique petenti ſuſcepto pignore usque ad certum tempus, perinde ac ſit à monte pietatis, non poſſet ultra ſortem aliquid recipere, eò quia non recipiat pignus in utilitatem mutuatarij, ſed in propriam, ut certam ſibi faciat ſolutionem, ergo neque mons poteſt exigere tale lucrum ultra ſortem. Secundò quia de natura mutui eſt, ut gratis conferatur, adeo ut mutuans teneatur omnino gratis onera mutui ſuſcipere, & ſervare pignus, illúdque poſtea reſtituere mutuatario ſolventi eandem quantitatem pecuniæ, quam acceperat: ergo etiam mons tenetur gratis dare mutuò pecunias, & onera ſuſcipere, quæ ſunt mutuationi annexa, ut ſcribere mutuum, accipere, ſervare pignora, & alia id genus. Immo addit Sotus, quòd ſi pignus ſit cuſtoditu difficile, teneatur mutuans proteſtari, quòd ſi pereat, non ſibi, ſed mutuatario pereat, qui ſi voluerit pignus tutius cuſtodire, ſuppeditet ipſe expenſas. Tertiò quia non omnia pignora exigunt curari, ſed tantùm aliqua, cujusmodi ſunt veſtes, quæ tineis roduntur: quamobrem per accidens eſt, quòd aliqua pignora indigeant expenſis: & quod contingit per accidens non debet in legem deduci, ut omnes mutuatarii debeant ſolvere pro expenſis, alioquin ij etiam ſolverent, quorum intuitu nullæ fierent expenſæ. Videtur huic opinioni Cajetanus adhæſiſſe *tom. 2. opuſc. 6.* & Sylveſter *V. uſura 5. q. 4.* ait rem eſſe dubiam.

Communis tamen, & vera ſententia docet, 8
montes pietatis cum ſupra dictis legibus, & conditionibus eſſe liberos, & immunes ab omni labe uſuræ. Innititur hæc ſententia definitione Concilij Lateranenſis ſub Leone X. *ſeſſ. 10.* ubi Pontifex in ſua Bulla id declarat his verbis. *Sacro approbante Concilio declaramus, & definimus, montes pietatis ante dictos, & authoritate Sedis Apoſtolicæ hactenus approbatos, & confirmatos; in quibus pro eorum impenſis, & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas Miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad eorum conſervationem (ut præfertur) pertinentium pro earum indemnitate duntaxat, ultra ſortem absque lucro eorundem montium percipitur, neque ſpeciem mali præſeferre, neque peccandi incentivum præſtare; neque ullo pacto improbari: quinimò meritorium eſſe.* Et poſtea in eadem Bulla Pontifex anathemate percutit docentes oppoſitum. Approbantur itidem montes pietatis cum præpoſitis legibus à Paulo II, Sixto IV, Innocentio VIII, Alexandro VI, & Julio II. in ſuis Bullis, ut notat Navarrus *c. 17. n. 217.*

Reſpondet tamen Sotus primò, hos mon- 9
tes fuiſſe approbatos, ex qua tantùm parte juſtitiæ, & SS. canonibus non repugnant. Verùm id gratis aſſeritur, quia revera approbantur cum illa conditione, ob quam Sotus cenſet repugnare juſtitiæ, & ſacris canonibus, & eſt, quòd aliquid exigatur à mutuatarijs ultra ſortem pro impenſis Miniſtrorum.

Reſpondet ſecundò Sotus, Bullas illas 10
Pontificias, & Concilium Lateranenſe non recipi in his, quæ ſtatuunt circa hujusmodi montes.

Sed contra, quia definitio Pontificis in 11
Conlio Lateranenſi non eſt lex, quæ debeat dependere à receptione ſubditorum; ſed eſt declaratio veritatis facta à Pontifice auctoritativè in Concilio, hoc eſt cum aſſiſtentia Spiritus S. cui propterea tenentur fideles omnes acquieſcere, eámq; neceſſariò recipere, niſi velint ſe à corpore Eccleſiæ, & ejus capite ſeparare.

Addit Sotus non pertinere ad Concilium 12
definire hujusmodi quæſtiones, eò quia dependeant potius ex Philoſophia, quàm ex ſacris litteris.

Sed contra, quia definitio harum quæſtio- 13
num pertinet ad bonum regimen Eccleſiæ, & ad mores fidelium, conſequenter pertinet ad Pontificem ſtatuere, quid opportunius viſum fuerit pro regimine Chriſti ovilis; ſiquidem Chriſtus dixit Petro, & ejus ſucceſſori pro tempore *paſce oves meas*; ſcilicet pabulo doctrinæ, & inſtructionis ducentis ad vitam æternam: proinde pertinet ad Pontificem declara-

re; quæ licita ſint, & quæ illicita, ut ab iſtis abſtineant fideles, & illa amplectantur: & licet non poſſit id ſemper explicitè, & immediatè definiri ex ſacris litteris, poteſt tamen implicitè, & immediatè. Addit Sotos, excommunicationem latam in Concilio tantùm fuiſſe ad coërcendas diſputationes. Sed contra, quia non ſolùm fuit excommunicatio lata, verùm etiam definitum authoritativè à Pontificè, hujusmodi montes pietatis cum præfatis legibus eſſe licitos, proinde anathemate feriuntur docentes contrarium.

13 Subjungit Sotus, hunc articulum in Concilio Lateranenſi non fuiſſe definitum de fide. Sed contra, quia tametſi non fuiſſet definitum de fide, adhuc fuit declaratum, montes pietatis cum præpoſitis legibus eſſe licitos: & quia Pontifex, præſertim in Concilio, quando docet ex cathedra non poteſt errare in ordine ad inſtruendos mores fidelium ob ſpecialem aſſiſtentiam Spiritus S. ideo declaratio Pontificis non poteſt falſitati eſſe obnoxia.

14 Ratione etiam evincitur honeſtas horum montium, quia nihil exigitur, aut ſolvitur à mutuatariis ultra ſortem ratione mutuationis; ſed ſolùm ratione expenſarum, quæ neceſſariò fieri debent pro conſervatione, & adminiſtratione eorum montium: licitum autem eſt, & omnino æquum aliquid exigere, & accipere pro illis expenſis, quæ fiunt ad conſervationem, & adminiſtrationem talium montium: ſiquidem hujusmodi expenſæ fiunt, non in commodum eorundem montium, cùm nihil lucri illis accreſcat; ſed in gratiam, & commodum eorum, qui mutuum petunt, ne majus damnum incurrant, ſi aliàs adigerentur ab uſurarijs mutuum accipere ſub uſuris longè majoribus: Unde cùm id, quod ſupra ſortem ſolvitur, cedat in commodum Mutuatarij non montis mutuantis, juſtè, & licitè exigitur à Mutuatario illud exiguum ultra ſortem, non ratione mutuationis, ſed ratione expenſarum, quæ neceſſariò debent fieri pro conſervandis, & adminiſtrandis montibus.

15 Tum quia cum mons det mutuo pecunias indigentibus cum hac conditione, ut Mutuatarij pro rata ſolvant expenſas, quæ fiunt in ordine ad mutuandum dum accipiunt mutuum à monte, paciſcuntur tacitè cum ipſo monte de ſolvendis expenſis, ut ſcilicet mons ſervetur indemnis: quapropter Mutuatarij non ſolvunt ratione mutui, ſed ratione pacti ſervandæ indemnitatis: poteſt autem quisque licitè ita paciſci, quia poteſt quisque exigere ſuam indemnitatem ab eo, cujus intuitu damnum patitur, non enim mutuans tenetur mutuare cum ſuo damno? cum enim mutuum fiat in favorem Mutuatarij, æquum eſt, ut Mutuator ſervetur indemnis: hinc omnes Canoniſtæ, & Theologi cum D. Thoma *22. q. 78. art. 2. ad 1.* docent, poſſe ex mutuo ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis recipi lucrum aliquod.

Quamobrem montes pietatis juſtè, & licitè, ut ſerventur indemnes, poſſunt exigere illud exiguum lucrum ultra ſortem: quia illud non exiguunt ratione mutuationis, neque ut aliquid lucri ipſis accreſcat; ſed in commodum ipſius Mutuatarij: adeò ut tale mutuum ſit opus charitatis ordinatum ad ſuccurrendam indigentiam pauperum: quapropter in Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. c. 8. de reformat.* inter alia pia opera recenſentur etiam montes pietatis. 16

Neque argumenta, quibus nititur Sotos, ullum faceſſunt negotium. Ad primum reſpondetur etiam privatam perſonam poſſe aliquid exigere à Mutuatariis ſi mutuando patiatur aliquod damnum, vel faciat expenſas: neque obſtat, quòd pro ſecuritate ſortis principalis recipiat pignus: quia illud recipit ut conſervet, proinde ſuſcipit onus illud conſervandi in commodum Mutuatarij, proinde ſi ſint neceſſariæ expenſæ in eo conſervando poſſunt licitè exigi à Mutuatario, ut Mutuator ſervetur indemnis: æquum enim non eſſet, quòd Mutuator non ſolùm ſe privaret pecunia, quam mutuò dat alteri, ſed etiam deberet inde ſubire damnum, & habere expenſas; ſufficit enim ſi ratione mutui, non habeat lucrum. 17

Ad ſecundum, verum eſſe, mutuum eſſe gratis conferendum; ſed inde non ſequitur, quòd gratis debeant etiam ſuſcipi onera annexa mutuationi: alioquin neque ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis poſſet aliquid recipi; cùm hæc onera ſint extra mutuationem, & pretio æſtimabilia, utique poſſunt pretio compenſari. 18

Ad tertium reſpondetur, id quod exigitur à Mutuatarijs, non eſſe intuitu tantum conſervandi pignora, ſed pro conſervatione montis, & expenſis, quas facit in commodum, & beneficium mutuatarij. Non enim poſſet mons dare mutuò pecunias, niſi haberet Miniſtros, qui ipſi inſervirent, proinde æquitas exigit, ut mons ſervetur indemnis ab expenſis, quas facit pro Miniſtris, ut ſemper ſint parati ad inſerviendum, & ad quos etiam pertinet curare pignora, ſi indigeant; non enim illud exiguum lucrum datur pro ſola curatione pignorum, ſed etiam pro reliquis expenſis, quæ neceſſariò fiunt à monte. 19

Oritur tamen dubium, an ſi aliquid ſingulis annis ſuperſit ex lucris, quæ ultra ſortem ſolvunt Mutuatarij, poſſit accreſcere in bonum ipſius montis: ut ſi Mutuatarij ultra ſortem ſolvant tria pro quolibet centenario; & pro expenſis, & ſtipendiis Miniſtrorum montis tantùm ſufficiunt duo, adeò ut in fine anni ſuperſit unum dubitatur, an hoc accreſcat monti: quia ſi aſſeratur, certè id cedit in bonum etiam ipſorum pauperum, quia ſi mons fiat pinguior poſſunt plures mutuò accipere. Nihilominus dicendum abſolutè eſt, hoc unum quod ſupereſt, non poſſe monti accreſcere: & ratio eſt evidens, quia ultra 20

ſortem non poteſt mutuans ex vi mutui, quidquam exigere à Mutuatario: atqui hoc unum, quod ſupereſt detractis expenſis, ſtipendiis Miniſtrorum, exigeretur à monte ratione mutui, quia nullus alius ſuppeteret titulus illud exigendi, conſequenter eſſet uſura, quia eſſet exigere aliquid ultra ſortem ex præciſa vi mutui: tametſi poſſit mons ex hujuſmodi lucris ſe indemnem ſervare, non tamen poteſt ſe locupletare. Quamobrem illud unum, quod ſupereſt, reſtituendum eſt mutuatarijs, à quibus acceptum fuerat, eò quia ſolverint ultra id, quod tenebantur ſolvere? Quòd ſi Mutuatarij ſint ita multi, ut non poſſit ſciri ad quos pertineat hoc unum, eò quia plures ſint abſentes, nonnulli mortui, & alij ignoti; tunc reſtitutio facienda eſt juxta regulas communes: quando enim creditor eſt ignotus, vel incertus reſtitutio fit pauperibus, vel in pios uſus. Hinc quia ſi Mutuaterij ſint ignoti, & incerti, quod ſupereſt debet reſtitui pauperibus, vel impendi in pios vſus, poteſt licitè, applicari eidem monti; cùm ſit hæc applicatio in beneficium pauperum, proinde opus pietatis, quo egentes adjuvantur.

21 Cæterum ſi experientia conſtet, ſufficere duo pro quolibet centenario ad ſolvendas expenſas, & ſtipendia miniſtrorum montis, non poſſunt impoſterum ampliùs exigi tria à mutuatarijs; ſed tantùm duo, ut etiam è converſo, quando deprehenditur non ſufficere duo, poſſunt tria exigi, ut mons ſervetur indemnis, ſemper enim tot poſſunt exigi quot ſunt neceſſaria pro expenſis Miniſtrorum, & ut mons ipſe ſervetur indemnis. Cæterum conſtituto ſemel monte pietatis poteſt cumulus augeri ex bonis privatorum hominum mutuantium ipſi monti, dummodo Mutuatores nullum lucrum inde percipiant ex vi mutui niſi ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis: quo pacto Mutuatarij, quibus aliquid ex monte mutuatur, non tenentur ad expenſas neceſſarias monti.

22 Non tamen licitum eſt, montem pietatis dare quatuor pro quolibet centenario deponentibus pecuniam apud ipſum, ſive ratione depoſiti, vel mutui; niſi fortâſſis deponentes illam pecuniam recipiant illa quatuor à monte ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, & tunc in hoc caſu non poteſt mons obligare eos, quibus ipſe mutuat, ut ſolvant ſex pro centenario, ſcilicet quatuor pro deponentibus, & duo pro expenſis Miniſtrorum, & tantùm poſſunt hujuſmodi montes excuſari ſi dentur quatuor deponentibus ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, & duo ipſis Miniſtris montis pro officio, & alijs expenſis; tunc enim illa ſex ſolvuntur ratione damni, ſive in deponentibus, ſive in miniſtris montis.

23 Dantur etiam montes vacabiles, vel non vacabiles, quorum praxis eſt iſta. Principes, vel civitates habentes certos annuos reditus ex vectigalibus, gabellis, vel alijs impoſitionibus antiquis, aut novis, ſive fructibus, aut juribus, quia hujuſmodi reditus nonniſi minutatim ſolvuntur Principi, vel civitati; ideo ſolent Principes, vel civitates certam aliquam ſummam, & penſionem conſtituere tanquam veros eorum redituum fructus, quæ penſio ſingulis annis ab ipſis percipitur; & interdum illam etiam vendunt; & quia tota ſumma horum redituum excreſcit ad magnam quantitatem, ut unus particularis, non poſſit illam integrè emere; inde fit, ut habitâ proportione totius illius penſionis ad omnes reditus, eam dividant in multas æquales partes in decem, viginti, triginta, & ultra: quæ ſingulæ ſunt partes illius magnæ penſionis debitæ Principi, & coaleſcit ex fructibus, quos minutatim, & annuatim recipit ex vectigalibus, gabellis, impoſitionibus, fructibus, aut juribus: hæ autem partes hujus totius penſionis, quæ etiam dicuntur penſiones partiales emuntur à multis, quorum quiſque contribuit ſuam partem; & ita pro quantitate pecuniæ, quam det, emit partes illorum redituum plures, vel pauciores: imò nonnunquam ab homine privato perquam opulento, & divite emitur tota ſumma, qua æſtimantur annui reditus, ſeu emuntur omnes illæ partes, ſeu penſiones partiales, in quas diviſa fuerat tota penſio debita Principi.

Hæc igitur ſumma redituum annuorum dicitur mons, ut etiam ipſi reditus annui dicuntur montes, qui nonnunquam ex nomine rerum, ex quibus percipiuntur, denominantur, mons farinæ, mons vini, mons carnium, mons olei, eò quia reditus deſumantur è farina, vino, carne, oleo. Interdum denominantur à cauſa, ob quem ſunt, ſeu à fine, ob quem inſtituuntur hujuſmodi montes, ut ſi fiant pro bello inſtituendo in publicam defenſionem dicitur mons belli, mons fœderis, mons redemptionis captivorum; ſi pro fide propaganda, dicitur mons fidei. Nonnunquam etiam denominatur eb Authore, à quo fuerunt tales montes inſtituti, quo pacto dicitur mons Pius, mons Julius, eò quia à Papa Pio, vel Julio fuerit inſtitutus. Portiones ſingulæ, ſeu illæ partes in quas dividuntur omnes illæ penſiones, quæ debentur Principi, dicuntur loca montis; & habent jus exigendi portiones, quas ſuis pecunijs emerunt. 24

Rurſus hujuſmodi montes nonnunquam ſunt perpetui, interdum temporales, & aliquando vacabiles, vel non vacabiles: dicuntur vacabiles, eò quia per obitum Emptoris vacent, & redeant ad Principem, qui propterea poteſt eos iterum vendere: non vacabiles dicuntur, qui obitu Emptoris non vacant, ſed ad ejus transeunt hæredes. Aliquando ſunt etiam redimibiles, quatenus Princeps, qui montem conſtituit, poteſt reſtituere pecuniam capitalem iis, qui eam dederunt, ut emerent loca montis, ſeu portiones præfatas, quo pacto dicitur Princeps liberare ſe ab onere ſolvendi 25

interdum ſunt irredimibiles, adeò ut à Principe non poſſint redimi, & tunc emuntur ſub ea conditione, ut Princeps non poſſit ampliùs loca illa redimere. Qui verò ſuis pecuniis emunt portiones, ſeu loca montium pietatis authoritate Principis habent jus transferendi portiones, ſeu loca, quæ habent, in ſuos hæredes, ut etiam ea loca reſignandi, ſeu renunciandi alijs ſive vendendi, & ſolent vendi interdum pluris, & aliquando minoris, quàm ipſi emerint, idque abſque ſuſpicione vſuræ, quia tunc non initur contractus mutui exigentis, ut gratis mutuum detur, ſed contractus emptionis, & venditionis, quo res nunc pluris, modò minoris venduntur.

26 Ut autem hujusmodi montes, ſeu loca, quæ vulgò dicuntur montium debitam ſervent juſtitiam aliquæ requiruntur conditiones, quarum prima eſt, ut reditus ſuper quos fundantur loca montium, ſeu portiones, quæ venduntur, revera exiſtant; quia res non exiſtens non venditur niſi in ſpe, non verò in re.

27 Secunda, ut loca quæ venduntur, contineantur in ipſo monte: alioquin ſi venderentur penſiones, ſeu loca quæ non continerentur in monte contractus emptionis, & venditionis eſſet vſurarius, & acciperetur pretium rei vendibilis pro re non vendibili.

28 Tertia, ut ſi mons in totum vel ex parte pereat, pereant etiam pro rata ipſa loca, ſeu portiones, quia pereunte fundamento, neceſſe eſt pereat & res fundata; pereunte re, perit quoque jus conſtitutum in eadem: quod tamen procedit, dummodo mons non pereat ex Domini culpa, nec Dominus montis ſe obligaverit pro capitali, & pro reditu locorum, ſeu portionum in caſu, quo mons perierit, vel damnum ſubierit, ac decreverit.

29 Quarta, ut montes ſive penſiones, ſive loca dentur tunc, quando montes ſunt vacabiles, quia tunc ſunt perpetui: ratio eſt, quia quando montes non ſunt vacabiles, ſeu temporales habent multa, & non modica incommoda ex parte eorum, qui loca æquè vacabilia habent in montibus, quo fit ut montes iſti vacabiles non conſtituantur ſine gravi, & urgente cauſa ob incommoda, quæ inde ſequuntur. Hinc quando loca ſunt vacabilia ſolent portiones vacabiles emi ad rationem octo, vel decem, vel etiam duodecim pro quolibet centenario & quando loca ſunt perpetua penſiones ſolent emi ad rationem quinque, & ad ſummum quinque cum dimidio pro quolibet centenario.

30 Solet etiam Princeps, vel Reſpublica, ſi pecunijs indigeat nonnunquam compellere cives mercatores opulentiores, & etiam alios divitijs affluentes ad mutuandum ea lege, ut donec acceptam pecuniam reſtituat, ſolvat illis annuatim aliquam pecuniæ ſummam; ſcilicèt quinque, vel ſex pro quolibet centenario: hæcque pecuniarum centenaria alicubi vocantur montes, alibi loca, vel mutua: & illi cives, qui pecunias mutuò dederunt Principi, ſolent creditores montis vocari; quibus conceditur facultas, ut reditus ſeu fructus, quos ſuis datis pecunijs accipiunt vendere poſſint, & alienare eadem conditione, ut & ipſi emptores non poſſint ſuas pecunias repetere, ſed teneantur tantùm quinque, vel ſex pro quolibet centenario quot annis accipere: & è contra Princeps, vel civitas poſſint, prout ipſis magis libuerit pecunias creditoribus reſtituere, ſeque liberare ab onere ſolvendi quinque, vel ſex pro quolibet centenario.

An verò hujusmodi montes liciti ſint, vel vſuram redoleant. Reſpondetur, poſſe licitos eſſe, dummodo aliquot concurrant conditiones, quarum prima eſt, ut hujusmodi montes fundentur in veris Principis, civitatis, aut reipublicæ fructibus, juribus, vel reditibus antiquis, vel per novam aliquam impoſitionem recèns inſtitutis: alioquin pretium, quod exigeretur vſurarium foret, quia nihil extaret, quòd per illud emeretur. 31

Secunda eſt, quòd cùm Princeps, Reſpublica, vel civitas quinque, vel ſex pro quolibet centenario annuatim ſolvat, cives pecunias, quas dederunt, non mutuaverint Principi Reipublicæ, vel civitati, ſed eas dederint, ut pretium quo in contractu venditionis, & emptionis emerint jus percipiendi quinque, vel ſex quot annis pro quolibet centenario, adeo ut conſideretur jus illud percipiendi quinque, vel ſex annuatim: eſt enim hoc jus vendibile, & pretio æſtimabile pro cujus pretio datur tota illa quantitas pecuniæ, pro qua percipiuntur quinque vel ſex quot annis; hinc hi montes differunt à precedentibus, quia in iſtis cives, & mercatores adiguntur authoritate Principis, reipublicæ, vel civitatis emere has portiones fructuum ſuorum. 32

Unde Tertia conditio eſt, ut hujusmodi montes non fiant ſine gravi, & urgente neceſſitate; quia ſi præſcindamus ab hac urgente neceſſitate, nemo poteſt cogi ad aliquid emendum: ſin verò neceſſitas urgeat præſertim pro bono publico, poſſunt cives, qui divitijs affluunt, compelli ad emendos præfatos fructus: perinde ac ſolent etiam Principes, Reſpublicæ, vel civitates urgente neceſſitate ſubditos nonnunquam adigere ad vendendum triticum, vel emendum, ad charitatem arcendam, quæ probabiliter timebatur, & illud emerant; & repoſuerant in horreis; qui niſi cogerentur vendere, triticum putreſieret. 33

Quarta eſt, ut mercatores, vel cives pecunias dent Principi, Reipublicæ, vel Civitati tanquam pretium portionum, ſeu locorum, quæ emunt: alioquin, ſi mutuò darent pecuniam illam, & ex illa perciperent quot annis quinque, vel ſex pro quolibet centenario, tunc non poſſent excuſari ab vſura, à qua tantùm liberantur, ſi per verum, & realem contractum venditionis, & emptionis dent pecuniam illam, ut pretium, quo intendant emere fructus illos Principis, qui conſiſtunt in illis quinque, vel ſex, quæ percipiunt quot annis ex fructibus, 34

juribus, reditibus antiquis, vel novis pertinentibus ad Principem, qui ſicut habet jus verum, & reale froctus illos percipiendi; ita poteſt tale jus cùm ſit pretio æſtimabile alijs vendere, qui propterea poſſint quot annis percipere quinque, vel ſex pro quolibet centenario.

35 Major difficultas videtur eſſe de aliquibus montibus pietatis, in quibus ſolent depoſitari pecuniæ, quibus mons utitur ad ſublevandam inopiam Pauperum, certam ſummam mutuando ipſis indigentibus, à quibus etiam accipit pignus, quod poſtea reſtituit, nihil accipiendo ultra ſortem: ſed illis qui pecunias depoſitant in monte ſolent ſolvi quot annis quatuor, vel etiam quinque pro quolibet centenario. Difficultas eſt, an depoſitantes pecuniam poſſint ultra ſortem illa quatuor, vel quinque quot annis recipere licitè, & ſine vſura: & reſpondetur, quod ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis poſſint illa quatuor, vel quinque licitè recipere: ratio eſt illa communis, quia æquum eſt, ut mutuantes ſerventur indemnes: an verò ſecluſo hoc lucro ceſſante, & damno emergente poſſint etiam depoſitantes recipere illa quatuor, vel quinque ultra ſortem, communior ſententia eſt negativa, quia ubi intervenit ſolùm mutuum, non poteſt quidquam exſolvi ultra ſortem: & inter montem, & tradentes pecunias eidem monti, non poteſt alios intervenire contractus, quàm depoſiti, ſeu mutui: ſiquidem qui deponit pecuniam dat facultatem Depoſitario, ut illa utatur; proinde cenſetur eam mutuare *l. certi conditio* §. *fin. & l. ſequent. ff. de reb. credit.* atqui ratione mutui non poteſt aliquid recipi, quia videtur eſſe contra præceptum naturale, & divinum *c. conſuluit de vſuris* ut docet D. Thomas *2. 2. q. 78. a. 1. ad* 4.

36 Quamobrem non videtur licitum eſſe ſive ratione depoſiti, ſive ratione mutui aliquid recipere ultra ſortem, niſi deponentes recipiant ea quatuor, vel quinque, ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis: & tunc non poteſt in hoc caſu mons obligare eos, quibus ipſe mutuat, ut ſolvant ſex pro centenario ſcilicèt quatuor pro deponentibus pecunias in monte, & duo pro expenſis, quæ fiunt in conſervatione, & Miniſtris ejusdem montis, ut notat Navarrus *lib. 5. de vſur. cons. 17.* & ſolùm montes poſſunt excuſari, ſi dentur quatuor deponentibus ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, & duo ipſis miniſtris montis pro officio, & ſervitio, quod præſtant.

37 Nihilominus non deſunt, qui cenſeant, licitum eſſe recipere illa quatuor, vel quinque quot annis pro quolibet centenario, eò quia civitas poſſit ſuos compellere cives, ut contribuant ad montem, ad finem ſubveniendi indigentiis pauperum, & ita docent Geminianus *tract. de uſur. com. 3. §. 3. n. 54.* Alexander *l. item quia §. 1. n. 2. ff. de pact.* Abbas *in c. in civitate de uſur. circa fin.* Lappus *alleg. 137. n. 1.* Non tamen quia cives compelluntur mutuare ipſi monti, ſequitur, quòd ratione coactionis poſſint quatuor vel quinque recipere ſupra ſortem: quia cives tunc coguntur ita exigente bono communitatis: & cives tenentur conſulere bono communi: tum quia coactio non tollit, quin ſit mutuum: unde ratione coactionis tale lucrum ex mutuo non ſit licitum: imò nec lucrum illud ſit licitum, eò quia civitas habeat reditus, & cenſeatur virtualiter conſtituere cenſum, quia cùm adſit contractus formalis mutui, non poteſt hic mutari in aliam ſpeciem ex interpretativa voluntate: ſiquidem ſola interpretativa voluntas cenſetur inſufficiens ad contractum.

38 Reſpondet tamen Abbas, illa quatuor, vel quinque poſſe quot annis recipi pro quolibet centenario, eò quia mutuantes ſuas pecunias monti non poſſint eas repetere.

39 Sed hæc ratio non ſatisfacit, quia eatenus non poſſunt eas repetere, quia compelluntur ad contribuendum pro bono communitatis, & ratione urgentis neceſſitatis. Tum quia licèt ipſi mutuantes non poſſint pecunias mutuatas repetere; civitas tamen vel Princeps ſibi reſervavit determinare tempus reſtituendi tales pecunias, quando ſcilicet contributio non erit ampliùs communitati neceſſaria: alioquin quamdiu eſt neceſſaria, non poſſunt cives eam repetere, ratione obligationis conſulendi bono communi; perinde ac mutuans ei, qui conſtitutus eſt in gravi neceſſitate, non poteſt à mutuatario mutuum repetere, quamdiu durat illa gravis neceſſitas: quia mutuans ex præcepto charitatis tenetur tunc oppitulari ſuo proximo indigenti: quamobrem ex eo præcisè quod adigantur cives ad contribuendum, ſeu ad mutuandum monti, non poſſunt licitè lucrum ex tali mutuo ſupra ſortem recipere. Ratio igitur, cur videantur poſſe recipi quatuor, vel quinque pro quolibet centenario ultra ſortem eſt, quia Paulus III. indulſit in favorem montis pietatis Ferrarienſis ut deponentes pecunias apud montes pietatis poſſint quatuor, vel quinque pro quolibet centenario ultra ſortem recipere, ut habet in ſua Bulla, cui initium eſt *charitatis opera* & hæc Bulla data fuit Romæ apud S. Marcum ſub annulo piſcatoris die 10. Julij 1549. Pontificatus ſui anno 15.

40 Neque dici poteſt, indultum Pontificis tantùm extendi ad illos, qui aliàs ſunt capaces percipiendi tale intereſſe, eò quia in ipſis tunc ceſſet lucrum, vel emergat damnum. Nam contra eſt, quia conceſſio eſt juxta menſuram narrativæ, quæ id operatur, ut omnia, quæ ſunt narrata, cenſeātur conceſſa, quamvis in conceſſione non exprimantur, ut docent Bartolus *l. ff. ad leg. Jul.* Butrius *conſil. 11.* Felin. *in c. ſuper litteris n. 9. vers. tertia regula de reſcript.* Præterea quia conceſſio, & privilegium ita accipi debent, ut non ſint omnino inutilia *l. ſi quando ff. de legibus c. ſi Papa 1. de privileg.* & docent Decius *in c. paſtoralis n. 1. de appellat.*

Imo-

Imola *conſil. 33. n. 58* : præfata autem conceſſio inutilis foret, ſi ad illos tantùm extenderetur, qui aliàs intereſſe poſſent recipere ob lucrum ceſſans, & damnum emergens, quia tunc privilegium nihil operaretur : ſiquidem etiam ſine illo poteſt lucrum percipi ſupra ſortem ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis.

41 Præterea, quia narratio, & procœmium demonſtrant cauſam finalem *l. 1. ff. ad Marcel. & l. regula §. & licet ff. de jur. & fact. ignor. l. fin. ff. de hered. inſtit.* ut notat Pariſius *conſil. 96. n. 45.* cùm igitur conceſſio in privilegijs, & obligatio in legibus menſuretur ſecundùm finem *c. fin. de præbend. & l. in aqua ff. de acquiren. rerum domin.* ſequitor ea debere intelligi conceſſa, quæ finem reſpiciunt & ea reſpiciunt; fine, quæ narrantur, ut conducentia ad eundem finem. Unde ſtante indulto Pontificio non dubitârim, licitum eſſe percipere quatuor, vel quinque pro quolibet centenario ex pecunijs, quæ montibus dantur pietatis : quia ſummi Pontifices poſſunt declarare tum legem divinam, tum naturalem, quòd in aliquo ſpeciali caſu non ſit contra finem legis, ut docent communiter Canoniſtæ Covarruvias *in 4. p. 2. c. 6. §. 9.* Abbas *in c. A. nobis n. 4. de decimis. & in c. cum tanto n. 3. de conſule.* Felin. *in c. qua Eccles. n. 26. de conſtit.* Gloſſa *in c. à nobis de decimis V. exemptus*, & Gloſſa *l. manumiſſiones V. naſcerentur*, adhærent etiam huic opinioni Sotus *6. de juſt. & jur. q. 7. a. 3. ad 3.* *Cajetanus 2, 2. q. 120. art. 1.* Suarez *lib. 2. de legib. c. 16.* ubi concedit interpretationem doctrinalem. Hi autem procedunt de lege naturali, ejúsque declaratione, quam aliqui etiam vocant diſpenſationem.

42 Rurſus de lege divina docent Panormitanus *c. propoſuit. n. 20. de conceſſ. præbend.* Felinus *in c. quæ in Eccles. n. 19. & 20. de conſtitut.* Decianus *conſil. 112. n. 3. in fin.* ut etiam alij plures tum Juriſtæ, tum Canoniſtæ, qui licèt utantur nomine diſpenſationis, non tamen aliud intelligunt, quàm declarationem. Tunc enim interpretatio legis procedit, quando ejus obſervantia eſt impeditiva majoris boni : eſt enim de ratione legis reſpicere bonum communitatis, quo fit, ut debeat eſſe juxta menſuram, & exigentiam boni communis, quapropter non obligat niſi ſecundùm menſuram, & exigentiam ipſius boni communis : unde non cenſetur obligare, quando ejus obſervantia eſt directè contra bonum communitatis, vel etiam privatæ perſonæ ; quia tunc non obligat reſpectu illius perſonæ : vel quando impedit majus bonum, licèt cauſet minus bonum; quia tunc minus bonum in comparatione majoris boni non eſt dignum electione; hac ratione Pontifex diſpenſat in voto, & juramento, declarans hic, & nunc legem non obligare : ergo ſi Pontifex declaret legem prohibentem lucrum ex depoſitione pecuniæ ſupra montem pietatis non obligare, eò quia ejus obſervantia ſit impeditiva majoris boni, & pertineat ad bonum communitatis, quòd ſubleventur pauperes per montes pietatis, quod bonum ceſſaret, ſi pecuniæ non depoſitarentur ſupra montem pietatis; & niſi depoſitantes perciperent aliquod lucrum nollent ſuas pecunias depoſitare : Ideo ex eo, quòd permittatur tale lucrum, promovetur bonum commune, & maximè neceſſarium, quo indigentijs conſulitur pauperum : & ſub hac ratione hæc ſententia videtur probabilis, præſertim ſuppoſito indulto Pontificis : alioquin nullo modo putârim recedendum eſſe à ſententia communi, quæ verior, & tutior eſt, proinde ipſi adhærendum, quia ſi præſcindamus à lucro ceſſante, damno emergente pro ſimplici depoſitione, vel mutuatione pecuniæ non poteſt quidquam recipi ultra ſortem, quia id eſt manifeſta vſura.

§. VII.

De Vſuris in contractibus cenſualibus Venditionis, & emptionis.

Cenſus variè ſumitur, ut notat Covarruvias *lib. 3. var. reſol. c. 7.* juxta tamen præſens inſtitutum definitur cenſus, eſſe *jus percipiendi annuam penſionem ex re utili & fructifera, certa, & deſignata alterius.* Quamvis enim nonnunquam penſio ipſa vocetur cenſus ; ſi propriè tamen loquamur cenſus non eſt penſio ipſa, quæ ſolvitur, ſed eſt ipſum jus, quod quis habet exigendi, & percipiendi talem penſionem : hinc Petrus ſi ſe obliget Paulo ad conferendam ei certam partem fructuum propriæ vineæ quot annis, jus quod habet Paulus percipiendi talem penſionem propriè dicitur cenſus ; & Petrus, qui ſe obligat ad ſolvendam penſionem dicitur *Cenſuarius :* Paulus verò, qui jus habet percipiendi talem penſionem dicitur *Cenſualiſta.* 1

Unde dicitur jus, quia cenſus non eſt res illa, quæ percipitur, ſed jus eam percipiendi : ut etiam in re civili hæreditas non eſt pecunia, nec res, quæ continentur in hæreditate, ſed jus ſuccendi in bonis alterius : uſus itidem, & uſus fructus eſt vſus utendi, vel etiam fruendi re ; & in jure canonico beneficium eſt jus percipiendi reditus annuos ex bonis eccleſiæ : penſio itidem eccleſiaſtica eſt jus percipiendi certam partem fructuum ex beneficio eccleſiaſtico alicujus : unde etiam cenſus dicitur *jus.* 2

Additur *percipiendi annuam penſionem*, ſeu annuum reditum, qui ſive fructuarius ſit, ſive pecuniarius, quot annis ſolvitur : *ex re alterius* : quia nemo ex re ſua propria dicitur cenſum percipere, quamvis fructum accipiat emphyteuſis, vel locationis. 3

Adduntur aliæ particulæ *ex re utili fructifera*, quia ſi res ſterilis foret, ita ut cenſum ferre non poſſet, cenſui minimè ſubijceretur. 4

Adduntur poſtremæ particulæ *ex re certa, & deſignata alterius*, quia eo ipſo, quòd cen-

ſus

ſus eſt jus percipiendi quot annis peuſionem certam, neceſſe eſt, fundetur in re itidem certa: ſi enim jus eſt certum, debet etiam peuſio eſſe certa, quia hæc duo ſunt correlativa. Tum quia cenſus vendi, & emi poteſt, ut etiam permutari, donari, extingui, redimi, & transferri, conſequenter debet eſſe de re certa.

6 Dividitur cenſus in reſervativum, & conſignativum; ille eſt, cum quis dominium etiam directum rei ſuæ transfert in alium, reſervata ſibi aliqua penſione, ſive in pecunia, ſive in fructibus, ſive in alia re æquivalente; & ex re illa annuatim præſtanda, & ſolvenda *l. ultima de rer. permut.* Hic autem cenſus reſervativus quandam habet cum emphytheuſi cognationem, à qua etiam differt, quia in cenſu non tantùm dominiũ utile, ſed etiam directum transfertur, adeo ut ſi dans in cenſum non ſolvat peuſiones debitas, non perdat dominium fundi, ſed ſolùm adigatur ad ſolvendas omnes penſiones debitas: ſecus Emphytheuta, ſi non ſolvat penſiones perdit dominium rei emphytheuticæ, quia in emphytheuſi dominium directum manet apud dominum rei emphytheuticæ: qui enim rem ſuam alteri dat in emphytheuſin retinet apud ſe directum dominium ipſius rei: & tantùm dat alteri dominium utile ejusdem rei; & ideo qui rem in emphytheuſin accipit, ſi per aliquot annos negligit penſionem ſolvere, amittit dominium utile rei acceptæ, quod propterea unà cum re redit ad ſuum Dominum, qui directum dominium ſibi retinuit. Secus qui dat fundum, vel agrum alteri in cenſum, transfert in eum totum dominium fundi; proinde quamvis per plures annos ceſſet, qui rem accepit, à penſione ſolvenda, non perdit jus, nec dominium fundi, ſed ſolùm poteſt adigi in judicio ad omnes omiſſas penſiones ſolvendas, idque deſumitur *ex c. conſtitutus*, ubi quidam Abbas qui penſionem per multos retrò annos non ſolverat, condemnatur, non ut jus, & dominium prædij amittat, ex quo tenebatur penſionem ſolvere, ſed ut penſiones omiſſas omnes perſolvat: quòd ſi prædium fuiſſet in emphytheuſin acceptum, illud fuiſſet amiſſum *l. 2. C. de jure emphytheut.*

7 Cenſus conſignativus eſt, cùm quis ita apud ſe retinet domum, fundum, vel agrum ſuum, ut in eo tamen conſtituat aliquam penſionem, quam quot annis ſolvat alteri; & hic cenſus eſt valde uſitatus, & frequens apud omnes. Dividitur autem cenſus conſignativus in realem, & perſonalem; Ille eſt, qui conſtituitur in re aliqua certa, & fructifera, ut eſt ager, vinea, domus locanda, & comitatur rem illam ad quemcunque poſſeſſorem, illa perveniat, ut notat Layman *lib. 3. tract. 4. c. 18. n. 1.* Perſonalis eſt, qui conſtituitur in certa aliqua perſona, ex qua ratione artis, induſtriæ, aut operæ poteſt commodum aliquod percipi; & in hac ſola perſona obligatur ad penſionem annuam ſolvendam ſine ordine ad certam aliquam rem: & quia quandoque cenſus conſtituitur partim ſuper re, & partim ſuper perſona immediatè, adeò ut ſi res pereat, adhuc maneat perſona obligata, ideo hic ultimus cenſus dicitur mixtus, eò quia ſit quid mixtum ex re, & perſona.

Quando verò contractus ſit cenſualis, vel emphyteuticus conijci poteſt ex verbis prolatis, vel ſcriptis, quæ adhibentur; ſi enim Titius dicat Cajo: do tibi hunc meum agrum, & transfero in te quidquid juris habeo in illo, ut tu quot annis ſolvas mihi ſeptem ſcaphas frumenti, vel ejus valorem, hic contractus propriè eſt cenſualis, quia per illa verba *transfero in te quidquid juris habeo in agro* ſatis expreſsè ſignificat Titius, ſe transferre in Caium totum illud dominium, quod habet in agro illo, & quia Titius non tantùm habet dominium utile, ſed etiam directum in agrum, ideo utrunque dominiũ transfert in Caiũ, cui ager propterea datur in cenſũ. Sin verò Titius dicat Caio: do tibi hunc meum agrum usque ad quartam generationem, ut des mihi quot annis ſeptem ſcaphas frumenti, vel ejus valorem, tunc Titius ſibi reſervat dominium directum quod habet in illum agrum, & tantùm transfert dominium utile ad tempus, ſeu usque ad quartam generationem pro annua penſione, propterea tunc ager propriè datur in emphytheuſin, & non in cenſum, cùm non transferatur dominium directum; ſed tantùm utile ad tempus. Sin verò Titius dicat Caio: do tibi meum agrum in emphytheuſin, & transfero in te quidquid in illo juris habeo, tunc ager ſupponitur datum tantùm in emphyteuſin, quia tunc illa verba *quidquid juris habeo* intelliguntur de jure, ſeu de dominio utili, non verò de directo, quia verbum emphyteuſis coarctat jus ad ſolum dominium utile, quia in emphyteuſi hoc ſolùm transfertur.

Rurſos cenſus ratione penſionis etiam dividitur: ſiquidem vel penſio eſt pecunia, & dicitur cenſus pecuniarius; vel eſt, fructus, qui percipitur ex re cenſui obnoxia, & dicitur cenſus fructuarius, qui interdum talis eſt, ut certa fructuum pars ſolvi debeat, ut duæ ſcaphæ frumenti, vel hordei: aliquando pars fructuum eſt incerta, ut eſt tertia pars, vel quarta fructuum: quanta enim ſit hæc tertia pars, non poteſt certò ſciri, ſed dependet à majori, vel minori copia fructuum, quos producit ager hoc anno, quæ quantitas cùm ſit incerta, & dependeat ex varijs circumſtantijs aëris, pluviarum, tempeſtatum, ideo illa tertia pars fructuum dicitur incerta, perinde ac eſt incerta tota quantitas. Ratione temporis, quo penſio ſolvi debet, dividitur cenſus in perpetuum, & temporalem: ille eſt, qui ſemper durat, & tranſit ad hæredes, neque extinguitur per obitum venditoris, vel Emptoris, aut alterius, cujuspiam, quapropter obligatio ſolvendi penſionem transfertur ad hæredes venditoris, ut etiam jus eam exigendi ad hæredes Emptoris. Temporalis dicitur, quando penſio ex obligatione tantùm ſolvitur ad tempus: & hic cen-

ſus

Digitized by Google

ſus temporalis adhuc bipartitur ad tempus certum, & incertum; ſi enim penſio debeat ſolvi ad decennium, cenſus temporalis eſt certus pro toto illo tempore: ſin verò cenſus tantùm ſolvi debeat usque ad mortem emptoris, cenſus temporalis eſt incertus, perinde ac mors emptoris, quæ poteſt contingere intra paucos dies, vel poſt plures annos.

10 Dividitur etiam cenſus ratione pacti, quia ſubinde ex pacto cenſus eſt redimibilis, & interdum irredimibilis, ut ſi venditor ſibi reſervet facultatem reſtituendi totum pretium acceptum, & redimendi cenſum: nonnunquam etiam ita initur pactum, ut cenſus non poſſit redimi, niſi prout libuerit emptori; priori modo pactum eſt in favorem venditoris; poſteriori modo in favorem emptoris: quòd ſi Venditor, & Emptor ita paciſcantur, ut cenſus non poſſit ampliùs redimi, tunc eſt irredimibilis: ſin verò paciſcantur, ut cenſus non poſſit redimi niſi intra certum tempus, quo elapſo extingui ampliùs non poſſit, tunc cenſus tantùm eſt redimibilis usque ad ſtatutum tempus, & poſtea fit irredimibilis.

11 Contractus cenſualis realis, ſive perpetuus, ſive temporalis, ſive vitalitius, ſive redimibilis, ſi conſtituatur per emptionem, & venditionem juſtus eſt, & licitus, nec ullam redolet vſuram, ſi debitæ concurrant conditiones, quarum prima eſt, ut adſit intentio emendi & vendendi, quia tota vis, & obligatio contractuum dependet ab intentione, & voluntate contrahentium.

12 Secunda, ut pretium venditionis, & emptionis ſit juſtum, ſeu tale, quod lex, vel communis hominum æſtimatio, ſeu judicium prudentum præfixit, habita ratione aliarum circumſtantiarum.

13 Tertia, ut conſtituens cenſum ſuper re aliqua liberam habeat illius rei diſponendæ facultatem: quia ſuper re aliena absque conſenſu veri Domini; in fundo dotali absque uxoris conſenſu; ſuper beneficio, & ſuper re accepta in feudum, vel emphyteuſin non poteſt cenſus conſtitui.

14 Quarta, ut cenſus fundetur in re frugifera ut ſuper prædium, agrum, hortum, domum, quia hæc & alia id genus quot annis ſolent aliquid Domino fructificare: non ita fundari poteſt ſuper tritico, vino, oleo, quia hæc, & alia id genus non fructificant, ſed uſu conſumuntur.

15 Quinta, ut ſi res cenſui obnoxia pereat, vel ſi ager fiat ſterilis vel domus corruat, aut incendio abſumatur ſine culpa cenſuarij, ceſſet etiam cenſus ad ratam, quia res domino pereunt: & Cenſualiſta ſive recipiens penſionem eſt Dominus juris, quod habet ad penſionem ex re cenſuali percipiendam, quod jus pereunte re, in qua eſt conſtitutus cenſus ſimul perit cum re, cui inhæret; unde res perit Cenſualiſtæ, ſeu Emptori cenſûs juxta ratam detrimenti, quod res patitur extra culpam Cenſuarij, ſeu ſolventis cenſum: ſi enim prædium ad mediam tantùm partem occupetur à flumine, cenſus etiam perit ad mediam partem: ſin verò totum prædium occupetur à flumine, perit etiam totus cenſus. Sin verò res cenſualis ſolùm ad tempus, ſeu uno, vel altero anno nullos fructus ferat, tunc adhuc tota annua penſio à Cenſuario, ſeu Domino fundi ſolvi debet, dummodo reliquis annis fructus ferat, adeo ut damnum ſterilitatis compenſetur alio anno, quia ex conſuetudine cenſus conſtitutus ex agris, quot annis integer ſolvitur; tametſi agri ſecundo quoque anno quieſcant, nec ullum fructum ferant defectu culturæ.

16 Sexta, ut ſi aliquod onus imponatur venditori, ad quod venditor ex natura contractûs non teneatur, debita mercede compenſetur, quia onera pretio æſtimabilia compenſanda ſunt debita mercede.

17 Jure canonico, ut contractus cenſualis ſit juſtus, aliquot etiam deſiderantur conditiones, quæ deſumuntur *ex Extravangatibus Martini V. & CaliXti III. inter communes de empt. & vendit.* quarum prima eſt, ut certa res immobilis, & fructifera deſignetur, ſuper quam fundetur cenſus. Secunda ut illa ſola maneat obligata pro ſolutione cenſus, non verò perſona, vel res alia. Tertia, ut pretium juſtum ſolvatur juxta temporis qualitatem. Quarta ut pretium ſtatim ſolvatur pecunia præſenti. Quinta ut venditori facultas relinquatur redimendi cenſum eodem pretio, quo illum emit, adeò ut ſi velit illum, vel in totum, vel in partem redimere, ſit ipſi liberum. Sexta ut venditor ad redimendum cenſum non adigatur. Septima ut ſi res, ſuper qua fundatus eſt cenſus, pereat, ipſe quoque cenſus extinguatur. Octava ut penſiones non recedant æſtimationem fructuum rei, in qua cenſus eſt conſtitutus. De hiſce conditionibus agunt Covarruvias *lib. 3. reſol. c. 7. n. 5. & ſequent.* Tanner. *diſp. 4. q. 7. dub. 4. n. 123.*

18 Immo Pius V. in ſua Bulla, quam edidit anno 1568, 14. calend. Februarij, quam refert Navarrus *in manual. Prælat. c. 17. n. 234.* plures alias exigit conditiones, ut neceſſarias, ut venditio, & emptio cenſus ſine vſura fiat. Prima eſt ut cenſus non conſtituatur niſi ſuper re immobili ex natura ſua frugifera, certisque finibus deſignata.

19 Secunda, ut pretium cenſus ſtatim numeretur coram Notario, & Teſtibus.

20 Tertia, ut ſolutiones penſionum non fiant anticipatè, nec deducantur in pactum; adeò ut venditor non compellatur ſolvere penſionem niſi rata temporis elapſi, quæ conditio jure naturæ eſt etiam neceſſaria, niſi tale onus alia ratione compenſaretur.

21 Quarta ne directè, vel indirectè adigatur Cenſuarius, ſeu venditor cenſûs ad præſtandos caſus fortuitos, ad quos ex natura contractûs non tenetur, proinde nec ad ipſos debet obligari: hinc Pontifex prohibet omne pactum aſſecurationis, quamvis jure naturæ licitum;

adeò ut nulli ſuadendum ſit tale pactum, ſed tolerandum ſit, niſi lex humana obſtet, & non habeatur intentio vſuraria.

22 Quinta, ut libera maneat facultas Cenſuario alienandi rem cenſui ſubjectem; neque venditor compellatur ſolvere Emptori cenſûs laudemium, ſeu quinquageſimam, vel trigeſimam partem pretij illius rei alienatæ.

23 Sexta, ut Dominus rei cenſualis ſi velit eem vendere, priùs teneatur ſignificare Domino cenſûs pretium, & conditiones, quibus res vendi poteſt.

24 Septima, ut non fiat pactum quo venditor cenſus, ſi in mora fuerit ſolvendi penſionem obligetur ad aliquam pœnam; tametſi jure naturali teneatur compenſare damna, quæ ex dilatione ſolutionis emptori, ſeu Domino cenſûs obvenerint: ſed id non poteſt priùs in pactum deduci ob ſuſpicionem vſuræ, tametſi compenſatio poſſit poſtea tanquam debita exigi.

27 Octava eſt, ne cenſus jam conſtitutus augeatur, nec novus fundetur ſuper eadem re ex penſionibus nondum ſolutis, vel impoſterum ſolvendis; ſecus ex penſionibus jam ſolutis poteſt cenſus augeri; ſicut ex additione novæ pecuniæ numeratæ, ut notat Navarrus *in com. de vſur. n. 49.*

28 Nona, ne Emptor, & Venditor paciſcantur, ut ſolutio onerum pertineat ad venditorem ſi ex natura contractus ad ipſum talis ſolutio non pertinebat,

29 Dscima, ut ſi res cenſualis, vel in totum vel ex parte pereat, vel infructuoſa reddatur: cenſus quoque ex toto, vel ex parte pereat.

30 Vndecima ut cenſus ſemper eodem pretio, quo ab initio fuit emptus, poſſit à venditore redimi, nec fiant ulla pacta, vi quorum directè, aut indirectè talis facultas adimatur.

31 Duodecima, ut ſi venditor velit cenſum redimere, ante bimeſtre teatur emptarem præmonere; & poſt denuntiationem intra annum poſſit compelli cenſuarius ad redimendum.

32 Decimatertia, ut emptor non poſſit ab invito venditore pretium repetere, ſeu illum compellere ad redimendum cenſum: quo fit, ut omnes cenſus ſint perpetui, ac irredimibiles ex parte ementis; licèt ex parte vendentis ſemper poſſit cenſus redimi, niſi cenſus fuerit emptus uc irredimibilis. & quidem juſto pretio.

33 Decimaquarta, & ultima conditio eſt, ut pretium cenſus ſemel conſtitutum non poſſit augeri ob quodcunque accidens in gravamen vendentis, adeò uc hic ſemper poſſit eodem pretio, quo cenſum emit, illum redimere.

34 Quòd cenſus realis ſive perpetuus, ſive temporalis, ſive redimibilis, ſive irredimibilis juſtus, & licitus ſit, ſi præfatæ adſint conditiones, quæ habentur in Bulla Pij V. ex eo liquet, quia ſicut poteſt quis licitè emere totum prædium, totúmque jus percipiendi ex eo omnes fructus, ite nil vetat, quin poſſit quis emere jus percipiendi ſolam partem fructuum ex prædio alieno: ſi enim datur poteſtas emendi totum, à fortiori etiam detur poteſtas emendi partem totius, cùm hæc in toto includetur: atqui id contingit in contractu reali cenſuali fructuario; ſiquidem in hoc habetur vera emptio, & venditio, quia res, quæ venditur, & emitur, eſt jus percipiendi fructus, vel partem eorum; & obligetio præſtandi annuum cenſum ex teli prædio: unde in hoc contractu res, quæ venditur, & emitur eſt jus percipiendi tales fructus ex teli prædio certo, & frugifero: pretium, quo tale jus emitur eſt illa certa quantitas pecuniæ, quam ex conventione vendentis emptor eidem ſolvit pro eodem jure, adeò ut contractus iſte cenſualis realis ſit verus contractus emptionis, & venditionis, qui ex natura ſua eſt licitus: perinde ac vendi, & emi poſſunt res omnes pretio æſtimabiles, ita etiam hoc jus percipiendi tantam quantitatem fructuum quot annis ex tali prædio frugifero cum ſit pretio æſtimabile.

Præterea in *Extravagantibus Martini V. & Calixti III.* approbantur cenſus pecuniarij, proinde etiam fructuarij, quia emptio cenſus fructuarij in prædio aliquo frugifero pro juſto pretio eſt licita, & juſta. Immo id procedit licèt emptio, & venditio ſit cenſus realis perpetuus, & irredimibilis, quia ſicut emptio irredimibilis, totius alicujus prædij eſt licita, dummodo fiat juſto pretio, ſiquidem Dominus prædij ob plenum, quod habet in illud dominium, poteſt illud vendere; & totum illud dominium, quod habet in illud tam directum, quàm utile transferre in perpetuum in alium, ſive per modum donationis, ſive per modum venditionis; id enim eſt de ratione pleni dominij uti re, prout Domino magis placuerit: ergo ſi poteſt totum jus, & dominium directum, & utile alienare, donare, vel vendere, poteſt etiam partem ejusdem juris, ſeu dominij directi, & utilis vendere; etenim quod juris eſt de toto quoad totum, eſt etiam de parte quoad partem *l. quæ de toto 76. ff. de rei vindic.* atqui cenſus realis eſt pars quædam uſusfructus, ſeu jus percipiendi partem fructuum: ergo ſicut Dominus prædij poteſt in perpetuum vendere totum prædium, & totum jus, quod habet ad illud cum hac conditione, uc non poſſic poſtea adigere emptorem ad retrovendendum; ita poteſt vendere pertem juris, ſeu jus percipiendi tantam duntaxat, vel tantam partem fructuum ea conditione, ut emptor non poſſit adigi ad illud retrovendendum. Tum quia licèt ex eo, quod cenſus non poſſit ampliùs redimi à venditore, ſit eidem gravamini; poteſt tamen hoc onus compenſari per augmentum pretij in contractu venditionis, & emptionis, adeò ut emptor non ſolùm det pretium juſtum pro jure percipiendi tantam fructuum quantitatem 34

tatem annuatim; verùm etiam addat quid aliud pro illo gravamine, quo venditor non poteſt ampliùs jus illud partiale redimere.

35 Hinc emptio, & venditio cenſus realis, & temporalis ſive ad tempus certum, ſive incertum ad vitam ementis eſt etiam juſta, & licita: quia pro tali emptione, & venditiono datur etiam juſtum pretium, perinde ac in quolibet alio contractn juſto, quo res pretio æſtimabilis juſto pretio venditur, & emitur.

36 Neque obſtat, quòd pretium, quo emitur talis cenſus ſit minoris valoris, quàm omnes penſiones percipiendæ ſimul ſumptæ; quia quod emitur, non ſunt ipſæ penſiones, ſeu annui reditus, nec collectivè ſumpti, ſed eſt jus exigendi penſiones illas, qnod in hominum æſtimatione, & judicio longè minoris eſt valoris; proinde ſi ſolvatur pretium juxta menſuram valoris, quo æſtimatur tale jus, contractus cenſualis realis temporalis, ſive ad tempus certum, ſive incertum ſemper eſt juſtus, & licitus; quia tametſi tempus ſit incertum, ut quando venditur cenſus ad tempns vitæ; conſiderantur tunc omnes circumſtantiæ perſonæ ementis, & juxta prudentum judicium æſtimatur jus nd exigendas penſiones toto vitæ tempore, & juxta talem æſtimationem ſolvitur pretium; proinde talis contractus venditionis, & emptionis eſt licitus. Perſona enim quo citiùs, vel tardiùs creditur moritura pluris, vel minoris ejns vita æſtimatur, & pretium juris, quod venditur augetur, vel minuitur. Cæterum per ſe niſi quid aliud ex accidenti contingat, vita cujusque hominis æſtimari ſolet ac ſi crederetur vivere nd ſeptem, vel decem, vel ut plurimum ad quindecim annos; ex quo conijcitur valor ipſius juris, quando cenſus realis eſt ad certum tempus, ſeu ad dies vitæ.

37 Eſt etiam licita non ſolùm emptio, & venditin cenſus realis redimibilis ex parte Venditoris; ſed etiam ex parte Emptoris, adeò ut contractns cenſualis realis utrinque redimibilis adjecto etiam pacto àſſecurationis in perpetuum poſſit probabiliter tolerari; ſcilicet ut ſi res cenſui obnoxia caſu fortuito pereat, id non emptoris, ſed venditoris damno contingat & qni nihilominus obligatus ſit cenſum redimere, vel ſuper alia re frugifera eum conſtituere; dummodo hoc onus venditori impoſitum prudentis viri arbitrio ipſi debitè compenſetur per incrementum pretij cenſus, vel per diminutionem ipſius penſionis quot annis ſolvendæ.

38 Ratio primæ partis, eſt, quia in alijs emptionibus agrorum, in quibus emitnr totum rei dominium, poteſt pactum apponi ad arbitrium utriusque; ut docent plures, proinde etiam in emptione cenſns, quâ emitur jus percipiendi partem fructuum. Tum quia poteſt venditor cenſum vendere cum pacto redimendi pro ut ipſi magis placuerit: ergo etiam Emptor poterit cenſum emere cum pacto eum revendendi, ſeu reſtitoendi venditori ea conditione, ut hic teneatur idem pretium, quod acceperat, reſtituere: quia hoc onus, quod imponitur venditori, ut teneatur cenſum redimere, prout magis placuerit emptori, poteſt compenſari in pretio; ut etiam onus quod imponitur Emptori revendendi cenſum ad libitum venditoris, quia tunc poteſt venditor minus pretij exigere, & compenſare onus, quod imponit Emptori.

Hinc ratio ſecundæ partis etiam liquet, 39
quia utrinque poteſt onus, compenſari per augmentum, vel diminutionem pretij. Tum quia pactum aſſecurationis poteſt addi alijs contractibus ut commodato, depoſito, & mutuo, dummodo periculum rei pertineat ad commodatarium, Depoſitarium, ut probabiliter docent plures cum Leſſio de *juſtit. & jur. lib. 2. c. 22. dub. 11. n. 66.* ubi docet, tale pactum non eſſe iniquum, ſi juſto pretio compenſetur, & addit, juſtum pretium eſſe, quanti illa obligatio conditionalis judicio probi viri conſiderato periculo eventûs æſtimabitur.

An verò etiam licitus ſit cenſus perſona- 40
lis perpetuus tam irredimibilis, quàm redimibilis ex parte ſolins venditoris; videtur eſſe major difficultas. Cenſns perſonalis eſt qno obligatur ipſa perſona ad ſolvendam quot annis penſionem, ex pecuniis, quas propria induſtria, & labore, vel arte acquirit. Ratio, quæ difficultatem movet, eſt, quia in conſtitutione Pij V. cui initium eſt: *cum onus Apoſtolica.* Prima conditio eſt, ut cenſus conſtituatur in re immobili, vel quæ habeatur pro immobili. Rurſus hæc eadem conditio etiam continetur in conſtitutionibus Martini V. & Callixti III. *tit. de empt. & vendit inter Extravagantes communes*, in quibus Pontifices expreſſè injungunt, ut venditor cenſus pretium certum aſſignet, vel domum, vel poſſeſſionem, vel alia certa bona ſtabilia, in quibus fundetur cenſns.

Quæſtio igitnr procedit, an jure naturali, 41
& divino, emptio, & venditio cenſos perſonalis prohibeatur, ut ſi Titios contrahat cum Caio; ego me tibi obligo ad ſolvendum quot annis octo ex pecunia, quam meâ induſtriâ, labore, & arte ero lucraturns, eò quia tu dediſti mihi centnm florenos. Certum eſt, hunc contractum cenſualem perſonalem jure canonico eſſe prohibitum, eò quia Pius V. in ſua conſtitutione expreſsè prohibeat, ne cenſus conſtituntur aliter, quàm in re immobili, aut quæ pro immobili hnbeatur; adeo ut cenſus aliter inſtitutos, ut fœneratitios, iniquos, & vſurarios reprobet, & condemnet; unde difficultas procedit; an jure naturali, & divino emptio, & cenſus perſonalis prohibeatur. Plures cenſent, jure naturali & divino talem emptiooem cenſns perſonalis permitti, dummodo perſonæ opera ſit commoda, utilis, ne pecuniâ æſtimabilis, ut docent Covarruvias *lib. 3. variar. reſolut. c. 7 n. 5.* Sotus *lib. 6. de juſt. q. 5. art. 1. poſt. concluſ. 3.* Nituntur eò quia cenſns poſſit conſtitui in perſona ſervi, cujus

induſtria ars, & opera cùm ſit commoda, & utilis, poteſt locari, ac proinde vendi. Tum quia Innocentius, Abbas, & alij Canoniſtæ docuerunt in perſonam ſervi poſſe cenſum annuum conſtitui, & tantùm videntur id negare in perſona libera, eò quia jura ſcripta civilia, & canonica id prohibeant, nolintque perſonam liberam poſſe vendi. Cæterum jure naturali, & divino non prohibetur, ne liber homo vendi poſſit: poteſt enim quis ſe ipſum vendere ad triremes per quinquennium, vel etiam decennium ut experimento liquet; & ego in triremibus Pontificiis vidi hominem natione ſiculum, qui bis ſe in iisdem vendiderat. Tum quia poteſt quisque ſuam operam alteri locare. Tum quia in *c. paſtoralis*, & *c. ad Apoſtolicæ de decimis* liquet, olim Eccleſiam percepiſſe decimas perſonales, quas quisque tenebatur ſolvere ex decimis, & fructibus lucrisque ſuæ induſtriæ, operæ, & laboris: proinde ſi opera hominis poteſt vendi, & locari, eò quia ſit pretio æſtimabilis, poteſt jure naturali, & divino inſtitui ſuper perſona libera cenſus perſonalis ſolvendus ex illa pecunia, quam perſona propriâ induſtriâ, arte, & labore lucratur. Tum quia poteſt aliquis ſe tributarium, & vectigalem alteri conſtituere; adeò ut teneatur ex pecunia proprio labore parta certam quantitatem ſingulis annis dare ſuo Domino: proinde etiam emptori cenſûs, à quo accepit centum aureos pro pretio censûs.

41 Quòd ſi dicas *in c. 8. pignor.* haberi, perſonam liberam pignori non poſſe dari. Reſpondetur id eſſe verum, ſed non eſſe ad rem, quia id tantùm prohibetur jure canonico ſcripto, & Pontificio; non verò probatur eſſe prohibitum jure naturali, & divino, ne liber homo pro debito pecuniario locò pignoris detur creditori. Etiam nos dicimus, cenſum perſonalem tam redimibilem, quàm irredimibilem eſſe prohibitum jure canonico; ſed difficultas procedit de jure naturali, & divino.

42 Si objicias textum in *l. 1. C. de pericul. commun. rei vendita* ubi ſtatuitur pertinere ad Emptorem, periculum, & commodum rei venditæ. Reſpondetur, cenſum perſonalem extingui cum obitu perſonæ, in qua eſt conſtitutus: ſiquidem pereunte re ſubjecta cenſui, perit quoque cenſus, eſt enim contra naturam emptionis, ut res empta venditori pereat, non emptori: hinc emptio cenſûs perſonalis repugnaret juri naturæ, & divino, ſi emptor peteret, ut obeunte perſona, in qua eſt cenſus conſtitutus ſibi adhuc quot annis ſolveretur annua penſio, vel ſibi reſtitueretur pretium, quod dedit.

43 An etiam poſſit cenſus conſtitui in re mobili, ut in vino, oleo, frumento. Reſpondetur, jure canonico ſcripto, & Pontificio id eſſe itidem prohibitum; ut liquet in conſtitutionibus Martini V. Callixti III. & Pij V. unde quæſtio etiam procedit de jure naturali, & divino. Covarruvias *lib. 3. variar. reſol. c. 7. n. 5.* cum alijs cenſet, cenſum conſtitutum in re mobili, vino, oleo, frumento, animalibus, non repugnare rei naturæ, nec proinde eſſe contra jus naturæ, & divinum, ut conſtituantur cenſus in rebus mobilibus, vel ſe moventibus, & quibus utimur ſalvâ earum ſubſtantiâ, eò quia ſint res pecuniâ æſtimabiles, quæ vendi, commodari, locari, ac permutari poſſunt.

44 Verùm communior, ac vera ſententia eſt, non poſſe cenſum conſtitui in rebus mobilibus, ut ſunt vinum, oleum, triticum & alia id genus, quæ primo ſtatim uſu abſumuntur, quia in ipſis dominium non ſeparatur ab vſu, nec poteſt in ijsdem uſusfructus conſtitui, ut habetur in *inſtit. de uſufruct. §. conſtituitur.* Ratio itidem ſolet aſſignari, quia prædictorum mobilium pretia ſingulis annis variantur, unde cum non poſſit certò ſtatui pro ipſis pretium, ita nequit certa annua penſio in ijsdem rebus inſtitui. Tum quia cum præfatæ res mobiles primo vſu conſumantur; vinum enim conſumitur, ſi illo utamur ad potum, ut etiam panis, ſi eo utamur ad eſum; conſequenter cùm non ſint fructuoſæ, nec ſervata earundem ſubſtantia, non poteſt cenſus in ijsdem fundari. In rebus verò ſe moventibus, cujusmodi ſunt animalia; & in alijs rebus mobilibus, quæ utiles ſunt, nec pereunt, quando primò illis utimur, poſſe ex natura rei inſtitui cenſum, docent Gabriel *in 4. diſt. 15. q. 12. art. 2.* Covarruvias *lib. 3. variar. reſol. c. 3.* Conradus *de contractib. q. 72. in ſuppoſ. 4. conclus. 1.* & alij.

45 Cæterum etiam in contractibus venditionis, & emptionis aliarum rerum, in quibus cenſus non conſtituitur, committi poteſt vſura. Si enim quis pluris rem ſuam vendat, quàm revera valeat, eò quia ſolutio pretij differatur, eſt uſura ſpectata rei natura, niſi venditor dubitet, an tempore ſolutionis pretium rei ſit incrementum, vel decrementum ſubiturum; unde vendere rem pluris, quàm valeat in foro conſcientiæ eſt vſura. Ratio eſt, quia tametſi talis venditio non ſit formalis contractus vſurarius, cùm non ſit contractus mutui: implicitè tamen virtualiter, & interpretativè eſt contractus mutui redolens vſuram; ſi ex eo, quòd emptor differat ſolutionem pretij, venditor illud augeat: ſiquidem in effectu perinde res ſe habet, ac ſi pretium ab Emptore eſſet ſolutum; proinde venditor ſupra juſtum pretium non poteſt quidquam exigere, quia pecunia illa, quæ debetur venditori pro pretio rei venditæ, conceditur à venditore mutuò emptori; adeò ut vendere rem ſuam, & aſſentiri, ut emptor differat ſolutionem pretij perinde ſit; ac venditorem mutuò concedere, ac dare emptori totam illam quantitatem pecuniæ ſibi debitæ locò pretij; & ſicut pro mutuo non poteſt quidquam exigi ultra ſortem; ita neque poteſt venditor quidquam exigere ab emptore ultra juſtum pretium ex eo, quòd emptor differat ſolutionem pretij.

Ve-

46 Verùm in foro externo, & contentioſè ſi venditor ob dilatam ſolutionem pretij vendat rem pluris, quàm valeat, non poteſt converiti tanquam vſurarius; id enim colligitur *ex c. in civitate 6. h. t.* ubi Alexander III. cum Genuæ cives piper, ſeu cinnamomum, ſeu alias merces compararent, quæ eum ultra quinque libras non valerent, & promitterent mercatoribus ſe illis ſtatuto termino lex libras ſoluturos reſcribit Pontifex, quòd licèt talis contractus ex tali forma non poſſit cenſeri vſurarius, incurrunt nihilominus venditores peccatum, niſi dubium ſit, an non merces illæ tempore ſolutionis, ſint pluris valituræ, & ſubjungit; cives ſaluti ſuæ benè conſulturos, ſi à tali contractu ceſſent, ex quo textu deducitur; quòd qui vendit merces, quæ tempore venditionis non valent niſi quinque; ſed quia vendit ad tempus ſpectata pecunia vendit ſex; quamvis in foro exteriori forma contractus non judicetur vſuraria, eò quia non excedat dimidium juſti pretij; nihilominus venditor peccat contra juſtitiam, niſi dubium ſit, quòd marces tempore ſolutionis ſint valituræ ſex plus, minùsve: hinc quamvis in jure civili permiſſum ſit contrahentibus ſe decipere infra dimidium pretij *l. cum dilecti de empt. & vendit.* non tamen id procedit in lege divina, quamvis dubium excuſet à peccato vſuræ; vendere enim rem cariùs ob dilatam ſolutionem pretij, ſi venditor probabiliter dubitet, quod tempore ſolutionis ſit res pluris, vel minoris valitura, excuſatur à peccato vſuræ: & ratio eſt, quia tunc commodum, & incommodum æqualiter reſpicit venditorem, ac emptorem, & dubius eventus incrementi, vel decrementi pretij, poteſt utrique emolumento eſſe, vel damno: hæcque ratio eſt, cur talis venditio in foro conſcientiæ licita ſit.

47 Verùm ultra dubium requiritur etiam ut venditor, non eſſet aliàs tempore contractus venditurus ſuas merces, ſed eas ſervaturus uſque ad tempus ſolutionis, ut deſumitur *ex c. navigantibus h. t. in fin.* Ubi Gregorius IX. reſcribit, eum qui pannum, granum, vinum, vel alias merces vendit, ut certo tempore plus accipiat, quàm tempore contractus valeant; ſi eas tempore contractus non erat venditurus, & dubitatur an tempore ſolutionis ſint pluris, vel minoris valituræ non eſſe vſurarium propter tale dubium, quod excuſat à peccato vſuræ. Verùm hujuſmodi venditiones non carent periculis, ideo Pontifex in *d. c. in civitate* conſulvit abſtinendum eſſe ab ijſdem venditionibus. Cæterum ſicut venditor, qui cariùs res vendit ob dilatam ſolutionem pretij non excuſatur ab vſura in foro conſcientiæ; ita emptor, qui rem minoris emit, quàm nunc valeat, eò quia hic, & nunc emat à venditore numerata pecunia eſt vſurarius ob eandem rationem, ob quam venditor cariùs vendit, eò quia differatur ſolutio.

§. VIII.

De obligatione reſtituendi uſuras.

QUemadmodum quilibet rei alienæ iniquus poſſeſſor tenetur ad reſtitutionem, nec abſolvitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum *c. ſi quis vſuram 14. q. 4.* perinde lucrum per vſuram acquiſitum eſt inſtar rei furto ablatæ, adeóque vſurarij in utroquo foro interno, & externo adigendi ſunt ad reſtitutionem: & quidem in foro externo non aliter eſt condemnandus ad reſtitutionem, & ſubeundas pœnas vſurariorum, quàm ſi fuerit vſurarius manifeſtus, ſeu per rei evidentiam, confeſſionem judicialem, & aliàs legitimas probationes convictus fuerit: Eccleſia enim, & alij externi judices non judicant de occultis, ne innocentes pro nocentibus puniantur *c. cum tu 5. h. t. l. ult. C. de probat.* ſecus in foro interno non eſt neceſſaria probatio, quia ſufficienter ſua quemque conſcientia arguit. 1

Quamobrem non ſolùm realis vſura, & quæ aperto contractu vſurario commiſſa eſt, ſed etiam mentalis in foro conſcientiæ obligat ad reſtitutionem, ut communiter docent Canoniſtæ *in c. conſulvit. h. t.* Vſura mentalis tunc committitur, quandò quis exteriùs dat mutuum, & lucrum accipit ultra ſortem cum animo, ſeu intentione interna accipiendi lucrum ultra ſortem, ſeu mutuum datum, & dicitur vſura mentalis, quia hæc voluntas, ſeu interna intentio accipiendi tale lucrum ultra ſortem non manifeſtatur exteriùs, ſed tantùm retinetur interius in mente illius, qui dat mutuò pecunias cum tali voluntate. Non tamen eſt illicitum, nec vſurarium ſperare ex mutuò lucrum aliquod, vel commodum, quod ei accreſcat ex ſola benevolentia, gratitudine, ac liberalitate mutuatarij, tametſi tale lucrum intendatur, ut principalis finis, ob quem datur mutuum; adeò ut mutuator ſi tale commodum, ſeu lucrum non ſperaret à mutuatario ex gratitudine & benevolentia, minimè illi daret mutuò ſuas pecunias, ut docet Molina *tract. 2. diſp. 305. n. 3.* 2

Ratio eſt, quia iniquitas uſuræ non conſiſtit in eo, quod accipiatur aliquid ultra ſortem ex liberalitate Mutuatarii, quia nemo poteſt compellere eum, qui beneficium recipit, ut non ſe oſtendat gratum ei, à quo beneficium accepit, neque poteſt prohiberi illi, qui beneficium contulit, ne accipiat, quod illi datur ex liberalitate, vel gratitudine: unde iniquum non eſt, nec uſurarium accipere ultra ſortem mutui, quod ita datur: quinimò ex morali quadam honeſtate, qui beneficium accepit, tenetur ſe gratum præbare ei, à quo beneficium recepit: quamobrem cum talis ſpes, & intentio accipiendi aliquod lucrum, aut commodum ex mutuo habeat pro objecto, quod eſt debitum ex honeſtate, ex 3

men in foro conſcientiæ teneri ad totam reſtitutionem, tametſi debeat mendicatò vivere. Alij cenſent, nec in foro conſcientiæ poſſe uſuras ab uſurario integrè repeti, niſi deducto neceſſario pro victu, & veſtitu; adeò ut non egeat, ſi bonis omnibus cedat, eò quia tale beneficium ceſſionis bonorum conceſſum ſit lege civili fundata non in præſumptione, ſed in veritate, proinde ejus diſpoſitio ſervari etiam debet in foro conſcientiæ.

16 Verùm ex his ſententiis prima videtur mitior, quia nimis durum foret, & contra charitatem proximi ob debitum privare uſurarium neceſſarijs alimentis; unde ſufficit, ſi teneatur reſtituere, & poſſit conveniri cùm primum ad pinguiorem fortunam devenerit.

17 Cæterum uſurarios non ſolùm tenetur reſtituere quidquid per uſuram accepit, ſed etiam omnes fructus perceptos à re fructifera; immo etiam ipſos, quos uſurarius ex negligentia, vel culpa ſua deſiit percipere; quia per hanc negligentiam eum læſit, à quo rem fructiferam per uſuram accepit; & ſibi imputare debet, ſi neglexerit, tales fructus percipere, quos potuiſſet percepiſſe; & Dominus rei percepiſſet. Immo tenetur etiam reſtituere fructus, quos ipſe percepit, & quos fortaſſis Dominus rei non fuiſſet perceptutus: quia eo ipſo, quòd ſunt fructus rei, debentur Domino rei, ſicut enim res illa non pertinet ad uſurarium, ſed ad Mutuatarium; ita etiam fructus ejusdem rei, qui cùm ſint acceſſorij, ſequuntur ſuum principale. Non tamen tenetur reſtituere fructus, quos neglexit percipere, ſi Dominus rei etiam ob ſuam negligentiam, vel ex alia cauſa non percepiſſet, quia non tenetur ratione rei alienæ: cùm nihil perceperit; nec quidquam apud ipſum extet: neque tenetur ratione injuſtæ acceptionis: quia nullos defacto fructus percepit; neque ut ſupponitur Dominus rei ſuiſſet eos percepturus.

18 Quòd ſi uſurarius aliquos percepiſſet fructus, quos fortaſſis Dominus rei neglexiſſet percipere; adhuc tenetur eos reſtituere, ut etiam omne damnum emergens, ſi mutuatarius rem ſuam viliùs vendiderit, vel ſi debuerit aliam domum conducere. Quòd ſi uſurarij deceſſerint; obligatio reſtituendi tranſit ad eorum hæredes, ſive clerici ſint, ſive laici, adeò ut ſi uſurarij in vita non reſtituerint uſuras, teneantur eorum hæredes, ſive filij ſint, ſive extranei, eas reſtituere Mutuatarijs, vel eorum hæredibus; ut deſumitur ex *c. tua nos p. h. t.* ubi conſultus Pontifex, quid ſit de uſurariorum filiis obſervandū, aut de extraneis, ad quos bona uſurariorum devolvuntur, reſcribit Alexander III. filios cogendos eſſe ad reſtituendas uſuras eâ diſtrictione, quâ parentes, ſi viverent, cogendi eſſent; & addit, id ipſum etiam eſſe exercendum contra hæredes extraneos: ex quo textu liquet, filios, & extraneos hæredes uſurariorum eſſe iisdem pœnis cogendos ad reſtituendas uſuras, quibus cogerentur defuncti uſurarij, ſi viverent: ſiquidem hæredes defuncti uſurarii ſuccedunt in omnibus juribus, & obligationibus defunctorum; adeò ut contrahant obligationem ad compenſandum pro quolibet debito defuncti, & damno ab eodem alteri injuſtè illato in rebus temporalibus, ut habetur *in c. ult. de ſepult.* quia actiones defuncti ſicut ſi ſint activæ tranſeunt ad hæredes: ita etiam ſi ſint paſſivæ; hoc eſt, ſicut hæredes poſſunt agere ad compenſationem damni, quod defunctus in ſuis bonis injuſtè paſſus eſt ab aliis; ità viciſſim poſſunt hæredes conveniri ob damnum, quod ipſe defunctus aliis intulit. Juvat tamen obſervare, quòd non poſſint hæredes conveniri actione merè pœnali, quam incurrerat defunctus ob delictum ab ipſo patratum, quia actiones pœnales non tranſeunt ad hæredes, & pœna eſt perſonalis, quæ afficit ſolam perſonam delinquentis, & expirat cum morte defuncti, ut notat Covarruvias *lib. 3. reſol. 3. n. 7.*

An verò quando plures ſunt hæredes uſurarij teneantur ſinguli reſtituere in ſolidum, 19 Reſpondetur, ſingulos hæredes non teneri uſuras in ſolidum ſolvere, nec unum pro altero, tametſi ſolvere non poſſit, vel nolit; ſed ſinguli tantùm tenentur ſolvere juxta proprias portiones, quas acceperunt ex hæreditate: adeò ut ſi ſint quatuor hæredes ex partibus æqualibus, in quas diviſa fuit tota hæreditas; ſi defunctus ex uſura tenebatur centum reſtituere, ſinguli hæredes non teneantur niſi ad viginti quinque, quia ſi ſinguli ſolvant, completur numerus centenarius; & ſatisfit Mutuatario: ſin verò unus, vel alter nolit, vel non poſſit illa viginti quinque ſolvere, reliqui, qui ſolvunt, non tenentur ad plus, quàm ad illa viginti quinque, quia ſicut bona defuncti dividuntur inter hæredes pro rata, ſeu portione hæreditatis, ita etiam ejus obligationes perſonales, & debita dividi debent; quia tam commoda, quàm incommoda æqualiter inter hæredes debent dividi; qui enim ſentit commodum, æquum eſt, ut etiam ſiat particeps incommodi.

Tum quia licèt ſinguli hæredes ſeorſim repræſentent defunctum non tamen ſinguli adæquatè repræſentant. Excipitur tamen, niſi 20 res aliqua per vſuram acquiſita adhuc in ſpecie extaret apud Vſurarium; quia tunc res illa, quia aliena, eſſet integrè reſtituenda, tametſi uni tantùm ex hæredibus obtigiſſet; & huic compenſandum eſſet ex bonis aliorum hæredum, quia tenentur omnes concurrere ad ſatisfaciendum pro defuncto: reſtituitur enim tunc res illa, quæ in ſpecie extat, nomine defuncti; proinde ad talem ſolutionem tenentur omnes hæredes proportionaliter concurrere. Excipitur etiam, ſi poſt diviſionem hæreditatis, & priusquam cuilibet hæredum ſua aſſignaretur portio ex eorundem culpa contigerit, quo minus vſuræ ſolverentur.

tunc ſingulis hæredes in defectum cohæredum tenentur in ſolidum ſolvere: ratio eſt, quia tunc ex proprio delicto ad id tenentur.

21 Sin verò ſolutis legatis, & deducta legitima, vel quarta falcidiæ hæredibus debita; adhuc ex hæreditate ſuperſint bona ad ſolvendas vſuras, & alia debita defuncti: tunc Legatarij non tenentur vſuras ſolvere in defectum hæredum, quamvis poſtea hi efficiantur impotentos ex quacunque cauſa ad ſolvendum: ratio eſt, qoia debita perſonalia defuncti tantùm tranſeunt ad eos, qui repræſentant perſonam defuncti, cujuſmodi ſunt hæredes ſuccedentes in jura, & obligationes defuncti; Legatarij autem, & Donatarij mortis cauſâ, non repræſentant perſonam defuncti, proinde onera perſonalia ad ipſos non tranſeunt. Aliud tamen eſſet, ſi bona, quæ ſuperſunt ex ſolutis legatis, & ex deductâ legitimâ, ſeu quartâ falicidiæ non ſufficiant ad vſuras ſolvendas, quia tunc debet tantum ex legatis detrahi, ut etiam ex donationibus, & alijs ſervatâ proportione, quantum ſufficit ad ſolvendas vſuras: ratin eſt, quia ante omnia legata, & donationes, debent deduci debita, & illis ſolutis etiam quarta falcidiæ; & quod ſupereſt dandum eſt legatarijs.

22 Tenentur etiam Judæi vſutas reſtituere, & ad id compelli poſſunt à Principibus Chriſtianis, quia ſunt iniqui poſſeſſores rei alienæ; vel reſtitutioni obnoxiæ: neque enim Judæi melioris debent conditionis eſſe, quàm Chriſtiani *l. ſervius 4. ff. quod vi, aut clam* & deſumitur *ex c. poſt miſerabilem 12. h. t.* ubi Innocentius III. præcipit, Judæos ad remittendas Chriſtianis vſuras compelli per Principes, & poteſtates ſæculares, donec eis remiſerint, & a fidelibus tam in mercimonijs, quàm in alijs per excommunicationis ſententiam communionem omnimodam denegari: ex quo textu colligitur, Judæos poſſe coërceri ab Eccleſia non quidem directè, eum non ſint membra Eccleſiæ; ſed indirectè, quatenus poteſt præcipere Principibus Chriſtianis, ut compellant Judæos remittere vſuras Chriſtianis, & Chriſti fidelibus ſub pœna excommunicationis, ut abſtineant à commercijs, & omnimodâ communicatione cum Judæis, donec remiſerint extortas vſuras: ex quo itidem deducitur, crimen vſurarum eſſe mixti ſori cum ab Eccleſia jubeantur Vſurarij Judæi coërceri per Principes, & poteſtates ſæculares.

23 Cum vſuræ crimen ſapiant furti, & rapinæ *c. ſi quis uſuram 14. q. 4.* pertinent perinde ac furtum ad tribunal ſæculare; quia verò habent admixtam ſpiritualitatem, pertinent etiam ad forum eccleſiaſticum. Neque obſtat, quòd Eccleſia vſuras prohibeat, quia licèt id verum ſit; nullibi tamen prohibet, ne Judices ſæculates de illis cognoſcant: & quamvis Vſurarij dicantur puniendi per Judicem eccleſiaſticum; in pluribus tamen juribus dicuntur etiam puniendi per Principes ſæculares, ut liquet *ex d. c. poſt miſerabilem 12. h. t.*

24 Immo licèt Judæi non poſſint ab Eccleſia directè excommunicari, eò quia non ſint membra ipſius, nec ejus ſubijciantur juriſdictioni, poteſt tamen Eccleſia etiam directè compellere Judæos ad vſuras reſtituendas, quatenus hoc crimen eſt etiam eccleſiaſticum, & Judæi peccant contra legem ſuam, & legem naturæ, ſi uſuras exetceant; adeò ut ratione delicti conveniri etiam poſſint coram Judice eccleſiaſtico. Hinc etiam Innocentius III. in Concilio Generali Lateranenſi, quod refertur *in c. quanto 18. h. t.* ſtatuit, ut ſi de cætero; quocunque prætextu Judæi à Chriſtianis graves & immoderatas vſuras extorſerint Chriſtianorum eis participium, ſeu communio ſubtrahatur, uſque ad competentem ſatisfactionem; & Chriſtiani per ſententiam excommunicationis quavis appellatione poſtpoſita compellantur ab eorum commercijs abſtinere.

Rurſus Principibus Chriſtianis præcipit, 25
ut propter hoc non ſint Chriſtianis infeſti, ſed potiùs à tanto gravamine cohibeant Judæos. Simulque decernit, ut compellantur ſatisfacere Eccleſijs pro decimis, & oblationibus, quas à Chriſtianis de domibus, & poſſeſſionibus percipiebant, antequam ad Judæos perveniſſent; neque ex eo, quòd per hunc textum Judæi dicantur compelli ad reſtituendas vſuras graves, & immoderatas inferri debet à ſenſu contrario poſſe ab ijsdem uſuras moderatas exigi: ſiquidem argumentum à ſenſu contrario ceſſat, quoties contrarium in jure ſtatuitur: & quia *c. poſt miſerabilem 12. h. t.* Urbanus III expreſsè præcipit, ut Judæi compellantur ad vſuras omnes reſtituendas, tametſi graves, & immoderatæ non fuerint; ideo illatio argumenti à contrario eſt etiam in jure prohibita, adeo ut omnes uſuræ etiam quæ non ſunt graves, nec immoderatæ, debeant reſtitui: ſiquidem quidquid ultra ſortem exigitur uſura eſt; proinde injuſtè exigitur hoc tantùm diſcrimine, quòd ſi immodicum ſit, quod ultra ſortem exigitur, uſura ſit etiam immodica; & ſi modicum ſit, quod accipitur ultra ſortem ſit etiam uſura modica, & parva, poſſitque eſſe ſolùm peccatum veniale, ſi non graviter lædat bona mutuatarij.

Non ſolùm Judæi, verùm etiam alij uſu- 26
rarij infideles eodem modo poſſunt adigi ad reſtituendas vſuras, immo etiam cooperantes ad uſuras exigendas, ſi ſe teneant ex parte uſurarij mutuantis, ſintque cauſa efficax, cur uſuræ exigantur, quæ aliàs non ſolverentur, & mutuum potiùs daretur gratis; quia ſic cooperantes peccant, & ſunt cauſa vſurarum, conſequenter tenentur & ipſi uſuras ſolvere, ſeu reſarcire damnum illatum mutuatatio ob exactas vſuras; ſi non primariò, & principaliter ſaltem ſecundariò, ſi uſurarius nolit ipſe uſuras reſtituere, vel non poſſit. Sin verò cooperatores ſe teneant ex parte mutuatarij petentis mutuum, non tenentur ad reſtitutionem, tametſi peccent; quia ex conſenſu, & voluntate ipſius mutuatarij cooperantur; proinde nil agunt contra juſtitiam; ſcienti enim, & volenti non ſit injuria.

27 Quamobrem tantùm cooperantes ad uſuram, & qui ſe tenent ex patte mutuantis tenentur ad reſtitutionem, ut ſi Titius conſulat, vel ſuadeat Caio inire contractum uſurarium, vel ut mutuet cum uſuris, tenetur Titius in ſolidum ad reſtitutionem ſaltem in caſu, quo non poſſit Cajus uſuras reſtituere, vel nolit; quia tunc conſilium eſt cauſa damni. Quòd ſi Cajus iniret ex ſe contractum uſurarium, vel mutuatet cum uſuris; & deinde conſuleret illi Titius, ut uſuras ſibi ex pacto promiſſas reciperet; tunc cenſent plures, non teneri Titium ad reſtituendas uſuras, eò quia ante ejus conſilium Cajus jam contraxerat iniquè, & damnum jam erat illatum: & licèt Titius potuerit impedire receptionem uſurarum, non tamen tenetur ex officio, ſed ſolùm ex lege charitatis.

28 Verùm putârim procedendum cùm diſtinctione ſi revera conſilium Titij tantùm ſit poſt abſolutum contractum uſurarium, adeò ut nihil præſtiterit ad uſuras acquirendas; tunc verum eſt, non oriri in ipſo obligationem reſtituendi: ſecus, ſi aliquid præſtitit ut uſuræ acquirerentur, tunc contrahit obligationem reſtituendi, ſaltem in caſu quo mutuator nolit eas reſtituere, quia per tale conſilium fuit cauſa, cur mutuatarius damnum pateretur in ſuis bonis.

29 Hinc etiam Judices, Domini temporales, & Principes, qui lege, vel ſtatuto, vel quovis alio modo decernunt ſolvi uſuras, & per præceptum, vel ſententiam adigunt ſubditos debitores ad ſolvendas promiſſas uſuras, ut etiam ſi prohibeant, vel impediant, ne uſuræ jam ſolutæ repetantur, & reſtituantur, tenentur & ipſi ad reſtitutionem in ſolidum, ſi Uſurarius non poſſit, vel nolit reſtituere; ut habetur in *clement. ex gravi unic. h. t.* ubi anathemate percutiuntur officiales communitatum, qui faciunt, ſcribunt, dictant, ſtatuta, ut uſuræ ſolvantur, vel ſolutæ non reſtituantur, cùm repetuntur; vel ſi ita judicant, & hæc cum præſumptione. Similiter ſi dicta ſtatuta intra tres menſes non deleant à libris communitatum, ſi poſſint; vel ſi prædicta ſtatuta, vel conſuetudines obſervare præſumpſerint excommunicantur. Fœneratores itidem, quando agitur de cauſa uſuraria coguntur per cenſuras eccleſiaſticas producere ſuos libros rationum.

30 Hoc tamen limitatur, ſi Domini temporales permittant uſuras exerceri impunè ad declinanda majora incommoda, & impedienda graviora mala; dummodo illis nullum auxilium præbeant, nec in peccato participent, quia tunc non cenſentur eſſe cauſa efficax uſurarum. Immo Lugo *de juſtit. diſp. 25. ſect. 11. n. 219.* Navarrus *lib. 5. conſil. 33. h. t. n. 3.* ait moris eſſe in ſtatu eccleſiaſtico, & etiam Romæ, ut Chriſtiani compellantur ſolvere uſuras Judæis promiſſas, & Judæos non adigi ad ſolvendas eas Chriſtianis; quia tametſi id ſit intrinſecè malum, & jure naturæ prohibitum, non tamen eſt intrinſecè malum, ſi ſubditi debitores cogantur illas ſolvere, non ut debitas, ſed ob alias juſtas, & publicas cauſas exigentes, congruere bono publico, ut tales uſuræ ſolvantur. Lugo etiam addit rationem, quia licèt mutuans peccet contra juſtitiam, ſi exigat uſuras, ut etiam eum adjuvantes invito mutuatario; non tamen peccat ipſe mutuatarius contra juſtitiam, nec contra charitatem, ſi juſtam cauſam habeat petendi mutuum, quod non poſſit aliter obtinere, niſi ſe obliget ad ſolvendas uſuras; quo fit, ut poſt acceptum mutuum, poſſit licitè promiſſas uſuras ſolvere: & præſertim ſi ſub juramento promiſit, ſe uſuras ſoluturum, tunc enim non ſolùm licitè poteſt illas ſolvere, ſed etiam ad id tenetur; niſi petat abſolutionem à juramento; quamvis mutuans non obſtante quòd mutuatarius juraverit ſe ſoluturum uſuras, non poſſit eas licitè exigire: tenetur tamen mutuatarius ſtare ſuo promiſſo jurato: ratio eſt, quia non eſt peccatum dare uſuras ſi quis mutuum neceſſitate adactus accepit, quamvis peccatum ſit uſuras accipere; & ideo ex parte mutuatarij jurantis, ſe ſoluturum uſuras, cum poſſit juramentum impleti abſque diſpendio ſalutis æternæ, tenetur illud ſervare *c. 2. de pact. in 6.*

Secus mutuans non obſtante juramento 31
mutuatarij non poteſt ſine peccato uſuras exigere; conſequenter tenetur, vel uſuras remittere antequam ſolvantur, & mutuatarium abſolvere à juramento: vel ſi eas jam exegit, tenetur eas reſtituere mutuatario, ne ex injuſtitia lucrum reportet, ut habetur *in c. tuas dudum 13. h. t.* ubi cùm quidam Vſurarij, eos, quibus mutuas dabant pecunias cogerent ad præſtandum juramentum de uſuris ſolvendis, & de ſolutis non repetendis. Reſcribit Vrbanus III, & mandat, Vſurarios monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compelli, ut ante Vſurarum ſolutionem ab earum exactione deſiſtant, vel ſolutas reſtituant, ne de dolo, & fraude commodum reportent. Dolus autem & fraus in hoc textu conſiſtunt in eo, quia hujuſmodi Vſurarij putarent, mutuatarios religione juramenti poſſe compelli ad uſuras ſolvendas. Unde Pontifex non obſtante juramento, quod exigunt Vſurarij ab iis, à quibus uſuras exigunt mandat reſtitui uſuras, ſi ſint ſolutæ, vel remitti, ſi nondum ſint ſolutæ.

Cæterum ſi mutuatarius iuraverit, ſe non 32
repetiturum ſolutas uſuras, adhuc poteſt petere abſolutionem juramenti *argu. c. ſi verò 8. de jurejur.* ſicut etiam petere à Judice coram quo convenitur, ut ex vi ſui officij cogat Vſurarium ſibi juramentum remittere, & etiam deſiſtere ab actione uſurarum nondum ſolutarum, ut deſumitur *ex d. c. tuas dudum 13. h. t.* Immo poteſt etiam, qui juravit, non repetere uſuras, id denunciare Eccleſiæ, ut liberetur à juramento; nullum enim juramentum poteſt obligare, quin poſſit quis denuntiare eccleſiæ criminoſum *c. quemadmodum 25. in fin.*

ſin. de jurejur. neque id adverſatur charitati, quin potiùs mutuatarius, qui juravit non repetiturum ſolutas uſuras, intendit potiùs impedire peccatum mutuatoris, quod eſt in favorem ejusdem, non in damnum. Cæterum Judex poteſt ex officio Vſurarium compellere ad juramentum relaxandum, & ad reſtituendas exactas uſuras.

33 Sin verò mutuatarius, qui juravit, ſe non repetiturum uſuras, intendat eas repetere, debet tunc priùs petere abſolutionem, ſeu relaxationem juramenti, ut notat Gloſſa *in d. c. tuas 13. V. deſiſtere h.t.* Quòd ſi non petat relaxationem juramenti, & Judex ex officio procedat, cogatque Vſurarium ad reſtituendas uſuras; tunc non eſt neceſſe, ut mutuatarius abſolvatur à juramento, quia ipſe nil tunc agit contra juramentum: quia ipſe tantùm juravit ſe non repetiturum uſuras; non verò, ſe non recepturum, ſi ei reſtituantur.

34 An verò is etiam teneatur uſuras reſtituere, qui ſuas pecunias depoſuit apud Vſurarium, quem novit eſſe Fœneratorem. Reſpondetur cum D. Thoma *2. 2. q. 78. art. 4.* non peccare, ſi aliàs Fœnerator proprias habeat pecunias, quas conſueverit mutuare, & ex illis uſuras exigere, quia tunc pecuniæ, quæ apud ipſum deponuntur, non dantur fœnori, ſed tantùm in depoſitum; & Fœnerator eas tantùm fideliter cuſtodit, nec dat alijs; ut ex ipſis uſuras exigat. Peccaret verò qui ſuas pecunias deponeret apud fœneratorem, ſi is nullas alias haberet pecunias, eò quia tunc daret illi anſam exigendi uſuras ex tali pecunia: non tamen hoc peccatum eſſet contra juſtitiam, ſed ſolùm contra charitatem; quia qui pecunias deponit, non tenetur ex officio impedire Fœneratorem, ne fœneretur, & uſuras exigat: neque obſtat quòd det illi occaſionem fœnerandi deponendo apud ipſũ ſuas pecunias; quia ipſe non deponit apud Fœneratorem pecunias ſuas, ut fœneretur, & uſuras ex illis exigat; immo ſi id ſciret non deponeret apud ipſum ſuas pecunias, quas intendit tantùm dare in depoſitum, nimirum ut eas fideliter cuſtodiat, & conſervet; non verò ut illis utatur ad exigendas uſuras: unde qui deponit apud Fœneratorem ſuas pecunias, utitur jure ſuo, quia habet jus deponendi ſuas pecunias apud alium.

Putârim tamen eſſe procedendum cum
35 diſtinctione, ſi deponens pecunias eas ob neceſſitatem aliquam, vel utilitatem deponat; tunc ad nihil tenetur, quia poteſt quiſque licitè uti jure ſuo: ſin verò abſque ulla neceſſitate, aut utilitate eas deponat apud Fœneratorem, quem novit eſſe talem, tunc vix excuſatur à peccato, ſaltem ob periculum, quòd fœnerator non mutuet ſtatim alteri pecunias, & ex ipſis uſuras exigat, non tamen peccat contra juſtitiam, quia non tenetur ex officio uſuras impedire, ſed tantùm ex lege charitatis. Quid verò dicendum ſit de Confeſſario, qui ſi audiat confeſſionem uſurarij, eum non monet, quòd teneatur uſuras reſtituere, an tunc ipſe confeſſarius teneatur ad reſtitutionem in ſolidum Sylveſter V. *reſtitutio 3. q. 7.* aſſerit, teneri Confeſſarium ad reſtitutionem in ſolidum ſi ex denegatione admonitionis ſequatur, ut non fiat reſtitutio. Sed melius reſpondent alij, quòd ſi Confeſſarius, ſive interrogatus, ſive non interrogatus verbis ſuis ſit in cauſa, ut reſtitutio non fiat, tunc teneatur ad reſtitutionem in ſolidum, eò quia ſe habeat, ut conſulens, vel inducens alium ad non reſtituendas uſuras: cùm enim ſit cauſa, cur non reſtituantur uſuræ, eſt etiam cauſa damni illati Mutuatario ob extortas uſuras à Mutuatore. Sin verò Confeſſarius ſolùm deſinat admonere pœnitentem de uſuris reſtituendis. Communior ſententia eſt, non teneri tunc Confeſſarium ad reſtitutionem in ſolidum, eò quia non teneatur ex officio conſulere bono tertij; ſed tantùm bono pœnitentis, & quidem ex ſola lege charitatis.

An verò Notarij ſcribentes inſtrumentum, 36
in quo continentur uſuræ, teneantur reſtituere? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi inſtrumentum contineat uſuram, quæ in ipſo non exprimitur, eò quia in inſtrumento dicatur, Petrum debere centum Paulo, cùm tamen tantùm debeat 95. vel Paulum mutuâſſe Petro centum, cùm tamen ſolùm mutuaverit 95. tunc Notarij obligantur ad reſtitutionem, quia ex vi confecti inſtrumenti exigitur poſtea, & ſolvitur uſura, quòd ſi inſtrumentum apertè contineat uſuram, quæ in illo exprimatur, tunc Notarij non obligantur ad reſtitutionem, quia vi hujusmodi inſtrumenti Mutuatarius non poteſt cogi in judicio ad reſtituendas uſuras, niſi loci conſuetudo, vel lex ſit in contrarium, ut docent Hoſtienſis *in ſumma tit. de uſur. §. in alijs autem caſibus. §. 17. n. 2. 15.* Geminianus *de uſur. conclus. 3. §. 2. n. 25.*

Quòd ſi notarius inſtrumentum quidem
faciat, non tamen in gratiam uſurarij mutuan- 37
tis, ſed in gratiam Mutuatarij petentis mutuas pecunias, tunc reſpondet Navarrus *c. 17. n. 276.* eum peccare quidem mortaliter, non tamen teneri ad reſtitutionem, eò quia ad petitionem mutuatarij, & in gratiam illius inſtrumentum confecit. Quòd verò peccet mortaliter, ex eo evincitur, quia eſt perjurus: ſiquidem Notarij cùm primùm creantur jurant ſe non facturos hujusmodi inſtrumenta continentia uſuras. Alij verò excuſant tunc Notarium à peccato mortali, ſi non juraverit ſe facturum hujusmodi inſtrumenta, & ſi poſt initum contractum uſurarium vocatus, & rogatus à mutuatario inſtrumentum in ejus gratiam conficiat; quia tunc Notarius tantùm teſtificatur id, quod jam eſt factum, non enim ipſe contractum conficit, ſed ſupponit jam factum, & tantùm ſcribit, & teſtificatur, quod alij fecerunt. Tum quia in Bulla Julij III. cui initium eſt *cùm ſicut accepimus* dicitur, quòd Notarij Chriſtiani poſſint inſtrumẽta conficere in omnibus contractibus celebratis inter Chri-

ſtianos, & Judæos juxta formulam Capitulorum ipſorum toleratis, & permiſſis.

38 Verùm vix videtur poſſe excuſari Notarius ille à peccato gravi, ut notat Sylveſter V. *uſura 7. q. 7.* quia revera tale inſtrumentum non eſt pura, & ſimplex teſtificatio quomodocunque, ſed eſt tale, ut ejus vi exigantur poſtea, & ſolvantur uſuræ; ex eo enim, quòd Mutuator oſtendat tale inſtrumentum, non poteſt Mutuatarius negare, ſe ita contraxiſſe, & ex vi talis inſtrumenti ſolvit uſuras.

39 Neque obſtat Bulla Julij III. quia in ea ſolùm generaliter dicitur, quòd notarij poſſint inſtrumenta conficere in contractibus celebratis cum Judæis toleratis, & permiſſis: tales autem non ſunt contractus uſurarij, qui præſertim inter Chriſtianos non tolerantur, nec permittuntur. Cæterum etiam in terris ubi uſuræ coguntur à Chriſtianis ſolvi Judæis, vel ex Principis ſtatuto, vel ex inolita conſuetudine, in tali caſu non videtur Notarius peccare; quia ejus inſtrumentum eſt tantùm teſtimonium veritatis, perinde ac ſi teſtis aliquis diceret ſuum teſtimonium coram Judice, ſcilicet uſurarium contractum fuiſſe initum tali anno, tali loco, inter talem Chriſtianum, & talem Judæum. Quòd ſi lex nulla, nec conſuetudo obligaret ad ſolvendas uſuras, tunc Notarius teneretur in ſolidum.

40 De famulis autem, & Miniſtris Fœneratorum videtur etiam poſſe dubitari, an teneantur ad reſtituendas uſuras. Reſpondetur, quòd ſi ipſi nomine Fœneratorum, quorum ſunt famuli, uſurarium contractum ineant; utique tenentur in ſolidum ad reſtitutionem, non quidem primariò, & principaliter, ſed ſecundariò, ſi ipſi fœneratores non poſſint, vel nolint, uſuras reſtituere: quia cùm tunc famuli miniſtri fuerint cooperati ad contractum uſurarium ineundum, fuerunt etiam cauſa damni tertij, quod propterea tenentur reſarcire in defectu principalis. Quòd ſi famuli non fuerint cooperati in contractu uſurario ineundo, ſed ſolùm ſervierunt poſt factum contractum uſurarium ſcribendo mutuum, vel pignora, vel recipientes tantùm uſuras, quas ſolvit Mutuatarius; vel tantùm petunt à Mutuatario ſolutionem uſuræ, vel ſervant, aut numerant pecuniam in dando, & accipiendo mutuum, tunc eos non peccare, nec teneri ad reſtitutionem docent Lupus, Geminianus *de uſur. conclus. 3. n. 34.* Sylveſter *V. uſura 7. q. 4.* Sotus *lib. 6. de juſtit. q. 1. art. 4.* eò quia hujuſmodi famuli nihil tunc cooperentur in contractu uſurario; quæ ſententia eſt valde probabilis; licèt Navarrus *c. 17. n. 267.* aſſerat, famulos illos peccare, & teneri ad reſtitutionem, tametſi nihil ex uſuris ad ipſos pervenerit; eò quia noverint, pecuniam illam eſſe uſurariam.

41 De tutoribus, Curatoribus, & Adminiſtratoribus poſſet etiam dubitari, an & ipſi teneantur ad reſtitutionem. Communis ſententia eſt, quòd ſi in nomine proprio extorqueant uſuras inſciis, & inconſultis iis, quorum bona adminiſtrant, teneantur ad reſtitutionem in ſolidum, & quidem primariò & principaliter: quia illi quorum bona adminiſtrant non tenentur niſi quatenus aliquid ex uſuris converſum eſt in bonum ipſorum. Sin verò Tutores, Curatores, & Adminiſtratores uſuras exerceant ex conſenſu eorum, quorum bona adminiſtrant; tunc utrique tenentur ad reſtitutionem in ſolidum, ſed principaliter ij, quorum nomine uſuræ ſunt acceptæ, alij verò ſecundariò, & minus principaliter, hoc eſt, ſi primi nolint, vel non poſſint reſtituere, ut docent Innocentius *in c. Michael 17. h. t.* ubi Urbanus III. cùm Michael laicus quereretur, quòd quidam alij Bononienſes cives multa ab eo extorſerint, & à 1 patre ſuo, cujus hæres extitit, nomine uſurarum, prohibet Pontifex ne nomine ſuo procedat Epiſcopus, niſi dictus conquerens reſtituerit, vel adhuc reſtituat, ſi quas aliquando ipſe, vel pater ejus extorſerit uſuras. Speciale eſt enim in hoc crimine, ut uſurario non concedatur ſuper uſuris actio, nec fiat gratia, niſi priùs reſtitutis uſuris, quas ipſe vel pater ipſius ab aliis extorſerint; ubi notat Gloſſa etiam per hunc textum teneri filium ex delicto paterno uſurarum.

§. IX.

De Foro competente criminis uſuræ, & pœnis jure ſtatutis contra uſurarios.

Tametſi non deſint, qui cenſeant, crimen uſuræ eſſe merè eccleſiaſticum, & de ipſo cognoſcere ad ſolum pertinere eccleſiaſticum Judicem; eò quia in *clementin. 2. de judic.* cauſa uſurarum recenſeatur inter eccleſiaſticas; & uſurarii anathemate feriantur à Judice eccleſiaſtico; nihilominus alij procedunt cum diſtinctione, & aſſerunt, hoc crimen in quæſtione juris pertinere quidem ad Judicem eccleſiaſticum, non ita in quæſtione facti, quia tunc dicunt eſſe mixti fori. Id intereſt diſcriminis inter quæſtionem juris, & facti; quia tunc habetur quæſtio juris, quando quæritur, an contractus qui initur, ſit uſurarius, vel non, & tunc cognoſcere de hac quæſtione dicunt pertinere ad ſolum judicē eccleſiaſticū; eò quia tunc agatur de peccato, de quo ſolus Judex eccleſiaſticus cognoſcit: queſtio verò facti; tunc habetur, quando poſtquam conſtiterit, contractū eſſe uſurarium, poſtea agitur tantùm de repetitione uſurarum; quomodo, & quando ſint hæ reſtituendæ, ac inhibendæ, & de hac quæſtione volunt utrumque Judicem eccleſiaſticum, ac laicum poſſe cognoſcere, illum inter laicos, hunc inter clericos, ut notat Julius Clarus §. *uſura n. 3.* 2

Communior tamen ſententia, cui adhærendum puto, aſſerit, crimen uſuræ eſſe mixti fori, & poſſe de ipſo cognoſcere utrumque Judicem eccleſiaſticum, & ſæcularem in quæſtione

ſtione tam juris, qoàm facti, ut docent Pirhing *lib. 5. tit. 19. ſect. 6. §. 1. n. 142.* Covarruvias *lib. 3. reſolut. c. 3. n 1.* Farinacius *q. 8. n. 140. conclus. 4.* Ratio eſt, quia nullibi in jure canonico prohibentur ſeculares Judices cognoſcere de crimine uſuræ inter laicos, quinimò *in c. poſt miſerabilem 12. h. t. & in c. quamquam ult. h. t. in 6.* permittitur laicis, ut poſſint cognoſcere de uſuris. Neque obſtat, hoc crimen uſuræ eſſe prohibitum lege divina, naturali, & canonica; quia etiam homicidium, furtum, adulterium, & alia id genus delicta prohibentur jure divino naturali, canouico; & nihilominus de ipſis poſſunt judices laici cognoſcere: cùm igitur crimen uſuræ non plus contineat ſpiritualitatis, quàm homicidium, aut furtum, ideo de ipſo poterit etiam Judex laicus judicare juxta regulas juris canonici, non verò ſecundùm leges civiles; quia iſtæ quoad crimen uſuræ fuerunt abrogatæ à jure canonico. Et licèt uſurarii laici juxta leges canonicas eccleſiaſticis cenſuris, & aliis canonicis pœnis coerceantur; non inde ſequitur, hoc crimen non eſſe mixti fori; ſed tantùm quòd laici poſſint etiam conveniri coram Judice eccleſiaſtico, & ab eodem puniri, ſi contumaces fuerint, & eccleſiæ parêre detrectaverint, etiam per cenſuras eccleſiaſticas.

3 Cæterum debet Judex ecclſiaſticus in crimine uſurarum procedere in ordine judiciario de plano, ſimpliciter absque ſtrepitu, & figura judicij, ut ſtatuitur in *clement 2. de judic.* Sin verò uſuræ repetantur in foro ſæculari contra laicum, poteſt Judex ſæcularis in ſuo foro procedere juxta proprium ordinem judiciarium, quia Pontifex hunc ordinem non abrogat, ſed tantùm indicat, quomodo procedendum ſit in foro eccleſiaſtico,

4 Ut autem quis puniatur, ut uſurarius, debet priùs hoc crimen probari in judicio; varijs autem modis poteſt aliquis probari, qoòd ſit uſurarius manifeſtus. Primò ex evidentia facti, hoc eſt ſi publicè in foro omnibus videntibus contractus celebraverit uſurarios, & ſub uſuris pecunias alijs mutoaverit; & quidem frequenter, quia frequentia actuum ſufficit ad convincendum uſurarium manifeſtum, ut notat Maſcardus *de Probat. vol. 3. conclus. 1418. n. 3.* addit tamen id procedere tantùm qnoad ſententiam Judicis declaratoriam; non verò quoad condemnatoriam. Ille dicitur uſurarius manifeſtus, qui talis eſt manifeſtè facto, vel jure, ſcilicet vel per notorietatem, ſeu evidentiam facti; adeò ut conſtet, ipſum palam, & coram populo exercuiſſe uſuras, & plures id ita teſtentur, ut uſurarius nulla tergiverſatione ſuum poſſit crimen occultare: & quando crimen eſt notorium hac notorietate facti, non requiruntur plures actus, ſed unus ſufficit ad conſtituendum uſurarium manifeſtum, dummodo publicè illum exercuerit coram frequentia populi, ut notat Menochius *de arbit. jud. cas. 235. n. 6.*

Verùm frequentia actuom licèt non ſit ne- 5
ceſſaria in actu ſecundo, requiritur tamen in actu primo; adeò ut uſurarius manifeſtus paratus ſit omnibus mutuum fœnori dare. Is verò dicitur jure eſſe uſurarius manifeſtus, qui per Judicis ſententiam de crimine uſuræ eſt condemnatus. Secundò uſurarius manifeſtus probatur etiam per propriam confeſſionem in judicio; adeò ut uſurarius fateatur dediſſe mutuò ſub uſuris pecunias publicè ſæpius, vel domi frequenter; immo etiam probatur per confeſſionem factam extra judicium coram ſacerdote, vel Notario, vel etiam coram teſtibus; adeo ut notitia ad plures pervenerit, ut docent Covarruvias *lib. 3. reſol c. 3. n. 4. §. 3.* Maſcardus *de probat. volum 3. conclus. 1418. n. 3.* Hinc tertiò probatur per idoneos teſtes duos ſaltem, vel tres, qui teſtentur vidiſſe frequenter, eum ſub uſuris mutuâſſe pecunias alijs. Quartò etiam per publicam famam, communem opinionem, adeò ut teſtes deponant ſe audiviſſe, eum eſſe publicum uſurarium, & quidem à majore parte populi.

Verùm debent, tunc concurrere etiam alia 6
adminicula, quia ſola fama non ſufficit ad plenam probationem, ut probat Maſcardus *conclus. 1417. n. 28.* & id etiam deſumitur *ex c. cum in diœceſi 15. h. t.* ubi cum in Diœceſi Altiſſiodorenſi plures eſſent uſurarij manifeſti, contra quos propter timorem potentum, qui iisdem patrocinabantur, nullus accuſator appareret, nec iidem per ſententiam eſſent condemnati. Reſcribit Urbanus III. quòd licèt contra illos non appareat Accuſator, ſi tamen aliis argumentis conſtiterit, eos eſſe uſurarios manifeſtos, poſſe in eos liberè exerceri pœnam à Concilio Lateranenſi impoſitam contra uſurarios: ex quo textu claret, ſolam famam de uſuris exactis non facere aliquem uſorarium manifeſtum; etiam quoad pœnas juris incurrendas; ſed ultra famam requiriri etiam alia argumenta urgentia, manifeſta, ut quis condamnetur tanquam uſurarius.

Quòd ſi nullus adeſſet Accuſator, adhuc 7.
deberet Judex ex ſuo officio per inquiſitionem procedere contra uſurarios, ſi notorij, & manifeſti eſſent; quia tunc ſi adſint alia argumenta, & indicia efficacia poſſunt condemnari, ut uſurarij. Deſumuntur verò hæc argumenta ex eo, quòd merces vendiderint cariore pretio ob dilatam ſolutionem, vel quia res emebant cum pacto retrovendendi cariori pretio; vel qnia plura apud ipſum reperiantur contractus ſcripti uſurarij, Tonc Judex ex officio contra illos procedit liberè, pœnâsque eis infligit jure ſtatutas, etiam non obſtante appellatione, ut notat Joannes Andreas *in d. c. cum in Diœceſi V. liber. & V. exercere.*

Immo ſolent etiam uſurarij manifeſti con- 8
vinci ex libris rationum; quia tametſi hi libri non probent in favorem ſcribentis *l. rationes 6. C. de probat.* probant tamen contra ipſum ſcribentem, ut notat Maſcardus *de probat. vol. 3. conclus. 1418.* Et etiam deſumitur *ex clement.*

ment. unic. h. t. ubi fœneratotes quando agitor de cauſa uſuraria coguntur producere ſuos libros rationum : idque etiam procedit de hæredibus uſurariorum, cum & iſti teneantur uſuras deſunctorum, quorum ſunt hæredes reſtituere. Quòd ſi uſurarij, vel etiam eorum hæredes negent, ſe habere rationes, vel dicant ſe illas amiſiſſe, non eſt ipſis credendum, tametſi id aſſerant eum juramento, niſi probent, ſe illas amiſiſſe caſu ſortolto, vel periiſſe incendio, Cæterum poſſunt oſurarij, & eorum hæredes non ſolùm compelli per cenſuras eccleſiaſticas ad libros edendos rationum; ſed etiam poſſunt Miniſtri juſtitiæ vio-
9 lenter eorum domus ingredi, & ciſtas, vel
armaria infringere.

Pœnæ autem jure canonico impoſitæ contra uſurarios, plures ſunt. Prima eſt, ut uſurarij ſint ipſo jure tam civili, quàm caoonico infames *l. improbus fœnus C. ex quib. caus. infamia irrogetur c. infamis 3. q. 7. §. porro.* adeò ut Clericus oſurarios ſit ipſo jure infamis, ut notat Abbas in *c. inter dilectos de excessu Prælatorum*: & quia infames ab honoribus, & dignitatibus excluduntur, immo etiam à gerendis negotiis, quæ prohibentur infamibus, ut à poſtulando, ſeu patrocinio *l. 1. ff. de postul. à testimonio*, ideo etiam oſuratij, eo ipſo, qnòd infamiam incurrunt, excluduntut ab omnibus prærecenſitis. Hinc clericus uſuratius repellitur ab officio obtinendo, ut notat Gloſſa *in c. præterea de usur.* Verùm Epiſcopo permittitur, ut hanc poſſit infamiam tollere pro eccleſiaſtico beneficio obtinendo, dummodo priùs clericos reſipuerit, & pœnitentiam egerit; hinc eſt etiam ab officio, & beneficio ſuſpendendus per ſententiam Judicis, ut deſumitor *ex c. præterea ex h. t.* ubi Alexander III, mandat Epiſcopo, ad quem ſeribit, ut Parochianis ſuis interdicat uſuras recipere; qui ſi parère contempſerint, & clerici ſint, jubet, eos ab officio, & beneficio ſuſpendi; ſin verò laici usque ad condignam ſatisfactionem ipſos vinculo excommunicationis adſtringi: ex qoo textu notat Gloſſa, Clericos uſuratios eſſe ſuſpendendos ab officio, & multò fortiùs eos repelli ab illis obtinendis, cùm nec Epiſcopos poſſit ſuper illis di-
10 penſare, eò quia uſurarij manifeſti ſint infames.

Communior tamen ſententia eſt, poſſe Epiſcopum diſpenſare in ſuſpenſione circa beneficia obtenta, ut notat Barboſa in *d. c. præterea. 7. n. 4. h. t.* quod tamen intelligitur poſt pœnitentiam, & ſatisfactionem datam; quia quoad beneficia jam obtenta Clericus uſurarius ob infamiam etiam juris non eſt ipſo facto eo ptivatus : onde infamia juris ſolùm reddit clericum uſurarium ob infamiam inhabilem quoad beneficium obtinendum ſine Papæ diſpenſatione, ut notat Cavarruvias *lib. 3. resol. c. 3. n. 3.* Cæterum Clericus uſurarius non eſt ſtatim deponendus ab ordine, officio, & beneficio; ſed priùs monendus eſt, ut deſiſtat ab uſuris exercendis, et ſi monitus nolit deſiſtere, ſuſpendendus eſt ab officio, & beneficio ut habetur *in c. præterea 7. h. t.* Quòd ſi adhuc perſeveret in ſua contumacia, deponendus eſt, ac verbaliter degradandus, ut habetur *in c. 1. dist. 47.*

Secunda pœna eſt, ut laici uſurarij mani- 11
feſti anathemate feriantur, idque deſumitur *ex d. c. præterea 7. h. t.* ubi Alexander III. mandat, laicos uſurarios manifeſtos excommunicari, donec ſatisfecerint. Hinc uſurarij non admittuntur ad communionem altaris, ut ſtatuitur in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. & refertur *in c. quia 3. h. t.* ubi cùm crimen uſurarum ita invaleſceret, ut multi qoaſi licite eas exercerent, tametſi utriusque teſtamenti paginâ condemnatas; ideo conſtituit Pontifex cum Concilio, ut uſurarij manifeſti nec ad communionem admittantur altaris; nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant ſepulturam: ſed nec oblationes eorum quisquam accipiat: contraveniens autem, quæ acceperit reddere compellitur, & donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfaciat, ab officio manet ſuſpenſus: Ex quo textu plures colliguntur pœnæ inflictæ contra uſurarios manifeſtos, quarum una eſt, ut non admittantur ad communionem altaris, ſeu ad perceptionem ſacræ Euchariſtiæ, ut communiter notant cum Hoſtienſi *in d. c. quia 3. h. t.*

Tertia quæ deſumitur *ex d. c. quia* eſt, ne
oblationes uſurariorum recipiantur ab Eccle- 12
ſia, eò quia dona illorum, qui pauperes oppreſſerunt recipi minimè debent à ſacerdotibus, nec ab Eccleſia *c. miror. 8. caus. 17. q. 4. c. de viro 10. & 7. caus. 12. q. 2.* ratio itidem eſt, quia oblationes, & eleemoſinæ fieri debent de propriis bonis, non verò de alienis: & uſurarii ſi ex extortis uſuris oblationes faciant, eas non ex proprio, ſed ex alieno, ſeu ex bonis illorum, ad quos pertinent uſuræ, id præſtant: poſſunt tamen, ut notat Abbas *in d. c. quia 3. h. t. n. 6.* eleemoſynas facere, & pauperes poſſunt eas itidem recipere : ratio diſcriminis, cur licitæ ſint eleemoſynæ, non oblationes, eſt, quia eleemoſynæ per ſe ſecretè, & occultè fiunt, & ideo Eccleſia eas permittit; dummodo non fiant ex extortis uſuris, quia per hoc non liberantur ab onere eas ſolvendi iis, ad quos pertinent. Oblationes verò, quia fiunt publicè, eccleſia eas non recipit, ſi à pu-
blicis uſurariis proveniant. 13

Quarta pœna, quæ etiam deſumitur *ex d. c. quia 3. h. t.* eſt, quòd ſi publici, & manifeſti uſurarij deceſſerint in ſuo peccato priventur eccleſiaſtica ſepultura, & in Concilio Lugdunenſt relato in *clement. 1. de sepult.* ſtatuitur, eos eſſe anathemate percutiendos, qui uſuratios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumunt; & hæc excommunicatio incurritur ipſo facto, à qua non abſolvitur, qoi eam contrahit, niſi priùs ad arbitrium Diæceſani Epiſ-
copi competentem exhibuerit ſatisfactionem. 14

Immo notat Abbas *in d. c. quia 3. h. t.* uſurarium defunctum privandum eſſe eccleſiaſtica ſepultura; tametſi ejus hæres vellet extortas ab eo uſuras reſtituere; aut de iis reſti-

tuendis

tuendis cavere, ſed requiritur, ut uſurarius
per ſe antequam deceſſerit, injunxerit hære-
di eas reſtitui: adeò ut uſurarij manifeſti non
admittantur ad eccleſiaſticam ſepulturam, niſi
antequam deceſſerint, uſuras pro modo, &
poſſibilitate ſacultatum ſuarum reſtituerint;
vel ſaltem cautionem de reſtituendo præſti-
terint præſentibus illis, quibus uſuræ deben-
tur; vel in iſtorum abſentia coram loci ordi-
nario proprio, vel notario; idque deſumi-
tur *ex c. quamquam 2. h. t. in 6.* ubi Gregorius
X. ſtatuit, ut uſurariis manifeſtis morientibus
ſi teſtentur, ut reſtituantur uſuræ extortæ,
ſive explicent qoantitatem, ſive non, non de-
tur ſepultura eccleſiaſtica, donec ſatisfece-
rint prout patiuntur facultates eorum, vel
niſi dent cautionem de reſtitutione facienda
ipſiſmet Dominis, vel aliis, qui Dominis poſ-
ſint eam acquirere; vel his abſentibus Ordina-
rio, vel ejus vices gerenti, vel Parocho ſuæ
Parochiæ, coram aliquibus ſide dignis: quia
ſic per hos acquiritur actio Dominis, vel No-
tario publico de mandato Ordinarij: & ſi
quantitas eſt certa, eſt exprimenda; ſi minus
arbitraria, cum obligatione reſtituendi reſi-
duum. Rurſus *in d. c. quamquam* confirman-
tur pœnæ, quæ injunguntur *in c. quia 3. h. t.*
adeo ut qui ſepelit in Eccleſia uſurarium ma-
nifeſtum prædictas incurrat pœnas ſuſpenſio-
nis, & excommunicationis.

15 Quamobrem *ex d. c. quamquam 2. h. t. in 6.*
infertur, quòd ſi uſurarius manifeſtus in te-
ſtamento, vel alia ultima voluntate mandet
reſtitutionem uſurarum in certa, vel incerta
quantitate, adhuc non ſit in loco ſacro ſe-
peliendus, donec fiat reſtitutio ipſis damnifica-
tis, vel eorum hæredibus, & in defectum eo-
rum Ordinario loci, vel ejus vicario, aut
Parocho adhibitis ad id teſtibus, aut detur
illis idonea cautio, ut actio acquiratur illis,
à quibus fuerunt uſuræ extortæ: ratio verò cur
tot requirantur cautiones, eſt; quia perſæpe
ultimæ voluntates ab hæredibus non implen-
tur: unde jura exigunt, ut tales dentur cau-
tiones, quibus actio acquiratur iis, à quibus
fuerunt uſuræ extortæ. Hæc autem conſti-
tutio Gregoriana ſolùm procedit de uſura-
riis notoriis, non verò de occultis: quia iſtis
non denegatur eccleſiaſtica ſepultura, ſi ipſam
publicè petant, tametſi in ſoro conſcientiæ
abſolvi non debeant, quin priùs ſatisfecerint;
vel ſaltem parati ſint ſatisfacere eo meliori
modo, quo poſſunt, ut dicitur etiam de fur-
tis occultis. Cautio verò ab iiſdem præſtan-
da eſt, quæ fit per pignora, vel fideiuſſores
l. ſi mandato 59. §. fin. ff. mandati. Quamvis
Mutuatarij actionem habeant ad repetendas
uſuras, quas mutuatores ex iiſdem extorſe-
runt; voluit tamen Papa etiam providere
per remedium cautionis, ut mutuatarij tu-
tiores fierent per fideiuſſores, vel pignora.
Quòd ſi uſurarius ad eam fuerit deductus in-
opiam, ut nec pignora, nec fideiuſſores da-
re poſſit, tenetur tunc jurare, ſe non poſſe
de præſenti ſatisfacere, ſed quantum in ſe erit
ſatisfacturum. Rurſus cautio, quæ fit or-
dinario, vel ejus Vicario, & Parocho, de-
bet fieri coram aliquibus fide dignis de ipſa
Parochia, quia magis creditur indigenis no-
tis, quàm ignotis extraneis; non tamen eſt
de eſſentia, ut teſtes illi ſint de parochia, ſed
id tantùm requiritur ad meliùs eſſe; cæterum
ſatis eſt, ſi ſint idonei.

Quinta pœna eſt, ut nullus interſit teſta- 16
mentis uſurariorum manifeſtorum conficien-
dis, nec ullus eos ad confeſſionem admit-
tat, vel abſolvat, etiam ab aliis peccatis, an-
tequam reſtituerint uſuras, vel præſtiterint
cautionem idoneam, quod pro viribus ſuis
erunt ſatisfacturi, & deſumitur *ex d. c. quam-
quam 2. §. nullus h. t. in 6.* quia uſurarij æqui-
parantur furibus, qui non abſolvuntur, niſi
reſtituerint ablatum. Si tamen uſurarius mor-
te imminente paratus ſit reſtituere; vel ſal-
tem cautionem idoneam de reſtituendo præ-
ſtare, & neutrum poſſit; abſolvi tunc à quo-
vis Confeſſario debet, dummodo, ſi tempus
ſuperſit, juret ſe ex prædictis præſtiturum, quæ
poterit.

Sexta pœna eſt, ut teſtamenta, & ultimæ 17
voluntates uſurariorum non valeant, niſi ante
mortem uſuras reſtituerint, vel de reſtituen-
do idoneam cautionem dederint, ut deſumi-
tur *ex d. c. quamquam 2. h. t. in 6.* Idque pro-
cedit etiam de aliis ultimis voluntatibus, quæ
propterea ſunt ipſo jure irritæ, ſi manifeſtus
uſurarius uſuras non reſtituerit, vel non ca-
verit idoneè de iiſdem reſtituendis: unde ſive
codicillus, ſive donatio mortis cauſa facta fue-
rit, ſive legatum in teſtamento relictum, hæ
omnes ultimæ voluntates ſunt ipſo jure irri-
tæ, quia ſi ſuum ſortirentur valorem, fieret
fraus legi; quæ propterea facilè poſſet eludi:
quin imò neque legata ad pias cauſas relicta in
teſtamento ab uſurario notorio valent, quia
eo ipſo quòd deceſſerit impœnitens teſtamen-
tum eſt ipſo jure irritum. Quòd ſi ſigna de-
derit valent, idque ex æquitate, & favore piæ
cauſæ, ut cenſent Cavarruvias *lib. 3. reſol. c. 3. in
fin.* Sylveſter V. *uſura 9. p. 7.*

Verùm contraria ſententia communior eſt, 18
& verior, quia textus *in d. c. quamquam 2.
h. t. in 6.* irritat omnes ultimas voluntates, &
teſtamenta facta ab uſurariis manifeſtis, ſi
priùs non reſtituerint, vel idoneam non præ-
ſtiterint cautionem. Teſtamentum verò con-
ditum ab uſurario, qui ante mortem non erat
notorius uſurarius, ſi poſt mortem probetur
ſufficienter, eum manifeſtè exercuiſſe uſuras,
ob eandem rationem condemnatur, & illius
hæredes jubentur uſuras reſtituere; adeò ut
ſi crimen per ſententiam Judicis fiat notorium,
adhuc probabile eſſe videatur, tale teſtamen-
tum ſuum ſortiri valorem: ratio eſt, quia teſta-
mentum morte teſtatoris confirmatur, & qui-
dem eo tempore, quo uſurarius nondum erat
notorius, ac proinde nullum fuit impedimen-
tum, quo minus teſtamentum illud ſuum ſor-

tiretur

induſtria ars, & opera cùm ſit commoda, & utilis, poteſt locari, ac proinde vendi. Tum quia Innocentius, Abbas, & alij Canoniſtæ docuerunt in perſonam ſervi poſſe cenſum annuum conſtitui, & tantùm videntur id negare in perſona libera, eò quia jura ſcripta civilia, & canonica id prohibeant, nolintque perſonam liberam poſſe vendi. Cæterum jura naturali, & divino non prohibetur, ne liber homo vendi poſſit: poteſt enim quis ſe ipſum vendere ad triremes per qoinquennium, vel etiam decennium ut expetimento liquet; & ego in ttiremibus Pontificiis vidi hominem natione ſiculum, qui bis ſe in iisdem vendiderat. Tum quia poteſt quisque ſuam operam akeri locare. Tum quia in *c. paſtoralis*, & *c ad Apoſtolica de decimis* liquet, olim Eccleſiam percepiſſe decimas perſonales, quas quisque tenebatur ſolvere ex decimis, & fructibus lucrisque ſuæ induſtriæ, operæ, & labotis: proinde ſi opera hominis poteſt vendi, & locari, eò quia ſit pretio æſtimabilis, poteſt jure naturali, & divino inſtitui ſuper perſona libera cenſus perſonalis ſolvendus ex illa pecunia, quam perſona propriâ induſtriâ, arte, & labore lucratur. Tum quia poteſt aliquis ſe tributarium, & vectigalem alteri conſtituere; adeò ut teneatur ex pecunia proprio labote parta certam quantitatem ſingulis annis dare ſuo Domino: proinde etiam emptori cenſûs, à quo accepit centum aureos pro pretio cenſûs.

41 Quòd ſi dicas *in c. 8. pignor.* haberi, perſonam liberam pignori non poſſe dari. Reſpondetur id eſſe verum, ſed non eſſe ad rem, quia id tantùm prohibetur jure canonico ſcripto, & Pontificio; non verò probatur eſſe prohibitum jure naturali, & divino, ne liber homo pro debiro pecuniario locò pignoris detur creditori. Etiam nos dicimus, cenſum perſonalem tam redimibilem, quàm irredimibilem eſſe prohibitum jure canonico; ſed difficultas procedit de jure naturali, & divino.

42 Si objicias textum in *l. 1. C. de pericul. commun. rei vendita* ubi ſtatuitur pertinere ad Emptorem, periculum, & commodum rei venditæ. Reſpondetur, cenſum perſonalem extingui eom obitu perſonæ, in qoa eſt conſtitutus: ſiquidem pereunte re ſubjecta cenſui, perit quoque cenſus, eſt enim contra naturam emptionis, ut res empta venditori pereat, non emptori: hinc emptio cenſûs perſonalis repugnaret juri naturæ, & divino, ſi emptor peteret, ut obeunte perſona, in qua eſt cenſus conſtitutus ſibi adhuc quot annis ſolveretur annua penſio, vel ſibi reſtitueretur ptetium, quod dedit.

43 An etiam poſſit cenſus conſtitui in re mobili, ut in vino, oleo, frumento. Reſpondetur, jute canonico ſcripro, & Pontificio id eſſe itidem prohibitum; ut liquet in conſtitutionibus Martini V. Callixti III. & Pij V. unde quæitio etiam procedit de jure naturali, & divino. Covarruvias *lib. 3. variar. reſol. c. 7. n. 5.* eum alijs cenſet, cenſum conſtitutum in re mobili, vino, oleo, frumento, animalibus, non repugnare rei naturæ, nec proinde eſſe contra jus naturæ, & divinum, ut conſtituantur cenſus in rebus mobilibus, vel ſe moventibus, & quibus urimur ſalvâ earum ſubſtaetiâ, eò quia ſint res pecuniâ æſtimabiles, quæ vendi, commodari, locari, ac permutari poſſunt.

Verùm communior, ac vera ſententia eſt, 44 non poſſe cenſum conſtitui in rebus mobilibus, ut ſunt vinum, oleum, triticum & alia id genus, quæ primo ſtatim uſu abſumuntur, quia in ipſis dominium non ſeparatur ab vſu, nec poteſt in ijsdem uſusfructus conſtitui, ut habetur in *inſtit. de uſufruct. §. conſtituitur.* Ratio itidem ſolet aſſignari, quia prædictorum mobilium pretia ſingulis annis variantur, unde cum non poſſit certò ſtatui pro ipſis pretium, ita nequit certa annua penſio in ijsdem rebus inſtitui. Tum quia eum præfatæ res mobiles primo vſu conſumantur; vinum enim conſumitur, ſi illo utamur ad porum, ut etiam panis, ſi eo utamur ad eſum; conſequenter cùm non ſint fructuoſæ, nec ſervata earundem ſubſtantia, non poteſt cenſus in ijsdem fundari. In rebus verò ſe moventibus, cujusmodi ſunt animalia; & in alijs rebus mobilibus, quæ utiles ſunt, nec pereunt, quando primò illis utimur, poſſe ex natura rei inſtitui cenſum, docent Gabriel *in 4. diſt. 15. q. 1 a. art. 2.* Covarruvias *lib. 3. variar. reſol. c. 3.* Conradus *de contractib. q. 72. in ſuppoſ. 4. conclus. 1.* & alij.

Cæterum etiam in contractibus venditio- 45. nis, & emptionis aliarum rerum, in quibus cenſus non conſtituitur, committi poteſt vſura. Si enim quis pluris rem ſuam vendat, quàm revera valeat, eò quia ſolutio pretij differatur, eſt uſura ſpectata rei natura, niſi venditor dubitet, an tempore ſolotionis pretium rei ſit incrementum, vel decrementum ſubiturum: unde vendere rem pluris, quàm valeat in foro conſcientiæ eſt vſura. Ratio eſt, quia tametſi talis venditio non ſit formalis contractus vſurarius, cùm non ſit contractus mutui: implicitè tamen virtualiter, & interpretativè eſt contractus mutui redolens vſuram; ſi ex eo, quòd emptor differat ſolutionem pretij, venditor illud augeat: ſiquidem in effectu perinde res ſe haber, ac ſi pretium ab Emptore eſſet ſolutum; proinde venditor ſupra juſtum pretiom non poteſt quidquam exigere, quia pecunia illa, quæ debetur venditori pro pretio rei venditæ, conceditur à venditore mutuò emptori; adeò ut vendere rem ſuam, & aſſentiri, ut emptor differat ſolutionem pretij perinde ſit; ac venditorem mutuò concedere, ac dare emptori totam illam quantitatem pecuniæ ſibi debitæ locò pretij; & ſicut pro mutuo non poteſt quidquam exigi ultra ſortem; ita neque poteſt venditor quidquam exigere ab emptore ultra juſtum pretium ex eo, quòd emptor differat ſolutionem pretij.

Ve.

Google

46 Verùm in foro externo, & contentioſò
ſi venditor ob dilatam ſolutionem pretij ven-
dat rem pluris, quàm valeat, non poteſt con-
veniri tanquam vſurarius; id enim colligitur
ex c. in civitate 6. h. t. ubi Alexander III. cum
Genuæ cives piper, ſeu cinnamomum, ſeu ali-
as merces compararent, quæ cum ultra quin-
que libras non valerent, & promitterent
mercatoribus ſe illis ſtatuto termino ſex li-
bras ſoluturos reſcribit Pontifex, quòd licèt
talis contractus ex tali forma non poſſit cen-
ſeri vſurarios, incurrunt nihilominus venditu-
res peccatum, niſi dubium ſit, an non merces
illæ tempore ſolutionis, ſint pluris valituræ,
& ſubjungit; cives ſaluti ſuæ benè conſul-
turos, ſi à tali contractu ceſſent, ex quo textu
deducitur; quòd qui vendit merces, quæ tem-
pore venditionis non valent niſi quinque; ſed
quia vendit ad tempus ſpectata pecunia vendit
ſex; quamvis in ſoro exteriori forma contra-
ctus non judicetur vſuraria, eò quia non ex-
cedat dimidium juſti pretij; nihilominus ven-
ditor peccat contra juſtitiam, niſi dubium ſit,
quòd merces tempore ſolutionis ſint valituræ
ſex plus, minùsve: hinc quamvis in jure civi-
li permiſſum ſit contrahentibus ſe decipere in-
fra dimidium pretij *l. cum dilecti de empt. & vendit.* non tamen id procedit in lege divina,
quamvis dubium excuſet à peccato vſuræ; ven-
dere enim rem cariùs ob dilatam ſolutionem
pretij, ſi venditor probabiliter dubitet, quod
tempore ſolutionis ſit res pluris, vel minoris
valitura, excuſatur à peccato vſuræ: & ratio
eſt, quia tunc commodum, & incommodum
æqualiter reſpicit venditorem, ac emptorem,
& dubius eventus incrementi, vel decrementi
pretij, poteſt utrique emolumento eſſe, vel
damno: hæcque ratio eſt, cur talis venditio
in foro conſcientiæ licita ſit.

47 Verùm ultra dubium requiritur etiam ut
venditor, non eſſet alias tempore contractus
venditurus ſuas merces, ſed eas ſervaturus us-
que ad tempus ſolutionis, ut deſumitur *ex c. navigantibus h. t. in fin.* Ubi Gregorius IX.
reſcribit, eum qui pannum, granum, vinum,
vel alias merces vendit, ut certo tempore plus
accipiat, quàm tempore contractus valeant;
ſi eas tempore contractus non erat venditu-
rus, & dubitatur an tempore ſolutionis ſint
pluris, vel minoris valituræ non eſſe vſurari-
um propter talem dubium, quod excuſat à pec-
cato vſuræ. Verùm hujusmodi venditiones
non carent periculis, ideo Pontifex in *d. c. in civitate* conſulvit abſtinendum eſſe ab ijsdem
venditionibus. Cæterum ſicut venditor, qui
cariùs res vendit ob dilatam ſolutionem pretij
non excuſatur ab vſura in foro conſcientiæ;
ita emptor, qui rem minoris emit, quàm nunc
valeat, eò quia hic, & nunc emat à venditore
numerata pecunia eſt vſurarius ob eandem ra-
tionem, ob quam venditor cariùs
vendit, eò quia differatur
ſolutio.

§. VIII.

De obligatione reſtituendi uſuras.

QUemadmodum quilibet rei alienæ ini- 1
quus poſſeſſor tenetur ad reſtitutio-
nem, nec abſolvitur peccatum, niſi re-
ſtituatur ablatum *c. ſi quis uſuram 14. q. 4:*
perinde lucrum per vſuram acquiſitum eſt in-
ſtar rei furto ablatæ, adeóque vſurarij in utro-
quo foro interno, & externo adigendi ſunt
ad reſtitutionem: & quidem in foro externo
non aliter eſt condemnandus ad reſtitutionem,
& ſubeundas pœnas vſurariorum, quàm ſi fue-
rit vſurarius manifeſtus, ſeu per rei evidenti-
am, confeſſionem judicialem, & aliàs legitimas
probationes convictus fuerit: Eccleſia enim, &
alij externi Judices non judicant de occultis,
ne innocentes pro nocentibus puniantur *c. cum tu 5. h. t. l. ult. C. de probat.* ſecus in foro in-
terno non eſt neceſſaria probatio, quia ſuffici-
enter ſua quemque conſcientia arguit.

Quamobrem non ſolùm realis vſura, & 2
quæ aperto contractu vſorario commiſſa eſt,
ſed etiam mentalis in foro conſcientiæ obligat
ad reſtitutionem, ut communiter docent Ca-
noniſtæ *in c. conſulvit. h. t.* Vſura mentalis
tunc committitur; quando quis exteriùs dat
mutuum, & lucrum accipit ultra ſortem cum
animo, ſeu intentione interna accipiendi lu-
crum ultra ſortem, ſeu mutuum datum, & di-
citur vſura mentalis, quia hæc voluntas, ſeu in-
terna intentio accipiendi tale lucrum ultra
ſortem non manifeſtatur exteriùs, ſed tantùm
retinetur interiùs in mente illius, qui dat mu-
tuò pecunias cum tali voluntate. Non tamen
eſt illicitum, nec vſurarium ſperare ex mutuò
lucrum aliquod, vel commodum, quod ei ac-
creſcat ex ſola benevolentia, gratitudine, ac li-
beralitate mutuatarij; tametſi tale lucrum inre-
datur, ut principalis finis, ob quem datur mu-
tuum; adeò ut mutuator ſi tale commodum,
ſeu lucrum non ſperaret à mutuatario ex gra-
titudine & benevolentia, minimè illi daret mu-
tuò ſuas pecunias, ut docet Molina *tract. 2. diſp. 305. n. 3.*

Ratio eſt, quia iniquitas uſuræ non con- 3
ſiſtit in eo, quod accipiatur aliquid ultra ſor-
tem ex liberalitate Mutuatarii, quia nemo po-
teſt compellere eum, qui beneficium recipit,
ut non ſe oſtendat gratum ei, à quo bene-
ficium accepit, neque poteſt prohiberi illi,
qui beneficium contulit, ne accipiat, quod
illi datur ex liberalitate, vel gratitudine: un-
de iniquum non eſt, nec uſurarium accipere
ultra ſortem mutui, quod ita datur: quini-
mò ex morali quadam honeſtate, qui bene-
ficium accepit, tenetur ſe gratum præbere ei,
à quo beneficium recepit: quamobrem cum
talis ſpes, & intentio accipiendi aliquod lu-
crum, aut commodum ex mutuo habeat pro
objecto, quod eſt debitum ex honeſtate, ex

eo, quòd illud ſibi oblatum accipiat, noo committit uſuram. Tum quia licitum eſt Aulicis ex obſequiis, quæ præſtant Principi ſperare ab ipſo aliquid ſaltem titulo gratitudinis: ſic etiam licitum eſt beneficiis ſibi conciliare gratiam alterius, ejúſque benevolentiam, ut is viciſſim ſe gratum, & liberalem exhibeat: unde eadem ratione erit itidem licitum ſperare, & intendere ratione mutui dati aliquod commodum à mutuatario; poteſt etiam quis mutuare Principi magnam pecuniæ ſummam ea ſpe, & intentione, ut à Principe promoveatur ad tale officium, tametſi adhuc intendat totam ſuam ſortem datam Principi recuperare.

4 Neque obſtat, quod finis principalis Mutuatoris ſit lucrum, ſeu commodum ſperatum, ſine quo oon mutuaret alteri ſuas pecunias; quia hic noo diſtinguitur inter motivum principale, & minus principale, ſed tantùm quæritur, an licitum ſit ſperare aliquid ex mera gratitudine, & liberalitate à Mutuatario ob mutui beneficium ei præſtitum; & hoc licitum eſt: quia mutuans oon contrahit pro illo lucro, vel commodo quid ultra ſortem, ſed tantùm illud intra ſe intendit: neque ex juſtitia illud exigit; ſed tantùm illud ſperat ex pura gratitudine, & liberalitate Mutuatarij; cui proptnrea nulla infertur injuria, quia ſi oolit quidquam ultra ſortem dare ex gratitudine, mutnator non poteſt illud exigere: & ſi detur nulla committitur injuſtitia, nec injuria, qnia quod datur, & accipitur ex mera gratitudine, & mera liberalitate datur omnino volutariè ſine ulla admixtione involuntarij, proinde non datur neque accipitur cum injuria Mutuatarij, oec conſequenter cum uſura.

5 Hinc illud Chtiſti *Luc. 6. mutuum date, nihil inde ſperantes* intelligitur de ſpe data ex juſtitia, non verò nx ſimplici gratitudine, & mera liberalitate. Unde Chriſtus voluit, ut mutuantes ex mutuo nil ſperarent, ut ſibi debitum ex obligatione juſtitiæ, tanquàm pretium mutui: quia tunc per talem ſpem, & intentionem mutuans ſit uſurarius mentalis; ſive principaliter lucrum illud, aut commodum intendat, ſivn minus principaliter: quia uſura in eo eſt ſita, ut exigarur lucrum ex mutuò quaſi in pretium, & compenſationem mutui, & ex obligatione juſtitiæ: unde ſi mutuans id intendat principaliter, ſemper intendit objectum ex ſe, & ab intrinſeco malum, proindn etiam ipſa intentio mutuantis eſt mala, cum actns morales deſumant ſuam ſpeciem in genere moris ab objecto: & licèt intentio minus principalis ſit cauſa, cur peccatum ſit minus, non tamen impedit, quin ſit peccatum.

6 Uſurarij igitur ſive mentales, ſive reales tenentur reſtituere, ſi quid ultra ſortem acceperunt, ut deſumitur ex *c. cum ſ. h. t.* ubi Alexander III. cum Archiepiſcopus Salernitanus manifeſtos uſurarios juxta decretum in concilio Generali editum (*& relatum in c. 3*) communione, & ſepultura eccleſiaſtica præcepiſſet privari, donec reſtituerent mala recepta; & illi obtenderent eas duntaxat uſuras reſtitnendas, quæ ſunt poſt interdictum receptæ. Reſcribit Pontifex, quòd ſive ante, ſive poſt eas acceperint, teneantur illas reſtituere ſub pœna in Concilio ſtatuta eis, à quibus eas extorſerunt, vel eorum hæredibus, vel his non ſuperſtitibus pauperibus, ſi facultates ſuppetant: quia juxta S. Auguſtinum: non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; qui autem non habent, unde reſtituant non debent alia pœna multari, cùm eos paupertas ſufficienter excuſet.

7 Poſſeſſiones verò uſuris comparatæ debent vendi, & earum pretia his, à quibus extortæ ſunt, reſtitui; ut noo ſolùm à pœna, ſed etiam à peccato uſuratum poſſint liberari. Ex hoc textu clarè deducitur, eos omnes, qui recipiunt uſuras, teneri ad reſtitutionem, adeò ut reſtitutio debeat fieri illis, à quibus fuerunt extortæ, quòd ſi non ampliùs vivant, vel inveniri non poſſint; debet reſtitutio fieri eorum hæredibus, ſive ab inteſtato ſint ſucceſſores; & quamvis illi non extent; adhuc uſuræ erogari debent pauperibus, vel Eccleſijs, aut alijs locis piis, ut deſumitur *ex c. nemo cauſ. 14. q. 5.* ita tamen ut nunquam uſuræ dandæ ſint pauperibus ſi reſtitui poſſint ei, à quo fuerunt extortæ.

8 Oritur enim hæc obligatio, ex eo quia peccatum uſuræ eſt contra juſtitiam: ſiquidem uſuratius accipit, ae detinet rem alienam, quam ſuam facere non poteſt, qui enim uſuras ſolvit, oon intendit illas donare, nec intendit plus dare, quàm ex juſtitia teneatur; tametſi oeceſſitate, vel commodo ſuo adactus plus det invitus, ſeu quidquid eſt ultra ſortem: cùm enim deficiat voluntas in Mutuatario dandi aliter, qnàm juſtitia exigat, nunquam tranſit dominium uſuræ per ejus traditionem in uſurarium accipientem: cùm revera contractus ille ſit nullns, ac proinde reſtitutioni obnoxius. Hinc eum juſtitia exigat, ut ſuum cuique reddatur, reſtituendæ ſunt uſuræ ei, à quo fuerunt extortæ, quòd ſi iſte longè abſit, adhuc tenetur uſurarius illas ad eum mittere, & quidem propriis ſumptibus, ſi uſurarius diſceſſit à loco, ubi uſuras extorſit; alioquin expenſis abſentium, ſi illi, à quibus uſuræ ſuot extortæ, à loco illo receſſerunt. Quòd ſi ſumptus itineris ſummam excederent uſuræ, deberent tunc dari pauperibus, ut notat Gloſſa *in d. c. cùm tu v. non ſuperſtitibus.* Alij tamen contrarium ſentiunt, quia ſi ſumptus majores ſint, quàm valeat res reſtitnenda, id ſibi imputare debet uſurarius, quia ex ſua culpa damnum ſentit.

9 Rurſus à Pontifice *in d. c. cum tu.* declaratur, uſuras etiam ante decretum Concilij Lateranenſis perceptas reſtituendas eſſe; quia hæc obligatio fundatur in jure divino, & naturali, adeò ut non dupendeat per ſe à conſtitutione

tione humena, quamvis canonica, & eccleſiaſtica. Tum quia declarario alicujus legis retrorrahitur ad tempus factæ diſpenſationis, & lex declaratoria retrorrahitur ad præterita, ut docet Barboſa hic *n. 2. & ſequent*: hinc conſtitutio antiqui juris declararoria *in d. c. cum tu 5. h. t.* etiam extenditur ad præterita: ſiquidem uſuræ erant prohibitæ ante conſtitutionem Concilij Lateranenſis, ut habetur in *c. quia in omnibus 3. h. t.* ubi uſurarij manifeſti non admittebantur ad communionem altaris; & ita decedentes ſepeliebantur in loco non ſacro, & eorum oblationes à clericis non recipiebantur: hinc ſi quid ab eis accipiebant, tenebantur reſtituere, & erant ſuſpenſi donec ſatisfacerent ad arbitrium Epiſcopi.

10 Quamobrem uſuræ erant prohibitæ ante conſtitutionem Concilij Lateranenſis jure divino, & ideo Alexander III. *in d. c. cum 3. h. t.* non inducit novum jus, ſed declarat antiquum. Neque inducit novam pœnam uſuras exercentibus, ſed apponit modum per pœnam compellendi uſurarios ad reſtituendas uſuras iis, à quibus illas extorſerunt. Quinimò non ſolùm res ipſa, quam uſus, vel uſuræ nomine uſurarius accepit, reſtitui debet, ſed etiam æſtimatio ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, quod cauſavit; non minus, ac fur tenetur ad omne damnum, & intereſſe illi, cui furatus eſt.

11 Neque obſtat, ſi dicas, ad hujuſmodi damnum compenſandum eum non teneri, qui in pactum id non deduxit *l. ſi ſterilis 21. ff. §. cum per venditionem ff. de action. empt.* Nam contrà eſt, quia eſt diſcrimen inter contractus licitos, & illicitos, quibus eſt annexum delictum; in contractu illicito ratione delicti cenſetur ſtatim, & continuo delinquens eſſe in mora, qui proinde contrahit obligationem reſtituendi omnia damna, quorum fuit ipſe cauſa, eò quia illicitè contraxerit: generatim quando obligatio debitoris eſt in mora ex culpa gravi, qualis eſt uſura, tunc obligatio perpetuatur *l. quod te 5. ff. de reb. credit.* proinde ex tali obligatione oritur, ut delinquens moroſus teneatur ad damna reſarcienda, quæ ob talem moram obtigerunt. Immo tenetur etiam uſurarius ad reſtitutionem, tametſi Mutuatarius juraverit ſe ſoluturum uſuras, quia juramentum non confirmat pactum, quando hoc eſt iniquum, & eidem annexum eſt delictum; unde non obſtante juramento mutuatarij tenetur mutuator uſuras reſtituere.

12 Juvat obſervare, quòd bona Uſurarij, quamvis empta ex pecunia uſoraria, & ſive titulo oneroſo, ſive lucrativo pervenerint ad tertium: non propterea ſunt ipſo jure, & tacitè hypothecata, ſeu realiter obligata Mutuatario, eò quia debeant eidem ſolvi uſuræ: ſiquidem hæc hypotheca nullibi in jure tam canonico, quàm civili reperitur conſtituta, ut notat Covarruvias *lib. 3. reſol. c. 9. n. 6.* neque ſequitur ex natura rei; proinde hujuſmodi bona Uſurarij, quæ pervenerunt ad tertium non ſunt tacitè hypothecata Mutuatario pro uſuris ſolvendis: alioquin ſi eſſent hypothecata, nemo auderet contractus inire cum Uſurariis: ſiquidem quæcunque ab iiſdem acciperentur, ſive titulo oneroſo, ſive lucrativo eſſent ſtatim realiter obligata Mutuatariis pro ſolvendis uſuris; proinde qui talia bona emerent ab uſurariis, non eſſent tuti in conſcientia, quia tenerentur ipſi ratione talium bonorum ab Uſurariis emptorum ſolvere uſuras Mutuatarijs. Hinc ſi bona uſurarij transeant ad alium tertium nullum contrahunt onus reale, vi cujus debeant uſuræ ſolvi: ratio eſt, quia obligatio ſolvendi uſuras eſt perſonalis, & obligat Uſurarium: obligatio autem perſonalis non tranſit ad aliam perſonam niſi hæc fuerit hæres, quia hæc repræſentat perſonam defuncti in omnibus ejus juribus, & obligationibus perſonalibus, quibus ſuccedit.

Hinc uſurarius tenetur uſuras ſolvere ex bonis, quæ adhuc in ejus ſunt poteſtate: alioquin ſemper manet in ſtatu peccati, & ex bonis alienatis non poteſt ampliùs tales uſuras ſolvere, nec propterea à peccato ſuo liberari. Neque bona, quæ uſurarius acquiſivit, vel emit pecuniâ uſurariâ, & quæ tranſtulit ad tertiam perſonam, ſive per venditionem, ſive per quemcunque alium titulum poſſunt vindicari ab illo, cui ſunt uſuræ reſtituendæ, quia eo ipſo, quòd ſub titulo oneroſo transeunt in tertiam perſonam non ſubiiciuntur titulo hypothecæ; neque ſecum trahunt obligationem Uſurarij in ordine ad ſolvendas uſuras, quia hæc obligatio, cùm ſit perſonalis, afficit ſolam perſonam. Quòd ſi bona illa ab uſurario dono darentur alteri, vel titulo lucrativo, transferrentur in alium; tunc ex quadam æquitate poſſet Judex ſi deficerent alia bona uſurarij ea vendere, & ſolvere uſuras Mutuatariis. 13

An verò uſurarius gaudeat beneficio ceſſionis bonorum, ſicut alij debitores, adeò ut non poſſit conveniri poſt ceſſionem in ſolidum; ſed tantùm ſi ad pinguiorem fortunam devenerit. Reſpondent aliqui, teneri uſurarium uſuras reſtituere, & tantum duntaxat ſibi retinere, quantum ipſi ſufficiat pro neceſſariis alimentis, ut non cogatur mendicare *l. is qui 4. ff. de ceſſ. bonor.* Alij verò cenſent, hoc beneficium ceſſionis dari tantùm iis, qui ex caſu fortuito ad inopiam redacti ſunt; non verò iis, qui ex delicto condemnantur ad reſtitutionem; nemo enim debet beneficium conſequi, ex quo pœnam meretur *l. ne ex dolo 12. ff. de dolo l. non fraudantur 134. §. nemo ff. de reg. jur.* 14

Alij putant, in foro externo contentioſo uſurarium facta bonorum ceſſione non teneri reſtituere, niſi quatenus facere poteſt ſicut alius, qui bonis ſuis ceſſit: eò quia canones non contradicant, ſed potiùs videantur id confirmare ob charitatem in proximum exercendam, ne hic fame pereat: addunt tamen 15

men in foro conſcientiæ teneri ad totam reſtitutionem, tametſi debeat mendicatò vivere. Alij cenſent, nec in foro conſcientiæ poſſe uſuras ab uſurario integrè repeti, niſi deducto neceſſario pro victu, & veſtitu; adeò ut non egeat, ſi bonis omnibus cedat, eò qoia tale beneficium ceſſionis bonorum conceſſum ſit lege civili fundata non in præſumptione, ſed in veritate, proinde ejus diſpoſitio ſervari etiam debet in foro conſcientiæ.

16 Verùm ex his ſententiis prima videtur mitior, quia nimis durum foret, & contra charitatem proximi ob debitum privare uſurarium neceſſarijs alimentis; unde ſufficit, ſi teneatur reſtituere, & poſſit conveniri cùm primum ad pinguiorem fortunam devenerit.

17 Cæterum uſurarius non ſolùm tenetur reſtituere quidquid per uſuram accepit, ſed etiam omnes fructus perceptos à re fructifera; immo etiam ipſos, quos uſurarius ex negligentia, vel culpa ſua deſiit percipere; quia per hanc negligentiam eum læſit, à quo rem fructificam per uſuram accepit; & ſibi imputare debet, ſi neglexerit, tales fructus percipere, quos potuiſſet percepiſſe; & Dominus rei percepiſſet. Immo tenetur etiam reſtituere fructus, quos ipſe percepit, & quos fortâſſis Dominus rei non fuiſſet percepturus: quia eo ipſo, quòd ſunt fructus rei, debentur Domino rei, ſicut enim res illa non pertinet ad uſurarium, ſed ad Mutuatarium; ita etiam fructus ejusdem rei, qui cùm ſint acceſſorij, ſequuntur ſuum principale. Non tamen tenetur reſtituere froctus, quos neglexit percipere, ſi Dominus rei etiam ob ſuam negligentiam, vel ex alia cauſa non percepiſſet, quia non tenetur ratione rei alienæ: cùm nihil perceperit; nec quidquam apud ipſum extet: neque tenetur ratione injuſtæ acceptionis: quia nullos defacto fructus percepit; neque ut ſupponitur Dominus rei fuiſſet eos percepturus.

18 Quòd ſi uſurarius aliquos percepiſſet fructus, qoos fortâſſis Dominus rei neglexiſſet percipere; adhuc tenetur eos reſtituere, ut etiam omne damnum emergens, ſi mutuatarius rem ſuam viliùs vendiderit, vel ſi debuerit aliam domum conducere. Quòd ſi uſurarij deceſſerint; obligatio reſtituendi tranſit ad eorum hæredes, ſive clerici ſint, ſive laici, adeò ut ſi uſurarij in vita non reſtituerint uſuras, teneantur eorum hæredes, ſive filij ſint, ſive extranei, eas reſtituere Mutuatarijs, vel eorum hæredibus; ut deſumitur ex *c. tua nos 9. h. t.* ubi conſultus Pontifex, quid ſit de uſurariorum filiis obſervandũ, aut de extraneis, ad quos bona uſurariorum devolvuntur, reſcribit Alexander III. filios cogendos eſſe ad reſtituendas uſuras eâ diſtrictione, quâ parentes, ſi viverènt, cogendì eſſent; & addit, id ipſum etiam eſſe exercendum contra hæredes extraneos: ex quo textù liquet, filios, & extraneos hæredes uſorariorum eſſe iiſdem pœnis cogendos ad reſtituendas uſuras, quibus cogerentur defuncti uſurarij, ſi viverent: ſiquidem hæredes defuncti uſurarii ſuccedunt in omnibus juribus, & obligationibus defunctorum; adeò ut contrahant obligationem ad compenſandum pro quolibet debito defuncti, & damno ab eodem alteri injuſtè illato in rebus temporalibus, ut habetur *in c. ult. de ſepult.* quia actiones defuncti ſicut ſi ſint activæ tranſeunt ad hæredes: Ita etiam ſi ſint paſſivæ; hoc eſt, ſicut hæredes poſſunt agere ad compenſationem damni, quod defunctus in ſuis bonis injuſtè paſſus eſt ab aliis; ita viciſſim poſſunt hæredes conveniri ob damnum, quod ipſe defunctus aliis intulit. Juvat tamen obſervare, quòd non poſſint hæredes conveniri actione merè pœnali, quam incurrerat defunctus ob delictum ab ipſo patratum, quia actiones pœnales non tranſeunt ad hæredes, & pœna eſt perſonalis, quæ afficit ſolam perſonam delinquentis, & expirat cum morte defuncti, ut notat Covarruvias *lib. 3. reſol. 3. n. 7.*

An verò quando plures ſunt hæredes uſu- 19
rarij teneantur ſinguli reſtituere in ſolidum, Reſpondetur, ſingulos hæredes non teneri uſuras in ſolidum ſolvere, nec unum pro altero, tametſi ſolvere non poſſit, vel nolit; ſed ſinguli tantùm tenentur ſolvere juxta proprias portiones, quas acceperunt ex hæreditate: adeò ut ſi ſint quatuor hæredes ex partibus æqualibus, in quas diviſa fuit tota hæreditas; ſi defunctus ex uſura tenebatur centum reſtituere, ſinguli hæredes non teneantur niſi ad viginti quinque, quia ſi ſinguli ſolvant, completur numerus centenarius; & ſatisfit Mutuatario: ſin verò unus, vel alter nolit, vel non poſſit illa viginti quinque ſolvere, reliqui, qui ſolvunt, non tenentur ad plus, quàm ad illa viginti quinque, quia ſicut bona defuncti dividuntur inter hæredes pro rata, ſeu portione hæreditatis, ita etiam ejus obligationes perſonales, & debita dividi debent; quia tam commoda, quàm incommoda æqualiter inter hæredes debent dividi; qui enim ſentit commodum, æquum eſt, ut etiam fiat particeps incommodi.

Tum quia licèt ſinguli hæredes ſeorſim re- 20
præſentent defunctum non tamen ſinguli adæquatè repræſentant. Excipitur tamen, niſi res aliqua per vſuram acquiſita adhuc in ſpecie extaret apud Vſurarium; quia tunc res illa, quia aliena, eſſet integrè reſtituenda, tametſi uni tantùm ex hæredibus obtigiſſet: & huic compenſandum eſſet ex bonis aliorum hæredum, quia tenentur omnes concurrere ad ſatisfaciendum pro defuncto: reſtituitur enim tunc res illa, quæ in ſpecie extat, nomine defuncti; proinde ad talem ſolutionem tenentur omnes hæredes proportionaliter concurrere. Excipitur etiam, ſi poſt diviſionem hæreditatis, & priusquam cuilibet hæredum ſua aſſignaretur portio ex eorundem culpa contigerit, quo minus vſuræ ſolverentur.

tunc ſingulis hæredes in defectum cohæredum tenentur in ſolidum ſolvere: ratio eſt, quia tunc ex proprio delicto ad id tenentur.

21 Sin verò ſolutis legatis, & deducta legitima, vel qnarta falcidiæ hæredibus debita; adhuc ex hæreditate ſuperſint bona ad ſolvendas vſuras, & alia debita defuncti: tunc Legatarij non tenentur vſuras ſolvere in defectum hæredum, quamvis poſtea hi efficiantur impotentes ex quacunque cauſa ad ſolvendum: ratio eſt, qnia debita perſonalia defuncti tantùm tranſeunt ad eos, qui repræſentant perſonam defuncti, cujusmodi ſunt hæredes ſuccedentes in jura, & obligationes defuncti; Legatarij autem, & Donatarij mortis causâ, non repræſentant perſonam defuncti, proinde onera perſonalia ad ipſos non tranſeunt. Aliud tamen eſſet, ſi bona, quæ ſuperſunt ex ſolutis legatis, & ex deductâ legitimâ, ſeu quartâ ſalicidiæ non ſufficiant ad vſuras ſolvendas, quia tunc debet tantum ex legatis detrahi, ut etiam ex donationibus, & alijs ſervatâ proportione, quantum ſufficit ad ſolvendas vſuras: ratio eſt, quia ante omnia legata, & donationes, debent deduci debita, & illis ſolutis etiam quarta falcidiæ; & quod ſupereſt dandum eſt legatarijs.

22 Tenentur etiam Judæi vſutas reſtituere, & ad id compelli poſſunt à Principibus Chriſtianis, quia ſunt iniqni poſſeſſores rei alienæ; vel reſtitutioni obnoxiæ; neque enim Judæi melioris debent conditionis eſſe, quàm Chriſtiani *l. ſervius 4. ff. qnod vi, aut clam* & deſumitur *ex c. poſt miſerabilem 12. h. t.* ubi Innocentius III. præcipit, Judæos ad remittendas Chriſtianis vſuras compelli per Principes, & poteſtates ſæculares, donec eis remiſerint, & à fidelibus tam in mercimonijs, quàm in alijs per excommunicationis ſententiam communionem omnimodam denegari: ex quo textu colligitur, Judæos poſſe coërceri ab Eccleſia non quidem directè, cum non ſint membra Eccleſiæ; ſed indirectè, quatenus poteſt præcipere Principibus Chriſtianis, ut compellant Judæos remittere vſuras Chriſtianis, & Chriſti fidelibus ſub pœna excommunicationis, ut abſtineant à commercijs, & omnimodâ communicatione cum Judæis, donec remiſerint extortas vſuras: ex qno itidem deducitur, crimen vſurarum eſſe mixti ſori cum ab Eccleſia jubeantur Vſurarij Judæi coërceri per Principes, & poteſtates ſæculares.

23 Cum vſuræ crimen ſapiant furti, & rapinæ *c. ſi quis uſuram 14. q. 4.* pertinent perinde ac furtum ad tribnnal ſæculare; quia verò habent admixtam ſpiritualitatem, pertinent etiam ad forum ecleſiaſticum. Neque obſtat, quòd Eccleſia vſuras prohibeat, quia licèt id verum ſit; nullibi tamen prohibet, ne Judices ſæculares de illis cognoſcant: & quamvis Vſurarij dicantur puniendi per Judicem eccleſiaſticum; in pluribus tamen jutibus dicuntur etiam puniendi per Principes ſæculares, nt liquet *ex d. c. poſt miſerabilem 12. h. t.*

24 Immo licèt Judæi non poſſint ab Eccleſia directè excommunicari, eò quia non ſint membra ipſius, nec ejus ſubijciantur jurisdictioni, poteſt tamen Eccleſia etiam directè compellere Judæos ad vſuras reſtituendas, quatenus hoc crimen eſt etiam eccleſiaſticum, & Judæi peccant contra legem ſuam, & legem naturæ, ſi uſuras exerceant; adeò ut ratione delicti conveniri etiam poſſint coram Judice eccleſiaſtico. Hinc etiam Innocentius III. in Concilio Generali Lateranenſi, quod refertur *in c. quanto 18. h. t.* ſtatuit, ut ſi de cætero; quocunque prætextu Judæi à Chriſtianis graves & immoderatas vſuras extorſerint Chriſtianorum eis participium, ſeu communio ſubtrahatur, osque ad competentem ſatisfactionem; & Chriſtiani per ſententiam excommunicationis quavis appellatione poſtpoſita compellantur ab eorum commercijs abſtinere.

Rurſus Principibus Chriſtianis præcipit, 25
ut propter hoc non ſint Chriſtianis infeſti, ſed potiùs à tanto gravamine cohibeant Judæos. Simulque decernit, ut compellantur ſatisfacere Eccleſijs pro decimis, & oblationibus, quas à Chriſtianis de domibus, & poſſeſſionibus percipiebant, antequam ad Judæos perveniſſent; neque ex eo, quòd per hunc textum Judæi dicantur compelli ad reſtituendas vſuras graves, & immoderatas inſerri debet à ſenſu contrario poſſe ab ijsdem uſuras moderatas exigi: ſiquidem argumentum à ſenſu contrario ceſſat, quoties contrarium in jure ſtatuitur: & quia *c. poſt miſerabilem 12. h. t.* Urbanus III expreſsè præcipit, ut Judæi compellantur ad vſuras omnes reſtituendas, tametſi graves, & immoderatæ non fuerint; ideo illatio argumenti à contrario eſt etiam in jure prohibita, adeo ut omnes uſuræ etiam quæ non ſunt graves, nec immoderatæ, debeant reſtitui: ſiquidem quidquid ultra ſortem exigitur uſura eſt; proinde injuſtè exigitur hoc tantùm diſcrimine, quòd ſi immodicum ſit, quod ultra ſortem exigitur, uſura ſit etiam immodica; & ſi modicum ſit, quod accipitur ultra ſortem ſit etiam uſura modica, & parva, poſſitque eſſe ſolùm peccatum veniale, ſi non graviter lædat bona mutuatarij.

Non ſolùm Judæi, verùm etiam alij uſu- 26
ratij infideles eodem modo poſſunt adigi ad reſtituendas vſuras, immo etiam cooperantes ad uſuras exigendas, ſi ſe teneant ex parte uſurarij mutuantis, ſintque cauſa efficax, cur uſuræ exigantur, quæ aliàs non ſolverentur, & mutuum potiùs daretur gratis; quia ſic cooperantes peccant, & ſunt cauſa vſurarum, conſequenter tenentur & ipſi uſuras ſolvere, ſeu reſarcire damnum illatum mutuatario ob exactas vſuras; ſi non primariò, & principaliter ſaltem ſecundariò, ſi uſurarius nolit ipſe uſuras reſtituere, vel non poſſit. Sin verò cooperatores ſe teneant ex parte mutuatarij petentis mutuum, non tenentur ad reſtitutionem, tametſi peccent; quia ex conſenſu, & voluntate ipſius mutuatarij cooperantor; proinde nil agunt contra juſtitiam; ſcienti enim, & volenti non fit injuria.

27 Quamobrem tantùm cooperantes ad uſuram, & qui ſe tenent ex parte mutuantis tenentur ad reſtitutionem, ut ſi Titius conſulat, vel ſuadeat Caio inire contractum uſurarium, vel ut mutuet cum uſuris, tenetur Titius in ſolidum ad reſtitutionem ſaltem in caſu, quo non poſſit Cajus uſuras reſtituere, vel nolit; quia tunc conſilium eſt cauſa damni. Quòd ſi Cajus iniret ex ſe contractum uſurarium, vel mutuaret cum uſuris; & deinde conſuleret illi Titius, ut uſuras ſibi ex pacto promiſſas reciperet; tunc cenſent plures, non teneri Titium ad reſtituendas uſuras, eò quia ante ejus conſilium Cajus jam contraxerat iniquè, & damnum jam erat illatum: & licèt Titius potuerit impedire receptionem uſurarum, non tamen tenetur ex officio, ſed ſolùm ex lege charitatis.

28 Verùm putârim procedendum cùm diſtinctione ſi revera conſilium Titij tantùm ſit poſt abſolutum contractum uſurarium, adeò ut nihil præſtiterit ad uſuras acquirendas; tunc verum eſt, non oriri in ipſo obligationem reſtituendi: ſecus, ſi aliquid præſtitit ut uſuræ acquirerentur, tunc contrahit obligationem reſtituendi, ſaltem in caſu quo mutuator nolit eas reſtituere, quia per tale conſilium fuit cauſa, cur mutuatarius damnum pateretur in ſuis bonis.

29 Hinc etiam Judices, Domini temporales, & Principes, qui lege, vel ſtatuto, vel quovis alio modo decernunt ſolvi uſuras, & per præceptum, vel ſententiam adigunt ſubditos debitores ad ſolvendas promiſſas uſuras, ut etiam ſi prohibeant, vel impediant, ne uſuræ jam ſolutæ repetantur, & reſtituantur, tenentur & ipſi ad reſtitutionem in ſolidum, ſi Uſurarius non poſſit, vel nolit reſtituere; ut habetur in *clement. ex gravi unic. h. t.* ubi anathemate percutiuntur officiales communitatum, qui faciunt, ſcribunt, dictant, ſtatuta, ut uſuræ ſolvantur, vel ſolutæ non reſtituantur, cùm repetuntur; vel ſi ita judicant, & hæc cum præſumptione. Similiter ſi dicta ſtatuta intra tres menſes non deleant à libris communitatum, ſi poſſint; vel ſi prædicta ſtatuta, vel conſuetudines obſervare præſumpſerint excommunicantur. Fœneratores itidem, quando agitur de cauſa uſuraria coguntur per cenſuras eccleſiaſticas producere ſuos libros rationum.

30 Hoc tamen limitatur, ſi Domini temporales permittant uſuras exerceri impunè ad declinanda majora incommoda, & impedienda graviora mala; dummodo illis nullum auxilium præbeant, nec in peccato participent, quia tunc non cenſentur eſſe cauſa efficax uſurarum. Immo Lugo *de juſtit. diſp. 25. ſect. 11. n. 219.* Navarrus *lib. 5. conſil. 33. h. t. n. 3.* ait moris eſſe in ſtatu eccleſiaſtico, & etiam Romæ, ut Chriſtiani compellantur ſolvere uſuras Judæis promiſſas, & Judæos non adigi ad ſolvendas eas Chriſtianis; quia tametſi id ſit intrinſecè malum, & jure naturæ prohibitum, non tamen eſt intrinſecè malum, ſi ſubditi debitores cogantur illas ſolvere, non ut debitas, ſed ob alias juſtas, & publicas cauſas exigentes, congruere bono publico, ut tales uſuræ ſolvantur. Lugo etiam addit rationem, quia licèt mutuans peccet contra juſtitiam, ſi exigat uſuras, ut etiam eum adjuvantes invito mutuatario; non tamen peccat ipſe mutuatarius contra juſtitiam, nec contra charitatem, ſi juſtam cauſam habeat petendi mutuum, quod non poſſit aliter obtinere, niſi ſe obliget ad ſolvendas uſuras; quo fit, ut poſt acceptum mutuum, poſſit licitè promiſſas uſuras ſolvere: & præſertim ſi ſub juramento promiſit, ſe uſuras ſoluturum, tunc enim non ſolùm licitè poteſt illas ſolvere, ſed etiam ad id tenetur, niſi petat abſolutionem à juramento; quamvis mutuans non obſtante quòd mutuatarius juraverit ſe ſoluturum uſuras, non poſſit eas licitè exigere: tenetur tamen mutuatarius ſtare ſuo promiſſo jurato: ratio eſt, quia non eſt peccatum dare uſuras ſi quis mutuum neceſſitate adactos arripit; quamvis peccatum ſit uſuras accipere; & ideo ex parte mutuatarij jurantis, ſe ſoluturum uſuras, cum poſſit juramentum impleri abſque diſpendio ſalutis æternæ, tenetur illud ſervare *c. 2. de pact. in 6.*

Secus mutuans non obſtante juramento mutuatarij non poteſt ſine peccato uſuras exigere; conſequenter tenetur, vel uſuras remittere antequam ſolvantur, & mutuatarium abſolvere à juramento: vel ſi eas jam exegit, tenetur eas reſtituere mutuatario, ne ex injuſtitia lucrum reportet, ut habetur *in c. tuas dudum 13. h. t.* ubi cùm quidam Vſurarij, eos, quibus mutuas dabant pecunias cogerent ad præſtandum juramentum de uſuris ſolvendis, & de ſolutis non repetendis. Reſcribit Vrbanus III. & mandat, Vſurarios monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compelli, ut ante Vſurarum ſolutionem ab earum exactione deſiſtant, vel ſolutas reſtituant, ne de dolo, & fraude commodum reportent. Dolus autem & fraus in hoc textu conſiſtunt in eo, quia hujuſmodi Vſurarij putarent, mutuatarios religione juramenti poſſe compelli ad uſuras ſolvendas. Unde Pontifex non obſtante juramento, quod exigunt Vſurarij ab iis, à quibus uſuras exigunt mandat reſtitui uſuras, ſi ſint ſolutæ, vel remitti, ſi nondum ſint ſolutæ. 31

Cæterum ſi mutuatarius iuraverit, ſe non repetiturum ſolutas uſuras, adhuc poteſt petere abſolutionem juramenti *argu. c. ſi verò 8. de jurejur.* ſicut etiam petere à Judice coram quo convenitur, ut ex vi ſui officij cogat Vſurarium ſibi juramentum remittere, & etiam deſiſtere ab actione uſurarum nondum ſolutarum, ut deſumitur *ex d. c. tuas dudum 13. h. t.* Immo poteſt etiam, qui juravit, non repetere uſuras, id denunciare Eccleſiæ, ut liberetur à juramento; nullum enim juramentum poteſt obligare, quin poſſit quis denuntiare eccleſiæ criminoſum *c. quemadmodum 25. in fin.* 32

fin. de jurejur. neque id adverſatur charitati,
quin potiùs mutuatarius, qui juravit non re-
petiturum ſolutas uſuras, intendit potiùs im-
pedire peccatum mutuatoris, quod eſt in favo-
rem ejuſdem, non in damnum. Cæterum
Judex poteſt ex officio Vſurarium compellere
ad juramentum relaxandum, & ad reſtituendas
exactas uſuras.

33 Sin verò mutuatarius, qui juravit, ſe non
repetiturum uſuras, intendat eas repetere, de-
bet tunc priùs petere abſolutionem, ſeu rela-
xationem juramenti, ut notat Gloſſa *in d. c.
tuas 13. V. deſiſtere h.t.* Quòd ſi non petat re-
laxationem juramenti, & Judex ex officio pro-
cedat, cogátque Vſurarium ad reſtituendas u-
ſuras; tunc non eſt neceſſe, ut mutuatarius
abſolvatur à juramento, quia ipſe nil tunc agit
contra juramentum: quia ipſe tantùm juravit
ſe non repetiturum uſuras; non verò, ſe non
recepturum, ſi ei reſtituantur.

34 An verò is etiam teneatur uſuras reſti-
tuere, qui ſuas pecunias depoſuit apud Vſura-
rium, quem novit eſſe Fœneratorem. Reſpon-
detur cum D. Thoma *2. 2. q. 78. art. 4.* non
peccare, ſi aliàs Fœnerator proprias habeat
pecunias, quas conſueverit mutuare, & ex illis
uſuras exigere, quia tunc pecuniæ, quæ apud
ipſum deponuntur, non dantur fœnori, ſed tan-
tùm in depoſitum; & Fœnerator eas tantùm
fideliter cuſtodit, nec dat alijs; ut ex ipſis uſu-
ras exigat. Peccaret verò qui ſuas pecunias
deponeret apud fœneratorem, ſi is nullas alias
haberet pecunias, eò quia tunc daret illi anſam
exigendi uſuras ex tali pecunia: non tamen hoc
peccatum eſſet contra juſtitiam, ſed ſolùm con-
tra charitatem; quia qui pecunias deponit, non
tenetur ex officio impedire Fœneratorem,
ne fœneretur, & uſuras exigat: neque obſtat
quòd det illi occaſionem fœnerandi deponendo
apud ipſũ ſuas pecunias; quia ipſe non deponit
apud Fœneratorem pecunias ſuas, ut fœnere-
tur, & uſuras ex illis exigat; immo ſi id ſci-
ret non deponeret apud ipſum ſuas pecu-
nias, quas intendit tantùm dare in depoſitum,
nimirum ut eas fideliter cuſtodiat, & conſer-
vet; non verò ut illis utatur ad exigendas uſu-
ras: unde qui deponit apud Fœneratorem ſu-
as pecunias, utitur jure ſuo, quia habet jus de-
ponendi ſuas pecunias apud alium.

Putârim tamen eſſe procedendum cum
35 diſtinctione, ſi deponens pecunias eas ob ne-
ceſſitatem aliquam, vel utilitatem deponat;
tunc ad nihil tenetur, quia poteſt quiſque li-
citè uti jure ſuo: ſin verò abſque ulla neceſſi-
tate, aut utilitate eas deponat apud Fœnerato-
rem, quem novit eſſe talem, tunc vix excuſatur
à peccato, ſaltem ob periculum, quòd fœnera-
tor non mutuet ſtatim alteri pecunias, & ex
ipſis uſuras exigat, non tamen peccat contra
juſtitiam, quia non tenetur ex officio uſuras
impedire, ſed tantùm ex lege charitatis. Quid
verò dicendum ſit de Confeſſario, qui ſi au-
diat confeſſionem uſurarij, eum non monet,
quòd teneatur uſuras reſtituere, an tunc ipſe
confeſſarius teneatur ad reſtitutionem in ſoli-
dum Sylveſter V. *reſtitutio 3. q. 7.* aſſerit, te-
neri Confeſſarium ad reſtitutionem in ſolidum
ſi ex denegatione admonitionis ſequatur, ut
non fiat reſtitutio. Sed melius reſpondent
alij, quòd ſi Confeſſarius, ſive interrogatus,
ſive non interrogatus verbis ſuis ſit in cauſa,
ut reſtitutio non fiat, tunc teneatur ad re-
ſtitutionem in ſolidum, eò quia ſe habeat, ut
conſulens, vel inducens alium ad non reſti-
tuendas uſuras: cùm enim ſit cauſa, cur non
reſtituantur uſuræ, eſt etiam cauſa damni il-
lati Mutuatario ob extortas uſuras à Mutua-
tore. Sin verò Confeſſarius ſolùm deſinat ad-
monere pœnitentem de uſuris reſtituendis.
Communior ſententia eſt, non teneri tunc
Confeſſarium ad reſtitutionem in ſolidum, eò
quia non teneatur ex officio conſulere bono
tertij; ſed tantùm bono pœnitentis, & qui-
dem ex ſola lege charitatis.

An verò Notarij ſcribentes inſtrumentum, 36
in quo continentur uſuræ, teneantur reſtitue-
re? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi inſtru-
mentum contineat uſuram, quæ in ipſo non
exprimitur, eò quia in inſtrumento dicatur,
Petrum debere centum Paulo, cùm tamen
tantùm debeat 95. vel Paulum mutuâſſe Petro
centum, cùm tamen ſolùm mutuaverit 95.
tunc Notarij obligantur ad reſtitutionem,
quia ex vi confecti inſtrumenti exigitur po-
ſtea, & ſolvitur uſura, quòd ſi inſtrumentum
apertè contineat uſuram, quæ in illo expri-
matur, tunc Notarij non obligantur ad re-
ſtitutionem, quia vi hujuſmodi inſtrumenti
Mutuatarius non poteſt cogi in judicio ad
reſtituendas uſuras, niſi loci conſuetudo, vel
lex ſit in contrarium, ut docent Hoſtienſis *in
ſumma tit. de uſur. §. in alijs autem caſibus. §.
17. n. 2. 15.* Geminianus *de uſur. conclus. 3. §.
2. n. 25.*

Quòd ſi notarius inſtrumentum quidem
faciat, non tamen in gratiam uſurarij mutuan- 37
tis, ſed in gratiam Mutuatarij petentis mu-
tuas pecunias, tunc reſpondet Navarrus *c. 17.
n. 276.* eum peccare quidem mortaliter, non
tamen teneri ad reſtitutionem, eò quia ad
petitionem mutuatarij, & in gratiam illius
inſtrumentum confecit. Quòd verò peccet
mortaliter, ex eo evincitur, quia eſt perjurus:
ſiquidem Notarij cùm primùm creantur ju-
rant ſe non facturos hujuſmodi inſtrumenta
continentia uſuras. Alij verò excuſant tunc
Notarium à peccato mortali, ſi non juraverit
ſe facturum hujuſmodi inſtrumenta, & ſi poſt
initum contractum uſurarium vocatus, &
rogatus à mutuatario inſtrumentum in ejus
gratiam conficiat; quia tunc Notarius tantùm
teſtificatur id, quod jam eſt factum, non enim
ipſe contractum conficit, ſed ſupponit jam
factum, & tantùm ſcribit, & teſtificatur, quod
alij fecerunt. Tum quia in Bulla Julij III. cui
initium eſt *cùm ſicut accepimus* dicitur, quòd
Notarij Chriſtiani poſſint inſtrumẽta conficere
in omnibus contractibus celebratis inter Chri-

ſtianos, & Judæos juxta formulam Capitulorum ipſorum toleratis, & permiſſis.

38 Verùm vix videtur poſſe excuſari Notarius ille à peccato gravi, ut notat Sylveſter V. *uſura 7. q. 7.* quia revera tale inſtrumentum non eſt pura, & ſimplex teſtificatio quomodocunque, ſed eſt tale, ut ejus vi exigantur poſtea, & ſolvantur uſuræ; ex eo enim, quòd Mutuator oſtendat tale inſtrumentum, non poteſt Mutuatarius negare, ſe ita contraxiſſe, & ex vi talis inſtrumenti ſolvit uſuras.

39 Neque obſtat Bulla Julij III. quia in ea ſolùm generaliter dicitur, quòd notarij poſſint inſtrumenta conficere in contractibus celebratis cum Judæis toleratis, & permiſſis: tales autem non ſunt contractus uſurarij, qui præſertim inter Chriſtianos non tolerantur, nec permittuntur. Cæterum etiam in terris ubi uſuræ coguntur à Chriſtianis ſolvi Judæis, vel ex Principis ſtatuto, vel ex inolita conſuetudine, in tali caſu non videtur Notarius peccare; quia ejus inſtrumentum eſt tantùm teſtimonium veritatis, perinde ac ſi teſtis aliquis diceret ſuum teſtimonium coram Judice, ſcilicet uſurarium contractum fuiſſe initum tali anno, tali loco, inter talem Chriſtianum, & talem Judæum. Quòd ſi lex nulla, nec conſuetudo obligaret ad ſolvendas uſuras, tunc Notarius teneretur in ſolidum.

40 De famulis autem, & Miniſtris Fœneratorum vedetur etiam poſſe dubitari, an teneantur ad reſtituendas uſuras. Reſpondetur, quòd ſi ipſi nomine Fœneratorum, quorum ſunt famuli, uſurarium contractum ineant; utique tenentur in ſolidum ad reſtitutionem, non quidem primariò, & principaliter, ſed ſecundariò, ſi ipſi fœneratores non poſſint, vel nolint, uſuras reſtituere: quia cùm tunc famuli miniſtri fuerint cooperati ad contractum uſurarium ineundum, fuerunt etiam cauſa damni tertij, quod propterea tenentur reſarcire in defectu principalis. Quòd ſi famuli non fuerint cooperati in contractu uſurario ineundo, ſed ſolùm ſervierunt poſt factum contractum uſurarium ſcribendo mutuom, vel pignora, vel recipientes tantùm uſuras, quas ſolvit Mutuatarius; vel tantùm petunt à Mutuatario ſolutionem uſuræ, vel ſervant, aut numerant pecuniam in dando, & accipiendo mutuum, tunc eos non peccare, nec teneri ad reſtitutienem docent Lupus, Geminianus *de uſur. concluſ. 3. n. 34.* Sylveſter *V. uſura 7. q. 4.* Sotus *lib. 6. de juſtit. q. 1. art. 4.* eò quia hujuſmodi famuli nihil tunc cooperentur in contractu uſurario; quæ ſententia eſt valde probabilis, licèt Navarrus *c. 17. n. 267.* aſſerat, famulos illos peccare, & teneri ad reſtitutionem, tametſi nihil ex uſuris ad ipſos pervenerit; eò quia noverint, pecuniam illam eſſe uſurariam.

41 De tutoribus, Curatoribus, & Adminiſtratoribus poſſet etiam dubitari, an & ipſi teneantur ad reſtitutionem. Communis ſententia eſt, quòd ſi in nomine proprio extorqueant uſuras inſciis, & inconſultis iis, quorum bona adminiſtrant, teneantur ad reſtitutionem in ſolidum, & quidem primariò & principaliter: quia illi quorum bona adminiſtrant non tenentur niſi quatenus aliquid ex uſuris converſum eſt in bonum ipſorum. Sin verò Tutores, Curatores, & Adminiſtratores uſuras exerceant ex conſenſu eorum, quorum bona adminiſtrant; tunc utrique tenentur ad reſtitutionem in ſolidum, ſed principaliter ij, quorum nomine uſuræ ſunt acceptæ, alij verò ſecundariò, & minus principaliter, hoc eſt, ſi primi nolint, vel non poſſint reſtituere, ut docent Innocentius *in c. Michael 17. h. t.* ubi Urbanus III. cùm Michael laicus quereretur, quòd quidam alij Bononienſes cives multa ab eo extorſerint, & à patre ſuo, cujus hæres extitit, nomine uſurarum, prohibet Pontifex ne nomine ſuo procedat Epiſcopus, niſi dictus conquerens reſtituerit, vel adhuc teſtituat, ſi quas aliquando ipſe, vel pater ejus extorſerit uſuras. Speciale eſt enim in hoc crimine, ut uſurario non concedatur ſuper uſuris actio, nec fiat gratia, niſi priùs reſtitutis uſuris, quas ipſe vel pater ipſius ab aliis extorſerint; ubi notat Gloſſa etiam per hunc textum teneri filium ex delicto paterno uſurarum.

§. IX.

De Foro competente criminis uſuræ, & pœnis jure ſtatutis contra uſurarios.

Tametſi non deſint, qui cenſeant, crimen uſuræ eſſe merè eccleſiaſticum, & de ipſo cognoſcere ad ſolum pertinere eccleſiaſticum Judicem; eò quia in *clementin. 2. de judic.* cauſa uſurarum recenſeatur inter eccleſiaſticas; & uſurariis anathemate feriantur à Judice eccleſiaſtico; nihilominus alij procedunt cum diſtinctione, & aſſerunt, hoc crimen in quæſtione juris pertinere quidem ad Judicem eccleſiaſticum, non ita in quæſtione facti, quia tunc dicunt eſſe mixti fori. Id intereſt diſcriminis inter quæſtionem juris, & facti; quia tunc habetur quæſtio juris, quando quæritur, an contractus qui initur, ſit uſurarius, vel non, & tunc cognoſcere de hac quæſtione dicunt pertinere ad ſolum judicē eccleſiaſticū; eò quia tunc agatur de peccato, de quo ſolus Judex eccleſiaſticus cognoſcit: queſtio verò facti; tunc habetur, quando poſtquam conſtiterit, contractū eſſe uſurarium, poſtea agitur tantùm de repetitione uſurarum; quomodo, & quando ſint hæ reſtituendæ, ac inhibendæ, & de hac quæſtione volunt utrumque Judicem eccleſiaſticum, ac laicum poſſe cognoſcere, illum inter laicos, hunc inter clericos, ut notat Julius Clarus §. *uſura n. 8.* 1

Communior tamen ſententia, cui adhærendum puto, aſſerit, crimen uſuræ eſſe mixti fori, & poſſe de ipſo cognoſcere utrumque Judicem eccleſiaſticum, & ſæcularem in quæſtione 2

ſtione tam juris, quàm facti, ut docent Pirhing *lib. 5. tit. 19. ſect. 6. §. 1. n. 142.* Covarruvias *lib. 3. reſolut. c. 3. n. 1.* Farinacius *q. 8. n. 140. concluſ. 4.* Ratio eſt, quia nullibi in jure canonico prohibentur ſeculares Judices cognoſcere de crimine uſuræ inter laicos, quinimò *in c. poſt miſerabilem 12. h. t. & in c. quamquam ult. h. t. in 6.* permittitur laicis, ut poſſint cognoſcere de uſuris. Neque obſtat, hoc crimen uſuræ eſſe prohibitum lege divina, naturali, & canonica; quia etiam homicidium, furtum, adulterium, & alia id genus delicta prohibentur jure divino naturali, canonico; & nihilominus de iſtis poſſunt judices laici cognoſcere: cùm igitur crimen uſuræ non plus contineat ſpiritualitatis, quàm homicidium, aut furtum, ideo de ipſo poterit etiam Judex laicus judicare juxta regulas juris canonici, non verò ſecundùm leges civiles; quia iſtæ quoad crimen uſuræ fuerunt abrogatæ à jure canonico. Et licèt uſurarii laici juxta leges canonicas eccleſiaſticis cenſuris, & aliis canonicis pœnis coerceantur; non inde ſequitur, hoc crimen non eſſe mixti fori; ſed tantùm quòd laici poſſint etiam conveniri coram Judice eccleſiaſtico, & ab eodem puniri, ſi contumaces fuerint, & eccleſiæ parêre detrectaverint, etiam per cenſuras eccleſiaſticas.

3 Cæterum debet Judex eccleſiaſticus in crimine uſurarum procedere in ordine judiciario de plano, ſimpliciter abſque ſtrepitu, & figura judicij, ut ſtatuitur in *clement 2. de judic.* Sin verò uſuræ repetantur in foro ſæculari contra laicum, poteſt Judex ſæcularis in ſuo foro procedere juxta proprium ordinem judiciarium, quia Pontifex hunc ordinem non abrogat, ſed tantùm indicat, quomodo procedendum ſit in foro eccleſiaſtico.

4 Ut autem quis puniatur, ut uſurarius, debet priùs hoc crimen probari in judicio; variis autem modis poteſt aliquis probari, quòd ſit uſurarius manifeſtus. Primò ex evidentia facti, hoc eſt ſi publicè in foro omnibus videntibus contractus celebraverit uſurarios, & ſub uſuris pecunias alijs mutuaverit; & quidem frequenter, quia frequentia actuum ſufficit ad convincendum uſurarium manifeſtum, ut notat Maſcardus *de Probat. vol. 3. concluſ. 1418. n. 3.* addit tamen id procedere tantùm quoad ſententiam Judicis declaratoriam; non verò quoad condemnatoriam. Ille dicitur uſurarius manifeſtus, qui talis eſt manifeſtè facto, vel jure, ſcilicet vel per notorietatem, ſeu evidentiam facti; adeò ut conſtet, ipſum palam, & coram populo exercuiſſe uſuras, & plores id ita teſtentur, ut uſurarius nulla tergiverſatione ſuum poſſit crimen occultare: & quando crimen eſt notorium hac notorietate facti, non requiruntur plures actus, ſed unus ſufficit ad conſtituendum uſurarium manifeſtum, dummodo publicè illum exercuerit coram frequentia populi, ut notat Menochius *de arbit. jud. caſ. 235. n. 6.*

5 Verùm frequentia actuum licèt non ſit neceſſaria in actu ſecundo, requiritur tamen in actu primo; adeò ut uſurarius manifeſtus paratus ſit omnibus mutuum fœnori dare. Is verò dicitur jure eſſe uſurarius manifeſtus, qui per Judicis ſententiam de crimine uſuræ eſt condemnatus. Secundò uſurarius manifeſtus probatur etiam per propriam confeſſionem in judicio; adeò ut uſurarius fateatur dediſſe mutuò ſub uſuris pecunias publicè ſæpius, vel domi frequenter; immo etiam probatur per confeſſionem factam extra judicium coram ſacerdote, vel Notario, vel etiam coram teſtibus; adeo ut notitia ad plures pervenerit, ut docent Covarruvias *lib. 3. reſol c. 3. n. 4. §. 3.* Maſcardus *de probat. volum 3. concluſ. 1418. n. 3.* Hinc tertiò probatur per idoneos teſtes duos ſaltem, vel tres, qui teſtentur vidiſſe frequenter, eum ſub uſuris mutuâſſe pecunias alijs. Quartò etiam per publicam famam, communem opinionem, adeò ut teſtes deponant ſe audiviſſe, eum eſſe publicum uſurarium, & quidem à majore parte populi.

6 Verùm debent, tunc concurrere etiam alia adminicula, quia ſola fama non ſufficit ad plenam probationem, ut probat Maſcardus *concluſ. 1417. n. 28.* & id etiam deſumitur *ex c. cum in diœceſi 15. h. t.* ubi cum in Diœceſi Altiſſiodorenſi plures eſſent uſurarij manifeſti, contra quos propter timorem potentum, qui iisdem patrocinabantur, nullus accuſator appareret, nec iidem per ſententiam eſſent condemnati. Reſcribit Urbanus III. quòd licèt contra illos non appareat Accuſator, ſi tamen aliis argumentis conſtiterit, eos eſſe uſurarios manifeſtos, poſſe in eos liberè exerceri pœnam à Concilio Lateranenſi impoſitam contra uſurarios: ex quo textu claret, ſolam famam de uſuris exactis non facere aliquem uſurarium manifeſtum; etiam quoad pœnas juris incurrendas; ſed ultra famam requiriri etiam alia argumenta urgentia, manifeſta, ut quis condamnetur tanquam uſurarius.

7 Quòd ſi nullus adeſſet Accuſator, adhuc deberet Judex ex ſuo officio per inquiſitionem procedere contra uſurarios, ſi notorij, & manifeſti eſſent; quia tunc ſi adſint alia argumenta, & indicia efficacia poſſunt condemnari, ut uſurarij. Deſumuntur verò hæc argumenta ex eo, quòd merces vendiderint cariore pretio ob dilatam ſolutionem, vel quia res emebant cum pacto retrovendendi cariori pretio; vel quia plura apud ipſum reperiantur contractus ſcripti uſurarij. Tunc Judex ex officio contra illos procedit liberè, pœnáſque eis infligit jure ſtatutas, etiam non obſtante appellatione, ut notat Joannes Andreas *in d. c. cum in Diœceſi V. liber. & V. exercere.*

8 Immo ſolent etiam uſurarij manifeſti convinci ex libris rationum; quia tamerſi hi libri non probent in favorem ſcribentis *l. rationes 6. C. de probat.* probant tamen contra ipſum ſcribentem, ut notat Maſcardus *de probat. vol. 3. concluſ. 1418.* Et etiam deſumitur *ex clement.*

ment. unic. h. t. ubi fœneratores quando agitur de cauſa uſuraria coguntur producere ſuos libros rationum: idque etiam procedit de hæredibus uſurariorum, cum & iſti teneantur uſuras defunctorum, quorum ſunt hæredes reſtituere. Quòd ſi uſurarij, vel etiam eorum hæredes negent, ſe habere rationes, vel dicant ſe illas amiſiſſe, non eſt ipſis credendum, tametſi id aſſerant cum juramento, niſi probent, ſe illas amiſiſſe caſu fortuito, vel periiſſe incendio. Cæterum poſſunt uſurarij, & eorum hæredes non ſolùm compelli per cenſuras eccleſiaſticas ad libros edendos rationum; ſed etiam poſſunt Miniſtri juſtitiæ vio-
9 lenter eorum domus ingredi, & ciſtas, vel armaria infringere.

Pœnæ autem jure canonico impoſitæ contra uſurarios, plures ſunt. Prima eſt, ut uſurarij ſint ipſo jure tam civili, quàm canonico infames *l. improbus fœnus C. ex quib. cauſ. infamia irrogetur c. infamis 3. q. 7. §. porro.* adeò ut Clericus uſurarius ſit ipſo jure infamis, ut notat Abbas in *c. inter dilectos de exceſſu Prælatorum*: & quia infames ab honoribus, & dignitatibus excluduntur, immo etiam à gerendis negotiis, quæ prohibentur infamibus, ut à poſtulando, ſeu patrocinio *l. 1. ff. de poſtul. à teſtimonio*, ideo etiam uſurarij, eo ipſo, quòd infamiam incurrunt, excluduntur ab omnibus præcenſitis. Hinc clericus uſurarius repellitur ab officio obtinendo, ut notat Gloſſa *in c. preterea de uſur.* Verùm Epiſcopo permittitur, ut hanc poſſit infamiam tollere pro eccleſiaſtico beneficio obtinendo, dummodo priùs clericus reſipuerit, & pœnitentiam egerit; hinc eſt etiam ab officio, & beneficio ſuſpendendus per ſententiam Judicis, ut deſumitur *ex c. præterea ex h. t.* ubi Alexander III. mandat Epiſcopo, ad quem ſcribit, ut Parochianis ſuis interdicat uſuras recipere; qui ſi parère contempſerint, & clerici ſint, jubet, eos ab officio, & beneficio ſuſpendi; ſin verò laici uſque ad condignam ſatisfactionem ipſos vinculo excommunicationis adſtringi: ex quo textu notat Gloſſa, Clericos uſurarios eſſe ſuſpendendos ab officio, & multò fortiùs eos repelli ab illis obtinendis, cùm nec Epiſcopus poſſit ſuper illis di-
10 penſare, eòquia uſurarij manifeſti ſint infames.

Communior tamen ſententia eſt, poſſe Epiſcopum diſpenſare in ſuſpenſione circa beneficia obtenta, ut notat Barboſa in *d. c. præterea. 7. n. 4. h. t.* quod tamen intelligitur poſt pœnitentiam, & ſatisfactionem datam; quia quoad beneficia jam obtenta Clericus uſurarios ob infamiam etiam juris non eſt ipſo facto eo privatus: unde infamia juris ſolùm reddit clericum uſurarium ob infamiam inhabilem quoad beneficium obtinendum ſine Papæ diſpenſatione, ut notat Cavarruvias *lib. 3. reſol. c. 3. n. 3.* Cæterum Clericus uſurarius non eſt ſtatim deponendus ab ordine, officio, & beneficio; ſed priùs monendus eſt, ut deſiſtat ab uſuris exercendis, et ſi monitus nolit deſiſtere, ſuſpendendus eſt ab officio, & beneficio ut habetur *in c. preterea 7. h. t.* Quòd ſi adhuc perſeveret in ſua contumacia, deponendus eſt, ac verbaliter degradandus, ut habetur *in c. 1. diſt. 47.*

Secunda pœna eſt, ut laici uſurarij mani- 11
feſti anathemate feriantur, idque deſumitur *ex d. c. Præterea 7. h. t.* ubi Alexander III. mandat, laicos uſurarios manifeſtos excommunicari, donec ſatisfecerint. Hinc uſurarij non admittuntur ad communionem altaris, ut ſtatuitur in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. & refertur *in c. quia 3. h. t.* ubi cùm crimen uſurarum ita invaleſceret, ut multi quaſi licitè eas exercerent, tametſi utriuſque teſtamenti paginâ condemnatas; ideo conſtituit Pontifex cum Concilio, ut uſurarij manifeſti nec ad communionem admittantur altaris; nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant ſepulturam: ſed nec oblationes eorum quiſquam accipiat: contraveniens autem, quæ acceperit reddere compellitur, & donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfaciat, ab officio manet ſuſpenſus: Ex quo textu plures colliguntur pœnæ inflictæ contra uſurarios manifeſtos, quarum una eſt, ut non admittantur ad communionem altaris, ſeu ad perceptionem ſacræ Euchariſtiæ, ut communiter notant cum Hoſtienſi *in d. c. quia 3. h. t.*

Tertia quæ deſumitur *ex d. c. quia* eſt, ne
oblationes uſurariorum recipiantur ab Eccle- 12
ſia, eò quia dona illorum, qui pauperes oppreſſerunt recipi minimè debent à ſacerdotibus, nec ab Eccleſia *c. miror. 8. cauſ. 17. q. 4. c. de viro 10. & 7. cauſ. 12. q. 2.* ratio itidem eſt, quia oblationes, & eleemoſinæ fieri debent de propriis bonis, non verò de alienis: & uſurarii ſi ex extortis uſuris oblationes faciant, eas non ex proprio, ſed ex alieno, ſeu ex bonis illorum, ad quos pertinent uſuræ, id præſtant: poſſunt tamen, ut notat Abbas *in d. c quia 3. h. t. n. 6.* eleemoſynas facere, & pauperes poſſunt eas itidem recipere: ratio diſcriminis, cur licitæ ſint eleemoſynæ, non oblationes, eſt, quia eleemoſynæ per ſe ſecretè, & occultè fiunt, & ideo Eccleſia eas permittit; dummodo non fiant ex extortis uſuris, quia per hoc non liberantur ab onere eas ſolvendi iis, ad quos pertinent. Oblationes verò, quia fiunt publicè, eccleſia eas non recipit, ſi à pu-
blicis uſurariis proveniant. 13

Quarta pœna, quæ etiam deſumitur *ex d. c. quia 3. h. t.* eſt, quòd ſi publici, & manifeſti uſurarij deceſſerint in ſuo peccato priventur eccleſiaſtica ſepultura, & in Concilio Lugdunenſi relato in *clement. 1. de ſepult.* ſtatuitur, eos eſſe anathemate percutiendos, qui uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumunt; & hæc excommunicatio incurritur ipſo facto, à qua non abſolvitur, qui eam contrahit, niſi priùs ad arbitrium Diæceſani Epiſ-
copi competentem exhibuerit ſatisfactionem. 14

Immo notat Abbas *in d. c. quia 3. h. t.* uſurarium defunctum privandum eſſe eccleſiaſtica ſepultura; tametſi ejus hæres vellet extortas ab eo uſuras reſtituere; aut de iis reſti-

tuendis

tuendis cavere, ſed requiritur, ut uſurarius per ſe antequam deceſſerit, injunxerit hæredi eas reſtitui: adeò ut uſurarij manifeſti non admittantur ad eccleſiaſticam ſepulturam, niſi antequam deceſſerint, uſuras pro modo, & poſſibilitate facultatum ſuarum reſtituerint; vel ſaltem cautionem de reſtituendo præſtiterint præſentibus illis, quibus uſuræ debentur; vel in iſtorum abſentia coràm loci ordinario proprio, vel notario; idque deſumitur *ex c. quamquam 2. h. t. in 6.* ubi Gregorius X. ſtatuit, ut uſurariis manifeſtis morientibus ſi teſtentur, ut reſtituantur uſuræ extortæ, ſive explicent quantitatem, ſive non, non detur ſepultura eccleſiaſtica, donec ſatisfecerint prout patiuntur facultates eorum, vel niſi dent cautionem de reſtitutione facienda ipſiſmet Dominis, vel aliis, qui Dominis poſſint eam acquirere; vel his abſentibus Ordinario, vel ejus vices gerenti, vel Parocho ſuæ Parochiæ, coram aliquibus fide dignis: quia ſic per hos acquiritur actio Dominis, vel Notario publico de mandato Ordinarij: & ſi quantitas eſt certa, eſt exprimenda; ſi minus arbitraria, cum obligatione reſtituendi reſiduum. Rurſus *in d. c. quamquam* confirmantur pœnæ, quæ injunguntur *in c. quia 3. h. t.* adeo ut qui ſepelit in Eccleſia uſurarium manifeſtum prædictas incurrat pœnas ſuſpenſionis, & excommunicationis.

15 Quamobrem *ex d. c. quamquam 2. h. t. in 6.* infertur, quòd ſi uſurarius manifeſtus in teſtamento, vel alia ultima voluntate mandet reſtitutionem uſurarum in certa, vel incerta quantitate, adhuc non ſit in loco ſacro ſepeliendus, donec fiat reſtitutio ipſis damnificatis, vel eorum hæredibus, & in defectum eorum Ordinario loci, vel ejus vicario, aut Parocho adhibitis ad id teſtibus, aut detur illis idonea cautio, ut actio acquiratur illis, à quibus fuerunt uſuræ extortæ: ratio verò cur tot requirantur cautiones, eſt; quia perſæpe ultimæ voluntates ab hæredibus non implentur: unde jura exigunt, ut tales dentur cautiones, quibus actio acquiratur iis, à quibus fuerunt uſuræ extortæ. Hæc autem conſtitutio Gregoriana ſolùm procedit de uſurariis notoriis, non verò de occultis; quia iſtis non denegatur eccleſiaſtica ſepultura, ſi ipſam publicè petant, tametſi in foro conſcientiæ abſolvi non debeant, niſi priùs ſatisfecerint; vel ſaltem parati ſint ſatisfacere eo meliori modo, quo poſſunt, ut dicitur etiam de furtis occultis. Cautio verò ab iiſdem præſtanda eſt, quæ fit per pignora, vel fideiuſſores *l. ſi mandato 59. §. fin. ff. mandati.* Quamvis Mutuatarij actionem habeant ad repetendas uſuras, quas mutuatores ex iiſdem extorſerunt; voluit tamen Papa etiam providere per remedium cautionis, ut mutuatarij tutiores fierent per fideiuſſores, vel pignora. Quòd ſi uſurarius ad eam fuerit deductus inopiam, ut nec pignora, nec fideiuſſores dare poſſit, tenetur tunc jurare, ſe non poſſe de præſenti ſatisfacere, ſed quantum in ſe erit ſatisfacturum. Rurſus cautio, quæ fit ordinario, vel ejus Vicario, & Parocho, debet fieri coram aliquibus fide dignis de ipſa Parochia, quia magis creditur indigenis notis, quàm ignotis extraneis; non tamen eſt de eſſentia, ut teſtes illi ſint de parochia, ſed id tantùm requiritur ad meliùs eſſe; cæterum ſatis eſt, ſi ſint idonei.

Quinta pœna eſt, ut nullus interſit teſtamentis uſurariorum manifeſtorum conficiendis, nec ullus eos ad confeſſionem admittat, vel abſolvat, etiam ab aliis peccatis, antequam reſtituerint uſuras, vel præſtiterint cautionem idoneam, quod pro viribus ſuis erunt ſatisfacturi, & deſumitur *ex d. c. quamquam 2. §. nullus h. t. in 6.* quia uſurarij æquiparantur furibus, qui non abſolvuntur, niſi reſtituerint ablatum. Si tamen uſurarius morte imminente paratus ſit reſtituere; vel ſaltem cautionem idoneam de reſtituendo præſtare, & neutrum poſſit; abſolvi tunc à quovis Confeſſario debet, dummodo, ſi tempus ſuperſit, juret ſe ex prædictis præſtiturum, quæ poterit. 16

Sexta pœna eſt, ut teſtamenta, & ultimæ voluntates uſurariorum non valeant, niſi ante mortem uſuras reſtituerint, vel de reſtituendo idoneam cautionem dederint, ut deſumitur *ex d. c. quamquam 2. h. t. in 6.* Idque procedit etiam de aliis ultimis voluntatibus, quæ propterea ſunt ipſo jure irritæ, ſi manifeſtus uſurarius uſuras non reſtituerit, vel non caverit idoneè de iiſdem reſtituendis: unde ſive codicillus, ſive donatio mortis cauſa facta fuerit, ſive legatum in teſtamento relictum, hæ omnes ultimæ voluntates ſunt ipſo jure irritæ, quia ſi ſuum ſortirentur valorem, fieret fraus legi; quæ propterea facilè poſſet eludi: quin imò neque legata ad pias cauſas relicta in teſtamento ab uſurario notorio valent, quia eo ipſo quòd deceſſerit impœnitens teſtamentum eſt ipſo jure irritum. Quòd ſi ſigna dederit valent, idque ex æquitate, & favore piæ cauſæ, ut cenſent Cavarruvias *lib. 3. reſol. c. 3. in fin.* Sylveſter V. *uſura 9. p. 7.* 17

Verùm contraria ſententia communior eſt, & verior, quia textus *in d. c. quamquam 2. h. t. in 6.* irritat omnes ultimas voluntates, & teſtamenta facta ab uſurariis manifeſtis, ſi priùs non reſtituerint, vel idoneam non præſtiterint cautionem. Teſtamentum verò conditum ab uſurario, qui ante mortem non erat notorius uſurarius, ſi poſt mortem probetur ſufficienter, cum manifeſtè exercuiſſe uſuras, ob eandem rationem condemnatur, & illius hæredes jubentur uſuras reſtituere; adeò ut ſi crimen per ſententiam Judicis fiat notorium, adhuc probabile eſſe videatur, tale teſtamentum ſuum ſortiri valorem: ratio eſt, quia teſtamentum morte teſtatoris confirmatur, & quidem eo tempore, quo uſurarius nondum erat notorius, ac proinde nullum fuit impedimentum, quo minus teſtamentum illud ſuum ſortiretur 18

tiretur valorem; proinde etiam poſt mortem eſt va idum. Tum quia teſtamenia ſunt favorabilia, proinde in dubiis ſuſtinenda.

19 Quòd ſi uſurarius notorius teſtamentum conderet non ſolutis uſuris, quas extorſerat, neque idonea cautione data, ſi poſtea ante mortem reſtituat, vel cautionem idoneam præſtet, tunc teſtamentum, quod ab initio juré fuit irritum, poſtea convaleſcit, ut notat Cavatruvias *lib. 3. reſol. c. 3. n. 9. §. 12.* quia quando cauſa confirmans ſupervenit, confirmatur quod ab initio fuit nullum, ex jure ſuperveniente: hinc alienatio rerum Minorennis facta invalidè, eò quia deſuit decretum Judicis, confirmatur, ſi ſuperveniente ætate ratum habeat, quod in minoritate egit *l. 2. c. ſi major factus.*

20 Præterea quia Teſtamentum non tam dependet à tempore, quo fit, quàm à tempore mortis teſtantis, quapropter teſtamentum dicitur confirmari morte Teſtatoris *c. cum Martha 6. §. ceterum de celeb. miſſ.* Tum quia cauſa teſtamenti cum ſit favorabilis, reſolvenda eſt in ejus favorem. Neque obſtat regula juris, *quod ab initio vitioſū eſt, tractu temporis non convaleſcit,* quia hæc regula tantùm procedit in contractibus, & actibus inter vivos, qui ſtatim debent valere, & ſuſpendi non poſſunt; non verò in teſtamentis, & ultimis voluntatibus, quæ ſuſpenduntur, & effectus dependet à futuro tempore.

21 Tum quia alii ad illam regulam reſpondent cum diſtinctione; nam vel cauſa impediens durat, vel non: ſi primum regula eſt vera ſimpliciter; nimirum non convaleſcere tractu temporis, quod ab initio non valet: ſin verò cauſa impediens non duret, & alia ſuperveniat cauſa confirmans, tunc quod ab initio non valuit, tractu temporis convaleſcit.

§. X.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, quomodo generatim, qui mutuò dant ſuas pecunias, licitè poſſint exigere quot annis quinque pro quolibet centenario, tametſi nullum adſit lucrum ceſſans, vel damnum emergens, cùm exigere aliquid ſopra ſortem ſit expreſſa, & manifeſta uſura. Reſpondetur etiam independenter à lucro ceſſante, & damno emergente mutuantes Mercatoribus pecunias poſſe licitè ab iisdem exigere quot annis quinque pro quolibet centenario, dummodo celebrent tres contractus, ſocietatis unum, alterum aſſecurationis capitalis, & tertium venditionis lucri incerti pro certo, vel aſſecurationis lucri certi pro majore incerto; ut Titius dat mille aureos Cajo Mercatori ad negotiandum titulo ſocietatis, ex qua negotiatione Cajus ſperat ſe lucraturum viginti quinque pro quolibet centenario, & quòd Titius ſit ſingulis annis accepturus ſaltem duodecim pro centenario. Sed Titius pro aſſecuratione ſortis init alium contractum cum Cajo, & ut ab ipſo ſervetur indemnis in capitali ex illis duodecim detrahit quinque, & ex vi hujus ſecundi contractus Cajus tantùm tenetur dare Titio ſeptem pro quolibet centenario, & ſimul poſtea reſtituere totam ſortem. Rurſus Titius aſſecurata ſorte dat Cajo aliquid etiam pro aſſecuratione lucri certi; cùm enim Titius ſperaret ſe lucraturum pro quolibet centenario ſeptem, & quia hic numerus adhuc eſt incertus contrahit cum Cajo, ut det illi tantùm quot annis quinque pro quolibet centenario ſive Cajus ex tali contractu; & negotiatione ſit plus, vel minus lucraturus. Hoc pacto poſſunt licitè dari mutuò pecuniæ, & ſimul exigi quinque pro quolibet centenario, quia tunc ut ſervetur utrinque æqualitas, onera Mercatori impoſita compenſantur juſto pretio: quòd ſi hujusmodi contractus ſunt liciti, ſi ſeorſim celebrentur, & cum diverſis perſonis; erunt etiam liciti, ſi ſimul, & cum eadem perſona eodem tempore incantur, & ſi poſſunt licitè initi cum Mercatoribus etiam cum aliis id erit licitum; cùm ex pecunia mutuò accepta propriam accipiant utilitatem; ità docent. Sotus *de juſt. l. 6. q. 6. a. 2.* Diana *tract. 3. de contract. reſol. 49.* Megala *in mor. lib. 2. c. 17. q. 2. n. 25.* Natta *p. 2. cont. 403 n 3.* Narbona *in 3. p. recopil. lib. 5. tit. 18. l 15. Gloſſa 2. n. 8.* Malderus *22. tract. 5. c. 2 dub. 9.* Neque obſtat, quod homines rudes, & indocti, qui ex ſua pecunia lucrum, & penſiones annuas accipiunt, non facilè intelligere poſſint hos prætecenſitos contractus, quos prorſus ignorant; adeò ut neſciant, quo jure, vel titulo liceat ſibi lucrum ſupra ſortem ex mutuo accipere. Nam homines rudes, & indocti cenſendi ſunt in bona fide, quatenus proborum virorum imitantes exempla intendunt contrahere, & dare mutuum eo modo, & ratione, qua viri docti, & probi licitè mutuant aliis ſuas pecunias, ut quot annis accipiant quinque pro quolibet centenario. Unde ſufficit, ſi tacitè, & intentione implicita mutuent eo pacto, quo viri docti, & probi licitè ex mutuata pecunia accipiunt quinque pro quolibet centenario.

Neque urget, ſi dicas, viros illos indoctos, & rudes in ſuis contractibus uti verbo mutui: quia non intentio verbis, ſed verba intentioni deſervire debent *c. ſecundò requiris de appellat.* cùm enim intendant contrahere omni meliori modo, quo de jure fieri poteſt, ut licitè poſſint accipere quot annis quinque pro quolibet centenario, ideo talis contractus in effectu ſunt implicitè contractus ſocietatis, aſſecurationis, & venditionis, eo pacto, quo explicuimus. Quòd ſi id verum non eſſet, innumeri propemodum laici condemnandi forent, immo etiam eccleſiaſtici, qui nomine mutui ultra ſortem exigunt quot annis quinque pro centenario, nil cogitantes de lucro 2

ceſſante,

ceſſante, vel damno emergente, & ſolùm quærentes lucrum, ne pecunia otioſa maneat. Rurſus plures contractus excuſari poſſunt, in quibus aliquid poteſt licitè accipi, ultra ſortem, ſi fiant præſertim cum illis, qui ex mutuò accepta pecunia negotiantur, & honeſtum lucrum quærunt, ut mutuatario partem lucri tribuant, ut in explicito contractu ſocietatis, in quo unus pecuniam, & alter induſtriam confert.

3 Quæritur ſecundò, an qui bona fide inivit contractum uſurarium, aut aliàs iniquum, quem ſi contrahens ſciviſſet, fuiſſe iniquum, alium iniviſſet contractum juſtum, poſſit licitè, ratione lucri ceſſantis, comperta veritate tantùm ſibi retinere, quantum contractu illo juſto fuiſſet lucraturus. Aliqui inter quos Emanuel Sà *V. uſura n. 8.* Reſpondent affirmativè, eò quia qui bona fide celebrat contractum uſurarium implicitè intendit juſtum titulum, & ita celebrat talem contractum, ut ſi ſciret, titulum eſſe injuſtum, nollet contrahere, ſed alium iniret contractum licitum.

4 Verùm quidquid ſit de probabilitate hujus ſententiæ; communior, & verior, cui adhærendum eſt, negat, eum, qui bona fide inivit contractum uſurarium poſſe tantum ſibi retinere, quantum contractu illo juſto fuiſſet lucraturus, quia quæ acquiruntur contractu injuſto, non poſſunt retineri; nec bona fides excuſat, quia ſi quis vendat bona fide aliquid ſupra juſtum pretium, tenetur reſtituere exceſſum, non enim bona fides unius debet damno eſſe alteri: ut etiam ſi Petrus emat rem minoris juſto pretio bona fide, intellecta poſtea veritate tenetur pretium complere, adeò ut non poſſit recurſum habere ad alium contractum, quem cum alio iniviſſet, & quò plus fuiſſet lucratus; quia venditor non conſenſit in talem titulum, nec mens ejus fuit rem ſuam minoris juſto pretio vendere: unde ſicut in contractibus emptionis, & venditionis, non poteſt etiam qui bona fide contraxit, ſibi retinere exceſſum, vel defectum ſupra, vel infra juſtum pretium; ita neque in contractu mutui: alioquin ſi uterque contrahentium conſentiat in eodem titulo, adeò ut is, cum quo Titius contrahit, intendat dare Titio lucrum omni eo titulo, quo Titius illud intendit accipere, tunc in quatuor caſibus poſſet Titius licitè exceſſum ſupra ſortem licitè accipere: primò ſi cùm alteri dat mutuò centum, intendat expreſsè omni titulo, quo poteſt, lucrari quinque eò quia, ſciat omnes alios pro quolibet centenario etiam lucrari quinque.

5 Id tamen procedit, dummodo lucrum ceſſans deductis deducendis tanti æſtimetur, quamvis de hoc nil cogitaverit. Secundò ſi implicitè, vel virtualiter intendat aliquem juſtum titulum, ut ſi illum intendat eo modo, quo moris eſt, ut alii accipiant quinque pro quolibet centenario: Tertiò ſi mutuans intendat juſtum titulum ex vi præcedentis propoſiti, quo ſtatuit in hoc contractu exigere lucrum omni eo titulo, quo poteſt; & ſe ſe poſtea applicet ad hunc contractum ineundum, quia tunc licet actualiter id non cogitet; implicitè tamen cenſetur ita velle. Quartò poteſt etiam quis implicitè intendere juſtum titulum, ſi tantùm intendat juſto modo lucrari, & non aliter, hic enim tunc formaliter intendit juſtum titulum; quia ita eſt affectus, ut ſi ſciret, titulum hujus contractus non eſſe juſtum, nollet contrahere, ſed alium iniret ex juſto titulo: unde videtur iſte virtualiter intendere titulum omnem juſtum, quem poteſt; neque ſe alligare ad hanc formam contractus mutui; ita enim eſt animo diſpoſitus & affectus tunc mutuans, ut ſi rogaretur, quo titulo velit ex pecunia mutuò data alteri lucrari quinque pro quolibet centenario, non reſponderet ex vi contractûs mutui, ſed eo meliori modo, quo poteſt, & ſub eo titulo, quo viri probi, & timoratæ conſcientiæ licitè exigunt illa quinque pro quolibet centenario: cùm hac intentione ſolent viri juſti, & timorati contrahere quando res ipſis non adeò clarè innoteſcit: hoc pacto poſſunt excuſari, qui pecunias pupillares deponunt apud homines induſtrios, & mercatores, quia non intendunt niſi licito modo hoc lucrum percipere, & ſi interrogarentur, hoc idem reſponderent: nemo eſt, qui ſi dat alteri ſuas pecunias mutuas non intendat auctarium ultra ſortem accipere, eo modo licito, quo poteſt; & mutuatarius, eo ipſo, quòd promittit, quot annis dare quinque pro quolibet centenario; implicitè aſſentitur intentioni mutuantis.

6 Quæritur tertiò, an licitum ſit initio mutui exigere à mutuatario lucrum occaſione mutui. Aliqui præciſo ſcandalo cenſent, id eſſe licitum, inter quos Baunius *Theolog. moral. tom. 3. lib. 2. q. 22.* & nititur Primò quia tempus eſt aliquid omnino extrinſecum ipſi naturæ mutui; unde ab ipſo non poteſt ſolutio lucri ceſſantis contrahere vitium uſuræ. Secundò quia eo ipſo quòd aliquid eſt creditori debitum, illud ſolvere non eſt malum: atqui mutuanti cùm ceſſet lucrum, eo ipſo, quòd dat mutuatario mutuò ſuas pecunias, eſt debitum lucrum illud, proinde poteſt ſtatim ſolvi, quia mutuans exigit, quod ſuum eſt, & mutuatarius ſolvit id, ad quod mutuans habet jus.

7 Verùm hæc ſententia communiter rejicitur, quia lucrum ceſſans, non debet ſtatim tradi, cum mutuum recipitur; alioquin mutuanti ex ſuo mutuo non ceſſaret lucrum cum illud ſtatim acciperet, & poſſet ex illo etiam negotiari, hinc qui mutuat mille, & occaſione lucri ceſſantis exigit quinquaginta non poteſt illa quinquaginta ſtatim accipere, niſi illa detrahat de lucro; alioquin illi non ceſſaret lucrum ex mille. Ratio igitur, cur compenſatio lucri ceſſantis non poſſit exigi ſtatim poſt datum mutuum, ſed poſt convenientis temporis intervallum, eſt; quia ſi compenſatio lucri ceſſantis ex mutuo centum ducatorum ſint

decem ducati; mutuans, qui ſtatim ea decem exigeret, revera non mutuaret centum, ſed tantùm nonaginta: ponamus enim Titium dare mutuò Caio centum aureos ea conditione, ut pro lucro ceſſante det decem aureos quot annis, ſi Titius eadem die, quâ dat Caio centum illos aureos exigeret ab eodem Caio decem, revera non mutuaret ipſi centum, ſed tantùm nonaginta; exigere autem tantum pro nonaginta quantum pro centum eſt iniquum; quia exigitur aliquid ex decem aureis, quos Cajus non accepit ad uſum: ex quo liquet, non poſſe mutuantem ſtatim compenſationem mutui exigere.

8 Quinimò, ut lucrum ceſſans licitum ſit, præter conditionem, ut non ſtatim, cum mutuo datur capitale, exigatur lucrum ceſſans; adhuc deſiderantur duæ aliæ conditiones; quarum prima eſt, ut lucrum ceſſet ex mutuo, quod contingit, quando quis mutuat pecuniam, quam jam io promptu, & paratam habebat ad negotiandum; tunc enim ſi mutuator non habeat aliam pecuniam, quâ poſſit negotiari, docent omnes, poſſe paciſci de intereſſe lucri ceſſantis, illúdque exigere. Rurſus requiritur, ut mutuans non exigat totum, & integrum lucrum, quod ipſe ſperâſſet, ſi imediatè pecunias per ſe impendiſſet negotijs; quia hoc lucrum eſt tantùm in potentia, & pluribus modis poteſt impediri; proinde non poteſt exigi totum, & ex æquo, quia quod eſt in potentia minus valet; quàm quod eſt in actu: quamobrem non poteſt mutuator exigere integrum lucrum, quod probabiliter ſperat, ſed quanti ſpes illius æſtimatur detracto periculo in aſſecutione ejusdem lucri, & deductis expenſis.

9 Quod ſi quæratur, quantum revera poſſit mutuator exigere, ſolet hæc regula aſſignari, ut qui mutuat, tantum remittat de lucro ſperato mutuatario, quantum ipſe daret alteri ob contractum aſſecurationis; ſeu quantum daret illi, qui ipſum ſecurum redderet de toto illo lucro ſperato, ſi totum periculum in ſe ſuſciperet. Id tamen procedit, quando lucrum ita deducitur in pactum, ut pro eo aliquid determinatum accipiendum ſit: ſi enim conventio ſit, ut mutuatarius teneatur ſolvere pro intereſſe, quantum eventus declaraverit lucrum eſſe futurum, ſpectato eventu aliorum negotiorum eodem tempore, & loco, totum lucrum deductis deducendis poteſt mutuans exigere.

10 An verò ex lucro certo, vel probabiliter ſperato teneatur mutuans deducere laborem, quem in eo comparando impendiſſet. Reſpondetur probabiliùs, talem laborem non eſſe deducendum, quia ſi quis petat à Mechanico, ut ſibi commodet ſua inſtrumenta, poteſt Mechanicus cum illo paciſci de toto lucro reſarciendo, quod pro tali tempore debet amittere; nec Mechanicus tenetur laboris ſui æſtimationem deducere, unde ſi per diem eſt lucraturus unum florenum, poteſt paciſci cum eo, qui petit ſua inſtrumenta, ut compenſet florenum illum, quem eſſet lucraturus, non deducendo æſtimationem laboris, quem debuiſſet impendere: unde nec mercator tenetur æſtimationem laboris, & moleſtiarum, quas ſubit in negotijs peragendis detrahere. Neque obſtat, quòd ceſſatio laboris ſit pretio æſtimabilis; quia id tantùm eſt verum, quando labor fit venalis, non ita quando naſcitur ex mutuo; quia tunc libenter labor ſuſcipitur: hac ratione compellens ad mutuandum, vel mutuum non ſolvens præfixo termino, tenetur etiam ſolvere lucrum ceſſans non compenſato labore, qui in eo comparando ſuſcipitur. Tum quia ſi labor iſte eſſet compenſandus, cum plerumque æquivaleat lucro acquirendo, ut in agricolis, & mercatoribus; rariſſimè titulo lucri ceſſantis poſſet aliquid ſupra ſortem exigi. Hinc ſi Titius mutuavit centum Caio, non poteſt cum eo paciſci, ut ſibi ſtatim dentur quinque ratione lucri ceſſantis, quia quòd pro intereſſe ſolvitur, eidem ſubrogatur, & ab illo, quod nondum extitit, non poteſt quidquam tanquam ejus fructus exigi.

Quæritur quartò, an teſtamenta Judæorum, qui ſunt notorij uſurarij, valida ſint? 11
Reſpondetur probabiliùs, eſſe nullius valoris, ſi ſine præſtita cautione de reſtituendis uſuris facta fuerint. Ratio eſt, quia tametſi Judæi quoad pœnas ſpirituales non ſubijciantur Eccleſiæ, ut nec etiam alij infideles, ſiquidem juriſdictio eccleſiæ non ſe extendit, niſi ad eos, qui ſunt intra Eccleſiam, ſuntque ejus membra: & membra Eccleſiæ non fiunt, niſi baptizati, quia per ſolum Baptiſmum homines ingrediuntur Eccleſiam; hinc cùm Judæi, & alij infideles non ſint baptizati, non ſunt membra Eccleſiæ, nec illi ſubijciuntur in ſpiritualibus; proinde non ſubjacent pœnis impoſitis ab Eccleſia contra uſurarios notorios, quarum una eſt, ut eorum teſtamentà ſint nulla, ſi priùs non reſtituerint uſuras, vel idoneam dederint cautionem de illis reſtituendis. Nihilominus quia hæc pœna eſt temporalis Judæi eidem ſubijciuntur, licèt non alijs, quæ ſunt ſpirituales, ut ſunt excommunicatio, ſuſpenſio: cùm igitur Judæi, & alij infideles quoad pœnas temporales & civiles contractus ſubijciantur juriſdictioni Principum, in quorum terris degunt, ideo cum Principes ſæculares Chriſtiani in materia uſurarum ſe conformeot legibus eccleſiaſticis, & canonicis, & Judæi in temporalibus ſubijciantur juriſdictioni Principum, in quorum Provincijs, & terris degunt, ſequitur, quòd ſi fuerint notorij uſurarij, eorum teſtamenta edita ſine cautione de uſuris reſtituendis nullum ſortiantur valorem; perinde ac teſtamentum Chriſtiani notorij uſurarij ſine præſtita cautione de uſuris reſtituendis, ut notat Covarruvias *lib. 3. reſol. c. 3. n. 9. §. 9.*

Quæritur quintò, an Pontifex poſſit aliquo modo condonare uſuras Judæis, qui volunt converti ad fidem catholicam? Reſpondetur, uſuras eſſe in duplici genere, aliæ enim reſti- 12

reſtituendæ ſunt certis perſonis, à quibus Judæi eas extorſerant: alias eſſe incertas, eò quia non conſtet Vſurario, à quibus illas acceperit; & iſtæ reſtituendæ ſunt, vel pauperibus mediante eleemoſyna, vel locis pijs, ac impendendæ pijs operibus. Quod attinet ad vſuras incertas adeſt conſtitutio Pauli III. quæ eſt 32. in qua in §. *1.* diſponit, quòd bona acquiſita à Judæis, qui convertuntur ad fidem ex uſuris incertis remaneant apud ipſos: unde virtute Paulinæ conſtitutionis habetur virtualis reſtitutio, quia præſumuntur Judæi venientes ad fidem eas offerre ſummo Pontifici, ut ab eodem impendantur in opus pium, & Pontifex eas applicat ad converſionem Judæorum, ſcilicet ad tollenda impedimenta, quæ eſſent obſtaculo, quò minus Judæi converterentur; removere autem obſtacula converſioni Judæorum eſt procul dubio opus pium, quo fit, ut Pontifex remittendo uſuras incertas Judæis venientibus ad fidem, eas impendat in opus pium, & Judæi converſi ad fidem poſſint eas ſibi licitè retinere. Quòd verò attinet ad uſuras certas, decernit Paulus III. in dicta ſua *conſtit. 32.* ut iſtæ reſtituantur illis perſonis, ad quas pertinent.

13 De iis autem uſuris certis eſt difficultas, an poſſit Pontifex aliquo modo eas condonare Judæis. Ratio dubitandi eſt, quia Pontifex non poteſt diſpenſare ſuper Paulinam conſtitutionem, quia diſponit juxta jus naturæ: juſtitia enim naturalis exigit, quòd bona reſtituantur ijs, quibus debentur, proinde acquiſita ex uſuris reſtitui debent ſuis Dominis: non enim Pontifex diſpenſat, in jure naturali, ut rectè notat Suarez *lib. 1. de legib. c. 14. n. 5.* Tum quia Vſurarius nunquam acquirit dominium vſurarum, ut notat Covarruvias *l. 3. variar. c. 3 n. 6.* & deſumitur ex *l. traditio. ff. de acquir. rer. Domin.* ubi ad translationem dominij requiritur cauſa idonea, & non ſufficit ſola voluntas; & ſolutio vſuræ non eſt cauſa idonea, cùm non ſit donatio liberalis. Tum quia mutuatarius ſemper retinet jus ad rem, ſeu ad repetendas ſolutas vſuras, & ſummus Pontifex non videtur poſſe illum privare ſuo jure; præſerrim cùm ex neceſſitate, mutuatarij accipiant mutuas pecunias cum onere ſolvendi quot annis quinque pro quolibet centenario, & libentiùs illas acciperent ſine tali onere; unde cùm mutuatarij non peccent accipiendo pecunias cum tali onere, non videtur poſſe Pontifex, eos privare jure, quod habent ad repetendas ſolutas vſuras.

14 Nihilominus mihi videtur probabile, poſſe Pontificem indulgere Judæis, qui convertuntur ad fidem, ut poſſint licitè partem aliquam vſurarum, quæ certis perſonis ſunt reſtituendæ, ſibi retinere. quia poteſt Pontifex crimen vſurarum, quod eſſet tantùm toleratum, condonare Judæis venientibus ad fidem catholicam, & facere, ut contractus, qui ab initio fuit vſurarius reducatur ad terminos legitimos; adeò ut inducat obligationem in mutuatario ſolvendi, quod juſtum eſt ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis: qua ratione poſſunt Judæi venientes ad noſtram fidem ex indulto Pontificis ſibi retinere totum id, quod ex damno emergente, & lucro ceſſante ipſis obtigiſſet, ſi contractus ab initio fuiſſet validus. Neque indultum Pontificis eſſet ſine juſta cauſa; quia ſufficienter juſtificatur per hoc, quod Judæi faciliùs convertantur. Tum quia agitur de ſavore fidei *c. fin. de converſat. infidel. c. ſignificâſti de homicid.* Tum quia pecunia apud Judæos eſt ſemper expoſita negotiationi, nec ipſis deſunt occaſiones negotiandi, & lucrandi; adeò ut poſſit ſemper ſubintrare lucrum ceſſans, ut docet Caſtrenſis *in l. 3. §. ratione ff. de eo, quod certo loco.*

Rurſus poſſe Pontificem concedere gra- 15
tiam reſtitutionis in integrum fingendo ſtante æquitate non factum, quod eſt factum, liquet *ex element. unic. de immunit. eccles.* & docet Baldus *in l. non dubium, C. de legibus.* hinc Ancharanus *conſil. 225. n. 2.* ait, fictiones auferre quæſita uni, & dare alteri, ut conſtat *ex ff. C. de captivit poſtlim. revert.* Qua ratione poteſt etiam Princeps in præjudicium hæredum revalidare donationem excedentem quingentos aureos non inſinuatam, & facere ut perinde ſe habeat, ac ſi fuiſſet inſinuata, & valida, ut obſervant Abbas conſil *84. n. 6. p. 1.* Caſtrenſis *Conſil. 178.* Quamobrem etiam ſummus Pontifex poteſt convalidare contractum vſurarium, eúmque reducere ad debitos terminos, & facere, ut perinde ſe habeat, ac ſi ab initio fuiſſet legitimus. Tum quia etiam legitimatio retrotrahitur ad tempus nativitatis *ff. de nat. reſtit. & §. illud* & §. *nulla authent quibus. mod. natur. effic.* ut tradit Bartolus *in l. 2. n. 10. ff. de vulg & pupill. ſubſtit.*

Neque obſtat, quòd filij legitimi ſint 16
minus ſuſcepturi de paterna hæreditate; quia eo ipſo, quòd filius declaratur legitimus debetur ipſi pars hæreditatis ſicut alijs legitimis. Quamobrem poterit etiam Pontifex legitimare contractus Judæorum, qui convertuntur ad fidem, & tunc legitimatio contractus retrotrahitur ad tempus, quo fuit initus.

Quæritur ſextò, quænam ab Vſurarijs ac- 17
cepta titulo gratuito, vel oneroſo reſtitui debeant? Reſpondetur, quòd ſi Vſurarius non ſit ſolvendo, debeant ab ipſo reſtitui Creditoribus, donec integrè ſolvantur uſuræ acceptæ ab illo per ultimam voluntatem, teſtamentum, codicillum, legatum, vel donationem mortis cauſa *l. quod autem 6. §. penult. ff. quæ in fraudem credit* & docet Molina *tract. 2. diſp. 329. n. 7.* ſiquidem debitor poſt mortem non poteſt aliquid lucrari, nec acquirere alia bona, ex quibus ſolvantur debita; proinde non poteſt alienare etiam in illud tempus aliquid in fraudem creditorum. Hinc ſi quis titulo lucrativo, ut per donationem; vel oneroſo ut per emptionem, & venditionem accepit, & acquiſivit ab uſurario rem aliquam ſive vſu conſumptibilem, ſive non, quamdiu extat in ſpecie, ut gemma, catena aurea, & alia id genus reſtitui

debet ubicunque ſit, & apud quemcunque poſſeſſorem; tametſi per talem alienationem Vſurarius non fieret impotentior ad ſolvendum ſuis creditoribus: quia cùm Vſurarij non acquirant dominium in res, quas per vſuras acquiſiverunt, non poſſunt illas quocunque titulo in alium transferre; adeo ut eas accipientes teneantur ad reſtitutionem.

18 Res tamen proprias poteſt vſurarius alienare, dummodo illi ſuperſint alia ſufficientia bona, quibus poſſit vſuras ſolvere, quia in rebus proprijs habet dominium, & poteſt eas alienare, pro ut ipſi magis placuerit; quia id non cedit in damnum creditorum, cum iſti poſſint ſatisfieri de alijs bonis, quæ ſuperſunt ipſis Vſurarijs. Præterea ſi quis quocunque titulo accipiat res ab Vſurario, & probabiliter ignoravit per talem alienationem Vſurarium non fieri impotentem ad reſtituendas vſuras, non tenetur eas reſtituere; quia tunc contractus eſt validus, & ipſe Vſurarius alienans res ſuas nulla lege ſit inhabilis ad transferendum tunc dominium illarum rerum in alios.

19 Quòd ſi Vſurarius potuerit probabiliter ſcire, ſe per alienationem talium rerum conſtituere impotentem ad eas reſtituendas; & nihilominus res illas titulo lucrativo alienat; tunc tenetur, qui res illas accepit tam in foro conſcientiæ interno, quàm externo eas reſtituere; ſi adhuc extent; vel ſi bona fide eas conſumpſit; quatenus ex ipſis factus eſt locupletior, quia tunc præſumitur mala fide eas conſumpſiſſe. Quòd ſi accipiens non inducat Vſurarium ad donandum, vel alienandum, ſed ipſe ſponte donavit, tunc non tenetur ad reſtitutionem in foro conſcientiæ, tametſi ſciat, Vſurarium per talem donationem fieri impotentem ad reſtituendas vſuras, quia tunc non eſt cauſa, cur alter velit donare.

20 Quæritur ſeptimò, an olla fortunæ contineat vſuram: Olla fortunæ eſt, quâ quis pro certa parva quantitate pecuniæ extrahit ab urna ſchedam ſignatam; & is, qui præeſt ollæ, debet ipſi dare rem valentem etiam centum florenis ſi eam extraxerit. Propriè enim olla fortunæ dicitur quando plures conferunt certam pecuniam, & conjectis ſchedulis ſingulorum nomine inſcriptis in communem ollam, vel aliud vas, quod quisque ſorte extraxerit ex olla, cedat ejus lucro, ſive rès magni, vel exigui fuerit pretij. Reſpondetur, ollam fortunæ poſſe ab vſura defendi, quia ibi non intervenit contractus mutui, in quo ſolo propriè vſura committitur: ſiquidem olla fortunæ ad contractum emptionis, & venditionis revocari poteſt, in quo datur pecunia pro pretio, & ſpes rei extrahendæ ex olla in ſignata ſchedula accipienda pro merce, & deſumitur *ex l. nec emptio 8. §. aliquando. ff. de contrah. empt.* hinc ait Juris Conſultus *aliquando ſine re emptio intelligitur, veluti cum quaſi alea* (ſeu eventus dubius, aut ſpes ex caſu) *emitur, cùm captus piſcium, avium, vel miſſilium emitur: etenim emptio contrahitur, etſi nihil inciderit, quia ſpei emptio eſt*; hinc qui à piſcatoribus pro aureo emit omnes piſces, quotquot per diem integrum eſt capturus, tenetur pretium ſolvere, quamvis nihil captum ſit; ut etiam è converſo tenetur Piſcator omnes piſces tradere, quos cepit, tametſi pluris æſtimentur: ſicut igitur in tali contractu cum piſcatore, vel Aucupe pecuniæ pretio emitur ſpes; ita etiam in olla fortunæ pecuniæ pretio emitur ſpes extrahendi aliquid magni, vel parvi pretij.

Neque talis contractus eſt injuſtus ob 21
inæqualitatem inter pecuniam collatam, & lucrum, ut inter unum, vel alterum Julium, & ſcyphum aureum, quia in hoc contractu non confertur pecunia, quæ data fuit cum lucro; ſed tantùm cum ipſa ſpe lucri, quia non emitur ipſum lucrum, ſed tantùm ſpes lucri, quæ cùm ſit omnino dubia, & incerta; nulli dubium, quin longè minoris ſit valoris, quàm ipſum lucrum: unde ſicut licita eſt emptio ſpei lucroſæ in jactu retis cum Piſcatore pro captura piſcium, vel cum Aucupe pro captura avicularum, ita emptio ſpei, ſeu lucri incerti in olla fortunæ eſt emptio licita præſertim cum adſint omnia requiſita ad perſiciendum contractum emptionis; pretium ſcilicet, ſeu pecunia, quæ confertur; & merx, ſeu ſpes fortunati eventus: eſt enim ſpes, quæ venditur tali pretio, & in talem contractum emptionis, & venditionis liberè conveniunt venditor, & emptor.

Nihilominus quamvis contractus hic in 22
olla fortunæ in ſe cæteris paribus non ſit Vſurarius, neque iniquus: nihilominus, quia non longè abeſt à luſu alearum, qui prohibetur *in tot. tit. de Aleatoribus* ideo conſultius videtur ſi hujusmodi ollæ fortunæ non tolerentur, præſertim cùm multæ circa eam poſſint fraudes fieri, & curioſi pecunias prodigant, & qui ſimiles ollas erigunt, pecunias evehant extra Provinciam.

Quæritur octavò, an lucrum, quod ha- 23
betur ex cambio, licitum ſit, ac liberum ab omni vſura? Eſt cambium unius pecuniæ cum alia commutatio: nam pecunia habet in ſe tria. Primò eſt omnium rerum, ſeu mercium pretium. Secundò conſtat ex hac, vel illa materia aurea, vel argentea, aut ærea. Tertiò inſignita eſt, & notata figura alicujus Principis & impreſſa authoritate publica. Rurſus vſus pecuniæ eſt duplex principalis, ſeu primarius unus, & eſt quòd ſit pretium rerum omnium venalium. Alter eſt ſecundarius, ſeu minus principalis, quatenus eſt res quædam per ſe, quæ inſtar aliarum rerum vendi poteſt, locari, permutari, & commodari: ſiquidem pecunia poſſumus uti ad ſuſtentationem, ad ornatum, voluptatem, & ad alium quemcunque faciliorem, & commodiorem noſtrum vſum: rurſus quia faciliùs, & commodiùs una pecunia, quàm alia ex uno ad

alium

alium locum transfertur, ideo duplex eſt pecuniæ vſus, ſicut & calcei ut exemplificat Ariſtotel. *l. 1. polit c. 6.* ubi ait: Calcei duos eſſe vſus; unum primarium, quo pedes induimus; alterum ſecundarium, quo calceo utimur ad vendendum: ita etiam pecuniæ duo ſunt vſus, primarius unus, quo utimur pecuniâ ad emendas res vendibiles; alius ſecundarius, quo utimur pecuniâ ad illam permutandam cum alia pecunia, vel ad illam vendendam, vel emendam.

24 Hinc cambium nil aliud eſt, quàm permutatio pecuniæ pro pecunia, in qua qui rogatur, ut pecuniam permutet, campſor dicitur: qui verò rogat, & in cujus gratiam pecunia commutatur, camſparius vocatur: ſiquidem priſco vocabulo cambire, vel campſare idem ſignificabat, ac permutare, ut ex Priſciano notat Covarruvias *de collat. veterum numiſmat. c. 7. n. 4.* & quamvis etiam in mutuo detur pecunia pro pecunia, id tamen non fit cauſa permutationis: neque ſtatim tempore contractûs in mutuo, ſicut in cambio pecunia unius datur pro pecunia alterius; ſed in mutuo ſolus creditor pecuniam numerat, ut in futurum, vel eandem, vel aliam ejuſdem generis, & bonitatis recipiat: quamobrem cum cambium differat à mutuo, bene ſequi poteſt, quòd lucrum ex cambio quæſitum nomine vſurarum cenſeri non debeat, nec ſubjacere pœnis vſurariorum.

25 Dividitur cambium in manuale, quod & minutum dicitur, & in locale. Cambium minutum contingit, quoties pecunia unius formæ, aut materiæ permutatur cum pecunia alterius formæ, aut pecuniæ, ut cum moneta aurea Germanica permutatur cum argentea Romana, & dicitur cambium minutum, eò quia plerumque minor moneta mutetur pro majore: dicitur etiam tale cambium manuale, quia ſtatim in eodem loco, & tempore pecunia viciſſim numeratur de manu ad manum; ut ſi quis exiſtens Monachij vellet in Italiam proficiſci, & ut haberet pecuniam Italicam numeraret hic alicui mercatori aureos Bavaricos, ut ab eodem ſtatim acciperet pecunias argenteas, quales in Italia ſunt in vſu. Cambium locale tunc contingit, quando pecunia præſens commutatur cum pecunia diſtante in alio loco: & tale cambium ordinariè fit per litteras, per quas Campſor mandat ſuo correſpondenti, ut Campſario certam pecuniæ quantitatem, quam ipſe campſor hic Monachij accepit, numeret Venetijs, vel Romæ; & hoc cambium dici etiam ſolet cambium per litteras.

26 Contrahitur præſertim hoc cambium locale, ſeu per litteras ad majus commodum itinerantium, ne cogantur pecunias cum periculo, & incommodo ſecum ſemper deferre. In cambijs minutis, quo aurei pro Julijs commutantur, vel etiam alia minore pecunia, ſolent nonnunquam Campſores aliquid loco Auctarij exigere. Cauſæ verò hujus exactionis ſolent plures nominari.

Prima eſt locatio operæ, & obſequij; ſiquidem Campſor, cùm debeat ſemper paratas habere pecunias diverſi generis, & quemliber ad cambium in ſuam domum intromittere, & tali cambio ſe, & famulos negotij expertos alere, inde eſt, quòd Campſores aliquid exigant locò auctarij, præſertim cum Campſores pro publica hominum utilitate, nonnunquam etiam à Magiſtratu deſignentur. 27

Secunda eſt lucrum ceſſans, & damnum emergens, ut ſi Campſor propoſuerat nummos aureos aliò deferre, ubi pluris valent, & alibi merces emere, ubi alia pecuniâ cariùs emuntur. 28

Tertia cauſa etiam aſſignatur puritas materiæ, quatenus una moneta eſt aliâ purior, ſeu minus continet cupri, vel alterius metalli: & licèt æſtimatio materiæ non ſit in poteſtate ſubditorum, ſed Principis cudentis monetam; nihilominus nummi aliter æſtimantur à Principe, & aliter à ſubditis: ſiquidem à Principe conſiderantur formaliter, ut ſunt nummi, & menſura rerum venalium: à ſubditis verò in commutatione conſiderantur materialiter, ut res, quæ in ſe meliores, vel deteriores ſunt. 29

Quarta eſt commoditas faciliùs monetam conſervandi, numerandi, vel deferendi de loco ad locum. 30

Quinta eſt, quia una pecunia ſit magis in uſu, quàm alia, & faciliùs expendatur, ut ſi in aliquo loco commutentur nummi, qui poſſunt ibi expendi cum aliis, qui expendi non poſſunt; hinc cum iſti non habeant ibi pretium, nec valorem, minoris æſtimantur. 31

In cambio verò locali campſores aliquod exigunt lucrum, ut ſi Campſarius hic Monachij numeravit centum aureos Hungaricos campſori, ut Romæ tantùm accipiat nonaginta quinque, adeò ut quinque cedant lucro campſoris. Hunc contractum non eſſe iniquum, dummodo lucrum non excedat, ex eo conjici ſolet, quia campſores pro itinerantium utilitate ſolent ad hoc operas ſuas locare, famulos, & ſcribas alere, eiſque ſtipendia aſſignare, libros rationum tenere, domum locare, & alios ſumptus facere: cùm hæc omnia Campſores faciant in gratiam Campſariorum, & in eorundem commodum æquitas exigit, ut aliquid accipiant à Campſariis ad compenſandos labores, & ſumptus. Tum quia Campſor virtualiter transfert pecuniam de loco ad locum, & liberat Campſarium à periculis, onere, & ſolicitudinibus, aliiſque curis, quas ipſe in transferendo pecuniam de loco ad locum teneretur ſubire: hoc autem totum eſt aliquid pretio æſtimabile, pro quo poteſt Campſor aliquid exigere. 32

Quæritur nonò, an ſit uſura mutuare cum conditione, quòd pro mutuo Mutuatarius det aliquid ex gratitudine? Reſpondetur, quòd ſi id fiat cum pacto rigoroſo, talis contra- 33

ctus eſt uſurarius, & iniquus; quia pactum rigoroſum inducit ſimoniam, vel uſuram: nam obligatio civilis, & ſtricta aufert naturalem liberrarem. Sin verò pactum non ſit rigoroſum, ſed tantum laxè ſumprum, & porius ex quadam fidelirate ad oſtendendam gratirudinem, runc non videtur olere uſuram; quia Mutuatarius adhuc remanet in ſua libertate, ſi velit, vel nolit aliquid dare: uode licèt pactum juſtitiæ rigoroſè ſumptum inducat uſuram, noo ita pactum laxè ſumptum, qui dicitur amicitiæ, ſeu gratitudinis.

34 Ratio itidem poteſt eſſe, quia uſura eſt ſpecies furti, & opponitur juſtitiæ, de cujus oatura eſt, ut lucrum exigat civiliter, & ex æquitate ratione mutui debitum: ſed quæ traduntur ex gratitudine, non offeruntur coactè, ſed ita liberè, ut ſint in poteſtate largiroris; quod tamen non contingit in debitis ex juſtitia, quæ ſi non ſolvantur, læditur juſtitia.

35 Verùm in hac materia eſt cautè procedendom, quia plerumque, quod videtur exigi ex gratitudine, extorquetur coactè. Cæterum ſi quis nollet mutuare ſunm vinum Cajo, oiſi hic ei motuaret pro præſenti ſuom triricum; & Cajus, qui vino indiget quaſi compellatur ad mutuandum triticum, quod eſt conditio ſine qua oon poſſet vinum habere; non putârim talem contractum eſſe uſurarium, dummodo otrinque ſervetur æqualitas quoad pretium, & non quæratur mutuatio alterius pro prœmio, ſed tanquam pura conditio, ſine qua onn mutuaretur vinum: quia cùm non petatur mutoum alrerius pro prœmio, neque obligetur alter ratione mutui, ſed tantum ineatur contractus condirionatus ejuſdem oneris ex utraque parte, & ſit in libertate alterius, ſi velir, vel oolit cooditionem adimplere, ideo contractus iſte non videtur olere uſuram.

36 Quæritur decimò, an contractus, quo quis vendit ſuum fundum, vel prædium cum conditione reſervandl ſibi fructus annuales, donec ipſi ſolvatur pretium, ſit uſurarius? Ratio dubitandi eſt, quia per contractum venditionis transfertur dominium in emptorem; adeò ut concluſo contractu prædium venditum non ſit ampliùs venditoris, ſed emptoris; cum ex vi contractus dominium prædij de emptore ſupponatur translatum in emptorem: & quia res quælibet debet fructificare ſuo domino, cujus periculo ſubſtat, ideo fructus prædii venditi oon poſſunt pertinere ad vendirorem, donec ipſi ſolvatur pretium ejuſdem prædii venditi.

37 Verùm contraria ſententia eſt valde probabilis, quam docet Covarruvias *lib. 3. variar. c. 4.* ubi refert plures, qui eaodem docent. Rario eſt, qnia quando initur contractus tali cnnditione, ut venditor faciat fructus prædij proprios, donec ipſi ſolvatur pretiũ, non transferrur dominiũ actualiter, ſeu in acto; ſed tantùm in poreotia; rraoslatio enim actualis tunc tantùm fir, quando emptor adimplet ſuam conditionem, ſeu ſolvit pretium; unde ſi venditor percipiat toto illo tempore, quo ipſi non ſolvitur pretium prædii, fructus; nullam committit uſuram, quia accipit rem ſuam prnpriam, quæ deducitur ex æquitate juſtitiæ commutarivæ ſitæ in æqualitare, ſeu in eo, quòd quando unus ex contrahentibus implet conditionem contractui appoſitam, teneatur alter viciſſim eam implere, ne ſequatur inæqualitas inter commutantes res proprias, quia ſi emptor fructus perciperet prædii empti nondum ſoluto ptetio, æquitas exigeret, ot etiam impleret conditionem ex parte ſua, & ſolveret ſtatim pretium. Quamobrem licitum eſt vendere ſub tali condirione prædium, vel domum, & reſervare ſibi fructus, vel reditus, donec ſolvatnr pretium prædii, vel dnmûs, quia tunc dominium oon transfertur niſi cum primum ſolvitur pretium, & res fructificat ſuo Domino.

TITULUS XX.

De Crimine Falſi.

CUm in præcedentibus titulis compilator decretalium egiſſet de iis delictis, quæ prohibentur in ſeptimo præcepto decalogi, ut ſunt furta, uſuræ, & aliæ iniquæ rei alienæ uſurpationes; nunc ordo expoſcebat, ut de crimine falſi ageret; cum hoc delictum prohibeatur in octavo præcepto decalogi: inter præcepta legis divinæ habentur. *Non occides, non mechaberis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices.* Tum quia hoc crimine, vel maximè in bonis, rebúſque exterioribus proximus læditur; unde titulis de furto, & Uſuris rectè adjicitur præſens de crimine falſi.

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *FALSIDICUS 1. h. t. Ex D. Auguſtino declaratur, teſtem falſum tribus eſſe perſonis obnoxium ſcilicet Deo, Judici, & innocenti; Deo quia ejus præſentiam contemnit, & per falſum teſtimonium offendit: Judici quia mentiendo ipſum fallit: & innocenti quia falſo teſtimonio eum lædit: uterque enim reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium profert, quia ſicut ille prodeſſe non vult, ita iſte nocere deſiderat. Cæterum teſti falſo. quia tres offendit, triplex datur pœna. Primò quia Deum offendit, ſtatuuntur eidem ſeptem anni pœnitentiæ* c. quicunque 6. q. 1. *Quia Judicem deluſit, incurrit infamiam, vel extraordinariè punitur. Demum quia proximo damnum intulit, punitur etiam juxta menſuram læſionis factæ* c. nihilominus 3 q. 9.

C. *SUPER EO 2. h. t. Lucius III. declarat, ſententiam latam authoritate litterarum falſarum non eſſe mandandam executioni. Rurſus Ordinarium, ſi cognoſcat, reſcriptum Papæ eſſe redarguendum falſitatis, non debere eidem fidem dare; neque obſervare, quod per illud mandatur; ſed potiùs debere capere, & retinere eum, qui auſus eſt reſcriptum præſentare. Hinc notat Gloſſa, ſuſpectum de falſitate poſſe capi, & detineri in cuſtodia, donec conſtet de veritate reſcripti, ut etiam notat Panormitanus hic n. 3. ubi etiam obſervat cum Gloſſa, ſententiam latam per falſas litteras delegatorias poſſe retractari quandocunque, & idem etiam procedere in ſententia delegata, ſi falſus procurator agat cauſam* c. in noſtra de procur. *ſecus tamen quando Iudex Ordinarius circumvenitur falſis litteris, aut probationibus, tunc enim habetur certum præfinitum tempus ad agendum de falſitate, ut notat Ioannes Andreas* in c. venerabilis de except.

C. *AUDIENTIAM 3. h. t. declarat Urbanus III. Clericum falſantem ſigillum Principis non eſſe puniendum pœna ſanguinis, ſed eſſe degradandum, ac eidem imprimendũ ſignum, quo ab aliis diſcernatur, & demum eſſe extra Provinciam mittendum in exilium. Ubi notat Panormitanus hanc degradationem eſſe verbalem, ſeu ſolam depoſitionem, quia ſi eſſet realis, reus deberet tradi Iudici ſæculari* c. degradatio de pœnis in 6. *Cæterum quod in textu dicitur de impreſſione ſigni, ut hoc pacto magis abſterreantur Clerici, & falſarij cum tam turpiter ab alijs diſcernantur, cenſent plures, hoc ſignum, ſeu characterem fuiſſe primam litteram illius diœceſis, in qua peccaverunt &, volunt, hanc pœnam non eſſe ordinariam, ſed ſpecialem in odium criminis. Rurſus ex hoc textu liquet, Epiſcopos habere poteſtatem compellendi clericos ad abjurandam ſuam Diœceſim, quod utique eſt quædam ſpecies exilii. Non tamen poſſunt Epiſcopi pœnam infligere cum periculo mortis: alioquin incurrerent irregularitatem. Clerici tamen falſantes litteras Apoſtolicas poſt degradationem ſtatim traduntur Curiæ ſæculari puniendi* c. ad falſariorum 7. h. t. *non ita falſantes litteras Principis ſæcularis.*

C. *DURA SÆPE. 4. h. t. Statuit Innocentius III. ut exiſtens in Curia non accipiat litteras Apoſtolicas niſi de manu Papæ, vel ejus officialium ad id deputatorum, quòd ſi perſona ſit tantæ authoritatis, ut ita deceat, mittat nuntium ad Cancellarium Papæ, vel ad Papam, qui præfato modo illas accipiat. Contrafacientes ſi ſint laici, vult eſſe excommunicandos, ſin verò ſint Clerici eſſe ſuſpendendos ab Officio ab Ordinario, à quo non poſſint abſolvi. Rurſus jubet Pontifex generalem ſententiam excommunicationis promulgari, & in ſingulis parochijs ſæpius innovari, ut ſi quis falſas litteras ſe habere cognoverit infra 20. dies, eas vel deſtruat, vel reſignet, ne fiat obnoxius ſententiæ excommunicationis, quam Pontifex excepto in mortis articulo ſibi reſervat. Notat tamen Gloſſa, textum procedere de commorantibus in Curia, quia exiſtentibus extra curiam ſufficit, ſi mittant Nuntium idoneum ad Concellarium, vel Papam, qui inde litteras recipiat. Immo hodie uſus etiam Romæ invaluit, ut exiſtentes in Curia etiam per Nuntium accipiant litteras præſertim ſi ſint perſonæ authoritatis, vel aliqua illuſtri dignitate inſignitæ, Papa enim, id ſcit, & tamen tolerat: excipitur tamen excommunicatus, vel niſi litteræ ita eſſent recipiendæ de manu Papæ, vel Bullatoris tantum: alioquin eſſent falſæ.*

C. *LICET 5. h. t. declarat idem Pont. novem modos, quibus facilè cognoſci poſſit falſitas in litteris Apoſtolicis. Primò ſi falſa Bulla falſis litteris apponatur. Secundò ſi filum de vera Bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immiſſum falſis litteris inſeratur. Tertiò ſi filum ab ea parte, in qua charta plicatur, inciſum cum vera Bulla falſis litteris immittatur ſub eadem plicatura cum filo ſimilis canapis teſtauratum. Quartò ſi à Superiore parte Bullæ altera pars fili ſub plumbo reſcindatur, & per idem filum litteris falſis inſerta reducitur infra plumbum. Quintò ſi litteris Bullatis, vel redditis aliquid in eis per tenuem raſuram cognoſcatur immutatum. Sextò, ſi charta artificio dealbetur, & iterum inſcribatur. Septimò ſi charta abolita, & obraſa alia ſubtiliſſima charta congluti-*

ment. amic. h. t. ubi fœneratores quando agitor de cauſa oſuraria coguntur producere ſuos libros rationum : idque etiam procedit de hæredibus uſurariorum , cum & iſti teneantur uſuras defunctorum , quorum ſunt hæredes reſtituere. Quòd ſi uſurarij , vel etiam eorum hæredes negent, ſe habere rationes, vel dicant ſe illas amiſiſſe, non eſt ipſis credendum, tametſi id aſſerant cum juramento, niſi probent, ſe illas amiſiſſe caſu fortuito, vel periiſſe incendio , Cæterum poſſunt uſurarij , & eorum hæredes non ſolùm compelli per cenſuras eccleſiaſticas ad libros edendos rationum ; ſed etiam poſſunt Miniſtri juſtitiæ vio-
9 lenter eorum domus ingredi, & ciſtas, vel armaria infringere.

Pœnæ autem jure canonico impoſitæ contra uſurarios, plures ſunt. Prima eſt, ut uſurarij ſint ipſo jure tam civili, quàm canonico infames *l. improbus fœnus C. ex quib. cauſ. infamia irrogetur c. infamis 3. q. 7. §. porro.* adeò ut Clericus uſurarius ſit ipſo jure infamis, ut notat Abbas in *c. inter dilectos de exceſſu Prælatorum*: & quia infames ab honoribus, & dignitatibus excluduntur, immo etiam à gerendis negotiis, quæ prohibentur infamibus, ut à poſtulando, ſeu patrocinio *l. 1. ff. de poſtul. à teſtimonio*, ideo etiam uſurarij, eo ipſo, quòd infamiam incurrunt, excluduntur ab omnibus prærecenſitis. Hinc clericus uſurarius repellitur ab officio obtinendo, ut notat Gloſſa *in c. præterea de uſur.* Verùm Epiſcopo permittitur, ut hanc poſſit infamiam tollere pro eccleſiaſtico beneficio obtinendo, dummodo priùs clericus reſipuerit, & pœnitentiam egerit; hinc eſt etiam ab officio, & beneficio ſuſpendendus per ſententiam Judicis, ut deſumitur *ex c. præterea ex h. t.* ubi Alexander III, mandat Epiſcopo, ad quem ſcribit, ut Parochianis ſuis interdicat uſuras recipere; qui ſi parère contempſerint, & clerici ſint, jubet, eos ab officio, & beneficio ſuſpendi; ſin verò laici uſque ad condignam ſatisfactionem ipſos vinculo excommunicationis adſtringi : ex quo textu notat Gloſſa, Clericos uſurarios eſſe ſuſpendendos ab officio, & multò fortiùs eos repelli ab illis obtinendis, cùm nec Epiſcopus poſſit ſuper illis di-
10 ſpenſare, eòquia uſurarij manifeſti ſint infames.

Communior tamen ſententia eſt , poſſe Epiſcopum diſpenſare in ſuſpenſione circa beneficia obtenta, ut notat Barboſa in *d. c. præterea. 7. n. 4. h. t.* quod tamen intelligitur poſt pœnitentiam, & ſatisfactionem datam; quia quoad beneficia jam obtenta Clericus uſurarios ob infamiam etiam juris non eſt ipſo facto eo privatus : unde infamia juris ſolùm reddit clericum uſurarium ob infamiam inhabilem quoad beneficium obtinendum ſine Papæ diſpenſatione, ut notat Covarruvias *lib. 3. reſol. c. 3. n. 3.* Cæterum Clericus uſurarius non eſt ſtatim deponendus ab ordine, officio, & beneficio; ſed priùs monendus eſt, ut deſiſtat ab uſuris exercendis, et ſi monitus nolit deſiſtere, ſuſpendendus eſt ab officio, & beneficio ut habetur *in c. præterea 7. h. t.* Quòd ſi adhuc perſeveret in ſua contumacia, deponendus eſt, ac verbaliter degradandus, ut habetur *in c. 1. diſt. 47.*

Secunda pœna eſt, ut laici uſurarij mani- 11
feſti anathemate feriantur, idque deſumitur *ex d. c. præterea 7. h. t.* ubi Alexander III. mandat, laicos uſurarios manifeſtos excommunicari, donec ſatisfecerint. Hinc uſurarij non admittuntur ad communionem altaris, ut ſtatuitur in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. & refertur *in c. quia 3. h. t.* ubi cùm crimen uſurarum ita invaleſceret, ut multi quaſi licitè eas exercerent, tametſi utriuſque teſtamenti paginâ condemnatas; ideo conſtituit Pontifex cum Concilio, ut uſurarij manifeſti nec ad communionem admittantur altaris; nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant ſepulturam: ſed nec oblationes eorum quiſquam accipiat: contraveniens autem, quæ acceperit reddere compellitur, & donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfaciat, ab officio manet ſuſpenſus: Ex quo textu plures colliguntur pœnæ inflictæ contra uſurarios manifeſtos, quarum una eſt, ut non admittantur ad communionem altaris, ſeu ad perceptionem ſacræ Euchariſtiæ, ut communiter notant cum Hoſtienſi *in d. c. quia 3. h. t.*

Tertia quæ deſumitur *ex d. c. quia* eſt, ne
oblationes uſurariorum recipiantur ab Eccle- 12
ſia, eò quia dona illorum, qui pauperes oppreſſerunt recipi minimè debent à ſacerdotibus, nec ab Eccleſia *c. miror. 1. cauſ. 17. q. 4. c. de viro 10. & 7. cauſ. 1. q. 2.* ratio itidem eſt, quia oblationes, & eleemoſinæ fieri debent de propriis bonis, non verò de alienis: & uſurarii ſi ex extortis uſuris oblationes faciant, eas non ex proprio, ſed ex alieno, ſeu ex bonis illorum, ad quos pertinent uſuræ, id præſtant: poſſunt tamen, ut notat Abbas *in d. c. quia 3. h. t. n. 6.* eleemoſynas facere, & pauperes poſſunt eas itidem recipere: ratio diſcriminis, cur licitæ ſint eleemoſynæ, non oblationes, eſt, quia eleemoſynæ per ſe ſecretè, & occultè fiunt, & ideo Eccleſia eas permittit; dummodo non fiant ex extortis uſuris, quia per hoc non liberantur ab onere eas ſolvendi iis, ad quos pertinent. Oblationes verò, quia fiunt publicè, eccleſia eas non recipit, ſi à pu-
blicis uſurariis proveniant. 13

Quarta pœna, quæ etiam deſumitur *ex d. c. quia 3. h. t.* eſt, quòd ſi publici, & manifeſti uſurarij deceſſerint in ſuo peccato priventur eccleſiaſtica ſepultura, & in Concilio Lugdunenſi relato in *clement. 1. de ſepult.* ſtatuitur, eos eſſe anathemate percutiendos, qui uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumunt; & hæc excommunicatio incurritur ipſo facto, à qua non abſolvitur, qui eam contrahit, niſi priùs ad arbitrium Diæceſani Epiſ-
copi competentem exhibuerit ſatisfactionem. 14

Immo notat Abbas *in d. c. quia 3. h. t.* uſurarium defunctum privandum eſſe eccleſiaſtica ſepultura; tametſi ejus hæres vellet extortas ab eo uſuras reſtituere; aut de iis reſtituendis

tuendis cavere, ſed requiritur, ut uſurarius per ſe antequam deceſſerit, injunxerit hæredi eas reſtitui: adeò ut uſurarij manifeſti non admittantur ad eccleſiaſticam ſepulturam, niſi antequam deceſſerint, uſuras pro modo, & poſſibilitate facultatum ſuarum reſtituerint; vel ſaltem cautionem de reſtituendo præſtiterint præſentibus illis, quibus uſuræ debentur; vel in iſtorum abſentia coràm loci ordinario proprio, vel notario; idque deſumitur *ex c. quamquam 2. h. t. in 6.* ubi Gregorius X. ſtatuit, ut uſurariis manifeſtis morientibus ſi teſtentur, ut reſtituantur uſuræ extortæ, ſive explicent quantitatem, ſive non, non detur ſepultura eccleſiaſtica, donec ſatisfecerint prout patiuntur facultates eorum, vel niſi dent cautionem de reſtitutione facienda ipſiſmet Dominis, vel aliis, qui Dominis poſſint eam acquirere; vel his abſentibus Ordinario, vel ejus vices gerenti, vel Parocho ſuæ Parochiæ, coram aliquibus ſide dignis: quia ſic per hos acquiritur actio Dominis, vel Notario publico de mandato Ordinarij: & ſi quantitas eſt certa, eſt exprimenda; ſi minus arbitraria, cum obligatione reſtituendi reſiduum. Rurſus *in d. c. quamquam* confirmantur pœnæ, quæ injunguntur *in c. quia 3. h. t.* adeo ut qui ſepelit in Eccleſia uſurarium manifeſtum prædictas incurrat pœnas ſuſpenſionis, & excommunicationis.

15 Quamobrem *ex d. c. quamquam 2. h. t. in 6.* infertur, quòd ſi uſurarius manifeſtus in teſtamento, vel alia ultima voluntate mandet reſtitutionem uſurarum in certa, vel incerta quantitate, adhuc non ſit in loco ſacro ſepeliendus, donec fiat reſtitutio ipſis damnificatis, vel eorum hæredibus, & in defectum eorum Ordinario loci, vel ejus vicario, aut Parocho adhibitis ad id teſtibus, aut detur illis idonea cautio, ut actio acquiratur illis, à quibus fuerunt uſuræ extortæ: ratio verò cur tot requirantur cautiones, eſt; quia perſæpe ultimæ voluntates ab hæredibus non implentur: unde jura exigunt, ut tales dentur cautiones, quibus actio acquiratur iis, à quibus fuerunt uſuræ extortæ. Hæc autem conſtitutio Gregoriana ſolùm procedit de uſurariis notoriis, non verò de occultis: quia iſtis non denegatur eccleſiaſtica ſepultura, ſi ipſam publicè petant, tametſi in foro conſcientiæ abſolvi non debeant, quin priùs ſatisfecerint; vel ſaltem parati ſint ſatisfacere eo meliori modo, quo poſſunt, ut dicitur etiam de furtis occultis. Cautio verò ab iiſdem præſtanda eſt, quæ fit per pignora, vel fideiuſſores *l. ſi mandato 59. §. fin. ff. mandati.* Quamvis Mutuatarij actionem habeant ad reperendas uſuras, quas mutuatores ex iiſdem extorſerunt; voluit tamen Papa etiam providere per remedium cautionis, ut mutuatarij tutiores fierent per fideiuſſores, vel pignora. Quòd ſi uſurarius ad eam fuerit deductus inopiam, ut nec pignora, nec fideiuſſores dare poſſit, tenetur tunc jurare, ſe non poſſe de præſenti ſatisfacere, ſed quantum in ſe erit ſatisfacturum. Rurſus cautio, quæ fit ordinario, vel ejus Vicario, & Parocho, debet fieri coram aliquibus fide dignis de ipſa Parochia, quia magis creditur indigenis notis, quàm ignotis extraneis; non tamen eſt de eſſentia, ut teſtes illi ſint de parochia, ſed id tantùm requiritur ad meliùs eſſe; cæterum ſatis eſt, ſi ſint idonei.

16 Quinta pœna eſt, ut nullus interſit teſtamentis uſurariorum manifeſtorum conficiendis, nec ullus eos ad confeſſionem admittat, vel abſolvat, etiam ab aliis peccatis, antequam reſtituerint uſuras, vel præſtiterint cautionem idoneam, quod pro viribus ſuis erunt ſatisfacturi, & deſumitur *ex d. c. quamquam 2. §. nullus h. t. in 6.* quia uſurarij æquiparantur furibus, qui non abſolvuntur, niſi reſtituerint ablatum. Si tamen uſurarius morte imminente paratus ſit reſtituere; vel ſaltem cautionem idoneam de reſtituendo præſtare, & neutrum poſſit; abſolvi tunc à quovis Confeſſario debet, dummodo, ſi tempus ſuperſit, juret ſe ex prædictis præſtiturum, quæ poterit.

17 Sexta pœna eſt, ut teſtamenta, & ultimæ voluntates uſurariorum non valeant, niſi ante mortem uſuras reſtituerint, vel de reſtituendo idoneam cautionem dederint, ut deſumitur *ex d. c. quamquam 2. h. t. in 6.* Idque procedit etiam de aliis ultimis voluntatibus, quæ propterea ſunt ipſo jure irritæ, ſi manifeſtus uſurarius uſuras non reſtituerit, vel non caverit idoneè de iiſdem reſtituendis: unde ſive codicillus, ſive donatio mortis cauſa facta fuerit, ſive legatum in teſtamento relictum, hæ omnes ultimæ voluntates ſunt ipſo jure irritæ, quia ſi ſuum ſortirentur valorem, fieret fraus legi; quæ propterea facilè poſſet eludi: quin imò neque legata ad pias cauſas relicta in teſtamento ab uſurario notorio valent, quia eo ipſo quòd deceſſerit impœnitens teſtamentum eſt ipſo jure irritum. Quòd ſi ſigna dederit valent, idque ex æquitate, & favore piæ cauſæ, ut cenſent Cavarruvias *lib. 3. reſol. c. 3. in fin.* Sylveſter V. *uſura 9. p. 7.*

18 Verùm contraria ſententia communior eſt, & verior, quia textus *in d. c. quamquam 2. h. t. in 6.* irritat omnes ultimas voluntates, & teſtamenta facta ab uſurariis manifeſtis, ſi priùs non reſtituerint, vel idoneam non præſtiterint cautionem. Teſtamentum verò conditum ab uſurario, qui ante mortem non erat notorius uſurarius, ſi poſt mortem probetur ſufficienter, eum manifeſtè exercuiſſe uſuras, ob eandem rationem condemnatur, & illius hæredes jubentur uſuras reſtituere; adeò ut ſi crimen per ſententiam Judicis fiat notorium, adhuc probabile eſſe videatur, tale teſtamentum ſuum ſortiri valorem: ratio eſt, quia teſtamentum morte teſtatoris confirmatur, & quidem eo tempore, quo uſurarius nondum erat notorius, ac proinde nullum fuit impedimentum, quo minus teſtamentum illud ſuum ſortiretur

ceſſante, vel damno emergente, & ſolùm quærentes lucrum, oc pecunia otioſa maneat. Rurſus plures contractus excuſari poſſuut, ioquibus aliquid poteſt licitè accipi ultra ſortem, ſi fiant præſertim cum illis, qui ex mutuò accepta pecunia negotiantor, & honeſtum lucrum quæruot, ut mutuatario partem lucri tribuant, ut in explicito contractu ſocietatis, in quo unus pecuniam, & alter ioduſtriam confert.

3 Quæritur ſecundò, an qui bona fide inivit contractum uſurarium, aut aliàs iniquum, quem ſi contrahens ſciviſſet, fuiſſe iniquum, alium iniviſſet contractum juſtum, poſſit licitè, ratione lucri ceſſaotis, comperta veritate tantùm ſibi retinere, quaotum contractu illo juſto fuiſſet lucraturus. Aliqui inter quos Emanuel Sà *V. uſura n. 8.* Reſpoodent affirmativè, eò quia qui bona fide celebrat contractum oſurarium implicitè iotendit joſtum titulum, & ita celebrat talem contractum, ut ſi ſciret, titulum eſſe injuſtum, nollet contrahere, ſed alium ioiret contractom licitum.

4 Verùm quidquid ſit de probabilitate hujus ſententiæ; commuoior, & verior, cui adhærendum eſt, negat, eum, qui booa fide inivit cootractum vſurarium poſſe taatum ſibi retinere, quantum contractu illo juſto fuiſſet lucraturus, quia quæ acquiruntur contractu injuſto, non poſſunt retioeri; nec bona fides excuſat, quia ſi quis veodat bona fide aliquid ſupra juſtum pretium, tenetur reſtituere exceſſum, non enim bona fides unius debet damno eſſe alteri: ut etiam ſi Petrus emat rem minoris juſto pretio bona fide, intellecta poſtea veritate tenetur pretium complere, adeò ut non poſſit recurſum habere ad aliom contractum, quem com alio ioiviſſet, & quô plus fuiſſet lucratus; quia venditor noo conſenſit in talem titulum, nec mens ejus fuit rem ſoam minoris juſto pretio veodere: unde ſicut io contractibus emptionis, & venditionis, noo poteſt etiam qui bona fide cootraxit, ſibi retinere exceſſum, vel defectum ſupra, vel iofra juſtum pretium; ita neque in contractu mutui: alioquin ſi uterque contrahentium conſentiat in eodem titulo, adeò ut is, cum quo Titius contrahit, inteodat dare Titio lucrum omni eo titulo, quo Titius illud intendit accipere, tunc in quatuor caſibus poſſet Titius licitè exceſſum ſupra ſortem licitè accipere: primò ſi cùm alteri dat mutuò centum, intendat expreſsè omni titulo, quo poteſt, lucrari quinque eò quia, ſciat omnes alios pro quolibet centenario etiam lucrari quinque.

5 Id tamen procedit, dummodo lucrum ceſſans deductis deducendis tanti æſtimetur, quamvis de hoc nil cogitaverit. Secondò ſi implicitè, vel virtualiter intendat aliquem juſtum titulum, ut ſi illum intendat eo modo, quo moris eſt, ut alij accipiant quinque pro quolibet centenario: Tertiò ſi mutoans intendat juſtum titulum ex vi præcedentis propoſiti, quo ſtatuit in hoc contractu exigere lucrum omni eo titulo, quo poteſt; & in ſe poſtea applicet ad huoc contractum ineundum, quia tunc licèt actualiter id noo cogitet; implicitè tamen cenſetur ita velle. Quartò poteſt etiam quis implicitè inteodere juſtum titulum, ſi tantùm iotendat juſto modo lucrari, & oon aliter, hic enim tunc formaliter intendit juſtum titulum; quia ita eſt affectus, ut ſi ſciret, titulum hujus cootractus non eſſe juſtum, nollet contrahere, ſed alium iniret ex juſto titulo: uode videtur iſte virtualiter intendere titulum omnem juſtum, quem poteſt; neque ſe alligare ad hanc formam contractus mutui; ita enim eſt animo diſpoſitus & affectus tunc mutuaos, ut ſi rogaretur, qoo titulo velit ex pecuoia mutuò data alteri lucrari quioque pro quolibet centenario, noo reſponderet ex vi contractûs mutui, ſed eo meliori modo, quo poteſt, & ſub eo titulo, quo viri probi, & timoratæ conſcientiæ licitè exiguot illa quioque pro quolibet centenario: cùm hac intentione ſolent viri juſti, & timorati contrahere quaodo res ipſis oon adeò clarè inooteſcit: hoc pacto poſſunt excuſari, qoi pecuoias pupillares deponuot apud homines induſtrios, & mercatores, quia oon intendont niſi licito modo hoc lucrum percipere, & ſi interrogarentur, hoc idem reſponderent: nemo eſt, qui ſi dat alteri ſuas pecunias mutuas non intendat auctarium ultra ſortem accipere, eo modo licito, qoo poteſt; & mutuatarius, eo ipſo, quòd promittit, quot anois dare quioque pro quolibet centenario; implicitè aſſentitur intentioni mutuantis.

Quærltur tertiò, an licitum ſit initio mutui exigere à mutuatario lucrum occaſione mutui. Aliqui præciſo ſcandalo cenſent, id eſſe licitum, inter quos Bauoius *Theolog. moral. tom. 3. lib. 2. q. 22.* & oititur Primò quia tempus eſt aliquid omnino extrinſecum ipſi oaturæ mutui; uode ab ipſo oon poteſt ſolutio lucri ceſſantis contrahere vitium oſuræ. Secuodò quia eo ipſo quòd aliquid eſt creditori debitum, illud ſolvere ooo eſt malum: atqui mutuaoti cùm ceſſet lucrum, eo ipſo, quòd dat mutuatario mutuò ſuas pecunias, eſt debitum lucrum illud, proinde poteſt ſtatim ſolvi, qoia mutuaos exigit, quod ſuum eſt, & mutuatarius ſolvit id, ad quod mutuans habet jus. 6

Verùm hæc ſenteotia communiter reijcitur, quia locrum ceſſans, non debet ſtatim tradi, cum mutuum recipitur; alioquin mutuanti ex ſuo mutuo noo ceſſaret lucrum eum illud ſtatim acciperet, & poſſet ex illo etiam negotiari, hioc qui mutuat mille, & occaſione lucri ceſſantis exigit qoinquaginta oon poteſt illa quinquaginta ſtatim accipere, niſi illa detrahat de lucro; alioquin illi non ceſſaret lucrum ex mille. Ratio igitur, cur compenſatio lucri ceſſantis non poſſit exigi ſtatim poſt datum mutuum, ſed poſt convenieos temporis intervallum, eſt; quia ſi compenſatio lucri ceſſantis ex mutuo centum ducatorum ſioe 7

decem ducati; mutuans, qui ſtatim ea decem exigeret, revera non mutuaret centum, ſed tantùm nonaginta: ponamus enim Titium daret mutuò Caio centum aureos ea conditione, ut pro lucro ceſſante det decem aureos quot annis, ſi Titius eadem die, quâ dat Caio centum illos aureos exigeret ab eodem Caio decem, revera non mutuaret ipſi centum, ſed tantùm nonaginta; exigere autem tantum pro nonaginta quantum pro centum eſt iniquum; quia exigitur aliquid ex decem aureis, quos Cajus non accepit ad uſum: ex quo liquet, non poſſe mutuantem ſtatim compenſationem mutui exigere.

8 Quinimò, ut lucrum ceſſans licitum ſit, præter conditionem, ut non ſtatim, cum mutuo datur capitale, exigatur lucrum ceſſans; adhuc deſiderantur duæ aliæ conditiones; quarum prima eſt, ut lucrum ceſſet ex mutuo, quod contingit, quando quis mutuat pecuniam, quam jam in promptu, & paratam habebat ad negotiandum; tunc enim ſi mutuator non habeat aliam pecuniam, quâ poſſit negotiari, docent omnes, poſſe paciſci de intereſſe lucri ceſſantis, illúdque exigere. Rurſus requiritur, ut mutuans non exigat totum, & integrum lucrum, quod ipſe ſperâſſet, ſi imediatè pecunias per ſe impendiſſet negotijs; quia hoc lucrum eſt tantùm in potentia, & pluribus modis poteſt impediri; proinde non poteſt exigi totum, & ex æquo, quia quod eſt in potentia minus valet; quàm quod eſt in actu; quamobrem non poteſt mutuator exigere integrum lucrum, quod probabiliter ſperat, ſed quanti ſpes illius æſtimatur dattacto periculo in aſſecutione ejusdem lucri, & deductis expenſis.

9 Quod ſi quæratur, quantum revera poſſit mutuator exigere, ſolet hæc regula aſſignari, ut qui mutuat, tantum remittat de lucro ſperato mutuatario, quantum ipſe daret alteri ob contractum aſſecurationis; ſeu quantum daret illi, qui ipſum ſecurum redderet de toto illo lucro ſperato, ſi totum periculum in ſe ſuſciperet. Id tamen procedit, quando lucrum ita deducitur in pactum, ut pro eo aliquid determinatum accipiendum ſit: ſi enim conventio ſit, ut mutuatarius teneatur ſolvere pro intereſſe, quantum eventus declaraverit lucrum eſſe futurum, ſpectato eventu aliorum negotiorum eodem tempore, & loco, totum lucrum deductis deducendis poteſt mutuans exigere.

10 An verò ex lucro certo, vel probabiliter ſperato teneatur mutuans deducere laborem, quem in eo comparando impendiſſet. Reſpondetur probabiliùs, talem laborem non eſſe deducendum, quia ſi quis petat à Mechanico, ut ſibi commodet ſua inſtrumenta, poteſt Mechanicus cum illo paciſci de toto lucro reſarciendo, quod pro tali tempore debet amittere; nec Mechanicus tenetur laboris ſui æſtimationem deducere, unde ſi per diem eſt lucraturus unum florenum, poteſt paciſci cum eo, qui petit ſua inſtrumenta, ut compenſet florenum illum, quem eſſet lucraturus, non deducendo æſtimationem laboris, quem debuiſſet impendere: unde nec mercator tenetur æſtimationem laboris, & moleſtiarum, quas ſubit in negotijs peragendis detrahere. Neque obſtat, quòd ceſſatio laboris ſit pretio æſtimabilis; quia id tantùm eſt verum, quando labor ſit venalis, non ita quando naſcitur ex mutuo; quia tunc libenter labor ſuſcipitur: hac ratione compellens ad mutuandum, vel mutuum non ſolvens præfixo termino, tenetur etiam ſolvere lucrum ceſſans non compenſato labore, qui in eo comparando ſuſcipitur. Tum quia ſi labor iſte eſſet compenſandus, cum plerumque æquivaleat lucro acquirendo, ut in agricolis, & mercatoribus; rariſſimè titulo lucri ceſſantis poſſet aliquid ſupra ſortem exigi. Hinc ſi Titius mutuavit centum Caio, non poteſt cum eo paciſci, ut ſibi ſtatim dentur quinque ratione lucri ceſſantis; quia quòd pro intereſſe ſolvitur, eidem ſubrogatur, & ab illo, quod nondum exiitit, non poteſt quidquam tanquam ejus fructus exigi.

Quæritur quartò, an teſtamenta Judæorum, qui ſunt notorij uſurarij, valida ſint? 11
Reſpondetur probabiliùs, eſſe nullius valoris, ſi ſine præſtita cautione de reſtituendis uſuris facta fuerint. Ratio eſt, quia tametſi Judæi quoad pœnas ſpirituales non ſubijciantur Eccleſiæ, ut nec etiam alij infideles, ſiquidem juriſdictio eccleſiæ non ſe extendit, niſi ad eos, qui ſunt intra Eccleſiam, ſuntque ejus membra: & membra Eccleſiæ non fiunt, niſi baptizati; quia per ſolum Baptiſmum homines ingrediuntur Eccleſiam; hinc cùm Judæi, & alij infideles non ſint baptizati, non ſunt membra Eccleſiæ, nec illi ſubijciuntur in ſpiritualibus; proinde non ſubjacent pœnis impoſitis ab Eccleſia contra uſurarios notorios, quarum una eſt, ut eorum teſtamenta ſint nulla, ſi priùs non reſtituerint uſuras, vel idoneam dederint cautionem de illis reſtituendis. Nihilominus quia hæc pœna eſt temporalis Judæi eidem ſubijciuntur, licèt non alijs, quæ ſunt ſpirituales, ut ſunt excommunicatio, ſuſpenſio: cùm igitur Judæi, & alij infideles quoad pœnas temporales & civiles contractus ſubijciantur juriſdictioni Principum, in quorum terris degunt, ideo cum Principes ſæculares Chriſtiani in materia uſurarum ſe conforment legibus eccleſiaſticis, & canonicis, & Judæi in temporalibus ſubijciantur juriſdictioni Principum, in quorum Provincijs, & terris degunt, ſequitur, quòd ſi fuerint notorij uſurarij, eorum teſtamenta edita ſine cautione de uſuris reſtituendis nullum ſortiantur valorem; perinde ac teſtamentum Chriſtiani notorij uſurarij ſine præſtita cautione de uſuris reſtituendis, ut notat Covarruvias *lib. 3. reſol. c. 3. n. 9. §. 9.*

Quæritur quintò, an Pontifex poſſit aliquo modo condonare uſuras Judæis, qui volunt converti ad fidem catholicam? Reſpondetur, uſuras eſſe in duplici genere, aliæ enim reſti- 12

reſtituendæ ſunt certis perſonis, à quibus Judæi eas extorſerant: alias eſſe incertas, eò quia non conſtet Vſurario, à quibus illas acceperit; & iſtæ reſtituendæ ſunt, vel pauperibus mediante eleemoſyna, vel locis pijs, ac impendendæ pijs operibus. Quod attinet ad vſuras incertas adeſt conſtitutio Pauli III. quæ eſt 32. in qua in §. 1. diſponit, quòd bona acquiſita à Judæis, qui convertuntur ad fidem ex uſuris incertis remaneant apud ipſos: unde virtute Paulinæ conſtitutionis habetur virtualis reſtitutio, quia præſumuntur Judæi venientes ad fidem eas offerre ſummo Pontifici, ut ab eodem impendantur in opus pium, & Pontifex eas applicat ad converſionem Judæorum, ſcilicet ad tollenda impedimenta, quæ eſſent obſtaculo, quò minus Judæi converterentur: removere autem obſtacula converſioni Judæorum eſt procul dubio opus pium, quo fit, ut Pontifex remittendo uſuras incertas Judæis venientibus ad fidem, eas impendat in opus pium, & Judæi converſi ad fidem poſſint eas ſibi licitè retinere. Quòd verò attinet ad uſuras certas, decernit Paulus III. in dicta ſua *conſtit. 32.* ut iſtæ reſtituantur illis perſonis, ad quas pertinent.

13 De iis autem uſuris certis eſt difficultas, an poſſit Pontifex aliquo modo eas condonare Judæis. Ratio dubitandi eſt, quia Pontifex non poteſt diſpenſare ſuper Paulinam conſtitotionem, quia diſponit juxta jus naturæ: juſtitia enim naturalis exigit, quòd bona reſtituantor ijs, quibus debentur, proinde acquiſita ex uſuris reſtitui debent ſuis Dominis: non enim Pontifex diſpenſat, io jure naturali, ut rectè notat Suarez *lib. 1. de legib. c. 14. n. 5.* Tum quia Vſurarius nunquam acquirit dominium vſurarum, ut notat Covarruvias *l. 3. variar. c. 3 n 6.* & deſumitur ex *l. traditio. ff. de acquir. rer. Domin.* ubi ad translationem dominij requiritur cauſa idonea, & non ſufficit ſola voluntas; & ſolutio vſuræ non eſt cauſa idonea, cùm non ſit donatio liberalis. Tum quia mutuatarius ſemper retinet jus ad rem, ſeu ad repetendas ſolutas vſuras, & ſummus Pontifex non videtur poſſe illum privare ſuo jure; præſertim cùm ex neceſſitate, mutuatarij accipiant mutuas pecunias cum onere ſolvendi quot annis quinque pro quolibet centenario, & libentiùs illas acciperent ſine tali onere; unde cùm mutuatarij non peccent accipiendo pecunias cum tali onere, non videtur poſſe Pontifex, eos privare jure, quod habent ad repetendas ſolutas vſuras.

14 Nihilominus mihi videtur probabile, poſſe Pontificem indulgere Judæis, qui convertuntur ad fidem, ut poſſint licitè partem aliquam vſurarum, quæ certis perſonis ſunt reſtituendæ, ſibi retinere, quia poteſt Pontifex crimen vſurarum, quod eſſet tantùm toleratum, condonare Judæis venientibus ad fidem catholicam, & facere, ut contractus, qui ab initio fuit vſurarius redocatur ad terminos legitimos; adeò ut inducat obligationem in mutuatario ſolvendi, quod juſtum eſt ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis: qua ratione poſſunt Judæi venientes ad noſtram fidem ex indulto Pontificis ſibi retinere totum id, quod ex damno emergente, & lucro ceſſante ipſis obtigiſſet, ſi contractus ab initio fuiſſet validus. Neque indultum Pontificis eſſet ſine juſta cauſa; quia ſufficienter juſtificatur per hoc, quod Judæi faciliùs convertantur. Tum quia agitur de favore fidei *c. fin. de converſat. infidel. c. ſignificâſti de homicid.* Tum quia pecunia apud Judæos eſt ſemper expoſita negotiationi, nec ipſis deſunt occaſiones negotiandi, & lucrandi; adeò ut poſſit ſemper ſubintrare lucrum ceſſans, ut docet Caſtrenſis *in l. 3. §. ratione ff. de eo, quod certo loco.*

Rurſus poſſe Pontificem concedere gratiam reſtitutionis in integrum fingendo ſtante æquitate non factum, quod eſt factum, liquet *ex clement. unic. de immunit. eccles.* & docet Baldus *in l. non dubium. C. de legibus.* hinc Ancharanus *conſil. 225. n. 2.* ait, fictiones auferre quæſita uni, & dare alteri, ut conſtat *ex ff. C. de captivit poſtlim. revert.* Qua ratione poteſt etiam Princeps in præjudicium hæredum revalidare donationem excedentem quingentos aureos non inſinuatam, & facere ut perinde ſe habeat, ac ſi fuiſſet inſinuata, & valida, ut obſervant Abbas conſil *84. n. 6. p. 1.* Caſtrenſis *Conſil. 178.* Quamobrem etiam ſummus Pontifex poteſt convalidare contractum vſurarium, eúmque reducere ad debitos terminos, & facere, ut perinde ſe habeat, ac ſi ab initio fuiſſet legitimus. Tum quia etiam legitimatio retrotrahitur ad tempus nativitatis *ff. de nat. reſtit. & § illud* & §. *nulla authent quibus. mod. natur. effic.* ut tradit Bartolus *in l. 2. n. 10. ff. de vulg & pupill. ſubſtit.* 15

Neque obſtat, quòd filij legitimi ſint minus ſuſcepturi de paterna hæreditate; quia eo ipſo, quòd filius declaratur legitimus debetur ipſi pars hæreditatis ſicut alijs legitimis. Quamobrem poterit etiam Pontifex legitimare contractus Judæorum, qui convertuntur ad fidem, & tunc legitimatio contractus retrotrahitur ad tempus, quo fuit initus. 16

Quæritur ſextò, quænam ab Vſurarijs accepta titulo gratuito, vel oneroſo reſtitui debeant? Reſpondetur, quòd ſi Vſurarius non ſit ſolvendo, debent ab ipſo reſtitui Creditoribus, donec integrè ſolvantur uſuræ acceptæ ab illo per ultimam voluntatem, teſtamentum, codicillum, legatum, vel donationem mortis cauſa *l. quod autem 6. §. penult. ff. quæ in fraudem credit* & docet Molina *tract. 2. diſp. 329. n. 7.* ſiquidem debitor poſt mortem non poteſt aliquid lucrari, nec acquirere alia bona, ex quibus ſolvantur debita; proinde non poteſt alienare etiam in illud tempus aliquid in fraudem creditorum. Hinc ſi quis titulo lucrativo, ut per donationem; vel oneroſo ut per emptionem, & venditionem accepit, & acquiſivit ab uſurario rem aliquam ſive vſu conſumptibilem, ſive non, quamdiu extat in ſpecie, ut gemma, catena aurea, & alia id genus reſtitui debet 17

debet ubicunque ſit, & apud quemcunque poſſeſſorem; tametſi per talem alienationem Vſurarius non fieret impotentior ad ſolvendum ſuis creditoribus: quia cùm Vſurarij non acquirant dominium in res, quas per vſuras acquiſiverunt, non poſſunt illas quocunque titulo in alium transferre; adeo ut eas accipientes teneantur ad reſtitutionem.

18 Res tamen proprias poteſt vſurarius alienare, dummodo illi ſuperſint alia ſufficientia bona, quibus poſſit vſuras ſolvere, quia in rebus proprijs habet dominium, & poteſt eas alienare, pro ut ipſi magis placuerit; quia id non cedit in damnum creditorum, cum iſti poſſint ſatisfieri de alijs bonis, quæ ſuperſunt ipſis Vſurarijs. Præterea ſi quis quocunque titulo accipiat res ab Vſurario, & probabiliter ignoravit per talem alienationem Vſurarium non fieri impotentem ad reſtituendas vſuras, non tenetur eas reſtituere; quia tunc contractus eſt validus, & ipſe Vſurarius alienans res ſuas nulla lege ſit inhabilis ad transferendum tunc dominium illarum rerum in alios.

19 Quòd ſi Vſurarius potuerit probabiliter ſcire, ſe per alienationem talium rerum conſtituere impotentem ad eas reſtituendas; & nihilominus res illas titolo lucrativo alienat; tunc tenetur, qui res illas accepit tam in foro conſcientiæ interno, quàm externo eas reſtituere; ſi adhuc extent; vel ſi bona fide eas conſumpſit; quatenus ex ipſis factus eſt locupletior, quia tunc præſumitur mala fide eas conſumpſiſſe. Quòd ſi accipiens non inducat Vſurarium ad donandum, vel alienandum, ſed ipſe ſponte donavit, tunc non tenetur ad reſtitutionem in foro conſcientiæ, tametſi ſciat, Vſurarium per talem donationem fieri impotentem ad reſtituendas vſuras, quia tunc non eſt cauſa, cur alter velit donare.

20 Quæritur ſeptimò, an olla fortunæ contineat vſuram: Olla fortunæ eſt, quâ quis pro certa parva quantitate pecuniæ extrahit ab urna ſchedam ſignatam; & is, qui præeſt ollæ, debet ipſi dare rem valentem etiam centum florenis ſi eam extraxerit. Propriè enim olla fortunæ dicitur quando plures conferunt certam pecuniam, & conjectis ſchedulis ſingulorum nomine inſcriptis in communem ollam, vel aliud vas, quod quiſque ſorte extraxerit ex olla, cedat ejus locro, ſive res magni, vel exigii fuerit pretij. Reſpondetur, ollam fortunæ poſſe ab vſura defendi, quia ibi non intervenit contractus mutui, in quo ſolo propriè vſura committitur: ſiquidem olla fortunæ ad contractum emptionis, & venditionis revocari poteſt, in quo datur pecunia pro pretio, & ſpes rei extrahendæ ex olla in ſignata ſchedula accipienda pro merce, & deſumitur *ex l. nec emptio 8. §. aliquando. ff. de contrah. empt.* hinc ait Juris Conſultus *aliquando ſine re emptio intelligitur, veluti cum quaſi alea* (ſeu eventus dubius, aut ſpes ex caſu) *emitur, cùm captus piſcium, avium, vel miſſilium emitur: etenim emptio contrahitur, etſi nihil inciderit, quia ſpei emptio eſt*; hinc qui à piſcatoribus pro aureo emit omnes piſces, quocquot per diem integrum eſt capturus, tenetur pretium ſolvere, quamvis nihil captum ſit; ut etiam è converſo tenetur Piſcator omnes piſces tradere, quos cepit, tametſi pluris æſtimentur: ſicut igitur in tali contractu cum piſcatore, vel Aucupe pecuniæ pretio emitur ſpes; ita etiam in olla fortunæ pecuniæ pretio emitur ſpes extrahendi aliquid magni, vel parvi pretij.

Neque talis contractus eſt injuſtus ob inæqualitatem inter pecuniam collatam, & lucrum, ut inter unum, vel alterum Julium, & ſcyphum aureum, quia in hoc contractu non confertur pecunia, quæ data fuit cum lucro; ſed tantùm cum ipſa ſpe lucri, quia non emitur ipſum lucrum, ſed tantùm ſpes lucri, quæ cùm ſit omnino dubia, & incerta; nulli dubium, quin longè minoris ſit valoris, quàm ipſum lucrum: unde ſicut licita eſt emptio ſpei lucroſæ in jactu retis cum Piſcatore pro captura piſcium, vel cum Aucupe pro captura avicularum, ita emptio ſpei, ſeu lucri incerti in olla fortunæ eſt emptio licita præſertim cum adſint omnia requiſita ad perficiendum contractum emptionis; pretium ſcilicet, ſeu pecunia, quæ confertur; & merx, ſeu ſpes fortunati eventus: eſt enim ſpes, quæ venditur tali pretio, & in talem contractum emptionis, & venditionis liberè conveniunt venditor, & emptor. 21

Nihilominus quamvis contractus hic in olla fortunæ in ſe cæteris paribus non ſit Vſurarius, neque iniquus: nihilominus, quia non longè abeſt à luſu alearum, qui prohibetur *in tot. tit. de Aleatoribus* ideo conſultius videtur ſi hojuſmodi ollæ fortunæ non tolerentur, præſertim cùm multæ circa eam poſſint fraudes fieri, & curioſi pecunias prodigant, & qui ſimiles ollas erigunt, pecunias evehant extra Provinciam. 22

Quæritur octavò, an lucrum, quod habetur ex cambio, licitum ſit, ac liberum ab omni vſura? Eſt cambium unius pecuniæ cum alia commutatio: nam pecunia habet in ſe tria. Primò eſt omnium rerum, ſeu mercium pretium. Secundò conſtat ex hac, vel illa materia aurea, vel argentea, aut ærea. Tertiò inſignita eſt, & notata figura alicujus Principis & impreſſa authoritate publica. Rurſus vſus pecuniæ eſt duplex principalis, ſeu primarius unus, & eſt quòd ſit pretium rerum omnium venalium. Alter eſt ſecundarius, ſeu minus principalis, quatenus eſt res quædam per ſe, quæ inſtar aliarum rerum vendi poteſt, locari, permutari, & commodari: ſiquidem pecunia poſſumus uti ad ſuſtentationem, ad ornatum, voluptatem, & ad alium quemcunque faciliorem, & commodiorem noſtrum vſum: rurſus quia facilius, & commodiùs una pecunia, quàm alia ex uno ad alium 23

alium locum transfertur, ideo duplex eſt pecuniæ vſus, ſicut & calcei ut exemplificat Ariſtotel. *l. 1. polit. c. 6.* ubi ait: Calcei duos eſſe vſus; unum primarium, quo pedes induimus: alterum ſecundarium, quo calceo utimur ad vendendum: ita etiam pecuniæ duo ſunt vſus, primarius unus, quo utimur pecuniâ ad emendas res vendibiles; alius ſecundarius, quo utimur pecuniâ ad illam permutandam cum alia pecunia, vel ad illam vendendam, vel emendam.

24 Hinc cambium nil aliud eſt, quàm permutatio pecuniæ pro pecunia, in qua qui rogatur, ut pecuniam permutet, campſor dicitur: qui verò rogat, & in cujus gratiam pecunia commutatur, campſarius vocatur: ſiquidem priſco vocabulo cambire, vel campſare idem ſignificabat, ac permutare, ut ex Priſciano notat Covarruvias *de collat. veterum numiſmat. c. 7. n. 4.* & quamvis etiam in mutuo detur pecunia pro pecunia, id tamen non fit cauſa permutationis: neque ſtatim tempore contractûs in mutuo, ſicut in cambio pecunia unius datur pro pecunia alterius; ſed in mutuo ſolus creditor pecuniam numerat, ut in futurum, vel eandem, vel aliam ejuſdem generis, & bonitatis recipiat: quamobrem cum cambium differat à mutuo, bene ſequi poteſt, quòd lucrum ex cambio quæſitum nomine vſurarum cenſeri non debeat, nec ſubjacere pœnis vſurariorum.

25 Dividitur cambium in manuale, quod & minutum dicitur, & in locale. Cambium minutum contingit, quoties pecunia unius formæ, aut materiæ permutatur cum pecunia alterius formæ, aut pecuniæ, ut cum moneta aurea Germanica permutatur cum argentea Romana, & dicitur cambium minutum, eò quia plerumque minor moneta mutetur pro majore: dicitur etiam tale cambium manuale, quia ſtatim in eodem loco, & tempore pecunia viciſſim numeratur de manu ad manum; ut ſi quis exiſtens Monachij vellet in Italiam proficiſci, & ut haberet pecuniam Italicam numeraret hic alicui mercatori aureos Bavaricos, ut ab eodem ſtatim acciperet pecunias argenteas, quales in Italia ſunt in vſu. Cambium locale tunc contingit, quando pecunia præſens commutatur cum pecunia diſtante in alio loco: & tale cambium ordinariè fit per litteras, per quas Campſor mandat ſuo correſpondenti, ut Campſario certam pecuniæ quantitatem, quam ipſe campſor hic Monachij accepit, numeret Venetijs, vel Romæ; & hoc cambium dici etiam ſolet cambium per litteras.

26 Contrahitur præſertim hoc cambium locale, ſeu per litteras ad majus commodum itinerantium, ne cogantur pecunias cum periculo, & incommodo ſecum ſemper deferre. In cambijs minutis, quo aurei pro Julijs commutantur, vel etiam alia minore pecunia, ſolent nonnunquam Campſores aliquid loco Auctarij exigere. Cauſæ verò hujus exactionis ſolent plures nominari.

27 Prima eſt locatio operæ, & obſequij; ſiquidem Campſor, cùm debeat ſemper paratas habere pecunias diverſi generis, & quemlibet ad cambium in ſuam domum intromittere, & tali cambio ſe, & famulos negotij expertos alere, inde eſt, quòd Campſores aliquid exigant locò auctarij, præſertim cum Campſores pro publica hominum utilitate, nonnunquam etiam à Magiſtratu deſignentur.

28 Secunda eſt lucrum ceſſans, & damnum emergens, ut ſi Campſor propoſuerat nummos aureos aliò deferre, ubi pluris valent, & alibi merces emere, ubi alia pecuniâ cariùs emuntur.

29 Tertia cauſa etiam aſſignatur puritas materiæ, quatenus una moneta eſt aliâ purior, ſeu minus continet cupri, vel alterius metalli: & licèt æſtimatio materiæ non ſit in poteſtate ſubditorum, ſed Principis cudentis monetam; nihilominus nummi aliter æſtimantur à Principe, & aliter à ſubditis: ſiquidem à Principe conſiderantur formaliter, ut ſunt nummi, & menſura rerum venalium: à ſubditis verò in commutatione conſiderantur materialiter, ut res, quæ in ſe meliores, vel deteriores ſunt.

30 Quarta eſt commoditas faciliùs monetam conſervandi, numerandi, vel deferendi de loco ad locum.

31 Quinta eſt, quia una pecunia fit magis in uſu, quàm alia, & faciliùs expendatur, ut ſi in aliquo loco commutentur nummi, qui poſſunt ibi expendi cum aliis, qui expendi non poſſunt; hinc cum iſti non habeant ibi pretium, nec valorem, minoris æſtimantur.

32 In cambio verò locali campſores aliquod exigunt lucrum, ut ſi Campſarius hic Monachij numeravit centum aureos Hungaricos campſori, ut Romæ tantùm accipiat nonaginta quinque, adeò ut quinque cedant lucro campſoris. Hunc contractum non eſſe iniquum, dummodo lucrum non excedat, ex eo conjici ſolet, quia campſores pro itinerantium utilitate ſolent ad hoc operas ſuas locare, famulos, & ſcribas alere, eiſque ſtipendia aſſignare, libros rationum tenere, domum locare, & alios ſumptus facere: cùm hæc omnia Campſores faciant in gratiam Campſariorum, & in eorundem commodum æquitas exigit, ut aliquid accipiant à Campſariis ad compenſandos labores, & ſumptus. Tum quia Campſor virtualiter transfert pecuniam de loco ad locum, & liberat Campſarium à periculis, onere, & ſolicitudinibus, aliiſque curis, quas ipſe in transferendo pecuniam de loco ad locum teneretur ſubire: hoc autem totum eſt aliquid pretio æſtimabile, pro quo poteſt Campſor aliquid exigere.

33 Quæritur nonò, an ſit uſura mutuare cum conditione, quòd pro mutuo Mutuatarius det aliquid ex gratitudine? Reſpondetur, quòd ſi id fiat cum pacto rigoroſo, talis contra-

ctus eſt uſuratius, & ioſquos; quia pactum rigoroſum inducit ſimoniam, vel uſuram: nam obligatio civilis, & ſtricta aufert naturalem libertatem. Sin verò pactum non ſit rigoroſum, ſed tantum laxè ſumptum, & potius ex quadam fidelitate ad oſtendendam gratitudinem, tunc non videtur olete uſuram; quia Mutuatarius adhoc remanet in ſua libertate, ſi velit, vel oolit aliquid dare: unde licèt pactum juſtitiæ rigoroſè ſumptum inducat uſutam, non ita pactum laxè ſumptum, qui dicitur amicitiæ, ſeu gratitudinis.

34 Ratio itidem poteſt eſſe, quia uſura eſt ſpecies furti, & opponitur juſtitiæ, de cujus oatura eſt, ut lucrum exigat civiliter, & ex æquitate ratione mutui debitum: ſed quæ traduntur ex gratitudine, non offeruntur coactè, ſed ita liberè, ut ſint in poteſtate largitoris; quod tamen non contingit in debitis ex juſtitia, quæ ſi oon ſolvantur, læditur juſtitia.

35 Verùm in hac materia eſt cautè procedendum, quia plerumque, quod videtur exigi ex gratitudine, extorquetur coactè. Cæterum ſi quis nollet mutuare ſuum vinum Cajo, niſi hic ei mutuatet pro præſenti ſuum triticum; & Cajus, qui vino indiget quaſi compellatur ad mutuandum triticum, quod eſt conditio ſine qua ooo poſſet vinum habere; non putârim talem conttactum eſſe uſurarium, dummodo utrinque ſervetut æqualitas quoad pretium, & non quæratur mutuatio alterius pro prœmio, ſed tanquam pura conditio, ſine qua oon mutuaretur vinum: qoia cùm non petatur mutuum alterius pro prœmio, neque obligetur alter ratione mutui, ſed tantum ineatur contractus conditionatos ejuſdem oaeris ex utraque parte, & ſit in libertate alterius, ſi velit, vel oolit conditionem adimplere, ideo contractus iſte noo videtur olere uſuram.

36 Quætitor decimò, an conttactus, quo qois vendit ſuum fundum, vel prædium cum cooditione reſervandi ſibi fructus annuales, donec ipſi ſolvatur pretium, ſit uſurarius? Ratio dubitandi eſt, quia per contractum venditionis transfertur dominium in emptorem; adeò ut concluſo contractu prædium venditum oon ſit ampliùs venditoris, ſed emptoris; cum ex vi contractus dominium prædij de emptore ſupponator translatum in emptorem: & quia res quælibet debet fructificare ſuo domino, cujus periculo ſubſtat, ideo fructus prædii venditi non poſſunt pertinere ad venditorem, donec ipſi ſolvatur pretium ejuſdem prædii venditi.

37 Verùm contraria ſententia eſt valde probabilis, quam docet Covatruvias *lib. 3. variar. c. 4.* ubi tefert plures, qui eaodem docent. Ratio eſt, qoia quando initur contractus tali conditione, ot venditor faciat fructus prædij proprios, donec ipſi ſolvatur pretiũ, non transferrur dominiũ actualiter, ſeu in acto; ſed tantùm in potentia; translatio enim actualis tunc tantùm fit, quando emptor adimplet ſuam conditionem, ſeu ſolvit pretium; unde ſi venditor percipiat toto illo tempore, quo ipſi non ſolvitur pretium prædii, fructus; nullam committit uſuram, quia accipit rem ſuam propriam, quæ deducitur ex æquitate juſtitiæ commutarivæ ſitæ in æqualitate, ſeu in eo, quòd quando unus ex contraheotibus implet conditionem contractui appoſitam, teneatur alter viciſſim eam implere, ne ſequatur inæqualitas inter commutantes res proprias, quia ſi emptor fructus perciperet prædii empti noodum ſoluto pretio, æqoitas exigeret, ot etiam impleret conditionem ex parte ſua, & ſolveret ſtatim pretium. Quamobrem licitum eſt vendere ſub tali conditione prædium, vel domum, & reſetvare ſibi fructus, vel reditus, doaec ſolvator pretium prædii, vel domûs, quia tunc dominium noo transfertur niſi cum primum ſolvitur pretium, & res fructificat ſuo Domino.

TITULUS XX.

De Crimine Falſi.

CUm in præcedentibus titulis compilator decretalium egiſſet de iis delictis, quæ prohibentur in ſeptimo præcepto decalogi, ut ſunt furta, uſuræ, & aliæ iniquæ rei alienæ uſurpationes; nunc ordo expoſcebat, ut de crimine falſi ageret; cum hoc delictum prohibeatur in octavo præcepto decalogi: inter præcepta legis divinæ habentur. *Non occides, non mechaberis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices.* Tum quia hoc crimine, vel maximè in bonis, rebúſque exterioribus proximus læditur; unde titulis de furto, & Uſuris rectè adjicitur præſens de crimine falſi.

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. FALSIDICUS 1. *h. t.* *Ex D. Auguſtino declaratur, teſtem falſum tribus eſſe perſonis obnoxium ſcilicet Deo, Judici, & innocenti; Deo quia ejus præſentiam contemnit, & per falſum teſtimonium offendit: Judici quia mentiendo ipſum fallit: & innocenti quia falſo teſtimonio eum lædit: uterque enim reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium profert, quia ſicut ille prodeſſe non vult, ita iſte nocere deſiderat. Cæterum teſti falſo, quia tres offendit, triplex datur pœna. Primò quia Deum offendit, ſtatuuntur eidem ſeptem anni pœnitentiæ* c. quicunque 6. q. 1. *Quia Judicem deluſit, incurrit infamiam, vel extraordinariè punitur. Demum quia proximo damnum intulit, punitur etiam juxta menſuram læſionis factæ* c. nihilominus 3 q. 9.

C. SUPER EO 2. *h. t.* *Lucius III. declarat, ſententiam latam authoritate litterarum falſarum non eſſe mandandam executioni. Rurſus Ordinarium, ſi cognoſcat, reſcriptum Papæ eſſe redarguendum falſitatis, non debere eidem fidem dare; neque obſervare, quod per illud mandatur; ſed potiùs debere capere, & retinere eum, qui auſus eſt reſcriptum præſentare. Hinc notat Gloſſa, ſuſpectum de falſitate poſſe capi, & detineri in cuſtodia, donec conſtet de veritate reſcripti, ut etiam notat Panormitanus hic* n. 3. *ubi etiam obſervat cum Gloſſa, ſententiam latam per falſas litteras delegatorias poſſe retractari quandocunque, & idem etiam procedere in ſententia delegata, ſi falſus procurator agat cauſam* c. in noſtra de procur. *ſecus tamen quando Iudex Ordinarius circumvenitur falſis litteris, aut probationibus, tunc enim habetur certum præfinitum tempus ad agendum de falſitate, ut notat Ioannes Andreas* in c. venerabilis de except.

C. AUDIENTIAM 3. *h. t.* *declarat Urbanus III. Clericum falſantem ſigillum Principis non eſſe puniendum pœna ſanguinis, ſed eſſe degradandum, ac eidem imprimendū ſignum, quo ab aliis diſcernatur, & demum eſſe extra Provinciam mittendum in exilium. Ubi notat Panormitanus hanc degradationem eſſe verbalem, ſeu ſolam depoſitionem, quia ſi eſſet realis, reus deberet tradi Iudici ſæculari* c. degradatio de pœnis in 6. *Cæterum quod in textu dicitur de impreſſione ſigni, ut hoc pacto magis abſterreantur Clerici, & falſarij cum tam turpiter ab alijs diſcernantur, cenſent plures, hoc ſignum, ſeu characterem fuiſſe primam litteram illius diœceſis, in qua peccaverunt &, volunt, hanc pœnam non eſſe ordinariam, ſed ſpecialem in odium criminis. Rurſus ex hoc textu liquet, Epiſcopos habere poteſtatem compellendi clericos ad abjurandam ſuam Diœceſim, quod utique eſt quædam ſpecies exilii. Non tamen poſſunt Epiſcopi pœnas infligere cum periculo mortis: alioquin incurrerent irregularitatem. Clerici tamen falſantes litteras Apoſtolicas poſt degradationem ſtatim traduntur Curiæ ſæculari puniendi* c. ad falſariorum 7. h. t. *non ita falſantes litteras Principis ſæcularis.*

C. DURA SÆPE. 4. *h. t.* *Statuit Innocentius III. ut exiſtens in Curia non accipiat litteras Apoſtolicas niſi de manu Papæ, vel ejus officialium ad id deputatorum, quòd ſi perſona ſit tantæ authoritatis, ut ita deceat, mittat nuntium ad Cancellarium Papæ, vel ad Papam, qui præfato modo illas accipiat. Contrafacientes ſi ſint laici, vult eſſe excommunicandos, ſin verò ſint Clerici eſſe ſuſpendendos ab Officio ab Ordinario, à quo non poſſint abſolvi. Rurſus jubet Pontifex generalem ſententiam excommunicationis promulgari, & in ſingulis parochijs ſæpius innovari, ut ſiquis falſas litteras ſe habere cognoverit infra 20. dies, eas vel deſtruat, vel reſignet, ne fiat obnoxius ſententiæ excommunicationis, quam Pontifex excepto in mortis articulo ſibi reſervat. Notat tamen Gloſſa, textum procedere de commorantibus in Curia, quia exiſtentibus extra curiam ſufficit, ſi mittant Nuntium idoneum ad Concellarium, vel Papam, qui inde litteras recipiat. Immo hodie uſus etiam Romæ invaluit, ut exiſtentes in Curia etiam per Nuntium accipiant litteras præſertim ſi ſint perſonæ authoritatis, vel aliqua illuſtri dignitate inſignita, Papa enim, id ſcit, & tamen tolerat: excipitur tamen excommunicatus, vel niſi litteræ ita eſſent recipiendæ de manu Papæ, vel Bullatoris tantum: alioquin eſſent falſæ.*

C. LICET 5. *h. t.* *declarat idem Pont. novem modos, quibus facilè cognoſci poſſit falſitas in litteris Apoſtolicis. Primò ſi falſa Bulla falſis litteris apponatur. Secundò ſi filum de vera Bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immiſſum falſis litteris inſeratur. Tertiò ſi filum ab ea parte, in qua charta plicatur, inciſum cum vera Bulla falſis literis immittatur ſub eadem plicatura cum filo ſimilis canapis teſtauratum. Quartò ſi à Superiore parte Bullæ altera pars fili ſub plumbo reſcindatur, & per idem filum litteris falſis inſerta reducitur infra plumbum. Quintò ſi litteris Bullatis, vel redditis aliquid in eis per tenuem raſuram cognoſcatur immutatum. Sextò, ſi charta artificio dealbetur, & iterum inſcribatur. Septimò ſi charta abolita, & obraſa alia ſubtiliſſima charta congluti-*

glutinetur. Octavò ſi non recipiantur littera de manu Papæ, vel Bullatoris. Nonò ſi falſa littera ſub Bulla vera præjiciantur. Sunt etiam alij modi, quos recenſet Gloſſa hic, quibus falſitas dignoſci poteſt.

C. *QUAM GRAVI 6. h. t. Idem Pont. declarat, eſſe falſas litteras Apoſtolicas, in quibus Papa vocat Epiſcopum dilectum filium, & non fratrem, vel cum loquitur uni, ponit in plurali veſtras, ex quo textu colligitur falſitatem litterarum cognoſci non ſolùm in Bulla, filo, & charta, ſed etiam in ſtylo.*

Ad *FALSARIORUM 7. h. t. declarat idem Pont. eſſe excommunicatos omnes Falſarios litterarum Apoſtolicarum per ſe, vel per alios exercentes vitium falſitatis: quòd ſi ſint Clerici, eos declarat perpetuò privatos omni officio, & beneficio eccleſiaſtico; & vult eſſe tradendos Curiæ ſeculari puniendos. Rurſus utentes falſis litteris tanquã Apoſtolicis, ſi ſint Clerici declarat, eſſe ſpoliandos officio, & beneficio: ſin verò ſint laici tamdiu eſſe excommunicatos, quamdiu non ſatisfecerint & in utriſque vult gravius puniendam eſſe malitium, quàm negligentiam: rurſus teneri diligenter priùs examinare litteras, quibus utuntur, quia ignorantia non excuſat: & vult hoc idem eſſe obſervandum contra eos qui, falſas litteras impetrant. Verùm notandum eſt, quod licèt Pontifex in hoc textu videatur excludere excuſationem ignorantiæ, non tamen debet id intelligi de illa ignorantia, quæ nititur rationibus probabilibus: alioquin puniretur ſine culpa: ſed de illa, quæ dolum continet, ut notat Panormitanus hic n. 7. ubi etiam addit, Clericum falſantem litteras Apoſtolicas eſſe tradendum Iudici ſæcularis morte puniendum, quod ſanè ſpeciale eſt in hac falſitatis ſpecie, quia ordinariè crimin falſi non punitur tam ſeverè.*

C. *ACCEDENS 8. h. t. declarat Pontifex, quòd ſi quis impetraverit litteras Apoſtolicas, habentes formam de ſimplici juſtitia, & deprehenditur in eis falſitas; ſi impetrans, ex eo, quòd cognoſcens illas eſſe falſas, illis non utitur, non ſit puniendus; nec privandus officio, vel beneficio, quia non præſumitur eas falſificaſſe cùm illis noluerit uti, & tales litteræ facilè obtineantur. Ubi notat Gloſſa, unam præſumptionem elidi ab alia circa idem factum* c. litteras de præſumpt. *Rurſus in iis, quæ facilè poſſunt obtineri non præſumi dolum, & in re modica poſſe probari ignorantiam per juramentum* c. ſi verò de ſent. excommun. *ob quam eſt illis uſus. Secus qui utitur falſis litteris, quæ facilè non poſſunt impetrari non excuſatur per ignorantiam, quia præſumptio ſtat contra ipſum. Cæterum quia in hoc textu fit mentio de litteris Apoſtolicis habentibus formam de ſimplici juſtitia, nomine litterarum de ſimplici juſtitia intelliguntur, quæ dantur ad lites ſeu commiſſiones pro illis: hæ ſiquidem litteræ facilè conceduntur circa præſertim modica, & in ipſis non præſumitur dolus: immò ut notat Panormitanus hic, quamvis re ipſa ſubeſſet dolus non tamen præſumeretur falſum de re tam modica: ſecus tamen ſi eſſent litteræ de notabili gratia.*

C. *EX CONSCIENTIA 9. h. t. declarat Idem Pont raſuram paucarum litterarum, quæ animum ſapientis non debet movere ad dubitandum præſertim in loco non ſuſpecto, non probare litteras eſſe falſas. Quòd ſi adverſarius ſe obligaverit ſub periculo cauſæ probare litteras eſſe falſas, ſi tantùm oſtendat hanc raſuram, non probat, & cauſa cadit: ex quo textu liquet, raſuram paucarum litterarum non inducere probationem falſitatis, niſi inde ſequeretur ambiguitas, aut æquivocatio nominis, de quo dubitatur, vel eſſet in loco ſuſpecto.*

IN SEPTIMO.

C. *CUM SICUT 1. h. t. Innocentius VIII. declarat, ut mentientes perſonæ qualitatem, vel conditionem ad eum finem, ut faciliùs beneficium aliquod conſequantur, debeant eo carere, & vult, ut omnes & ſinguli cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis fuerint teneantur in litteris exprimere perſonarum qualitates & privilegia, præſertim ſi ſint nepotes, germani, & familiares ſub pœna ex communicationis, à qua non poſſint abſolvi excepto mortis articulo, niſi à Romano Romano Pontifice, & declarat nullius valoris conceſſiones, & gratias cum tali reticentia expeditas, vel expidiendas.*

C. *INTER CÆTERAS 2. h. t. Paulus IV. declarat excommunicatos eſſe, qui perſonis interpoſitis proviſionem beneficiorum venantur, vel ſe ipſos in canonico examine offerunt, quo alterius ignorantiæ, & imperitiæ fucum præbeant, & falſum tueantur, adeò ut talia beneficia evaneſcantur animo, & intentione, immo & interdum pacto expreſſè firmato de eis poſtmodum in favorem aliorum, qui minus idonei ſunt, minuſque benè meriti reſignandis, cum penſione, aut alio commodo.*

C. *INHÆRENDO 3. h. t. Leo X. declarat ſubreptitias litteras, quæ fuerunt extortæ, & impetratæ per falſam rei narrationem, & extorquentes tales litteras eſſe innodatos excommunicatione, & invalidas, ac nullas eſſe gratias in iiſdem contentas.*

C. *EXCOMMUNICAMUS ult. h. t. Sixtus V. in Bulla cœnæ Domini anathemate percutit adulterantes, & falſificantes litteras Apoſtolicas, & confirmat, ac innovat conſtitutionem Innocentii III. quæ incipit* Ad falſariorum *cum omnibus pœnis in ea contentis, quas vult extendi ad falſificantes, ſeu mutantes ſupplicationes. Hæc excommunicatio Sixti V. habetur in Bulla Cœna Domini.*

IN EXTRAVAGANTIBUS
Joannis XXII.

C. *PRODIENS unic. h. t. declarat Pontifex excommunicatum excommunicatione reſervata*

Papa falſificantem monetam in ære, vel figura, vel pondere, vel etiam introducentem falſas ſcienter in regnum Galliæ. Ubi notandum eſt, hoc crimen falſandi monetam non ſolùm prohiberi hic jure canonico ſub pœna excommunicationis, verùm etiam jure civili tam communi, quàm municipali ſingularum Provinciarum, & interdici ſub graviſſimis pœnis l. 2. c. de fals. monet. *Immo hujusmodi falſarii ſolent hodie ſupplicio puniri capitali. Ig*[illegible]*antia tamen, & bona fides excuſant uten*[illegible]*dulterina pecunia; verùm cognita falſi*[illegible] *monetâ tenentur ad reſtitutionem, à qua ignorantia non excuſat. Hinc licèt quis bona fide monetam adulterinam acceperit ab alio non excuſatur, ſi cognoſcens ejus falſitatem, eam exponat ut legitimam, & det alteri ut talem; quia fallit alterum dando monetam pro vera, quam ſcit falſam eſſe: licèt ipſe fuerit deceptus non tamen debet alios decipere, quia error unius non debet alteri nocere. Rurſus ſi aliquis privatus ſine authoritate Principis cuderet monetam in debita materia, & pondere, adhuc eſſet falſarius, & eſſet puniendus pœna falſi, quia ad juſtam monetam non ſufficit bonitas materiæ, & ſimilitudo figuræ, ſed ulterius requiritur poteſtas cudendi monetam, & authoritas imprimendi figuram, vel ſignum in tali moneta. Hinc Bartol.* l. qui falſam ff. h. t. *falſam monetam dicit eam eſſe, quæ cuditur ab eo qui non habet authoritatem cudendi.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. SPONDENT unic. h. t. Ioannes XXII. prohibet ſtudium Alchimiæ, & imponit pœnas in illos, qui hanc artem non ſinè dolo exercent. Quia tametſi Phyſici doceant communiter poſſe verum aurum confici ex aliis metallis, tamen fraudes, & deceptiones interveniunt, ut meritò ſtudium Alchimiæ prohibeatur.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit crimen falſi, & quibus modis falſentur Reſcripta.

DEmpto primo capite, quod eſt de teſtibus, qui vel tacendi fraude teſtimonium detrectant; vel mentiuntur falſa producendo, totus præſens titulus eſt de concinnatoribus falſarum literarum, ſive Reſcriptorum; & qua ratione fraus poſſit falſariorum detegi, & quibus debeat pœnis vindicari. Reſcripta, quæ nomen ſummi Pontificis ementiuntur; vel aliqua eſt ſuſpicio, non eſſe ab ipſo profecta mandari nequeunt executioni. Falſum vel falſitas in genere nihil aliud eſt, quàm veritatis imitatio, vel potiùs immutatio *Novel. 13. Juſtin. t. t.* unde multipliciter committitur falſitas tam circa perſonas, quàm circa res. Falſitas circa perſonas tunc contingit, quando partus ſupponitur *l. qui falſum 19. §. 1. ff ad l. Cornel. de falſis*: & ex ſenatusconſulto Claudiano cautum fuit de ea perſona, quæ ſubjicitur *l. 1. ff. de liber. agnoſcen.* & Obſtetrix, quæ partum alienum attulit, ut ſupponi poſſit, ultimo ſupplicio afficitur. Pœna enim ſuppoſiti partus eſt capitalis *l. 1. c. de falſis.* neque accuſatio hujus criminis ordinaria præſcriptione tollitur *l. qui falſam 19. §. 1. ff. ad l. Cornel. de fals.* niſi vicennii præſcriptio ſit, ut notat Cujacius *lib. 4. obſerv. cap. 14.* Crimen falſi circa perſonas committit etiam libertus ſi pro ingenuo ſe gerat *l. unic. c. ad leg. Vicellar.* Ut etiam qui falſum nomen aſſumit alterius decipiendi causâ *l. falſi 13. ff. ad l. Cornel. de falſis* vel judicis amicitia, vel familiaritate mentitus, eventum ejus ſententiæ vendidit; quod veteres dicebant fumum vendere, ut explicat Duarenus *l. 1. animadv. c. 25.*

Crimen falſi circa res committitur præſertim circa monetas, menſuras, & ſcripturam, & de hac falſitate principaliter ſermo eſt in hoc titulo. Committitur hoc crimen circa ſcripturam, quando caſſis litteris aliud in locum illius, quod antea ſcriptum non erat, ſcribitur *c. olim 25. de reſcript. c. licèt §. 6. h. t.* Id tamen procedit ſi raſura ſiat in loco ſuſpecto *c. ex conſequentia 9. h. t. c. cum olim* de privilegiis *c. inter de fide inſtrument. c. cum Venerabilis de religioſ. domib.* Non ſolùm raſurâ committitur hoc crimen, ſed etiam aliis modis, ſi forma ſcripturæ, vel ſtylus immutetur *c. licet 5. cum ſequent. h. t.*

Eſt igitur crimen falſi juxta præſens inſtitutum veritatis immutatio cum dolo, quapropter Falſarius eſt, qui in perverſione veritatis cum dolo, & alterius jactura crimen falſi committit. Tria autem ad hoc crimen requiruntur. Primò veritatis immutatio: ſecundò dolus operantis, adeò ut hic animo corrumpendæ veritatis in alterius fraudem veritatem immutet. Tertiò ut alteri inde damnum grave proveniat, adeò ut hoc crimen alteri noceat, vel nocere poſſit: ſi aliquod ex his tribus requiſitis deſit, hoc crimen non eſt punibile, ut notat Maſcardus *de probat. conclus. 739. n. 12.*

Rurſus falſitas quadrupliciter committitur. Primò verbo prolato, ut ſi teſtis falſum deponat in judicio, vel Judex iniquam ſententiam ferat. Secundò ſcripturâ, ut ſi quis falſas litteras conficiat. Tertiò re, ut ſi quis nummos adulterinos cudat, vel falſas men-

menſuras, aut pondera in rebus vendendis adhibeat. Quatiò uſu, vel potiùs abuſu, ut ſi quis utatur talſis probationibus, ut notat Fariuacius *in prax. crimin. p. 6. lib. 5. tit. 16. de falſit. q. 150. n. 6.* crimen autem falſi recenſetur inter graviora *l. 3. §. 1. ff. de Decur.* & fuit olim capitale: & ex indulgentia ejus pœna erat deportatio ad Inſulam, niſi aliud exigeret magnitudo falſi commiſſi, ut ait Conſtantinus *in l. 22. eod. tit.* vel niſi qui illud commiſiſſet, humilioris fuiſſet conditionis, tunc enim pœna capitis loco deportationis imponebatur, Tabellatiis civitatum, quorum fraude fieret, ut quis immunitatem ſibi aſſereret, ultimum ſupplicium irrogabatur *l. 1. C. de immunit. nemin. conced.* Apud varias gentes falſariorum pœna fuit, ut eis manus dextera amputaretur.

5 Nunc verò committentes crimen falſi puniuntur mitiùs, vel ſeveriùs pro modo criminis *l. falſi 13. §. immo. l. qui duobus 32. §. 1. ff. de fals.* unde pœna eſt arbitraria, & pro modo negotij conſiderata qualitate cauſæ, vel alia pœna imponitur. Eſt etiam crimen publicum, adeò ut quilibet de populo poſſit de illo accuſari, tametſi ſui non interſit §. *Item lex Cornelia de falſis inſtit. de publici. judic.* Ut notat Clarus §. *falſum n. 1.* immo eſt etiam crimen exceptum, adeò ut non comprehendatur in generali remiſſione, ac diſpoſitione, ut notat Menoch. *de arbit. Iud. cas. 306. n. 11.*

6 Immo qui committit crimen falſi, cauſâ cadit in judicio, ſive falſitas commiſſa ſit in electione Prælati, vel cauſa beneficiali, ſive in cauſa merè civili, ſeu in cauſa contra Fiſcum, vel contra privatum, ut notat Clarus §. *falſum 13.*. Id tamen ab aliquibus limitatur, ut ſolùm procedat, quando falſitas committitur circa actum ipſius cauſæ; non verò circa inſtrumenta, vel Teſtes extra acta, ut notat Farinac. *in prax. crimin. p. 6. lib. 5. tit. 16. de falſit. q. 150 n. 37.* Juvat obſervare in crimine falſi poſſe dupliciter agi; primò criminaliter ad pœnam legalem. Secundò civiliter ad rompenſationem damni illati ob crimen falſi, adeò ut detur optio Actori agendi criminaliter, vel civiliter, ut notat Farinac. *loc. cit.*

7 Circa Teſtes, de quibus agitur *in c. falſidicus 1. h. t.* committitur crimen falſi, ſi teſtis falſum teſtimonium ſciens, & dolo malo in judicio deponat, & hoc crimen eſt its grave, ut *in d. c. 1. h. t.* Falſidicus teſtis tribus dicatur obnoxius. Primò Deo, qui cùm præſens ſit omnibus actibus humanis ejus præſentiam contemnit: unde ob hoc peccatum ita commiſſum illi pœnitentia injungitur *l. ult. in fin. tit. 12. p. 3.* Secundò Judici, quem mentiendo fallit, unde poteſt lite pendente extraordinariè puniri *l. nullum c. de teſtib.* Cauſa verò finita ad inſtantiam Accuſatoris; etſi aliàs ſit incompetens, eò quia teſtis falſus delinquerit coram eo falſum deponendo, fit competens: ſecus verò ſi ſit incapax, vel laicus reſpectu Clerici, quia tunc illum punire non poteſt, ut notat Barboſa *in d. c. Falſidicus. 1. h. t.* Tertiò innocenti, quem falſis teſtimoniis lædit. Hinc teſtis falſidicus tenetur parti læſæ omnia damnâ reſarcire. Ut etiam ſi juridicè interrogatus veritatem reticuit, tenetur ad reſtitutionem damni, quod patitur alter ex veri occultatione, ut docet Diana *p. 3. tract. 5. reſol. 54.* Cæterum taceri veritas imponè poteſt, & citra metum ſi ex alia cauſa, quam teſtimonium fiat. Secus autem ſi rogatus & accitus [illegible] verum ſuppreſſerit, ut proceditur *in præſenti cap. Falſidicus 1. h. t.*

8 Quòd ſi dicas, eos, qui ob non dicendum teſtimonium pecuniam acceperunt, tantùm incidiſſe in legem Corneliam *de falſis, 1. §. ſed & ſi quis ff. ad leg. Cornel. de falſ.* unde qui nullam pecuniam accipiunt, tametſi verum teſtimonium ſupprimant, non fiunt obnoxii pœnis injunctis crimini falſi.

9 Contra eſt; quia id non ritè deducitur, quia in dicto textu dicitur, eum in legem Corneliam incidere, qui ob dicendum teſtimonium pecuniam accepit: ex quo non ſequitur, eum, qui pecuniam non accepit, ſi falſum teſtimonium dicat, à crimine falſi immunem eſſe: ſiquidem oppoſitio, quàm lex illa admittit, eſt hæc, ſi quis ob dicendum teſtimonium pecuniam accepit in legem Corneliam incidit: ergo qui nullam accepit, ſi ſurgere recuſet cauſâ teſtimonij dicendi, non incidit in legem Corneliam: & ratio eſt ſatis perſpicua, quia non poteſt videri falſum commiſiſſe, vel dixiſſe eum, qui omninò teſtimoniũ dicere noluit: qui verò vocatus fuit teſtimonii dicendi cauſâ, & verũ ſuppreſſit, immunis non cenſetur à crimine falſi, ſeu à falſo teſtimonio, quia teſtis, qui ut talis inſurrexit occultando veritatem, eſt falſarius, & tenetur de falſo, quando interrogatus à Judice ſuper certis articulis reſpondet, ſe nihil ſcire; quia tunc renetur reſpondere, & aperire Judici id, quod ſcit: unde eſt diſcrimen inter eum, qui recuſat adire Judicem teſtimonii perhibendi cauſâ; & illum, qui Judicem adit, & ab eo interrogatus veritatem reticet: primus enim, quia omninò teſtimonium dicere noluit, falſum non commiſit: ſecundus verò quia ſurrexit teſtimonii dicendi cauſâ, & verum ſuppreſſit, non fit immunis à falſo teſtimonio, præſertim ſi juraverit, ſe dicturum puram, & meram veritatem, quàm tacendo ſuppreſſit.

Quòd ſi tantùm juravit, ſe ſimpliciter ad interrogata reſponſurum, ſi à Judice non interrogetur, & ille taceat, non tenetur de crimine falſi *argu. c. cùm dilecti 18. de accuſat.* quia tunc tenetur tantùm reſpondere ad interrogata: unde ſi Judex non interroget, non tenetur reſpondere, quia ipſe ſuum adimplet officium, ſi ad ſola interrogata reſpondeat, ut notat Farinacius *in prax. crimin. p. 2. tractat. de teſtib. q. 67. n. 230.* Cæterum tenetur etiam crimine falſi, qui numeratâ pecuniâ donis, vel promiſſis teſtem corrumpit, quem inducit ad dicendum falſum teſtimonium, ut etiam qui 10

ſcienter

ſcienter producit in judicio falſum teſtem, vel dicto utitur falſi teſtis, ut notat Clarus *in d. §. falſum n. 2.* Ut etiam qui in ſua depoſitione aſſerit, ſe non recordari de eo, de quo revera recordatur; vel ſaltem veriſimiliter poteſt recordari: non verò ſi probabiliter non recordetur, quia probabilis oblivio excuſat teſtem à falſo; immo etiam teſtis verſutè, & doloſè deponens ita obſcurè, ut ejus depoſitio non poſſit producenti prodeſſe, fit obnoxius crimini falſi, ut notat Farinacius *in prax. crimin. q. 2. tract. de teſtib. q. 67. n. 225.* ubi plura alia circa falſos teſtes reſolvit.

11 Quod verò ad pœnam attinet, quam Falſarii incurrunt. Reſpondetur, Falſarios litterarum Apoſtolicarum, ſi laici ſint, infamiâ notari, & excommunicationem incurrere, ſin verò Clerici deponi ab officio, & beneficio, & ſi circa ſigillum Principis falſum admiſerunt, ſtigmate notati in exilium mittuntur, & deſumitur ex *c. ſi Epiſcopus 50. diſt. c. ſi quis conſtitutus 22. q. 5. c. olim. 23. de reſcript. c. tam ex litteris 23. de Teſtibus. c. novimus 27. in fin. de V. S. & c. 6. Bulla cœna Domini* ut notat Marthu *de juriſdict. p. 2. c. 28.* Duardus in Bullam Cœnæ *in d. can. 6.* Ratio eſt quia crimen falſi præſertim circa litteras Apoſtolicas, vel regias commiſſum, adeo eſt grave, ut inter majora crimina numeretur *l. 3. §. 1. de Decur.* proinde meritò pluribus illis pœnis in præſenti crimen falſi vindicatur, ſcilicèt excommunicatione, quam laici ipſo jure incurrunt; & à qua, nonniſi in articulo mortis, per alium, quàm pontificem abſolvi poſſunt, ut expreſsè cavetur *in can. 6. Bulla Cœnæ*: ut etiam, qui hoc crimen commiſit, punitur depoſitione, & exilio, vel detruſione in perpetuum carcerem, ſi ſit Clericus.

12 Id tamen ſolet limitari. Primò ut hæc pœna ordinaria falſi teſtis ſolùm infligatur, quando Clericus de hoc crimine directè eſt accuſatus, & convictus, vel in jure confeſſus: non ita ſit tantùm incidenter de eo conſtet, ut ſi contra clericum productum in teſtem opponatur exceptio falſitatis, & probetur: tunc enim Clericus non deponitur, nec incurrit infamiam, ſed tantùm excluditur à teſtimonio.

13 Secundò ſi falſitas non ſit commiſſa circa ſubſtantialia cauſæ, ſed tantùm circa accidentalia, & extrinſeca, quia tunc ſolùm punitur extraordinariè ad arbitrium Judicis, ut notat Julius Clarus *lib. 5. ſent. §. falſum. n. 9.*

14 Tertiò ſi falſitas damnum non inferat tertio; tunc etiam punitur tantùm pœna arbitraria, ut notat idem Clarus *loc. cit. n. 35.*

15 Quartò ſi Clericus per errorem, vel ignorantiam falſum dixerit ſine malitia, & dolo, tunc nec etiam punitur: quia ignorantia excuſat, & ſine dolo hoc crimen non cōmittitur.

16 Quintò neque incurrit hanc pœnam, quando per inquiſitionem procedítur, quia tunc Falſarii plectuntur pœna extraordinaria ad arbitrium Judicis, non verò ordinariâ.

Sextò alii addunt, Clericum non fieri obnoxium pœnæ ordinariæ, ſi nullo prævio interpoſito juramento de veritate dicenda falſum teſtatus eſt. Verùm communior ſententia aſſerit, poſſe tunc etiam puniri pœna falſi, perinde ac ſi juramentum præmiſiſſet.

Non tamen, ſi Clericus falſum dicat coram Judice ſæculari, poteſt ab illo puniri ullo modo: ratio eſt perſpicua, quia punitio juridica eſt actus juriſdictionis, quæ non poteſt exerceri niſi in eos, ad quos ſe extendit Judicis juriſdictio: atqui juriſdictio Judicis ſæcularis non ſe extendit ad clericos, quia iſti non ſubjiciuntur laicali juriſdictioni, conſequenter nullo modo puniri poſſunt à Judice ſæculari, quamvis coram ipſo falſum depoſuerint teſtimonium. Econtra ſi laicus falſum teſtimonium protulit coram Judice eccleſiaſtico, poteſt ab illo puniri, quia hoc crimen eſt mixti fori, & datur locus præventioni. Cenſent aliqui, Judicem laicum poſſe in cauſa civili cognoſcere de falſitate, quam Clericus coram ipſo depoſuit, idque tantùm ad expediendam cauſam coram ipſo inchoatam, non verò ad puniendum ipſum Clericum. 17

Modi, quibus crimen falſi committi poteſt, recenſentur *in c. licèt 5. h. t.* ubi Innocentius III. novem recenſet modos cognoſcendi falſitatem in reſcriptis Apoſtolicis. Eſt reſcriptum in genere ſecundùm Rebuffum *tract. reſcript. n. 5.* conceſſio Principis per litteras authenticas legitimè facta, ſive ſit ſecundùm jus, ſive contra jus, quod tamen ita eſt intelligendum, ſi in ipſo reſcripto juri communi expreſsè derogetur, ut ſi jubeatur iterum audiri, qui jam per ſententiam eſt condemnatus, quia niſi id exprimatur, ex communi regula reſcriptum contra jus non valet, quia præſumitur fraus interveniſſe in impetrando reſcripto: & ratio eſt, quia mens Principis ſemper præſumitur talis eſſe qualis de jure eſſe debet *argu. l. ex facto ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* 18

Rurſus conceduntur reſcripta ſub hac conditione, *ſi preces veritate nitantur*, & tunc dicuntur veritate niti, quando nec ſuppreſſione veri, nec expreſſione falſi vitiantur: quocunque horum interveniente reſcriptum eſt nullum ex defectu conſenſus: & quidem ſi ob ſuppreſſionem veri dicitur provenire ab ignorantia concedentis, & reſcriptum dicitur *ſubreptitium*, ſeu ſubreptitiè obtentum: ſin verò ob expreſſionem falſi, dicitur provenire ab errore, & reſcriptum dicitur *obreptitium*, ſeu obreptitiè obtentum. Hinc modi, quibus falſitas cognoſcitur in reſcriptis Pontificiis, ſeu litteris Apoſtolicis, ſunt. Primò ut falſa Bulla falſis litteris apponatur. Secundò, ut filum de vera Bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immiſſum falſis litteris inſeratur. Tertiò quando filum ab ea parte, in qua charta plicatur inciſum, cum vera Bulla falſis litteris immittitur ſub eadem plicatura cum filo ſimilis cannabis reſtauratum. Quartò cum à ſuperiore parte Bullæ altera pars fili ſub plumbo reſcinditur, & per idem filum litteris falſis inſerta redu- 19

ducitur infra plumbum, Quintò cum litteris Bullaris, & redditis in eis aliquid per raſuram tenuem immutatur. Sextò cum charta artificiis dealbatur, & iterum inſcribitur. Septimò cum chartæ abolitæ, & abraſæ alia ſubtiliſſima charta tenaciſſimè conglutinatur. Octavò quando ſcienter non recipiunt litteras de manu Papæ, vel Bullatoris. Nonò quando accedentes ad Bullam falſas litteras cautè projiciunt ſub vera Bulla, ut cum aliis ſigillentur.

21 Hæ autem duæ ſpecies falſitatis non poſſunt facilè deprehendi, niſi vel ex modo dictaminis, ſeu ex ſtylo dictandi, vel ex forma ſcripturæ, vel qualitate chartæ falſitas deprehendatur, & habetur *in d. c. licet. 5. h. t.* In aliis verò modis falſitas faciliùs deprehendi poteſt, ut in adjunctione filorum, vel in collatione Bullæ, vel motione, vel obtuſione, præſertim ſi Bulla non ſit æqualis, ſed alibi magis tumida, alibi magis depreſſa.

22 Rurſus præter hos novem modos, ſunt etiam alii ſeptem, quibus litteræ Apoſtolicæ falſificantur. Primò ex dicto, vel tacito litteræ ſunt falſæ *c. ſuper litteris de reſcript.* Secundò charta eſt falſa, quando dicitur in ea, *omnes canonici fuerunt*; in ea tamen non erant omnes *c. quando de his quæ fiunt à Prel. ſine conſens. capit.* Tertiò ſit charta appareat mututa, vel raſa in loco ſuſpecto *c. olim de privileg. c. inter dilectos de fide inſtrum.* Quartò reſcriptum præſumitur falſum, quamvis tale non ſit, ſi vitium contineat latinitatis *c. ad audientiam de reſcript.* Quintò ſi inſtrumentum ſuſpectum inducitur, tunc producens cenſetur Falſarius *c. jubemus de probat.* Sextò ſi Epiſcopus appellatur filius, vel ſi Papam uni loquitur in plurali *c. 6. eod. tit.* Septimò ſi reſcriptum eſt impetratum ſine mandato, dicitur falſum *c. nonnulli de reſcript.* Item ſi litteræ Apoſtolicæ ſint clauſæ in quocunque loco ſit raſura non nocet, quia non eſt præſumptio contra impetrantem.

23 Regula verò cognoſcendi, an aliquæ chartæ ſint raſæ, etiam ſi ſubtiliſſimè, eſt illas ponere inter oculos, & ſolem, ſtatim enim videtur raſura. Cæterum modi principales falſificandi litteras Apoſtolicas continentur his verſibus.

Forma, ſtylus, filum, membrana, litura, ſigillum:
Ex falſatis dant ſcripta valere puſillum.

24 Qui verò litteras ab alio recipiunt, quàm à Papa, vel ejus Officialibus, ſi non exiſtant apud Sedem Apoſtolicam, non incurrunt pœnam hic præſcriptam: & ſedes Apoſtolica tunc tantùm dicitur eſſe, ubi eſt Papa, & ejus Curia, ſive ſit Romæ, ſive alibi. Sin autem exiſtat in curia, & litteras recipiat ab alio, incurrit hanc pœnam, ſive eas impetret pro ſe, ſive pro alio, quia ut notat Abbas in *c. dura 4. h. t.* olim ſæpe litteræ Apoſtolicæ falſabantur in Curia, & ibi Innocentius III. *in d. c. dura. 4.* ſtatuit, ut exiſtens in curia non accipiat litteras Apoſtolicas, niſi de manu Papæ, vel ejus Officialium, ad id deputatorum: quòd ſi perſona eſt tantæ authoritatis, ut ita deceat, debet mittere Nuntium ad Cancellarium Papæ, vel ad Papam. Secus facientes ſi ſint laici, ſunt excommunicandi; ſin autem Clerici ſuſpendendi ab officio, & beneficio, & ab Ordinario, à quo non poſſunt abſolvi. Rurſus ſi habens litteras falſas Apoſtolitas eas intra viginti dies non reſignat, vel deſtruit, eſt excommunicatus, & à ſolo papa poteſt abſolvi. Hodie tamen primus caſus non eſt in praxi, nec ſervatur, quia exiſtentes in curia per nuntium litteras accipiunt, & quamvis Papa ſciat, id tamen tolerat; quod tamen limitatur, niſi eſſet quis excommunicatus, vel niſi litteræ eſſent recipiendæ tantùm de manu Papæ, vel Bullatoris; alioquin præſumerentur falſæ, ut habetur *in c. licet 5. h. t.* Sunt tamen, qui cenſeant, excommunicationem *in d. c. dura 4. h. t.* inflictam contra recipientes litteras Apoſtolicas ab alio, quàm à Papa, vel ejus Officialibus incurri ipſo facto, & jure, & ſuſpenſionem per ſententiam ferendam à Judice, ut notat Abbas *in d. c. dura 4. n. 8. h. t.*

Verùm, ut dixi, hæc conſtitutio non vi- 25
detur ampliùs eſſe in uſu, cùm quilibet in curia exiſtens, quamvis parvæ authoritatis mittat ad Bullatorem, à quo litteras recipit Apoſtolicas. Rurſus ſi raſura quantumvis tenuis, & paucarum litterarum in reſcriptis Apoſtolicis facta ſit in loco ſuſpecto, ut in narratione juris, in propriis nominibus Judicum, in annotatione datæ, vel indictionis ut *in c. inter dilectos de fide inſtrum.* tunc tales litteræ papales præſumuntur falſæ: ſed raſura hæc debet eſſe in loco ſuſpecto, ut notat Gloſſa *in c. licèt 5. V. tenuem h. t.* immo ſi per mutationem etiam unius litterulæ, vel ſyllabæ in litteris Apoſtolicis immutetur ſenſus à Papa intentus: quia ex mutatione facta aliquid in eis aſſeritur, vel negatur, quod ipſe non intendebat, vel tacetur, aut omittitur, quod ipſe proferre intendebat; tunc enim gravis contrahitur culpa; proinde etiam pœna decreta in Falſarios; ratio eſt, quia gravitas hujus peccati non conſiſtit in litteris, aut apicibus, ſed in ſenſu.

Quòd ſi raſura modica paucarum littera- 26
rum in reſcriptis Pontificiis fiat in loco non ſuſpecto, tunc hujusmodi reſcripta non præſumuntur falſa, ut habetur *in c. ex conſcientia 9. & ult. h. t.* ubi Innocentius III. declarat, raſuram paucarum litterarum, quæ animum ſapientis non debet movere ad dubitandum, in loco non ſuſpecto, non probare, litteras eſſe falſas, quamvis pars contraria ſe obligaveric ſub periculo cauſæ, probare litteras eſſe falſas: ubi notat Gloſſa, raſuram in narratione nullam generare ſuſpicionem, & deſumitur etiam ex *cap. inter dilectos de fide inſtrum.* Notat tamen Proſper Fagnanus *in d. c. ex conſcientia ult. h. t.* tres caſus eſſe diſtinguendos, quorum primus eſt, ſi conſtet, raſuram eſſe factam

in litteris Apoſtolicis à Cancellario, vel alio ex officialibus Cntiæ: & tonc non inducitur falſitas, quamvis raſuta facta eſſet in loco ſuſpecto, ut notat Fagnanus in *d. c. ex conſcientia ult. n. 6. h. c.* quia poſſunt litteræ Bullatæ radi, & cortigi ab Officialibus Curiæ, quando non concordant cum ſupplicatione, ſeo matrice; vel quando minus rectè ſunt expeditæ.

27 Secundò, ſi conſtet, raſuram eſſe factam ab ipſo impetrante, aot utente litteris Apoſtolicis: & tunc radens eſt Falſarius, quamvis raſura ſit modica, & unios tantùm litteræ, vel ſyllabæ, præſertim ſi facta ſit in loco ſuſpecto.

28 Tertiò, ſi dnbitetor, à quo raſio facta ſit, & tunc raſura paucarum litterarum facta in loco non ſuſpecto, ut in narratione ſacti, & ſi per illam non ſit indocta ambiguitas nominis, ſeu dictionis, non reddjt litteras falſas; ſecus tamen eſſet, ſi raſura eſſet in loco ſuſpecto, quia tunc in dubio præſumitur facta ab ipſo impetrante, ſcu utente; proinde talibos litteris non eſt fides præſtanda: ſecus ſi raſura facta ſit in loco non ſuſpecto, tonc præſumitur facta ab Officiali Papæ. Præterea ſi raſuta facta ſit diverſa, ſeu aliena mano ab eo, cui hoc committitur, reſeriptum præſumitut falſum, tametſi raſura ſit modica, & in loco non ſuſpecto: ſecus tamen ſi eadem manu illius, qui litteras ſcripſit, vel cui hoc miniſterium commiſſum fuit, tuoc non obſtat raſura, in quocunque loco fuerit facta, ſed tunc in margine eadem manu, & charactere ſignari ſolet raſura facta, ut notat Abbas *in d. c. ex conſcientia ult. n. 4. h. t.*

29 In dobio verò, an raſura repetiatur facta in loco ſuſpecto præſumitur ſcripta diverſa manu, proinde reddit litteras falſas. Cæterum ſuſpectus de ſalſitate poteſt capi, & detineri in cuſtodia, donèc reperta ſit veritas, ut deſumitor *ex c. ſuper eo 2. h. c.* ubi Lucius III. mandat Epiſcopo Vigorienſi, ut quoties aliqua ſcripta ſub nomine ſno viderit redarguenda falſitatis, nullam eis fidem adhibeat, neque qood per ipſa mandatum eſt, obſervet: ſed enm, qui præſentavit, retineri faciat diligenter. Hinc ſententia à Judice lata authoritate falſatum litterrarum Papalium eſt invalida, proinde non eſt mandanda executioni, adeò ot ſententia lata ab eo, qui per litteras falſas jurisdictionem accepit, ſit ipſo jure nulla, idqoe ob defectum juriſctionis, quam falſæ litteræ non poſſunt dare, ut deſumitur *ex c. ad prebandum 24. de ſent, & re judic.*

30 Hinc ſolutum per errorem ratione talis ſententiæ repeti poteſt *l. 1. & 2. c. ſi ex falſ. inſtrum.* ſecus ſi Index aliàs habet jurisdictionem, & falſitas concernat tantùm merita cauſæ, eò quia ſententia lata ſit per falſos teſtes, vel falſa inſtrumenta; quia tonc ſententia regulariter tenet, ſed reſcindenda eſt per reſtitutionem in integrum, ut notat Hoſtienſis *in d. c. ſuper eo 2. h. t.* Rutſus merus Executor poteſt admittere exceptionem, ſi objjciatut, ſententiam eſſe nullam, eò quia lata fuerit per falſas litteras, & differre executionem, donec referatur ſuperiori.

Deprehenduntur etiam reſcripta Apoſtolica falſa, ſi in ipſis non ſervetur ſtylus Curiæ, nec adhibeantut tituli, quos ſolet ſummos Pontifex ſervare pro diverſitate perſonarom: etenim ſi Epiſcopis, Archiepiſcopis, vel fratribus reſcripta mittat eos *fratres* vocat *c. pervenit 84. diſt. c. fratres 86. diſt. c. dilectus de offic. deleg. c. cum dilectus de cleric non reſid.* 31
Vocantuc autem Epiſcopi etiam *fratres*, eò quia habeantur ſucceſſores Apoſtolorum pari conſortio cum D. Petro, & ejos ſucceſſoribus, & honorem, ac poteſtatem accipientes *c. in novo 21. diſt.* eò quia vocati ſint in partem ſolicitudinis *c. fundamenta §. debet. de elect. in 6.* ut notat Duarenus *lib. 2. de ſacris c. 6.* Quòd ſi Pontifex Epiſcopis tantùm electis, & nondum conſirmatis reſcribat, eos filios vocat *c. ſanè de renunt. c. noſti. de elect.* Cardinales etiam Eccleſiæ Romanæ nonniſi filios vocat *c. licet 49. de teſtib. c. ceram. de offic. delegat.* limitatur tamen niſi fuerint ſimul Epiſcopi, vel Pontifex cum illis, & Epiſcopis ſimul loquatur, ut *in cap. in Geneſi 49. de elect. prope finem extravag. Conditorum*: imò etiam Epiſcopos quando loqoitur cum proprijs Canonicis eos fratres vocat, ut notat Ciconius *ad tit. de his qua fiunt à Prælatis.* Pontifex tamen quando ſcribit Capitulo utitur hac formula *vobis filijs capituli c. conſtitutus 11. de conceſſ. prabend. c. 3. de teſtam. in 3. collect.* Pontifex Epiſcopis, utitur hac formula *fraternitati veſtra per Apoſtolica ſcripta* mandamus *c. ad audientiam* &, paſſim *de reſcript.* quando verò ſcribit Cardinalibus otitur hac alia formula: *Diſcretioni veſtra c. ad decorum de inſtitut. in 3. collect. c. quia diverſitatem de conceſſ. prabend. c. dilectus de exceſſibus Prælator.*

Quando autem Epiſcopi ſunt tantùm conſecrati eos filios vocat *c. noſti de elect.* Principes verò ſæculares ſemper *filios illuſtres* appellat, vel *chariſſimos*, vel glotioſos, ut in *c. de arbitris in 1. compil.* immo Concilia etiam Provincialia Principes ſæculares non niſi filios appellat, ut habetur in Concilio Bracharenſi *1. in proœmio*, & notat Duarenus *lib. 2. de ſac. Eccles. c. 6.* Pancitolla *l. 1. variar. c. 1.* Barboſa *de poteſtate Epiſcop. p. 1. tit. 1. c. 1.* Nec mirum ſi Pontifex Epiſcopos, & Archiepiſcopos fratres appellet, quia iſti cenſentur ſucceſſores Apoſtolorum, & eundem honorem cum iſtis accipere *c. in novo 21. diſt.* & ſicuti Apoſtoli dicebantur fratres D. Petri, ita etiam Epiſcopi, & Archiepiſcopi dicuntur fratres ſummi Pontificis. 32

❀)†(❀

§. II.

De Pœnis jure ſtatutis in eos, qui litteras Apoſtolicas falſificant.

1 Pœna falſi, vel quaſi falſi, ſeu illius, quod ex Senatusconſulto, vel prudentum interpretatione pro falſo habetur ex jure civili in ſervis eſt ultimum ſupplicium, & in liberis hominibus deportatio, immo olim etiam omnium bonorum publicatio *l. 1. in fin. & l. fin. ff. h. t.* ſiquidem deportatio fuit, quæ ſucceſſit in locum pœnæ, quâ olim falſarius aqua, & igne interdicebatur. Jure tamen novo hæc bonorum publicatio generatim exceptis certis caſibus videtur omnino ſublata. Quinimò crimen falſi pro delicti qualitate ſolet etiam remiſſius puniri, ut relegatione ad tempus *l. falſi 13. l. qui duobus 21. l. penult. & ſimilibus ff. eod.* interdum etiam ſeveriùs, immo & pœna capitali, ut in crimine falſæ monetæ *l. quicunque 8. ff. eod.* ut etiam in crimine partûs ſuppoſiti *l. 1. C. eod.* Jure tamen civili hæc pœna falſi quæcunque illa ſit non extenditur ad hæredes; adeò ut ſi Reus ante crimen illatum, vel ſententiam dictam, vitâ deceſſerit ejus hæredes noo ſint puniendi niſi lucrum ad illos pervenerit, quia turpia lucra etiam ſucceſſoribus auferuntur *l. 5. ff. de calumniatorib.* & *l. 9. ff. de jure fiſci.* ſiquidem ſcelere quæſitum auferendum eſt ab hæredibus illius *l. cùm falſi 12. ff. eod.* Fusè hac de re agit Julius Clarus *l. 5. ſent. §. falſum* qui plura deſiderat ipſum conſulat.

2 Quod verò ad pœnas jure canonicò injunctas contra falſantes litteras Apoſtolicas attinet, certum eſt, ſi quis per ſe, vel per alios falſum admittat circa litteras Apoſtolicas, ſive laicus ſit, ſive Clericus eum incurrere excommunicationem cum ſuis Fautoribus ex *conſtit.* Sixti V. cui initium eſt: *Excommunicamus*, Quinimò Clericus privatur officiis, & beneficijs eccleſiaſticis: deinde degradatur, & traditur ſæculari poteſtati, à qua perinde ac laicus de falſitate convictus punitur pœnâ ordinariâ, ſi tamen per ſe immediatè tale crimen commiſerit *c. ad Falſariorum 7. h. t.* ubi Inoocentius III. declarat, quòd omnes Falſarij litterarum Apoſtolicarum, qui per ſe, vel per alios vitium exercent falſitatis, ſunt excommunicati: & ſi Clerici ſint, perpetuò privantur omni beneficio, & officio eccleſiaſtico, & traduntur Curiæ ſæculari puniendi; periode ac laici Falſarij. Rurſus qui falſis litteris utuntur tanquam Apoſtolicis, ſi ſint Clerici ſunt ſpoliandi beneficio, & officio: ſin verò laici tamdiu ſunt excommunicari, donec ſatisfecerint, & in utriſque graviùs punitur malitia, quàm negligentia: debent enim priùs diligenter examinare litteras, quibus utuntur, quia ignorantia eos noo excuſat: & Pontifex mandat hoc idem ſervandum circa eos, qui falſas litteras impetrant.

Hinc qui litteris volont Apoſtolicis uti, 3
debent priùs eas diligenter examinare, utrum veræ ſint, aut falſæ, vel ſuſpectæ, & ſi veras eas deprehenderint, poſſunt illis uti; non ita ſi falſas eſſe noverint, aut ſoſpectas, quia tunc tenentur abſtinere ab illarum uſu *c. inter dilectos 11. §. verum de exceſſ. Prælat.* Quòd ſi poſtea certi fiant, eas eſſe veras, poſſunt illis uti: alioquin niſi hanc adhibuerint diligentiam præſumuntur eſſe in dolo, proinde falſum committere; hoc enim ſemper præſupponit dolum *l. nec exemptum 20. C. h. t.* vel talem cenſentur ignorantiam affectare, quæ craſſa, & ſupina habetur, quæ minimè excuſat *c. penult. de cleric. excommun.*

Neque obſtat, quòd in delictis præſu- 4
matur ignorantia, & dolus probari debeat *l. quoties 18 §. qui dolo ff. de probat.* quia id non procedit quando diligens inquiſitio debet præcedere, ut in præſenti, ubi ignorantia non excuſat, quia volentes uti litteris Apoſtolicis tenentur priùs eas diligenter examinare, an veræ ſint, vel falſæ, aut ſuſpectæ. Rurſus pœnæ inflictæ *in d. c. ad Falſariorum 7. h. t.* non incurruntur à Clericis falſantibus litteras Imperatoris, vel alterius ſæcularis, quia *in d. c.* Pontifex non loquitur niſi de clericis falſantibus litteras Apoſtolicas, ſeu reſcripta Pontificum: & cùm ſimus in pœnalibus, conſtitutio non eſt extendenda ad caſus, qui in eadem non exprimuntur: & verba ſunt intelligenda, ut ſimpliciter ſonant. Tum quia *ex regul jur. 49. in 5.* in pœnis benignior pars eſt eligenda.

Ratio, cur clerici incurrant præfatas pœ- 5
nas, ſi falſificent reſcripta Pontificum, & noo ſi litteras Imperatoris falſent, hæc etiam aſſignatur, quia Clerici graviùs delinquunt, ſi falſent litteras Apoſtolicas, quàm ſi falſent litteras cujusvis alterius Principis ſæcularis, etiam Imperatoris; idque ob eminentiam dignitatis Pontificiæ *argu. c. ſolitæ 6. de majoric. & obed. §. atrox. inſtit. de inſtit. de injurys.* Præterea quia clericus non ſubjicitur Imperatori, nec ulli juriſdictioni laicali, ſed Papæ: & longè gravius crimen eſt, ſi committatur contra perſonam Principis, cui delinquens ſubjicitur, quàm in extraneum *l. omnes 6. §. 1. ff. de re militari*, ut notat Farinacius *in prax. crimin. p. 6. q. 151. n. 22.* quapropter aſſerit, clericum falſificantem litteras Imperatoris, Regis, vel alterius Principis ſæcularis noo eſſe tradendum Curiæ ſæculari.

Quid verò dicendum ſit de clericis fal- 6
ſantibus litteras Epiſcopi, Archiepiſcopi, vel Nuntij Sedis Apoſtolicæ, vel etiam ſacræ Pœnitentiariæ, reſpondetur, non incurrere pœnas inflictas contra Clericos *in d. c. ad Falſariorum 7. h. t.* quia ibi Pontifex tantùm loquitur de clericis falſantibus litteras Apoſtolicas, & qui per ſe, vel per alios exercent vitium falſitatis: atqui litteræ Epiſcopi, Archiepiſcopi, Nuntij ſedis Apoſtolicæ, & ſacræ Pœnitentiariæ non ſunt litteræ Apoſtolicæ, quia illæ

iſtæ tantùm ſunt illæ, quæ dantur à Papa, & quia in pœnalibus interpretatio debet mitiùs fieri, ut pœnalia non extendantur ultra caſus in jure expreſſos, ſequitur, quòd pœnæ inflictæ in *d. c. ad Falſariorum* non incurrantur niſi à Clericis falſarijs litterarum Apoſtolicarum, unde ſi litteræ Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Nuntij ſedis Apoſtolicæ non ſint litteræ Apoſtolicæ, nec reſcripta Pontificum, rectè ſequitur, Clericos falſantes præfatas litteras Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Nuntij non incurrere pœnas in *c. ad Falſariorum.* Tum quia licèt ab aliquibus dubitetur, an litteræ ſacræ Pœnitentiariæ dicendæ ſint Apoſtolicæ, adhuc tamen in dubijs pœnalibus benignior pars eſt eligenda *ex regula juris 49. in 6.*

7 Quamvis pœna generalis inflicta contra omnes falſantes litteras Apoſtolicas per ſe, vel per alios, ut etiam contra eorum Fautores, & Defenſores ſit, ut ipſo jure, & facto ſint excommunicati, eò quia Pontifex *in d. c. ad falſariorum 7. h. t.* utatur verbis illis: *Anathematis vinculo decernimus innodatos*; quæ verba, ut communiter docent Canniſtæ latam ſententiam ſignificant; & rurſus *in d. c. Pontifex* generaliter anathemate feriat omnes falſarios litterarum Apoſtolicarum, ſive Clerici ſint, ſive laici, & ſit abſolutio à tali vinculo reſervata ſedi Apoſtolicæ: nihilominus ſpecialis pœna infligitur Clericis falſantibus litteras Apoſtolicas; quia iſti etiam privantur ipſo jure, & in perpetuum officijs, & beneficijs eccleſiaſticis; adeò ut ſtatim poſſint tanquam vacantia alijs conferri, ut notat Rebuſſus in *prax. benefic. tit. de modis amittend. benefic. n. 48.* laici enim falſarij litterarum Apoſtolicarum non incurrunt hanc pœnam privationis beneficiorum, & dignitatum, quia Innocentius III. in *d. c. falſariorum* duas infligit pœnas, unam generalem, quæ afficit omnes Falſarios ſive laicos, ſive Clericos; & aliam ſpecialem, quæ ſolos comprehendit Clericos: prima eſt excommunicatio; hæc privatio ab omni officio, & beneficio eccleſiaſtico; unde non eſt hæc pœna extendenda ad laicos, cùm in jure tantùm exprimatur contra Clericos, qui ſi convicti ſint de crimine falſi poſt degradationem factam per Judicem eccleſiaſticum traduntur Curiæ ſæculari puniendi juxta conſtitutiones legales.

8 Hanc tamen pœnam degradationis Curiæ ſæcularis, non incurrit Clericus, qui falſificat litteras Apoſtolicas per alium, & non per ſe, quia Pontifex in *d. c. ad Falſariorum 7. h. t.* utitur his verbis: *Qui per ſe falſitatis vitium exercuerint*: unde cum Pontifex tantùm eos comprehendat Clericos, qui per ſe litteras Apoſtolicas falſant, non eſt pœna canonis extendenda ad eos, qui per ſe falſitatis vitium non exercent, quamvis per alium illud exerceant; conſtitutio enim pœnalis eſt intelligenda ad litteram, ut ſonat adeò ut pœnæ non ſint extendendæ de caſu ad caſum non expreſſum. Quòd ſi Clerici ſcienter utantur litteris Apoſtolicis falſis, quamvis eas non falſaverint, privantur omni officio, & beneficio eccleſiaſtico; non tamen ipſo jure, ſeu de facto, ſed per ſententiam Judicis, ut deſumitur *ex d. c. ad Falſariorum §. qui verò h. t.* ut ibidem notat Innocentius V. *ſpolientur.*

Quòd ſi qui ſcienter utuntur falſis litte- 9
ris Apoſtolicis ſint laici, ipſo facto ſunt excommunicati; donec competenter ſatisfaciant, ut etiam ſi habentes has falſas litteras, infra viginti dies eas non lacerant, vel reſtituant. Hinc differunt falſantes litteras Apoſtolicas à ſcienter utentibus ijsdem, quia falſantes per ſe immediatè ſunt ipſo jure, ſeu de facto excommunicati, ſive Clerici ſint, ſive laici: utentes verò ſcienter falſis litteris, ſi ſint laici ſunt excommunicati ipſo facto, in quo omnes conveniunt. Sin verò ſint Clerici non ſunt excommunicati, ſed loco excommunicationis privantur officijs, & beneficijs: alioquin Clerici duplici pœnâ coërcerentur; unâ communi cum laicis, & altera propria Clericorum, quod tamen non procedit, ut habetur *in c. At ſi Clerici 4. §. fin. de judic.* niſi contrarium ſit jure expreſſum. Tum quia in pœnis interpretatio eſt ſemper mitiùs facienda juxta *reg. jur. 49. in 6.* Rurſus falſantes litteras Apoſtolicas, ſi Clerici ſint ipſo jure privantur officijs, & beneficijs; non ita utentes falſis litteris, quia iſti non privantur beneficio, & officio eccleſiaſtico ipſo jure, ſed tantùm per ſententiam Judicis. Præterea falſantes, ſi ſint Clerici degradantur à Judice eccleſiaſtico, & poſtea traduntur Curiæ ſæculari; non ita ſcienter utentes litteris falſis, quia iſtis nullo jure eſt hæc pœna injuncta.

Cæterum Falſarij litterarum Apoſtoli- 10
carum, tametſi occulti ſint, adhuc incurrunt pœnas ipſo jure inflictas, ſeu pœnam excommunicationis, & privationis ab omni officio, & beneficio; & id procedit, eo ipſo, quòd crimen commiſſum eſt, ſive actum fuerit criminaliter, ſive civiliter. Secus pœnas per Judicem infligendas, cujusmodi eſt pœna degradationis, & traditionis Curiæ ſæculari Falſarij occulti non incurrunt, ſi agatur civiliter, benè tamen ſi criminaliter ſint convicti; & tunc abſque diſcrimine eas incurrunt, ſive actum ſit per viam accuſationis, ſive per viam inquiſitionis, ut notat Proſper Fagnanus *in d. c. ad falſariorum 7. n. 62. h. t.* Juvat tamen obſervare, quòd pœnæ inflictæ *in d. c. ad falſariorum* non incurruntur ab Epiſcopis falſantibus litteras Apoſtolicas: ratio eſt, quia in pœnalibus Epiſcopi, & alij eccleſiaſtici Prælati eminentioris dignitatis non comprehenduntur niſi de ipſis fiat expreſſa mentio *c. quia periculum 4. de ſent. excommun. in 6.* & in *d. c. ad falſariorum* tantum fit mentio de Clericis non verò de Epiſcopis, qui propterea non comprehenduntur in tali textu. Idque vel maximè ex eo infertur; quia non poſſunt Epiſcopi privari dignitate Epiſcopali, nec depo-
ni

ni ſine ſpeciali mandato Papæ *c. dudum 9. cauſ. 3. q. 6.*

11 In Bulla Cœnæ Domini Falſarij litterarum Apoſtolicarum etiam anathemate percutiuntur: etenim in ſexta excommunicatione, ejusdem Bullæ habentur hæc verba, *Excommunicamus & anathematizamus omnes Falſarios litterarum Apoſtolicarum etiam in forma brevis, ac ſupplicationum, gratiam, vel juſtitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. Eccleſiæ Vice Cancellarium, ſeu gerentis vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis ſignatarum: nec non falsò fabricantes litteras Apoſtolicas etiam in forma brevis, & etiam falsò ſignantes ſupplicationes hujusmodi ſub nomine Romani Pontificis, vel vice Cancellarij, aut gerentium vices prædictorum.* Hæc autem excommunicatio gene aliter fertur in omnes Falſarios litterarum Apoſtolicarum; tametſi Epiſcopi ſint, vel alij Prælati eccleſiaſtici dignitate ſuperiores, ut notat Fagnanus *in d. c. ad falſariorum 7. n. 57. h. t.* & rurſus prohibentur, & puniuntur duæ actiones circa litteras Apoſtolicas, quarum prima eſt falſatio Apoſtolicarum litterarum; quæ tamen actio jam antea fuerat prohibita ſub pœna excommunicationis *in d. c. ad falſariorum 7. h. t.* ſed ſine addita reſervatione ab ejus abſolutione, ut notat Navarius *in manual. c. 27. n. 62.*

12 Secunda actio, quæ prohibetur, & anathemate percutitur in Bulla Cœnæ, eſt fabricatio, & confectio litterarum falſarum, quæ actio includit gravius crimen, quàm prima.

Cæterum juvat obſervare diſcrimen in-
13 ter excommunicationem inflictam *in d. c. ad falſariorum 7. h. t.* & illam, quæ infligitur in Bulla Cœnæ Domini. Primò quia in *c. ad falſariorum* non tantùm anathemate feriuntur omnes Falſarij litterarum Apoſtolicarum, verùm etiam ipſi laici utentes falſis litteris: ſecus in Bulla Cœnæ Domini excomunicantur tantùm ipſi falſarij litterarum Apoſtolicarum, vel falſificantes, vel ſupplicationes falsò ſignantes: cæterum de utentibus falſis litteris, falsò fabricatis, aut ſignatis nulla fit ibi mentio: & quia falſare litteras, & uti litteris jam falſatis, ſunt duo diſtincta realiter, quorum unum poteſt haberi ſine alio, & in Bulla fiat tantùm mentio de falſantibus, & non de utentibus, ſequitur, utentes falſatis litteris non incurrere pœnam inflictam in Bulla Cœnæ Domini, quia in pœnalibus non debet fieri extenſio à caſibus expreſſis ad caſus non expreſſos, cùm pœnalia reſtringenda ſint non amplianda. Tum quia *ex regul. jur.*
14 *49. in 6.* in pœnis benignior pars ſemper eſt eligenda.

Secundò quia *in d. c. ad falſariorum* incurrunt excommunicationem, etiam illi, qui favent falſarijs litterarum Apoſtolicarum, vel eos defendunt, aut alio modo opem ferunt, quia Fautores, & Defenſores, eorundem ibi exprimuntur. Secus in Bulla Cœnæ nulla fit mentio de Fautoribus, ac Defenſoribus, nec diſtinguntur falſantes litteras per ſe, vel per alios; ſed ſolùm exprimuntur falſarij, & falsò fabricantes, qui propriè ſunt tantùm illi, qui per ſe immediatè litteras Apoſtolicas falſificant, vel falſas conficiunt; proinde quia falſantes per alios non exprimuntur in Bulla cœnæ, non incurrunt excommunicationem, quæ ibi infligitur. Putârim tamen cum Fagnano *in d. c. ad Falſariorum 7. n. 34. h. t.* quòd tametſi Bulla Cœnæ Domini ſimpliciter tantùm loquatur de Falſarijs, & non adhibeat illam diſtinctionem per ſe, vel per alios, Bulla tamen intelligi debet tam de Falſarijs per ſe immediatè, quàm mediatè per alios, quia *ex reg. jur. 72. in 6.* qui facit per alium, perinde eſt, ac ſi id per ſe ipſum faciat: quod vel maximè procedit in delictis, & deſumitur etiam *ex c. ad mulieres 6. de ſent. excommun.* ubi qui mandavit Clericum percuti, declaratur incidiſſe in excommunicationem. 15

Tertiò quia *in d. c. ad Falſariorum 7. h. t.* tantùm puniuntur falſantes litteras Apoſtolicas: in Bulla autem Cœnæ etiam puniuntur falſantes ſupplicationes à Papa ſignatas. Fagnanus tamen *in c. licet 5. n. 21. h. t.* fusè probat, falſare ſignaturam ſupplicationis Papalis, ſeu illas ſupplicationes, in quibus Papa ſcribit manu propria *fiat*, vel aliquid æquivalens, perinde eſſe, ac falſare litteras Apoſtolicas, & rationem adducit Fagnanus: quia ſi litteræ, per quas fit expeditio diſcrepent à ſupplicatione, tunc ſtandum eſt ſupplicationi ſignatæ à Papa tanquam matrici, & non litteris, quæ corrigendæ ſunt juxta originalem ſupplicationem.

Crimine falſi etiam tenentur adulterato- 16
res monetæ *l. 1. & 2. C. de falſa moneta*, ut notat Covarruvias *de vet. numis. collat. c. 8.* Qui igitur ſine legitima authoritate monetam cudit crimen falſi committit, quia illa confectio monetæ falſationem continet, dolum, & jacturam Principis. Hoc autem crimen pluribus poteſt modis committi quoad monetam.

Primò, incurrit hoc crimen, qui ſi- 17
ne legitima authoritate monetam cudit.

Secundò, qui monetam cudit, vel ponde- 18
re iniquo vel materia adulterina.

Tertiò, qui de juſto pondere monetæ 19
detrahit abſcindendo, vel radendo: ſi tamen aliquid detrahatur monetis excedentibus juſtum pondus, & id fiat publica authoritate à Monetarijs, nullum contrahitur crimen: ſin verò fiat à privato; communior ſententia cenſet talem ut fraudatorem, & falſarium poſſe puniri; eò quia monetæ publicæ privata authoritate detrahit in damnum communitatis.

Quartò, qui ex materia adulterina num- 20
mos conflat, ut ſtanneos, plumbeos, ferreos, cupreos, eosque tingit colore aureo, vel argenteo ad decipendos ſimplices, colore, & tinnitu.

Quintò,

21 Quintò, qui nummos falſos ſtanneos, vel plumbeos, aut cupreos pro argenteis ſcienter expendit, ſive ipſe fuerit antea ab alijs ita deceptus, ſive non: immo quamvis bona fide, ſeu ignoranter quis expendat hujusmodi falſos nummos, tenetur reſarcire damnum illatum ei, qui læſus fuit, cui debet fieri compenſatio, ut notat Covarruvias *de collat. veter. numiſmat. c. 8. n. 3. & ſequent.* quinimò peccat, & poteſt etiam puniri qui nummum adulterinum alteri ſcienti, ac conſentienti donat, ſi probabiliter ſciat, eum tali nummo falſo eſſe alium decepturum, quia cooperatur ad multas falſationes inde ſecuturas, ut notat Molina *tom. 3, tractat. 2. diſput. 701. & ſequent.*

22 Sextò, qui monetas aureas, vel argenteas cudunt pœnam incurrunt ultimi ſupplicij ex conſtitutione tertia Pij V. cui initium eſt, *cùm nihil magis* edita 8. Kalendas Novemb. 1570. quam conſtitutionem confirmavit, & innovavit Urbanus VIII. in ſua conſtit. 75. quæ incipit: *In ſuprema* Idibus Novemb. 1627. & ad omnes, & ſingulas perſonas eccleſiaſticas etiam quomodolibet exemptas, cujusvis Ordinis, ſocietatis, inſtituti, nec non militiarum quarumcunque etiam Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, Regulares in omnibus, & ſingulis Provincijs, Regnis, Civitatibus, Terris, Oppidis Caſtris, & Locis intra Italiam duntaxat exiſtentibus, qui aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel aliàs adulterare, ſeu etiam quomodolibet adulteratas ſcienter erogare, aut exponere præſumpſerint, extendit, & ampliat, ac vult, ut ſi culpabiles in præmiſſis reperti fuerint prævia degradatione Curiæ ſæculari tradantur puniendi.

23 Pœnæ autem jure ſtatutæ in Falſarios monetæ jure civili plures ſunt. Prima eſt, ut cudens falſam monetam in flammas comburendus injiciatur, ſed priùs ſtrangulatur, & ut omnes ejus facultates fiſco addicantur *c. 2. C. de falſa moneta.* Et quamvis aliqui cum Gloſſa ibidem *V. nummos* id intelligant de aureis nummis, communior tamen ſententia docet, hanc pœnam jure infligi contra quoscunque falſarios monetæ, eò quia lex loquatur in genere de nummis falſis. Hanc pœnam etiam incurrunt ſocij eorum, qui falſam cudunt monetam, eisque opem ferunt, & ſcienter auxilium dant, conſilium, & favorem, vel illis concedunt domum, vel prædium, in quo illam cudant, ut notat Molina *tract. 2. diſp. 707. n. 2.*

24 Secunda, ut tondentes, vel radentes monetam, vel eam tingentes, ut appareat aurea, vel argentea ſi ſit homo liber beſtijs ſubijciatur: ſi verò mancipium ultimo ſupplicio afficiatur *l. quicunque 8. ff. ad leg. Cornel. de falſ.*

25 Tertia, ut eâdem pœnâ plectetur qui propria authoritate monetam cudit, quamvis juſti ponderis, ac materiæ, eò quia ſibi uſurpet authoritatem Principis, cui injuriam ſimul, & damnum infert, ut notat Farinacius *q. 115. n. 20.*

Quarta ut qui monetam falſam ſciens expendit incidat in pœnam ordinariam legis Corneliæ de falſis, quæ habetur *in l. 1. §. fin. ff. eod.* quod procedit, ſi moneta ſit plumbea, aut ſtannea: non ita ſi ſit alterius metalli, ærea, argentea, vel aurea. Rurſus ſi non appareat, quòd ſint nummi plumbei, vel ſtannei, punitur hoc crimen pœna extraordinaria arbitrio Judicis, ut notat Julius Clarus *§. falſum n. 38.* 26

Jure tamen canonico *in Extravag. Joannis XXII.* quæ incipit *prodiens* falſificans monetas in ære, vel figura, vel pondere, vel falſas introducens in Regnum Franciæ ſcienter, & alia circumvicina loca excommunicatur, & non poteſt abſolvi niſi à ſolo Papa. Rurſus idem Joannes XXII. *in Extravag. Commun. cap. ſpondent. h. t.* ſtatuit, ut qui faciunt alchimiam, aurum, vel argentum, & qui fieri mandat ſecuto facto, & qui miniſtrat ſcienter, & qui utuntur illo dando, tantundem de bona moneta ſolvant pauperibus, & ſint perpetuò infames, & ſi non habeant in bonis, ſolvant in perſona arbitrio Judicis, quòd ſi ſint Clerici privantur etiam beneficijs, & fiant inhabiles. 27

Ratio, cur infligantur hæ pœnæ, affertur à D. Thoma *2. 2. q. 77. art. 2. ad 1.* quia ſi aurum, vel argentum factum ab exercentibus Chimiam veram ſpeciem non habet auri, vel argenti, eſt injuſta, & fraudulenta venditio: præſertim cùm ſint plures utilitates, & proprietates auri, & argenti veri ſecundùm naturalem operationem ipſorum, quæ minimè conveniunt auro ſophiſtico per chimiam artem facto. Tum quia verum, & probatum aurum plures habet proprietates contra morbos, quibus caret aurum fucatum, vel ſophiſticum. Præterea hæc ars conficiendi aurum ex eo etiam prohiberi, ac puniri ſolet, quia ſive viliora metalla transmutentur in pretioſiora, ſive non; tamen transmutatio eſt adeò difficilis, ut cenſeatur moraliter impoſſibilis: & qui hac detinentur arte, & exercitio alias non vident pecunias, nec alia pretioſa metalla, quàm quæ ipſi ſine ullo fructu, ſine utilitate conſumunt. 28

Crimen falſi committitur etiam in alijs rebus præſertim in inſtrumentis, & teſtamentis: qui enim teſtamentum, codicillum aliúdve inſtrumentum, vel ſcripturam immutat, vel ſupprimit committit crimen falſi *l. quid ſit ff. eod.* Hinc Notarius conficiens falſum inſtrumentum puniendus eſt ut Falſarius, ut etiam qui producit falſum inſtrumentum ſcienter, eoque utitur; licèt mitiùs puniatur, qui utitur, quàm qui condit, ut notat Clarus *§. falſum n. 16. & ſequent.* Eſt etiam falſarius Notarius, ſi inſtrumento aliquid apponat, quod verum non ſit, & tunc etiam incidit in ejus pœnam, quod etiam procedit, 29

glutinetur. Octavò ſi non recipiantur littera de manu Papa, vel Bullatoris. Nonò ſi falſa littera ſub Bulla vera prajiciantur. Sunt etiam alij modi, quos recenſet Gloſſa hic, quibus falſitas dignoſci poteſt.

C. *QUAM GRAVI 6. h. t. Idem Pont. declarat, eſſe falſas litteras Apoſtolicas, in quibus Papa vocat Epiſcopum dilectum filium, & non fratrem, vel cum loquitur uni, ponit in pluralì veſtras, ex quo textu colligitur falſitatem litterarum cognoſci non ſolùm in Bulla, filo, & charta, ſed etiam in ſtylo.*

Ad *FALSARIORUM 7. h. e. declarat idem Pont. eſſe excoñunicatos omnes Falſarios litterarum Apoſtolicarum per ſe, vel per alios exercentes vitium falſitatis: quòd ſi ſint Clerici, eos declarat perpetuò privatos omni officio, & beneficio eccleſiaſtico; & vult eſſe tradendos Curia ſeculari puniendos. Rurſus utentes falſis litteris tanquã Apoſtolicis. ſi ſint Clerici declarat, eſſe ſpoliandos officio, & beneficio: ſin verò ſint laici tamdiu eſſe excommunicatos, quamdiu non ſatisfecerint & in utriſque vult gravius puniendam eſſe malitiam, quàm negligentiam: rurſus teneri deligenter priùs examinare litteras, quibus utuntur, quia ignorantia non excuſat: & vult hoc idem eſſe obſervandum contra eos qui, falſas litteras impetrant. Verùm notandum eſt, quod licèt Pontifex in hoc textu videatur excludere excuſationem ignorantia, non tamen debet id intelligi de illa ignorantia, qua nititur rationibus probabilibus: alioquin puniretur ſine culpa: ſed de illa, qua dolum continet, ut notat Panormitanus hic n. 7. ubi etiam addit, Clericum falſantem litteras Apoſtolicas eſſe tradendum Iudici ſaculari morte puniendum, quod ſanè ſpeciale eſt in hac falſitatis ſpecie, quia ordinariè crimin falſi non punitur tam ſeverè.*

C. *ACCEDENS 8. h. t. declarat Pontifex, quòd ſi quis impetraverit litteras Apoſtolicas, habentes formam de ſimplici juſtitia, & deprehenditur in eis falſitas; ſi impetrans, ex eo, quòd cognoſcens illas eſſe falſas, illis non utitur, non ſit puniendus; nec privandus officio, vel beneficio, quia non praſumitur eas falſificâſſe cùm illis noluerit uti, & tales littera facilè obtineantur. Ubi notat Gloſſa, unam praſumptionem elidi ab alia circa idem factum* c. litteras de præſumpt. *Rurſus in iis, que facilè poſſunt abtineri non praſumi dolum, & in re modica poſſe probare ignorantiam per juramentum* c. ſi verò de ſent. excommun. *ob quam eſt illis uſus. Secus qui utitur falſis litteris, qua facilè non poſſunt impetrari non excuſatur per ignorantiam, quia preſumptio ſtat contra ipſum. Caterum quia in hoc textu ſit mentia de litteris Apoſtolicis habentibus formam de ſimplici juſtitia, nomine litterarum de ſimplici juſtitia intelliguntur, qua dantur ad lites ſeu commiſſiones pro illis: ha ſiquidem littera facilè conceduntur circa praſertim modica, & in ipſis non praſumitur dolus: immo ut notat Panormitanus hic, quamvis re ipſa ſubeſſet dolus non tamen praſumeretur falſum do re tam modica: ſecus tamen ſi eſſent littera de notabili gratia.*

C. *EX CONSCIENTIA 9. h. t. declarat Idem Pont raſuram paucarum litterarum, qua animum ſapientis non debet movere ad dubitandum praſertim in loco nan ſuſpecto, non probare litteras eſſe falſas. Quòd ſi adverſarius ſe obligaverit ſub periculo cauſa probare litteras eſſe falſas, ſi tantùm oſtendat hanc raſuram, non probat, & cauſa cadit: ex quo textu liquet, raſuram paucarum litterarum non inducere probationem falſitatis, niſi inde ſequeretur ambiguitas, aut aquivocatio nominis, de quo dubitatur, vel eſſet in loco ſuſpecto.*

IN SEPTIMO.

C. *CUM SICUT 1. h. t. Innocentius VIII. declarat, ut mentientes perſona qualitatem, vel conditionem ad eum finem, ut faciliùs beneficium aliquod conſequantur, debeant eo carere, & vult, ut omnes & ſinguli cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis fuerint teneantur in litteris exprimere perſonarum qualitates & privilegia, praſertim ſi ſint nepotes, germani, & familiares ſub pœna excommunicationis, à qua non poſſint abſolvi excepto mortis articulo, niſi à Romano Romano Pontifice, & declarat nullius valoris conceſſiones, & gratias cum tali reticentia expeditas, vel expidiendas.*

C. *INTER CÆTERAS 2. h. t. Paulus IV. declarat excommunicatos eſſe, qui perſonis interpoſitis proviſionem beneficiorum venantur, vel ſe ipſos in canonico examine offerunt, quo alterius ignorantia, & imperitia fucum prabeant, & falſum tueantur, adeò ut talia beneficia cancuiſcantur animo, & intentione, immo & interdum pacto expreſsè firmato de eis poſtmodum in favorem aliorum, qui minus idonei ſunt, minuſque benè meriti reſignandis, cum penſione, aut alio commoda.*

C. *INHÆRENDO 3. h. t. Leo X. declarat ſubreptitias litteras, qua fuerunt extorta, & impetrata per falſam rei narrationem, & extorquentes tales litteras eſſe innodatos excommunicatione, & invalidas, ac nullas eſſe gratias in iiſdem contentas.*

C. *EXCOMMUNICAMUS ult. h. t. Sixtus V. in Bulla cœna Domini anathemate percutit adulterantes, & falſificantes litteras Apoſtolicas, & confirmat, ac innovat conſtitutionem Innocentii III. qua incipit* Ad falſariorum *cum omnibus pœnis in eu contentis, quas vult extendi ad falſificantes, ſeu mutantes ſupplicationes. Hac excommunicatio Sixti V. habetur in Bulla Cœna Domini.*

IN EXTRAVAGANTIBUS
Joannis XXII.

C. *PRODIENS unic. h. t. declarat Pontifex excommunicatum excommunicatione reſervata*

Papa

Papa falſificantem monetam in ære, vel figura, vel pondere, vel etiam introducentem falſas ſcienter in regnum Galliæ. Ubi notandum eſt, hoc crimen falſandi monetam non ſolùm prohiberi hic jure canonico ſub pœna excommunicationis, verùm etiam jure civili tam communi, quàm municipali ſingularum Provinciarum, & interdici ſub graviſſimis pœnis l. 2. c. de fals. monet. *Immo hujusmodi falſarii ſolent hodie ſupplicio puniri capitali. Ignorantia tamen, & bona fides excuſant uten[illegible]dulterina pecunia: verùm cognita falſi[illegible]e monetâ tenentur ad reſtitutionem, à qua ignorantia non excuſat. Hinc licèt quis bona fide monetam adulterinam acceperit ab alio non excuſatur, ſi cognoſcens ejus falſitatem, eam exponat ut legitimam, & det alteri ut talem; quia fallit alterum dando monetam pro vera, quam ſcit falſam eſſe: licèt ipſe fuerit deceptus non tamen debet alios decipere, quia error unius non debet alteri nocere. Rurſus ſi aliquis privatus ſine authoritate Principis cuderet monetam in debita materia, & pondere, adhuc eſſet falſarius, & eſſet puniendus pœna falſi, quia ad juſtam monetam non ſufficit bonitas materiæ, & ſimilitudo figuræ, ſed ulterius requiritur poteſtas cudendi monetam, & authoritas imprimendi figuram, vel ſignum in tali moneta. Hinc Bartol.* l. qui falſam ff. h. t. *falſam monetam dicit eam eſſe, quæ cuditur ab eo qui non habet authoritatem cudendi.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *SPONDENT unic. h. t. Ioannes XXII. prohibet ſtudium Alchimiæ, & imponit pœnas in illos, qui hanc artem non ſine dolo exercent. Quia tametſi Phyſici doceant communiter poſſe verum aurum confici ex aliis metallis, tamen fraudes, & deceptiones interveniunt, ut meritò ſtudium Alchimiæ prohibeatur.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit crimen falſi, & quibus modis falſentur Reſcripta.

DEmpto primo capite, quod eſt de teſtibus, qui vel tacendi fraude teſtimonium detrectant; vel mentiuntur falſa producendo, totus præſens titulus eſt de concinnatoribus falſarum literarum, ſive Reſcriptorum; & qua ratione fraus poſſit falſariorum detegi, & quibus debeat pœnis vindicari. Reſcripta, quæ nomen ſummi Pontificis ementiuntur; vel aliqua eſt ſuſpicio, non eſſe ab ipſo profecta mandari nequeunt executioni. Falſum vel falſitas in genere nihil aliud eſt, quàm veritatis imitatio, vel potiùs immutatio *Novel. 13. Inſtit. 1. 1.* unde multipliciter committitur falſitas tam circa perſonas, quàm circa res. Falſitas circa perſonas tunc contingit, quando partus ſupponitur *l. qui falſum 19. §. 1. ff ad l. Cornel. de falſis*: & ex ſenatuſconſulto Claudiano cautum fuit de ea perſona, quæ ſubjicitur *l. 1. ff. de liber. agnoſcen.* & Obſtetrix, quæ partum alienum attulit, ut ſupponi poſſit, ultimo ſupplicio afficitur. Pœna enim ſuppoſiti partus eſt capitalis *l. 1. c. de falſis.* neque accuſatio hujus criminis ordinaria præſcriptione tollitur *l. qui falſam 19. §. 1. ff. ad l. Cornel. de fals.* niſi vicennii præſcriptio ſit, ut notat Cujacius *lib. 4. obſerv. cap. 14.* Crimen falſi circa perſonas committit etiam libertus ſi pro ingenuo ſe gerat *l. unic. c. ad leg. Vitellar.* Ut etiam qui falſum nomen aſſumit alterius decipiendi causâ *l. falſi 13. ff. ad l. Cornel. de falſis.* vel judicis amicitia, vel familiaritate mentitus, eventum ejus ſententiæ vendidit; quod veteres dicebant fumum vendere, ut explicat Duarenus *l. 1. animadv. c. 25.*

Crimen falſi circa res committitur præſertim circa monetas, menſuras, & ſcripturam, & de hac falſitate principaliter ſermo eſt in hoc titulo. Committitur hoc crimen circa ſcripturam, quando caſſis litteris aliud in locum illius, quod antea ſcriptum non erat, ſcribitur *c. olim 25. de reſcript. c. licèt §. 6. h. t.* Id tamen procedit ſi raſura fiat in loco ſuſpecto *c. ex conſequentia 9. h. t. c. cum olim* de privilegiis *c. inter de fide inſtrument. c. cum Venerabilis de religioſ. domib.* Non ſolùm raſurâ committitur hoc crimen, ſed etiam aliis modis, ſi forma ſcripturæ, vel ſtylus immutetur *c. licet 5. cum ſequent. h. t.*

Eſt igitur crimen falſi juxta præſens inſtitutum veritatis immutatio cum dolo, quapropter Falſarius eſt, qui in perverſione veritatis cum dolo, & alterius jactura crimen falſi committit. Tria autem ad hoc crimen, requiruntur. Primò veritatis immutatio: ſecundò dolus operantis, adeò ut hic animo corrumpendæ veritatis in alterius fraudem veritatem immutet. Tertiò ut alteri inde damnum grave proveniat, adeò ut hoc crimen alteri noceat, vel nocere poſſit: ſi aliquod ex his tribus requiſitis deſit, hoc crimen non eſt punibile, ut notat Maſcardus *de probat. concluſ. 739. n. 12.*

Rurſus falſitas quadrupliciter committitur. Primò verbo prolato, ut ſi teſtis falſum deponat in judicio, vel Judex iniquam ſententiam ferat. Secundò ſcripturâ, ut ſi quis falſas litteras conficiat. Tertiò re, ut ſi quis nummos adulterinos cudat, vel falſas mon-

ſcienter producit in judicio falſum teſtem, vel dicto utitur falſi teſtis, ut notat Clarus *in d. §. falſum n. 2.* Ut etiam qui in ſua depoſitione aſſerit, ſe non recordari de eo, de quo revera recordatur; vel ſaltem veriſimiliter poteſt recordari: non verò ſi probabiliter non recordetur, quia probabilis oblivio excuſat teſtem à falſo; immo etiam teſtis verſutè, & doloſè deponens ita obſcurè, ut ejus depoſitio non poſſit producenti prodeſſe, ſit obnoxius crimini falſi, ut notat Farinarius *in prax. crimin. q. 2. tract. de teſtib. q. 67. n. 225.* ubi plura alia circa falſos teſtes reſolvit.

11 Quod verò ad pœnam attinet, quam Falſarii incurrunt. Reſpondetur, Falſarios litterarum Apoſtolicarum, ſi laici ſint, infamiâ notari, & excommunicationem incurrere, ſin verò Clerici deponi ab officio, & beneficio, & ſi citra ſigillum Principis falſum admiſerunt, ſtigmate notati in exilium mittuntur, & deſumitur ex *c. ſi Epiſcopus 50. diſt. c. ſi quis conſtitutus 22. q. 5. c. clim. 23. de reſcript. c. tam ex litteris 23. de Teſtibus. c. novimus 27. in fin. de V. S. & c. 6. Bullæ cœnæ Domini* ut notat Marchia *de juriſdict. p. 2. c. 28.* Duardus in Bullam Cœnæ *in d. can. 6.* Ratio eſt quia crimen falſi præſertim circa litteras Apoſtolicas, vel regias commiſſum, adeo eſt grave, ut inter majora crimina numeretur *l. 3. §. 1. de Decur.* proinde meritò pluribus illis pœnis in præſenti crimen falſi vindicatur, ſcilicèt excommunicatione, quam laici ipſo jure incurrunt; & à qua, nonniſi in articulo mortis, per alium, quàm pontificem abſolvi poſſunt, ut expreſsè cavetur *in can. 6. Bullæ Cœnæ*: ut etiam, qui hoc crimen commiſit, punitur depoſitione, & exilio, vel detruſione in perpetuum carcerem, ſi ſit Clericus.

12 Id tamen ſolet limitari. Primò ut hæc pœna ordinaria falſi teſtis ſolùm infligatur, quando Clericus de hoc crimine directè eſt accuſatus, & convictus, vel in jure confeſſus: non ita ſi tantùm incidenter de eo conſtet, ut ſi contra clericum productum in teſtem opponatur exceptio falſitatis, & probetur: tunc enim Clericus non deponitur, nec incurrit infamiam, ſed tantùm excluditur à teſtimonio.

13 Secundò ſi falſitas non ſit commiſſa circa ſubſtantialia cauſæ, ſed tantùm circa accidentalia, & extrinſeca, quia tunc ſolùm punitur extraordinariè ad arbitrium Judicis, ut notat Julius Clarus *lib. 5. ſent. §. falſum. n. 9.*

14 Tertiò ſi falſitas damnum non inferat tertio; tunc etiam punitur tantùm pœna arbitraria, ut notat idem Clarus *loc. cit. n. 35.*

15 Quartò ſi Clericus per errorem, vel ignorantiam falſum dixerit ſine malitia, & dolo, tunc nec etiam punitur: quia ignorantia excuſat, & ſine dolo hoc crimen non committitur.

16 Quintò neque incurrit hanc pœnam, quando per inquiſitionem proceditur, quia tunc Falſarii plectuntur pœna extraordinaria ad arbitrium Judicis, non verò ordinariâ.

Sextò alii addunt, Clericum non fieri obnoxium pœnæ ordinariæ, ſi nullo prævio interpoſito juramento de veritate dicenda falſum teſtatus eſt. Verùm communior ſententia aſſerit, poſſe tunc etiam puniri pœna falſi, perinde ac ſi juramentum præmiſiſſet.

Non tamen, ſi Clericus falſum dicat coram Judice ſæculari, poteſt ab illo puniri ullo modo: ratio eſt perſpicua, quia punitio ju- 17
ridica eſt actus juriſdictionis, qui non poteſt exerceri niſi in eos, ad quos ſe extendit Judicis juriſdictio: atqui juriſdictio Judicis ſæcularis non ſe extendit ad clericos, quia iſti non ſubjiciuntur laicali juriſdictioni, conſequenter nullo modo puniri poſſunt à Judice ſæculari, quamvis coram ipſo falſum depoſuerint teſtimonium. Econtra ſi laicus falſum teſtimonium protulit coram Judice eccleſiaſtico, poteſt ab illo puniri, quia hoc crimen eſt mixti fori, & datur locus præventioni. Cenſent aliqui, Judicem laicum poſſe in cauſa civili cognoſcere de falſitate, quam Clericus coram ipſo depoſuit, idque tantùm ad expediendam cauſam coram ipſo inchoatam, non verò ad puniendum ipſum Clericum.

Modi, quibus crimen falſi committi poteſt, recenſentur *in c. licèt 5. h. t.* ubi Innocentius III. novem recenſet modos cognoſcendi 18
falſitatem in reſcriptis Apoſtolicis. Eſt reſcriptum in genere ſecundùm Rebuffum *tract. reſcript. n. 5.* conceſſio Principis per litteras authenticas legitimè facta, ſive ſit ſecundùm jus, ſive contra jus, quod tamen ita eſt intelligendum, ſi in ipſo reſcripto juri communi expreſſè derogetur, ut ſi jubeatur iterum audiri, qui jam per ſententiam eſt condemnatus, quia niſi id exprimatur, ex communi regula reſcriptum contra jus non valet, quia præſumitur fraus interveniſſe in impetrando reſcripto: & ratio eſt, quia mens Principis ſemper præſumitur talis eſſe qualis de jure eſſe debet *argu. l. ex facto ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.*

Rurſus conceduntur reſcripta ſub hac conditione, *ſi preces veritate nitantur*, & tunc dicuntur veritate niti, quando nec ſuppreſſione 19
veri, nec expreſſione falſi viciantur: quocunque horum interveniente reſcriptum eſt nullum ex defectu conſenſus: & quidem ſi ob ſuppreſſionem veri dicitur provenire ab ignorantia concedentis, & reſcriptum dicitur *ſubreptitium*, ſeu ſubreptitiè obtentum: ſin verò ob expreſſionem falſi, dicitur provenire ab errore, & reſcriptum dicitur *obreptitium*, ſeu obreptitiè obtentum. Hinc modi, qui quibus falſitas cognoſcitur in reſcriptis Pontificiis, ſeu litteris Apoſtolicis, ſunt. Primò, ut falſa Bulla falſis litteris apponatur. Secundò, ut filum de vera Bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immiſſum falſis litteris inſeratur. Tertiò quando filum ab ea parte, in qua charta plicatur inciſum, cum vera Bulla falſis litteris immittitur ſub eadem plicatura cum filo ſimilis cannabis reſtauratum. Quartò cum à ſuperiore parte Bullæ altera pars fili ſub plumbo reſcinditur, & per idem filum litteris falſis inſerta reducitur

ducitur infra plumbum. Quintò cum litteris Bullaris, & redditis in eis aliquid per raſuram tenuem immutatur. Sextò cum charta artificiis dealbatur, & iterum inſcribitur. Septimò cum chartæ abolitæ, & abraſæ alia ſubtiliſſima charta tenaciſſimè conglutinatur. Octavò quando ſcienter non recipiunt litteras de manu Papæ, vel Bullatoris. Nonò quando accedentes ad Bullam falſas litteras cautè projiciunt ſub vera Bulla, ut cum aliis ſigillentur.

21 Hæ autem duæ ſpecies falſitatis non poſſunt facilè deprehendi, niſi vel ex modo dictaminis, ſeu ex ſtylo dictandi, vel ex forma ſcripturæ, vel qualitate chartæ falſitas deprehendatur, & habetur *in d. c. licèt. 5. h. t.* In aliis verò modis falſitas faciliùs deprehendi poteſt, ut in adjunctione filorum, vel in collatione Bullæ, vel motione, vel obtuſione, præſertim ſi Bulla non ſit æqualis, ſed alibi magis tumida, alibi magis depreſſa.

22 Rurſus præter hos novem modos, ſunt etiam alii ſeptem, quibus litteræ Apoſtolicæ falſificantur. Primò ex dicto, vel tacito litteræ ſunt falſæ *c. ſuper litteris de reſcript.* Secundò charta eſt falſa, quando dicitur in ea, *omnes canonici fuerunt*; in ea tamen non erant omnes *c. quando de his quæ fiunt à Prel. ſine conſens. capit.* Tertiò ſit charta appareat mutata, vel raſa in loco ſuſpecto *c. olim de privileg. c. inter dilectos de fide inſtrum.* Quartò reſcriptum præſumitur falſum, quamvis tale non ſit, ſi vitium contineat latinitatis *c. ad audientiam de reſcript.* Quintò ſi inſtrumentum ſuſpectum inducitur, tunc producens cenſetur Falſarius *c. jubemus de probat.* Sextò ſi Epiſcopus appellatur filius, vel ſi Papam uni loquitur in plurali *c. 6. eod. tit.* Septimò ſi reſcriptum eſt impetratum ſine mandato, dicitur falſum *c. nonnulli de reſcript.* Item ſi litteræ Apoſtolicæ ſint clauſæ in quocunque loco ſit raſura non nocet, quia non eſt præſumptio contra impetrantem.

23 Regula verò cognoſcendi, an aliquæ chartæ ſint raſæ, etiam ſi ſubtiliſſimè, eſt illas ponere inter oculos, & ſolem, ſtatim enim videtur raſura. Cæterum modi principales falſificandi litteras Apoſtolicas continentur his verſibus.

Forma, ſtylus, filum, membrana, litura, ſigillum:
Ex falſatis dant ſcripta valere puſillum.

24 Qui verò litteras ab alio recipiunt, quàm à Papa, vel ejus Officialibus, ſi non exiſtant apud Sedem Apoſtolicam, non incurrunt pœnam hic præſcriptam: & ſes eſt Apoſtolica tunc tantùm dicitur eſſe, ubi eſt Papa, & ejus Curia, ſive ſit Romæ, ſive alibi. Sin autem exiſtat in curia, & litteras recipiat ab alio, incurrit hanc pœnam, ſive eas impetret pro ſe, ſive pro alio, quia ut notat Abbas in *c. dura 4. h. t.* olim ſæpe litteræ Apoſtolicæ falſabantur in Curia, & ibi Innocentius III. *in d. c. dura. 4.* ſtatuit, ut exiſtens in curia non accipiat litteras Apoſtolisas, niſi de manu Papæ, vel ejus Officialium, ad id deputatorum: quòd ſi perſona eſt tantæ authoritatis, ut ita deceat, debet mittere Nuntium ad Cancellarium Papæ, vel ad Papam. Secus facientes ſi ſint laici, ſunt excommunicandi; ſin autem Clerici ſuſpendendi ab officio, & beneficio, & ab Ordinario, à quo non poſſunt abſolvi. Rurſus ſi habens litteras falſas Apoſtolicas eas intra viginti dies non reſignat, vel deſtruit, eſt excommunicatus, & à ſolo papa poteſt abſolvi. Hodie tamen primus caſus non eſt in praxi, nec ſervatur, quia exiſtentes in curia per nuntium litteras accipiunt, & quamvis Papa ſciat, id tamen tolerat; quod tamen limitatur, niſi eſſet quis excommunicatus, vel niſi litteræ eſſent recipiendæ tantùm de manu Papæ, vel Bullatoris; alioquin præſumerentur falſæ, ut habetur *in c. licet 5. h. t.* Sunt tamen, qui cenſeant, excommunicationem *in d. c. dura 4. h. t.* inflictam contra recipientes litteras Apoſtolicas ab alio, quàm à Papa, vel ejus Officialibus incurri ipſo facto, & jure, & ſuſpenſionem per ſententiam ſerendam à Judice, ut notat Abbas *in d. c. dura 4. n. 8. h. t.*

25 Verùm, ut dixi, hæc conſtitutio non videtur ampliùs eſſe in uſu, cùm quilibet in curia exiſtens, quamvis parvæ authoritatis mittat ad Bullatorem, à quo litteras recipit Apoſtolicas. Rurſus ſi raſura quantumvis tenuis, & paucarum litterarum in reſcriptis Apoſtolicis facta ſit in loco ſuſpecto, ut in narratione juris, in propriis nominibus Judicum, in annotatione datæ, vel indictionis ut *in c. inter dilectos de fide inſtrum.* tunc tales litteræ papales præſumuntur falſæ: ſed raſura hæc debet eſſe in loco ſuſpecto, ut notat Gloſſa *in c. licèt 5. V. tenuem h. t.* immo ſi per mutationem etiam unius litterulæ, vel ſyllabæ in litteris Apoſtolicis immutetur ſenſus à Papa intentus: quia ex mutatione facta aliquid in eis aſſeritur, vel negatur, quod ipſe non intendebat, vel tacetur, aut omittitur, quod ipſe proferre intendebat; tunc enim gravis contrahitur culpa; proinde etiam pœna decreta in Falſarios; ratio eſt, quia gravitas hujus peccati non conſiſtit in litteris, aut apicibus, ſed in ſenſu.

26 Quòd ſi raſura modica paucarum litterarum in reſcriptis Pontificiis fiat in loco non ſuſpecto, tunc hujuſmodi reſcripta non præſumuntur falſa, ut habetur *in c. ex conſcientia 9. & ult. h. t.* ubi Innocentius III. declarat, raſuram paucarum litterarum, quæ animum ſapientis non debet movere ad dubitandum, in loco non ſuſpecto, non probare, litteras eſſe falſas, quamvis pars contraria ſe obligaverit ſub periculo cauſæ, probare litteras eſſe falſas: ubi notat Gloſſa, raſuram in narratione nullam generare ſuſpicionem, & deſumitur etiam ex *cap. inter dilectos de fide inſtrum.* Notat tamen Proſper Fagnanus *in d. c. ex conſcientia ult. h. t.* tres caſus eſſe diſtinguendos, quorum primus eſt, ſi conſtet, raſuram eſſe factam

in

in litteris Apoſtolicis à Cancellario, vel alio ex officialibus Curiæ: & tunc non inducitur falſitas, quamvis raſura facta eſſet in loco ſuſpecto, ut notat Fagnanus in *d. c. ex conſcientia ult. n. 6. h. t.* quia poſſunt litteræ Bullatæ radi, & corrigi ab Officialibus Curiæ, quando non concordant cum ſupplicatione, ſeu matrice: vel quando minus rectè ſunt expeditæ.

27 Secundò, ſi conſtet, raſuram eſſe factam ab ipſo impetrante, aut utente litteris Apoſtolicis: & tunc radens eſt Falſarius, quamvis raſura ſit modica, & unius tantùm litteræ, vel ſyllabæ, præſertim ſi facta ſit in loco ſuſpecto.

28 Tertiò, ſi dubitetur, à quo raſio facta ſit, & tunc raſura paucarum litterarum facta in loco non ſuſpecto, ut in narratione facti, & ſi per illam non ſit inducta ambiguitas nominis, ſeu dictionis, non reddit litteras falſas; ſecus tamen eſſet, ſi raſura eſſet in loco ſuſpecto, quia tunc in dubio præſumitur facta ab ipſo impetrante, ſeu utente; proinde talibus litteris non eſt fides præſtanda: ſecus ſi raſura facta ſit in loco non ſuſpecto, tunc præſumitur facta ab Officiali Papæ. Præterea ſi raſura facta ſit diverſa, ſeu aliena manu ab eo, cui hoc committitur, reſcriptum præſumitur falſum, tametſi raſura ſit modica, & in loco non ſuſpecto: ſecus tamen ſi eadem manu illius, qui litteras ſcripſit, vel cui hoc miniſterium commiſſum fuit, tunc non obſtat raſura, in quocunque loco fuerit facta, ſed tunc in margine eadem manu, & charactere ſignari ſolet raſura facta, ut notat Abbas *in d. c. ex conſcientia ult. n. 4. h. t.*

29 In dubio verò, an raſura reperiatur facta in loco ſuſpecto præſumitur ſcripta diverſa manu, proinde reddit litteras falſas. Cæterum ſuſpectus de falſitate poteſt capi, & detineri in cuſtodia, donec reperta ſit veritas, ut deſumitur *ex c. ſuper eo 2. h. t.* ubi Lucius III. mandat Epiſcopo Vigorienſi, ut quoties aliqua ſcripta ſub nomine ſuo viderit redarguenda falſitatis, nullam eis fidem adhibeat, neque quod per ipſa mandatum eſt, obſervet: ſed eum, qui præſentavit, retineri faciat diligenter. Hinc ſententia à Judice lata authoritate falſarum litterarum Papalium eſt invalida, proinde non eſt mandanda executioni, adeò ut ſententia lata ab eo, qui per litteras falſas juriſdictionem accepit, ſit ipſo jure nulla, idque ob defectum juriſdictionis, quam falſæ litteræ non poſſunt dare, ut deſumitur *ex c. ad probandum 24. de ſent. & re judic.*

30 Hinc ſolutum per errorem ratione talis ſententiæ repeti poteſt *l. 1. & 2. c. ſi ex falſ. inſtrum.* ſecus ſi Judex aliàs habet juriſdictionem, & falſitas concernat tantùm merita cauſæ, eò quia ſententia lata ſit per falſos teſtes, vel falſa inſtrumenta; quia tunc ſententia regulariter tenet, ſed reſcindenda eſt per reſtitutionem in integrum, ut notat Hoſtienſis *in d. c. ſuper eo 2. h. t.* Rurſus merus Executor poteſt admittere exceptionem, ſi objiciatur, ſententiam eſſe nullam, eò quia lata fuerit per falſas litteras, & differre executionem, donec referatur ſuperiori.

Deprehenduntur etiam reſcripta Apo- 31
ſtolica falſa, ſi in ipſis non ſervetur ſtylus Curiæ, nec adhibeantur tituli, quos ſolet ſummus Pontifex ſervare pro diverſitate perſonarum: etenim ſi Epiſcopis, Archiepiſcopis, vel fratribus reſcripta mittat eos *fratres* vocat *c. pervenit 84. diſt. c. fratres 86. diſt. c. dilectus de offic. deleg. c. cum dilectus de cleric. non reſid.* Vocantur autem Epiſcopi etiam *fratres*, eò quia habeantur ſucceſſores Apoſtolorum pari conſortio cum D. Petro, & ejus ſucceſſoribus, & honorem, ac poteſtatem accipientes *c. in novo 21. diſt.* eò quia vocati ſint in partem ſolicitudinis *c. fundamenta §. debet. de elect. in 6.* ut notat Duarenus *lib. 2. de ſacris c. 6.* Quòd ſi Pontifex Epiſcopis tantùm electis, & nondum confirmatis reſcribat, eos filios vocat *c. ſanè de renunt. c. noſti. de elect.* Cardinales etiam Eccleſiæ Romanæ nonniſi filios vocat *c. licet 49. de teſtib. c. coram. de offic. delegat.* limitatur tamen niſi fuerint ſimul Epiſcopi, vel Pontifex cum illis, & Epiſcopis ſimul loquatur, ut *in cap. in Geneſi 49. de elect. prope finem extravag. Conditorum*: imò etiam Epiſcopus quando loquitur cum proprijs Canonicis eos fratres vocat, ut notat Ciconius *ad tit. de his quæ fiunt à Prælatis.* Pontifex tamen quando ſcribit Capitolo utitur hac formula *vobis filijs capituli c. conſtitutus 11. de conceſſ. præbend. c. 3. de teſtam. in 3. collect.* Pontifex Epiſcopis, utitur hac formula *fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus c. ad audientiam* &, paſſim *de reſcript.* quando verò ſcribit Cardinalibus utitur hac alia formula: *Diſcretioni veſtræ c. ad decorum de inſtitut. in 3. collect. c. quia diverſitatem de conceſſ. præbend. c. dilectus de exceſſibus Prælator.*

Quando autem Epiſcopi ſunt tantùm 32
conſecrati eos filios vocat *c. noſti de elect.* Principes verò ſæculares ſemper *filios illuſtres* appellat, vel *chariſſimos*, vel glorioſos, ut in *c. de arbitris in 1. compil.* immo Concilia etiam Provincialia Principes ſæculares non niſi filios appellat, ut habetur in Concilio Bracharenſi *1. in proœmio*, & notat Duarenus *lib. 2. de ſac. Eccleſ. c. 6.* Pancitolla *l. 1. variar. c. 1.* Barboſa *de poteſtate Epiſcop. p. 1. tit. 1. c. 1.* Nec mirum ſi Pontifex Epiſcopos, & Archiepiſcopos fratres appellet, quia iſti cenſentur ſucceſſores Apoſtolorum, & eundem honorem cum iſtis accipere *c. in novo 21. diſt.* & ſicuti Apoſtoli dicebantur fratres D. Petri, ita etiam Epiſcopi, & Archiepiſcopi dicuntur fratres ſummi Pontificis.

§. II.

De Pœnis jure ſtatutis in eos, qui litteras Apoſtolicas falſificant.

1 Pœna falſi, vel quaſi falſi, ſeu illius, quod ex Senatusconſulto, vel prudentum interpretatione pro falſo habetur ex jure civili in ſervis eſt ultimum ſupplicium, & in liberis hominibus deportatio, immo olim etiam omnium bonorum publicatio *l. 2. in fin. & l. fin. ff. h. t.* ſiquidem deportatio fuit, quæ ſucceſſit in locum pœnæ, quâ olim falſarius aqua, & igne interdicebatur. Jure tamen novo hæc bonorum publicatio generatim exceptis certis caſibus videtur omnino ſublata. Quinimò crimen falſi pro delicti qualitate ſolet etiam remiſſiùs puniri, ut relegatione ad tempus *l. falſi 13. l. qui duobus 21. l. penult. & ſimilibus ff. eod.* interdum etiam ſeveriùs, immo & pœna capitali, ut in crimine falſæ monetæ *l. quicunque 8. ff. eod.* ut etiam in crimine partûs ſuppoſiti *l. 1. C. eod.* Jure tamen civili hæc pœna falſi quæcunque illa ſit non extenditur ad hæredes; adeò ut ſi Reus ante crimen illatum, vel ſententiam dictam, vitâ deceſſerit ejus hæredes non ſint puniendi niſi lucrum ad illos pervenerit, quia turpia lucra etiam ſucceſſoribus auferuntur *l. 5. ff. de calumniatorib.* & *l. 9. ff. de jure fiſci.* ſiquidem ſcelere quæſitum auferendum eſt ab hæredibus illius *l. cùm falſi 12. ff. eod.* Fusè hac de re agit Julius Clarus *l. 5. ſent. §. falſum* qui plura deſiderat ipſum conſulat.

2 Quod verò ad pœnas jure canonicò injunctas contra falſantes litteras Apoſtolicas attinet, certum eſt, ſi quis per ſe, vel per alios falſum admittat circa litteras Apoſtolicas, ſive laicus ſit, ſive Clericus eum incurrere excommunicationem cum ſuis Fautoribus ex *conſtit.* Sixti V. cui initium eſt: *Excommunicamus.* Quinimò Clericus privatur officijs, & beneficijs eccleſiaſticis: deinde degradatur, & traditur ſæculari poteſtati, à qua perinde ac laicus de falſitate convictus punitur pœnâ ordinariâ, ſi tamen per ſe immediatè tale crimen commiſerit *c. ad Falſariorum 7. h. t.* ubi Innocentius III. declarat, quòd omnes Falſarij litterarum Apoſtolicarum, qui per ſe, vel per alios vitium exercent falſitatis, ſunt excommunicati: & ſi Clerici ſint, perpetuò privantur omni beneficio, & officio eccleſiaſtico, & traduntur Curiæ ſæculari puniendi; perinde ac laici Falſarij. Rurſus qui falſis litteris utuntur tanquam Apoſtolicis, ſi ſint Clerici ſunt ſpoliandi beneficio, & officio: ſin verò laici tamdiu ſunt excommunicati, donec ſatisfecerint, & in utriſque graviùs punitur malitia, quàm negligentia: debent enim priùs diligenter examinare litteras, quibus utuntur, quia ignorantia eos non excuſat: & Pontifex mandat hoc idem ſervandum circa eos, qui falſas litteras impetrant.

3 Hinc qui litteris volunt Apoſtolicis uti, debent priùs eas diligenter examinare, utrum veræ ſint, aut falſæ, vel ſuſpectæ, & ſi veras eas deprehenderint, poſſunt illis uti; non ita ſi falſas eſſe noverint, aut ſuſpectas, quia tunc tenentur abſtinere ab illarum uſu *c. inter dilectos 11. §. verum de exceſſ. Prælat.* Quòd ſi poſtea certi fiant, eas eſſe veras, poſſunt illis uti: alioquin niſi hanc adhibuerint diligentiam præſumuntur eſſe in dolo, proinde falſum committere; hoc enim ſemper præſupponit dolum *l. nec exemptum 20. C. h. t.* vel ſaltem cenſentur ignorantiam affectare, quæ craſſa, & ſupina habetur, quæ minimè excuſat *c. penult. de cleric. excommun.*

4 Neque obſtat, quòd in delictis præſumatur ignorantia, & dolus probari debeat *l. quoties 18 §. qui dolo ff. de probat.* quia id non procedit quando diligens inquiſitio debet præcedere, ut in præſenti, ubi ignorantia non excuſat, quia volentes uti litteris Apoſtolicis tenentur priùs eas diligenter examinare, an veræ ſint, vel falſæ, aut ſuſpectæ. Rurſus pœnæ inflictæ *in d. c. ad Falſariorum 7. h. t.* non incurruntur à Clericis falſantibus litteras Imperatoris, vel alterius ſæcularis, quia *in d. c.* Pontifex non loquitur niſi de clericis falſantibus litteras Apoſtolicas, ſeu reſcripta Pontificum: & cùm ſimus in pœnalibus, conſtitutio non eſt extendenda ad caſus, qui in eadem non exprimuntur: & verba ſunt intelligenda, ut ſimpliciter ſonant. Tum quia *ex regul. jur. 49. in 6.* in pœnis benignior pars eſt eligenda.

5 Ratio, cur clerici incurrant præfatas pœnas, ſi falſificent reſcripta Pontificum, & non ſi litteras Imperatoris falſent, hæc etiam aſſignatur, quia Clerici graviùs delinquunt, ſi falſent litteras Apoſtolicas, quàm ſi falſent litteras cujusvis alterius Principis ſæcularis, etiam Imperatoris; idque ob eminentiam dignitatis Pontificiæ *argu. c. ſolitæ 6. de majorit. & obed. §. atrox. inſtit. de injurijs.* Præterea quia clericus non ſubijcitur Imperatori, nec ulli juriſdictioni laicali, ſed Papæ: & longè gravius crimen eſt, ſi committatur contra perſonam Principis, cui delinquens ſubijcitur, quàm in extraneum *l. omnes 6. §. 1. ff. de re militari,* ut notat Farinacius *in prax. crimin. p. 6. q. 151. n. 22.* quapropter aſſerit, clericum falſificantem litteras Imperatoris, Regis, vel alterius Principis ſæcularis non eſſe tradendum Curiæ ſæculari.

6 Quid verò dicendum ſit de clericis falſantibus litteras Epiſcopi, Archiepiſcopi, vel Nuntij Sedis Apoſtolicæ, vel etiam ſacræ Pœnitentiariæ, reſpondetur, non incurrere pœnas inflictas contra Clericos *in d. c. ad Falſariorum 7. h. t.* quia ibi Pontifex tantùm loquitur de clericis falſantibus litteras Apoſtolicas, & qui per ſe, vel per alios exercent vitium falſitatis: atqui litteræ Epiſcopi, Archiepiſcopi, Nuntij ſedis Apoſtolicæ, & ſacræ Pœnitentiariæ non ſunt litteræ Apoſtolicæ, quia illæ

iſtæ tantùm ſunt illæ, quæ dantur à Papa, & quia in pœnalibus interpretatio debet mitiùs fieri, ut pœnalia non extendantur ultra caſus in jure expreſſos, ſequitur, quòd pœnæ inflictæ in *d. c. ad Falſariorum* non incurrantur niſi à Clericis falſarijs litterarum Apoſtolicarum, unde ſi litteræ Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Nuntij ſedis Apoſtolicæ non ſint litteræ Apoſtolicæ, nec reſcripta Pontificum, rectè ſequitur, Clericos falſantes præfatas litteras Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Nuntij non incurrere pœnas in *c. ad Falſariorum*. Tum quia licèt ab aliquibus dubitetur, an litteræ ſacræ Pœnitentiariæ dicendæ ſint Apoſtolicæ, adhuc tamen in dubijs pœnalibus benignior pars eſt eligenda *ex regula juris 49. in 6.*

7 Quamvis pœna generalis inflicta contra omnes falſantes litteras Apoſtolicas per ſe, vel per alios, ut etiam contra eorum Fautores, & Defenſores ſit, ut ipſo jure, & facto ſint excommunicati, eò quia Pontifex *in d. c. ad falſariorum 7. h. t.* utatur verbis illis: *Anathematis vinculo decernimus innodatos*; quæ verba, ut communiter docent Canoiſtæ latam ſententiam ſignificant; & rurſus *in d. c.* Pontifex generaliter anathemate feriat omnes falſarios litterarum Apoſtolicarum, ſive Clerici ſint, ſive laici, & ſit abſolutio à tali vinculo reſervata ſedi Apoſtolicæ: nihilominus ſpecialis pœna infligitur Clericis falſantibus litteras Apoſtolicas; quia iſti etiam privantur ipſo jure, & in perpetuum officijs, & beneficijs eccleſiaſticis; adeo ut ſtatim poſſint tanquam vacantia alijs conferri, ut notat Rebuffus in *prax. benefic. tit. de modis amittend. benefic. n. 48.* laici enim falſarij litterarum Apoſtolicarum non incurrunt hanc pœnam privationis beneficiorum, & dignitatum, quia Innocentius III. in *d. c. falſariorum* duas infligit pœnas, unam generalem, quæ afficit omnes Falſarios ſive laicos, ſive Clericos; & aliam ſpecialem, quæ ſolos comprehendit Clericos: prima eſt excommunicatio; hæc privatio ab omni officio, & beneficio eccleſiaſtico; unde non eſt hæc pœna extendenda ad laicos, cùm in jure tantùm exprimatur contra Clericos; qui ſi convicti ſint de crimine falſi poſt degradationem factam per Judicem eccleſiaſticum traduntur Curiæ ſæculari puniendi juxta conſtitutiones legales.

8 Hanc tamen pœnam degradationis Curiæ ſæcularis, non incurrit Clericus, qui falſificat litteras Apoſtolicas per alium, & non per ſe, quia Pontifex in *d. c. ad Falſariorum 7. h. t.* utitur his verbis: *Qui per ſe falſitatis vitium exercuerint*: unde cum Pontifex tantùm eos comprehendat Clericos, qui per ſe litteras Apoſtolicas falſant, non eſt pœna canonis extendenda ad eos, qui per ſe falſitatis vitium non exercent, quamvis per alium illud exerceant; conſtitutio enim pœnalis eſt intelligenda ad litteram, ut ſonat adeò ut pœnæ non ſint extendendæ de caſu ad caſum non expreſſum. Quòd ſi Clerici ſcienter utantur litteris Apoſtolicis falſis, quamvis eas non falſaverint, privantur omni officio, & beneficio eccleſiaſtico; non tamen ipſo jure, ſeu de facto, ſed per ſententiam Judicis, ut deſumitur *ex d. c. ad Falſariorum §. qui verò h. t.* ut ibidem notat Innocentius V. *ſpolientur*.

Quòd ſi qui ſcienter utuntur falſis litteris Apoſtolicis ſint laici, ipſo facto ſunt excommunicati; donec competenter ſatisfaciant, ut etiam ſi habentes has falſas litteras, infra viginti dies eas non lacerant, vel reſtituant. Hinc differunt falſantes litteras Apoſtolicas à ſcienter utentibus ijsdem, quia falſantes per ſe immediatè ſunt ipſo jure, ſeu de facto excommunicati, ſive Clerici ſint, ſive laici: utentes verò ſcienter falſis litteris, ſi ſint laici ſunt excommunicati ipſo facto, in quo omnes conveniunt. Sin verò ſint Clerici non ſunt excommunicati, ſed loco excommunicationis privantur officijs, & beneficijs: alioquin Clerici duplici pœnâ coërcerentur, unâ communi cum laicis, & alterâ propriâ Clericorum, quod tamen non procedit, ut habetur *in c. At ſi Clerici 4. §. fin. de judic.* niſi contrarium ſit jure expreſſum. Tum quia in pœnis interpretatio eſt ſemper mitiùs facienda juxta *reg. jur. 49. in 6.* Rurſus falſantes litteras Apoſtolicas, ſi Clerici ſint ipſo jure privantur officijs, & beneficijs; non ita utentes falſis litteris, quia iſti non privantur beneficio, & officio eccleſiaſtico ipſo jure, ſed tantùm per ſententiam Judicis. Præterea falſantes, ſi ſint Clerici degradantur à Judice eccleſiaſtico, & poſtea traduntur Curiæ ſæculari; non ita ſcienter utentes litteris falſis, quia iſtis nullo jure eſt hæc pœna injuncta. 9

10 Cæterum Falſarij litterarum Apoſtolicarum, tametſi occulti ſint, adhuc incurrunt pœnas ipſo jure inflictas, ſeu pœnam excommunicationis, & privationis ab omni officio, & beneficio; & id procedit, eo ipſo, quòd crimen commiſſum eſt, ſive actum fuerit criminaliter, ſive civiliter. Secùs pœnas per Judicem infligendas, cujusmodi eſt pœna degradationis, & traditionis Curiæ ſæculari Falſarij occulti non incurrunt, ſi agatur civiliter, benè tamen ſi criminaliter ſint convicti; & tunc abſque diſcrimine eas incurrunt, ſive actum ſit per viam accuſationis, ſivè per viam inquiſitionis, ut notat Proſper Fagnanus *in d. c. ad falſariorum 7. n. 62. h. t.* Juvat tamen obſervare, quòd pœnæ inflictæ *in d. c. ad falſariorum* non incurruntur ab Epiſcopis falſantibus litteras Apoſtolicas: ratio eſt, quia in pœnalibus Epiſcopi, & alij eccleſiaſtici Prælati eminentioris dignitatis non comprehenduntur niſi de ipſis fiat expreſſa mentio *c. quia periculum 4. de ſent. excommun. in 6.* & in *d. c. ad falſariorum* tantùm fit mentio de Clericis non verò de Epiſcopis, qui propterea non comprehenduntur in tali textu. Idque vel maximè ex eo infertur; quia non poſſunt Epiſcopi privari dignitate Epiſcopali, nec depo-

ni

ni ſine ſpeciali mandato Papæ *c. dudum 9. cauſ. 3. q. 6.*

11 In Bulla Cœnæ Domini Falſarij litterarum Apoſtolicarum etiam anathemate percutiuntu r: etenim in ſexta excommunicatione, ejuſdem Bullæ habentur hæc verba, *Excommunicamus & anathematizamus omnes Falſarios litterarum Apoſtolicarum etiam in forma brevis, ac ſupplicationum, gratiam, vel juſtitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. Eccleſiæ Vice Cancellarium, ſeu gerentis vices eorum, aut de mandato ejuſdem Romani Pontificis ſignatarum: nec non falsò fabricantes litteras Apoſtolicas etiam in forma brevis, & etiam falsò ſignantes ſupplicationes hujuſmodi ſub nomine Romani Pontificis, vel vice Cancellarij, aut gerentium vices prædictorum.* Hæc autem excommunicatio gene aliter fertur in omnes Falſarios litterarum Apoſtolicarum; tametſi Epiſcopi ſint, vel alij Prælati eccleſiaſtici dignitate ſuperiores, ut notat Fagnanus *in d. c. ad falſariorum 7. n. 57. h. t.* & rurſus prohibentur, & puniuntur duæ actiones circa litteras Apoſtolicas, quarum prima eſt falſatio Apoſtolicarum litterarum; quæ tamen actio jam antea fuerat prohibita ſub pœna excommunicationis *in d. c. ad falſariorum 7. h. t.* ſed ſine addita reſervatione ab ejus abſolutione, ut notat Navarius *in manual. c. 27. n. 62.*

12 Secunda actio, quæ prohibetur, & anathemate percutitur in Bulla Cœnæ, eſt fabricatio, & confectio litterarum falſarum, quæ actio includit gravius crimen, quàm prima.

Cæterum juvat obſervare diſcrimen inter excommunicationem inflictam *in d. c. ad*
13 *falſariorum 7. h. t.* & illam, quæ infligitur in Bulla Cœnæ Domini. Primò quia in *c. ad falſariorum* non tantùm anathemate feriuntur omnes Falſarij litterarum Apoſtolicarum, verùm etiam ipſi laici utentes falſis litteris: ſecus in Bulla Cœnæ Domini excomunicantur tantùm ipſi falſarij litterarum Apoſtolicarum, vel falſificantes, vel ſupplicationes falsò ſignantes; cæterum de utentibus falſis litteris, falsò fabricatis, aut ſignatis nulla fit ibi mentio: & quia falſare litteras, & uti litteris jam falſatis, ſunt duo diſtincta realiter, quorum unum poteſt haberi ſine alio, & in Bulla fiat tantùm mentio de falſantibus, & non de utentibus, ſequitur, utentes falſatis litteris non incurrere pœnam inflictam in Bulla Cœnæ Domini, quia in pœnalibus non debet fieri extenſio à caſibus expreſſis ad caſus non expreſſos, cùm pœnalia reſtringenda ſint non amplianda. Tum quia *ex regul. jur.*
14 *49. in 6.* in pœnis benignior pars ſemper eſt aligenda.

Secundò quia *in d. c. ad falſariorum* incurrunt excommunicationem, etiam illi, qui favent falſarijs litterarum Apoſtolicarum, vel eos defendunt, aut alio modo opem ferunt, quia Fautores, & Defenſores, eorundem ibi exprimuntur. Secus in Bulla Cœnæ nulla fit mentio de Fautoribus, ac Defenſoribus, nec diſtinguuntur falſantes litteras per ſe, vel per alios; ſed ſolùm exprimuntur falſarij, & falsò fabricantes, qui propriè ſunt tantùm illi, qui per ſe immediatè litteras Apoſtolicas falſificant, vel falſas conficiunt; proinde quia falſantes per alios non exprimuntur in Bulla cœnæ, non incurrunt excommunicationem, quæ ibi infligitur. Putàrim tamen cum Fagnano *in d. c. ad Falſariorum 7. n. 34. h. t.* quòd tametſi Bulla Cœnæ Domini ſimpliciter tantùm loquatur de Falſarijs, & non adhibeat illam diſtinctionem per ſe, vel per alios, Bulla tamen intelligi debet tam de Falſarijs per ſe immediatè, quàm mediatè per alios, quia *ex reg. jur. 72. in 6.* qui facit per alium, perinde eſt, ac ſi id per ſe ipſum faciat: quod vel maximè procedit in delictis, & deſumitur etiam *ex c. ad mulieres 6. de ſent. excomm.* ubi qui mandavit Clericum percuti, declaratur incidiſſe in excommunicationem. 15

Tertiò quia *in d. c. ad Falſariorum 7. h. t.* tantùm puniuntur falſantes litteras Apoſtolicas: in Bulla autem Cœnæ etiam puniuntur falſantes ſupplicationes à Papa ſignatas. Fagnanus tamen *in c. licet 5. n. 21. h. t.* fusè probat, falſare ſignaturam ſupplicationis Papalis, ſeu illas ſupplicationes, in quibus Papa ſcribit manu propria *fiat*, vel aliquid æquivalens, perinde eſſe, ac falſare litteras Apoſtolicas, & rationem adducit Fagnanus: quia, ſi litteræ, per quas fit expeditio diſcrepent à ſupplicatione, tunc ſtandum eſt ſupplicationi ſignatæ à Papa tanquam matrici, & non litteris, quæ corrigendæ ſunt juxta orginalem ſupplicationem.

Crimine falſi etiam tenentur adulteratores monetæ *l. 1. & 2. C. de falſa moneta*, ut notat Covarruvias *de vet. numiſ. collat. c. 8.* Qui igitur ſine legitima authoritate monetam cudit crimen falſi committit, quia illa confectio monetæ falſarionem continet, dolum, & jacturam Principis. Hoc autem crimen pluribus poteſt modis committi quoad monetam. 16

Primò, incurrit hoc crimen, qui ſine legitima authoritate monetam cudit. 17

Secundò, qui monetam cudit, vel pondere iniquo vel materia adulterina. 18

Tertiò, qui de juſto pondere monetæ detrahit abſcindendo, vel radendo: ſi tamen aliquid detrahatur monetis excedentibus juſtum pondus, & id fiat publica authoritate à Monetarijs, nullum contrahitur crimen: ſin verò fiat à privato; communior ſententia cenſet talem ut fraudatorem, & falſarium poſſe puniri; eò quia monetæ publicæ privata authoritate detrahit in damnum communitatis. 19

Quartò, qui ex materia adulterina nummos conflat, ut ſtanneos, plumbeos, ferreos, cupreos, eoſque tingit colore aureo, vel argenteo ad decipiendos ſimplices, colore, & nitu. 20

Quintò,

21 Quintò, qui nummos falſos ſtanneos, vel plumbeos, aut cupreos pro argenteis ſcienter expendit, ſive ipſe fuerit antea ab alijs ita deceptus, ſive non: immo quamvis bona fide, ſeu ignoranter quis expendat hujusmodi falſos nummos, tenetur reſarcire damnum illatum ei, qui læſus fuit, cui debet fieri compenſatio, ut notat Covarruvias *de collat. veter. numiſmat. c. 8. n. 3. & ſequent.* quinimò peccat, & poteſt etiam puniri qui nummum adulterinum alteri ſcienti, ac conſentienti donat, ſi probabiliter ſciat, eum tali nummo falſo eſſe alium decepturum, quia cooperatur ad multas falſationes inde ſecuturas, ut notat Molina *tom. 3. tractat. 2. diſput. 701. & ſequent.*

22 Sextò, qui monetas aureas, vel argenteas cudunt pœnam incurrunt ultimi ſupplicij ex conſtitutione tertia Pij V. cui initium eſt, *cùm nihil magis* edita 8. Kalendas Novemb. 1570. quam conſtitutionem confirmavit, & innovavit Urbanus VIII. in ſua conſtit. 75. quæ incipit: *In ſuprema* Idibus Novemb. 1627. & ad omnes, & ſingulas perſonas eccleſiaſticas etiam quomodolibet exemptas, cujusvis Ordinis, ſocietatis, inſtituti, nec non militiarum quarumcunque etiam Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, Regulares in omnibus, & ſingulis Provincijs, Regnis, Civitatibus, Terris, Oppidis Caſtris, & Locis intra Italiam duntaxat exiſtentibus, qui aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel aliàs adulterare, ſeu etiam quomodolibet adulteratas ſcienter erogare, aut exponere præſumpſerint, extendit, & ampliat, ac vult, ut ſi culpabiles in præmiſſis reperti fuerint prævia degradatione Curiæ ſæculari tradantur puniendi.

23 Pœnæ autem jure ſtatutæ in Falſarios monetæ jure civili plures ſunt. Prima eſt, ut cudens falſam monetam in flammas comburendus injiciatur, ſed priùs ſtrangulatur, & ut omnes ejus facultates fiſco addicantur *l. 2. C. de falſa moneta.* Et quamvis aliqui cum Gloſſa ibidem *V. nummos* id intelligant de aureis nummis, communior tamen ſententia docet, hanc pœnam jure infligi contra quoscunque falſarios monetæ, eò quia lex loquatur in genere de nummis falſis. Hanc pœnam etiam incurrunt ſocij eorum, qui falſam cudunt monetam, eisque opem ferunt, & ſcienter auxilium dant, conſilium, & favorem, vel illis concedunt domum, vel prædium, in quo illam cudant, ut notat Molina *tract. 2. diſp. 707. n. 2.*

24 Secunda, ut tondentes, vel radentes monetam, vel eam tingentes, ut appareat aurea, vel argentea ſi ſit homo liber beſtijs ſubjiciatur: ſi verò mancipium ultimo ſupplicio afficiatur *l. quicunque 8. ff. ad leg. Cornel. de falſ.*

25 Tertia, ut eâdem pœnâ plectetur qui propria authoritate monetam cudit, quamvis juſti ponderis, ac materiæ, eò quia ſibi uſurpet authoritatem Principis, cui injuriam ſimul, & damnum infert, ut notat Farinacius *q. 115. n. 20.*

Quarta ut qui monetam falſam ſciens expendit incidat in pœnam ordinariam legis Corneliæ de falſis, quæ habetur *in l. 1. §. fin. ff. eod.* quod procedit, ſi moneta ſit plumbea, aut ſtannea: non ita ſi ſit alterius metalli, ærea, argentea, vel aurea. Rurſus ſi non appareat, quòd ſint nummi plombei, vel ſtannei, punitur hoc crimen pœna extraordinaria arbitrio Judicis, ut notat Julius Clarus *§. falſum n. 38.* 26

Jure tamen canonico *in Extravag. Joannis XXII.* quæ incipit *prodiens* falſificans monetas in ære, vel figura, vel pondere, vel falſas introducens in Regnum Franciæ ſcienter, & alia circumvicina loca excommunicatur, & non poteſt abſolvi niſi à ſolo Papa. Rurſus idem Joannes XXII. *in Extravag. Commun. cap. ſpondent. h. t.* ſtatuit, ut qui faciunt alchimiam, aurum, vel argentum, & qui fieri mandat ſecuto facto, & qui miniſtrat ſcienter, & qui utuntur illo dando, tantundem de bona moneta ſolvant pauperibus, & ſint perpetuò infames, & ſi non habeant in bonis, ſolvant in perſona arbitrio Judicis, quòd ſi ſint Clerici privantur etiam beneficijs, & ſiant inhabiles. 27

Ratio, cur infligantur hæ pœnæ, affertur à D. Thoma *2. 2. q. 77. art. 2. ad 1.* quia ſi aurum, vel argentum factum ab exercentibus Chimiam veram ſpeciem non habet auri, vel argenti, eſt injuſta, & fraudulenta venditio; præſertim cùm ſint plures utilitates, & proprietates auri, & argenti veri ſecundùm naturalem operationem ipſorum, quæ minimè conveniunt auro ſophiſtico per chimiam artem facto. Tum quia verum, & probatum aurum plures habet proprietates contra morbos, quibus caret aurum fucatum, vel ſophiſticum. Præterea hæc ars conficiendi aurum ex eo etiam prohiberi, ac puniri ſolet, quia ſive viliora metalla tranſmutentur in pretioſiora, ſive non; tamen tranſmutatio eſt adeò difficilis, ut cenſeatur moraliter impoſſibilis: & qui hac detinentur arte, & exercitio alias non vident pecunias, nec alia pretioſa metalla, quàm quæ ipſi ſine ullo fructu, ſine utilitate conſumunt. 28

Crimen falſi committitur etiam in alijs rebus præſertim in inſtrumentis, & teſtamentis: qui enim teſtamentum, codicillum aliúdve inſtrumentum, vel ſcripturam immutat, vel ſupprimit committit crimen falſi *l. quid ſit ff. eod.* Hinc Notarius conficiens falſum inſtrumentum puniendus eſt ut Falſarius, ut etiam qui producit falſum inſtrumentum ſcienter, eoque utitur; licèt mitiùs puniatur, qui utitur, quàm qui condit, ut notat Clarus *§. falſum n. 16. & ſequent.* Eſt etiam falſarius Notarius, ſi inſtrumento aliquid apponat, quod verum non ſit, & tunc etiam incidit in ejus pœnam, quod etiam procedit, 29

cedit, ſi omittat ſolemnitates requiſitas in inſtrumento, vel conficiat inſtrumentum ſuper re illicita extra caſus jure permiſſos, ut notat Idem Clarus *loc. cit. n. 22.* Qui etiam teſtamentum, coditillum, vel quodvis aliud inſtrumentum, ut etiam litteras publicas, aut privatas pertinentes ad alium immutat, lacerat, cumburit, oblittetat, doloſè celat, aut ſupprimit, ne veritas appareat, incidit in crimen falſi, & puniendus eſt ut Falſarius *l. 1. ff. qui in rationibus*, ut notat Sylveſter *V. Falſarius q. 3. n. 4.* Incidit etiam in hoc crimen, qui alienum chirographum imitatur *l. quid ſit 23. ff de lege Cornel. de fals.* ut etiam qui ſigillo adulterino, & falſo alienas litteras ſignavit *l. lege Cornelia 30. ff. eod.* ut etiam qui publica edicta dolo malo corrumpit *l. penult. ff. eod.* ut etiam ſi pater ſuum filium, aut alium in ipſius poteſtate conſtitutum, vel etiam ſe ipſum in alterius teſtamento ſcribit hæredem, aut Legatarium; tunc enim teſtamentum eſt irritum, & ipſe punitur tanquam Falſarius; ut notat Julius Clarus §. *falſum n. 27.* Qui alienas litteras doloſè aperit, ac legit cum alterios injuria, vel damno injuſto incurrit hanc pœnam, non ita tamen ſi interveniat juſta cauſa eas aperiendi, ut ſi fiat jure belli, vel cauſa juſtæ defenſionis contra inimicum molientem inſidias, vel ſi, qui litteras aperit, ſit Prælatus, vel pater illius, ad quem litteræ mittuntur.

30 Rurſus qui litteras aperit alienas, ut eas oſtendat adverſario mittentis: ex quo fit, ut etiam Procuratores, & Advocati oſtendentes adverſario jura partis, poſſint pœnâ falſi puniri, ut etiam qui ſunt à ſecretis, & ſcriptores, ac Collegæ Prælatorum, qui in viſitationibus oſtendunt depoſitiones iis contra quos ſunt factæ, & notificant nomina deponentium. Qui tamen litteras alterius clauſas aperit, ut incorrat pœnam falſi, requiritur, ut doloſè ſe gerat, adeò ut eas aperiat cum alterius damno, & injuria; & tunc nec etiam punitur pœnâ ordinariâ falſi, ſed alia mitiori, & arbitraria pro qualitate delicti; ratio eſt, quia propriè non eſt Falſarius, qui etiam doloſè aperit clauſas litteras cum damno, & injuria alterius; crimen enim falſi perverſionem continet veritatis, quam non pervertit, qui ſimpliciter litteras aperit, ut eas legat, ut notat Sylveſter *V. Falſarius q. 1.* Hinc ſpeciale eſt in eo, qui aperit teſtamentum clauſum, ut incidat in pœnam falſi. Rurſus venditor, qui falſis ponderibus, vel menſuris utitur, vel adulterinam materiam minus utilem mercibus admiſcet pœnam incurrit Falſarij *l. penult. ff. ad leg. Cornel. de fals.* ut etiam qui falſum profert teſtimonium, vel falſum teſtem in judicium producit *l. 13. ff. eod.* vel qui Judicem corrumpit, vel falſis legibus, aut conſtitutionibus utitur *l. ult. ff. eod.*

§. III.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

QUæritur primò, an in dubio præſumatur falſitas commiſſa in litteris impetratis à ſede Apoſtolica? Reſpondetur negativè, ſi litteræ Apoſtolicæ formâ habeant de ſimplici juſtitia, & deprehendatur in illis falſitas, dummodo ſi impetrans eò, quòd cognoſcat illas eſſe falſas, ijsdem non utatur, idque deſumitur *ex c. accedens 8. h. t.* ubi Innocentius III. mandat, quòd ſi litteræ Apoſtolicæ falſæ deprehenſæ de ſimplici juſtitia formam habeant (cùm præſumi non debeat, quòd pro talibus litteris, quæ facilè poſſunt obtineri, fraudem quis commiſerit falſitatis) nec impetrans iis uſus eſt, poſtquam eas falſas eſſe cognovit, ei officium, & beneficium ſit reſtituendum, nec ulterius ſit moleſtandum. Ex quo textu claret, eum, qui impetravit litteras Apoſtolicas habentes formam de ſimplici juſtitia non eſſe puniendum, ſi deprehendatur in eis falſitas, ſi impetrans eò quia cognoverit, eas eſſe falſas, iis non fuit uſus. 1

Litteræ de ſimplici juſtitia illæ dicuntur, quæ dantur ad lites, ſeu commiſſiones pro illis: hæ enim facilè conceduntur etiam circa modica, proinde non præſumitur in illis dolus, ut notat Panormitanus *in d. c. accedens 8. h. t.* & *in c. 1. de præſumpt.* Tum quia quamvis re ipſa ſubeſſet dolus, adhuc non præſumeretur falſum de re tam modica: ſecus tamen contingeret, ſi litteræ eſſent de magna gratia: alioquin cùm litteræ in forma ſimplicis juſtitiæ ſint, in quibus petitur tantùm, ut juſtitia ſibi adminiſtretur, & Papa reſcribit, ut Judex delegetur ad cognoſcendum ſecundùm juſtitiam; non eſt probabile, quod impetrans ſimilia reſcripta velit illa falſare, cùm facilè poſſit ſemper ſimilia obtinere, cum Pontifex velit, ut juſtitia exerceatur, detúrque cuique ſuum: quia verò alia dicuntur reſcripta gratiæ, quæ impetrantur ad obtinendam aliquam gratiam, ſeu beneficium, ideo ſi in hiſce ſubeſſet dolus, poſſet falſum præſumi. Non tamen præſumitur quis falſum commiſiſſe, niſi convincatur, quòd ſcienter id fecerit quod procedit præſertim de his, quæ de jure alicui competunt, & facilè obtineri poſſunt, quia tunc non præſumendum eſt, falſum committi. Quod verum eſt in litteris juſtitiæ, in quibus non præſumitur falſum eſſe commiſſum ſcienter, ſeu doloſè; ſed tantùm ex ignorantia, niſi contrarium probetur: proinde impetrans ob ignorantiam ſemper excuſatur, dummodo ſtatim deſiſtat uti litteris impetratis, poſtquam ſcivit, eas eſſe falſas. In litteris verò gratiæ impetratis à Papa, ſi deprehendatur falſitas, attendenda eſt qualitas perſonæ impetrantis, & quantitas gratiæ impetratæ; ſecun- 2

eundùm enim has circumſtantias præſumitur crimen falſi in iiſdem commiſſum, ut notat Hoſtienſis *in d. c. accedens 8. §. ſi verò h. t.*

Quæritur ſecundò, quomodo litteræ A-
3 poſtolicæ ſint nullæ ex taciturnitate veri? Reſpondetur, reſcriptum gratiæ ſubreptitiè obtentum eſſe ipſo jure nullum: dicitur ſubreptitiè obtentũ, eò quia in illo fuit verum ſuppreſſum, proinde reſcriptum eſt nullum ex defectu, conſenſûs Papæ illud concedentis: concedit enim Papa reſcripta ſemper ſub haec conditione, *ſi preces veritate nitantur*: & ob ſuppreſſionem veri preces non nituntur veritate, & reſcriptum dicitur provenire ab ignorantia concedentis, dicitúrque ſubreptitium, ac ſubreptitiè impetratum. Reſcriptum verò juſtitiæ eſt irritandum ope exceptionis, quia non eſt tanti præjudicij, quanti reſcriptum gratiæ. Ut autem cognoſcatur, cujúsnam veritatis taciturnitas, & expreſſio falſitatis reſcriptum vitiet, ſolet tradi regula generalis, quâ ea dicuntur exprimenda, quæ à jure præſcribuntur exprimenda: oomine tamen juris noo ſolùm intelligitor jus ſcriptum, ſed etiam ſtylus Curiæ, imò & ipſa conſuetudo, cùm hæc obtineat vim legis. Ex iis autem, quæ jure præſcribuntur exprimenda, aliqua ſunt, quæ dant cauſam conceſſiooi, quia aliàs reſcriptum oon concederetur.

4 Idque poteſt in pluribus caſibus contingere. Primò ſi quis in eadem materia duo reſcripta, vel privilegia impetret, io qoorum primo fiat reſtrictio, & in ſecundo ampliatio in præjudicium tertii, tunc in ſecondo reſcripto, ejúſque petitione debet mentio fieri primi, & caſus habetur io *c. penult. de reſcript.* ubi Innocentius III. declaravit ſecuodum reſcriptum eſſe ſubreptitium, & irritum quantum adhoc, quia limites prioris privilegij excederet, & in ſecundo nulla facta fuit mentio primi.

5 Secundò, ſi Titius adverſarius Caij ſive ſolus, ſive communi conſenſu impetravit à Papa reſcriptum delegans cauſam Jodicibos determinatis, & expreſſis, & poſtea, Cajus petat ab eodem Pontifice reſcriptum delegans eandem cauſam alijs judicibus, tenetur Cajus prioris reſcripti ab adverſario impetrati mentionem facere: alioquin ſecundum reſcriptum nullum ſortiretur valorem; & ope exceptionis poſſet elidi manente priore reſcripto io ſuo valore, ut reſcripſit Alexander III. in *c. ceterum de reſcript.* ſecus tameo ſi primum reſcriptum ex negligentia intra annum non fuiſſet Judicibos præſentatum, ut habetur io *c. plerumque eod. tit.* ſin verò ſine culpa non fuir præſentatum, tunc competit exceptio contra ſecuodum reſcriptum *c. ſi autem eod. tit.*

6 Tertiò, ſi habens beneficiom quantumvis modicum, velit imperrare reſcriptum ad beneficium aliod ſibi providendum, debet mentionem facere de priori beneficio, quamvis modico: alioqoin ſecondum reſcriptum cenſetur ſubreptitinm, utpote impetratum ſuppreſſa veritate, quæ ſi Papæ innotuiſſet, probabiliter non ita reſcripſiſſet: quia hujuſmodi litteræ emanant pro Clericis pauperibus nullom habentibus beneficium, ut reſcripſit Innocentius III. in *c. poſtulâſti de reſcript.*

Quartò, eſt etiam in petitione ſecundi reſcripti mentio facienda de reſcripto ad proviſionem beneficij impetrato, tametſi priori reſcripto renuntiatum ſit: alioquin ſecundum reſcriptum eſt ipſo jure irritum; & reſcindendum, quidquid ejus prætextu actum fuit, ut declaravit Honorius III. io *c. ad audientiam de reſcript.* 7

Quintò, receptus in Canonicum alicujus Eccleſiæ, ſi præbendam nondum ſit conſecutus, adeo ut ipſi tantùm competat jus ad rem, non jus in re, ſi velit impetrare reſcriptum ad aliud beneficium in alia Eccleſia, debet mentionem facere admiſſionis in Canonicum, ut reſcribit Gregorius IX. in *c. in noſtra de reſcript.* Aliud tamen eſſet, ſi Canonicatus, ut etiam aliud beneficium fuiſſet tantùm oblatum, & oondum acceptum. 8

Sextò, ſi conſuetudo, vel ſtatotum alicujus Eccleſiæ reſiſtat collationi alicujus beneficij. tunc qui impetrat reſcriptum, ot non ſit ſubreptitium in petitione debet mentionem facere hujos conſoetudinis, vel ſtatuti, & deſumitor ex *c. conſtitutus de reſcrip.* 9

Septimò, exprimendum eſt etiam in ſupplicatiooe pro imperratinne beneficij, quod impetrans ſit Clericus, ot habetur *in c. cum adeo de reſcript.* ſiquidem laicus eſt incapax beneficij eccleſiaſtici. 10

Octavò, in impetratione reſcripti maodantis reſtitutionem cootra Judicem, à quo quis ſpoliatus eſt, exprimi etiam debet cauſa ſpoliationis, quæ ſit in reſcripto etiam expreſſa; alioquin hoc cenſetur ſubreptitium, quia præſumptio ſemper ſtat pro Judice. 11

Quæritur tertiò, quomodo reſcriptom irritetur ex defectu cauſæ motivæ, finalis, aut impulſivæ? Reſpondetur, reſcriptum non ſolùm irritari, eò quia in ipſo taceatur verum, & dicitur reſcriptum *ſubreptitium*; verùm etiam quia in ſupplicatione narretur falſum, quod det cauſam conceſſioni, & vocatur reſcriptum *obreptitium*, ſcilicet ob expreſſionem falſi, & dicitur provenire ab errore: & ſolet procedi cum diſtinctione, ao litteræ cum ſuppreſſione veri, aut ſuggeſtiooe falſi impetratæ fuerint per malitiam, aut dolum impetraotis; an verò per ſimplicitatem, & ignorantiam, priori modo in pœnam delinquentis litteræ cenſeotur irritæ, adeò ut poſtquam Judici dolus innotuerit, teneatur is ſuperſedere à cauſæ cognitione. 12

In ſecundo caſu attenditur, an Papa oihilominus litteras illas dediſſet, tametſi veritas aperta fuiſſet, & falſitas intermiſſa, ſaltem juxta formam juris communis; ſi dediſſet, tunc Judex procedit ad cognitionem cauſæ ſecundùm ordinem juris communis; ſi non dediſſet, non poteſt Judex procedere, & id valetiam 13

pro reſcriptis juſtitiæ, quàm pro illis gratiæ ſervata tamen proportione. Alij aliter diſtingont, & dicunt, quòd ſi litteræ dolo impetratæ contineant plura capita ſeparata, & dolus ſolùm ſit commiſſus quoad unum, non quoad alterum, non vitiatur reſcriptum, niſi quoad illud caput, in qno dolus commiſſus eſt, ita reſpondent plures cum Zœſio, Vallenſis tamen in ſuis paratit, & Fagnanus volunt, tunc reſcriptum vitiatum in totum ob verba illa textûs: *In ſua perverſitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum conſequatur.* Verùm hæc verba communiter ſolent explicati quatenus vi litterarum, ne quidem in forma juris communis procedi poſſit, ſicut poteſt procedi, quando ſimplicitas, aut ignorantia fuit cauſa ſubreptionis: unde contraria ſenrentia eſt valde probabilis, præſertim cum *ex regula juris 37. in 6. Utile per inutile non debeat vitiari.*

14 Exemplum ſubreptionis provenientis ex ſimplicitate, vel ignorantia, & vitiantis reſcriptnm, affert Fagnanus *n. 65.* ut ſi impetretur à Papa reſcriptum ſuper re ſeudali nulla facta mentione, quòd ſit feudalis, quia tunc Papa veriſimiliter non ſe intromiſiſſet in re feudali, niſi fortâſſis in defectum non adminiſtratæ juſtitiæ.

15 Exemplum nollitatis litterarum non omnimodè ex narratione falſi per errorem, habetur, quando quis in precibus errore deceptus narraret in ſua Provincia moris eſſe, ut tales cauſæ ſummariè, & de plano ſine figura, & ſtrepitu judicis expediantur, tunc quamvis reſcriptum non valeret in ordine ad inſtituendum ſummarium proceſſum; valeret tamen ad inſtitoendum proceſſum ſecundùm formam juris communis, niſi fortâſſis pars contraria ultrò conſentiret in proceſſum ſummarium.

16 Hinc ex defectu cauſæ finalis ſimpliciter motivæ vitiatur reſcriptum, quia tunc deficit conſenſus Principis. Ex defectu cauſæ purè impulſivæ, quâ abſente fuiſſent quidem litteræ in eadem forma conceſſæ, ſed non ita facilè promptæ, & expeditæ, communior ſententia eſt, reſcriptum etiam vitiari, ac fieri ſubreptitium, non minus ac ceſſante cauſa finali.

17 Alij verò præſertim Theologi negant, ex defectu cauſæ purè impulſivæ reſcriptum vitiari. Et poteſt hæc ſententia probari *ex l. cum tale 72. §. 6. ff. de condit. & demonſt.* ubi falſa cauſa, quâ movebatur legans, tùnc tantùm facit inutile legatum, ſi teſtator ſciens cauſam eſſe falſam non fuiſſet legaturus; ratio etiam à priori eſſe poteſt, quia eatenus reſcripta per ſubreptionem vitiantur, quatenus deficit conſenſus Principis: ob falſitatem autem cauſæ merè impulſivæ conſenſus Principis non deficit, quia qood quis difficulter vult, adhuc dicitur velle. Tum quia donatio non obſtante falſitate cauſæ merè impulſivæ adhuc valida eſt.

Quæritur quartò, undénam cognoſci poſſit, quæ ſit cauſa finalis, & quæ merè impulſiva? Reſpondetur, quòd ſi cauſa in ſupplicatione allata eſt tantum unica, & indiviſibilis, ut periculum incontinentiæ pro diſpenſatione in voto caſtitatis, tunc talis cauſa eſt finalis: & ſine illa in precibus expreſſa non cenſetur Princeps velle gratiam facere, niſi dicat, ſe illam facere motu proprio. Quòd ſi plures cauſæ præter periculum incontinentiæ concurrant, præſertim neceſſitas propagandi familiam illuſtrem: tunc illa præ cæteris habetur pro cauſa finali, ſaltem partiali, quæ in prudentum judicio præfertur alijs, & ſi cæteræ eſſent omittendæ excepta una, hæc ſola retineretur, & cæteræ omitterentur; hæc tunc, quæ reſervatur, & pluris fit, quàm cæteræ, cenſetur ex natura ſua eſſe apta ad fortiùs movendum. Sin verò cauſa talis ſit, ut in ſupplicatione ſoleat quandóque afferri pro cauſa unica, & adæquata, tunc hæc habet rationem cauſæ finalis, & alia, quæ eidem adnectitur, eſt cauſa purè impulſiva; tameſi talis eſſet, quæ ſi ſola poneretur, adhuc poſſet habere rationem cauſæ finalis. Sin verò ex ſtylo Curiæ, aut alijs reſcriptorom formulis colligi non poſſit, quænam ex duabus cauſis in ſupplicatione allatis prævaleat, tunc ambæ cenſentor habere rationem cauſæ finalis, cùm non ſit major ratio de una, quàm de altera. 18

Quæritur quintò, an qui reticet in ſupplicatione defectum ætatis requiſitæ ad capacitatem gratiæ, quam petit, ut ad imperrandum beneficium curatum, ſi poſt obtenium reſcriptum ante ejus executionem acquirat debitam ætatem præviſio facta ſit valida, vel potius ob reſcripti ſubreptionem, nulla? Reſpondetur, reſcriptum eſſe ſubreptitium, proinde proviſionem eſſe invalidam; ratio eſt, quia cum litteræ tempore impetrationis fuerint ſubreptitiæ ob taciturnitatem defectus ætatis, quiſ ſi innotuiſſet Pontifici, non conceſſiſſet reſcriptum: ideo ab initio fuit reſcriptum nullum, conſequenter tractu temporis non poteſt convaleſcere juxta *regul. jur. quod ab initio eſt irritum tractu temporis non convaleſcit.* Secus tamen eſſet, ſi reſcriptom præſcinderet à beneficio curato, & non curato, tunc ſi tempore datæ, ſeu reſcripti impetrans fuiſſet incapax beneficij curati; & ſi proximè vacans beneficium eſſet curatum, poſſet vigore reſcripti conferri impetranti, quia tunc reſcriptum ab initio non fuit vitioſum, non enim opus fuit exprimere in eo defectum ætatis ad beneficium curatum, cum illud determinatè non fuerit petitum. 19

Quæritur ſextò, quomodo reſcriptum vitietur ex falſa adjectione qualitatis? ſupponendū eſt, qualitates, quæ ſolent in reſcriptis adjici, eſſe dupliciis generis; aliæ enim ſolent adjici ad demonſtrandum ſubjectum, ſeu perſonam, vel rem aliam. Aliæ quibus rei alioquin indeterminatæ fit determinatio ad unum V. C. ſi 20

tella-

teſtator volens legare certam pecuniam Cajo, dirat: lego Cajo totam illam pecuniam, quæ continetur in tali ſcrinio, arca, vel armario? Reſpondetur, quòd quando error commiſſus eſt circa qualitatem primi generis, tunc reſcriptum Principis per talem errorem, non fit obreptitium, ſi aliunde conſter de re, quam Princeps volebat demonſtrare, & de intentione dandi reſcriptum etiam ſecluſo errore, idque deſumitur ex §. *29. inſtit. de legat.* ubi dicitur, quòd ſi in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarij legans erraverit, ſi de perſona conſtet, valeat nihilominus legatum. Sin verò error ſit circa qualitatem ſecundi generis, per cujus adjectionem fit determinatio ad unum; tunc error conſtituit reſcriptum obreptitium, & nullum: ſi enim duo clerici impetrârunt litteras pro beneficio vacante, ſi unus in ſupplicatione dixerit, tale beneficium vacare per mortem, quod eſt falſum; & alter per reſignationem, quod eſt verum, tunc reſcriptum primi clerici eſt obreptitium, & beneficium vacans per reſignationem adjectam reſcripto, eſt conferendum ſecundo: ratio eſt, quia falſitas determinationis oſtendit aliam eſſe Principis mentem.

21 Quæritur ſeptimò quomodo crimen falſi committatur circas Teſtes? Reſpondetur, teſtem qui ſcienter, & dolo malo in judicio dat falſum teſtimonium, committere crimen falſi; id enim deſumitur ex *c. falſidicus 1. h. t.* ubi dicitur, quod teſtis falſus ſit obnoxius tribus perſonis, Deo, Judici, & Innocenti, eò quia Deum offendit, Judicem deludit, & Innocenti damnum infert; & quarenus Deum offendit, ſeptem anni pœnitentiæ illi injunguntur, *c. quicunque 6. q. 1.* Prout deluſit Judicem, incurrit infamiam *c. quisquis convictus 12. q. 5.* & tunc verberibus punitur *c. illi, qui 5. q. 5.* vel extraordinariè ad arbitrium Judicis. Quatenus proximum læſit, punitur juxta modum, & menſuram læſionis *c. nihilominus 3. q. 9.* Cæterum teſtis occultans veritatem eſt etiam Falſarius, & tenetur de crimine falſi, ſi interrogatus à Judice ſuper certo articulo dicit ſe nihil ſcire, vel quando juravit dicturum ſe puram veritatem, & illam tacendo ſuppreſſit: ſecus ſi juravit ſolùm ſimpliciter ſe reſponſurum ad interrogata, quia tunc ſi non interrogatus taceat veritatem, non tenetur de falſo *argu. c. cùm dilecti 18. de accuſat.* quia ſufficit, ſi reſpondeat ad interrogata.

22 Quæritur octavò, an damnatus per ſententiam Judicis, eò quia falſum condiderit teſtamentum, ſéque geſſerit ut Notarium, fiat irregularis? Reſpondetur affirmativè, quia omne crimen tametſi mediocre, ſi punitum ſit ſententia Judicis, inducit infamiam juris, conſequenter etiam irregularitatem *c. palam ff. de ritu nupt. l. infamem ff. de public. judic. c. infames §. porro 3. q. 7.* & notant Tuſellus *V. infamia conclus. 107. n. 3.* Felinus in *c. teſtamentum. n. 15. de teſtib.* Ratio eſt, quia Ordo eccleſiaſticus eſt dignitas *l. jubemus §. ſervus in fin. C. de Epiſc. & ſerv. c. cùm de tua de corpore vitiat.* ergo quocunque modo quis laboret infamiâ, fit inhabilis, ut promoveatur ad ordinem clericalem *l. a. C. de dignit. c. inter dilectos de exceſſ. Prælat.* Siquidem infamis tanquam indignus repellendus eſt à dignitate, & cùm ordo eccleſiaſticus ſit dignitas, qui laborat infamiâ excludendus eſt ab ordine clericali; & qui per ſententiam Judicis punitur, eo ipſo incurrit infamiam juris, conſequenter irregularitatem.

23 An verò perſolutâ pœnâ inflictâ per ſententiam, adhuc perſeveret infamia, proinde etiam irregularitas; communior ſententia eſt affirmativa, adeò ut ſemel damnatus per ſententiam Judicis indigeat diſpenſatione, ut poſſit promoveri ad ordines eccleſiaſticos. Docent communiter, irregularitatem facti, quia non eſt propriè irregularitas tolli per pœnitentiam, & reſipiſcentiã ipſius irregularis: ſecus irregularitatem juris non tolli niſi per diſpenſationẽ; eò quia hæc ſit propriè irregularitas, ut docent Navarrus *c. 27. manual. num. 204.* Layman *lib. 1. theol. moral tractat. 5. p. 5. c. 4. n. 9.* Sayrus *lib. 7. de cenſur. c. 2. n. 14.* Julius Clarus *lib. 5. ſent. §. ult.* Cùm igitur hæc infamia non ſit ex ſolo proprio facto, ſed originem traxerit etiam à ſententia Judicis condemnatoria, ideo non poteſt ex ſolo proprio facto tolli, ſed ad id requiritur etiam authoritas Judicis: ſiquidem *ex regulis juris. Per quas cauſas aliquid naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.* Verùm quia hæc irregularitas non eſt ex jure annexa delicto, ſed tantùm oritur ex delicto unito per ſententiam judicis, ideo potuit Epiſcopus in ipſo diſpenſare, ut notat Panormitanus *in c. fin. de temp. ordin.* Siquidem hujusmodi infamia, & irregularitas, quæ ex illa ſequitur non eſt directè poſita à jure canonico, ſed tantùm indirectè, eò quia oriatur ex ſententia Judicis condemnantis de delicto, ex quo ſequitur infamia; proinde tolli poteſt ab eo, qui potuit condemnare. Tum quia hæc irregularitas non eſt reſervata: ſi enim condemnando potuit ponere impedimentum, poteſt etiam illud tollere, quia ad eandem juriſdictionem pertinet ligare, & ſolvere.

Quæritur nonò, an licitum ſit Notario fingere aliquam ſcripturam tanquam authenticè factam in tempore antecedente, ſi nulli ſit præjudicio? Videtur reſpondentum affirmativè, quia eo ipſo, quòd ſcriptura nulli eſt præjudicio; nec ullum infert damnum, non poteſt fundare crimen falſi, pro quo requiritur, ut immutatio veritatis ſit cum præjudicio alterius, ut docent Myſingerus §. *item lex Cornelia de fals. inſtit. de public. judic.* Farinarius *in pract. quæſt. 150. de falſit. & ſimul. p. 1. n 3.* & deſumitur etiam ex *l. 1. init.* & *l. quid ſit falſum ff. ad leg. Cornel. de fals. & novel. 73. init.* quia ea eſt natura doli, ut ſit ad decipiendum, & circumveniendum aliquem *l. 1. §. eſt autem. ff. de dolo.* 24

Verùm contraria ſententia communior eſt, ac verior, cui adhærendum omnino pu-

to, quia propriè tunc committitur crimen falſi, quando immutatur veritas: atqui in caſu noſtro, cùm Notarius fingat, ſcripturam authenticè factam pro tempore, quo non erat authenticè facta, habetur procul dubio mutatio veritatis, quia cùm non ſit facta ſcriptura aliqua publica & authentica in certo aliquo tempore, fingitur eſſe facta, conſequenter inducitur ſcriptura falſa pro vera.

26 Neque ex eo, quòd nullum ſequatur damnum tertio talis Notarius declinat crimen falſi: ſiquidem, quod ex mutatione veritatis ſequatur damnum tertij, vel non, id per accidens ſe habet, quia ad eſſentiam criminis falſi ſufficit, ſi habeatur immutatio veritatis, ex qua poſſit præjudicium ſequi; quævis autem ſcriptura falſa, vel ficta pro authentica, cùm de facto non ſit talis, ex natura ſua potens eſt damnum inferre: quòd verò non inferat, id per accidens ſe habet, ut notat Julius Clarus *lib 5. ſent. §. falſum V. item excuſatur.*

27 Hinc in ſententia communi Notarius ſi in inſtrumento ponat, pecuniam fuiſſe numeratam; & de facto nulla fuerit pecunia numerata, committit crimen falſi; tametſi exinde nulli inferatur damnum. Tum quia non eſt neceſsè, ut alteri inferatur damnum ad hoc, ut incurratur crimen falſi; ſed id tantùm requiritur, ut Falſarius puniri poſſit pœna ordinaria jure inflicta contra falſarios, ut deſumitur *ex l. ſi quis in pignore § fin ff. de pignor. act.* ut notat Julius Clarus *lib. 5. ſent. §. falſum n. 35.* alioquin Falſarius ſemper puniri debet pœna extraordinaria ſi ex ſua falſatione nulli fiat præjudicium, ut notat Gaillus *lib. 1. obſervat. pract. obſer. 100. n. 7.* Quamobrem tametſi falſitas nulli ſit damno, adhuc tamen committitur crimen falſi; & Falſarius punitur pœna extraordinaria, ut docent Decius *conſil. 175.* Marſil. *l. 1. §. præterea. n. 63. ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* ubi aſſerit, eſſe ſententiam communem, cui adhæret etiam Menochius *lib. 2. de arbit. cas. 306. n. 106.*

Præterea in caſu noſtro Notarius grave infert præjudicium officio ſuo publico cùm violet fidem publicam, quam in conficiendis ſcripturis tenetur ſervare, unde notabile infert communitati præjudicium, cui ex officio tenetur fidem ſervare: unde cùm violatio fidei contineat grave præjudicium, ut notant Tiraquel *in l. 13. connub. n. 42.* Menochius *conſil. 156. n. 22.* procul dubio Notarius ille incurrit crimen falſi, præſertim cùm violatio fidei ſit publica in ordine ad actus publicos, in quibus ſervari debet ſinceritas & fidelitas, ut indemnis ſervetur publica utilitas, quæ graviter læditur, ſi à publico Notario fides publica violetur. Tum quia cùm Notarij jurent ſe ſervaturos fidelitatem quoad ſcripturas publicas, utique ſi fingant factam aliquam ſcripturam, quę revera facta non fuit, agunt contra juramentū, adeóque peccant lethaliter ob grave præjudiciū, quod infertur fidei publicæ, quæ propterea in re gravi violatur, etenim fides publica etiam ipſis inimicis ſervanda eſt *l. conventionum. ff. de pact. c. noli 23. q. 1.* 28

TITULUS XXI.

De Sortilegijs.

CUm Compilator in præcedenti titulo egiſſet de crimine falſi, & ſortilegia falſitatem etiam in ſe contineant, eò quia ſortilegi per ſortes homines fallant; ſiquidem ſoliùs Dei eſt futura noſſe; ideo agit hic de crimine ſortilegij ob affinitatem, quam habet cum crimine falſi. Agitur in jure canonico de ſortilegijs 26. *q. 5. & ſequent.* & in præſenti titulo de ſortilegijs.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Trium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *IN TALIBUS 1, h. t Ex Pænitentiali Romano ſtatuitur, ut qui præſumit inquirere furta ſortilegiis, vel obſervare aliquas divinationes, debeat pænitere 40. dies. In hoc textu prohibentur ſortes divinatoriæ, quibus futura, vel occulta, præſertim furta, quorum authores ignorantur, ſolent à plebe indagari; ut ſi plures cartulæ conjiciantur in urnam, quarum uni ſit inſcriptum nomen Petri, quam ſi Conjector extrahat, dicat furtum fuiſſe à Petro commiſſum, eò quia ejus nomen eduxerit ex urna. Cæterum nonnunquam permittitur aliquid fieri per ſortem, quia ſors de natura ſua non eſt mala, immo poteſt ex pia intentione per ſortem explorari divina voluntas, ut D. Antonius, qui veluti ſortiturus vitæ ſtatum ex evangelij lectione templum ingreſſus cum audiiſſet* vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, *credidit ſe ſorte quaſi divinitus miſſa vocari ad mundi con-*

tem-

temptum, & ad ſtudia conſiliorum evangelicorum.

C. *EX TUARUM 2. h. t. Alexander III. declarat Presbyterum, qui per inſpectionem aſtrolabij furta inveſtigat, tametſi ſint bona eccleſia, & ex bono zelo, & ſimplicitate id faciat, eſſe nihilominus ſuſpendendum ab altaris miniſterio per annum, ſi ita viſum fuerit Epiſcopo. Ubi notat Gloſſa, pœnam eſſe arbitrariam ſupra annum, non tamen infra. Ceterum qui utitur ſortilegiis, ſi ſit laicus privatur communione: ſin verò Clericus poteſt privari officio, & beneficio* c. non oportet 26. q. 5.

C. *ECCLESIA ULT. h. t. Honorius III. reſcribit capitulo Lucano, Epiſcopum non eſſe eligendum per ſortem; & damnat electionem per ſortem, immo etiam prohibet, ne compromiſſarius eligatur per ſortem. Caterum quamvis ſors nihil mali in ſe contineat & homines utantur ſortibus in controverſiis, & litibus dirimendis, in hereditatibus, poſſeſſionibus & lucris dividendis, in officiis, & honoribus, ac dignitatibus diſtribuendis: nihilominus conſultius eſt, ut electiones ad dignitates eccleſiaſticas non fiant per ſortes, tametſi ante hanc decretalem potuerint in eccleſia fieri ad ſedanda gravia diſſidia, vel ex alia gravi cauſa non tamen ſine urgente neceſſitate permittuntur electiones fieri per ſortes. Caterum hac prohibitio non extenditur ultra electiones propriè dictas: ſi enim dubium ſit quis ex pluribus preſentari debeat ad beneficium non electivum poteſt id per ſortes explorari. Notat Gloſſa in hoc textu, quòd ſi detur facultas tribus eligendi Epiſcopum, non poſſint eligere unum ex ipſis tribus, eò quia omnes tres ſimul habeant poteſtatem eligendi, adeò ut duo ſine tertio non poſſint eligere, nec factum valere, & neminem poſſe ſe ipſum eligere conſtat ex* c. cum ad noſtram de inſtit. *Sin verò poteſtas fuit data eligendi unum, vel ex ſe, vel ex aliis, tunc duo poſſunt eligere tertium.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſint ſortilegia, & num licita.

1 SOrtilegi ait Iſidorus *in can. 1. 26. q. 1.* dicuntur, qui ſub nomine fictę religionis per quaſdam ſortes divinationis ſcientiam profitentur; vel quarumcunque ſcripturarum inſpectione futura promittunt, hinc Sortilegi ſunt, qui per ſortes futura contingentia, fortuita, vel etiam præſentia omnino occulta, ut etiam præterita, quæ prorſus ignorantur, denuntiant, & manifeſtant. In jure canonico ſortilegium interdum laxè ſumitur, ita ut quamlibet etiam magicam ſuperſtitionem ſignificet. Et interdum ſtrictiùs. Et tripartitur in ſortes diviſorias, conſultorias, & divinatorias. Sortes diviſoriæ tunc habentur, quando indicio ſortium quæritur quid, cui tribuendum ſit, ſive illud ſit res poſſeſſa, ſive honor, ſive pœna, ſive functio aliqua. Unde ſortibus diviſoriis utuntur homines in controverſiis, & litibus dirimendis, in hæreditatibus, poſſeſſionibus, lucris, & aliis bonis communibus dividendis; in honoribus, dignitatibus, publicis adminiſtrationibus diſtribuendis, in Magiſtratibus eligendis, & aliis rebus diſcernendis, ut ſi duo proponantur æquè idonei, & digni, aut æquè indigentes, & eorum alterutri ſit jus, vel emolumentum, aut commodum conferendum, ſolet lis tunc, & controverſia ſorte dirimi.

2 Certum eſt, ſortes diviſorias, in quibus eventus rei ſubjicitur fortunæ, non eſſe illicitas, dummodo non excludatur divina providentia, quæ ſortes dirigat, aut permittat & ſi fiant ob neceſſitatem, & utilitatem, vel ex juſta cauſa *c. 1. cauſ. 26. q. 2.* ubi expreſsè dicitur, quòd ſors non ſit aliquid mali, ſcilicet ex natura ſua, niſi ob circumſtantiam aliquam accidentariam deturpetur, fiatque illicita. Ratio eſt, quia per ſe nullam continet ſuperſtitionem, nec divinationem, neque injuſtitiam cùm fiat ex contractu, & conventione voluntaria inter eos, qui ad rem aliquam jus æquale habent, tunc enim poſſunt licitè habentes tale jus uti ſortibus diviſoriis, ut res ſit illius, cui ſorte obtigerit: unde ſortes diviſoriæ non ſunt illicitæ, immo etiam plurimum nonnunquam præſeferunt utilitatis in litibus dirimendis. Hinc D. Auguſtinus *lib. de doctrina chriſt. c. 18.* ait, *ſi tibi abundaret aliquid quod oporteret dari eis, qui non haberent, nec duobus dari potuiſſet: ſi tibi occurrant duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel urgente aliqua neceſſitate ſuperaret, nihil juſtiùs faceres, quàm ut ſorte eligeres, cui dandum eſſet, quod dari utrique non poſſet.* Hinc in rebus externis, & aliis, quæ aliter commodè diſtribui non poſſunt, licitè poſſumus uti ſortibus diviſoriis, qua ratione hæreditates, & alia bona communia frequenter ſorte dividuntur.

3 Inter milites uſus ſortium diviſoriarum eſt etiam frequens, ſi enim aliquod propugnaculum per aſſultum ſit invadendum, ſorte inter milites diverſarum nationum decidi ſolet, quæ natio debeat prior propugnaculum aggredi: rurſus ſi plures milites graviter deliquerint, ut morte ſint plectendi, ne omnes moriantur, quod cederet in damnum exercitûs,

tium obtingit, quia per hujusmodi ſortes divinatorias furtum imputatur ei, qui nunquam fuit fur, & res dicitur apud illum eſſe, qui illam nunquam vidit. Tum quia non eſt probabile, Deum ſortes illas temperaturum ad præſignanda futura, vel aperienda occulta: quamobrem nonniſi temerè Deus dicitur moderator illarum ſortium in ordine ad præſignanda futura, vel aperienda occulta. Neque expectanda eſt ab Aſtris, quia id perinde eſſet, ne actiones humanas ab Aſtris omnino dependentes conſtituere, & Fato ſubjicere: non enim poſſunt ſortes futuris accommodari vi Aſtrorum, niſi hæc influant in tales eventus futuros: ſicque cùm influxus Aſtrorum ſint naturales, & neceſſarij, humanæ actiones etiam neceſſariæ forent. Neque hæc moderatio ſortium expectanda eſt à caſu, quia ex eo, quòd ſortes caſu hoc, vel illo modo cadant, eſt omnino caſuale, & nihil præſignari poteſt. Si demum hæc moderatio expectetur à dæmone jam ipſi tribuitur futurorum prænotio, & ipſe tacito quodam pacto tunc invocatur, ut ſortes regat, præſignatúmque effectum procuret.

14 Nihilominus non ſemper in his ſortibus graviter peccatur, ſi non expreſsè petatur, vel expectetur revelatio futurorum, aut occultorum à dœmone, vel à fato quodam ſydereo, vel caſu. Fiunt enim perſæpe ex quadam vanitate, & potiùs levitate, & cum proteſtatione in contrarium, quod ſortientes nullum intendant pactum explicitum, nec implicitum cum dœmone: quin potiùs ſi interrogentur, reſpondent, nullam à ſe fidem adhiberi hiſce ſortibus, & fatentur omnia à divina providentia oriri: unde tunc nonniſi leviter cenſentur delinquere. Cæterum licèt ex levitate, & curioſitate homines nonnunquam ſortibus hiſce utantur divinatorijs, id tamen approbari non debet, Unde D. Auguſtinus *epiſt. 219.* ait: *Hi, qui de paginis evangelicis ſortes legunt & ſi optandam ſit, ut id potiùs faciant, quàm ut ad dæmonia conſulenda concurrant: mihi tamen diſplicet hæc conſuetudo ad negotia ſæcularia, & ad vitæ hujus voluptates velle divina oracula convertere:* ex quo liquet, D. Auguſtinum expreſsè ſolùm damnare ſortes divinatorias ex apertione divinorum librorum ſi ad finem temporalem vanum, & curioſum dirigantur,

15 Cæterum poſſe ex pia intentione hac ratione explorari divinam voluntatem, videtur ipſe exemplum dediſſe *lib. 8. confeſſ. c. 12.* ubi Deo ſuggerente per vocem illam *tolle lege, tolle lege* credidit ſecura ſortitione ſibi id faciendum, quod in primo apertæ ſcripturæ capitulo legendum inveniſſet; & videtur ſecutus D. Antonium, qui veluti ſortiturus vitæ ſtatum ex evangelij lectione templum ingreſſus cùm audiviſſet illud Chriſti Matth. 19. *Vade, vende omnia, quæ habes*: credidit ſe ſorte veluti divinitus miſsá vocari ad evangelica conſilia, & mundi contemptum.

Jure canonico uſus ſortium in electione ad Prælaturas, & ad alia beneficia eccleſiaſtica prohibetur, & deſumitur *ex c. eccleſia ult. h. t.* ubi Honorius III. cùm Capitulum Lucanum vacante ſede Epiſcopali unum ex ſuis elegiſſet per ſortem, qui tres eligeret, per quos vice omnium Lucanenſi provideretur Eccleſiæ de Paſtore, quorum duo tertium Magiſtrum Robertum elegerunt, eò quia expreſsè id eſſet ipſi licitum ſecundùm poteſtatem à Capitulo ipſis traditam: Pontifex examinato proceſſu licèt nota, & reprehenſione non careret ob ſortem in talibus intervenientem, electionem celebratam quidem confirmavit, ſed ſortis uſum in electionibus perpetua prohibitione damnavit. Unde ex hoc textu liquet, Epiſcopum non eſſe eligendum per ſortem, immo neque Compromiſſarium, nec ulla alia officia, & beneficia eccleſiaſtica, quia indiſtinctè Honorius III. prohibet uſum ſortis in electionibus, proinde non ſolùm ad beneficia, ſed etiam ad officia, & eccleſiaſticas adminiſtrationes. Et ratio ex eo petitur, quia alioquin ſors facilè poſſet indignis favere, qui propterea præferendi eſſent dignis, & dignioribus in officiis, & beneficiis eccleſiaſticis, quod in ſummum cederet eccleſiaſtici regiminis detrimentum. Tum quia per electionem ſorte factam Deus videtur tentari, ut per miraculum revelet, quis ex pluribus ſit eligendus. Hinc jure canonico electiones per ſortes ad officia, & beneficia eccleſiaſtica omnino prohibentur, & in *c. quia propter 42. de elect.* ponitur triplex electionum forma, & excluditur electio per ſortes. 16

17 Hinc ſi duo pari numero ſuffragiorum ad officium, vel beneficium aliquod eligantur, non poteſt per ſortes terminari, ut electio ſit illius, cui ſors contigerit; quia *in d. c. Eccleſia ult. h. t.* abſque ulla limitatione prohibetur electio per ſortes: ſed ſi quando duo pari numero ſuffragiorum ſunt electi ad beneficium, electio ad unum terminaretur per ſortes, utique electio ad tale beneficium fieret tunc per ſortes, cùm neuter majorem ſuffragiorum partem habuerit, ut requiritur ad veram electionem per ſecreta ſuffragia. Tum quia non cenſetur judicium totius Capituli niſi major pars eligentium in unum collimet, & in eum qui ſorte eligeretur major pars eligentium non conſentiret, conſequenter electio nulla foret. Quamobrem in pari ſuffragiorum numero res non eſt dirimenda per ſortes, ſed vel per Compromiſſarios electio terminari deberet, vel adeundus eſſet ſuperior, qui Electores poſſet compellere ad concordandum, ut etiam poſſet iiſdem præſcribere certum terminum ad eligendum, quo elapſo poteſtas eligendi ad ipſum devolvatur ſuperiorem.

18 Non tamen jure naturali, & civili, immò nec alio poſitivo ſortes diviſoriæ ſunt illicitæ in electionibus ad officia civilia ſæcularia, ac temporalia ſive electi ſint Clerici, ſive laici:

ſiquidem nollibi id reperitur prohibitum: & licèt *in c. Eccleſia ult. h. t.* indiſtinctè prohibeantur ſortes in electionibus, id tamen communiter intelligitur juxta ſubjectam materiam de electionibus eccleſiaſticis, de quibus tantùm jus canonicum diſponit, ut notat Abbas *in d. c. Eccleſia ult. n. 3. h. t.* addit tamen conſultiùs ſemper eſſe abſtinere ab uſu ſortium, etiam in electionibus ad dignitates, & officia civilia: quia in hujuſmodi electionibus, poteſt etiam graviter peccari contra juſtitiam diſtributivam, ſi promiſcuè ponantur digni, & indigni, & ſortes faveant indignis, quia id cedit in grave detrimentum rectæ adminiſtrationis Reipublicæ, cujus communi bono plurimum detrahit. Quamobrem ſi electiones, dignitates, vel officia civilia, & ſæcularia fiant per ſortes, tunc promovendi debent eſſe æquè digni in ordine ad publicum regimen adminiſtrandum: quia tunc non adeſt ampliùs periculum, ut ſors cadat ſuper indignum, cùm omnes promovendi ſupponantur æquè digni in ordine ad tale officium civile obeundum.

19 Quamobrem jure naturæ neque electio per ſortes ad officia eccleſiaſtica eſt prohibita ſi promovendi ſupponantur æquè digni ad tale officium obeundum: ſed tantùm jure canonico, & eccleſiaſtico id prohibetur, quia revera in praxi difficulter poſſunt haberi plures promovendi, qui ſint æquè digni, & cognoſcantur ut tales: quapropter jure canonico abſolutè, & indiſtinctè prohibentur ſortes in electionibus ad beneficia eccleſiaſtica.

20 Sunt tamen, qui cenſent probabiliter electionem factam per ſortes ad beneficia eccleſiaſtica non eſſe ipſo jure irritam ex vi textus *in c. Eccleſia ult. h. t.* ſed poſſe irritari: ratio, quâ nituntur, eſt, quia tametſi ibi prohibeatur electio per ſortes, dicatúrque eſſe reprehenſibilis, non tamen dicitur, quòd ſit irrita, & nullius valoris: ſiquidem in dicto textu Honorius III. non dicit, quòd irritet talem electionem; ſed quòd illam prohibeat, nullum enim in dicto textu habetur verbum irritans, ſed tantùm prohibens: immo quòd electio quæ ponitur facta in *d. c. Eccleſia* fuerit valida, ex eo conjici poteſt, quia Pontifex eam confirmavit: actus verò qui confirmatur, ſupponitur validè factus: unde electio per ſortes potiùs irritatur per *c. quia propter 42. de elect.* ubi præſcribuntur formæ eligendi, & excluditur electio per ſortes. Verùm poſſet etiam reſponderi in *c. quia propter* tantùm præſcribi formas eligendi Epiſcopos, & alios Prælatos eccleſiaſticos obtinentes jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, & per quorum mortem, dicitur Eccleſia ſuo viduata Paſtore, non verò agi de electione aliorum Prælatorum inferiorum, qui elegi poſſunt, quamvis non ſervetur forma in *c. quia propter* præſcripta, ut notat Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 12. n. 9. & ſequent.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

Quæritur primò, quis ſit Judex competens criminis ſortilegij? Reſpondetur, cognoſcere de hoc crimine, & illud punire poſſe, ad Judicem eccleſiaſticum, & Epiſcopum pertinere: non tantùm ſi ſortilegi ſint Clerici, ſed etiam laici, idque deſumitur ex *c. contra Idolorum 10. caus. 26. q. 5. c. 1. h. t.* Ratio eſt, quia id redundat in Dei offenſam, & in injuriam divinæ Majeſtatis, cùm attribuatur creaturæ ſcire omnino occulta, & prædicere futura, quod proprium eſt ſolius Creatoris, ut notat Abbas in *c. talibus 1. n. 2. h. t.* Quamobrem cognoſcere de crimine ſortilegii poteſt pertinere ad Judicem eccleſiaſticum, & laicum; adeò ut hoc crimen ſit mixti fori, ac detur locus præventioni inter utrumque Judicem, quia hoc crimen damnatum eſt tam jure canonico, quàm civili, & acerrimè etiam per jus civile punitur. Non tamen poteſt Judex laicus cognoſcere ſuper crimine clerici, quia Clericus non ſubjicitur jurisdictioni laicali, & jurisdictio non poteſt exerceri niſi in ſubditos. 1

Quæritur ſecundò, quænam ſint pœnæ in utroque jure canonico, & civili ſtatutæ contra ſortilegos, & divinatores? Reſpondetur, ex jure canonico ſortilegos, ſi Clerici ſint, eſſe deponendos ab officio, & beneficio, & detrudendos in monaſterium ad agendam ibi perpetuò pœnitentiam *c. non oportet 4. & ſequent. caus. 26 q. 5.* Hinc cùm in *canone admoneant 15. caus. 26. q. 7.* dicitur, quòd Sortilegus, vel qui magicas artes exercet, ſi ſit Clericus, debeat degradari, id intelligi debet de verbali degradatione, non verò de reali, quia cùm ſit materia odioſa, & pœnalis, debet interpretatio ſtrictè fieri; & non amplè: unde cum Clericus Sortilegus dicitur eſſe degradandus, debet intelligi de degradatione verbali, ſeu de ipſa depoſitione ab officio, & beneficio non verò de reali, quâ tradendus ſit curiæ ſæculari. Idque etiam colligitur *ex cap. ex tuarum 2. h. t.* ubi Alexander III. cùm quidam Presbyter Vitus nomine ex inſpectione aſtrolabij furtum cuidam Eccleſiæ factum ex bono zelo ſine intentione invocandi dæmonem indagare ſtuduiſſet, reſcripſit, Presbyterum illum non modicam peccati maculam inde contraxiſſe; & mandat Epiſcopo, ut eum pro pœnitentia per annum, & ampliùs, ſi ſibi viſum fuerit, ab altaris miniſterio ſuſpendat. Ex quo textu claret, quod etiam ob furtum in Eccleſia perpetratum nunquam licitum ſit conſulere ſortilegos, tametſi id fiat ſine dæmonum invocatione: & ratio eſt, quia ſolus Deus, quæ occulta ſunt, novit, ut dicitur in *c. erubeſcant 11. diſt. 32.* 2

Cæte-

3 Cæterum pœna contentâ *in d. c. ex tuarum* non eſt ordinaria ſortilegis, ſed minor, quia Presbyter ille Vitus non ex malitia, aut propoſito, ſed ex bono zelo, & ſimplicitate deliquerat, aliàs gravior pœna ei deboiſſet imponi juxta qualitatem, & gravitatem delicti: ſiquidem Sortilegis injungitur gravior, vel levior pœna juxta gravitatem, & levitatem delicti ſpectato ſemper animo delinquentis, num ex malitia, & dolo; vel ſolùm ex ſimplicitate, vel ignorantia deliquerit. Rurſus *ex d. c. ex tuarum 2. b. t.* infertur, poſſe Epiſcopum cum ſortilego diſpenſare, ut non puniatur pœna ordinaria, ſeu jure ſtatuta, ſed alia arbitraria, quia illi in hoc caſu non eſt prohibitum cum diſpenſet etiam in majoribus. Laici verò, qui crimen ſortilegii committunt, & divinatores, in foro canonico ſi viles, & ſervi ſunt, verberibus excipiuntur, & cruciatibus torquentur.

4 Sin verò liberi perpetuo carceri mancipantur, ut deſumitur ex *cap. contra Idolorum 10. caus. 26. q. 5.* Immo poteſt Epiſcopus ſortilegos ex propria ejicere Diœceſi *c. Epiſcopi 17. in princ. cauſa 26. q. 5.* Immo ſunt ſortilegi, & divinatores etiam infames, qui propterea arcentur à teſtimonio ferendo *c. conſtituimus 9. caus. 3. q. 5.* Immo ſi ſortilegia talia ſint, ut hæreſin oleant, ut ſi dæmon invocetur per preces, hoſtias, tunc crimen incurritur idololatriæ, vel ſi à dæmone aliqua petantur, quæ ipſe ſcire non poteſt, ut ſecreta cordis, & futura libera, quæ dependent à ſolo libero hominis arbitrio, & quæ ſoli Deo nota ſunt, puniuntur iisdem pœnis, quæ jure ſtatuuntur contra hæreticos, ut notat Farinac. *tract. de hæreſ. q. 181. n. 67.* Juxta verò leges civiles ſortilegi, & divinatores graviùs plectuntur, nimirum ſupplicio capitis *l. nemo. 5. c. de maleſic.* Immo nonnunquam etiam cremantur igne *l. nullus 3.* & ibi Gothofred. *litt. I. c. eod.* Pœna verò communis ſortilegorum eſt bonorum publicatio, & capitis ſupplicium.

5 Quæritur tertiò, an futura prædicere ex Aſtris licitum ſit? Reſpondetur, non omnem prædictionem ex aſtris per ſe illicitam eſſe, ſed eorum tantùm eventuum, quorum aſtra non poſſunt eſſe cauſa, cujusmodi ſunt, quæ pendent ex libero arbitrio, ut totali; vel partiali principio. Cæterum effectus futuri dependentes ex aſtris, ut ex cauſis totalibus prædici licitè poſſunt, cujusmodi ſunt planetarum ortus, occaſus, conjunctiones, oppoſitiones, varij tum inter ſe, tum ad ſtellas fixas aſpectus: item ex colore, ſcintillatione poteſt quis naturaliter conjectare de futuris elementorum affectionibus, ut de aëris ſerenitate, pluvijs, ventis, æſtu, frigore: Verùm quamvis hæc non ſint prohibita, ſunt tamen ut plurimum erroribus obnoxia, adeò ut aſtrologiam profitentes ex aſtris errantibus nonniſi errores edicant, quos ſimplices edocent: quia ſciri non poteſt, an talis effectus proveniat à ſydere Mercurij, vel Jovis, aut Veneris. Tum quia nunquam hactenus idem aſpectus ſyderum reſtitutus eſt ob motum proprium octavæ ſphæræ: unde nulla inde certa experientia haberi poteſt. Tum quia aër ex pluribus aliis cauſis poteſt immutari, & præſertim à ventis, vaporibus, æſtu, frigore: & varia affectio medij potis eſt ad cauſarum immutandas actiones.

6 Quæ verò dependent à cauſis liberis nullo modo ex Aſtris cognoſci poſſunt, quapropter damnatur aſtrologia judiciaria, quæ aſpectu ſyderum obſervato judicat de conditione vitæ, de matrimoniis, honoribus, opibus, infortuniis, inimicitiis, aliisque humanis caſibus, ut etiam de præteritis ex præſenti conſtellatione, ut docet Origenes apud Euſebium *lib. 6. de præparat. evangel. c. 9.* ut quis furtum, vel homicidium commiſerit, vel proximo famam detraxerit: & uſus hujus aſtrologiæ eſt per ſe malus, & grave peccatum; hinc *Deut. 18.* habetur: *Gentes iſtæ quarum poſſidebis terram augures, & divinos conſulunt; tu autem à Domino Deo tuo inſtitutus es.* Per augures autem intelliguntur Aſtrologi, hinc Iſaiæ 47. *ſtent, & ſalvent te Augures Cœli* (ſeu ut explicant 70. Interpretes Aſtrologi cœli) *qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, ut tibi vera prædicerent*, ubi Propheta ſignificat ex Aſtris non poſſe calamitates bellorum, nec everſiones Regnorum prædici; unde Jerem. 10. *A ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vana ſunt.* Hinc jure civili *l. nemo & l. etſi C. de maleſic. & Mathematicis* jubentur puniri Aſtrologi judiciarii; perinde ac Necromantici: quia hujusmodi divinatio actiones humanas ſupponit ab Aſtris pendere, & inducit etiam fatum, tollitque liberum arbitrium, Deúmque facit authorem peccati, ut ex Origene probat Euſebius *lib. 6. præparat. evangel. c. 9.* qua ratione veteres Aſtrologi poſuerunt *Fatum* quòd dicebant eſſe immutabilem diſpoſitionem omnium eventuum ab Aſtris dependentem, ut explicat D. Auguſtinus *lib. 5. de civit. c. 1.* Tum quia per uſum hujus artis dæmon allicitur ad eà procuranda, quæ prædicuntur, ut notat D. Auguſtinus *lib. 2. de doctrina chriſt. c. 24.* cum enim dæmon ſciat, hæc credi, toto niſu ſtudet, ut contingant, vel videantur contigiſſe, ut homines confirmet in hac perverſa opinione.

Quæritur quartò, an ex motu, volatu, garritu animalium licitum ſit aliquid prædicere? Reſpondetur, præfata ſigna non poſſe inſpici, nec conſiderari, nec haberi, ut cauſas eventuum futurorum; poſſe tamen provenire, vel ex peculiari directione divina, vel procuratione dæmonis, vel etiam ex ſola cauſa naturali: & quando à ſola naturali cauſa proveniunt, tunc licitum eſt ex talibus ſignis prædicere omnes eventus, qui per illa, ut à cauſa naturali proveniunt, quia tunc habetur connexio inter cauſam naturalem, & effectum, qui ex illa ſequitur: quo pacto ex 7

volatu taliom avium ſolent pluviæ, vel tempeſtates prædici, quia mutatio aëris afficic corpuſcula avium, vel cetebrum, aut ſpiritus animales; quam affectionem ſtatim, phantaſia apprehendit, ut ſibi convenientem, vel diſconvenientem, idque exteriùs volatu, vel voce ſignificat: homines verò hæc non præſentiunt, quia phantaſia eſt pluribus aliis occupata, & gubernatuc à ratione liberi arbitrij.

8 Quando verò probabile eſt, hujusmodi ſigna provenire à DEO, vel dirigi ex ſingulari ejus providentia ad aliquid præſignandum, tuoc non cenſetur eſſe illicitum aliquid etiam de eventibus liberis prædicere: quo pacto columba deferens ramum olivæ virentibus foliis ſignum erat, placatum fuiſſe Deum, & aquas diluvij ceſſâſſe *Genes. 8.* Sic narratio ſomnij de pane ſubcinericio *Judic. 7.* erat ſignum Gedeoni hoſtium cædendorum. Verba illa Philiſthæorum 1. *Reg. 14. Aſcendite ad nos* erant ſignum Jonatæ, Philiſthæos fore cædendos, qoia tunc Deus hæc, & alia id genus ſigna ita dirigebat, ut illa ſignificarent, quæ volebat homines edocere, & occulta inſpiratione iis indicabat, qui inde omen caperent. Quòd ſi probabile non ſit, hujusmodi ſigna ex peculiari Dei providentia ad præſignandum certum eventum liberum non prędeſtinari, tunc omnino illicitum eſt ex ſignis illis divinationem capere; adeò ut ſuperſtitioſum ſit ex volatu, garritu, ſitu, numero avium, aut aliorum animalium, ut etiam ex lineamentis manuum, vel aliarum partium corporis humani ſecundùm regulas augurom, & chiromanticorum de, futuris à cauſa libera dependentibus pronuntiare. Quia ſigna hæc non ſignificant eventus illos naturali modo, cùm neque ſint illorum cauſæ, neque eorum effectus, neque cum illis ab aliqua communi cauſa dependeant: neque ex directione peculiari divinæ providentiæ: unde cùm effectus futuri nullam habeant cum ſignis 9 illis connexionem, ſuperſtitioſum eſt ex ſignis illis tales eventus pronuntiare.

Tum quia hæc ſigna ſunt omnino ſallacia, & ſi aliquando eventus contigerit, id fuit omnino per accidens, vel ex directione, & inſtitutione dæmonis, qui hujusmodi ſigna inſtituit; & eventum, quem præſignari voluit, interdum procurat, ut mentes hominum ſuperſtitione, & curioſitate implicitas, quocunque lubet, impellat. Unde qui ex ſignis illis futuros divinant eventus, diſciplinæ ſe ſubjiciunt dæmonis, & utuntur regulis ab ipſo traditis, tacitúmque cum illo habent commercium, tribuúntque dæmoni futurorum liberorum prænotionem, quæ ſoli Deo eſt propria, proinde tacitè illum invocant, ut procuret, 10 ut vera ſint, quæ fuerunt prædicta, ne ars fallere videatur.

Quòd ſi objicias illud Job. 37. *qui in manu omnium hominum ſignat, ut ſinguli noverint opera ſua*, ubi videtur commendari chiromantia, & *Genes. 34.* ubi Joſeph dicit fratribus ſuis, *an ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?* ex quo plures inferunt, Joſephum fuiſſe Augurem, ac propterea artem divinatoriam eſſo licitam. 11

Contra eſt, ad primum Job reſpondet D. Thomas, id intelligi, quatenus Deus imprimit varias inclinationes ad varia opera in potentia operativa, vel in phantaſia cujusque, ut ſinguli norint, quid ſibi congruat; quo fit, ut alij inclinationem habeant ad muſicam, alii ad poëſin, ad oratoriam, & alij ad Phyſicam, vel Metaphyſicam. Sunt etiam qui textum illum Job ita explicant: *qui in manu omnium ſignat*; ſcilicet, qui per tempeſtates, nives, imbres, manus omnium hominum claudit, & otioſas reddit, impediens ab operibus agriculturæ: fundamentum hujus explicationis ex eo, deſumitur, quia more Hebræo pro ſignare, claudere manum iodicatur. *Ut ſinguli ſciant opera ſua*, hoc eſt, ut ſinguli ſibi proſpiciant, quid quovis tempore agere debeant, vel ut ſinguli ſciant, opera ſua pendere à Deo: hinc 70. Interpretes vertunt, *ut ſinguli norint infirmitatem ſuam*. Ad aliud deſumptum *ex 14. Genes.* reſpondetur cum D. Thoma *art. 7. ad 1. &* D. Auguſtino *in quæſtionib. in Genes. c. 145.* id à Joſepho per jocum dictum fuiſſe: vel ex vulgi opinione, quâ ſummus augur habebatur. Tum quia nomen augurandi eſt genericum, & extenditur ad omnem divinationem, etiam ex ſignis à Deo directis: & hoc pacto Joſeph fuit Augur, eò quia ſpiritu Dei divinaret. 12

Quæritur quintò, an divinatio ex ſomniis licita ſit? Reſpondetur ſomnia ex quinque poſſe cauſis oriri. Primò è ſingulari Dei providentia. Secundò ex conſtitutione cœli, vel aëris. Tertiò ex affectione corporis humani. Quartò ex præviis cogitationibus. Quintò tandem ex dæmonis procuratione. Si probabiliter conſtet, ſomnium fuiſſe ex peculiari Dei providentia immiſſum, tunc licitum eſt ex eo capere futurorum prænotionem, Deus enim ſomnia non immittit niſi ad aliquid ſignificandum, quod hominem moveat, & inſtruat. Quod duobus modis poteſt fieri, vel per apprehenſionem verborum, quando Deus per Angelum facit, ut phantaſia, vel ſenſus communis concipiat per modum auditûs, ac veluti alio loquente verba quædam, quibus ſignificetur, quid fieri debeat, ſimùlque mentem reddat certam: vel interna illuſtratione, vel occulto quodam geſtu, & experimento non ſubeſſe fraudem, cujusmodi fuit ſomnium S. Joſeph de fuga in Ægyptum, déque reditu ex Ægypto *Matth. 1. & 2* & ſomnium Magorum de non redeundo ad Herodem: hoc pacto ſæpe Deus in ſomniis loquebatur hinc *numer. 12.* dicitur *ſi fuerit Propheta inter vos, per ſomnium loquar ad eum*, & hinc ſomnii genus oraculum dicitur. Secundò per apprehenſionem nonnullarum rerum ſimilium rebus eventuris, vel aliquam ſaltem analogiam cum iisdem habentium. Et hoc ſomnium ſi perſpicuè rem exhibeat, quæ futura eſt, dicitur viſio; ſin autem obſcurè vocatur ſomnium.

Quo-

Digitized by Google

13 Quomodo verò cognoſci poſſit, an ſomnium ſit à Deo, vel à dæmone. Reſpondetur id partim dignoſci ex eo, ad quod homo per ſomnium impellitur, ut ſi incitetur ad dolorem peccatorum, ad inſerviendum ferventiùs Deo, partim ex affectu, qui relinquitur; ut ſi inde remanet quædam illuſtratio mentis, conſolatio ſancta, promptitudo ad obſequium Dei; partim ex intimo quodam guſtu. Quando ſomnia ſunt ſupernaturalia & immiſſa à Deo, ſapiunt, plerumque aliquid divinum, & ſupernaturale, adeò ut ſi homo maturè conſideret, facilè poſſit conjicere, tale ſomnium à Deo provenire. Nonnunquam ſomnia ſunt obſcura, & tunc opus eſt conſilio ſapientum, ne fraude dæmonis quis circumveniatur.

14 Quando verò probabile non eſt, ſomnium eſſe à Deo, tunc non eſt licitum ex eo prænotionem capere de eventu libero futuro, quia tunc ſomnia non poſſunt ex natura ſua talia futura præſignare, nec ut proveniunt à cauſis naturalibus; proinde, ſi futura præſignant, debent id præſtare, vel ex directione Dei, vel malignorum ſpirituum; unde quando probabile non eſt, eſſe à Deo, ſi quis ex illis divinet, ſubiicit ſe diſciplinæ dæmonis, cui propterea tribuit futurorum prænotionem, ac tacitè illum allicit, ut procuret, quod ipſe præſignatum putat, in quo ſenſu Levit. 21. dicitur: *Non augurabimini, neque obſervabitis ſomnia.* Quòd ſi ſomnia putentur eſſe ex cauſa naturali, licitum tunc eſt, ex illis conjecturare de iis, quæ à tali cauſa oriri ſolent, ut de corporis temperamento; de humorum redundantia; de morbis; déque mutationibus aëris: Cœlum enim, & aër impreſſionem aliquam faciunt in corpus humanum, ratione cujus per ſympathiam phantaſia conſentanea viſa apprehendit, maximè per quie-

15 tem, dum ſenſuum externorum operationi non detrahitur.

Perſæpe certiùs ex ſomniis capiuntur conjecturæ de affectionibus corporis, quàm de mutationibus cœli, quia immediatè ex corporis diſpoſitione oriuntur; hinc qui incendia ſomniant, dicuntur infeſtari flava bili: qui verò caligines, tenebras, funera, & alia id genus triſtia, & tetra dicuntur atra bile abundare. Sic verò quis ſomniet pluvias, nives, grandines, lacus, flumina; dicuntur, in ipſis prævalere humores frigidi, cujusmodi ſunt pituita, & phlegma: ſin verò quis ſomniet ſe vo-

16 lare, vel velociſſimè currere, ſignum tunc eſt levis, & temperatæ complexionis.

Huc etiam pertinet ſomnium illud, quo ſpectrum videtur irruere, & hominem dormientem opprimere. Id enim provenit ex craſſo, tetróque vapore in cerebrum irruente, viásque ſpirituum animalium intercipiente, ut docet Galenus *l. 3. de locis malè affectis c. 4.* & tunc ſignum eſt, prævalere in corpore craſſum & melancholicum ſanguinem, cruditatésque, ac periculum imminere epilepſiæ, ſi quis paſſim hujusmodi ſomnia patiatur. Demum ſi ſomnia oriantur ex prævijs curis, vel cogitationibus nihil tunc de futuris ſignificant, & hæc propriè dicuntur inſomnia, quæ tantùm ſignificant propriam cauſam. 17

Quæritur ſextò, quid ſit ſuperſtitio, & quomodo prohibita? Reſpondetur, ſuperſtitionem eſſe vitium oppoſitum religioni, & ſignificare cultum Dei falſum. Hæc autem falſitas duobus poteſt modis contingere: primò ex parte objecti ſi adoretur falſus Deus, vel creatura pro Deo, quod eſt peccatum graviſſimum Idololatriæ: ſecundò ex parte modi: ſi nimirum verus Deus colatur, ſed alio modo, quàm ab Eccleſia approbato, aut tali, qui ad ejus honorem, vel ſpiritus devotionem non faciat, ſed potiùs inanis ſit, & vanus, ut cùm quis ritibus, & cœremoniis judaicis Deum colit. Tum enim ſignificatio cultus diſcordat à re ſignificata: erant enim cœremoniæ veteris teſtamenti præfiguratio Chriſti adventuri, & expirârunt cum Chriſti morte, & tantùm aliquæ ex certa, & rationabili cauſa etiam in novo teſtamento à ſummis Pontificibus præceptæ ſunt, ut habetur *in c. unic. de purificatione poſt partum.* 18

Rurſus ſi quis in oratione, aut miſſa certum numerum adhibeat candelarum, eáſque in peculiari quodam loco collocet, & in tali, vel tali diſtantia pro certo alio effectu obtinendo, quod reprobatur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. in decreto de obſervandis in miſſa*: hæc enim, & alia ſimilia omnino prohibenda ſunt, ut ſuperſtitioſa, ut etiam quòd alicubi in pagis apud ruſticos videtur eſſe in uſu, ut hi certis diebus imagines Crucifixi, vel B. Virginis butyro diliniant ad obtinendam aliquam gratiam, eſt enim id prorſus ſuperſtitioſum, quia Deus precibus in noſtra flectitur vota, non verò coloribus, tabellis, candelis, butyro, & alijs, quæ ſolent adhiberi. 19

Quæritur ſeptimò, quomodo divinatio, & vana obſervatio differant? Reſpondetur, divinationem dici quaſi divinitatis æmulationem; adeò ut divini appellarentur, qui divinitate ſe plenos eſſe ſimularent, & aſtuta quadam vafritie, & fraudulentia hominibus futura conjectarent, ut docet D. Auguſtinus, & citatur *in c. 1. cauſ. 26. q. 3.* unde divinatio eſt occultorum ſignificatio ex pacto cum dœmone; eſt autem hoc pactum aliquando expreſſum, quando homo per expreſſam, ſeu explicitam voluntatem aliquid à dœmone ſcire deſiderat: aliquando eſt implicitum, quando pro cognitione rerum occultarum ſignum aliquod vanum adhibetur, vel inſpicitur: cùm enim hoc ſignum ex ſe non habeat poteſtatem à Deo, vel natura, ſignificandi id, quod deſideratur: neque boni Angeli aliquid hominibus revelent abſque Dei voluntate, & juſſu, ſequitur, quòd talis ſignificatio non poſſit eſſe ab alio principio, quàm à dœmone, & tunc ſupponitur pactum implicitum, ſi talis divinatio petatur. 20

Vana obſervatio eſt, cùm ex aliquo caſuali eventu, ut ex offenſione pedis; ſternutatione, caſu lapidis, vel tabellæ conjectura ſu-

mitur de futuro contingenti; hinc vanæ obſervationes dicunrur quoties aliqua fiunt, vel adhibentur ad aliquem effectum, ad quem nec à Deo, nec à natura vim ullam habent, ut etiam cum ex conſideratione alicujus eventûs fortuiti conijcit quis aliquid proſperi, vel adverſi.

21 Diſtinguuntur vanæ obſervationes in tres ſpecies, quarum prima eſt ars notoria, ſeu quædam ratio conſequendi ſcientiam infuſam, per quædam jejunia, inſpectiones figurarum, & ſimilia adminicula vana, & inefficacia; & hæc vana obſervatio omnino illicita eſt, & peccatum grave, quia ſaltem implicitè, & tacitè invocatur dœmon, cui ttibuitur poteſtas infundendi animæ illicò habitus ſcientiarum, quod ſolius Dei proprium eſt, ut docet D. Auguſtinus *l.* 10. *de civit. n.* 9. quia cùm tales cœremoniæ, quæ adhibentur non habeant illam vim à DEO (ſiquidem ſi illam haberent, Eccleſia id non ignoraret) neque à natura rerum, quæ adhibentur, nec ab Aſtris; ſequitur talem effectum non poſſe ab alio eſſe principio, quàm à dœmone, cui propterea tribuitur poteſtas infundendi habitus ſcientiarum in intellectu hominis; cum enim id non poſſit ulli alteri principio tribui, ſequitur, quod tribuatur dœmoni, cum quo præſumitur pactum ſaltem implicitè.

22 Secunda ſpecies eſt obſervatio ſanitatum; & contingit, quando adhibentur aliqua verba, vel ſigna, aut inanes cœremoniæ ad hominum, vel aliorum animalium curandos morbos, præſertim ad ſiſtendum ſanguinem, mitigandos dolores, tuendam valetudinem, conſtituendum aliquem immunem contra læſiones hoſtium, vel caſus fortuitos. Ut etiam quando aliquibus naturalibus medicamentis aliqua adijciuntur frivola, tanquam neceſſaria, ut etiam quando adbibentur amuleta, perjammata, brevia, involucra, verba ſacra, preces deſcriptæ, quæ geſtantur à quibusdam, ne lædi poſſint; vel ne ſanguis effluat, aut ob alios ſimiles ſines: ſiquidem circumſtantia quævis inutilis, ſi tanquam neceſſaria adhibeatur, opus conſtituit ſuperſtitioſum, quia tunc circumſtantia non concurrit in effectum ut cauſa; proinde non poteſt aliter adhiberi, niſi ut quoddam ſignum, quod cum non ſit à DEO, ſequitur pertinere ad pacta occolta cum dœmone: quia tunc effectus non poteſt expectari à vi naturali illius rei; nec à Deo, qui talia nec per ſe, nec per Eccleſiam inſtituit: proinde expectatur à malignis ſpiritibus.

23 Huc etiam pertinent imagines aſtronomicæ ſub certa conſtellatione factæ; ut ſi quis ſub ſigno leonis ſculpat in auro figuram leonis, quam dicunt valere contra phantasmata, vel melancholiam, Idropem, peſtem, febres, & alia, de quibus ſcribit Cornelius Agrippa *lib.* 2. *de occult. Philoſophia c.* 35. *& ſequent.* cùm enim figura illa leonis arte impreſſa non conſtituat metallum magis idoneum ad influendum; nec ipſa impreſſio ſigni Zodiaci in auro ullum habeat influxum non magis, quàm figura canis, vel bovis; ideo figura illa ex defectu connexionis cum effectu ſanitatis ad occulta pacta cum dœmone pertinet, qui viſo tali charactere, tali modo, & cœremonia inſculpto allicitur ex pacto ad ea præſtanda, ad quæ ex ipſius diſciplina, & regula ſibi homines perſuadent, poſſe valere.

Huc etiam ſpectat, ſi quis ſchedulas ſacris verbis, vel ſigno crucis ſignatas geſtit, vel etiam Sanctorum reliquias cum certa ſuaſione, ſe propterea non poſſe lædi ad hoſtibus: quia tametſi res illæ ſacræ nihil contineant ſuperſtitioſi, admiſcetur tamen exteriùs animus, qui illis ſuperſtitioſè utitur ad effectum, ad quem neque ex natura ſua, neque à Deo ordinantur, ſcilicet ad certam ſalutem animi, vel corporis. 24

Tertia ſpecies eſt obſervantia eventuum, cùm quis ex eo, quòd aliquid fortuitò occurrat, vel accidat homini, ſibi vel alteri aliquid adverſi vel læti conjectat, & inde proprias moderatur actiones; ut ſi quis ſummo mane domo egreſſus canem offendat, vel felem, funus, ſepulchrum, aut crucem videat, ſibi perſuadeat eo die ſic, vel aliter cuncta eventura: vana enim eſt hujusmodi divinatio ex inani, & ſuperſtitioſa obſervatione ducta. Alij venatum ituri, ſi ſummo mane pedem in limine offendant, vel eorum veſtis cadat; vel pileus è capite flatu venti detrahatur, aut lacinia valvis adhæſerit; putant nil ſibi proſperè & feliciter eo die eventurum. Alij ſi cùm primùm domum exierint, ſternutaverint, ſi corrigiam abruperint, ſi in portam capite offenderint, ſi corruerint, infauſti ominis eſſe arbitrantur. Alij ex certorum animalium occurſu proſperos, vel infelices etiam præſignant eventus. 25

Alij certos hebdomadæ dies ſibi fauſtos, & alios infauſtos conſtituunt, quæ omnia ex vana Ethnicorum obſervatione initium traxerunt: Sic Neroni profecturo in Alexandrinam expeditionem lacinia ſurgenti adhæſit, Tiberius Gracchus quo die civili ſeditione oppreſſus fuit domo egrediens, ita pede in limen offendit, ut non parva vis ſanguinis effluderit, ut narrat Plutarchus in Tiberio Graccho. Annibali ex Italia in Africam reduci ſepulchrum dirutum in via omen ingeſſit infauſtum. Bruto, & Caſſio prodituris in aciem obvius Æthiops calamitatem præſagivit. Plura id genus exempla referunt D. Auguſtinus *lib.* 2. *de doctrina chriſt. c.* 20. & D. Joannes Chryſoſtomus *homil.* 21. *ad populum Antiochenum.* Hic autem modus ſuperſtitionis eſt perquam affinis divinationi, à qua tamen differt in duobus. Primò quia in divinatione homo de induſtria ſigna quærit, unde divinet: & in hac obſervantia eventuum ſigna non quæruntur, ſed conjectura capitur ex iis, quæ fortuitò incidunt. Secundò quia in divinatione quæritur principaliter notitia, & in obſervantia eventuum directio operationum: 26

& hæc

& hæc obſervatio ex genere ſuo eſt peccatum grave niſi ex ſimplicitate, & ignorantia, vel bona fide quis excuſetur, homines enim præſertim ſimplices id potiùs appreheodunt ex alienis dictis.

27 Quæritur octavò, an magia differat à divinatiooe, & qunmodo prohibeatur. Eſt magia quarta ſpecies ſuperſtitioois, per quam mira quædam, & inſolita ab hominibus fiunt dœmonum operâ; ſicut per divioationem petitur à dœmooe rei accultæ cognitio; ita per magiam petitur effectio alicujus operis: adeò ut divioatio, & magia eandem fermè malitiam, & deformitatem videantur habere, ſcilicet ſocietatem expreſſam, vel tacitam cum dœmone. Dupliciter poſſunt dœmooes invocari, expreſsè; vel occultè, & tacitè; ſeu explicitè, vel implicitè; expreſsè, ſeu explicitè invocaotur, cùm quis pacto cum illis inito petit, ut ſibi futura prænuntient, & aperiaot nculta; implicitè verò, ſeu occultè, & tacitè invocantur, quoties aliquid fit, in quo latet pactum cum dœmone contractum; vel cùm quis utitur miniſterio, & operâ hominis habeous ſncietatem cum dœmooe.

28 Duplex tamen ſolet diſtingui magia; naturalis uoa, alia ſnperſtitioſa. Naturalis eſt ratio quædam operaodi mira per cauſas naturales ſine ope dœmoois: de hac naturali magia aguot Cardanus *de varietat. rer.* Schotus *in ſua magia naturali*, Baptiſta à Porta: & quamvis magia naturalis per ſe mala non ſit; eſt tamen periculis obooxia, & ſolet homines accupare in rebus curioſis, & inutlibus. Tum quia ſub ſpecie occultæ operationis naturæ facilè ſe dœmon admiſcet; & ita occultæ virtuti cauſæ naturalis tribuitur, quod ipſius præſtigijs agitur; adeo ut D. Auguſtinus *l. 8. de civit. c. 19.* dixerit: omnia miracula Magorum doctriois fieri, & operibus Dœmonum.

29 Magia ſuperſtitioſa eſt quædam ratio operandi mira per ſigna ope Dœmnoum. Sicut enim magia naturalis cauſis utitur naturalibus, ita ſuperſtitioſa utitur ſignis, quæ cauſæ ſunt morales: talibus eoim ſignis ex pacto inito allicitur dœmnn, ut id faciat, quod magus petit; adeò ut videantur ſigna ſenſibilia mira illa facere, quæ revera non oiſi à dœmone fiunt: hinc D. Auguſtinus *lib. 21. de civit. c. 6.* ait: *Alliciuntur Dæmones per creaturas, quas non ipſi, ſed Deus creavit, ut non animalia cibis, ſed ut ſpiritus ſignis, quæ cujusque delectationi congeruut per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum, rituum*, & hæc ſigna, ut notat ibidem Auguſtinus non ab alio inſtituta ſunt, quàm ab ipſo dœmone, qui tametſi non delectetur ſigois per ſe ſpectatis, ſibi tamen in illis complacet, eò quia hæc ab eorum dependeant inſtiuuto, proinde hæc magia ſuperſtitioſa ſemper graviſſimum eſt peccatum.

30 Quæritur oonò, quomodo cognoſcatur, an aliqua operatio pertineat ad magiam ſuperſtitioſam. Reſpoodetur, tribus modis cognoſci poſſe. Primò ex conditione cauſarum, quæ adhibeotur, ut ſi expreſsè invocetur diabnlus, ſi preces adhibeantur, quibus falſa permixta ſint, ut Chriſtum habuiſſe ſpasmum: ſi verba exotica anoectantur: ſi characteres, imagines, ſigilla, ſpecula, uoctiooes, & ſimilia præter morem Eccleſiæ adhibeaotur: quia cum effectus, ad quem diriguntur, non poſſit expectari ex virtute talium cauſarum, nec etiam à Deo; cùm talia ſigna, nec ab ipſo, nec ab Eccleſia, quæ ſpiritu Dei regitur, ſiot inſtituta, imò ab ipſa Eccleſia reprobentur; ſupereſt, ut talis effectus non poſſit ab alio expectari, quàm à malignis ſpiritibus, qui hujusmodi rebus taoquam ſigois alliciuntur ad id præſtandum, ad quod ipſi ea inſtituerunt; unde hæc omoia ſuot magicæ illecebræ, & tacitæ dœmnoum invocatiooes. Et quamvis nonnuoquam non adhibeantur niſi verba deſumpta ex ſacra ſcriptura; quia tamen hæc tunc noo diriguntur ad Deum, nec eo ſenſu prnferuotur, quem io ſcripturis ſignificant, ſed animo profano, & diriguntur ad eum effectum, ad quem à Deo, vel Eccleſia uoo inſtituuntur; ideo ſuperſtitioſus tunc eſt uſus talium verborum, ut cùm ad ſopiendns canes, quis utitur verbis illis *in camo, & freno maxillas eorum conſtringe:* vel ad curandas equorum luxationes adhibentur alia verba *conſummatum eſt:* hæc enim verba implicitè diriguntur ad dœmonem, qui etiam in rebus ſacris ſua inſtituit ſigoa, ut faciliùs homines dicipiat; cùm enim talia verba oec à Deo, oec ab Eccleſia ioſtituta ſint ad tales effectus, oec per ſe ullam cum ipſis coooexiooem habeant, ideo nonniſi ope dœmonis implicitè poſſunt ad tales effectus dirigi.

Secundò, dignoſcitur etiam, quòd operatio pertineat ad magiam ex cnnditiooe nperationis; ut ſi de repente curetur equus, ſaoetur homo absque divino miraculo, ſi breviſſimo tempnre plura milliaria quis conficiat: cùm operatio ad rem valde diſtaotem ſe extendit, ut ſi ex eo, quòd, io uoo loco pungatur imago cerea Titij, hic io alio perquam diſſito dolotibus torqueatur. Tertiò, ex conditione effectus, ſi hic humaoam ſuperet induſtriam. Sunt enim plora, quæ à Magis opera dœmonum poſſunt fieri tam circa elementa, quàm alia corpora præſertim hominum & animalium: vel etiàm circa animas, & ſpiritus: etenim circa elementa poſſunt dœmones excitare tempeſtates, grandines, tnnitrua, fulmina, ventos, & evertere arbores, ſegetes, ædificia, & alia id genus, ut habetur in *c. 1 Job.* Pari pacto pnſſuot facere inundatinnes, terræ motus, ruinas ædium, repeotina inceodia, & ſimilia, ſi Deus id illis permittat. 31

Circa corpora animalium, & hominum poſſunt etiam ea celerrimè transferre de loco ad locum, ſunt enim & ipſi dœmnnes celerrimi, imò poſſuot etiam corpnra hnminum, & animalium transfnrmare, nnn quidem intrinſecè mutaodo figuram, ſed extrinſecè aliam ex 32

vapo-

vaporibus congeſtis circumponendo: quo pacto D. Auguſtinus *lib. 18. de civit. c. 12.* aſſerit, ſocios Diomedis converſos fuiſſe in aves, & Iphigeniam in cervam. Tali etiam modo credibile eſt, virgas Magorum fuiſſe converſas in ſerpentes. Immo poteſt dæmon homine conſopito formam beſtiæ aſſumere, & varia miniſteria ſubire, & interim per alium dæmonem efficere, ut ille homo dormiens videatur ſibi in beſtiam mutatus: hoc pacto D. Auguſtinus dicto *lib. 18. de civit. c. 18.* putat ſocios Ulyſſis mutatos fuiſſe à Circe venefica in porcos.

33 Poſſunt itidem dæmones irrogare morbos occultos, qui nulla arte medica poſſunt curari, ſiquidem facilè eſt dæmoni ignota venena inſtillare, & ea ita regere, ut lentè operentur; poteſt etiam infringere vim medicamentorum, ne operentur contra illatos morbos. Poteſt etiam dæmon curare morbos, qui remedijs naturalibus curari poſſunt. Poteſt etiam impedire ſanguinis è vulnere effluxum, ut etiam impedire omnes læſiones, quæ gladio, igne, aliiſque inſtrumentis inferri poſſunt humano corpori, ſi Deus id ipſi permittat. Facile enim eſt dæmoni ictum gladij, vel globi emiſſi à ſclopo juxta corpus hominis excipere, impetum frangere, & efficere, ut non poſſit quis vulnerari. Verùm Deus non ſolet id permittere niſi rariſſimè: alioquin milites facilè pactum inirent cum dæmone, ut in bello non poſſent lædi: ſicut etiam rariſſimè permittit Deus, ut dæmon eruat theſauros occultos, aut opes mari abditas, quia id maxima foret ad malum illecebra. Sunt etiam alia plura, quæ poteſt dæmon efficere, de quibus fusè Delrius *l. 5. de magia.*

34 Quæritur decimò, quæ remedia contra maleficia adhiberi poſſint? Reſpondetur remedia maleficij tripartiri, in naturalia, & ſupernaturalia, & moralia. Remedia naturalia parum videntur habere efficaciæ, quia facilè poteſt diabolus omnem illorum actionem eludere, ſi velit: nihilominus conſultius ſemper eſt, hujuſmodi remedia initio experiri ex præſcripto Medicorum ea adhibendo, quæ ipſi ex ſymptomatibus congrua cenſebunt. Remedia ſupernaturalia, ſeu eccleſiaſtica optima ſunt, & plura, ut fides magna, quæ nullo modo hæſitet, & vera fiducia in divina protectione, quia dæmon nil poteſt in eos, qui omnem ſpem in Deo collocant.

Secundò, ſuſceptio baptiſmi, ſi maleficiatus non ſit baptizatus; quia per baptiſmum baptizatus exuit veterem hominem, quem diabolus induxit; & induit Chriſtum, cujus efficitur membrum. 35

Tertiò, expiatio conſcientiæ, & confeſſio peccatorum; quia perſæpe ob peccata, quibus aliquis irretitur, permittitur diabolo, poſſe in illum; hinc deletis peccatis maleficium pariter evaneſcit. 36

Quartò ſumptio Euchariſtiæ, quia nulla conventio lucis ad tenebras. 37

Quintò, Exorciſmus Eccleſiæ, quia eccleſia fuit ſpecialiter à Chriſto ordinata ad expellendos dæmones, eóſque coërcendos per ſuas preces, & abjurationes. 38

Sextò, aqua benedicta, quæ ex precibus Eccleſiæ vim habet ad dæmonis infeſtationes avertendas. 39

Septimò, ſignum crucis, cujus vis maxima eſt contra omnes dæmonis moliriones, & machinamenta, quia continet tacitam invocationem SS. Trinitatis per meritum paſſionis Chriſti. Tum quia crux eſt illud inſtrumentū, quo Chriſtus diabolum vicit, ejúſque potentiam fregit. 40

Octavò, jejunia orationi conjuncta, quia ut habetur *Matth. 17.* hoc genus dæmoniorum expellitur præcipuè in jejunio, & oratione. Remedia tandem moralia dicuntur, quæ pertinent ad pactum cum dæmone diſſolvendum, quando ex pacto nocet, & fit per amotionem ſignorum magicorum, ad quorum præſentiam damnum infert, & nocumentum irrogat. 41

TITULUS XXII.

De Colluſione detegenda.

QUia colluſio quandam in ſe falſitatem continet, nonnihil habet affinitatis cum crimine falſi, de quo cum in præcedentibus Compilator egerit, rectè in præſenti titulo pergit ad aliam falſitatis ſpeciem, quæ in colluſione continetur. Hinc colludere dicuntur, qui quod ex animo facere videntur, id ſimulatè, & fictè agunt inter ſe, aliorum ſenſibus illudentes: quapropter colluſio dicitur fictio in *l. 3. §. accuſantur ff. ad Syllan.* & colludentes, dicuntur luſoriè agere *in l. ſi ſervus* 50. §. 1. *ff. de legat.* 1. Hinc colluſio etiam illuſio dicitur *c. præterea* 8. *de cenſib. Clement.* 1. *de renunc.* Unde in præſenti de colluſione agitur.

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Trium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. SCRIPTA 1. h. t. reſcribit Gregorius Papa, quòd ſi accuſator deſiſtat ab accuſatione, & conveniat cum accuſato in amicitia, poſſit tunc Judex ex officio inquirere ſuper illo crimine, ne amicitia ſit ex pretio, vel præmio inita; & non ex charitate. Nota, colluſionem eſſe inter actorem, & reum, latentem, ac fraudulentam conventionem. Hinc quando accuſator deſiſtit ab accuſatione, debet Judex inquirere, an tunc ſit aliqua colluſio, cujus præſumptio eſt illa amicitia de repente inita inter accuſatorem, & accuſatum, præſertim ſi antea erant adverſarij: eſt enim tunc præſumptio, quòd accuſatus accuſatorem corruperit pretio, vel prece, ut deſiſtat ab accuſatione gravis delicti. Pontifex tunc injungit Judici diligenter inquirere, an non ſubſit aliqua colluſio, idque ne delicta maneant impunita, quod cederet in damnum publicum, & pernitiem eccleſiaſtica diſciplina in Clericis.

C. CRIMINA 2. h. t. ſtatuit idem Pont. ut crimina ſemel audita in judicio, tametſi accuſator poſtea deſiſtat, & pacificetur cum accuſato, debeant á Judice puniri. Ubi notandum eſt, crimina dupliciter in judicio intelligi audita. Primò quatenus jam ſunt probata, ſed nondum punita. Secundò eò quia tantùm ſint delata ab accuſatore, ſed nondum probata, neque per ſententiam Judicis damnata: crimina utroque modo ſemel audita indigent diſcuſſione: ea quæ ſunt probata, quomodo ſint punienda, & pœna iiſdem infligenda: quæ verò ſunt ſimpliciter delata, debent probari, ut judicentur; quia crimina ſemel ad Judicem delata non debent relinqui indiſcuſſa, & injudicata.

C. AUDIVIMUS 3. h. t. Alexander III. declarat, Clericos facientes colluſionem in cauſa beneficiali eſſe privandos ſuis beneficijs, ut ſi Clericus beneficiarius patiatur, ſe moleſtarè ab alio, & poſtea quaſi tranſegerint, actor cedat liti, & reus det illi penſionem cum futura ſucceſſione in beneficio, tunc enim habetur colluſio, ſeu fraudulenta conventio inter actorem, & Reum. Pœna autem ordinaria hujus colluſionis ſuper beneficijs eſt, ut Clerici priventur beneficiis ſuper quibus colluſerunt. Ubi notat Gloſſa, penſiones ſuper beneficio non poſſe dari præſertim ad vitam ſine Epiſcopo c. de cætero de transact.

C. IN TANTUM ult. h. t. Gregorius IX. declarat, quòd ſi per colluſionem abſolvantur crimina, poſſint ubi id conſtiterit de novo inquiri, & accuſari. Hinc notat Gloſſa, quòd ſi reus pecuniâ corrupit teſtes, vel Judicem, & id conſtet, poſſe iterum de tali crimine inquiri. Hinc quamvis legitimè abſolutus per viam inquiſitionis non debeat ulteriùs ſuper ſemel inquiſitis moleſtari, quamvis infamia non ſtatim ceſſet, ſi tamen ſententia ſit lata per colluſionem, non tollitur facultas iterum accuſandi, & rurſus inquirendi de prioribus criminibus. Perimitur tamen prior inſtantia, & nova inſtituitur, adeò ut novus proceſſus inchoetur.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit colluſio, & quomodo detegenda.

COlluſio prout ad præſens
1 pertinet inſtitutum propriè eſt latens, & fraudulosa conventio inter Actorem, & Reum, quâ interveniente, delicta aliquando manent impunita, ut notat Gloſſa *in c. 3. h. t.* ut ſi duobus litigantibus Reus cognoſcens ſe ab Actore ſuperatum iri, promittit ei aliquid ut veras probationes ſimulet, & falſas defenſiones admittat, ut hoc pacto pœnam ſibi infligendam ob patratum delictum declinet: tunc enim propriè dicitur Reus colludere cum Actore, & hic cum Reo: & conventio, quâ Actor, & Reus ſimul conveniunt, in jure dicitur colluſio, & committi poteſt in cauſis tam civilibus, quàm criminalibus; imò tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus, & eccleſiaſticis; tam per partes principales, ſeu Actorem, & Reum, quàm per Procuratores, & Advocatos; hinc colluſio ſemper involvit quandam falſitatem, qua falſæ defenſiones admittuntur, & veræ probationes ſimulantur. Per hanc autem colluſionem geſta reſcindi, & infirmari, habetur *l. 1. & per tot. ff. h. t.* ubi libertus per colluſionem cum Domino, vel Patrono factam fuit ingenuus pronuntiatus.

2 Abſolutio de criminibus illatis per collusionm facta etiam præcedente partium tranſactione non impedit, Judicem punire delinquentes, & inquirere idem delictum, idque deſumitur *ex c. ſcripta 1.h.t.* ubi Gregorius I. reſcribit, quòd, quando accuſator deſiſtit ab accuſatione, & convenit cum accuſato in amicitia, Judex ex officio poteſt inquirere ſuper illo crimine, ne concordia ſit ex præmio facta, & non ex charitate. Ex quo textu colligitur, quòd ſi Accuſator deſiſtat ab accuſatione, debeat Judex inquirere, an non ſubſit aliqua colluſio, cujus præſumptio eſt, ſi repentè redierint in gratiam, qui antea erant adverſarij; tunc enim repentina hæc amicitia colluſionem aliquam indicat; in qua accuſatus corruperit accuſatores prece, vel pretio, ut deſiſtant ab accuſatione præſertim gravis ſceleris, ut indicat Pontifex.

3 Ratio verò, cur abſolutio de criminibus illatis per colluſionem facta non impediat, quin à Judice poſſit inquiri de delicto, & puniri Reus, hæc eſt: quia cùm ſententia per colluſionem prolata nulla ſit; ideo qui mediante colluſione obtinuit ſententiam abſolutoriam à crimine, quod revera perpetraverat, poteſt iterum accuſari, & Judex ſuper eodem inquirere; eò quia talis abſolutio fuerit fraudulenter obtenta *c. ſi quem pœniteret, 2. q. 3.* hinc Colluſores pœnam merentur, quandoquidem nemini dolus ſuus patrocinari debet. Tum quia delicta ſi ſemel innotuerint punienda ſunt *c. ecce 24. q. 3.* quia intereſt Reipublicæ, delicta nocentium non manere impunita *l. 5. ff. de pact. dot. l. Juris 7. §. ſi paciſcat. ff. de pact. l. ita vulneratus 57. §. æſtimatio ff. ad leg. Aquil.*

4 Manerent autem impunitata delicta, ſi facta colluſione inter Accuſatorem, & accuſatum non liceret Judici ſuper iiſdem criminibus inquirere: unde non obſtante compoſitione, ſeu tranſactione facta inter Accuſatorem, & accuſatum; adhuc Judex poteſt inquirere ſuper eodem delicto. Tum quia licèt ſpectato jure communi conventione factâ inter Accuſatorem, & accuſatum non poſſit Judex pro publica vindicta pœnam ordinariam infligere *l. 22. tit. 1. partit. 7.* poteſt tamen extraordinariam imponere, ut docent Juriſconſulti; quapropter rectè in præſenti docet Gregorius I. ut colluſione factâ inter Accuſatorem, & accuſatum, etiam præcedente tranſactione poſſit Judex ſuper eo delicto inquirere.

5 Sin verò ex pura charitate accuſatores deſtiterunt, poteſt id tollerari, ut Judex non procedat ad inquirendum de crimine, ſed permittat charitatis exercitium; ut notat Hoſtienſis in *d. c. ſcripta 1. V. charitate h. t.* Secus ſi Accuſatores ob acceptam pecuniam, & præmium deſtiterint, tunc Judex debet procedere ad inquirendum de delicto, quia tunc non habetur exercitium charitatis, ſed læſio juſtitiæ.

6 Videtur tamen in contrarium poſſe objici textum *in l. ingenuum 25. ff. de ſtatu hominum, & l. ſi cui 7. §. iiſdem ff. de accuſat.* ubi dicitur, quòd ſententia abſolutoria Judicis ita crimen tollat, ut ſemper obſtet, quo minus alius, poſſit eundem Reum repetere. Sed contra, quia textus illi tantùm procedunt, quando ſententia Judicis eſt ritè, & legitimè prolata; & non per colluſionem, ſimulata compoſitione inter Accuſatorem, & accuſatum; quia tunc ſicut ſententia lata nullius eſt valoris; ita Judicium perinde ſe habet, ac ſi factum non fuiſſet, proinde poteſt Judex iterum inquirere de delicto, & punire Reum, cujus abſolutio nonniſi fraudulenter obtenta fuit.

7 Poſſet etiam objici textus *in l. 1. ff. de bonis eorum, qui ante ſententiam*, ubi habetur, eſſe ei ignoſcendum, qui ſanguinem ſuum redemptum voluit: unde ſi accuſatus compoſitione facta cum accuſatore hoc pacto ſanguinem ſuum redemit, accuſari, & inquiri de eodem delicto ampliùs non debet. Tum quia per abolitionem ſopitur crimen *l. 1. c. de generali abolitione*: ergo à fortiori per compoſitionem factam cum Accuſatore, debet crimen extingui. Tum quia tranſactio non minorem habet Anthoritatem, quàm res judicata *l. non minorem 20. C. de tranſact. l. 2. ff. de jurejur.* unde ſi per ſententiam abſolutoriam omnino tollitur crimen, etiam per tranſactionem tolli debet.

8 Sed contra, quia tametſi ignoſcendum ſit ei, qui ſanguinem ſuum redemptum voluit, non tamen id procedit generatim de quocunque, ſed tantum de illo, qui convinci de delicto non potuit; eò quia egregiè ſe defenderit. Alij explicant textum illum *ex l. 1. ff. de bonis cor.* ut procedat, ne ex Senatusconſulto pro convicto habeatur; non verò ut à pœna ſit omnino immunis *l. ult. §. de prævaric.*

9 Ad id, quod addebatur ex exæquatione ſententiæ, & tranſactionis, reſpondetur, quòd tametſi verum ſit, in pluribus exæquari tranſactionem rei judicatæ, quia neutra temerè reſcindi poſſit; non tamen in omnibus comparatur, quia de criminibus capitalibus judicari poteſt, non verò tranſigi, unde licèt ſententia Judicis tollat crimen, non tamen tranſactio: quia hæc non comparatur in omnibus cum ſententia Judicis, ut probat Antonius Matthæus *de crimin. ad tit. 48. ff. tit. 19. c. 7. n. 7.*

10 Cùm igitur de criminibus capitalibus judicari poſſit, non tranſigi, ſequitur, quòd ſententia Judicis poſſit crimen tollere, non ita tranſactio. Rurſus licèt per abolitionem crimen ſopiatur, non tamen perimitur: ita quamvis per tranſactionem ſit crimen ſopitum quoad tranſigentem, non tamen extinctum quoad alios; quapropter ſemper formari poteſt inquiſitio à Judice. Adhuc tamen poteſt opponi textus in *l. adulter. 19. §. final.*

Digitized by Google

final. ff. ad leg. Jul. de adult. ubi dicitur, *Proinde per colluſionem cum adultero conſtituerit, fueritque abſolutus, dedit mulieri nupta adverſus omnes ſecuritatem*: ex quo textu infertur, quòd per ſententiam abſolutoriam per colluſionem prolatam non ſit licitum ſuper eodem crimine ampliùs agere: unde non rectè videtur concludi, quòd poſt ſententiam abſolutoriam per colluſionem prolatam, adhuc liceat Judici ſuper eodem delicto inquirere. Sed contra quia textus ille ſpecialiter procedit in adulterio, in quo cùm accuſatio principaliter competat marito, ideo ſi adulter accuſatus per colluſionem ſit abſolutus, non poteſt adultera, dum nupta eſt, accuſati.

§. II.

Proponuntur & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an crimina ſemel audita, etiamſi deinde accuſator deſiſtat & pacificetur cum accuſato, adhuc à Judice puniri debeat? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. crimina 2. h. t.* ut reſcripſit Gregorius II. vel ut alijs placet III. ubi Pontifex crimina ſemel audita indiſcuſſa nullo modo mandat prætereiri, tametſi accuſatus cum accuſatore in gratiam rediiſſet. Dupliciter tamen intelligi poſſunt crimina eſſe audita: primo ut ita fuerint in judicio audita, ut etiam fuerint probata, licèt nondum punita: ſecundò ut crimina fuerint quidē in judicio audita, ſeu delata, ſed nondum probata; conſequenter neque per ſententiam damnata: & in utroque ſenſu ſtatuit Pontifex, crimina in judicio ſemel audita non eſſe indiſcuſſa prætermittenda; ſed punienda, quæ fuerunt audita, & probata: & judicanda, quæ ſemel ad judicium fuerunt delata, adeò ut non debeant hæc indiſcuſſa, & injudicata relinqui. Unde in utroque caſu Judex poteſt procedere ad ulteriorem inquiſitionem, niſi fortâſſis intelligat per licitam transactionem receſſum eſſe à judicio, ut notat Panormitanus *in d. c. crimina 2. n. 1. h. t.* ubi infertur, de jure canonico receſſum à lite per gratiam, vel transactionem, non impedire, quo minos poſſit Judex ad inquiſitionem procedere, quia crimina non debent impunita manere.

2 Quæritur ſecundò, an quando per colluſionem abſolvuntur crimina, poſſit Judex de novo de ipſis inquirere, ubi id conſtiterit? Reſpondetur, quòd ſi conſtet, Reum corrupiſſe teſtes, imò etiam Judices, & Inquiſitores; adhuc poſſe de novo inquiri, & accuſari Reum, ſi per colluſionem conſtiterit fuiſſe crimina abſoluta, id enim deſumitur *ex c. in tantum ult. h. t.* ubi Gregorius IX. cum clamore, & infamia contra Acherontinum Archiepiſcopum invaleſcente, inquiſitionem exceſſuum ipſius commiſiſſet; ſed ipſo cum Inquiſitoribus, & Examinatoribus colludente, illiſque, & teſtibus corruptis, dicti exceſſus non ſolùm manſiſſent incorrecti, verùm etiam pejora prioribus delicta commiſiſſet; mandavit Pontifex, quòd ſi de colluſione, ac corruptione conſtiterit, ex integro ſuper præmiſſis, & alijs; alioquin ſuper novis duntaxat, inquirator, prout videbitur inquirendum: unde Pontifex mandat ex integro ſuper præmiſſis, & alijs inquiri, quia quamvis legitimè abſulutus per viam inquiſitionis non debeat ampliùs ſuper ſemel inquiſitis impeti, tametſi infamia non ſtatim ceſſet *c. de his 6.* & *c. licet 14. de accuſat.* eò quia crimina ſemel dimiſſa, iterum in ultionem venire non debent *c. ſi illic. 29. caus. 23. q. 4. c. ult. diſt. 4. de pœnit.* Nihilominus ſi ſententia lata ſit per colluſionem, non tollitur facultas iterum accuſandi, & inquirendi de prioribus criminibus: ſed tunc perimitur prior inſtantia, & inchoatur nova, quod ſignificat ex integro inquiſitionem reſumi, novúmque proceſſum ſuper prioribus inſtitui.

3 Quæritur tertiò, quibúsnam pœnis jure canonico Clerici colludentes plectantur? Reſpondetur de hiſce pœnis agi in *c. audivimus 3. h. t.* ubi Alexander III. ſtatuit, ut Clerici, qui colluſionem faciunt in cauſa beneficiali, debeant privari ſuis beneficijs; ut ſi beneficiarius patiatur ſe moleſtari ab alio, & poſtea quaſi tranſegerit, Actor cedat liti, & Reus det illi penſionem cum futura ſucceſſione: ſiquidem per talem colluſionem Clericorum fit præjudicium Epiſcopo; cui præcluditur via ſuper ordinatione, ſeu inſtitutione ſuæ Eccleſiæ: unde ne dolus maneat impunitus, & ne malitia ſit delinquenti lucroſa *l. 1. in princ. ff. de dolo* Clerici, qui per colluſionem intenderunt beneficia transferre in alios modo illicito propter dolum, & fraudem perpetuò iiſdem privantur: æquum, enim eſt, ut in eo puniantur, in quo deliquerunt.

4 Quamobrem colludens in cauſa beneficiali conſtituendo per colluſionem beneficium cenſuale, ſeu illud penſioni ſubijciendo, privatur ſuo beneficio, & deſiſtente accuſatore poteſt Judex adhuc ex officio ſuo inquirere ſuper crimine illato; neqoe abſolutio à crimine per colluſionem facta impedit facultatem iterum accuſandi, & inquirendi de eodem. Poteſt etiam Epiſcopus ſuper fructibus beneficij imponere annuam penſionem: quia *in d. c. audivimus 3. h. t.* hæc impoſitio penſionis non reprobatur, eò quia facta fuerit per colluſionem: geſta autem per colluſionem nullum ſortiuntur valorem *C. cum non juſto 3. ff. de collus. deteg.*

3 Non tamen penſio excederet vitam penſionarij, tametſi ceſſet colluſio, quamvis authoritate Epiſcopi fuiſſet impoſita: ſiquidem Epiſcopus nec pro bono pacis, neque ad lites extinguendas poteſt penſiones imponere, ſuper beneficio, quæ tranſeant ad ſucceſſores, ut notat Proſper Fagnanus *in d. c. audivimus 3 n. 7. h. t.*

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

TAmetſi in pueris ſoleat crimen inultum relinqui, quod in alijs provectioris ætatis ſeveriùs punitur: nihilominus, quia ætas puerilis plerumque plena eſt mendaciolis, perjurijs, & furtis, ideó poſt crimina, quæ in hominibus provectioris ætatis promiſcuè notantur, ac ſeverè puniuntur, opportunè Compilator hîc agit de delictis puerorum, an ij criminum Rei fiant pœnis obnoxij.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *PUERIS 1. h. t. reſeribit Gregorius IX. pueris grandiuſculis non ſolùm ab annis pubertatis, ſeu 14. ætatis poſſe attribui peccata carnis. Verùm etiam furta, mendacia, quibus plena eſt puerilis ætas, tametſi in illis non ita, ut in majoribus ſint punienda Ex quo textu liquet, pueros grandiuſculos, hoc eſt doli capaces eſſe puniendos pro commiſſis peccatis furti, mendacij, periurij &c. ſed mitiùs, quàm puberes, quod eſt comperti juris: pueri enim ſemper ſunt mitiùs puniendi, quia malitia in ipſis ſemper præſumitur minor* c. ſt de ſent. ex. commun. l. auxit. ff. de Minor,

C. *REFERENTE 2. & ult. h. t. Alexander III. reſeribit, mitiùs eſſe puniendum puerum, ſeu impuberem, quàm puberem, adeo ut ſi puer impubes, ſeu minor quatuordecim annis caſu ſagittâ alium interficiat, non obſtante conſuetudine loci non ſit puniendus in pecunia; imò nec pater pro ipſo. Ubi tamen notat Gloſſa, Pontificem non dicere non eſſe puniendum ſecundùm jura, cum eſſet impubes, & daret operam rei illicitæ, ſed ut non puniatur ſecundùm conſuetudinem loci pœnâ pecuniariâ. Cæterum eſt puer puniendus aliqua ſemper pœnâ, licèt minore, quatenus tunc locum habet juris benignitas, ut pueri mitiùs pro delictis puniantur, & ut quò major eſt doli capacitas, & ætas, eò acrior ſit pœna, quâ delinquentes puniuntur. Cæterum puer occidens alium ſemper ſit irregularis, & punitur pœna ſpirituali, ſeu canonica licèt mitiùs propter ætatem.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quomodo delicta Puerorum puniantur.

1 AEtas hominis in plures dividitur partes, ut notat Gloſſa *V. perfectus in proœm. l. 6. decret.* & *V. ſeptennarius in c. 1. de celeb. miſſar.* Communiter dividitur in infantiam, pueritiam, pubertatem, adoleſcentiam, juventutem, ſenectutem & ætatem decrepitam, Infantia à nativitate incipit, & usque ad ſeptimum protenditur annum, adeò ut pueri nondum ſeptennes propriè infantes in jure dicantur *l. 3. c. qui admitti ad honor. poſſint. l. 1. §. ſufficit. ff. de adminiſt. tut. l. in ſponſalibus ff. de ſponſal.* & fusè probant Narbona *ann. 7. q. 1.* Pichardus *in lecturis ad tit. de acquiren. hæred. c. 23.* hinc infans ex eo dicitur, quia fari non dum poteſt, ut notat D. Iſidorus *lib 10. originum c. 2.* & Marcus Varro *lib. 5. de lingua latina* ait, *Fatur is, qui primùm homo ſignificabilem ore emittit vocem: ab eo antequam ita faciant pueri, dicuntur infantes.*

Cauſa igitur naturalis infantiæ eſt fandi impotentia, à qua, quotquot fari non poſſunt, infantes vocantur. Olim dubitabatur, quo tempore, & usque ad quod tempus infantia computanda eſſet: & Stoici civilibus præceptis ſtudentes per hebdomadas annorum à ſeptennio in ſeptennium cœperunt ætates computare: quo pacto infantiam definierunt per primum ſeptennium; pubertatem per ſecundum; & ſic de reliquis, & hanc Stoicorum ſententiam ſecutus eſt Arcutius in *l. certis 8. c. Theod.*

c. Theod. de benis materu. unde ſecundùm Juris definitionem infantia usque ad ſeptimum protenditur ætatis annum : & illi dicuntur pubertati proximi, qui aliquem habent rationis uſum *§. pupillus inſtit. de inutil. ſtipul.* unde illi dicuntur pubertati proximi, qui, quod agunt, intelligunt *l. 1. §. furioſum de O. & A. l. ſervum 6. rem pupill.* & hi propterea ſunt doli capaces *l. heredes 23. in fin. ff. de dolo l. 4. §. de dolo 26. ff. de doli except.*

3 Quo verò ætatis anno dicantur pubertati proximi, non conveniunt Juriſconſulti: alij enim aſſerunt, eos eſſe proximos pubertati, qui decimum, & dimidium ætatis annum agunt usque ad decimum quartum in maribus; & fœminas eſſe proximas pubertati ab anno nono cum dimidio usque ad duodecimum, adeò ut ſeptem anni, qui inter infantiam, & pubertatem interſunt, dividantur in duas partes, quarum prima complectatur tres minores cum dimidio, & in hac ætate pueri dicuntur proximi infantiæ, Secunda in reliquos tres cum dimidio, & hæc pars proxima dicitur pubertati, ut notat Narbona de ætate *anno 10. & dimidio q. 1* & deſumitur hæc ſententia ex *§. ult. inſtit. quibus ex cauſis manumittere l. & hoc 41. ff. de heredibus inſtit.* Sunt tamen alij, qui cenſent, eos tantùm eſſe proximos pubertati, qui nonniſi tantùm per ſex menſes diſtant à pubertate *argum. l. non tantùm 17. in princ. ff. de acenſ. tut. l. ſequuntur 14. ff. ad Silan.* Verùm rectiùs Menochius de arbitrar *lib. 2. cas. 57. n. 4.* ait : hoc totum Judicis arbitrio relinquendum eſſe, qui juxta conditionem, viréſque perſonæ, & juxta morem Regionis hoc æſtimet.

4 Infantes nondum ſeptennes excuſari à delictis, & eorum pœnis, ex eo probari ſolet, quia iſti non ſunt doli capaces, & ignorant, quid agant *l. ſed & ſi 5. §. ſed etſi infans, ff. ad leg. Aquil.* Hoc idem etiam procedit de iis, qui proximi ſunt infantiæ, ſeu ætati ſeptem annorum, vel non multum eos excedunt juxta arbitrium Judicis. Hi enim non tenentur ex homicidio *l. infans 12 ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* Neque ex furto *l. impuberem 28. ff. de furtis*, neque ex lege Aquilia ſi damnum dederint *l. 5. §. ideo ff. ad leg. Aqui. leg. de falſis ex lege Cornelia. l. impuberum 22. ff. ad leg. Corn. de falſis. l. qui juràſſe 26. in princ. ff. de jurejur.* Neque ex injuria *l. 3. ff. de injur. c. 2. in princ.* Neque pœna Syllaniani *l. 1. §. impubes ff. ad Syllan.* Nec de falſa moneta *l. 1. C. de falſa moneta* quia cùm infans in tenella illa ætate quid agat, ignoret; ideo non eſt doli capax, nec crimini obnoxios : hinc in *l. infans 12. ff. ad leg. Cornel de Sicar.* dicitur, quòd innocentia conſilij infantiam tueatur, ſeu excuſet à pœna.

5 Cæterum cùm primùm incipiunt uti ratione, licèt imperfectè, incipiunt etiam eſſe doli capaces : hinc impuberes ſeu mares à ſeptimo anno usque ad quartum decimum completum; & fœminæ usque ad duodecimum ob delicta puniuntur quidem, ſed pœnâ mitiore, idque deſumitur *ex c. pueris 1. h. t.* ubi Gregorius IX. ſtatuit, quòd pueri grandiuſculi puniantur in commiſſis peccatis, ut in furto, mendacio, periurio, ſed mitiùs, quàm puberes, eò quia pueris grandiuſculis non ſolùm tribui poſſunt peccata carnis, verùm etiam furta, mendacia, quibus plena eſt puerilis ætas.

An verò detur infans doli capax, Panormitanus *in d. c. pueris 1. n. 4. h. c.* aſſerit per accidens poſſe dari infantes doli capaces: quia ſicut pubertas poteſt præveniri, & contingere ante annum quartum decimum; ita etiam poſſunt dari infantes doli capaces; præſertim his temporibus, in quibus ſolet malitia ætatem prævenire. Hinc S. Gregorius *l. 4. Dialogorum c. 19.* refert, infantem quinque annorum conſueviſſe jurare, & blaſphemare, & è manibus parentum fuiſſe propterea à diabolo raptum. 6

Alij verò hanc Panormitani ſententiam reijciunt, & ad argumentum, quo nititur, reſpondent, eſſe diſcrimen de pubertate, quia pubertas dependet à corporis diſpoſitione, quæ ex nimio calore, vel ex alia cauſa poteſt contingere ante annum quartum decimum, ſecus doli capacitas dependet ab animo, & haberi non poteſt ab eo, qui fari nondum poteſt *l. in ſponſalibus 14. ff. de ſponſal. l. 1. §. ſufficit.* Ad exemplum relatum à D. Gregorio reſpondent; tale ſupplicium potiùs contigiſſe in odium patris; qui neglexerat filium corrigere, quàm in pœnam ipſius infantis : & id etiam infertur ex principio ipſius dialogi, quia infans ille ob defectum ætatis nondum erat doli capax. Præterea quæ Dei nutu aguntur, non cadunt ſub lege *c. DEUS 19. q. 1.* Cæterum infans ob homicidium non contrahit irregularitatem, quia hæc pœna non contrahitur niſi in caſibus à jure expreſſis *c. penult. de ſent excom.* 7

Qui verò dicendi ſint pueri grandiuſculi, de quibus loquitur Gregorius IX. *in d. c. pueris 1. h. t.* ubi ait, eos eſſe puniendos in commiſſis peccatis ut furto, mendacio, perjurio, ſed mitiùs, quàm puberes; non conveniunt doctores Gloſſa *in d. c. pueris 1. h. t.* aſſerit, pueros grandiuſculos eos eſſe intelligendos, qui ſunt ſeptennes, quia ut ait D. Augunus *in epiſt. ad Renatum.* relata à Gloſſa *in c. parvuli 74. de conſec. diſt. 4.* pueri ſeptennes mentiri, & verum dicere, confiteri, & negare jam poſſunt; & ideo quando baptizantur, jam ſymbolum recitant, & ipſi per ſe ad interrogata reſpondent, hinc Hoſtienſis *in d. c. pueris 1. h. c.* aſſerit, pueros ſeptennes eſſe capaces doli, poſſe peccare, & teneri ex delicto. Tum quia poſſunt ſponſalia de futuro contrahere *l. in ſponſalibus 14 ff. de ſponſal. c. litteras de deſpons impub.* Tum quia ſeptennio expleto regulariter dicitur incipere uſus rationis : hinc quoad forum internū, tam quoad vitia, quàm quoad virtutes, pueri ſeptennes creduntur doli capaces, & ob- 9

obligatos præcepto; eò quia peccare poſſint.

10 Nihilominus communior & verior ſententia aſſerit pueros grandiuſculos, de quibus loquitur Gregorius IX. *in d. c. pueris t. h. t.* eſſe intelligendos pueros à ſeptimo expleto anno usque ad quartum decimum, quia illud nomen grandis ad talem ætatem veteres retulerunt. Neque obſtat, quòd pueri ſeptennes ſint doli capaces, ut aſſerit Gloſſa, quia in illa tenella ætate reveta non cenſentur ſaltem perfecti doli capaces, quia in illa ætate non ſciunt perfectè, quid agant.

11 Cæterum quia in illa ætate pueri fari poſſunt, ideo benigniore interpretatione receptum eſt, ut ſicut proximi pubertati, ita etiam proximi infantiæ poſſint in ſuam ſtipulare utilitatem, & ex eadem benigna interpretatione etiam conceditur, ut in illa ætate poſſint ſponſalia de futuro contrahere, quia per ſtipulationem ea in propriam faciunt utilitatem, ut etiam poſſint hæreditatem acquirere, tutore auctore *l. pupillis 9. ff. de acquirend. hæredit.*

12 Cæterum inde non ſequitur, infantes ſeptennes eſſe doli capaces, quia dolus propriè eſt calliditas, ſeu machinatio ad circumveniendum, & decipiendum alium *l. 1. §. 2. dolo.* Poteſt tamen infans ſeptennis in ſuſceptione baptiſmi ſymbolum recitare, & ad interrogata reſpondere, quia id cedit in utilitatem baptizandi: non tamen tenetur infans ſeptennis præcepto annualis confeſſionis, neque ſacramentum Euchariſtiæ ſumere, ſed tantùm tunc ad id tenentur infantes, quando incipiunt diſtinguere honeſtum à turpi, quod determinatam non habet ætatem: in quibusdam enim pueris citiùs, in alijs verò tardiùs id accidit, proinde arbitrio prudentis viri id potiùs videtur relinquendum, ut notat Barboſa *in c. omnis de pœnit. & remiſſ.*

13 Ratio verò, cur pueri grandiuſculi proximi pubertati, & doli capaces ex delictis (excepto carnis peccato) teneantur, tametſi mitiùs ſint puniendi, quàm majores, eſt, quia proximi pubertati præſumuntur habere animi judicium, & intelligere id, quod agunt *§. pupillus 9. inſtit. de inutil. l. 1. §. furioſum. ff. de O & A.* & ideo cùm ſint doli capaces *l. de dolo 26. V. Iulianus ff. de dol. except.* ſequitur, quòd teneantur ex delictis à ſe commiſſis; ad quod tamen duo requiruntur, nimirum & quòd ſint doli capaces, & proximi pubertati; quando verò cenſendi ſint pueri proximi pubertati variæ ſunt Doctorum ſententiæ; ſed rectiùs id relinquitur arbitrio prudentis Judicis, ut notavit Menochius *de arbit. lib. 1. centur. 1. cas. 59. n. 35.* Aliod tamen eſt, puerum eſſe proximum pubertati, & aliud eſſe proximum prætextæ: ſiquidem Romani pueri prætextam accipiebant tantùm anno ætatis ſexto decimo, ut notat Petrus Crinitus *de honeſt. diſcip. lib. 6. c. 7.* & ideo prætextæ proximus dicebatur, qui ætatem pubertatis ingreſſus erat, eò quia ei ad prætextam adhuc duo deeſſent anni; unde eſſe proximum prætextæ non eſt idem, ac eſſe proximum pubertati, cùm qui ætatem puberem jam ingreſſus erat, pubes diceretur, & non pubertati proximus; licèt eſſet prætextæ proximus.

Quòd verò pueri grandiuſculi in commiſſis peccatis ſint mitiùs puniendi ex eo probari etiam ſolet, quia in impuberibus doli machinatio non eſt ita gravis, ut in majoribus *l. 13 juncta l. quod enim 14. ff de dolo.* & ita mitiùs ſunt puniendi; idque procedit non ſolùm in furto, mendacio, & periurio, ſed etiam in aliis delictis *l. 2. ff. de termino moto l. fere 208. ff. de R. J.* immo non ſolùm in temporalibus, verùm etiam in ſpiritualibus *c. eos 108. in fin. de conſec. diſt. 4. c. ea vindicta 51. 23. q. 4.* & *c. ult. de ſent. excom.* 14

Quòd ſi dicas, pupillum in contractibus non habere proprium velle, & nolle, & cenſeri incapacem contrahendi ſine authoritate Tutoris, ut habetur *in l. pupillus 189. ff. de R. J.* proinde nec eſſe puniendum mitiùs ex delictis, Contra eſt, quia eſt diſcrimen inter contractus, & delicta, quia in contractibus; qui cum alio ineuntur, præceptum eſt, ut pupillus in damnum proprium non habeat proprium velle, & nolle, ſed hoc totum ſuppleri debeat authoritate Tutoris. Secus in delictis, quæ committuntur ex dolo, non deſideratur authoritas Tutoris; ſed ſufficit, ſi puer ſit doli capax *l. impuberem 13 ff de furtis l. 4. § de dolo l. 26. §. denique ff. de dol. except.* Hinc pupillus doli capax efficaciter tenetur ex delictis. Sin verò impuberes non ſint doli capaces, tunc non tenentur ex delicto, neque ex conſilio, aut ope. Tenentur etiam impuberes ſi ſint doli capaces ex periurio, tametſi non adigantur in judicio jurare *l. jus jurandum 24. § pupillo. ff. de jurejur.* Si tamen juraverint, ex juramento obligantur *l. ult. in fin. ff. de liber. caus.* Pueri verò doli non capaces, nec ad jurandum coguntur, neque ex juramento obligantur, tametſi, ſi jurent ex delatione partis ejus juramentum debeat obſervari *l. qui juràſſe 26. ff. de jurejur.* 15

Poſſet tamen obijci illud D. Auguſtini, quod refertur *in c. adhuc de pœnit. diſt. 3.* illis verbis. *Nec infans unius diei absque peccato ſuper terram eſſe poteſt.* cujus etiam conſonat illud D. Hieronymi *in c. ſi enim 40. de pœnit. diſt. 1.* ibi *Nemo mundus à peccatis, nec infans ſi unius quidem diei fuerit vita ejus*; neque hi textus poſſunt intelligi de peccato orginali, cum hoc certum ſit, quod contrahatur, ſtatim poſt conceptionem ſœtus in utero matris ante nativitatem: unde textus præcitati non poſſunt intelligi niſi de peccato actuali, ut docet Barboſa *tom. 6. in ſelect.* unde non rectè pueri videntur dici doli capaces tunc ſolùm, quando proximi ſunt pubertati, cùm poſt primum vitæ diem dicantur peccati capaces. 16

Reſpondetur nihilominus, præſatos textus eſſe intelligendos de peccato originali, 17

quod

quod contrahitur, cùm primum fœtus informatur animâ: vel intelliguntur de ipſa pronitate ad peccandum, ſeu depoteotia in actu primo, qoantum ad naturam lapſam, in qua naſcuntur homines cum fomite, & concupiſcentia; quæ cùm ſit effectus peccati orginalis, ineſt etiam pueris, in quibus pars inferior, eſt etiam ſuperiori rebellis habitualiter, licèt nondum actoaliter ex defectu uſûs rationis? & in hoc ſenſu verom eſt, nec infantem unius diei poſſe eſſe absque peccato ſuper terram, quia fomes peccati, qui ab Auguſtino dicitur peccatum, eſt etiam in infantibus tanquam effectus peccati origiualis.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quaſtiones.

1 QUæritor primò, qoomodo impuberes puniantur ſi delinquant? Reſpondetur, pueros graudiuſculos puniri ob commiſſa delicta, non tamẽ ita graviter, ur puberes, idque deſumitur *ex c. pueris 1. b. t.* ubi Gregorius IX. reſcribit pueros grandiuſculos eſſe puniendos in commiſſis peccatis, ut in furto, mendacio, & periurio; mitiùs tamen quàm puberes. Ratio etiam ex eo petitur, quia peccantes ex malitia gravius delinquunt, quàm qui peccant ex ſola paſſiune, ut docet D. Thomas *1. 2. q. 78. art. 4.* ſed qui peccant ex habitu graviùs delinquunt, quàm qui peccanc ex diſpoſitione *c. fin. de conſuetud.* & quia adulti magis peccant ex malitia, & habitu, qoàm poeri, ut docet D. Thomas *p. 3. q. 43. art. 2. in addit.* ſequitor, quòd impuberes ob eadem delicta ſint mitiùs puniendi, quàm puberes, quia pœuæ inſeruntur juxta menſuram malitiæ, qua fuit delictum patratum, & prout perſouæ, cauſæ, loca, & tempora exigunt *c. fin. de transact.* ex quibus liquet, delictum mitiùs puniri in puero, quàm in adulto, qoia pœna debet commenſurari delicto *c. diſciplina diſt. 45.* & idem delictum ob majorem malitiam eſt gravius in adulto, quàm in puero, qui proinde pro eodem delicto, non ita ſeverè punitur, ſicot adultus, ut habetur in *c. referente ult. b. t.* ubi Alexander III. reſcribir, mitiùs eſſe puniendum puerum, quàm majorem, adeò ot ſi puer minor qoatnordecim annorum caſu ſagitta emiſſa aliom interficiat non obſtante conſuetudine loci non ſit puniendus in pecunia: ubi notat Gloſſa in textu non dici, quòd poer non ſit puniendus ſecundùm jura, ſed quòd non ſit puniendus ſecundùm conſuetudinem pœnâ pecuniaria, cæterum ſit irregularis, & punitur pœnâ ſpirituali, ſeu canonica licèt mitiùs propter ætatem adhuc tenellam.

2 Quæritor ſecondò, an pater ex delicto filij impuberis teneatur, adeò ut ſit illi pœna aliqua imponenda? Reſpondetur negativè, & deſomitur *ex d. c. referente ult. b. t.* ubi Alexander III. expreſsè declarat, patrem non eſſe puniendum pro filio, qui deliquit. Ratio id etiam ſuadet, quia delicta ſuos debent authores tenere, id enim juſtitia exigit, ot is puniator, qui Author fuit delicti: hinc ſi pœna delicti in jore ſit pecuniaria, quam filius non poteſt ſolvere, non teuetor pater hanc pœnam ſubire, quia viveute patre non poteſt legitima ſeparari à bonis patris *l. 1. §. ſi. impuber. ff. de collat. ben.* proinde delicto filij non tenetor pater, nec quoad perſonam, nec quoad bona, & pecuniam *C. ne fil. pro patr. l. 1.*

Quæritur tertiò, quâ pœnâ puniendi ſint infantes deliuquentes, ſi nondum habeant plenum judicium, cujusmodi ſont infantes usque ad ſeptennium incluſivè? Plures cenſent infantes ſi ſint doli capsces in delictis non eſſe excuſandos in totum, ſed eſſe puniendos pœnâ arbitrariâ, ita docent Marſilius in *l infans n. 2.* ubi allegat Gloſſam in *c. fin. de ſent. excommun.* eò quia delictum cadit etiam in puerum, ſi hic ſit doli capax: & ad id confirmandum ſolet adſerri, quod narrat D. Gregorius *c. 19. lib. 4. dialog.* de quodam infante quinquenni erepto à Dœmone è manibus parentis ob continuss, quas proferebac blasphemias. Hoc idem etiam docet Hoſtienſis *in c. pueris 1. b. t.* & *in c. parvuli de conſecrat. diſt. 3.* ubi refert D. Auguſtinum ſcripſiſſe ad Renatum Epiſcopum, puerum ſeptennem mentiri, & negare, & confiteri poſſe. Verùm communior ſententia aſſerit, infantes ſepteunes quamvis aliqoando comperti ſint doli capaces, adhuc in totum eſſe excuſandos, eò quia ut plurimum non ſint doli capaces, ignoreut quid agant, ut docent Joannes Andreas *in d. c. pueris 1. noſt. n. 4. b. t.* Anauias *n. 2. in fin.* & deſumitur etiam *ex l. ſed etſi quemcunque §. fin. ff. ad leg. Aquil.* & *ex l. infans. ff. ad legem infans. ff. ad leg. cornel. de ſicar.* Com igitur infantes ſeptennes, ut plurimum non ſint doli capaces, & ignorent, quid agant, excuſantur in totum ob innocentiam conſilij ipſo jure, neque textus *in c. pueris 1. b. t.* obeſt, quia ibi Pontifex loquitur de pueris grandiuſculis, qoi ſeptennium jam diu exceſſerunt, ſuntque proinde doli capaces. 3

Quæritur quartò, an infantes ultra ſeptennium ſi ſint infautiæ proximi, puniantor ob delicta ab ijsdem patrata? Dicitur infans poſt ſeptenninm proximos infantiæ osque ad decimum annum cum dimidio, ſi ſit maſculos; ſin verò fæmella usque ad nonum cum dimidio, ut notat Gomez *de delict. c. 1. n. 57. v. dicitur proximus infantia?* Reſpondetur, duas eſſe ſententias, primam eorum, qui opinantur, infantes ſeptennes doli capaces non excuſari in totum delinquendo, hi enim à fortiori aſſerunt, non eſſe excuſandos infantes proximos infantiæ licèt ſeptennium exceſſerint, & hæc ſententia eſt probabilis, quam docent Hoſtienſis in *c. pueris 1 b. t.* Abbas ibid. *n. 1. & 3. in 3. notab.* Zabarel *in clement. 1. n. 9. de homicid.* 4

micid. & alij volentes pueros infantiæ proximos, & doli capaces, ſi delinquant eſſe mitiùs puniendos. Nihilominus contraria ſententia videtur probabilior, nimirum infantiæ proximos etiam ſi capaces ſint doli eſſe in totum excuſandus, niſi fuerint pubertati proximi, hoc eſt niſi exceſſerint annum ætatis decimum cum dimidio, quia in ætate illa tenella pueri licèt ſeptennium exceſſerint, ſintque doli capaces, non tamen plenè aſſequuntur quid agant: non enim ad effectum puniendi ſufficit, ſi ſint doli capaces, ſed ulteriùs requiritur proximitas pubertati; adeò ut ante expletum annum decimum cum dimidio non conſideretur in tenella illa ætate dolus, ut notat Gomez *de delict. c. 1. n. 57. ad fin. v. & in tantùm eſt verum.*

5 Quòd ſi objicias textum in *c. pueris 1. h. t.* ubi Gregorius IX. reſcribit, pueros grandiuſculus eſſe puniendos in commiſſis peccatis, ut in furto, mendacio, periurio licèt mitiùs, quàm puberes, ſi ſint doli capaces, ut notat Gloſſa.

6 Reſpondetur, Pontificem *in d. c. pueris 1.* loqui de pueris proximis pubertati, quia loquitur de pueris grandiuſculis, tales enim intelliguntur, qui decimum ætatis annum cum dimidio expleverunt, proinde ſunt proximi pubertati, non verò loquitur de infantibus infantiæ proximis, licèt ſint doli capaces, ut notat Ancharanus *in d. c. pueris n. 4. v. doli capax h 1.* Ananias ibid. *n. 3. v. adverte, & n. 6. v. collige etiam.* Covarruvias *in epit. p. 2. c. 3. n. 5.* ubi redarguit Gloſſam aſſerentem, puerum ſeptennem eſſe puniendum, quando eſt doli capax, & addit rationem, quia ad juridicam punitionem non ſufficit ſola capacitas doli, ſed ulteriùs requiritur proximitas pubertati. Quòd ſi objicias punitionem infantis quinquennis rapti à dœmone in pœnam blaſphemiæ, cujus meminit D. Gregorius Papa, reſpondet Ananias *in d. c. pueris 1. n. 3. ad medium v. adverte,* infantem illum, potiùs fuiſſe ereptum in pœnam patris, qui neglexit puellum illum corripere, quia in illo infante ex defectu ætatis nulla erat doli capacitas, niſi fortâſſis malitia ætatem ſuppleverit, in quo caſu non eſt id trahendum in conſequentiam, cum nonniſi rariſſimè id contingat. Gomez itidem in *d. c. pueris 1. n. 57. h. t.* ait caſum illius pueri blaſphemi contigiſſe ex Dei judicio; & ea quæ Dei nutu aguntor, non eſſe ſub lege *c. Dna 19. q. 2.*

7 Quæritur quintò, an minores infantiæ proximos, ſi homicidium committant, incurrant pro eo pœnam in jure injunctam? Reſpondetur, plures cum Molina cenſere minorem infantiæ proximum non incurrere talem pœnam: eò quia hujusmodi infantes non multum diſtent à furioſo, nec poſſint bene diſcernere, quid agant *§. pupillus inſtit. de inutil. ſtipul.* Verùm quidquid ſit de pœna juris incurrenda, eò quia excuſentur ex defectu ætatis, ſeu proximitatis pubertati, nihilominus, quia pueri à ſeptimo ſuæ ætatis anno ſunt doli capaces, ideò usque ad decimum cum dimidio tenentur in foro conſcientiæ damnum datum integrè reſtituere, præſertim ſi cum culpa theologica lethali damnum illud intulerunt: ſiquidem jure naturali ad id obligantur ob culpam theologicam: idque procedit, quamvis pro damno à pueris à ſeptimo ſuæ ætatis anno usque ad decimum cum dimidio illato non concedatur actio legis Aquiliæ.

Quæritur ſextò, an ſi infantes ante ſeptennium polleant uſu rationis, ſintque doli capaces, fiant irregulares, ſi aliquem occidant. Plures affirmant præſertim Hoſtienſis, & Panormitanus in *c. pueris 1. h. t.* ſed communior, & verior ſententia id negat, quia cùm irregularitas inventa ſit jure humano, non incurritur niſi in caſibus jure expreſſis *c. is. qui de ſent excommun. lib 6.* Archidiac. *in c. Apoſtolica diſt. 56. in princ.* Felinus *in c. Ad audientiam in fin. de homicid.* unde niſi aſſerentes tales infantes incurrere irregularitatem adduxerint textum in jure canonico, quo id aſſeratur, judicandum eſt in favorem eorundem infantium, nimirum eus non incurrere irregularitatem; ratio itidem eſt, quia cum irregularitas ſit pœna, debet potiùs reſtringi, quàm ampliari, proinde non debet excedere proprium caſum, & cum in jure nullibi reperiatur, quòd infans nondum ſeptennis incurrat irregularitatem, concludendum eſt, hanc non contrahere in tenella illa ætate ante ſeptennium, ut etiam notat Saycus *de cenſur lib. 6. c. 17. n. 30.* 8

Quæritur ſeptimò, an puer ſeptennio major, ſi non habeat plenum rationis uſum ad peccandum lethaliter, incurrat irregularitatem, ſi homicidium committat? Reſpondetur, communiorem ſententiam eſſe, neque tunc contrahere irregularitatem, & ita docet Gloſſa in *clement. ſi furioſus.* Ratio eſt, quia quoties dubitatur, an puer habeat plenum rationis uſum in tali dubio quoad votum, & ad alias obligationes judicatur in favorem pueri: ergo ſicut excuſatur à voto in dubio, an habuit uſum rationis, quando vovit, ut docet Sotus *de juſtit. lib. 7. q. 3. art. 3.* & favet D. Thomas *2. 2. q. 189. art. 5. ad 3.* ita à fortiori puer ſeptennio major, ſi non habeat plenum rationis uſum ad peccandum lethaliter, erit excuſandus ab irregularitate incurrenda ob homicidium, quod defectu uſus rationis fuit illi involuntarium, ac proinde commiſſum ſine conſenſu, cum enim talis irregularitas tunc contrahatur propter homicidium non utcunque, ſed ut voluntarium non contrahitur ab illo, qui caret pleno uſu rationis. 9

Quæritur octavò, an infantes infantiæ proximi, ſi doli capaces ſint, poſſint anathemate percuti? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de Regul. c. 5.* ubi ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ prohibet, nemini licitum 10

Digitized by Google

tum eſſe cujuſcunque generis, aut conditionis, ſexûs, vel ætatis fuerit, ingredi ſepta Monialium ſine Epiſcopi, vel ſuperioris licentia in ſcriptis obtenta, idque etiam confirmavit Gregorius XIII. cujus initium eſt *ubigratia* edita Idibus Junij anno 1575. & quia tam Concilium, quàm conſtitutio Pontificis utuntur verbis *illis cujuſcunque conditionis, ſexûs, vel ætatis*, utique comprehendunt etiam pueros ſeptennes, dummodo ſint doli capaces, ut etiam aſſerit Emmanuel in expoſitione motûs proprij Pij V. Tum quia Doctores tantùm excludunt pueros nondum adeptos rationis uſum, ut non comprehendantur in decreto Concilij: Cæterum pueri ſeptennes maximè, qui uſu utuntur rationis poſt expletum ſeptennium comprehenduntur in decreto Concilij, & incurrunt excommunicationem, ſi Monialium Monaſteria ingrediantur, niſi excuſentur ignorantiâ, quia tunc ſicut excuſantur à culpa ratione ignorantiæ, ita etiam ab incurrenda excommunicatione.

11 Quæritur nonò, an pueri qui nondum quartumdecimum attigerunt ætatis annum poſſint ob patrata delicta puniri pœnâ capitis? Reſpondetur negativè ex cõmuniori ſententia; & colligitur *ex cap. omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſ.* Ubi habetur, omittentes annuam confeſſionem arcendos eſſe ab ingreſſu eccleſiæ, ac privandos eccleſiaſtica ſepultura: atqui non ſunt excõmunicandi qui nondũ decimumquartum ætatis annum attigerunt, quia pueri infra talem ætatem non puniuntur pœnâ ordinariâ, ſed alia mitiori arbitraria penſatis circumſtantiis, ut notat *Tiraquel. de pœnis temperandis cauſa 7. n. 6.* & habetur etiam *in L. excipiuntur ff. ad Syllan.* ubi puer ob grave delictum fuit punitus pœna arbitraria, & aſſignatur ratio ibi. *Nam is puer non multum à pubertate aberat*, & docent Blanch. *in pract. § imbecillitate n. 3. fol. 77.* Menochius *de recuper. remed. 7. num 41.* & alii ea nitentes ratione; quia adoleſcentia ſuapte natura eſt proprium incitamentum vitiorum, ac lubrica ad ipſa propenſio; adeout delicta illius ætatis tribuenda potiùs ſint naturali propenſioni ætatis lubricæ ad vitia, quàm pertinaci malitiæ, ac improbitati: hinc Seneca ad arcendus iræ impetus *lib. 3. de ira* præ cæteris ait: ad iram propenſiùs pueros accendi, quàm viros, ut etiam faciliùs fœminas: ait Seneca: *Puerum ætas excuſat*; ratio itidem eſt: quia ut notat Ariſtoteles *lib. I. Polit. cap. ult.* adoleſcentia nondum habet plenum judicium, neque conſilium, idque habetur etiam *in l. 1. ff. de minoribus*: hæc que etiam cauſa eſt, cur minoribus viginti quinque annis detur remedium reſtitutionis in integrum; tribuatúrque tutela curatoris.

12 Hinc non mirum ſi pubertati proximi graviter delinquentes puniendi ſint arbitrio judicis pœna extraordinaria, quæque tenellæ illi correſpondeat ætati, ut notat Farinacius *quæſt. 92. de Pœnis temperandis nu. 171.* Tiraquel. *de Pœnis temper. cauſa 7. n. l. & 8.* Hinc neque pupillus eſt afficiendus pœna capitali, nec membri mutilatione, ut notat Julius Clarus *in praxi §. fin. quæſt. 60. n. 3. verſ. ſed in omnem caſum* Imò neque damnandi ſunt ad triremes ob teneram ætatem, ut notat Tiraquel. *l. 1. n. 171.* bene tamen verberibus, etiam publicè cæduntur, ut alij ejusdem ætatis à ſimilibus delictis avertantur. Regulariter tamen ob delicta carnis pueri ſi non ſint pubertati proximi puniuntur ferulâ non publicè, nec per miniſtrum publicum juſtitiæ ſed per conſanguineos, vel ludimagiſtros.

Quæritur decimò, an quando minor, vel impubes deliquit in ætate tenella eum excuſante à punitione, poſſit poſtea puniri cum primùm majorem ætatem attigerit? Reſpondetur negativè cum Julio Claro *in l. 1. c. 5 adverſ. delict. in crimin.* Tiraquel, *de Pœnis temper. cauſa 7. n. 8.* ratio eſt, quia attenditur tempus delicti non punitionis: habenda eſt enim ratio ætatis, in qua pro eo delicto non erat impubes puniendus pœna ordinaria, quâ puniuntur adulti. 13

Quæritur undecimò. An minores qui expleverunt annum ætatis decimumquartum ſi graviter delinquant usque ad annum vigeſimum quintum puniendi ſint pœna ordinariâ? Reſpondetur quoad crimina carnis, etiam adulteriis, minores ſemper eſſe mitiùs puniendos juxta plurium ſententiam, quam docet, Gomez *tom. 3. c. l. de delict. n. 62. per. l. auxilium §. in delictis ff. de minoribus* ibi: *Niſi quatenus interdum miſeratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem perduxerit.* Verior tamen ſententia docet, puberes quamvis minores ſint ſi ſemel attigerint annum decimum ſeptimum, & compleverint decimum ſextum ætatis eſſe puniendos pœna ordinaria; & colligitur *ex lege ſi adulterium cum inceſtu ad fin. ff. de adult.* ubi habentur: *cum aliàs adulterij crimen, quod poſt pubertatem delinquitur, non excuſetur ætate*, ex quo textu claret, adulterium etiam in minoribus, qui attigerunt pubertatem puniri pœna ordinaria. Idque firmatur *ex lege auxilium §. in delictis ff. de minoribus*: ubi poſtquam Juriſconſultus generaliter ſtatuit in atrocioribus delictis, judicem propter ætatem immaturã poſſe ad miſericordiam aliquando moveri, addit nullam deprecationem adulterij pœnæ eſſe. Sunt plurium regnorum leges, quibus minores ſive mares ſint, ſive fœminæ ſi vigeſimum ætatis annum excedant, puniuntur pœnâ totali patratis delictis correſpondente, perinde ac ſi eſſent majorennes, ſeu annum expleviſſent ætatis vigeſimum quintum. 14

Sin verò minores ſint annorum ſeptemdecim, tunc usque ad vigeſimum puniuntur arbitrio judicis, vel pœna ordinaria, vel aliâ mitiore conſideratis priùs circumſtantiis, gravitate delicti, ac qualitate perſonæ delinquentis: hiſce penſatis, ſi judici viſum fuerit, poteſt minorem etiam ſeptemdecim annorum punire pœna integra reſpondente delicto, quamvis ſit pœna mortis; leges iſtæ vigent præſer- 15

in Luſitania, aliiſque provinciis per Germaniam. Imò etiam Romæ fuit ultimo ſupplicio punitus paucis abhinc annis minor ſeptemdecim annorum, eò quia proditoriè ſuum occiderat herum, cui famulabatur. Sin verò minorennis decimum ſeptimum ætatis annum deprehendatur nondum expleviſſe, tum ultimo ſupplicio non afficitur; ſed pœnâ plectitur mitiore arbitrio judicis. De jure tamen communi minores in delictis carnis ob lubricum illius ætatis mitiùs puniuntur.

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

Delictis puerorum adnectit Pontifex quædam peculiaria Clericorum delicta, quæ vel non puniuntur in laicis; vel ſaltem graviùs plectuntur in Clericis: & inter hæc delicta recenſetur venatio, quæ laxandi animi cauſa à clericis nonnunquam ſuſcipitur: unde in præſenti titulo agitur de Clerico Venatore.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Duorum capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

C. EPISCOPUM 1. h. t. Ex Concilio Aurelianenſi ſtatuitur non eſſe licitum Epiſcopo, Presbytero, vel Diacono habere venaticos canes, accipieres, vel alia hujuſmodi ad venandum. Et ſi quis in iis ſæpe deprehendatur, ut ſit ſuſpendendus ſcilicet Epiſcopus à communione tribus menſibus, Presbyter duobus, & Diaconus ab omni officio. Ubi notat Gloſſa, id non eſſe licitum ad voluptatem, & textum potius loqui de venatione clamoſa, eò quia venatio ad laxandum animum non clamoſa & rara, hoc eſt non ſæpius iterata, non videtur prohibita clerico c. amputatis diſt. 86. *eſt tamen ſemper prohibita Epiſcopis* c. 1. diſt. 36. *Cæterum venatio oppreſſiva hominum eſt ſemper illicita* c. non eſt peccatum diſt. 6. *Saltuoſa, & clamoſa quamvis licita ſit laicis, non ita Clericis.*

C. OMNIBUS 2. & ult. h. t. Ex eodem Concilio interdicuntur omnibus ſervis Dei venationes & Sylvatica vagationes cum canibus accipitribus, & falconibus. Ubi notandum eſt, in hoc ſecundo capite interdici præſertim venationes periculoſas, clamoſas & tumultuoſas, ut ſunt venationes caprarum, damarum Sylveſtrium, cervorum. Cæterum ſi Clerici ſint tantùm in minoribus conſtituti non prohibentur modeſtè, & ſine periculo interdum venari ad laxandum animum, ut notat Barboſa hic n. 2. Nimia tamen venandi aſſiduitas eſt prohibita Clericis, quia hæc animum diſtrahit à divinis, & perſæpe conjungitur cum neglectu divinorum officiorum, & etiam eſt obnoxia ſcandalis.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Cur Venatio ſit Clericis interdicta, & quibus pœnis plectatur.

1 Venatio eſt aucupatio animalium, quæ à natura ſua feræ ſunt, unde venari, perinde eſt, ac feras indagare. Triplex eſt venationis ſpecies, una oppreſſiva, ſecunda arenaria, & tertia ſylvatica. Venatio oppreſſiva dicitur, in qua quis eſt oppreſſor hominum, & de hac venatione dicitur *Genes. c. 10.* quod Nembroth erat robuſtus venator coram Domino *c. final. 6. diſt.* & in hoc ſenſu etiam ſolet explicari textus David Pſ. 60. *quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium.* Venatio arenaria eſt, quâ quis pugnat cum beſtiis, & ſi gratiâ quæſtûs id faciat, infamiam incurrit *L. 1. §. item Senatus ff. de poſtul.* hæc enim venatio ob evidens vitæ diſcrimen, quod venator adit, reprobatur, ac omnino damnatur.

Plura

Plura de hac venatione congerit Matiana *in tractat. de ſpectacul.* & Lypſius *de amphithear. c. 3.* VenatioSylvatica aucupetoria, ſaltuoſa eſt, quâ venatores armis, & cenibus ſeras, cervos, apros, damas in ſylvis inſequuntur, & occidunt, vel evium cantu alies alliciunt aviculas, ques eucupes retibus, vel aliis inſtromentis aucupantur.

2 Venetio clamoſa, ſeo ſeltuoſe licita eſt omnibus laicis, & approbatur nt honeſta à D. Hilerio in *Matth. c. 10.* ubi eit: *non eſt criminis agere aucupium, ut arbitror,* quia juvenes inde animum innocenti exereitio laxant, & aptiores fiunt, ac præſtantiores. Clericis verò hujusmodi clamoſa, & ſaltuoſa venatio prohibita eſt *in c. Epiſcopum 1. h. t.* ubi Concilium Aurelianenſe declerat, non eſſe licitum Epiſcopo, Presbytero, vel Diacono alere canes venaticos, eccipitres, & alie hujusmodi enimalia ad venendum. Quòd ſi quis in hiſce detineatur ad voluptetem, Concilium mandat ſuſpendi, & ſi ſit Epiſcopus ſuſpenditur à communione tribus menſibus, ſi Presbyter duobus, ſi Diaconus eb omni officio.

3 Non tamen omnis venatio eſt Cleticis prohibita, ſed tantùm ee, quæ inſtituitur cum tumultu, ingenti ermorum ſtrepitu, cenúmque clamoribus, ſi frequenter fier, & ed ſolam inde voluptetem captandem: unde ſi venetio ſit quiete, & moderate cum retibus, vel lequeis, & raò fiat, non eſt prohibita clericis, ſed licita, ſive inſtituetur cauſe neceſſitetis ad capiendas ſeres noxias, & quæ plurimum inferunt damni campis, & vineis Clericorum, quie tunc clerici potius intendunt defendere res proprias, ne demnum patiantur: vel utilitatis cauſa, ut quia notabilem pertem redituum percipient ex venatione, eò quia captas feras, & earum pelles dent venum: ſive etiem inſtituatur venatio corporalis exercitij causâ, ut docent Hoſtienſis, & Abbas hic, ut etiam Sylveſter *V. venatio.* Idque ex eo etiam oſtendi poteſt, quia venatio ex netura ſua eſt actus, ac res indifferens; quæ retione circumſtantiarum nimirum perſonæ, finis, tempotis, & modi poteſt honeſtetem induere, vel turpitudinem.

4 Cæterum ſi venatio prohibita eſt Clericis, multò magis Monachis, & aliis Religioſis, ut habetur *in clement. 1. c. porro de ſtatu Monachor.* quie venatio viros Religioſos megis dedecet, quèm clericos, adeò ut nec remittendi animi ceusê licitum ſit Religioſis, & Monachis venetiones inſtituere. Tum quia ſervis Dei venetiones, & ſylvaticæ vegationes cum canibus interdicuntur *in c. omnibus 2. h. t.* in quo omnibus ſervis Dei interdicuntur venationes, & ſylvaticæ vagationes cum canibus, accipitribus, & ſelconibus: nomine autem ſervorum Dei præcipuè veniunt Monachi, & Religioſi, qoinimò ſe etiam extendit hoc nomen ad ipſos clericos; cùm & ipſi ſint ſervi Dei ratione ſtatûs clericalis, quo Dei ſervitio ſunt ſpecieliter mancipeti; imò ex eo, quòd *in d. c. 7. h. t.* generaliter, & indiſtinctè ſervis Dei omnibus venetio interdicatur, putent aliqui etiam laicis Chriſtianis per textum illum venetionem clamoſem, & ſaltuoſam cum armis, & canibus prohibitem eſſe.

Sed contra quia licèt Chriſtiani ratione ſuſcepti beptiſmi ſint & ipſi ſervi Dei; nihilominus in iſto textu ſumitur ſervus Dei juxta ſuum ſpeciele ſignificatum, quetenus ſignificat virum religioſum, Monachum, aut clericum, quia iſti ſtrictiùs, quàm laici Dei ſervitio ſunt mancipati *c. clericos diſ. 71. c. cum ſecundùm de prabend.* & habebetur etiam textus differtus *in c. ſicut 2. q. 7.* ubi cùm Fabianus Pontifex prohiberet clericis, laicos accuſare, hanc adjecit rationem: *quia ſervum Dei non oportet litigare.* Unde *in d. c. 2. h. t.* venatio clamoſa cum armis, & canibus non ſolùm Monachis, & Religioſis, ſed etiam clericis interdicitur: & ratio eſt, quie venatio eſt quoddam bellum, vel belli præludium, ut aſſerit Xenophon *lib. 1. de venat.* & quie Eccleſia eſt pacis, & quietis amantiſſima, rectè venationem Monachis, Religioſis, & Clericis interdixit, cùm velit eos ſtudiis pacis detineri, orationi, ac lectioni ſacræ ſcripturæ vecare. 5

Tum quia, qui venationum exercitiis occupantur, nimis diſtrahuntur, & vix ſacræ lectioni, orationi, & recitationi breviarij dant operam; ſiquidem venatores ſummo mane incipiunt per ſylvas vegari, ut feras inveniant, quas inſequantur, & plerumque per totam diem huc, illúcque diſcurrunt; & nocte omnino defeſſi, vix ad recitationem breviarij animum adjiciunt, nec quid aliud loquuntur, quàm de modo, quo ferem vulneraverunt, & fuerunt inſecuti: hinc Clerici, qui ſpecialiùs ſunt Dei ſervitio mancipati, ſi venationibus licitè operam darent, valde diſtraherentur à Dei ſervitio, vixque poſſent penſum ſuæ ſervitutis ſolvere; nec quid aliud cogitarent, quèm de venetionibus, locisque, ubi feræ morantur; unde certè ipſis prohibetur venatio, ne diſtrahantur à proprio miniſterio. Hinc D Hieronymus *in c. Eſau 86. diſt.* ait: *Nunquam legimus ſanctum venatorem.* & Abulenſis *in c. 6. Matth. q. 43. in fin.* ait: *Et propter hoc ſancti viri non ſe dederunt huic occupationi, ſicut piſcationi; quia venatio vix ſine nocumento proximi exercetur, ideo non legimus ſanctos venatores, ſed piſcatores.* Hæcque fuit ratio, cur Nicolaus Pape ſcribens ad Alvinum *epiſt. 1.* exclamet *O miſeram vitam hominum, & maximè ſacerdotum: qui dum lucrandis fidelibus debent inſiſtere, venandis feris incumbunt; & quos capere oportet homines, capiunt aves: qui dum mortibus ſtudent animalium, vitam ſuam perdunt. O infelicem vitam ſuper omnem vitam: nam in quo quis magis carnalis appuret, quàm in tali vita? venator enim nihil preter carnes capit, nec alio magis delectatur, quam carnibus.* 8

Poſſet tamen in oppoſitum objici, quia venatio jure naturæ eſt omnibus conceſſa *l. 1.* 9

§. final. l. ſequent. ff. de acquirend. domin. l. 1. in princ. ff. de acquir. poſſeſſ. § *feræ inſtit. de rer. divis. c. 17. tit* 20. & fusè probant Cujacius *l. 4. obſervat. c. 2.* Covarruvias *in regul. peccat. 2. p. §. 8.* ſed quæ ſunt juris naturæ lege poſitiva non poſſunt prohiberi *l. eas 8. ff. de capit. dimin. l. abdicatio 6. c. de patria poteſt. c. ſunt quidam. 25. q. 1.* unde contra diſpoſitionem juris naturæ Eccleſia non videtur potuiſſe Clericis prohibere venationem, & aucupium. Idque ex eo firmari poteſt, quia Deus omnia animalia tam terreſtria, quàm volatilia ſubjecit dominio hominum: ſiquidem gratia hominum, & ad eorundem uſum, creavit Deus animalia tam terreſtria, quàm volatilia, ut habetur *Genes. 1. §. in pecud. inſtitut. de rer. divis.* unde Eccleſia non debet Clericis interdicere ferarum, aviúmque uſus mediante venatione, & aucupio.

10 Sed contra quia tametſi venatio ſit juris naturæ, & omnibus hominibus communis, ſi conſiderentur homines præcisè, ut tales; non tamen eſt illis communis ratione ſtatus, quem delegerunt, qui cum venationibus non poteſt cohærere, cùm enim Clerici ſe mancipaverint Dei ſervitio, à quo vel maximè diſtrahit venatio, ideo Eccleſia Clericis, non ut hominibus, ſed ut Clericis addictis Dei ſervitio prohibuit venationem. Tum quia venatio eſt tantùm juris naturalis permiſſivi, non verò perceptivi; proinde poteſt ab Eccleſia prohiberi Clericis, ne diſtrahantur à ſuis officiis. Tum quia ex juſtis cauſis etiam Principes ſæculares poſſunt venationes prohibere, & de facto plerisque in locis eas prohibent, & qui venari audent, ſeverè puniuntur: unde à fortiori poteſt etiam Eccleſia eas Clericis prohibere; quia ſi Principes ſæculares eas prohibent, vel ut animalia nutriantur, & multiplicentur; vel ut ipſi ſoli hac gaudeant animi remiſſione, vel ut bonum promoveant communitatis; ita Eccleſia potiori jure potuit Clericis venationem interdicere, ne diſtrahantur à divinis miniſteriis.

11 Ad confirmationem reſpondetur, uſum animalium, & avium clericis non prohiberi, dummodo licitè, & honeſtè utantur animalibus, & avibus, & ad id fuerunt hæc animalia creata, non verò ad improbum uſum, ſeu per venationem Clericis interdictam.

12 Quòd ſi dicas, piſcationem non eſſe clericis prohibitam, conſequenter neque eſſe iiſdem interdictam venationem, eò quia piſcatio, & venatio in jure comparantur *§. feræ. § flumina inſtit. de rer. diviſione:* quòd verò piſcatio ſit Clericis permiſſa, habetur in *c. Eſau 86. diſt. c. nunquam de conſec. diſt. 5.* ergo & venatio erit Clericis licita, præſertim cùm utilis ſit ad relaxandum animum.

13 Sed contra, quia eſt diſcrimen inter piſcationem, & venationem, illa enim exercetur ſine armis, & clamore, nec inſert campis damnum; nec ita diſtrahit animum: ſecus venatio ſylvatica, & ſaltuoſa cum armis, & canibus clamores, rumores, ſtrepitus ſecum adfert, qui viros clericos dedecent. Tum quia venatio animos ad bellum inſtruit, efficitque efferatos, quibus volupe ſit ſanguinem fundere, unde D. Hieronymus rectè dixit, nunquam nos legere ſanctos venatores, benè tamen plures Piſcatores, præſertim Apoſtolos, qui etiam poſtquam Dominum ſecuti fuerunt, honeſtum illud piſcandi exercitium minimè reliquerunt: quia ut ait D. Gregorius Papa *homil. 24. in Evangel. Joan. c. 21.* negotium, quod ante converſionem ſine peccato extitit, hoc etiam poſt converſionem repetere culpa non fuit: unde piſcatio, ideo permiſſa eſt clericis, quia in illa ceſſant rationes, ob quas venatio illis interdicitur. Tum quia piſcatio exemplum habet Apoſtolorum, quos Chriſtus piſcantes ad ſe vocavit, juſſitque retia laxare ad piſcandum.

Pœnæ clericis venatoribus jure impoſitæ ſunt, ſuſpenſio, præſertim ab officio, & aliæ arbitrariæ; ſi enim Epiſcopus frequenter venationes clamoroſas exerceat, ſuſpenditur per tres menſes à communione, ſeu officio: Presbyter verò per duos: & Diaconus ab omni officio ſine tamen præfinitione certi temporis; adeò ut Epiſcopus poſt aliquot dies, vel prout conſultiùs ipſi viſum fuerit, poſſit cum Diacono diſpenſare. Secus cum Epiſcopo, vel Presbytero ante trimeſtre cum illo, & bimeſtre cum iſto diſpenſare non poteſt, ut notat Decius *in pract. canon. v. venatores c. 71. in addit.* Subdiaconus etiam ſi venationes frequentet, eadem afficitur pœnâ, quâ Diaconus *argum. c. penult. de ſervis non ordinat.* Demum Clerici initiati minoribus ordinibus ſi frequenter venationibus vacent, puniuntur arbitrio Judicis, quia in jure nulla certa pœna ſtatuitur *argum. c. de cauſis 4. de offic. Judic. Deleg.* 14

Verùm id procedit de clericis initiatis minoribus Ordinibus, & habentibus beneficia eccleſiaſtica: quia ſi nondum beneficia obtinuerint, non incurrunt pœnas ex eo præcisè, quod venationibus vacent. Præterea, ut incurrant pœnam ſi beneficia habent requiritur, ut præcedat admonitio *argum. c. indignæ 21. caus. 12. q. 2.* ubi habetur, quòd admonitio debeat vindictam præcedere. Alij verò contrarium ſentiunt, & aſſerunt, monitionem hanc tantùm operari, ut ſi Clericus admonitus nolit ſe ab exercitio abſtinere venationum, poſſit deponi, ac privari beneficio, non præcisè propter venationem; ſed ob inobedientiam. 15

Rigor tamen iſte antiquorum canonum hodie videtur perquam remiſſus, cùm Clerici etiam Presbyteri impunè venationibus vacent; ſi enim non ita frequenter eas exerceant, à nemine puniuntur. Tum quia venatio ſuapte natura res eſt indifferens, & poteſt cohoneſtari ratione finis, ſi nimirum exerceatur causâ honeſtæ recreationis. Præterea exercere in propriis vivariis venationem, non videtur Clericis interdictum, ut colligitur *ex c. cum venerabilis de cenſib.* ubi Innocentius III. agit de 16

Spal-

Spallis, & Friſingis, quas Prior S. Stephani quot annis Epiſcopo Faventino ſolvebat; eſt autem ſpalla armum, ſeu membrum ferarum, quod Abbas perſolvebat Epiſcopo ex feris,ut ex apris, vel ceruis pro licentia venandi juxta eundem Innocentium III. *lib. 13. Regeſt. in epiſt.* ad Abbatem S. Mariæ Rotundæ: ubi dicitur: *Et quod ad Abbatis & partium inſtantiam ſylvam bannierant Ravennates, & qui venabantur in ipſa, reddebant eidem ſingulis annis ſpallam porci*, ex quo textu dicitur, Abbatem, & Monachos S. Stephani venationem exercuiſſe in Faventina Diœceſi.

17 Id verò intelligitur de venatione in nemoribus, & vivariis propriis. Verùm præſertim, Abbatem, & Monachos non exercuiſſe talem venationem per ſe ipſos immediatè,ſed tantùm per homines ſæculares ad id deputatos, eò quia reditus, & proventus Monaſterij potiſſimum in venatione conſiſterent. Venatio enim prohibita eſt Clericis ob præexpenſas rationes; unde quoties in jure canonico Monachis permittitur venatio intelligitur de venatione exercenda per homines ſæculares, non verò per ſe ipſos immediatè.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

EX eo, quòd venatio clamoſa, & ſaltuoſa ſit omnibus laicis licita, niſi à proprio
1 Principe prohibeatur, adhuc ſuperſunt quoad laicos aliquot difficultates expediendæ. Quæritur primò,an poſſit quis venari in prædio alieno? Reſpondetur ſervatis aliquibus conditionibus, licitum eſſe, nimirum ſi damnum non inferatur prædio: nec feræ ſint ibi clauſæ, & Dominus prædij ſibi non reſervaverit jus venandi in tali prædio, in quo ipſe ſolus velit venari, quia quiſquis poteſt jus venandi in ſuis prædijs ſibi reſervare,& alijs prohibere, ne ibi venentur §. *feræ inſtit. de rerum divis.* Quòd ſi Dominus prædij nollet ipſe venari in tali prædio, & feræ ibi multiplicatæ damnum inferrent, tunc nonniſi irrationabiliter prohiberentur alij venari in tali prædio. Quinimò Dominus prædij, ſi id prohiberet, teneretur ad reſtitutionem damnorũ, quia ob ſuam prohibitionem eſſet in cauſa, cur multiplicatæ feræ damnum alijs inferrent, ut notat Covarruvias *num. 11. ad regul. peccatum p. 2. § 8.*

2 Debent tamen venatores cautè procedere, ne tranſeuntes per aliena prædia damnum inferant, proterentes ſata, ſternentes ſegetes, excutientes grana, lædentes plantas, deſtruentes vineas, diſſipantes ſepes: alioquin tenerentur & ipſi ad reſarciendum damnum illatum: ſiquidem vel venatio inſtituitur recreationis cauſa; vel ad proprium commodum, vel ad bonum commune, ne multiplicatæ feræ damnum inferant agris, pecoribus, & hominibus. Si venatio inſtituatur laxandi animi cauſâ, vel etiam in proprium commodum; certum eſt, non poſſe venationem exerceri cum damno alieno, tametſi venator eſſet perſona publica, imò & Gubernator loci; quia in iis, quæ ipſe agit in commodum proprium, comparatur ad ſubditos, ut privatus ad privatum,quapropter non minus tenetur de damno reſarciendo, quàm ſi eſſet privatus.

Quòd ſi venatio inſtructa ſit ad bonum 3
publicum, adhuc æquum non eſt, ut damnum pro bono publico à paucis duntaxat hominibus ſuſtineatur; id enim eſſet contra juſtitiam diſtributivam exigentem, ut pro bono publico omnes privati proportionaliter incommodum ſentiant: ſicut enim bonum, quod intenditur commune eſt; ita æquitas exigit, ut etiam damnum ſit commune: quapropter paucis illis privatis, quibus damnum infertur,deberet hoc ipſis compenſari ex bono publico,ut per remiſſionem tributorum: ut etiam quando ob bonum publicum occupatur ager alicujus, ut in illo erigatur propugnaculum,compenſatio fieri debet ex publico,quia propugnaculum erectum in tali agro defendit cauſam communem.

Quæritur ſecundò, an præſcriptio poſſit 4
excuſare à compenſandis damnis illatis cauſâ venationis; quando tota venantium turba cùm equis, & canibus pro ut occaſio tulerit per media ſata irruit, diſſipans ſepes, proterens ſata, ſternens ſegetes, & alia id genus inferens damna; adeò ut ob præſcriptionem non teneatur venator ad illata damna reſarcienda? Reſpondetur, præſcriptionem poſſe excuſare, ſi nemo querelas apud Judicem deponat. Verùm tunc ut titulus præſcriptionis ſubſiſtat, conſtare debet, de ipſa conſuetudine, & uſu, qui memoriam hominum antecedat: rurſus quòd aliàs non fuerit facta compenſatio, quando damna illata fuerunt gravia: & demum quòd damna paſſi ſuas apud Judices querelas non depoſuerint; nec lites moverint contra eos, qui damna intulerunt; & quòd id non præſtiterint ex deſperatione obtinendi juris, aut metu majoris mali; ſed prorſus omnino liberè, & animo condonandi: quia cùm præſumptio ſit in contrarium, non præſumitur bona fides in venatoribus inferentibus damna illa: quo pacto nec Tyrannus poteſt uſucapere jus imperij in populum liberum, ſi ſolo metu illum coërceat; quia tunc populus non præſumitur liberè conſentire in jus illud: præſcriptio enim in ijs, quæ præſumuntur, violenter uſurpata non dat jus, niſi quatenus tanti temporis uſus,& poſſeſſio præſumptionem parit liberi conſenſus eorum, ad quos pertinet.

Quæritur tertiò, an teneatur ad reſtitutionem, qui contra juſtam prohibitionem ve- 5
natur. Certum eſt, venationem poſſe licitè prohiberi. Primò ratione ſtatus perſonæ,quo pacto prohibetur Clericis, & multò magis etiam Monachis, & Religioſis,ſi ſermo ſit de illa venatione, quæ fit magno ſtrepitu canum,& armo-

armorum, ut expendimus *in c. Epiſcopum 1. h. t.* adeò ut frequentatio talium venationum vix in Clericis, & Religioſis excuſari poſſit à culpa gravi: licèt, ut diximus *in d. c. 1. h. t.* quieta venatio cum retibus, laqueis uno tantùm vel altero cane venatico, dummodo rarò inſtituatur non cenſeatur eccleſiaſticis prohibita, ſive fiat neceſſitatis cauſa, ſive moderatæ remiſſionis gratiâ, ut notat Panormitanus *in d. c. Epiſcopum 1. h. t.* ſecundò poteſt venatio prohiberi ratione temporis, quo pacto videtur prohibita diebus feſtis, & jejunij *in c. an putatis diſt. 86.* Verùm putârim venationem, & aucopium non eſſe opus ſervile; proinde textum illum eſſe intelligendum ſi ratione venationis deberent Venatores jejunium transgredi, vel ſacrum omittere: nihilominus in quibusdam ſolemnioribus feſtis, ac jejuniis valde indecorum foret ſaltuoſam, & clamoſam inſtituere venationem, cùm ad illam plurimum requiratur laboris, corporis agitatio, & tota animi effuſio. Tertiò etiam licitè prohibetur venatio ratione publicæ utilitatis, ne feræ omnino exhauriantur: quo pacto ſolent plerisque in locis venationes illis præſer-
5 tim menſibus prohiberi, quibus feræ ſunt gravidæ. Quartò etiam ratione loci poſſunt à Principe venationes prohiberi in aliquo particulari loco. Si venatio tantùm prohibeatur ratione ſtatus, ordinariè non eſt niſi peccatum veniale talem prohibitionem transgredi; dummodo non adſit ſcandalum, nec periculum mutilationis, vel occiſionis, & tunc animal captum non debet neceſſariò reſtitui, quia conditio perſonæ, vel temporis non conſtituit actum illum injuſtum, nec rem obnoxiam reſtitutioni.

6 Hinc tametſi venatio prohibita ſit ratione publicæ utilitatis, ſi modus venandi non ſit notabiliter pernicioſus commodo reipublicæ, nec videtur eſſe peccatum lethale, neque animalia capta in foro conſcientiæ reſtituenda ſunt, ut notat Covarruvias *ad regul. peccatum p. 2. §. 8.* quia tunc jura non prohibent ipſam ferarum acquiſitionem, cum id non exprimant, ſed tantum ipſum uſum venationis: & uti ſimpliciter venatione contra prohibitionem legis non cenſetur notabilis injuria, vel læſio illata Reipublicæ; cùm jure gentium licitum ſit occupare feras, quæ nullius ſunt Domini: hinc venator non tenetur captas venatione feras reſtituere. Sin verò quis venaretur in alieno fundo invito Domino, neque teneretur reſtituere feram ibi captam, ſed tantùm damnum illatum; ſi ſegetes protriviſſet, vel alia damna intuliſſet, ut notat Covarruvias *loc. cit. §. 8. n. 4.* ratio eſt, quia fera tametſi capta in fundo alieno, non tamen erat ſub dominio illius, proinde tranſit in dominium primò occupantis: non enim animantia ſunt fructus agrorum, vel ſylvarum, aut fluviorum, ſicut arbores ſolo hærentes, & fructus ex iisdem penduli, ut rectè docet Covarruvias *in d. reg. peccatum n. 12.*

Cæterum venator tenetur reſarcire damna illata fundo alieno, quia qui venatur in alieno fundo invito Domino irrogat illi injuriam, quia quilibet habet jus, ut nemo ei damnum inferat in ſuo fundo, neque ut venationem inſtituat ipſo nolente *l. item ſi fundi 9. §. aucupiorum ff. de uſufruct.* ibi *redditus aucupiorum ſicut & venationum ad fructum agri pertinere, nec eſſe rationabile in agro alieno quemquam nolente Domino aucupari.* Hinc ſi venator in fundo alieno damnum inferat, tenetur illud compenſare, præſertim ſi ſegetes proterat, ſepimenta diſſipet, novellas plantas evellat: quòd ſi damnum ſit notabile, ratione illius venator non excuſatur à culpa gravi, non quidem ratione venationis ſimpliciter, ſed damni illati; ad cujus propterea compenſationem tenetur, licèt non ad reſtitutionem captæ feræ, quocunque modo eam occupaverit, quia modus capiendi ferã per ſe non operatur, ut captio ſit contra juſtitiam; tametſi iſte puniri poſſit, ſicut qui intra ſylvã clauſã venatur. Nihilominus poſſunt feræ, quæ naturali libertate fruuntur per legem aliquam ita Principi addici, vel bono publico ſervari, ut non tranſeant in dominium capientis, dummodo legitima cauſa ſubſit; quia lex ob juſtam cauſam lata poteſt alios inhabiles reddere ad comparandum dominium certæ rei; ſicut etiam actiones humanæ ſubſunt diſpoſitioni legum, quæ poſſunt concedere jus ad aliquas actiones obeundas, & etiam impedimentum injicere, ne aliæ exerceantur.

Quæritur quartò, an fera à Titio vena- 8
tore vulnerata, & à Caio ruſtico capta ſit vulnerantis, vel capientis. Covarruvias *ad regul. peccatum p. 2. §. 8. n. 13.* & alij cenſent eſſe capientis, non vulnerantis, quæ ſententia vera eſt, ſi venator, qui feram vulneravit, eam non fuit inſecutus, quia tunc præſumitur ceſſiſſe jure ſuo; alioquin ſi vulnerans inſequatur feram vulneratã, quam probabiliter fuiſſet capturus, tunc fera eidem adjudicatur. Quamobrem ut fera vulnerata ſit vulnerantis, non capientis, tria requiruntur. Primò, ut inflictum vulnus fuerit lethale, ſufficiens ad feram capiendam. Secundò, ut fugientem feram vulneratam inſequatur, quia tunc ratione vulneris ei inflicti habet jus ad illam, ſi poſſit eam capere. Tertiò, ut moraliter certum ſit, quòd ſit eam apprehenſurus, quia tunc præſumitur eam habere quodammodo in ſua poteſtate, quia fera lethaliter vulnerata cenſetur quaſi capta, quapropter non poteſt alius privare vulnerantem jure acquiſito in feram vulneratam. Quòd ſi dubium erat, an fera eſſet evaſura tunc cenſent plures fieri occupantis, eò quia non obſtante vulnere ei inflicto, adhuc videtur frui ſua naturali libertate: idque deſumitur ex *l. naturalem 5. de acquirend. rer. domin.* ubi dicitur, quòd fera tunc præſumatur recepiſſe naturalem ſuam libertatem, ſi difficilis ſit ejus perſecutio.

Quæritur quintò, quandònam feræ etiam 9
vul-

vulneratæ cenſeantur haberi pro derelictis, fiantque primò occupantis? Reſpoodetur, tunc haberi pro derelictis, quando qui eas vulneravit, mente illas abjecit, nec curaverit, eas inſequi. Generatim quando Dominus aliquid mente abjecit, ut in numero rerum ſuarum eſſe noluerit, cenſetur ab eodem derelictū ut deſumitur *ex §. penult. inſtit. de rer. divis.* Hinc merces, quæ exortâ in mari procellâ proijciuntur levandæ oavis causâ, oon habentnr pro derelictis, quia Domini earum eas proijciunt, non quaſi nolint eas in numero rerum ſuarum habere, ſed ad declinandum naufragium; alioquin oiſi hoc immineret, libentiſſime merces illas ſervarent: quapropter qui eas oceupant, tenentur ſuis Dominis reſtituere, quia eſt magna in miſeros crudelitas, afflictis addere afflictionem. Neque obſtat, quòd res illæ abjectæ perijſſent, niſi ab alijs fuiſſent captæ, quia ut habetur *in l. Pomponius 44. ff. de acquir. domin.* res noſtræ quamvis periclitarentur, tamdiu manent noſtræ, quamdin non ſunt conſumptæ, ſi eopimus eſſe noſtras: hinc ſi domus ab incendio liberetur, non tamen ejus dominium tranſit in eum, qui incendium extinxit, tametſi Dominus, ad quem pertinebat domus, non extinxiſſet incendium, ſed dominium manet, apud quem erat, antequam incendium illud excitaretur. Habetur etiam pro derelicta ſera vulnerata, ſi vulnerans eam oon inſequatur: eò quia nulla ei ſpes ſuperſuit eam recuperandi, tunc enim fit primò oceupantis.

10 Quæritur ſextò, an ſi fera capta ſit in laqueo Titij, & Cajus ſuperveniens eam laqueo eximat ſit Caij capientis, vel Titij laqoeum parantis? Reſpondent plures cum Covarruvia ad *reg. peccatum p. 2. §. 8. n. 13.* feram illam eſſe ſupervenientis, non laqueum parantis, niſi conſuetudo localis contraria fuerit, quia *in l. in laqueum 55. ff. de acquirend. rer. domin.* ſignificatur, eſſe eximentis: idque ex eo etiam probant, quia domioium feræ non acquiritur oiſi per apprehenſionem: & qui laqueum poſoit, nondum feram apprehenderat. Verùm licèt hæc ſententia probabilis ſit, contraria tamen eſt probabilior, ac rationi naturali magis conſona; quia is cenſetur feram occupâſſe, qui eidem libertatem ademit; quoties enim ſera naturalem deperdit libertatem cenſetur capta: atqui qui laqueum poſuit, & in quem ſera incidit abſtulit feræ libertatem, proiode eam apprehendit per ſoom inſtrumentum, quod ſtudiò ad id poſuit, ut feram caperet: hæc autem apprehenſio ſufficit, ut fera dicatur eſſe illius, qui laqueum poluit: nil enim reſert, manibus, vel inſtrumentis aliquid apprehendere, & in ooſtram venire poteſtatem: & quoties ſera capitur laqueo, venit in poteſtatem illius, qui laqueum poſuit, adeò ut citra injuriam ei inſerendam, qui laqueum poſuit, non poſſit capta ſera tolli.

Tom quia laqueus, quo ſera fuit capta 11
dat jns ad feram ei, qui laqueum poſuit, conſequenter oon debet ab alio tali jure privari. Id tamen procedit, in caſu quo ſera ita capta erat, ut non potuerit ſe ex laqueo illo extricare; quia ſi fniſſet ſe extricatura, vel quia laqueus erat nimis debilis, vel quia non ſatis firmus, tunc ſi ſuperveniens eam caperet, foret capientis; quia tunc non pervenerat omnino in poteſtatem illins, qui laqueum poſuit. Verùm in tali caſu æqoitas videretur potiùs exigere, ut ſera divideretur inter occupantem, & eum, qui laqueum poſuit, quia neuter ſine alio feram occupâſſet; unde cum oterque concurrerit ad feram occupandam æquum eſt, ut dividatur.

TITULUS XXV.

De Clerico Percuſſore.

SIcut Clericis interdicta eſt venatio, ita etiam percuſſio: delinquit enim Clericus ſi venationem frequentet; & quia ſi alium percutiat, etiam delinquit: eò quia dedeceat Clericum alios percutere, cùm potiùs verbo, & exemplo manſuetudinem deberet alios edocere; ideo cùm in præcedenti titulo Pontifex egiſſet de Clerici delicto ex venatione, ſubijcit in præſenti hunc alium titulum de delicto, quod oritur ex eo, quòd Clericus alium percutiat.

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *SI QUIS 1. h. t. Ex Concilio Agathenſi ſtatuitur, ut Clericus in ſacris, ſi ſit percuſſor, corripiatur a crimine, & ſi non ſe corrigit, ſit deponendus: ratio eſt, quia peccatum pluries iteratum, tametſi pluries fuerit punitum, ſit gravius, adeò ut ultimum peccatum ex pluries iteratis mereatur puniri graviori pœna, ut colligitur ex hoc textu, in quo percuſſio a clerico facta poſt alias precedentes punitur pœna ſuſpenſionis. Ubi notat Gloſſa, non quodlibet mortale ſufficere ad damnandum ſi ſemel ſit commiſſum; unde percuſſor, ſi corripitur, non deponitur, dummodo talis percuſſio non cauſet enormem læſionem: ſin verò percuſſio pluries iteretur, fit ſemper gravior ex iteratione, ut mereatur puniri ſuſpenſione.*

C. *PRÆTEREA 2. h. t. reſcribit Gregorius Papa, Epiſcopum jubentem crudeliter aliquem fuſtigari, tametſi ex hiſce verberibus non moriatur, eò quia decedat poſt octo menſes, eſſe nihilominus ſuſpendendum per duos menſes ab ordine. Ubi notat Gloſſa ex temporis prolixitate, ſeu fluxu octo menſium præſumi non mortuum ex illa fuſtigatione: unde à contrario ſenſu ex brevitate temporis eſſe præſumendum mortuum ex verberibus* c. ſi qua fœmina diſt. 50. *Qualis verò debeat eſſe hæc brevitas temporis, aliqui cenſent, hanc brevitatem non excedere decem, vel duodecim dies. Verùm dicerem id potiùs eſſe relinquendum arbitrio Judicis conſideratis omnibus circumſtantiis.*

C. *PRÆSENTIUM 3. h. t. Alexander III. declarat, Clericum præſentem in conflictu ex parte repellentium vim illatam, ſi ipſe lapides jecit in adverſarios, tametſi nullum percuſſerit, dummodo ab alijs ex ſua parte fuerint aliqui interfecti ex adverſarijs eſſe ſuſpendendum per biennium à celebratione miſſarum. Immo notat Gloſſa, quòd ſi fuiſſet dubium, an interfecerit, eſſet omnino repellendus* c. ult. de Cleric. pugnant. in duell. *Sin verò ſit certus, neminem interfeciſſe, repellitur tunc per biennium ſaltem ad cautelam, ut Clerici à tali conflictu abſtineant* c. ſignificaſti de homicid. *Ex quo textu colligitur, quod quamvis neceſſaria ſit cauſa alterum defendendi, adhuc Clerico injungitur pœnitentia ſaltem ad cautelam: immo licèt non peccet propter legitimam alterius defenſionem, ſit tamen irregularis, ſi alium interfecit, ut notat Panormitanus hic.*

C. *CONTINENTIA. 4. & ult. h. t. declarat Cœleſtinus III. Clericum, qui in juſto conflictu ad reſiſtendum prædonibus cum alijs arma ſumpſit, & aliqui fuerunt interfecti, ſi ipſe neque facto, neque conſilio ullum interfecit, poſſe ulteriùs ordinari in Subdiaconatu tantum, & miniſtrare ex diſpenſatione, quia ut notat Gloſſa: quamvis tunc non ſit culpabilis, punitur nihilominus ad cautelam, dicitur Clericus non peccâſſe, quia aſſumpſit arma pro ſe, & alijs defendendit contra prædones, quod de jure communi licitè facere potuit.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

An Prælatis Eccleſiaſticis licitum ſit alios percutere, & quæ pœna jure inflicta ſint contra Clericos Percuſſores.

1 CErtum eſt, Clericos dedecere ſævire in alios, cùm Chriſtus nos docuerit verbo, & exemplo manſuetudinem. Unde Prælati eccleſiaſtici non niſi correctionis causâ, & pro gravioribus delictis poſſunt clericos ſubditos delinquentes percutere, ſeu caſtigare verberibus, ut habetur *in c. cùm beatus 8. diſt. 42.* ubi Prælatis eccleſiaſticis permittitur, ut clericos ſubditos delinquentes in minoribus tantùm ordinibus conſtitutos etiam pro levibus culpis, verberibus poſſint corrigere: quòd ſi Clerici ſint ſacris initiati ordinibus, tunc nonniſi pro gravioribus criminibus verberibus excipiuntur. Non tamen id intelligendum eſt, ut licitum ſit Epiſcopo proprijs manibus Clericos verberare, id enim ipſis eſt prohibitum *in c. non licèt 25. diſt. 86.* ſed procedit, ut Epiſcopus per alium clericum jubeat clericos delinquentes verberibus corrigi; quòd ſi Epiſcopus mandaret laico, Clericum verberare, tunc tam Epiſcopus mandans, quàm laicus verberans excommunicationem incurreret, tametſi juſta cauſa verberandi ſuppeteret *c. univerſitatis 24. de ſent. excommun.* Excipitur

tamen

tamen niſi Clericus eſſet incorrigibilis, quia tunc etiam per laicum poſſet verberibus corrigi id mandante Epiſcopo *argum. c. ut fama 35. de ſent. excommun.* ſecundùm Gloſſam in *c. ſumma diſt. 45.* Verùm in hoc textu tantùm eſt ſermo de captura facienda per laicum, & non de verberibus, quibus ſit Clericus per laicum corrigendus.

2 Cæterum Prælati Epiſcopo inferiores etiam pro levibus culpis poſſunt ſuos ſubditos verberare causâ regularis diſciplinæ, ſive in propria perſona, ſive per alium Monachum. Non tamen debent tunc Prælati debitam correctionem in verberando excedere: alioquin incurrerent excommunicationem reſervatam Papæ. Quòd ſi ex immoderata, & excedente percuſſione facta causâ regularis diſciplinæ ſequeretur mors, vel mutilatio, Prælatus eccleſiaſticus contraheret irregularitatem *c. Presbyterum 7. de homicid.* quòd ſi non ſequatur mors, nec mutilatio, ſed adhuc percuſſio excedat ſupra meritum cauſæ, Prælatus percuſſor non ſolum incurrit excommunicationem, ſed etiam mittitur in exilium, ut deſumitur ex *d. c. cùm Beatus*, & notat Abbas in *c. univerſitatis 24. de ſent. excommun. n. 9.* Juvat tamen obſervare, quòd ſtatuta ob percuſſionem clericorum prætertim ſæcularium jure novo, vel cenſentur abrogata, vel in deſuetudinem abiiſſe.

3 Pœna verò Clerici illicitè percutientis alium etiam laicum eſt depoſitio, & deſumitur *ex c. ſi quis 1. h. t.* quod deſumptum eſt ex Concilio Agathenſi, ubi dicitur, quòd ſi quis in aliquo gradu (ſacro) percuſſor extiterit, corripiendus ſit à crimine, & ſi ſe non emendaverit, etiam deponendus. Non tamen ut notat Gloſſa ibidem, quodlibet mortale ſufficit ad damnandum clericum, ſi ſemel ſit commiſſum: quia percuſſor, ſi corrigatur, non deponitur, dummodo talis percuſſio non fuerit enormis, nec graviter læſerit percuſſum: unde requiritur ad incurrendam pœnam depoſitionis, ut delictum percuſſionis pluries iteretur, quia peccatum pluries iteratum, tametſi pluries fuerit punitum, adhuc aggravat peccatum ultimò commiſſum: quapropter in *d. c. ſi quis* percuſſio à Clerico poſtremò facta, quaſi malitiam compleverit, meretur pœnam, non ita prima percuſſio, immo nec ſecunda, quia ob unam, vel alteram ſimplicem percuſſionem non debet Clericus deponi de ſtatu Clericali, ſed mitiùs puniri; ſin verò conſuetudinem contraxerit alios percutiendi, adeò ut irâ ſucceſſus ſit pronus ad verberandum etiam pro uno, vel altero convitio, rébusque minimis; tunc quia conſuetudo videtur tranſiiſſe in naturam; Clericus ita ferus, & à manſuetudine prorſus alienus, deiicitur de ſtatu clericali, eò quia deceat Clericos Chriſti imitari manſuetudinem.

4 Immo ſi Clericus ſemel tantùm alium percuſſiſſet enormiter tamen, & lethaliter, eſſet deponendus etiam ſine ulla prævia monitione, ut habetur in *c. ult. diſt. 55.* Sin verò percuſſiones iteratæ non fuerint enormes, tunc ob inolitam conſuetudinem Clericus etiam eſt deponendus, tametſi in aliis locis deliquiſſet, quia licèt non poſſit quis hîc puniri pro peccatis alibi commiſſis, ſi ſit forenſis: nihilominus furta alibi commiſſa aggravant furtum hîc perpetratum; quia videtur ſibi aſſumpſiſſe conſuetudinem furandi: unde poteſt hic ſuſpendi, tametſi pro primo furto non eſſet ſuſpendendus *argum. l. capitolium §. famoſos ff. de pœnis.*

5 Epiſcopus autem ſi crudeliter jubeat alium fuſtigari, licèt ex hoc non moriatur, eò quia poſt octo menſes tantùm decedat, ſuſpenditur nihilominus duobus menſibus ab ordine, idque deſumitur *ex c. præterea 2. h. t.* ubi cùm Epiſcopus Tarentinus mulierem propter delictum crudeliter fuſtigari juſſiſſet; tametſi nonniſi poſt octo deinde menſes mortua fuerit; nihilominus Gregorius I. licèt non exiſtimaret exinde defunctam; propter tamen reſpectum Ordinis epiſcopalis neglectum, duobus menſibus Epiſcopum ſuſpendit ab adminiſtratione miſſarum. Ubi notat Gloſſa ex prolixitate temporis octo menſium, mulierem illam præſumi non mortuam ex illa fuſtigatione: ex temporis enim prolixitate præſumitur, quòd vulneratus non fuerit mortuus ex vulnere ipſi inflicto: è contra verò ex temporis brevitate præſumitur mortuus ex percuſſione, *c. ſi qua fœmina diſt. 50.* qualis verò propriè ſit hæc brevitas temporis relinquendum eſt arbitrio prudentis Judicis.

6 Quòd ſi Epiſcopus dediſſet occaſionem morti, perpetuam incurriſſet irregularitatem, ut habetur in *c. de cætero de homicid.* Clericus igitur, qui aliquem ceciderit, vel fuſtibus percuſſerit pro injuriæ qualitate, vel deponitur, vel certo temporis ſpatio ab altaris miniſterio abſtinere jubetur *c. 1. & 2. h. t.* Deponitur etiam is, qui operam in bello præſtat qualicunque ratione *c. 5. inf. de pœnis:* quia ut rectè D. Ambroſius *in can. non pila can convenior. 23. q. 8. Lacrymæ, & orationes arma ſunt, & munimenta ſacerdotis.*

7 An verò Prælati Regulares poſſint uti miniſterio laicorum ad percutiendos, ſeu verberandos ſuos Religioſos correctionis causâ. Videtur negativè reſpondendum ob decretum Cœleſtini III. in *c. Univerſitatis de ſent. excom.* ubi expreſsè ſtatuit, Prælatum Regularem debere per ſe verberare ſuum Religioſum causâ correctionis: & tantùm poſſe verberare per alium, vel Clericum, vel Monachum, ſi ipſe non poſſit per ſe, & neceſſitas urgeat: alioquin incurrit excommunicationem, ut etiam laici verberantes ex mandato Prælati Regularis, ut docent Canoniſtæ *in d. c. Univerſitatis*, præſertim Abbas, Hoſtienſis, Panormitanus Verùm quia nimis grave videbatur Prælatis teneri per ſe ipſos immediatè proprios verberare ſubditos causâ correctionis, & exercere munus tam vile, ac opprobrioſum: ideo Ale-

xander VI. conceſſit Minoribus S. Franciſci, ut Prælati in illo ordine poſſint per alium percutere, & verberare correctionis cauſâ ſuos ſubditos Religioſos, tametſi neceſſitas non urgeat.

8 Idem decretum poſtaa confirmavit Leo X. qui etiam declaravit, ut ille cujus miniſterio utitur Prælatus in verberando debeat eſſe aliquis regularis ſubditus. Meminir horum privilegiorum Rodriquez *tom. 2. quæſt. regul. q. 20. art. 8.* quæ privilegia participantur à cæteris Regularibus habenribus communicationem privilegiorum. An verò poſſint Prælati Regulares uti miniſterio converſorum ad verberandos, & percutiendos ſubditos Religioſos correctionis cauſâ, negat Sylveſter *V. excommunicatio 6. n. 6. circa fin.* quia poteſtas verberandi eſt odioſa, proinde paucioribus, quo fieri poteſt, eſt concedenda; idque ne converſi Clericos vili pendanr.

9 Probabiliùs tamen putârim cum Suarez *de cenſur. diſp. 22. ſect. 1. n. 42.* poſſe Prælatos Regulares etiam uti miniſterio ſuorum converſorum, imò & tertiariorum, qui ſunt deputati ad ſervitium religionis, quia ipſi quoque utuntur habitu religionis, cujus ſervirijs ſunt addicti, vivuntque ſub regula religionis, & obedentia Prælati, & gaudent privilegio canonis; proinde etiam ipſi comprehenduntur nomine Religioſorum, præſertim cùm conceſſio Miniſtri ſit in favorem Prælatorum, & favores ampliari debent, non reſtringi.

10 An verò Prælati Regulares urgente neceſſitate, eò quia non adſint ſubditi Religioſi, qui poſſint, aut velint, vel apti ſint Religioſos delinquentes correctionis cauſâ verberare, uti miniſterio laicorum. Negativè reſpondent Rodriquez *in compend. reſol. 45. n. 8.* Navarrus *c. 27. manual. n. 86.* Verùm contraria ſententia eſt perquàm probabilis, eámque docent Barboſa in *c. Univerſitatis de ſent. excom.* Suarez *3. p. tom. 3. diſput. 22. ſect. 1. n. 43.* Coninck. *de cenſur. diſp. 14. n. 190.* & ratio videtur eſſe, quia finis legis non eſt eximere Religioſum ab ipſa correctione, ſed tantùm ut in exercenda correctione ſervetur debitus modus: unde ſi modus non poſſit ſervari, non propterea prætermittenda eſt correctio; ſed tunc fieri debet eo modo, quo poteſt: magis enim intereſt pro regulari obſervantia bonóque communi, quòd ſubditi delinquentes corrigantur, quàm quòd modus ille adhibendus in correctione ſervetur; non enim quod concernit perſonam particularem præferendum eſt bono communi: quapropter concurrente delinquente cum communitate non debet delinquens communitati præferri. Tum quia correctio delinquentis arctiùs obligat, cùm ſit ſecundùm jus divinum naturale, cui propterea debet cedere jus canonicum: quòd verò qui delinquit, ſit corrigendus, eſt de præcepto divino, & naturali: quòd verò ſit taliter corrigendus, & ab hac, vel illa perſona eſt tantùm de præcepto eccleſiaſtico, & jure canonico, quod debet cedere juri divino, & naturali: unde quando urget neceſſitas corrigendi delinquentem, non debet correctio omitti, ex eo præcisè, quia non poſſit fieri juxta formam præſcriptam jure canonico.

Præterea quia decretum Cœleſtini III. in *c. Univerſitatis de ſent. excommun.* per diſſuetudinem videtur abrogatum, cùm in pluribus tribunalibus etiam in Italia, alijsque Provincijs conſuetudo ita invalverit, ut hodie in Curiis etiam eccleſiaſticis adhibeatur ſolùm miniſterium laicorum ad verberandos Clericos correctionis cauſâ; unde etiam Regulares poſſunt hanc ſequi conſuetudinem, ſi neceſſitas urgeat: alioquin ſine neceſſitate incurrerent excommunicationem tam Prælati mandantes, quàm ipſi laici verberantes. Quoad verò Clericos ſæculares cenſetur hæc conſuetudo jam approbata à ſupremo legislatore: & præſumitur inducta ipſo approbante cùm exerceatur in ejus tribunalibus, cujusmodi ſunt tribunalia inquiſitionis, & tribunal Vicarij Pontificis in Urbe Roma: quoties autem conſuetudo introducitur approbante ſupremo legislatore, ſimul etiam revocatur lex, quia approbatio conſuetudinis eſt implicita legis revocatio, ut tradunt Bartol. in *l. omnes populi V. expeditus de contrarijs ff. de juſt. & jur.* Innocentius in *c. 1. V. item ubi populi de conſuetudine.* Hanc autem conſuetudinem eſſe rationabilem, ac propterea legitimè introductam ex eo liquet, quia pro tali à viris prudentibus habetur, & non eſt contra jus naturale, aut divinum; propterea non minus favet dignitati clericorum, quàm jus oppoſitum: cùm non ſit minus decens, clericos non exercere hoc vile munus verberandi, quàm quòd clericus verberetur à laico correctionis cauſâ, imò videtur magis indecens, quod officium percuſſoris, & verberantis exerceatur à Clerico, quam à laico. 11

§. II.

Proponuntur & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

Quæritur primò, an puniendus ſit Clericus, qui ſtat in pugna, ſeu conflictu ex parte ſe defendentium, tametſi neminem percuſſerit? Reſpondetur, quòd tametſi non ſit culpabilis, ſit tamen ad cautelam puniendus; idque deſumitur *ex cap. continentia 4. h. t.* ubi Cœleſtinus III. cùm quidam Acolythus cum alijs contra prædones arma ſumpſiſſet, & in illo conflictu tres fuiſſent lethaliter vulnerati, tametſi ipſe Acolythus neminem nec facto, nec conſilio interfecerit, mandat Pontifex, poſſe ulterius ordinari in ſubdiaconatu tantùm, & miniſtrare ex diſpenſatione. Tum quia licèt Acolythus ille non fuerit culpabilis aſſumendo arma pro ſe, & alijs contra prædones, cùm de jure communi 1

id

id facere potuerit, nihilominus punitur ad cautelam, & fuit cum ipſo diſpenſatum, ut poſſet promoveri ad ſubdiaconatum tantùm ob favorem religionis, quam fuit ingreſſus. Alij tamen probabiliùs, & veriùs aſſerunt, nullam fuiſſe neceſſariam diſpenſationem, & jure communi potuiſſe promoveri etiam ad Diaconatum, & Presbyteratum; quia Papa conſultus de jure, reſpondit, quid juris ſit, & generaliter dicit, quòd poſſit altaris miniſterium exercere; proinde etiam in ordine Diaconatûs, & Presbyteratûs: ſiquidem Acolythus ille aſſumendo arma ad reſiſtendum prædonibus nullam commiſit culpam, ſed dedit operam rei licitæ, adeò ut non fuerit Reus homicidij, nec factus irregularis, ut notat Hoſtienſis *in d. c. continentia ult. h. t. V. promoveri*.

2 Quæritur ſecundò, an ſi Clericus adſit conflictui ex parte repellentium vim, ſit puniendus, tametſi ipſe neminem percutiat? Reſpondetur, Clericum illum eſſe puniendum, & ſuſpendendum per biennium à celebratione miſſarum, idque deſumitur *ex c. præſentium 3. h. t.* ubi cùm quidam Clericus aſſereret, ſe in conflictu aliquo fuiſſe præſentem ex parte illorum, qui vim repellebant, & lapides projeciſſe, ſed neminem læſiſſe: nihilominus Alexander III. reſcribit, eum à celebratione miſſarum per biennium debere abſtinere, tametſi ab alijs fuerint aliqui interfecti: ubi notat Hoſtienſis, hunc clericum non peccâſſe, quia juvit illos, qui vim repellebant *c. dilect. de ſent. excommun. in 6.* ubi dicitur, non debere aliquem obviare injuriæ inferendæ proximo, & nulla ibi ponitur diſtinctio inter Clericum, & laicum, ut neque inter conflictum ſpecialem, & generalem. Quod tamen procedit, ſi juſta, & neceſſaria ſubſit cauſa alterum defendendi: quòd ſi clericus *in d. c. præſentium 3 h. t.* habuit hanc juſtam cauſam defendendi proximum ab injuſto aggreſſore, fuit illi pœnitentia tantùm injuncta ad cautelam.

3 Quòd ſi fuiſſet dubium, an ipſe etiam interfeciſſet aliquem, tunc fuiſſet omnino repellendus *c. ult. de cler. pugnant. in duello*: quia verò certus erat, quòd neminem interfecerit, repellitur tantùm per biennium ad cautelam, & ut alij clerici evitent talem conflictum *c. ſignificâſti de homicid.* Unde licèt clericus ille non peccaverit, punitur tamen pœna ſuſpenſionis per biennium ad cautelam, & terrorem aliorum: ex quo colligitur, poſſe aliquem puniri ob factum, & culpam alterius. Alij etiam reſpondent, clericum illum fuiſſe punitum, eò quia tunc non urſerit neceſſitas aſſiſtendi illis; quibus vis fuerat illata, eò quia per ſe erant ſufficientes ad ſe defendendum: hinc cùm Clericus iſte exceſſerit projiciendo lapides, & aſſumendo arma ſine urgente neceſſitate propria, vel proximi, punitur, ſeu ſuſpenditur per biennium à celebratione miſſarum: non tamen tenetur de homicidio, neque fit irregularis, licèt laici ſe defendentes aliquos interfecerint aggreſſores, eò quia id juſtè præſtiterint in propriam defenſionem. Panormitanus tamen, & Hoſtienſis *in d. c. præſentium 3. h. t.* cenſent, pœnam ſuſpenſionis fuiſſe impoſitam Clerico iſti ob ſcandalum datum, & quia graviter erat infamatus: imò Panormitanus cenſet, quòd, licèt non peccaverit ob legitimam alterius defenſionem, fuerit tamen factus irregularis ob infamiam.

Quæritur tertiò, an Clerici in ſacris conſtituti inconſulto ſummo Pontifice poſſint alicui præeſſe exercitui? Reſpondetur negativè, quia clerici in ſacris ordinibus conſtituti, & etiã Monachi jure eccleſiaſtico prohibentur præeſſe exercitui, & pugnare: de Monachis conſtat *ex can. eos qui. 20. q. 3.* & de Clericis ex multis canonibus, & præſertim ex *can. clerici*, & *can. quicunque*, ubi privantur executione ordinum, & jubentur detrudi in monaſterium: immo ſi deceſſerint in bello etiam privantur ſuffragijs orationum, & oblationum. Ratio eſt, quia cùm clerici, & Monachi ſint divino addicti exercitio, non debent militiam ſæcularem profiteri, cùm hæc multùm diſtrahat mentem à divinis contemplationibus. Præterea, quia clerici ſunt Chriſti Miniſtri, & ipſum repræſentant, & quia Chriſtus non alienum, ſed proprium ſanguinem pro aliorum ſalute effudit in Cruce; ideo non eſt licitum Clericis militiam exercere, & aliorum ſanguinem fundere. 4

Quinimò nec poſſunt Clerici alios invitare ad pugnam ex ſpecifica intentione, ut humanus ſanguis effundatur, ut etiam ſi bellum fuerit juſtum, idque deſumitur ex *cap. quod in dubiis extra de pœn.* ubi Innocentius III. declarat, enormiter peccare Clericum, qui alios incitat ad pugnam. Non tamen per prædictos canones prohibentur Clerici, quò minus poſſint Principes hortari ad ſuſcipiendũ bellũ contra infideles de licentia expreſſa, vel tacita ſuperioris. Quinimmo poſſunt etiam bello juſto intereſſe ad deferenda ſubſidia ſpiritualia militibus, imò poſſunt etiam hortari in genere milites ad pugnandum ſinè tamen ulla ſpecifica intentione, ut hic, vel ille de numero hoſtium occidatur, ut notat Gratianus in *can. quicunque ex Clero 23. q. 8.* 5

Quæritur quartò, an non ſolùm jure eccleſiaſtico, ſed etiam jure naturali illicitum ſit Clericis, & Monachis pugnare? Plures Canoniſtæ affirmant cum Gratiano, eò quia D. Paulus 2. *ad Timoth. 2.* ſcribat: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus*, ubi Apoſtolus ſignificat, eſſe ex natura rei deforme, ac illicitum, perſonam ſpeciali titulo Deo dicatam exercere negotia valde ſæcularia, quæ mentem diſtrahunt à divinis: ſed inter negotia ſæcularia, bellica exercitia vel maximè diſtrahunt mentẽ à divinis contemplationibus: ex quo inferunt, militiam exercere, eſſe Clericis illicitum, non ſolùm jure eccleſiaſtico, ſed etiam naturali; quia id cenſetur jure na- 6

Miniſtri, ut liquet ex ſacris canonibus, quos citat Navarrus *in manual. c. 27.* ſed juxta *regul. jur* odia ſunt reſtringenda, non ampliandа; proinde præfati Monachi, & Clerici non videntur irregularitatem incurrere.

13 Tum quia in *clement. ſi furioſus* dicitur, non eſſe irregulares, qui ad defendendam propriam vitam occidit injuſtum aggreſſorem: & in *c. ſi verè de ſent. excommun* ille nec dicitur incurrere excommunicationem, qui ob ſimplicem defenſionem proximi, & innocentis, clericum percutit. Et in *c. delicto de ſent. excommun. in 6.* ex naturali illo principio vim vi repellere licet, infert ſummus Pontifex, licere etiam à proximo non minus, quàm à ſe ipſo vim vi repellere: cùm igitur favores ex regula juris ſint ampliandi, rectè concluditur, præfatos Monachos, & Clericos occidendo hoſtes in prædictis caſibus non incurrere irregularitatem. Tum quia non videtur probabile propter actum, ad quem quis tenetur ex jure naturæ incurri canonicum impedimentum licitè exercendi ſuum proprium munus, ad cujus executionem etiam tenetur jure naturæ: id autem ſequeretur, ſi Monachi, & Clerici, in præfatis caſibus, in quibus jure naturæ tenentur pugnare, irregularitatem incurrerent. Neque ratio, quâ nititur Cajetanus videtur obſtare, quia abſque culpa non incurritur irregularitas ob defectum perfectæ lenitatis, niſi à publicis juſtitiæ Miniſtris, quatenus iſti non tenentur ſtatum clericalem ſuſcipere. Cæterum Clerici jam conſtituti in ſacris Ordinibus, quia tenentur ad exercitium proprii officij in præfatis caſibus non incurrunt irregularitatem.

14 Quæritur ſeptimò, an ſacerdotes poſſint caſtris intereſſe, ut ſacra celebrent, & ſacramentales confeſſiones militum audiant? Reſpondetur affirmativè, quia hoc pacto intereſſe bello eſt opus æquè utile, ac laudabile, & actus charitatis in proximum, ne milites ſine ſacramentis pereant. Hinc poſſunt hoc pacto intereſſe caſtris, & miniſtrare militibus ſacramenta omnes clerici, qui non habent obligationem reſidentiæ; dummodo impetrent licentiam exercendi ibi juriſdictionem. Immo poſſunt etiam in bello juſto contra infideles præſertim contra Turcas hortari milites ad ſtrenuè pugnandum in genere. Quinimò ſi ſi ſacerdos ſit in gravi propriæ vitæ diſcrimine, poteſt etiam ad propriam tuendam vitam vim vi repellere, & pugnare ſaltem cum moderamina inculpatæ tutelæ; quia ſi extra bellum poteſt ſacerdos occidere injuſtum invaſorem ad defendandam ſuam propriam vitam, ſi aliter non poſſit periculum evadere, id etiam ei licitum erit in bello ad ſe defendendum ab injuſto invaſore, in quo caſu nullam incurrit irregularitatem. Poſſunt etiam Epiſcopi habentes dominium temporale in perfecta Republica, cujuſmodi ſunt plures Epiſcopi in Germania ex juſtis cauſis bellum indicere, quia tunc Epiſcopus non ſuſcipit bellum, ut Epiſcopus, ſed ut Princeps temporalis, quia non eſt deterioris conditionis, quàm ſit alius Dominus temporalis, nec habet minus jus ad ſuam ditionem armis tuendam, quando neceſſitas id exigit

15 Quæritur octavò, an Clericus ex ira graviter percutiens ſe ipſum incurrat excommunicationem canonis, *ſi quis ſuadente Diabolo &c?* Reſpondetur, communiorem ſententiam eſſe affirmativam, quam docent Rebuffus in *repetit cau. ſi quis ſuadente diabolo. n. 2.* Julius Clarus *in pract. § fin. q 76. n. 3.* Theſaur de *pæn. eccleſ. V injuria c 2. ampliat. 3.* Archidiaconus in *c. ſi cum licet n. 3 q. 5.* Felin. in *c contingit num. 1. de ſent. excommunicat.* Ratio eſt, quia Clericus ſe ipſum percutiens ſeipſum percutit Clericum, & injuriam irrogat ſtatui clericali, conſequenter incurrit excommunicationem canonis *ſi quis ſuadente diabolo*, quia canon iſte non tam favore perſonæ privatæ, quàm ordinis clericalis conditus fuit, ut liquet ex *c. contingit 1. de ſent. excommun.*

16 Secundò quia nemo eſt Dominus ſuorum membrorum *l. liber homo ff. ad leg. Aquil.* unde ſi Clericus propria percutit membra infert iiſdem violentiam, & irrogat injuriam, quia exercet jus contra illud, ad quod exercendum caret jure.

17 Tertiò, quia plus eſt, & gravius peccatum ſe ipſum occidere, quàm alterum *c. ſi non licet 23. q. 5.* & *l. qui rec. §. ſic. autem ff. de bonis eor. qui ante ſententiam.* Ubi etiam aſſignatur ratio ibi: *Qui enim ſibi non pepercit, multò minus aliis parcet*, unde Clericus ſe ipſum percutiens ex ira graviùs, delinquit injiciens manus violẽtas in propria membra, quàm ſi aliũ percuterat.

18 Nihilominus contraria ſententia videtur ſuam etiam præſeferre probabilitatem, & illam docent Barboſa *in collect. in decretum in c. ſi quis ſuadente 17. q. 4. n 49.* Naldus V. *Clericus n. 19.* Diana *p. 3. trattat. 5. reſolut. 81.* Turrianus *de ceſur. lib. 3. diſp. 29. dub. 2.* Toletus *lib. 5. c. 8. n. 9.* Potest hæc ſententia ſuadari ex eo, quòd ſtatutum cenſuræ tantum ligat, quantum verba ſonant, nec admittit extenſionem ex ſimilitudine, neque ex majoritate rationis, niſi contingeret, tale ſtatutum fore fruſtraneum: quia in pœnalibus verba ſunt ſtrictè interpratanda *c. quidquid adſtringenda ff. de verb. obligat.* & *c. pœna de pænit. diſt. 1.* & *c. odia de regul. jur. in 6.* & tunc vel maximè procedit, ſi ob extenſionem verba ſint impropriandа, ut notant Bartol *in l. 4. §. Prætor ait. ff. de damno infecto.* Panormitanus in *c. cùm dilectus de conſuetud.* Duardus in Bullam cænæ *lib. 1. c. 3. q. 4.* hinc eſt, quòd excommunicatio lata contra Fautores, & defenſores non includat dantes conſilium, ut notant Caietanus *in ſumma v excommunicatio c. 47. not. 3.* Suarez *de cenſur. diſp. 21. ſect. 2. n. 15.* quo fit, ut excommunicatio canonis *ſi quis ſuadente diabolo* debeat tantùm accipi da propria injectione manuum violentarum: atqui quando quis ſeipſum percutit ex ira,

non injicit in ſe manus violentas, ſed potiùs voluntarias, ſeu modo oppoſito ipſi violentiæ: idque adeo eſt verum, ut in percuſſione vluntaria Innocentius III. in *c. contingit 1. de ſent. excommun.* non cognoſcat violentiam, eò quia de ratione violenti ſit, eſſe à principio extrinſeco nil conſerente paſſo, ut docet D. Thomas *1. 2 q. 6. art. 4. in corp.*

19 Tum quia quando quis ex ira ſe ipſum percuiit, illa percuſſio non eſt à principio extrinſeco, cùm ſit à propria voluntate intrinſeca: nec eſt in paſſu nil conferente, cùm tunc clericus ſe percutiens ſit ſimul agens, & patiens: unde cùm in tali injectione manuum in ſeipſum non adſit ratio violentiæ, talis percuſſio non trahit ſecum excommunicationem canonis *ſi quis ſuadente diabolo.*

20 Quòd ſi dicas, talem manuum injectionem eſſe violentam ſtatui clericali, & eſſe contra voluntatem capitis, ſeu ſummi Pontificis, quo reguntur omnes partes communitatis.

21 Reſpondetur, ex hoc tantùm ſequi, talem injectionem eſſe injurioſam communitati, ſeu ordini clericali, non verò violentam: quia violentia infert paſſionem, & eſt tantùm reſpectu ipſius, in quo vis recipitur, neque ipſum excedit: proinde ſicut percuſſio ſecundùm ſuam phyſicam actionem ſiſtit in clerico ut privata perſona; ita etiam in ipſo ſiſtit violentia, quæ non ſeparatur ab ipſa phyſica actione.

22 Hinc ad primum argumentum oppoſitæ ſententiæ poſſet reſponderi, quòd, licèt Clericus percutiens ſe ipſum, verè clericum percutiat, non tamen ſibi injicit manus violentas: excommunicatio autem canonis *ſi quis ſuadente diabolo* non eſt poſita pro quacunque percuſſione; ſed tantùm pro illa, quæ fit cum violenta manuum injectione. Quòd ſi dicas, talem pecuſſionem eſſe contra privilegium conceſſum Ordini clericali, cui privata perſonâ renunciare non poteſt, cùm ſit privilegium ſtatûs. Contra eſt, quia in prædicto canone *ſi quis ſuadente diabolo* non conceditur privilegium Ordini Clericali contra quemcunque percuſſorem, ſed tantùm contra percuſſorem violentum, ut notat Barboſa in *collect. tom. 5. in c. ſi quis ſuadente 17. q 4. n. 39.* Cæterū quia quævis injuſta percuſſio eſt ex natura ſua injurioſa ordini Clericali, ideo, ſi gravis fuerit, non eſt immunis à peccato lethali, quamvis non ſit percuſſio violenta, quæ contrahat excommunicationem canonis *ſi quis ſuadente diabolo*, quia hic canon tantùm coarctatur ad violentam manuum injectionem, ut liquet ex *c. 1. de ſent. excommun.* ubi dicitur, non eſſe eos ad Romanam ſedem remittendos, qui Clericos percutiunt, quando non apparet violenta manuum injectio.

23 Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd tametſi percutiens ſe ipſum violet juſtitiam, & peccet contra ipſam ex defectu dominij in ſe ipſum, & in ſua propria membra, non tamen inde ſequitur, quòd inferat ſibi violentiam: nam, licèt omnis violentia ſit etiam injuria, non tamen è contra omnis injuria eſt etiam violentia, ut liquet ex *c. contingit 1. de ſent. excom.*

24 Ad tertium verum eſt, quòd graviùs peccet, qui ſeipſum interimit quoad animi perverſitatem, non ita quoad pœnas impoſitas, quæ non ſunt attendendæ ſecundùm majoritatem delicti; ſed ſecundùm diſpoſitionem juris: unde licèt Clericus, qui ſeipſum percutit, plus præſeferat perverſitatis, quàm ſi perCuteret alium; non temen ſequitur, incurrere excommunicationem *dicti can. ſi quis ſuadente diabolo*, quia hic canon non extenditur ad Clericum percutientem ſe ipſum, eò quia non injiciat manus violentas in ſe ipſum, quæ violentia requiritur ad incurrendam excommunicationem canonis *ſi quis ſuadente.*

TITULUS XXVI.

De Meledicis.

POſt percuſſionem, quæ fit manu, agit Pontifex de alia percuſſione, quæ fit linguâ, & quæ non minus plerumque lædit, quàm quæ fit manu: ſiquidem percuſſione manu facta tantùm corpus læditur, & illâ, quæ fit linguâ honori, & famæ detrahitur alterius: illa corpus ſauciat. hæc animum torquet, & honorem denigrat: & cùm animus ſit pars hominis nobilior; injuria, quâ honor læditur, pluris fit eâ, quâ corpori damnum infertur: & quia linguâ non ſolùm injuria infertur hominibus, ſed etiam Sanctis, & Deo, ideo præſens titulus duas continet partes, quarum prior eſt de his maledicis, qui honorem ſummi Pontificatus improbis, petulantibúſque convicijs minuunt. Poſterior eſt de blaſphemis in Deum, contra quos pœna canonica conſtituitur, ut tam grave delictum ſolemni jejunio, & pœnitentia diluant.

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

C. INNOTUIT 1. h. t. Clemens III. declarat eum qui profert verba contra officium vel beneficium Papa eſſe puniendum, ne de cætero contra Romanam eccleſiam loquatur, ut pœna aliis terrorem incutiat. Ubi notandum eſt ex doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 108. art. ult. *quòd ſi injuria alicui illata redundet in Deum, vel eccleſiam, tunc licitum ſit legitimis modis injuriam ulciſci infligendo pœnas juſtas: ſed quando injuria illata ſoli perſonæ eſt damno, debet perſona offenſa, ſi expediat eam patienter tolerare. Cæterum ex hoc textu notat Barboſa* n. 9. *Papatum dici beneficium curatũ, eò quia Papa incumbat cura totius mundi.*

C. STATUIMUS 2. & ult. h. t. Gregorius X. contra præſumentes publicè blaſphemare reſcribit Epiſcopis ſe præcipere ut per ſeptem dies dominicos publicè blaſphemantes, exiſtant præ foribus eccleſiæ in manifeſto, dum fiunt miſſarum ſolemnia, & ultimâ die ſine pallio, & calceis, & ligati corrigia circa collum, ac jejunent ſeptem feriis præcedentibus in pane, & aqua, neque ingrediantur in eccleſiam; & ſi poſſint quolibet die ex iſtis reficiant tres vel duos, vel unum pauperem; quòd ſi non poſſint eos reficere, ſit illis injungenda alia pœnitentia, quam ſi nolint adimplere ſit illis interdicendus ingreſſus eccleſiæ, & denegenda in morte eccleſiaſtica ſepultura. Rurſus Princeps ſæcularis debet etiam publicè blaſphemantes punire, & ſi ſint divites in 40. ſolidis; alioquin in 30. vel 20. vel ſaltem in quinque, idque ſive blaſphement Deum, ſive ſanctos, & multò magis Beatam Virginem: quòd ſi Judex ſæcularis ſit negligens, mandat Pontifex, ut Epiſcopus eum compellat, & demum jubet Pontifex hanc decretalem reponi inter alia communitatum ſtatuta: & quamvis non conſtet, fuiſſe de facto hanc decretalem receptam inter ſtatuta aliarum Communitatum, hoc tamen certum eſt, Principes, & Reſpublicas certas pœnas contra blaſphemos ſtatuiſſe.

In ſeptimo.

C. IN MULTIS 1. h. t. Julius III. ad extirpandum execrandum blaſphemiæ abuſum contra Deum, Patrem omnipotentem, vel ejus Filium unigenitum, & Redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum, ſeu Spiritum S. particulariter, & explicitè vel generaliter, & implicitè attribuendo divinæ Majeſtati, quæ illi minimè conveniunt, vel removendo, quæ eam decent, ſtatuit, ut primò convicti ſi divites fuerint compellantur ad ſolvendum ſcuta auri 40. ſi verò pauperes decem, vel luant in corpore ſi non poſſunt in ære: ſecunda vice ut duplicetur pœna pecuniaria proportionaliter: & tertia vice itidem convictis triplicetur eadem pœna pecuniaria reſpectivè ut ſupra, & ſi ulterius convincantur, debeant privari beneficiis eccleſiaſticis, & officiis quibuscunque ac fieri inteſtabiles activè, & paſſivè.

C. AD ABOLENDAM ult. h. t. Leo X. ex Concilio Lateranenſi declarat alias pœnas contra blaſphemantes, ut prima vice ſi munus publicum exerceant, emolumentum perdant trium menſium dicti officij, ut etiam ſi ſecunda vice convincantur. Si tertiò deliquerint ſint privandi tali officio, & ſi ſint Clerici, & convicti privantur fructibus beneficiorum pro prima vice, pro ſecunda privantur beneficijs, ſi tertiò convincantur, privantur etiam dignitatibus.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De Maledicis contra ſummum Pontificem, & Principes, déque pœnis contra ipſos jure poſitis.

1 Maledicus ut ad præſens pertinet inſtitutum idem eſt, ac detractor, ut cùm quis detrahit famæ, gloriæ, honori, vel opinioni alicujus, quod perinde eſt, ac conviciis, & maledictis honorem, & æſtimationem proximi lædere: ſicut bendicere eſt bene precari, ita maledicere malè precari, unde maledictio eſt vitium linguæ, & quidem maximum, ut illud vocat D. Jacobus *epiſt. 3.* & Quintilianus *lib. 12. inſtit.* vocat caninam eam eloquentiam, quæ maledictis utitur: & ex Appij Claudij teſtimonio addit: vitium eſſe animi, quo maleficus à maledico non diſtat, niſi occaſione, indicans conviciatori, & maledico ad malè faciendum, & nocendum adverſario paratam ſemper eſſe voluntatem; dummodo detur tempus, & locus lædendi: & ſicut maleficium perinde eſt,

ac

ac malefactum in facto, ita maledictum conſummatur in verbo; adeò ut maledicere prout refertur ad homines ſit quoties malum aliquod de præſenti, vel de præterito dicitur, ut tradit Bartol. *in l. item apud Labionem 15. §. ait Prætor n. 4. ff. de injuriis*; ſed magis propriè ad præſens inſtitutum, maledicus dicitur, qui obloquitur de alio homine, & detrahit ejus famæ, & honori, ut notat Hoſtienſis in ſumma in *c. innotuit 1. n. 1. h. t.*

2 Tripliciter autem poteſt quis alterius honori, & famæ detrahere: primò annuntiativè, quatenus aſſerit perpetrâſſe delictum aliquod, quod minimè perpetravit. Secundò imperio quatenus irrogat alicui malum aliquod, quod perinde eſt, ac eum maledicere; ſicut Judex dicitur, Reo meledicere, quando jubet illi pœnam infligi. Tertiò optativè quando imprecatur alicui malum: in præſenti verò maledictio ſumitur priori modo, & maledicus poteſt quis eſſe in Deum, & homines ſuperiores, ætate, nobilitate, moribus, ac ſcientia cæteris præſtantiores. De Maledicis in Deum, ſeu de blaſphemis agitur in ſecunda parte hujus tituli. In prima enim parte Pontifex agit de maledicis contra homines & Principes, etenim in *c. innotuit 1. h. t.* cùm quidam Clericus multis adſtantibus verba quædam in depreſſionem officij, & beneficij papalis protuliſſet, mandat Clemens III. ipſum à ſua temeritate ita coerceri, ut pœna aliis terrorē incutiat, ne impoſterum audeant contra Romanam Eccleſiam, Papam & in talia verba prorumpere: ex quo textu colligitur, eos, qui proferunt verba contra officium, vel beneficium Papæ, eſſe puniendos, ne de cætero contra Eccleſiam Romanam obloquantur, ſintque aliis terrori.

3 Hinc D. Thomas *2. 2. q. 108. art. 1.* docet, quòd ſi injuria alicui illata redundat in Deum, vel Eccleſiam, tunc liceat legitimis modis injuriam ulciſci infligendo juſtas pœnas. Idque etiam deſumitur ex Concilio Aurelianenſi V. ſub Pelagio I. *can. 14. ſi quis Presbyter, aut Diaconus quolibet cothurno ordinem Epiſcopi ſui deſpexerit, aut calliditate facientem ipſum injuriare, aut detrahere præſumpſerit, tribus annis à communione ſuſpenſus, & in monaſterium detruſus, aqua tantùm & pane diebus ſingulis ſuſtentetur, nec comam, nec barbam facere præſumat, nec ad aram Domini penitus accedere permittatur.* Videtur etiam id deſumi ex *c. 22. Exod.* ubi generaliter de ſupremis Principibus, & eorum Magiſtratibus ita conſtitutum eſt: *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Dij in hoc loco vocantur, qui Reipublicæ regimen tenent, & ſubditos gubernant, vel quamcunque ejus partem adminiſtrant, in quo ſenſu habetur illud aureum Pythagoræ effatum: *Inferos venerari demonas*, ſeu ut exponit Jerocles, poteſtates terrenas: hoc idem etiam habetur in *can. 84. Apoſtolor.* ibi: *Qui contumeliâ afficit Regem, vel Principem contra jus, pœnam luat, ſi Clericus ſuſpendatur, ſi laicus ſegregetur.* 4 Hinc apparet ratio, cur Clerici maledici in Eccleſiam, Pontificem, ſeu Epiſcopum puniendi ſint, ſeu ſuſpendendi juxta *c. innotuit 1. h. t.* quia nil tam ſanctè in bene morata Republica cavendum eſt, quàm Principis contemptus, & abſtinentia ab ijs rebus, quæ minuere ejus æſtimationem poſſunt: alioquin ſi de Principe licitum eſſet, cuique impunè malè loqui, & ejuſdem honori detrahere, nihili fieret Princeps à populo, qui propterea ejus ſanctionibus obſequi detrectaret; ſi enim licitum foret convicia impunè contra Principem torquere, ſequeretur in animo tam obloquentis, quàm audientis ſenſim ingenerari quandam malam de Principe opinionem, quem proinde minus inciperet populus eum revereri, ut fusè probat Gentilis *lib. 2. de conjurat. in orat. de maledic. in Principem.* Quòd ſi non licèt honori Principis detrahere, tantò magis non erit detrahendum honori Pontificis, & Epiſcopi, quibus major eſt reverentia impendenda, quàm Principibus ſæcularibus.

5 Cæterum cùm in *c. innotuit 1. h. t.* Clemens III. mandat puniri eos, qui proferunt verba contra officium, vel beneficium Papæ, nomine beneficij intelligitur dignitas Papalis, quia ibi Pontifex vocat beneficium papatum, ibi: *Officii, & beneficii noſtri*, & dicitur beneficium, quia Papa ex officio ſuo habet poteſtatem generalem ac pleniſſimam conferendi beneficia, & diſpenſationes, ac gratias, ut etiam indulgentias, & privilegia in omnibus locis, ut notat Hoſtienſis in *d. c. innotuit V. Officii, & beneficii h. t.* Pontifex igitur, ut etiam quilibet alius ſupremus Princeps poteſt punire ſuos ſubditos ipſum conviciantes, ac detrahentes ipſius honori; proinde vindicare proprias injurias ſibi illatas, quia non tenetur quis remittere ſatisfactionem injuriæ ſibi illatæ *c. olim 7. de injur. c. gravis 11. de reſtitut. ſpoliat.*

6 Poſſet tamen in contrarium objici, quia licentia loquendi videtur populo conceſſa, quia inde cupiditates, propenſiones, affectiones, & conſilia ſubditorum pateſiunt, & Princeps poteſt melius ſibi cavere: unde Tiberius dicere coſueverat in civitate libera liberas linguas eſſe debere, & loquens cum Senatu intendente maledicos punire dixit: ſi hanc feneſtram aperueritis, nil aliud efficietis, quàm ut hoc colore dignitatis Principum vindicandæ, unusquisque privatas ſuas inimicicias, velatum, ultúmque eat: & poſtea concluſit, ſi quis locutus aliter fuerit, dabo operam, ut rationem reddam dictorum, factorúmque meorum, ſi perſeveraverit, itidem eum odero. Hinc Theodoſius cum Arcadio, & Honorio, filiis ſuis conſtitutionem edidit relatam *in l. ult. C. ſi quis Imperatori maledixerit*, ubi Imperator ait: Si quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus improbo, petulantique maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulentus (tre-

ſtate

ctator temporum noſtrorum fuerit, eum pœnæ nolumus ſubjugari, nec durum aliquid, nec aſperum volumus ſuſtinere, quoniam ſi id ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt: ſi ex inſania miſeratione digniſſimum, ſi ab injuria remittendum.

7 Sed contra quia pœna detractorum ex perſonis eorum penſari debet, ac judicandum, utrum conſultius ſit Detractori parcere, & flocci prolata convicia facere. Princeps enim ita debet clementiæ eſſe addictus, ut tamen juſtitiam non obliviſcatur. Plura penſanda ſunt circa maledicos puniendos, an ſcilicet ex dolore aliquo, vel temeritate honori detraxerint Principis, an verò tantùm ex ſola detrahendi libidine: ſiquidem in prioribus caſibus indulgendum eſt populo dolore correpto: in caſu verò poſteriori vindicandæ ſeveriùs ſunt illatæ contra Principem injuriæ, ut cæterorum coërceatur temeritas, quia ut ajebat Socrates, qui maledicta non vindicat, veterem remittendo injuriam, novam provocat.

8 Neque obſtat, quòd in *l. unic. c. ſi quis Imperatori maledixerit*, dicatur, quòd maledicens Imperatori, ſi ex levitate id præſtiterit, injuriam non eſſe puniendam, ſed contemnendam, eò quia ex levitate proceſſerit: quia ibi non dicitur ſimpliciter, & generaliter eſſe indulgendum Imperatori maledicenti, ſed tunc tantùm ſi ex temulentia, levitate, vel inſania maledixerit; non ita ſi per injuriam, & malo animo, quia tunc convicia in Principem illata ſunt ſeveriùs punienda, ut temeritas ſubditorum coërceatur: eodem pacto Clemens III. in c. *innotuit t. h. t.* non præcipit generatim puniri omnes maledicentes Papæ, ejúsque honori detrahentes, ſi ex temulentia, levitate, & inſania ei detraxerint: Pontifex enim in *d. c. conſtitutione* nullum facit verbum de temulentia, levitate, & inſania, proinde textus eſt intelligendus de maledicentibus per injuriam, & malo animo juxta diſpoſitionem juris civilis, ut notat Farinacius in *prax. crim. p. 3. q. 105. n. 399.*

9 Rurſus quamvis Papa laudabiliter remittat injuriam illatam ſuæ propriæ perſonæ, non ita ſuæ dignitati, quia tunc detrahitur dignitati Pontificiæ, & fit injuria Eccleſiæ catholicæ, quæ injuria non eſt remittenda, ſed graviſſimè punienda. Demum Princeps non tenetur de jure remittere injurias illatas ſuæ propriæ perſonæ, ſed tantùm ex benignitate, & clementia; unde ſi velit ex juſtitia procedere, adhuc poteſt eos punire.

Hinc clericus, qui honori, & gloriæ ſummi Pontificis detraxerit, Judicis arbitrio puniendus eſt, quia in jure nulla certa videtur pœna ſtatuta: cùm enim verba, quæ maledici proferunt in detrimentum ſummi Pontificis, vel Sedis Apoſtolicæ, varia poſſint eſſe, majoris, & minoris gravitatis, & culpæ: ideo non potuit certa pœna ſtatui, ſed conſiderata qualitate perſonæ maledicentis, & etiam circumſtantiis omnibus graviùs, vel leviùs puniendus eſt Clericus, qui honori detrahit ſummi Pontificis, & ſicut culpa penſanda eſt ex variis, quæ tunc occurrunt, circumſtantiis in perſona, loco, adſtantibus; ita ad arbitrium Judicis injungenda eſt pœna.

Immo non ſolùm qui honori detrahit Pa- 10
pæ, ſed etiam ſui ſpecialis Superioris, ut Epiſcopi, eſt puniendus arbitrariè, ut notat Farinacius *in prax. crimin. p. 3. q. 105. n. 502.* quia detrahens ſuo ſuperiori ſpirituali, eique maledicens injuriam verbis illi infert; & Epiſcopus, cui eſt injuria illata, poteſt maledicum punire, & etiam anathemate percutere, ſi tamen contingat, detraxiſſe honori ſuæ Eccleſiæ; quia Epiſcopus in cauſa ſuæ Eccleſiæ poteſt eſſe Judex competens c. *ſi quis erga. 16. in fin.* Quòd ſi injuria illata fuit ſpecialiùs in perſonam ipſius Epiſcopi, tunc nec punire, nec excommunicare poteſt ipſum ſubditum, à quo fuit læſus, quia licèt Epiſcopus poſſit eſſe Judex competens in cauſa ſuæ Eccleſiæ, non ita in propria ſua cauſa, quoad ſuam privatam perſonam, ut habetur in c. *inter querelas 27.* & ibi Gloſſa *V. propriè cauſ. 23. q. 4.*

Religioſi ſi honori detrahant ſui Prælati 11
per duos menſes ſubjacere debent pœnis illis, quæ ſecundùm eorum regulam, vel ſtatuta pro gravibus criminibus, ſeu culpis eis imponi conſueverunt: neque abſque urgente neceſſitate eſt cum Religioſis maledicis diſpenſandum, neque ipſis indulgendum, ut habetur in *clement. 1. quibus etiam de privileg.* immo convicia Religioſorum, quibus honori detrahunt ſuperioris, eò ſeveriùs ſunt punienda, quò graviùs lædunt ſtatum religioſum; non enim decet, virum Religioſum proprio detrahere ſuperiori, nec illi maledicere, ſed potius eidem humiliter obſequi. Qui verò honori detrahit Imperatoris vel alterius ſupremi Principis, plectendus eſt arbitrio ipſius Principis, juxta *l. unic. c. ſi quis Imperatori maledixerit*, eſt enim tali detractori pœna gravis injungenda, quia injuria eò fit gravior, quò in perſonam digniorem refertur; quòd ſi injuria illata homini privato eſt punienda, eò magis, & graviùs puniri debet injuria illata Principi, quia ratione perſonæ offenſæ creſcit gravitas delicti, cui correſpondere debet pœna gravior.

§. II.

De blaſphemijs in Deum, Sanctos, carúmque pœnis.

IN ſecunda parte hujus tituli, ſeu in c. *ſtatuimus* Gregorius IX, pœnas imponit con- 1
tra eos, qui præſumunt publicè blaſphemare. Eſt blaſphemia convitium, ſeu maledictum in aliquem dignitate, & excellentia conſpicuum, prolatum, ut docet D. Auguſtinus in *lib. de moribus Monachor. c. 11.* & à D. Thoma 22. *q. 13. art. 1.* definitur *locutio falſa contra Deum, Sanctos, aut res ſacras per modum contumelia* dicitur *locutio*, ut comprehendat blaſphemiam mentalem, & vocalem, quia ſicut in fide diſtinguuntur aſſentiri articulis fidei, & eos corde, vel ore pronuntiare: ita

in infidelitate diſtinguuntur diſſentire veritati revelatæ, & dicere intus, vel foris contraria fidei; duo priora pertinent ad fidem, & fidei profeſſionem; & duo poſteriora ad infidelitatem, & blaſphemiam.

2 Rurſus hæc locutio eſt falſa, quia omnis blaſphemia continet aliquid falſitatis, vel ex vi enuntiationis, vel ex intentione blaſphemantis, vel ex modo locutionis: hinc blaſphemia eſt, cùm de Deo aliquid negatur, quod ei convenit, ut cùm dicitur, quòd Deus non ſit omnipotens, non habeat providentiam hominum, nec rerum humanarum: vel cùm aliquis de Deo aſſerit, quod illi non convenit, ut ſi Deus dicatur eſſe injuſtus, corporeus, obnoxius infirmitatibus. Et quamvis in oratione imperativa, vel optativa non poſſit eſſe falſitas, ut docent Philoſophi; intentio tamen loquentis, & modus loquendi, poſſunt in actu exercito involvere aliquam falſitatem, ut ſi quis dicat, pœniteat Deum rem hanc feciſſe: utinam Deus hoc ignoraret, ſunt enim blaſphemiæ involventes falſitatem, nimirum poſſe Deum ſui operis pœnitere, & poſſe aliquid ignorare.

3 Adduntur aliæ particulæ *contra Sanctos, aut res ſacras* quatenus ſcilicet illæ ad Deum referuntur, quia tunc blaſphemia ultimò tendit in Deum, eſtque ejusdem ſpeciei cum blaſphemia immediata: hinc omnis maledictio, contumelia, & convicium prolatum contra Deum, vel ſanctos eſt blaſphemia, quia per illud derogatur divinæ majeſtati, & excellentiæ; & divinus honor diminuitur: maledictiones, & convicia, quæ contra Sanctos proferuntur ſaltem ex conſequenti, & indirectè redundant in Deum, qui ſicut in Sanctis ſuis laudatur, & honoratur, ita etiam in iisdem contemnitur, ut notat Covarruvias in *c. quamvis de pactis. p. 1. relect. §. 7. n. 8.* Quòd ſi maledicantur aliæ creaturæ, quatenus ſunt Dei creaturæ, vel inſtrumentum, quo Deus punit, hæc convicia ſunt blaſphemiæ, non quatenus præcisè terminantur ad creaturas, ſed quatenus redundant in Deum.

4 Blaſphemia igitur eſt peccatum, quod formaliter adverſatur virtuti religionis, quia eſt quædam contumelia verbalis in Deum, vel Sanctos, imò ſi preſſiùs velimus uſurpare nomen blaſphemiæ pro nomine contumelioſo continente, vel ſapiente hæreſim. blaſphemia opponitur fidei juxta doctrinam D. Thomæ, ut cùm Calviniſta dicit, Chriſtum in Euchariſtia non eſſe adorandum, quia hic actus eſt directè imperatus ab infidelitate, ſeu hæreſi, & opponitur confeſſioni fidei. Rurſus ſi quis diceret, B. Virginem non eſſe Virginem animo negandi fidem ſaltem exteriùs, tametſi interius ita non ſentiret, adhuc talis actus eſſet imperatus ab infidelitate, quia ſignificatio contraria fidei, quæ eſt in ipſa materia, ſeu verbis, eſt directè volita: ſiquidem eatenus quis profert illa verba, ut per illa ſignificet, rem ita ſe habere.

5 Hinc ſicut hæreſis, ita & blaſphemia in actu conſiſtit intellectûs, quamvis exigat prævam affectionem formalem, vel virtualem voluntatis tanquam diſpoſitionem: hic autem actus intellectûs, in quo conſiſtit blaſphemia hæreticalis, manifeſtatur per ſigna, aut verba exteriora, adeò ut ſi quis nutu, vel alio ſigno ſenſibili Deo contumeliam inferret dando alapam crucifixo, tale peccatum non eſſet à blaſphemia eſſentialiter diſtinctum. Eſt igitur blaſphemia duplex, hæreticalis una, alia ſimplex; illa eſt, quæ fidei articulis directè opponitur, ſeu quâ aliquid aſſeritur fidei contrarium, ut cùm quis corde, vel ore tribuit Deo aliquid, quod illi non convenit, vel negat de Deo aliquid, quod illi convenit.

Simplex blaſphemia, ſeu non hæreticalis 6
eſt, quæ neque formaliter, nec virtualiter continet falſitatem contra fidei veritatem; cujusmodi ſunt blaſphemiæ illæ, quæ per modum optandi, imprecandi, aut imperandi proferuntur, ut etiam illæ, quibus enuntiatur quidem aliquid de Deo, quod illi convenit, ſed per modum contumeliæ, & irriſionis. Regulariter blaſphemia eſt peccatum mortiferum, quia ex natura ſua gravem injuriam Deo infert: immo eſt gravius peccatum idololatriâ, perjuratione, violatione voti, & ſacrilegio, & tantùm ex indeliberatione, & inadvertentia poteſt eſſe peccatum veniale, ut cùm homo ira aliqua, vel alia paſſione motus non advertit ad verba blaſphemiæ, quæ profert: quòd ſi homo eſſet ita aſſuetus blaſphemiis proferendis, ut non curaret emendationem; tunc ob culpam præcedentem non excuſaretur à peccato lethali, eò quia non abſtulit occaſionem peccandi, proinde indirectè, ſeu in cauſa talis blaſphemia cenſetetur voluntaria. Ratione autem parvitatis materiæ blaſphemia nunquam eſt peccatum veniale: quia in materia blaſphemiæ non datur parvitas materiæ, quia omnis blaſphemia ſemper gravem infert Deo injuriam, niſi fortaſſis, ita per jocum proferatur, ut non reputetur Deo afferre irreverentiam.

Quod verò ad pœnas attinet, quæ contra 7
Blaſphemos jure infliguntur; certum eſt, pœnas has eſſe atrociſſimas, ſicut blaſphemiæ crimen eſt cæteris deteſtabilius, adeo ut ſacræ Litteræ de blaſphemia ſermonem inſtituentes benedictionis nomine utantur per antiphraſin ſignificantes maledictionem *3. Reg.* 21. impia Jezabel de Naboth loquens calumniando dixit, *benedixit Deo, & Regi.* Job. 1. *ne fortè peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis.* In veteri teſtamento Dei juſſu conſtituta fuit pœna mortis in eos, qui ſe ſcelere blaſphemiæ obſtringerent, Deoque maledicerent: lapidibus enim à toto populo obruebantur: hinc *Levit.* 24. *Qui blaſphemaverit nomen Domini morte moriatur: lapidibus obruet eum omnis multitudo populi, ſive ille civis, ſive peregrinus fuerit:* rurſus *in Authentica, ut non luxurientur homines* conſtituit Pius Imperator legem, quâ præcipit, ut blaſphemi ultimo ſupplicio puniantur: & in jure civili

ultimum

ultimum ſupplicium intelligitur pœna capitis, ſeu mortis *l. ult. ff. de pæn.* *Propter talia* ait Impetator, *delicta, & fames, & terra motus, & peſtes eveniunt.* Hodie tamen ex conſuetudine recepta mortis pœoa blaſphemis per leges imperiales irrogata jam ſublata eſt, ut notat Julius Clarus *lib. 5. ſent. in pract. V. blaſphemia n. 3.* immo ootat Covarruvias in *c. quamvis pactum de pact. in 6. p. 1. §. 7.* olim blaſphemos non fuiſſe pœnâ mortis punitos, ſed eos tantùm, qui ex conſuetudine, & abſque emendatioois, & correctionis ſpe Deo maledicerent. In his tantùm habere locum pœnam mortis conſtitutam jure Imperiali aſſeruat Baldus, Saliceius, Anania apud Covarruviam id *d. c. quamvis pactum de pact. in 6. p. 1. §. 7. n. 8. & ſequent.* In conſtitutionibus tamen Caroli Magni *addit. 3. c. 59.* blaſphemi ultimo ſupplicio puniebaotur, & modernæ conſtitutiones Chriſtianorum Galliæ Regum jubent, blaſphemos pro blaſphemiæ qualitate puniri, & pro criminis enormitate palo affigi; vel linguam, qoæ infauſtas voces edidit cultro transfigi, vel labia, quæ verbis ſceleratis vism non obſtruxerunt, ferro proſcindi; & oonnunqoam eos etiam ultimo ſupplicio affici, qui ſe blaſphemiæ ſcelere obſtrinxerunt: qua de re ſunt plura decreta.

8 Jure canonico, & ut ad præſens pertinet inſtitutum graviſſimæ pœnæ in blaſphemos ſunt conſtitutæ in *c. ſtatuimus 2. & ult. h. t.* ubi Gregorius IX. ſtatuit, quòd ſi quis præſumat publicè blaſphemare Epiſcopus præcipias, ut per ſeptem dies dominicos exiſtat præ foribus Eccleſiæ in manifeſto, dum fiunt miſſarum ſolemnia, & oltimo die ſinè pallio, & calceis, & ligatus corrigiâ circa collum, & jejunet ſeptem feriis præcedentibus in pane, & aqua; nec in Eccleſiam ingrediatur: & ſi poteſt quolibet die horum reficiat tres, vel duos, vel unum pauperem: & ſi non poteſt eos reficere, injungatur ei alia pœnitentia, quam ſi peragere detrectet, interdicatur ei ingreſſus Eccleſiæ, careat eccleſiaſtica ſepultura.

9 Rurſus Princeps ſæcularis eos, qui ſe blaſphemiæ ſcelere obſtrinxerint, puniat, ſi ſint divites in 40. ſolidos: alioquin in 30. vel 20. vel ſaltem in quinque, idque ſive blaſphement Deum, ſive Sanctos, & multò magis B. Virginem; quòd ſi Judex ſæcularis negligens ſit; Epiſcopus illum cogat. Verùm pœna hæc publica injuncta in *d. c. ſtatuimus 2. h. t.* non imponitur niſi publicè blaſphemantibus Deum, vel Sanctos: quia delicta occulta publicè noo vindicantur *c. ult. cauſ. 32. q. 5.* Is verò dicitur publicè blaſphemare, qui coram pluribus adſtantibus, & audientibus in blaſphemias execrandas erumpit, quòd ſi delicta ad Epiſcopum deferantur; quamvis blaſphemans coram Epiſcopo neget, ſe blaſphemias illas protuliſſe, ſufficit tamen, ſi per idoneos teſtes convincatur, ut notat Hoſtienſis io *d. c. ſtatuimus V. publicè*: hinc publicum in hoc textu ſumitur prout diſtinguitur à notorio juris, & facti, quia Is dicitur publicè blaſphemare, non ſolùm qui io judicio de blaſphemia eſt convictus, & condemnatus, ſed etiam, qui in publica platea, vel foro blaſphemar, imò etiam in loco privato, & in domo; dummodo multi adſint, qui blaſphemias audiant. Hinc etiam liquet, crimen blaſphemiæ eſſe mixti fori, adeò ut tam per eccleſiaſticum Judicem, quàm per ſæcularem puniri poſſint, qui ſe blaſphemiæ ſcelere obſtringunt, & datur etiam locus præventionis. A pœna autem hac publica non poteſt quis abſolvere oiſi ſolus Epiſcopus, qui ſolet hanc publicam pœnam relaxare: ob blaſphemiam verò occultam injungitur privata tantùm pœnitentia, eáque arbitraria, & poteſt à confeſſario injungi, & relaxari, tametſi non ſit 10
Epiſcopus, ut notat Abbas in *d. c. ſtatuimus 2. n. 1. h. t.*

Non tamen pœoa hæc publica injungenda eſt Clerico publicè blaſphemanti, quia Clerici noo agunt publicam pœnitentiam; unde prohibentur promoveri ad ſacros ordines *c. ex pœnitentibus 55. diſt. 50. c. 1. de bigamis*: unde Clerici publicè blaſphemantes puniuntur pœna arbitraria, ut notat Hoſtienſis *in ſumma in d. c. ſtatuimus 2. n. 4. h. t.* in cujus textu blaſphemus etiam privatur ingreſſu Eccleſiæ, donec injunctam ſibi publicam pœnitentiam abſolverit; & meritò, ſiquidem peccans io Deum peccat etiam in Eccleſiam, cujus propterea ooo meretur beneficium: hinc 11
privatur etiam ſacrâ eccleſiaſticâ ſepulturâ, ſi oolit juſtam pœnitentiam peragere.

Rurſus ex eo, quòd Gregorius IX. injungat Principi ſæculari puoire blaſphemos divites in 40. ſolidis, vel 30. vel 20. aut ſaltem in quinque, deducitur hoc crimen blaſphemiæ etiam puniri pœna pecuniaria, quæ ab aliquibus magis ſolet timeri, quàm pœna ſpiritualis, etiam excommuoicationis: & hæc pœoa pecuniaria imponi etiam poteſt Clerico publicè blaſphemanti, ut notat Abbas in *d. c. ſtatuimus 2. n. 9. h. t.* Laici verò publicè blaſphemantes, ſi injunctam ſibi præſcriptam pœnitentiam peragere detrectent, poſſunt anathemate percuti: quia per hanc conſtitutionem non eſt ſublata pœna excommunicationis olim injuncta *argum. c. nunquam 60. ff. de oblig.* & quia hoc crimen eſt mixti fori, & datur locus præventionis; ſi Judex ſæcularis negligat juſtitiam adminiſtrare, poteſt adigi per Judicem eccleſiaſticum, quia in crimi- 12
oibus mixti fori una juriſdictio per aliam adjuvari debet.

Demum hæc pœna publica non incurritur ab iis, qui in ebrietate, vel ex impetu iracundiæ publicè blaſphemant: quia iracundus non cenſetur in illa caloris efferventia plenè advertere ad id, quod agit, proinde iſti mitiùs puniuntur arbitrio Judicis: præfata enim pœna publicè poſita in *d. c. ſtatuimus 2. h. t.* eos tantùm afficit, qui omnino deliberatè, & ex pro-

poſito blaſphemant , ut notant Menochius de *arbit. Iudic. cas 375. n. 33.* Fsrinacius *in prax. crimin. lib. 1. tit. 3. q. 20. 47.* Verùm ut iracundia blaſphemantem excuſet à pœna in jure expreſſa, debet oriri ex juſta, & gravi cauſa: alioquin ſi ex cauſa injuſta, & levi, quis publicè blaſphemet ex iracundia, hæc illum non excuſat à pœna lata in jure contra blasphemos, ut ſi quis in luſu pecuniam perdens irâ percitus in blasphemias irrumpat; cauſa enim amiſſæ pecuniæ in ludo non eſt ſufficiens ad excitandam iracundiam excuſantem blaſphemias à pœna jure impoſita.

§. III.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an blaſphemus ſit mitiùs puniendus, ſi abſolvatur à Confeſſario? Reſpondetur, in pœnis infligendis eſſe attendendas circumſtantias *c. aut facta §. ſed hac de pœnit. diſt. 1. c. fin. de transact. c. quæronti de V. S.* unde ſi blaſphemus confiteatur, & ipſum ex corde pœniteat prolatæ blaſphemiæ, & prodat ſpecialia ſigna pœnitentiæ, poteſt ex hoc capite mitiùs puniri: quia pœnæ ſunt mitigandæ, quando delinquens reſipiſcit *l. interpretatione §. de pœnis c. pœna de pœnit. diſt. 1.* Immo quæcunque cauſa ſufficit pro pœnis mitigandis *l. mores §. fin. ff. de pœnit.* & pœnitentia, ſi procedat ex vero corde, eſt cauſa ſufficiens ad mitigandas pœnas; quapropter etiam Deus pœnam æternam pœnitentis commutat in temporalem, & quo major eſt pœnitentia, eò plus minuitur pœna temporalis,

2 Quæritur ſecundò, an blaſphemus poſſit pœnam juris evadere, ſi in loco, ubi puniendus eſt, vigeat ſtatutum, quòd ille, qui pacem obtinuit ab offenſo, mitiùs puniatur? Plures videntur affirmare, adeò ut, ſi blaſphemus accedat ad confeſſarium, ſuum confiteatur peccatum, & abſolutionem obtineat, non incurrat tunc pœnam juris, eo quia per abſolutionem ſacramentalem fuerit Deo reconciliatus, cui per blaſphemias injuriam intulit: hinc dicunt, eſſe tunc puniendum mitiori pœna juxta ſtatuta de pœna illorum, qui obtinuerunt pacem ab offenſo, quia blaſphemus, eò quia in ſacramento pœnitentiæ ſuerit abſolutus, pacem obtinuit à Deo, quem offenderat. Videntur huic ſententiæ adhærere Felinus in *c. de his. V. fallit. de accuſat.* Bartolus *conſil. 167.* Ancharanus in *c. fin. de maleſic.* Decius *conſil. 137. V. & cùm in iſto delicto.* Verùm non puto, huic ſententiæ adhærendum, quia juriſdictio non extenditur extra territorium *l. extra territorium. ff. de juriſdic. om. judic.* unde ſtatuta unius territorij non obligant Incolas illius, quando ſunt in alieno territorio, ut norant Covarruvias *lib. 4. variar. c. 20. n 8.* Cardinalis in *clement. 2. q. 5. de celebrat. miſſ.* Crotrus in *c. ut animarum §. ſtatuto de conſuet. in 6.* Abbas *in c. à nobis 1. n. 11. de ſentent. excommun.*

Hinc neque leges, & ſtatuta extenduntur ultra territorium, neque ad ea, quæ concernunt territorium; neque pertinent ad forum territorij; quapropter ſtatutum injungens mitiori pœna eſſe puniendum eum, qui pacem obtinuit ab offenſo, non ſe extendit niſi ad illam reconciliationem, quæ pertinet ad ſorum territorij: at quæ aguntur in foro pœnitentiali ſacramentali ſunt omnino extra territorium civile, & non concernunt ejus forum, cùm peragantur tantùm inter pœnitentem, & Confeſſarium gerentem vices Chriſti, qui propterea abſolvit nomine Chriſti, & Deo reconciliat: ex quo liquet, ſtatutum diſponens circa pœnam, quoad eos, qui obtinuerunt pacem ab offenſo, non ſe extendere ad pacem obtentam à Deo in ſoro pœnitentiali, neque ad homines cum Deo beneficio ſacramenti Pœnitentiæ reconciliatos. 3

Tum quia pax, quæ tunc obtinetur à Deo offenſo, pertinet tantùm ad conſcientiam; proinde ſolùm in foro ipſius procedit, non verò ſe extendit ad ſorum civile, cujus non eſt judicare de ijs, quæ ſecundùm conſcientiam aguntur. Tum quia lex civilis non obligat niſi ſubditos, & quatenus ſunt ſubditi; hinc Apoſtolus *ad Rom. 3. ait. Scimus quoniam quæcunque lex loquitur, iis loquitur, qui ſub lege ſunt:* homines autem non ſunt ſub lege civili niſi quoad civilia, non verò quoad ſpiritualia, & præſertim quoad regimen conſcientiæ. Etenim, ut lex obliget, requiritur juriſdictio in legislatore, & ſubjectio in perſonis, quæ obligantur tali lege, quia lex non fertur niſi in ſubditos: ſed lex civilis fundatur in ſola civili, & temporali poteſtate, adeò ut ejus diſpoſitio non ſe extendat ad ſpiritualia, neque ad eos, qui obtinent pacem à Deo offenſo in ſacramento Pœnitentiæ. Id etiam ex eo firmari poſſet, quia quamvis per Baptiſmum remittatur omnis pœna, tam æterna, quàm temporalis, non tamen hæc remittitur, quoad forum ſæculare, ſed tantùm in ordine ad Deum, quia in ordine ad forum ſæculare, adhuc poteſt puniri ob delictum patratum ante ſuſceptum baptiſmum, ut contigit Pragæ anteacto anno, ubi Judæus quidam infantem occiderat, & captus à Magiſtratu, ac in carcerem detruſus damnatus fuit ultimo ſupplicio, cumque ſententia mortis eidem ſignificaretur ex Dei ſpeciali gratia, petiit baptizari, ut Chriſtianus moreretur, idque obtinuit; non tamen pœnam mortis evaſit: & ratio eſt, quia baptiſmus ordinatur ad animam, conſequenter liberat à pœna ſolam animam, & in foro conſcientiæ apud Deum; non verò in foro ſæculari cum ad ipſum non pertineat; ex quo liquet, pacem obtentam à Deo offenſo per Pœnitentiæ ſacramentum non trahere ad ſe ſtatutum de mitiore pœna quoad eos, qui obtinuerunt pacem ab offenſo, eò quia hæc reconciliatio ſit tantùm in foro conſcientiæ, & non pertineat ad forum ſæculare. 4

Quæritur tertiò, an Inquiſitores hæreticæ pravitatis jus habeant, & auctoritatem inquirendi, & anin advertendi in blaſphemos? Reſpondetur, blaſphemias alias eſſe hæreticales, quæ hæreſin ſapiunt, quam maniſeſtè continent; & de hiſce poſſe Inquiſitores cognoſcere nulli eſt dubium, quia ad Inquiſitores pertinet contra hæreticam pravitatem inquirere, & eos punire, qui hæreſes proferent: alias verò eſſe blaſphemias ſimplices, quæ hæreſin non continent, nec ſapiunt, & in hujusmodi blaſphemos Inquiſitores non videntur habere auctoritatem ordinariam, nec cognoſcere de illis, ſicut neque ad ipſos pertinet cognoſcere ſuper omnia peccata.

5 Hinc blaſphemia eſt crimen mixti fori, quia de omni blaſphemia, quam in Deum, & Sanctos maledici proferunt, poſſunt cognoſcere Judices, & Magiſtratus tam ſæculares, quàm eccleſiaſtici, & datur locus præventionis, ut notat Covarruvias in c. *quamvis pactum de pact. in 6. p. 1. §. 7. n. 12.* Hinc Judex eccleſiaſticus poteſt etiam punire laicum blaſphemum, quamvis ſibi non ſubditum in temporalibus; non verò Clericus puniri poteſt à Judice ſæculari, eò quia ſit extra ejus juriſdictionem & licèt detur locus præventionis, non tamen præventio debet impedire, ne alter poſſit ſuam pœnam imponere; adeò ut punitio unius Judicis non impediat, quin poſſit alter etiam punire, ut notat Farinacius *in prax. crimin. lib. 1. tit. 3. q. 20. n. 39.* immo ſi Judex ſæcularis negligens ſit in puniendis blaſphemis, poteſt ad id compelli à Judice eccleſiaſtico, ut habetur in *c. ſtatuimus ult. h. t.* Non tamen poteſt Judex eccleſiaſticus punire Judæum blaſphemum, niſi Judex ſæcularis negligens ſit, ut notat Clarus §. *blaſphemia n. 5.* vel niſi Judæus ſit ſub temporali juriſdictione eccleſiaſtici Judicis, ut Romæ, & in ſtatu eccleſiaſtico.

6 Quæritur quartò, an qui palam Deum, vel Sanctos cœli Habitatores maledictis inceſſunt, deferri ad Judices debeant? Reſpondetur ex concilio Lateranenſi ſub Leone X. teneri audientes blaſphemias acriter abjurgare, & corripere blaſphemum, & ejus crimen deferre ad Judicem eccleſiaſticum, vel ſæcularem intra triduum: quòd ſi plures blaſphemantem ſimul audierint, tenentur ſinguli eum accuſare, niſi fortaſſis omnes convenerint, ut unus tantùm nomine cæterorum accuſet blaſphemum, ut habetur in dicto Concilio Lateranenſi: & Julius III. in ſua conſtitutione Pontificia, cui initium eſt: *In multis*, præcipit, ut ſcientes denuntient intra triduum eum, qui maledicit, idque ſub pœna incurrendi eaſdem pœnas, quibus ſunt ipſi maledici obnoxij. Rurſus in *c. ſi quis per capillum 12. q. 1.* Pius I. conſtituerat, ut ſi quis talem hominem non accuſaverit, eum divinâ condemnatione eſſe coërcendum: quæ omnia potuerunt jure ſanciri, quia denuntiatio hujus criminis non ſolùm præcipitur ad emendationem blaſphemi, ſed etiam in pœnam tanti ſceleris. Etenim cùm privatim priùs corrigi deberet, & correctus non eſſet ad Judicem deferendus, in pœnam tamen delicti præcipitur denuntiari; adeò ut accuſari poſſit, etiam ante privatam admonitionem, ut etiam poſt ſecutam emendationem; quia denuntiatio judicialis non exigit privatam admonitionem; quia non refertur ad emendationem illius, qui deliquit, ſed ad publica crimina debitis pœnis punienda, ut notat Covarruvias *lib. 2. variar. reſol. c. 10. n. 3.*

Quæritur quintò, an qui ſimul plures blaſphemias in Deum, & ſanctos protulerit, unum tantùm crimen blaſphemiæ committat, ac debeat una tantùm pœna puniri? Reſpondent aliqui, quòd ſi cauſa in judicio exteriori agatur, unum tantùm ſit cenſendum peccatum, & unam maledicum pœnam contraxiſſe, idque probant in *l. inficiando §. infans. ff. de furtis* ubi dicitur *Infans apud furem adolevit, tum adoleſcentis furtum fecit ille, & unum tamen eſt furtum*, deinde ſubjicitur, *ſi ſurreptus furi foret, ac rurſus à fure altero eum recuperâſſet, non ampliùs quàm ſemel cum eo furti agi poſſet.* Rurſus *l. ſi bis ff. de V. O.* habetur, *qui bis idem promittit ipſo jure ampliùs non tenetur quam ſemel.* 7

Quòd ſi cauſa agatur in foro conſcientiæ, aſſerunt, eum, qui in uno ſermone Deo ter maledicit, quater-ve; tria, vel quatuor numero peccata committere, eò quia non minus nefariè, & impiè in ſecundo, tertio, & quarto verbo delinquit, quàm in primo: tametſi ſecundùm leges, & jura in foro exteriori unâ tantùm pœnâ mulctetur graviori. Nihilominus communior, & probabilior ſententia eſt, unum tantùm committi peccatum, ſed multò gravius, quàm ſi ſemel tantùm quis maledixiſſet, quia omnia maledicta ſunt partes unius continuati ſermonis, perinde ac ſi quis ſemel & iterum, & tertiò alterum pugno, vel calce percuteret, aut baculo verberaret ſine temporis intervallo, quia tunc ſecunda, & tertia verberatio tantùm confirmant primam. 8

Quæritur ſextò, an conſuetudo blaſphemandi poſſit excuſare ab incurrenda pœna in blaſphemos ipſo jure ſtatuta? Reſpondetur cum Covarruvia *in c. quamvis pactum. p. 1. §. 7. n. 12.* non excuſare, quia conſuetudo ſicut non excuſat à peccato, & delicto, ita neque liberat à pœna promerita ob patratum delictum. Hinc notat Covarruvias, quòd ſi in aliqua Provincia ob depravatam conſuetudinem maledicendi, blaſphemi non punirentur; non tamen id excuſaret, quò minus eſſent blaſphemi digni pœna, quia conſuetudo depravata, cùm ſit immane ſcelus, non meretur remiſſionem pœnæ. Quòd ſi quis ex ſubita ira vel alia animi perturbatione in blaſphemias erumperet, tunc ſi perturbatio animi adeo magna eſſet, ut omnem rationis deliberationem anteverteret, tunc blaſphemans, ſicut peccatum non incurreret ex defectu deliberationis; 9

ita neque mereretur pœnam jure contra blaſphemos inflictam: ſin verò aliquantu'um, uteretur ratione, & deliberatione, tunc ſicut non excuſaretur ab omni peccato, ita neque liberandus eſſet ab omni pœna.

10 Quæritur ſeptimò, an, qui ex inſolita, & depravata conſuetudine maledicendi ferè ſemper blaſphemant, ſint abſolvendi in ſacramentali confeſſione. Sunt enim, qui in Deum, & Sanctos convincia paſſim dicunt ex prava, & inveterata conſuetudine maledicendi. Dubitatur, quomodo qui eorum excipit confeſſiones, ſe ſe debeat adverſus eos gerere, an illos abſolvere, vel eos dimittere debeat, ut indignos abſolutione? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi enim ita ſint aſſueti blaſphemiis, ut paſſim ex prava conſuetudine maledicta in Deum, & ſanctos proferant; iſti non ſunt omnino arcendi à ſacramentali abſolutione; ſed conſultiùs eſt, ad tempus eos ſuſpenſos detinere, ut interim pravam, & perverſam illam exuant conſuetudinem. Sin verò certa, & manifeſta dent ſigna doloris, & deteſtationis ſuorum peccatorum, nec commodè differri poſſit abſolutio; tunc dummodo ſeriò promittant, ſe impoſterum non prolaturos talia maledicta in Deum, & Sanctos abſolvi ſacramentaliter poſſunt.

11 Quæritur octavò, an maledicta, convicia, ſeu blaſphemiæ, quæ in Deum dicuntur per ſe ſpecie diſtinguantur à maledictis, convicijs, & blaſphemijs, quæ dicuntur in Sanctos? Plures aſſerunt diſtingui ſpecificè, eò quia honor, & cultus Deo debitus ſpecie differat ab eo, qui debetur Sanctis; unde etiam maledicta, quibus quis Deum inceſſit, ſpecie diſtinguuntur ab illis, quibus quis conviciis Sanctos inſectatur. Tum quia blaſphemiæ hæreticales differunt ſpeciè ab imprecativis, & in ſacramentali confeſſione ſunt diſtinctè explicandæ: ſiquidem blaſphemiæ hæreticales habent oppoſitionem cum fidei confeſſione.

Tum quia diverſa ſunt convicium, aſſertio rei turpis, & imprecatio. Tum quia per
blaſphemias in Deum violatur Religio; per 12
blaſphemias in Sanctos Dulia, à qua hyperdulia aut ſpecie differt, vel illâ eſt longè major intra eandem ſpeciem. Hinc volunt, blaſphemias in Beatam Virginem eſſe ſeorſum explicandas in confeſſione à blaſphemiis in Sanctos, eò quia vel ſpecie differant, vel ſint peccata notabiliter graviora. Nihilominus communior, & probabilior ſententia aſſerit, omnes blaſphemias ſive in Deum, ſivè in Sanctos eſſe ejusdem ſpeciei niſi hæreſin contineant, vel à formali odio Dei procedant, ut docet Cajetanus *2. 2. q. 13. art. 3. ad 2. & 3.* Ubi docet, omnes blaſphemias convenire ſpecie, & tantùm differre ratione gravitatis, & levitatis in ſubjecta materia: ſiquidem maledictum, quo quis Deum inceſſit, & Sanctos, eſt peccatum, quod adverſatur religioni: ſed una tantùm eſt religio, quæ Deo debitum cultum tribuit, & etiam Sanctis propter Deum: unde ſicut religio eſt ſpecificè una tantùm, ita etiam crimen blaſphemiæ, quo quis Deum, & Sanctos maledictis inceſſit, idque ex eo etiam
firmari poteſt, quià jusjurandum ſpecie non 13
differt, ſive per Deum, ſivè per Sanctos quis juret.

Quamobrem ſolùm blaſphemiæ quæ continent hæreſin, ſpecie differunt ab iis, quæ nullam habent hæreſin annexam: ratio eſt, quia blaſphemiæ hæreticales ob hæreſin, quam continent adverſantur fidei: & blaſphemiæ, quæ non habent adnexam hæréſin, tantùm adverſantur religioni; & ſicut fides, & religio diſtinguuntur ſpecie, ita etiam blaſphemiæ hæreticales ſpecie diſtinguuntur ab illis, quæ hæreſin non continent.

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante.

HActenus Pontifex explicuit ea delicta, quæ Clericis ſunt communia, & ratione quorum ſuſpenduntur, vel deponuntur, aut anathemate percutiuntur. Nunc pergit agere de iis delictis, quæ verſantur circa functionem ordinum eccleſiaſticorum, eò quia hujusmodi Clerici ſuſpenſi, depoſiti, vel excommunicati interdum auſu temerario celebrent, & ſe divinis ingerant officijs, quo pacto aliud committunt de novo delictum, quod priori agglutinant: unde rectè Pontifex poſtquam egiſſet de delictis communibus omnibus Clericis, in præſenti titulo incipit agere de iis delictis, quæ ſequuntur ad præexpenſa: & docet hic titulus, quænam ſit pœna Clericorum, qui ab officio depoſiti, & degradati, vel etiam ab altaris miniſterio ſuſpenſi, nihilominus munus ſibi antea concreditum attrectare, aut quoquo modo ſacra miniſteria celebrare auſi fuerint.

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. SI QUIS EPISCOPUS 1. h. t. Ex canone Apoſtolorum ſtatuitur, ut Clericus depoſitus juſtè pro certo crimine, ſi auſus fuerit attractare miniſterium ſibi jam commiſſum, abſcindatur ab eccleſia. Ubi notat Panormitanus depoſitionem ex ordine injuſtam non valere, tametſi ſecus ſit in ſententia excommunicationis c. ſacro de excommun. abſcindi autem ab eccleſia, ut dicitur in textu, eſt idem ac excommunicari, proinde tametſi injuſtè quis ſit depoſitus, dummodo ſententia non ſit contra Ordinem juris c. Epiſcopus 11. q. 3. quia tunc ſententia eſſet nulla c. ei qui 2. q. 6. c. accedens. ut lite non conteſt. ſemper incurrit excommunicationem.

C. SI QUIS PRESBYTER 2. h. t. Ex Concilio Antiocheno ſtatuitur, ut degradatus, vel pro certo crimine ab officio depoſitus, ſi per contemptum, vel ſuperbiam præſumptuosè miniſtret in aliquo ordine prohibito, & correctus ab Epiſcopo adhuc præſumptuosè perduret, omnino excommunicetur: & declarantur etiam excommunicati communicantes cum ipſo, quod etiam procedit de aliis excommunicatis. Quòd ſi adhuc perſeveret in eodem, & Epiſcopus non poſſit eum emendare, ſtatuitur, ut tunc damnetur exilio judicio Regis per requiſitionem eccleſiæ. Ubi notandum eſt, degradatum ſi celebret, conficere Euchariſtiam, quia character eſt indelebilis. Non tamen degradatus eſt eo ipſo excommunicatus, quia in can. Apoſt. c. 1. non dicitur abſciſſus, ſed jubetur abſcindi, adeò ut debeat excommunicari præmiſſa monitione. Cæterum ſuſpenſus ab officio, ſi miſſam celebret, non ſolùm incurrit irregularitatem, ſed etiam ſi exerceat alios actus ſacerdotis, vel proprios aliis ordinibus ſacris. Verùm ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur, ut miniſterium quod à Clerico in cenſura exercetur, ſit ita Ordini proprium, ut non poſſit ab alio carente tali ordine exerceri. Quod verò dicitur in textu de pœna exilii certum eſt, eccleſiam habere poteſtatem decernendi hanc pœnam, quam ſi exequi non poteſt, rectè petit auxilium brachii ſæcularis, in quo ſenſu Epiſcopus dicitur remittere ad Regem, quem non potuit emendare.

C. CLERICI 3. h. t. Alexander III. declarat, Clericos excommunicatos, vel interdictos celebrantes divina officia ante abſolutionem, ſi moniti non deſiſtant eſſe perpetuò deponendos. Ubi notat Gloſſa, hanc pœnam depoſitionis eſſe impenendum per Judicem; & aliam pœnam irregularitatis delinquentem incurrere ipſo facto c. 1. de re judic. Cæterùm ſolus Papa diſpenſat in ſimpliciter depoſitis, in aliis verò Epiſcopus.

C. LATORES 4. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi multi ſimul excommunicati, vel interdicti præſumant divina celebrare officia, ſi illi multi non excedant numerum quadragenarium ſint omnes deponendi ab officio ſacerdotali, & quidem in perpetuum: ſin verò ſint plures 40. & multitudo ſit magna, tunc deponendi ſint in perpetuum ſolùm illi, qui magis dederunt cauſam delicti; alii verò ad tempus: vult tamen Pontifex, ut omnibus injungatur pœnitentia ad arbitrium Ordinarii: Ex hoc textu colligitur cum Panormitano depoſitionem mereri omnes celebrantes divina in excommunicatione, aut interdicto, nec ſit neceſſaria monitio, ne iterum, aut ſæpius id faciant, quod verum videtur de rigore verborum: unde quod in cap. præced. expreſsè requiratur monitio, id oritur ex benignitate eccleſiæ. Alii tamen cenſent, caſum in hoc textu eſſe ſpecialem. Cæterum notat Gloſſa hîc, nec multitudini eſſe parcendum niſi quando timetur ſcandalum, & multorum ſtrages, ſi ſervetur rigor juris, & ultra quadraginta dici multos c. cum cauſam de teſt. & licèt interdum etiam peccatores dicantur multi, hi ſunt tales reſpectivè ad alios pauciores, quos numerò excedunt. Notandum eſt, depoſitum ob officio eſſe itidem depoſitum à beneficio, quia unum datur propter aliud. Rurſus ſuſpenſus ab officio, vel beneficio debet ſaltem tutiùs ab utroque abſtinere.

C. ILLUD DOMINUS 5. h. t. Innocentius III. reſcribit in dubio, an quis ſit excommunicatus, eò quia dubitet, an contra eum lata ſit ſententia, ut quia per ſolam famam audivit, teneri dubitantem tunc ſe gerere tanquam excommunicatum, adeò ut non debeat tractare Sacramenta: alioquin incidit in pœnas canonis contra excommunicatos celebrantes c. ſi quis Epiſcopus 11. q. 3. immo cum eo ſolus Papa ex miſericordia ſolet diſpenſare. Rurſus declarat Pontifex; Excommunicatum debere multò magis alios vitare, quàm ab aliis vitari. Ex quo textu colligitur, habentem notitiam excommunicationis contra ſe latæ teneri ſe abſtinere à communione fidelium, & ſacramentorum, ne peccet, & incidat in irregularitatem, ſi divina audeat celebrare. Ubi etiam notat Gloſſa excommunicatum, vel ſuſpenſum, nec publicè, nec privatim debere celebrare, nec ſacramenta aliis miniſtrare c. Presbyterum diſt. 28. poſſet tamen alia officia præter miſſam occultè, & ut privatam perſonam exercere c. quod in te de pœn. & remiſſ. Rurſus notat Gloſſa, propter famam teneri Clericum abſtinere c. cum deſideres 15 de ſenten. excommun. ſed dicta paucorum non facere famam c. inquiſitionis de accuſat.

C. FRA-

C. FRATERNITATI 6. h. t. reſcribit idem Pont, Clericos excommunicatos præſumentes celebrare eſſe ſpoliandos omnibus beneficiis Eccleſiaſticis, immo ut notat Gloſſa poteſt Epiſcopus eos in perpetuum deponere c. latores 4. h. *c. licèt non poſſit cum eis diſpenſare c.* clerici 3. h. t. *ſicut nec præſes Provinciæ poteſt eum reſtituere, quem damnavit* l. 1, in fin. ff. de quæſt.

C. POSTULASTIS 7. h. t. idem Pont. reſcribit, excommunicatis non poſſe conferri beneficia, & collationem non tenere, & ſcienter ea conferentem ſuſpendi à collatione beneficiorum donec conſequatur veniam. Rurſus celebrantes divina officia in loco interdicto, ſi ſint Clerici eſſe privandos beneſitiis eccleſiaſticis, ſi Regulares, vel Moniales eſſe in arctius monaſterium detrudendos ad pœnitentiam peragendam. Ubi notat Gloſſa, celebrantes in loco interdicto eſſe ſuſpenſos, & irregulares e. ult. de exceſſ. Prælat.

C. PROPOSUIT 8. h. t. idem Pont. declarat, quòd ſi aliquis fuit excommunicatus, & poſtea abſolutus, ſi ei conferatur beneficium collatio tenet: ubi notat Gloſſa, eſſe conſiderandum, an tempore inveſtituræ fuerit quis excommunicatus, vel non c. cum bonæ de ætat. & qualit. *perinde ac in reſcriptis impetratis conſideratur, an tempore datæ fuerint excommunicati c.* dilectus de reſcript. *quia ſi poſt datam quis excommunicetur, reſcriptum non perditur, ſed ſuſpenditur c.* prudentiam de offic. deleg.

C. APOSTOLICÆ 9. h. t. Gregorius IX. reſcribit, quòd ſi ſuſpenſus celebret cum ignorantia probabili, non fiat irregularis, ſecus tamen ſi ignorantia fuit craſſa, ſupina, vel erronea.

C. SI CELEBRAT 10. h. t. idem Pont. declarat excommunicatum excommunicatione minore peccare ſi celebrat, ſed non fieri irregularem, & poſſe eligere, & exercere ea, quæ ſunt juriſdictionis. Rurſus ſi talis excommunicatus ſit ſcienter electus declarat, ejus electionem eſſe irritandã: rurſus peccare, ſi conferat ſacramenta, ſed hæc collata valere, eò quia ſit remotus à perceptione, non à collatione ſacramentorum, dummodo id non faciat in contemptum Eccleſiæ; quia tunc eſſet excommunicatus majori excommunicatione, quâ quis privatur perceptione, & ſimul collatione ſacramentorum.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quânam pœnâ plectantur Clerici depoſiti, ſi miniſtrent, & exerceant actum Ordinis, vel officii ſibi prohibiti, & quæ pœna contra Clericos excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos ſit jure impoſita, ſi divina celebrent officia.

1 DEponere in jure multipliciter ſumi ſolet, interdum idem ſignificat, ac rem alicui cuſtodiendam tradere *l. 1. ff. depoſiti,* qua ratione etiam teſtium dicta depoſitiones vocantur in *l. 3 c. ſi minor ſe majorem*, ſiquidem, qui teſtimonium profert, quodammodo veritatem ſibi notam fidei Judicis committit: nonnunquam ſignificat idem, ac auferre, ſeu derelinquere; quo pacto etiam dicimus deponere officium: hinc cum quis officio, vel dignitate privatur, deponi dicitur, & in hoc ſenſu ſumitur in præſenti depoſitio, quapropter hæc pœna propria eſt clericorum, qui deponuntur à propriis officiis, & beneficiis ob patrata delicta *argum. c. 2. 50 diſt. c. 2. de pœn. lib. 6.* licèt nonnunquam extendatur etiam ad Religioſos, tameſi clerici non ſint; imò etiam ad Abbatiſſas, ut notat Suarez *de cenſur. diſp. 30. ſect. 1. n. 2.* eò quis licèt hæ non ſint ex ordine clericali, ſunt tamen ex ordine eccleſiaſtico, in quo ſicut promoventur ad officia, & beneficia, ita ob delicta ab iiſdem deponuntur.

Eſt autem hæc depoſitio duplex alia verbalis tantum, & alia verbalis, & realis ſimul: illa eſt, cùm Clericus in perpetuum deponitur ab omni officio ſine ſpe reſtitutionis *c. Tengvaldum 11 q. 3. c. Presbyter 81 diſt. c. at ſi Clerici §. de adulteriis c. cum ab homine de judiciis.* Olim enim poſt hanc depoſitionem verbalem Clerici depoſiti detrudebantur in monaſteriis pœnitentiæ peragendæ causâ *c. tua de pœn. c. ſacerdos 81. diſt.* Verbalis, & realis depoſitio ſimul eſt, quâ non ſiſtitur tantùm in verbis, ſed realiter, & ſolemniter Clericus deponitur, eique auferuntur ornamenta, quæ in ipſa ordinatione acceperat. 2

3 Aliquando Eccleſia Clericos non deponit in perpetuum, ſed ad tempus duntaxat *c. cum in cunctis §. 2. de elect. c. tam litteris 33. de teſtibus c. 2. de temp. ordin. lib 6.* nimirum donec deſtiterint ab aliquo opere, vel ſocietate, vel donec ſatisfecerint, ſi ſint Debitores, ut habetur in *Clement. 1. de decimis*: & hæc pœna propriè non eſt depoſitio, ſed tantùm ſuſpenſio, quamvis aliquando etiam depoſitio vocetur *c. 3. h. t.* ut etiam è converſo depoſitio ſuſpenſio dicitur *c. ſi quis Epiſcopus 13 diſt.*

Cæte-

Cæterum hæc ſuſpenſio nonnunquam etiam pro levi cauſa imponitur *c. Presbyter 2. q. 3. c. inter de purgat. canon.* & interdum pro majori crimine *c. tam litt. 33. de teſtib. c. in loco 5. q. 4.*

Ruſſus depoſitio ſubinde fit à beneficio *c.* 4 *inſinuatum 13. de ſimon.* nonnunquam ab officio *c. ſi quis 50. diſt. c. ſi quis Clericus 10. 87. diſt.* Interdum ab officio, & beneficio ſimul *c. veritatis 8. de dolo, & contum.* Depoſitio à beneficio privat Clericum ipſo beneficio, & per hoc differt à ſuſpenſione, quia hæc tantùm privat ipſa perceptione fructuum, non verò beneficio, quod manet in ſuſpenſo. Depoſitio ab officio, nunc fit ab iis, quæ ſunt ordinis tantùm *c. at ſi Clerici 4. de judic.* ut cùm quis deponitur ab officio ſacerdotali *c. Tenguald. 11. q. 3. c. latores 4. b. t.* nunc à gradibus eccleſiaſticis *c. 2. de pœnis lib. 6.* nunc ab aliis, quæ ſunt etiam juriſdictionis, ut cùm quis deponitur ab Epiſcopali dignitate *c. quod ad tranſlationem de renunt. c. ut Clericorum 13. § ſi qui ita de vit. & honeſt. Clericor.* & quando quis deponitur à juriſdictione non ſolùm privatur ipſa juriſdictione; ſed etiam ipſo munere juriſdictionis, & per hoc differt depoſitio à ſuſpenſione, quia ſuſpenſus tantùm privatur uſu juriſdictionis, non verò ipſa juriſdictione; ſecus per depoſitionem privatur utroque; uſu ſcilicet, & juriſdictione; conveniunt tamen ſuſpenſio, & depoſitio, quia acta, & geſta tam per depoſitum, quàm per ſuſpenſum nullum ſortiuntur valorem, quia ſicut depoſitus caret dominio juriſdictionis; ita hic privatur
5 etiam actuali uſu.

Quando verò fit depoſitio ab ordine, tunc depoſitus privatur tantùm uſu ordinis; non verò ipſo ordine *c. quòd quidam 97. 1. q. 1. c. oſtenditur 32. de conſecrat. diſt. 4. c. 2. 32. q. 7.* ratio eſt, quia character Ordinis eſt indelebilis, neque per eccleſiæ depoſitionem auferri poteſt, unde depoſitio ab ordine revera nil aliud eſt, quàm ſuſpenſio ab uſu, & exercitio ejuſdem ordinis. Hinc ſacerdos depoſitus adhuc validè conſecrat, ſicut etiam ſuſpenſus, & degradatus, quia Clericus depoſitus verè confert ordines, & adminiſtrat ſacramentum confirmationis validè; quamvis non licitè.

6 Pœna igitur jure inflicta eſt contra Clericum depoſitum, ſeu verbaliter degradatum, hoc eſt perpetuo remotum ab Ordinibus, & gradibus eccleſiſticis ob patratum crimen ſi auſu temerario celebret, vel exerceat actum Ordinis, aut officij, à quo eſt depoſitus, & in eo miniſtret, ut anathemate percutiatur, ut habetur in *c. ſiquis Epiſcopus 1. b. t.* ubi ex *can. Apoſtolor* ſtatuitur, quòd Clericus depoſitus juſtè pro certo crimine, ſi auſus fuerit attrectare miniſterium ſibi jam commiſſum, debeat ab Eccleſia abſcindi, ſive is Epiſcopus fuerit, ſive Presbyter, aut Diaconus, quia nomen Clerici comprehendit omnes conſtitutos in ordine clericali. Abſcindi autem ab Eccleſia perinde eſt, ac excommunicari, ſeu ſeparari à communione fidelium, & participatione ſacramentorum. Verùm, ut incurratur hæc pœna, debet prævia præcedere monitio, adeò ut Clericus depoſitus attrectans miniſterium ſibi jam commiſſum, non incurrat excommunicationem, niſi fuerit præmonitus, & perſtiterit in ſua contumacia *c. ſacro 48. de ſent. excommun.* Rurſus quamvis in *d. c. ſiquis 1. b. t.* hæc pœna excommunicationis injungatur ſoli Clerico juſtè depoſito, nihilominus adhuc Clericus pœnam illam incurreret, quamvis fuiſſet injuſtè depoſitus, niſi priùs reſtitueretur, dummodo ſententia nullum ſortiretur valorem *c. ei qui 2. q. 6. c. accedens, ut lite non conteſt.*

Quamobrem Clericus depoſitus, vel degradatus actualiter, & ſolemniter, vel etiam ſuſpenſus ab officio perpetuo, ſi miniſtret in illo ordine, à quo eſt depoſitus, degradatus, vel ſuſpenſus debet moneri ab Epiſcopo, ut imposterum abſtineat à talis Ordinis exercitio, quòd ſi Clericus flocci faciens monitionem Epiſcopi nolit deſiſtere, ſed velit in ſua contumacia manere, tunc debet anatemate percuti, ut deſumitur ex *c. ſiquis Presbyter 2. b. t.* ubi ex Concilio Antiocheno ſtatuitur; quòd ſi degradatus, vel pro certo crimine ab officio depoſitus ſive per contemptum, vel ſuperbiâ præſumptuosè miniſtrat in aliquo gradu prohibito; & correctus ab Epiſcopo, adhuc præſumptuosè perdurat, debeat omnimodè excommunicari; & is etiam excommunicationem incurrit, qui cum illo communicat, quòd ſi adhuc perſiſtat in eadem contumacia, & Epiſcopus non poſſit eum emendare, tunc Concilium mandat, ut damnetur exilio, judicio Regis per requiſitionem Eccleſiæ. Ubi juvat obſervare, quòd ex hoc textu degradatus non eo ipſo ſit excommunicatus, quia *can. Apoſtol. in c. ſi quis 1. b. t.* non dicit eſſe abſciſſum, ſed jubet abſcindi, quapropter debet excommunicari præmiſſa admonitione. Rurſus ſi ſacerdos etiam actualiter, & ſolemniter degradatus celebret, ſacramentum conficit, & verè conſecrat, quia character Ordinis eſt indelebilis, & tametſi degradatio privet uſu Ordinis ſacerdotalis, non tamen privat ipſo charactere ordinis, conſequenter neque ipſo ordine, quò fit, ut ſi ſacerdos etiam actualiter, & ſolemniter degradatus celebret, ſacrificium conficiat, & verè conſecret. 7

Rurſus ſuſpenſus ab offitio, ſi miſſam celebret, non ſolùm incurrit irregniaritatem, verùm etiam, ſi exerceat alios actus ſacerdotis, & etiam alios proprios aliis Ordinibus ſacris; adeò ut non poſſit exercere officium Diaconi, quin incurrat irregularitatem. Imo ſunt etiam, qui hoc idem extendunt ad miniſteria ordinum minorum; ſed communior, & verior ſententia eſt in contrarium. Ad hanc enim irregularitatem incurrendam requiritur, ut miniſterium, quod Clericus in cenſura exercet, ſit ita Ordini proprium, ut ab alio, qui ordinem non habet, non poſſit exerceri: quò fit, ut contra Clericos in minoribus conſtitutos vix poſſit hæc pœna ex hac præciſè cauſa infligi. Quòd verò in tex- 8

tu dicitur de pœna exilij, notat Panormitanus, Eccleſiam habere hanc poteſtatem decernendi; & ſi illam non poſſit exeqni, debet recurrere etiam ad brachij ſæcolaris aoxilium, quia hæc eſt mens Pontificis in *d. c. ſi quis Presbyter 2. h. t.*

9 Pœna verò, quæ jure infligitur, in Clericos excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos, ſi celebrent divina officia, eſt perpetua depoſitio ab officio, & beneficio, ut liquet ex *c. Clerici 3. h. t.* Ubi Alexander III. reſcribit Epiſcopo Londonenſi, quòd ſi Clerici à ſuis, vel etiam de mandato Romani Pontificis ab alienis Epiſcopis interdicti, vel excommunicati ante obtentam abſolutionem divina officia celebraverint, niſi, moniti, ſine dilatione deſtiterint, perpetuæ depoſitionis ſententiam pro hac temeritate incurrant, ex quo colligitur, Clericos excommunicatos, ſi ante abſolutionem celebrent divina officia, & moniti non deſiſtant, eſſe perpetuò deponendos; quamobrem non ſtatim ac celebrant divina offitia, præſumontur depoſiti ab officio, & beneficio, ſed debent priùs moneri, & ſi non obſtante prævia monitione adhuc ſint contumaces, & iterum celebrent, debent incontinenti illicò deponi, tametſi parati ſint ſe corrigere. Immo ſunt, qui cenſent, ad depoſitionem hanc faciendam non eſſe neceſsè, ut monitio præcedat, eò quia hæc monitio diſpenſativè interveniat.

10 Cæterum Epiſcopus in hac pœna depoſitionis imponenda per judicem poteſt diſpenſare cum clerico, qui celebravit in cenſura, dummodo paratus ſit reſipiſcere, ſéque totaliter corrigere: irregularitatem tamen quam ipſo jure Clericus in cenſura celebrans incurrit, non poteſt Epiſcopus tollere, ſed ſolus Papa, ut notat Abbas in *d. c. Cleric. 3. n. 2. h. t.* immo neque poteſt Epiſcopus reſtituere Clericum gradui, & Ordini Clericali, ſi juſtè præſumatur depoſitus ob patratum crimen, quia hæc reſtitutio eſt reſervata ſoli Papæ: quòd ſi injuſtè fuiſſet depoſitus, ſcilicet per falſos teſtes, tunc poteſt Epiſcopus, ipſum reſtituere *c. Epiſcopus. 65. cauſ. 11. q. 3.* Ubi dicitur, quòd ſi Clericus depoſitus innocens reperiatur, poſſit reſtitui gradui, & Ordini, à quo fuerat depoſitus. Immo non deſunt, qui apud Barboſam in collect. *in d. c. Clerici 3. n. 4. h. t.* cenſeant probabile, poſſe per Epiſcopum reſtitui etiam verbaliter depoſitum, licèt id negent de actualiter degradato volentes, hunc tantùm poſſe à Papa reſtitui.

11 Quando autem plures ſimul excommunicati, vel interdicti præſumunt divina officia celebrare, ſi non excedant numerum quadragenarium, omnes deponuntor ab officio ſacerdotali in perpetuum: ut ſi Pontifex interdiceret aliquem locum, & ſacerdotes non obſtante tali interdicto celebrarent, & non eſſent plures quadraginta, omnes deponerentur ab officio ſacerdotali in perpetuum: ſin verò numerum quadragenarium excederent, tunc hi tantùm deponuntur in perpetuum, qui plus cæteris dederunt cauſam interdicti: & alii tantùm ad tempus; ſed ſicut omnes deliquerunt, ita omnibus injungitur pœnitentia arbitrio Ordinarii, idqon habetur expreſsè in *c. latores 4. h. t.* Ubi Alexander III. cùm plures interdicti, & excommunicati divina præſumpſiſſent officia celebrare reſcribit Archiepiſcopo Toletano, ut ſi ſacerdotes illi non ſint ultra qnadraginta omnes in perpetuom ab officio ſacerdotali deponat; quòd ſi multitudo major fuerit, eos, qui magis cauſa fuerunt delicti, itidem perpetuò deponat, & alios ab officio ad tempus ſuſpendat, omnibùsque pœnitentiam injongat: quia ut notat Gloſſa in *d. c. latores* multitudini non parcitur, niſi quando ſcandalum timetur, multorùmque ſtrages, ſi rigor ſervetur.

12 Cæterum notat Panormitanus, depoſitionem mereri omnem illum Clericum, qui in excommunicatione, aut interdicto divina celebrat, neque neceſſaria ſit prævia monitio, ne iterum, aut ſæpius id faciat. Nihilominus alii probabiliter docent, requiri adhuc expreſsè præviam monitionem ex benignitate Eccleſiæ, niſi caſus ſit ſpecialis, adeò ut, quando Alexander III. in *d. cap. Latores*, dicit, quòd omnes deponantur ab officio, ſubaudiatur, niſi præmoniti deſtiterint, quæ ſententia eſt communior, & magis conſona benignitati, quam mater Eccleſia ſolet in ſuos filios exercere. Cæterum quando multitudo delinquit, tunc mitior pœna imponenda eſt, quia multitudini facilius parcitur ob ſcandalum, vel aliam publicam cauſam, & ſolùm principales delinquentes plectuntur pœná ordinariâ juris, juſtitia enim exigit, ut qui magis peccant, ſint etiam magis puniendi, & ubi culpa eſt major, vindicta ſit gravior.

13 Tum quia ſi plures ſacerdotes eſſent in aliquo loco, & iſti cenſura ligati, ſi omnes in perpetuum deponerentur, eò quia divina celebraverint officia, Eccleſia detrimentum pateretur ob penuriam ſacerdotum cum damno ſpirituali populorum: unde quamvis numerus ſacerdotum non excederet numerum quadragenarium, nihilominus adhuc habenda eſſet ratio, ne omnes in perpetuum deponerentur; alioquin ſi in tota diœceſi non eſſent niſi 39. ſacerdotes & omnes iſti deberent in perpetuum deponi, eò quia cenſura ligati, ſeu excommunicati, interdicti, vel ſuſpenſi divina celebraverint officia, magnum inferretur damnum illi diœceſi, in qua nullus amplius ſupponeretur ſacerdos, qui poſſet licitè ſacramenta miniſtrare: unde tunc res arbitrio prudentis viri judicanda eſt.

14 Cæterum pœna perpetuæ depoſitionis ſe etiam extendit ad ipſum beneficium, quia eo ipſo, quòd ſacerdos eſt ſuſpenſus ab officio non debet beneficium percipere, cum hoc ſit propter officium *c. paſtoralis 53. in fin. de appellat.* Quòd ſi ſuſpenſio ab officio non ſit perpetua, ſed tantùm temporalis; non ſemper ſuſpenſus ab officio eſt etiam ſuſpenſus à beneficio, niſi exprimatur; quia illa ſuſpenſio

ab

ab officio tantùm impedit officij exercitium ad determinatum tempus. In dubio tamen petenda eſt declaratio judicis, ut tutiùs protedatur

15 In dubio autem, an quis ſit excommunicatus, eò quia per ſolam famam audierit, fuiſſe contra ſe ipſum latam ſententiam excommunicationis, debet ſe gerere, ac ſi eſſet excommunicatus, idque deſumitur ex *c. illud Dominus 5. h. t.* ubi Innocentius III. cum Epiſcopus Hildeſemenſis, nec petita quidem licentia Epiſcopatum Herbipolenſem occupâſſet, & Magdeburgenſi Epiſcopo delegato Apoſtolico non paruiſſet, & excuſans ſe ab eodem Epiſcopo non fuiſſe monitum, ideóque divina officia ſolemniter celebrâſſe, eò quia de lata contra ſe ipſum ſententia ſibi non conſtiterit. Reſpondit Pontifex, in dubijs eſſe tutiorem viam eligendam, & ſi de lata in eum ſententia dubitaret, debuiſſet tamen potiùs abſtinere, quàm ſacramenta eccleſiaſtica tractare; ſa tamen miſericordiam, quam implorabat, cum eo facere, & nolle pœnam, quam canon minatur, ipſi infligere.

16 Ex quo textu liquet, Pontificem declarâſſe, quòd in dubio, an quis ſit excommunicatus, eò quia per ſolam famam audierit, latam fuiſſe contra ipſum ſententiam excommunicationis, debeat ſe gerere ac ſi eſſet excommunicatus, & non tractare ſacramenta; alioquin incidit in pœnas canonum contra excommunicatos celebrantes *cap. ſi quis Epiſcopus 11. q. 3.* Præcipuum verò, quod habetur in præfato textu, eſt, quòd habens notitiam excommunicationis contra ſe latæ debeat abſtinere à communione fidelium, & ſacramentorum: alioquin peccat, & incidit in irregularitatem celebrando divina: hinc Epiſcopus Hildeſemenſis, tùm cognoviſſet, excuſationem ſuam fuiſſe minus juſtam, petivit miſericordiam ſuper hoc delicto. Cæterùm non ſolùm ſi excommunicatus per ſe divina celebret, graviter peccat, & eſt deponendus: verùm etiam, ſi coram ſe mandet alios celebrare, ut poſſit ſacris intereſſe; quia tunc videtur etiam excommunicationem contemnere, ſibíque uſurpare communionem fidelium ſibi interdictam tam activè, quàm paſſivè, ut notat Hoſtienſis in *d. c. illud Dominus 5. h. t.*

17 Qui verò ex ſola fama dubitat, an ſit excommunicatus, tametſi debeat ſe gerere, ac ſi eſſet excommunicatus, & conſequenter ſe abſtinere à communione fidelium, & Sacramentorum participatione, ſéque gerere pro excommunicato, eò quia in dubio tutior via ſit eligenda. Attamen qui per ſolam famam audivit, ſe eſſe excommunicatum, & nihilominus divinis ſe officijs immiſcuit, puniendus non eſt pœnâ ordinariâ depoſitionis, ſed aliâ remiſſiore, ut notat Barboſa in collect. in *d. c. illud Dominus 5. num. 5. h. t.* alioquin excommunicatus, vel ſuſpenſus nec publicè, nec privatim debet celebrare, nec adminiſtrare alijs ſacramenta *c. Presbyteri diſt. 28.* alia verò officia præter miſſam occultè, & ut privata perſona poteſt recitare *c. quod in te de pœnit. & remiſſ.* & *c. 2. eod. tit.* Demum licèt ob ſolam famam teneatur quis ſe gerere ac ſi eſſet excommunicatus: non tamen dicta duorum faciunt famam, quia hæc debet eſſe communis, adeò ut plures id aſſerant *c. inquiſitionis de accuſat.* ſi enim tantùm duo, vel tres aſſererent, fuiſſe ſententiam excommunicationis latam contra Titium Sacerdotem, non teneretur Titius eis credere, *c. non ſolum 11. q. 3.*

Rurſus præter prærecenſitas pœnas, excommunicati, ſi præſumpſerint celebrare, ſunt etiam privandi omnibus beneficijs, & Epiſcopus poteſt eos in perpetuum deponere, & non poteſt cum eis diſpenſare, quia in *c. Clerici 3. h. t.* Clerici excommunicati, vel interdicti, ſi ante abſolutionem celebrent divina officia, & moniti non deſiſtant, ſunt perpetuò deponendi, & ſolus Papa diſpenſat in ſimpliciter depoſitis, in alijs verò Epiſcopus. Hæc autem pœna privationis omnium Beneficiorum habetur expreſsè in *c. fraternitati 6 h. t.* ubi cum Archi-Epiſcopus Biſuntinus excommunicâſſet quoſdam Presbyteros, & Clericos ob quædam delicta ab ijsdem perpetrata, & excommunicati celebraverint divina officia, quæſivit Archi-Epiſcopus ab Innocentio III. an poſſet eos ſuis beneficijs ſpoliare, reſcripſit Pontifex, quòd ſi pro ſuis exceſſibus fuerunt excommunicationis ſententia canonicè innodati; & poſtea præſumpſerunt, vel etiamnum præſumunt divina officia celebrare, poterit eos rationabiliter omnibus beneficijs Eccleſiaſticis ſpoliare. Ex quo textu colligitur, pœnam celebrantium in excommunicatione eſſe, ut priventur omnibus ſuis beneficijs Eccleſiaſticis. 18 Imo ex eo quòd poſſint deponi, poſſunt etiam ſpoliari omnibus beneficijs, quia hæc ſpoliatio eſt quædam partialis depoſitio. Tum quia Beneficium eſt propter officium, proinde eo ipſo, quòd quis deponitur ab officio videtur etiam deponendus à beneficio ob connexionem cum officio. Epiſcopus tamen non poteſt in depoſitione diſpenſare, ut notat Gloſſa in *d. c. fraternitati.* ex quo etiam deducitur non ſolùm à jure, ſeu canone, ſed etiam ab homine, ſeu Epiſcopo, poſſe excommunicationem ferri propter crimen; quod tamen ita intelligi debet, ut crimen ſit ſola cauſa mediata excommunicationis ferendæ ab homine, quia nemo per ſententiam Judicis poteſt immediatè excommunicari ob crimen commiſſum, niſi ſit contumax in non ſatisfaciendo pro crimine, ut notat Abbas in *d. c. fraternitati 6. num. 1. not. 2. h. t.* Deducitur etiam, poſſe Epiſcopum diſpenſare cum excommunicato celebrando divina officia circa pœnam ei imponendam ab homine, quia Innocentius III. in *d. c. fraternitati.* reſcribit Archi-Epiſcopo Biſuntino, quòd poſſit excommunicatos rationabiliter ſpoliare ſuis beneficijs Eccleſiaſticis: illud autem verbum *poſſit* non inducit neceſſitatem, ſiquidem non quidquid Judicis poteſtati

teſtati permittitur, id ſubjicitur juris neceſſitati *l. non quidquid 40. ff. de judic.* limitatur tamen niſi quis de delicto accuſetur, & convincatur, quia tunc à Judice ex oeceſſitate puniri debet, ut notat Abbas *loc. cit.* Cæterum Clerici celebrantes in excommunicatione divina officia, non ſolùm privantur beneficijs, ſed etiam perpetuò ab ordine deponuntur, ut habetur in *c. latores 4. h.t.* & Epiſcopus quoad hanc pœnam non poteſt eum ipſis diſpenſare. Privatio verò Beneficiorum fieri poteſt per ſolum Epiſcopum.

19 Rurſus clericis excommunicatis non poſſunt conferri beneficia Eccleſiaſtica, & ſi ipſis conferantur, collatio non tenet, & qui ſcienter illis confert, ſuſpenditur à collatione beneficiorum, donec mereatur conſequi veniam ſuper tale delictum. Rurſus qui celebrant divina officia in loco interdicto, ſi ſint Clerici privantur beneficijs Eccleſiaſticis; ſi Regulares, vel Moniales detruduntur in arctius Monaſterium ad peragendam pœnitentiam; idque deſumitur ex *c. poſtuláſtis 3. h.t.* ubi Innocentius III. reſcribit Decano, & priori Colonienſi, ut clericis excommunicatis non poſſint beneficia conferri, nec ab ijsdem retineri licitè ſine diſpenſatione; & rurſus declarat Pontifex, eos qui Clericis excommunicatis ſcienter beneficia conferunt, tamdiu à collatione eſſe ſuſpenſos, donec veniam impetraverint. Statuit etiam *in d. c.* Pontifex de clericis, Monachis, & Monialibus, qui in locis interdictis divina celebrant, ut præter excommonicationem, quam incurrunt, Clerici beneficijs ſpolientur; Monachi, & Moniales ad arctiora monaſteria detrudantur.

20 Ratio eſt, qoam ſoperiùs innuimus, quia beoeficia Eccleſiaſtica præcipuè dantur propter officia *c. ult. de reſcript. in 6.* & quia excommunicatus à jure eſt ſuſpenſus ab executione ſui officij, adeò ut ſi in excommunicatione exerceat ſuum officium, fiat irregularis, & deponator. *c. ſi quis Presbyter 5. c. ſi quis Epiſcopus 6. & 7. 11. q. 3. c. illud §. ult cap. ad Apoſtolica 9. c. ſi celebrat. de cleric. excommun. c. veritatis 8 de dol. & contumacia*, ideo collatio beneficij facta ipſi excommunicato eſt ipſo jore nulla, ut habetor *in d. c. poſtuláſtis 7. h. t.* Ratio verò, cur Clericus interdictus, & excommunicatus, ſi celebret, ſit deponendus, & fiat irregolaris, oritur ex eo, quia cùm ligatus majori excommunicatione privatus ſit perceptione Sacramentorum, & facultate ea conſerendi ſe ingerendo divinis miniſterijs, & celebrando ſacra officia graviter peccat *argum. c. ſi celeb. 10. h. t.* ſiquidem in contemptum clavium Eccleſiæ temerè oſurpat miniſterium ſacrum ſibi interdictum, quapropter meritò in perpetuum deponitur, fitque irregularis, & eſt puniendus, in quo peccavit *cap. nullus de tempor. ordin. lib. 6.* nimirum quia peccaverit celebrando ſacrum miniſterium illi in perpetuum prohibitum, manet irregularis, ut illud ampliùs celebrare non poſſit. Rurſus quòd irregularitas contrahatur à clerico excommunicato miniſtrante deducitur etiam ex *c. ſi celebret 10. h. t.* ubi deciditur quæſtio ſatis agitata inter Canoniſtas, an qui minori excommunicatione tantùm ligatus miſſam celebravit, maneat irregularis: hæc autem quæſtio ſupervacanea foret, & prorſus inutilis, ſi majori excommunicatione ligatus celebrans divina officia nullam incurreret irregularitatem: argumentum enim deductum ex *d. c. ſi celebret. 10. h. t.* non eſt à contrario ſenſu, ſed à ceſſante ratione dubitandi.

Hinc excommunicatis non poſſunt beneficia conferri, ſive excommunicatio ſit à jure lata, ſivè ab homine, quia ſemper eſt utrinque par ratio; ut etiam ſive per ſententiam generalem, ſive per ſpecialem, ſive publicè, ſive occultè ſit excommunicatus; imò tametſi probabiliter, & invincibiliter ignoret, ſe eſſe excommunicatum; collatio enim beneficij ſemper eſt nulla: & ratio eſt, quia effectus inhabilitatis ad beneficia non dependet ex ſcientia, vel ignorantia excommunicationis, qoia inhabilitas etiam contrahitur ſine culpa, nec requiritur, ut ejus effectus ſit voluntarius ipſi excommunicato: unde excommunicatos eſt inhabilis ad beneficia Eccleſiaſtica, tametſi ignoret ſuam inhabilitatem quòd ſi ei conferantur, collatio eſt nulla, quamvis ignoret, ſe inhabilem eſſe ad talia beneficia. Pari pacto conferens beneficium tametſi ignoret, eum, cui confert, eſſe excommunicatum, re ipſa nihil efficit, quia operatur circa ſubjectum incapax: unde quamvis ignorantia excommonicationis excuſet à culpa, ut etiam à pœnis jore ſtatutis in excommunicatos, non tamen reddit validum actum, qui ipſo jore eſt nollus, ſeu collationem beneficij ſactam excommunicato, ut notat Covarruvias *in c. Alma Mater de ſent. excom. in 6. p. 1. §. 7. num. 3. not. 10.* 21

An verò valida ſit collatio beneficij, ſi fiat, antequam excommunicatus ſit denuntiatus. Reſpondetur negativè, quia Coocilium Conſtantienſe in conſtit *ad evitanda* nullom ſavorem exhibet excommunicatis; & non pooit diſcrimen inter excommuoicatum denontiatum, & non denuntiatum quoad ea, quæ tendunt in ſavorem excommunicati, & concernunt privatam utilitatem ipſius excommonicati, & quia collatio beneficij eſt in favorem ipſius excommunicati; ideo ſi excommunicato nondom denuntiato conſeratur Beneficiom, ejus collatio eſt nulla. Id tamen procedit, dummodo excommunicatio ſit valida, alioquin ſi eſſet injuſta, & non ritè lata non incurreretur hæc inhabilitas, & collatio ſuum ſortiretur valorem, ut notat Barboſa *in d. c. poſtuláſtis 7. n. 4. h. t.* 22

Sin autem collatio fieret à Pontifice immediatè eſſet valida, non obſtante excommunicatione, quia tum Pontifex, ne faciat actum invalidum præſumitur abſolvere ab excommunicatione Clericum, cui beneficium confert, & tollere omne impedimentum, ac inhabilitatem 23

tem. Sin autem collatio fiat ab alio inferiori Prælato, eſt irrita, & excommunicatus, cui confertur Beneficium, non poteſt illud retinere etiam in foro cnnſcientiæ, eò quia non ſit canonicè in tali beneficio inſtitutus ob inhabilitatem contractam ratione excommunicationis; quod enim nnn eſt ſuum, non poteſt in conſcientia retinere. Imo hoc etiam procedit, quamvis pnſtea abſolveretur ab excommunicatione: ratio eſt, quia cùm collatio beneficij fuerit ab initio nulla, non pnteſt convaleſcere per ſubſeqnentem abſolutionem ab excommunicatione, niſi fiat nova collatio, vel legitima diſpenſatio, quæ illi æquivaleat *argum. c. non firmatur 19. de reg. jur. in 6.* unde Clericus, quns ex tali beneficio percepit fructus, tenetnr reſtitnere, nec poteſt in conſcientia eos ſibi retinere: ſive beneficium ei collatum ſit ex minoribus, ut notat Barboſa hic *num. 11.* quia canones generatim conſtitnunc excommunicatum inhabilem ad omnia officia Eccleſiaſtica, proinde tam ad majora, qnàm minora, ut liquet ex *c. poſtulâſtis 7. h. t.* ubi ſimpliciter nulla adhibita diſtinctione dicitur nnn poſſe conferri beneficia Clericis excommunicatis, & ſi conferantur, collationem eſſe nullam: quando propoſitio eſt indefinita, & abſoluta, cuncæqnivalet univerſali: idque velmaximè procedit, quia in *d. c. poſtulâſtis* pnnitur ſignum nniverſale negativum, quod omnia deſtrnit, & tollit.

24 Hinc ſunt etiam irriti omnes alij actns, qui fiunt in favorem Clerici excommunicati cujnsmndi ſunt collationes, & electiones, poſtulationes, confirmaciones, præſentationes, nominationes. ad beneficia Eccleſiaſtica, officia, vel dignitates, tametſi ad tempus tantùm concedantur; cujusmodi ſnnt dignitates Vicarij Generalis Epiſcopi, vel Adminiſtratoris Epiſcopatus, vel Prælati ordinis. Ratio eſt, quia eatenus excommunicatis conferri non poſſunt beneficia Eccleſiaſtica; qnia non eſt licitum cnm ipſis communicare, nt habetur in *c. poſtulâſtis 7. h. t.* atqui ſi Clericus aſſumatur ad munus, vel dignitatem Eccleſiaſticam, quæcnnque hæc ſit, ſive per electionem, poſtulationem, cnnfirmationem, præſentationem, nominationem; vel quocunque alio modo ei conferatur Beneficium, vel dignitas, cni annexa ſic jurisdictio, vel adminiſtratio Eccleſiaſtica, vel maximè communicare debet in rebus Eccleſiaſticis cum alijs, proinde Excnmmunicatus prohibetur aſſumi, ac promoveri qnocunqne modo ad tale munus. Etenim cui interdicitur exercitinm alicujus actus, cenſetur etiam eidem prohibitnm omne id, per quod pervenitnr ad talem actnm, ut notat Abbas *in c. ſi celebrat. ult. n. 3. h. t.* nnde cum excommunicato prohibitum ſit omne exercitium Eccleſiaſtici mnneris, vel dignitatis, eò quia ſit incapax omnis uſus juriſdictionis, & Ordinis, ſequicur eſſe itidem prohibitam omnem collationem beneficij, officij, vel dignitatis, ſive fiat per electionem, poſtulationem, confirmatinnem, præſentationem, nominationem, & quocunque alio modo, quia hujnsmodi promotiones, & collationes per tales actus ordinantur ad exercitium officij, beneficij, vel dignitatis Eccleſiaſticæ; proinde hi omnes actus prohibentur excommunicato, cni prohibitum eſt exercitium officij cujnsvis Eccleſiaſtici.

Quinimò neque excommunicato con- 25
ferri poteſt penſio ex beneficio Eccleſiaſtico, præſertim ſi ſit penſio merè ſpiritualis ſundata in titulo ſpirituali, ſive etiam detnr ob Miniſterium Spirituale Concionatnri, Coadjutori Epiſcopi, vel cnoperatori Parochi, quia tunc penſio datur propter ſpirituale officium, quod innodatus vinculo excommunicationis non poteſt exercere: unde ſicut eſt incapax beneficij; ita etiam penſionis traditæ ob exercitinm officij, & beneficij, ut tradit Garcias *1. p. de beneſic. c. 5. num. 130.* De penſinne verò temporali, ſeu Laicali, quæ datnr propter temporale aliqnod ſervicium perſonis etiam laicis, putant plures valde probabile, poſſe validè excommunicato conferri, eò quia habeat potiùs rationem ſtipendij temporalis: & qnia non datur propter ſpirituale officinm ceſſat prohibitio juris, ut notat Layman. *lib. 1. tract. 5. p. 2. §. 2. num. 7.* Alij verò è contra neganc, poſſe excommunicato conferri ullam penſionem Eccleſiaſticam: eò qnia redditus penſionis ſint fructns Eccleſiaſtici, quos excommunicatus non facit ſuos: verùm prior ſententia eſt probabilior, qnia tametſi tales redditus proveniant ex beneficio Eccleſiaſtico, non tamen propriè ſunt fructns Eccleſiaſtici, eò quia non dentur propter ſpiritnale officium,

Qnòd verò prohibitum ſit excommuni- 26
catis majore excommunicatione conferri beneficia, vel officia Eccleſiaſtica, adeò ut ſi conferantur collatio ſit nullius valoris, id non procedit, quando excommunicatio nnn ſuit validè lata, vel quia Jndex nnn habnit jurisdictionem in eum, quem vinculo innodavit excommunicationis: vel quia poſt interpoſitam appellationem, eum anathemate percnſſit, vel quia ſententia, ob quam lata fuit continet manifeſtum, ac intolerabilem errorem: tunc enim, cùm excommunicatio defectn valoris nullam habeat vim, non reddit excommunicatum incapacem beneficij, vel officij Eccleſiaſtici, nt nntat Barboſa in collect. in *d. cap. poſtulâſtis 7. num. 19. h. t.* Rurſus non procedit, ſi Beneficium collatnm fuit alicui abſenti, antequam anathemate percuteretur; tametſi is poſt collatum ſibi Beneficium excommunicetur, adhuc collatin facta ſibi, anteqnam excommnnicaretur, valida eſt, nt nntat Garcias *p. 7. c. 13. num. 35.* quia tempore, quo fnit iſti collatum beneficium, erat capax calis beneficii, proinde collatio nullum tunc habuit impedimentnm ex parte ſubiecti, conſeqnenter debnic ſunm effectum ſortiri. Qninimò licèt collatio facta fuerit abſenti, & inſcio ante

excommunicationem, & ſolom poſt illam, ſeu tempore, quo ſuit tali vinculo innudatus ipſi innotuit collatio beneficij ſibi facta, eámque ratam habuit, & acceptavit; adhuc acceptatio hæc eſt valida, ut etiam ra ihabitio, ut docet Pirhing. *lib* 5. *tit*. 27. *num*, 21. ſiquidem acceptare Beneficinm non eſt quid juris; ſed pertinet ad nudum factum, non enim eſt actus jurisdictionis nec collatio juris, ſed tantùm declaratio proprij conſenſus, per quem non acquiritur novum jus, ſed tantùm aſſentitur juri jàm acquiſito, ut rectè probat Suarez *de cenſur. diſp.* 13. *ſect.* 1. *n.* 17. *& ſequent*,

27 Hinc ſi quis excommunicetur poſt ſibi collatum Beneficium, tameiſi collatio non dum ſit executioni mandata, adhuc eſt valida, & ita cenſuiſſe Romanam Rotam, tradit Barboſa in collect. in *d. c. poſtulâſtis* 7. *n.* 22. *h. t.* Imo triennalis poſſeſſor alicujus beneficij ipſi collati tempore, quo erat innodatus vinculo excommunicationis non eſt privandus ſuo beneficio, quia tameiſi talis excommunicatus careat titulo colorato quoad alios effectus juris communis; habet tamen ſufficientem titulum quoad effectum regulæ de triennali poſſeſſore, ex qua regula tantùm excipiuntur ſimoniaci, & intruſi in beneficia, ut tradit Garcias *p.* 7. *c.* 13. *num.* 7. Imo ſi excommunicato poſt interpoſitam appellationem, & ea adhuc pendente conferatur Beneficium, collatio eſt valida, eo quia excommunicatio ſit nulla, ut notat Covarruvias in *c. Alma Mater*, §. 7. *num.* 5. debet tamen appellatio eſſe valida: alioquin ſi eſſet invalida, & id ſciretur, ſicut non ſuſpenderet jurisdictionem Judicis, à quo appellatum eſt, ita neque infringeret excommunicationem, quæ propterea redderet excommunicatum incapacem beneficij. Sin autem dubitaretur de validitate appellationis, tunc res dependet ex futuro eventu: ſi enim Judex, ad quem appellatum eſt, poſtea declaret, appellationem fuiſſe legitimam, tunc collatio beneficij eſt valida: ſecus ſi Judex declaret, appellationem fuiſſe illegitimam.

28 Pœna verò, quæ imponitur ijs, qui beneficia conferunt excommunicatis, eſt ſuſpenſio à collatione Beneficiorum, donec ſuper hoc veniam fuerint conſecuti à ſuo ſuperiore, ut habetur *in d. c. poſtulâſtis* 7. *h. t.* ubi etiam additur ratio, ut ſcilicet puniantur in eo, in quo delinquere præſumpſerunt. Imò hæc pœna incurritur ante ullam præviam monitionem, quia hæc tunc tantùm eſt neceſſaria, quando indigni ob defectum in moribus, vel doctrina, & ſcientia promoventur ad beneficia. Ut autem hæc pœna incurratur neceſſe eſt, ut collator ſcienter contulerit beneficia excommunicato, quia Pontifex in *d. c. poſtulâſtis* 7. *h. t.* dicit, quòd excommunicatis non poſſint beneficia conferri, & collatio non teneat, & qui *ſcienter* illis confert, ſuſpenditur à collatione Beneficiorum, donec mereatur conſequi veniam ſuper hoc: unde ſi collator ignoret excommunicationem, non incurrit hanc ſuſpenſionem, tameiſi collatio nolla ſit, ut notat Pirhing. *lib.* 5. *tit.* 17. *n.* 24. quia verò Pontiſex *in d. c. Poſtulâſtis* ait, quòd ſcienter conſerens beneficium excommunicato ſuſpenditur à collatione Beneficiorum, hæc pœna non incurritur ipſo jure, quia verbum *ſuſpenditur*, denotat, quòd debeat ſuſpendi ab homine, ſcilicet ab immediato ſuperiore illius, qui ſcienter contolit beneficium excommunicato, adeo ut ſi is ſit Prælatus inferior Epiſcopo poſſit ſuſpendi per ſuum Epiſcopum, cui ſubjicitur, *argum. cap. ſi quis Abbas* 15. *cauſ.* 18. *q.* 2. Quòd ſi, qui contulit Beneficium excommunicato eſt Epiſcopus ſuſpenditur per ſuum Archi-Epiſcopum: ſi collator ſit Archi-Epiſcopus, ſuſpenditur per ſuum Patriarcham, & ſic gradatim *argum. c. grave de prabend.* Excommunicatus verò, qui beneficium recipit tempore; quo innodatur vinculo excommunicationis nulli alteri pœnæ ſubjicitur, niſi quòd collatio in ſuum favorem facta ſit nulla, ac proinde beneficium non obtineat; & licèt Gloſſa in *d. c. poſtulâſtis* 7. *h. t. V. retinere* cenſeat, excommunicatos recipientes beneficia eſſe privandos non ſolùm beneficio ſibi collato tempore excommunicationis, ſed etiam alijs, quæ obtinuerant ante excommunicationem; id tamen nullibi reperitur in jure, niſi per annum inſorduerint in excommunicatione, quia tunc ratione hujus negligentiæ non petendi abſolutionem ab excommunicatione per triennium juxta probabilem ſententiam plurium privantur alijs beneficijs, ut notat Abbas *in d. c. poſtulâſtis* 7. *h. t.*

Cæterum licèt quis fuerit excommunicatus, ſi poſtea ſit abſolutus, & poſt abſolutionem ei conferatur beneficium, collatio tenet, idque deſumitur ex *cap. propoſuit* 8. *h. t.* ubi cùm Epiſcopus Tuſculanus eſſet legatus Papæ in partibus Lemovicenſibus, & quidam Clerici legato Apoſtolico ſupplicâſſent, ut reciperentur in canonicos; & ipſe civitatem ingreſſus Canonicos Lemovicenſes monuiſſet, ut eos reciperent in ſocios, & fratres canonici noluerint eos recipere, & Legatus de præbanda ipſos inveſtiviſſet. Pontiſex re ad ſe delata per teſtes quidem cognovit Clericos Lemovicenſes, & præſertim Petrum nominatim ab Epiſcopo Burgenſi fuiſſe excommunicatos, triennio tamen priùs fuiſſe abſolutos, antequam Petrus inveſtiretur, eundémque Epiſcopum cum ipſo Petro poſtea in Eccleſia, & menſa communicâſſe, neque tempore beneficij collati, & inveſtituræ fuiſſe excomunicatum, & cum tam ſuper abſolutione, quàm communicatione Epiſcopi Pontifici fides facta fuiſſet; factum Legati per definitivam ſententiam approbavit. 29

30 Ex quo textu infertur, eſſe conſiderandum, an tempore inveſtituræ quis fuerit excommunicatus, vel non *c. cum bona de ætat & qua-*

qualitat. perinde ac in reſcriptis impetratis conſideratur, an tempore datæ, qui reſcripta impetrârunt, fuerint vinculo excommunicationis innodati *c. dilectus de reſcript.* quia ſi poſt obtentum reſcriptum quis excommunicetur, non propterea in pœnam cenſuræ privatur ſuo reſcripto, ſed tantùm ſuſpenditur ab ejus executione, cùm poſſit communicare cum cæteris fidelibus *c. prudentiam de offic. Delegat.* Sic tempore electionis conſideratur, an tunc electus ſit idoneus, & habeat omnia requiſita ad legitimam, & canonicam electionem *c. dudum de elect.*

11 Quamobrem tametſi quis fuerit excommunicatus, & poſtea abſolutus, & poſt abſolutionem fuit ipſi beneficium collatum, collatio tenet: verùm ſicut excommunicatio fuit publica, ita debet etiam conſtare publicè de abſolutione, quia ſemel publicè excommunicatus ſemper præſumitur excommunicatus, niſi probetur abſolutus: ſiquidem qualitas ſemel poſita in ſubjecto, ſi ſolo lapſu temporis non tollatur ſemper præſumitur exiſtere, niſi probetur ſublata: hinc conſultiùs ſemper eſt, ut abſolutus ab excommunicatione, ad majorem cautelam petat litteras abſolutionis, quarum beneficio poſſit evincere publicè ſeu juridicè, fuiſſe ab excommunicatione abſolutum. Quando autem aliquis dicit, talem eſſe excommunicatum, & ille negat, in tali dubio utriusque teſtes admittuntur *c. per tuas de ſent. excommun* & *c. cum tu de teſtib. c. cum contingat de offic. deleg.* Demum *ex d. c. propoſuit 8. h. t.* infertur, quòd quando Epiſcopus communicat cum excommunicato, quamvis habeatur tunc quædam præſumptio pro abſolutione, non tamen hæc ſufficit ad probandum non eſſe excommunicatum *c. ut deſideres de ſent. excommun. 15.*

§. II.

Proponuntur & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, an ſuſpenſi, vel excommunicati per ignorantiam celebrantes incurrant excommunicationem? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. Apoſtolicæ 9. h. t.* ubi cùm Canonici Pragenſes tempore ſuſpenſionis, ignari divina celebraverint reſcripſit Gregorius IX. ignorantiam probabilem reddere illos excuſatos. Cæterum ſi ignorantia craſſa, & ſupina fuerit, indigeant gratiâ diſpenſationis, quam Pontifex ipſis de benignitate Apoſtolica indulget. Ex quo textu ſatis claret, ſuſpenſum celebrantem cum ignorantia probabili non fieri irregularem; bene tamen cum ignorantia craſſa, ſupina, aut erronea, ut docent communiter Canoniſtæ. Covarruvias *in c. Alma Mater p. 1. §. 6.* Sayrus *in theſaur. lib. 7. cap. 9.* Ratio itidem eſt, quia irregularitas non contrahitur à ſuſpenſo niſi propter delictum, quod Clericus committit contemnendo ex ſuperbia, & auſu temerario cenſuram Eccleſiæ *c. ſi quis Epiſcopus 6. q. 3. c. Salonitana 63. diſt. c. 2. & 3. h. t.* Sed qui operatur ex probabili ignorantia non procedit ex contemptu *l. ſi ignorans 50. ff. locati* quia tunc non delinquit ex voluntate, neque ex conſenſu, ut notat Covarruvias *in cap. Alma Mater p. 1. §. 10. num. 12. in prin.* proinde ſi ignorantia excuſat à culpa, debet etiam excuſare à pœna, cùm hæc non incurratur, niſi propter delictum, unde meritò Canonici Pragenſes *in d. c. Apoſtolicæ 9. h. t.* ex ignorantia celebrantes dicuntur irregularitatem non incurriſſe, eò quia ſicut ob ignorantiam fuerunt excuſati à culpa, ita etiam à pœna, cùm hæc ſe habeat conſecutivè ad culpam, ut docent Menochius *lib. 2. de arbit. cent. 6. caſus 501.* Mareſcotus *lib. 1 variar. c. 127.*

Hinc non cenſuit rectè Coſta *de facti ſcientia inſpect. 85. num. 6.* ignorantiam probabilem excuſare quidem à peccato, non verò ab irregularitate, eò quia hanc poſſit quis incurrere etiam ignorans, & præter intentionem ut in *c. ſententiam ne Clerici, vel Monach.* Nam contra eſt, quia hic textus non procedit de ea irregularitate, quæ oritur ex delicto, qualis eſt ea, de qua in præſenti agimus, & quæ non incurritur cum probabili ignorantia. 2

Poſſet tamen in contrarium objici, quia ad irregularitatem contrahendam propter delictum non attenditur ſcientia, vel ignorantia, ſed an factum ſit ſecutum, ut habetur *in c. 1. & 2. de ordin. ab Epiſcop. qui renunt.* ubi dicitur, quòd neceſſaria ſit diſpenſatio ad exercendos ordines, ſi quis ex probabili ignorantia ſuſcipit ſacros ordines ab Epiſcopo, qui ſimul renuntiavit loco, & dignitati, aut ab Epiſcopo excommunicato: & id etiam de ordinatis ex probabili ignorantia à ſimoniaco procedit, ut habetur *in c. ſi quis à ſimon. 108.* unde qui celebravit, verè ſuſpenſus aut excommunicatus, tametſi ignorans, irregularitatem incurrit. Idque ex eo etiam firmari poteſt, quia excommunicatio, quamvis ſit gravis cenſura ab ignorante tamen incurritur *c. ſi quis Epiſcopus 6. & 7.* Unde debet incurri irregularitas ab eo, qui verè ſuſpenſus, & excommunicatus divina officia, quamvis per ignorantiam, celebravit. 3

Sed contra, quia non bene infertur ſuſpenſum celebrantem cum ignorantia probabili fieri irregularem, eò quia ordinatus ab Epiſcopo, qui renuntiavit loco, & dignitati non obſtante ignorantia fiat irregularis: ratio diſcriminis eſt, quia ordinatus à tali Epiſcopo, quamvis characterem Ordinis recipiat, non ita executionem, ſeu exercitium ipſius Ordinis: quia quòd Epiſcopus non habet in ſe, non poteſt alteri conferre *c. Daibertum 24. 1. q. 7. c. quod autem 5. de jurepatron.* ignorantia autem probabilis in eo, qui promovetur 4

ad

Digitized by Google

ad Ordines Eccleſiaſticos non poteſt dare exercitium Ordinis ei, qui non habet: hinc ſicut Epiſcopus ut characterem ſacerdotalem imprimat ei, qui ordinatur ſacerdos, debet illo inſigniri, & quidem cum ſuo exercitio, ut illum imprimat alijs etiam cum exercitio: ſicut ex divina inſtitutione, ut character imprimatur in promovendo ad Ordines, neceſſe eſt, ut idem character ſit in Epiſcopo: ita ex inſtitutione Eccleſiaſtica, ut Pontifex conferat characterem cum executione, ſeu ejus exercitio, oportet, ut illum Epiſcopus habeat cum exercitio: unde ſi Epiſcopus habeat tantùm characterem ſine executione, poteſt tantùm characterem conferre ordinato, non verò executionem; quia nemo dat, qood non habet: & hæc eſt ratio, cur ordinatus à tali Epiſcopo, ut poſſit in gradu ſuſcepto miniſtrare indigeat vera, & propria diſpenſatione. Qui ignoranter autem ita à tali Epiſcopo ordinatur, poteſt Epiſcopus diſpenſare, ſed com diſcretione; dummodo ex circumſtantijs intelligat, quòd non craſſa, & ſupina ignorantia interceſſerit, ſed juſta, & probabilis, quæ qualis eſſe debeat arbitrio prudentis viri cōmittitur. Alia verò eſt ratio de ſuſpenſo celebrante cum ignorantia probabili, quia hic abſque delicto, & peccato non poteſt pœnam incu[illegible] irregularitatis, nec privari uſu jam q[illegible]ſito ſui Ordinis, quia hæc irregularitas ſeu ſuſpenſio revera habet rationem pœnæ, quæ neceſſariò, & eſſentialiter debet culpam præſupponere, [illegible] men nulla eſt in ſuſpenſo celebrante cum ignorantia probabili, quia cùm in illo non detur contemptus, ceſſat dolus *l. illud 7. §. ſi tamen ff. de tributaria l. miles 6. §. ſi mulier ff. ad leg. jul. de adulter.*

5 Diſcrimen igitur eſt, qoia ſuſpenſos celebrans com ignorantia probabili, cum non peccet, non eſt privandus uſu ſui Ordinis jam quæſito. Secus qui ordinatur ab Epiſcopo, qui renunciavit loco, & dignitati, accipit ab illo, quod ipſi confertur, & quia Epiſcopus habet tantùm characterem, non verò exercitium, quia reñunciaverit Epiſcopatui, ideo non poteſt illud alteri communicare. Ad confirmationem reſpondetur, cùm probabili ignorantia non incurri excommunicationem, quia hæc non fertur niſi contra contumacem, & quidem propter peccatum lethale *c. nemo 41. cauſa 11. q. 3.* quando autem adeſt ignorantia probabilis tunc ceſſat culpa gravis, proinde etiam excommunicatio *c. ſi verò 4. de ſent. excom. c. 2. de conſtit. lib. 6.* & notat Covarruvias *in c. Alma Mater 1. p. §. 10. n. 7.*

6 Quæritur ſecundò, an ſi actus Ordinis, quo violatur cenſura, ſit invalidus ratione materiæ, vel ſobjecti, adhuc incurratur irregularitas? Reſpondetur affirmativè, adeò ut, ſi Clericus excommunicatus infantem baptizet non adhibita debita materia, ut etiam ſi Sacramentaliter abſolvat hominem, qoi revera carebat dolore neceſſario ad valorem Sacramenti, incurrat irregularitatem; quia tunc Clericus transgreditur cenſuram per exercitium Ordinis, proinde ob contemptum, quo flocci facit cenſuram delinquit, & incurrit pœnam jure impoſitam. Quòd ſi actus eſſet nullus tantùm ex defectu Ordinis, vel intentionis, tunc non incurreretur hæc irregularitas, quia non haberetur exercitium Ordinis, eſſet enim tale exercitium fictum, non verum, ut docet Suarez *de cenſur diſp. 1. ſect. 2. & 3. n. 16.*

7 Quòd ſi exercitium Ordinis non prohibeatur quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad modum extrinſecum, & accidentalem, tunc non incurritur irregularitas ab eo, qui eodem modo ordinem exercet, ut ſi Epiſcopus ſit tantùm ſuſpenſus à Pontificalibus; ſi miſſam celebrat non incurrit irregularitatem; quia non eſt ipſi prohibitum miſſam celebrare, ut docent Laym. *lib. 1. tract. 5. c. 3. n.* 4. Zerola *in prax. Epiſc. V. irregularitas 18.* Sin autē Clericus ſuſpenſus exerceat actum, qui ſacer eſt ratione modi accidentalis, ut ſi Parochus benedicat ſolemniter nuptias, vel exerceat ſacras baptiſmi cæremonias, quamvis non conferat baptiſmum, adhuc incurrit irregularitatem ob neglectam cenſuram, ut docet Suarez *de cenſur. diſp. 11. ſect. 3. num. 19.* Pari pacto irregulares fiunt Subdiaconi, & Diaconi ſi ſolemniter cantent Epiſtolam, vel Evangelium veſtibus ſacris ſibi proprijs: ſecus ſi Subdiaconus non utatur manipulo, dum cantat Epiſtolam, nec Diaconus ſtolâ, dum Evangelium, tunc non incurrunt irregularitatem, eò quia illud munus non ſit munus proprium Subdiaconi: Diaconus verò excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, ſi Euchariſtiam diſpenſet ſolemniter, eam incurrit, quia tale munus eſt proprium Diaconi.

8 Quæritur tertiò, an, qui tempore excommunicationis obtinuit beneficium poſſit cum illo poſtea abſoluto ab eadem excommunicatione diſpenſari, ut poſſit beneficium ſibi collatum retinere? Reſpondetur, quòd tametſi collatio illa fuerit nulla ob incapacitatem ſobjecti tempore excommunicationis, poſſit nihilominus cum ipſo poſt obtentam abſolutionem diſpenſari, ut illud retineat, & deſumitur ex *c. poſtuláſtis 7. h. t.* ubi Pontifex ait, *niſi cùm eis fuerit miſericorditer diſpenſatum* neque ex eo, quòd collatio fuerit invalida ob incapacitatem ſubjecti tempore excommunicationis neceſſe eſt, ut beneficium iterum conferatur, quia talis diſpenſatio eſt virtualis beneficij collatio, habètque vim collationis, propterea ſuffirit, ut beneficium Canonicè conferatur, quia Pontifex cum *in d. c. poſtuláſtis* dicat, excommunicatum non poſſe obtentum beneficium retinere, niſi cum eo fuerit diſpenſatum; à contrario ſenſu rectè infertur, quòd ſi fuerit cum ipſo diſpenſatum poſſit beneficium illud retinere abſque alia collatione.

9 Idque ex eo etiam evincitur, quia ſi neceſſaria eſſet poſt abſolutionem ab excommunicatione nova collatio, jam diſpenſatio eſſet ſuperflua, ut rectè notat Suarez *diſp. 13. ſect. 1. num.*

Digitized by Google

num. 24. Quòd ſi petatur à quonam fieri debeat diſpenſatio. Reſpondetur, id in jure non exprimi, proinde hæc poteſtas videtur relicta Epiſcopis *c. nuper 29. de ſent. excommun.* adeò ut poſt abſolutionem excommunicati poſſit proprius Epiſcopus diſpenſare cum eo, ut retinere poſſit beneficium, quod in excommunicatione obtinuerat; dummodo diſpenſatio non fiat ab eodem Epiſcopo, qui ſcienter contulerat beneficium excommunicato, quia ipſe non eſt dignus, ut ei concedatur hæc poteſtas. Suarez tamen *de cenſur. diſp. 13. ſect. 2. num. 36.* docet, Epiſcopum vel alium collatorem non eſſe ipſo jure privatum poteſtate conferendi beneficium, tametſi illud ſcienter contulerit excommunicato, eò quia talis pœna nullo jure reperiatur impoſita.

10 Quæritur quartò, quænam pœna ſit in jure ſtatuta contra celebrantes divina officia in loco interdicto? Reſpondetur, Clericos celebrantes in loco interdicto eſſe privandos ſuis beneficiis; Religioſos verò detrudendos in arctius Monaſterium, idque deſumi ex *c. poſtulaſtis 7. h. t.* ubi habetur, quod celebrantes divina officia in loco interdicto, ſi Clerici ſint, privari debeant ſuis beneficijs Eccleſiaſticis: ſin verò Regulares, vel Monjales detrudi debeant in arctius Monaſterium ad agendam pœnitentiam. Ratio eſt, quia excommunicatio etiam injuſta ligat quoad ſe *c. cùm contingat 36. de offic. judic. deleg.* unde contemnentes excommunicationem quamvis injuſtam eà ligantur etiam quoad Deum, ut habetur *in c. per tuas 40. de ſent. excommun.* unde non ſuffragatur Reo, ſi poſtquam excommunicationem contempſit, allegat illam eſt injuſtam: quia per contemptū jā deliquit, & tali culpæ eſt injuncta in jure hæc pœna. Imò celebrantes divina in loco interdicto etiā ſuſpenduntur, & incurrunt irregularitatem, ut deſumitur ex *c. ult. de exceſſ. Prælat.* imò etiam deponi poſſunt, & degradari, ut habetur in *c. latores 4. h. t.* quia ſacra facientes in loco interdicto vilipendunt, & contemnunt Eccleſiaſticas cenſuras, quas violant; proinde Clerici contemnentes interdictum incurrunt excommunicationem, & ob delictum deponi etiam, & degradari poſſunt. Verùm ſummus Pontifex ſtatuit pœnam faciliorem, & eſt privatio ab omnibus beneficijs: hæc enim pœna facilius infligi poteſt, & eam Clerici timent, cum fructibus priventur proprij beneficij.

11 Quæritur quintò, an collatio beneficij facta excommunicato, qui virtute Jubilæi, Bullæ cruciatæ, vel alterius privilegij Apoſtolici, quo datur Confeſſario facultas abſolvendi pœnitentes à cenſuris, eſt abſolutus ab excommunicatione in foro conſcientiæ, ſit valida? Reſpondetur, hunc cenſeri abſolutum in foro exteriori, ſeu contentioſo; proinde collationem beneficij factam excommunicato abſoluto tantùm in foro conſcientiæ virtute Jubilæi, vel Bullæ cruciatæ, vel alterius privilegij Apoſtolici eſt irrita; & nullius valoris, quia cum collatio beneficij ſit actus externus pertinet ad forum externum judicare de tali collatione, an valida ſit, nec ne: & quia excommunicatus in foro externo, & contentioſo non fuit abſolutus, ideo in eodem foro præſumitur non abſolutus in ordine ad capacitatem recipiendi beneficia, ut notat Covarruvias in *c. Alma Mater §. 11. num. 16.* & Proſper Fagnanus *in c. poſtulaſtis 7. num. 14. h. t.* ait, eſſe ſententiam communem deciſam etiam à ſacra Congregatione Concilij. Tum quia excommunicatus, quamvis fuerit abſolutus in foro conſcientiæ, adhuc caret executione officij, adeò ut non poſſit ſuum officium exercere, donec abſolvatur in foro externo, & contentioſo: ex eo autem, quòd non poſſit exercere ſuum officium, ſequitur eſſe incapacem beneficij, donec abſolvatur in foro contentioſo, quia Beneficium datur propter officium, & ejus exercitium.

Præterea tametſi excommunicatus abſolvatur in foro conſcientiæ; adhuc non debet communicare cum fidelibus; adeò ut teneatur ſe gerere in publico, ac ſi eſſet excommunicatus, ex eo autem, quòd ſit ipſi prohibitum communicare cum fidelibus, eſt etiam ipſi prohibitum recipere beneficia, quia collatio beneficij, & receptio ejuſdem eſt communicatio cum fidelibus. Præterea, quia pœnitentia in foro Sacramentalis confeſſionis injuncta eò tendit ut Deo ſatisfiat: ſecus pœna, quæ imponitur in foro contentioſo, & externo eò tendit, ut ſatisfiat Reipublicæ læſæ: & quia per abſolutionem in ſacramento pœnitentiæ non ſatisfit Reipublicæ læſæ; ideo adhuc abſolutus ab excommunicatione in foro Sacramentalis confeſſionis remanet Reus in foro externo, & contentioſo, proinde talis collatio eſt invalida in foro exteriori: verùm abſolutus in foro conſcientiæ poteſt retinere beneficium ſibi collatum, quamdiu per ſententiam Judicis in foro externo illo non privatur. Tum quia ſicut excommunicatio occulta nil operatur in judicio externo, nec impedit aſſecutionem beneficij: ita neque abſolutio occulta facta in foro ſacramentalia confeſſionia debet operari, ut collatio beneficij ſit valida in foro externo. Excipitur tamen, niſi in litteris privilegij Apoſtolici exprimatur, quòd abſolutio data à confeſſario in foro conſcientiæ etiam proſit in foro externo, quia tunc cenſetur abſolutus in utroque foro, ut notat Fagnanus *in d. c. poſtulaſtis 7. n. 25. h. t.* 12

Quæritur ſextò, an Clericus ligatus cenſurâ incurrat irregularitatem, ſi in minoribus ordinibus miniſtret? Reſpondent communiter Canoniſtæ, Clericum initiatum minoribus ordinibus, & cenſura irretitum fieri irregularem, ſi in minoribus ordinibus miniſtret, ut docent Hoſtienſis *in c. ſi quis Presbyter 2. §. ſed quidquid h. t.* Fagnanus *in d. c. num. 7.* & probari ſolet ex Rubrica hujus tituli; ſiquidem inſcribitur generatim de Clerico excommunicato depoſito, vel interdicto miniſtrante: nomine autem Clericorum ſignificantur etiam 13

Clerici initiati minotibus Ordinibus: quando enim jus generaliter, & indiſtinctè loquitur, ita intelligendum eſt, niſi per aliud jus declaretur, & diſtinguatur, ut deſumitur ex *c. quia circa 22. de privileg.* Hinc aſſerens, initiatum minoribus ordinibus, & cenſurâ irretitum non contrahere irregularitatem, ſi in ſuſceptis ordinibus miniſtret, tenetur oſtendere jus, quo Clerici minores eximantur ab incurrenda irregularitate: alioquin comprehenduntur ſub Rubrica hujus tituli, & contrahuat irregularitatem, non ſecus ac Clerici in majoribus ordinibus conſtituti.

14 Nihilominus contraria ſententia videtur etiam probabilis, quia in pœnalibus nomine Clericorum ſignificantur tantùm ij, qui ſunt ſacris ordinibus initiati, ut Subdiaconi, Diaconi, ſacerdotes, quia iſti adeò ſunt addicti ſtatui Clericali, ut non ſit ampliùs ipſis liberum ab illo recedere, unde propriè dicuntur Clerici, eò quia non poſſint ampliùs ſeparari à ſtatu Clericali: Acolythi verò, & alij inferiores Clerici, quia poſſunt ſtatum claricalem deſerere, cenſentur laici, ot deſumitur ex *c. 1. & 2. de Clerico conjug.* Tum quia in illorum degradatioae non adhibetur illa ſolemnitas, qoæ fit in degradatione eorum, qui ſunt in ſacris Ordinibus conſtituti *c. felix. 4. cauſ. 15. q. 7.* proinde Clerici minores, ſi cenſurâ irretiti miniſtrent in proprijs ordinibus non videntur ipſo facto incurrere irregularitatem, quia hæc non incurritur, niſi in caſibus jure expreſſis, & in jure non exprimitur, quòd Clerici minores incurrant hanc irregularitatem, ſi cenſurâ irretiti ia ſuſceptis ordinibus miniſtrent.

15 Tum quia actus minorum Ordinum poſſunt etiam exerceri à puris Laicis, & ex generali conſuetudine recepta, miniſteria Ordinum minorum promiſcuè exercentur, tam à Cleticis, quàm à Laicis; ex quibus videtur inferri, Clericos minores cenſurâ irretitos non incurrete irregularitatem, ſi miniſtrent in ſuſceptis otdinibus, Nihilominus putârim, Clericos minores cenſurâ irretitos ſolemniter incurrere irregularitatem, ſi ex proprio officio Eccleſiaſtica miniſteria tanquam Miniſtri ad id deputari exerceant, tametſi ratò hæc irregularitas incurratur.

16 Ad id, quod addebatur de conſuetudine reſpondetur, illam conſuetudinem, quâ promiſcuè miniſteria Ordinum Minorom exercentur à Cleticis, & Laicis eſſe abuſum & corruptelam reptobatum à Coacilio Tridentino *ſeſſ. 23. c. 17. de refor.* ubi ſtatuitur, ut functiones ſacrorum ordinũ à Diaconatu ad oſtiariatum, cum fueriat antea intermiſſæ in uſum revocentur, & exerceantur per conſtitutos in præfatis Ordinibus, adeò ut nec per frarres Laicos Religioſos, qui talibus ordinibus non ſunt inſigniti debeant exerceri, & id declarâſſe ſacram Congregationem Cardinalium Concil. notat Gallem. *in dicta ſeſſ. 23.* Concil. Trid. *n. 2.*

17 Quòd ſi Clericus excommunicatus ſuſpenſus, interdictus ex probabili, & excoſabili ignorantia miniſtret in proprijus Ordinibus. Communior ſententia eſt, non incurrere irregularitatem, adeò ut ſi Clericus invincibiliter ignoret, ſe eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, vel interdictum; vel quòd jus prohibeat exercitium talium Ordinum Clerico irtetito aliqua cenſurâ, non fiat irregularis, eò quia irregularitas imponitur ut pœna, quæ debet neceſſariò præſupponete culpam: & quia ingnorantia inculpabilis excuſat à culpa; ita etiam à pœna incurrenda.

Quæritur ſeptimò, an ſi irretitus Eccleſiaſtica cenſurâ ad evitandum grave ſcandalum, vel infamiam, quæ aliàs oriretur ex manifeſtatione delicti, incurrat irregularitatem ſi miniſtret? Reſpondetur negativè, quia ut communiter docent, leges poſitivæ non obligant cum tam gravi incommodo, ut quis ne incurrat irregularitatem teneatur ſe diffamare. Pari pacto ſi ſacerdos excommunicatus, ſoſpenſus, vel interdictus, tametſi non ſit toleratus, ſi deficiente copia alterius Confeſſarij audiat Sacramentalem confeſſionem alicujus conſtituti in mortis articulo, eúmque abſolvat à peccatis non incurrit irregularitatem: ratio eſt, quia in mortis articulo omnis Sacerdos etiam irretitus Eccleſiaſticis cenſuris poteſt abſolvere à quocunque peccato, & cenſura ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 7.* unde ſi deſit copia alterius confeſſarij poteſt imminente mortis periculo abſolvere. 18

Generatim quando intervenit cauſa ſufficiens excoſans à peccato mortali, poteſt actus proprius Ordinis exerceri ab irretito Eccleſiaſticâ cenſurâ ſine nota irregularitatis; ratio eſt, quia cùm hæc in jure imponatur ut pœna *c. ſi quis 6. c. lat. 4. h. t.* ubi non adeſt culpa gravis, ibi non incurritor irregularitas: quia pœna non incurritur niſi ob commiſſam culpam: unde ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur culpa; quâ ratione ea ignoranria, quæ excuſat à peccato, excuſat etiam ab irregularitate, quæ eſt pœna peccati. 19

Neque irretitus Eccleſiaſticis cenſuris incurrit irregularitatem, ſi poſt interpoſitam appellationem à ſententia cenſuræ contra ſe lata etiã illegitimam, quam tamen cenſet eſſe validam, in quã non incurrit irregularitatem, ſi ante abſolutionem à cenſura, exerceat actum proprium Ordinis, à quo eſt ſuſpenſus, vel interdictus, vel etiam alium, ſi ſit excommunicatus; ſi tamen cenſuris irretitus ſcire poſſet, ac deberet ſuam appellationem noa eſſe juſtam; tunc ſaltem coram Deo non excuſaretur à peccato. Quòd ſi ſententia cenſuræ contra ſe latæ eſſet injuſta, & nulla; tunc non fieret irregularis, quia non ſupponeretur culpa, ad quam tantùm ſequitur pœna. Tum quia non debet is pœnam ſuſtinere canonicam, in cujus damnationem canonica non fuit prolata ſententia *c. non debet 64.* 20

Quæritur octavò, an excommunicatos minori tantùm excommunicatione ſi miſſæ 21

ſacri-

ſacrificium celebret, fiat irregularis? Gloſſa *c. in c. ſiquis Presbyter 5 11. q. 1.* cenſuit etiam irretitos minore excommunicatione, ſi ſacrificium Deo offerant, eſſe deponendos, & fieri irregulares, & verba textûs, *ab Epiſcopo ſuo correptus*, vult eſſe intelligenda de excommunicatis minori excommunicatione, quia cùm hæc excommunicatio ſit etiam cenſura, eâ ligatus dicitur correptus *c. corripiantur 24. q. 3.* Tum quia ſi in præfato textu eſſet ſermo de excommunicato majori excommunicatione fruſtra ei imponeretur anathema, quia jam erat majori excommunicatione irretitus: unde illa excommunicatio incurritur ab irretito minori excommunicatione. Tum quia ſacerdos ligatus minori excommunicatione, ſi celebret graviter peccat, eò quia in materia gravi, & ſacra, violat cenſuram Eccleſiaſticam: hoc autem peccatum debet aliquâ pœnâ puniri, & nulla eſt pœna congruentior, quàm irregularitas.

22 Nihilominus communior, & verior ſententia eſt, nullius irregularitatis notam incurrere eum, qui excommunicatione minori irretitus miſſam celebrat, idque deſumitur ex *c. ſi celebrat ult. h. t.* ubi Gregorius IX. reſcribit, quòd excommunicatus excommunicatione minori, ſi celebrat graviter quidem peccat, ſed non fit irregularis, & poteſt eligere, & exercere ea, quæ ſunt juriſdictionis. Ratio eſt, quia irregularitas non incurritur propter executionem, cujuslibet actûs ſacri prohibiti per cenſuram, niſi actus ille pertineat ad ordinem; ſcilicet non incurritur propter ſuſceptionem ſolam Sacramenti, ſed ob indiviſam ordinis adminiſtrationem, à qua per cenſuram eſt quis prohibitus. Hinc ut quis fiat irregularis, debet eſſe ſuſpenſus ab aliquo actu pertinente ad ordinem aliquem, ut deſumitur ex *c. is qui 18. §. ult.* Sed irretitus minori excommunicatione, ſi celebret, non peccat propter adminiſtrationem Ordinis: ſiquidem minor excommunicatio non ſuſpendit ab aliquo actu Ordinis Eccleſiaſtici: unde tantùm peccat ob ſolam ſuſceptionem Sacramenti, quæ ad aliquem actum Ordinis non pertinet, unde ſacerdos tunc perinde peccat, ac peccaret Laicus, ſi minore excommunicatione ligatus ſacramenta reciperet: ex quo liquet, ſacerdotem irretitum minori excommunicatione non incurrere irregularitatem, ſi celebret, ſed tantùm graviter peccare, quod tamen non ſufficit, ut incurratur irregularitas, quia cùm hæc proveniat à jure canonico, non debet quis judicari irregularis, niſi id expreſsè reperiatur in jure *cap. Is cui de ſent. excom. in 6.* atqui nullibi in jure ob tale peccatum eſt ſtatuta irregularitas, proinde qui tale peccatum committit celebrando non eſt puniendus irregularitate, ſed arbitrio ſui Prælati, cùm in jure hæc pœna irregularitatis nullibi ſit ſtatuta contra committentem tale peccatum *argum. text in c. de cauſis 4. §. fin. de offic. deleg. cap. tempora 16. q. 7. l. 1. ff. de jure delib.*

Quòd ſi dicas, irretitum majore excommunicatione incurrere irregularitatem, ſi celebret. Reſpondetur, eſſe diſcrimen, quia major excommunicatio includit ſuſpenſionem Ordinum: quia tametſi excommunicatio formaliter ſit cenſura diſtincta à ſuſpenſione; nihilominus quoad effectum ſuſpendendi habet eandem efficaciam cum ſuſpenſione; quò ſit, ut irretitus majori excommunicatione, ſi celebret, incurrat irregularitatem: ſecus quia minor excommunicatio tantùm privat paſſiva ſuſceptione Sacramentorum, non eſt verè, & propriè ſuſpenſio, nec formaliter, nec effectivè: neque irretitus minori excommunicatione dici poteſt ſuſpenſus; quia vera ſuſpenſio non conſiſtit in paſſiva privatione, ſed in privatione functionum Eccleſiaſticarum, quæ non poſſunt à ſuſpenſo exerceri; cenſura enim Eccleſiaſtica eſt pœna, & vinculum, quo miniſter Eccleſiæ impeditur, ne divina officia celebret, nec alia poteſtate Eccleſiaſtica utatur: hinc cùm irretitus minori excommunicatione propriè non ſit ſuſpenſus, ideo ſi celebret, non fit irregularis: tum quia innodatus minori excommunicatione poteſt eligere; non ita is, qui propriè eſt ſuſpenſus; hic enim diſtinguitur ab irretito minore excommunicatione. 23

Quæritur nonò, an irretitus minore excommunicatione poſſit eligere, vel eligi? 24
Reſpondetur, ligatum minore excommunicatione non prohiberi eligere ad beneficia Eccleſiaſtica, neque exercere ea, quæ ratione juriſdictionis illi competunt: ratio eſt, quia juriſdictio non pertinet ad perceptionem Sacramentorum, & minor excommunicatio tantùm privat hac paſſiva Sacramentorum perceptione: quapropter innodatus minori excommunicatione poteſt ſacro intereſſe, & alia divina officia participare, quæ non ſunt ſacramenta; imò & in omnibus alijs actibus, ſeu negotijs ſacris, & civilibus, ac profanis in judicio, vel extra illud poteſt cum alijs communicare, quia tantùm illi prohibetur paſſiva Sacramentorum participatio: unde cum alia ipſi non prohibeantur, ſunt ei licita, idque etiam deſumitur *ex d. c. ſi celebrat ult. h. t.* ubi Gregorius IX. reſcribit, quòd excommunicatus minori excommunicatione poſſit eligere, & exercere ea, quæ ſunt juriſdictionis. Non tamen poteſt ſcienter eligi ad beneficia Eccleſiaſtica: ratio eſt, quia beneficium Eccleſiaſticum ordinatur ad ſacros ordines ſuſcipiendos, à quibus tamen innodatus minori excommunicatione repellitur, quia cùm prohibeatur paſſiva ſuſceptio Sacramentorum, non poteſt ſacros Ordines ſuſcipere, conſequenter neque beneficium Eccleſiaſticum, quia beneficium datur propter officium, & ſupponit ſacros ordines, & eorum exercitium. Verùm ut rectè notat Layman *lib. 1. Theol. moral. tract. 5. p. 2. cap. 3. num. 5.* hæc ratio tantùm procedit quoad electionem ad ordines, & beneficia Eccleſiaſtica: hinc ſi quis innodatus minori excommunicatione eligatur ad temporalem dignitatem

nitatem, vel officium electio cenſetur valida, nec eſt irritanda, quia dignitas temporalis poteſt obtineri ſine ſuſceptione Ordinum. Cæterum ſicut innodatus minore excommunicatione nequit licitè ad beneficia Eccleſiaſtica eligi, neque poteſt ad illa præſentari: quia hæc præſentatio etiam ordinatur ad ſuſceptionem Ordinis Eccleſiaſtici, ſeu ſacramenti, cujus paſſiva participatione privat minor excommunicatio.

25 Cæterum ſi irretitus minori excommunicatione eligatur ad beneficium Eccleſiaſticum ejus electio juxta probabiliorem, & communiorem ſententiam non eſt ipſo jure irrita, ſed irritanda per judicem, & id colligitur etiam ex *d. c. ſi celebrat ult. h. t.* ubi Gregorius IX. reſcribit, quòd ſi excommunicatus minori excommunicatione fuerit ſcienter electus ad beneficium Eccleſiaſticum, ejus electio, ſit irritanda, unde Pontifex ſupponit non eſſe irritam ipſo jure, ſed quòd debeat irritari per ſententiam Judicis: quoties enim in jure dicitur, aliquod eſſe irritandum, ſupponitur non eſſe ipſo jure irritatum, tametſi non ſit firmiter validum, cùm non niſi propter aliquem defectum debeat electio per ſententiam Judicis irritari, ut docet Suarez *de cenſur. diſp. 24. ſect. 5. n. 2.* ubi addit, hoc idem procedere de quacunque electione beneficij. Neque placet, quod reſpondent nonnulli Canoniſtæ præſertim Covarruvias *in c. Alma Mater. p. 1. §. 8. num. 3.* Garcias *p. 7. de beneſ. cap. 13. num. 27.* Hoſtienſis *in d. c. ſi celebrat ult. V. irritanda h. t.* Abbas ibidem *n. 3. V. illud irritanda* verbum, quo utitur Gregorius IX. eſſe intelligendum, quòd talis electio ſit irrita declaranda juxta ſubjectam materiam, adeò ut electio in ſe revera ſit irrita, & ſolùm ſit denuntianda talis. Nam hæc interpretatio non videtur in præſenti textu procedere, quia cùm materia ſit odioſa, & pœnalis, reſtringenda eſt quoad rigorem, quia in pœnis debet interpretatio fieri in mitiorem partem juxta *regul. in pœnis 49. in 6.* Rurſus *in d. cap. ſi celebrat* Pontifex ait, ſi talis excommunicatus fuerit *ſcienter* electus, quia qui ſcienter eligunt ligatum minori excommunicatione, pro illa vice ſunt privati ipſo jure, & facultate eligendi *cap. ſcriptum 40. in fin. de elect.* ubi qui ſcienter indignum eligunt, privantur pro illa vice jure eligendi, eò quia eligant indignum, proinde Electores incurrunt pœnas juris, quod tamen intelligendum eſt de eligentibus ſcienter ligatum verè, & propriè indignum, & inhabilem, quia eligentes ſcienter ligatum minore excommunicatione, quamvis graviter peccent, eò quia agant contra prohibitionem juris in materia gravi, ſicut & ipſe electus, ſi beneficium recipiat; non tamen incurrunt pœnam impoſitam eligentibus propriè indignum, quia hæc pœna non debet extendi ultra caſus in jure expreſſos.

Quæritur decimò, quid dicendum, ſi innodatus minori excommunicatione ignoranter eligatur ad beneficium Eccleſiaſticum, adeò ut Electores ignorent excommunicationem, ut etiam electus? Duæ ſunt ſententiæ; prima docet, talem electionem adhuc eſſe irritandam, ut docent Covarruvias *in cap. Alma Mater §. 8. num. 3.* Abbas *in d. cap. celebrat. ult. num 8. h. t.* nititur hæc ſententia, quia electio excommunicati non reprobatur à jure propter culpam eligentium, ſed propter inhabilitatem ipſius electi: atqui ſola ignorantia non poteſt habilem conſtituere eum, qui eſt in ſe inhabilis. Secunda ſententia ait non eſſe irritandam & eamdem docent Barboſa *in collect. in d. cap. ſi celebrat ult. num. 3. h t.* Layman *lib. 1. Theol. moral tract. 5. p. 2. cap. 3. num. 5.* Sylveſter *V. excommunicatio 4. num. 4.* Hæc ſententia, cui puto adhærendum eſſe, ex eo probatur, quia Gregorius IX. *in d. cap. ſi celebrat ult. h. t.* expreſsè ait: ſi talis excommunicatus fuerit *ſcienter* electus, illud autem *ſcienter* debet aliquid operari, alioquin ſuperflueret, ac eſſet otioſum: at ſi id operaretur, ut electio talis excommunicati eſſet irritanda, cùm in contraria ſententia eſſet etiam irritanda, ſi talis excommunicatus fuerit ignoranter electus; jam illa particula *ſcienter* nihil operaretur, quia adhuc ſine illa electio eſſet irritanda, unde ut particula illa *ſcienter* non ſit otioſè, & fruſtraneè poſita, ſequitur, quòd ſi exiſtens in minore excommunicatione ignoranter eligatur ad beneficium Eccleſiaſticum, electio non ſit irritanda. Tum quia irritatio electionis eſt odioſa, & non debet extendi ultra caſus in jure expreſſos, proinde cùm *in d. cap. ſi celebrat. ult. h. t.* Pontifex tantùm dicat, eſſe irritandam electionem factam de excommunicato minori excommunicatione, ſi fuerit ſcienter electus, non debet hæc pœna ampliari ad non ſcienter electos. 26

Hinc ad rationem, quâ nititur prior ſententia, reſpondetur, electionem excommunicati minori excommunicatione non eſſe irritandam ob culpam eligentium, neque ob inhabilitatem electi, eò quia ſit iſte innodatus minori excommunicatione, & propterea inhabilis, ut eligatur: alioquin electio non eſſet irritanda per ſententiam Judicis, ſed ipſo jure, & de facto eſſet irrita, quod tamen non concedunt, qui ſententiam contrariam propugnant: ſiquidem electio inhabilis, & incapacis eſt ipſo jure irrita ex defectu ſubjecti, perinde ac ſi eligeretur fœmina ad dignitatem Summi Pontificatûs: quamobrem *in d. cap. ſi celebrat ult h. t.* electio illa eſt irritanda in pœnam electi: quia cùm ſciverit, ſe innodatum minori excommunicatione, acceptavit nihilominus electionem de ſe factam. 27

TITU-

TITULUS XXVIII.

De Clerico miniſtrante non ordinato.

IN præcedenti titulo egit Pontifex de delictis, quæ committuntur à Clericis excommunicatis, depoſitis, & interdictis, eò quia non obſtante cenſurâ quâ innodantur, adhuc audent in ſuis ordinibus ſuſceptis miniſtrare. Quapropter in præſenti addit titulum de Clerico non ordinato miniſtrante: ex Clericis enim alij ſunt ordinati, qui in ſuis ordinibus miniſtrant, tametſi ſint Eccleſiasticâ cenſurâ innodati: alij verò, qui licèt non ſint ordinati adhuc miniſtrant, ac ſi Clerici eſſent: unde Clericus non ordinatus eſt Clericus fictus in ordine ad miniſterium illud, quod exercet, & cujus ordine caret, proinde graviſſimè peccat, dum ejus ordinis, quem nondum ſuſcepit, miniſterium exercet.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *SI QUIS 1. h. t. Hormiſda Papa ſtatuit, ut qui temerè & ſine Ordine baptizat, vel alia officia Ordinis exercet, debeat abjici ab Eccleſia, & nunquam ordinari. Ubi notandum eſt cum Gloſſa, textum eſſe intelligendum de eo, qui non ordinatus baptizat tanquam ordinatus, & ut ex officio, adeò ut textus ſit intelligendus de actu Ordinis ſolemniter adminiſtrato: ut ſi non Diaconus in ſolemni officio cantet Evangelium. Cæterum abſque ſolemnitate poſſunt non Diaconi canere Evangelium, ut etiam non Subdiaconi epiſtolam. Urgente autem neceſſitate non ſolùm Clericus ſine ordine, ſed etiam Laicus poteſt baptizare* cap. ad limina 30. q. 1. *infantes enim urgente neceſſitate baptizantur à quovis. Ex eo autem quòd in textu dicatur eſſe abjiciendus ab Eccleſia: per abjectionem communiter intelligitur excommunicatio, vel etiam depoſitio.*

C. *EX LITTERIS 2. h. t. Urbanus III. declarat, quòd ſi Diaconus Miſſam celebret, non poſſit promoveri ad ſacerdotium, & debeat manere ſuſpenſus per duos, vel tres annos ad arbitrium Ordinarij, & tantùm miſericorditer poſſit ei concedi beneficium, ne cogatur ad negotia ſecularia reverti: interim tamen debet ſatagere, ut condignam faciat pœnitentiam: & addit Pontifex, optimè facturum, ſi ad vitam regularem tranſeat. Ubi notandum eſt cum Gloſſa, quòd ipſum ſi dignè pœniteat, poſſit Epiſcopus diſpenſare, ut poſſit in Diaconatu miniſtrare, ac ſuo beneficio frui. An verò detur etiam Epiſcopo facultas diſpenſandi cum tali Diacono, ut poſſit promoveri ad Ordinem Presbyteratus, plures affirmant cum Gloſſa poſt condignam pœnitentiam peractam: quia hic non prohibetur, quin poſſit promoveri ad ſacerdotium præmiſſa debita pœnitentia ex diſpenſatione Epiſcopi. Verùm communior ſententia eſt, non poſſe Epiſcopum diſpenſare, ut promoveatur ad ordinem Presbyteratus, quia talis Diaconus non ſolùm abjicitur ab Eccleſia per excommunicationem: verùm etiam per depoſitionem, adeò ut nunquam ſit ordinandus per diſpenſationem Epiſcopi.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quæ pœnæ jure ſint iniunctæ Clericis non ordinatis miniſtrantibus.

1 NOn agitur hìc de non Clerico, qui nullum ſit ordinem in Eccleſia aſſecutus, quia talis non eſſet Clericus, & perperam in Rubrica hujus tituli diceretur Clericus: unde nomine Clerici is intelligitur, qui in minoribus conſtitutus ordinibus exercet functionem, & miniſterium Ordinis ſuperioris, ad quem nondum fuit promotus, ut ſi Diaconus nondum Presbyter ordinatus auſu temerario ſibi arrogaret functiones, quæ tantùm Presbyteris conceduntur, ac proinde miſſarum ſolemnia celebraret, vel ſi conſtitutus tantùm in minoribus ordinibus, ea ſibi uſurparet, quæ ad Diaconi miniſterium tan-

Ad ſecundum reſpondetur, veram rationem, cur etiam Laici ſint Miniſtri hujus Sacramenti, eſſe ſummam neceſſitatem baptiſmi, quia cùm hoc Sacramentum ſit ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem animæ, neceſſitas exigebat, ut ubique locorum præſens eſſet Miniſter, qui hoc Sacramentum conferret: neque eſt par ratio de ſacramento Pœnitentiæ, quia hoc non eſt ita neceſſarium; ſi enim conſtituti in mortis articulo nondum ſint ſeptennes, nec uſum habeant rationis, non eſt ipſis neceſſarium Sacramentum Pœnitentiæ, ſed per ſolùm baptiſmum ſalvi fiunt: ſin verò ſint adulti, & utantur ratione poſſunt mediante divina gratia elicere actum contritionis, qui æquivalet ſacramento Pœnitentiæ.

8 Licèt urgente neceſſitate poſſit quilibet homo ſive mas, ſive fœmina ritè, & validè Baptiſmum conferre, ſervandus tamen eſt ordo inter eos, qui hoc Sacramentum intendant conferre; ſiquidem inferior debet cedere ſuperiori; non baptizatos baptizato; excommunicatus non excommunicato; hæreticus Catholico; mulier viro; laicus Clerico; Clericus ſacerdoti; & hic Parocho, ut etiam Parochus Epiſcopo, ut docet D. Thomas *3 p. q. 64. art. 4.* quòd tamen procedit, niſi ex juſta cauſa, & alia urgente neceſſitate deberet hic ordo inverti: ſi enim præſentibus ſacerdote, & laico non poſſet ſacerdos ob ægritudinem, vel aliud impedimentum, vel propter excommunicationem, vel quia nollet Baptiſmum conferre ſine pretio; tunc laicus eſſet præferendus, ut etiam ſi infans nondum eſſet editus plenè materna ab alvo, & periculum eſſet in mora, poſſet etiam tunc fœmina infantem illum baptizare in illa corporis parte, quæ eſt extra matrem, idque ob decentiam, ne vir fœminam illam parturientem videret: in hoc caſu ſecluſo contempto, an laicus peccet. Reſpondetur cum diſtinctione, ſi neceſſitas urgeat conferendi baptiſmum, laicus excuſatur à culpa, non ita ſi id præſtet ſine neceſſitate; quia Clericus, & ſacerdos eſt ſemper præferendus Laico in ordine ad miniſtrandum hoc Sacramentum, & ſi ſacerdos præſens nollet baptizare, adhuc laicus, ſi periculum non ſit in mora, tenetur alium vocare ſacerdotem.

9 Clericus igitur, ſi miniſtret in pertinentibus ad Ordinem, quem nondum percepit, ut ſi nulla inſtante neceſſitate ſolemniter baptizet, aut aliquod divinum officium exerceat, in pœnam ſui delicti eſt deponendus, & ampliùs non ordinandus *cap. ſi quis 1. h. t.* ubi Hormiſda Papa reſcribit: qui temerè ſine Ordine baptizat, vel alia officia Ordinis exercet, abjiciatur ab Eccleſia, & nunquam ordinetur: id tamen procedit, ſi baptizet ſine ulla urgente neceſſitate, quia hac inſtante poteſt quilibet baptizare. Siquidem munus ſolemniter baptizandi competit Epiſcopo, qui propriè eſt Miniſter baptiſmi ſolemniter conferendi, illi enim ratione officij, ſeu jure ordinario competit ſolemniter miniſtrare baptiſmum *c. 1. de religioſ. domib. c. cuntis 41. 18. q. 1.* Unde D. Clemens *lib. 3. conſtit. c. 10. & 11.* ait, ſed nec reliquos baptizare permittimus veluti lectores, Cantores, Oſtiarios, Miniſtros, ſed ſolos Epiſcopos, & Presbyteros.

Imò ſolus Epiſcopus primis Eccleſiæ temporibus baptiſteria ſignabat, ut refertur in 10
Concilio Toletano VIII. *can 3.* & D. Paulinus de S. Ambroſio in ejus vita refert, fuiſſe tanta corporis, animique fortitudine præditum in Epiſcopalibus muneribus obeundis, ut quod ipſe ſolus circa baptizandos cumulatiſſimè præſtabat, poſtea quinque Epiſcopi poſt ejus obitum vix implere ſufficerent. Neque obſtat illud Apoſtoli *1. ad Corinth. 1. non miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare*, ex quo aliqui videntur inferre, baptizare non eſſe munus proprium Epiſcopi, ſed aliorum Miniſtrorum inferioris gradus. Nam contra eſt, quia D. Paulus ibi non aſſerit, ſibi non licere baptizare, cùm *in d. c. verſ. 14.* teſtetur, apud Corinthios, ſe baptizâſſe Criſpum, Cajum, & Stephani domum: quòd ſi baptizare non eſſet munus proprium Epiſcopi D. Paulus non baptizaſſet Criſpum, Cajum, & familiam Stephani. Quamobrem cùm dicit, ſe miſſum non eſſe ad baptizandum, ſed prædicandum, id intelligitur ſicut *in. c. 9. act. Apoſtol.* quia vix ſupererat tempus utrumque præſtandi; & quia baptiſmus per alios adminiſtrare poterat, non verò prædicatio: ideo ne omitteretur prædicatio, quæ neceſſaria erat pro converſione gentium, commiſit munus baptizandi alteri, in quo ſenſu dixit, non fuiſſe miſſum à Chriſto, ut baptizaret, ſed ut evangelizaret.

Cæterum ſecundarius Miniſter, cui ra- 11
tione proprij officij jure ordinario competit baptizare, eſt proprius Parochus, idque deſumitur ex *can. 50. Apoſtol.* ubi dicitur: *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter non tria unius baptiſmatis myſteria perfecerit, deponatur.* Nomine autem Presbyteri intelligitur proprius Parochus: quia cum hic ſit ab Eccleſia ordinatus ad Euchariſtiam adminiſtrandam, æquum eſt, ut poſſit omnia illa ſacramenta adminiſtrare, per quæ fideles diſponuntur ad Euchariſtiam ritè ſuſcipiendam.

Poſſet tamen objici, quia Chriſtus, quan- 12
do inſtituit Miniſtrum baptiſmi, ſimul præcepit prædicare, & baptizare *Matth. ult.* ſed munus prædicandi competit ſoli Epiſcopo: proinde etiam munus baptizandi; hinc Tertullianus *de baptiſmo c. 13.* ait: *Supereſt ad concludendam matriculam de obſervatione quoque dandi, & accipiendi baptiſmum, commonefacere: dandi quidem vim habet ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus, deinde Presbyter, & Diaconus, non tamen ſine Epiſcopi authoritate, propter Eccleſiæ honorem.* Ex quo conjicitur, Presbyteros nonniſi ex delegatione Epiſcopi poſſe ſolemniter baptiſmum conferre.

Sed contra quia Presbyter Parochus in 13
propria parochia eſt Miniſter legitimus ratione officij Sacramenti baptiſmi, conſequenter ſine

ſpeciali

ſpeciali Epiſcopi licentia poteſt tale munus obire, imò ad id tenetur titulo proprij muneris parochialis, quod Parochus exequitur independenter ab Epiſcopo, ut notat Barboſa *de officio Parochi c. 18.*

14 Ad id, quod dicebatur de munere prædicandi juncto cum munere baptizandi, reſpondetur, quòd tametſi Chriſtus ſimul injunxerit Apoſtolis utrumque munus prædicandi, & baptizandi, non tamen inde ſequitur, quòd ſolis Apoſtolis hoc munus injunxerit, adeò ut alij non poſſint illud exercere; ita enim illud injunxit Apoſtolis, ut alios non excluderet. Munus enim prædicandi exercetur etiam ab ijs, qui Epiſcopi non ſunt, proinde etiam munus baptizandi poteſt ab alio exerceri, qui non ſit Epiſcopus.

15 Ad illud Tertulliani reſpondetur, id tantùm procedere de Presbyteris non Parochis, qui alicui Eccleſiæ Parochiali non præſunt: hi enim licèt ex vi ſuæ ordinationis habeant poteſtatem conferendi baptiſmum; ex defectu tamen ſubditorum non poſſunt illam poteſtatem licitè exercere abſque delegatione proprij Parochi: hinc ſi ſacerdos, qui non eſt Parochus proprius ſolemniter baptiſmum adminiſtret, peccat lethaliter, non tamen incurrit irregularitatem, quia in jure id non eſt expreſſum, ut notat Barboſa *loc. cit. c. 18.* Imò neque Parochus unius parochiæ poteſt ſolemniter in aliena parochia baptizare alienum parochianum, quia nemo debet alterius parochiæ ſubditos ſibi uſurpare, nec egredi terminos propriæ. *cap. placuit 7. q. 1. c. ſicut 9. q. 2. c. 1. c. nullus cum ſequent. 13. q. 1. c. nullus 3. de parochijs.*

16 Verùm ex data reſponſione oritur difficultas, quia ſi munus baptizandi eſt actus jurisdictionis, ſequitur, baptiſmum collatum alieno Parochiano eſſe nullius valoris; perinde ac nulla eſt abſolutio peccatorum facta alieno Parochiano: unde vel quilibet Presbyter, quamvis parochiam non habeat, eſt Miniſter ordinarius baptiſmi; vel baptiſmus ab eo collatus eſt nullus. Sed contra eſt enim diſcrimen inter baptiſmum, & abſolutionem, quia abſolutio eſt actus jurisdictionis in peccatorem, eſt enim vera ſententia in foro pœnitentiæ; quò fit, ut ſacerdos non habens jurisdictionem in pœnitentem non poſſit ipſum abſolvere, quia ſententia non datur ſine jurisdictione, & deſumitur ex Trid. *ſeſſ. 14. c. 7.* Secus baptizare non eſt propriè, ac determinatè actus jurisdictionis in ipſum baptizandum, cùm certum ſit, Miniſtrum baptiſmi nullam habere jurisdictionem in Catechumenum, ſed in reliquos fideles baptizatos, quorum numero accenſetur, qui baptizatur: hinc baptiſmus validè confertur etiam in non ſubditum.

17 Cæterum ſimplices ſacerdotes quamvis ratione proprij officij non poſſint ſolemniter miniſtrare baptiſmum, bene tamen beneficio delegationis, ſeu ex commiſſione Epiſcopi, vel Parochi: imò id munus etiam poteſt delegari Diacono; non ita Subdiacono, & alijs inferioribus Clericis *c. Diaconus c. præſente 93. diſt. c. conſtat. de conſec. diſt. 4.* & docet Layman. *tom. 2. moral. tract. 2. de baptiſ. c. 6. num. 2.* hinc patet diſcrimen inter Diaconum, & Subdiaconum: quia Diaconus poteſt ex commiſſione Epiſcopi, vel Parochi ſolemniter baptizare, Subdiaconus verò & cæteri inferiores Clerici tantùm in caſu neceſſitatis, ut etiam Laici. Religioſi etiam ex commiſſione Epiſcopi, vel Parochi poſſunt ſolemniter baptizare *cap. placuit 16. q. 1.* imò in partibus Indiarum ex conceſſione Pauli III. & Pij V. Religioſi miſſionarij ſolemniter baptiſmum conferunt etiam independenter ab Epiſcopis.

18 In *cap. ex litteris 2. & ult. h. t.* habetur, quòd cùm quidam Diaconus antequam Epiſcopus ei manus impoſuiſſet, ſe ipſum ordinâſſet Presbyterum, & præſumpſerit miſſam celebrare, conſultus hoc ſuper temerario auſu Urbanus III. reſcribit, Diaconum illum non poſſe ad ſacerdotium promoveri, & biennio, vel triennio à Diaconatu arbitrio Epiſcopi debere ſuſpenſum manere, & pœnitentiam agere; & optimè facturum ſi ad regularem vitam tranſeat. Ex quo textu habetur, quòd Diaconus, ſi miſſam celebret, non poſſit promoveri ad ſacerdotium, & debeat per biennium, vel triennium arbitrio Ordinarij manere ſuſpenſum etiam ab exercitio Diaconatûs, & miſericorditer ei conceditur beneficium, ne adigatur reverti ad negotia ſæculi. Sin verò dignè pœniteat ipſum ſui delicti Epiſcopus poteſt diſpenſare, ut promoveatur ad ſacerdotium, quia id in *d. c. ex litteris* non prohibetur, & pœnæ non ſunt extendendæ ad caſus in jure non expreſſos.

19 Quamobrem Clericus miniſtrans in ordine, ad quem nondum fuit promotus, fit irregularis, ut deſumitur ex *c. ſi quis baptizaverit 2. h. t.* ubi duplex pœna imponitur tali uſurpatori Eccleſiaſtici officij, quarum prima eſt excommunicatio non quidem ipſo jure lata, ſed ferenda per ſententiam, ut colligitur ex illo verbo *abjiciatur ab Eccleſia*, quo utitur Pontifex: ſecunda eſt irregularitas, quæ deſumitur ex illis verbis *Nunquam ordinetur*: unde Diaconus qui audet miſſam celebrare, utramque pœnam incurrit, ſiquidem excommunicatur per ſententiam Judicis, & fit irregularis, adeò ut in perpetuum non poſſit promoveri ad Ordines ſuperiores nondum ſuſceptos, & præſertim ad ordinem Sacerdotij, in quo miniſtravit, niſi cum illo diſpenſetur: & poſt peractam dignam pœnitentiam poteſt Epiſcopus cum ipſo diſpenſare, ut promoveatur ad ſacerdotium.

20 Quod verò ad ordines inferiores jam ſuſceptos attinet, tantùm manet ſuſpenſus ab exercitio Ordinis ultimò ſuſcepti, & quidem per biennium, vel triennium ad arbitrium Epiſcopi: in alijs autem inferioribus ordinibus non prohibetur, poſſe miniſtrare: quia in *d. c. ex litteris 2. h. t.* Pontifex tantùm ſuſpendit

pendit Diaconum illum, per triennium ad arbritrium Epiſcopi: & quia in *d. cap.* nulla fit mentio de ſuſpenſione ab exercitio aliorum inferiorum ordinum jam ſuſceptorum, non præſumitur Diaconus ille ſuſpenſus à tali exercitio aliorum inferiorum ordinum, quia pœnæ non ſunt ampliandæ extra caſus in jure expreſſos: coarctantur tantùm ad illos, qui exprimuntur. Hinc ſi ſacerdos exerceat actus Ordinis Epiſcopalis, cùm non ſit ipſe Epiſcopus, & adminiſtret ſacramenta Confirmationis, & ordinis, fit irregularis, adeò ut in perpetuum non poſſit promoveri ad Epiſcopatum; & niſi cum ipſo diſpenſetur, manet ſuſpenſus ab exercitio Sacerdotij per biennium, vel triennium ad arbitrium Epiſcopi: alios tamen inferiores ordines Diaconatûs, & Subdiaconatûs poteſt exercere, quia id non eſt ipſi prohibitum.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, an Diaconus ex vi proprij muneris poſſit ſolemniter baptizare? Ratio dubitandi eſt, quia Diaconi, quamvis non poſſint conſecrare, valent tamen Euchariſtiam adminiſtrare *c. Diaconus c. pervenit 93. diſt.* unde ratione proprij ordinis videntur Diaconi poſſe ſolemniter miniſtrare Sacramentum baptiſmi. Secundò quia Diaconi poſſunt pœnitentiam conſerre *cap. fures 2. de furtis*, ubi dicitur *confeſſi fuerint Presbytero, vel Diacono*, unde ſi poſſunt pœnitentiam conferre, à fortiori etiam baptiſmum. Tertiò quia Concilium Aurelianenſe II. coactum anno 511. *can.* 12. concedit Diacono crimino ſo, & pœnitenti poſſe baptiſmum conferre, proinde id multò magis licitum erit Diacono innocenti. Nihilominus reſpondetur, Diaconos non poſſe ex officio ſolemniter baptiſmum conſerre, quia ſolemniter baptizare pertinet tantùm primariò ad Epiſcopum, & ſecundariò ad ſacerdotem Parochum; idque ratione juriſdictionis, & quia alij ſacerdotes ſimplices, ut etiam à fortiori Diaconi carent juriſdictione, non poſſunt ſolemniter baptizare, niſi ex delegatione, vel commiſſione Epiſcopi, vel Parochi, quia tunc vices gerunt Epiſcopi, vel Parochi, quorum juriſdictionem exercent baptizando ſolemni ritu ſuos parochianos. Hinc *in c. ſi quis 1. h. t.* Diaconus, qui ſine delegatione ſibi facta ſolemniter baptizat, incurrit irregularitatem, eò quia munus illud baptizandi ſolemniter ei non competat: ſi enim ſacerdotes non poſſunt ſolemniter baptizare, niſi ſint Parochi, vel de licentia Parochi; multò minus id poterunt Diaconi, qui ex vi ſuæ ordinationis non ſunt idonei, ut in Paſtores eligantur.

2 Hinc ad rationes in oppoſitum reſpondetur, quòd tametſi primis Eccleſiæ temporibus Diaconi Euchariſtiam fidelibus laicis miniſtraverint, non tamen id vi propriæ Ordinationis, ſed de mandato Epiſcoporum, vel parochorum delegatione in eorundem abſentia: imò proceſſu temporis fuit hæc facultas poſtea ipſis abrogata; tunc dicitur, quòd hæc conſuetudo viguerit, quando fideles communicabant ſub utraque ſpecie; cùm enim in calice Euchariſtia etiam miniſtraretur, Diaconi eam interdum miniſtrabant. Ad ſecundam reſpondetur nunquam fuiſſe in Eccleſia moris, ut Diaconi pœnitentiæ Sacramentum miniſtrarent; ſed tantùm illis fuit conceſſum, ut ex delegatione Epiſcopi poſſent reconciliare eos, qui gradus ſolemnis pœnitentiæ expleverant, ut oſtendit Mendoza *lib. 2. concil. Illiber. c. 55.* & illa reconciliatio non erat abſolutio ſacramentalis, proinde poterat à Diacono conferri. Ad tertiam petitam ex Concilio Aurelianenſi reſpondent communiter Patres, tantùm fuiſſe locutos in caſu, quo aderat neceſſitas, tunc licitum eſt Diaconis, imò etiam alijs inferioribus Eccleſiæ Miniſtris baptiſmum propria authoritate conferre ſine ulla delegatione.

Quæritur ſecundò, an laicus ſibi uſurpans miniſteria Clericorum incurrat irregularitatem, ut ſi præſumeret ſolemniter baptizare? 3
Communior reſponſio eſt, fieri irregularem adeò ut id evincatur ex *c. ſi quis 1. h. t.* ubi Pontifex loquitur generaliter, & abſolutè de quocunque non ordinato, qui audet miniſtrare in ordine, quem non habet, ait enim Hormiſda Papa abſolutè, & generaliter, qui temerè ſine ordine baptizat, vel alia officia ordinis exercet, abjici debet ab Eccleſia, & nunquam ordinari: laicus autem nullum habet Eccleſiaſticum ordinem, proinde ſi miniſtrat in ordine clericali, incurrit irregularitatem.

Quòd ſi dicas, titulum præſentis Rubricæ eſſe de Clerico non ordinato miniſtrante, & laicum non eſſe Clericum. Rectè reſ- 4
pondet Pirhing *lib. 5. tit. 28. num. 4.* non ſemper valere argumentum à rubro ad oigrum, ſeu ab eo, quod ponitur in titulo ad alia, quæ ponuntur in capitibus: quia nonnunquam fit, ut oigrum ſit univerſalius rubro, ſeu quod in capitibus plus contineatur, quàm in tituli ipſa inſcriptione, quæ dicitur rubrica. Nonnunquam etiam contingit, ut rubrum ſit generalius oigro, ut notat Everhardus in *locis argum. loco à rubro. q. 2. num. 11.* Imò ſi Clericus miniſtrans in ordine, ad quem nondum fuit promotus incurrit irregularitatem uſurpando ordinem, quem non habet; à fortiori videtur ſequi, quòd debeat eam incurrere laicus, qui cùm nullum habeat ordinem Eccleſiaſticum, magis diſtat ab illo ordine, quem uſurpat, quàm Clericus, qui ratione Ordinis ſuſcepti proximiùs accedit ad ordinem, quem uſurpat. Nihilominus contraria ſententia videtur eſſe probabilis, & eam docent plures cum Layman *lib. 5. tract. 5. c. 3. num. 3.* quia

cùm hæc irregularitas non habeatur expreſſa in jure, non eſt extendenda ad laicum, quia pœnalia non extenduntur ad caſus non expreſſos in jure.

5 Præte rea quia miniſtrans in ordine, quem non habet eſt deponendus, ut habetur *in d. c. ſi quis* t. *h.* t. & depoſitio convenit ſolis Clericis, non verò laicis. Cæterum Pontifex hanc pœnam ideo ſolis Clericis injungit, de quibus ſolis fit mentio; quia hæc uſurpatio ordinis ſuperioris frequentior eſt in Clericis, quàm Laicis. Neqne obſtat, quòd laicus magis diſtat à tali ordine, quàm Clericus: quia in materia irregularitatis argumentum deductum etiam à majotitate rationis non eſt efficax. Quamobrem laicus ſolemniter baptizans, aut miſſam celebrans, vel abſolutionem ſacramentalem conferens fingens ſe ſacerdotem, juxta hanc ſententiam non fit irregularis, quamvis ſit graviſſimis pœnis puniendus, & brachio ſæculari tradendus. Adhærendum tamen puto primæ ſententiæ utpote communiori, unde.

6 Quæritur tertiò, an irregularitas, quam incurrit laicus ſibi uſurpans miniſteria Clericorum ſit totalis; adeò ut nullum ordinem ſuſcipere poſſit, an verò ſit tantùm partialis, ut non poſſit promoveri ad illum tantùm ordinem, quem ſibi uſurpavit: ratio dubitandi eſt, quia Clericus non incurrit talem irregularitatem; ſed tantùm quoad promotionem ad ad aliquos ordines, unde ſicut Clericus non incurrit niſi partialem irregularitatem: ita videtur dicendum de Laico, quia ſi Clericus quoad uſum illorum ordinum, quos non uſurpavit, non manet irregularis, non videtur ratio adeſſe, cur laicus debeat quoad omnes ordines fieri irregularis.

7 Reſpondendum nihilominus eſt probabiliùs, laicum uſurpantem quodcunque miniſterium ſacrorum ordinum excludi omnino à Clericatu, adeò ut nullum, vel minimum ordinem recipere poſſit, & deſumitur ex *c. ſi quis* t. *h.* t. ubi Papa Hormisda ſimpliciter dicit, quod *non ordinetur*, & quia hæc locutio eſt abſolutè negativa, æquivalet univerſali, nec poteſt à nobis limitari, niſi fortè ex parte perſonæ, & juxta diſpoſitionem alterius legis ſcilicet textûs, qui habetur in *c. ex litteris* 2. *h.* t. ubi juxta communiorem interpretationem is, qui ſibi uſurpat miniſterium Ordinis, quo caret, non poteſt aliquem ordinem recipere, quem non habet, & cùm laicus nullum habeat, ſequitur, quòd nullum poſſit recipere. Quòd ſi dicas, hanc pœnã fore majorem reſpectu laici, reſpondetur, id ſe habere per accidens, quia pœna ex ſe eſt univerſalis. Præterea nullum exinde ſequitur inconveniens, ſi pœna dicatur major reſpectu laici, quia major eſt etiam temeritas laici, cùm audeat ſe ſe divinis ingerere miniſterijs.

8 Quæritur quartò, an qui tantùm per jocum uſurpat miniſterium ordinis; quo caret, incurrat hanc irregularitatem, tametſi tota actio exterior ſit ludrica ex defectu intentionis? Reſpondetur, eum graviter peccare, eò quia id cedat in gravem irreverentiam, & injuriam illius ordinis, vel Sacramenti, cujus miniſterium per jocum, quis uſurpat. Quòd verò ad irregularitatem attinet, cenſent aliqui, non fieri irregularem; eò quia cum non ſeriò, ſed tantùm per jocum, & ſine intentione uſurpet miniſterium ordinis, quo caret non miniſtrat verè, & realiter in tali ordine, quo caret, proinde non incurrit irregularitatem, quia hæc in jure tantùm infligitur verè miniſtrantibus in ordine quo quis caret; & quia lex eſt pœnalis non eſt amplianda; ſed reſtringenda ad verum miniſterium, de quo loquuntur jura, non verò ad fictum: unde cùm nullum jus reperiatur, per quod irregularitas incurratur, à quo tantùm per jocum, & ſine intentione miniſtrat in ordine, quo caret; non eſt is dicendus irregularis.

9 Verùm id tantùm procedit in foro conſcientiæ, & interiori, non verò in foro exteriori, quia in hoc non poteſt judicari, qua intentione, quis ſibi uſurpaverit miniſterium Ordinis, quo caret, ſi ex circumſtantijs non deprehendatur etiam exteriùs talem uſurpationem miniſterij eſſe fictam, ludicram, & tantùm per jocum: alioquin is fit irregularis in foro externo, qui quoad exteriorem actionem ſeriò exercet aliquem actum ordinis, quamvis ſine interna intentione conficiendi Sacramentum, aut miniſterium ſacrum: ratio eſt, quia lex tantùm intendit punire uſurpationem exterioris miniſterij alicujus ordinis; proinde ad hanc incurrendam irregularitatem ſufficit voluntas faciendi actus ordinis exteriùs, quamvis ſine interna intentione conficiendi Sacramentum, vel aliud verum miniſterium, quod non poteſt is, qui ſcit, ſe non eſſe ordinatum, verè intendere. Hinc ſi Diaconus ſolemniter, & veluti ex officio baptizet, vel miſſam celebret, vel abſolvat à peccatis, vel etiam confeſſiones audiat, fit irregularis, licèt null[illegible] internam habeat intentionem conficiendi Sa[illegible]mentum. Tum quia ſi ob externum exercitium ſeriò uſurpatum non incurreretur irregularitas, poſſent iniquiſſimi homines facilè hanc pœnam illudere dicentes, ſe non habuiſſe internam intentionem miniſtrandi in tali ordine, ſed tantùm fictè, & per jocum.

10 Quæritur quintò, quæ requirantur ad hanc irregularitatem incurrendam ab eo, qui miniſtravit in ordine, quo caruit? Reſpondetur plura requiri: primò ut exerceat actum proprium ordinis, ſeu miniſterium, quod ab alio, qui talem Ordinem non habet, non poſſit exerceri.

11 Secundò, ut miniſtret in ordine, quem non habet ſcienter, & non ex ignorantia: quia *in d. c. ſi quis* t. *h.* t. dicitur, quod hæc irregularitas incurratur *propter temeritatem*: & temerarius non eſt, niſi, qui id agit, quod ſcit, non poſſe agere. Tũ quia hæc irregularitas eſt pœna,

quæ

quæ ſine culpa non incurritur, unde interveniente ignorantia etiam probabili, non incurritur irregularitas: imò cum ſit valde gravis pœna, non incurritur niſi à ſciente, & temerariè præſumente, ſive per contemptum miniſtrante.

12 Tertiò requiritur, ut miniſtret ſcienter in ordine, quo raret, quoad ſubſtantiam, quia tunc illa ordinatio eſt nulla ob defectum ſubſtantialium, eò quia miniſtrar in ordine, quem defectu alicujus ſubſtantialis omiſſi non recepit; quapropter ſi quis ſciat, ſe non recepiſſe ſarerdotium ob omiſſum in ordinatione aliquod ſubſtantiale, quia talis ordinatio fuit nulla, ideo ſi miniſtrer in odine ſacerdotali, miſſam celebret, confeſſiones audiat, & abſolvat, fit irregularis, eò quia ſibi uſurpat miniſterium ordinis, quo caret: ſi in ordinatione omiſſum tantùm fuiſſet aliquod accidentale, quod certum eſt, non eſſe de ſubſtantia, tunc ſi miniſtret antequam ſuppleatur omiſſum, peccat quidem graviter, niſi fuiſſet omiſſa aliqua exigua cæremonia non neceſſariò ſupplenda: non tamen incurrit irregularitatem, quia tunc non caret ordine, cujus miniſterium uſurpat, & in nullo jure habetur, quod incurratur hæc irregularitas; ſed tantùm promotus ad talem ordinem prohibetur in eodem ordine miniſtrare, donec defectus ſuppleatur.

13 Quartò reqoiritur, ut ſolemniter, & tanquam ex officio ad tale miniſtetium deputatus, & conſtitutus exerceat ordinem, quo caret, quia ſi ſine ſolemnitate hoc miniſterium uſurpet, vel non tanquam ex officio, non fit irregularis, ut ſi quis non Diaconus cantet Evangelium etiam cum dalmatica, ſed ſine ſtola; vel ſi non Subdiaconus cantet Epiſtolam cum dalmatira, ſed ſine manipulo.

14 Quæritur ſextò, an Clericus ſibi uſurpans juriſdictionem ordinis, quo caret, fiar irregularis? Reſpondetur propter ſolam uſurpatam juriſdictonem non incurri hanc irregularitatem: ratio eſt, quia hæc irregularitas ſolùm lata eſt in eum, qui exercet actum ordinis, quem non haber. Hinc ſi Parochus ſolemniter baptizet non ſubditum, vel Sacramentum pœnitentiæ adminiſtret ſine licentia Parochi, cui ſubjiciuntur hi, quibus ſacramenta confert, non incurrit irregularitatem; quia tunc non exercet actum ordinis, quem non habet, ſed ſolùm ſibi uſurpat juriſdictionem alterius: ſiquidem quilibet Parochus, perinde ac quilibet Epiſcopus habet juriſdictionem limitatam ad proprium territorium, nec poteſt ſe ingerere in territorio alterius in ordine ad miniſtranda ſactamenta ſubditis alterius Parochi. Hinc ſi aſſiſtat etiam matrimonio alieni parochiani ſine licentia Parochi proprij non incurrit irregularitatem, dummodo nuptias non benedicar, quia tunc tantùm ſibi uſurpat alienam juriſdictionem, non verò miniſterium Ordinis, quo caret, & irregularitas tantùm in jure imponitur ijs, qui ſibi uſurpant miniſterium ordinis, quo carent, non verò uſurpatoribus alienæ juriſdictionis.

15 Quæritur ſeptimò, an fœmina ſolemniter baptizans incurrar irregularitatem: ratio dubitandi eſt, quia baptizare ſolemniter eſt actus proprius Epiſcopi, vel Parochi, unde fœmina tunc videtur ſibi uſurpare miniſterium ordinis, quo caret. Reſpondetur, fœminam ſolemniter baptizantem nullam incurrere irregularitatem, quia ad hanc incurrendam requiritur, ut qui miniſtrat in ordine, quo caret, ſit capax irregularitatis incurrendæ: atqui fœmina non eſt capax irregularitatis, quia non eſt capax ordinis Eccleſiaſtici, quapropter ſi fœmina exerceat ea, quæ pertinent ad Eccleſiaſtiros ordines, non incurrit irregularitatẽ, eſt enim irregularitas privatio ordinis, vel uſus illius. Hoc idem procedit de non baptizato, ſi miniſtret in ordine aliquo Eccleſiaſtico, neque iſte eſt capax irregularitatis ſaltem illius, quæ ob delictum eſt lata: rùm enim non baptizatus ſit extra ſotum Ecleſiæ, non ſubjicitur Eccleſiaſticæ juriſdictioni, conſequenter neque ligatur ejus legibus. Tum quia *in cap. ſi quis* 1. *h. t.* Hormiſda Papa loquitur ad membra Eccleſiæ, ſiquidem omnis lex ad eos loquitur, qui ſunt ſub lege.

16 Quæritur octavò, an ſi Diaconus ſolemniter baptizet ſine licentia Epiſropi, vel Parochi, etiam urgente extrema neceſſitate fiat irregularis? Reſpondetur affirmativè, qoia baptizare ſolemniter ex officio convenit ſoli ſacerdoti, non verò Diacono, qui propterea tunc ſibi uſurpat miniſterium Ordinis, quo caret, quod eſt illi ptohibitum in *c. ſi quis* 1. *h. t.* & quidem ſub pœna inrorrendæ irregularitatis: neque extrema neceſſitas, ei ſuffragatur, quia quando urget talis neceſſitas ſufficit, ſi baptizetur in illa conſtitutus ſine ſolemnitate, tunc enim quilibet homo poteſt eſſe miniſter hujus ſacramenti. Cæterum Diaconus cum licentia Epiſcopi, vel Parochi licitè baptizat etiam ſolemniter, non ſolùm urgente neceſſitate, ſed etiam extra caſum neceſſitatis, nec ullam tunc incurrit irregularitatem, quia exerret tale miniſterium non nomine proprio, ſed alterius, cujus vices tunc gerit.

17 Quæritur nonò, an baptizari poſſit conſtitutus in periculo mortis, ſi baptiſmus ſit mortem acceleraturus? Certum eſt, quòd ſi non timeatur mors ſubventura, poſſit baptiſmus differri, ſi ejus collatio poſſet mortem accelerare: quòd ſi periculum incrementum ſubiret, tunc non eſſet ulterius differendus baptiſmus, eò quia pluris interſit providere ſaluti ſpirituali, quàm corporali: quando enim concurrunt ſimul ſalus ſpiritualis, & corporalis, debet illa præferri, ut excellentior, etiam cum jactura corporis: ſiquidem ſubeunda potius eſt mors corporalis, quàm ſalutem ſpiritualem amittere: quo pacto eſt potius eligenda mors, quàm lethaliter offendere

Deum, ut docent communiter cum Thoma *2. 2. q. 26. art. 3. in corp.* & D. Auguſtino *lib. 1. de doctrina Chriſti. cap. 2.2.* quinimò etiam propria vita exponenda eſt diſcrimini, & mortis periculo pro ſalute ſpirituali proximi, ſi neceſſitas urgeat, ut ex D. Auguſtino docet D. Thomas *2. 2. q. 26. art. 5. in corp.*

18 Hinc cùm infans non poſſit æternam conſequi ſalutem ſine baptiſmo, tametſi ex collatione baptiſmi ei acceleretur mors, adhuc debet baptizari, quia tunc ſimul concurrunt ſalus animæ, & corporis, & illa huic eſt præferenda : ſicut enim tenetur quis profundere propriam vitam pro conſervanda, vel obtinenda ſalute ſpirituali ; ita etiam cæteri, debent præferre ſalutem ſpiritualem ſaluti corporali. Tum quia, ſi infans ſit conſtitutus in articulo mortis, poteſt quisque ipſum baptizare, tametſi ſciat, ſe exponere evidenti mortis periculo, & tunc baptizando exercet actum charitatis : ergo etiam poterit baptizare infantem, tametſi baptiſmus ſit ei mortem acceleraturus, quia tunc baptizans non operatur contra juſtitiam, quia negotium infantis utiliter gerit, & præſtat id, quod teneretur infans ipſe præſtare, ſi capax eſſet rationis ; nec tunc baptizans operatur contra charitatem, quia hæc non obligat ad amandum plus proximum, quàm ſe ipſum, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 26. art. 4.* Imò tunc baptizans exequitur præceptum divinum, & naturale, quo obligamur anteponere ſaluti corporali, quæ concernunt ſalutem animæ. Demum quia miniſtratio baptiſmi per ſe ordinatur ad ſalutem ſpiritualem infantis, qui baptizatur ; & tantùm per accidens habet annexum damnum corporale : atqui licitum eſt, procurare proprium commodum, quamvis inde per accidens ſequatur damnum alterius, quia tunc tale damnum eſt præter intentionem *l. 1. §. denique Marcellus l. vicinus ff. de aqua pluvia arcen.* & quia quisque tenetur diligere proximum ſicut ſe ipſum ex Dei præcepto *Matth. 22* ſequitur, quòd poſſit commodum proximi procurare, ſicut proprium ; unde ſicut poſſet ipſe velle baptizari urgente neceſſitate, non obſtante acceleratione mortis : ita etiam poterit baptizare proximum conſtitutum in mortis periculo ; ſiquidem ordo charitatis exigit, ut ſalus ſpiritualis proximi præferatur ſaluti corporali ejusdem, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 26. art. 5.*

19 Quæritur decimò, an, qui baptizando mortem accelerat infanti fiat irregularis ? Reſpondetur probabiliùs negativè, quia tunc non incurritur irregularitas ex delicto, neque ex defectu lenitatis : & omnis irregularitas, quæ contrahitur ex homicidio fundatur neceſſariò in altero ex his duobus capitibus. Quòd verò non incurratur irregularitas ex delicto, ex eo liquet, quia tunc nullum committitur peccatum, ſiquidem infans poteſt licitè baptizari, imò etiam debet, non obſtante acceleratione mortis, eò quia ſalus animæ ſit præferenda ſaluti corporis. Tum quia ſi aliquod tunc interveniat peccatum ad ſummum eſt tantùm veniale, ratione alicujus negligentiæ, quæ in abluendo ſubrepit : & hæc non ſufficit ad incurrendam irregularitatem, ut deſumitur *ex c. quæſitum de pœnit.* ubi declaratur taxativè Clericos eſſe irregulares, ſi ipſis procurantibus, aut ſtudiosè negligentibus filij fuerint oppreſſi : ſtudiosè autem negligere importat negligentiam craſſam, & voluntariam, proinde mortaliter culpabilem : tum quia irregularitas, quando injungitur ut pœna, habet rationem punitionis graviſſimæ, cùm inhabilitet ad ordines, & beneficia, & privet ordinatos executione ordinis : pœna autem graviſſima in jure canonico non infligitur niſi propter peccatum lethale, præſertim cùm talis pœna ſit difficilis relaxationis.

20 Neque incurritur irregularitas ex defectu lenitatis : quia hæc non habet locum in homicidio privato, quod fit à perſona privata, ſed tantùm in homicidio ex auctoritate publica ; adeò ut illam contrahant, qui tanquam miniſtri publici ad tale homicidium concurrunt, ut docet Covar. *in clement. ſi furioſus p. 2. §. 4. num. 9. V. ex his de homicid.* ubi diſtinguens homicidium privatum à publico docet, quòd in homicidio facto à privata perſona nunquam locum habeat irregularitas, niſi habeat locum etiam culpa homicidij : quia hæc irregularitas ex defecto linitatis à jure tantùm imponitur perſonis publicis, quæ tanquam concernentes judicium concurrunt ad homicidium. Tametſi quis erroneè putaret, ſe malè facere baptizando, eò quia mortem acceleret per baptiſmum, licèt peccaret ratione conſcientiæ erroneæ ; non tamen afficeretur irregularitate, quia hæc tantùm imponitur pro delicto homicidij in re exiſtente, & non pro exiſtente in conſcientia tantùm erronea.

21 Quæritur undecimò, an, ſi tantùm initiatus primâ tonſurâ miniſterium ſibi uſurpet ordinis minoris Acolytatus, vel alterius etiam ſolemniter in ſuperpelliceo, ac ſi eſſet ad tale officium deputatus fiat irregularis ? Reſpondetur, communiorem ſententiam aſſerere, exercentem miniſterium ordinis minoris, quo caret, ſi ſolemniter, & tanquam ex officio illud exerceat non incurrere irregularitatem, ut notat Sylveſter *V. irregularitas q. 12.* & probat, quia D. Thomas *in 4. diſt 24. q. 2. art. 2. ad 9.* docet, actus minorum ordinum poſſe licitè fieri per laicos, tametſi iſti non habeant ad id officium. Verùm huic ſententiæ obſtant verba, quæ habentur *in cap. ſi quis 1. h. t.* ubi Hormiſda Papa dicit, *Si aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus :* atqui etiam officia minorum ordinum pertinent ad divinum officium, proinde exercens ſolemniter, & tanquam ex officio minorem ordinem, quo caret, videtur incurrere irregularitatem. Tum quia Clericus excommunicatus, ſi ex officio miniſtret in minoribus ordinibus, fit irregularis. Hinc probabiliùs putârim, exercentem miniſterium

rium alicujus ordinis minoris, quo caret tanquam ex officio, & ut Miniſtrum ad id deputatum fieri irregularem; non ita ſi tantùm miniſterium illud exerceat eo modo, quo ſecundùm conſuetudinem ſolet per laicos exerceri: unde nonniſi rariſſimè poteſt contingere, ut uſurpans miniſterium ordinis alicujus minoris fiat irregularis, quia ordinariè tale miniſterium non uſurpatur niſi juxta conſuetudinem, quâ etiam à laicis uſurpari ſolet. Tum quia ad incurrendam irregularitatem debet actio fieri cum peccato, & quidem gravi: quia cùm hæc irregularitas injuncta per modum punitionis ſit pœna gravis, debet ſupponere culpam gravem: proinde interveniente etiam ignorantia probabili non incurritur hæc irregularitas.

22 Quæritur duodecimò, quiſnam poſſit in hac irregularitate diſpenſare? Reſpondetur, in ordine ad aſcendendum ad ulteriores ordines ſolùm Papam poſſe diſpenſare: ſecus in ordine ad miniſtrandum in ordinibus jam ſuſceptis poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare ex conceſſione facta Epiſcopis, ut deſumitur ex *cap. in litteris 2. h. t.* Imò ſi delictum ſit occultum, poteſt Epiſcopus etiam quoad ulteriores diſpenſare ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6. de refor.* Hodie tamen extat Bulla Clementis VIII. promulgata Romæ die 4. Decemb. anno 1601. quæ incipit, *& ſi alias*, & eam recitat Quaranta *in ſumma Bullar. V. ordo in fine*, ubi ſtatuitur, ut quicunque non promotus ad ſacrum Presbyteratûs ordinem repertus fuerit miſſam celebrare, vel Sacramentales confeſſiones audire, à Judicibus ſacræ inquiſitionis, vel locorum Ordinarijs tanquam Eccleſiæ miſericordia indignus à foro Eccleſiaſtico abjiciatur; & ab ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habuerit, ritè degradatus ſtatim curiæ ſæculari tradatur plectendus per Judices ſæculares debitis pœnis.

TITULUS XXIX.

De Clerico per ſaltum promoto.

Quia Clerici non ſolùm delinquunt in exercendis miniſteriis eorum ordinum, quibus carent: verùm etiam in iiſdem ordinibus ſuſcipiendis, eò quia nonnunquam per ſaltum promoveantur ad ordinem ſuperiorem relicto medio; ideo Pontifex poſtquam in præcedenti tutulo egerit de Clerico non ordinato miniſtrante; hic pergens ad aliud delictum, quod nonnunquam committitur à Clerico, agit de Clerico per ſaltum promoto, præſertim cùm nulla ſit differentia inter non ordinatum, & non ritè ordinatum *argum. l. quoties ff. qui ſatisdare cogantur.*

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Unici capitis in hoc titulo contenti.

C. TUÆ LITTERÆ UNIC. h. t. Innocentius III. reſcribit ei, qui ignoranter de Subdiacono ſit Presbyter omiſſo Diaconatu, injungendam eſſe dignam pænitentiam, eò quia ignorantia fuerit craſſa, vel potius negligentia 1 *peracta autem pænitentia mandat Pontifex, ut poſſit ordinari Diaconus; quia non intelligitur iteratum, quod factum eſſe neſcitur: & poſt promotionem ad Diaconatum permittit Pontifex miſericorditer, ut poſſit miniſtrare in ſacerdotio ſumpto ante Diaconatum. Ubi notat Gloſſa diſcrimen inter Sacramentum matrimonij, & Ordinis, quia ſi quis ante ætatem pubertatis contrahat matrimonium hoc non valet, niſi malitia ætatem ſuppleat: ſecus qui ordinatur ſacerdos ante ætatem, vel ante Diaconatum ordo tenet, ſed ordinatus eſt ſuſpenſus ab executione. Verùm qui ordinatur infra annos diſcretionis, ſi antequam ordinaretur, contradixit, ut etiam cùm primum ſcivit, & cognovit ſe eſſe ordinatum: communior ſententia eſt, non teneri tunc ad ſervandam continentiam, quinimò ſi ſimpliciter fuit coactus, non imprimitur character. Cæterum non ſolùm vigore hujus textûs, ſed etiam Concilij Tridentini* ſeſſ. 23. c. 14. de refor. *poteſt Epiſcopus diſpenſare cum promotis per ſaltum, quod ab aliquibus intelligitur, ſive ſcienter, ſive ignoranter fuerint ita promoti ſive omiſſo aliquo ordine ex majoribus, ſive ex minoribus: quia Concilium non diſtinguit, ſed loquitur ſimpliciter: quapropter à ſenſu contrario infertur, non poſſe Epiſcopum diſpenſare cum eo qui miniſtravit in tali ordine abſque ulla diſtinctione: idque deducitur ex ratione, quam adfert Pontifex in textu, ubi*

ait, non præſumi iteratum, ſeu uſurpatum illum ordinem ab illo Diacone, qui neſciebat, an eum ſuſceperit: proinde concedit Pontifex facultatem diſpenſandi Epiſcopo, quam non conceſſiſſet, ſi præſumeretur illum miniſtrâſſe, in tali enim caſu ſolus Papa diſpenſat. Cæterum ſi quis nullo ſuſcepto minore Ordine ordinaretur Sacerdos, verè reciperet Presbyteratum: non ita ſi non ſacerdos ordinaretur Epiſcopus; quia ordo Epiſcopatus neceſſariò ſupponit ſacerdotium argum. cap. ex litteris 10. de exceſſ. Prælat. *Sin autem ordinaretur quis Epiſcopus prætermiſſo Diaconatu, vel Subdiaconatu, dummodo eſſet ſacerdos fieret verus Epiſcopus non tamen tunc poſſet conferre illos ordines, quos non habet* argum. c. gratia. c. ventum 1. q. 1. c. quomodo de conſec. diſt. 4.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit ordinari per ſaltum, & quæ pœna iure iniuncta ita promotis.

1 CLericus hîc per ſaltum promotus dicitur, qui præproperè à minoribus ordinibus ad ſuperiores aſcendit mediis neglectis, ut ſi Subdiaconus promoveatur ad ſacerdotium non antea ſuſcepto ordine Diaconatûs. Cùm ad ſæculares honores nonniſi per gradus aſcendatur, eorúmque gerendorum promiſcua facultas non ſit; ſed ordo adhibeatur, ut quis majorem Magiſtratum gerere non poſſit, niſi qui minorem priùs ſuſceperit *l. 45. quæ utiliter. ff. de negotijs geſtis l. 11. l. 14. §. gerendorum ff. de muner. & honor.* ideo Eccleſia meritò prohibuit, ne poſſit quis Presbyterij, vel majoris dignitatis locum habere, quin aliquandiu in minoribus ordinibus manſerit, & in his ſe probaverit *can. ſi officia 59. diſt.* unde D. Hieronymus *in epiſt. Nepotiani.* ait. *Quid multa? fit Clericus, & per ſolitos gradus Presbyter ordinatur*: & D. Paulus ab Eccleſiæ dignitatibus Neophytum juſſit removeri *1. ad Timoth.* ne cæcus in foveam cadat, quia ut habetur *in can. 80. Apoſtol. iniquum eſt, eum, qui nunquam experimentum fecit, aliorum eſſe præceptorem*: & hac ratione Juſtinus Imper. *Novel. 122.* jubet, ut ſi quem ex plebe in Epiſcopum eligi oportuerit, priùs is, qui eligitur inter Clericos debeat tribus menſibus conſiſtere.

2 Cùm igitur gradatim, & ſerie quadam, non verò per ſaltum, & ordine præpoſtero ſuſcipiendi, & conferendi ſint ordines Eccleſiaſtici *cap. ſolicitudo diſt. 52. tota diſt. 59. 60. & alijs*: ideo ſi quis prætermiſſo ordine inferiori ſuperiorem ſuſcipiat, ut ſi Subdiaconus Presbyteratum ante Diaconatum, collatio quidem eſt valida, & characterem imprimit, ut notat Abbas *in c. tua littera 1. & ult. h. t.* ſed per ſententiam eſt illi executio ordinis interdicenda, ut putant aliqui: ſed alij veriùs dicunt eſſe, ipſo jure ſuſpenſum donec congruo tempore Diaconatus prætermiſſus ſuppleatur, & cum eo pœnitentia impoſita diſpenſetur, ut in ordine ſuſcepto miniſtret, imò id etiam procedit, quamvis interceſſerit ignorantia, ut habetur *in cap. tua littera 1. & ult. h. t.* ubi Innocentius III, cum Presbyter Diaconatus ordine prætermiſſo diceretur promotus in Presbyteratum, & ipſe pro certo neſciret, an res taliter ſe haberet, ſed crederet aſſertioni bonorum virorum, eò quòd, cùm acciperet ordines inferiores, infra annos diſcretionis erat conſtitutus; reſcripſit Pontifex Epiſcopo Bononienſi, ut condigna injuncta, & peracta pœnitentia (quia non intelligitur iteratum, quod factum neſcitur) ipſum de miſericordia ordinaret in Diaconum & in ordine ſacerdotis miniſtrare permitteret, ex quo textu colligitur, eum qui ignoranter de Subdiacono fit Presbyter omiſſo Diaconatu, teneri injunctam ſibi dignam pœnitentiam ſubire, eò quia ignorantia fuit craſſa, ſeu negligentia; quâ peracta ordinatur Diaconus, quia non intelligitur iteratum, quòd factum eſſe neſcitur: permittitur etiam miſericorditer miniſtrare in ſuſcepto ſacerdotio.

Pœna in jure inflicta ordinato per ſaltum, 3 eſt ſuſpenſio, & ut gradus omiſſus ei conferatur, idque probant textus *in cap final. 51. diſt. c. ſolicitudo 52. diſt. c. ſi officia, & per totum 59. diſt.* Hoc idem etiam habetur in ſynodo Romana ſub Sylveſtro Papa *can. 5.* ibi: *Sylveſter præſente ſynodo conſtituit, ut nullus ex laica perſona ab honore acolyti ad Epiſcopatum ſublevaretur, niſi priùs fuiſſet Lector diebus triginta, deinde una die Exorciſta, poſtea caperet onus acolyti, & faceret in eodem annos decem, ut acciperet onus Subdiaconi, & in Subdiaconatu eſſet annos quinque, deinde ad diaconatûs honorem pertingeret fixus, donec rogantibus triginta Presbyteris fieret examen, ut eſſet Diaconus Cardinalis.* Ex alijs in jure textibus etiam clarè habetur, ei qui prætermiſſo ordine inferiori ſuperiorem ſuſcipit, per ſententiam, eſſe interdicendam executionem, donec congruo tempore prætermiſſus ordo ſuppleatur, & cum eo, pœnitentia impoſita diſpenſetur, ut in ordine ſuſcepto miniſtret, quæ diſpenſatio fieri poteſt per Epiſcopum, ſi nondum miniſtraverit in ſuſ-

cepto

cepto ordine, ut habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. c. 14. de refor.*

4 Idque procedit non ſolùm ſi promotus fuerit per ſaltum omiſſo aliquo ex ſacris ordinibus, ut ſi ex ſubdiaconatu promotus fuerit per ſaltum ad Presbyteratum omiſſo diaconatu: ſed etiam omiſſis ordinibus minoribus, aut uno eorum, ut etiam omiſſa prima tonſura ex declaratione Congregationis Cardinalium Concilij Trident. Interpretum. Ratio, cur Eccleſia prohibuerit hujusmodi ordinationes per ſaltum, eſt, quia ordo, qui ſervatur in hominibus, ut in cœleſti hierarchia provehantur, idem ſervandus etiam eſt, ut in hierarchia militatis Eccleſiæ proficiant: unde Clemens Alexandrinus *lib. 6. ſtromat. pag. 667.* ait. *nam hic quoque progreſſiones Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum ſunt, ut arbitror imitationes gloria angelica, & illius œconomia, ac diſpenſationis.* Cui conſentit ſanctus Bernardus *lib. 3. de conſid. ad Eugen.* ubi ait, hoc ordine ad cæleſtem hierarchiam homines transferri, ut priùs inferiores ordines attingere debeant, quàm ſuperiores: unde etiam in hierarchia Eccleſiaſtica, ſacróque Clericorum ordine, ut quis proficiat, conſentaneum eſt, ut inferiores ordines priùs decurrat, quàm ad ſuperiores pervenire poſſit: ſiquidem etiam leges civiles natura duce, quæ ſolemni decurſu à minimis ſemper incipit, & gradatim progreditur, ſtatuerunt, ut ad majores gradus nonniſi per medios homines promoverentur *l. ut gradatim 11. l. honor. 14. §. gerendorum ff. de muner. & honor. l. 2. c. quemadmodum civil. munera l. qua utiliter 47. in princ. de negot. geſt.*

5 Hinc Romani non ſolùm in militia caſtrenſi hunc ordinem ſervabant, ut notat Lypſius de *milit. Roman. lib. 2. dialog. 8.* verùm etiam in togata: ſiquidem Patritij, & plebei nobiles poſt exacta ſtipendia viam ſibi parabant ad gubernandam rempublicam. Primò enim promovebantur ad quæſturam, quæ erat exordium ad honores teſte Ulpiano *in l. 1. de offic. poteſt.* elapſo triennio petebant ædilitatem: & poſt biennium Præturam, & eadem temporis intercapedine conſulatum, & alias dignitates, in hoc autem ordine ſervando conſiſtere Reipublicæ optimum regimen, & conſervationem, docent communiter Juriſperiti, Petrus Gregorius *lib. 47. Syntag. c. 15.* Beſoldus *diſſert. de magiſt. c. 1. num. 1.* Borellus *lib. 1. de magiſt. c. 16.* Gratianus *tom 1. diſcept. cap. 154.* quapropter rectè Innocentius III. *in d. c. tua litteræ 1. & ult. h. t.* ſtatuit, ut Clerici nonniſi gradatim ad ſacros ordines promoverentur, aliàs Clericum per ſaltum promotum ſuſpenſionem incurrere.

6 An verò ordinatus per ſaltum incurrat etiam irregularitatem, adeò ut non poſſit miniſtrare in ordine ſuſcepto, nec ordinem prætermiſſum recipere, niſi cum ipſo diſpenſetur? Reſpondent aliqui, eum manere etiam irregularem, quoad talem ordinem ſuſcipiendum; proinde manere etiam irregularem in ordine ad aſcendendum ad ſuperiores, ex quo inferunt, Subdiaconum, qui per ſaltum fuit promotus ad Presbyteratum eſſe perpetuò impeditum ab executione Diaconatûs, quia irregularitas privans ſubdiaconatu privat quantum eſt ex ſe diaconatu, ut eſt manifeſtum in Clerico in minoribus conſtituto miniſtrante ſolemniter in ſubdiaconatu, quem non habet, ille enim manet irregularis, nec poteſt aſcendere ad Subdiaconatum, conſequenter omnino privatur diaconatu; ergo quando tale impedimentum invenit diaconatum jam receptum, quod eſt accidentarium, & non poteſt ipſum characterem delere, ſaltem impedit perpetuò ejus uſum.

7 Quòd ſi dicas, inde ſequi majori pœna affici Diaconum miniſtrantem in Subdiaconatu, quem non habet, quàm in ſacerdotio; eò quia propter illud delictum perpetuò privetur uſu diaconatûs; & & per hoc ſolùm ad tempus. Tum quia propter illud excluditur à ſuſceptione diaconatûs, & ſacerdotis: & propter hoc tantùm privatur ſacerdotio. Reſpondent, nullum ſequi abſurdum; quia in hac pœna attendendum potius eſt ad bonum, quo immediatè privat: hoc autem majus procul dubio eſt in privatione ſacerdotij, quàm ſubdiaconatûs. Præterea licèt ex parte objecti majorem præſeferat deformitatem ſacrificare ſine ſacerdotio, quàm cantare ſolemniter epiſtolam ſine ſubdiaconatu: nihilominus quando hoc poſterius fit poſt ordinationem per ſaltum, & poſt novum impedimentum inde contractum, major tunc intervenit contumacia, ratione cujus delictum incrementum ſubit, ac fit dignum majori pœna in foro Eccleſiæ.

8 Verùm probabiliùs videtur in eo caſu non incurri ſpecialem illam pœnam ſuſpenſionis à Diaconatu latam *in c. ex litteris 2. de Clerico non ordinato*, quia hæc pœna eſt ſpecialiter lata in eum, qui miniſtravit in ordine ſuperiori, quem non habet, proinde non oportet eam extendere ad eum, qui ſolùm miniſtravit in inferiori ordine prætermiſſo: proinde minuitur illa pœna.

9 Verùm putâtim, ordinatum per ſaltum non fieri irregularem, ſi non miniſtravit in ordine per ſaltum recepto, ſed tantùm ipſo jure, & facto eſſe ſuſpenſum ab executione ordinis per ſaltum ſuſcepti, donec ordo inferior omiſſus ſuppleatur, & id deſumitur ex *c. tua 1. & unic. h. t.* ubi Innocentius III. ſtatuit, ut qui ignoranter de ſubdiaconatu fit Presbyter omiſſo diaconatu injungatur ei digna pœnitentia, quia ignorantia fuit craſſa, quâ peractâ ordinetur Diaconus: quia non intelligitur iteratum, quod factum eſſe neſcitur. Rurſus ſuppleto ordine prætermiſſo permittit Pontifex miſericorditer, ut miniſtret in ſacerdotio per ſaltum ſuſcepto: ex hoc textu apertè colligitur, ſuſcipientem ordinem etiam ſacrum per ſaltum non eſſe irregularem, quia tametſi miniſtrans in tali ordine quem non habet, fiat irregularis: in nullo tamen jure reperitur, quòd quis

fiat

fiat irregularis ex eo præcisè, quòd prætermiſit ordinem inferiorem, ſi in ſuſcepto per ſaltum non miniſtravit. Præterea quia *in d. c. tua unic. h. t.* non ſtatuitur hæc irregularitas, quia Pontifex reſcribit, ut poſt peractam pœnitentiam promoveatur ad prætermiſſum Diaconatum, & poſtea permittatur miſericorditer miniſtrare in ſacerdotio: quòd ſi poſt peractam pœnitentiam debet ordinari in prætermiſſo diaconatu, ſequitur, quòd per ſe non ſit impeditus, nec inhabilis ad ſuſcipiendos ordines, quia ſaltem ex diſpenſatione Epiſcopi poteſt ordinem prætermiſſum recipere, cùm *in d. c. tua* permittatur, ut poſt ſuppletum ordinem prætermiſſum Epiſcopus cum illo diſpenſet, ut poſſit miniſtrare in ordine Presbyteratûs, ad quem fuit per ſaltum promotus: ſi enim eſſet irregularis, non poſſet Epiſcopus cum illo diſpenſare, quia in tali irregularitate ſolus Papa diſpenſat, ut notat Zœſius *in comment. h. t. n. 2.*

10 Quòd verò promotus per ſaltum ipſo jure maneat ſuſpenſus ab ordine ſic ſuſcepto colligitur etiam *ex d. c. unic. h. t.* ubi cum Subdiaconus prætermiſſo diaconatu factus eſſet ſacerdos, præcipitur, ut Epiſcopus eum poſt pœnitentiam promoveat ad ordinem diaconatûs prætermiſſi, & poſtea permittat ex miſericordia, ut miniſtret in ordine presbyteratus, ad quem fuerat per ſaltum promotus: quòd ſi ex miſericordia permittitur ut miniſtret in ordine ſacerdotij, ſequitur evidenter, eum fuiſſe ipſo jure ſuſpenſum ab executione ordinis Presbyteratus, ad quem per ſaltum fuerat promotus: alioquin ſi non eſſet ſuſpenſus, poſſet ſine miſericordia, & permiſſione ſtatim poſt ſuſceptum diaconatum miniſtrare in ſacerdotio per ſaltum ſuſcepto, quia nullum tunc adeſſet impedimentum: unde liquet, promotũ per ſaltum manere ipſo jure ſuſpenſũ ab exercitio ordinis per ſaltũ ſuſcepti. Idque etiam confirmatur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. c. 14. de refor.* ubi in fine Concilium ſtatuit, quòd cùm promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint in tali ordine per ſaltum ſuſcepto, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare: unde ſupponit Concilium promotos per ſaltum, quamvis non miniſtraverint in ordine ſuſcepto, eſſe ipſo facto ſuſpenſos in ordine ad exercendum miniſterium talis ordinis per ſaltum ſuſcepti, alioquin miniſtrando in ordine non contraherent novum impedimentum, ſeu irregularitatem, ſi non eſſent ſuſpenſi, ſed tantùm ſuſpendendi: quia ſuſpenſi, vel alia cenſura irretiti fiunt irregulares, ſi exerceant actum ordinis, à quo ſunt ſuſpenſi.

11 Quòd ſi dicas, *in c. ſolicitudo unic. diſt. 52.* præcipi, ut Epiſcopus prohibeat ab exercitio, & officio ſacerdotali eum, qui per ſaltum ſuſceperat Diaconatum, & Presbyteratum prætermiſſo ſubdiaconatu, idque donec recipiat ſubdiaconatum, ex quo videtur dicendum, promotum per ſaltum non eſſe ipſo jure ſuſpenſum ab ordine ſuſcepto, ſed eſſe ſuſpendendum per ſententiam.

Contra eſt, quia verbum illud *prohibeat*, 12
non ſignificat prohibere per cenſuram, vel ſuſpenſionem, adeò ut debeat Epiſcopus eum ſuſpendere, ſed ut Epiſcopus eum compellat ad obſervandam cenſuram, quâ jam ligatus erat. Tum quia licèt *in d. c. ſolicitudo* promotus non eſſet ipſo facto ſuſpenſus ab ordine per ſaltum ſuſcepto; ſed tantùm eſſet ſuſpendendus, per ſententiam Judicis, nihilominus jure novo per *c. tua unic. h. t.* & Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 14. de refor.* taliter promotus manet hodie ipſo jure ſuſpenſus ab ordine per ſaltum ſuſcepto.

§. II.

Proponuntur & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

Quæritur primò, an promotus per ſaltum, ſi miniſtraverit in ordine antequam per ſaltum ad illum promoveretur, fiat irregularis? Reſpondetur affirmativè, quia tunc miniſtravit in ordine, quem non habebat, quod eſt prohibitum ſub pœna irregularitatis incurrendæ, ut habetur in *cap. ſi quis 1. de Clerico non ordinato*, qui enim miniſtrat in ordine, quem nondum ſuſcepit, fit irregularis: unde ſi promotus per ſaltum miniſtravit in ordine antequam ad illum promoveretur fit irregularis, eò quia miniſtravit in ordine, quem non habuit. Imò poſt illum ſuſceptum, quia adhuc manet ſuſpenſus ab ordine per ſaltum ſuſcepto, ſi ante legitimam diſpenſationem in illo miniſtret etiam fit irregularis; ratio eſt quia cum ille ſit ſuſpenſus à receptione ordinis prætermiſſi, poſtquam illum ſine diſpenſatione ſuſcepit, adhuc manet ſuſpenſus ab ejus executione, proinde ſi in tali ordine miniſtret fit irregularis ob violatam cenſuram ſuſpenſionis, & tunc diſpenſare à tali irregularitate ad ſolum pertinet ſummum Pontificem: Epiſcopus enim tantùm poteſt diſpenſare ab ipſa ſuſpenſione, ſi promotus non miniſtraverit in ordine per ſaltum ſuſcepto: ſi enim promotus per ſaltum non miniſtravit in ordine ſuſcepto poteſt Epiſcopus cum illo diſpenſare, ut poſſit poſt peractam pœnitentiam, & ſuſceptum ordinem prætermiſſum uti ordine per ſaltum ſuſcepto, idque etiam procedit, quamvis delictum ſit publicum, quia Concilium facultatem diſpenſandi non limitavit ad delictum occultum. 1

Quæritur ſecundò, an ſi ſacerdos ſimplex miniſtret in ordine Epiſcopali, quem non habet confirmando, ordinando, & exercendo alios actus proprios Epiſcopi incurrat irregularitatem? Reſpondetur affirmativè: quia tametſi Canoniſtæ, & Theologi non conveniant, an Epiſcopatus ſit ordo, nec ne: attamen quoad hunc effectum omnes conveniunt, ita eſſe loquendum de functionibus conſecrationis Epiſcopalis, ſicut de miniſterio cujuſcunque Ordinis ſacri: quia Epiſcopatus revera eſt ordo ſacer, eò quia eſſentialiter imprimat characte- 2

characterem, qui ſi non diſtinguitur à charactere ſacerdotali; nihilominus ex vi conſecrationis Epiſcopalis extenditur, & elevatur ad functiones, quæ propriæ ſint conſecrationis Epiſcopalis, adeò ut illa extenſio, & elevatio ſupra characterem ſimpliciter ſacerdotalem ſit revera character ſacer, quo conſtituitur ordo Epiſcopalis: hinc ſi ſimplex ſacerdos miniſtret in ordine Epiſcopali, quo caret, conferendo Sacramentum confirmationis, & promovendo ad ordines Eccleſiaſticos, revera fit irregularis, quia miniſtrat in illo ordine, quo caret, ut deſumitur ex *c. ex litteris de Clerico non ordinato miniſtrante*: quamobrem ſi ſimplex ſacerdos miniſtret in ordine Epiſcopali manet irregularis, ne in Epiſcopum conſecrari poſſit: in ſacerdotio autem manet ſuſpenſus biennio, vel triennio ad arbitrium Epiſcopi, ut habetur *in d. c. ex litteris 2. de Clerico non ordin.* ubi dicitur, quòd ſi Diaconus miſſam celebret, non poſſit promoveri ad ſacerdotium, & manet ſuſpenſus per duos, vel tres annos arbitrio ordinarij.

Quæritur tertiò, an Subdiaconus uſurpans Pontificalia, vel ſacerdotalia maneat irregularis quoad promotionem ad diaconatum, & ſacerdotium? Reſpondetur, Subdiaconum eſſe tunc puniendum in eo, in quo deliquit, proinde debere carere illis ordinibus, quos uſurpavit, unde in rigore ſolùm impeditur aſcendere ad eum ordinem, cujus miniſterium uſurpavit, non verò videtur impediri, quò minus poſſit promoveri ad diaconatum, aut miniſtrare in ordinibus inferioribus: quia poteſt quis privari ſuperiori ordine, quamvis non privetur inferiori. Quòd ſi dicas, uſurpationem ſuperioris ordinis eſſe virtualem quandam uſurpationem ordinis intermedij. Reſpondetur, quòd tametſi unus ordo alium ſupponat, non tamen ordines ſe virtualiter includunt, præſertim in ſuis actionibus, & miniſterijs. Tum quia hæc incluſio virtualis eſt potiùs ſpeculativa, & inſufficiens ad extendendam pœnam in lege non expreſſam: alioquin ſequeretur, miniſtrantem in uno ordine, quem non habet, manere ſimpliciter irregularem quoad omnes inferiores ordines: ut ſi ſubdiaconus miniſtraret in ordine diaconatus, ad quem nondum fuit promotus, fieret irregularis etiam quoad ordines minores, quod communiter non conceditur. Quamobrem irregularitas tantùm incurritur ad non recipiendum ordinem, qui uſurpatus eſt, ſi in illo non fuerit verè promotus: ſi enim Subdiaconus uſurpet ſacerdotalia, ſi non fiat tunc ſacerdos, incurrit irregularitatem ad non recipiendum ſacerdotium, cujus miniſterium uſurpavit, non verò circa intermedium diaconatum incurrit propriè irregularitatem, ſed tantùm ſuſpenſionem temporalem.

Objici tamen poteſt, quin talis ſuſpenſio videtur potiùs rationem habere irregularitatis: ſiquidem irregularitas eſt, quæ per ſe impedit ſuſceptionem alicujus ordinis: & ſuſpenſio per ſe primò reſpicit uſum Ordinis ſuſcepti.

Sed contra, quia illa prohibitio ſuſcipientis ordinem prætermiſſum, ideo non eſt irregularitas, quia per ſe non inducitur; ſed tantùm ut annexa priori ſuſpenſioni, non quidem propter connexionem in ordine ad uſum talium ordinum, ſed ex eo, quia irretitus cenſurâ, cujuſmodi eſt præfata ſuſpenſio non poteſt licitè novum ordinem ſuſcipere: unde illa inhabilitas, ſeu prohibitio ad ſuſcipiendum Ordinem prætermiſſum ſolùm imponitur, ut annexa ſuſpenſioni miniſtrandi in ordine per ſaltum ſuſcepto. Non enim imponuntur duæ pœnæ, quarum una ſit ſuſpenſio ab Ordine per ſaltum ſuſcepto; & altera irregularitas reſpectu ordinis intermedij prætermiſſi: ſed eſt unica tantùm ſuſpenſio habens hos duos effectus inter ſe connexos, & ordinatos: quia eatenus prohibetur, ſuſcipere ordinem prætermiſſum, quia prohibetur miniſtrare in ordine per ſaltum ſuſcepto, donec cum illo diſpenſetur. 5

Quæritur quartò, an Subdiaconus per ſaltum promotus ad Presbyteratum omiſſo diaconatu, ſi miniſtret in omiſſo ordine Diaconatus, maneat tantùm ſuſpenſus quoad eundem ordinem prætermiſſum; vel fiat irregularis? Reſpondetur, miniſtrantem in prætermiſſo ordine Diaconatûs fieri irregularem quoad illum ſuſcipiendum, idque deſumitur *ex d. c. tua unic. h. t.* quò fit, ut etiam maneat irregularis ad aſcendendum ad ſuperiores ordines: unde eſt perpetuò impeditus ab executione Presbyteratus, quia irregularitas privans diaconatu, privat etiam, quantum eſt ex ſe, Presbyteratu, ut liquet in Clerico minoribus initiato ordinibus, & miniſtrante ſolemniter in ſubdiaconatu, quem non habet: ille enim manet irregularis, ne poſſit aſcendere ad Subdiaconatum, proinde privatur etiam Diaconatu: in caſu verò noſtro, quia irregularitas incurſa in ordine ad prætermiſſum Diaconatum, in quo promotus ad Presbyteratum miniſtravit, invenit Presbyteratum jam receptum, & non poſſit character ſemel impreſſus deleri, ideo ſaltem impedit perpetuò ejus uſum. 6

Quòd ſi dicas, inde ſequi minori pœnâ affici; qui miniſtrat in diaconatu, quem non habet, quàm in ſacerdotio; eò quia ob uſurpatum miniſterium Diaconatûs per ſaltum promotus ad Presbyteratum privetur perpetuò uſu ſacerdotij. 7

Contra eſt, quia in hac pœna attendendum eſt ad bonum, quo immediatè privat. Tum quia ex eo, quòd promotus per ſaltum ad Presbyteratum miniſtret in diaconatu, quo caret, fit irregularis, & nunquam ordinatur, ut habetur *in cap. ſi quis 1. de Clerico non ordinato miniſtrante*: ſecus ſuſcipiens per ſaltum ordinem ſuperiorem tantùm incurrit ſuſpenſionem in ordine ad exercendum Presbyteratum ſuſceptum per ſaltum. 8

Quæritur quintò, an promotus per ſal- 9

tum incurrat ſuſpenſionem ipſo ſacto, ſed tantùm per ſententiam ſerendam; Reſpondetor, duas in hac quæſtione eſſe ſententias, prima aſſerit, hanc ſuſpenſionem tantùm incurri per ſententiam ferendam, non verò ipſo ſacto, ita docent Archidiaconus, & alij plures Canoniſtæ *in c. ſolicitudo 52. diſt.* quos ſequitur Turrecremata *in d. c. ſolicitudo art 4.* qui tamen volunt promotum per ſaltum non poſſe in ſuſcepro ordine licitè miniſtrare, donec ordinem, quem prætermiſit, accipiat: quia ſicut non potuit licitè ſuperiorem ordinem ſuſcipere ſine inferiori prætermiſſo, ita non poteſt licitè in ſuperiori ſuſcepto miniſtrare, niſi priùs omnes inferiores ordines ſuſcipiat: eò quia hæc ſit diſpoſitio prærequiſita ad convenientem uſum illius miniſterij: à fortiori ſi initiatus minoribus ordinibus per ſaltum promoveatur ad diaconatum prætermiſſo ſubdiaconatu, ſicut non poteſt licitè miniſtrare in diaconatu, quia donec promotus ſuſcipiat prætermiſſum Subdiaconatum ſemper ulterior illa promotio eſt per ſaltum: ideo dicunt, utramque hanc prohibitionem non tam eſſe validam, quàm ſequi ex natura rei ſuppoſita inſtitutione divina de ordinibus Eccleſiaſticis gradatim ſuſcipiendis. Hinc præter hanc prohibitionem negant, eſſe ab Eccleſia impoſitam propriam ſuſpenſionis cenſuram ipſo jure incurrendam, quia nullo jure lata reperitur.

10 Secunda verò ſententia, quæ communior, & verior eſt, ac proinde eidem adhærendum, docet, hanc ſuſpenſionem incurri ipſo ſacto, Hoſtienſis *in ſumma tit. de Clerico per ſaltum promoto* §. *1.* Navarrus *in ſumma cap. 25. num. 71. & cap. 28. num. 342.* & alij. Ratio, cur adhærendum ſit huic ſententiæ, eſt. Primò quia ordinatus per ſaltum non poteſt ſine diſpenſatione ſaltem Epiſcopi ſuſcipere inferiorem ordinem prætermiſſum, ut deſumitur ex *cap. tua unic. h. t.* idque ſanè argumento eſt, præter prohibitionem quaſi connaturalem miniſtrandi in ordine per ſaltum ſuſcepto, adhuc promotum ab Eccleſia ipſo facto ſuſpendi, quia quòd ordinatos per ſaltum prohibeatur miniſtrare in ſuſcepto ordine, ut etiam aſcendere ad ſuperiorem, ſolùm eſt ob carentiam ordinis prætermiſſi: ſed ex hoc capite non prohibetur eundem prætermiſſum ordinem ſuſcipere: ergo illa prohibitio tantùm poteſt provenire ex ſuſpenſione Eccleſiæ. Tum quia ordinatus per ſaltum poſt acceptum prætermiſſum ordinem, adhuc in ſententia aliquorum videtur indigere diſpenſatione ad miniſtrandum in ſuperiore per ſaltum priùs ſuſcepto. Verùm quidquid ſit de hac diſpenſatione poſt ſuſceptum prætermiſſum ordinem, de qua in ſequenti quæſtione dicemus.

11 Secundò probatur ex Concilio Tridentino, quod antiquiora jura interpretatur, & reſolvit, quid jure novo agendum ſit, ait enim Concilium *ſeſſ. 23. cap. 14. de refor. Cùm promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare*, etenim quæri poteſt, in quo poſſit Epiſcopus diſpenſare: certè non ut promotus per ſaltum aſcendat ad ſuperiores ordines, priuſquam inferiorem accipiat: id enim repugnat divino juri, ac inſtitutioni talium ordinum, adeò ut nec ſummus Pontifex poſſit diſpenſare in ijs, quæ ſunt ex divina inſtitutione.

Neque dici poteſt, quòd ex legitima cauſa poſſit diſpenſare, ut per ſaltum promotus miniſtret in ordine ſic ſuſcepto antequam prætermiſſum recipiat: quia id eſt per ſe malum, ac prohibitum quaſi ex natura rei ſuppoſita inſtitutione talium ordinum cum illa ſubordinatione, ut unus ſupponat alium: unde Concilium non videtur aliter poſſe intelligi, niſi concedendo, ut Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare in hoc, quòd promotus per ſaltum poſſit prætermiſſum ordinem recipere, & ſic in ordine ſuſcepto miniſtrare, & ad ſuperiorem aſcendere: ex quo ſequitur evidenter, Concilium ſupponere hoc eſſe ipſo facto prohibitum ordinato per ſaltum, adeò ut ſine diſpenſatione obtenta ab Epiſcopo non poſſit ad prætermiſſum ordinem promoveri, unde hæc ſuſpenſio incurritur ipſo facto, & jure. 12

Tum quia promotus per ſaltum ſi miniſtret in Ordine ſic ſuſcepto, vel recipiat novum ordinem, ſive inferiorem, ſive ſuperiorem fit irregularis: ergo quia fuit ipſo facto ſuſpenſus, cùm primum fuit per ſaltum promotus: ratio eſt, quia non poteſt aliud genus irregularitatis excogitari, quod incurratur, niſi ob crimen miniſtrandi, vel ſuſcipiendi ordinem cum dicta cenſura. Tum quia Concilium Tridentinum in dicta *ſeſſ. 23. cap. 14* utitur illis verbis *ſi non miniſtraverit Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare*, ubi Concilium aſſerit, ordinatum per ſaltum, ſi abſque diſpenſatione miniſtret in ordine ſuſcepto, ita manere impeditum ad ſuſcipiendos ordines, qui illi deſunt, & ad miniſtrandum in ſuſcepto, ut ſolus Papa poſſit in hoc diſpenſare, quia Epiſcopus ex Concilio tantùm poteſt diſpenſare ex legitima cauſa, ſi non miniſtraverit non ita ſi miniſtraverit in ordine per ſaltum ſuſcepto, quia tunc incurrit irregularitatem, à qua non poteſt diſpenſare niſi ſolus Papa, non enim hæc ſpecialis reſervatio poteſt aliunde oriri, quàm ex incurſa irregularitate. 13

Hoc igitur eſt diſcrimen inter promotum per ſaltum miniſtrantem in ordine ſic ſuſcepto, & non miniſtrantem: quia ſi non miniſtret, incurrit tantùm ſuſpenſionem, & Epiſcopus ex legitima cauſa, & poſt peractam pœnitentiam poteſt diſpenſare, ut ſuſcipiat prætermiſſum ordinem, & miniſtret in ordine per ſaltum ſuſcepto, qui verò miniſtrat in ordine per ſaltum ſuſcepto incurrit irregularitatem, à qua non poteſt Epiſcopus diſpenſare, ſed ſolus Summus Pontifex. 14

Quæritur ſextò, an cùm primum diſpenſatur cum Clerico per ſaltum promoto ad Presbyteratum, ut ſuſcipiat Diaconatum prætermiſſum liberetur à ſuſpenſione miniſtrandi 15

in

in ordine per ſaltum ſuſcepto? Reſpondetur, diſpenſatum ad ſuſcipiendum ordinem prætermiſſum manere ita liberum à tali ſuſpenſione, ut poſt ſuſceptum prætermiſſum ordinem poſſit tam in illo, quàm in alio, quem per ſaltum ſuſceperat miniſtrare *argum. cap. tua unic. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd poſt peractam pœnitentiam promotus per ſaltum poſſit ſuſcipere Ordinem prætermiſſum; & in illo ſuſcepto miniſtrare: & è converſo, ſi cum illo diſpenſetur ad miniſtrandum in ordine ſuſcepto; diſpenſatur etiam, ut recipiat ordinem prætermiſſum: & ratio eſt, quia talis diſpenſatio non poteſt aliter habere effectum, neque in alio ſenſu legitimè concedi. Hinc poſt ſuſceptum prætermiſſum ordinem ex vi ejusdem diſpenſationis liberatur à ſuſpenſione, quâ impediebatur miniſtrare in Ordine per ſaltum ſuſcepto, proinde ex vi talis diſpenſationis poteſt etiam ad ſuperiores ordines aſcendere: quia id non prohibetur per ſe; ſed tantùm ratione ſuſpenſionis in ordine inferiori malè ſuſcepto: quapropter ſublata tali ſuſpenſione aufertur etiam illa prohibitio. Hoc tamen procedit ex vi juris, quia ſuperior poteſt limitare diſpenſationem ad unum effectum tantùm, & non ad alterum: & tunc ſtandum eſt verbis ſuperioris.

16 Quæritur ſeptimò, an qui per ſaltum promotus, ſi abſque diſpenſatione recipiat ordinem prætermiſſum poſſit tunc ab Epiſcopo diſpenſari, ut miniſtret in ordinibus jam ſuſceptis? Reſpondetur, Epiſcopum non poſſe cum illo diſpenſare non ſolùm ut miniſtret in ſuſceptis ordinibus, verùm etiam, ne ad ſuperiores ordines aſcendat: quia licèt Concilium Tridentinum *in d. ſeſſ. 23. cap. 14.* tantùm prohibeat, ut Epiſcopus diſpenſet cum promotis per ſaltum, ſi in tali ordine miniſtraverint, ac proinde ceſſante hac conditione poſſit Epiſcopus diſpenſare; cum ſuſcipere ordinem prætermiſſum non ſit miniſtrare in Ordine per ſaltum ſuſcepto: nihilominus ſi ordinatus per ſaltum recipiat ſine prævia diſpenſatione ordinem prætermiſſum, incurrit novam cenſuram ſuſpenſionis, quia ſuſcipit illum ordinem cenſurâ ligatus; proinde non poteſt Epiſcopus diſpenſare in hac ſuſpenſione: quia nullus præter Papam poteſt diſpenſare cum irretito aliqua cenſura, ſi ſcienter recipat ordines, ut notat Barb. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 47. num. 11.*

17 Quæritur octavò, an poſſit Epiſcopus diſpenſare cum promoto per ſaltum, ut aſcendat ad ſuperiores ordines, antequam inferiorem prætermiſſum recipiat? Reſpondetur, non poſſe Epiſcopum cum tali promoto diſpenſare, ut aſcendat ad Ordines ſuperiores, antequam inferiorem prætermiſſum recipiat, quia id repugnat primæ ordinum inſtitutioni. Sunt enim ſeptem ordines ita inter ſe ſubordinati, ut per minorem ad proximum ſuperiorem aſcendendum ſit: quo pacto per ſaltum is promoveri dicitur, quando prætermiſſo inferiori Ordine promovetur ad ſuperiorem, ut ſi quis ordinetur Lector priusquam Oſtiarius, vel Diaconus, priusquam Subdiaconus: cùm enim ex Chriſti inſtitutione ordines ſuſcipiendi ſint gradatim, & non per ſaltum, ideo non poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut promotus per ſaltum aſcendat ad ſuperiores ordines antequam inferiorem ordinem prætermiſſum recipiat: Epiſcopus autem non poteſt diſpenſare, ut quis per ſaltum promoveatur ad Ordines, imò nec ſummus Pontifex poteſt diſpenſare in jure divino: unde ſuppoſito, quòd ex Chriſti inſtitutione ordines Eccleſiaſtici ſint gradatim ſuſcipiendi nullo modo poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut promotus per ſaltũ aſcendat ad ſuperiores ordines, antequam inferiorem ordinem prætermiſſum recipiat: imò nec poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut promotus per ſaltum poſſit miniſtrare in ordine ſic ſuſcepto antequam prætermiſſum receperit, quia id eſt per ſe malum, ac prohibitum quaſi ex natura rei ſuppoſitâ ipſâ inſtitutione talium ordinum.

Cæterum cùm promoto per ſaltum poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut poſt peractam pœnitentiam recipiat ordinem prætermiſſum, & deinde in eodem miniſtret, & ad ſuperiorem aſcendat, ut deſumitur *ex cap. tua unic. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, qui ignoranter de Subdiacono fit Presbyter omiſſo Diaconatu, injungitur ei digna pœnitentia, quia ignorantia fuit craſſa; qua peracta ordinetur Diaconus, & poſtea permittatur miſericorditer miniſtrare in ſacerdotio. Ex quo ſequitur, eſſe ipſo jure prohibitum ei, qui ſic ordinatus eſt, ſuſcipere ſine prævia diſpenſatione, & peracta pœnitentia prætermiſſum ordinem: unde promotus per ſaltum ipſo jure eſt ſuſpenſus, ut notat Barboſa *loc. cit de offic. & poteſt. Epiſ. alleg. 47. n. 12.* 18

Quæritur nonò, an Epiſcopus poſſit diſpenſare ex juſta cauſa cum promoto per ſaltum, ſi non miniſtraverit in ordine ſuſcepto, ſive ſcienter, ſive ignoranter fuerit per ſaltum promotus. Ratio dubitandi eſt, quia *in d. cap. tua unic. h. t.* Innocentius III reſcribit, quòd Subdiacono ignoranter facto Presbytero omiſſo Diaconatu injungatur digna pænitentia, quâ peractâ poſſit ordinari Diaconus, unde Pontifex præſupponit ignorantiam. Concilium verò Tridentinum non diſtinguit, an ſcienter, vel ex ambitione, & malitia, aut ex negligentia ſit quis promotus per ſaltum; ſed ſimpliciter, & indiſtinctè dicit, poſſe Epiſcopum cum promoto per ſaltum diſpenſare, dummodo non miniſtraverit in ordine ſic ſuſcepto? Reſpondetur nihilominus cum Proſpero Fagnano *in d. cap tua unic. num. 24. & 25. h. t.* etiam poſt Concilium Tridentinum non poſſe Epiſcopum diſpenſare cum promoto per ſaltum, tametſi non miniſtraverit in Ordine ſic ſuſcepto, ſi ſcienter fuerit per ſaltum ordinatus: ratio eſt, quia jus commune antiquum diſtinguit inter promotum per ſaltum ſcienter, 19

& ignoranter, ut liquet *ex d. cap. tua unic. h. t.* ubi Innocentius III. loquitur de ordinato per ſaltum ignoranter, & ante annos diſcretionis.

20 Tum quia *in cap. ſolicitudo 52. diſt.* ſermo eſt de eo, qui ex negligentia, ſeu potiùs ignorantia, quàm ex ſuperbia prætermiſſo ſubdiaconatu aſcenderat ad Diaconatum, & Presbyteratum; proinde eodem modo debet decretum Concilij Tridentini diſtinguere: ratio eſt, quia quando lex nova diſponit in materia antiqua, recipit omnes interpretationes, & limitationes, & quas materia illa ab antiquis legibus recipiebat: & hoc procedit, quamvis lex nova ſuperveniens in materia, de qua diſponunt veteres leges, generatim loquatur: tunc enim ſemper diſtinguendum eſt, eodem modo, quo diſtinguunt antiqua jura, ne videatur lex nova antiquam corrigere.

21 Quæritur decimò, an promotus ad Subdiaconatum, ſi dubitet, an ſuſceperit primam tonſuram, & quatuor minores, debeat illos recipere? Reſpondetur, quòd ſi promotus ad Subdiaconatum ignoret, vel probabiliter dubitet, an ordines inferiores ſuſceperit, teneatur eos ſumere, idque deſumitur ex *cap. tua unic. h. t.* ubi Innocentius III. etiam aſſignat rationem, quia ſcilicet non intelligitur iteratum, quod factum eſſe neſcitur: unde licèt Sacramentum ordinis non ſit iterabile, non tamen in tali caſo dicitur ordo iterari, cùm neſciatur eſſe collatus. Tum quia in dubio, an quis omiſerit aliquem ordinem, tenetur ad cautelam illum ſuſcipere prolatâ formâ ſub conditione, ut notat Fagnanus *in d. cap. tua unic. num. 9. h. t.* ubi etiam *num. 12.* addit, quòd ſi promotus per ſaltum nolit miniſtrare in Ordine ſic ſuſcepto, nec in ſuperioribus ordinibus aſcendere; non ſit cogendus ſuſcipere ordinem prætermiſſum.

Cæterum id procedit non ſolùm quando quis per ſaltum promotus eſt ad aliquem ſacrum ordinem; verùm etiam ad minorem, unde promotus ad majores ordines omiſſis minoribus, ſive omnibus, ſive uno tantùm, imò omiſſa ſolâ primâ tonſurâ, tenetur hanc ſuſcipere, quamvis fuerit per ſaltum promotus ad Subdiaconatum, & Epiſcopus poteſt cum illo diſpenſare, dummodo non miniſtraverit in Subdiaconatu, nec in alijs ordinibus inferioribus prætermiſſis: quia tunc, qui in illis miniſtravit, factus eſt irregularis, cum quo ſolus Papa poteſt diſpenſare ex declaratione Congregationis Cardinalium ſupra Concilium, ut notat Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 47. num. 7.* 22

TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè ordinem ſuſcepit.

ALiud delictum, quod interdum à Clericis committitur in ſuſcipiendis ordinibus Eccleſiaſticis eſt, furtivè ad illos promoveri: ideo Pontifex, poſtquam in præcedenti titulo egiſſet de alio delicto, quod à Clericis committitur in ijsdem ſuſcipiendis ordinibus per ſaltum, in præſenti pergit ad hoc aliud delictum in eo ſitum, quòd Clerici furtivè ordines interdum ſuſcipiant.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Trium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *VENIENS 1. h. t. Alexander III. reſcribit, quòd ſi quis furtivè ordinem ſuſcepit, ſi contra hoc facientes lata erat ſententia excommunicationis, non poſſit Epiſcopus cum eo diſpenſare, ut ulterius ordinetur, & perſuadet Pontifex, ut fiat regularis, quo pacto poſſit miſericorditer cum eo diſpenſari Pontificia authoritate. Sin verò non erat lata ſententia excommunicationis declarat Pontifex, poſſe Epiſcopum cum eo diſpenſare injuncta tamen priùs condigna pœnitentia arbitraria. Notandum eſt, eum furtivè dici ordinari, qui inſcio ſuo Epiſcopo, & ſine prævio examine ordinatur* c. extra conſcientiam diſt. 64. *Rurſus ex hoc textu colligitur, epiſcopum non poſſe diſpenſare cum excommunicatis præſumentibus exercere divinum officium* c. ult. h. t. *Quòd ſi excommunicatio lata ſit contra furtivè ſe ingerentes (vel non approbatos, quos hodie Epiſcopi ſolent in ordinationibus ſubjicere excommunicationi) non poſſunt tunc miniſtrare, nec ad ſuperiores ordines aſcendere ſine diſpenſatione Papæ: unde ſine excommunicatione diſpenſat Epiſcopus & cum excommunicatione ſolus Papa. Quòd ſi ordinans præmittat hæc verba: non intendimus ordinare non ex-*

com-

communicatos, neque non approbatos, tunc qui ſe ingerit non ſuſcipit ordinem defectu intentionis in ordinante, nec poteſt denno ordinari niſi injuncta pœnitentia: quòd verò in textu dicatur, ut fiat Regularis ad hoc, ut miſericorditer cum eo diſpenſetur authoritate Papæ; colligitur, ingreſſum religionis non tollere irregularitatem, quia regulariter adhuc indiget diſpenſatione Pontificia.

C. *CUM LATOR 2. h.t. Cæleſtinus III. declarat, quòd ſi quis acceptis minoribus ordinibus accipiat furtivè Subdiaconatum Epiſcopus poſſit permittere, ut in minoribus ſe exerceat: ſecus de majori niſi ingrediatur religionem; tunc enim factus Religioſus poſtquam diu honeſtè vixerit, poteſt Abbas diſpenſare in ordinibus ſacris. Ex hoc textu liquet, etiam antiquitùs quatuor minores Ordines potuiſſe una die ſimul conferri, non tamen ſimul cum Subdiaconatu, quod reprobat in hoc textu Pontifex. Quòd ſi etiam ex conſuetudine id alicui indultum eſſet, etiam liceret unà cum minoribus ſuſcipere Subdiaconatum, neque interſtitia, quæ jubentur obſervari à Concilio Tridentino* ſeſſ. 23. de refor. c. 11. *excludunt contrariam conſuetudinem, quia Concilium nullam facit mentionem contrariæ conſuetudinis. Cæterum ordines ſuſcipi debent per temporum interſtitia, ut ſtatuit Tridentinum* ſeſſ. 23. c. 11.

C. *INNOTUIT. 3. & ult. h. t. reſcribit idem Pont. quòd qui præcedente ſententia excommunicationis, ne quis ſe ingerat ad duos Ordines ſacros ſuſcipiendos, eos ſuſcipit, non debeat miniſtrare in ſuſceptis: & tantùm ſi fiat Religioſus peracta debita pœnitentia de licentia Papæ poſſit cum eo diſpenſari. Ubi notandum eſt pœnitentiam eſſe injungendam pro arbitrio Epiſcopi, & hunc poſſe diſpenſare cum furtivè ordinatis ex licentia ſibi data à Pontifice, proinde non poteſtate ordinaria, ſed delegata.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quis furtivè dicatur ordinem ſuſcipere; & quæ pœnæ iure huic delicto injungantur.

1 FUrtivè quis dicitur ordinem ſuſcipere, quando clandeſtinè eum ſuſcipit; & variis modis id contingere poteſt, ut cùm quis ficto titulo, vel ſine veris dimiſſoriis litteris ordinatur: de hac autem clandeſtina ordinum ſuſceptione ſusè diximus in ſuis propriis titulis. Unde juxta præſens inſtitutum is dicitur furtivè ordinem ſuſcipere, qui ſine conſcientia, & voluntate Epiſcopi ordinantis non admiſſus, nec vocatus ſeſe ingerit cum aliis ordinandis, vel qui uſurpato nomine alterius Clerici examinati; & approbati ad ordines, illius locum occupat, fingens ſe eſſe Clericum illum jam examinatum, & approbatum: vel è converſo, qui ſub ſuo nomine facit examinari, & approbari, & poſtea ipſe proprio nomine vocatus accedit ad Ordines. In his enim caſibus propriè, & ſecundùm præſens inſtitutum dicitur quis furtivè Ordines ſuſcipere: ut etiam quando quis ſine ordinatione, & conſenſu Epiſcopi, vel ſine prævio examine in multitudinem irrepit ordinandorum *can. quando Epiſcopus diſt. 24. can. extra conſcientiam diſt. 44.* Ut etiam quando admiſſus quis ad minores tantùm ordines uno, & eodem die etiam Subdiaconatum ſuſcipit. Ut etiam cùm quis contra inhibitionem ſuperioris eodem tempore ad duos ſacros ordines ſuſcipiendos ſeſe ingerit: hi enim omnes dicuntur furtivè ordines ſuſcipere. Imò Hoſtienſis *in ſumma in c. veniens 1. num. 1. h. t.* addit, eum, qui eodem die quatuor minores ordines ſuſcepit, dici furtivè eos ſuſcepere. Verùm id non admittitur, quia quatuor minores ordines ſolent etiam eadem die miniſtrari, unde ſi ſimul non ſuſcipiatur Subdiaconatus, non dicitur, qui ordines minores ſimul eadem die ſuſcepit, eos ſuſcepiſſe furtivè.

Qui verò furtivè aliquo ex prærecenſitis modis ordines ſuſcipit, fit irregularis, idque deſumitur *ex cap veniens 1 h. t.* ubi cùm quidam Clericus acceſſiſſet ad Papam Alexandrum III. & eidem expoſuiſſet, ſe furtivè ordinem diaconatûs ſuſcepiſſe, reſcribit Pontifex, ſi non fuerit anathematis interminatione prohibitus, ut in promotione ipſius in ſacerdotem Epiſcopus pro arbitrio diſpenſet. Sin verò excommunicatio ſuper hoc emanaverit, ipſum moneat, ut habitum ſuſcipiat regularem, in quo ſi aliquanto tempore fuerit laudabiliter converſatus, miſericorditer cum illo poterit diſpenſari; alioquin nullatenus deberet ad ſacerdotium promoveri: ex quo liquet, quòd ſi excommunicatio lata ſit contra furtivè ſe ingerentes (aut non approbatos, quos hodie communiter Epiſcopi in ordinatione excommunicationi ſubjiciunt) non poſſunt tales miniſtrare, neque ad ſuperiores ordines aſcendere ſine diſpenſatione Papæ: quòd ſi nulla obſtaret excommunicatio poſſet Epiſcopus diſpenſare, ut cenſent aliqui, etſi ordinans præmittat hæc verba: *Non intendimus ordinare non examinatos* 2

natos, neque non apprabatos, tunc qui ſe ingerit, non eſt ordinatus defectu intentionis, nec poteſt denuò ordinari niſi injuncta pœnitentia, ut notat Salzedo *in pract. c. 25.*

3 Hinc ſi quis furtivè ordinem ſuſcipiat, non obſtante lata ſententia excommunicationis, fit irregularis, & non poteſt Epiſcopus cum eo diſpenſare, ut ulterius ordinetur, ſed monendus eſt, ut fiat regularis, ut cum ipſo misericorditer diſpenſetur authoritate Papæ. Cùm *in d. c. veniens 1. h. t.* expreſsè dicatur, eum, qui furtivè Diaconatum accepit, non poſſe ad ſacerdotium aſcendere abſque diſpenſatione, evidenter ſequitur, furtivè ordinatum contraxiſſe aliquod canonicum impedimentum, quod non poteſt aliud eſſe *niſi* irregularitas, quia tale impedimentum directè removet ab ordinis ſuſceptione.

4 Neque obſtat, quòd *in cap. ult. h. t* dicatur furtivè ordinatos de juris rigore in ſuſceptis ordinibus miniſtrare non poſſe, ubi hoc impedimentum videtur potiùs naturam induere ſuſpenſionis, quàm irregularitatis. Nam contra eſt quia conjungenda eſt hæc pœna cum illa, quæ ponitur in priori capite, ut intelligatur, quòd uterque effectus ex irregularitate proveniat: ſiquidem in caſu ultimi capitis duo fuerunt delicta commiſſa; quorum unum fuit furtivè Ordines ſuſcipere: aliud, duos ordines ſacros eodem die accipere. Propter primum delictum incurritur irregularitas, & propter ſecundum propriè ſuſpenſio, & ideo Alexander III. fortaſſis uſus eſt illis verbis, quæ utrique pœnæ poſſent accommodari: ſiquidem certum eſt, pœnas eſſe diſtinctas, & diverſis indigere diſpenſationibus, vel una, quæ in utramque cauſam diſtinctè propoſitam cadat.

5 Rurſus diſpenſatio hujus irregularitatis in eiſdem juribus committitur Epiſcopo cum duplici conditione. Primò ut denuntiatum non fuerit ab Epiſcopo, vel Archidiacono, vel alio Miniſtro ſub intermiuatione excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ne quis ſe furtivè ingerat: quia in eo caſu, qui contemptâ excommunicatione furtivè ordines ſuſcipit non poteſt ab Epiſcopo diſpenſari niſi ſub ſecunda conditione, quæ eſt, ut Religionem ingrediatur, & condignam peragat pœnitentiam, ac laudabiliter per aliquid temporis vixerit.

6 Hodie tamen uſus invaluit, ut Epiſcopi illam admonitionem ſub pœna excommunicationis proferant, ut continetur in Pontificali: proinde prima conditio ampliùs locum non videtur habere. Cæterum pro generali regula ſtatuitur, hanc irregularitatem eſſe Papæ reſervatam, niſi qui illam incurrit, fiat religioſus: quia qui furtivè ordinem ſuſcipit non obſtante, quòd ſub excommunicatione ei prohibeatur, non poteſt promoveri ad ordinem ſuperiorem ſine diſpenſatione Papæ: ex quo colligitur, eum incurrere irregularitatem, eò quia anathemate percuſſus, ſeu excommunicatus ordinem furtivè ſuſceperit, ac propterea factus fuerit inhabilis ad aſcendendum ad ordinem ſuperiorem, ut docet Abbas *in d. c. veniens 1. n. 2. not. 4. h. t.*

Nihilominus alij forſan probabiliùs cenſent cum Covarruvia *in cap. Alma Mater p. 1. §. 6. num. 6.* furtivè ſuſcipientem ordines non incurrere irregularitatem, ſed tantùm ſuſpenſionem ab executione ordinis ſuſcepti, adeò ut non poſſit in tali Ordine furtivè ſuſcepto miniſtrare: quia juxta canones ille dicitur fieri irregularis, qui cenſura ligatus exercet actum alicujus ordinis, à quo eſt prohibitus, ut habetur *in cap. 1. de ſent. & re judic. in 6. c. 1. de ſent. excom. in 6.* ſed qui furtivè ſuſcipit aliquem ordinem, propriè non dicitur exercere actum talis ordinis, non enim Neomyſta dicitur celebrare, ſed tantùm concelebrare cum Epiſcopo, & cum pœnalia non ſint amplianda, ſed potiùs ſtringenda, ſequitur non fieri irregularem eum, qui furtivè ſuſcipit ordinem Eccleſiaſticum, quia tunc propriè non dicitur exercere actum ordinis: quia exercitium ordinis præſupponit ipſum ordinem in exercente, & qui ſuſcipit ordinem furtivè non præſumitur habere ordinem, ſed illum tantùm ſuſcipere, exercitium autem ordinis ſe habet conſecutivè ad ordinem, non ita ſuſceptio ordinis, quia hæc potiùs ſe habet paſſivè: unde qui ſuſcipit furtivè ordinem, cùm non exerceat actum ordinis, nec ſe habeat activè, ſed potiùs paſſivè, non fit irregularis ex eo capite, quòd cenſura ligatus exerceat aliquē actum ordinis. Cæterum incurrit ſuſpenſionem ab executione ordinis ita ſuſcepti, ut deduci poteſt *ex cap. innotuit. 3. h. t.* ubi hoc impedimentum explicatur per privationem executionis Ordinis ſuſcepti, ait enim Alexander III. *Ordinati in ſuſceptis ordinibus miniſtrare non debent*, quibus verbis Pontifex non ponit inhabilitatem ſuſcipiendi ordines ſuperiores, ſed tantùm prohibet, ne ordinatus miniſtret in ordine furtivè ſuſcepto, & hoc pacto eſt etiam intelligendus textus *in c. veniens 1. h. t.* non enim Pontifex ponit inhabilitatem ad ſuperiorem ordinem, ſed ibi videtur etiam loqui de ſola ſuſpenſione: ſiquidem hoc eſt diſcrimen inter irregularitatem, & ſuſpenſionem; quia quando in jure prohibetur receptio ordinum, habetur irregularitas prohibens ſuſcipere ordines, ad quos etiam inhabilitat: quando verò prohibetur ſolum exercitium ordinum, tunc propriè habetur ſuſpenſio, quæ tollit ſolum uſum. 7

Hinc qui contra prohibitionem factam ab Epiſcopo ſub pœna excommunicationis furtivè ſuſcipit ordinem Eccleſiaſticum; in hac ſuſceptione furtiva duas contrahit pœnas, quarum prima eſt excommunicatio: ſecunda eſt ſuſpenſio ab ordinibus omnibus etiam minoribus quoad eorum uſum, & exercitium, quia *in cap cùm illorum 32 de ſent. excommun.* ſermo eſt generatim, & ſimpliciter de ordinibus Eccleſiaſticis, proinde etiam de minoribus. 8

Tum

Tum quia ab excommunicato nullus debet Eccleſiaſticus ordo exerceri. Non tamen hæc ſuſpenſio incurritur ob ignorantiam inculpabilem, quia eo ipſo, quòd ignorantia excuſat à culpa gravi, debet etiam excuſare ab incurrenda cenſura ſuſpenſionis, quia cùm hæc ſit pœna gravis, debet ſupponere culpam gravem, quia pœna non infligitur niſi propter culpam, unde ſi pœna eſt gravis, debet neceſſariò ſupponere etiam culpam gravem: unde quoties ignorantia excuſat à culpa gravi, debet etiam excuſare ab hac ſuſpenſione incurrenda.

9 Quòd ſi excommunicatio non ſit lata ab Epiſcopo ordinante contra furtivè ordinatum, tunc Epiſcopus poteſt jure ſuo cum illo diſpenſare, ut poſſit aſcendere ad Ordinem ſuperiorem. Quòd ſi excommunicatio contra furtivè ordinatum lata ſit, tunc poteſt etiam Epiſcopus utens proprio jure diſpenſare cum furtivè ordinato; hac tamen ſervata conditione, ſi religionem à Sede Apoſtolica approbatam fuerit ingreſſus: hac enim conditione non purificata, ſi furtivè ordinatus maneat in ſæculo, ſolus Papa poteſt cum illo diſpenſare, ut promoveatur ad ſuperiorem ordinem, ut deſumitur *ex c. veniens 1. b. t.* Hinc quamvis ingreſſus in Religionem non tollat irregularitatem, facit tamen, ut eò faciliùs cum illo diſpenſetur in ſententia docentium furtivè ordinatum incurrere irregularitatem.

10 Cæterum quia ſolent Epiſcopi ex inolita conſuetudine prohibere, quando conferunt ordines ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quis audeat ſe ingerere ordinandis, qui non fuerit approbatus; ſententia communior, & verior eſt, quòd tunc talis ordinatus non poſſit in ſuſcepto ordine miniſtrare, nec ad ſuperiorem aſcendere ſine Papæ diſpenſatione: imò ſolent etiam Epiſcopi in conferendis ordinibus explicare ſuam intentionẽ per hæc verba: *Non intendimus ordinare non examinatos, & approbatos*, & tunc qui furtivè, hoc eſt ſine prævio examine, & approbatione ordinem ſuſcipit, revera non eſt ordinatus ex defectu intentionis in ordinante; ſed debat iterum ordinari, & quidem præmiſſa executione pœnitentiæ ſibi injunctæ, antequam ordinetur, quia cùm graviter deliquerit in eo, quòd præſumpſerit furtivè ordinari, debet debitam exequi pœnitentiam, ut notat Rebuffus *in prax. benef. tit. de cleric. ad ſacros ordines malè promotis*. Si tamen crimen fuerit occultum, & nondum deductum ad forum contentioſum poteſt Epiſcopus diſpenſare.

11 Quid verò dicendum ſit de eo, qui ſimul eodem die plures ordines Eccleſiaſticos ſuſcipit? Reſpondetur, omnes minores ordines poſſe eodem die conferri juxta conſuetudinem patriæ, & deſumitur *ex cap. 1. de temp. ordin.* & Concililio Tridentino *ſeſſ. 23.* Qui verò ſimul cum minoribus ordinibus ſuſcipit etiam furtivè Subdiaconatum, tunc Epiſcopus poteſt permittere, ut in minoribus ordinibus miniſtret, non verò in Subdiaconatu; niſi ingrediatur religionem, in qua, poſtquam honeſtè vixerit per aliquid temporis, Abbas poteſt diſpenſare, ut in ſuſcepto furtivè Subdiaconatu miniſtret. Quamobrum licèt quatuor minores Ordines ſimul ex conſuetudine eodẽ die conferri poſſint; non tamen ſimul cum illis etiam Subdiaconatus confertur.

Nihilominus ſi alicubi conſuetudo invaluerit, ut etiam Subdiaconatus eodem die cum 12 quatuor minoribus recipiatur, cenſent Navarrus *in manual. 25. num. 61.* Suarez *de cenſur. diſp. 31. ſect. 1. n. 41.* & alij valere; quibus ſi objicias, obſtare interſtitia ordinum, quæ Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. de refor cap. 11.* jubet obſervari, reſpondent, Concilium non excludere conſuetudinem contrariam, cujus nullam prorſus mentionem facit: imò neque ibi jubere, ut nonniſi poſt annum à poſtremi ordinis minoris ſuſceptione Ordines ſacri conferantur. Hinc in plerisque diœceſibus per Germaniam conſuetudo invaluit, ut ſimul cum quatuor minoribus ordinibus eodem die conferatur etiam Subdiaconatus. Unde ubi viget contraria conſuetudo, poteſt cum quatuor minoribus etiam ſuſcipi Subdiaconatus, quia jure communi id non prohibetur: & Concilium Tridentinum inducens jus novum nullam facit mentionem hujus contrariæ conſuetudinis, quæ propterea non cenſetur abrogata.

Qui verò duos ordines ſacros ſimul, & 13 eodem die ſuſcipit poſt prohibitionem factam ab Epiſcopo ſub pœna excommunicationis ſuſpenſionem incurrir, ut non poſſit in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, niſi cum eo diſpenſetur, idque deſumitur *ex cap. innotuit ult. b. t.* ubi cùm à Seguntinenſi Epiſcopo ſub excommunicatione inhibitum fuiſſet, ne ſe quis in ordinatione duos ordines ſuſcipiendos ingereret, & Clericus quidam cum alijs duobus Subdiaconatus, & Diaconatus ordinem clandeſtinè ſuſcepiſſent. Reſcribit Pontifex: Ordinatos in ſuſceptis ordinibus de rigore juris non debere miniſtrare. Sin autem ad religionem velint ſe transferre, & peracta pro abitrio Epiſcopi pœnitentia laudabiliter vixerint, poſſe cum proceſſu temporis de ſua licentia diſpenſare in executione ordinum. Ex quo deducitur, poſſe Epiſcopum diſpenſare cum furtivè ordinatis ex licentia ſibi conceſſa à Pontifice, proinde non poteſtate ordinaria, ſed delegata: & id etiam procedit quoties in jure in ſimilibus caſibus datur Epiſcopo facultas diſpenſandi; & eſt hæc facultas tantùm delegata, non verò ordinaria.

Rurſus infertur, quòd tametſi non poſſint 14 duo ordines ſacri ſimul eodem die conferri, ſi tamen conferantur, collatio tenet, ſed ordinati ſunt ſuſpenſi ab executione, ſeu exercitio ordinum ſic ſuſceptorum. Rurſus licèt, qui recipit ſimul duos ordines ſacros debeat tantùm ſuſpendi ab executione ultimi ordinis furtivè ſuſcepti, ut habetur *in cap. litteras de temp. ordin.* nihilominus *in d. cap. innotuit ult. b. t.* [illegible]

ſuſpen-

Digitized by Google

ſuſpenditur ab executione omnium ordinum ob hanc aliam rationem, quia præceſſit ſententia excommunicationis lata ab Epiſcopo.

15 Quinimò nec poteſt Epiſcopus diſpenſare in ordinibus furtivè ſuſceptis ſuo jure, ſed tantùm ex licentia Papæ, rametſi ordinatus religionem ingrederetur: ſed in priùs ſuſceptis ſuo jure poteſt diſpenſare, ut deſumitur ex *cap. innotuit ult. h. t.* ubi habetur, quòd qui præcedente ſententia excommunicationis, ne quis ſe ingerat ad duos ſacros ordines ſuſcipiendos, eos nihilominus ſuſcipit, non poſſit in ſuſceptis miniſtrare: & ſi fiat Religioſus peracta debita pœnitentia poteſt de licentia Papæ cum ipſo diſpenſare.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 Quæritur primò, an irregularis, qui ſine diſpenſatione ordines ſuſcipit, novam incurrat irregularitatem: duobus modis poteſt intelligi, tunc manere irregularem, ac impeditum ab executione ordinis ſic ſuſcepti. Primò ex vi prioris irregularitatis, cum qua ordines ſuſcepit; & ratione hujus irregularitatis, manere irregularem, per ſe claret, quia illa irregularitas non fuit ablata per iniquam ſuſceptionem ordinis, alioquin iniquus ex ſua iniquitate commodum reportaret: hinc licèt illa irregularitas non potuerit impedire valorem ordinis, nec impreſſionem characteris, manet tamen ipſa irregularitas, & operatur quantum poteſt impediendo, ne licitè alij ordines ſuſcipiantur, & ſuſcepti exerceantur.

2 Secundò modo poteſt intelligi, quòd præter hanc irregularitatem nova incurratur, adeò ut diſpenſatio in priori non ſufficiat ad uſum talis ordinis: & hæc nova irregularitas non reperitur in jure lata, quia jura tantùm loquuntur de eo, qui ligatus eſt cenſura; ſi cum illa ordinetur, incurrit irregularitatem: ſed irregularitas non eſt cenſura, quâ ratione ſi irregularis celebret, vel miniſtret Sacramentum aliquod ex officio non incurrit novam irregularitatem, quia hæc eſt ſolùm lata pro his, qui cùm ſint cenſurâ ligati adhuc audent ſacramenta miniſtrare: & cùm jura loquantur eodem modo de ſuſpenſione eorum, qui recipiunt ordines cenſurâ ligati, ſequitur, quòd ex vi talium jurium non incurratur novum impedimentum.

3 Quòd ſi dicas; qui ordinatur in aliquo ſuperiori ordine cenſeri eo ipſo miniſtrare in ordine inferiori, eò quia ordo ſuperior non poſſit recipi niſi cum miniſterio inferioris; proinde incurrere novam irregularitatem. Contra eſt, quia ordinari in aliquo ſuperiori ordine propriè non eſt miniſtrare in ordine, quia qui ordinatur, recipit ordinem, proinde ſe habet potiùs paſſivè, quàm activè, & licèt adſit aliquis uſus, eſt etiam hic magis paſſivus, quàm activus, proinde non ſequitur, quòd ordinatus novam incurrat irregularitatem.

Præterea etiam irregularis, ſi miniſtret in ordine, quem habet, non incurrit novam irregularitatem, nec ſuſpenſionem. Quamobrem ſi laicus irregularis ſine diſpenſatione recipiat ordinem cum prima tonſura, non incurrit novam irregularitatem; eò quia irregularitas non incurritur niſi ſit in jure expreſſa, & nullibi in jure reperitur expreſſa hæc nova irregularitas, quæ incurratur ab irregulari ſuſcipiente ſine prævia diſpenſatione ordinem Eccleſiaſticum. Hoc autem etiam procedit de quocunque Clerico irregulari ſuſcipiente ordinem ſuperiorem, quia neque de Clerico habetur in jure expreſſa hæc nova irregularitas: & non continetur in illa generali regula, qua adminiſtrans ordinem ligatus cenſurâ dicitur fieri irregularis, quia irregularitas propriè non eſt cenſura. 4

Quæritur ſecundò, an, ſi irregularis non ſolùm ordinetur, ſed etiam in ordine ſic ſuſcepto miniſtret, incurrat novam irregularitatem? Reſpondetur, quòd rametſi irregularis absque prævia diſpenſatione ordinetur, & in ordine ſic ſuſcepto miniſtret, non incurrit novam irregularitatem: ratio eſt, quia irregularis ſic ordinatus per talem ordinationem non incurrit novam cenſuram ſuſpenſionis; cùm hæc non reperiatur lata in jure: unde licèt in ordine ſic ſuſcepto miniſtret, non tamen miniſtrat ut excommunicatus, aut ſuſpenſus, ſed tantùm ut irregularis: & propter peccatum, quo indignè ſuſcipitur ordo, non eſt jure irregularitas impoſita. Cæterum jure novo per motum proprium Sixti V. contra malè promotos, irregularis audens ſine prævia diſpenſatione ordinem ſuſcipere, quamvis immediatè non incurrat novam irregularitatem: incurrit nihilominus novam cenſuram perpetuæ ſuſpenſionis: & quidem reſervatam Papæ, ſi ante abſolutionem in ſuſcepto Ordine miniſtret, ac proinde ratione hujus cenſuræ novam incurreret irregularitatem. Verùm communior ſententia aſſerit, præfatum motum proprium Sixti V. fuiſſe poſtea revocatum. 5

Quæritur tertiò, an fiat irregularis, qui exiſtens in peccato mortali publico, & manifeſto ordines Eccleſiaſticos ſuſcipit. Nonnulli affirmant cum Majolo *lib. 5. cap. 1. num. 2.* ubi idem dicit de ipſo ordinante eum, qui eſt in tali ſtatu, & ſolet hæc ſententia probari ex Concilio Niceno *c. 2.* & habetur *in c. 1. diſt 48.* in quo poſt ſermonem de Neophytis, & eorum irregularitate dicitur: *ſi verò proceſſu temporis aliquod delictum animæ circa perſonam reperiatur hujuſmodi, & à duobus, vel tribus teſtibus arguatur a clero, talis abſtineat*: ſeu ut explicat Gratianus ceſſet à clero, & non ordinetur, hæc enim verba videntur irregularitatem ſignificare. Communior tamen ſententia 6

tia, & verior eſt, exiſtentem in peccato etiam manifeſto, non fieri irregularem, ſi ordines ſuſcipiat: eò quia irregularitas non incurritur, niſi fuerit in jure expreſſa: & ex Concilio Niceno citato in *cap. 1. diſt. 48.* liquet, non haberi hanc irregularitatem, quia inde non colligitur, irregularitatem induci ex tali ordinatione, ſed ſupponi ad illam ratione peccati.

7 Præterea verba Concilij potiùs indicant depoſitionem, vel ſuſpenſionem non jure latam, ſed per hominem ferendam, quia ut rectè notat Gloſſa *in cap. ult. diſt. 24.* ideo requiritur probatio per teſtes, ut ſententia feratur per Judicem juxta allegata, & probata; & pœna injungatur juxta menſuram delicti: unde ibi non imponitur irregularitas. Idque etiam probat translatio ejuſdem Concilij ex Arabico, & habetur in *cap. 3.* ubi dicitur: *Quòd ſi Epiſcopus aliquem citò ordinaverit, in quo aliquod peccatum gravius poſtea reperiatur, & duo, aut tres teſtimonium dicant, uterque deponendus eſt, & ordinatus, & ordinator.*

8 Quæritur quartò, an ordinatus ab Epiſcopo irregulari fiat irregularis? Reſpondetur negativè, quia nullibi in jure reperitur, quòd ordinatus ab Epiſcopo irregulari fiat irregularis; & irregularitas non contrahitur niſi ſit in jure expreſſa. Quamobrem ordinatus ab Epiſcopo irregulari tantùm privatur executione ordinis, adeò ut hæc privatio non ſit propriè irregularitas, ſed tantùm quædam ſuſpenſio. Neque obſtat, quòd ex jure antiquo ille tantùm privetur executione ordinis, qui ordinatur ab Epiſcopo cenſurâ ligato: atqui ille qui eſt tantùm irregularis non eſt cenſurâ ligatus: ergo qui ab illo ſuſcipit ordines, non incurrit hanc pœnam, vel impedimentum. Nam contra eſt, quia jura generaliter diſponunt, ut qui non habet uſum ordinis, non poſſit illum conferre, neque id limitatur ad unum, vel alium modum carentiæ, quia jura utuntur illa ratione generali, quòd nemo dat, quod non habet, ſed Epiſcopus irregularis non habet uſum ordinum, ſeu ſuæ conſecrationis, conſequenter, qui ab illo ordinatur, non poteſt ordinis executionem recipere, quia nemo poteſt plus dare, quàm ipſe habeat. Id etiam procedit, quamvis ſine culpa ordinetur: quia hoc impedimentum non tam contrahitur ex culpa ordinati, quàm ex defectu ordinantis.

9 Quæritur quintò, an qui ordinem recipit ante ſuſceptum Sacramentum Confirmationis, fiat irregularis? Reſpondetur negativè, quia in jure nulla reperitur irregularitas, vel cenſura, quæ contrahatur ab eo, qui ante ſuſceptum Sacramentum confirmationis promovetur ad ordines Eccleſiaſticos: & quamvis jure novo Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 4. de refor.* præcipiat, ut nullus ad primam tonſuram admittatur, qui Sacramentum confirmationis non ſuſcepit, non tamen ullam imponit pœnam recipienti primam tonſuram ante ſacramentum confirmationis.

An verò ſuſcipere primam tonſuram ante ſacramentum confirmationis ſit peccatum lethale: probabilior ſententia docet, non eſſe peccatum mortale, ſi quis ſine ſacramento confirmationis ſuſcipiat ordines etiam ſacros, & in iis miniſtret, eò quia ordines etiam ſacri non neceſſariò prærequirunt, nec præſupponunt ſacramentum confirmationis. Secus dicendum eſt de ſacramento baptiſmi, quia ſine illo nullus poteſt ordo in Eccleſia validè ſuſcipi, quia ordines eccleſiaſtici non ſuſcipiuntur validè niſi ab iis, qui ſunt membra Eccleſiæ, & ſubjiciuntur juriſdictioni eccleſiaſticæ: qui verò nondum ſunt baptizati non ſunt membra Eccleſiæ, nec ſubjiciuntur ejus juriſdictioni; conſequenter non poſſunt validè ſuſcipere Sacramenta, nec ordines Eccleſiaſticos. 10

Quæritur ſextò, an, qui ordinatur ab Epiſcopo non baptizato, vel non ſacerdote, fiat irregularis? Reſpondetur, duobus modis poſſe intelligi ſic ordinatum fieri irregularem. Primò quantum ad uſum ordinis ſic ſuſcepti, & hoc repugnat, quia talis ſupponeretur verè ordinatus, & ſolùm privatus uſu ordinis ſuſcepti, quod falſum eſt, quia Epiſcopus non baptizatus, vel non conſecratus non poteſt validè ordinare, & ordinatus nullum ab illo poteſt ordinem ſuſcipere, cùm enim non habeat potentiam ad conferendos ordines, nec poteſt habere actum ejusdem potentiæ, quia repugnat actus potentiæ ſine potentia, à qua dimanet. Quòd ſi nullum recipit ordinem, repugnat eſſe irregularem, quoad uſum ejusdem ordinis, proinde ille non manet privatus uſu, ſed negatus; adeò ut hæc carentia non ſit privatio, ſed vera negatio: neque eſt pœna, ſed defectus intrinſecus talis actionis. 11

Secundò poteſt intelligi hæc irregularitas reſpectu aliorum ordinum, qui ritè jam fuerunt ſuſcepti, vel erunt ſuſcipiendi, adeò ut ordinatus ab Epiſcopo non baptizato, vel non ſacerdote contrahat impedimentum, quo non poſſit uti illis ordinibus, & in hoc ſenſu quamvis Majolus *lib. 4. cap. 27. & ſequent.* affirmet, ſic ordinatum ſive ſcienter, ſive ignoranter incurrere irregularitatem: nihilominus quia nullibi in jure exprimitur hæc irregularitas, quæ contrahatur in ordine ad alios ordines ritè ſuſceptos, vel ſuſcipiendos, non videtur hæc irregularitas adſtruenda, quia ſine jure non poteſt irregularitas probari, cùm ipſum jus nolit eam incurri, niſi ubi fuerit in jure expreſſa. 12

Præterea ſi interveniat probabilis ignorantia, & bona fides, tunc quia ordinatus nullam commiſit culpam ex ſuppoſitione ignorantiæ inculpabilis; non poteſt irregularitatem incurrere, ut pœnam, quia hæc eſſet pœna graviſſima, quæ deberet etiam culpam graviſſimam præſupponere, pœna enim, quando 13

do imponitur propter delictum, debet proportionari eidem delicto; adeò ut pro delicto levi non poſſit pœna gravis injungi. Rurſus neque incurritur hæc irregularitas ob aliquam ſignificationem. Neque ob defectum ordinati cum in hoc non ſupponatur culpa: imò neque ob defectum ordinantis, qui cùm ſupponatur, non habere ordinem Epiſcopalem, non poteſt ordines conferre aliis: unde nihil confert, quia nihil habet. Hinc quamvis ſic ignoranter ordinatus cum eadem bona fide exerceret ordinem, quem crederet recepiſſe, adhuc non fieret irregularis: ratio eſt, quia irregularitas ob uſum ordinis non habiti non incurritur ſine culpa. Cæterum qui ſcienter ordinaretur à tali Epiſcopo non baptizato, non ſacerdote, graviſſimè peccaret; & fortaſſis dignus eſſet irregularitate, quæ tamen, cùm in jure deſacto non reperiatur lata; ideo non incurritur ex vi criminis: & ſic ordinatus poteſt aliter puniri arbitrio Judicis. Quòd ſi crimen eſſet publicum, tunc ex vi infamiæ contraheret irregularitatem.

14 Hoc etiam videtur procedere de illo, qui dubitans, an Epiſcopus ſit verè conſecratus, ab illo nihilominus recipit ordines; quia tunc etiam graviter peccat ob periculum morale, in quod ſe conjicit nihil recipiendi: quod verò fiat Irregularis, in jure non videtur ſtatutum: quamdiu tamen hæret ita dubius, & anceps impeditur, ne poſſit licitè ordinem ſic receptum exercere, alioquin ſemper operaretur cum eodem periculo; quinimmo *in cap. Presbyteris diſt. 68.* ſtatuitur, ſic ordinatos, eſſe iterum ordinandos, hoc eſt ſub conditione ratione dubii; ſi hoc aliter vinci non poteſt: & hoc pacto admittuntur ad miniſtrandum in ordinibus cum tali dubio ſuſceptis: verùm hoc impedimentum propriè non eſt irregularitas; ſed quia operari cum tali dubio eſt peccatum; eſt etiam intrinſecè malum cum hoc dubio miniſtrare in ſuſceptis ordinibus.

15 Quæritur ſeptimò, an fiat irregularis, ſi Clericus latinus conſecretur ab Epiſcopo græco? Reſpondet Majolus affirmativè *lib. 4. c. 32.* ſi Epiſcopus græcus utatur ſuo vernaculo idiomate græco, idque probat ex *cap. cum ſecundum, & cap. ex parte de tempor. ordin.* Verùm hi textus non probant, Clericum latinum fieri irregularem: ſiquidem in priori licet prohibeatur, ne quis tali modo ordinetur; nulla tamen pœna imponitur ſic ordinato: ait enim Pontifex: *Nolumus de cætero commiſtiones, & conſuetudines rituum in ordinibus obſervari*, unde cùm Pontifex nullam imponat pœnam, videtur concludendum; ex vi talis ordinationis non incurri ullam irregularitatem, nec ſuſpenſionem: Tum quia Pontifex *in d. cap. cum ſecundum* non prohibet commiſtionem ob diverſitatem idiomatis, ſed ſolùm propter diverſos ritus græcorum, & latinorum, ut notat Abbas *in d. cap. cùm ſecundum.* Quòd verò attinet *ad c. ex parte* reſpondetur; ibi Pontificem non loqui de hac materia, & per argumentum à ſimili poſſet potiùs contrarium inferri: ſiquidem ibi tantùm dicitur, quòd Monachus, qui ex uno ordine ad alium tranſit, & ibi ordinatur, poſſit licitè ſuſceptum ordinem exercere; dummodo aliud canonicum impedimentum ei non obſiſtat; quia propter illam ordinationem nulla ſuſpenſio jure lata eſt: unde ſimili modo poteſt in præſenti concludi de Clerico latino tranſeunti ad Eccleſiam græcam, in qua ordinatur; poteſt enim licitè ſuſceptum ordinem exercere, ſi aliud canonicum impedimentum ei non obſiſtat.

Tum quia in *cap. quoniam de offic. ordin.* 16
præcipitur, ut in eis Epiſcopatibus, ubi ſunt populi diverſarum linguarum habentes ſub una fide diverſos ritus, & mores, conſtituantur Vicarii, qui ſingulis populis miniſtrent divina officia, & ſacramenta juxta unius cujuſque ritum, & non fiat permixtio: & contra transgreſſores hujus legis ponitur excommunicatio ipſo facto, & ſi non reſipuerint, dicuntur etiam deponendi: nullâ tamen factâ mentione irregularitatis, quæ propterea, cùm non ſit in jure expreſſa, non contrahitur à Clerico latino, ſi ordinetur ab Epiſcopo græco idiomate græco.

Quæritor octavò, an ordinatus ab Epiſ- 17
copo omnino illiterato fiat irregularis? Reſpondent aliqui affirmativè, eò quia illitteratus facilè errare poſſit in his, quæ ſunt de ſubſtantia, & valore ordinationis, proinde ordinatus non eſt certus de ſua ordinatione, conſequenter manet ſuſpenſus ab ejus uſu. Secundò, Epiſcopus illiteratus ſuſpenditur ab executione ſui ordinis, proinde qui ab illo ordinatur, manet etiam ſuſpenſus.

Verùm hæ rationes non videntur probare 18
intentum, & quamvis concederentur, adhuc non probarent irregularitatem, ſed aliud impedimenti genus. Cæterùm ex eo, quòd miniſter ordinis ſit illiteratus, adhuc poteſt Clerico, qui ab illo ordinatur, conſtare, an in collatione ordinis adhibuerit veram materiam, & formam neceſſariam ad valorem ſacramenti; cùm enim Clericus ordinandus teneatur ſcire, quænam ſit materia, & quæ forma illius ordinis, quem ſuſcipit; & tam materia, quàm forma ſint quid ſenſibile, & Epiſcopus ſenſibiliter illis utatur, facilè poteſt Clericus deprehendere, an Epiſcopus illiteratus adhibeat veram materiam, & formam: unde ceſſat vis primi argumenti deſumpti ex eo, quòd ordinatus non eſſet certus de ſua ordinatione; eo quia Epiſcopos illiteratus poſſit facilè errare in his, quæ ſunt de ſubſtantia, & valore ordinationis.

Ad ſecundam reſpondetur, in illa aſſu- 19
mi falſum, quia nulla eſt ſuſpenſio, quæ ipſo facto incurratur ob ſolam illiteraturam, ut conſtat *ex cap. ult. de ætate & qualit.* ubi Pontifex de quodam Epiſcopo ita illiterato, ut nec grammaticam ſciret, non dicit eum eſſe ſuſpenſum, ſed ait Pontifex: *A Pontificalis officii executione duximus amovendum.*

Hinc

Digitized by Google

20 Hinc Canoniſtæ inferunt, Epiſcopum ſic ignorantem eſſe ſecundùm jus deponendum, non verò eſſe ipſo jure depoſitum. Imò non fuiſſet expediens, talem cenſuram imponi ipſo jure, eò quia incertum valde ſit, quæ ignorantia ſit ſufficiens cauſa talis depoſitionis: proinde conſultius fuit, ut id declararetur à Judice, unde donec ab eodem declaretur talis cauſa, non imponitur pœna, nec incurritur. Idque vel maximè procedit de jure novo, ratione Concilij Conſtantienſis in ordine ad præſentem irregularitatem, quia tametſi illiteratus eſſet ipſo jure ſuſpenſus, non propterea tenetur quis illum vitare, donec nominatim declaretur.

TITULUS XXXI.

De Exceſſibus Prælatorum, & ſubditorum.

QUi præceſſerunt tituli ſpeciales fuerunt de delictis nonnullis coercendis in Clericis. Modò compilator ſubjicit generalem titulum de variis exceſſibus, ſeu delictis pertinentibus tam ad Prælatos, quàm ſubditos; quatenus Prælati nonnunquam delinquunt in ſubditos exigentes ab iisdem, ultra quàm par ſit; quæ exactiones propterea hîc exceſſus vocantur Prælatorum. Subditi etiam in Prælatos peccant iisdem denegantes, quæ jure ipſis debentur. Ut igitur ea, quæ contra jus fiunt canonicum emendationem conſequantur, & ad regulas diſciplinæ Eccleſiaſticæ omnia ritè revocentur appoſitè ponitur præſens titulus, qui extat etiam in ſexto, & Clementinis.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. PERVENIT 1. h. t. *Alexander III. mandat, ne Epiſcopi aut alij Prælati Presbyteros irrationabiliter graveant, vel inhoneſtè tractent, nec præſumant tallias, aut exactiones indebitas ab ipſis extorquere; neque ſine judicio eos ſuſpendere, aut eorum Eccleſias interdicto ſubjicere, nec eos excommunicare ſine ordine judiciario, nec permittant eos habere duas eccleſias ſi altera eorũ ſufficiat ſub pœna, quâ cæteri timeant Ex quo textu deſumitur regula, quòd Epiſcopi non poſſint ullam exactionem imponere Clericis, niſi ut ſubſidium charitativum, vel ex conſuetudine permiſſa ſit* c. cognovimus 10. q. 3. *vel niſi fuerit in jure expreſſa.*

C. AD HÆC 2. h. t. *reſcribit idem Pont. Archi-Epiſcopo Cantuarienſi, non poſſe Epiſcopum privare Presbyteros ſuis eccleſiis, juribus, reditibus, conſuetudinibus, nec ea minuere; quod tamen eſt intelligendum, ut notat Gloſſa hic ſine cauſa, vel ſine eorundem conſenſu* c. ad audientiam de eccleſ. ædif. *Verum licèt de jure communi Archidiaconis nulla debeantur ſervitia, poſſunt tamen conſuetudine ab iiſdem acquiri in eccleſiis ſitis in Archidiaconatu, vel etiam alibi prout horum officiorum poteſtas ſe extendit, non tam ex ipſorum propria origine, quàm ex conſuetudine, quæ tamen debet eſſe legitimè præſcripta. Hodie tamen ſervandum eſt ſtatutum in* c. dudum de rebus eccleſ. non alien.

C. AD AURES 3 h. t. *Idem Pont. declarat eum, qui poteſt beneficium conferre, vel etiam Eccleſiam providere, non poſſe privilegium illud ſibi pro ſuo uſu retinere, nec eccleſiam ſibi conferre, quòd ſi eam ſibi conferat collatio non tenet & eccleſia eſt alteri danda, & ipſe puniendus debita animadverſione: ex quo textu deſumitur regula, ut habens inſtitutionem, aut præſentationem, vel collationem beneficij non poſſit illud in ſuos uſus convertere, retinere, aut ſe ipſum præſentare, vel illud ſibi conferre: hinc tametſi poſſit quis alios inſtituere, non tamen poteſt ſe ipſum inſtituere, quia inter dantem, & recipientem debet dari diſtinctio* c. ult. de inſtit. *Cæterum ſi cauſâ cuſtodia retineret eccleſiam, id eſſet licitum* cap. bonæ de appellat.

C. CLERICI 4. h. t. *Idem Pont. in Concilio Lateranenſi ſtatuit, ut quocunque in crimine incontinentiæ contra naturam, ratione cujus ignis abſumpſit quinque civitates, deprehenſi fuerint clerici debeant à clericatu dejici, vel ad pœnitentiam agendam in monaſterium detrudi: ſin verò laici debeant excommunicari. Imo notat gloſſa ſecundùm leges eſſe capite plectendos. Cæterum de hac materia extat Bulla Pij V. cui initium eſt* horrendum ſcelus.

ſcelus *edita anno 1586. 3. Septemb. Ex hoc autem textu jubente excommunicari laicos deprehenſos in hoc crimino, colligitur eſſe hoc crimen etiam fori eccleſiaſtici, vel ſaltem mixti.*

C. *SANE 5. h. t. Idem Pont. declarat, ſubditos non teneri obedire ſuperiori in his, in quibus ſunt liberi per privilegium Papæ adeo ut Abbas non teneatur obedire Epiſcopo, ſi agatur de libertate ordinis conceſſa à Papa: ex quo colligitur, poſſe Papam in præjudicium Epiſcoporum eccleſias, & Ordines religioſos privilegiis cumulare; & violatorem horum privilegiorum dici venire contra libertatem, ſeu exemptionem eccleſiæ: ſiquidem per hæc privilegia à Pontifice conceſſa privilegiati liberantur à poteſtate Epiſcopi. Rurſus qui venit contra privilegium, ſi eſt in poſſeſſione ejus quod petit, & privilegiatus; non poteſt propria authoritate illum ſpoliare, præſertim ſi ſit ſuperior; ſi non ſit in poſſeſſione, tunc poteſt à privilegiato poſſeſſia ipſi denegari authoritate quidem non propria, ſed vigore hujus canonis, ut delegata, ſicut notat Panorminitanus hic n. 3.*

C. *ILLUD 6. h. t. Idem Pont. declarat, non eſſe admittendum in eodem Epiſcopatu Vicarium ad executionem ſui ordinis, ſi contra fidem & juramentum convictus, vel confeſſus fuerit falsò ſibi aſſumpſiſſe perſonatum. Ubi notandum eſt, nomine perſonatus intelligi officium Parochi, vel curati, & declarat Pontifex, Vicarios, qui iiſdem ſeu Parochiis juramento fidelitatis ſe obligârunt tanquam falſarios ac perjuros eſſe deponendos de officiis, ſi curam eccleſiarum falſis titulis ſibi arrogârunt.*

C. *CUM AD QUORUNDAM 7. h. t. Cœleſtinus III. declarat, ſententiam latam excommunicationis contra aliquem privilegiatum, ex eo quia non obedierit in iis, quibus erat privilegiatus, nullius eſſe valoris, ut ſi Epiſcopus ſententiam ferat excommunicationis contra non ſolventem procurationem, ſi is ex privilegio non teneatur eam ſolvere. Vel quia Epiſcopus in viſitatione exceſſerit in numero evectionis, & perſonarum conſtituto in Concilio Lateranenſi: ſi enim tunc Epiſcopus etiam pro illis exigat procurationem, poſſunt Diœceſani authoritate Apoſtolica ei denegare: quòd ſi Epiſcopus ob negatam procurationem ſententiam promulget excommunicationis, declarat Pontifex, hanc eſſe nullam: verum poſt Concilium Lateranenſe, Concilium Tridentinum* ſeſſ. *24. c. 3. ſtatuit, ut viſitatores ſint contenti modeſto equitatu & viſitationem quàm citò abſolvant, ita tamen ut diligenter fungantur ſuo officio, ſimúlque caveant, ne inutilibus ſumptibus cuiquam graves, & oneroſi ſint, neque exceptis moderatis victualibus quidquam accipiant, vel exigant, ne ſint aliis gravamini.*

C. *UT SICUT 8. h. t. Cœleſtinus III. reſcribit, quòd ſicut Epiſcopi non poſſunt unire Epiſcopatus ſine conſenſu Papæ; ita nec inferiores poſſint unire eccleſias ſine conſenſu Epiſcopi, adeò ut non ſufficiat ſolus conſenſus Metropolitani; quia Metropolitanus non debet quidquam tentare in eccleſia ſui Suffraganei abſque conſenſu ejuſdem Suffraganei. Ex quo textu colligitur, poteſtatem uniendi eccleſias, & beneficia ſuæ diœceſis competere Epiſcopis non verò ejus Vicario generali ſine ſpeciali mandato. Capitulum verò poteſt unire beneficia, quæ non poteſt Epiſcopus, dummodo id non fiat in præjudicium juris Epiſcopalis: ſecus Archi Epiſcopus id non poteſt in Diœceſibus ſuorum Suffraganeorum, ſed tantùm in ſua propria. Concilium verò Tridentinum* ſeſſ. 21. de refor. c. 5. *concedit Epiſcopis, ut in his unionibus non ſolùm poſſint procedere poteſtate ordinaria, ſed etiam delegata Id tamen limitatur primò quia per hunc textum non impediebantur Epiſcopi beneficia ſua Diœceſis unire cum beneficiis alterius Diœceſis conſentiente ejuſdem Epiſcopo, quod Concilium Trident.* ſeſſ. 14. de refor. c. 9. *non permittit. Secundò quia idem Concilium Trid.* ſeſſ. 24 c. 9. *omnino prohibet unionem eccleſiarum parochialium cum monaſteriis, aut aliis beneficiis, quæ tamen unio ex vi præſentis textus non erat prohibita: ſunt tamen qui cum Gonzalez* ad regul. 8. cancell. gloſſa 5. §. 7. num. 4. *cenſeant exceptas eſſe uniones factas pro dotatione, augmento, conſervatione Collegiorum, aut aliorum piorum locorum ad propagationem, vel defenſionem præſertim fidei catholicæ. Cæterum ſolus Papa ut notat gloſſa hic, ſibi quædam reſervavit, quæ alii inferiores Prælati impunè non poſſunt: ſiquidem ſolus Papa reſtituit Epiſcopos depoſitos, & illos deponit, dividit Epiſcopatum in duos, vel duos unit in unum, eximit Epiſcopos, & Abbates, probat ſcripta aliorum, & Concilia confirmat, ac declarat fidei articulos; ſolvit dubia, quæ circa tales articulos oriuntur, congregat ſynodum Generalem; transfert Sedem Apoſtolicam de loco ad locum, mutat Epiſcopos: & nemo poteſt ab ipſa ad alium Judicem, neque ad Concilium generale appellare.*

C. *QUAM SIT GRAVE 9. h. t. Innocentius III. declarat, Clericum publicè ſe gloriantem de patrato crimine eſſe ſuſpendendum à beneficio, & ab officio ſi ſcandalum ſit ſecutum, ſeu ſi maritus dimiſit uxorem cognitam à Clerico. Ubi notat gloſſa, quod etſi confeſſio extra jus facta præjudicet, neminem tamen debere ſine accuſatore damnari. Quapropter Clericus de quo dicitur in textu non punitur ex illa ſua confeſſione niſi occaſionaliter, hoc eſt propter ſcandalum, & infamiam ortam ex dimiſſa muliere. Cæterum ex hoc textu colligitur delictum præcedens aggravari ex ſubſequente gloriatione, præſertim ſi inde oriatur grave ſcandalum. Rurſus de jure canonico per confeſſionem extrajudicialem de crimine non trahari ipſum delictum quoad pœnam ordinariam: alioquin Clericus de quo loquitur textus fuiſſet graviùs puniendus. Sola igitur gloriatio de*

gra-

gravi delicto meretur pœnā hujus ſuſpenſionis: quia per illam gloriationem reddit ſe ſuſpectum illius delicti: unde Pſalmiſta rectè ait quid gloriaris in malitia?

C. *EX LITTERIS 10 h. t. prohibetur Epiſcopo indicere purgationem per ferrum candens: imò ut nec poſſit præſtare authoritatem ſpecialiter, nec perſonaliter intereſſe ut pœna corporalis alicui infligatur: alioquin ſi directè vel indirectè ſuo concilio vel authoritate ſequatur homicidium, fit irregularis, & reputatur indignus miniſterio altaris: & quia ſine miniſterio altaris non poteſt implere officium Pontificale: ideo eſt amovendus ab eccleſia, & alius idoneus eligendus: ex quo textu liquet, per authoritatem exhibitam neci hominis malefactoris incurri irregularitatem ex defectu lenitatis. Verùm id intelligitur de præſentia authoritativa, qualis eſt illa Judicis, vel Principis, qui ſupplicio intereſt: quia ut notat Barboſa, tunc Epiſcopus de quo loquitur textus habuit hanc authoritatem, quia villa ubi hæc acta fuerunt ad ejus pertinuit juriſdictionem. Rurſus ex textu colligitur, purgationem candentis ferri eſſe prohibitam* contentiam ne Clerici, vel Monachi.

C. *INTER DILECTOS 11. h. t. reſcribit idem Pont. perſonis indignis, & vilibus non eſſe dandas dignitates, ut etiam, ſi probetur aliquem eſſe publicum aleatorem, & manifeſtum uſurarium, ut qui in ludo mutuat undedecim denarios pro duodecim non obſtante conſuetudine, quæ corruptela eſt: declarat Pontifex collationem dignitatis eidem factam eſſe irritandam: quo pacto improbantur ludi voluptuoſi. Rurſus ſi contra aliquem probetur, quòd in litteris ipſius fuit poſita quædam clauſula præter conſcientiam Judicis, ſeu quam Judices, non adjecerunt, ac proinde ut falſarius eſſet repellendus: nihilominus ſi non probetur, quòd dictus accuſatus clauſulam illam adjecerit, nec quòd procuraverit, ut ab alio adderetur, nec quod ſcienter ſit uſus litteris falſificatis, non habetur, ut falſarius, præſertim ſi poſtquam fuit id illi objectum non fuit illis uſus. Rurſus ſi conceſſio beneficij facta priùs fuit alicui; deinde alteri, ſecunda conceſſio irritatur, tametſi primus ſit poſtea repertus indignus. Qui verò prima conceſſione non probata, ſecundò conceſſit, ob hanc inconſtantiam privatur pro illa vice poteſtate concedendi, adeò ut qui prima collatione nondum reprobata ſecundam facere attentaverit ſit puniendus in eo, in quo deliquit, ſeu privandus poteſtate, pro illa vice conferendi beneficium. Ubi notandum eſt cum Gloſſa, propter uſuram repelli quidem Clericum ab obtinendo beneficio, ſed de obtento quamvis jure poſſet deponi, nihilominus ſi ſe corrigat poteſt Epiſcopus ei gratiam facere* cap, ſi quis oblitus. c. quoniam multi. 14. q. 4. *Rurſus ex textu liquet publicum aleatorem eſſe infamem tametſi ludat non lucri cauſa, ſed voluptatis gratia, ſed cenſent plures cum Gloſſa, non repellendum ab officio jam obtento, ſi velit ſe corrigere, & hoc etiam procedere de uſurario* cap. de Petro diſt. 47. *poſſe tamen excludi ab obtinendo. Rurſus eodem textu colligitur prima electione caſſata ſecundam non eſſe attentandam.*

C. *ACCEDENTIBUS 12. h. t. declarat idem Pont. in Concilio Generali, cognoſcere de cauſa matrimoniali injungere publicas pœnitentias concedere litteras indulgentiarum, & alia id genus eſſe munus Epiſcopi, & nullum inferiorem Prælatum, nec Abbatem ſine ſpeciali conceſſione poſſe hæc agere. Hinc quamvis non deſint Theologi, qui cenſeant Generales, & Provinciales Religionum exemptarum habere poteſtatem concedendi indulgentias: verior tamen ſententia eſt, non poſſe eas concedere nec ſuis ſubditis, ut notat Barboſa hìc, adeò ut poſt Papam regulariter concedere indulgentias competat ſolis Epiſcopis: & alij inferiores nonniſi per ſpeciale privilegium poſſunt eas concedere. Rurſus de jure communi cognoſcere de cauſa matrimoniali pertinet ad ſolum Epiſcopum.*

C. *DILECTUS 13. h. t. Honorius III declarat non poſſe, nec deberi cogi ſacerdotem ad revellandum peccatum auditum in confeſſione. Ratio itidem, quia quæ ſacerdoti ut tali revelantur in confeſſione ſacramentali, non revelantur illi ut homini ſimpliciter, ſed ut miniſtro Chriſti, qui hæc obſignavit ſigillo inviolabilis ſecreti, adeo ut non poſſit præcipi ſacerdoti neque à Papa ut ea revelet, quæ audivit in confeſſione, quia hoc ſigillum hujus ſecreti eſt de jure divino, in quo non poteſt Papa diſpenſare. Tum quia quæ ſacerdos ſcit in confeſſione ea non ſcit ut homo, ſed ut Deus* c. omnis de pœna & remiſſ. *proinde nulla vi cogi poteſt ad revelandum.*

C *DILECTA 14 h. t. declarat idem Pont. non facientes unum corpus non eſſe unum collegium, conſequenter non poſſe habere commune ſigillum niſi à ſuperiore concedatur Ubi notat Gloſſa, eos qui non ſunt de uno collegio nec de una ſocietate, quamvis ſubſint uni tanquam capiti non facere unum corpus, neque Abbatiſſam quamvis ſit caput multorum beneficiatorum facit unum corpus cum illis, ut nec etiam Epiſcopus cum clero diœceſis* cap. requiſiſti de teſtament. *ſed tantùm facit unum corpus cum ſuo capitulo. Ex quo textu liquet, jus collegij cujus præcipuum ſignum eſt ſigillum poſſe conſuetudine legitima præſcribi. Cæterum quamvis plures beneficiati ſint in eccleſia: non ideo dicuntur ſtatim conſtituere collegium ſeu capitulum, quia hæc conſtituuntur tantùm ab initio, ſeu in ipſa fundatione ſub nomine eccleſiæ collegiatæ, vel Capitularis, vel obtinentur privilegio ſuperioris, vel conſuetudine legitimè præſcripta, ut ſi longo tempore Clerici illi ſeu beneficiati vixerint collegialiter, fuerintque in quaſi poſſeſſione juris collegialis Demum ex hoc textu colligitur, poſſe Abbatiſſam habere poteſtatem ſuper clericos ex privilegio tamen ſeu jure ſpeciali, quia Pontifex in textu*

vocat Abbatiſſam ipſorum caput. Demum juvat obſervare, non prohiberi per hunc textum quemlibet Rectorem poſſe habere pro ſe, vel cum ſuo collegio ſigillum ſed tantùm non poſ- illud habere ut unum corpus ad expedienda negotia.

C. *GRAVEM* 15. h. t. *Idem Pont. mandat, ut ſi Archidiaconus contra juramentum neget Epiſcopum eſſe ſuum Dominum, vel in foro ſæculari deponat quæſtionem de re ſpirituali contra ipſum, vel det cauſam vel conſilium invaſoribus Epiſcopi, debeat perpetuò abſcindi ab eccleſia, & ejus beneficia aſſignari alijs idoneis. Ubi tamen notat Gloſſa Archidiaconum tunc perdere beneficia non ipſo jure, ſed per ſententiam ipſius Judicis; perinde ac qui trahit alium in vetitum examen perdit cauſam per ſententiam non ipſo jure, argum.* c. ſi diligenti de for. compet. *Cæterum ex hoc textu liquet, Epiſcopum eſſe dicendum Dominum ſubditorum; & negantes eum eſſe dominum dignos eſſe pœna: non tamen ex hoc præciſè pœna tam gravis ſicut in hoc textu imponitur, quia hæc pœna fuit injuncta etiam ob alia delicta graviora, ut propter accuſationem in foro ſæculari, vel invaſionem, vel conſpirationem contra ipſum. Cæterum ſi ſubditus non vocaret Epiſcopum Dominum, ſed tantùm Prælatum non peccaret, quia eum vocaret, qualis reverà eſt. Hinc notat Innocentius, hunc textum procedere ratione præſtiti juramenti fidelitatis, & obedientiæ, quod à beneficiatis præſertim capituli præſtari ſolet Epiſcopo.*

C. *NIMIS INIQUA* 16. h. t. *Gregorius IX. præcipit Epiſcopis ne inferant gravamina Religioſis circa ſacramenta, ſepulturas, miſſas, eleemoſynas, oblationes, & recenſentur in textu viginti quinque gravamina, & mandat Pontifex univerſis Prælatis, ut à præfatis gravaminibus deſiſtant, & ſuos ſubditos compeſcant.*

C. *NIMIS PRAVA* 17. h. t. *Idem Pont. præcipit Epiſcopis, ut deſiſtant gravare Religioſos præſertim fratres Prædicatores, & Minores, qui cogebantur ad ſynodos venire, & ad proceſſiones ex quavis levi cauſa trahebantur, etiam ſub pœna excommunicationis prohibentes, ne in celebriores, & opportuniores civitates reciperentur, imò etiam exigentes de eorum hortis, & habitaculis ſicut de Judæorum domibus tributa, ſeu talliam, & Pontifex in textu enumerat centum, & nonaginta duo gravamina, à quibus debent Epiſcopi omnino deſiſtere, ne graventur Religioſi. Ubi notandum eſt, Pontificem has duas præcedentes decretales edidiſſe in ſimili cauſa pro ordinibus exemptis, & mendicantibus, eò quia Epiſcopi niterentur eos ſibi ſubjicere, ac privilegiis ſuis ſpoliare*

C. *TANTA EST* 18. & ult. h. t. *Idem Pont. reſcribit Archi-Epiſcopo Bracarenſi, non ſervantem interdictum eſſe ſuſpenſum ab officio, & ab omni juriſdictione, & collationem beneficiorum ab eo factam poſt violationem eſſe irritam & intruſos ſuſpendendos à beneficiys, & omnibus alijs, & excommunicationem, ac ſuſpenſionem ab eo latam eſſe nullam. Rurſus declarat extendentem manus temerarias in Clericos eſſe compellendos Romam proficiſci invocato ſi opus ſit etiam ad id brachio ſæculari. Ubi tamen notandum eſt, per violationem interdicti non incurri privationem beneficiorum ipſo jure, ſed eſſe per ſententiam inferendam violatori.*

IN SEXTO.

C. *EX EO UNIC.* h. t. *Bonifacius VIII. præcipit mendicantibus, & præſertim Prædicatoribus ſancti Dominici, & Minoribus S. Franciſci, aliiſque mendicantibus quocunque privilegio munitis, ut non recipiant de novo domos, vel loca quæcúnque, nec mutent recepta, nec alienent in alios ſine licentia Papæ faciente mentionem de hac prohibitione ſpecialiter; & ſi ſecus fiat irritum ſit, quod eſt factũ. Per hanc tamen decretalem non prohibetur, ut qui de licentia ſuorum ſuperiorum voluerit agere vitam Eremiticam, ſeu ſolitariam non poſſit eligere, ſeu mutare domos in eremo, ubi non habitant ſæculares. Notandum eſt, occaſionem huic decretali dediſſe exortas turbas ex erectione novorum Monaſteriorum mendicantium, & eorum mutationibus. Ubi notat Gloſſa vigore hujus decretalis non poſſe mendicantes mutare loca antiqua, quæ ante hanc conſtitutionem acquiſiverunt: poſſe tamen mutare alia, quæ poſt illã nacti fuerunt in eodem monte, vel urbe, imò verior ſententia eſt, per hanc decretalẽ non comprehendi Eremitas veros, qui verè ſunt Religioſi, eò quia voto paupertatis ſint obſtricti, & alia obligatione cum licentia Epiſcopi ſolitudini addicti.*

IN CLEMENTINIS.

C. *FREQUENS UNIC.* h. t. *Enumerat Pontifex in hoc textu 30. gravamina quæ Prælati, ſeu Epiſcopi inferebant Religioſis, & diſtrictè prohibet Epiſcopis, ne impoſterum inferant, quinimo ipſis præcipit, ut Regulares cum charitate foveant, & faveant iiſdem, facientes ut eorum privilegia ſerventur.*

COM-

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quomodo Prælati Eccleſiaſtici excedant in ſubditos Clericos.

1 EPiſcopi, aliique Prælati eccleſiaſtici tunc dicuntur excedere in ſubditos, quando in exigendis juribus Epiſcopalibus ſunt oneroſi, ultraquàm par ſit extorquentes contra ſacros canones, & illud D. Petri *epiſt. I.* ubi monet, Prælatos eccleſiaſticos, inquiens: *Parcite, qui in vobis eſt gregi Dei, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè, neque, ut dominantes in cleris, ſed forma facti ex animo.* Unde excedere quamvis aliàs idem ſignificet, quod antecellere, ſuperare, excellere; juxta tamen præſens inſtitutum idem eſt, ac transgredi limitem, ſeu terminum debitum; hæc enim transgreſſio, exceſſus hic dicitur; & Prælati excedere dicuntur, quando Clericos ſubditos indebitis talliis, vel exactionibus aggravant; & detrectantes pecunias ſolvere eccleſiaſticis cenſuris puniunt eis interdicentes divina officia; vel etiam eos anathemate percutientes, ac inhoneſtè tractantes, ut ſint populo contemptui, ut habetur *in c. pervenit, 1. h. t.* ubi cum quidam Epiſcopi Presbyteris tallias, & exactiones imponerent ſub gravi interminatione, Alexander III. hujusmodi gravamina prohibet, & mandat Epiſcopis, ne impoſterum præſumant indebitas exactiones imponere, nec indebitè, aut inhoneſtè tractare clericos, nec ſine judicio capituli illos ſuſpendere, aut eorum eccleſias interdicto ſubjicere. Reſcribit etiam, ut non permittant eos duas eccleſias habere, ſi una ſufficiat; neque aliquem excommunicent ſine ordine judiciario.

2 Ex hoc textu claret, non poſſe Epiſcopos, & Prælatos irrationabiliter gravare clericos ſubditos, nec inhoneſtè tractare: neque exactiones imponere, niſi ſint vel jure expreſſæ, vel ſubſidium charitativum; vel conſuetudine inolita permiſſæ *c. cognovimus 10. q. 3. c. ſervitium 18. quæſt. 2. c. cum Apoſtolus 6. de cenſibus.* Rurſos neque poteſt Epiſcopus excommunicare, nec ſuſpendere Clericos, nec eorum eccleſias interdicere ſine judicio, ſeu conſenſu capituli. Idque tamen procedit quando agitur de pœna imponenda pro re gravi: quia generatim Epiſcopus non debet negotia ardua expedire ſine conſenſu; vel ſaltem conſilio capituli, ſi res ſint levioris momenti.

3 Conſuetudo tamen hodie invaluit per legitimam præſcriptionem, quâ Epiſcopus in inquirendis, ac puniendis delictis ſubditorum non teneatur requirere conſenſum ſui capituli *c. non eſt 3. de conſuet. in 6.* In ferenda tamen ſententia excommunicationis, ut ordo judiciarius ſervetur, debet vera, & rationabilis cauſa ſubeſſe, quia pœna gravis non debet infligi, niſi ob culpam gravem: imò requiritur etiam contumacia poſt trinam præviam monitionem; ne pœna videatur infligi ex odio, ſed ex charitate, & ut delinquens ſaltem timore pœnæ corrigatur. Hoſtienſis tamen *in d. c. pervenit. V. ſine ordine judiciario* cenſet etiam non ſervato hoc ordine ſententiam ſervari.

Alius Prælatorum exceſſus eſt, ſi alios inferiores Presbyteros privent ſuis eccleſiis juribus, vel reditibus, conſuetudinibus; vel minuant, ut deſumitur *ex c. ad hæc 2. h. t.* ubi cum Epiſcopus ſuffraganeus Archi-Epiſcopi Cantuarienſis plures eccleſias à poteſtate Archidiaconorum exemiſſet, ac earundem reditus diminuiſſet: reſcribit Alexander III. hoc emendari, & provideri, ut Archidiaconi ſuis reſtituantur juribus; ac debita iisdem reverentia exhibeatur. Quia tametſi de jure communi Archidiaconis nulla debeantur ſervitia; poſſunt tamen conſuetudine legitimè præſcripta hujusmodi ſervitia ab illis acquiri in eccleſiis ſuis in propriis Archidiaconiis, vel etiam alibi: ſiquidem Archidiaconi poteſtas, non tam ex propria ipſius origine, quàm ex conſuetudine metiri debet: dummodo hæc fuerit legitimè præſcripta; quia per viam præſcriptionis poteſt prælatus Epiſcopo inferior acquirere jurisdictionem in aliis eccleſiis etiam diœceſano Epiſcopo ſubjectis; & jura legitimè acquiſita à prælatis inferioribus non poſſunt poſtea ab Epiſcopo minoi, nec tolli ſine conſenſu legitimi poſſeſſoris, & juſtâ causâ *c. ad audientiam ſup. de Eccleſ. ædific.* Imò nec mortuo Rectore poteſt Epiſcopus cum capitulo præjudicare futuro Rectori, nec in ejus præjudicium concedere alteri privilegium *argument. cap. conquaſtus 8. cauſa 9. quæſt. 3.* 4

Tertius Prælatorum exceſſus eſt ſi cum poſſint aliis conferre beneficium, vel Eccleſiam providere, illud ſibi conferant, ac uſurpent, ac retineant in proprium uſum: tunc enim collatio ſibi facta eſt irrita; & Prælatus eſt privandus tali beneficio, ac puniendus, ut habetur *in cap. ad aures 3. h. t.* ubi cum Alexander III. audiviſſet quosdam Archidiaconos ſe in eccleſias, ſive Archidiaconatus vacantes intrudere, mandat illos per cenſuras compelli ad dimittendas hujusmodi eccleſias, eisque de aliis perſonis idoneis provideri; & præſatos 5

Archi-

Archidiaconos promeritâ pœnâ puniri. Hinc habetur regula generalis : ut habens ſubjectionem, vel præſenṫationem, aut collationem beneficij, non poſſit illud in proprios uſus convertere, nec retinere, nec ſe ipſum præſentare, vel illud ſibi ipſi conſerre. Unde licèt debeat ipſe inſtituere; non tamen poteſt ſe inſtituere, ſed alium; ut detur diſtinctio, ſitque differentia inter dantem, & accipientem *c. ult. de inſtit.* Excipitur tamen niſi cauſa cuſtodiæ beneficium retineret; quia id ex juſta cauſa eſt licitum *c. bene de appellat.* Cæterum ſi Prælatus Epiſcopo inferior beneficium conſerat indigno, tunc collatio eſt irrita, & poteſtas conferendi devolvitur ad Epiſcopum.

6 Hinc quartus Prælatorum exceſſus eſt ſi eccleſias, vel beneficia conferant indignis, & deſumitur *ex c. inter dilectos II. h. t.* ubi cum B. & P. Canonici Pictavenſes ſuper ſuccentoriâ Pictavenſis eccleſiæ quæſtione ſuborta, ambo aſſererent ſe illam à Cantore, qui erat collator, canonicè aſſecutos; & teſtes probarent P. eſſe publicum aleatorem, & uſurarium manifeſtum, Innocentius III. collationem ipſi factam ob indignitatem, & vilitatem ipſius duxit irritandam; quia indignis portæ dignitatis non debent patere. B. autem præfatus cum uſus eſſet litteris, quibus inſerta erat clauſula, quam judices non adiecerant, ac proinde videretur tanquam falſarius repellendus; quia tamen probatum non erat, clauſulam ab ipſo B. appoſitam, aut talibus literis eum ſcienter uſum. Pontifex illum abſolvit quidem à crimine falſarij; ſed non à collatione ipſi priùs facta, quæ propter ejus indignitatem caſſata fuit; & Pontifex mandavit, cantorem collatorem puniri in eo, quo deliquit; ſeu privari pro illa vice poteſtate conferendi; & ſuccentoriam perſonæ idoneæ aſſignari. Ex hoc textu liquet, perſonas indignas, ac viles eſſe excludendas à dignitatibus; & ſi probetur, aliquem eſſe publicum aleatorem, vel manifeſtum uſurarium, vel in ludo mutuantem undecim denarios pro duodecim, non eſſe hunc promovendum ad dignitates Eccleſiaſticas, non obſtante conſuetudine, quæ corruptela eſt; quòd ſi promoveatur, collatio beneficij facta indigno eſt irritanda.

7 Rurſus quando contra aliquem probatur, quod in litteris ipſius fuit appoſita clauſula præter conſcientiam judicum; adeóque videatur falſarius, ſi tamen non probetur, quòd ipſe accuſatus clauſulam illam appoſuerit, vel procuraverit quòd ab alio poneretur; vel quòd ſcienter fuerit uſus literis falſificatis non habetur falſarius; præſertim ſi poſtquam fuit id illi objectum, non fuit illis uſus. Ex quo deducitur, eum qui utitur falſo inſtrumento, ſeu falſis litteris in judicio, non poſſe puniri tanquam falſarium pœna ordinaria falſi, niſi probetur, quòd ipſe eas falſaverit, vel procuraverit, ut ab alio falſarentur; vel ſcienter fuerit ipſe illis uſus : & præſumi ignorantiam, ſi poſtquam id fuit illi objectum deſtitit ab earundem uſu.

8 Rurſus ſi conceſſio beneficij priùs facta fuit alicui indigno; ſed per ignorantiam; deinde facta fuit alteri; hæc ſecunda collatio, vel conceſſio irritatur, licèt primus fuerit poſtea repertus indignus : quia cum prima collatio facta fuerit indigno per ignorantiam, & non conſtiterit de nullitate collationis; non debuit collator ſecundam attentare collationem, niſi priùs caſſatâ primâ; quamvis collator dubitaverit de validitate primæ : quia nondum deveniendum eſt ad ſecundam collationem niſi notoriè conſtet de nullitate primæ; & quia collator prima collatione non reprobata conceſſit ſecundam, ob hanc inconſtantiam privatur pro illa vice poteſtate conferendi ſuccentoriam : ſicut præcentor, ſeu cantor olim is dictus fuit, qui in choro Antiphonas, & Pſalmos inchoabat, & habetur *in c. cum olim 6. de conſuet.* ita ſuccentor is dicebatur, qui abſente cantore, ſeu præcentore ejus vice fungebatur inchoando in choro Antiphonas, & Pſalmos : unde ſuccentoria eſt dignitas, cui annexum eſt hoc munus, & habet præeminentiam in proceſſibus, aliiſque conventibus inter reliquos canonicos celebrantes divina officia.

Ex hoc textu etiam infertur, ob uſuram repelli clericum ab obtinendo beneficio; ſed de obtento quamvis jure poſſet deponi, ſi tamen ſe corrigat, poteſt Epiſcopus ipſi beneficium gratioſè permittere *c. ſi quis oblitus c. quoniam multi 14. q. 4.* Præterea ſpeciale eſt in litteris Papæ, quòd qui illis utitur falſis, non poſſit ampliùs prætendere excuſationem *c. ad falſariorum de crim. falſi.* Secus in aliorum litteris poſt uſum poteſt quis adhuc excuſationem prætendere; quia dolus debet probari non ex præſumptionibus; ſed ex perſpicuis indiciis; adeo ut allegans dolum teneatur illum probare. Id etiam eſt ſpeciale, quod falſans litteras Papæ illicò traditur curiæ ſæculari; non ita alij. Demum Clericus aleator contrahit infamiam, quamvis ludat voluptatis cauſa. Gloſſa tamen cenſet, non eſſe repellendum ab officio obtento ſi velit ſe corrigere; & Epiſcopum poſſe diſpenſare, ſi videat ſerium animum ſe corrigendi; licèt de jure poſſit deponi *c. ſi quis oblitus 14. quæſt. 4.* 9

10 Quintus Prælatorum, & præſertim Epiſcoporum exceſſus eſt ſi impediant privilegia ſubditorum, quia tunc non tenentur parêre ſuperioribus exigentibus, vel præcipientibus aliquid contra tenorem ſuorum privilegiorum, ut deſumitur *ex c. ſanè 5. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd ſi Epiſcopi aliquid ab abbatibus præter debitam obedientiam contra libertatem ordinis à prædeceſſoribus noſtris, & nobis indultam exigant; liberum ſit Abbatibus authoritate Apoſtolica quod petitur denegare. Ex hoc textu liquet, ſubditos non teneri obedire ſuperioribus in his, in quibus ſunt liberi

per

per privilegium Papæ : qua ratione Abbas non debet obedire Epiſcopo quando agitur de libertate ordinis conceſſa a Papa; qui poteſt etiam in præjudicium Epiſcoporum eccleſias, & ordines Religioſorum privilegiare : hinc horum violator privilegiorum dicitur venire contra libertatem, ſeu exemptionem Eccleſiæ; quia per privilegia papalia Religioſi eximuntur, ac liberantur à poteſtate Epiſcopi. Quòd ſi ſuperior veniens contra privilegium eſt in poſſeſſione illius, quod petit, tunc privilegiatus non poteſt propria authoritate illum ſpoliare, præſertim ſi ſit ſuperior : ſin verò non ſit in poſſeſſione poteſt tunc privilegiatus ei poſſeſſionem denegare; non quidem propria authoritate, ſed quaſi delegata, ex vigore hujus canonis, ut notat Panormitanus *hic n. 3.*

11 Id tamen non procedit de plena, & totali exemptione à poteſtate, juriſdictione Epiſcopi, quia in textu fit exceptio verbis illis *præter debitam obedientiam* ; ſed de privilegio, per quod immunitas in certa re alicui ordini, vel monaſterio à Papa conceditur : tunc contra privilegium Papæ Epiſcopus non poteſt quidquam; non enim inferior poteſt tollere, vel abrogare legem ſuperioris : imò tenentur inferiores Prælati leges Pontificias ſervare illæſas *c. cum inferior 16. de majoris, & obed.* Hinc irrita eſt ſententia lata ab Epiſcopo contra ſubditum, eò quia is non obediat in iis, quæ ab Epiſcopo exiguntur contra privilegium à Papa conceſſum : idque deſumitur *ex c. ad quorundam 7. h. t.* ubi Clemens III. concedit, ut ſi Prælati numerum evectionis, & perſonarum in Concilio Lateranenſi conſtitutum, in viſitatione excedant, & pro illis procurationem exigant, liberè poſſint authoritate Apoſtolicâ denegari; & ſi propterea in ejuſmodi eccleſias, vel clericos aliquam ſententiam excommunicationis promulgârint, decernit Pontifex, eam non tenere; quia tunc clerici inferiores vigore privilegii Apoſtolici ſunt quoad hoc exempti à juriſdictione ſuperioris, à quo propterea non poſſunt cenſuris ligari contra privilegium, cujus vi Clerici non ſubjiciuntur juriſdictioni Epiſcopi, quoad contenta in privilegio. Tum quia temerarium eſt, quòd prælatus inferior propria authoritate velit præſumere contra id, quod alicui ab eccleſia Romana ſpecialiter indulgetur *c. ſanè 9. de Privil.*

12 Præterea Prælati ſuperiores non poſſunt ultra tenorem Concilij Lateranenſis licitè gravare Clericos inferiores etiam non habentes privilegium; adeo ut ſi Epiſcopus prædictum numerum equorum, & perſonarum excedat, poſſint ſubditi authoritate Concilii Lateranenſis ei non parêre. Si tamen tunc Epiſcopus eos excommunicaret, notat Abbas, validam fore excommunicationem; licèt Epiſcopus malè ageret, ſed ſubditos poſſe contra Epiſcopum agere ad intereſſe, quia injuſtè eos excommunicaret. *c. ſacro 48. de ſent. excommun.*

13 Sextus exceſſus eſt ſi Epiſcopi cauſam præſtent homicidio, directè, vel indirectè; hoc ſi ſequatur ſiunt irregulares, & privandi ſunt officio Pontificali, & ſacerdotali, & amovendi ab adminiſtratione Epiſcopatûs, ut habetur *in c. ex litteris h. t.* ubi cum Epiſcopus Albiganenſis non ſolùm judicium ferri candentis cuidam furi permiſiſſet offerri, verùm etiam in furis ſuſpendio graviter deliquiſſet, non ſolùm authoritatem præſtando, verùm etiam præſentiam exhibendo corporalem, Innocentius III. non ſolùm eum indignum reputat miniſterio altaris, ſed etiam reſcribit, ut moneatur (cum Pontificale officium ſine altaris miniſterio non valeat adimpleri) ut Epiſcopatui cedat; & Eccleſiæ per electionem de alia perſona idonea provideatur. Ex hoc textu infertur, eſſe prohibitum Epiſcopo indicere purgationem ferro candente; quia purgatio candentis ferri prohibetur *in c. ſententiam ne Clerici vel Monachi.* Neque poſſe Epiſcopum authoritatem præſtare ſpecialiter, nec perſonaliter intereſſe, ut pœna corporis alicui infligatur. Quòd ſi directè, vel indirectè ſuo conſilio, vel authoritate homicidium ſequatur, fit irregularis, & reputatur indignus miniſterio altaris; & quia ſine miniſterio non impletur officium pontificale, ideo amovendus eſt ab eccleſia, & alius idoneus eligendus.

Debet igitur Epiſcopos in locis ſuæ juriſdictionis conſtituere judices laicos, qui in cauſis criminalibus jus dicant; alioquin ſi interſit corporaliter pœnæ corporalis executioni, ob quam reus occiditur, vel mutilatur incurrit irregularitatem. Cenſet tamen Gloſſa *in c. tua de homic.* poſſe clericum principibus in criminalibus dare conſilium in genere dicendo, fures taliter eſſe puniendos; non verò poſſe quidquam in particulari ſuggerere. Poſſe tamen de furibus ponere querelam civiliter. Quòd ſi Epiſcopus vel alius clericus non habeat juriſdictionem temporalem in loco, ubi pœnæ corporales etiam ſanguinis infliguntur, tunc non fit irregularis ſi ſit præſens, dummodo nullo pacto cooperetur, ſed ſimpliciter aſſiſtat : non tamen excuſatur à culpa gravi *cap. penult. Ne clerici, vel Monach.* Sin verò conſilium daret de infligenda pœna ſanguinis, mutilationis, vel mortis, incurreret irregularitatem : non enim refert, an quis facto, vel conſilio, vel authoritate ſua det cauſam homicidio *cap. ſi quis 8. diſt. 50. Gloſſa hic V. corporalem.* 14

Imò licèt Epiſcopus tantùm dicat, ut ſuſpendatur fur; vel per verba æquivalentia id innuat, cenſetur neci furis auxilium præſtare, ac propterea fit irregularis : quia cum ſufficienter conſtet de mente illius, non eſt vis ponenda in verbis, ut notat Innocentius *in d. c. ex litteris 10. V. multitudine h. t.* Generatim ob authoritatem, vel causâ præbitam neci, ſeu occiſioni hominis nocentis, ac malefactoris incurritur ab Epiſcopo, vel clerico irregularitas ex defectu lenitatis; ut autem præſentia dicatur eſſe cauſa necis, debet eſſe præſentia authoritativa qualis eſt illa judicis, vel Principis, 15

cipia, qoi ſupplicio intereſt; non item aliorum, qui absque ulla authoritate ſuper reum, ſimplices adſunt ſpectatores.

16 Septimus exceſſus eſt ſi Prælati compellant ſacerdotes ſibi ſubditos ad revelandum peccatorem, vel peccatum auditum in confeſſione Sacramentali, ut deſumitor *ex c. dilectus 13. h. t.* ubi cum Rectores Fraternitatis urbis Joannem Presbyterom ad revelandum fures compellerent, & quòd ſoper quodam furto ſibi tanquam ſacerdoti fuerat revelatom, vel ad ſatisfaciendum damnum paſſo arctare nitерantur per ſententiam interdicti: Honorius III. quia taliter credita revalare, ac cogi ad id, quod Presbyter non rapuit, exſolvendum, perniciosum eſſet; mandat dictis Rectoribus injungi, ut à memorati Presbyteri gravamine penitus conquieſcant. Ex quo textu infertur non poſſe cogi ſacerdotem ad revelandum peccatū auditom in confeſſione ſacramentali: quia cum ſacerdos in illo tribunali vices gerat Dei, cujus eſt miniſter; ſcit peccata quæ ſubjiciuntor clavibus eccleſiæ non ut homo, ſed ut Deus *c. omnis de pœnit. & remiſſ.* quapropter non poteſt ſacerdos neque à Judice eccleſiaſtico adigi ad revelandum peccatorem ſibi ſacramentaliter confeſſum; neque ad manifeſtandum ipſum peccatum.

17 Quinimo neque per ſummum Pontificem poteſt ſacerdos ad id adigi: qoia ut notat Abbas *in d. c. dilectus 13. num. 4. h. t.* ſacerdos in ſacramentali confeſſione eſt ſpiritualis Dei Vicarius; & Papa generalis: ſpecialis verò quoad cauſam ſibi commiſſam major eſt Vicario generali *c. ſanè 11. de offic. Judic. deleg.* Tum quia ſigillum ſervari in ſacramento pœnitentiæ eſt de jure divino. Hinc ſi producatur ſacerdos in teſtem in judicio; non ſolùm poteſt dicere, ſe nihil ſcire; verùm etiam jurare ſe nihil ſcire de eo, quod interrogatur, ſubintelligendo tanquam homo, qui poſſit ita interrogari; quia ſacerdos id ſcit ut miniſter Chriſti, qui ut talis non poteſt ita interrogari. Cæterum Judex poteſt alios compellere ad indicandum furem, furtúmque commiſſum: imò Judex eccleſiaſticus poteſt etiam ſententiam ferre cenſuræ contra non revelantes: quia id eſt ſpeciale in ſacramentali confeſſione.

18 Octavus exceſſus eſt, ſi Epiſcopi ſine conſenſu Papæ plures Epiſcopatus ſimul uniant, ut reditus fiant pinguiores, ac proventus uberiores; idque deſumitur *ex c. ſicut 8. h. t.* ubi cum prior Gradenſis monaſterium ſuum de Accato ſubjeciſſet, ſive univiſſet inconſulto Epiſcopo. Cœleſtinus III. eidem concedit ut poſſit dictam unionem infirmare, non obſtante aſſenſu, & confirmatione Metropolitani, qui in Diœceſi ſui ſuffraganei, absque ejusdem aſſenſu contra conſtitutiones canonicas attentare nihil poteſt. Sicut Prælatus Epiſcopo inferior non poteſt ſine conſenſu Epiſcopi eccleſias ſibi ſubjectas unire: ita neque Epiſcopus plures Epiſcopatus ſine conſenſu Papæ. Siquidem Cœleſtinus III. *in d. c. ſicut 8. h. t.* ſicut unire Epiſcopatus, & poteſtati alienæ ſubjicere ad ſummum Pontificem pertinet. Ita ad Epiſcopum ſpectat Eccleſias ſuæ Diœceſis unire, & eaſdem aliis ſubjicere.

Ex hoc textu infertur, quòd ſicut Epiſcopi non poſſunt unire Epiſcopatus ſine conſenſu Papæ; ita neque Prælati inferiores poſſunt unire eccleſias ſine conſenſu Epiſcopi; adeo ut non ſufficiat conſenſus Metropolitani: qoia Metropolitanus non debet quidquam intentare in Diœceſi ſui ſuffraganei ſine ejus conſenſu. Rurſus Papa poteſt ſibi quædam reſervare, quæ alij impunè non poſſunt. Hinc ſolus Papa reſtituit depoſitos Epiſcopos, deponit eoſdem, dividit Epiſcopatum in duos, & duos unit in unum: eximit Epiſcopos, & Abbates: probat ſcripta aliorum, & conſilia confirmat: declarat articulos fidei; & cum dubitatur de ali- 21 quo articulo fidei ipſe dubium ſolvit; congregat ſynodum generalem; transfert ſedem Epiſcopalem de loco ad locum; mutat Epiſcopos; nullus appellat ab ejus ſententia. Ratio eſt, quia cum ſummus Pontifex habeat plenam diſpoſitionem in eccleſias univerſi orbis *c. decimas ad finem c. & temporis 16. q. 1. c. de præb. in 6. Clement. 1. ut lite pendente* ideo poteſt Epiſcopatus, Diœceſes, eccleſias omnes, ac beneficia unire: ſicut & Imperator ex duabus provincijs poteſt unam facere; ut etiam diverſa officia unire. *Novella 8. & 24. usque ad 29.* 19

Ex eo autem quòd Epiſcopus poſſit unire eccleſias ſuæ diœceſis privativè ad inferiores Prælatos, habeátque plenam diſpoſitionem eccleſiarum ſuæ Diœceſis *c. ſanctorum 70. diſt. c. unaquæque 9. quæſt. 3. c. rogenda 10. quæſt. 1.* non ſequitur, quòd Epiſcopus poſſit in ſua Diœceſi quod Pontifex in tota Eccleſia: ſed tantùm in hoc textu ſignificatur quædam proportio inter poteſtatem Papæ in totam univerſalem eccleſiam, & Epiſcopi in ſuam Diœceſim, ut notat Fagnanus *in d. c. ſicut. num. 2. h. t.* alioquin adhuc eſt diſcrimen inter poteſtatem Papæ uniendi Epiſcopatus, & alias dignitates in tota eccleſia; & poteſtatem Epiſcopi uniendi eccleſias intra propriam Diœceſim; quia Pontifex poteſt unire eccleſias etiam ſine cauſa, & absque alicujus concilio, & conſenſo, argumento *c. cuncta 17. & ult. cauſ. 9. quæſt. 3.* licèt ſoleat Papa negotia ardua non expedire niſi ex conſilio Cardinalium; quia id videatur 22 conſultiva, magisque expedire. Secus Epiſcopus nonniſi ex juſta cauſa poteſt unire eccleſias ſuæ Diœceſis *c. 1. de his quæ à Prælato.* Imo requiritur etiam conſenſus capituli *Argumento cap. Paſtoralis 1. in fine de donat.* 20

Neque poteſt eccleſias unire, ſi per talem unionem minuatur cultus divinus; & redditus, qui pluribus eccleſiis ſufficerent ad unam tantùm reducantur. *c. final. de V. S.* quapropter in Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. de reform c. 6.* ſtatuitur, ut uniones perpetuæ à quadraginta annis factæ examinentur ab 23 ordinariis tanquam à Sede Apoſtolica delegatis; 21

tis; & quæ per ſub vel obreptionem factæ reperiuntur, irritæ declarentur; ideóque tales uniones ſemper odioſæ judicantur.

22 Poſſet nihilominus objici, quia tam Pontifex in eccleſiæ univerſali, quàm Epiſcopi in propriis Diœceſibus non ſunt domini, quia non habent perfectum diſpoticum dominium in eccleſias; ſed ſunt tantùm inſtar uſufructuarii quatenus ex iisdem percipiunt fructus *c. 1. c. cum in officiis de teſtam.* ſed uſufructuarius circa rei formam nihil poteſt mutare *l. 1. ff. de uſufructu*: ſed re ipſa tantùm uti ſalvâ ejus ſubſtantiâ *§. 1. inſtit. de uſufruct.* ergo non poteſt Pontifex eccleſias cathedrales, nec Epiſcopus eccleſias ſuæ diœceſis unire; quia per unionem mutatur earum forma *ex l. final. cod. de vend. rer. fiſcal. lib. 10 l. 2. final. cod. de præbend. decur. lib. 10.* unde neque Pontifex eccleſias cathedrales; neque Epiſcopus eccleſias ſuæ diœceſis unire poteſt. Tum quia quælibet eccleſia debet habere ſuum Rectorem *c. quia nonnulli 3. c. conquerente 6. de cleric. non reſidente. c præcipimus 53. 16 quæſt. 1.* en autem ipſo quòd duæ eccleſiæ ſimul uniuntur altera earum neceſſe eſt careat paſtore: unde hæc unio nequit fieri.

23 Sed contra quia tametſi Pontifex in tota eccleſia, & quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi dicantur uſufructuarij; ipſis tamen commiſſum eſt regimen eccleſiarum, in quas habent plenam jurisdictionem; ratione cujus Epiſcopi in ſuis diœceſibus ex juſtis cauſis, & prout conſultiùs viſum fuerit poſſunt eccleſias unire, præſertim ſi id conducat ad majus bonum populorum. Neque tunc altera eccleſia proprio caret paſtore; quia ambæ eccleſiæ tunc coaleſcunt in unam, cui præeſt ſuus proprius paſtor. Cæterum id procedit de eccleſiis, quæ ſpectant ad liberam collationem Epiſcopi; non verò de illis, quæ ſunt Juriſpatronatus; quia tunc requiritur conſenſus ipſius patroni, ſive jus patronatûs ſit Eccleſiaſticum, ſive ſæculare *Clement. unic. § ad hæc de ſtatu Monachorum Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reform. c. 15.* Quòd ſi unio fiat à Legato à latere, & jus patronatûs ſit eccleſiaſticum non deſideratur conſenſus patroni *c. cum dilectus de jure patronatûs* ut probat Barboſa *de jur. Eccleſ. lib. 3. c. 16.* Abbates tamen, & alii Prælati inferiores non poſſunt ſine conſenſu Epiſcopi eccleſias, vel monaſteria unire; niſi ex legitime aliqua præſcriptione, vel privilegio Pontificio hoc jus illis competat: quia jure communi hæc poteſtas reſervata eſt ſolis Epiſcopis privativè ad inferiores Prælatos, ut deſumitur *ex d. cap. ſicut 8. h. t.*

24 Octavus exceſſus eſt ſi Epiſcopi gravamina inferant Religioſis, & deſumitur *ex c. Nimis prava 17. h. t.* ubi cum plerique Epiſcopi cogerent Fratres Prædicatores, & Minores ad ſynodos venire, capitula item, & ſcrutinia, in locis ipſorum pro iis corrigendis inſtituere minarentur, à miniſtris, & cuſtodibus juramentum fidelitatis exigerent; ad proceſſiones eos ex levi cauſa traherent, excommunicationem comminantes, ac ferentes etiam in eos, qui in celebriores, ac opportuniores civitates ipſos reciperent; exigendo etiam de hortis, & habitaculis fratrum, ſicut de Judæorum domibus tributum, ſeu talliam; volentes etiam pro ſuo arbitrio illis miniſtros, ac cuſtodes præficere, ut illos tota iter ſuæ ſubderent jurisdictioni: reſcribit Gregorius IX. Epiſcopis aliisque Prælatis, ut deſiſtant ab hujuſmodi gravaminibus, & ſubditos quoque ſuos ab his compeſcant: & Pontifex *in dicto c. Nimis prava 17. h. t.* centum & nonaginta duo enumerat gravamina circa ſacramenta, ſepulturas, miſſas, Eleemoſinas, oblationes, & alia id genus; ut etiam quinque ſupra viginti *in c. nimis iniqua 16. h. t.* Utérque enim textus emanavit in ſimili cauſa pro ordinibus exemptis, & mendicantibus, quos Epiſcopi ſibi ſubjicere conabantur, ſuiſque ſpoliare privilegiis. Nulla tamen in dictis capitulis additur pœna; quia Pontifex ſperabat illos ſimplici mandato parituros; ad pœnas progreſſurus niſi ſtatim parêrent. Juvat obſervare 4. quòd *in c. Nimis prava 17. h. t.* dicuntur fratres Prædicatores, perinde ac Minores eſſe in ſtatu arctiſſimæ paupertatis; quod ita debet intelligi, ut monaſteria utriuſque ordinis non poſſint habere bona immobilia neque in particulari, neque in certos, ac perpetuos reditus; hoc tamen diſcrimine quòd Minores ſint incapaces omnium bonorum etiam in communi ex regula, & primævo ſuo inſtituto, ut habetur *in c. Exiit 3. de V. S. in 6. & Clement. eod. tit.*

Prædicatores verò ex Regula, quæ eſt S. Auguſtini ſunt capaces bonorum in communi etiam quoad proprietatem; non verò ex conſtitutionibus poſtea ab ipſis conditis, & à Sede Apoſtolica approbatis: ex privilegio tamen ſunt capaces annui reditûs, ut notat Fagnanus *in dict. c. Nimis 17. h. t. num. 12.* Jure tamen novo ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. c. 3. de Regul.* conceditur omnibus monaſteriis tam virorum, quàm mulierum etiam mendicantium exceptis domibus Fratrum S. Franciſci Capucinorum, & eorum qui de obſervantia vocantur; etiam quibus ex conſtitutionibus erat prohibitum; vel ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum; ut bona immobilia poſſidere liceat. 25

Sunt alij plures exceſſus, qui à Prælatis committuntur, quia cum exceſſus dicantur quoties Prælati aliquid contra leges committunt; & poſſint contra leges ſingulas nonnunquam delinquere; qui omnes exceſſus vellet recenſere, fere omnes materias præſertim ſubſequentium titulorum deberet huc revocare; unde ad evitandam hanc ſuperfluam prolixitatem placuit eos tantùm hîc recenſere exceſſus, qui in hoc titulo ſunt notabiliores. 26

§. II.

De Exceſſibus Subditórum in ſuos Prælatos.

1 EXpenſis exceſſibus Prælatorum delinquentium in ſubditos ſuperſunt explicandi exceſſus, quibus ſubditi peccant in ſuos ſuperiores; & ij præſertim, qui in hoc titulo continentur. Primò dicuntur ſubditi in ſuos ſuperiores delinquere, ſi violent interdicta ab iiſdem lata; idque deſumitur *ex c. Tanta 18. & ult. h. t.* ubi cum Epiſcopus Colubrienſis interdictum Apoſtolicum non ſolùm ipſe temerè violaſſet, verùm etiam alios eò compuliſſet atrocibus injuriis, ſpoliando eos beneficiis, aliiſque ea conferendo; & cogendo etiam eos ad ſubeundum exilium: hæcque omnia in præſentia Pontificis, & fratrum ipſius Cardinalium publicè recognoviſſet, & ſponte Epiſcopatu ceſſiſſet: nolens Pontifex alios, qui interdictum temerè violârunt & beneficia innocentibus erepta receperant, canonicam ultionem effugere; omnes collationes, & ſententias excommunicationis, atque interdicti in quoſcunque hac occaſione latas ab eo poſt violationem interdicti ejusdem decrevit irritas, ac nullius efficaciæ: illos verò qui in Innocentum beneficia, ac præbendas erant intruſi, ab his, & aliis beneficiis, ſi quæ obtinerent, jubet amoveri, ac ſuſpendi, ſimiliter, & alios interdicti violatores: illos tandem, qui in res, & perſonas innocentum Canonicorum, Prælatorum, vel Clericorum manus injecerant, ad ſuam præcipit compelli venire præſentiam, pro meritis recepturos ſententiam; invocato ad hoc ſi opus fuerit etiam brachio ſæculari.

2 Ex quo textu habetur, non ſervantes interdictum eſſe ſuſpenſos ab omni juriſdictione; & collationem beneficiorum factã ab illis poſt violationem eſſe irritam; & intruſos eſſe ſuſpendendos ab ipſis, & omnibus aliis. Cæperat ab initio Epiſcopus ille Colubrienſis ſervare interdictum; ſed poſtea murato conſilio, temerè illud violavit, deliquitque in Papam, qui interdictum tulerat, & in Eccleſiam; contemnendo, ut ait ibidem Gregorius IX. Petri claves, ac lædendo eccleſiaſticam poteſtatem: nomine enim clavium hic intelligitur ſacerdotalis poteſtas: dicuntur tamen claves in plurali, ut ſignificentur duo actus, ſeu duæ facultates, hoc eſt clavis ſcientiæ, & clavis potentiæ, ſeu juriſdictionis, per quam ſacerdos ligat, & ſolvit: ſola tamen ſcientia non habet rationem clavis, quia poteſt quis habere, ſcientiam ſine juriſdictione, ſeu poteſtate ligandi, & ſolvendi; unde ut rationem habeat clavis debet ſimul eſſe cum juriſdictione ſeu poteſtate ligandi, & ſolvendi. Rurſus clavis ſcientiæ dicitur poteſtas interrogandi in confeſſione pœnitentem de ſuis peccatis; perinde ac Judex civilis, ſeu fori externi habet poteſtatem examinandi Reum: clavis potentiæ, ſeu juriſdictionis eſt facultas ligandi, vel abſolvendi; ad quam præter poteſtatem ordinis requiritur etiam poteſtas juriſdictionis.

3 Conſtat etiam *ex d. c. Tanta ult. h. t.* ante transgreſſionem eccleſiaſtici interdicti, vi illius neminem eſſe privandum vel ſuſpendendum ab eccleſiaſtica juriſdictione: quia Pontifex tantùm annullavit ſententias excommunicationis, & interdicti, & attentatas collationes beneficiorum tantùm poſt violatum interdictum; quæ enim fuerunt ante talem violationem ſententiæ latæ ſuum fuerant valorem ſortitæ. Ratio eſt quia interdictum impedit ſolum exercitium ordinis; non verò illud juriſdictionis: ſed eo ipſo, quòd Clericus violat interdictum incurrit ipſo jure ſuſpenſionem ab officio, proinde remanet ſuſpenſus etiam ab exercitio juriſdictionis, cum hæc non niſi ratione officii competat: hinc ſententiæ excommunicationis latæ poſt violatum interdictum à Gregorio IX declarantur irritæ defectu juriſdictionis in eas ferente.

4 Imò violator eccleſiaſtici interdicti contrahit etiam irregularitatem, à qua abſolvi non poteſt niſi à ſolo Papa *c. 1. de ſenten. & re judic.* quia interdictus ſimpliciter, vel etiam, reſpectu certi loci eſt ſuſpenſus ab omni officio ac poteſtete clavium: unde ſi interdictus celebret divina officia, vel in loco interdicto fit irregularis *c. is cui 20. de ſent. excommun. in. 6.* non tamen per violationem interdicti incurrit ipſo jure privationem beneficiorum; ſed privandus eſt per ſententiam judicis, ut docet Abbas *in dic. c. Tantam. 2. h. t.*

5 Rurſus ut violans interdictum incurrat irregularitatem debet exercere actum proprium alicujus ordinis eccleſiaſtici tanquam ex officio ad id deputatus, à cujus exercitio eſt ſuſpenſus; ut ſi ſubdiaconus poſt violatum interdictum canter in miſſa ſolemni Epiſtolam, vel diaconus evangelium; vel Presbyter miſſam celebret, quia hi actus ſunt proprii ordinum: alioquin ſi violans interdictum exerceat actum non competentem alicui certo ordini; ſed qui poſſit etiam exerceri ſaltem ex conſuetudine per laicos, non fit irregularis, ut notat Covarruvias *in c. Alma Mater part. 2. §. 2. num. 3.* ut neque fit irregularis ſi exerceat actus juriſdictionis, ſi tantùm ſit interdictus. Cæterum pœna inflicta violantibus interdictum exercendo actum proprium ſui ordinis eſt privatio beneficiorum jam obtentorum, & inhabilitas ad nova beneficia obtinenda: idque deſumitur *ex d. c. Tanta ult. h. t.* ubi notat Hoſtienſis *V. obtinent*, eos, qui voluntariè acceptârunt beneficia aliis ablata ab Epiſcopo privandos eſſe omnibus beneficiis quomodocunque obtentis: eos verò qui nonniſi coactè ea acceperunt, eſſe tantùm privandos iiſdem beneficiis coactè acceptis; non verò aliis.

6 Secundus ſubditorum exceſſus eſt, ſi Prælatum, ſeu Epiſcopum ſuum negent eſſe eorum Dominum, ac habere in ipſos juriſdictionem:

cúmque

eúmque propterea trahunt ad Judicem ſæcularem in cauſa ſpirituali; vel conſilium dant adverſario contra ipſum; ut deſumitur *ex c. Gravem 15. h. t.* ubi Honorius III. reſcribit, quòd ſi conſliterit, Archidiaconum primò, & ſecundò contra fidem homagii præſtitam, ac debitam reverentiam, Epiſcopum ſuum Dominum negâſſe, vel in foro ſæculari depoſuiſſe contra eum ſuper rebus ſpiritualibus quæſtionem, aut tam invaſori Epiſcopi, & ſociorum ejus, quàm fratri ejus, complicibus ſuis cauſam, vel conſilium præbuiſſe; ipſum tanquam membrum putridum ab Eccleſia Ambianenſi penitus abſcindi; & beneficia ipſius perſonis idoneis per illos, ad quos donatio pertinet, aſſignari. Ex quo textu liquet, Clericum, ac ſubditum eccleſiaſticum, qui contra juramentum negat, Epiſcopum eſſe dominum ſuum; vel in foro ſæculari deponit quæſtionem de re ſpirituali contra eum, vel qui dat conſilium, vel cauſam invaſoribus Epiſcopi, & ſociorum; perpetuò abſcindi ab eccleſia, & ejus beneficia aſſignari aliis idoneis: ubi notat Gloſſa, eum perdere beneficia, non ipſo jure; ſed per ſententiam judicis; ſicut qui alium trahit in vetitum examen, perdit cauſā per ſententiam, non ipſo jure *argumento c. ſi diligenti ſup. de for. compet.*

7 Rurſus Epiſcopum poſſe, & debere dici dominum Clericorum, qui eidem ſubjiciuntur; adeo ut negantes ipſum eſſe dominum, ſint pœnâ digni, licèt ex hoc ſolo, non tam gravi ut hic ſtatuitur; quia in textu concurrunt aliæ culpæ graviores, ut accuſatio in foro ſæculari; conſpiratio, & invaſio contra Epiſcopum: alioquin licèt honeſtum ſit, ac decens ut clerici ſubditi vocent proprium Epiſcopum dominum; non tamen id videtur abſolutè neceſſarium *argumento c. cavendum 7. cauſa 10 q. 3.* unde non peccaret graviter clericus, ſi ſuum Epiſcopum non vocaret dominum, ſed Prælatum, qualis revera eſt. Gravius tamen *in d. c. Gravem 15. h. t.* punitur Archidiaconus ratione præſtiti juramenti fidelitatis, ac obedientiæ; quòd à Præpoſitis, & Archidiaconis præſtari ſolet quando inſtituuntur ſaltem plerisque in locis; quia tunc ſi quis neget eum eſſe ſuum, agit contra reverentiam, & obedientiam juramento promiſſam; proinde puniri poteſt, ſeu privari beneficiis, quæ amittit per ſententiam judicis, etiamſi disjunctivè altero eorum deliquerit, quia verba ponuntur à Pontifice disjunctivè; & quia mandat *in d. c. Gravem 15. h. t.* Archidiaconum abſcindi ab Eccleſia Ambianenſi, non abſcinditur à tota eccleſia, neque traditur curiæ ſæculari; quia cum hæc conſtitutio ſit pœnalis; non eſt amplianda ultra ea, quæ exprimuntur in ipſa.

8 Tertius ſubditorum exceſſus eſt ſi Clerici privati, & ſingulares ſine conſenſu Prælati utantur communi ſigno collegii, idque deſumitur *ex c. dilecta 14. h. t.* ubi cum Presbyteri, & Clerici Eccleſiæ Sueſſionenſis non conſueverint habere proprium ſigillum; neque unum corpus, aut capitulum conſtituere; & nihilominus contra voluntatem Abbatiſſæ ſuæ Patronæ, ſigillum habere contenderent: reſcribit Honorius III. ſi ita ſit, dictis presbyteris, & Clericis authoritate ſua inhiberi expreſsè, ne vel de novo fabricent ſigillum, vel noviter fabricato utantur. Ex quo textu liquet, eos clericos, qui non conſtituunt unum corpus, vel capitulum non poſſe habere commune ſigillum, niſi à ſuperiore concedatur; neque eos conſtituere unum corpus, qui non ſunt de collegio, vel una ſocietate, quamvis ſubſint uni tanquam capiti: neque Abbatiſſam, quæ eſt caput multorum beneficiatorum conſtituere cum iisdem unum corpus; ut neque Epiſcopum cum clero ſuæ Diœceſis *c. requiſiti de teſtam. c. cum clericus de V. S.*

9 Bene tamen Epiſcopus cum ſuo capitulo conſtituit unum corpus: ſecus reliqui ex clero cum ſint privati non conſtituunt collegium; nec illis debetur ſigillum, ut uni corpori ad expedienda negotia; quia collegia, & ſocietates privatorum reprobantur, regulariter ſaltem *l. 1. in princ. ff. quod uniuſque univerſ. nom.* Ratio eſt quia ex privatis conventiculis timetur conſpiratio, & conjuratio contra principem *l. 1. ff. de colleg. illicit.* niſi tamen jure gentium vel poſitivo approbatæ fuerint; vel ex inolita conſuetudine, cujus beneficio poteſt jus collegii acquiri, cujus præcipuum ſignum eſt ſigillum: hinc cauſa, cur *in d. c. dilecta* Abbatiſſa repugnaret, erat, quia non patrocinabatur illis conſuetudo habendi ſigillum, quæ ſi viguiſſet, fuiſſet ſufficiens argumentum integri juris collegialis acquiſiti vi conſuetudinis, ut notat Innocentius *in c. Poſtulâſti de jure Patron.*

10 Rurſus quamvis plures beneficiati ſint in eadem eccleſia, non propterea ex hoc præciſè dicuntur conſtituere collegium, vel capitulum; quia capitula conſtituuntur à principio in ipſa fundatione ſub nomine eccleſiæ collegiatæ, vel Capituli: vel obtinent ex privilegio ſuperioris, vel conſuetudine legitimè præſcripta, ut notat Abbas *hic n. 1. not. 2.* & ſigna collegii ſunt conſtituere ſyndicum, ſive actorem, per quem in cauſis agant, vel reſpondeant habere arcam communem, vel ſigillum commune, ut notat Hoſtienſ. *h. t. num. 3.* Hinc quando plures privati Clerici intendunt facere commune ſigillum, & quaſi unum corpus, ſeu collegium, poteſt ſuperior in cujus detrimentum id cedit ſe opponere; ſicut *in d. c. dilecta 15. h. t.* ſe opponit Abbatiſſa, cui Clerici ſubjiciebantur. Cæterum non prohibentur privati propria habere inſignia, & ſigilla dummodo non fiat in præjudicium alterius.

11 Quartus ſubditorum exceſſus eſt, ſi Vicarii Eccleſiarum perſonatum eccleſiaſticum ſibi uſurpent contra fidem, & juramentum præſtitum, ut deſumitur *ex c. illud 6. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit Epiſcopo Norvicenſi, Quòd ſi Vicarii, perſonis (ſeu rectoribus Eccleſiarum) fide ex ſacramento obligati, perſonatum ſibi falsò aſſumant, & ſuper hoc in jure confeſſi,

confeſſi, vel convicti fuerint, in eodem Epiſcopatu ad officii ſui executionem nullatenus admittantur. Nomine perſonstuom linguâ Anglicane ſignificantor Parochi, vel curati: unde Vicarij, qui his juramento fidelitatis ſe obligârunt, tanquam falſarij (quando curam eccleſiarom felſis titolis ſibi arrogant) & tanquam perjurij de officiis deponi debent; quia falſarij, & perjurij habentor infemes *l. ſi quis major. 41. C. de transact.* unde tanquam indigni priventur beneficiis, & dignitatibus eccleſiaſticis *c. querelam 11. de rcjur. c. inter 11. §. 1. h. t.* Quamobrem Vicarius qui contre fidem, & juramentum convictus, vel confeſſus fuerit falſò ſibi eſſumpſiſſe Epiſcopetum, excluditur eb executione ſui ordinis non ſolùm in eodem Epiſcopato, ſed etiam ie alijs, eò quia tanquem infamis habetur indignus beneficijs eccleſieſticis acquiſitis, vel acquirendis, ut notat Hoſtienſis *in d. c. illud etiam V. executionem.* ubi tamen textus maximè loquitur in eodem Epiſcopetu, ſed *c. querelam de jurejur.* indicat perjuros, & infames eſſe deponendos ſimpliciter ab officiis, & dignitatibus eccleſiaſtcis.

12 Præter præfatos exceſſus, qoos ſubditi in ſuos committunt Prælatos, adhuc in præſenti titulo duo alii Clericorum exceſſus, ſeu potiùs graviora delicta pœnis gravioribus puniuntur; quorum primum oſt Clericis, & laicis commune, & prohibetur *in c. Clerici 4. h. t.* & eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. *c. 11. & 12.* ubi Concilium ſtatuit, ut quicuaque in crimine incontinentiæ contra neturam (propter quam ignis quinque civitates abſumpſit) deprehenſi fuerint, ſi Clerici fuerint à clero dejiciantur, vel ad pœnitentiam in monaſterium detrudantur; ſi laici excommuei centor. Imò Clerici hoc pacto contra neturam incontinentes in monaſteriis etiam detruduntur ed ſeveriorem pœnitentiam ageedam *c. aſſerebat c. adulterij c. flagitia c. uſus 37. q. 7. c. ut Clericorum de vita & heneſtate Clericor. c. Solicitatore; §. qui verò de pœnit. diſt. 1.* Cùm hoc crimen deterrimum ſit, & horrendum eò quia præpoſtero naturæ ordine adverſentibus podicitiæ legibus perpetretur, dicatúrque propterea peccatum omnium peſſimum *in c. 11. 35. q. 3.* & Tertullianos *lib. de pudicitia* meritò inter monſtre illod referat inquiens *Reliquas autem libidinum furias impias in corpora, & in ſexus ultra jura natura non modo limine, verùm omni Eccleſia tecto ſubmovemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra.* & D. Auguſtinus do bono conjugali. *c. 8.* ait, hane detercimam libidinis fœculentiam eſſe ſummitatem turpitudinum: alii SS. Patres etiam calamos acuunt, ut peſſimum hoc vitium pungant, & expongant, & Salvisaus de gubernatione Dei rectè noravit, Deum ultorem hujus delicti ſe vocare, tamerſi in aliis delictis nomen ultoris admodum abhorruerit, eò quia legatur *Geneſ. c. 19. Dominus pluit ſuper Sodomam*, adeò ut Deus ipſe per ſe dicatuc hoc crimen ulciſci. Et licèt legibos civilibus hoc crimen veriis pœeis ſanguinis plecteretur, & etiam pœna capitis, vel elie pœne mortis *Levit. c. 18. verſ. 22. & cap. 20.* ubi uterque hoc flagitio inquinatus jubetur morte puniri, & apud orientales referente Euſebio *libro 6. de præpar. evang. c. 8.* moris fuerit, ut qui pudorem maſculi eriperet, ſi res in lucem venirer, magnitudine ignominiæ ſe ipſom interficere cogeretur; nihilominus Eccleſia, cùm edmodum ebhorreat ſanguinis effuſionem, ideo ad vindicandum hoc fœculentiſſimum vitium ſtatuit tantùm pœnas ſpirituales, non verò pœnam capitis, ut ſanxerunt ſæculares legislatores.

Quòd ſi dicas, pœees eccleſiaſtices inflictas contre hoc vitium non eſſe conformes juſtitiæ, eò quia non reſpondent atrocitati delicti; ſiquidem quælibet Domini noſtri ectio debet eſſe noſtra inſtructio, ut habetur *in c. ſignificâſti 4. de elect. Clement. 1. de Magiſtris.* Sed Dominus noſter contre perpetrantes hoc deterrimum crimen non ſolùm pœne ſpirituali uſus eſt, ſed etiem corporeli; igne ſcilicet, qui de cœlo illabens quinque conſumpſit civitates *Geneſ. c. 19* & *Deuter. 29.* unde Eccleſia non videtur per ſolam depoſitionem, vel excommunicationem ſufficienter hoc ſcelus punire; quia pœna metienda eſt juxta ſceleris gravitatem *c. felicis §. cæterum de pœn. lib. 6. l. fin. C. de modo mult.* atqui pro ſtupro, & adulterio injungitur pœea corporalis, ut liquet *in c. 2. de adult.* ergo à fortiori pro hoc nefando crimine injungenda eſt pœna corporalis; præſertim cùm ejus gravites adulterium ſuperet *c. adulterij 32. q. 7.* 13

Contre eſt quie argumentum petitum à pœeis impoſitis pro alijs delictis non urget, quia in delictis puniendis penſantuc variæ, quæ occurrunt circumſtaetiæ, præſertim loci, temporis, perſonarum, occaſionum, faciliteris peccandi, multitudinis peccantium: impediont enim hujusmodi circumſtantiæ, ne pœna impoſita uni delicto alteri etiam graviori injongatur. 14

Ultimus exceſſus relatus in hoc titulo eſt proprius Clericorum, eſtque, ne gravibus criminibus publicè glorientur, & deſumitur *ex cap. quam ſcit 9. h. t.* ubi cùm Clericus quidam non erubuiſſet publicè confiteri ſe mulierem carnaliter cognoviſſe, ac proinde vir, cui erat matrimonio copolata eam ad propria cemiſiſſet, mandat Pontiſex appellatione ceſſante præſatom clericum ab officio, & beneficio ſuſpeedi, & virum compelli, ut dimiſſam uxorem iterum recipiat. Ex quo textu. liquet, Clericum, qui publicè gloriatur de crimine quod commiſit, ut, quòd cognoverit fœminam, eſſe ſuſpendendum à beneficio, & officio, ſi inde ſcandalum ſit ſecutum, ſeu ſi maritus remiſit uxorem cognitam à Clerico. 15

Juvat tamen obſervere cùm Gloſſe, quòd 16
tamerſi confeſſio extre jus factapr æjudicet; nemo

nemo tamen ſine accuſatore damnari debet. Quapropter Clericus iſte nnn punitur ex illa ſua confeſſione niſi occuſationaliter, hoc eſt ratione ſcandali, & infamiæ ortæ contra mulierem ejectam. Præterea crimen hujus Clerici aggravatur ex ſubſequente glotiatione, cùm præſertim acceſſerit grave ſcandalum, quod nunquam deeſt in tali Clericorum gloriatione, quæ per ſe eſt grave peccatum: quapropter Pſalmiſtia ſic ſe gloriantem increpat, *quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate.* Cæterum ſola gloriatio de gravi delicto mererur pœnam hujus ſuſpenſionis, quia facit ſe ſuſpectam illius delicti, cui hæc pœna infligitur. Ob tamen ſolam confeſſionem gloriantis ſe uxorem alterius cognoviſſe, non poteſt vir ſuam uxorem repellere, nec dimittere, quia confeſſio etiam judicialis, non valet in præjudicium alterius *c. 1. de confeſſ. cap ſignificaſti 5. de adulter.* proinde multò minus valet confeſſio extrajudicialis, ut notat Abbas *in d. c. quam ſcit. 9. h. t.*

§. III.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, quinam actus ſpectantes ad Epiſcopalem juriſdictionem prohibeantur exhiberi à Prælatis inferioribus? Reſpondetur de hac quæſtione extare ſtatutum Concilij Generalis Lateranenſis ſub Innpcentio III. *c. 60.* & refertur *in c. accedentibus 12. h. t.* nbi cùm undique querelæ Epiſcoporum ſuper exceſſibus Abbatum venirent, quod manus ad Epiſcopalia extenderint, de cauſis matrimonialibus cognoſcendo, publicas pœnitentias injungendo, concedendo indulgentias, & ſimilia præſumendo: Pontifex volens Epiſcoporum dignitati, & Abbatum providere ſaluti, firmiter prohibet, ne quiſquam Abbatum talia impoſterium attentet ſine ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſa. Ex quo textu liquet, cognoſcere de cauſa matrimoniali, injungere publicas pœnitentias, concedere litteras indulgentiarum, & ſimilia eſſe munus Epiſcopi, & nullum eo inferiorem, ut Abbatem, poſſe tales actus ſibi uſurpare, niſi de ſpeciali conceſſione, vel alia legitima poteſtate, aut conſuetudine legitimè præſcripta; quia de jure communi cognoſcere ſuper cauſa matrimonij pertinet ad Epiſcopum, & alijs Prælatis inferioribus nonniſi ex ſpeciali conceſſione, privilegio, vel conſuetudine: ſiquidem quæ generaliter ad juriſdictionem pertinent Epiſcopalem, poſſunt etiam acquiri ab inferioribus Prælatis non ſolùm ex privilegio, ſed etiam vi præſcriptionis, aut conſuetudinis: non ita poſſunt ab inferioribus Prælatis acquiri ea, quæ pertinent ad ordinem Epiſcopalem, hæc enim nulla conſuetudine, aut præſcriptione acquiri poſſunt à non habente ordinem Epiſcopalem, quia quæ ſunt hujus ordinis eſſentialiter debent ordinem Epiſcopalem ſupponere; & quia hoc ordine carent inferiores Prælati, ideo non poſſunt ab iiſdem ulla conſuetudine, præſcriptione etiam temporis immemorialis acquiri *cap. quanto 4. de conſuetud. c. quamvis. 4. diſt. 68.*

2 Jure novo itidem ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 20. §. ad hæc de reform.* cauſæ matrimoniales, & criminales reſervantur tantùm examini, & juriſdictioni Epiſcopi non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, & conſuetudinibus, niſi fuerit conſuetudo immemorialis, ut declaravit ſacra Congregatio ſupra Concilium Tridentinum referente Fagnano *in d. c. accedentibus 12. num. 6. h. t.* Excipiuntur tamen Abbates, & alij Prælati exempti, qui cùm nullius ſint Diœceſis habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & ordinariam in Clerum; habentque etiam populum excluſis Epiſcopis: hi enim ſicut ex privilegio Papæ poſſunt acquirere territorium exemptum, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem privativè ad Epiſcopum; poſſunt etiam cognoſcere ſuper cauſis materialibus, & criminalibus: neque hujuſmodi poteſtas eſt illis ſublata per Concilium Tridentinum, quòd tantùm loquitur de Decanis, Archidiaconis, & aliis inferioribus non habentibus juriſdictionem ordinariam, ſub quibus non comprehenduntur Prælati; quia quando in lege, vel canone recenſentur perſonæ inferiores præſertim in odioſis non poſſunt ſub generali clauſula ſubſequente comprehendi majores, quia odioſa non ampliantur, ſed reſtringuntur ad ea tantùm, quæ in lege, vel canone exprimuntur, & Prælati habentes proprium territorium, in quo exercent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, majores procul dubio ſunt Decanis, & Archidiaconis: proinde non comprehenduntur ſub generali illa clauſula, quæ ponitur in Concil. Trid. aut *aliorum inferiorum.*

3 Neque obſtat dictio illa taxativa *tantùm* quâ utitur Concilium: *ſed Epiſcopi tantùm examini, & juriſdictioni relinquantur*: quia Abbates, & Prælati exempti quoad juriſdictionem in locis pleno jure ſibi ſubjectis ſunt ſimiles Epiſcopis, qui propterea comprehenduntur etiam nomine diœceſani etiam in materia præjudiciali, ut notant communiter Canoniſtæ cum Gloſſa *in Clement. unic. §. volumus V. Diœceſanis de for. compet.* unde Abbates, & Prælati exempti cùm habeant proprium, & ſeparatum territorium, quoad juriſdictionem comprehenduntur nomine Epiſcoporum, ut fusè probat Fagnanus *in d. c. accedentes n. 77. h. t.*

4 Verùm licèt Abbates, & Prælati exempti poſſint cognoſcere ſuper cauſis matrimonialibus; non tamen poſſunt publicas, & ſolemnes pœnitentias imponere, id enim ad ſolum Epiſcopum pertinet *c. in capite 64. diſt. 50.* ubi dicitur quòd publica pœnitentia debeat imponi ab Epiſcopo, vel ſacerdote ex ejus mandato. Imò neque Abbates, vel alij Prælati poſſunt de jure communi indulgentias concedere;

dere; quiâ hæc poteſtas pertiner præciſè ad dignitatem, & jurisdictionem Epiſcopalem; quia verò poteſtas concedeudi indulgentias non eſt poteſtas ordiois Epiſcopalis, nec ſacerdotalis, ſed tantùm jurisdictionis, eò quia remiſſio, quæ fit per indulgentias non pertineat ad diſpenſationem Sacramentorum, ſed tantùm bonorum communium Eccleſiæ, ideo etiam non Sarerdotes, & Epiſcopi non conſecrati poſſuot indulgentias concedere, dummodo habeant jurisdictionem, ut eriam *Prælati* Religionum, quia hi habent poteſtatem ordinariam, & quaſi Epiſropalem cujusmodi ſunr Generales, & Provinciales ordinum Regularium exemptorum, idque præſertim ex privilegio, & ſpeciali conceſſione Papæ, ut etiam ex conſuetudine legitimè præſrripta, quia conſuetudo tribuis jurisdictinnem *argum. c. ult. de offic. Arebidiac. c. cùm cantingat. 13. de fora compet.*

5 Quæritur ſecundò, ao jurisdictio Ordinariorum in Regulares poſſit exteodi ad extenſionem rationis? Reſpondetur, jurisdictionem ordinariorum contra regulares exemptos non eſſe extendendam; ſed continendam intra terminos præſcriptos à jure, & conſtitutionibus ſpecialibus Pootificiis. Ratio eſt, quia cùm regulares generaliter exempti ſint à jurisdictione ordinarii, & ſolùm in quibusdam caſibus in jure expreſſis ſubjiciantur; non debet ordinariorum jurisdictio extendi ultra caſus expreſſos in jure, alioqnin exemptio Regularibus conceſſa à Papa foret ioutilis. Tum quia raſus non expreſſus habetur pro omiſſo *l. commodiſſimè. ff. de liber. & poſth. & c. inter temporalia de translat. Epiſc. & c. cùm dilectus de offic. ordinar. cap. is qui de ſent. excommun.* idque procedit etiam io omnibus diſpoſitionibus, ut notat Ancharanus *conſil. 245. num. 5.* ubi ait id valere, etiam ſi major ratio militet, ut docent Tiraquel *de jure primogenit. q. 40. num. 194.* Oldrad. *conſil. 224. num 14.* ex quo ſequitur, ordinarium in caſu in jure non expreſſo non habere jurisdictionem io Regulares ſtante eorundem geoerali exemptione: & quia caſus exceptus firmat regulam in contrarium *l. nam quod liquidè §. fin. ff. de pæn. legat. c. 2. de conjung. lepros.* & io jure ſint expreſſi caſus, in quibus Regulares non ſunt exempti, ſequitur regula generalis, quòd in omnibus ſint exempti, in quibus ſpecialiter non ſubjiciuntur ordinariis: quorum propterea jurisdictio non debet extendi ultra caſus in jure expreſſos.

6 Tum quia ubi requiritur expreſſum oon ſufficit tacitum, vel præſumptum *c. 2. de prebend. cap. fin. de procurat. in 6.* & cùm Regulares ſint univerſaliter exempti à jurisdictione ordinariorum, & tantùm in aliquibus caſibus expreſſis iisdem ſubjiciantur, non poteſt ordinariorum jurisdictio ſe extendere niſi ad illos caſus, qui in jure exprimuntur, quia ſtante regula generali requiritur ſpecialis expreſſio, ut habeatur exceptio, quæ propterea contra ipſam non debet admitti niſi de illa conſtet *l. ab ea parte. ff. d. probat. & l. illud C. de ſacroſanct. Eccles.* & *c. 2. de conjug. lepros.* unde non debet admitti extenſio jurisdictionis ordinarij in Regulares extra caſus in jure excepros, quia extra ipſos non ronſtat de exreptione à regula univerſali exemptionis.

7 Tum quia regularibus cnoreſſa eſt abſoluta exemptio à jurisdictione ordinarij, & in jurisdictione ordioarij, & in jure exprimuntur caſus io ſpecie, in quibus Pontifices volunt ſubeſſe ordinariis; adeo ut ad conſervandam geoeralem exemptionem, ut plurimum conſtituant Epiſcopos pro illis caſibus Sedis Apoſtolicæ delegatos; quapropter in Concilio Tridentino conceſſio jurisdictionis, pro iisdem caſibus ſtat taxativè, quia incluſio unius eſt excluſio alterius *l. cum Prætor. ff. de judic. l. quamvis C. de pignor.* ideo expreſſio caſuum, io quibus Regulares ſubjiciuntur Ordinariis excludit alios, qui noo exprimuntur, ut docent Abbas *conſil. 57. num. 2. V. 6. lib. 1.* Ancharanus *conſil. 70. num. 8.* Geminian. *conſil. 15. num. 18. ver. ad* 6. unde jurisdictio ordinariorum in Regulares non eſt capax extenſionis de caſu ad caſum ex paritate rationis. Tum quia eo ipſo, quòd Pontifex eximit Regulares à jurisdictione Ordinariorum illius intereſt, ſuos ſubditos ab alio non judicari, ut notant Felinus *in c. cum olim num. 3. de præſcript.* Caſtrenſis *conſil. 432. num. 3. lib. 1.* Gaillus *lib. 1. obſervat. 40. num. 2.* proinde extenſio jurisdictionis ordinariorum in Regulares exemptos eſſet contra intereſſe ſummi Pontifiris, & læderet auctoritatem, & jurisdictonem ipſius; uode eſſet exteuſio in odioſis, in quibus non admittitur. Neque hîc ſumus in exorbitantibus à jure, ut notat Cochier de jurisdictione Ordinariorum io exemptos *tom. 2. p. 2. q.* 102. ſed in correctoriis, quia conceſſio jurisdictionis facta ordinarijs in Regulares corrigit in parte legem univerſalem de exemptione: & in correctoriis, veluti in odioſis oon fit extenſio, ſed reſtrictio *argum. l. præcipimus C. de appellat. in fin. & l. ſancimus C. de teſtam. c. cùm expediat. de elect. in 6.*

8 Quòd ſi dicas, correctionem conducere ad jus aotiquum; proiode eſſe extendendam. Contra eſt, quia id tantùm procedit, quando jus antiquum non eſt totum abrogatum, ut odioſum, ut ootat Tiraquel *in præfat. ad retract. num. 59.* atqui jus ſubjiciens Religioſos ordinario eſt abrogatum ut odioſum, ac præjudicans communi utilitati, & jurisdictioni ſummi Pontificis, ut liquet ex ejus approbationibus.

9 Hinc non eſt vera doctrina, quam tradunt Abbas io in *c. cum capella num. 5. de privileg.* Innocentius *in c. dudum de privilegiis* Flaminius *lib. 3. de reſignat. q. 16. num. 6.* nimirum exemptionem à jurisdictione ordinarij, eſſe odioſam, & ſtricti juris, eò quia detrahat iisdem ordinariis: quia licèt ordioarijs ſit odioſa; eſt tamen favorabilis ſummo Pontifici, ut

etiam

etiam ipſis Regularibus; proinde talis exemptio non eſt reſtringenda, ſed amplianda, cùm favor prævaleat. Tum quia quando lex eſt mixta ex odio, & ſavore, cenſenda eſt favorabilis, ſi ſavor ſit ex intentione legislatoris, ut docent Covarruvias *lib. 1. variar. c. 1 1. num. 5.* Tiraquel *de retract. in præfat. num. 96. & §. 10.* Menochius *de recuper. poſſeſſ. remed. 1. num. 88.* quia intentio legislatoris eſt forma legis, & finis dat ſpeciem actionibus humanis: ſed finis, & intentio concedendi exemptionem Regularibus ſuit favor ipſorum, ut deſumitur *ex c. nimis iniqua 16. & c. nimis prava 17. h. t.* ſiquidem nimis regulares gravabantur ab ordinariis, ut notat Fuſchus *V. exemptio. concluſ. 566. num. 6.* Tum quia in dubiis privilegia debent interpretari in favorem Religioſorum, ut notat Rodriquez *reſol. 90. n. 49.*

10 Quæritur tertiò, an ordinarius poſſit punire regulares abutentes ſuis privilegiis? Reſp. negativè, quia vel privilegia concernunt exemptionem, vel non: ſi dicatur hoc ſecundum liquet, ordinarios non poſſe punire regulares ob abuſum privilegiorum non concernentium exemptionem; quia non obſtante tali abuſu, adhuc regulares remanent exempti ob privilegiū exemptionis, quod habet vim legis. Si dicatur primum, adhuc contra; quia non obſtante tali abuſu privilegium non amittitur ipſo facto, ſed tantùm eſt auferendum: ſiquidem jura, quæ ponunt omiſſionem privilegij propter abuſum, ut *in c. ubi diſt. 74. cap. privilegium 11. q. 3 cap. licet de Regularibus*, & alia jura, tantùm ſignificant, abutentem privilegio eſſe privandum, quia præfata jura utuntur illo verbo *meretur*, qui autem meretur pœnam aliquam, eandem non incurrit ipſo jure, ſed ex ſententia judicis infligentis talem pœnam, unde qui abutitur privilegio exemptionis, non ſtatim caret exemptione, conſequenter non ſubjacet juriſdictioni Ordinarii.

11 Quinimò licèt in aliquo privilegio concernente exemptionem ponatur pro abuſu pœna amiſſionis ipſo facto incurrenda, adhuc non poteſt ordinarios punire regularem, quia non incurritur pœna omiſſionis niſi præcedat ſententia, quâ declaretur abuſus, ut deſumitur *ex l. ejus qui delatorem ff. de jure fiſci c. cùm ſecundum de hæret. in 6.* ubi requiritur ſententia declaratoria hæreſis, ut procedi poſſit ad bonorum confiſcationem ipſo facto impoſitam pro hæreſi, ut notat Bartol. *in l. ejus qui delatorem ff. de jure fiſci.* Tiraquel *in l. ſi unquam V. revertatur. num. 400. C. de revocan. donat.*

12 Idque vel maximè verum eſt de lege pœnali; quæ non ſortitur ſuum effectum quoad pœnam, niſi præcedat ſententia declaratoria criminis, ut docent Covarruv. 4. *decret. p. 2. cap. 6. §. 8. num. 10.* Myſinger. *centur. 2. obſer. 43.* Decius *in cap. 1. num. 73. in 1. lect. de conſtitut.* ſiquidem impoſitio pœnæ ipſo facto incurrendæ habet vim ſententiæ condemnatoriæ, quæ non poteſt locum habere niſi in judicio conſtet de crimine; adeò ut non poſſit ſententia condemnatoria legis locum habere, niſi deducatur ad judicium, & declaretur. Tum quia non poteſt Ordinarius judicare regulares exemptos de abuſu privilegiorum etiam per ſolam declarationem abuſûs, quia cùm privilegia Regularium emanaverint à ſummo Pontifice, de iiſdem judicare tantùm convenit Sedi Apoſtolicæ, ut notat Barboſa *in cap cùm veniſſent de judic. num. 2.* Innocentius *in cap. venerabilis de cenſibus* Panor. *ibid. num. 3. & 4.* Gaillus *lib. 1. obſer 1. num. 7.* quia inferior non poteſt judicare ſuperiorem, neque de rebus concernentibus ad ipſum: & privilegia conceſſa à Pontifice regularibus, ſi concernant exemptionem pertinent ad Sedem Apoſtolicam, à qua dimanârunt.

13 Quæritur quartò, an regulares mendicantes poſſint ſine licentia Papæ novos conventus conſtruere, vel conſtructos alienare? Reſpondetur negativè, & deſumitur *ex cap. cùm ex eo unic. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. perpetuo edicto prohibet, ne Prædicatores, & Minores, aliique mendicantes, quibuscunque privilegiis muniti in aliqua civitate, villa, caſtro, vel alio loco quocunque ad habitandum domos de novo recipere, ſeu hactenus receptas mutare, vel eas venditionis, permutationis, donationis aut cujusvis alienationis titulo quocunque, in alios transferre præſumant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, plenam, & expreſſam facientes de hujusmodi prohibitione mentionem: & ſi ſecus fecerint Pontifex irritat, totum, quod factum eſt: nec hoc tamen non eſt interdictum iis, qui de licentia ſuorum ſuperiorum eremiticam, & ſolitariam vitam eligunt, quin cellulas, manſiones, habitacula in eremo poſſint conſtruere, dummodo ibi non habitent ſæculares. Huic prohibitioni occaſionem dederunt exortæ turbæ ex erectione novorum monaſteriorum mendicantium, ac eorundem mutationibus.

14 Ducentibus tamen eremiticam vitam nihil prohibetur; quia alia obligatione cùm licentia Epiſcopi ſunt ſolitudini addicti: & ſicut eremitæ aliis privilegiis Clericorum gaudent, ita etiam conceſſione eligendi, & mutandi locum. Verùm id non extenditur ad illos eremitas, qui nec Religioſi ſunt, nec cum licentia Epiſcopi ſolitudinem eligunt, quia iſti non cenſentur gaudere privilegiis Clericorum, ut notat Layman *lib. 5. tract. 5. p. 2. c. 5. §. 2. ſecundò dubitatur.* Cæterum hæc conſtitutio non loquitur de omnibus religioſis, ſed tantùm de Mendicantibus, de quibus ſolùm fit expreſſa mentio; & quia prohibitiones ſunt odioſæ non debent ampliari ad alios Religioſos non mendicantes, quamvis in favorabilibus participent de privilegiis mendicantium, quia favores ampliantur.

15 Rurſus quamvis mendicantes ex vi hujus conſtitutionis non poſſint novas domos recipere ſine ſpeciali licentia ſummi Pontificis, non tamen illis prohibitum eſt antiquas domos,

conventus, vel eccleſias, quas habent, reficere, reædificara, & etiam ampliare; quia tunc non conſtruunt novas domos, neque nova acquirunt loca: is enim dicitur novum locum acquirare, in quo cum antea non extiterit, incipit de novo exiſtere, & quia mendicantes jam exiſtebant in illis domibus, vel eccleſiis, quas inſtaurant, vel ampliant ideo nondicuntur eas de oovo acquirate & prohibitio utpote odioſa eſt reſtringenda, non amplianda.

16 Juvar tamen obſervare, quòd tametſi de jure communi non poſſint mendicantes novos conventus vel domos acquirere ſine ſpeciali licentia ſummi Pootificis, imò nec eccleſias, & domos ædificatas mutare, ſeu transferre de uno ad alium locum, ut habetur *in d. cap. cum ex eo unic. h. t. in 6.* nihilominus per privilegia à Sede Apoſtolica emanara poſt hanc conſtitutionem poſſunt utrumque facere, fuit enim tale privilegium à Sede Apoſtolica conceſſum Religioſis minimis ut notat Suarez *diſp. 23. de cenſur. ſect. 5. num. 34.* imo Gregorius XIII. die 30. Octob. anno 1576. ſpeciale privilegium conceſſit Societati Jeſu ædificandi, conſtruendi, vel per ſe, vel per alios, ubicunque locorum, & inhabitandi domos, collegia, Eccleſias, oratoria, & alia cujuscunque ſtructuræ ædificia ſibi quomodolibet relicta, vel oblata recipere, emere, poſſidere, ac retinere.

17 Jure tamen oovíſſimo poſt Concilium Trid. *ſeſſ. 25. cap. 3. de Regular.* non poſſunt Religioſi oovas domos, vel conventus, aut Eccleſias erigere, niſi priùs obtenta licentia ab Epiſcopo, in diœceſi in qua ſunt conventus erigendi. Hinc habentes ſpeciale privilegium non ſufficit ſi licentiam habeant Diœceſanorum, ſed ulterius requitur, ut etiam obtineant ſpecialem licentiam à ſummo Pontifice; quia Concilium Tridentinum noo revocavit decretalem conſtitutionem Bonifacij VIII. vi cujus ſpecialis requiritur licentia Papæ. Concilium enim tantùm adigit, ut ultra illam ſimul petator, & obtineatur licentia ab ordinario locis ita enim declaraſſe ſacram Congregationem ſupra Concil. Trident. refert. Zerola *in prax. Epiſc. p.* 1. *V. Monachi.* §. 2. Id autem non procedit de iis Religioſis, qui habent ſpeciale privilegium à Papa erigendi nova loca, ſeu domos, vel illa mutandi, aut transferendi: iſti enim præter licentiam ordinarij non debent aliam inquirere: & hoc privilegium à Papa conceſſum Religioſis non eſt annullatum; adeo ut ex vi illius poſſint Religioſi obtenta ſola licentia ordinarij novos conventus io ejus Diœceſi conſtruere.

18 Quœritur quintò, an Capitulum generale Regularium poſſit novas provincias erigere, vel erectas dividere? Reſpondetur affirmativè, & dæſumitur ex conceſſione Clementie VIII. facta fratribus S. Mariæ de Mercede, & eſt conſtitutio ejusdem Pontificis 112. & habetur *in tomo 3. Bullarij* quapropter Religioſi habentes communicationem privilegiorum, poſſunt eadem uti. Tum quia erigere novas Provincias, & antiquas dividere non poſſunt Regulares niſi ſecundùm canones, & urgente aliqua oeceſſitate; quia nimirum non poſſunt commodè viſitari, vel quia ob diverſitatem dominiorum ſæcularium non poteſt ſervari pax inter ſubditos, vel ex alijs rationabilibus cauſis, ut habetur *in cap. præcipimus 16. q. 1. c. unic. §. ſane de offic. deleg.* & in Trident. *ſeſſ. 21. c. 4.* & notant Barboſa *de poteſt. Epiſc. p. 1. allegat. 86. num. 1.* Rebuffus *in prax. benefic. tit. de erect. Eccleſ. in cathed. num. 2. p. 1.* unde urgentibus iisdem cauſis proportionaliter poſſunt etiam novæ Provinciæ erigi à Regularibus, vel dividi, quia ubi habet locum ratio legis, ibi etiam procedit diſpoſitio legis *l. illud. §. ad leg. Aquil.* & *l. ſi poſtulaverit. §. 2 ff. ad leg. Jul. de adult.* Ratio etiam peti poteſt à priori, quia Capitulum generale habet poteſtatem legislativam, proinde etiam facultatem inſtituendi eam regulam, juxta quam tota religio dirigatur juxta ipſius exigentiam; conſequenter habat etiam facultatem erigendi de novo, & dividendi Provincias: ſiquidem inſtitutio Provinciarum eſt pars ordinis ipſius regiminis: & ſicut ſummus Pontiſex poteſt dividera, & inſtituere Diœceſes, & Provincias, eò quia ad ipſum pertineat regimen univerſalis Eccleſiæ: ita etiam Capitulum generale hoc idem poterit circa Provincias ſuæ religionis, cùm ad tale Capitulum pertineat regimen univerſale religionis: quapropter ut fratres Minores non poſſent novas Provincias erigere neceſſaria fuit ſpecialis prohibitio Nicolai IV. ut notat Miranda *tom. 2. manual. q. 7. art.* 11: licèt ipſe contrariam ſententiam propugnet, quam colligit ex diverſis textibus, in quibus ſtatuitur, ut erectiones, mutationes ſedium Epiſcopalium, diviſiones diœceſum non fiant absque licentia Sedis Apoſtolicæ, ut habetur *in c. felix. c. pretioſus 16. q. 1. c. temporis c. mutationes 7. q. 1. c ſicut unire. 1. h. t.* ex quo infert, eſſe eandem rationem de capitulo generali regularium. Verùm hæc ratio non videtur urgere ob diſcrimen inter Epiſcopatus, & Provincias, quia Epiſcopi ſunt perpetui, proinde ſi ab uno Epiſcopato dividatur ampla Diœceſis pro erigendo alio Epiſcopatu, id cedit in præjudicium Epiſcopi.

Tum quia diviſio Epiſcopatuum cauſaret tumulrum in populis, qui ægrè ferrent talem diviſionem. Tum quia Epiſcopi non inſtituuntur ſine conſenſu Pontificis; proinde nec poſſunt Epiſcopatus dividi, nec uniri ſine ejus conſenſu. Tum quia Epiſcopus habet in ſua Diœceſi Sedem Epiſcopalem, quam oon poteſt mutare ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ *cap. mutationis c. temporis. 7. q. 1.* Tum quia ſicut ad diſſolvendum carnale matrimonium neceſſaria eſt aliqua juſta cauſa, ut etiam auctoritas Prælati eccleſiaſtici, ita etiam imò à fortiori ad diſſolvendum matrimonium ſpirituale; & licèt ſi divideretur Epiſcopatus pri- 19

mus Epiſcopus non mutaret ſedem; nihilominus adhuc ſedes illa minueretur, quæ diminutio eidem præjudicaret. Hinc ſolus Pontifex poteſt unire, vel dividere Epiſcopatus, & Epiſcopi poſſunt ſolùm unire Eccleſias inferiores ſuæ Diœceſis, ut deſumitur *ex cap. ſicut unire 8. h. t.* quia cum Pontifex habeat plenam juriſdictionem, & diſpoſitionem in Eccleſiis univerſi orbis *cap. decimas ad fin. c. temporis 16. q. 1. de præbend. in 6. clement. t. ut. lite pendente.* ideo poteſt Pontifex omnes eccleſias, & beneficia unire, vel dividere, prout conſultiùs viſum fuerit; ſicut etiam poteſt Imperator ex duabus Provinciis unam facere, et diverſa officia unire *novel. 8. & 24. usque ad 29.*

20 Quæritur ſextò, quotuplex ſit unio eccleſiarum, & ex quibus cauſis fieri debeat, quando Epiſcopi *juxta cap. ſicut unire 18. h. t.* uniunt inferiores eccleſias in ſua Diœceſi? Reſpondetur, unionem juxta præſens inſtitutum eſſe duorum vel plurium beneficiorum, ſeu eccleſiarum ab Epiſcopo, vel alio ſuperiore factam annexionem, ut notat Rebuffus *in prax. tit. de unione benef.* & Garzia *de benef. p. 11. c. 2. num. 13.* cauſæ verò hujus unionis plures ſunt, quæ recidunt in utilitatem, vel neceſſitatem eccleſiæ *c. temporis 16. q. 1.* prima enim eſt, ſi eccleſia unius beneficij collapſa ſit, nec facilè poſſit reparari *cap. conſtitutus de relig. domib. c. poſtquam. 16. q. 1.* Secunda ſi duæ eccleſiæ ita tenues ſint, ut ad victum duorum Clericorum non ſufficiant *cap. unic. 10. q. 3. c. poſtquam 16. q. 1. clement. ne in agro de ſtatu Monach.* Tertia ſi duæ eccleſiæ vicinæ ſint, & populi frequentia valde modica, adeò ut facilè ab uno Rectore poſſint ambæ regi *cap. temporis 16. q. 1.* Quarta ſi præbendis, vel collegiis uniantur. *c. expoſuiſti de præbend.*

21 Solet autem hæc unio tripliciter fieri. Primò quando duæ eccleſiæ in unum veluti corpus confunduntur, & coaleſcunt, adeò ut una eccleſia fiat ex duabus *cap. cùm dilectus de iis quæ vi.* & tunc qui canonici ſunt in una eccleſia, ſunt quoque Canonici in alia; & privilegia conceſſa uni eccleſiæ competunt alteri.

22 Secundò quando eccleſiæ ita uniuntur, ut una ſit ſuperior, & principalis, altera inferior, & acceſſoria, tunc enim inferior amittit nomen, ſuppreſſum, & extinctum per unionem, & induit nomen illius, cui unitur; cujus propterea privilegiis etiam gaudet *c. recolentes de ſtatu Monachor.* non tamen deperdit jura, quia hæc tranſeunt in Eccleſiam, cui unitur *cap. Monaſterium de relig. domib.* fit enim hujusmodi ſubjectio per modum unionis, quia ſola ſubjectio non facit unionem *c. paſtoralis de donat.*

23 Tertiò quando utraque eccleſia manet æquè cathedralis, vel parochialis, & neutra ſubjicitur, & tunc unus utrique præficitur Rector, & quælibet eccleſia ſua propria retinet jura, ac privilegia, nec una alterius privilegiis gaudet, ut notat Gloſſa *in d. cap. & temporis 16. q. 1.* Rurſus hujusmodi uniones ſunt, vel perpetuæ; quando cautum eſt, ut perpetuò durent, ut ſi fiant uniones contemplatione alicujus eccleſiæ, vel dignitatis, aut Sedis Apoſtolicæ; quia eccleſia, & dignitas nunquam moritur *cap. ſi gratioſe de reſcript. lib. 6. c. quoniam 14. de off. deleg.* vel ſunt uniones temporariæ, ut ſunt quando in favorem tantùm certæ perſonæ fiunt, quia tunc extincta perſona deſinit unio, quæ propterea dicitur temporaria *c. 1. ne Sede vacante c. relatio c. illud. 21. q. 1.*

Quæritur ſeptimò, qualis ſit ſolemnitas adhibenda in unione eccleſiarum? Reſpondetur, eſſe vocandos eos omnes, quorum intereſt, unionem talem fieri, vel non, *c. ſi quis Presbyterium 30. de rebus Eccleſiæ c. veniens 3. c. ſuper de re judic.* unde vocandus eſt Decanus Capituli, ut ipſe Capitulum congreget *cap. circa verſ. poſtea de jurepatronat. cap. cùm nos de his quæ fiunt à Prælat. c. ſi qua de rebus 12. q. 2.* quòd ſi hi non vocentur, quorum intereſt unio non ſortitur ſuum valorem, ut notat Zypæus ad hunc titulum *conſul. 3.* non tamen neceſſarius eſt conſenſus Rectoris, vel aliorum, qui beneficia poſſident eo tempore, quo fit unio, quia talis unio operatur effectum ſine eorum præjudicio *Clement. 2. de rebus Eccleſ.* Rurſus debent beneficia, quæ uniuntur, eandem habere qualitatem, non verò diſſimilem, ut ſtatuit Tridentinum *ſeſſ. 24. de refor. cap. 13.* Demum poſſunt uniones ritè factæ ex certis cauſis etiam revocari, ut ſi ratione unionis tollatur hoſpitalitas, vel fiet diſſolutio religionis *c. nov. ne ſede vacante*, ut etiam ſi ceſſet cauſa, ob quam unio facta fuit *c. cùm M. de conſtit.* ut etiam ſi incipiat damnum inferre aliis eccleſiis *argum. cap. ſuggeſtum de decimis.* Fusè de hiſce unionibus agit Barboſa *de jure eccleſiaſtico lib. 3. cap. 16. & de poteſt. Epiſc. allegat. 66.* qui plura deſiderat eum conſulat. 24

Quæritur octavò, an Epiſcopus poſſit punire regulares, ſi ſibi uſurpent jura Epiſcopalia? Reſpondetur probabiliùs negativè, quia regulares certè, & ſine dubio ſunt exempti ex privilegio Pontificis, & nullum adeſt jus, quod tribuat Ordinariis poteſtatem puniendi regulares ſibi uſurpantes jura Epiſcopalia: ſed ad ſummum habetur opinio Doctorum, quæ tantùm conſtituit ſententiam probabilem: atqui quando certum concurrit cum probabili, debet, quod certum eſt, præferri, & ſecundùm illud judicari. Hinc quando jus dat ordinariis facultatem exercendi aliquam juriſdictionem in regulares hoc expreſſè declarat, ut paſſim habetur in Tridentino, quia ſtante exemptione conceſſa Regularibus requiritur ſpecialis diſpoſitio, ut poſſint Epiſcopi juriſdictionem exercere in exemptos. 25

Poſſet tamen in contrarium objici *cap. cùm plantare de privilegiis*, ubi expreſſè ſtatuit 26

tuitur, ut obſervetur ab alijs Religioſis, quod ibi ſtatutum eſt, nimirum quòd Epiſcopi ſuam poſſint in Regulares exercere poteſtatem.

27 Sed contra quia *in d. cap.* non eſt ſermo de Regularibus, ſed tantùm de confratribus, ſeu de oblatis, qui verè non ſunt Religioſi: habetur enim in textu *de confratribus hoc conſtituimus, ut ſi non ſe prædictis fratribus omnino reddiderint, ſed in proprietatibus ſuis omnino duxerint remanendum;* nimirum ſtatuitur de confratribus, quòd ſi non ſe tradiderint plenè ſuis fratribus non eximantur à ſententia Epiſcopi, ſeu non gaudeant privilegio exemptionis, unde ſermo eſt de ſolis oblatis, qui cùm verè non ſint Religioſi non gaudent exemptione, ſicut veri Religioſi. Quòd ſi dicas, Epiſcopum poſſe punire regulares exemptos ſi ſuam juriſdictionem perturbent, ut notat Innocentius *in cap. dilectus in fin. de pœn.* eò quia conceſſa juriſdictione conceduntur omnia, ſine quibus non poteſt juriſdictio exerceri *l. 2. ff. de juriſdic. om. jud.* Reſpondetur, uſurpationem jurium Epiſcopalium non eſſe perturbationem juriſdictionum, quia tunc tantùm perturbatur juriſdictio alicujus, quando impeditur, ne exerceatur, qui verò exercet jura Epiſcopalia, & ea ſibi uſurpat, non impedit, quin Epiſcopus eadem jura exerceat, proinde non ſumus in caſu.

TITULUS XXXII.

De novi operis Nunciatione.

CUm in præcedenti titulo Compilator decretalium egiſſet de exceſſibus, quibus ſolent Prælati in ſubditos; & iſti in ſuos delinquere ſuperiores: & aliquando exceſſus etiam committatur in ædificando, ſeu novo opere conſtruendo; tametſi ædificia conſtruantur divini cultûs cauſâ, ut cum conſtruuntur eccleſiæ, vel alia loca pia in præjudicium vicinorum, vel aliarum eccleſiarum, aut piorum locorum; ideo appoſitè addit præſentem titulum de novi operis nunciatione, de quo etiam agitur in jure civili; ubi novi operis nunciatio dicitur fieri juris ſui conſervandi, vel damni depellendi gratiâ, ut ſi Eccleſia in territorio aliquo extruatur, quæ damnum inferat eccleſiæ Baptiſmali, vel ſi quis aliquo in loco ædificet, quem ſuum alius aſſerat: tunc enim opus novum nunciatur ædificanti, ſeu illi prohibetur *cap. 1. & penult.* Rurſus ſi quid contra jus ſervitutis fiat *l. 17. inter ff. de ſervit. verb. præd. l. 7. etſi §. ult. ff. ſi ſerv. vind.* Quoties igitur aliquis in præjudicium alterius novum opus ædificat, dicitur committere exceſſum ob damnum alteri illatum, & de hoc exceſſu agitur in præſenti titulo.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *INTELLEXIMUS 1. h. t. Lucius III declarat, quòd poſt denunciationem novi operis ſi quid ſive jure, ſive injuria conſtituatur debeat ſecundùm leges demoliri. Rurſus ſi eccleſia in præjudicium alterius conſtituatur, debeat eidem demoliri prout præcipiunt leges, & canones, eò quia leges non dedignantur imitari ſacros canones, qui etiam corroborant leges Principum ſæcularium. Ubi notat Gloſſa, eam eſſe vim denunciationis, ut poſt illam etiam injuſtam ante remiſſionem, vel ſatisdationem de opere demoliendo aliquid fiat etiam ab eo, qui jus habuit ædificandi, debeat demoliri. Verùm denunciatio facienda eſt de re præſenti, & in opere, & non tantùm Domino, ut poſtea totum opus demoliatur. Præterea notat, tot debere eſſe denunciationes ac remiſſiones, quot ſunt loca, in quibus ædificatur. Cæterum ex hoc textu liquet leges civiles imitari canones inſtar exemplaris diviniori ſpiritu formati: unde leges civiles debent conformari ſacris canonibus, vel juxta illos reformari. Verum etiam canones viciſſim adjuvantur à legibus, à quibus etiam accipiunt aliquam directionem, vel quatenus Principes, & viri conſulti eas derivârunt ex* pri-

principiis legis naturæ, qua ratione ait Panormitanus hic, omnes leges Principum ſi non contradicant ſacris canonibus eſſe approbatas ab eccleſia. In materia tamen ſpectante ad peccatum, vel interpretationem divini juris, vel conſcientiam in utroque foro judicandum eſt juxta canones, quia in ſimilibus ſumma poteſtas eſt in Pontifice, cui Principes laici ſubjiciuntur. Cæterum jura civilia non debent conferi præjudicialia ſacris canonibus, quando poſſunt cadere in præjudicium eccleſiarum. Cæterum circa eccleſias, quando deficiunt canones debet ſecundùm leges judicari, adeò ut in cauſa eccleſiaſtica judicanda poſſit uti legibus.

C. CUM EX INJUNCTO 2. h. t. Innocentius III. reſcribit Archi-Epiſcopo Cantuarienſi idem quòd in præcedenti decretali, nimirum poſt denunciationem novi operis quidquid fuerit ædificatum totum ſit demoliendum, tametſi ædificatum fuerit abſente Domino, imò etiam ſi prætendat de jure ſibi competere ædificare, quia illi denegatur actio. Rurſus ſcandala eſſe fugienda, & ea omittenda, quæ ſine peccato mortali omitti poſſunt, etiam ea facienda, quæ ſine peccato mortali fieri poſſunt, & non alia. Ubi notandum eſt, opus novum tunc fieri, quando quis ædificando, vel detrahendo priſtinam operis faciem immutat, non verò ſi quis reficiat, vel reſtauret antiquum ædificium. Præterea notandum eſt cum Gloſſa, denunciantem novum opus teneri priùs jurare, quòd non cauſa calumniandi novum opus denunciet, & hoc juramentum authore Prætore eſſe exigendum antequam jures. Cæterum qui ſimplici verbo nunciat, hoc ipſo conſtituit eumqui ædificat poſſeſſorem l. 1. §. in operis ſecus ſi per jactum lapidis; adeò ut melius ſit nunciare per lapidem. Non tamen indiſtinctè ædificium omne poſt denunciationem eſt ſtatim demoliendum, tametſi notorium ſit denunciantem nihil habere, quia ut notat Panormitanus hic n. 10. jura nolunt figmenta, delicta, & deceptiones admittere l. 1. & 2. ff. ne qui in jus voc. In dubio tamen facta denunciatione debet ædificans deſiſtere, aut demoliri quod conſtruxit, ſive cauſâ diſcuſſâ reperiatur ea juſta, vel injuſta, quia ut notat Gloſſa id ſimile eſt excommunicationi, quæ tenet ſive juſta, ſive injuſta ſit c. 1. q. 3. 31. quod procedit ſaltem in foro externo. Rurſus notat Panormitanus exiſtenti in dignitate non fieri denunciationem, ſed proteſtationem, quam finito Magiſtratu ſequitur vera denunciatio, quæ tunc retrotrahitur ad diem factæ proteſtationis l. 5. § ſi quis ipſi Prætori.

C. SIGNIFICANTIBUS 3. h. t. Honorius III. reſcribit eum qui denunciat novum opus poſſe vel oſtendere de ſuo præjudicio, probando plateam ad ſe pertinere, & interim ceſſandum eſſe ab opere, vel recepta cautione de opere demoliendo, permittere, ut ædificetur: & Pontifex declarat irritum quidquid poſt appellationem tentatur. Ubi notandum eſt cum Gloſſa hanc nunciationem eſſe itidem remedium contra ædificationem recèns factam demoliendam.

C. IS CUI 4. & ult. h. t. Gregorius IX. declarat, quòd ſi is, qui denunciat, velit probare ſuum jus, illius qui ædificabat, tametſi offerat cautionem de opere deſtruendo teneatur expectare per tres menſes & interim ceſſare ab ædificatione. Ex quo textu liquet, non obſtante cautione præſtita de opere demoliendo, ſi non appareat jure ædificatum, teneri tunc denunciatum differre conſtructionem ſui ædificij, niſi denuncians ultro remittat, vel ut habetur in textu trimeſtre effluxerit, quia denunciatus non tenetur ultra cum ſuo gravi præjudicio expectare, proinde poteſt pergere in ſuo ædificio: ſed denuncians ſi jus ſuum intra trimeſtre non plenè docuerit poteſt & ipſe ſuam cauſam proſequi. Notat tamen Barboſa hic num. 5. in ſervitutibus ruſticis non competere nunciationem novi operis l. qui viam ff. h. t. quòd vel maximè procedit in ſervitute diſcontinua ut eſt aquæductus, ut in d. l. qui viam n. 4. Imò ſimile eſt, quod de operibus ruſticanis aſſerit Panormitanus hic n. 9. ut ſi quis demeteret ſegetes, vel arborem ſucciderct, vel in opere ruſticano uvas colligeret, ne pereant, quia contra hæc non procedit nunciatio novi operis l. 2. de feriis, ut nec etiam procedit de operibus aliis, ex quorum mora vel dilatione oriretur periculum jacturæ, vel imminentis mali l. de pupillo §. ſi quis rivos ff. eod. Cæterum eſt in optione denuntiantis an velit ſtatim docere de ſuo opere, vel uſque ad tres menſes: an verò ſtatim recipere cautionem, ut ædificetur.

COM-

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit novi operis nunciatio, & quæ cauſa, & effectus.

1 Opus novum is conſtruere dicitur, qui aut ædificando, vel detrahendo aliquid, priſtinam faciem operis mutat *l. 1. §. opus novum 11. ff eod. tit.* unde nunciare juxta præſens inſtitutum, perinde eſt ac prohibere, & ille dicitur nunciare opus novum, qui denunciat vicino, ne de novo ædificet; adeò ut opus novum nunciare, perinde ſit ac prohibere ei, qui de novo in alterius præjudicium ædificat, ne tale opus conſtruat, vel ne in eo cæpto pergat, donec de jure conſtet ædificationis. Hinc nunciatio novi operis eſt ſolemnis prohibitio facta vicino, ne pergat in novo opere jam cæpto; donec de jure ædificationis conſtiterit; vel præſtita fuerit eo nomine ſatisdatio, ut notat Weſenb. *in paratit ff. de nov. oper. nunc. h. t. n. 6.* Zœſius *ff. eod. n. 2.* Dicitur autem in opere novo ædificando, quia novi operis nunciatio tantùm competit contra opera, quæ nondum facta ſunt prohibendo, ne fiant: non verò contra ea, quæ jam ante nunciationem facta erant, quia tunc recurrendum eſt ad interdictum, quod vi, vel clam, vel aliud ſimile: ex quo liquet, nunciationem novi operis non fieri ad alium finem, niſi ad conſervandum jus proprium, vel ad avertendum damnum, quod infertur alicui ex novi operis ſtructura, vel ad publicum jus ſervandum *l. 1. §. nunc. videamus juncto §. nunciatio ff. eod.*

2 Hinc novi operis nunciatio, ut ait Hoſtienſis, eſt ædificanti noviter in alterius præjudicium prohibitio facta legaliter: & dicitur de novo ædificare non ſolùm, qui novum conſtruit ædificium; verùm etiam qui inſtructi formam immutat; non verò qui tantùm incrementum addit, vel antiquum ædificium ob contractum vitium reſtaurat *l. 1. §. ſi quis ædificium.* quod tamen limitatur niſi ex toto fuiſſet deſtructum, ut habetur in *c. conſuluit de Judæis.*

3 Cauſæ igitur, ob quas fit hæc nunciatio novi operis tres ſunt, ſcilicet vel gratia tuendi proprij juris: vel defendendi cauſa publici juris: vel ad arcendum damnum, ne inferatur, ut deſumitur *ex d. l. 1. §. nunc videmus, & §. nunciatio.* Hæcque novi operis nunciatio tantùm locum habet in rebus immobilibus ſolo fixis, ſeu in iis, quæ ſolo conjunguntur, vel fiunt, & in eodem ſolo permanent, ut ſi quis conſtruat in tali loco eccleſiam, vel domum, vel quid aliud, quod eidem loco conjungitur, & in eodem perſeverat: quo pacto nunciatio novi operis dicitur verſari circa res immobiles, quæ à loco, cui ſemel ſunt affixæ, non ampliùs moventur, niſi deſtruantur; hinc ſi quis ſegetes metat, vel arbores ſuccidat, non dicitur pertinere ad hoc edictum *l. 1. § hoc autem edicto 2.* juxta Gloſſam *V. in ſolo ff. h. t.* neque ad idem edictum pertinet fulcire, vel reficere vetus ædificium ob contracta vitia, quia is non dicitur novum opus conſtruere, ſed tantùm vetus reficere, vel inſtaurare, ut habetur *in l. 1. §. ſi quis ædificium*: quod procedit, dummodo in reficiendo collabente vetere ædificio priſtina forma ſervetur.

4 Quamobrem hoc edictum datur tantùm ad opera nova nondum incœpta impedienda, vel jam cœpta, ne perficiantur; non verò datur ad opera præterita, ſeu jam facta, ac completa, hæc enim ædificia jam abſoluta deſtrui non poſſunt ex vi hujus interdicti: ſed compenſatio eſt petenda ex recurſu ad interdictum, *quod vi, aut clam*, ut nimirum reſtituatur, quod illicitè factum eſt, vel compenſetur damnum illatum. Hæcque nunciatio novi operis non ſolùm comprehendit domos, & ædificia ſæcularia, ſed etiam ſacra, cujuſmodi ſunt eccleſiæ, ſacella, noſocomia, & alia pia loca, ut deſumitur *ex cap. intelleximus 1. h. t.* ubi cùm Lucius III. intellexiſſet, Clericos de Rodigio, in præjudicium eccleſiæ baptiſmalis de Coſta conſtruxiſſe capellam, mandat Epiſcopo, ut perpendens, quòd ſicut leges non dedignantur ſacros canones imitari: ita & ſacrorum ſtatuta canonum non dedignantur conſtitutionibus Principum adjuvari; quodque poſt denunciationem novi operis ſive jure, ſive injuria aliquid conſtituitur, debet legalibus conſtitutionibus demoliri: & quia nec eccleſia eſt in alterius præjudicium conſtruenda, Ideo negotium debeat Epiſcopus terminare juxta ſtatutum legum, & canonum.

5 Ex quo textu colligitur per denunciationem novi operis, ſi quid ſive jure, ſive injuria conſtituatur, debere ſecundùm leges demoliri, Rurſus eccleſiam in præjudicium alterius exſtructam debere itidem demoliri prout præcipiunt leges, & canones; eò quia leges non dedignantur imitari ſacros canones, ut nec etiam dedignantur canones adiuvari legibus Principum: quod tamen ita intelligendum eſt, ut canones imitentur leges tantùm inſtar exemplaris, quatenus accipiunt à legibus aliquam directionem, cujus beneficio dicuntur adjuvari, vel quatenus Principes, & juris conſulti ſuas leges ex principiis legis naturalis

Digitized by Google

ralis derivârunt : hinc notat Panormitanos omnes leges Principum, quæ non contradicunt ſacris canonibus eſſe approbatas per Eccleſiam, ut deſumitur ex hoc textu, qui propterea paſſim allegatur : leges itidem civiles imitantur ſacros canones inſtar exemplaris : ſed quod diviniori ſpiritu ſit formatum, ad quod lex civilis conformari, aut reformari debet.

6 Cæterum per conſtitutiones, & leges Principum intelliguntur etiam reſponſa, & ſententiæ juris conſultorum, quæ continentur in *ff.* & quæ reſponſa Imperatores in jus ſuum receperunt. Hæc enim reſponſa eccleſia non reſpuit, ſed illa approbat, & ſequitur ut conformia æquitati, & derivata ex principiis legis naturalis *cap. Apoſtolicæ de præbend. in 6.* In materia autem concernente peccatum, & interpretationem divini juris, vel ſpectante ad conſcientiam, aut probabilitatem opinionum in utroque foro ſacri canones præferendi ſunt juri civili, quod regulari debet juxta ea, quæ præſcribuntur à ſacris canonibus, quia in iis quæ pertinent ad ſpiritualia, & interpretationem divini juris ſumma poteſtas eſt tantùm in ſummo Pontifice, cui Principes ſæculares ſubjiciuntur; eſt enim Pontifex ſupremus Paſtor totius domicici gregis, ad quem pertinent omnes Principes Chriſtiani. Imò etiam extra caſum peccati, vel conſcientiæ, ſi deficiat diſpoſitio juris civilis, regulandæ ſunt actiones humanæ juxta ſacros canones : quòd ſi diſpoſitio juris civilis non deſit, ſed canones contradicant legibus civilibus ex diverſis rationibus, ita tamen ut utraque lex ſit rationabilis, tunc utrique ſtandum eſt in ſuo foro *c. 6. de arbit. in 6.*

7 Rurſus notat Panormitanus *in d. cap. intelleximus 1. num. 4. h. t.* jura civilia non eſſe cenſenda præjudiciaria, vel contraria ſacris canonibus, quando poſſunt cedere in præjudicium, vel favorem eccleſiarum, adeò ut lex de nunciatione novi operis poſſit ſe habere ad damnum, vel favorem eccleſiarum : quando enim impeditur ædificium unius eccleſiæ ceſſurum in præjudicium alterius, ut in præſenti textu ædificium capellæ cedit in præjudicium eccleſiæ baptiſmalis de Coſta, cedit tunc lex in commodum hujus ejuſdem; quin imò intereſt eccleſiæ unverſalis, ut nullæ eccleſiæ particulares graventur propter alias particulares eccleſias Præterea juvat obſervare, quòd tamet. ſi in defectu ſacrorum canonum nil ſtatuentium de re aliqua, quæ controvertitur, ſit hæc decidenda ſecundùm jus civile, eò quia leges civiles non contradicentes ſacris canonibus ſint approbatæ ab eccleſia; non tamen id intelligi debet de legibus civilibus extra corpus juris, licet ſint comunes, municipalea, vel locales, quia in defectu ſacrorum canonum recurſus debet fieri ad jus commune Cæſareum, & ad leges, quæ continentur in corpore juris, ut notat Barboſa *in d. cap. intelleximus 1. num. 5. h. t.* ubi etiam refert decretum Cardinalium ad ſynodum Provincialem Braccarenſem hac ſuper re.

Hoc etiam procedit de legibus inferiorum, ut notat Panormitanus hic. *num.* 8. ubi abſolutè aſſerit, leges ſæcularium inferiorum non eſſe ſervandas in foro Eccleſiaſtico, ſive contradicant, ſive non, & quamvis favorem afferant; & aſſignat rationem, eò quia procedant imperiosè, & diſponant tanquam habentes juriſdictionem, ut habetur *in cap. Sanctæ Mariæ de conſtit.* Quòd ſi merum favorem adferrent, tunc poſſent eccleſiaſtici deficientibus ſacris canonibus, illis conformari, quia nullum iiſdem præjudicium inferretur, cùm tantùm favorem ex iiſdem ſuſciperent. 8

Præterea tanta eſt vis denunciationis, ut ſi poſt eam ſive juſtam, ſive injuſtam, ante remiſſionem, vel ſatisdationem de opere demoliendo aliquid fiat etiam ab eo, qui jus habet ædificandi, debeat itererum demoliri. Dicitur ſive injuria aliquid conſtruatur, quod eſt deſumptum *ex l. prætor. ff. eod. §. ait prætor.* ubi Gloſſa ait, ſimile haberi in ſententia excommunicationis, quæ valida eſt, ſive juſta, ſive injuſta ſit *cap. 1. q. 3. 31.* quatenus ſaltem in foro externo poteſt procedere. Panormitanus etiam adfert exemplum appellationis, poſt quam nihil innovatur, vel attentatur, niſi quid aliud fiat contra ipſam appellationem, vel priusquam illa coram judice appellationis, vel ab illo terminetur : ait enim Panormitanus, denunciationem novi operis eſſe quandam appellationem, & provocationem extra judicialem, proinde non videri deſtruendum, quod jam ædificatum eſt, antequam denuncians jus ſuum probaverit. 9 10 11

Verùm reſpondet idem Panormitanus eſſe diſcrimen, quia in denunciatione agitur de modico præjudicio; proinde niſi denuncians intra tres menſes probet jus ſuum, poteſt denunciatus pergere in ſuo ædificio jam inchoato : ſecus ad proſequendam appellationem conceditur annus; imò etiam ex cauſa biennium; proinde nimis durum foret, ſi jure ſuo appellatus deberet ſtatim cedere ante abſolutam cauſam appellationis. Præterea non indiſtinctè omne ædificium poſt denunciationem debet demoliri, quamvis notorium ſit denunciantem nihil habere, quia, ut rectè notat Panormitanus *in d. cap. intelleximus. 1. n. 1. h. t.* jura nolunt dare locum figmentis, delictis, & deceptionibus *l. 1. & 2. ne quis in jus voc.* proinde aſſerit, hunc textum ſolùm procedere in caſu dubij, ſeu cùm quis dubitat, an de jure poſſit ædificare; non verò quando notorium eſt, quòd non poſſit : tunc ſtante hoc dubio, & facta denunciatione debet ædificans deſiſtere ab inchoato ædificio, vel demoliri, quod jam extruxerat, ſive cauſa diſcuſſa reperiatur juſta, aut injuſta; ut etiam explicat Barboſa *in d. cap. intelleximus 1. num. ult. h. t.* 12 13 14

Cæterum nomine Eccleſiæ ſibi ſubjectæ poteſt agere Rector, vel alius Clericus, proinde 15

inde poteſt etiam novum opus nunciare, quia ratione ſubjectionis ſua intereſt, idque colligitor ex præſenti textu *in cap. intelleximus 1. h. t.* ubi prior cui eccleſia baptiſmalis erat ſubjecta denunciavit conſtructionem novæ capellæ in ejus præjudicium. Quinimò eccleſia in præjudicium alterius parochialis non debet erigi niſi ex juſta cauſa *cap. ad audientiam 3. de eccleſ. ædif.* unde capella in præſenti textu de novo ædificata in præjudicium eccleſiæ baptiſmalis pertinentis ad illum priorem debuit demoliri, etiamſi denunciatio novi operis non præceſſiſſet, ut notat Gloſſa *in d. c. intelleximus 1. in fin. h. t.*

12 Hinc jus nunciandi novum opus competit primò ei, cujus intereſt, ne conſtruatur ob damnum quod ex illo ædificio eidem imminet, qua ratione Prior, cui eccleſia baptiſmalis ſubjecta erat, rectè nunciavit novum opus capellæ.

13 Secundò poteſt etiam nunciare, qui eſt verè dominus rei, imò etiam qui utile tantùm dominium habet, ut eſt Feudatarius, Emphyteuta, *l. 3. §. ſi quis* imò & creditor, cui præjudicium nomine hypothecæ ſubjicitur *l. creditori 9. ff. h. t.*

14 Tertiò poteſt etiam nunciare, qui ſervitutem habet realem in fundo, in quo conſtruitur novum ædificium, ut deſumitur *ex d. l. 3. §. ſi ego.* imò id procedit ſive ſervitus urbana ſit, ſive ruſtica, ut notat Zœſius *ff. h. t. n. 6.* Secus habens ſervitutem merè perſonalem non poteſt nunciare ſuo nomine novum opus contra dominum, ſive proprietarium prædii, ſi aliquid in illo incipiat ædificare, ut deſumitur *ex l. 1 § fin. ff. h. t.* & ratio aſſignatu eſt etiam facilis, quia uſufructuarius non habet niſi purum uſumfructum in re, adeò ut proprietas, & dominium rei pertineat ad Dominum, qui propterea poteſt in ſuo fundo in quod habet jus novum opus, prout ipſi magis libuerit, conſtruere; dummodo uſufructuarius non defraudetur in perceptione fructuum.

15 Quartò habens ſervitutem perſonalem licèt non poſſit nomine proprio nunciare novum opus contra Dominum, poteſt tamen nomine proprietarii, & Domini adverſus alium: quia tunc infertur damnum Domino fundi, & nunciatio fit nomine ipſius.

16 Hinc quintò poteſt etiam negotiorum geſtor, ſeu procurator novum opus nunciare nomine Domini ſui; ſi ad id ſpeciale habeat mandatum. Imò ſextò poteſt etiam pupillus nunciare opus novum, ſi conſtruatur in fundo ad ipſum pertinente, dummodo nunciatio fiat cum auctoritate Tutoris, ut habetur *in l. de pupillo 5. in princ. ff. h. t.* Servus tamen non poteſt proprio nomine nunciare novum opus bene tamen nomine ſui Domini in re privata.

17 Hæc autem denunciatio novi operis fieri debet in re præſenti, ſeu in loco, ubi ſtruitur novum opus *l. de pupillo 5. §. h. t.* & non eſt neceſſe, ut denunciatio fiat immediatè ipſi Domino novi operis; ſed ſatis eſt, ſi fiat ei, qui aſſiſtit operi novo, cujuſmodi ſunt fabri, & opifices, imò ſi ſtructores novi operis eſſent pueri, vel mulieres, etiam ipſis fieri poſſet, ut habetur *in l. de pupillo. §. nunciari autem. ff. h. t.* quinimò etiam furioſo poteſt hæc denunciatio fieri, vel infanti, dummodo adſint qui intelligant, poſſintque nunciationem factam teſtari *l. quilibet 11.* juncta Gloſſa *V. etſi furioſum ff. h. t.* & ratio eſt, quia hæc nunciatio non fit perſonæ, ſed rei, & in rem ut notat Pirhing *h. t. num. 6.* & deſumitur *ex l. operis 10. eod.* Poteſt autem hujuſmodi nunciatio fieri vel denunciando, & prohibendo, ne tale opus fiat in proprium ſuum damnum, aut in publicum præjudicium; quòd ſi jam cœptum fuerit, prohibendo, ne in illo pergatur. Vel fit denunciatio per jactum lapidis in locum, ubi novum opus conſtruitur, ſed tunc tali jactui addenda ſunt verba, quibus denuntietur, ne opus fiat, vel ne ulterius in illo jam cœpto pergatur; ratio eſt, quia ſolus jactus lapidis ſe habet indifferenter, & exigit determinari per addita verba ad ſignificandam nunciationem novi operis: alioquin quicunque lapidem iaceret, diceretur novum opus nunciare, quod abſurdum eſt; licet Sylveſter *V. de nunciat. nov. oper. q. 4.* velit lapidem ad ſignificandam nunciationem novi operis eſſe ter projiciendum: quia trina proiectio niſi addantur verba, quibus determinetur ad ſignificandam nunciationem novi operis, ſemper eſt indifferens.

18 Demum fieri poteſt hæc nunciatio per Prætorem, ſeu Judicem, quatenus poteſt is, in cuius fundo novum opus ſtruitur adire iudicem, & ab eo petere, ut novum illud opus nunciet, ſeu prohibeat, ne conſtruatur, quod iudex poteſt, id immediatè per ſe prohibere, vel mediatè ſeu per aliam perſonam. Qui verò puris verbis nuntiat novum opus, ſi ſit in poſſeſſione illius circa quod fit nunciatio, eam amittit, & adverſarium, cui nunciat, poſſeſſorem facit *l. 5. §. meminiſſe. ff. h. t.* Secus eſt, ſi opus nunciet per iactum lapidis, vel per acceſſum ad prætorem, ut notat Sylveſter *V. de nunciat. novi operis q. 4.* ubi ait, poſſeſſionem tunc retinere.

19 Quòd verò ad tempus pertinet, certum eſt, nunciationem novi operis poſſe fieri quovis die etiam feriato, ac feſto, eò quia non ſit neceſſe ut fiat in iudicio, nec procedat per cognitionem cauſæ ſedente iudice pro tribunali, ut notat Zœſius *ff. h. t. num. 12.* quapropter etiam die Dominico, vel alio ſolemniori poteſt huiuſmodi nunciatio novi operis ritè fieri etiam contra abſentes, quorum nomine novum opus conſtruitur licèt inviti ſint, & ignorent hanc denunciationem, quia ut paulò ante diximus nunciatio fit in rem, non in perſonam.

20 Effectus primarius nunciationis novi operis eſt, ut demoliatur quidquid ædificatum eſt poſt factam nunciationem, & quidem ex-

penſis

penſis ipſius ædificantis, quòd procedit ſive injuſtè id fuerit ædificatum, quod tantùm ex poſt facto debet apparere, ſeu poſt cognitam varitatem, ut deſumitur *ex l. Prætor 20. §. 1.* & *§. ait. Prætor ff. eod.* & deſumitur etiam ex *cap. cùm ex injuncto 2. h. t.* ubi cùm Archi-Epiſcopus Cantuarienſis in præjudicium eccleſiæ Cantuarienſis ædificâſſet eccleſiam de Lamech: Innocentius III. reſcribit Archi-Epiſcopo, ut quidquid ædificatum eſt in eccleſia de Lamech poſt novi operis nunciationem ſuis expenſis penitus demoliatur; & cùm jure civili cautum ſit, ut ſi is, cui novum opus nunciatum fuerit, ante remiſſionem ædificet; deinde agat ſuper jure ſuo, & actio denegetur; revocat in irritum quidquid de inſtituendis ibi canonicis, & aliis ipſe vel prædeceſſor ejus ordinavit; & redditibus in priſtinum ſtatum revocatis, canonicos à juramento quoque ſuper præſtito jubet abſolvi. Poſtea objurgat etiam Archi Epiſcopum, eò quia Canonicis Cantuarienſibus viris alioquin bonis, ac religioſis de gravi eccleſiæ Cantuarienſis præjudicio querentibus, ab his, quæ ſine peccato mortali omitti poſſunt, & dimitti pro vitando ſcandalo non ceſſaverit.

21 Demum præcipit, ut huic cauſæ talis ab ipſo finis imponatur, ut præteritæ contradictionis rebellio per virtutem ſequentis obedientiæ poſſit expiari. Ex quo textu, qui parùm differt à præcedente in pluribus colligitur, denunciarionem novi operis ad ea tantùm pertinere, quæ immobilia ſunt, ac ſolo conjuncta, & eum novum opus facere, qui ædificando, vel detrahendo immutat priſtinam operis faciem; non ita eum, qui antiquum reficit ædificium. Rurſus denuncians novum opus tenetur priùs jurare, quòd non cauſa calumniandi denunciet: & hoc juramentum actore Prætore exigitur antequam denuncians juret. Rurſus ex eo, quod Pontifex in præfato textu dicat: *cùm cautum ſit legitima ſanctione* quæ habetur *d. l. §. in oper. eod. tit.* ſequitur, quòd in defectu canonum nihil de re, cujus eſt controverſia, ſtatuentium, debeant cauſæ eccleſiaſticæ decidi ſecundùm jus civile, eò quia leges civiles, non contradicentes ſacris canonibus, ſint ab Eccleſia approbatæ. Quia verò textus dicit *actionem denegari* infert Panormitanus *in d. c. cùm ex injuncto 2. num. 2. h. t.* denunciatum, qui ante remiſſionem pergit ædificare non repelli ipſo jure, ſed opus eſſe exceptione, quæ debet opponi ante conteſtationem litis, quia poſt litem conteſtatam non poteſt ampliùs opponi, ſed ſententia fertur pro denunciato, ſi docuerit jus ſuum ſine deſtructione operis: perinde ac in exceptione ſpoliationis, ſi actor docuerit de proprietate fertur ſententia pro eo, & abſorbetur poſſeſſorium à petitorio omiſſa reſtitutione ſpoliati, ut notat Gloſſa *in pæn. de reg. jur. in 6.*

22 Rurſus ex dicto textu liquet, opus novum poſſe nunciari exiſtenti in dignitate, ſive hæc perpetua ſit, ut in hoc textu eſt dignitas Archi-Epiſcopalis: non ita ſi dignitas ſit temporalis; quia tunc ut notat Panormitanus *in d. cap. ex injuncto 2. num. 1. h. t.* exiſtenti in dignitate non fit denunciatio, ſed proteſtatio, quamvis ceſſante dignitate ſequatur vera denunciatio, quæ retrotrahitur ad diem proteſtationis *l. 5. §. ſi quis ipſi Prætori.* Præterea qui poſt denunciationem novi operis non ceſſavit ædificare tenetur ſuis ſumptibus opus demoliri, quod procedit tametſi novum opus nunciatum fuerit anteceſſori ipſius ædificantis, ut notat Gloſſa *in d. cap. cùm ex injuncto. 2. V. expenſis h. t.* imò debet, quod ædificatum eſt demoliri ſumptibus ſucceſſoris, ſi is ratum habuerit opus ædificatum poſt denunciationem novi operis, vel poſt denunciationem factam adhuc proſecutus ſit opus à ſuo anteceſſore inceptum, ſi ſciverit denunciationem factam fuiſſe.

Demum ex dicto textu Panormitanus hic *num. 7.* duas eruit regulas, quarum prima eſt, ut pro ſcandalo vitando non debeat quis committere, vel omittere, per quæ quis incidit in peccatum lethale. Secunda ut pro vitando ſcandalo debeat ſeveritas juris remitti, vel ea, quæ poſſunt committi, aut omitti ſine peccato mortali, cujuſmodi fuit conſtructio novæ eccleſiæ collegiatæ de Lamech attentata cum gravi ſcandalo ab Archi-Epiſcopis Cantuarienſibus in præjudicium ejuſdem, alioquin peccat non obvians ſcandalo, cui poteſt ſine peccato obviare. Hoc autem interdictum datur etiam hæredi, & contra hæredem, quando in vitium ſuccedit, & ſciverit nunciationem eſſe factam *l. Prætor. eo. §. hoc interdictum ff. h. t.* imò etiam tranſit in ſingularem ſucceſſorem, ut in emptorem, quia ut diximus nunciatio novi operis non fit in perſonam, ſed in rem. 23

Quòd ſi is, cui novum opus denunciatur, velit probare, ſibi competere jus ædificandi non debet admitti ad id probandum, niſi priùs demoliatur, quod de novo opere poſt denunciationem ſibi factam conſtruxit; adeò ut teneatur priùs omnia reducere in priſtinum ſtatum, quia licèt ipſo jure non repellatur ab agendo: nihilominus per exceptionem oppoſitam ante litem conteſtatam cùm ſit exceptio dilatoria repelli poteſt, ut deſumitur *ex d. cap. cùm ex injuncto 2. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quod debeat ipſi actio denegari, quo pacto neque ſpoliator, ſi velit probare jus proprietatis ſibi convenire eſt audiendus, antequam reſtituat ſpoliatum poſſeſſioni ſuarum rerum, quod ſi exceptio non opponatur, & qui novum opus inchoavit, doceat de jure ſuo, ſententia fertur in ejus favorem ſine deſtructione novi operis. 24

Cæterum quòd denunciatus poſt novi operis denunciationem debeat ab inchoato ædificio ceſſare, & opus inceptum deſtruere id procedit non ſolùm ſi juſtè, & jure facta ſit denunciatio, ſed etiam ſi injuſtè; eò quia jus habeat ædificandum in tali loco, ac propterea nun- 25

Digitized by Google

nunciatio ſit contra ſuum jus,&ex eo ſolet probari : quia ſi poſt novi operis nnociationem licitum eſſat ædificanti excipere, ſe habere jus ædificandi in tali loco, idque probare eſſe paratum, & deonncians id inficias iret, rixæ inde orirentur, & diſſidentes facilè venirent ad arma; proinde ad tuendam publicam pacem, & conſervandam tranquillitatem in republica ſtatutum fuit, ut quamvis ædificans denunciatus, habeat verum jus ædificandi in tali loco dabeat nihilominus deſiſtere ab inchoato opere poſt onnciationem juſtè, vel injuſtè factam. Quòd ſi in contemptum denunciationis pergat inchoatum opus ædificare, tunc totum opus quod poſt interpoſitam denunciationem ædificavit,tenetur ſuis propriis ſumptibus demoliri in pœnam contumaciæ. Unde poſt denunciationem factam ſive juſtè, ſive injuſtè ſiſtendum ſemper eſt ab opare jam inchoato *l. 1, in princ. l. de de pupill. 5. §. ſi quis forte vers quod id circo.* quia tatius aſt ante datum damnum occurrere, quàm poſt illatum damnum remedium quærere *l. final. C. in quibus cauſis in integ reſtit.* unde conſultiùs ſemper eſt poſt nnnciationem legitimè factam ceſſare ab opere, quod ſi perficeretur, damnum vicino inferret a & ſi poſt denunciationem adhuc ædificatum ſit opus, tunc ante omnia eſt deſtruendum, & totum reſtituendum in priſtinum ſumptu ædificantis in pœnam contemptus, & contumaciæ, quia noluit poſt denunciationem legitimè factam deſiſtere Tum quia hæc nunciatio legitimè facta ſe habet inſtar appellationis extrajudicialis, ut notat Lancelotus *de attentatis 2. p. cap* 20. *num. 27.* unde ſicut innovata poſt appellationem extrajudicialem, ut attentata ante omnia revocantur, ita etiam ædificata poſt denunciationem legitimè factam veluti attentata ſunt proprio ſumpto ædificantis deſtruenda.

26 Videtur tamen difficile, quòd denunciatio ſive juſtè, ſive injuſtè facta debeat impedire ædificationem operis jam inchoati : ſiquidem iniquorum eſt, nunciationi notoriè injuſtæ parêre, ſiquidem jus non patitur quidquam injuſtum *l. 1. §. de inſtit. jur. l. quod ſi Epheſi. ff. de eo quod certo loco l. meminerunt. 6. C. unde vi*, proinde ſi nunciatio fuerit injuſta, adeo ut denunciatus habeat jus ædificandi in in tali fundo, non videtur, quomodo poſſit impedire ædificij conſtructionem, ut habetur *in l. Papinianus ff. de publicana*, unde nunciatus ſi pergat in ſuo inchoato ædificio impunè cenſetur contemnere nunciationem factam *l. tutor 49 ff. de minor. l. ſi minor. C. de reſcind.* unde ſi injuſta ſit nunciatio operis non debet impediri proſecutio operis, præſertim ſacri, ut eſt conſtructio eccleſiæ, quia reipublicæ intereſt eccleſias conſtrui, & ædificari, ut populus in illis divina peragat officia, Deúmque ut par eſt, colat. Verùm hæc parvi ſunt momenti, quia nunciatio operis ſive juſtè facta ſit; dummodo ſit legitimè facta juxta interdictum Prætoris impedit progreſſum operis : ratio eſt, quia tunc poteſt ſemper dubitari de jure nunciationis, propterea ſuperſedandum eſt, ac ceſſandum poſt talem nunciationem ab opere inchoato, donec compertum ſit, an qui novum opus inchoavit habuerit jus illud inchoandi in tali fundo, vel non : per hoc enim, quòd ceſſet à tali opere non ſit ipſi injuria, quia conſultiùs eſt impedire, ne damnum alteri fiat, quàm poſt illud illatum, remedium quærere. Si enim qui novum opus inchoavit, habet jus illud ædificandi in tali loco; tunc impunè poteſt ſuum opus proſequi, & nunciatio nullum poteſt ulterius impedimentum ponere, & nunciatio ut inutilis remittitur à Prætore, ut notat Duarenus *l. 2. h. t.*

Quòd ſi nunciatio fieret apertè ſine ullo jure tunc inutilis eſſet : ſin verò nunciatio fiat ſine jure, ſed non apertè, ſed dubiè, adeò, ut nuncians jus aliquod videatur habere, tunc nunciatio aſt utilis, ut notat Pichardus *in §. 1. de interdict. n. 540.* unde tunc denunciatus debet ceſſare ab opere inchoato, donec conſtet de ſuo jure in ordine ad ædificandum in tali loco. Ad id, quod addebatur intereſſe Reipublicæ, Eccleſias conſtrui ad divina officia celebranda, reſpondetur, verum eſſe, dummodo inde præjudicium non ſequatur tertio, ut *in d. cap. cùm ex injuncto 2. h. t.* & *in cap. intelleximus. 1 eod. tit.* conſtructio novæ eccleſiæ erat in præjudicium eccleſiæ Cantuarienſis, tunc enim nova eccleſia non debet cum præjudicio tertij conſtrui. 27

§. II.

Proponuntur & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

QUæritur primò, quot modis ceſſet nunciatio novi operis, adeò ut nullã vim habeat? Reſpondatur, in tribus potiſſimum caſibus ceſſare nunciationẽ novi operis. Primò ſi denunciatus offerat ſatisdationem, & nunciator eam recipiat, tunc enim juxta jus antiquum poteſt ædificium perfici non expectato ſpatio trium menſium. Si enim is, cui nunciatio novi operis facta eſt offerat ſatisdationem de opere demoliendo, & nuncians cautionem recipiat, poteſt inceptum ædificium proſequi. Sin verò conſtiterit ipſum nunciatum habere jus ædificandi, tunc non tenetur nuncians illam cautionem recipere; tametſi paratus ſit, & velit intra tres menſes id probare, idque deſumitur *ex cap. ſignificantibus 3. h. t.* ubi Honorius III. cùm quidam civis Pariſienſis in platea ſanctæ Opportunæ in ejuſdem eccleſiæ præjudicium ædificaret, & Canonici ſuper hoc depoſuiſſent gravamen coram Officiali, & Archidiacono Pariſienſi offerentes in continenti probationem juris ſui, & poſtulantes, ut non obſtante cautione à prædicto cive Pariſienſi oblata, ædificium prohiberetur, officialis probationes admittendas 1

inter-

Digitized by Google

interlocutus eſt. Sed eodem cive ed Senonenſem eccleſiam provocante, ejúsque officiali interlocutoriam Pariſienſem revocaote, Canonici ad Pontificem appellârunt, qui reſcripſit in irritum revocari quidquid poſt eppelletionem hujusmodi inveotum fuerit attentatum.

2 Ex quo textu infertur, quòd qui nunciat novum opus poteſt vel oſtendere de ſuo præjudicio probando plateam ad ſe pertinere, & interim ceſſatur ab opere, vel recepte cautione de demoliendo opero, permittere ſtatim ædificari: rurſus quidquid poſt appellationem sentatur eſt irritum. Verùm ſi denunciens novum opus velit illud impedire, debet vel incontinenti, vel ſaltem inrre tres menſes probare, ſe jure prohibere ſtructuram ædificii illius: alioquin poſt lapſum trium menſium poteſt ounciatus pergese in ſuo ædificio præſtita cautione de opere novo demoliendo; quia ſi nuncians velit probare jus ſuum prohibendo ædificium debet admitti. Rurſus appellatio à tenteutia lata ſuper demoliendo opere poſt nunciationem novi operis conſtructo admittitur etiam quoad utrumque effectum ſuſpenſivum, & devolutivum, ot notat Barboſa in *c. ſignificantibus 3. n. 4. h. t.*

3 Cæterum rectè communiter dicitur per remedium nunciationis novi operis, ſolùm dari remedium contra ædificium futurum, non verò de novo, ſuper qoo movetur controverſia nunciationis: quia ſi contingeret denunciarum sotum ædificium abſolvere ante factam remiſſionem, vel probationẽ ſui juris, teneretur æquè totum ædificium demoliri, quàm pertem priùs extructam: unde hæc nnnciatio eſſet etiam remedium edverſus ædificationem recèns factam demoliendam, & non ſolùm contre faciendam.

4 Secundò ceſſat ouncietio novi operis, ſi nuncians remiſeric nunciationem factam ædificanti novum opus, & deſumitur ex *d. c. cùm ex injuncto 2. h. t.* & *l. non ſolùm 1. §. ſciendum* ubi dicitur: *donec remiſſio nunciationis fiat.* hæc autem remiſſio fit, vel tacitè, vel expreſsè: tuoc dicitur expreſsè fieri, ſi nunciatus jus ædificandi habeat, quia tunc rectè poteſt ædificare, quia utens jure ſuo non videtur alteri injuriam inferre: tunc verò tacitè cenſetur fieri remiſſio, ſi qui nunciavit decedat, quia tunc per mortem ounciantis extinguitur nuncietio *l. non ſolùm §. morte ejus* ut notat Gloſſa *in d. cap. cùm ex injuncto 2. V. remiſſionem h. t.* Id autem procedit, ſi nuncians decedat re adhuc integre antequam aliquid ædificatum ſit: quia ſi re non integra decederet, ſeu poſtquam aliquid de oovo opere eſt conſtructum, tunc interdictum nunciationis competit ejus hæredi, quo pacto intelligitur textus *in l. prætor 20. §. hoc interdictum 1. ff. h. t.* Secus morte illius, cui opus novum nunciatum eſt, non ceſſat nunciatio: ratio verò, cur hæc extinguatur tantùm morte nunciantis, noo verò morte illius, cui opus nunciatum eſt, aſſignatur à Gloſſa *in l. non ſolùm §. ult. V. etiam hæredis*, quia ſcilicet nunciatio ex parte perſonæ nunciatæ eſt realis, eò qnia fiat in rem *l. operis 10. ff. h. t.* proinde ſi perſona denunciate decedat, non extingnitur ipſa nunciatio, ſed tranſit ad ejus ſocceſſorem quoad id, quod ed ipſum pervenit: vel ſi dolo ipſius factum ſit, quo minùs perveneric *l. prætor. 20. §. planè. ff. h. t.* ſecus ex parte perſonæ nunciantis, nuncietio non eſt reelis, ſed perſonalis, quæ propterea extinguitur per mortem nunciantis.

Tertiò ceſſat etiam nunciatio novi operis, 5
ſi nunciator nolit ſetisdationem admitrere, neque offerre ſe ed probationem alicujus juris, quòd poſſit operi inchoato eſſe impedimento: quia tunc is, cui nunciatum eſt opus novum poteſt pergere in ſuo ædificio, quie edverſerius præſumitur doloſè, & cauſa vexandi nunciâſſe; non verò quie jus aliquod hebuerit nunciandi, qnia alioquin probâſſet ſuum jus.

Quartò ſi nuncietor oon admittens ſatiſ- 6
dationem vult tamen probare cauſam, quam ſibi eſſerit competere ad novum illud opus impediendum, & tuoc tenetur is, cui nunciatio facte eſt expectare nunciatorem per tres menſes, & interim ceſſare eb ædificio ſi denuncians cautionem nolit recipere, idque deſumitur *ex cap. is qui ult. h. t.* ubi Gragorius IX, reſcribit is, cui opus novum te nunciâſſe proponis non obſtante ceutione, quæ offertur ab ipſo de opere deſtruendo, ſi non jure ædificatum exiſtat, tenetur te per trium menſium ſpatium expectare juris tui præjudicium probare volentem. Ex qno textu colligitur, eſſe in optione dennociantis, an velit ſtetim docere de ſuo jure, vel expectare ad tres menſes, vel ſtatim recipere cantionem, ut ædificetur: unde nunciatio oovi operis non ceſſat per ſolam oblatam idoneam ceutionem ab eo, cui facta eſt nunciatio: neque oblatio cautionis de opere deſtruendo dat denunciato facultatem proſequendi ædificium niſi vel denuncians conſentiat, vel intre ſpatium trium menſium à tempore deounciationis, vel ſaltem à tempore oblatæ cantioois probet, habere juſtam cauſam denunciandi: qnia is, cui facta eſt novi operis nunciatio noo tenetur ultra tres menſes cum gravi ſuo præjuditio expectere, unde poſt trimeſtre dilapſum poteſt impunè inthoatum opus proſequi.

Per hanc enim conſtitutionem otiliter 7
proviſum eſt utrique, ſcilicet denuncianti, & ei cui facta eſt denunciatio: quie perſæpe, qui putat ſe habere jus ædificandi bona fide ædificat, cùm tameo tale jus ei minimè competat: quapropter ſi tunc poſſet licitè ædificare oblata cautione ſequeretur, quòd non ſolùm poſſet perdere expenſas factas in ædificando, ſed etiam faciendas in deſtruendo opere, quod ædificatum eſt, unde utilius eſt illi expectare denunciantem per tres menſes, quia tunc ſi hic doceat de jure ſuo, uterque ſervatur indemnis, quia is, cui facta fuit nun-

ciatio, non ædificavit, proinde eximitur à ſumptibus, ad quos aliàs teneretur in deſtructione operis quod poſt factam nunciationem ædificâſſet, cum jure non poſſet illud ædificare.

8 Rurſus eſt etiam utilius ipſi denuncianti; ſiquidem ſi jus ædificandi denunciato non competeret, & tamen poſſet impunè ædificare oblata cautione, non parùm interim damni poſſet inferri nuncianti, cùm nunciatus poſſet impunè ædificare ante domum nunciantis cum eius præjudicio, ut rectè notat Abbas in *d. cap. is cui in fin. ult. h. t.* Ceſſat etiam nunciatio novi operis plerisque aliis in caſibus, ut ſi is, qui nunciavit alteri novum opus nolit coram Judice jurare de calumnia; ſeu detrectet juramento affirmare, ſe revera arbitrari, quod juſta nunciandi cauſa ei ſuppetat, & ratione cujus poſſit juſtè impedire eum, cui nunciatio facta eſt, ne ædificet in tali fundo: eo enim ipſo, quòd nolit coram judice jurare de calumnia præſumitur malitioſè agere, & animo impediendi opus jam inchoatum. Non tamen qui nunciat novum opus tenetur hoc de calumnia juramentum præſtare, ſi is, cui nunciatio facta eſt, illud non exigat: ſecus ſi illud exigat tenetur jurare, quòd ſi recuſet, remittitur à lege nunciatio, quæ propterea habetur pro non facta *l. de pupillo 5. §. qui opus ff. h. t.* Rurſus ceſſat nunciatio novi operis, ſi Prætor permiſſam denunciationem revocavit *l. ſi opus 16. ff. h. t.*

9 Quæritur ſecundò, an ſi certò, & notoriè conſtet, quòd incipiens novum opus revera habeat jus illud ædificandi in tali fundo poſſit, tametſi alius ei nunciet novum opus, illud impunè proſequi? Reſpondetur, quòd ſi certè, & notoriè conſtet, jus ædificandi ei competere, cui nunciatur novum opus, quia tunc etiam certè, & notoriè debet conſtare, quòd nuncians omnino injuſtè novum opus alteri nunciet, ac prohibeat; ideo is, cui eſt novum opus denunciatum poteſt impunè nunciationem ſibi factam contemnere, & ſuum opus proſequi, ut notat Gaillus *obſer. 16. num. 4.* & ratio eſt, quia ut rectè animadvertit Abbas *in cap. intelleximus 1. num. 10. h. t.* non eſt vero ſimile, quòd jura velint favere figmentis, delictis, & deceptionibus cùm gravi innocentium damno; jura enim potiùs injurias prohibent, & deceptiones, ac delicta inflictis pœnis coërcent: ſin verò vellent jura, ut is, cui denunciatum eſt novum opus ceſſaret ædificare, jam manifeſtum eſſet, quòd nuncians nullum haberet jus prohibendi, & nunciatus cùm haberet jus ædificandi, ut ſupponitur utrumque certè, & notoriè conſtare; procul dubio jura in hoc caſu injurias præciperent & delictis faverent, quo nil abſurdius.

10 Præterea cum jus cenſeatur æquitatis amantiſſimum, non debet præſumi in ipſo iniquitas, nec quod velit manifeſtè injuſtitiam, ut contingeret, ſi nuncians injuſtè novum opus illud prohiberet ei, de quo certè, & notoriè conſtat habere jus ædificandi in tali fundo, ac propterea nunciationem factam, eſſe certè, & notoriè injuſtam.

Neque obſtat, jura velle, nunciationem, ſive juſtè, ſive injuſtè factam, habere vim prohibendi proſecutionem operis poſtquam legitimè facta eſt, ut habetur in *l. Prætor. 20. ff. h. t. l. 1. §. parvi. ff. quod vi aut clam.* quia hæc, & ſimilia jura tantùm procedunt, ut ſuperiùs innuimus de illa denunciatione, de qua aliquo pacto dubitatur, an juſta ſit, vel injuſta: tunc enim tametſi cenſeatur eſſe injuſta, nihilominus quia res non eſt adeò clara, ideo nunciatio ſuam ſortitur efficaciam in ordine ad inhibendum, ne opus incœptum perficiatur; quia ſupereſt cognoſcere de cauſa, & rei veritate: ſecus quando denunciatio eſt manifeſtè, certè, & notoriè injuſta, & certè ac manifeſtè etiam conſtat, eum, cui fit nunciatio operis novi, habere jus ædificandi in tali fundo, non poteſt nunciatio impedire proſecutionem operis inchoati, quia jura non favent manifeſtis injuriis. 11

Quæritur tertiò, an ſi Petrus ædificet in fundo Pauli, poſſit hic opus à Petro inchoatum in ſuo fundo propria auctoritate privata deſtruere? Reſpondetur affirmativè, dummodo hæc deſtructio incontinenti fiat, & non ex intervallo, & deſumitur *ex l. 3. §. cùm igitur ff. de vi, & vi armata.* Hinc ſi Petrus armata vi ædificet de die in fundo Pauli aliquod ædificium in præjudicium ejosdem Pauli, poteſt Paulus impunè de nocte ædificium inchoatum deſtruere: ratio eſt, quia ſicut tunc Petrus ædificando in fundo Pauli infert eidem injuriam; ita Paulus poteſt ſe ab hac vi ſibi illata defendere, & impedire, ne damnum illi obtingat, defenſio enim cum moderamine inculpatæ tutelæ eſt de jure naturæ, & tunc Paulus vim ſibi illatam repellit, quod eſt licitum: imò etiam vim vi repellere, ut notat Zœſius *ff. h. t. num. 16.* & Pirhing *lib. 5. tit. 23. n. 24.* 12

Quæritur quartò, an nunciatio novi operis obliget eum, cui fit, ad deſiſtendum ab inchoato opere, ſi periculum ſit in mora; adeò ut dilatio ædificii, ſit probabiliter grave damnum allatura, ut ſi flumen ſit arva ingreſſurum? Reſpondetur cum Gaillo *lib. 1. obſer. 16. num. 8.* tunc nunciationem novi operis non poſſe nunciatum obligare ad deſiſtendum ab opere inchoato cum tanto ſuo damno, & id ait Gaillus procedere generatim in omnibus operibus, quorum mora allatura eſt grave aliquod damnum: in his omnibus caſibus contemnenda eſt novi operis nunciatio *l. de pupillo. §. præterea. ff. h. t.* ubi etiam aſſignatur ratio; eò quia conſultiùs ſit omittere novi operis nunciationem, quàm permittere ingens damnum, quod ex ceſſatione operis inchoati imminet alteri. Verùm Gloſſa *in d. l. de pupillo. V. periculum* vult, id tantùm procedere de periculo communi totius civitatis, vel pagi, aut viciniæ, quia tunc bonum commune eſt præfe- 13

rendum,

rendum : & propter hoc cenſet poſſe ſperni nuntiationem factam ei , qui inchoavit novum opus : non item ſi periculum immineat uni privatæ perſonæ.

14 Verùm alii cenſent , id procedere etiam quando periculum ingentis detrimenti imminet alicui privatæ perſonæ, dummodo hæc compenſet damnum , ſi quod infertur, ex tali novo opere alteri. Ratio , quia quoties periculum eſt in mora , licitum eſt recedere à regulis juris communis , tunc enim remittitur juris diſpoſitio etiam prohibitiva , ut notat Gaillus *loc. cit. num. 9.* & Pirhing. *h. t. num. 24.*

15 Quæritur quintò , an, & in quibus caſibus poſſit , qui in proprio fundo ædificat, nunciari de novo opere. Certum eſt, regulariter poſſe quemlibet in propria domo, & ſuo fundo ædificare, prout ipſi magis placuerit, nec propterea poſſe à visino prohiberi ; quia ut loquuntur Juriſtæ , ſi domus eſt mea , tunc eſt mea usque ad cœlum , & infernum , adeò ut poſſim ædificare in tota illa altitudine, prout mihi magis placuerit , ut etiam effodere in tota profunditate , ſi velim usque ad centrum terræ *argum. l. altiùs C. de ſervitut. & aqua* idque quamvis ex tali ædificio meus vicinus quamdam ſentiat incommoditatem, ut quia ejus domus privetur ſolari luce , vel liberiori, ac ampliori proſpectu ? Reſpondetur nihilominus poſſe in tribus caſibus eum , qui in proprio fundo ædificat nuntiari de novo opere. Primò ſi vicinus habeat in domo ædificantis ſervitutem urbanam ex pacto , teſtamento , vel præſcriptione , cujusmodi eſt ſervitus *altiùs non tollendi* , *non officiendi luminibus* ; *vel proſpectui.*

16 Juvat tamen circa harum ſervitutum præſcriptionem obſervare ; quòd ſervitutes non cenſeantur præſcriptæ , eo ipſo, quòd vicinus longiſſimo tempore non ædificaverit quidquam in propria domo : ratio eſt , quia ædificare in propria domo eſt actus meræ facultatis , contra quem non inducitur præſcriptio , niſi aliquando volenti ædificare , vicinus credens bona fide ſe jus habere , id prohibuerit , & ipſe acquieverit huic prohibitioni , quia tunc vicinus prohibens quaſi poſſeſſionem ſervitutis conſecutus eſt in domo vicini : ſiquidem ſine poſſeſſione non currit præſcriptio ex *regula 3. in 6.*

17 Secundò poteſt ædificanti in proprio fundo nonciari de novo opere , ſi ex novo ædificio ædibus vicini non ſolùm quædam incommoditas, ſed etiam periculum immineat ruinæ, vel graviſſimi damni ; tunc enim nunciatur juſtè novum opus ædificanti , & poteſt adigi ad præſtandam cautionem damni injuncti , adeò ut poſſit compelli ad promittendum ſe compenſaturum omne damnum , quod ex tali ædificio obtinget alteri *l. 1. §. nunciamus 17. ff. h. t.* *junctis tot. tit. ff.* de damno *infecto*, ſeu de damno , quod futurum timetur , ut habetur *in l. 2. ff. eod. tit.*

Tertiò poteſt etiam nunciari novum opus ædificanti in proprio fundo , ſi tantùm ad vicini æmulationem ejus ædes obſcurare , vel novas feneſtras contra domum , vel hortum eius aperire velit , quia tunc præſumitur ædificare ad injuriam inferendam alteri , ſi ipſi ædificanti non ſit ædificium utilitati ; quia ut ait juris conſultus in *l. in fundo 38. ff. de rei vindic non eſt malitiis hominum indulgendum , qui nihil agunt, quàm ut noceant.* 18

19 Quæritur ſextò , an omnes regulares gaudeant privilegio , quòd non poſſint de novo ædificare eccleſias , vel monaſteria , niſi in diſtantia centum quadraginta cannarum à propriis domibus , vel conventibus. Cùm Clemens V. conceſſerit Carmelitis, quòd nulli alii Regulares poſſint erigere , & conſtruere eccleſias , vel conventus , vel erectas de novo recipere propè eorundem eccleſias , & monaſteria niſi in diſtantia centum quadraginta cannarum. Et Sixtus IV. eandem conceſſionem extenderit ad omnes eccleſiaſticos , ut refert Sorbus *in compendio privileg. V. ædific. num. 19.* rectè quæritur , an ſtante communicatione privilegiorum , quam ut plurimum habent omnes Religiones , hoc privilegium omnibus ſuffragetur religionibus. Plures id negant ea innixi ratione , quia in generali communicatione privilegiorum non communicantur , quæ ſunt in præjudicium tertii , ut cenſuit Rota Romana in Walliſoletana quartæ funeralis 19. April. 1606. coram Juſto apud Tamburinum de jure Abbatum *tom. 3. decis. 83. num. 6.* & quia hoc privilegium eſt in præjudicium tertii cum per illud prohibeantur alii ædificare monaſteria , & eccleſias , ideo non eſt extendendum ad alias Religiones ultro illam Carmelitarum.

20 Sententia verò communior , ac verior eſt, tale privilegium ſuffragari etiam aliis Religionibus habentibus communicationem privilegiorum , ut rectè docet Barboſa *de jure eccleſ. lib. 2. cap. 12. num. 72. in fin.* ubi aſſerit, eſſe ſententiam communem , & ex eo probari poteſt : quia per talem communicationem privilegia fiunt propria religionis , cui communicantur, ac ſi per ſe primò ipſi concederentur ; ſiquidem communicatio eſt abſoluta , & perfecta , adeo ut non redundet ex alio in ipſam , ſicut redundant privilegia religionis in familiares , & privilegia mariti in uxores: ſed religiones poſſunt uti talibus privilegiis tanquam ſi ipſis ſolis eſſent conceſſa , quia privilegia hoc pacto communicata ſe habent ut privilegia ad inſter , quæ concedunt omnem favorem , & effectum, quem ſecum habet privilegiom alteri conceſſum , ut docent Baldus in *l. omnia. C. de Epiſc. & cler.* Mendoſa *de privileg. ad inſtar, q. 2. num. 9.* Corduba *in annotat. ad privileg. mendicantium V. privilegiorum communicat. in fin.*

21 Prætcrea quia Leo X. induſſit omnibus quatuor Ordinibus mendicantium ſcilicet Prædicatoribus , Minoribus , Carmelitis, & Eremitis

mitis S. Auguſtini, ut in privilegiis conceſſis, & concedendis eſſent æquales, & unus ordo participaret de omnibus privilegiis alterius, adeò ut moto proprio, & ex certa ſcientia ſtatuerit, ut impoſterum privilegia conceſſa uni cenſeantur etiam conceſſa alteri, qua ratione inſtituit communem conceſſionem reſpicientem æqualiter hujuſmodi ordines, ut habetur in Bulla XVIII. Leonis X. & quia hæc conſtitutio reſpicit bonum commune religionum mendicantium, & nititur eas reducere ad æqualitatem quoad participationem gratiarum Sedis Apoſtolicæ, ut liquet ex proœmio ejuſdem conſtitutionis, non continet purum privilegium: ſed conceſſio habet vim legis ordinatæ ad moderationem communitatis, & ad tollendam partialitatem affectus in Romanis Pontificibus erga hunc potiùs, quàm alium Religioſorum ordinem, & ad inducendam æqualitatem; quia ſicut omnes religiones æqualiter inſudant pro ſervitio eccleſiæ juxta proprias regulas; ita etiam æquum videbatur, ut æqualiter participarent conceſſiones Apoſtolicas. Quamobrem præfata conſtitutio locum habet quoad omnes religiones, in quibus militat ratio legis, ut communiter docent ex *l. illud. ff. ad leg. Aquil.* & *l. ſi poſtulaverit. §. 2. ff. ad leg. Jul. de adult.* quapropter eo ipſo quòd aliqua religio declaratur eſſe ex mendicantibus, declaratur etiam contineri ſub prædicta diſpoſitione.

22 Tum quia religiones ut plurimum talem habent communicationem privilegiorum, ut non ſit mera communicatio, ſed habeat vim novæ conceſſionis ſingulorum privilegiorum in ſpecie, qualis eſt illa conceſſio in favorem Clericorum Regularium vulgò Theatinorum emanata à Clemente VII. & eſt *in tom. 1. Bullar. conſtit. 50.* Hæc autem communicatio habet vim ſpecialis conceſſionis ob clauſulas continentes verba expreſſa, ut eſt illa clauſula, *quæ omnia ac ſi de verbo ad verbum infererentur pro expreſſis*; habet enim clauſula vim ſpecialis, & individuæ expreſſionis, ut docent communiter Canoniſtæ Toſchus *littera C. concluſ. 350. num. 1.* Felin. *in cap. nonnulli num. 6. de reſcript.* Geminian. *conſil. 65. n. 22.* & Rota in Comac. & Ferar. Propoſituræ 15. Decemb. 1625. coram Rembol. unde ſtante tali clauſula omnia habentur pro expreſſis, non ſecus ac ſi eſſent expreſſa de verbo ad verbum, ut cenſuit Rota Romana *deciſ. 47. num. 7. p. 1. recent.* & *deciſ. 607. num. 7. p. 1. apud Farinacium in poſth.* Tum quia extenſio facta cum clauſula plenarii effectus debet ſortiri eundem effectum, quem habuit prima conceſſio, quia plenarium illud dicitur, cui nulla additio fieri poteſt, ut notat Tuſchus *litt. D. concluſ. 330 num. 1.* non eſſet autem cum plenario effectu ſi haberet aliquid minus, quàm habeat in ſua conceſſione.

Præterea hujuſmodi conſtitutiones continent favorem, & ſimul declarant jus commune: ſed de jure communi non poteſt una eccleſia fundari in loco ubi cæteris priùs fundatis præjudicat *cap. quæcunque cap. eccleſia 17. q. 1. cap. cùm dicant. de eccleſ. ædificand.* ut notant Cardinal. *conſil. 8. num. 18.* & Rota Romana in Civitatenſi conſtructionis Capellæ 1588. apud Lezanam in Mari magno Carmelit. *num.* 434. Quod etiam fuit innovatum à ſacra Congregatione ex vivæ vocis oraculo Gregorii XV. die 27. Auguſti. 1621. & ab Urbano VIII. die 28. Auguſti. 1624. in ſua conſtitutione, cui initium eſt *Romanus Pontifex*, unde cùm præfatum privilegium ad vitandum præjudicium velit, ne intra ſpatium centum quadraginta cannarum poſſint eccleſiæ de novo erigi, vel recipi à perſonis eccleſiaſticis, procul dubio conſtituit media ad evitandum præjudicium quod de jure communi vitandum eſt, proinde Pontificiæ conſtitutiones ſunt declarativæ juris communis: atqui declaratio ſequitur naturam juris declarati, & ipſi ineſt *l. heredes palam. §. ſi quid poſt ff. de teſtam. l. adeo §. cùm quis ff. de acquir. rerum domin.* & *Clement. 1. de jure patronat.* ergo tale privilegium tanquam declaratio juris communis locum habet in omnibus, in quibus locum habet jus commune: proinde favet omnibus Regularibus, perinde ac favet lex ipſa declarata, quapropter tale privilegium videtur ſortiri naturam juris communis, cum ipſum contineat declarativè juxta doctrinam Baldi in *l. 1. V. unde quæritur C. de furtis.* & Menoch. *conſil. 36. n. 28.* 23

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum.

AGitur in hoc titulo de privilegiis in ordine ad exceſſus privilegiatorum: quia cùm in præcedentibus titulis Pontifex egiſſet de exceſſibus Prælatorum, & Subditorum, tam in communi, quàm in particulari privilegiatorum, ſiquidem privilegia Clericis, ac Religioſis conceſſa non debent violari, neque privilegiati debent ſuis privilegijs abuti. Ideo ne delicta Privilegiatorum maneant impunita, agitur hîc de pœnis quas

incurrunt privilegiati ſi limites excedant ſuorum privilegiorum , ac illis abutantur. Et licèt de omni privilegiorum genere videatur eſſe titulus iſte, præcipuè tamen eſt de iis privilegiis , quæ Monachis , & eorum monaſterijs competunt , ne quiſquam Epiſcopus iis deroget nec Monachi privilegij occaſione , quid præſumant, quo jurisdictionem Epiſcopi , & aliorum minuant : quapropter agitur de exceſſibus privilegiatorum,qui titulus eſt etiam in ſexto, Clementinis,& Extravantibus Joannis XXII.& communibus.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum,quæ in hoc titulo continentur.

C. *EPISCOPALIA* 1. *h. t. Leo I. declarat, Epiſcopalem dignitatem non eſſe concedendam niſi civitatibus numeroſis, & inſignibus, adeò ut Epiſcopus non debeat niſi civitatibus inſignibus præſidere, ne dignitas Epiſcopalis ſui numeroſitate vileſcat. Ex quo textu liquet eſſe inſigne privilegium conceſſum civitatibus habere proprium Epiſcopum,qui in iiſdem præſideat : vilibus enim & exiguis urbibus non conceditur Epiſcopus, ne hæc dignitas, ſi ita frequenter multiplicetur, vileſcat.*

C. *SICUT IN JUDICIIS* 2. *h. t. Gregorius IX. declarat eccleſiam in judiciis nolle turbare laicorum privilegia ; ſed velle reſiſtere laicis, ſi præjudicent eccleſiæ ; & declarat, eccleſiam coercentem tunc tales laicos non agere contra legem, ſed potiùs ferre ſubſidium legi. Ubi notandum eſt,per privilegia laicorum in hoc textu intelliga jus, quo conventi debent coram judice ſuo conveniri:eſt enim commune id etiam laicis, ut non poſſint trahi ad alienos Judices, quapropter actor tenetur ſequi forum Rei conventi. Alij tamen per privilegia Laicorum intelligunt ea omnia quibus gaudent, adeò ut eccleſia non intendat ipſos turbare, nec cauſas ipſorum ad ſe trahere, niſi ſint malefactores, quos tunc eccleſia poteſt, ac debet coercere ob violentiam illatam, vel delictum commiſſum præſertim ſacrilegij,quod eſt mixti fori : quinimò Judex eccleſiaſticus poteſt ad ſe trahere non ſolùm invaſores rerum eccleſiaſticarum, quando per vim eas occupant : verùm etiam in negotiis aliis cum eccleſia geſtis, ſi eidem quoquo modo præjudicent per fraudem vel injuſtitiam, quod etiam procedit de rebus clericorum, ut notat Barboſa hic* num. 15. *quia injuria, & præjudicium, quod infertur Clericis,cedit etiam in præjudicium,& injuriam eccleſiarum, quarum Miniſtri ſunt clerici, licèt contrarium videatur ſentire. Covarruvias* lib. pract. c. 6. n. 1.

C. *CUM* 3. *h. t. Probibet Alexander III. ne Religioſi decimas accipiant de manu laicorum ſine conſenſu Epiſcopi, & ne excedant privilegia iiſdem conceſſa agendo contra authoritatem Epiſcopalem cum ſcandalo. Secundò ne Religioſi etiam exempti admittant ad divina excommunicatos, & interdictos nominatim à quocunque. Tertiò ne in eccleſiis, quæ ad ipſos pleno jure non pertinent cum vacant Religioſi inſtituantur, ſed præſentent inſtituendos Epiſcopo, & ei de cura ſpirituali reſpondeant, nec inſtitutos inconſulto Epiſcopo amoveant, & Religioſis rationem reddant de temporalibus. Quartò ut Templarij, & Hoſpitalarii ſi ad eccleſiam venerint interdictam nonniſi ſemel in anno admittantur ad divina officia, nec tunc ibi ſepeliantur corpora defunctorum. Quintò declarat confratres Religioſorum qui non omnino ſe eis dederant & remanent in ſuis proprietatibus, ſubjici Epiſcopo. Sextò declarat prædicta eſſe intelligenda de omnibus Religioſis. & vult ab aliis etiam Religioſis Epiſcoporum jura percipientibus obſervari; quòd ſi contra hæc egerint,vult, eccleſias in quibus hoc præſumpſerint,eccleſiaſtico interdicto ſubjacere. & irritum eſſe quod egerint. Notandum eſt nomine confratrum de quibus loquitur textus intelligi oblatos,qui ſe, & ſua Religioni non plenè tradiderunt ; cùm enim maneant in ſuis proprietatibus, ideo textus dicit non eſſe exemptos ab ordinariis. Cæterum qui abutuntur ſuo privilegio merentur illo privari. Rurſus privilegiati ut habetur in textu, tenentur etiam vitare excommunicatos nominatim, hoc eſt, ſi nominatim, & ex aliis circumſtantiis deſcribantur* c. nulli de ſent. excommun. c. propoſuit de cler. excommun.

C. *DILECTI FILIJ* 4. *h. t. reſcribit idem Pont. eos qui non timent opponere ſe reſcriptis authenticis eccleſiæ Romanæ, eſſe privandos ſuis privilegiis. Ubi notandum eſt, Prælatos teneri adminiſtrare privilegiatis juſtitiam juxta tenorem privilegiorum, & ſi negligant id facere,privandi ſunt privilegijs ſibi conceſſis, quæ pœna vigore hujus textus eſt ordinaria, quæ injungitur violantibus privilegia aliorum.*

C. *AD HÆC* 5. *h. t. reſcribit Pont. privilegiatos non poſſe ſepelire excommunicatos in cœmeterijs, & ſi eos ſepeliant debere eos ejicere, & ſi nolint exhumare,teneatur Epiſcopus id exequi : quia ut notat Gloſſa,ſicut non poſſumus communicare cum excommunicato vivo, ſic nec cum mortuo* cap. ſacris de ſepult. *ſecus*

ſi in

ſi in morte petierit abſolvi, & per ipſum non ſteterit, quin abſolveretur, quia tunc excommunicatus etiam poſt mortem eſt abſolvendus c. à nobis de ſent. excommun.

C. *SI DE TERRA* 6. *h. t. declarat idem Pont. contra privilegium eccleſia non praſcribi niſi ſpatio* 30. *annorum, quia videtur in tanto tempore renunciare juri ſuo: verùm id procedit de jure veteri, quia jure novo tempus praſcriptionis contra privilegium eccleſia extenditur ad* 40. *annos* cap. accedentibus 15. h. t. *Imò putârim veriùs cum pluribus in hoc textu ſpatium* 30. *annorum non aſſignari pro termino praſcriptionis, ſed pro ſigno tacita renunciationis, qua non praſumitur fieri per quemvis actum voluntarium privilegio contrarium, ſed per plures repetitos, & quidem continuatos juxta textum per annos* 30 *ut non poſſit dubium eſſe de renunciatione: quod tamen tempus non ſufficit pro termino praſcriptionis contra canones, vel eccleſias, ſed debet eſſe tempus quadragenarium juxta* cap. accedentibus 15. h. t.

C. *PORRO* 7. *h. t. Idem Pont, reſcribit Ambianenſi Epiſcopo, quòd Templarii, & Hoſpitalarii multas habeant prarogativas: nec dubium ſit eos aliam libertatem habere in locis, qua ante, alii incolebant. Nihilominus ad cognoſcendum, quantum eorum privilegia valeant, & quomodo ſint ſervanda, eſſe id arguendum ex tenore eorundem privilegiorum, ultra quem non vult eſſe extendenda privilegia. Hinc colligitur, allegant privilegium non eſſe credendum, niſi illud exhibeat. & ex ejus tenore conjiciatur, quantum valeat, & quomodo ſit ſervandum: & ratio eſt, quia privilegia ſunt ſtrictioris juris: proinde ſunt inſpicienda neque debent ampliari ultra tenorem.*

C. *RECEPIMUS* 8. *h. t. Ex eo quòd aliquis ſolvat cenſū Romana eccleſia declarat Pontifex, inde non probari eſſe exemptum à jurisdictione Epiſcopi quia non omnes, qui annuum cenſum ſolvunt, ſervati ſunt ſub jurisdictione Romana eccleſia; ſicut nec omnes, qui ſpeciatim ſunt ſub juriſdictione eccleſia Romana ſolvunt cenſum. Quapropter inſpici debent privilegia, ut eorum tenor diligenter ſervetur, & an ſint exempti, ex eorundem tenore conjiciatur, ut etiam an ad indicium libertatis ſolvat quis cenſum, vel non, ſed ſolum in ſignum perpetua protectionis: ex quo textu liquet per hoc quod eccleſia ſolvat Pontifici annuum cenſum non probari exemptionem niſi expreſſè ſolvatur in argumentum denata libertatis. Caterum per hoc quod aliquis recipiatur in jus ſpeciale S Petri, videtur aliquid plus eidem concedi, quàm reliquis cleritit, ut notat Panormitanus hic* num. 3. *non tamen receptio ſimplex ſub protectionem prajudicat juri aliorum, niſi recipiens ſit illorum ſuperior, ut Papa eſt ſuperior Epiſcoporum.*

C. *SANE* 9. *h. t. reſcribit idem Pont. temerarium eſſe, ac indignum aliquem ſibi ſua authoritate praſumere, quòd Romana eccleſia alicui certa ratione inſpecta ſingularibus voluit beneficiis, vel privilegiis indulgere. Hinc liquet privilegia, qua Papa concedit uni inſpecta certa ratione non debere alium ſibi praſumere: ratio etiam aſſignatur à Gloſſa hic, quia privilegia non tranſeunt in legem communem, ſed ſemper ſunt jus ſpeciale, quod non eſt dandum niſi certa inſpecta ratione, hinc deducuntur* regulæ juris in 6. *nimirum* quæ à jure communi exorbitant, non ſunt in conſequentiam trahenda: *privilegia autem à jure communi exorbitant. Alia regula eſt*, quod alicui gratioſè conceditur, non debet ab aliis in exemplum trahi. *unde rectè dicitur in textu temerarium eſſe, privilegia ſibi praſumere, qua Papa alteri concedit inſpecta certa ratione. Tum quia cum privilegia ſint contra, vel prater jus commune non debent temerè concedi nec multiplicari, quia id prajudicat bono publico.*

C. *PATENTIBUS* 10. *h. t. Clemens III. declarat, neminem quamvis exemptum poſſe habere campanas in oratoriis, qua habet domi, & exemptos eſſe coërcendos ab Epiſcopo per cenſuras: ut ita ſint ſuo jure contenti, ut non impediant juſtitiam caterorum. Ex quo textu colligitur habere campanam publicè in loco, eamque publicè pulſare eſſe ſignum loci publici. & ſacrati. Caterum in Oratoriis privatis non prohibentur campanula privata, qua pulſentur privatim, ſed hujus modi Oratoria non gaudent privilegiis eccleſiarum, & poſſunt deſtrui ad nutum Domini, quod ſanè argumento eſt, non habere jus campana publica. Praterea colligitur ex textu, privilegiatos, ſi metas excedant, vel publicè delinquant eſſe coërcendos* ab *Epiſcopo* c. recolentes de ſtatu Regul. *Demum Papam in conceſſione privilegiorum non intendere juſtitiam aliorum impedire, neque aliorum jus ledere* cap. ad audientiam de eccleſ. ædific. cap. ex tuarum de uſu pallii.

C. *TUARUM* 11. *h. t Innocentius III. ſtatuit, quòd ſi fratres Hoſpitalarii S. Joannis mittant ad colligendas eleemoſynas non Religioſos, ſed alios falsò cruce ſignatos, ſint privandi officio pradicationis, & ſi miſſi ſint laici debeant excommunicari; ſi clerici ſuſpendi ab officio, vel beneficio non obſtante privilegio, vel appellatione. Item declarat Pontifex, celebrantem in eccleſia interdicta eſſe ſuſpendendum, ut etiam ſi ſuſpenſus ab Ordinario celebret. Demum declarat, privilegiatos non poſſe alios privilegiare nec facere exemptus, & eos mereri amittere privilegia, qui illis abutuntur, quod habetur veluti regula ut liquet de ſtudioſis otioſis, qui nec ſtudiis vacant, nec ſcholas frequentant, hi enim amittunt privilegia ſtudioſorum. Caterum privilegium per abuſum dicitur amitti, quando in occaſionem vertitur peccandi, vel ultra tenorem extenditur, ut notat Layman* lib. 1. tractat. 4. cap. 36. n. 3. *Caterum exempti ſi delinquant extra locum exemptum poſſunt puniri ab Ordinariis.*

Et

Et demum celebrantes in loco interdicto, quamvis de jure ſint ſuſpenſi cap. ult. de exceſſ. Prælat. *in hoc tamen textu ſuſpenduntur de facto.*

C. *CUM OLIM* 12. *h. t. reſcribit Innocentius III. quòd ſi privilegiatus inſtrumentum perdat, poſſit probare ſuum privilegium per teſtes, qui deponant de tenore inſtrumenti, & quod non erat falſificatū præſertim in Bulla*, carta & littera. *Rurſus quòd ſi Papa ſcienter & re cognita admittat aliquem ad oſculum, qui putatur excommunicatus, eò ipſo ſit cenſendus abſolutus ab excommunicatione. Ubi notat Gloſſa, quod in hoc textu dicitur de inſtrumento Papæ amiſſo, intelligi etiam de litteris impetratis à Legato, & amiſſis. Rurſus Legatum non poſſe pari ratione probare amiſſionem inſtrumenti ſuæ legationis* cap. cùm in jure de offic. deleg. *ſi tamen ſit vir probus eſt ei fides præſtanda. Cæterum non ſufficit probare ſolam inſtrumenti amiſſionem, niſi in odium illius, qui furatus eſt inſtrumentum. Ad probandum autem privilegium ſi ejus ſcriptura fuerit amiſſa aſſumuntur teſtes, qui non ſolùm tenentur probare ſe illud vidiſſe; verùm etiam caruiſſe omni vitio in Bulla, carta & litteris, imò debent etiam teſtari de die, quo fuit ſcriptum, ut notat Covarruvias* in pract. c. 11. *ut etiam de eo, quod continebat, ac de omnibus ſubſtantialibus, non debent tamen ſingulà verba referre, ſed tantùm ea, quæ ſufficiant ad finem, & effectum in privilegio intentum. Imò non eſt neceſſè ut ſinguli teſtes omnia ſimul recenſita deponant, ſed ſufficit ſi unus de amiſſione, alter de tenore, hic de die, & conſule, alius de aliis contentis; adeò ut ex dictis omnium ſimul compleatur una integra probatio, ut notat Molina Juriſta* de primogen. lib. 2. c. 6. num. 34. *Cæterum ſi privilegium abſoletum, vel amiſſum renovetur, debet id fieri cum prærecenſitis qualitatibus, & vocatis etiam quorum intereſt habere eundem vigorem, & effectum, quem habebat antequam amitteretur, ut notat Barboſa hic* n. 7.

C. *EX PARTE* 13. *Idem Pont. declarat, quòd quando innovatur privilegium, non conceditur novum jus, ſed tantùm jus antiquum conſervatur: ex quo textu liquet, innovationem privilegiorum non tribuere novum jus, ſed tantùm conſervare antiquum. Notat etiam Gloſſa hic, exceptionem latam contra privilegium Papæ, vel poſt appellationem non ligare. Rurſus pendente lite non poſſe peti innovationē privilegii: ſecus ſi pars adverſa contradicat.*

C. *CUM OLIM* 14. *h. t. Idem Pont. reſcribit eccleſiam, quæ ſe defendit duobus privilegiis Epiſcopi & Papæ, ſi ſuccumbat in privilegio Epiſcopi, poſſe ſe defendere cum altero Papæ; proinde ſententiam latam à delegatis in partem infirmari, & in partem roborari. Hinc notat Barboſa hic* num. 20. *quod ſi poſtquam Judices priùs delegati auditis utriuſque partis argumentis, & probationibus cauſam inſtructam miſerunt Romam, ſint ad eam terminandam alii Judices delegati, pendente appellatione ad Pontificem non poſſint Judices inferiores ad definitivam procedere* l. 1. ff. nihil innov. appell. pend.

C. *ACCEDENTIBUS* 15. *h. t. declarat Idem Pont. quòd ſi aliquis locus eccleſiaſticus per ſpatium 40. annorum ſemper pacificè ſolvit decimas alteri loco eccleſiaſtico intelligi præſcriptum contra eius privilegium, ſi illud habebat, non ſolvendi decimas. Rurſus declarat, quòd ſi una pars probet, altera teneatur ſolvere, & ſi non probet altera liberetur, Ex quo textu notat Gloſſa, ad præſcribendum contra eccleſiam non ſufficere 30. annos, ſed requiri 40. adeò ut præſcriptio contra eccleſiam debeat omnino eſſe quadragenaria, & quidem ſine interruptione & lite. Rurſus licèt præſcribatur contra privilegium eccleſiæ particulare, & ſingulare conceſſum in favorem loci, vel perſonæ; non tamen præſcribitur contra privilegium pertinens ad immunitatem, & libertatem eccleſiaſticam, nec contra ſtatuta generalia, quibus eccleſia regitur, quia his non poteſt quis renunciare* cap. diligenti de foro compet. c. contingit de ſent. excommun. *hæc enim ſtatuta generalia ſemper manent inviolata* 27. q. 2. cap. 1. *Præterea renunciatio, quæ fit per contraventionem ſive negativam ſive poſitivam non habet certum tempus præfixum, ſed quovis actu, ſi voluntas totaliter renunciandi conſtet, amittitur, ſive anno trigeſimo, ſive vigeſimo, ſive etiam ipſa die contraventionis.*

C. *CUM CAPELLA* 16. *h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi aliquis ſit exemptus reſpectu unius loci, ut capella regia, non ſit intelligendus exemptus reſpectu alterius, ſeu Parochia, quam ab Ordinario habet, adeo ut ſi delinquat in hoc ſecundo loco poſſit ab Ordinario puniri. eò quia in hoc ſecundo non ſit privilegiatus, proinde poteſt excommunicari, vel ſuſpendi. Ex hoc textu colligitur non ſemper exemptionem eſſe totalem, ſed frequenter partialem, adeò ut exempti ab Epiſcopis in miniſteriis capellæ, vel aulæ Principum; in aliis ſubjiciantur Epiſcopis: quo pacto etiam Regulares quamvis exempti, prout exercent curam animarum perſonarum ſæcularium in Concilio Tridentino* ſeſſ. 25. c. 11. de regul. *dicuntur eſſe ſub juriſdictione Epiſcoporum. Hinc ſi Abbas obtineat privilegium ut Monaſterium ſuum cum omnibus capellis ſit exemptum, & progreſſu temporis acquirat alias capellas, quæ non ſint prioribus acceſſoria, ſed ab iiſdem principaliter ſegregata, non dicuntur iſta recèns acquiſita, nec gaudere privilegiis Priorum.*

C. *EX ORE SEDENTIS* 17. *h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi concedatur exemptio capiti, ut monaſterio, non propterea eſſe intelligenda etiam membra, ut ſunt capellæ monaſterii, adeò ut Abbas ratione membrorum non exemptorum debeat ſubeſſe Epiſcopo, eique exhibere debitam reverentiam, & venire ad ſynodum E-*

piſcopalem. Rurſus declarat Pontifex, quòd ſi Abbas locum habeat in ſynodo Epiſcopi teneatur ad illam accedere, & etiam ejus ſtatuta ſervare.

C. *EX PARTE 18. h. t. declarat idem Pont. eos, qui recipiuntur ſub protectione Papæ cum rebus ſuis, non intelligi exemptos ab Epiſcopo. Ubi notat Gloſſa, per verbum inductivum libertatis dari exemptionem non autem per verbum protectionis.*

C. *PASTORALIS 19. h. t. declarat Pont. quòd ſi Papa concedat Religioſis privilegium convertendi in proprios uſus eccleſias ſibi ſubjectas; non poſſint Regulares propria authoritate accipere poſſeſſionem illarum, ſed Epiſcopum debere eos introducere, quia Papa quoad tale privilegium non intendit derogare juri Epiſcopatus niſi aliud in eo explicetur. Ratio, cur Regulares tunc non poſſint propria authoritate accipere poſſeſſionem eſt, quam aſſignat Joannes Andreas: quia conceſſio Principis poteſt eſſe ſubreptitia, vel etiam damnoſa Religioni* cap. ne ſede Vacante, *proinde priùs exhibenda eſt Epiſcopo, ut examinet, an debeat executioni dari, vel iterum moneri Pontifex. Rurſus quòd in textu dicatur, non poſſe propria authoritate hanc poſſeſſionem accipere, id intelligitur, ut notat Gloſſa, de poſſeſſione, quā nunquam habuerunt, non de ea, quā habuerunt* c. cùm inveniſſent de reſtit. ſpoliat. *Cæterum privilegium utpote odioſum quia contra jus commune non debet extendi niſi quatenus in eo continetur, & intelligitur conceſſum ſine præjudicio alterius. Demum notandum eſt in generali conceſſione non intelligi conceſſum, quod ſpecialiter non fuiſſet conceſſum* c. eccleſ. veſtra de elect.

C. *PETISTIS 20. h. t. declarat idem Pont. quod tametſi ii, ob quorum delictum fuit poſitum interdictum illud non ſervant, debeant tamen alii illud ſervare, quòd ſi ii in quorum favorem fuit poſitum non ſervant interdictum, nec tenentur alii illud ſervare. Ex quo textu liquet, quòd ſi interdictum non ſervetur ab eo cujus cauſa eſt latum, neque alii ex licentia Papæ illud teneantur obſervare. Sin verò plures ſint, quorum cauſâ fuit promulgatum; tunc requiritur, ut à majore parte illorum violetur, quia ut culpa imputetur multitudini, debet major pars ejuſdem delinquere.*

C. *QUONIAM 21. h. t. Idem Pont. reſcribit, quòd ſi concedatur privilegium monaſterio, & eccleſiis eidem ſubjectis utroque jure, ut eorum Monachi non poſſint excommunicari; id debeat intelligi de Monachis manentibus, & deſtinatis in his locis tantùm. Ubi notandum eſt cum Gloſſa, eccleſiam tunc dici ſubjectam pleno jure, ſeu utroque jure quando eſt ſubjecta in ſpiritualibus, & temporalibus, quamvis Epiſcopus recipiat aliqua temporalia* c. cùm venerabilis de cenſ.

C. *QUIA CIRCA 22. h. t. Idem Pont. reſcribit Archi Epiſcopo Londonenſi, quòd ſi Epiſcopus remittat decimas indefinitè alicui eccleſiæ, id debeat intelligi non ſolùm de prædiis, quæ de præſenti poſſidet, ſed etiam de poſſidendis in futurum; eò quia beneficia ſint pleniſſimè interpretanda, præſertim ſi Epiſcopus potuit excipere contra tale privilegium, & nihil excepit, quia ut notat Gloſſa, verbum indefinitum æquipolet univerſali, & ampliatur ad futura. Cæterum juxta eccleſiaſticas ſanctiones dicitur aliquid donari, remitti, vel concedi in alienationibus ab Epiſcopo, quando fit cum authoritate, & conſenſu capituli, & etiam ex juſta, & neceſſaria cauſa, ut notat Panormitanus hîc* num. 2 *Rurſus notandum eſt, quòd ſi privilegium non ſit aliis præjudiciale, ſed ſoli concedenti, quamvis ſit contra ipſius juriſdictionem, adhuc ſit latiſſimè interpretandum contra ipſum concedentem* l. fin. ff. de conſt. Princ. *quia privilegium eſt beneficium Principis, cujus liberalitas eſt amplianda non reſtringenda niſi ipſemet expreſſiò reſtringat.*

C. *ANTIQUA 23. h. t. Idem Pont. ſtatuit in Concilio Generali, ut poſt eccleſiam Romanam, quæ eſt mater, magiſtra, & Princeps omnium aliarum eccleſiarum primum locum habeat Conſtantinopolitana, ſecundum Alexandrina, tertium Antiochena, & quartum Hieroſolymitana, quarum Patriarchæ debeant à Romano Pontifice recipere pallium, ſeu inſigne plenitudinis paſtoralis, cui jurant fidelitatem, & obedientiam. Rurſus ut iidem Patriarchæ poſſint dare pallium ſuis Suffraganeis recipientes canonicam profeſſionem pro ſe, & pro Papa promiſſionem obedientiæ. Idem ſtatuit, ut faciant deferri crucem ante ſe præter quam in urbe Roma, vel ubi eſt Papa, vel ejus Legatus utens inſigniis ſuæ dignitatis. Demum declarat ut in omnibus Provinciis quæ iiſdem ſubjiciuntur, poſſit appellari ad ipſos ſalva appellatione, quæ fit ad Papam, cui ab omnibus eſt humiliter deferendum. Textus eſt clarus nec alia indiget explicatione.*

C. *UT PRIVILEGIA 24. Idem Pont. in eodem Concilio declarat privilegium conceſſum Religioſis, ut poſſint ſepelire ſuos confratres tempore interdicti eſſe intelligendum de iis, qui tametſi maneant in ſæculo, obtulerunt tamen ſe Religioni mutato habitu: vel de illis, qui omnia bona ſua dederunt Religioni irrevocabiliter reſervato ſibi tantùm uſufructu; & non de aliis. Rurſus declarat, privilegium conceſſum Regularibus, quòd ſi perveniant in loco interdicto, debeant eis aperiri eccleſia, ut celebrent divina officia excluſis excommunicatis, eſſe intelligendum de una tantùm eccleſia aperienda in civitate, & quidem ſemel in anno, quòd ſi ſecus fiat, mandat Pontifex eos puniri, quia tunc abutuntur poteſtate ſibi conceſſa, ac proinde merentur perdere privilegium.*

C. *NONNULLIS 25. h. t. Idem Pont. in eodem Concilio concedit etiam Epiſcopis ſicut fuit conceſſum Regularibus, ut tempore interdicti poſſint*

poſſint divina celebrare januis tamen clauſis, & ſubmiſſa voce non pulſatis campanis, & excluſis excommunicatis, ejectiſque interdictis: dummodo Episcopi non dederint cauſam interdicto, nec quicquam doli, vel fraudis congeſſerint, & niſi id fuerit eis interdictum. Demum concedit Pontifex, ut ſolùm quandoque celebrent, non verò ſemper ne inde oriatur ſcandalum. Ubi notat Gloſſa, canonicos non poſſe intereſſe principaliter ut celebrantes, ſed tantùm ut alij extranei, ſi non ſint excommunicati. Rurſus qui eſt interdictus quamvis non deliquerit non ſolùm non eſt admittendus ad officia, & ſacramenta in loco interdicto, ſed nec etiam in aliis non interdictis.

C. *QUANTO 26 h. t. Honorius III. reſcribit, privilegia conceſſa alicui Religioni non eſſe violanda etiam indirectè: ſi enim ex privilegio religionis aliqui Religioſi non ſint excommunicandi, non debent excommunicari, imò nec illi, qui cum ipſis tractant, ut qui molunt in molendinis, vel coquunt in eorum furnis, vel in aliis communicant, vendendo, emendo, & alia ſimilia exercendo, quia ſi iſti omnes excommunicarentur Religioſi privilegiati non poſſent cum iiſdem communicare, conſequenter etiam ipſi indirectè excommunicarentur contra eorum privilegium. Ubi notat Gloſſa in privilegiis, lege, & canone eſſe potiùs conſiderandam vim, & mentem Legislatoris, & Superioris, quàm verba* cap. intellexiſtis de V. S. *Sed quando res eſt dubia, tunc potiùs ſervanda ſunt verba edicti. Cæterum cum dicitur in textu, quòd ſervari debeat tenor privilegii, id intelligitur, niſi conſtet aliter de mente concedentis, ut in textu conſtabat de mente Pontificis nolentis excommunicari, vel interdici Monachos Cluniacenſes directè, nec indirectè, quod attentabant Epiſcopi in fraudē privilegij, ut impedirentur communicare ſuis miniſtris. Hoc pacto dicuntur etiam Judæi excommunicari indirectè, quatenus poſſunt jubere Chriſtiani, ut omnimodam communicationem illis denegent* cap. poſt miſerabilem de uſur. *Cæterum qui facit in fraudem legis, & canonis, vel privilegii, dicitur facere contra legem: hæc autem fraus quatuor modis poteſt contingere. Primò de perſona ad perſonam, ut quando vir non poteſt dare uxori, ſupponit aliam perſonam, cui donet, & tunc donatio non valet. Secundò de re ad rem, ut ſi quis non poſſit mutuare pecuniam filiofamilias mutuet illi triticum, ut vendat, & inde habeat pecuniam. Tertiò de contractu ad contractum ut ſi mulier, non poſſit donare viro, eidem vendit, & hoc modo donat, quæ non poſſet. Quartò de contractu ad contractum alio modo: ut ſi mulier non poſſit fidejubere facit ſe debitricem alterius principalem. Omnibus hiſce modis qui facit in fraudem legis, vel canonis, dicitur facere contra legem.*

C. *EX PARTE 27. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi Clerici incedant ſine tonſura, & habitu, & deprehendantur in maleficiis, ſi habebantur omnino tanquam laici, quamvis poſt delictum reaſſumant habitum, & tonſuram, non tamen gaudent privilegio, & poſſunt puniri à Judice laico citra pœnam excommunicationis: ſecus eſt, ut notat Gloſſa, ſi conſtet eos eſſe Clericos, quia tunc pertinet ad Judicem eccleſiaſticum eos punire* c. in audientia cap. ve ò de ſent. excommun. *Ex hoc textu liquet, eos, qui ordinariè nec habitum clericalem, nec tonſuram geſtant; ſed promiſcuè illum aſſumunt, aut reſumunt, ut pro clericis paſſim non habeantur, præſertim ſi delictum aliquod patrare velint, ut hac arte pœnas fori ſæcularis evadant, permitti à Pontifice ſæculari juriſdictioni.*

C. *SUPER SPECULA 28 h. t. ſtatuit idem Pont. ut Pariſiis, locisque vicinis non legantur leges civiles Cæſareæ; eò quia leges Imperatorum in Gallia non ſint in uſu. Tum etiam ut poſſint Clerici melius, ac exactiùs inſiſtere ſtudiis ſacræ paginæ. Notandum eſt, occaſionem hujus decretalis fuiſſe abuſum, quo tempore Honorii III. eccleſiaſtici, & Clerici ſtudio juris civilis abutebantur, & lucri causâ advocationem exercebant; adeout à divinis abſtraherentur; nec ſuis ut par erat fungerentur officiis: hinc Pontifex anſam habuit prohibendi hac decretali immodicum legum civilium ſtudium, in locis ubi ante uſus non erat; alioquin eccleſia legum ſæcularium non reſpicit famulatum; quinimo Principum ſæcularium conſtitutiones ſtatutis adjuvantur ſacrorum canonum* c. 1 de nov. oper. nunc. *Cæterum non ſolùm Religioſi, verùm etiam Clerici habentes dignitates, & perſonatus prohibentur operam dare legibus ſæcularibus, ne inde à divinis diſtrahantur.*

C. *QUIA INTENTIONIS 29. h. t. reſcribit idem Pont. innovationem privilegii non inducere novum jus; neque antiquum tollere; neque alicui præjudicium inferre. Ex hoc textu liquet, per innovationem privilegii nihil novè conferri; ſed ſimpliciter antiquum privilegium innovari eodem prorſus tenore, quo extabat.*

C. *IN HIS 30. h. t. ſtatuit idem Pont. ut habentes privilegium celebrandi in altari portatili poſſint illo uti ſine conſenſu Epiſcopi; ut ex indulgentia Papæ aliquam gratiam reportent, dummodo non tangant, neque lædant ea, quæ ſunt juris Parochialis: quia in his, quæ videntur ſpectare ad cultum divinum, eſt ſemper benigna interpretatio facienda. Ex hoc textu deducitur, privilegium debere operari aliquid ultra jus commune: & in hoc textu nihil operaretur, ſi celebratio in altari portatili haberetur pro præjudicio juris parochialis, quod hic prohibetur. Tametſi intercedat aliquod præjudicium; illud tamen per privilegium Papæ ex ſuprema poteſtate compenſatur juſto ſine per aliud bonum; præſertim cum alia jura parochialia non tangantur, neque lædantur. Nota, quòd licèt hoc privi-*

Digitized by Google

privilegium conceſſum Prædicatoribus S. Domenici, & Minoribus S. Franciſci videatur revocatum in jure per Concilum Tridentinum in Decreto de obſerv. & evit. in celebrat. Miſſ. nihilominus poſt Concil. Trident. illud iterum fuiſſe conceſſum à Gregorio XIII. refert Emanuel Rodriquez tom. 1. Regul. q. 41. art. 4. Rurſus certum eſt, hoc idem privilegium in ampliſſima forma fuiſſe conceſſum Societati JEſu à Paulo III. in conſtitutione quæ incipit licèt debitum edita anno 1549. & refertur in compendio privilegiorum ejuſdem Societatis verbo Altare. Cæterum hodie Epiſcopi in caſu neceſſitatis; vel etiam magnæ utilitatis habent poteſtatem concedendi licentiam celebrandi extra templa, & loca ſacra. Imò cenſent aliqui, poſſe id etiam fieri ſine conſenſu Epiſcopi, ſi commodè peti non poſſit: quia mens Concilii Tridentini in præfato decreto fuit tantùm tollere abuſum, ut notat Navarrus in Manual. c. 25. n. 81. Rurſus urgente neceſſitate concedunt omnes poſſe id fieri.

C. DUDUM 31. h. t. Gregorius IX. declarat, privilegium conceſſum de non ſolvendis decimis novalium, in quo nulla fit mentio de lite mota à parte contraria non extendi ad decimas, de quibus erat lis, vel quæ ex conſuetudine ſolvebantur. Ex hoc textu colligitur, privilegium non ſolvendi decimas, ſi in ipſo non fiat mentio de poſſeſſione alterius, non præjudicare poſſeſſori; ſed id procedit ut notat Panormitanus de ſolis decimis Novalium non ſolvendis. Si enim privilegium ſit ſuper decimis ſimpliciter impetratum, valet, etiam nulla facta mentione de poſſeſſione alterius: quia ut notat idem Panormitanus decima ſimpliciter ſumpta ſemper habent poſſeſſorem, qui eas ſingulis annis tempore meſſis percipit: non ita decimæ Novalium, quorum nomine intelliguntur tam agri recèns ad culturam redacti, qui annuatim ſolvunt decimas poſſeſſori, quàm proximè, vel aliquando redigendi, quorum decima cum nondum extent, nullos habent poſſeſſores, & ideo ſicut non modici præjudicii eſt concedere alteri privilegium non dandi decimas ſimpliciter, vel de novalibus jam cultis, quæ ab alio jam poſſidentur: ita parvi præjudicii eſt concedere decimas aliquando extituras, quæ tamen nunc poſſideri nondum poſſunt; ſiquidem poſſeſſio ſupponit exiſtentiam, cujus propterea mentio fieri debet in privilegio generis poſterioris ob grave præjudicium, quod alteri infertur: quod damnum Pontifex non præſumitur velle in conceſſione privilegii; quod propterea ſi obtineatur tacita veritate, non valet, & reſcriptum eſt ſubreptitium c. veniens de reſcript.

C. QUIDAM 32. h. t. declarat idem Pont. Confratres privilegiatorum, quamdiu in propriis domibus morantur, teneri ad jura Epiſcopalia; niſi ſe transferant in totum. Ex quo textu colligitur cum Gloſſa, ad gaudendum privilegiis non ſufficere ſolam receptionem, niſi translatio ſit plena. Agitur in hoc textu de exemptione Epiſcopali, cui iſti confratres ſtatuuntur eſſe ſubjecti, niſi in domo privilegiatorum, non in ſua habitent, & Innocentius hic vocat hos confratres non pleno jure oblatos. Nota eos dici pleno jure oblatos, qui ſe alicui religioni cum omnibus ſuis bonis obtulerunt, & in monaſteriis habitant, geſtantes habitum diſtinctum à ſæcularibus. Diana verò cum aliis p. 4. tract. Reſol. 41. tenſet, oblatos pleno jure eos dici, qui ſe, & ſua dederunt Religioni profitendo tria vota, ſed non aſſumpto habitu religionis.

C. CONSULTATIONI 33. h. t. reſcribit idem Pont. terram, de qua non eſt memoria, quòd fuerit culta, ſi redigatur ad culturam per religioſos, eſſe perpetuò immunem à ſolvendis decimis. Ubi notandum eſt, textum procedere ſecundùm juris interpretationem ad effectum privilegii Religioſorum non ſolvendi decimas novalium; quas perſæpe tenerentur ſolvere juxta propriam novalis ſignificationem.

IN SEXTO.

C. VOLENTES 1. h. t. Innocentius IV in Concilio Lugdunenſi ſtatuit, ut exempti à juriſdictione Epiſcopi, & ex privilegio immediatè ſubjecti Papæ; ſi delinquant in Diœceſi Epiſcopi, in loco non exempto, quoad delictum ſubjiciantur Epiſcopo loci, qui propterea debet cauſam cognoſcere, & punire delinquentem; & declarat Pontifex, id etiam procedere de cauſa ratione contractus, vel rei in loco non exempto. Verùm ſi delictum, vel contractus, vel res ſunt in loco exempto, tametſi qui convenitur habeat domicilium in Diœceſi Epiſcopi, non poteſt conveniri coram Epiſcopo ratione privilegii. Item ſi deliquit, vel contraxit, vel habet rem litigioſam in aliena Diœceſi, ſed domicilium, in hac, vel alia, non poteſt cognoſci cauſa ab Ordinario domicilij; nec illam ad ſe revocare. Hæcque doctrina etiam valet, quando quis obtinuit privilegium, ut non poſſit conveniri, nec tenetur reſpondere, niſi ſub uno determinato judice. Hinc ſi concurrant domicilium, & delictum, vel contractus, vel res in loco exempto; poteſt tunc quis conveniri coram judice domicilii, ſalvis aliis caſibus, in quibus delinquentes de jure ſubjiciuntur Epiſcopo. Rurſus habentes privilegium, ut non poſſint interdici, ſuſpendi, vel excommunicari ab Ordinario, ut ſunt plures Religioſi, in quorum privilegiis ponitur, ne ſuorum Monaſteriorum Monachi excommunicentur: ſi præfati Monachi habitent in prioratibus ſubjectis Ordinario loci, ut ibi reſideant, vel regant, poſſunt excommunicari, ſuſpendi, & interdici ab Ordinario, quamdiu ibi morantur. Ubi notat gloſſa, hæc procedere dummodò in privilegio non reperiatur aliqua clauſula quæ hiſce deroget. Rurſus exempto monaſterio præſumuntur etiam exempta cæmeteria,

atria

Digitized by Google

atria, area, hortus, quia hæc ſunt acceſſoria ad monaſterium, & ſequuntur naturam ſui principalis. Notandum eſt, hanc decretalem fuiſſe innovatam à Concilio Tridentino ſeſſ. 7. de reform. cap. 14. *non ſolùm quòd exempti delinquentes extra locum exemptum, vel contrahentes ſubjiciantur ordinario loci; verùm etiam in civilibus cauſis mercedum, aut miſerabilium perſonarum clerici ſæculares, & Regulares extra monaſterium degentes, quomodolibet exempti, niſi certum Judicem à Sede Apoſtolica deputatum habeant, coram loci Ordinario conveniuntur.*

C. *CUM DE DIVERSIS 2. h. t. ſtatuit Innocentius IV. ut in Curia Romana vigeat ſtudium juris civilis, & Canonici, & ibi ſtudioſi gaudeant privilegiis locorum, in quibus eſt ſtudium generale, ac recipiant integros ſuos proventus eccleſiaſticos, ut ibi. Ubi notat Gloſſa in cap. ſuper ſpecula hoc tit. Magiſtros, qui ſunt in ſtudiis cum licentia ſuperiorum percipere fructus, ſed non diſtributiones. Rurſus notat, vigore hujus textus non requiri licentiam Epiſcopi, ut canonici abſint cauſâ navandi operam ſtudio Theologiæ, vel juri canonico; poſſe tamen Epiſcopum, vel Capitulum petere cauſam hanc abſentiæ ſtudiorum cauſâ ſibi indicari ante diſceſſum, ac teſtimonia de ſtudiis ſibi afferri, ac mitti; quæ videtur eſſe neceſſaria cautela, ut conſtet, ubi canonici morentur, & an privilegio non abutantur.*

C. *ABBATES 3. h. t. Alexander IV. declarat, Abbates habentes privilegium benedicendi populum, ſolùm poſſe ſolemniter populum benedicere in eccleſiis ſibi pleno jure ſubjectis, quando in iiſdem celebrant divina officia poſt ſolemnia miſſarum, & matutinum, laudes, ac veſperas; & non poſſe alibi publicè, per vias civitatis &c. populum benedicere, niſi id ſit expreſsè in privilegio ipſis conceſſum. Rurſus neque poſſe conferre primam tonſuram, niſi converſis in Monaſterio, & in quibus habent quaſi Epiſcopalem jurisdictionem; niſi aliter conſtet ex pleno indulto. Nota tunc Abbates dici habere eccleſias ſibi pleno jure ſubjectas; quando iiſdem competit utrumque jus temporale, & ſpirituale in eaſdem eccleſias; per hoc enim dicuntur habere in ipſas jurisdictionem; quaſi epiſcopalem. Barboſa hîc n. 2. c. 8. notat Abbatibus exemptis, & habentibus jus baculi, & mitræ competere jus non ſolùm conferendi primam tonſuram, verùm etiam ordines minores, quamvis de ipſis nulla fiat in textu mentio. Hodie tamen jure novo ex Concilio Tridentino* ſeſſ. 23. cap. 10. *Abbatibus, aliiſque quibuscunque exemptis non licet intra fines alicujus diœceſis conſiſtentibus, quamvis nullius diœceſis, vel etiamſi exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus non ſit tonſuram, vel minores ordines conferre. Imò concilium hanc poteſtatem conferendi tonſuram, & minores in Abbatibus reſtringit ad ſolos ſubditos religioſos. Cæterum Abbates etiam in eccleſiis ſibi pleno jure ſubjectis, ſeu in quibus poſſunt ſacerdotes inſtituere, ac omnes obventiones percipere, non poſſunt ea facere, quæ ſunt purè Epiſcopalis ordinis, ut conficere chriſma, & conferre ordines majores.*

C. *AUCTORITATE 4. h. t. Idem Pont. prohibet, ne Exempti in locis non exemptis præſumant conſtruere oratoria, vel capellas ſine licentia ordinarii loci illius; neque in iiſdem conſtructis celebrare, nec facere ut divina celebrentur, nec in tempore interdicti niſi in caſibus à jure conceſſis; & jubet talia præſumentes eſſe compeſcendos ab ordinariis. Inhibet etiam, ne in locis exemptis id ipſi exempti faciant ſine privilegio, vel licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicæ. Rurſus prohibet, ne exempti accipiant ſuo nomine tanquam actores, vel defenſores cauſas, lites ſuorum hominum liberorum, quamvis ſint ſui cenſuales, ſeu qui in poſſeſſionibus habeant dominium univerſale, & ſolvant cenſus exemptis, ut dominis directis. Ex hoc textu liquet, non poſſe exemptos ædificare eccleſias ſine licentia Epiſcopi, & ea non impetrata recidere in dominium, & jurisdictionem Epiſcopi; idque etiam procedere de Oratoriis, & capellis. Rurſus non poſſe exemptos aſſumere cauſas ſuorum hominum liberorũ dummodo ad ipſos tantùm pertineant: alioquin ſi pertinerent ad commodum exemptorum, vel tangerent dominium directum, poſſent ab ipſis aſſumi argumen* l. vim facit de vi *de furto tamen eis facto Dominus non agit, neque injuriarum, ſi illum non concernat, eò quia illius principaliter non interſit; neque ſit procurator ſubditi, quamvis hic ſit cenſualis; quia ob hoc non eſt ſervus, nec ejus cauſa ad dominum pertinet: poſſunt enim Domini lites ſervorum ſemper in ſe accipere. Imò poſſunt Domini agere, ne ſubditi ad ipſos pertinentes, impediantur à debitis ſervitiis, neque ſuis ſpolientur bonis: ſiquidem dominorum intereſt, ne illorum ſubditi ſint pauperes.*

C. *NE ALIQUI 5. h. t. declarat Clemens IV. privilegium conceſſum cuicunque ſingulari eccleſiaſtico, vel ſæculari in quacunque dignitate conſtituto, quòd non poſſit communicari, aut interdici à quocunque; & quòd ipſius terra vel eccleſia non poſſint interdicto ſupponi, non eſſe intelligendum de ſententiis latis ab Ordinario; adeo ut poſſit Ordinarius illos excommunicare. Vult tamen Pontifex, ut excipiantur Reges, & Reginæ, & eorum filii; ut etiam Religioſi non ſolùm ratione perſonarum, ſed etiam Ordinum, & locorum privilegiatorum. Ex hoc textu liquet, religioſos exemptos non poſſe interdici, nec ſuſpendi, neque excommunicari ab Epiſcopo, vel Archi-Epiſcopo, idque ratione privilegii conceſſi toti Ordini. Secus enim eſt de privilegiis perſonalibus, quæ ſubinde etiam religioſis ratione*

perſona conceduntur : & præſens textus loquitur de hiſce privilegiis conceſſis ſingulari perſona, & intuitu perſonæ.

C. UT APOSTOLICÆ 6. h. t. Idem Pont. declarat, Abbates, alióſque Prælatos inferiores, quibus à Sede Apoſtolica conceditur uſus Mitræ, ſi ſint exempti, quando interſunt Conciliis Provincialibus, ſynodis Epiſcopalibus, poſſe uti mitris aurificatis, dummodo non ſint gemmulis illuminata, nec ornata laminis aureis, nec argenteis : ſin verò non ſint exempti, permittit Pontifex ut utantur ſimplicibus albis, & planis, ſeu non aurificatis : in aliis verò locis ut mitris utantur, prout indulta à Sede Apoſtolica conceſſa eis permittunt. Ubi notat Gloſſa, fuiſſe hanc decretalem editam, ne detraheretur honori, & authoritati Epiſcopali, quia populus ſimplex putat ex uberiori hoc ornatu conjici majorem authoritatem. Cæterum ornamenta Epiſcopalia cum quibus Epiſcopi celebrant, ſunt quatuor Mitra, Baculus paſtoralis, Annulus, & Caligæ Epiſcopales, ſeu ſandalia. Putârim tamen quoad uſum mitræ ſtandum eſſe locorum conſuetudini, ac præſcriptionibus; quia obſervavi in Germania plures Abbates, qui mitris uſi ſunt phrygiatis, non ſolùm auro, argentove ornatis, ſed etiam irradiatis multiplici gemma.

C. CUM PERSONÆ 7. h. t. Bonifacius VIII. ſtatuit, ut aſſerentes ſe privilegio Apoſtolico exemptos, ſi requiſiti fuerint a locorum ordinariis, teneantur exhibere integraliter legenda hujuſmodi privilegia, ſeu conceſſiones in loco congruo, & tuto : vel aliis prudentibus viris citra ſuſpicionem deputatis ab ordinario; idque intra terminum competentem moderandum pro qualitate facti ab Ordinario, vel ejus delegato; ceſſante tamen juſto impedimento : & teneantur tradere tranſcriptum de iis articulis, in quibus eſt controverſia. Rurſus, ut volentes defendere ſuam libertatem per ſolam præſcriptionem canonicam fidem faciant de tali præſcriptione ipſi Ordinario, vel ejus delegato prudenti, & non ſuſpecto; & interim Epiſcopus utatur ſua juriſdictione in eos, quia habet intentionem fundatam, donec plenè probetur præſcriptio canonica. Præterea volentes defendere ſuam libertatem per privilegium, & præſcriptionem ſimul; debeant privilegium exhibere legendum Epiſcopo ut dictum eſt; quòd ſi non plenè probet libertatem, tunc probanda eſt præſcriptio quadraginta annorum, quæ nunquam fuerit violenta, nec clandeſtina, nec precariò conceſſa. Sed interim non debeat Epiſcopus in eos exercere juriſdictionem. Ubi notat Gloſſa, locum, in quo eſt privilegium oſtendendum debere omnino ſecurum eſſe à violentia, aliàquin privilegiatus poſſet appellare cap. ex parte de appell. c. Accepimus de fide inſtru. quod verò in textu dicitur de privilegio non ad plenum probante, præſtante tamen cauſam præſcribendi, intelligendum eſt de privilegiis obſcuris, vel ambiguis, quibus vir bonus credat ſe uti poſſe bona fide neceſſaria ad canonicam præſcriptionem, quæ non fit niſi 40 annis, & cum titulo cap. 1. de præſcript. in 6. nec contra eccleſiam minor currit c. de quarta de præſcript. Non tamen poteſt ſubditus præſcribere obedientiam contra prælatum c. cum non liceat de præſcript.

C. EPISCOPORUM 8. h. t. ſtatuit idem Pont. ut privilegiati ſive ſæculares, ſive regulares, qui ſcienter celebrant, vel faciunt celebrare in civitate, vel loco interdicto ab Ordinario, vel delegato, vel à Jure, niſi in caſibus à jure conceſſis; vel præſumunt admittere ad divina officia publicè excommunicatos, aut interdictos, & iiſdem miniſtrare ſacramenta, vel dare eccleſiaſticam ſepulturam, præter alias pœnas juris interdicatur eis ingreſſus eccleſiæ, donec ad arbitrium illius, cujus ſententiam contempſerunt, competenter ſatisfaciant. Nota, celebrantem præſente publico excommunicato non fieri irregularem; ſed ei tantùm interdici eccleſiæ ingreſſum : fieri tamen irregularem ſi celebret in loco interdicto cap. his, qui de ſent Excom. in 6. Hodie verò eſt aggravata pœna in c. eos de ſepult. & in cap. ex frequentibus de ſent. excommun. Et licèt aliqui putent, hanc decretalem, & ejus pœnam tantùm procedere contra exemptos : communior tamen ſententia, & verior aſſerit, comprehendere etiam non exemptos.

C. PER EXEMPTIONEM 9. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi eccleſia ſit exempta, intelligantur etiam exempti ejus Monachi, vel canonici, aut Clerici converſi, & perpetuò oblati, non tamen ejuſdem eccleſiæ Parochus; nec Parochiani. Rurſus, quando eximuntur canonici eccleſiæ, non intelligitur ipſa eccleſia exempta, vel alii ejus clerici. Sin verò eximuntur Clerici, intelliguntur exempti tam canonici, quàm Clerici, ſed non ipſa eccleſia, niſi aliter in privilegio exemptionis exprimatur. Textus eſt clarus.

C. SI PAPA 10. h. t. declarat idem Pont. quibus formis, modis, clauſulis, verbis probetur exemptio in privilegiis. Ut ſi Papa in privilegio facto non principaliter ſuper ſententia exemptionis, narret aliquam eccleſiam ad jus, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ vel ſimilia verba, non ideo probatur exemptio, niſi de libertate aliter doceat. Sin verò ſuper exemptione eccleſiæ ſententiando, vel agendo negotium de exemptione exprimatur in privilegio, eccleſiam eſſe exemptam, vel juris divi Petri; vel ſpecialiter, & ſine medio pertinere ad Romanam eccleſiam, per hoc declarat Papa in hoc textu probari exemptionem : quia cum omnes Chriſtiani orbis eccleſiæ pertineant ad Romanam eccleſiam, quæ mater eſt cæterarum; verba privilegii debent aliquid operari. Hoc etiam procedit ſi in privilegio dicatur Eccleſia ſit libera : vel gaudeat libertate eccleſiæ Romanæ : vel ſolvat eccleſiæ Romanæ annuum cenſum ad

judicium

dicium perceptæ libertatis: *hiſce enim formis inſertis privilegio probatur exemptio: vel quod eccleſia eximitur à poteſtate ordinarii; vel quòd in ea non exerceat Epiſcopus juriſdictionem. Rurſus qui recipitur in proprium ſubjectum eſt exemptus: non ita ſi tantùm recipiatur in ſpecialem filium Romanæ eccleſiæ. Præterea ſi privilegium ſit ut non poſſit aliquis excommunicari, aut ſuſpendi: vel quod in ſpecialem filium Romanæ eccleſiæ ſit aſſumptus; tametſi poſtea ſequatur, quòd annuum cenſum ſolvat eccleſia Romanæ; non ideo dicitur exemptus; quamvis per prædicta non derogetur aliis modis, & effectibus exemptionum inſertis literis eccleſiaſticis. Ex hoc textu liquet, Papam per hoc præcisè quòd aliquem recipiat in filium, illum non eximere: quia rectè poteſt quis eſſe filius alicujus; & ſimul eſſe ſubditus alterius; vel etiam ſervus: filiatio denotat amorem; & privilegium exemptionem.*

C. *LICET 11. h. t. declarat idem Pont. privilegiatos tempore interdicti poſſe ſubmiſſa voce divina celebrare, ſed januis clauſis excommunicatis, & interdictis; adeo ut non poſſint ad divina ullum admittere niſi fuerit itidem privilegiatus. Quòd ſi privilegium conceſſum ſit particulari perſonæ; poteſt hæc admittere ſuos familiares, domeſticos, dummodo non ſint familiares alicujus conventus, vel collegij, quia non admittuntur niſi ſint, & ipſi privilegiati. Hac tamen conceſſione non gaudet is, cujus cauſa, culpa, dolo, vel fraude, fuit promulgata ſententia interdicti: ſicut nec is, qui ad perpetrandum delictum, ob quod fuit poſitum interdictum dedit conſilium, auxilium; vel favorem. Notandum eſt diſcrimen inter familiares privilegiatorum, & conventuum, vel collegiorum; quia illi, non iſti admittuntur ad divina: ratio eſt quam aſſignat Gloſſa, quia cum nobiles non ſoleant ſine famulis incedere, potiùs mallent à divinis abeſſe, quàm ſine famulitio iisdem intereſſe: quæ ratio ceſſat in conventibus, & collegiis. Verùm ſi unus tantùm exiſteret, poſſet celebrans tempore interdicti unum familiarem aſſumere, qui ipſi miniſtraret, vel aſſiſteret.*

C. *QUONIAM 12. & ult. h. t. Idem Pont. declarat, Epiſcopos poſſe uti ubique altari portatili, ut in eo quotidie celebrent, vel faciant celebrare, ubi illis permittitur, dummodo ſervent interdictum: quia non decet abſque rationabili cauſa eos tranſire ullum diem, quin ſacrum faciant, vel eidem interſint. Nota hoc privilegium non eſſe ſublatum per Concilium Tridentinum* in decret. de evit. in Miſſæ celebr. *quia hoc decretum nihil detrahit Epiſcopis; ſed tantùm illis mandat, ut invigilent abuſibus aliorum corrigendis, & præcavendis in celebratione miſſarum: & non eſt abuſus, Epiſcopos poſſe ubique uti altari portatili, cum vel maxime deceat, eos quotidie celebrare, vel ſaltem Miſſæ intereſſe, etiam quando ad eccleſiam commodè non poſſunt accedere.*

IN CLEMENTINIS.

C. *RELIGIOSI 1. h. t. Clemens V. in Concilio Viennenſi declarat excommunicatum religioſum, qui ſine ſpeciali licentia Parochi præſumit miniſtrare Sacramentum extremæ unctionis, matrimonia ſolemnizare, & Euchariſtiam ſive Clericis ſive laicis deferre: & Pontifex reſervat ſibi abſolvere ab hac excommunicatione Religioſum illum. Rurſus declarat excommunicatos Religioſos præſumentes abſolvere excommunicatos à canone, vel à ſententiis per ſtatuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis exceptis caſibus in jure expreſſis, vel per privilegia Sedis Apoſtolicæ conceſſis, reſervat etiam ſibi ac Sedi Apoſtolicæ abſolvere ab hac excommunicatione, quam Ordinarius, poſtquam ei conſtiterit debet publicare ac denunciare publicè excommunicatum donec de abſolutione facta ſit fides, nullo ſupra hoc ſuffragante privilegio exemptionis, vel alio. Excipitur tamen, quando eccleſia Romana indulget, ut Religioſi ſuis familiaribus domeſticis, vel etiam pauperibus in ſuo hoſpitali poſſint ſacramenta miniſtrare, quia tunc nullum præjudicium fit Parochis. Rurſus ſub præcepto obedientiæ, inhibetur Religioſis, ne in ſuis ſermonibus detrahant Prælatis eccleſiarum, nec laicos retrahant ab acceſſu, & frequentia ſuarum eccleſiarum, nec promulgent indulgentias indiſcretas, & non conceſſas: nec quando teſtamentis condendis interſunt Teſtatores retrahant à debitis reſtitutionibus, vel legatis inſtituendis matricibus eccleſiis: nec legata, vel debita, vel ablata incerta ſibi vel aliis ſingularibus ſui Ordinis fratribus, vel conventibus in aliorum præjudicium fieri, ſeu erogari procurent: nec præſumant quemque abſolvere à caſibus Sedi Apoſtolicæ, vel locorum Ordinariis reſervatis. Neq; præſumant indebitè vexare, aut ad plura loca præſertim remota convenire perſonas Eccleſiaſticas præſertim coram judicibus delegatis à Papa ſuam contra ipſos juſtitiam proſequentes, qui verò contra prædicta præſumpſerint attentare vult Pontifex eos ſubjacere pœnis illis per duos menſes, quæ per eorum regulam, vel ſtatuta conſueverunt imponi pro gravibus criminibus, vel culpis ſuper quibus non poſſit diſpenſari, abſque manifeſta neceſſitate. Demum ſi horum Religioſorum Prælati requiſiti ſuper his, quæ ad ipſos pervenerunt, non ſatisfecerint plenè infra menſem eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis damnificatis, vel læſis declarantur eo ipſo ſuſpenſi, donec debitè ſatisfecerint non obſtante, quocunque privilegio ſub quocunque tenore conceſſo. Obſervandum eſt, circa prohibitam in hoc textu Sacramentorum adminiſtrationem, omnes Religioſos abſque licentia Parochi, vel alterius, poſſe hodie Sacramentum Euchariſtiæ in ſuis templis adminiſtrare*

niſtrare per propria privilegia, vel etiam aliorum participata; præterquam in feſto Paſchatis, & in mortis articulo. Poſſunt tamen extremam unctionem miniſtrare familiaribus commorantibus in eorum Monaſteriis: adeò ut præſens textus quoad extremam unctionem, & Euchariſtiam ſit hodie per privilegium Religioſorum reſtrictus. Rurſus quòd in textu prohibeantur Religioſi matrimonia ſolemnizare, id perinde eſt, ac non poſſe Religioſos matrimonium ſolemniter benedicere ſine licentia Epiſcopi, vel Parochi. Cæterum poteſt Religioſus credere Parochiano dicenti, ſe habere talem licentiam à ſuo Parocho c. placuit de pœn. in 6. *ſecus tamen eſt dicendum de ordinatis à non ſuo Epiſcopo* cap. 1. & 2 de tempor. Ordin. in 6. *Cæterum ſi quis dicat, ſe abſolutum, credendum eſt illi in foro conſcientiæ, non ita in foro fori.*

C. *ARCHI-EPISCOPO* 2. *h. t. ſtatuit idem Pont. ut Archi-Epiſcopus tranſiens, vel declinans ad loca exempta ſuæ Provinciæ poſſe liberè ante ſe portare crucem, benedicere populo, audire privatim, vel publicè divina officia etiam in Pontificalibus celebrare, vel facere in ſua præſentia ſine Pontificalibus celebrari non obſtante quovis contrario privilegio. Rurſus ut Epiſcopus in locis exemptis ſuæ Diœceſis poſſit populo benedicere audire divina officia, & ea celebrare, vel in ſua præſentia facere ut celebrentur: ita tamen ut per hoc in locis exemptis, vel privilegiatis nullam aliam exerceat juriſdictionem, nec perſonis exemptis moleſtiam, vel gravamen inferat, nec in alio præjudicetur exemptioni privilegiatorum, nec quomodolibet, acquirat jus. Ubi notandum eſt, hoc privilegium concedi Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis ad magis commendandam eorum dignitatem, & reverentiam conciliandam. Hinc Abbates ex privilegio, & Archi-Epiſcopus poteſt uti pallio in loco privilegiato, ſed non extra ſuam Provinciam.*

IN EXTRAVAGANTIBUS
Joannis XXII.

C. *AD NOSTRI unic. h. t. Annullat Pontifex, & revocat, omnia privilegia Principum. & & communitatum in campania, & maritima eccleſiaſtica receptandi Bannitos impunè, & declarat irrita præfata privilegia, utpotè bono publico pernicioſa.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *INTER CUNCTAS 1. h. t. Concedit Benedictus IX. in hac decretali fratribus Minoribus, & Prædicatoribus, ut poſſint prædicare in eccleſiis, & in publicis plateis non petita licentia ab Ordinario dummodo id præſtent in hora, in qua ipſe Epiſcopus non concionatur, nec facit coram ſe concionari, nec in ſtudiis generalibus, nec quando Epiſcopus urgente neceſſitate ad ſe convocat populum. Rurſus mandat Pontifex, ut in parochialibus eccleſiis non prædicent invitis Parochis, niſi juſſi ab eorum Superioribus. Rurſus vult Pontifex, ut electi à ſuis ſuperioribus præſententur, & liberè audiant confeſſiones ſæcularium, non verò Religioſorum, qui ſuis Prælatis tenentur confiteri, nec excommunicatorum, nec crimino ſorum, quorum crimina indigent publica pœnitentia; & rurſus illis injungit, ut non abſolvant à caſibus reſervatis Epiſcopis. Indulget tamen Religioſis, ut poſſint ſepelire mortuos, & de funeralibus, & quarta diſponitur, & de quibus non ſolvitur falcidia, canonica portio. Verùm hæc decretalis hodie revocata eſt per* Clement. 2. de ſepult. *non tamen in omnibus.*

C. *MERUIT* 2. *h. t. Clemens V. reſcribit, quod Regi, & Regno Franciæ per definitionem, & declarationem Bonifacij VIII. quæ incipit* unam ſanctam *nullum velit præjudicium inferre, adeo ut per illam non plus ſubjaceant eccleſiæ Romanæ quàm priùs. Ubi notandum eſt, quòd declarare Regem, & Regnum Franciæ* per hanc Extravag. *non amplius ſubjici Pontifici, quàm antea; non ſit ſubjectionem ibi expreſſam abrogare; ſed potiùs confirmare, non exigendo aliam, cui declarationi non ſe oppoſuit Rex Franciæ.*

C. *DIVINA* 3. *h. t. Eugenius IX. declarat, Ordinarios, vel alios ſuperiores non debere procedere aut interdicere, vel privare officio, vel beneficio, vel aliam ſententiam ferre contra Officiales pro tempore exiſtentes in obſequiis Papæ, vel Sedis Apoſtolicæ, imò nec contra alios venientes ad Sedem Apoſtolicam pro ſuis, vel ſuorum cauſis proſequendis; neque contra morantes in Curia Romana quamdiu durat cauſarum præſentia, nec ab eo recedentes, & ſi quæ attentant, ſunt irrita. Imò ſunt etiam ipſi excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti.*

C. *EXHIBITA ult. h. t. declarat Joannes XXII. ut milites Hoſpitalarij S. Joannis, qui ex privilegio, conſuetudine, vel ſtatuto percipiunt fructus annales beneficiorum vacantium, vel plurium annorum, debeant etiam habere præbendam, quam Beneficiarius haberet, ſi reſideret in illa eccleſia, vel quam haberet, ſi ex cauſa excuſante non reſideret, & quæ non accreſceret Capitulo.*

COM-

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. II.

Quid ſit privilegium, quæ requirantur ad eius ſubſtantiam ; & quotuplex ſit.

1 Quamvis privilegium, ut notat Baldus *l. fin. ff. de conſtit.* dici poſſit quælibet ſupremi Principis conceſſio, ſpecialiùs tamen, & magis propriè prout ad præſens pertinet inſtitutum, conceſſio Principis dicitur privilegium, in quo aliquid contra jus commune conceditur, ut notat Sylveſter *V. privilegium n. 1.* quia eius effectus eſt derogare juri communi; adeò ut Panormitanus *in c. olim de V. S. num. 7.* aſſerat, privilegium eſſe conceſſionem contra jus, & ſi aliquid, non contra, ſed præter jus Princeps indulgeat, potiùs beneficium, quàm privilegium dici debeat. Hinc privilegium *in c. fin. 25. q. 1.* dicitur quaſi privatum legium, eò quia conſtituat privatam legem, ſeu ut notat Rebuffos *in pract. ben. tit. de Pap. proviſ.* privilegium eſt privata lex, eò quia reſpiciat privatam utilitatem illius, cui conceditur, ob quod conſtituit privatam, & ſpecialem legem differentem à communi lege, perinde ac genus à ſpecie, ut cenſet Calderinus *cap. poſtulâſti de pænit. num. 62.* Quamobrem privilegia cùm ſint privatæ leges, quæ alicui particulari perſonæ, vel etiam communitati, vel loco conceduntur, ſunt beneficia à Principe inducta *l. quia tale ff. ſolut. matrim. l. ſunt qui 16. ff. de re judic.* & *l. privilegia 196. ff. de regul. jur.* ubi beneficia dicuntur ea, quæ revera privilegia ſunt, eò quia beneficia Principis indulgeantur propter privatum commodum, & favorem privilegii *cap. in his 30. de privileg.* ubi Princeps utitur his verbis *duximus indulgendum*; quo fit ut privilegii, & beneficii voces promiſcuè uſurpentur à Caſſiodoro *lib. 1. var. c. 28.* eò quia ſaltem in genere conveniant, ut ex indulgentia Principis proficiſcantur, quia omne privilegium continet gratiam, beneficium, & indulgentiam Principis, & oritur ex ejus favore, adeo ut non poſſit dici debitum.

2 Cæterum non omne beneficium eſt privilegium, ſicut nec omnis diſpenſatio, nec reſcriptum gratiæ, quia in iſtis deeſt ratio propria privilegii in eo ſita, ut ad omnem actum generis privilegii, immunitatem habeat is, cui datum eſt privilegium, quaſi legis permiſſionem obtinuiſſet: atqui beneficia, reſcripta gratiæ, & diſpenſationes indultæ, ad unum, vel alterum caſum duntaxat vires ſuas producunt, nec obtinent leges rationem: quo fit, ut diverſi ponantur in jure canonico tituli ſpeciales de reſcriptis, & privilegiis.

Cæterum privilegum quatenus eſt beneficium conceſſum à Principe ſumi poteſt laxè, & preſsè; priori modo eſt veluti lex privata concedens jus aliquod ſpeciale, ſeu beneficium, vel favorem ut habetur *in cap. privilegia 3. diſt. 3.* dicitur privilegium lex, non quòd propriè habeat rationem legis: ſiquidem lex nonniſi pro communitate ſancitur, & privilegium concedi ſolet etiam privatæ perſonæ. Tum quia lex vim habet obligandi, & privilegium nullam continet obligationem reſpectu illius, cui conceditur, quia ut habetur in *regula jur. 70. in ff.* nemo cogitur uti ſuo beneficio, ſeu privilegio. Poteſt tamen privilegium dici habere rationem legis quoad alios, quibus præcipitur, ut illud faciant obſervari, vel prohibetur, ne illud impediant. Rurſus dicitur lex privata, quia concedit jus ſpeciale, & quidem privatis perſonis: ſiquidem de ratione privilegii eſt, ut concedat aliquid ſpeciale, quod jure communi non conceditur: alioquin nullam privilegium præſeferret utilitatem, neque eſſet lex privata; niſi aliquid ſpecialiter indulgeret, ſeu concederet jus aliquod, vel beneficium, aut ſavorem alicui, vel aliquibus tantùm.

Privilegium præſsè, ac magis propriè ſumptum dicitur eſſe alicuius rei, vel juris ſpecialis contra jus commune conceſſio ex benevolentia Principis. Verùm non cenſerem, requiri neceſſariò ad rationem privilegii aliquid concedere contra jus commune, ſed ſolùm ſimpliciter concedere ſpecialiter, ſive contra, ſive præter jus commune, ut ſunt privilegia abſolvendi, diſpenſandi, & alia id genus. Unde privilegium magis communiter definitur in laxiori ſignificatione, lex privata ſpeciale aliquid concedens, & diſtinguitur ab aliis legibus, quia iſtæ conſtituunt jus publicum; privilegium verò tantùm concedit jus privatum; quamvis hoc ultimatò referatur ad bonum, & jus commune, eò quia intereſt boni publici, aliquibus perſonis, aut communitatibus ob merita, vel alios fines bonum concernentes, ſpecialia quædam concedi, præter, vel contra jus commune. 3

4 Imò poſſet etiam aliqua ratione privilegium, dici lex publica, quatenus omnibus eſt prohibitum, ne privilegiatum in poſſeſſione, aut uſu ſpecialis conceſſionis turbent, vel impediant: hæc enim ſpecialitas eſt de eſſentia privilegii, & eſt quid favorabile, quia quod non eſt ſavorabile, non dicitur concedi, ſed

impoai,& non privilegium, ſed potius gravamen, qood non deſideratur; cum è contra privilegia omnes expetant, & cum gaudio accipiant. Eſt etiam de ratione privilegii ſpecialitatem aliquam continere, contra, vel prætet jus commune: alioquin proptiè non eſſent privilegia, ſed tantum declarationes juris communis, ſeo ſpeciales admonitiones, cujusmodi ſunt plura, quæ conceduntur Regularibus, ut poteſtas jurandi in propriis cauſis, quando alia probatio deeſt *cap. etſi Chriſtus 25. in fin. de jurejur.* licèt hæc & alia id genus interdum concedantur à ſummo Pontifice, quæ à jure commuoi conceſſa ſunt; nihilominus conceduntur ad majorem confirmationem, & ſecoritatem, eò quia conceſſio ſpecialis pluris æſtimetur, quàm generalis: propriè tamen hojusmodi conceſſiones, qoæ habentur in jure communi, non ſont privilegia, led ſolùm declarationes joris communis, vel naturalis, qnæ ſolent dati ad removenda omnia dubia, & ad paçandas conſcientias: negari tamen non poteſt, quin hujusmodi declarationes ſpecialem contineant favorem, in quo ſenſu poſſunt etiam dici privilegia, ot notat Suarez *l. 8. de legib. c. 1. n. 7.*

6 Non tamen eſt de ratione privilegii, ut concedatur in ſcriptis, ut deſumitur *ex cap. inſtitutiones 7. cauſ. 25. q. 2.* & ibi Gloſſa *V. præſentia*, & notat Suarez *de legib. lib. 1. c. 2. n. 2.* ſiqnidem nullom jus poſitivum aſſignari poteſt, quòd ad valorem privilegii exigatur ſcriptora: & ex natora rei non eſt hæc neceſſaria, qnia ſofficit poteſtas, & voluntas Principis declarata ore tenos, & verbis: nonnunquam tamen requiritur ſcriptura; non ad valorem privilegii, ſed ad eius probationem, & firmitatem, quia niſi privilegium oſtenderetur ſcriptum; facilè poſſet negari præſertim in abſentia Principis *c. porrò 7. h. t.* obi Alexander III. aſſerit, quòd privilegia quantùm valeant, vel qoomodo ſint ſervanda cognoſci debeant ex eorundem tenore, ultra quem non debeat qois egredi: & ratio eſt, quia privilegia ſont ſtricti joris, ſuntque inſpicienda, neque alicui eſt credendum, ſi dicat ſe habere privilegiom, niſi illud oſtendat *cap. cùm immune de offic. deleg.* Convenit autem privilegium cum diſpenſatione, qoia utrumque eſt gratia, quæ fit à Principe contra, vel præter jus commune: ſiqnidem per diſpenſationem relaxatur jus commune.

7 Differt verò privilegium à diſpenſatione, quia ad hanc requiritur cauſa, quâ exiſtente falſa, invalida eſt diſpenſatio; ſecus ad privilegium nulla reqoitur cauſa, ut tradit Rebuff. *in prax. benef. tract. de concordat. tit. forma mandati Apoſtolici V. diſpenſationum.* Sed uc notat Pirhing. *lib. 5. tit. 33. ſect. 1. §. 1. num. 5.* id non eſt univerſaliter verum, quia etiam privilegiom qood eſt contra jus, non poteſt concedi ſine cauſa, unde ait: diſpenſationem eſſe qooddam privilegium, & tantùm differre à privilegio in communi, perinde ac ſpecies differt à genere; & à privilegio contra jus commune non differre; qnod rectè procedit, ſi concedatur diſpenſatio per modum legis privatæ ad operandum ordinariè, & ſtabiliter contra jus commune: ſecus ſi diſpenſatio concedatur tantùm ad unum aliquem actum contra legem, & jus commune, & diſpenſatio non ſit perpetua, tunc non dicitur propriè privilegium, quia non ſtabilitur per modum legis defectu juris permanentis non conceſſi: ſed potiùs tunc diſpenſatio eſt quid facti, & tranſiens: unde ſicut præceptum temporale ad unum duntaxat vel alterum actum non eſt lex defectu perpetuitatis, ità nec diſpenſatio, ſeu licentia data ad àliquid ſemel, vel iterum agendum contra legem.

Ex eo aotem quòd privilegium ſit quædam 8
privata lex ſequitur, ab eo tantùm poſſe privilegium concedi, qui poteſtatem habet condendi leges: etenim ſi privilegium ſumatur ſtrictè pro ſpeciali conceſſione contra legem univerſalem non poteſt concedi niſi ab eo, qui poteſt diſpenſare in lege, & ille tantùm poteſt diſpenſare in lege, qui author eſt legis, ac propterea poteſtatem habet leges condendi: ſin verò privilegium ſumatur laxè pro gratia, & beneficio conceſſo præter, ſeu ultra legem, & jus commune; tunc etiam exigit ab eo concedi, qui eſt ſupra legem, & jus commune, & ad quem propterea pertinet laxare, vel reſtringere ipſum jus, vel præter illud operari: & is tantùm eſt ſupra jus, qui poteſt leges condere, vel abrogare, prout conſultiùs viſum fuerit in ordine ad promovendum bonum commune, ex quo liquet eum tantùm poſſe privilegium concedere, ſive hoc ſumator ſtrictè, ſive laxè, qui poteſt legem condere; adeò ut qui ferre legem non poteſt, non poſſit privilegium concedere, ot rectè notat Sylveſter *V. privilegium q. 2.*

Hinc publicæ poteſtates ſive eccleſiaſticæ 9
ſint, ſive ſæcolares in iis tantùm rebus poſſunt privilegia concedere, de quibus poſſunt diſponere, & legem ferre. Quamobrem ſummus Pontifex extra ſtatum ſuum temporalem per ſe, ac directè, nonniſi in ſpiritualibus, vel iis, quæ annexa ſunt ſpiritualibus, cujusmodi ſunt contractus matrimoniales annexi ſacramento matrimonii; decimæ, & alia id genus, poteſt privilegia concedere: Prælati etiam Papa inferiores poſſunt privilegia concedere, quæ eximunt à ſolis legibus à ſe, vel à ſuis prædeceſſoribus conditis, eò quia poſſunt in iisdem diſpenſare ut etiam in aliis ad ſe pertinentibus, & quæ non ſunt contra jus commune; quia contra hnc non poſſunt inferiores Prælati privilegia concedere, cùm non poſſint per ſe diſpenſare in jure communi canonico, niſi in iis, quæ ipſis de jure, vel conſuetudine conceduntur: concedere autem privilegia contra jus commune nullibi reperitur datum Prælatis Papâ inferioribus. Pari pacto ſupremi Principes ſæculares tantùm in rebus temporalibus poſſunt privilegia concedere, eò quia poſſint

circa

cirra res temporales leges condere. Alii verò Principes ſæculares, qui non ſunt ſupremi, ſed ſubſunt aliis Principibus, non poſſunt concedere privilegia, oiſi juxta farultatem ſibi à ſuis ſuperioribus conceſſam.

10 Cæterum privilegia non ſolùm conredi poſſunt iis, qui verè, & abſolutè ſunt ſubditi, ſed etiam aliis non ſubditis, ſive extraneis, dummodo reſpectivè ſaltem quoad rem circa quam privilegium confertor, ſint inferiores, qnia tametſi privilegium quòd eſt contra jus, & eſt diſpenſativum juris, nonniſi ſubditis dari poſſit, eò quia diſpenſatio à lege ſit actus jorisdictionis voluotariæ, qui non poteſt exerceri niſi in ſubditos, cùm ſupponat in concedente poteſtatem ferendi legem, ſeu præceptum inducens obligationem; nihilominus privilegium, quod tantùm eſt præter jus, ac merè conceſſivũ gratiæ, cùm non exigat juriſdictionem in eum, cui conceditur, eò quia hæc conceſſio non ſit actus juriſdictionis, ſed merè liberalitatis, ideo poteſt à Principe concedi etiam non ſubditis, quia talis conceſſio non requirit vim ullam coactivam in privilegiatum, nec directivam: quia cùm ſit privilegium merè graciosum non obligat privilegiatum ſob culpa; oee ad ullam pœnam. Ut aotem licitè conredator privilegium requiritur juſta, & neceſſaria rauſa, quia cùm ſit contra jus commune, requiritur juſta cauſa, ot ſervetur juſtitia legalis, & diſtributiva exigens, ut nullos abſque juſta cauſa eximatur à lege communi. Sin verò privileginm ſit merum beneficium Principis non derogans alicui tertio nec juri communi, tunc etiam requiritur juſta cauſa, ne Princeps prodigalitatis arguatur, & ne ſit acceptator perſonarum; altoquin præberet occaſionem invidiæ in non privilegiatis. Quòd ſi Prinreps abſque ulla neceſſaria, & juſta canſa privilegium concederet, tametſi talis conceſſio non eſſet licita, valida tamen foret, quia ſive privilegium conceſſum eximat à jure commoni; ſive ſit merum beneficium, dependet à voluntate Principis illud concedentis, & ſicut Prinreps poteſt totam legem tollere, ita etiam poteſt ex parte minuere eios obligationem reſpectu privilegiatorum.

11 Quod verò ad diviſionem pertinet privilegiorum ſolemnis eſt illa diviſio, quâ dividitur primò privilegiom in illod, quod eſt claoſum in corpore juris, ſeu inſertum eidem corpori, & in illud qnod extravagatur, ſeu datum per ſpeciale reſcriptum Principis. Id intereſt diſcriminis inter utrumque privilegium; quia quod extravagatur, ſeu non eſt inſertom corpori juris, manet ſemper in ſua oatura communi privilegii: quod verò inſeritur corpori juris tranſit in ipſum jus commune, ot notat Hoſtienſis *in cap. ſuper de ſepultur.* Hinc infer Covarruvias *4. decret. p. 2. cap. 8.* privilegia inſerta corpori juris non eſſe ſtrictæ interpretationis, ſed eſſe extendenda inſtar communis; adeo ot privileginm conceſſom uni eccleſiæ, & juri inſertum debear per extenſionem communicari aliis etiam non nominatis, eò qnia non ſit ampliùs merum privilegium, ſed jus commune, proinde omnibus communicandum. Alii tamen aſſerunt, qoòd ſi privilegiom habeat rationem ſpecialem, non poſſit extendi inſtar juris, tametſi corpori juris inſertum ſit, ſed tantùm ſi habeat rationem joris, quia tonc poteſt inſtar juris extendi. Decius etiam addit, quòd privilegia juri inſerta extendenda ſint inſtar juris, quando conceſſa ſont ad ipſius obſervantiam, ſeu quando continent aliquid, quod eſt ſecundùm jus commune, ut vult Beroius *in c. canonum de conſtit.* vel ut cenſent alii ob identitatem rationis, & tuoc propriè non ſit extenſio, ſed intenſio ſicut in pœnalibus.

Alii verò docent, privilegia inſerta copori juris tranſire in jus commune ad diſtinctionem extravagantium in tribus caſibus, in quibus dicnnt, inſertionem operari jus commune. Primò inter privilegiatos, quantum ad hoc, qnòd privilegiom inſertum corpori juris non præjudicat adverſario, niſi poſt dnos menſes à publicatione. Secundò inſertio operatur, quòd ſicut io privilegio non eſt opus mentionem facere joris communis contrarii, ita nec privilegii inſerti, qnando aliquid conceditur contra ipſum, ut docet Joannes And. *c. 1. de reſcript.* Tertiò qoia ſicut tollitor jus primum per poſterius, tametſi nulla de ipſo fiat mentio *c. 1. de conſtit. in 6.* ita & privilegium ibi inſertum, ut cenſet Felious *c. 1. de reſcript.* Alii verò qooad hooc tertium caſum diſſentiunt, qnia nunquam cenſetur derogatum privilegio juri inſerto per ſecundum, niſi in hoc ſecundo fiat expreſſa mentio primi, ut docent Baldus *l. non plus cod. de SS. eccleſ.* Barboſa *authent. qua in Provincia cod. ubi de crim. agi oport.* Secus privilegia extravagantia regulariter tolluntur per legem contrariam cum clauſula *non obſtantibus*, ut docet Stephanus Coſta *in c. Alma Mater. de ſent. excom. §. in feſtivitatibus.* Præterea aliud ſolet diſcrimen aſſignari inter privilegium, qood extravagatur, & qnod inſeritur corpori juris, qoia inſertum noo poteſt retorqueri, bene tamen quod extravagatur. 12

Seconda diviſio privilegii eſt in perſonale; & reale quod rei triboitur, vel quaſi affigitur; illud verò inhæret perſonæ: & hæc diviſio eſt ita ſufficiens ut ad illam poſſint aliæ diviſiones revocari. Quamvis omnia privilegia ultimatè referantur ad hominis commodum uſum, vel fructum; adeóque reſpectivè dici poſſint perſonalia; propriè tamen non ſunt perſonalia, ſed realia, ſi directè concedantur alicui rei, prædio, ædibus, muneri, vel officio Epiſcopi, Conſulis, Doctoris, vel conditioni, ſeu qualitati, nt nobilitati, minorennitati, fœminarum imbecillitati, cultui religionis; hæc enim omnia privilegia propriè dicuntur realia ad differentiam perſonalium, quæ immediatè verſantor circa perſonam ratione ſui. Cæterom quia perſona alia propriè eſt talis, ut qoilibet homo in individuo; & alia tantùm fictè dicitur perſona, ot eſt corpus myſticum, aut politi- 13

politicum ut civiras, univerſitas, collegium, Monaſterium, Ordo Religioſorum, ideo ſi privilegium directè detur perſonæ fictæ, tunc quia membra talis corporis nunquamdeficiunr, tale privilegium eſt reale perpetuum. Quòd ſi perſona ſir vera, & parricularis, eique ſub hac ratione detur privilegium, hoc dicitur propriè perſonale, eò quia illi tantùm perſonæ proſir, eum qua privilegium exringuitur. Interdum danrur privilegia perſonis veris quidem, ſed cerri generis, ut minoribus, mulieribus, filijs familias, & quia hæ perſonæ nunquam deficiunt, ex hac parte earum privilegia ſunt ſimilia realibus, eò quia ſint perpetua, & magis conceſſa rei, ſeu conditioni perſonarum, quàm ipſis perſonis.

15 Tertia eſt in locale reale, & locale perſonale illud dicitur, quod loco alicui determinato conceditur, ut eccleſiæ, altari, civitati, & hoc ſubdividitur in locale commune, & proprium, ſeu ut alii luquuntur in locale reale; & perſonale illud eſt quod tribuirur primario ipſi loco pro dignitate, & reverentia ipſius: & ſecundariò tantùm, ac mediarè perſonis commoranribus in tali loco. Perſonale è contra eſt, quod primariò, & immediatè tribuitur perſonis ſine reſpectu ad locum, adeò ut ſi is intercedar, id tantùm fiat acceſſoriè, & per modum cauſæ impulſivæ, motivæ. Hinc privilegium locale reale debet cenſeri affixum quaſi ipſi loco, extra quem non exrenditur, ut notat Panormitanus *in c. cùm capella 16. h. t.* & runc privilegium ſemper perſeverat cuicunque Domino contingat talem locum accreſcere, uniri, vel ſubjici, & competit omnibus exiſtentibus in tali loco, non verò aliis morantibus extra talem locum. Quòd ſi ex caſu fortuito, vel ex graſſante peſte, vel irruente bello locus, cui eſt privilegium affixum diſtitueretur omnibus perſonis, adhuc retineret ſuum privilegium, & poſſet ad illud redire, ſi contingeret reſtaurari *argu. c. paſtoralis. q. 1.* & *c. qua ſemel. 19. q. 3.* ut docet Panormitanus *c. 2. de poſtulat. Prælat.* & *cap. Abbate de V. S.* Id tamen procedit, ſi locus caſu, vel injuria deſtruatur, vel deſtituatur perſonis, alioquin ſi per viam juris, ſeu auctoritate ſuperioris locus deſtrueretur non ampliùs remanerent eius privilegia, quia tunc non dicitur locus ampliùs deſolatus, ſed penitus extinctus; & cum extinctione loci intereunr etiam omnia eius privilegia *argu. cap. placuit. d. 1. de conſ.* & *c. dicimus 16. q. 7.* Privilegium locale, & perſonale eſt, quod conceditur perſonis loci; adeò ut quæ non ſunt de tali loco non gaudeant privilegio loci, licèt ad illum acceſſerint. Nonnunquam etiam contingit, privilegium eſſe mixtum, ſeu ſimul locale, & perſonale, ut ſi erigatur certum altare privilegiarom in Eccleſia pro ſolis Capellanis einsdem Eccleſiæ, quia tunc ſoli capellani uti poſſunt tali privilegio in tali altari.

16 Quarta eſt ut privilegium perſonale dividatur in ſingulare, & collegiale, illud eſt, quod conceditur uni tantùm perſonæ, vel etiam pluribus, ſed expreſſis earum nominibue tanquam ſingularibus, ſeu ſub nomine proprio, & individuo cujusque, vel etiam ſub nomine gentilitio familiæ, vel ſub nomine collectivo perſonarum certæ conditionis, vel certæ artis, aut profeſſionis, de quibus id ſtatuitur juris; quòd hujusmodi privilegia nun extenduntur de perſona ad perſonam, nec de caſu ad caſum, nec quisquam de iisdem participat (etiam ſubſiſtente identitate rationis) niſi comprehendatur ſub espreſſo nomine in tenore conceſſionis, ut docent communirer Canoniſtæ. Privilegium collegiale dicitur, quod alicui collegio, communitati, vel ſocietati conceditur, quod dupliciter poteſt fieri. Primò ſub nomine collectivo, & expreſſo ipſius collegij, & directè, ac immediatè illius corporis, ut univerſitati Lovanienſi, Sorbonæ: ſecundò perſonis, quæ ſunt ex tali collegio, quod propterea componunt, ut ſi privilegium cuncedatur ſtudioſis Univerſitatis Ingolſtadienſis, vel Salisburgenſis, & tunc id juris ſtatuitur, quòd privilegium conceſſum priori modo revera cenſetur conceſſum collegio, quatenus civiliter conſtituit unum corpus politicum, non verò perſonis ſingularibus; ex quibus tale corpun coaleſcit: huc eſt cenſetur privilegium conceſſum perſonis omnibus, ut ſimul ſumptis; non verò ut ſeorſim, & ſingularibus, adeò ut non poſſit uti tali privilegio niſi quando civiliter conveniunt in unum corpus, & collegialiter repræſentant talem univerſitatem: non tamen eſt neceſſè, ut omnes & ſinguli adſint, ſed ſuffieit ſi major pars, vel illi quorum intereſt collegium illud repræſentare: ſecus quando privilegium conceditur ſecundo modo, poſſunt illo uti omnes ſingulæ perſunæ, & quidem una independenter ab alia; dummodo perſonæ ſint incorporatæ tali collegio. Sunt aliæ privilegiorum diviſiones, quas recenſet Suarez *lib 8. de legib. c. 1. & ſequent* quæ tamen facilè reducuntur ad hactenus expenſas.

Quòd ſi dubium ſit, an privilegium ſit perſonale, vel reale, tunc ſervanda eſt regula, quam tradit Suarez *lib. 8. de legib. cap. 1. n. 18.* nimirum ſi privilegium ſit in ſolidum favorabile, vel purum beneficium, runc cenſendum eſt reale, ac perpetuum juxta *regul. jur. in 6.* decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum. Sin verò privilegium ſit quidem favorabile reſpectu illius, cui conceditur; ſed odioſum reſpectu juris communis illi derogando, vel præjudicando alteri tertio, tunc potius cenſendum eſt perſonale, quàm reale, nimirum ur non perpetuò duret; ſed extinguatur cum perſona, & temporale tantùm inferat damnum, non perpetuum. Juvat tamen obſervare quòd quando privilegium in ſolidum favorabile dicitur eſſe judicandum reale, & perpetuum, id debet intelligi quoad vitam privilegiati, unde cùm extinguatur morte privilegiati dicitur etiam perſonale. 17

§. II.

§. II.

De Modis, quibus privilegia acquiruntur.

1 SEx præſertim à Canoniſtie recenſentur modi, quibus privilegia acquiri ſolent. Primus eſt per viam conceſſionis, ſecundus per viam comunicationis, tertins extenſionis, quartus relationis, quintus erroris, ſextue præſcriptionis,: Per viam conceſſionis acquiritur privilegium, quando ab illo obtinetur, qui poteſt legem condere, quia tunc legitimè conceditur circa eandem legem, & materiam, quam lex reſpicit, quia eum privilegia ſint leges privatæ *c. privilegia diſt. 3. & §. fin. 25. q. 1.* ideo concedi debent eb habente poteſtatem condendi leges, ut in præcedenti §. oſtendimus. Rurſus ſicut privilegium perinde differt à lege, ſicut ſpecies à genere; ſequitur quòd remoto genere, ſeu excluſa poteſtate condendi leges, ſit etiam removenda ſpecies, ſeu poteſtas concedendi privilegia *l. Aquilius ff. de dolo.* & *l. Fidejuſſor cod. qui ſatis.* Hinc ſicut Princeps temporalis non poteſt ſua lege eccleſiam ligare, ita neque ſuo privilegio eam includere, proinde licèt privilegium ſit favorabile, nunquam tamen valet niſi eccleſia illud acceptet, ut notet Innocentius *in c. auditis de reſtitut. in integ.* cui additur etiam *c. bene quidem diſt. 96.* ubi ſtatutum Præſidis laici, quamvis eccleſiæ favorabile declaratur irritum.

2 Cæterum cenſetur privilegium emanatum à Principe temporali ecceptari ab eccleſia eo ipſo, quòd ab hac non reijcitur, & ſit ſimpliciter favorabile, conceſſum per modum ſimplicis gratiæ, & hoc etiam procedit de omnibus Clericis, & religioſis, qui non ſubijciuntur juriſdictioni Principis concedentis tale privilegium. Quia verò diximus privilegia eſſe leges privatas diſcrepantes à jure communi, à quo ſine cauſa non receditur *c. fin. diſt. 14. c. neceſſaria 1. q. 7.* ideo ut ſaltem licitè concedatur privilegium, requiritur aliqua cauſa, quæ triplex eſſe poteſt, ut hebetur in *c. valet 25. q. 1.* hoc eſt vel intuitu religionis, in favorem ſcilicet ipſius: vel propter neceſſitatem ſupervenientem: vel ob officia impenſa; quoties enim aliqua ex his cauſis intervenit, tunc privilegium conceditur validè, & licitè. Quòd ſi privilegium ita concedatur, ut videatur eſſe contra ſubſtantiam actûs, ad quem conceditur, tunc cenſetur Princeps diſpenſâſſe.

3 Per viam communicationis tunc acquiruntur privilegia, quando hæc primitùs conceſſa uni, iterum alteri conceduntur, & tunc neceſſe eſt, communicatio fiat non ab illo, cui ſunt conceſſa, ſed ab illo, qui talia privilegia conceſſit: ſiquidem communicatio privilegiorum nihil aliud eſt, quàm iterata eorundem conceſſio facta alijs perſonis, ſeu ampliatio, & extenſio præcedentis conceſſionis ad alia ſubjecta, quibus antea non fuerant conceſſa; quia ſicut privilegia in ſua origine dependent à concedente; ita etiam in ſua extenſione. Tota autem vis communicationis in eo eſt ſita, ut privilegium communicatum commune ſit tam illi, cui fuit originariè conceſſum, quàm alteri, cui fuit poſtea communicatum; adeò ut quoad uſum poſſit uterque independenter ab altero illo gaudere, & ſi is, cui fuit primò conceſſum fortâſſis illud amittat, adhuc perſeveret in alio, cui fuit communicatum, quia ex eo, quòd deperdatur à primo non extinguitur in ſecundo, qui propterea poteſt illo uti juxta originariam, & primariam conceſſionem, quâ emanavit à Principe, quia per communicationem fuit privilegium conceſſum ſecundo independenter à primo; ratio itidem eſt, quia illud propriè communicatur, quod præexiſtit, & fuit actualiter conceſſum: atqui privilegium exiſtit in ſola voluntate Principis concedentis, & non in voluntate illo utentium, & à Principe non fuit conceſſum ſub modo ſpeciali, ſub quo fortâſſis aliqui illo utuntur, vel abutuntur; ſed juxta conceptum ipſius Principis; ex quo fit, ut communicatio privilegii fiat ſecundùm illum eundem conceptum, ſecundùm quem fuit à Principe originariè conceſſum, hoc eſt independenter ab alio, cui primariò conceſſum fuit: Ex quo ſequitur, quòd privilegium non communicetur niſi ſecundùm quod præexiſtit in mente Principis: unde ſi privilegium fortè erat à Principe reſtrictum, antequam illud communicaret alteri, non cenſetur aliter communicatum niſi ſub illa reſtrictione. Sin verò reſtrictio fiat uni poſt communicationem factam alteri, tunc is, cui communicatum fuit, non tenetur ſe conformare tali reſtrictioni, ſed poteſt adhuc licitè uti privilegio juxta ſuam primariam conceſſionem, tametſi reſtrictio facta ſit pro illo, cui originariè fuerat conceſſum: & quod dicitur de reſtrictione procedit etiam ſervata proportione, ſi privilegium tollatur totaliter alicui illo utentium.

4 Non tamen hæc communicatio, quæ præſertim cenſetur facta Ordinibus Religioſorum, procedit in privilegiis, quæ ſunt contra jus tertij, quia princeps nunquam præſumitur velle derogari juri alieno: quapropter licèt concedat communicationem privilegiorum non tamen cenſetur communicare ea privilegia, quæ lædunt jus tertij: Hinc licèt Minimi S. Franciſci de Paula habeant Privilegia Dominicanorum, non tamen propterea ſunt exempti à ſolutione quartæ funeralis ut Dominicani, eò quia id ſit contra jus eccleſiarum parochielium, licèt contrarium ſentiat Tamburinue *tom. 1. de jure Abbat. diſt. 15. q. 17.* quia extant in favorem noſtri aſſerti duæ declarationes Cardinalium, quas refert Barboſa *de offic. poteſt Epiſc. c. 25. n. 9.* & ita dicendum data proportione de decimis, oblationibus, aliiſque id genus.

Rurſus nec communicatio valet reſpectu

illorum privilegiorum, quæ repugnantiam habent cum ſtatu alicuius Ordinis: tunc enim, quia Ordo cenſetur incapax talium privilegiorum, communicatio eorundem non comprehendit talem Ordinem: ratio eſt, quia Papa ſemper præſumitur ſuas gratias, & favores ita religioſis indulgere, ut tamen ſtatus cuiusque religioſi Ordinis ſervetur in ſuo eſſe illæſus: quia ſi Pontifex non intendit per communicationem talium privilegiorum lædere jus tertij, multò minùs præſumitur velle deſtruere ſtatum illius religioſi Ordinis, cui fit communicatio. Hinc licet mendicantes habeant privilegia non mendicantium, non tamen poſſunt celebrare divina Pontificaliter, nec ordines conferre minores ſicut Abbates Benedictini, quia hæc repugnant Ordini, & ſtatui mendicantium. Rurſus nec valet communicatio quoad illa privilegia; ex quorum communicatione ſequeretur aliquod abſurdum in rebus eccleſiaſticis. Immò neque valet reſpectu illorum privilegiorum, quæ non ſunt conceſſa intuitu, & in favorem religionis, vel Ordinis, ſed tantùm ob ſingularem aliquam prærogativam alicuius loci, eccleſiæ, vel monaſterij, præſertim ſi concedantur privilegia ob aliquam neceſſitatem, quæ in alijs non reperitur, qua ratione licèt in partibus infidelium poſſint ſimplices ſacerdotes, & Regulares miniſtrare interdum Sacramentum confirmationis, vel etiam diſpenſare ſuper impedimentis matrimonij; non tamen in Europa & locis præſertim catholicis poſſunt hoc idem præſtare ſimplices Sacerdotes, & Regulares, quia in Europa non urget illa neceſſitas, ob quam tale privilegium conceſſum fuit ſimplicibus Sacerdotibus, & Regularibus in partibus infidelium.

6 Per viam extenſionis acquiruntur privilegia tripliciter, ſcilicet vel per diſpoſitionem juris, vel ob vocis ſignificationem, vel propter connexionem materiæ rei, perſonæ, ſeu cauſæ. Per diſpoſitionem juris acquiruntur in omnibus his caſibus, pro quibus ita in jure cavetur, quo pacto ex diſpoſitione juris privilegium fori, quo gaudent Clerici, extenditur ad eorundem domeſticos, & familiam *can. Clericum t. q. 1. c. eos. diſt. 32. c. judicatum diſt. 89.* & quamvis Panormitanus *in c. 2. de foro compet.* cenſeat illud tantùm procedere de ſolis domeſticis perpetuis, & addictis perpetuo ſervitio Eccleſiæ: alij tamen magis communiter docent, hanc juris diſpoſitionem habere locum, etiam in familiaribus non perpetuis, dummodo non ſerviant per annum tantùm, vel aliud ſimile tempus, nec ſint dietim conducti, idque certum eſt ſaltem de domeſticis Epiſcoporum *c. ſi ex ira. c. fin. de offic. Archidiac.* ut docet Felin. *c. 2. de foro compet.* Quinimò non deſunt, qui cenſeant, hanc juris diſpoſitionem non ſolùm habere locum in Domeſticis Clericorum, ſed etiam laicorum, docentes eorum privilegia pari ratione extendi ad ipſorum famulos.

Verùm patrim ſtandum eſſe praxi legitimæ ſingulorum locorum. Propter ſignificationem vocis etiam acquiruntur privilegia, quando quæ inveniuntur conceſſa ſub certo expreſſo nomine trahuntur ad omnes perſonas, quæ analogicè, vel alio modo comprehenduntur ſub tali nomine expreſſo, ſeu ſub ſignificatione vocis, ſeu ex communi uſu loquendi, ſeu ex ipſa diſpoſitione juris, qua ratione privilegia conceſſa nuptis, & nubentibus extenduntur ad virgines, & Chriſto nubentes, quia voce matrimonij æquo jure intelligitur tam ſpirituale, quàm carnale, ut notat Baldus *l. Imperialis C. de nuptiis*, & deſumitur etiam ex *c. cum inter canonicos de elect. & c. fin. & penult. de translat. & authorit. niſi rogati C. ad Trebell.* 7

Hinc privilegia conceſſa Regularibus extenduntur ad eorundem Novitios, & oblatos, imò etiam ad eorum moniales, ut ſpecialiter pro Ciſtercienſibus decrevit Urbanus IV. pro Caſſinenſibus Paulus IV., pro Auguſtinianis Leo X. pro Minoribus Sixtus IV., pro Carmelitis Gregorius XV., & vice verſa Leo X. privilegia Clariſſarum extendit ad Minores. Ratio itidem poteſt aſſignari, quia omnes illæ perſonæ comprehenduntur ſub nomine religionum, quamvis aliæ magis, aliæ minus propriè. Propter connexionem materiæ, cauſæ, rei, perſonæ, acquiruntur privilegia quoties perſona privilegiata non poteſt uti ſuo jure, vel privilegio, niſi fiat extenſio ad alias perſonas, quibus privilegium expreſsè non eſt conceſſum, ut docent communiter Canoniſtæ cùm Sylveſtro *V. privilegium n. 6.* ratio eſt, quia non eſt inconveniens, ut quis ex perſona alterius conſequatur, quod non habet ex ſua propria, ut notat Gloſſa *in c. ex litteris de jure patron. c. querela de ſimon.* hinc privilegium conceſſum Reginæ ingrediendi monaſterium extenditur ad totum Gynæceum, quia Regina non ſolet ſola incedere, neque id eius decet dignitatem: unde privilegium conceſſum fœminæ Principi ingrediendi monaſterium extenditur ad ſuos Ephebos, & puellas: quia vir equeſtris non ſolet ſine famulo incedere, ſi tempore interdicti illi concedatur privilegium, ut poſſit divinis intereſſe, tale privilegium extenditur ad ſuum acceſſorium, ſeu adjunctum, ſic privilegium hoſpitalis extenditur ad ſuos Miniſtros: privilegium Principalis, ſeu principaliter obligati ad Fidejuſſorem, ut notat Carot. *c. cùm quid de reg. jur. in 6. q. 4. n. 5.* 8

Limitatur tamen hæc doctrina. Primò quando privilegium conceditur expreſſè uni tantùm perſonæ, quia privilegium non extenditur è perſona expreſſa, cui conceditur ad aliam non expreſſam; ut nec etiam ab uno caſu, vel actu, extenditur ad alium, idque deſumitur ex *c. ſanè 9. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd privilegia conceſſa à Papa alicui inſpecta certa ratione, non debeat alius ſibi præſumere: quòd procedit etiam in pari ratione 9

tione ut notat Gloſſa *ibid.* ratio eſt; quia quæ conceduntur per privilegium, non ſunt trahenda ab aliis authoritate propria in exemplum. Sunt enim privilegia jura ſpecialia; quæ non dantur niſi certa inſpecta ratione, unde privilegium expreſsè conceſſum uni, non extenditur ad alios, nec privilegia ſingulorum poſſunt communem legem facere *c. non exemplo 4. cauſ. 26. q. 2.* cùm enim privilegium ſit jus ſingulare, ſequitur perſonam privilegiatam, cum qua extinguitur; adeò ut non tranſeat de una perſona ad aliam *c. privilegium 7. de regul. jur. in 6.* hinc in privilegiis perſonalibus nomine filiorum non comprehenduntur nepotes ſive in odioſis, ſive in favorabilibus, quia non egrediuntur perſonas expreſſas, ad quas diriguntur; neque extenduntur ultrà verborum proprietatem; niſi fuerit aliud verbis, aut jure expreſſum, & quamvis ſæpè appellatione filiorum veniant etiam nepotes ex benigna juris interpretatione *l. juſta. 201. ff. de V. S.* ordinariè tamen, & regulariter ex verborum proprietate nepotes non comprehenduntur nomine filiorum *l. quid ſi nepotes 6.* unde privilegia expreſsè conceſſa filiis non extenduntur ad nepotes niſi aliter conſtiterit de jure, vel de mente concedentis. Immò nec privilegium expreſsè conceſſum filio extenditur ad filias, quia in privilegiis maſculinum non continet fœmininum, nec in ſtricta ſignificatione nomine filii intelligitur filia; & privilegium cùm ſit ſtricti juris debet ſtrictè intelligi, ut notat Joan. Monach. *in c. authoritate 4. in addit. h. t. in 6.* Hinc generatim privilegium ſimpliciter perſonale, ſeu conceſſum expreſsè uni perſonæ non tranſit ad hæredes, quamvis filij ſint, quia privilegium conceſſum patri expreſsè; & nominatim, ut tali perſonæ vivente patre non communicatur filijs, proinde nec poſt mortem patris tranſit ad filios, ſed extinguitur cum perſona patris.

10 Limitatur ſecundò quando agitur de damno tertii, quod ex tali extenſione reſultaret, tunc enim privilegium non extenditur, ſed potius coarctatur ad impediendum damnum tertii, ut notat Panormitanus in *c. ex ore ſedentis 17. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quod quando aliquis eſt exemptus reſpectu unius loci, vel capellæ non intelligitur exemptus reſpectu alterius loci, ſeu Parochiæ, quam ab Ordinario habet, adeò ut ſi delinquat in hoc ſecundo loco poſſit ab Ordinario puniri, eò quia quoad ſecundum hunc locum non ſit privilegiatus. Hinc notat Gloſſa, quòd ſi Abbas obtinuit privilegium non ratione membrorum, neque Monaſterii ſed ratione ſui tantùm, non intelliguntur eius Monachi exempti, nec quando monaſterio conceditur privilegium intelliguntur exempta eius membra: ſic Abbas ratione membrorum non exemptorum debet ſubeſſe Epiſcopo, & accedere ad Synodum Epiſcopi. Sic quando eximitur monaſterium non poteſt exemptio extendi ad membra talis monaſterij, ut ſunt capellæ propter præjudicium juriſdictionis Epiſcopi.

Limitatur tertiò reſpectu futurorum, & 11
poſthumorum; quia privilegium rei principalis non extenditur ad ea, quæ poſt conceſſionem privilegii acceſſerunt tali rei, ſed tantùm ad illa, quæ tempore conceſſionis comprobantur fuiſſe adjuncta; & deſumitur ex *c. cum Capella 16. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd exemptus reſpectu unius loci non intelligatur exemptus reſpectu alterius, ſi hic non ſe habeat acceſſoriè ad primum. Hinc ſi Abbas obtinuit privilegium ut Monaſterium ſuum cum omnibus membris, ſeu capellis ſit exemptum, & poſtea proceſſu temporis acquirat alias capellas, quæ non ſint prioribus acceſſoriæ, ſed ſint ab illis principaliter ſegregatæ, iſtæ recèns acquiſitæ non participant de privilegio: quia quando privilegium conceditur monaſterio, & eius capellis, ſeu eccleſiis intelligitur tantùm de præſentibus tempore conceſſionis, non verò de alijs poſtea acquirendis, vel ædificandis, qua ratione in *c. nuper Abbates de decimis* ſtatuitur; quòd privilegium percipiendi decimas non extenditur ad novalia: ut etiam privilegium conceſſum Principi nominandi ad beneficia eccleſiaſtica intelligitur de exiſtentibus intra limites ſui Regni, prout circumſcribebatur tempore factæ conceſſionis, non verò de iis, quæ poſtea fundantur, neque de exiſtentibus in alijs Provinciis jure belli, vel quovis alio titulo acquiſitis *argum. l. ſi ita ff. de aur.* ubi dicitur, quòd ſi teſtator veſtem, vel argentum ſuum legat, id ſolùm nomine legati comprehendatur, quod aderat tempore teſtamenti conditi, non verò quod poſtea fuit acquiſitum.

Per viam relationis dicuntur privilegia 12
acquiri, quando privilegium, quod Petrus allegat contra Paulum, hic illud ſibi vendicat, & contra Petrum vicaria relatione retorquet, ut docent Jur. *authent. quas actiones C. de SS. eccleſ. quæſt. 2.* Burgius *in rubric. de reſcript. n. 39.* Nicoſan. *c. quoniam de prob. p. 2. n. 633.* & alij docentes id licitum eſſe ad ſervandam naturalem æquitatem exigentem, ut dum quis habet privilegium ad aliquid faciendum, vel ne alius aliquid ipſi inferat, etiam ipſi prohibeatur hoc inferre alteri; ſic quia Actor, & Reus mutuam dicunt correlationem, & in omni materia æquiparantur per modum regulæ *c. in judiciis de regul jur. in 6. l. non debet. ff. eod. & lib. fin. C. de fruct. & ex litteris,* ſequitur, quòd nihil debeat licitum eſſe Actori, quod etiam Reo non permittatur, ut rectè notat Gomez *c. 1. de judic. in 6. n. 24.* unde ſi cauſæ datur privilegium, ne appelletur, debet etiam appellatio prohiberi in reconventione, ut docent Baldus *c. à nobis de except.* Anchararan. *c. 1. de conſt.* Soccinus *in rubric. ff. de acquit. poſſeſſ.* cum Gloſſa in *clement. ſæpe de V. S.* eadem ratione, ſi Actor producat inſtrumenta

ta

ta minus anthentica, & hæc admittantur, poteſt Reus iisdem uti contra Actorem, & etiam ſimilia producere, quæ pari ratione debent admitti, ut notat Baldus *l. ſi quis teſtibus.* Fallit tamen hæc doctrina in cauſis piis, quia privilegia conceſſa in favorem cauſæ piæ non debent retorqueri. Secundò fallit etiam in privilegiis, quæ ſunt inſerta corpori juris, quia hæc privilegia reputantur conceſſa motu proprio, proinde debent retorqueri *l. penult. C. de ſent.* Fallit tertiò in privilegiis Regularium, quia ſaltem eorum potior pars conceſſa fuit motu proprio.

13 Per viam erroris acquiruntur etiam privilegia, ut ſi quis per errorem acquirat privilegium, ſeu jus, cuius eſt incapax propter impedimentum occulrum, quo laborat: vel incipit ex ſe ipſo præſcribere privilegium, vel jus, & illo uti, eò quia putet ſibi competere cum defacto ei non competat: vel ſi Princeps ei concedar privilegium, cuius cenſeat capacem: & defacto ſit incapax: ſi ntatur tali privilegio, licèt illo non poſſet uti ob occultum impedimentum: nihilominus incipit illud præſcribere, & poſt lapſum legitimum tempus illud ſibi acquirit, licèt per viam erroris: in quo ſenſu intelligitur regula illa recepta, quòd error inducat jus, & tribuat jurisdictionem *c. 1. 3. q. 7. l. 1. c. de teſtament.* Hinc quod in conſequentiam hujus erroris geſtum eſt æquè valet, ac ſi error non interceſſiſſet; quia tunc Princeps voluntate univerſali, quæ illi fictione juris tribuitur, cenſetur diſpenſare, cum eo, qui ſic operatur, ac omnes defectus ſupplere, vel concurrere cum ipſo in nmnibus, quæ agit, ac valorem iisdem conferre. Cùm homines infinitis propemodum modis paſſint decipi in communicando, vel exercendo, & poſſidendo jurisdictionem, ideo ad impedienda plura inconvenientia tribuitur Principi per fictionem juris illa generalis voluntas ad evitanda graviſſima incommoda, quæ paſſim orirentur, ſi quæ fiunt per errorem ſemper invalida, & irrita forent, ut notant Gloſſa *cap. 1. 3. q. 7. c. ad probandum de ſent & re judic. l. 3. ff. de ſuppl leg.* Maſcardus de probar. *concluſ. 649.* Suarez *de cenſur. diſp. 2. ſect. 4.* Hinc ſi ſacerdos excommuniratus approbetur ad audiendas confeſſiones in loco, in quo eius cenſura ignoratur, validè miniſtrat Sacramentum, & abſolvit.

14 Item Epiſcopus, cujus electio eſt invalida propter ocrulium defectum, validè miniſtrat ſacramenta Ordinis, & Confirmationis. Verùm ut error jus tribuat, & per viam deceptionis, ſeu erroris acquiratur privilegium, aliqua deſiderantur. Primò ut talis error ſit communis, ſeu ita vulgaris ut ſaltem conſtituat rem probabilem inſtar opinionis communis, proinde ut error non ſciatur à majore parte communitatis: alioquin ſi error tantùm ſit paucorum non cenſetur tribuere jus, hinc ait Decius *conſ. 407, num. 2.* errorem non tribuere jus reſpectu illorum, qui ſunt eiusdem conſcii.

Alii tamen contrarium ſentiunt, quia ubi 15
notitia publica etiam putativa validat actum, non poteſt valor eiusdem impediri à notitia, quamvis aliàs certa; per proportionem enim ad doctrinam communem tenetur etiam judex reum condemnare, ſi ſit in judicio convictus, quamvis notitia privata ſciat illum eſſe innorentem, ut docet D. Thomas, quia judex debet proredere juxta allegata, & probata. Secundò ut error tribuat jus, debet niti fundamento aliquo probabili, vel ſaltem apparente, ut invehat opinionem probabilem, alioquin non ſufficeret, ſi error tantùm fundaretur in vana opinione, ut notat Cardin. *conſil. 114.* Tertiò ut error verſetur circa defectum, qui tantùm ſit juris poſitivi: unde ſi ſarerdos, qui communiter putatur Parochus, matrimonio aſſiſtat, renet matrimonium: ſecus ſi qui non eſt ſacerdos conſecrat, tametſi ab omnibus putetur ſacerdos non tamen verè conſecrat. Quartò ut cùm errore ſimul concurrat aliquis titulus, quo res cenſeatur probabilis; vel expreſſa delegatio ſuperioris, licèt fortaſſis non fuiſſet delegaturus, ſi res clariùs ei innotuiſſet: quo pacto ſarerdos irretitus cenſura dicitur validè abſolvere, ſi ab Epiſcopo inſcio cenſuræ approbetur ad confeſſiones audiendas, licèt ſi cenſura ei innotuiſſet minimè illum approbâſſet: ſecus tamen direndum de illo, qui ſine approbatione, & ſine ullo probabili fundamento abſolvit, lirèt ab omnibus cenſeatur approbatus: ratio eſt, quia tunc propriè dicitur intruſus, cuius acta nunquam in jure validantur, ut notat Tuſchus *V. error. concluſ. 330.* ubi etiam addit requiri ad hoc ut error conferat jus, ut concurrat utilitas publica; vult enim, quod tunc tantùm cenſeatur error tribuere jus, quando id exigit bonum publicum, quod alias impediretur. Vult etiam Tuſchus, ut error ſit tantùm facti, non verò juris.

Alii verò communiùs cenſent, nil referre, 16
ſive error ſit facti, ſive juris, dummodo procedat ex juſto titulo, & debita probabilitate: tunc enim quæ fiunt cum tali errore rectè procedunt, neque invalidantur, ſi poſtea error detegatur, immo nec opus eſt, ut repetantur, quia fuerunt validè facta.

Demum per viam præſcriptionis acqui- 17
ritur privilegium, quando quis exercet jus aliquod toto rempore à jure requiſito, ad legitimam præſcriptionem inducendam, quod jus contra privilegium Eccleſiæ non præſcribitur niſi ſpatio quadraginta annorum, ut deſumitur ex *c. accedentibus 15. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit. Quòd ſi aliquis locus eccleſiaſticus ſpatio quadraginta annorum ſolvat pacificè decimas alteri loco eccleſiaſtico intelligitur præſcriptum contra ipſius privilegium, ſi illud habear non ſolvendi decimas. Per hunc textum corrigitur alius, qui habetur in

cap.

c. ſi de terra 6. h. t. ubi dicitur, quod ad præſcribendum contra privilegium Eccleſiæ ſufficiat ſpacium triginta annorum, eò quia videatur in tanto tempore renuntiare juri ſuo. Hodie enim ob textum in *d. c. accedentibus* contra privilegium eccleſiæ non præſcribitur, niſi ſpatio quadraginta annorum, adeò ut non poſſit una eccleſia contra privilegium alterius acquirere jus percipiendi decimas niſi poſt dilapſos 40. annos. Neque obſtat, quòd privilegia eccleſiarum, & Monaſteriorum dicantur inviolata manere cunctis temporibus, & nulla mutari novitate *c. 1. & 2. cauſa 25. q. 2.* quia id tantùm procedit de ſtatutis generalibus, quibus eccleſia regitur, & de quibus in dicto textu eſt ſermo, ut notat Gloſſa in *d. c. t. V. temporibus.* vel procedit de privilegiis pertinentibus ad immunitatem, & libertatem eccleſiaſticam, quibus non poteſt renuntiari, cuiusmodi ſunt privilegia fori; quibus Clericus non poteſt conveniri coram judice laico *c. ſi. diligenti 12.* ut etiam procedit de privilegio canonis *c. contingit. 36. de ſent. excommun.* quia cum huiusmodi privilegia conceſſa ſint in favorem totius Ordinis Clericalis, debent ſemper inviolata manere; nec poteſt unus, vel alter Clericus iisdem renuntiare. In præſenti verò ſermo tantùm eſt, de particularibus, & ſingularibus privilegiis conceſſis favore certorum locorum, vel ſingularium perſonarum, quibus expreſsè, vel tacitè poteſt renuntiari, & contra quæ præſcribi poteſt, & jus acquiri, ut dicitur in *c. accedentibus 15. h. t.* ubi ſtatuitur, quòd ſi locus aliquis eccleſiaſticus ſpatio quadraginta annorum ſolvit pacificè decimas alteri loco eccleſiaſtico, intelligatur præſcriptum contra ipſius privilegium, ſi illud habeat non ſolvendi decimas, & alter locus eccleſiaſticus ex vi talis præſcriptionis acquirit jus easdem decimas impoſterum exigendi.

18 Unde juvat obſervare quòd nomine privilegii duo poſſunt intelligi, ſcilicet vel conceſſio ipſius facultatis ad aliquid faciendum; vel jus ipſum faciendi conceſſum: & in præſenti hoc ſecundo modo ſumitur privilegium, quando dicitur poſſe acquiri per præſcriptionem. Siquidem ſi ſumatur privilegium priori modo, ut eſt conceſſio ipſius facultatis ad aliquid faciendum, potiùs opponitur præſcriptioni, ut quid contrarium, adeò ut non poſſint ſimul cohærere conceſſio facultatis ad aliquid faciendum, & præſcriptio, ut rectè notat Gloſſa in *c. veniens de præſcript.* unde Panormitanus ibid. docet impetrationem privilegii cauſare malam fidem reſpectu juris priùs poſſeſſi per præſcriptionem: quia tunc videtur impetrans agnoſcere, ſe non habuiſſe jus, adeò ut ſi poſtea privilegium repudietur, non poſſit ſe præſcriptione tueri; quia præſcriptio in illa impetratione cenſetur ceſſâſſe: & id verum eſt etiam independenter ab uſu talis privilegii. quia ſola impetratio ſufficit ad inducendam præſumptionem præſcriptionis renuntiatæ: qua ratione privilegium, & præſcriptio non poſſunt ſimul concurrere reſpectu ejuſdem juris quærendi, ſed tantùm quæſiti; adeo ut ſi agatur de privilegio jam quæſito, & privilegium ſit ſimpliciter confirmatorium juris priùs per præſcriptionem quæſiti, vel conceſſi ad cautelam, vel per modum novi tituli, poſſit privilegium tunc concurrere cum præſcriptione, ut notat Felinus in *d. c. veniens de præſcript.* quia tametſi jus jam quæſitum non poſſit de novo quæri, poteſt nihilominus novo titulo retineri, ut rectè notat Joannes Andreas in *c. cum perſona 7. h. t. in 6.*

Ut autem privilegium, ſeu jus ad aliquid faciendum, vel exigendum acquiratur per præſcriptionem plura requiruntur notatu digna. Primò ut id quod præſcribitur ſit ſua natura tale, quod potuiſſet præſcribenti concedi: hinc quia quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopalis concedi poſſunt; non verò illa, quæ pertinent ad ordinem Epiſcopalem, ſequitur, quòd illa tantùm præſcribi poſſint, non iſta, ut notat Panormitanus *c. cùm non liceat c. olim de præſcript.* tametſi poſſit quis in illis præſcribere libertatem, ut non teneatur ea petere ab hoc, vel illo, ſed à quo maluerit, ut notat idem Panormitanus in *d. c. veniens de præſcript.* 19

Secundò ut præſcriptio fiat juxta formam conceſſibilem, adeò ut præſcribens utatur tali forma, ſub qua res, quæ præſcribitur fieri, & conceditur: ſic præſcribens uſum benedicendi ornamenta eccleſiæ; debet benedicere ſecundùm formam in Pontificali expreſſam; quia facultas benedicendi talia ornamenta non exercetur, neque conceditur, niſi ſub tali forma. Tertiò ut præſcriptio fiat à perſona, quæ ſecundùm ſe capax ſit illius juris, ſeu privilegij, quod præſcribit: quo pacto licèt poſſit una eccleſia præſcribere jus exigendi decimas ab alia eccleſia, non tamen tale jus poteſt à laico, vel fœmina præſcribi, eò quia neuter ſit capax juris ſpiritualis. 20

Tertiò ut concurrat titulus verus, vel ſaltem coloratus, vel loco tituli poſſeſſio, vel uſus à tempore immemorabili, ſi præſcriptio ſit contra jus commune; non ita ſi præter, ut notat Panormit. *in c. de quarta c. ad aures de præſcript.* ubi cenſet, titulum ſufficientem eſſe opinionem fundatam in dicto viri alicujus gravis, & bonæ famæ, tametſi nullum fortaſſis reperiatur inſtrumentum; ſufficit enim ſi vir magnæ authoritatis, & boni nominis aſſerat tempore belli, vel incendio perijſſe *l. quod vulg ff. quod empt.* 21

Quartò ſufficit etiam ad continuandum uſum privilegii communis opinio, & quaſi traditio accepta à Senioribus, quòd talis perſona habeat tale jus, & gaudeat tali privilegio, eo quia viderit ſuos anteceſſores eodem uti, & audierit conſtitutos in tali dignitate ſemper habuiſſe tale privilegium. Idque valet etiam pro defendendis pluribus uſibus, & privilegiis antiquorum Epiſcopatuum, vel monaſteriorum, quæ vix poſſent aliquo probari inſtrumento. 22

23 Quintò requiritur lapſus temporis à jure præfixi, adeò ut privilegiatus per illud totum tempus uſus ſit tali jure abſque ulla contradictione, quod tempus eſt ſpatium quadraginta annorum.

§. III.

De Confirmatione, ſeu innovatione, & interpretatione privilegiorum.

1 Confirmatio definitur eſſe *juris prius habiti corroboratio: cap. inter dilectos de fide inſt.* & tunc propriè dicitur privilegium, ſeu jus confirmari, quando ſuperior approbat factum inferioris, cui propterea præbet ſuam auctoritatem, ut poſſit validè ſubſiſtere. In præſenti verò non ſumitur confirmatio tam ſtrictè, ſed paulò laxiùs, quatenus denotat quandam innovationem illius quod jam legitimè factum erat. Eſt enim diſcrimen inter confirmationem ſtrictè, & lexè ſumptam, quia illa fit tantùm à ſuperiore approbante factum inferioris; hæc verò fit à pari, ut ſi Princeps confirmet factum ſui anteceſſoris, eſt confirmatio laxè ſumpta, quia non eſt illi ſuperior, quapropter confirmatio juxta præſens inſtitutum eſt potiùs nova conceſſio illius, quod priùs conceſſum fuerat. Eſt enim de ratione cujusvis confirmationis conceſſio illius, quod confirmatur. Si tamen de ipſa originaria conceſſione dubitaretur, tunc non ſufficeret, ſimplicem confirmationem exhibere, ſed exhibenda eſſet ipſa originalis conceſſio, de qua dubitatur; quamvis Gottofredus putet, id non eſſe neceſſè contra Speculatorem *in rubric. de inſtrum. ed.* §. *11. lib. 2.*

2 Confirmatio, ut etiam innovatio ſolet expediri vel in forma communi, vel ex certa ſcientia; quando expeditur in forma communi non tribuit novum jus, ſed ſolùm antiquum conſervat, & illud præciſè, quod jam conceſſum erat, quod propterea relinquit in eodem ſtatu, in quo reperitur, quando datur confirmatio abſque ulla mutatione; unde nec privilegia revocata reſtituit, neque quomodocunque omiſſa reſtaurat, ut habetur *in c. ex parte 13. h. t.* ubi cùm Epiſcopus Meldenſis Abbatiſſam, Eccleſiam, & populum Jotrenſem ad Sedem Apoſtolicam immediatè ſpectantem cujuſdam commiſſionis (in qua privilegiis nulla fiebat mentio) prætextu graviter moleſtaret, Abbatiſſam excommunicando, & clerum, ac populum interdicto ſupponendo, & illa ad Sedem Apoſtolicam appellâſſet, Innocentius III. privilegio Apoſtolico exemptionis ſibi exhibito, & nemine ex contraria parte comparente, nec reſpondente, dictum privilegium innovavit, ita tamen ut per innovationem non plus juris eidem Eccleſiæ accreverit, quàm per privilegia ſuorum prædeceſſorum obtinuerat, quia per hoc, novum jus concedere noluit, ſed tantùm antiquum conſervare in illo eodem robore, quo erat antea. Ex quo textu liquet, innovationem privilegiorum non tribuere jus novum, ſed tantùm antiquum conſervare, ut etiam colligitur ex pluribus aliis textibus, ut ex *cap. intentionis 29. h. t.* ubi etiam dicitur, quòd innovatio privilegij non inducat novum jus, nec antiquum tollat, nec alicui præjudicium inferat, & ex *c. dilecta 4. de confirm. util.* & notat Barboſa *in d. c. quia intentionis 29. num. 2. & 3. h. t.* imò hæc confirmatio non ſolùm nihil addit privilegio confirmato; ſed etiam ſi illud fuit invalidum, invalida eſt etiam confirmatio, quæ propterea nullum confert valorem actui confirmato.

Quòd ſi confirmatio fiat ſecundo modo 3
confert valorem, ſi fortaſſis privilegium erat invalidum propter aliquem defectum juris poſitivi; vel quia fortaſſis erat jam revocatum, tunc enim ex vi ſupervenientis confirmationis reviviſcit, & ejus uſus dicitur de novo incipere: ratio eſt quia quando in confirmatione ponuntur illæ clauſulæ *ex certa ſcientia*, vel *motu proprio*, vel aliæ id genus efficaciores, debent tunc hujuſmodi clauſulæ aliquid operari, quòd ſi, quando privilegium eſt invalidum eidem non conferrent valorem nil proceſſus operarentur, quod maximè abhorrent jura, ut notat Panormitanus in *cap. cùm propter de cauſ. prop. & poſſ.* Debet tamen privilegium eſſe invalidum ob defectum aliquem juris poſitivi, quia ſi privilegium foret invalidum propter defectum juris naturalis, non acquireret ſuum valorem per talem confirmationem: quia Pontifex, & Princeps non præſumitur derogare juri naturali per ſimiles clauſulas appoſitas. Imò neque privilegium validaretur, ſi defectus ſe teneret ex parte ſubſtantialium: quia à primordio tituli formatur eventus poſterior *l. 1. C. de impon. lucr. deſcript. lib. 10.* ut notat Innocentius *c. inter dilectos de fid. inſtrum.* & cum ipſo communiter Canoniſtæ.

Interdum innovatur etiam jus ipſum pri- 4
vilegii, & non tantùm inſtrumentum, in quo continetur. Pontifices enim poſt Concilium Tridentinum confirmârunt gratias, & privilegia Regularibus conceſſa à ſuis prædeceſſoribus: & tunc ſi gratia innovatur in forma communi confirmatio non confert novum jus, quia renovatio tantùm operatur, ne res, quæ innovatur vetuſtate pereat *cap. longinquitate 64. cauſ. 12. q. 2. cap. 1.* juncta Gloſſa *fin. de precariis.* Præterea quia nova privilegia non ſolent concedi ſine cognitione cauſæ: innovatio verò in forma fit ſine cognitione cauſæ: ſiquidem non fit ex certa ſcientia. Sin verò innovatio juris contenti in inſtrumento fiat ex certa ſcientia, hoc eſt cum perfecta notitia illius, eiúſque tenoris, ac omnium circumſtantiarum, tunc confert juri confirmato valorem; adeò ut jus etiam antiquatum reviviſcat, & revocatum reſtituatur in priſtinum ſtatum, & innovatio facta ex certa ſcientia habeat vim novæ conceſſionis, quia continet fa-

vorem

vorem Principis ex certa ſcientia, proinde ex plenitudine poteſtatis, rationa cujos debet conceſſio latè interpretati tam ex parte perſonæ, quàm modi, ut notat Barboſa *in cap. ex parte 13. n. 2. & 3. h. t.*

5 Quòd ſi probanda eſſent inſtrumenta privilegiorum eſſe deperdita, & peteretur eorum innovatio, tunc probandum eſſet privilegium per teſtes, qui deponerent de tenore inſtrumenti, & quòd non erat faſificatum præſertim in Bulla, charta, & littera: & ad ſervandam æqualitatem poteſt etiam pars contraria producere ſuos teſtes; idque deſumitur *ex c. cùm olim 11. h. t.* ubi cùm Epiſcopus Eugubinus Abbati S. Petri ibid. ſuper privilegio exemptionis Lucij Papæ tanquam ſibi præjudiciali litem moviſſet; Innocentius III. ſuper amiſſione ac tenore privilegiorum juſſit teſtes recipi tam ex parte Epiſcopi, quàm Abbatis; & Pontifex ex depoſitionibus decem teſtium, & quorundam Cardinalium aſſertione cognoſceret, dictum Monaſterium nullo mediante ad Romanam Eccleſiam pertinere, & attenderet dictum Abbatem à prædeceſſore Cœleſtino (quamvis ab Epiſcopo Eugubino excommunicatus diceretur) tanquam non ligatum ad oſculum fuiſſe admiſſum, utique id non facturo niſi notitiam habuiſſet exemptionis: decrevit privilegium Lucij Papæ, quod Innocentius Peruſij antehac ſibi oſtenſum ſine vitio Bullæ, chartæ, & litteræ eſſe apparebat, illius fuiſſe tenoris, cujus per depoſitionem teſtium, & aſſertiones Cardinalium dicitur extitiſſe.

6 Ex quo textu claret, ei qui petit innovari ſua privilegia, vel inſtrumenta, poſſe contrariam partem, cujus intereſt objicere in oppoſitum, ac impedire innovationem, ſi probet de jure ſuo; ſiquidem innovatio privilegii poteſt cedere in præjudicium partis adverſæ, proinde non debet fieri niſi auditis, & citatis partibus: quamvis non ſit certa perſona, neque conſtet de loco ubi moretur, ſufficit citatio cum clauſula illa generali: *ut compareat, qui ſua intereſſe putat* juxta *regul. leg. 1. §. de nunc. ff. de vent. inſpiciend.* Rurſus ad probandum privilegium ſi ejus inſtrumentum deperditum ſit teſtes adhiberi debent, qui teſtificentur, non ſolùm ſe inſtrumentum illud vidiſſe, ſed etiam caruiſſe omni vitio Bullæ, chartæ, & litteræ, quinimmo debent etiam teſtari de die, & loco ut ex circumſtantiis conjici poſſit de veritate, ut notat Covarruvias *in pract. c. 11.* Rurſus debent etiã teſtari de conſule, ſub quo fuit inſtrumentum illud ſcriptum, & de eo, quod continebat, ut etiam de omnibus ſubſtantialibus, quamvis non ſit neceſſe ut referant ſingula verba, ſed tantùm illa, quæ ad finem in privilegio intentum ſufficiunt, ut notat Farinacius *ex prax. p. 2. q. 64. num. 146.* ex *regula qui ſententiam C. de pæn.* Imò nec eſt neceſſe ut ſinguli teſtes omnes, & ſingulas præcenſitas circumſtantias enumerent, ſed ſufficit, ut aliqui aliquas, alii alias recenſeant, adeò ut ex dictis omnium ſimul perficiatur una integra probatio, ut notat Molina Juriſta *de primogen. lib. 2. c. 5. n. 37.*

7 Quamobrem ad innovandum privilegium, quando eius inſtrumentum fuit deperditum, tria neceſſariò debent probari. Primò inſtrumentum illud revera fuiſſe amiſſum alioquin doloſè poſſet ejus amiſſio allegari. Secundò probandus eſt tenor inſtrumenti, ſeu id, quod in ipſo continebatur, indicato etiam die, & loco, in quo factum fuit, & aliis prærecenſitis circumſtantiis. Tertiò quòd inſtrumentum caruerit omni vitio, ob quod poſſet redargui falſitatis. Cæterum non eſt neceſſe, ut iidem teſtes, qui deponunt de amiſſione, deponant etiam de tenore inſtrumenti; ſed ſufficit, ſi aliqui deponant aliquas qualitates, & alii alias, vel circumſtantias, ut paulò ſuperiùs diximus. Privilegiom autem amiſſum, ſi renovetur cum prærecenſitis qualitatibus, & iis vocatis, quorum intereſt, habet eundem vigorem, & effectum, quem habebat, antequam deperditum eſſet, ut notat Barb. *in d. c. cùm olim. 12. n. 7. h. t.*

8 Quod verò ad interpretationem attinet privilegiorum juvat obſervare, jura vel maximè refugere in omni actu, lege, privilegio, vel ſcriptura nullitatem, & verborum ſuperfluitatem: quapropter volunt, ut ſemper fiat interpretatio ad evitanda hæc duo. Primò evitant jura nullitatem, quando ex tali interpretatione, actus, vel lex, ſcriptura, vel privilegium omnino fruſtraneum eſſet, & inutile, quia non præſumitur, quòd Princeps conceſſerit privilegium inutile, & ſupervacaneum, hinc habetur in jure regula generalis, quâ monemur, ita ſcripturã interpretari, ut potiùs valeat, quàm pereat *c. Abbate de V. S. c. licet. 11. h. t. in 6.* & docet Gloſſa *in c. inter dilectos de fide inſtrum. & l. quoties de V. O.* & communiter Canoniſtæ *in c. dilecti de for. compet.*

9 Secundò volunt jura, ita etiam fieri legis, & ſcripturæ, ſeu privilegij interpretationem, ut vitetur redundatio verborum, & ſuperfluitas, quando aliàs non adhibita interpretatione talis ſuperfluitas daretur in ſcriptura, vel privilegio, in quo propterea plura verba, vel etiam clauſulæ nihil operarentur, nec diſponerent, ut habetur *in c. Abbate de V. S.* Poteſt autem hæc interpretatio fieri, vel auctoritate Principis, vel alicujus Doctoris privati; certum eſt, poſſe Principem privilegium à ſe datum interpretari; ad illum enim pertinet legem interpretari, ad quem ſpectat eandem conſtituere *c. inter alia de ſentent. excommun. l. in prætoriis ff. de præt. ſtipul.* & quando interpretatio fit à Principe, à quo datum eſt privilegium, eiusdem eſt auctoritatis cum ipſa ſcriptura, vel privilegio, ut notat Felin. *in rubric. de reſcript.* tunc tamen nihil novi operatur, nec concedit *l. adeo ff. de acquir rerum dominio* ratio eſt, quia tunc interpretatio Principis dicitur potiùs eius declaratio, & explicatio, & qui declarat, nihil dat, vel ponit,

ſed tantùm explicat jam datum, & oſtendit, quod factum eſt *l. & ſi quæratur. ff ſi ſervit. vindic. l. hæredes palam de teſtam.* Gloſſa *in c. per tuas de donat. & in clement. exivi de V. S.*

10 Quòd ſi Princeps in declaratione privilegii à ſe dati quidquam aliud adderet, quod non eſſet in ſcriptura, hæc poſſet rejici, non tamen tolleretur jus priùs quæſitum, quia jam non diceretur interpretatio, ſed potius jus novum, & nova conſtitutio ratione additi à Principe in ſua declaratione, ut notat Rebuff. *in pract. benef. p. 1. tit. de non toll. jus tert.* quia quoties Princeps addit, jus novum efficit, *l. jus autem ff. de juſtit. & jur.* Quòd ſi interpretatio Principis talis eſſet, ut nullo modo reſponderet ſcripturæ, tunc præſumitur hæc per ſub vel obreptionem ab ipſo obtenta, ut notat Rebuffus *loc. cit.* Quando verò interpretatio ſit privata auctoritate ab uno, vel pluribus Doctoribus, tunc interpretatio non habet aliam vim quàm opinionis probabilis. Cæterum interpretatio cujuſcumque privilegii debet ſemper ita fieri, ut ſcriptura addat ſemper aliquid ſupra jus commune, ut notat Rebuff. *in pract. benef. tit. de Pap. proviſ. per c. fin. 25. q. 1.* Præterea ſi privilegium ſit odioſum ejus interpretatio debet eſſe ſtricta, adeò ut, quàm minus poſſit, deroget juri communi, vel tertii *c. fin. de tranſ. c. quod dilect. de conſang.* ut notat Joannes Andreas *c. olim de V. S.*

11 Hoc tamen procedit, quando privilegium eſt contra jus commune, quia ſi tantùm ſit contra ſtatutum, vel conſuetudinem particularem, tunc interpretatio ſit laxè juxta communiorem ſententiam: quamvis Rebuffus, & alij cenſeant privilegia eſſe ſemper ſtrictè interpretanda, licèt ſint contra ſtatuta particularia. Alii autem procedunt media via, & beneficio diſtinctionis conciliant ſententias inter ſe pugnantes, & dicunt, quòd ſi privilegium contrarium ſtatuto, ſeu conſuetudini particulari ſit conforme juri communi, tunc debeat lexè interpretari; ſin verò ſimpliciter adverſetur conſuetudini, ſeu ſtatuto, & etiam juri communi, tunc debet ſtrictè interpretari, quia Princeps non præſumitur velle derogare juri tertij; proinde quod concedit, intelligitur ſemper conceſſum ſalvo jure tertij, quia voluntas Principis ſemper præſumitur eſſe talis, qualis de jure eſſe debet juxta æquitatem, & ne ulli inferatur damnum, ut notat Baldus *in c. licèt in corrigendis de offic. Ordin.* hinc ſi Princeps alicui concederet privilegium, quo jus tertij læderetur, neceſſum eſſet in tenore conceſſionis exprimere læſionem, ut communiter docent Canoniſtæ cum Barboſa *de offic. & poteſt. Paroch. c. 25 num. 8.* imò ſi læſio eſſet enormis addenda eſſet clauſula *ex certa ſcientia*, vel *motu proprio*, ut notat Panormitanus *c. cùm ad hoc de Clerico non reſid.*

12 Id igitur intereſt diſcriminis inter privilegiorum interpretationes; quia ſi privilegia concedantur præter jus commune, ſintque meræ gratiæ, nemini præjudicantes laxè interpretantur *ex reg. juris 15. in 6.* ibi: *Cum privilegia Principis ſint interpretanda latiſſimè*, & *l. Beneficium 3. de Conſt. Princ.* ut eſt privilegium abſolvendi ab omnibus irregularitatibus, & caſibus occultis (exceptis homicidiis alioquin Papæ reſervatis) conceſſum Epiſcopis, à Concilio Trident. *ſeſſ. 24. c. 6. de Refor.* quod privilegium laxè interpretatur; ut fiat extenſio non ſolùm ad Epiſcopos confirmatos, & nondum conſecratos; ſed etiam ad Capitulum ſede vacante, & ad alios Prælatos exemptos, habentes jurisdictionem quaſi Epiſcopalem; quia licèt hæc facultas illis competat ex ſpeciali quodam jure, illis tamen convenit perpetuò ratione dignitatis, proinde cenſenda eſt poteſtas potiùs ordinaria, ut notat Layman *lib. 1. tract. 4. c. 23. num. 5.* Sin verò privilegia derogent juri communi, tunc ſunt ſtrictè interpretanda, & reſtringenda *ex reg. 15. juris in 6* ibi: *odia ſunt reſtringenda.*

Neque obſtat, quòd privilegia ſint favorabilia privilegiato; quia licèt includant favorem prout referuntur ad privilegiatos; quatenus tamen exorbitant à jure communi, cui derogant, ſunt odioſa; & ſicut bonum commune præfertur privato, & particulari: ita jus comune juri particulari: & cum privilegium ſit jus particulare debet cedere juri communi; unde ſi alterum ex hiſce juribus ſit reſtringendum, reſtringi potiùs debet privilegium, ſeu jus particulare, quàm jus commune. 13

Id tamen limitatur niſi privilegium derogans juri communi ſit in favorem religionis, vel cauſæ piæ, aut boni communis, ſeu publici: hinc privilegium exemptionis Clericorum à juriſdictione Principum ſæcularium; & Religioſorum à juriſdictione Epiſcoporum laxè interpretatur in favorem Religionis: privilegia militum quia cedunt in bonum commune, ejuſque defenſionem, etiam laxè interpretantur. Limitatur etiam niſi privilegium ſit inſertum in corpore juris, quia tunc perinde eſt favorabile, ac ipſum jus commune, ac propterea debet laxè interpretari. 14

Limitatur etiam quando privilegium conceditur motu proprio Principis, quia tunc licèt deroget juri communi, cenſetur beneficium Principis datum ex certa ſcientia; ideo latam potiùs, quàm ſtrictam meretur interpretationem *argument. ſi motu proprio 23. de præben. in 6.* Sin verò privilegium cedat in damnum tertiæ perſonæ, ejuſque juri acquiſito deroget, ſtrictè debet interpretari, ut eſt privilegium exemptionis à ſolvendis decimis; quia Princeps non præſumitur velle alterum privare jure ſuo; niſi id clarè exprimat: & hoc etiam procedit, quamvis privilegium conceſſum ſit motu proprio: quia tametſi Princeps ex gravi cauſa, & ob urgentem neceſſitatem poſſit aliquem privare jure ſuo; non tamen facilè id præſumendum eſt; quia jus naturale exigit, ut cuique ſervetur jus ſuum illæſum; niſi publica neceſſitas aliud exigat; ut notat Layman *lib. 1. tract. 4. 23. n. 6.* 15

Circa

16 Citca verò hanc laxam, vel ſtrictam privilegiorum interpretationem juvat obſervare; quòd ſi verba privilegii ſint ambigua, vel obſcura ad illum pertinet privilegium interptetari, ad quem ſpectat legem condere, & privilegium concedere : hinc in privilegiis conceſſis à Sede Apoſtolica ſolus Papa judicat de dubiis, ſi quæ iisdem oriuntur *c. cùm veniunt 12. de Judiciis.* Sin vetò verba privilegii, clara ſint, tunc interpretatio fieri debet juxta tenorem, & formam privilegii, quæ obſervanda eſt, ut ſtatuitur *in c. Porro 7. h. t.* ùbi Alexander III. eirca privilegia conceſſa Templariis, & Hoſpitalariis reſcribit : eorundem valorem eſſe dignoſcendum ex illorum tenote, juxta quem vult eſſe ſervanda privilegia iisdem conceſſa. Ex quo textu liquet alleganti privilegium non eſſe credendum niſi illud exhibeat; quia Alexander III. reſcribit inſpicienda eſſe privilegia; & non poſſunt inſpici niſi exhibeantur. Ratio eſt, quia eum privilegia ſint facti, non præſumuntur, ſed debent probari, ut notat Abbas *in d. c. Porrò 7. n. 1. not. 1. h. t.*

17 Excipiuntur tamen privilegia inſerta corpori juris, quia horum ſcientia præſumitur *c. 1. de conſt. in 6.* unde ſufficit ſi privilegia inſerta corpori juris allegentur ut notat Barboſa *in d. c. Porro num. 5. & ſequent.* ſemel autem quòd conſtat de privilegio, ejus tenor, ſeu ſorma ſervari diligenter debet; neque de illo judicandum eſt niſi juxta ejus tenorem; idque deſumitur *ex c. Recepimus 8. h. t.* ubi cum ageretur de non exemptis à ſolvendis cenſibus eccleſiæ Romanæ, Alexander III. reſcribit, inde non probari eſſe exemptos à jurisdictione Epiſcopi; quia non omnes, qui annuum cenſum ſolvunt, ſunt ſervati ſub jurisdictione eccleſiæ Romanæ: ſicut nec omnes, qui ſpeciatim ſunt ſub jurirdictione eccleſiæ Romanæ, ſolvunt cenſum: unde Pontiſex mandat, ut diligenter inſpiciantur privilegia; & eorum tenor diligenter ſervetur.

18 In privilegiorum interpretatione præter recenſitas, ſolent etiam aliquot aliæ tradi regulæ, quarum prima eſt, ut ſi privilegium ſit ſimpliciter favorabile debeat interpretari largiſſimè quantum fieri poteſt in favorem utentis *c. cùm dilectus de donat. l. beneficia. ff. de conſt.* Panormitanus *c. quia circa 22. h. t.* & *c. olim de V. S.* debet tamen extenſio fieri quantum patitur qualitas perſonæ, & verborum poteſtas, ut notat Butrius *c. majoribus de prab.* & Panormitanus *c. quanto de cenſibus.* Non tamen privilegium ſimpliciter favorabile uni perſonæ extendi debet ad aliam etiam militante eadem ratione, ut communiter docent Canoniſtæ *in c. ſane 10. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, temerarium eſſe, & indignum, aliquem ſibi præſumere, quòd Romana Eccleſia alicui certa ratione inſpecta ſingularibus beneficiis voluit indulgere : ex quo textu claret, privilegia, quæ Papa alicui concedit inſpecta certa ratione, non debere alium ſibi uſurpare, etiam in pari ratione; quia privilegia non tranſeunt in legem communem, ſed ſunt jus ſpeciale, quod non eſt dandum niſi certa inſpecta ratione : hinc ex præſato, & aliis ſimilibus textibus deducuntur regulæ juris *in 6. quæ à jure communi exorbitant* (cujusmodi ſunt privilegia) *non ſunt in conſequentia, trahenda:* & illa altera: *quod alicui gratioſè conceditur non debet aliis trahi in exemplum.* Imò nec privilegia ſimpliciter favorabilia extenduntur in præjudicium tertii, & multò minus Reipublicæ *l. jubemus C. de SS. Eccleſ.* contra quam ſi reſcriptum contineret aliquid, eſſet ipſo jure nullum, ut notat Sylveſter *V. privilegium.*

19 Secunda eſt, ut in interpretatione privilegiorum, ſive laxè, ſive ſtrictè fiat, attendi debeant præſertim ſequentes circumſtantiæ, ut juxta ipſas interpretatio temperetur. Primò attendi debet tempus, in quo privilegium conceſſum fuit, & in quo ad uſum debet adduci, ut notat Burgius *c. cùm acceſſiſſent de conſtit.* Secundò cauſa ſive motiva, ſive impulſiva tacita, vel expreſſa, ut notat idem Burgius *loc. cit.* Tertiò qualitas, ſeu conditio perſonæ, cui privilegium loquitur, & etiam perſonæ, quæ privilegium conceſſit, ut notat Baldus, & Bartolus in *l. ex militari. ff. de mil. teſt.* Quartò attendenda eſt etiam materia ſubjecta *l. ſi uno anno ff. locat.* Quintò attendenda eſt etiam obſervantia ſubſecuta, ut docet Barb. *in prax. exig. penſ. q. 6. num. 57.* Sextò prooemium ſcripturæ, quia in prooemio ſolet tenor privilegii explicari, ut notat Baldus *l. fin. ff. de hared. inſtit.* & Bartolus *l. cùm hi ff. de tranſact.* Septimò attendi debet communis uſus loquendi, juxta quem debent verba privilegii intendi, ut notat Panormitanus *c. nonnulli de reſcript.* Octavò attendi etiam debent poſtulata, ut notat Rebuffus *in pract. p. 2. tit. de forma ſign.* ratio eſt, quia concedens privilegium præſumitur ſe conformare intentioni, ſeu menti ſupplicantis *c. inter dilectos de fid. inſ.* Nonò ratio naturalis, quæ ex ipſis verbis deduci poteſt, ut notat Panormitanus *cap. ſuggeſtum de appell.* Decimò attendendæ ſunt etiam conjecturæ, & veri ſimilitudines ut notat Panormitanus in *c. ſecundo requiris de appell.* Undecimò attendendum eſt etiam, an unum privilegium poſſit per aliud explicari, unus articulus per alium, & ſequentia per præcedentia, aut è contra *l. ſciendum ff. qui ſatisd. cog.* Baldus *l. fin. de hared. inſt.* Duodecimò poſſumus itidem in privilegiorum interpretationibus uti opinione communi.

20 Tertia, ut ſi privilegium debeat ſtrictè interpretari, non ſit ita ſtrictè interpretandum, ut reddatur inutile, & inefficax, quantumvis aliàs videatur grave, & odioſum, niſi fortâſſis deprehendatur injuſtum, ut communiter docent Juriſtæ & Canoniſtæ : ratio eſt, quia voluntas Principis non eſt concedere privilegium, quod nullum ſortiatur effectum, ac propterea ſit inutile : ſicut nec præſumitur ferre legem, quæ nulla ſit ſortitura efficaciam, idque deſumitur ex *c. in his 30. h. t.* ubi cum privilegium Prædicatoribus, & Minoribus con-

conceſſum ubicunque fuerit, ſine parochialis juris præjudicio cum altari portatili celebrandi, nimis ſtrictè aliqui interpretarentur, quaſi id præter aſſenſum Prælatorum fieri non poſſit: Innocentius III. Interpretatione hac reprobata mandat dictis religioſis (dummodo ab aliis quæ jure parochiali proveniunt prorſus abſtineant) ſic licentiam celebrandi Apoſtolica auctoritate promulgari, ut dicti Religioſi aliquam inde in hoc videantur gratiam conſecuti. Ratio itidem eſt, quia ne privilegium ſit omnino fruſtraneum, & inutile debet aliquid operari ultra jus commune: & in dicto textu nil operaretur, ſi celebratio in altari portatili haberetur pro præjudicio juris parochialis, quia tametſi negari non poſſit aliquod præjudicium intercedere; illud tamen per privilegium Papæ ex ſupre ma poteſtate alio bono, & juſto fine compenſatur. Tum quia nuda jura parochialia manent intacta. Verùm hoc privilegium conceſſum Prædicatoribus, & Minoribus videtur revocatum per Concilium Tridentinum *in decreto de obſer. & evit. in celebr. miſſ.* ubi præcipitur Epiſcopis, ne quoscumque etiam Regulares permittant celebrare extra loca ſacra. Nihilominus poſt Concilium Tridentinum fuit iterum conceſſum à Gregorio XIII. Societati Jeſu, ut refert Emanuel Rodriq. *tom. 1. Regul. q. 43. art. 1.* & quidem in ampliſſima forma conceſſit hoc idem privilegium, ut etiam Paulus III in conſtir. quæ incipit *licèt debitum* anno 1549. & hoc privilegio gaudent etiam alii Ordines præſertim Thearini, qui ex ſpeciali privilegio ipſis conceſſo à Clemente VII. in conſtitutione quæ incipit *Dudum pro parte veſtra edita Romæ* die 3. Martii 1533. eſtque *in part. 2. Bullarii in Ordine 28.* & ex conſtitutione Pij V. quæ incipit *Ad immarceſſibilem* data Romæ 7. Idus Februarii 1567. & præſertim ex privilegio ipſis conceſſo à Gregorio XIV. dato Romæ 5. April. 1591. vigore cujus privilegia cæteris omnibus Religionibus conceſſa, & concedenda, conceduntur ſpecialiter æquè primò ipſis Theatinis, & eodem prorſus tenore, quo aliis conceduntur. Debet igitur privilegium Principis ita interpretari ut aliqoid operetur, ſeu conferat, ultra, vel præter jus commune, alioquin foret privilegium illuſorium, ut notat Abbas *in d. c. in his 30. num. 2. h. t.* ubi addit, hoc idem procedere etiam de ſtatutis, quæ ſi loquantur in terminis juris communis, ita debent interpretari, ut aliquid operentur.

21 Quarta regula eſt, ut privilegium non reſtringatur ultra proprietatem verborum, ſed hæc debeant accipi in propria ſignificatione, ut ſonant: quia etiam leges intelligendæ, & obſervandæ ſunt juxta propriam verborum ſignificationem: & cùm privilegia ſint quædam leges privatæ imitantur leges communes, proinde debent interpretari, & obſervari ſecundùm propriam verborum ſignificationem. Ratio itidem aſſignari poteſt, quia favores ampliari potiùs, quàm reſtringi debent, præſertim per impropriam acceptionem verborum, & ſine neceſſitate; atqui privilegia ſemper continent favorem reſpectu privilegiatorum, alioquin nihil in illis firmum eſſet, quod non poſſet facilè eludi, proinde ſunt privilegia perinde ac favores amplianda potiùs, quam reſtringenda: quod tamen procedit de privilegiis præter jus commune, & quæ non inferant alteri damnum; quia privilegia, quæ juri communi, & etiam alieno juri derogant, vel damnum inferunt, ac præjudicium, non debent ampliari, ſed reſtringi, quia ſicut bonum commune prævalet particulari, ite jus commune juri privato. Tum quia Princeps non præſumitur per privilegium, quod dat uni, velle damnum inferre alteri, niſi id expreſsè ſignificet, ut ſuperiùs diximus: quamobrem quando privilegium juri communi, vel alieno derogat, ac eſt præjudiciale, tunc verba potiùs impropriè accipienda ſunt, & explicanda, quàm ut jus tertii lædatur: niſi fortâſſis ex aliis conjecturis, poſſit veriſimilius præſumi, quòd Princeps velit, verba privilegii ſumi in propria ſignificatione, id enim dependet à voluntate Principis concedentis privilegium.

Quinta, ut cum res omnes ſint vel fori civilis, vel eccleſiaſtici, ideo omne privilegium interpretari debet conformiter ad forum concedentis, & eius leges, ut notat Baldus in *l. ſi quando* 1. *C. de bon. vacant. lib. 10.* unde ſi materia ſit fori civilis, & privilegium conceditur à Principe ſæculari, debet tunc privilegium interpretari juxta leges fori civilis. Sin verò privilegium verſetur circa materiam fori eccleſiaſtici, debemus uti ſacris canonibus, ac legibus ad illud explicandum, ut notat Panormitanus *in c. canonum de conſtit.* quòd ſi privilegium emanaret à Principe temporali circa materiam eccleſiaſticam, tunc ſaltem directè privilegium non ſubſiſteret, quia non poteſt quis concedere privilegium niſi ſuper materia, ſuper quam poteſt legem ferre: & Princeps ſæcularis non poteſt leges ferrre ſuper rebus eccleſiaſticis. 22

Cæterum ſi Princeps ſæcularis ſimile privilegium daret, & Eccleſia illud acceptaret tunc putârim fore explicandum ſecundùm canones; quia Eccleſia, eo ipſo, quòd acceptat tale privilegium, facit illud ſuum, & irrevocabile; conſequenter de illo eſt perinde judicandum, ac de aliis juribus eccleſiaſticis, hoc idem etiam cenſent aliqui, procedere de jure conceſſo laicis, ac Eccleſiæ. Quòd verò ad privilegia Regularium pertinet Clemens VII. diſtrictè prohibuit, quibusvis Eccleſiarum Prælatis, ne ullo modo interpretentur privilegia Minorum, & id reſervavit Sedi Apoſtolicæ, ut refert Tamburinus *tom. 1. diſt. 15. q. 6. de jure Abbatum.* 23

Rurſus pro Dominicanis Provinciæ Hiſpaniæ Innocentius VIII. ſtatuit, ut Generalis adjuncta ſibi perſona eccleſiaſtica cum duobus viris peritis poſſit ſimul ſua privilegia interpretari, & juſſit fratres teneri eorum interpretationi 24

tioni acquieſcere, ot notat Rodriq. *tom. 1. Bull. in Orac. eiusdem Innocent.* Pro Caſſinenſibus Eugenius IV. Alexander VI. Julius II. Leo X. Clemens VII. & Paulus III. ſtatuerunt, ut quidquid dubii emerſerit circa privilegia eidem Congregationi conceſſa juxta bonam æquitatem in favorem animarum, & Monaſteriorum, debeant explicari, non verò ſecundòm rigorem, aut apices juris: & quia prædicti Pontifices non explicant, à quo, & à quibus debeat fieri hæc explicatio: ideo relinquitur, ut quisque Monachus prædictæ Congregationis poſſit tali pacto favorabiliter interpretari ſua privilegia.

§. IV.

De quibusdam clauſulis, ſub quibus ſolent privilegia concedi.

1 PLures ſunt clauſulæ ſub quibus ſolent privilegia concedi, quarum præcipuè ſunt ſex. Prima eſt clauſula *ad inſtar*. Secunda *motu proprio*. Tertia *ex certa ſcientia*, Quarta *ex plenitudine poteſtatis*. Quinta *ſupplentes omnem defectum*. Sexta *non obſtantibus*, de quibus ſolet nonnunquam dubitari, quomodo intelligi debeant. Pro quo juvat obſervare, quòd, quando invenitur privilegium cum clauſulis extra conſuetudinem, ſeu contra ſolitum morem, vel ſtylum curiæ, aut rationem, hoc ipſo habetur pro ſuſpecto *c. cauſam* de teſtibus *c. ex parte de capell. Monach. c. quam gravi* de crimine falſi, adeò ut allegans clauſulam inſuetam, & non bene probatam poſſit puniri tanquam de falſo. Sin verò nulla talis clauſula exotica reperiatur, quæ inſtrumentum ſuſpectum faciat, tunc procedendum eſt cum diſtinctione; quia vel in tenore ſcripturæ inveniuntur plura puncta ſub eadem diſpoſitione; & tunc ubicunque clauſula fuerit appoſita referri debet tantùm ad præſentia *c. inquiſitioni de appell.* ita tamen ut extendatur ad omnia etiam in odioſis, ſi non repugnet aliquod ſpeciale, nec conſtet aliter de mente diſponentis *argum. l. 1. C. de lib. prat.* & *l. fin. ff. de reb. dub.* Vel ſcriptura unicum tantùm continet punctum, ſed per plures articulos; & tunc ſi clauſula appoſita eſt in contextu unius, reſpicit illum ſolum, qui propterea cenſetur pars illius *l. 3. ff. de lib. & poſth. §. filius.* Sin verò poſita ſit, ſive in principio, ſive in fine, & alii articuli habeant ſuas proprias determinationes, & clauſulas, tunc appoſita clauſula non extenditur ad alios articulos, ſed tantùm ad proximè poſitum *c. cùm dilecti de de dolo. l ſiquis legata ff. de cond.* & *Inſer.* Sin verò articuli ſuas non habeant determinationes, nec appareat ratio, cur clauſula adjecta uni potius, quàm alteri tribui debeat, & nullum inde conſurgat inconveniens, ſi omnibus tribuatur; tunc ad omnes debet applicari, de quo eſt caſus, & deſumitur ex *c. ſecundo requiris de appell.* Præterea ſi inſtrumentum unum tantùm contineat punctum ſine ullis articulis diſparatis; & clauſula ponitur in principio, tunc refertur ad omnia, quæ in illo continentur, ſi eius natura id patiatur, nec aliter conſtet de mente diſponentis *c. Apoſtolus 33. q. 6. l. ſiquis in principio. ff. de leg. 3.* Sin verò clauſula ponatur in medio inſtrumenti, tunc non reſpicit præcedentia, immò neque ſequentia, ſed intelligenda eſt, juxta ſuum ordinem *c. cauſam, quæ de reſcript.* Si demum clauſula ponatur in fine tunc refertur ad omnia præcedentia, ut notat Panormit. *in c. ſecundo requiris de appellat.*

Prima igitur clauſula, ſub qua ſolet aliquando privilegium concedi, eſt *ad inſtar*, & ſupponit illud aliud, ad cujus inſtar datur, perinde ac exemplatum ſupponit exemplar: ſupponit enim hæc clauſula quandam æquiparantiam, cum ex natura ſua dicat relationem ſimilitudinariam unius ad alterum, ad inſtar cuius dicitur eſſe, vel fieri. Hinc rectè Panormitanus in *c. inter dilectos de fide inſtrum.* monet, quod quoties quis ſe fundat in privilegio dato cum clauſula *ad inſtar*, teneatur docere de prima conceſſione, ac probare illud prius ad cuius inſtar aſſerit eſſe ſuum. Quod ſi in privilegio exprimeretur aliquis favor determinatus, quem Princeps diceret, ſe concedere *ad inſtar* u. c. *talis*, poſtea nullum inveniretur exemplar, adhuc conceſſio valida foret quoad expreſſa, quia error in demonſtratione non vitiat diſpoſitionem, quando aliàs conſtat de mente diſponentis, ſeu concedentis privilegium. Vis autem clauſulæ *ad inſtar*. in hoc vel maximè conſiſtit, quòd in ſecundo privilegio cenſeantur concedi omnia, quæ continentur in primo ſub eadem omnino extenſione, vel reſtrictione reſpectivè, ut notat Innocentius *in c. inter dilectos de fide inſtrum.* & Baldus *l. omnia C. de Epiſc. & Cler.* 2

An verò ſi illud prius privilegium augeatur, vel minuatur, ſeu reſtringatur, vel revocetur; cenſeri etiam debeat auctum, vel diminutum, vel revocatum privilegium, quod eſt conceſſum *ad inſtar* alterius, vel eius, cui communicatur, & vice verſa: reſpondendum eſt cum diſtinctione; vel enim communicatur privilegium alteri non per ſe, & principaliter, ſed quaſi dependenter ab eo, cui conceſſum primò, & principaliter fuit, quo pacto privilegia alicuius religionis interdum communicantur familiaribus religionum, non ratione ſui, ſed ratione ſolius religionis: & tunc aucto, vel reſtricto, aut revocato privilegio principali; neceſſariò augetur, vel reſtringitur, aut revocatur privilegium in perſona eorum, quibus communicatum eſt, quod omnino dependet à priore, quoad uſum illius; perinde ac acceſſorium à ſuo principali: & ratio eſt, quia acceſſoriū ſequitur ſuum principale, cui ſe accommodat, quoad incrementum, vel decrementum ſubeundum: non tamen è converſo principale ſe accommodat acceſſorio, cùm hoc ab illo, non illud ab acceſſorio dependeat: unde perdito, vel revo- 3

cato

cato privilegio quoad familiares, non perditur, nec revocatur, quoad religionem, quia privilegium datum religioni eſt principale, & independens à privilegio dato familiaribus, proinde ex eo, quòd iſtud revocetur non propterea dicitur revocatum privilegium conceſſum Religioni, ut notat Barboſa *in collect. in c. quod nonnullis 25. h. t. n. 4.* Vel privilegium conceditur alteri cum clauſula *ad inſtar*, non dependenter, ſed directè per ſe, & æqualiter, adeò ut is, cui conceditur privilegium cum clauſula ad inſtar poſſit illo uti eodem prorſus modo, quo prior poterat, eò quia fiat proprium illius, non ſecus ac eſt proprium alterius, cui primo loco fuerat conceſſum, ut eſt privilegium conceſſum Congregationi Clericorum Regularium vulgò Theatinorum à Gregorio XIV. vi cuius communicantur iiſdem Theatinis æquè primò per ſe directè, & æqualiter omnia privilegia conceſſa, & concedenda cæteris Religioſis Ordinibus: & tunc aucto, vel reſtricto, aut revocato privilegio principali, ſeu priùs dato alteri, non augetur, nec minuitur, ſeu reſtringitur, nec revocatur privilegium poſtea alteri communicatum: ratio eſt, quia utrumque privilegium, ſtat per ſe, adeò ut unum diſtinguatur ab alio realiter; & poſterius licèt conceſſum ſit *ad inſtar* prioris, non tamen quoad uſum, vel non uſum, dependet à priore, ut acceſſorium à ſuo principali: quia privilegium poſterius conceſſum æquè principaliter, & independenter à priore fuit.

4 Hinc in communicatione privilegiorum, quâ privilegia conceſſa uni Ordini Religioſorum conceduntur etiam aliis religioſis Ordinibus, licèt detur jus, utendi iiſdem privilegiis, non tamen communicatur uſus, vel non uſus; quia tametſi religio, cui primò conceſſa ſunt, illis non utatur, & propter non uſum illa amittat: adhuc tamen cæteri religioſi Ordines poſſunt iiſdem uti, ſi independenter ab uſu religionis, cui primò data ſunt, fuerunt communicata. Sin verò contingat augeri exemplar, ſeu primum privilegium poſt conceſſionem ſecundi *ad inſtar*, hoc ſecundum in communiori ſententia non ſubit hoc incrementum; ut nec etiam per proportionem, ſi reſtringatur privilegium prius conceſſum, non reſtringitur ſecundum cum clauſula *ad inſtar*, & poſteriùs conceſſum. Ratio eſt, quia Princeps concedens privilegium *ad inſtar* non dirigit ſuam mentem, niſi ad id, quod invenitur actu fuiſſe prius conceſſum, non verò quoad futura niſi id exprimatur in poſteriori privilegio conceſſo *ad inſtar*.

5 Secunda clauſula eſt *Motu proprio*: ſiquidem omnia Pontificia reſcripta, & privilegia duabus tantùm viis expediuntur, ſcilicet vel *motu proprio* concedentis, vel ad petitionem, & inſtantiam partis: privilegia nunquam præſumuntur conceſſa priori modo, ſeu *motu proprio de præbend. in 6.* & notat Rebuffus *in Rom. ad concor. tit. de forman.* ſed hæc clauſula debet ſemper exprimi in inſtrumento privilegij: & tunc quando habetur expreſſa plura operatur. Primò quòd gratia reputatur magis ſpontanea, & ob id plenior, proinde privilegium eſt laxè interpretandum. Secundò quia beneficio hujus clauſulæ expreſſæ in inſtrumento probantur vera, quæ in illo narrantur à Principe, in quo etiam præſumitur juſta cauſa. Tertiò habet etiam vim ſpecialis expreſſionis, proinde purgat vitium ſubreptionis *cap. ſi motu proprio de præbendis in 6.* Quartò operatur etiam idem quod clauſula *ex certa ſcientia, & non obſtantibus.* Quintò tollit etiam defectum perſonæ & deſumitur ex *d. c. ſi motu proprio de præbend. in 6.* & notat Rebuffus *in pract. benef. tit. de non toll. jus tertij.* An verò clauſula *motu proprio* habeat eandem vim, ac clauſula *ex plenitudine poteſtatis*, plures affirmant: ſed verior, & communior ſententia id negat, quia ſunt termini nimis diſparati, quorum unus poteſt ſine alio rectè ſubſiſtere. Secus clauſula *motu proprio* non operatur in præjudicium tertij, ut notat Panormitanus *in c. cauſam de teſt. & c. 1. de ſent. & re judic.* cum Baldo *c. ad aures de reſcript.* Neque tollit qualitates intrinſecas, neque extenditur ad inſolita, ut notat Rebuffus *loc. cit.* neque ultra intentionem concedentis, ut docet Panormitanus *d. c. cauſam de teſt.* neque inducit diſpenſationem, ut notat Cardinalis *conſ. 96.* Demum neque quidquam operatur, ubi commiſſa eſt ſubreptio, ſeu error in expreſſione falſæ cauſæ, vel inhabilitate perſonæ.

6 Quòd ſi privilegium fuit conceſſum ad inſtantiam, tunc ſimpliciter debet explicari juxta petita. Sin verò adjiciatur motus proprius, adeò ut Princeps dicat: *Talis ſupplicavit nobis, cui motu proprio annuimus*, intelligitur tunc privilegium, ut conceſſum ſolo motu proprio, & præſumitur, quòd Princeps ſe moverit ad concedendam gratiam à ſe ipſo abſque ullo reſpectu ad rationes ſibi propoſitas, ſiquidem clauſula *motu proprio* ſignificat, Principem fuiſſe motum à ſe ipſo tantùm ad concedendam gratiam abſque ullo reſpectu ad rationes ſibi propoſitas in libello ſupplici. Quòd ſi prima conceſſio ſignetur *motu proprio*, & poſtea reformetur cum clauſula *conceſſum, ut petitur*, vel ſimpliciter *in forma communi*; reformatio ſupponitur ſimiliter facta motu proprio, quia relatio facienda eſt, & debet fieri ad primam conceſſionem, juxta quam ſecunda regulatur, ut notat Rebuffus *in pract. ben. tit. qua cent. Bull. opp. poſſ. l. ait, Prætor. ff. de re judic.*

7 Tertia clauſula eſt *ex certa ſcientia*, quæ duobus modis poni poteſt. Primò quando ita exprimitur in inſtrumento, cui apponuntur hæc formalia verba *ex certa ſcientia.* Secundò quando talia verba, vel clauſulæ æquivalentes adjiciuntur inſtrumento, vel cum talibus circumſtantiis expeditur; ut ex iiſdem, veluti per neceſſariam conſequentiam inferatur, Principem, qui in tali inſtrumento diſpoſuit certum omnino fuiſſe, & optimè inſtructum de omni negotio, de quo diſpoſuit, ut notant

Felin.

Felin. *cap. inter de except.* & Innocentius *c. ſtatutum de reſcript. in 6.* Conjecturæ verò inducentes præſumptionem certæ, tunc habentur, quando Princeps declarat, ſe diſponere, cùm cognitione cauſæ, ut notat Romanus *conſ. 327.* vel quando in confirmatione inſeritur tenor rei confirmatæ, ut vult Panormitanus *in cùm venerabilis de conſtit.* vel cum ſuper eadem re duplex conficitur reſcriptum, ut cenſet Botrius *c. porrecta, & quæ in eccleſiarum de conſtit.* vel cùm Princeps actum ſuper eo facit, quod eſt juris, ut vult Alexander *conſ. 133. vol. 5. c. 1.* & quamvis Gloſſa *in c. ex multiplici de decimis* aſſerat, clauſulam ex certa ſcientia in inſtrumento privilegii non præſumi, id tamen non procedit, quando adſunt indicia violenta, cujusmodi ſunt hactenus recenſita; ſed tantùm ſententia Gloſſæ tunc vera eſt, quando concurrunt ſolùm levia indicia, ex quibus non præſumitur clauſula *ex certa ſcientia*: an verò hæc probari poſſit per teſtes negant aliqui cùm Alexandro *conſ. 31. lib. 7.* Verùm non video cur, ſi teſtes ſint omni exceptione majores, & deponant ſe fuiſſe præſentes Principi aſſerenti, ſe ex certa ſcientia ita diſponere; non poſſit hæc ſcientia per hujusmodi teſtes probari: quapropter oppoſita ſententia tantùm concedi debet de teſtibus poſthumis.

8 Effectus hujus clauſulæ plures ſunt. Primò ut æquivaleat clauſulæ *non obſtantibus*, & etiam clauſulæ *de plenitudine poteſtatis* ut notat Panormitanus *in c. ad hac de reſcript.* cum Innocentio *in c. innotuit. de elect.* contrarium tamen ab aliquibus cenſetur probabilius. Secundò quia per clauſulam *ex certa ſcientia* Princeps ſupponitur derogare non ſolùm legi, verùm etiam conſuetudini, ut cenſet Caſſan. *in c. 5. conſ. 24.* Tertiò quia præſumitur etiam contuliſſe gratiam ex cauſa, quæ in Principe ſemper præſumitur juſta *l. relegati ff. de pæn.* Quartò excludit errorem, ignorantiam, & deceptionem, qua propter habet vim purgandi vitium ſubreptionis, nec ſit ullus audiendus contra id, quod Princeps deponit ex certa ſcientia, ut notat Bald *in extrav. Imperialis.* Quintò ſupplet defectum ſolemnitatum, non quidem eſſentialium, ſed accidentalium, ut cenſuit Rota Romana *deciſ. 232. in nov.* Sextò id etiam operatur ut privilegia abrogata reviviſcant, tametſi fuerint per Bullam revocata, neque opus eſt meminiſſe talis Bullæ, nec illi derogare: ratio, quia clauſula ex certa ſcientia habet vim novæ conceſſionis, ut notat Gloſſa *in c. ſi gravo. c. veniens de tranſ. cap. quia diverſitas de conc. præb.* An verò ſi privilegium fuiſſet revocatum per jus commune, per Concilium generale etiam reviviſcat virtute hujus clauſulæ ex certa ſcientia, aliqui negant; ſed alii fortaſſis probabiliùs affirmant, quia tunc habetur nova conceſſio independens ab abrogata.

9 Quarta clauſula eſt *ex plenitudine poteſtatis*, quæ tribuitur omni Principi ſupremo non recognoſcenti in ſuo ſtatu alium ſuperiorem, adeò ut hæc poteſtatis plenitudo vocari etiam ſoleat ſummum jus, vel abſoluta poteſtas, eò quia libera ſit & exempta ab omni legum obligatione, & à nullo dependens, ac propterea ſe extendens ad omne, quod non eſt intrinſecè malum, ut notat Panormitanus *c. cùm veniſſent de judic.* hinc per hanc ſupremam poteſtatem Princeps jura condit, leges interpretatur, & mutat, quod priùs diſpoſuit, ut notat Felin. *in c. novit. de judic.* & Baldus *l. 2. ff. de ſervit. & aqua.*

10 Rurſus per hanc plenitudinem poteſtatis jus ſuum uni aufert & alteri donat, ſi ita juſta cauſa ſubſit, vel bonum commune exigat *l. item ſi verberatum ff. de rei vendic. quæris ff. de nat. reſtit.* Denique per eandem poteſtatem diſpenſat & concedit privilegia *c. propoſuit de conc. præb.* & hanc plenitudinem poteſtatis nemo poteſt tollere à Principe, neque eam præſcribere, ut notat Innocentius *c. bona 2. de poſtul. Præl.* & conſentiunt omnes Legiſtæ *l. comperit ff de præſcript. 30.* quinimò nec Princeps poteſt illam à ſe abdicare.

11 Hinc notat Corraſa *in tractat. de privil.* quod quoties in inſtrumento privilegii habetur hæc clauſula, ex plenitudine poteſtatis, ſemper deſignatur aliqua gratia ſingularis, & ſuperlativa, & virtute eiusdem clauſulæ cenſetur Princeps diſpenſare ſupra jus commune, ſi opus ſit, adeò ut non poſſit tunc quidquam opponi ad impediendum effectum reſcriptum, ut notat Baldus *l. 2. C. de ſervit. & aqua* & Barboſa *in tract. de clauſul. 41.* quapropter tollit omnes defectos, ut cenſet Alexander *lib. 2. conſ. 195.* & removet omnia contraria absque alia derogatione, quinimò etiam purgat vitium ſubreptionis.

12 Cæterum cùm hæc clauſula operetur effectus valde extraordinarios, ideo non præſumitur, ſed debet expreſsè contineri in inſtrumento privilegii: neque præſumitur, quòd Princeps velit uti abſoluta poteſtate niſi in eo actu, qui de ordinario ſuſtinetur, & qui fit ex certa ſcientia factus, ut docet Innocentius *in c. innotuit de elect.* idque vel maximè procedit, ſi privilegium inſerret damnum tertio, quia Princeps nunquam præſumitur, velle jus alienum lædere, niſi id exprimat ſpeciatim in inſtrumento beneficii, quin imò notat Panormitanus *in c. ad hac de reſcript.* non poſſe Principem uti plenitudine poteſtatis ſine cauſa.

13 Imò cenſet, non licere Principi uti hac plenitudine poteſtatis niſi quando per poteſtatem ordinariam nequit ſufficienter ſuis providere ſubditis: alioquin ait; Principem iniquè agere, & teneri ad reſtitutionem illis, quorum jus ſic agendo læſit. Unde quando dicitur poſſe Principem de plenitudine poteſtatis, ſeu de poteſtate abſoluta alicui rem ſuam tollere, intelligi debet ea tamen conditione, ut non obſtante cauſa exigente talem læſionem teneatur reſarcire damnum illatum in læſione

juris alterius, ut notant communiter cum Gloſſa *l. ſi locus ff. quem ad ſervit. amitt. c. unic. de allod. in uſib. feud.* ut aſſerit Baldus *in c. 1. de pace tenenda* : alioquin niſi Princeps compenſet damnum alteri illatum ob læſionem ſui juris uſus poteſtatis abſolutæ eſt iniquus, ut notat Rebuffus *in prabend. p. 1. tit. de non toll. jur. quaſ. Gloſſ. 8. num. 35.* ubi hanc poteſtatem abſolutam in Principe vocat diabolicam, & contra legem divinam, ut etiam contra legem naturalem civilem, & canonicam.

14 Quinta clauſula eſt *ſupplentes omnem defectum*, quæ ſolet frequentiùs adhiberi, quoties jura & privilegia innovantur; & adhibetur per viam plenitudinis poteſtatis, quo fit, ut ambæ hæ clauſulæ in reſcriptis, & privilegiis Principum ſemper conjungantur. Simul autem ita nexæ validant privilegium; adeò ut is cui conceditur, poſſit illo uti non obſtante, quòd aliàs non poſſet ob aliquem defectum, qui intervenit in prima illius conceſſione: quinimò id procedit qualiscunque fuerit defefectus ille, dummodo ſit tantùm juris poſitivi: omnes enim defectus juris poſitivi ex vi hujus cauſulæ, ſupplentes omnem defectum tolluntur, ut habetur *in Clement. 7. de V. S. V. cæterum defectus*: quinimo tolluntur etiam illi defectus, qui verſantur circa ſubſtantialia actûs ut cenſet Alexander *conſ. 79. vol. 1.* quapropter Panormitanus *in c. ſi qui de conſ.* ait, hanc clauſulam ſupplentes omnem defectum eſſe tantæ efficaciæ, ut faciat validum, quod antea erat invalidum, eò quia poſitâ tali clauſulâ cenſeatur diſpenſatum, à quovis defectu etiam circa ſubſtantialia actûs. Secus dicendum eſt de defectibus juris divini, aut naturalis, quia contra legem divinam, & naturalem præfata clauſula nil operatur *Clement. Paſtoralis de re judic.* ut notat Tuſchus *Tom. 1. concluſ. 342.* unde ſi defectus ſubſtantiales procedant contra jus naturale, aut divinum, non ſupplentur per præfatam clauſulam, quia Princeps non poteſt contra legem divinam, & naturalem. Imò neque dictam clauſulam ſupplere defectus perſonæ ſupplicantis cenſent communiùs Canoniſtæ.

15 Cæterum ubi hæc clauſula verè ſupplet, non operatur niſi in expreſſis, & ſpecificis defectibus, ut notat Lancelotus *in temp. lib. 1. c. 1.* quapropter ſi excommunicatus bigamus, vel illegitimus, vel alius ſimili defectu notatus reticeatur in libello ſupplici, hujusmodi defectus non ſuppletur per hanc clauſulam; niſi fortaſſis reſcriptum conceptum, & conceſſum ſit ſub tali forma, ut evidenter appareat, Principem illum ſciviſſe, ac voluiſſe in illo diſpenſare. Cæterum quoad illos defectus, qui beneficio hujus clauſulæ tolluntur, non cenſentur tolli quoad omnia; ſed tantùm per ordinem ad ipſum privilegium, cui clauſula inſeritur, idque ad eum finem, ut is, cui conceſſum eſt privilegium poſſit illo uti: quantum autem ad alios actus non cenſetur privilegiatus habilitatus beneficio hujus clauſulæ, nec diſpenſatus in ſuis defectibus.

Sexta clauſula eſt *non obſtantibus*, quâ ſolet Princeps uti in ordine ad derogandum juri, vel legibus jam vigentibus: & tunc huic clauſulæ duo tribuuntur generales effectus, quorum primus eſt tollere ſubreptionem *c. non poteſt de prabend. in 6.* Secundus ut poſſint beneficio hujus clauſulæ obtineri quæcunque, ut notat Rebuffus *in forman. Apoſt. §. mandamus.* Pro quo juvat obſervare, quòd jura poſſunt tripliciter diſponere. Primò ſtatuendo, jubendo, vel prohibendo. Secundò irritando quidquid in contrarium factum fuit. Tertiò firmando id, quod jam ſtatutum eſt, & decernendo, ne per aliam futuram diſpoſitionem revocetur niſi facta expreſſa illius mentione, vel inſerto ejus tenore de verbo ad verbum, vel ſervata alia forma. Quando igitur datur privilegium contra jus latum priori modo, concedunt omnes, tunc privilegium valere cum clauſula illa generali *non obſtantibus*. 16

An verò valeat ipſum privilegium etiam non adhibita clauſula ſolet reſponderi cum diſtinctione, ſi privilegium ſit contra jus ſcriptum aſſerunt valere privilegium, eò quia Princeps non præſumitur ignorare jus, ſed potiùs leges omnes cuſtodire, ac ſervare in ſcrinio ſui pectoris *l. omnium C. de teſtam.* ut notat Gloſſa *in c. præterea diſt. 23. c. veniens de reſcript.* proinde quoties Princeps concedit privilegium contra tale jus, cenſetur voluiſſe eidem derogare, nec opus fuiſſe hac clauſula *non obſtantibus*. Quòd ſi privilegium detur contra ſtatutum, tunc non valet omiſſa clauſula *non obſtantibus*: quia tunc Princeps præſumitur ignorare ſtatutum illud, quia eſt quid facti, non verò quid juris; & in factis præſumitur ignorantia, vel ſaltem oblivio, & maximè in Principe, qui undique pluribus aliis obruitur negotiis *cap. 1. de conſt. cap. cum te de reſcript.* 17

Rurſus quoties datur privilegium contra jus ſecundo modo latum ſcilicet irritando quidquid in contrarium factum fuerit, non ſortitur privilegium ſuum valorem, niſi adhibita clauſula derogatoria, ut cenſet Panormitanus *in c. nonnulli de reſcript.* vel ſaltem aliqua alia æquivalente, ut clauſula *ex certa ſcientia, vel motu proprio*, quia Princeps non præſumitur velle aliquid concedere contra jus ita conſtitutum, ac ſub illo rigore: quapropter ſi quid fortè contra illud conceſſerit reputatur conceſſiſſe per ſubreptionem, vel ſaltem propter importunitatem, ut notat Bartol. *l. fin. C. ſi contra jus vel ut pub.* & *in Extravag. ad reprimendam.* 18

Sin verò privilegium detur tertiò modo firmando ſcilicet quod jam ſtatutum eſt, & contra jus latum, non ſufficit clauſula generalis non obſtantibus, ut privilegium ſortiatur ſuum valorem, & derogetur juri ſic lato: ratio eſt, quia quoties traditur aliqua forma 19

ſervanda

ſervanda ita obligat, ot quidqoid geſtum fuerit irritum habeatur, ſi forma illa omiſſa fuerit *c. ſicut Ramana 1.* & *c. cum Ordinem de reſcript.* ut docent plures cum Tamburino *Tom. de jur. Abbat. diſt.* 18. *q.* 16. quinimo Panormitanus *in c. ex conqueſtione de reſtit. ſpol.* vult, quòd quoties jus invenitur hoc tertio modo latum, fiat non ſolùm mentio ipſius in ſecnndo, ut illi derogetur, ne ſubſiſtat tale jus recèns conceſſum, ſeu privilegium; ſed etiam, ut fiat mentio de omni pnncto notabili, quod continet, adeò ot in privilegio exprimantur ſimilia: concedimus talem gratiam non obſtante hac, vel illa lege, in qua id ſtatuitur.

20 Alii tamen cenſent, quòd quamvis clauſula generalis, derogatoria ſi ſola ſit, non ſufficiat ad derogandum legi, vel juri habenti formam præſcriptam, ſub qua ſola poſſit revocari, volunt tamen ſufficere, ſi per aliam æquivalentem clauſulam eidem derogetur, & dicunt id vel maximè locum habere in ordine ad ſtatuta privata, & privilegia: quia cum Princeps præſumatur talia ignorare, inde ſequeretur, eum non habere ſufficientem poteſtatem in ordine ad regendos ſuos ſubditos, ſi iisdem non poſſet derogare per clauſulas æquivalentes formæ præſcriptæ, quando id videtur deſiderari ad bonum ſubditorum regimen, præſertim cùm Princeps præſumatur formam illam ignorare. Tum quia ut loquuntur Juriſtæ, Princeps non poteſt ligare manus Succeſſori, & ſucceſſor præſumitur ignorare ſtatuta privata, & privilegia conceſſa à ſuo Prædeceſſore, ſiquidem adæquatorum eſt eadem diſpoſitio, & virtus *l. 1. ff. de legat. 1.* Cæterum ſicut illa clauſula generalis *non obſtantibus* non eſt ſufficiens ad tollendum jus, ſeu privilegium conceſſum, ut non revocetur, niſi ſervata certa forma; ita neque eſt ſufficiens ad derogandum ſtatuto, privilegio jurato, ut cenſet Gloſſa c. *cùm non deceat de privileg. in 6.* Neque ſufficit ad extinguendum ſtatutum inſertum corpori juris, ut notat alia Gloſſa *l. 2. ff. de judic. & authent. qua in privil. C. ubi de crimin. agi oport.* ut nec etiam ſufficit ad extinguandum privilegium conceſſum non ſubdito, vel piæ cauſæ.

§. V.

De uſu, & effectu Privilegiorum.

1 CErtum eſt, neminem compelli, nec obligari, uti ſuo privilegio, ot deſumitur *ex c. ſi de terra 6. h. t.* ubi dicitor: liberum eſſe, cuique renunciare ſuo juri, quia quilibet poteſt de re ſua diſponere prout ipſi magis placuerit, dummodo alteri non inferatur damnum: ratio etiam eſſe poteſt, quia, quod alicui conceditur in favorem, id non debet eidem cedere in gravamen *ex regul. jur. 61. in 6.* Magnum autem eſſet gravamen ſi adigeretur privilegiatus uti ſuo privilegio perſonali, quia tunc obligaretur ad ejus obſervantiam, qood eſſet ipſi novum præceptum injunctum proinde foret eidem gravamini. Limitatur tamen niſi privilegium conceſſum fuerit tali communitati, quia tunc non poteſt unus, vel alter particularis eidem cedere, tametſi velit; proinde tenetur illo uti, ne cedat, niſi aliunde per accidens ſuperveniat alia obligatio non utendi tali privilegio: quo pacto habens privilegium audiendi miſſam tempore interdicti tenetur eam audire die feſto, non ſolùm ex privilegio, verùm etiam ex præcepto Eccleſiæ, quia per privilegium fit licitum, quod antea non erat licitum: qua ratione præceptum Eccleſiæ obligat ad actum per privilegium conceſſum, ut docet Suarez *l. 8 de legib. c. 23. n. 7. & 8.*

Cæterum privilegium non ſolet regulariter ita concedi privilegiato, ut ſtatim conferat ſuum effectum, ſed ad id requiritur, ut ad notitiam priùs deveniat privilegiati, qui privilegium ſibi conceſſum acceptet ſeiſè per Procuratorem, vel Epiſtolam, ut notat Gl. *in c. 1. vim ſuam de conc. præb. in 6.* quia privilegia non habent vim niſi ad notitiam perveniant illorum, quibus conceduntur, ac proinde eorum efficacia tantùm tunc incipit, cùm primum in privilegiatis habetur ſcientia eorundem. Tum quia *in c. ſi tibi 17 de præb. in 6.* expreſſè habetur, quòd beneficium collatum non acquiratur abſenti, donec ſciat tale beneficium eſſe ſibi collatum. Ratio etiam id videtur omnino ſuadere, qoia ex parte dantis non ſufficit voluntas dandi tale privilegium, ſed ad valorem privilegii requiritur ulteriùs ex parte, cui datur, voluntas acceptandi: ſiquidem beneficium, qoale eſt privilegium, non datur invito, ſed tantùm volenti illud acceptare: & voluntas illud acceptandi debet neceſſariò præſupponere eius ſcientiam, quia nil volitum, quin præcognitum: voluntas enim non fertur niſi in id, quod illi oſtenditor ab intellectu, quapropter privilegiũ non poteſt acquiri privilegiato, neque eidem prodeſſe, antequam ſciat ſibi conceſſum privilegiom, & illud acceptet. Tum quia cùm ſit privilegium ſpecies quædam donationis, non debet dari invito, ſed tantùm conſentienti, in quo differt à mandato, quod etiam nolentes obligat ad illud accipiendum, ut habetur *in c. paſtoralis 11. de offic. Ordin.* 2

Solet autem id limitari. Primò ſi privilegium concedatur motu proprio, vel ad inſtantiam alterius, quàm privilegiati, tunc enim privilegium non prodeſt privilegiato priusquam ei innoteſcat. Sin autem petat quis privilegium per ſuum Procuratorem, vel nuncium, valet tunc privilegium, & ſuum ſortitur effectum à tempore, quo concedens annuit, & voluntatem ſuam illud dandi ſignificavit Procuratori, vel Nuncio, tametſi Principalis, qui poſtulavit, id ignoret: ratio eſt, quia diſpenſatio ſicut etiam petitio, & conceſſio privilegii per ſe, & ex natura ſua exigit ſortiri ſuum effectum poſt mutuum petentis, & concedentis conſenſum ut notat Layman in 3

c. quoniam 14. *de offic. jud. deleg. num.* 5. Rurſus limitatur,ut ſcientia privilegii requirator taotùm reſpectu perſonæ privilegiatæ, non verò reſpectu alterins, cui præjudicium infert ut deſumitur *ex c. 1. de conceſſ. preb. in 6. § præſertim.* obi dicitur, quòd ſi alicoi ita à Papa privilegium conceſſum ſit,ut oon poſſit excommonicari, ooo ligatur eius ſeotentia, tametſi Epiſcopus igooret privilegium, quia privilegium directè conceditur propter favorem privilegiati, cui conceditur privilegium, & fit dooatio, proinde ſufficit, ſi ipſi intimetur, & ab eodem acceptetur.

4 Quod verò majorem iogerit difficultatem,eſt uſus privilegiorum, quæ ſummi Pontifices ſacris Religioſorum Ordinibue coocesſerunt, & dicuntur privilegia Regularium; quorum uſus an hodie licitus ſit oon modicam videntor difficultatem movere, tum Bullæ variæ, multiplices, ac diſcrepantes ſummorum Pontificum; tum decreta juris, & Conciliorum; tum præſertim declarationes plurimæ Cardinalium, quibus privilegia Regularium fuerunt ſucceſſivis temporibus revocata; tum Doctorum diſſeotientes opioiooes circa licitum, validúmque eorum uſom, eò quia fuerint deinde privilegia Regularium reſtituta, poſtea iterum reſtricta, ac modificata, ut etiam explicata, adeout difficillimum ſit ſtatoere quid hodis eligendum ſit; & difficultatem etiam oon modicè aoget ipſa praxis ootanda ioter ſacros Religioſorum Ordines minimè concordantes qooad uſum privilegiorum; adeout videatur quisque pro ſno ferè arbitrio jus dicere.

5 Quamobrem putârim in uſu privilegiorum eſſe cantè procedeodum, & tunc tantùm qoando urgens aliqua oeceſſitas id ſuadet, vel bonum aliqood iogens ex tali uſu ſperatur, ut incremsntum divinæ gloriæ, Dei cultus, vel tranquillitas cooſcientiæ in proximo, mentisqoe ſerenatio; vel quid aliud ſimile; quia cùm privilegia ſint remedia extraordioaria contra vel præter jus commune,nonoiſi rarò & cùm neceſſitas urget, uti debsmus hiſce privilegiis, qoia extraordinariis noo debemus uti niſi quando ordinaria noo ſufficiunt; alioqnin ex oimio uſu privilegia vileſcerent, & facilè abrogarentur. Quia verò circa privilegia Regularium variæ ſunt Doctorum opiniones, conſultiùs ſemper eſt, eam ſequi, quæ cæteris eſt probabilior, & quam viri docti, & pieotiſſimi propugnant: omnes ſiquidem qui de privilegiis agunt variè, ac diverſimodè ſcripſerunt prò locorum, & temporum divsrſitate: quia verò privilegia fuerunt ſucceſſu temporis mox aucta, mox revocata, & iterum reſtituta, & poſtea iterum reſtricta, & modificata per poſteriores Bullas ſummorum Pontificum, idco adhærendum eſt opinionibus Modernorum, cùm iſti ſcripſerint juxta tenorem recentium Bullarum, & præſertim Itali, qui Romæ ſcripſerunt cum iſtis Bullæ Pontificiæ ſtatim innoteſcant.

6 Quòd ſi dubium oriatur circa privilegium aliquod, coofultiùs eſt fontem accedere, ſeu ad Bollarium recurrere, & legere ex integro teoorem conceſſionis, quia nonnunquam Doctores, qui talia privilegia referunt, ſolùm ex parte id præſtant, & etiam aliquando mendosè, imò ſubinde etiam erroneis inſcriptionibus falſata, verbisque detortis ioterpretata. Io legendis verò Bullis Pontificiis attendenda principaliùs eſt ſubſtantia gratiæ, ſeu conceſſionis; adeò ut adhæreatur intentioni potiùs Priocipis concedentis privilegium, quàm verbis ejuſdem: ſiquidem in qoavis diſpoſitiooe jura mandant id obſervari, ut verba intentioni, non intentio verbis deſerviant *can. ſedulo diſt. 38. c. porrò c. recepimus h. t. c. in his de V. S.*

7 Secuodò attendenda eſt forma, quam princeps voluit ſervari in uſu talis privilegiis actus enim celebratus ſine forma præſcripta non tenet *l. 1. ff. de ſtip. l. cùm hi. ff. de translat. l. traditionibus C. de part.* Verumtamen eſt, quòd tametſi acta,ſi careant forma debita,non ſortiantur ſuum valorem; nihilominus io foro conſcientiæ ſi habeatur finis juris à lege iotentos acta tenent; tametſi ſolemoitas juris, & forma præſcripta oon ſerveiur: quia in foro conſcientiæ, qoi ita operator, ſe conformat intentioni juris, & legis, cuios propterea non eſt transgreſſor: licèt in foro exteroo huiosmodi acta nullins ceoſeantor valoris, eò quia oon ſubſiſtant iis omiſſis, quæ ſunt de eorundem ſolemnitate, & forma. Hinc in uſu privilegiorum ſaltem io ſoro conſcientiæ validus cenſetur actus virtute alicujus factus, ſi ſerventur ſubſtaotialiter requiſita ex oatura rei; tametſi alia ſubinde omittantur, quæ obſervanda erant tanqoam de ſolemoitate, & forma præſcripta.

8 Quinimò doset Suarez *tom. 4. de relig. lib. 9. c. 2.* poſſe Regulares uti ſuis privilegiis in utroque foro etiam extra Sacramentum confeſſionis. Verùm in hoc eſt cautè procsdendum, ac prudenter, ut adhæreatur ſemper inteotioni concedentis, & terminis conceſſionis absque ulla exteoſione,ut notat Panormitanus *c. ad aures de reſcript. n. 7.* immo neque ex ratione ſimili, vel maiori, debent privilegia ampliari, quia tametſi favorabilia ſint juri privilegiatorum; ſunt tamen odioſa juri communi, qood præferendum eſt juri particulari; perinde ac bonum commune præfertur particulari: & hæc eſt ratio cur in gratiis, & diſpenſationibus non arguatur ex paritate, vel majoritate rationis, ut deſumitur ex *c. per venerabilem qui Fil. ſint leg.*

9 Cæterum Principes ſæculares; imò neqoe Epiſcopi poſſunt prohibere Regulares à legitimo uſu,eorum privilegiorum. Ratio eſt, quia Regulares ooo ſubjiciuntur Principibus ſæcularibus, oeqne Epiſcopis qnoad privilegia, ſed ſoli ſumō Pontifici,proinde independenter à Priocipibus,& Epiſcopis poſſunt oti ſuis privilegiis, ſi tamen talis uſus legitimos ſit, alioqnin ſi eſſet manifeſtus abuſus, cùm juſta defenſio ſit de

jure

jure naturæ, tunc poſſent Principes, & Epiſcopi impedire talem abuſum.

10 An verò Regulares poſſint etiam independenter à ſuis ſuperioribus uti privilegiis ſingularibus perſonis conceſſis à ſummo Pontifice, Reſpondetur cum diſtinctione, ſi conceſſio ſit abſoluta tunc poſſunt independenter à ſuis ſuperioribus uti talibus privilegiis, quia cùm hæc conceſſa ſint à ſummo Pontifice talibus Regularibus, iſti acquirunt jus ad illorum uſum immediatè à ſummo Pontifice, conſequenter independenter à ſuperioribus religionis, quia iſti utpote inferiores non poſſunt ſe ingerere circa conceſſiones factas à ſummo Pontifice propriis ſubditis, ut habetur in *Clement. ne Romani de elect.* Sin verò conceſſio ſit conditionata, & in ipſa expreſsè dicatur, ſi ſuperior annuerit, tunc quia uſus privilegii limitatur à ſummo Pontifice, non poſſunt Religioſi privilegiati illo uti, niſi cum tali limitatione. Quando verò Papa concedit privilegium uni Ordini Regulari ſub conditione ut Religioſi talis Ordinis non utantur tali privilegio niſi ex licentia ſuperiorum: tunc Religioſi aliorum Ordinum habentium beneficium communicationis, non indigent ejuſmodi ſpeciali licentia ſuorum ſuperiorum, quia quoties communicatur privilegium, communicatur ipſa gratia in ſua ſubſtantia, non verò modus utendi, quia talis modus, ſeu conditio non eſt privilegium ullum; nec pertinet ad gratiam; ſiquidem illa licentia ſuperioris potiùs coarctat privilegium, & gratiam. Tum quia juxta vulgatum axioma, quidquid recipitur, ſeu communicatur ad modum recipientis, recipitur: ſed modus, quo alij Ordines ſolent privilegia recipere non fert, ut illa recipiant cum tali dependentia, conſequenter, quando aliquod privilegium iiſdem communicatur, poſſunt liberè eodem uti abſque alia ſpeciali licentia ut docent Suarez *loc. cit.* Diana *tractat. 2. dub.*
11 *regul. reſol. 81.* Miranda, & alij.

Sunt tamen qui hanc doctrinam limitant, niſi in Religione adſit aliqua ſpecialis conſtitutio, quâ diſponatur ut non poſſint Religioſi uti hujuſmodi privilegiis ſine conſenſu ſuorum Prælatorum: & nituntur ea ratione, quia Pontifex per generalem conceſſionem privilegiorum non præſumitur velle derogare ſpecialibus conſtitutionibus religionis *c. ſi propter de reſcript.* & docent Merolla *tom. 3. Theolog. moral. diſp. 6. c. 3. dub. 11. n. 157.* Suarez *lib. 8. de Relig. c. 17. n. 3.* Mendoſa *de privileg. ad inſtar. Gloſſa* 8. *n. 4.* Verùm hæc limitatio videtur pati difficultates, quia ex illa ſequeretur, tales conſtitutiones ordinum Religioſorum eſſe directè contra jus ſummi Pontificis: ſiquidem impedirent, ne eius favores ſuum conſequerentur effectum, niſi dependenter ab aliena voluntate. Tum quia inferiores judicarent de conceſſionibus factis à ſuperiore: ſiquidem ſunt ſuperiores Regulares inferiores reſpectu ſummi Pontificis, & judicarent de privilegiis ab Apoſtolica Sede conceſſi:; ſtatuerent enim, ac judicarent, an hujuſmodi privilegia eſſent executioni mandanda, nec ne à ſuia ſubditis contra textum *c. cum veniſſent de judic.*

Tum quia ſicut ſuperiores locales, immo & Provinciales non poſſunt impedire, ne ſubditi fruantur gratijs conceſſis à generali, vel capitulo generali, eò quia ut inferiores non poſſunt prævalere contra voluntatem ſuperiorum: ita neque Prælati Regularium cùm ſint inferiores ſummo Pontifice, poſſunt ſuis ſubditis prohibere, ne fruantur privilegiis, & gratiis ipſis à ſummo Pontifice conceſſis: non enim inferior habet poteſtatem in ſuperiorem; proinde neque poteſt modificare, quæ fiunt à ſuperiori, ut notant communiter juriſconſulti Oldradus *Conſil. 159 n 6. V. tamen ad jura.* Giurba *ad conſuet. Meſſanen. c. 2. Gloſſa 1. n. 26.* Surdus *conſil. 558. n. 3.* Tuſchus *litt. I. concluſ. 119. n. 10.* 12

Imò id etiam procedit, quamvis conſtitutiones Religioſorum Ordinum ſint confirmatæ à ſummo Pontifice in generali, & illa conditio comprehendatur ſub confirmatione generali: ratio eſt, quia talis confirmatio generalis eſt in forma communi, quæ nullum jus de novo confert, ſed tantùm antiquum conſervat, & fovet, nec invalidis tribuir valorem, ſed relinquit in ſua nullitate *c. quia diverſitatem de conceſſ. præb. c. ex parte h. t. c.* cum delicto §. *non igitur V. nolentes de confirm. util. & inutil. c. inter dilectos.* §. *cæterum de fide inſtrum. c. quia intentionis 29.* ubi dicitur, quod innovatio privilegii non inducat novum jus, nec tollat antiquum, nec alicui præjudicium faciat. 14

Quia imò id etiam procedit, quamvis conſtitutiones confirmatæ ſint ex certa ſcientia, & in forma ſpeciali: ratio eſt, quia quando ex certa ſcientia confirmantur ſimul plura ſtatuta ſimul, tunc confirmatio refertur tantum ad valida, non verò ad invalida, ut habetur in *c. dudum* §. *nos igitur de decimis* ubi deciditur, quòd confirmatio Pontificis facta ſuper donatione cuiuſdam hoſpitalis cum decimis ad ipſum pertinentibus ſubſiſtat tantùm quoad donationem hoſpitalis; non verò quoad decimas, quia fuit nulla: & nihilominus Pontificia confirmatio fuit tunc ex certa ſcientia, & in ſpecie; ſiquidem fuit ſuper re una, & determinata, & expreſſa in ipſa confirmatione & ita ſentiunt Tuſchus *litt. c. concluſ 340. n. 42.* Surdus *conſil. 47. n. 19.* Rota Romana *decis. 11. n. 3. p. 2. recent.* Quòd ſi talis conſtitutio in ſpecie, & ſeorſim ab aliis eſſet confirmata, quia eſſet contra jus commune, haberet tunc rationem privilegii, quo ſummus Pontifex concederet tali Religioni, ne eius ſubditi privilegia Pontificia poſſint reducere ad praxin ſine conſenſu ſuperiorum. 15

Hinc Prælati locales, Provinciales, Generales, imò & capitula generalia non poſſunt ſuis Religioſis tollere, vel reſtringere uſum alicujus privilegii, niſi ad id ſpecialem habeant auctoritatem à Papa; quia privilegia induunt 16

naturam legis, & ſunt leges privatæ; atqui inferiores non poſſunt tollere legem poſitam à ſuperiore: ſicut enim nemo dat, quod non habet; ita neque poteſt auferre, quod non dedit: & cùm Prælati Regularium non dederint iiſdem talia privilegia, ita non poſſunt ea illis tollere, nec reſtringere quoad uſum. Quinimò ſi aliqua Religio etiam in comitiis generalibus aliquibus renuntiaret privilegiis Pontificiis, adhuc ſubditi poſſent iiſdem uti, ſi privilegia fuiſſent à Pontifice conceſſa omnibus, & ſingulis; unde renuntiatio, tunc non ſubſiſteret: ratio eſt, quia per Pontificiam conceſſionem omnes, & ſinguli ſubditi acquirunt jus ad uſum talium privilegiorum: & tale jus acquiſitum immediatè à Papa non ſubjicitur ſuperioribus religionis, qui propterea non poſſunt privare ſuos ſubditos tali jure, quia non poſſunt agere contra voluntatem ſummi Pontificis.

16 Neque obſtat, quòd poſſit quisque favori ſuo renuntiare, quia licèt id verum ſit, non propterea renuntiatio ſuum ſortitur valorem, niſi ab omnibus, & ſingulis fiat: quia agitur de eo, quod ad omnes, & ſingulos pertinet juxta regulam *c. quod omnes de regul. jur. in 6. l. ſi per fundum. ff. de ſervit ruſt. præd.* & ratio eſt, quia ut dicitur *in l. id, quod noſtrum ff. de re judic.* quod noſtrum eſt ſine facto noſtro auferri non poteſt. Hinc cum dicitur, quòd Pontifex per generalem conceſſionem privilegiorum non præſumitur derogare ſpecialibus conſtitutionibus Religionum. Reſpondetur, id procedere de illis conſtitutionibus, quæ concernunt bonum ſtatum Religionis, & ſunt rationabiles, ac validæ, proinde fundatæ in juriſdictione ſufficienti: non verò intelligitur de iis conſtitutionibus, quæ nullæ ſunt, & excedunt facultatem Religionis, præſertim, ſi tangant jus ſummi Pontificis, quia iſtæ tunc ex natura ſua corruunt; proinde non poſſunt impedire effectum privilegij, quia per conceſſionem privilegii habentur, ut rejectæ à ſummo Pontifice.

17 Poſſet tamen adhuc opponi, quia non videtur præſumendum, quòd Pontifex ut Zelator regularis obſervantiæ velit, ut ſubditi utantur privilegiis contra voluntatem ſuperiorum.

18 Sed contra, quia tametſi id non eſſet præſumendum ſimpliciter, & ſine conceſſione privilegii: ceſſat tamen præſumptio poſita conceſſione; quia tunc præſumptio cedit veritati *l. nuptura ff. de jure dotium l. cum de indebito. ff. de probat.* Quando Pontifex concedit, tale privilegium tunc conſtat de illius voluntate, quòd ſubditi habeant proprium jus ad uſum talium privilegiorum: quia omnibus, & ſingulis concedit perſonaliter talia privilegia, proinde non poteſt induci præſumpta voluntas contraria. Tum quia non eſt contra regularem obſervantiam, quòd ſubditus utatur privilegiis, & gratiis ſibi conceſſis à ſuis ſuperioribus majoribus independenter ab aliis inferioribus ſuperioribus: ſicut de facto Religioſi utuntur gratiis ſibi conceſſis à generali totius Ordinis independenter, imò etiam contra voluntatem ſuperiorum localium, quia ſubditi debent parere ſuperioribus majoribus: atqui ſummus Pontifex eſt ſupremus ac primus ſuperior omnium Religioſorum, adeò ut Capitulum generale, & ipſe generalis totius Ordinis ſint ſuperiores inferiores reſpectu ſummi Pontificis, proinde poſſunt Religioſi independenter ab ipſis uti gratiis ſibi à ſummo Pontifice conceſſis. Præſertim ſi uſus privilegiorum non contineat abuſum contra Regularem diſciplinam.

§. VI.

De Exceſſibus privilegiatorum, de quibus ſpeciatim agitur in præſenti titulo, & pœnis iiſdem injunctis.

Exceſſus privilegiatorum tunc contingunt, quando privilegiati abutuntur gratiis, ſeu privilegiis ſibi conceſſis, de 1
quibus abuſibus, ſeu exceſſibus ſpeciatim agitur *in c. cùm plantare 3. h. t.* & eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III ubi quinque recenſentur exceſſus occaſione ſumpta ex eo, quod fratres templi, & hoſpitalis aliique Religioſi indulta ſibi privilegia excedentes contra Epiſcopalem authoritatem prævaricabantur, quapropter quinque præſertim iiſdem prohibentur exceſſus, quorum primus eſt, ne Eccleſias, & decimas de manu laicorum abſque conſenſu Epiſcoporum recipiant, & ut receptas dimittant. Secundò Pontifex ſtatuit evitandos eſſe excommunicatos, & nominatim interdictos tam ab illis, quàm ab aliis juxta Epiſcoporum ſententiam. Tertiò ut in eccleſiis pleno jure non pertinentibus repræſentent Epiſcopis inſtituendos, nec illis inconſultis removeant. Quartò ut ſi Templarii, vel Hoſpitalarii ad Eccleſiam venerint interdictam, nonniſi ſemel in anno ad eccleſiaſticum officium admittantur, nec defuncti ibi ſepeliantur. Quintò de confratribus etiam ſtatuit, ut ſi non ſe prædictis fratribus omnino reddiderint, ſed in proprietatibus ſuis remanſerint, ab Epiſcoporum ſententia non eximantur, ſed non minus, quàm alii parochiani ab iiſdem corrigantur, & hæc vult Pontifex ab aliis quoque Religioſis obſervari, ut Epiſcoporum jura non lædantur. Demum contra transgreſſores infligit pœnam interdicti, & vult, Eccleſias, in quibus talia præſumpſerint ſubjacere eccleſiaſtico interdicto; & irritum eſſe quod egerunt. Ex quo textu liquet, religioſos non poſſe accipere decimas de manu laicorum ſine conſenſu Epiſcopi; neque poſſe excedere privilegia iiſdem conceſſa agendo contra auctoritatem Epiſcopalem cum ſcandalo. Neque Religioſi etiam exempti poſſunt ad divina admittere excommunicatos, & interdictos nomina-

nomina-

minatim à quocunque. Religioſi in Eccleſiis quæ ad ipſos pleno jure non pertinent, quando vacant non poſſunt inſtitui, ſed inſtituendi debent præſentari Epiſcopo, cui de cura ſpirituali debent reſpondere: neque inconſulto Epiſcopo poſſunt inſtitutos amovere. Rurſus Templarios, & Hoſpitalarios in Eccleſia interdicta nonniſi ſemel in anno poſſe ad divina officia admitti, nec poſſe eorum corpora tunc ibi ſepeliri. Demum colligitur, confratres Religioſorum, qui non omnino ſe eis dederunt, ſed remanent cum ſuis proprietatibus ſubjici Epiſcopo; perinde ac ipſi ſubjiciuntur cæteri laici, & hæc omnia procedere de omnibus Religioſis; & Eccleſias transgreſſorum interdici, & irritum haberi, quidquid actum eſt.

2 Ex eo autem quòd Religioſi etiam exempti dicantur non poſſe Eccleſias, aut decimas recipere de manibus laicorum ſine conſenſu Epiſcopi, ſequitur à contrario ſenſu, id eſſe iisdem licitum ſi Epiſcopus conſentiat. Verùm diſtinguendum eſt inter eccleſias, & decimas violenter, & injuſtè abſque ullo titulo à laicis occupatas, quia has tenentur laici dimittere, & reſtituere illi, ad quem de jure pertinent, & Religioſi non poſſunt de manibus laicorum eas recipere, quia laici tametſi pij non habent facultatem diſponendi de rebus Eccleſiæ, & pro non dato habetur, quod ab ipſis datur de rebus eccleſiaſticis; quia laici non poſſunt de jure donare res eccleſiaſticas *c. quod autem 5. de jure patron.* imò eſt etiam irrita donatio, quamvis fiat conſentiente Epiſcopo, quia conſenſus Epiſcopi non poteſt quidquam novi dare; ſed tantùm confirmare, quod datum eſt ab alio, qui dare potuit *c. inter dilectes 6. § caterum.* Vel Eccleſiæ, & decimæ ita injuſtè detinentur à laicis, ut tamen iſti ex aliquo titulo ab inferioribus Prælatis habito ſaltem de facto Eccleſias, & decimas detineant: & tunc poſſunt Religioſi illas accipere de manu laicorum accedente conſenſu Epiſcopi, & deſumitur *ex c. cùm Apoſtolica 7. de his qua fiunt à Pral.* ratio eſt, quia quando malè detenta à laicis alteri Eccleſiæ, vel Religioſo dantur, conſulitur tunc utilitati Eccleſiæ, cujus propterea conditio melior fit, cùm ad uſus eccleſiaſticos revertantur ad proprios Eccleſiæ *c. 2. § ſanè de decimis in 6.* Vel demum eccleſiæ decimæ poſſidentur à laicis in proprietatem ex conceſſione Pontificis, ratione cujus reditus temporales Eccleſiæ, vel decimarum in perpetuum ſunt ſeparati ab Eccleſia, ſive titulo ſpiritualis beneficii, ſive ex applicatione facta laico, & tunc, ut notat Barboſa *in d. c. cùm plantare 3. num.* 11. *h. t.* ſine auctoritate Epiſcopi poſſunt transferri in Religioſos, quia per talem ſeparationem Eccleſiæ, & decimæ factæ fuerunt laicales: & bona laicalia etiam ſine conſenſu Epiſcopi transferri poſſunt ad Religioſos.

3 Ex eo autem, quòd Pontifex ſtatuat nominatim interdictos, & excommunitos juxta Epiſcoporum ſententiam eſſe tam ab illis, quàm ab aliis omnibus vitandos, oritur difficultas quomodo ſint ab omnibus vitandi, ſi ſententia Judicis non poteſt ligare non ſubditos; neque extra proprium territorium *l. ult. ff. de jurisdic. om. jud. c. 2. de conſtit.* & *cap. à nobis 21. de ſent. excommun.* ubi dicitur quòd ſententia excommunicationis nonniſi proprios ſubditos obliget. Verùm reſpondetur, quòd tametſi Judex eccleſiaſticus non poſſit obligare, nec cenſuris ligare extra proprium territorium, & non ſubditos, nihilominus quia hæc prohibitio vitandi excommunicatum ab uno Epiſcopo extra eius territorium ab omnibus obligat ex diſpoſitione juris communis canonici, à cujus obſervantia non liberantur illi, qui non ſubjiciuntur jurisdictioni Epiſcopi excommunicati; ideo rectè ſtatuit Alexander III. ut nominatim interdicti, & excommunicati vitentur ab omnibus etiam non ſubditis Epiſcopi: excommunicatus: & interdictus in una Eccleſia, vel Diœceſi vitandus eſt ab omnibus etiam extra Diœceſin de jure communi, quia cenſetur ubique interdictus & excommunicatus, proinde etiam à privilegiatis, & exemptis vitari debet, ut etiam conſtat ex *c. nulli 8. de ſent. excommun.*

Tum quia privilegium generale exemptionis à poteſtate Ordinarii, quamvis proſit exemptis, ne poſſint ab Ordinariis excommunicari, à quorum jurisdictione ſunt exempti; non tamen inde ſequitur, quòd non teneantur vitare excommunicatos ab iisdem Ordinariis, cum obligatio eos vitandi non oriatur ex jurisdictione Ordinarii excommunicantis, ſed ex diſpoſitione juris communis obligantis etiam exemptos ab Ordinariis, ut notat Barboſa *in d. c. cum plantare 3. §. excommunicatos n. 14. h. t.* 4

Præterea ex eo quòd Pontifex *in d. c. cum plantare 3. h. t.* aſſerat in Eccleſiis pleno jure non pertinentibus ad exemptos, cujusmodi ſunt Templarii, & Hoſpitalarii, poſſe inſtituendos Epiſcopis præſentari, non verò illis inconſultis removeri, ſequitur, Religioſos in Eccleſiis ipſis pleno jure non ſubjectis habere tantùm jus præſentandi, & exigendi rationem generalem circa adminiſtrationem rerum temporalium; & inſtitutionem, vel depoſitionem Clericorum ſpectare ad Epiſcopum, nec valere conſuetudinem contrariam, ut habetur *in c. de capellis Monach. in 6.* Quòd ſi Eccleſiæ pleno jure ſubjiciantur ipſis Religioſis quoad temporalia, & ſpiritualia, tunc ſi populus ſit illis etiam plenè ſubjectos; adeò ut Religioſi jurisdictionem in eum exerceant, quaſi Epiſcopalem, tunc à contrario ſenſu habent plenam, ac liberam poteſtatem, Inſtituendi, & deponendi Clericos in iisdem eccleſiis abſque conſenſu Epiſcopi: ut etiam quando ipſæ Eccleſiæ ſunt exemptæ à jurisdictione Epiſcopi Diœceſani; quamvis populus ſit exemptus, adhuc Religioſi exempti poſſunt 5

ſunt

ſunt inſtituere, vel deponere Clericos in iiſdem Eccleſiis, ſed debent tunc inſtitutum præſentare Epiſcopo, ut ab ipſo curam populi recipiat, quinimò de cura illa tenetur Rector reddere rationem Epiſcopo, qui propterea poteſt Eccleſiam illam viſitare in Ordine ad ea, quæ pertinent ad curam populi tantùm: quia in aliis ſpiritualibus, & temporalibus extra curam populi talis Clericus, vel Rector ſubiicitur Religioſis, quibus tenetur rationem reddere.

6 Alii exceſſus etiam recenſentur *in c. ad hac 5. h. t.* ubi Pontifex mandat, ut Hoſpitalarii ſi defunctos in excommunicatione ſepelierint in cœmeteriis, debeant eos inde eiicere, & ſi noluerint, debeat Archiepiſcopus id exequi. Ex quo textu colligitur, non poſſe privilegiatos ſepelire excommunicatos in cœmeteriis, & ſi eos ſepeliant, debere ſepultos extrahi ab iiſdem, quòd ſi detrectent eos eiicere debeat Epiſcopus id exequi. Ratio poteſt aſſignari, quia ſicut non poſſumus communicare cum excommunicato vivo, ita neque cum mortuo; imò ſepelientes hoc pacto excommunicatos in cœmeteriis, incurrunt ipſi excommunicationem *c. ſacris de ſepult.* non ita tamen ſi in mortis articulo petierunt abſolvi, & per eos non ſteterit, quin abſolverentur, quia tunc etiam poſt mortem ſunt abſolvendi, ut deſumitur *ex c. à nobis de ſent. excommun.* ac proinde ſunt ſepeliendi, ſin verò nec in Mortis articulo petierunt abſolvi, tunc non ſunt ſepeliendi; Imò exhumandi, ſi jam ſint ſepulti, dummodo eorum oſſa poſſint ab aliis diſcerni, ut habetur in *c. ſacris de ſepulturis.* Excedunt etiam privilegiati præſertim Religioſi, ſi in ſuis privatis Oratoriis campanas habeant, quas publicè pulſent, ut habetur in *c. patentibus 10. h. t.* ubi requiſitus Cœleſtinus III. ut per patentes litteras certificet, an Templariis, Hoſpitalariis, aliiſque oratoria domi habentibus licèat campanas in iiſdem tenere, ac publicè pulſare; reſcribit Pontifex, non licere proinde per cenſuras eſſe coërcendos, ne juſtitiam impediant aliorum: ex quo textu liquet, neminem licèt exemptum poſſe habere campanas in oratoriis domi erectis, & exemptos etiam per cenſuras eſſe ab Epiſcopo coërcendos, ut ita ſint ſuo jure contenti, ut non impediant juſtitiam aliorum.

7 Ratio itidem eſt, quia habere campanam publicè in loco, eámque pulſare, ſignum eſt loci publicè ſacrati, quale non eſt Oratorium privatum domi erectum, in quo tantùm poteſt teneri tintinnabulum privatum, & privatim illud pulſari, quia hujuſmodi Oratoria privata non gaudent privilegiis eccleſiarum, ſed poſſunt deſtroi ad nutum Domini ad quem domus ipſa pertinet: proinde non habeat jus campanæ publicæ, quod ad ſolas Eccleſias pertinet.

8 Cæterum ut notat Panormitanus *in d. c. patentibus*, quando dubitatur, an hoſpitale erectum ſit auctoritate Epiſcopi debet pro tali haberi. Poſſet tamen in contrarium obiici textus in *c. nimis 16. de exceſſibus Prælatorum* ubi Pontifex redarguit Prælatos, eò quia non permiſerint Religioſos, habere campanam in ſuis Eccleſiis, & Oratoriis, de quibus fit mentiò. Verùm hic textus non obſtat, quia ut notat Innocentius *in 6. c. patentibus 10. h. t.* Religioſi illi, de quibus fit mentio *in c. nimis* de jure communi non potuerunt habere campanam in ſuis Oratoriis, bene tamen ex ſpeciali privilegio contra quod Prælati illi impediebant, ne campanam haberent, & ideò Pontifex eos redarguit. Præterea, & forſan probabiliùs reſpondet Abbas in *c. patentibus 10. n. 2. h. t.* textum in *c. nimis 16. de exceſſ. Prælat.* Loqui de eccleſiis, & oratoriis publicis, quæ eriguntur in Monaſteriis Religioſorum, & textum *in c. patentibus* 10 *h. t.* loqui de oratoriis privatis, ac erectis in privatis domibus, in quibus non eſt licitum campanas habere, nec publicè eas pulſare ad convocandum populum. Ex hoc textu etiam colligitur, Papam ita concedere privilegia, ut non intendat lædere, nec impedire juſtitiam aliorum, nec ullum aliud grave præjudicium illis inferre.

9 Plures alii exceſſus privilegiatorum referuntur etiam *in c. tuarum 11. h. t.* ubi cum Hoſpitalarii S. Joannis laicos, & illiteratos mitterent pro elecmoſynis colligendis, ac pluribus modis limites ſuorum privilegiorum transgrederentur, mandat Innocentius III. ut Archiepiſcopus Lugdunenſis tali cruce falſò ſignatos, ſi laici fuerint excommunicet; ſin verò Clerici ab officio, & beneficio ſuſpendat: illis verò qui ipſos miſerunt prædicationis officium per totam Provinciam interdicat, omni privilegio, & appellatione excluſis, eò quia privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate. Eos verò, qui in prædicta Eccleſia poſt interdictum Archiepiſcopale ſacra fecerunt ſimiliter ſuſpendat; ut etiam illos fratres, qui Preſbyteros ab Epiſcopo ſuſpenſos ad officia ſua temerè reſtituerunt, aut in juditio ſecundùm legem terræ pro hac cauſa nolentes reſpondere excuſant. Ex hoc textu claret, quòd ſi fratres Hieroſolymitani S. Joannis mittant non Religioſos ad colligendas eleemoſynas, ſed alios falſò cruce talis religionis ſignatos; privandi ſint officio prædicationis, & miſsi ſi ſint laici ſint excommunicandi; ſi clerici ſuſpendendi ab officio, & beneficio non obſtante privilegio, vel appellatione.

10 Rurſus quòd privileginti, vel exempti non poſſint alios privilegiare, nec facere exemptos, nimirum non reſpondendi in judicio. Rurſus quòd celebrans in eccleſia polluta non ſit ſuſpenſus ipſo jure ab officio, & beneficio, ſed tantùm ſit ſuſpendendus per ſententiam Judicis: Nec incurrat irregularitatem, ut habetur *in c. is qui. 18. de ſent.*

excom-

excommun. in 6. ut notat Abbas in *d. c. ınovum 11. n. 5. h. t.* Secus eſt ipſo jure ſuſpenſus ab officio, & beneficio, qui celebrat in Eccleſia interdicta, ut habetur *in c. ult, de exceſſ. Prælat.* ex quo patet diſcrimen inter Eccleſiam pollutam, & interdictam. Præterea non ſolùm ipſi Religioſi exempti, qui mittunt ſæculares cruce falſò ſignatos, verùm etiam ipſi ſæculares tali cruce falſò ſignati puniri poſſunt ab Epiſcopo loci, eò quia abutantur inſignibus religionis, cui propterea inferunt injuriam: & ratione talis delicti commiſſi in res eccleſiaſticas ſubiiciuntur foro eccleſiæ, & puniuntur ab Epiſcopo loci; puniuntur tamen laici diverſimodè, ac Clerici, quia illi utpote incapaces ſuſpenſionis anathemate percutiuntur; iſti verò ſuſpenduntur, ab officio, & beneficio, non quidem de facto, ſed per ſententiam Judicis.

11 Alius exceſſus habetur *in c. auctoritate 4. h. t. in 6.* ubi Alexander IV. authoritate Apoſtolica ſtatuit, ut Oratoria, vel Capellæ in locis non exemptis ſine Epiſcoporum licentia ab exemptis non extruantur, neque in illis tempore interdicti celebrent, & talia præſumentes mandat eſſe coërcendos ab Ordinariis. Prohibet inſuper Pontifex, ne in locis etiam exemptis hoc ipſi exempti faciant ſine privilegio, & ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ. Cauſas quoque, ſive lites ſuorum liberorum hominum proprias mandat Pontifex, ut iidem exempti ſuo nomine, ſive ut actores, ſive ut defenſores non aſſumant, tametſi ſint ipſis cenſuales. Ex quo texto conſtat, exemptos in locis non exemptis non poſſe conſtruere Oratoria, nec capellas ſine licentia Ordinarii loci, neque poſſe in ſic conſtructis celebrare, nec facere divina celebrare, nec in tempore interdicti niſi in caſibus à jure conceſſis, & ſi ſecus fecerint eſſe compeſcendos ab Ordinario.

12 Rurſus conſtat, exemptos etiam in locis exemptis non poſſe Oratoria, vel capellas conſtruere ſine licentia, & privilegio Papæ. Præterea non poſſe exemptos accipere ſuo nomine tanquam Actores, vel defenſores cauſas, vel lites ſuorum hominum liberorum, quamvis iſti ſint ſui cenſuales, qui in poſſeſſionibus habeant dominium univerſale, ſolvant que cenſus exemptis, ut Dominis directis, dummodo cauſæ ad ipſos homines liberos tantùm pertineant. Ratio, cur exempti non poſſunt hujuſmodi oratoria, & capellas conſtruere ſine licentia Epiſcopi in locis non exemptis; & in exemptis ſine licentia Papæ, non poſſint oratoria illa conſtruere, eſt, quia in generali prohibitione, ne aliquid fiat ſine licentia ſuperioris comprehenduntur etiam exempti, qui propterea non cenſentur excluſi prætextu exemptionis: & generaliter *in c. nemo 9. diſt. 1. de conſec.* prohibetur, ne quis ædificet novam eccleſiam, capellam, vel Oratorium ſine licentia Epiſcopi Diœceſani: & quia ſicut Epiſcopus eſt Diœceſanus in loco non exempto: ita & Papa, qui eſt Diœceſanus in omnibus locis tam non exemptis, quàm exemptis, & Judex Ordinarius exemptorum, ideo nec exempti in locis exemptis ſine licentia Papæ poſſunt hujuſmodi eccleſias, & oratoria conſtruere: notat tamen Farinacius *in d. c. auctoritate V. inhibemus n. 21.* poſſe de licentia Legati de Latere hujuſmodi eccleſias, capellas, & oratoria conſtrui ab exemptis in locis exemptis: quia Legatus à Latere dicitur etiam Judex Ordinarius exemptorum.

Cæterum ſi exempti audeant eccleſias ædificare in loco non exempto ſinè conſenſu Ordinarii, & celebrare in illis conſtructis, poſſunt puniri ab Ordinario, quia tunc ratione delicti illi ſubiiciuntur, ut notat Gloſſa *in d. c. auctoritate 4. V. compeſcantur h. t. in 6.* 13

Rurſus conſtat, non ſolùm non exemptos ſed etiam exemptos non poſſe comparere in judicio, & agere pro ſuis ſubditis liberis hominibus, nec eos defendere in cauſis eorum propriis: & dicuntur cauſæ propriæ, quando commodum, vel incommodum ad aliquos ſuo nomine pertinet: quia ſi iſti exempti hujuſmodi cauſas, in quibus non habent intereſſe proprium; nec ſunt illorum hominum Procuratores, in ſe ſuſciperent, ut Actores, vel Rei duriorem redderent cauſam Adverſariorum: & ex alieno facto non debet cauſa alicujus deterior fieri *l. 1. ff. de alien. judic. mut. cauſ. facto.*

Præterea alii privilegiatorum exceſſus recenſentur *in c. Epiſcoporum 8. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ſtatuit, ne quantumcunque exempti cujuſvis Ordinis, ſtatus, conditionis ſcienter celebrent, vel celebrari faciant in civitatibus, vel aliis locis interdictis ab Ordinariis, vel Delegatis, vel à jure; neque excommunicatos publicè, aut interdictos ad divina officia, ſeu ſacramenta admittant, vel ad eccleſiaſticam ſepulturam, & contravenientibus præter alias pœnas à jure ſtatutas interdicit etiam Eccleſiæ ingreſſum, donec illi ſatisfecerint, cujus ſententiam contempſerant. Ex quo textu habetur, quòd privilegiati, ſive ſæculares, ſive Regulares, qui ſcienter celebrant, vel celebrare faciunt divina in civitate, vel loco interdicto ab Ordinario, vel delegato, vel à jure niſi in caſibus à jure conceſſis; vel quòd publicè excommunicatos, vel interdictos ad divina officia, vel ſacramenta, vel ad eccleſiaſticam ſepulturam admittere præſumunt, præter alias expreſſas pœnas juris, prohibentur ab ingreſſu Eccleſiæ, donec ad arbitrium illius, cujus ſententiam contempſerunt, competenter ſatisfaciant. 14

Quomodo verò, & quando licitum ſit in loco interdicto celebrare ſtatuitur *in c. Alma Mater. de ſent. excommun. in 6.* ſcilicet ſubmiſſa voce, & januis clauſis. Rurſus ſi quis celebret præſente publicè excommunicato, licèt non fiat irregularis interdicitur tamen illi ingreſſus Eccleſiæ: & ſi celebret in 15

loco interdicto ſit etiam irregularis *c. 11. qui de ſent. excommun. in 6.*

26 Jure tamen novo aggravatur pœna in *c. eos de ſepultura*, & probabilius eſt, hanc decretalem & ejus pœnam etiam procedere in non exemptis, ut notat Gloſſa in *d. c. Epiſcoporum §. v. ingreſſum in 6. h. t.* & videtur etiam colligi ex *c. quantumcunque exemptionis ſedis Apoſtolicæ privilegijs ſint communiti*: hæc enim verba non reſtringuntur ad exemptos, ſed ampliantur etiam ad non exemptos, ut notat Barboſa *in d. c. Epiſcoporum 1. n. 3. h. t. in 6.* ubi vocat hanc ſententiam in rigore juris veriorem. Verùm contraria ſententia eſt benignior, quam docent Covarruvias *in c. Alma Mater p. 1. §6. n. 9. circa fin.* & alij, quia talis pœna in jure non reperitur expreſſa, proinde non debet extendi ad non exemptos.

27 Exceſſus Religioſorum in ordine ad ſua privilegia recenſentur *in Clement. Religioſi 1. h. t.* ubi Clemens V. in Concilio Viennenſi ſtatuit, quòd ſi Religioſus ſine ſpeciali licentia Parochi præſumat miniſtrare ſacramentum Extremæ Unctionis, vel matrimonia ſolemnizare; vel Euchariſtiam ſive Clericis ſive laicis deferre, vel etiam qui præſumit abſolvere excommunicatos à canone, vel à ſententijs per ſtatuta Provincialia, aut ſynodalia promulgatis exceptis caſibus in jure expreſſis, vel per privilegia ſedis Apoſtolicæ conceſſis ſit excommunicatus, & abſolutio à tali excommunicatione reſervata ſedi Apoſtolicæ, & quòd Ordinarij (poſtquam eis hoc conſtiterit) faciant publicè nuntiari excommunicatos, donec de eorum abſolutione fuerint certi, nullo ſuper hoc privilegio eis ſuffragante. Excipitur tamen, quando Eccleſia Romana conceſſit, ut Religioſi ſuis familiaribus domeſticis, vel pauperibus in ſuo hoſpitali poſſint miniſtrare ſacramenta; quia tunc nullum eis præjudicium generatur.

28 Rurſus ſub præcepto obedientiæ inhibetur Religioſis, ne in ſuis ſermonibus Eccleſiarum Prælatis detrahant, nec retrahant laicos ab acceſſu, & frequentia ſuarum Eccleſiarum; nec pronuntient indulgentias indiſcretas, & non conceſſas, nec quando interſunt teſtamentis condendis retrahant teſtatores à debitis reſtitutionibus, vel legatis faciendis matricibus Eccleſiis: nec legata, vel debita, vel ablata incerta ſibi, aut alijs ſingularibus ſui Ordinis fratribus, vel conventibus in aliorum præjudicium fieri, ſeu erogari procurent: ſicut nec præſumant quemquam abſolvere à caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis, vel locorum Ordinarijs: neque præſumant vexare indebitè perſonas Eccleſiaſticas præſertim coram Judicibus delegatis à Papa ſuam contra eos Juſtitiam proſequentes, nec eos convenire ad plura loca remota, quod eſſet ipſis graviſſimum.

29 Rurſus ſtatuit Pontifex, ut ſecus facientes ſubjaceant illis pœnis per duos menſes, quæ per eorum regulam, vel ſtatuta conſueverunt imponi pro gravibus criminibus, aut culpis: & mandat etiam Pontifex, ne ſuper his diſpenſetur; imò nec poſſit diſpenſari ſine urgente gravi neceſſitate. Demum eorum Prælati ſi requiſiti ſuper his, quæ ad ipſos pervenerunt, non ſatisfecerint plenè intra menſem Eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis, quibus eſt damnum illatum, ſint eo ipſo ſuſpenſi, donec debitè ſatisfaciant, non obſtante, quocunque privilegio ſub quocunque tenore. Quia verò in hac conſtitutione non includuntur Clerici ſæculares, ſed Religioſi, ideo includuntur etiam Religioſi, qui præſunt Eccleſiis parochialibus, quoad non ſuos Parochianos, ut cenſent aliqui, tametſi id dubium videatur.

Clerici verò ſæculares tametſi ſacramenta extremæ unctionis, vel Euchariſtiæ adminiſtrent Clericis, vel Laicis, vel eorum matrimonia ſolemniter benedicant ſine licentia proprii Parochi non incurrunt ipſo facto excommunicationem ſicut Religioſi, ſive exempti ſint, ſive non; quia in diſpoſitione pœnali ſub appellatione religioſorum non comprehenduntur Clerici ſæculares: tametſi in utriſque videatur militare eadem ratio diſpoſitionis. 30

Rurſus poteſt Parochus etiam non Sacerdos licentiam dare Parochiano, ut ab alieno Presbytero ſacramenta recipiat, tametſi non poſſit Parochus non ſacerdos illa miniſtrare: ſiquidem miniſtrare eſt actus Ordinis, quo caret Parochus non ſacerdos: ſecus facultatem alteri concedere, eſt actus juriſdictionis, quam habet Parochus non ſacerdos ut notat Abbas *in d. clement. 1. num. 8. h. t.* Hinc Parochiano aſſerenti ſe obtinuiſſe licentiam à proprio Parocho recipiendi ſacramenta ab alio ſacerdote eſt fides adhibenda, ſive à Religioſo, vel alio Clerico, quia non eſt præſumendus immemor ſuæ ſalutis *c. penult. cauſ. 1. q. 7.* idque procedit præſertim in ſacramento pœnitentiæ, quia tunc dicenti ſe eſſe abſolutum creditur: ut etiam in ſacramento Euchariſtiæ, aut extremæ unctionis, quia hæc ſacramenta tantùm percipiuntur pro remedio animæ, & ut ſaluti ſpirituali conſulatur, & pertinent ad forum internum conſcientiæ. Secus in aliis ſacramentis præſertim Ordinis, quod non confertur tantùm propter ſe, ſed etiam propter alios, ut notat Abbas *in d. clement. 1. n. 5. h. t.* & etiam in ſacramento matrimonii, quia hoc pertinet itidem ad forum externum, & externam Eccleſiæ gubernationem: hinc aſſerenti habere ſe licentiam ut Ordines recipiat ab alieno Epiſcopo: vel ut alienus ſacerdos aſſiſtat, vel benedicat nuptias ſuas non eſt fides præſtanda, niſi fortaſſis eſſet perſona pijſſima, & valde ſide digna, quia tunc præſumitur verum aſſerere; & nolle in re tanti momenti, cum detrimento propriæ ſalutis, mentiri. Aliis verò non ita timoratis non eſt fides præſtanda, ſed tenentur docere de facultate ſibi conceſſa. 31

Cæterum

Google

22 Cæterum in hac *clement. 1. h. t.* prohibentut Religioſi Euchariſtiam miniſtrare tam ſanis, & benevalentibus, quàm moribundis per modum viatiei ſecluſo ſpeciali privilegio, ut notat Barboſa *in d. element. 1. num. 4. h. t.* quia in hoc textu prohibetur generatim Religioſis, nec præſumant miniſtrare Euchariſtiam. Rurſus prohibentur etiam ſub pœna excommunicationis ipſo jure lata ſacerdotes Regulares benedicere ſolemniter matrimonium ſine licentia proprii Parochi: & hæc pœna non eſt correcta, nec ſublata per pœnam ſuſpenſionis, quæ in eosdem ipſo jure ſtatuta eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 1. de refor. matrim.* ſed utraque adhuc locum habec, ut notat Barboſa *in d. element. 1. num. 7. h. t.* ratio eſt, quia leges priores non tolluntur per posteriores, niſi in iſtis expreſſè revocentur, vel ſint iisdem contrariæ: & *in d. decret. Concil. Trident.* non tollitur expreſſè nec tacitè hæc pœna excommunicationis ſtatuta *in Clemen. 1. h. t.* & quamvis nova pœna mitior lege nova ſtatuta corrigat rigidiorem pœnam antiquæ legis, id tamen tantùm procedit de pœnis à Judice infligendis; non verò de iis, quæ ipſo jure incurruntur, cojusmodi ſunt excommunicatio, & ſuſpenſio. Imò id etiam procedit de Religioſo translato ad Eccleſiam ſæcularem, quia in his ſolent frequentiùs Religioſi delinquere.

23 Quamobrem tria præſertim Religioſis prohibentur ex vi hujus Clementinæ, nimirum miniſtrare Euchariſtiam tam ſanis, quàm moribundis ſecluſo ſpeciali privilegio; miniſtrare Sacramentum extremæ unctionis; & ſolemniter benedicere matrimonium ſine licentia proprii Parochi: & ut Religioſus poſſit hæc ſacramenta conferre Parochiano, requiritur ut expreſſa, ſeu ſpecialis licentia à Presbytero proprio obtenta ſit, non ſolùm de ſacramentis conferendis, ſed etiam de Religioſo conferente, & Parochianis, qui ſunt ſacramenta illa percepturi. Imò præter licentiam Parochi, ut Religioſus hæc tria ſacramenta conferat alienis ſubditis requiritur etiam licentia ſui proprii Prælati *argum. cap. 2. de teſtam. in 6.* ſin verò ea miniſtret ſine licentia proprii Prælati non incurrit excommunicationem, quia hæc infligitur tantùm ob defectum licentiæ Parochi, & pœnæ non debent extendi ultra caſum expreſſum in jure.

24 Cæterum ſi Religioſus miniſtret Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ alieno ſubdito ſine licentia proprii Parochi non incurrit pœnam excommunicationis ſtatutam in hac *Clement. Religioſi 1. h. t.* quia hæc pœna ſolùm hic imponitur adminiſtrantibus tria ſacramenta Euchariſtiæ, extremæ unctionis, & matrimonii, & pœna non debet extendi ultra caſum expreſſum in jure, quamvis major videatur eſſe ratio prohibitionis in ſacramento Pœnitentiæ, vel Babtiſmi, quàm in prærecenſitis, quia in illis tribus fortâſſis Religioſi frequentiùs excedebant.

Obſervandum tamen eſt circa hanc prohibitam adminiſtrationem ſacramentorum, quòd hodie omnes Religioſi ſine licentia Parochi, vel alterius poſſunt Sacramentum Euchariſtiæ in ſuis templis per privilegia propria, vel aliorum participata miniſtrare omnibus ſæcularibus, præterquam in feſto paſchatis, & in articulo mortis. Imò poſſunt Religioſi etiam extremam unctionem miniſtrare Familiaribus, qui in eorundem morantur obſequiis: quapropter præfatus textus *in Clement. 1. h. t.* quòad extremam unctionem, & Euchariſtiam hodie per privilegia Religioſorum eſt reſtrictus, & correctus. Rurſus *in cit. Clement. 1. h. t.* graviter puniuntur Religioſi Prædicatores, qui in ſuis concionibus detrahunt Prælatis Eccleſiaſticis, quod tamen intelligendum eſt, ſi nominatim eos perſtringant, vel per circumlocutionem, qua ipſos deſcribant, ut innoteſcant aliis ſpeciatim: alioquin in genere non prohibentur Prædicatores Religioſi vitia Prælatorum redarguere, ut notat Abbas *in d. Clement. 1. num. 23. h. t.* Rurſus ſi Concionatores in publicis ſuis concionibus detrahant prælatis, debent per duos menſes pœnas illas ſubire, quæ ſecundùm regulam, vel ſtatuta ob gravia delicta, vel culpas iisdem imponuntur. 25

Demum Prælati Religionum niſi ſatisfecerint partibus læſis, eò quia ad ipſos aliquid pervenit occaſione exceſſuum commiſſorum à ſuis Religioſis, pœnam incurrunt ſuſpenſionis: ad quam tamen requiritur primò, ut Prælati aliquid acceperint ſive pro Monaſterio ſuo, ſive pro privatis perſonis. Secundò ut id, quod accipitur, eis detur occaſione exceſſuum, qui *in d. clement. 1. h. t.* prohibentur Religioſis. Tertiò ut hujusmodi Prælati, ad quos hæc bona pervenerunt ſint ab iis requiſiti, quibus damnum fuit illatum. Quartò ut poſt hanc requiſitionem per menſem ſint in mora ſatisfaciendi, hoc enim elapſo ſuſpenduntur, donec debitè ſatisfecerint; & hæc ſuſpenſio cùm ſit abſolutè, & ſimpliciter lata, eſt ſuſpenſio ab omni adminiſtratione, & officio, & fertur tantùm contra Prælatos, qui prædicto modo delinquunt, non verò contra ipſos Religioſos in particulari; tametſi exceſſus illos commiſerint, quia contra illos non pœna ſuſpenſionis, ſed excommunicationis lata eſt. 26

§. VII.

De Privilegio exemptionis à iurisdictione Epiſcopi, vel Ordinarii.

1 QUia in pluribus hujus tutuli Capitulis agitur de hoc privilegio exemptionis à jurisdictione Ordinarii, operæ pretium dnxi, hìc ſpeciatim de illo agere. Eſt exemptio quædam liberatio, ſeu eſt privilegium, quo perſona, vel locus à jurisdictione Epiſcopi, vel Ordinarii ſubtrahitur, & ſoli ſummo Pontifici immediatè ſubjicitur; cujusmodi ſunt hodie ferè omnes Religioſi, qui ratione ſuorum privilegiorum in pluribus ſubjiciuntur ſoli ſommo Pontifici: dicitur non ſolùm perſona exempta, ſed etiam locus, adeò ut exemptio alia ſit perſonalis conceſſa cuidam certæ perſonæ; & alia localis, quæ certæ eccleſiæ Monaſterio, vel territorio conceditur: & quia exemptio interdum conceditur perſonæ, & loco ſimul, ideo hæc dicitur exemptio miſta, eò quia ſit quid mixtum participans de perſonali, & locali exemptione: hac mixta exemptione gaudent diverſi Religioſorum Ordines, qui exempti ſunt non ſolùm quoad ſua Monaſteria; ſed etiam quoad ſuas perſonas, ubicunque exiſtant *c. cùm capella 16. h. t.*

2 Rurſus ex exemptis alii dicuntur eſſe nullius Diœceſis, & alii in Diœceſi quidem, ſed non de Diœceſi; illi dicuntur, qui habent ſpeciale territorium, ac populum exemptum, & exercent jurisdictionem quaſi Epiſcopalem ſuntque velut Ordinarii, tametſi charactere Epiſcopali non ſint inſigniti, ſed ſint Abbates, vel Præpoſiti, vel alii ſimiles Prælati. Exempti in Diœceſi, ſed non de Diœceſi dicuntur qui quoad ſuas perſonas, vel particularem aliquem locum, vel Monaſterium exempti ſunt, ſed populum non habent, nec territorium exemptum, quapropter exiſtunt intra limites certæ Diœceſis, in qua propterea dicuntur exempti in diœceſi, ſed non de diœceſi, eò quia careant populo, & territorio exempto.

3 Datur etiam alia exemptio, qua non ſolùm principalis locus, ſeu Monaſterium, vel collegium exemptum eſt, ſed etiam omnes capellæ beneficia. & Parochiæ, & alia loca annexa, de qua exemptione habetur *in c. quam in membris.* Alia autem eſt exemptio in capite tantùm, & tunc habetur, quando tantùm ipſe principalis locus eſt exemptus, non verò annexæ capellæ, vel Parochiæ, vel beneficia, ut habetur *in c. ex ore ſedentis* ubi Innocentius III. ſtatuit, quòd quando conceditur exemptio capiti, vel Monaſterio, non intelligantur exempta membra ut ſunt capellæ: quapropter Abbas ratione membrorum non exemptorum debet Epiſcopo ſubeſſe, eique exhibere debitam reverentiam, ac venire ad ſynodum Epiſcopi, imò non ſolùm tenetur comparere ad ſynodum diœceſanam, ſed etiam ſuſcipere eius mandata: ita tamen ut in ſynodo diœceſana Abbates primum poſt Epiſcopum locum obtineant: hæc autem exemptio in capite, & membris regulariter tantùm à ſummo Pontifice conceditur, ſiquidem ipſe ſolus poteſt derogare juri Epiſcoporum.

4 Interdum tamen ex juſta cauſa, & accedente conſenſu capituli poteſt Epiſcopus aliquam Eccleſiam ſuæ propriæ Diœceſis eximere à ſua jurisdictione, eámque unire loco exempto, & taliter ut eam exemptionem non poſſit ampliùs revocare, ut docet Barboſa de officio Epiſcopi *p. 3. allegat. 84.* Cœterum exemptio non ſolùm acquiritur privilegio; ſed etiam præſcriptione quadraginta annorum præſertim quoad membra non exempta, ſi caput ſit exemptum, ut notat Panormitanus *in c. cùm non liceat circa fin. de præſcript.* quòd ſi dicas in contrarium obſtare textum *in c. cùm non liceat*, & *c. ex officio de præſcript.* ubi dicitur, quod contra obedientiam, & viſitationem non admittitur præſcriptio, reſpondetur, id eſſe verum extinctivè, adeò ut non poſſit præſcribi totaliter contra obedientiam, & ut hæc nulli debeatur; poſſe tamen præſcribi contra obedientiam translativè, adeò ut alteri quàm Epiſcopo obedientia exhibeatur, ſcilicet ſummo Pontifici, ut notat Barboſa *de offic. Epiſcop. p. 3. alleg. 128. num 3.* quia verò Epiſcopus habet ſuam intentionem fundatam in jure contra omnes exiſtentes in ſua Diœceſi; ideo qui ſe exemptum dicit, tenetur hanc exemptionem coram viris prudentibus, & non ſuſpectis ab Ordinario deputandis ſuam probare exemptionem, ut habetur *in cap. cùm perſonæ 7. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ſtatuit, ut qui dicunt ſe exemptos per privilegium, vel indulgentiam Sedis Apoſtolicæ, ſi requirantur ab Ordinario loci debeant integraliter oſtendere legenda prædicta privilegia, vel indulgentias ipſi Ordinario in loco congruo, & ſecuro, vel aliis prudentibus viris ſine ſuſpicione deputatis ab Ordinario; idque intra terminum competentem moderandum pro qualitate facti ab Ordinario, vel eius Delegato, ceſſante tamen juſto impedimento. Imò vult etiam Pontifex, ut teneantur tradere tranſcriptum de iis articulis, de quibus controvertitur.

5 Rurſus injungit, ut qui volunt defendere ſuam libertatem per ſolam canonicam præſcriptionem teneantur fidem facere de tali præſcriptione ipſi Ordinario, vel eius delegato prudenti non ſuſpecto, & ut interim Epiſcopus poſſit uti ſua jurisdictione in illos ob fundatam jurisdictionem, quam habet, donec probetur plenè canonica præſcriptio. Præterea ſtatuit, Bonifacius VIII. in

d. c.

d. cap. cùm perſona 7. h. t. ut qui volont ſuam libertatem deſendere per privilegium, & præſcriptionem ſimul debeent exhibere privilegium, & ſi exhibitum non probet pleuè libertatem, ſed cauſam probet præſcribeudi, tuuc probanda ſit præſcriptio 40. auuorum, quòd nou fuerit violente, nec clandeſtina, nec precariò conceſſa.

6 Locus autem, iu quo oſtendendum eſt privilegium, debet eſſe ſecurus ab omui violentia, alioquin poſſet appellari, ut habetur *in cap. accipimus de fide inſtrum.* & *in cap. accedens ut lite non conteſt. cap. ex parte de appell.* Præterea Reus nuuuunquem edigitur edere inſtrumenta coutra ſe, quemvis contrarium ſtatuatur *in cap. 1. de probat.* Episcopus autem, donec qui ſe exemptum dicit, probaverit ſuem exemptionem, poteſt jurisdictionem in illum exercere, quia juxta commuuem regulam juris *pendente lite non debet quis privari commodo ſua poſſeſſionis.* Tum quia in dubiu non cenſetur derogatum juri communi, quod multis vigiliis fuit prumolgatum juxta textum *in l. ſi quando in princ. C. de inoffic. teſtam.*

7 Quibus verò modis, cleuſulis, vel verbis probetur exemptio à jurisdictione Ordinariorum declaretur *in cap. ſi Papa 10. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. declarat, quibus formis, modis, cleuſulis, vel verbis in privilegiis probetur exemptio: ut ſi Papa in privilegio vel ſcriptura facta uon principaliter ſuper ſententia exemptionis narret aliquam Eccleſiem ad jus, & proprietatem Romenæ Eccleſiæ generetim pertinere, vel ſimilia verba; non ideo probatur exemptio, niſi de libertate aliter doceatur, debet enim Papa in privilegio, vel ſcriptura facte principaliter narrere ſuper datione, vel ſententia exemptionis. Rurſus ſi ſuper eccleſiæ exemptione ſententiando, vel egendo negotium de exemptione aſſerat, ipſam Eccleſiam eſſe exemptam, vel eſſe juris divi Petri, vel pertiuere ſpecialiter ed Romanam Eccleſiem, vel ſine medio, vel ſimpliciter, tunc probatur exemptio: ratio eſt, quia cum omnes Eccleſiæ per totum orbem terrarum pertineant ad Romanem Eccleſiam debent hujusmodi verba aliquid operari, proiude probere privilegium.

8 Hoc idem etiam procedit, ſi in privilegio poneutur hujusmodi clauſulæ. *Eccleſia ſit libera. Potiatur libertate Eccleſia Romana. Solvat Eccleſia Romana annuum cenſum ad indicium libertatis:* per has enim, & alias ſimiles clauſules probatur exemptio, quòd Eccleſia ille exempta ſit ab ordineril poteſtete: vel quòd in ea Epiſcopus non exerceat jurisdictiouem. Præteree qui recipitur in proprium, & ſpecialem ſubditum, eſt etiam exemptus; nou ita ſi in ſpecielem filium Romenæ Eccleſiæ, quie omnes fideles ſunt ſpeciales filii Eccleſiæ Romanæ. Demum ſi privilegium alicui ita coucedetur circa aliquem, ut non poſſit excommunicari, ſuſpendi, vel quòd in ſpecialem filium Romanæ Eccleſiæ ſit aſſumptus, tametſi poſtea ſequator, quod annuum cenſum ſolvat Eccleſiæ Romanæ, non dicitur exemptus quamvis per prædicta non deroget aliis modis exemptioonum, qui continentur iu litteris eccleſiæ. Verùm hodie verba nerrativa in litteris papelibus, ſi ſint de ſuo facto, & ſuper his fuudetur cius inteutio rectè probant exemptionem, ut hebetur *in clement. litteris de probat.* Retio itidem, cur Pepa ex eo quòd aliquem recipiet iu filium, eum nou eximat, eſt, quie poteſt quis rectè eſſe elicujus filius, & ſimul alteri ſubjici, ſeu eſſe ſubditus, vel ſervus alterius: filiatio enim amorem denotat: privilegium verò liberatiouem à ſpeciali aliqua ſubjectioue ſignificat.

Ex ſolutione autem cenſûs fecta Sedi Apoſtolicæ non probetur exemptio è poteſtate, ſeu jurisdictione Ordineriorum, uiſi eppareat cenſum fuiſſe ſolutum Sedi Apoſtolicæ in ſignum immediatæ ſubjectionis, & perceptæ libertatis, ut habetur *in c. recipimus 8. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd ſicut non omnes, qui ſpecialiter Beati Petri juris exiſtunt, annuetim Sedi Apoſtolicæ cenſum exſolvunt, ita ueque omues cenſuales ab Epiſcoporum ſubjectione ſunt immunes. Unde quamvis teuor privilegiorum ſit attendendus nou tamen ſufficit ed probendam exemptionem ſi Eccleſia cenſualis ſpecielis ſpecialiter exiſtat juris B. Petri; ſed ulterius requiritur ut ad indicium perceptæ libertatis cenſum conferat: quie ſi tantùm cenſus ſolvetur ad indicium perceptæ protectionis; non ideo juri Epiſcopi ſubtrahitur. 9

Quamobrem inſpicienda ſunt privi'egia, & eorum tenor diligenter conſiderandus, an ſint exempti, & utrum cenſum ſoluatur ad indicium libertetis, vel nou, ſed tantùm in ſignum perpetuæ protectionis. Unde ex eo, quòd eccleſia ſolvet Pontifici annuum cenſum, non inde probatur exemptio, ut liquet ex hoc textu, niſi expreſſè ſolvatur in argumentum, & ſignum datæ libertatis; quòd fortâſſis rerum erit. Rurſus ex eo præcisè, quòd aliquis recipiatur in jus ſpeciale B. Petri videtur aliquid plus eidem concedi, quàm reliquis Clericis, qui omnes ſunt ſub jure ordinerio ſancti Petri. Receptio eutem ſimplex ſub protectione non præjudicat juri eliorum, niſi recipiens ſit eorundem ſuperior, quemadmodum Pepa eſt ſuperior Epiſcoporum, quòd ſi expreſſè id feciat, & in ſignum illius cenſum annuum aliquando percipit, probet telem receptionem in protectionem. 10

Quòd ſi quæratur, quid operetur receptio in protectionem ſine exemptione. Reſpondet Gloſſa, parùm operari, niſi quòd mejor reverentia videatur deſerri telibus, quàm eliis, & facilliùs moveatur Pontifex, ad eorundem deſenſionem, & ad reſcribendum in eorum fevorem: unde receptio in protectionem non eſt omnino ſuper- 11

ſupervacanea, & inutilis, quia ſaltem operatur hoc, ut ſi tali per violentiam ſit aliquid ablatum, vel aliàs in perſonæ aut rebus ſuis fuerit injuſtè gravatus tantò citiùs ei ſedes Apoſtolica aſſiſtat, & injuſtum gravamen inferentem per cenſuram eccleſiaſticam monitione præmiſſa compellat ad plenam reſtitutionem, & ſatisfactionem, quia etiam Domini ſæculares eo ipſo, quòd aliquos recipiunt ſub protectione, tenentur eos defendare ſi injuſtè graventur, ut notat Hoſtienſis in *d. c. recepimus 8. prope fin. h. t.* Imò prodeſt etiam hæc receptio in protectionem, ut major reverentia debeatur ſic receptis, quàm alijs *argum. c. per tuas 7. de maior. & obed.*

12. Locus exemptus extra Diœceſin judicandus eſt à pari, quia ſicut Epiſcopus, vel quivis alius Judex non poteſt exercere contentioſam juriſdictionem extra ſuum territorium: neque ibi pro tribunali ſedere (niſi fortaſſis fuerit violenter expulſus à propria Diœceſi) ita neque in loco exempto, ut deſumitur *ex c. cum Epiſcopus 7. de offic. Ordinarij in 6. clement 1. de foro competenti.* Nihilominus celebrare, vel injungere, ut coram ſe celebretur in loco exempto eſt ſpecialiter conceſſum Archiepiſcopo, & Epiſcopo, ut habetur *in element. Archiepiſcopo a h. t.* ubi dicitur, quod Archiepiſcopus tranſiens, vel declinans ad loca exempta ſuæ Provinciæ poſſit liberè ante ſe crucem deferre, benedicere populo; audire privatim, vel publicè divina officia etiam in Pontificalibus celebrate, vel facere celebrare in ſua præſentia, non obſtante quovis contrario privilegio. Rurſus Epiſcopus in locis exemptis ſuæ diœceſis poteſt populo benedicere, audire divina officia, & ea celebrate, vel in ſua præſentia facere celebrare: per hoc tamen ut in locis exemptis, vel etiam privilegiatis nullam aliam exerceat juriſdictionem, nec perſonis exemptis moleſtiam, vel gravamen inferat, nec in alio præjudicetur exemptioni privilegiatorum, neque quovis alio modo acquirat in tali loco exempto novum jus, quod antea ei non competebat. Alios tamen actus ordinis Epiſcopalis, ut conſecrationes, vel ordinationes facere in locis exemptis ſine licentia ſuperioris, ſeu Ordinarij loci illius, in cujus diœceſi exiſtit locus exemptus, non videtur conceſſum Epiſcopis *argum Concil. Trident. Seſſ. 6. de refor. c. 5.* ut notat Quaranta *in ſumma Bullar. V. Archiepiſcopi autheritas n. 32.*

13. Habent tamen Epiſcopi pleriſque in caſibus in exemptos juriſdictionem nonnunquam delegatam, ut quando in canone, ſeu jure canonico dicitur, ut contra exemptos authoritate Apoſtolica, vel tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus procedat, & exempla paſſim occurrunt in Concil. Trident. nonnunquam etiam ordinariam; quando ſcilicet Epiſcopis ſimpliciter conceditur juriſdictio, vel additur illa clauſula *non obſtantibus privilegijs, & exemptionibus quibuscunque*; tunc enim remoto privilegio exemptionis Epiſcopus procedit tanquam Ordinarius: exemplum habetur *in c. volentes 1. h. t. in 6.* deſumptum ex Concilio Lugdunenſi, ubi dicitur, quòd exempti à juriſdictione Epiſcopi, & ex privilegio immediatè ſubjecti Papæ, ſi delinquant in Diœceſi Epiſcopi in loco non exempto Ordinarius loci cognoſcit cauſam, & punit. Et id etiam procedit de cauſa ratione contractus, vel rei in loco non exempto: unde Epiſcopo datur ſimpliciter juriſdictio in exemptos ſi in ſua diœceſi extra locum exemptum deliquerint, contravenerint, vel pro non re exempta conventi fuerint.

Notat tamen Cavarruvias *pract. quæſt. c. 11. 4. 5.* id procedere ſi exemptio ſit loco certo circumſcripte: non verò ſi ſit mixta, ſeu loco & perſonæ ſimul annexa, quæ interpretatio non ſolùm deſumitur *ex c. cum capella 10. h. t.* Sed etiam ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. c. 3.* ubi contra Regularem exemptum contra monaſterium, extra monaſterium delinquentem Epiſcopus non ſimpliciter, ſed tanquam Apoſtolicæ ſedis delegatus poteſt procedere, idque intelligitur de eo, qui Ordinariè, vel ſaltem per longius tempus ſolet extra monaſterium morari in loco non exempto: alioquin ſi delinquens extra monaſterium ſoleat ordinariè in monaſterio exempto vivere; primarius hujus delicti Judex eſt Abbas ejuſdem monaſterij, ut deſumitur ex eodem Tridentino *ſeſſ. 25. de Regularibus c. 14.* 14

Quòd ſi Epiſcopus procedat ut delegatus ſedis Apoſtolicæ ab eo ad ſummum Pontificem tanquam delegantem appellandum erit, ut notat Barboſa *p. 3. alleg. 92.* Sin verò Epiſcopus procedat ut Ordinarius tunc ab ipſo ad Metropolitanum fit appellatio. Cæterum quia ſummus Pontifex cum omnibus inferioribus judicibus concurrentem habet juriſdictionem, & quilibet omiſſo ſuo Ordinario poteſt immediatè apud ſedem Apoſtolicam agere; ideo non videtur prohibitum exemptis indifferenter appellare ad ſedem Apoſtolicam; imò interdum videtur hæc appellatio expedire pro cautela, ne ſcilicet inferiores judices ſucceſſivè majorem contra ipſos juriſdictionem ſibi arrogent: idquè vel maximè procedit, quando dubitatur, an Epiſcopus ordinaria, vel delegata poteſtate procedat, ut quando in canone ponitur clauſula, *ut etiam tanquam ſedis Apoſtolica delegatus procedere poſſit.* Regulariter tamen juriſdictio in aliquo caſu data Epiſcopis non comprehendit exemptos niſi ſpecialis de ipſis mentio fiat. Cæterum conſuetudo, & præſcriptio contraria poteſt derogare juriſdictioni Epiſcoporum, ut etiam ſupplicatio apud ſedem Apoſtolicam cum expoſitione gravaminum, ut notat Barboſa *de offic. Epiſt. p. 3. alleg. 92. & ſequent.* 15

An verò privilegium conceſſum alicui monaſterio, ut poſſit in proprios ſuos uſus convertere fructus Eccleſiæ ſibi ſubjectæ cenſenda ſit hæc ſtatim exempta à juriſdictione Epiſcopi, reſpondetur, hujuſmodi eccleſiam 16

non

non eximi per hoc à jurisdictione Ordinarij, idque deſumitur ex *c. paſtoralis 19. h. t.* ubi cùm Religioſi impetraverint à ſede Apoſtolica indultum, quo poſſent eccleſias ſibi ſubjectas in proprios uſus convertere decedentibus earundem perſonis: orta fuit poſtea difficultas, an liceat ijſdem authoritate propria earundem eccleſiarum poſſeſſionem accipere, an verò per Diœceſanum Epiſcopum deberent in talem induci poſſeſſionem: & Innocentius III. reſcripſit, non eſſe licitum inconſulto Ordinario, ſeu Epiſcopo earundem eccleſiarum poſſeſſionem ingredi, eò quia per talem indulgentiam non cenſeatur derogari juri Epiſcopali; niſi fortaſſis in indulgentia Pontificis id contineatur expreſſum, ſcilicet ut viri Religioſi, quibus à ſede Apoſtolica eſt indultum, eccleſias ſuas in proprios uſus, poſſint convertere, & ſuo Epiſcopo inconſulto in earundem poſſeſ-
16 ſionem ingredi. Ex hoc textu conſtat, quòd quando Papa concedit Religioſis privilegium convertendi in proprios uſus eccleſias ſibi ſubjectas, non poſſunt propter authoritatem ejuſdem poſſeſſionem ingredi, ſed debet Epiſcopus eos introducere, quia Papa non derogat juri Epiſcopatûs quoad tale privilegium, niſi aliud in eo explicetur. Quod tamen intelligendum eſt de poſſeſſione, quam Religioſi nunquam habuerunt, non verò de ea, quam habuerunt *c. cùm inveniſſent de reſt. ſpol.* Tum quia privilegium cùm ſit odioſum non debet extendi ultra id, quod in ipſo continetur & intelligitur conceſſum abſque alterius præjudicio. In generali autem conceſſione non intelligitur id conceſſum, quod ſpecialiter non fuiſſet conceſſum *c. eccleſia veſtra de elect.*

17 Ratio verò cur inconſulto Epiſcopo non debeant Religioſi poſſeſſionem talium eccleſiarum ingredi, eſt, quam adfert Joannes Andreas *in d. c. paſtoralis 19. h. t.* quia gratia, ſeu conceſſio Principis poteſt eſſe ſubreptitia, & damnoſa religioni *c. ne ſede vacante*, proinde Epiſcopo priùs exhibenda eſt, ut illam examinet, diſpiciátque, quid faciendum ſit, an ad executionem procedi debeat, an potius iterum Pontifex conſuli, ut docent Canoniſtæ in *c. quando de reſcript.* & notat Covarruvias *pract. c. 35. n. 6.* De Beneficiario autem, qui canonico titulo beneficium obtinuit, vel fructus beneficij, an poſſit authoritate propria poſſeſſionem adire. Reſpondetur cum diſtinctione, ſi hæc ab aliquo antea fuit occupata, tunc non licet niſi præcognoſcatur cauſa à Judice eccleſiaſtico, quia nemo privandus eſt poſſeſſione, in qua reperitur, niſi ex præcognitione cauſæ, & ſententia Judicis. Sin verò à nemine fuerat antea occupata, tunc putârim, poſſe Beneficiarium canonico titulo obtento propria authoritate adire poſſeſſionem, quia quod meum eſt, & caret alio poſſeſſore poſſum apprehendere propria auctoritate cum omnibus, quæ ad legitimum titulum, & inſtitutionem pertinent, cùm nemo ſit, qui tunc poſſit conqueri; non enim fit ulli injuria. Idque vel maximè procedit, ſi Epiſcopus longè abſit, & in mora ſit præjudicium, vel gravamen.

Quòd ſi ſummus Pontifex alicui monaſterio, vel loco pio concedat aliquam eccleſiam pleno jure, tunc cenſetur hæc eximi à jurisdictione Ordinarij: ratio eſt, quia quod ſubijcitur alicui pleno jure, ſubijcitur totaliter, & excludit, quamlibet aliam ſubjectionem, & dependentiam ab alio, proinde eccleſia, pleno jure alicui conceſſa illi ſubijcitur quoad legem diœceſanam, & legem jurisdictionis: adeò ut is cui pleno jure eccleſia conceditur acquirat jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, nec poſſit Epiſcopus ullum jus epiſcopale ibi exercere, ſed præſentatio, inſtitutio, vel reſtitutio Clericorum ad eum tantùm pertineat, qui pleno jure eccleſiam illam poſſidet. Iuvat tamen obſervare, quod per hujusmodi conceſſionem factam à Papa non poſſit donatarius, ſeu is cui facta eſt conceſſio perceptos fructus convertere in propriam utilitatem; ratio eſt, quia hujusmodi conceſſio eſt odioſa eccleſiæ conceſſæ, in cujus præjudicium cedit: proinde debet ſtrictè interpretari, ut non extendatur ultra ea, quæ exprimuntur in Pontificio indulto, quo pacto Epiſcopus habens eccleſiam pleno jure ſibi ſubjectam, & juriſdictionem in ſpiritualibus, & temporalibus non poteſt ejus fructus percipere, & convertere in propriam utilitatem. 18

Hinc privilegium conceſſum alicui monaſterio convertendi eccleſias ſibi ſubjectas in proprios uſus intelligitur illi conceſſa adminiſtratio ejuſdem eccleſiæ in rebus ſpiritualibus, & temporalibus, taliter tamen, ut eccleſia maneat in priſtino ſtatu, adeò ut ſi fuerit antea collegiata, debeat ibi ſervari collegium: ſin autem in illa fuerat Rector inſtitutus, debeat à monaſterio Clericus præſentari Epiſcopo, à quo inſtituatur in perpetuum Vicarium illius eccleſiæ: reliquos autem fructus ſuperfluos poteſt monaſterium percipere, & in ſuos uſus convertere deducta tamen certa portione congrua pro alimentis Vicarij: ſicut etiam poteſt monaſterium omnes fructus cedere Vicario, reſervatâ ſibi tantùm certa portione, ut deſumitur *ex c. de Monach.* 12. *de prob.* 19

Non tamen per exemptionem conceſſam Monaſterio cenſentur etiam exemptæ capellæ, ſeu aliæ eccleſiæ, quæ eidem monaſterio ſubijciuntur: ſicut neque exempto capite intelliguntur exempta ejus membra, idquè deſumitur ex *c. ex ore 17. h. t.* ubi cùm inter Cœnobium, & Epiſcopum Vigorienſem controverſia eſſet ſuper exemptione, & Procurator monaſterij plurium Pontificum privilegia adduceret, quorum uſum continuum à longis retrò temporibus per depoſitiones teſtium probaret, reſcripſit Innocentius III. in privilegio Conſtantini contineri, ut Abbas proximum locum poſt Vigorienſem præſulem ſemper obtineret, non tamen in generali Concilio, nec in Provinciali ante alios Epiſcopos, ſed in epiſcopali, ſeu in diœceſana, ſynodo tenetur 20

tur

tur illam accedere, & ſervare. In privilegio autem Alexandri continetur, non debere Epiſcopum à fratribus loci quidquam injuſtè exigere, ſed his contentum eſſe, quæ eorum Anteceſſores Epiſcopo Vigorienſi rationabiliter impenderunt: & cùm ex neutra parte probaretur præſcriptio, definivit Pontifex monaſterium liberum eſſe in capite, ſeu Abbate, qui ſubijcitur ſoli Romano Pontifici; advocaria tamen monaſterij, ſeu tutela reſervata Archiepiſcopo Cantuarienſi.

21 Membra autem monaſterij, ſeu Monachos, cùm non probentur exempti, mandat Pontifex ſubiacere Epiſcopo, & propter ipſos teneri Abbatem ſynodum Epiſcopalem accedere, & proximè poſt Epiſcopum ſedere, eique propter ſuos Monachos reverentiam, obſequium, & honorem etiam exhibere. Ex quo textu clarè infertur, quòd quando conceditur exemptio capiti, vel monaſterio, non intelliguntur exempta membra ut ſunt capellæ, vel eccleſiæ in locis diſſitis à monaſterio: & rurſus quòd Abbas exemptus ratione membrorum non exemptorum debeat ſubeſſe Epiſcopo, eique exhibere debitam reverentiam; & venire ad ejus ſynodum, ac ſervare ejus ſtatuta. Hinc poteſt monaſterium aliquod habere Abbatem exemptum, & immediatè ſubjectum Pontifici, quamvis ejus Monachi non ſint exempti, & propterea ratione illorum teneatur Abbas ſubeſſe Epiſcopo; ex quo textu etiam colligitur, quòd per exemptionem à Papa conceſſam monaſterio non cenſentur exemptæ capellæ, ſeu eccleſiæ, quæ eidem monaſterio ſubijciuntur, quia cùm tale privilegium ſit odioſum utpote derogans juri communi, non eſt extendendum ultra ea, quæ in eodem indulto exprimuntur; proinde Epiſcopus in hujuſmodi capellis retinet omnia jura Epiſcopalia, quæ enumerantur in *c. conquerente 16. de offic. Jud. Ord.*

22 Quòd ſi dicas, de connexis eſſe idem judicium *c. 3. de conſtit.* Et membra perinde eſſe connexa capiti, ſicut partes toti; proinde exemptionem capitis trahere exemptionem membrorum. Contra eſt, quia id tantùm procedit in favorabilibus, quæ extendenda ſunt, non verò in odioſis, quæ reſtringuntur ad illa tantùm, quæ ſunt expreſſa in ipſo indulto: unde regula de connexis, de quibus dicitur eſſe idem judicium non procedit in odioſis, & exorbitantibus, quæ non ſunt neceſſariò, & inſeparabiliter connexa, ut notat Barboſa in *d. c. ex ore 17. n. 6. h. t. in collect.* Sin verò Abbas delinquat in monaſterio ſuo exempto non poteſt puniri ab Epiſcopo loci, neque coram illo conveniri: benè tamen ratione membrorum non exemptorum poteſt conveniri, & tenetur reſpondere coram Epiſcopo loci, perinde ac exemptus ratione rerum exiſtentium extra locum exemptum poteſt conveniri coram Ordinario loci, ut habetur in *c. volentes t. h. t. in 6.*

23 Quòd verò dicitur per exemptionem conceſſam monaſterio non cenſeri exemptas capellas, quæ eidem ſubijciuntur; id intelligendum eſt, ſi tantùm quoad temporalia, vel ſpiritualia, ſeu jura epiſcopalia eidem ſubijciantur; alioquin ſi privilegium conceſſum ſit monaſterio, & ejus capellis pleno jure, tunc etiam ipſæ capellæ cenſentur exemptæ, ut deſumitur ex *c. quoniam 21. h. t.* ubi cùm conſtaret, Epiſcopum Nepeſinum jus Epiſcopale percipere ex eccleſia S. Blaſij de Flageno, & tamen monaſterio indultum eſſet, ut nullus Epiſcopus eccleſias utroque jure illi ſubjectas interdicere, aut Monachum, vel clericum ejuſdem monaſterij excommunicare præſumeret: cenſuit Innocentius III. poſſe non obſtante privilegio eccleſiam illam interdicere, & Monachum, ſeu Clericum ad ejus regimen deputatum excommunicare: eò quia capitulum intelligi debeat de Monachis, aut Clericis permanentibus in ipſo monaſterio.

Ex quo texto colligitur, quòd quando 24
conceditur privilegium monaſterio, vel eccleſijs eidem ſubjectis utroque jure, ſeu pleno jure, ut earum Monachi non poſſint excommunicari, intelligitur de Monachis manentibus, & deſtinatis in his locis tantùm. Eccleſia ſubjecta pleno jure, ſeu utroque jure intelligitur, quando eſt ſubjecta in ſpiritualibus, & temporalibus, tametſi Epiſcopus aliqua ſpiritualia recipiat *c. venerabilis de cenſib.* Colligitur itidem ex dicto textu, privilegium conceſſum alicui perſonæ reſpectu certi loci non ſequi perſonam extra talem locum, adeò ut ſi adeat alium locum, in quo moretur, non gaudeat tali privilegio, ſed poſſit conveniri coram Ordinario loci, & etiam puniri, ſi ibi delinquat, ut notat Abbas in *d. c. quoniam 21. n. 2. h. t.* Rurſus infertur, paria eſſe pleno jure, & utroque jure; ſcilicet in ſpiritualibus, & temporalibus, adeò ut is, cui pleno, ſeu utroque jure conceditur eccleſia, habeat poteſtatem inſtituendi in illa, & deſtituendi Clericos, & exercendi alia juriſdictionalia: & in temporalibus, ut habeat jus percipiendi redditus temporales, vel ſaltem exigendi rationes temporalium, perinde ac patronus eccleſiaſticus.

An verò exemptâ eccleſiâ à juriſdictione 25
Epiſcopi, cenſeantur etiam exempti ejus miniſtri, & Clerici; & è contra quando eximuntur Clerici eccleſiæ, & Miniſtri, cenſeatur etiam exempta ipſa eccleſia. Reſpondetur quoad primum affirmativè, adeò ut exemptâ eccleſiâ eximantur etiam ejus Clerici, & Miniſtri, licèt non ejuſdem eccleſiæ Parochus quoad pertinentia ad parochiam, nec parochiani intelliguntur exempti. Quoad ſecundum verò reſpondetur negativè, adeò ut ſi eximantur canonici eccleſiæ, non intelligatur exempta eccleſia, nec ſint exempti ejus Clerici: licèt è converſo ſi eximantur Clerici, intelligantur exempti tam canonici, quàm Clerici, ſed non eccleſia, niſi aliud in privilegio exemptionis exprimatur, idque deſumitur ex *c. per exemptionem 9. h. t. in 6.* ubi habetur quòd per exemp-

tionem

tionem eccleſiæ conceſſam, ipſa eccleſia, & ipſius Monachi, vel Canonici, immo etiam Clerici, ac converſi & perpetuò oblati intelligantur exempti; non verò ejusdem eccleſiæ Pres-
25 byter, ſeu Parochus quoad ea, quæ ad curam parochianorum pertineat, nec ipſi parœciani.

26 Verùm ſi Canonici alicujus eccleſiæ eximantur ipſi ſoli intelliguntur exempti, non verò eccleſia, nec alij Clerici ejusdem. Quòd ſi Clerici eccleſiæ eximantur, tunc tam canonici, quàm Clerici intelliguntur exempti, non tamen ipſa eccleſia niſi in privilegio exemptionis exprimatur, ex quo infertur non ſolùm Monachos, & canonicos, & alios Clericos gaudere privilegio exemptionis conceſſo eccleſiæ, ſed etiam converſos, & perpetuò oblatos, qui ſe, & ſua dederunt eccleſiæ ſive Regulari, ſive ſæculari, & licèt non utantur habitu converſorum, participant tamen de eorum privilegiis, gaudent enim privilegio canonis *ſi quis ſuadente 29. cauſ. 17. q. 5.* ut etiam privilegio fori *c. 2. de foro compet.*

27 Rurſus quamvis eccleſia ſit exempta non propterea eximitur popolus, adeò ut Epiſcopus poſſit ordinariam poteſtatem exercere in parochianos: ratio verò cur eximantur Clerici non verò Parochiani laici eſt, quia Clerici ſunt magis annexi eccleſiæ, quàm laici; adeò ut Clerici comprehendantur nomine eccleſiæ: quia verò hujusmodi privilegia ſunt odioſa, eò quia derogent juri communi, præjudicent poteſtati ordinariæ Epiſcopi, reſtringi debent tantùm ad ea, quæ in indulto exprimuntur, non verò extendi ad laicos. Imò ſi in privilegio ponatur clauſula: *Eximimus canonicos talis eccleſiæ à poteſtate Epiſcopi ſui.* Tunc ſoli Canonici intelliguntur exempti, non verò alij Clerici, quia in Odioſis nomine canonicorum non veniunt alij Clerici: ſin verò in privilegio dicatur; *Eximimus Clericos talis eccleſiæ à poteſtate Epiſcopi.* Tunc etiam Canonici intelliguntur exempti *argum. c. de perſona 38. cauſ. 11. q. 1.* Quia per generalem appellationem Clericorum comprehenduntur etiam canonici, ut notat Kochier *de juriſd. in exempt. p. 4. q. 12. n. 7.*

28 Quòd ſi quæratur, an exempti à juriſdictione Epiſcopi poſſint aliquando coram eodem conveniri, & ab eodem puniri. Reſpondetur, de hac difficultate agi in *c. volentes 1. h. t. in 6.* ubi Innocentius IV. in Concilio Generali Lugdunenſi ſtatuit, ut quantumcunque exempti, nihilominus ratione delicti, ſive contractûs, aut rei, de qua contra ipſos agitur, poſſint coram locorum Ordinarijs conveniri, & illi quoad hoc ſuam in eos exercere juriſdictionem. Vult tamen Pontifex, eos gaudere commodo libertatis, dummodo in loco exempto delictum ſit commiſſum, vel contractus initus, vel res litigioſa; nec ubi domicilium habent; ſi alibi delinquant, vel contrahant, aut res ipſa conſiſtat, conveniri poſſunt, aliquatenus ſuper iſtis coram locorum Ordinarijs, neque ijdem prætextu domiciliorum remittendi ſunt illuc, ſi ubi deliquerunt, vel contraxerunt, vel res ipſa conſiſtit, exempti conveniantur.

Ex hoc textu conſtat, exemptos à juriſ- 29
dictione Epiſcopi, & ex privilegio immediatè ſubjectos Papæ, ſi delinquant in Diœceſi Epiſcopi in loco non exempto, ab Ordinario loci poſſe eorum cauſam cognoſci, & puniri: & hoc etiam procedere de cauſa ratione contractus, vel rei in loco non exempto. Sin verò delictum, vel contractus, vel res ſunt in loco exempto, tametſi qui convenitur habeat domicilium in Diœceſi Epiſcopi, non tamen poteſt conveniri coram Epiſcopo ratione privilegij. Pari pacto, ſi deliquit, vel contraxit, aut habuit rem litigioſam in aliena Diœceſi, ſed domicilium in hac, non poteſt cognoſci ab Ordinario domicilij; nec poteſt hic ad ſe cauſam revocare. Idque etiam procedit, quando quis obtinuit privilegium, ut non poſſit conveniri, nec tenetur reſpondere niſi ſub uno certo judice: quia ſi concurrant domicilium, & delictum, vel contractus, vel res in loco non exempto, poteſt conveniri coram Judice domicilij, ſalvis alijs caſibus, in quibus de jure ſubijciuntur Epiſcopis etiam exempti.

Rurſus Innocentius IV. in *d. c. volentes* 30
ſtatuit, ut qui habent privilegium, quòd non poſſint interdici, ſuſpendi, vel excommunicari ab Ordinario, ut ſunt multi Religioſi, in quorum privilegiis exprimitur, ne ſuorum monaſteriorum Monachi excommunicentur; ſi prædicti Monachi habitent in Prioratibus ſubjectis Ordinario locorum, ut nimirum ibi regant, vel reſideant, poſſint excommunicari, ſuſpendi, & interdici ab Ordinariis, quamdiu ibi morantur. Hocquè procedit niſi in privilegio ſit aliqua clauſula derogans prædicto canoni: alioquin hic canon innovatus fuit à Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. de refor. c. 14.* non ſolùm quòd exemptus extra locum exemptum delinquens, vel contrahens, aut ſi res alibi ſita ſit, verùm etiam cum auctario, quod in civilibus cauſis mercedum, vel miſerabilium perſonarum Clerici ſæculares, aut Regulares extra monaſterium degentes quomodolibet exempti, tametſi certum Judicem à ſede Apoſtolica deputatum in partibus habeant; In aliis verò, ſi certum Judicem non habeant coram Ordinariis tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatis conveniri, & jure medio ad ſolvendum cogi, & compelli poſſint

Pro clariori tamen explicatione hujus 31
textus juvat recolere duplicem illam exemptionem, quam ſuperiùs explicuimus; ſcilicet merè perſonalem, & realem, ſeu localem, & mixtam, per quam eximitur perſona non ſimpliciter, & abſolutè, ſed tantum reſpectu certi loci, ut quando Canonici eximuntur reſpectu certæ eccleſiæ, & Monachi reſpectu monaſterij. Si quis ſit exemptus exemptione merè perſonali, ſeu ratione perſonæ ſimpliciter, & abſolutè, tunc ubicunque perſona delinquat etiam

etiam extra locum exemptum nequit ab Ordinario loci puniri, ut nec etiam ſi ibidem contrahat, vel res ſita ſit, de qua eſt controverſia, ſortitur ibi forum, ratione contractus, vel rei ſitæ in illo loco: alioquin privilegium exemptionis illuſorium foret, & inutile *argu. l. quoties 3. C. ubi Senatores.* Eo enim ipſo, quòd exemptio eſt merè perſonalis, adhæret perſonæ, quam ſequitur in omni loco; ac propterea ſemper perſona in quocumque loco eſt exempta, nec poteſt conveniri ab Ordinario loci.

32 Quòd ſi perſona ſit tantùm exempta non merè perſonaliter, ſed reſpectu certi loci exempti, tunc ſi exemptus delinquat tantùm in loco exempto non poteſt ab Ordinario conveniri, & puniri, tametſi locus exemptus ſit intra ipſius Diœceſim: imò neque poteſt conveniri coram Ordinario ratione contractûs initi in loco illo exempto; nec ratione rei ibi ſitæ: ut habetur *in d. c. volentes 1. verſ. numquid ergo h. t. in 6.* excipitur tamen generale interdictum, quod obſervare tenentur etiam exempti non obſtante contraria conſuetudine, ne cenſura eludatur, ut habetur *in c. inter 5. de conſuetud.* Rurſus ſi delictum ſit perfectè conſummatum extra locum exemptum, tunc ratione delicti, vel etiam ratione contractus initi extra locum exemptum, vel ratione rei ibi ſitæ poſſent ſic exempti conveniri coram Ordinario loci: niſi privilegium exemptionis ſit ſpecialiter conceſſum etiam ratione delicti commiſſi, contractus initi, & rei ſitæ extra locum exemptum; quemadmodum exempti ſunt Regulares: tunc enim ubicunque ita exempti delinquant, vel contrahant, vel res ſita ſit etiam extra locum exemptum coram Ordinario loci conveniri non poſſunt, ut notat Fagnanus *in c. tuarum 11. n. 9. h. t.*

33 Quamobrem exempti ſpecialiter cum ſpecifica expreſſione delicti commiſſi, vel contractus initi, vel rei litigioſæ conſtitutæ, ſi exemptio ſit merè perſonalis non poſſunt ab Ordinario conveniri, nec puniri, & hæc exemptio conceſſa fuit à Sixto IV. Religioſis S. Dominici, & ab aliis Pontificibus etiam aliis Regularibus, ut notat Fagnanus *in d. c. tuarum num. 18. & ſequent h. t.* & in privilegio exemptionis nominatim exprimuntur hi tres caſus comprehendentes delictum, contractum, & rem litigioſam ſitam; & ubi verba privilegii ſunt clara, non indigent interpretatione, nec alia declaratione.

34 An verò etiam ſimpliciter generaliter, & indefinitè exempti ſubtrahantur ab omni poteſtate Ordinariorum, ut ſi in privilegio dicatur *Eximimus tales à juriſdictione, & poteſtate, vel etiam ab omni poteſtate Ordinariorum* cenſeantur exempti etiam in quovis loco, aliqui affirmant, quia privilegium exemptionis, eo ipſo quòd eſt generale, & indefinitum, & ſine ulla reſtrictione conceſſum, videtur etiam generaliter eſſe intelligendum *diſt. 4. de conſec.* & ibi Gloſſa *V. generali præcepto de conjug. Leproſor.* ubi docet, quod generaliter dictum, ſit generaliter intelligendum, proinde etiam privilegium exemptionis, ſi ſit generaliter conceſſum.

Verùm contraria ſententia communior eſt, & probabilior, ſcilicet generaliter tantùm, & indefinitè exemptos non gaudere privilegio exemptionis in prærecenſitis tribus caſibus extra locum exemptum, præſertim ratione delicti *c. poſtulâſti 14. c. fin. de foro compet.* tum quia ratione delicti amittitur privilegium *cap. privilegium 63. cauſ. 11. q. 3.* tum quia reatus omnem excludit honorem *l. 1. C. ubi Senatores* unde in quo quis loco deliquit, illic debet etiam juri ſubjacere omni privilegio ceſſante; non enim prætextus privilegii debet viam aperire, & ſternere ad flagitia *l. 2. C. de privileg. Scholar. l. 12.* Quòd neque locum habeat privilegium indefinitè conceſſum ratione contractus initi in loco non exempto habetur *in c. 1. §. contrahentes* & *§. ſec. de for. compet.* Rurſus ratione rei litigioſæ aliàs non exemptæ habetur *in cap. tuarum 11. V. privilegii beneficio h. t.* 35

36

§. VIII.

De Aliis ſpecialibus privilegiis, de quibus agitur in hoc titulo.

CErtum eſt, ſummos Pontifices plura Regularibus præſertim conceſſiſſe privilegia, inter quæ illud celebrandi, vel audiendi divina officia tempore interdicti generalis, ut habetur *in c. ut privilegia 24. h. t.* ubi dicitur conceſſum privilegium quibuſdam Regularibus, ut ſi quis eorum fratrum ab eis miſſi fuerint ad collectas recipiendas, vel eleemoſynas, vel ad alia loca, forſâſſis locus ille à divinis fuerit interdictus in eorum adventu ſemel in anno aperiantur eccleſiæ, & excluſis excommunicatis, & interdictis divina ibi officia celebrentur: illa autem verba *aperiantur Eccleſiæ* intelliguntur, ut una tantùm eccleſia ejuſdem loci ſemel in anno aperiatur prædictis fratribus; quia ſi de omnibus eccleſiis generatim intelligerentur, adeò ut omnes, & ſingulæ eſſent aperiendæ, vilipenderetur interdicti ſententia. Quando enim ex generali verborum intelligentia ſequitur inconveniens, illa ſic ſunt intelligenda, ut non ſequatur abſurdum, & tunc pluralis locutio in ſingularem vertenda eſt. Imò privilegium conceſſum Religioſis *in d. c. ut privilegia 24. h. t.* ut poſſint ſepelire ſuos confratres tempore interdicti intelligitur de iis, qui tametſi maneant in ſæculo, obtulerunt tamen ſe religioni mutato habitu: ut etiam de illis, qui omnia ſua bona dederunt religioni irrevocabiliter ſervato ſibi uſufructu, & non de aliis. Epiſcopi itidem tempore generalis interdicti poſſunt divina celebrare, idque illis indulgetur *in c. quod nonnullis 25. h. t.* ubi conceditur etiam Epiſcopis, perinde ac Regularibus conceſſum in 1

præce-

Digitized by Google

præcedenti textu fuit, ut tempore interdicti poſſint divina celebrare januis clauſis, ſuppreſſa voce, & ſine campanarum pulſu, excluſis etiam excommunicatis, & interdictis.

2 Excipitur tamen dummodo Epiſcopi non dederint cauſam interdicto, nec quidquam doli, vel fraudis congeſſerint, vel niſi hunc idem fuerit ipſis interdictum. Et rurſus conceditur ipſis, ut poſſint tempore interdicti divina celebrare, non tamen ſemper, ſed quandoque tantùm, ne oriatur ſcandalum. Tametſi privilegium conceſſum Religinſis non debeat ex ſe extendi ad Epiſcopos, eò quia privilegium ſit odioſum, quia derogat juri communi; nihilominus qoia hoc privilegium celebrandi tempore interdicti ab ipſo jure canonico conceditur Epiſcopis, ideo non eſt odioſum juri communi, nec abrogat jus commune cùm potiùs ſit juxta illud, proinde rectè extenditur ad Epiſcopos non ex natura ipſius privilegii conceſſi Regularibus, ſed virtute canonis: quaprópter hæc extenſio cenſetur facta juxta modum, & cum iiſdem qualitatibus, quæ inerant primo, & principali privilegio. Præterea hæc extenſio tantùm fit ad illos Epiſcopos, qui interdicto cauſam non dederunt, neque in ipſo culpabiles fuerunt, nec auxilium præſtiterunt iis, ob quos fuit interdictū latum: ſiquidem omnes illi propter quos lata fuit ſententia interdicti perſonalis, vel localis etiam generalis, ut etiam ij, qui cauſam dederunt tali interdicto, cenſentur perſonaliter interdicti *argum. c. ſi ſententia 16. de ſent. excommun. in 6.* & perſonaliter interdicti etiam jure communi oon poſſunt celebrare, nec intereſſe divinis durante interdicto *c. ult. §. adjicimus de ſent. excom. in 6.*

3 An verò privilegium hoc clam celebrandi tempore interdicti extendatur etiam ad familiares privilegiati. Reſpondetur affirmativè *ex c. licèt 11. h. t.* ubi dicitur, quòd privilegiati tempore interdicti januis clauſis poſſint ſubmiſſa voce divina celebrare excluſis excommunicatis, & interdictis; & quòd ad illa non poſſint quemquam recipere niſi privilegiatum. Quòd ſi privilegium conceſſum fuit particulari perſonæ, ſtatuitur, ut hæc poſſit admittere ſuos familiares domeſticos, dummodo non ſint familiares alicujus conventus, vel collegii; quia non admittuntur, ſi non ſint privilegiati. Præterea additur, hoc privilegio non gaudere illum, cujus cauſa, culpa, dolo, vel fraude prolata fuit ſententia interdicti; ſicut nec eum, qui ad perpetrandum delictum ob quod fuit latum interdictum, conſilium dedit, auxilium, vel favorem, & hoc hodie ſervatur in interdicto, ut habetur *in c. Alma Mater de ſent. excommun.*

4 Ex quo textu licèt videatur inferri, poſſe extraneos admitti, eò quia dicatur, quòd ſint excludendi excommunicati, & interdicti, ex quo à contrario ſenſu videtur inferendum, quòd nec excommunicati, nec interdicti, & aliunde advenientes poſſint ad divina introduci: nihilominus argumentum à contrario ſenſu non procedit in privilegiis, quia privilegium uni conceſſum non poteſt alteri prodeſſe: & quia locus eſt interdictus cenſetur interdictus omnibus, qui non ſunt privilegiati: interdictum enim afficiens locum excludit ab illo loco omnes, & ſolùm admittit eos, qui ſunt expreſsè privilegiati: ratio itidem eſt, quia hoc privilegium, quòd paucis conceditur eſt odioſum, cùm per ipſum diſſolvatur nervus eccleſiaſticæ diſciplinæ jubentis interdicta ſervari: odioſa verò ampliandа oon ſunt, ſed reſtringenda ad ea tantùm, quæ in privilegio ſunt expreſſa: & hæc eſt ratio, cur non valeat argumentum à contrario ſenſu; neque ex eo, quod textus dicat eſſe excludendos excommunicatos, & interdictos inferri poſſit, eſſe admittendos non excommunicatos, & non interdictos.

5 Rurſus ex eodem textu ſequitur, quòd ſi privilegium ſit conceſſum perſonæ particulari, ut alicui principi, duci, vel comiti tunc tempore interdicti non ſolùm Princeps poteſt divinis intereſſe, ſed etiam ejus Domeſtici, & familiares: ratio eſt, quia quando privilegium conceditur alicui perſonæ ei intelligitur conceſſum, eo pacto, quo juxta proprium ſtatum, vel dignitatem poteſt illo uti: & quia Princeps non ſolet ſolus incedere, ſed cum ſuis domeſticis, & familiaribus intelligitur privilegium ita ipſi conceſſum, ut etiam cum ſuis domeſticis, & familiaribus poſſit tempore interdicti divinis intereſſe: alioquin privilegium ei conceſſum inutile foret, non enim Princeps eccleſiam adiret, nec etiam vir equeſtris niſi de more famuli comitarentur eum: ſecus quando privilegium conceditur alicui conventui, vel collegio non intelligitur conceſſum familiaribus ejuſdem conventus, vel collegii; ratio eſt, quia hujuſmodi Univerſitates ſolent ſine familiaribus, & domeſticis divina celebrare, vel iiſdem intereſſe. Non tamen familiares, & domeſtici privilegiati; qui tantùm ij dicuntur, qui de more ſolent herum comitari, poſſunt tempore interdicti intereſſe divinis ſine Domino; ſed tantùm unà cum ipſo, & eo præſente, adeò ut ſi Dominus cum uno tantùm vel altero famulo ſacro interfuerit, non poſſint poſtea alij Domino abſente miſſæ intereſſe.

6 Cæterum quòd excludantur in hoc textu familiares conventus, vel collegii, id intelligitur de familiaribus temporaneis, & adſcititiis, & qui ad tempus tantùm conducti ſunt mercede; non verò id procedit de familiaribus perpetuis, & præſertim Religioſis: nec etiam procedit in caſu neceſſitatis, ſi alii non ſint in Conventu, ut ſi unus ſit tantùm in Conventu, poteſt enim is familiarem aſſumere, qui ei celebranti miniſtret. Tum quia hodie virtute privilegiorum, quæ ſummi Pontifices conceſſerant ſacris Religoſorum Ordinibus poſſunt Religioſi conventus tempore interdicti etiam

ſuos familiares admittere, ut ſacris interſint, ut notat Barboſa *in d. cap. licèt* 11. *num.* 7. *h. t.*

7 Privilegia autem conceſſa Religioſis non ſunt violanda, non ſolùm directè, ſed nec etiam indirectè; quapropter qui ex privilegio Religionis non ſunt excommunicandi, neque debent illi excommunicari, qui cum ipſis tractant, cujuſmodi ſunt, qui molunt in molendinis, qui coquunt in eorum furnis, vel in aliis communicant vendendo, emendo; alioquin ſi ipſi excommunicarentur, ſequeretur, quòd indirectè Religioſi eſſent excommunicati, quia carerent eorum communicatione, quo pacto dicitur Pontifex indirectè etiam defunctos excommunicare quatenus prohibet viventibus fidelibus, ne orent pro ipſis, nec ſacrificia offerant, quod eſt indirectè privare defunctos communione viventium: quapropter Religioſi illi indirectè eſſent veluti excommunicati, cùm non poſſent cum aliis communicare. Notat tamen Gloſſa, quòd in privilegiis, lege, & canone potiùs conſideranda ſit vis, & mens concedentis, & Legiſlatoris, quàm verba, quia hæc inſerviunt intentioni, non intentio verbis *c. intelleximus de V. S.* idque ſervatur etiam in teſtamentis, & edictis. Quando verò res eſt dubia, tunc potiùs ſervanda ſunt verba edicti. Rurſus, qui agit in fraudem legis, canonis, vel privilegii, cenſetur contra legem agere.

8 Hæc autem fraus quatuor modis contingit. Primò de perſona ad perſonam: ut cùm vir non poſſit dare uxori, nec è contra; ut illi det, ſupponit aliam tertiam perſonam, cui donet, ea conditione, ut iterum donet uxori, donatio tunc nullum ſortitur valorem ob fraudem, quâ fuit lex violata. Secundò de re ad rem ut ex eo, quòd quis non poſſit mutuare pecuniam filiofamilias, mutuat ei triticum, ut poſſit illud divendere, & inde accipere pecuniam, prout deſiderat. Tertiò de contractu ad contractum, ut mulier, quæ non poteſt donare viro, eidem vendit, & hoc pacto donat. Quartò de contractu ad contractum alio modo, ut ſi mulier non poſſit fidejubere, conſtituit ſe debitricem alterius, & quidem principalem, ut hac fraude alteri inſerviat.

9 Dubitari ſolet, an ex vi privilegii conceſſi alicui Eccleſiæ de non ſolvendis decimis Epiſcopalibus cenſeantur remiſſæ non ſolùm decimæ præteritæ, verùm etiam futuræ. Reſpondetur quòd ſi Epiſcopus remittat decimas indefinitè alicui Eccleſiæ, intelligatur non ſolùm de prædiis, quæ tunc habet talis eccleſia privilegiata, ſed etiam de habendis; quia hoc privilegium eſt potiùs beneficium, quod eſt pleniſſimè interpretandum, præſertim ſi Epiſcopus potuit excipere contra tale privilegium, & nihil excepit, idque deſumitur *ex c. quia circa* 22. *h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit Londonenſi Archi-Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ Legato ſuper privilegio retinendi Epiſcopales decimas à ſuo prædeceſſore Monaſterio omnium Sanctorum conceſſo: quòd ſi prædeceſſor ille ſecundùm canones, & indefinitè Epiſcopales decimas remiſit, nihilque exceperit, & potuerit excipere, ſit privilegium intelligendum non ſolùm de decimis poſſeſſionum illius temporis, ſed etiam futuri: & dat etiam rationem, quia in beneficiis ſit pleniſſima interpretatio adhibenda, nec debeat una, & eadem ſubſtantia diverſo jure cenſeri, ex quo textu juvat obſervare, quòd Epiſcopus ſecundùm Eccleſiaſticas ſanctiones poſſit ſimpliciter, ac indefinitè remittere decimas Epiſcopales, ſeu quartam canonicam, quæ ad onera Epiſcopatûs ſuſtinenda jure communi debent Epiſcopis ſolvi ex omnibus decimis pertinentibus ad Eccleſias inferiores *cap. de quarta* 4. *de præſcript. c. conquerente* 16. *de offic. Ordin.* & tunc præſumitur non ſolùm remittere præſentes, & præteritas; ſed etiam futuras, adeò ut conceſſio immunitatis extendatur etiam ad prædia acquirenda dummodo remiſſio ſit canonicè facta, & cùm debitis ſolemnitatibus.

Dicitur autem hæc remiſſio fieri canonicè 10 ſeu ſecundùm Eccleſiaſticas ſanctiones, & cum requiſitis ſolemnitatibus, quando fit cum authoritate, & conſenſu Capituli, & ex juſta aut neceſſaria cauſa, quo pacto ſupponit Pontifex *in d. c. quia circa.* donatas, ac remiſſas eſſe huic Monaſterio decimas Epiſcopales à prædeceſſore, ut notat Panormitanus *in d. c. num.* 2. An verò hæc remiſſio proceſſerit per viam privilegii, vel tantùm per modum beneficii cenſet Barboſa *in d. c. num.* 3. proproceſſiſſe per modum beneficii: ſed alii contrarium ſentiunt, putantes, Epiſcopum poſſe etiam per viam privilegii hanc remiſſionem concedere. Ratio verò, cur hæc remiſſio ſe extendat ad decimas etiam futuras ea eſt, quia diſpoſitio indefinita dicitur æquivalere univerſali, ut notat Gloſſa *in d. c. quia circa* 22. *V. indefinitè h. t.* & etiam habetur *in l. ſi ſervitus* 23. *ff. de ſervit. urb. præd.*

Quando verò verba generaliter, & indefinitè 11 proferuntur ab eo, qui potuit aliquid excipere & non excepit, cenſetur omnia comprehendere, quæ innata, & propria ſignificatione verborum continentur, dummodo ſubiecta materia id patiatur, & cùm Epiſcopus potuiſſet reſtringere remiſſionem ad decimas tantùm præſentes, vel præteritas, & non adhibuerit hanc reſtrictionem, intelligitur remiſſio ſe extendere ad decimas etiam futuras.

Neque obſtat, ſi dicas, Epiſcopum per 12 viam privilegij conceſſiſſe talem remiſſionem, & privilegium cùm deroget juri communi eſſe ſtrictè interpretandum, eò quia omnis receſſus à jure communi ſit odioſus, *c.* 2. *de filijs Presbyter. in* 6. Reſpondetur, id procedere quando privilegium præjudicat alteri à concedente privilegium: non ita quando ſolùm præjudicat ipſi concedenti, quia tunc potiùs cenſetur eſſe beneficium Principis, & Epiſcopum

pom per modum beneficij concedere talem remiſſinnem, quæ propterea largiſſimè debet interpretari. Privilegium igitur quòd non eſt alijs præjudiciale, ſed ſolùm concedenti, tametſi ſit contra ipſius juriſdictionem, dum-
12 modo proficiſcatur ex mera ejus liberalitate eſt latiſſimè interpretandum etiam contra ipſum concedentem, ut notat Panormitanus in *d. c. quia circa n. 2. & ſequent.* & concordat *c. cum dilectus de conſult. c. olim. de V. S.* quia cenſetur eſſe beneficium Principis, & Epiſcopi, cujus liberalitas non eſt reſtringenda, ſi ipſe, qui reſtringere poterat, eam non reſtrinxit, nec quidquam excepit. Unde cùm dicitur privilegium contra jus eſſe odioſum, eò quia recedat à jure communi, proinde ſtrictè interpretandum, id debet intelligi, niſi privilegium præjudicet ſoli concedenti: & in hoc textu tale privilegium decimarum Epiſcopalium non cenſetur odioſum, quia ſupponitur factum ſecundùm eccleſiaſticas ſanctiones; hoc eſt cùm authoritate capituli, & ex cauſa juſta neceſſaria, & evidenter utili, proinde tranſit ad ſucceſſores. Hoc autem non procederet, ſi Papa tale privilegium concederet abſolutè, tunc enim reſtringendum eſſet, quia præjudicaret juri Ordinarij, ut rectè notat Abbas in *d. c. quia circa 22. n. 3. & ſequent. h. t.* & Panormitanus *ibid n. 5.* ubi concludit, quòd ſi diſpoſitio indefinita ſit de re, quæ alijs inferat præjudicium, & non ſoli concedenti, quòd tunc non extendatur ad futurum.

Verùm melius videtur procedendum cum
13 diſtinctione, ſi enim diſpoſitio indefinita concernit rem, quæ inferr grave præjudicium, tunc non videtur extendi ad futura, quo pacto ſi Cajus leget indefinitè ſuam pecuniam Paulo, cenſetur tantùm legare totam illam pecuniam, quæ illi inerat tempore conditi legati, vel teſtamenti; adeò ut ſi Cajus in teſtamento dixerit relinquo totam meam pecuniam Titio, & tunc pecunia Caj non excedat ſummam 500. aureorum, hæc tantùm ſumma intelligatur legata Titio, adeò ut ſi Cajus poſteà convaleſcat, & augeat ſuam pecuniam ad duo vel tria millia aureorum non debeantur Titio poſt mortem Caii niſi 500. aurei: ratio eſt, quia illud pronomen *meam* deſignat tempus præſens, non verò futurum *l. ſi. ita 7. ff. de auro legat.* Tum quia publicatis bonis alicujus cenſentur publicata tantùm bona præſentia, non futura *l. ſi mandavero 22. §. is cujus ff. manda-*
13 *ti.* Nec reſcriptum extenditur ad futuras lites, nec litteræ beneficiales extenduntur ad beneficia in futurum acquirenda, niſi id ſpeciatim exprimatur *clement. ult. de reſcript.*

14 Sin verò agatur de modico tantùm alterius præjudicio tunc remiſſio, vel conceſſio extenditur ad futura: quapropter ſi quis obliget bona ſua non ſolùm præſentia, verùm etiam futura cenſetur obligare *l. fin. C. quæ res pign. oblig. poſſ.* quia tunc agitur de modico præjudicio: hac diſtinctione adhibita poſſunt facilè conciliari textus, qui videntur inter ſe pugnare; quia verba indefinitè prolata, & generalia, ſi materia ex ſe non repugnet, nec verborum propria ſignificatio, non ſolùm comprehendunt præſentia, ſed etiam futura.

Privilegium tamen conceſſum de non ſol- 15
vendis decimis novalium, in quo non fit mentio de lite mota à parte contraria, non extenditur ad decimas, de quibus erat lis, vel quæ ſolvi conſueverant, idque deſumitur *ex c. dudum 31. h. t.* ubi cùm inter Priorem, & conventum de Butele ex parte una, & Prioriſſam, ac Moniales de Campeſſe ex alia ſuper decimis Novalium quæſtio verteretur, eò quia Moniales ipſis Monachis ex quibuſdam Novalibus decimas ſolvere denegarent ob quoddam privilegium iiſdem Monialibus lite pendente conceſſum de non ſolvendis decimis Novalium; quamvis ipſi Monachi eſſent in pacifica poſſeſſione percipiendi hujuſmodi decimas uſque ad id tempus; nihilominus Gregorius IX. hac ſuper controverſia à judicibus delegatis conſultus de conſilio Cardinalium decrevit, juri Prioris, & Conventus ſuper decimis Novalium, in quarum poſſeſſione erant tempore, quo privilegium Apoſtolicum à Monialibus impetratum fuit de non ſolvendis decimis Novalium, non debere per illud, ſi nullo fiat de lite mota mentio ullum præjudicium generari. Ex hoc textu rectè infert Panormitanus in *d. c. dudum.* Privilegium non ſolvendi decimas, ſi in ipſo non fiat mentio de poſſeſſione alterius, non præjudicare poſſeſſori, eſſe intelligendum tantùm de decimis Novalium non ſolvendis: alioquin ſi privilegium fuiſſet impetratum ſuper decimis ſimpliciter, tunc ſuum fuiſſet valorem ſortitum, tametſi nulla fuiſſet mentio facta de poſſeſſione alterius.

Rationem diſcriminis etiam aſſignat Pa- 16
normitanus; quia decimæ ſimpliciter ſumptæ ſemper habent poſſeſſorem, qui eas annuatim tempore meſſis percipit: non ita decimæ novalium, quorum nomine intelliguntur tum agri de novo ad culturam redacti, qui quot annis poſſeſſori decimas reddunt; tum proximè ant aliquando redigendi, quarum decimæ cùm nondum extent, nullos habent poſſeſſores, proinde ſicut magni præjudicij eſt concedere alteri privilegium non dandi decimas ſimpliciter, vel de novalibus jam cultis, quæ ab alio jam poſſidentur: ita modici eſt damni concedere decimas aliquando exituras, quæ nunc poſſideri non poſſunt, cum enim poſſeſſio ſupponat exiſtentiam, ideo debet illius mentio fieri in privilegio generis poſterioris ob grave præjudicium quod inferretur alteri, & quod Pontifex non intendit *argum. c. ſuper eo de offic. deleg.* & *§. ſi quis à Principe ff ne quid in loco publico* Quapropter privilegium illud impetratum à Monialibus lite pendente de non ſolvendis decimis novalium fuit ſubreptitium, eò quia in libello ſupplici Moniales tacuerunt veritatem, quæ ſi fuiſſet expreſſa Pontifex non conceſſiſſet tale privilegium, ne Monachis damnum inferret: hinc reſcriptum, in quo

continebatur hoc privilegium fuit ſubreptitium; & invalidum, proinde etiam privilegiom. Tum quia in ſupplicatione nulla fuit facta mentio de poſſeſſione decimarum, in qua erant Monachi, quæ poſſeſſio ſi fuiſſet expreſſa, Pontifex non indulſiſſet Monialibus tale privilegium, ne per conceſſionem illam derogaret juri Monachorum; cui Pontifex in ſuis privilegiis nunquam præſumitur derogare, niſi id exprimat ſpeciatim in privilegio.

17 Cæterum ſi privilegium ſimpliciter concedatur de non ſolvendis decimis prædialibus, tunc non ſolùm eximuntor ij, quibus datur à ſolvendis decimis ex illis prædijs, quæ tempore impetrati privilegij poſſidebant; verùm etiam à decimis, & prædijs, quæ poſtea acquiſiverunt: ratio eſt, quia hujuſmodi privilegiom eſt mixtum ex perſonali, & reali; proinde ejus beneficio non ſolùm perſonæ eximuntur à decimis ſolvendis, ſed etiam omnia prædia, quæ ab ijſdem poſſidentur, vel impoſterum erunt poſſidenda, quia ut notat Barboſa in *d. c. dudum. 31. n. 3. h. t.* ubi verba privilegij non diſtingount, nec noo debemus diſtinguere.

18 Quin imò privilegium de non ſolvendie decimis novalium eſt perpetuum, cenſetúrque perpetuò durare, idqoe deſumitur ex *c. conſultationi 33. & ult. h. t.* ubi Gregorios IX. reſcribit, quòd terra, de qua non eſt memoria, quòd fuerit culta, ſi redigatur ad culturam per Religioſos; perpetuò debeat quoad immunitatem noo ſolvendi decimas novalium eſſe exempta; adeo ut ſit ſemper immunis à decimis ſolvendis, alioqoin contingere interdum poſſet, ot indulgentia de oovalibus plus eis diſpendij, quàm otilitatis afferret.

19 Juvat obſervare, textum non procedere ſecundùm propriam novalium ſignificationem, de qua habetur in *c. 31. de V. S.* ſed ſecundùm juris interpretationem ad effectum privilegij, quod conceditur Religioſis non ſolvendi decimas novalium: ſiquidem novale juxta leges civiles dicitur terra proſciſſa, quæ anno ceſſavit à fructibos producendis, eò quia non fuerit tunc culta *l. ſylv. 30. §. novalis. ff. V. S.* Dicitur etiam novale juxta leges civiles ſylva, quæ eradicatis arboribus ad culturam redigitur *l. ult. in fin. ff. de termino moto.* Juxta tamen jus commune & juxta præſens inſtitutum nomine novalium intelliguntur terrarum illi tractus, qui antea inculti, & neglecti recèns proſcinduntur aratro, vel ligone, & ad culturam rediguntur. Si enim de ipſis non extet memoria, quòd antea fuerint exculti, ſi recèns excolantur, dicuntur hi terrarum tractus, vel agri recèns exculti novalia *c. quid per novale 21. de V. S.* Quòd ſi eccleſiâ titulo decimarum magnos antea percepiſſet proventus annuos ex ſylva, eò quia arbores inciſæ venderentur: tunc ſi Dominus ſylvæ eam eradicaret, & fundum proſcinderet, ac coleret, & privilegium de non ſolvendis decimis novalium impetraret, ſi in ſupplicatione reticeret utilitatem, quam antea percipiebat eccleſia de inciſis arboribus tale privilegium non ſortiretur ſoum valorem, quia foret ſubreptitium ob occultatam veritatem, qua infertur grave præjudicium eccleſiæ parochiali, coi Pontifex non præſumitur velle damnum inferre.

Cæterum quòd ſemel eſt novale ſemper cenſendum eſt tale in ordine ad ſolvendas decimas de tali terra novali; adeò ut etiam ultra 40. annos, & longiſſimum tempus aliàs ſufficiens ad canonicam præſcriptionem, terra novalis ſemper maneat novalis, & immunis à decimis ſolvendis, nec poſt diuturnum lapſum tempus cenſenda ſit redire ad jus commone, ſicut aliæ terræ, quæ ſemper fuerunt excultæ, & ſolutioni deciſharum obnoxiæ: ratio eſt, quia res ſemel privilegiata ſemper ſupponitur privilegiata eò quia privilegia perpetua ſint, niſi fortâſſis amittantur *c. 2. cauſ. 25. q. 2.* Ratio verò cur privilegium de non ſolvendis decimis novalium ſemper duret ex eo etiam ſolet deſumi, quia alioquin poſſet contingere, ut habentes privilegium de non ſolvendis decimis ex novalibus plus inde diſpendij, & damni conſequerentur, quàm utilitatis ob plures expenſas in reducenda terra inculta od culturam frugiferam; privilegium autem non infert damnum, ſed beneficium, ut notat Abbas in *d. c. conſultationi in fin.* 20

Epiſcopi ubique poſſunt uti ex privilegio inſerto juri communi altari portatili; & in illo quotidie celebrare, vel etiam facere, ut alius celebret, dummodo ſervent interdictum, idque deſumitur ex *c. quoniam 17. h. t.* ubi habetur, quod cum Epiſcopus, eorúmquè ſuperiores ex diverſis cauſis frequenter à ſuis eccleſijs, & Diœceſibus debeant abeſſe, nec poſſint ad eccleſias ſuas accedere pro miſſa celebrandain ipſis (ſine qua eos tranſire non decet abſque cauſa rationabili ullam diem) indulget Bonifacius VIII. illis, ut poſſint habere altare viaticum, & in eo celebrare, vel facere, ut alius celebret ubicunqoe ſine interdicti transgreſſione: & ratio hujus conceſſionis etiam innuitur in ipſo privilegio, & eſt, quia Epiſcopi frequenter debent abeſſe à ſuis eccleſijs, & diœceſibus ex diverſis cauſis, nec ſemper poſſunt commodè in eccleſia celebrare, vel miſſam audire, & Epiſcopos decet ſingulis diebus celebrare, quapropter ipſis conceditur hujuſmodi privilegium. 21

Tametſi regulariter miſſa celebranda ſemper ſit, & audienda in eccleſia conſecrata, vel benedicta *c. ſicut 11. c. unicuique 33. diſt. 1. de conſecrat.* in caſibus tamen jure expreſſis etiam extra eccleſiam poſſunt miſſæ celebrari, noo tamen ſine altari viatico, ſeu portatili. *Ex d. c. quoniam ult. h. t.* infertur, habentem privilegium celebrandi in quocunque loco non poſſe celebrare, ſi violet interdictum: ratio eſt quia quando privilegium generaliter loquitur limitationem ſuſcipit à jure communi 22

cum

tendito circa illam materiam. Cæterum privilagium altaris viatici conceſſum Epiſcopis non fuit ſublatum per dacratum Concilij Tridentini *ſeſſ. 22. de obſervand. & vitand. in celeb. miſſar.* refert enim Fagnanus in *c. quod nonnullis 20. b. t.* ita cenſuiſſa ſacram Congregationem Concilij, ab quia Concilium ibi diaactè non prohibeat celebrara miſſas in altari portatili, ſed tantùm ne patiantur Epiſcopi in privatis domibus hoc ſacrificium à ſæcularibus; val Ragularibus peragi, quod intelligitur pro libito, & ſina juſta cauſa, quia ſi hæc interveniat poteſt Epiſcopus hanc facultatem alijs ſacerdotibus, tum ſæcularibus, tum Regularibus concedere *c. concedimus 30. diſt. r. de conſecrat.* Et docet Navarrus *lib. 5. conſil. 3. n. 2. b. t.* Immo poſſunt atiam Epiſcopi extra caſum abſentiæ ob rationabilem cauſam in in aliena civitate uti privilegio altaris viatici, etiam contradicente Epiſcopo Diœceſano, val Parocho loci, ot notat Fagnanus in *dict. cap. quòd nonnullis 25. n. 8. & ſequent. b. l.* ubi ait, ſacram Congregationam Concilij ſæpius reſpondiſſe, oratoria ad uſum Epiſcopi etiam extra illius diœceſin conſtructa non comprehendi in dicto decrato Tridentini da non celabrando in privatis Oratorijs; adeò ut hoc privilegium competat Epiſcopis eodem prorſus modo, quo ante Concilium competebat ex deciſione ſacræ Congregationis juxta Fagnanum; & hoc privilegio gaudent non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam eorum ſuperiores, ut ſunt Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, imò etiam Cardinales non Epiſcopi, quia tametſi Ordo Cardinalatus ſit minor Epiſcopatu; nihilominue officio, & dignitata eſt major, proinda favor privilegij extenditor etiam ad Cardinales non Epiſcopos. Tum quia in privilegiis ratio dignitatis eſt pluris facianda, quàm ratio Ordinis præſertim circa altare portatile, ut notat Fagnanus *in d. c. quod nonnullis n. 11.*

23 Quinimò hoc privilegium celebrandi in altari portatili conceſſum etiam fuit fratribus Prædicatoribus, & Minoribus à Papa Honorio III. ubi cùm privilegiom Prædicatoribus & Minoribus concaſſum ubicunque fuarint ſine præjudicio juris parœcialis calabrandi in altari viatico nimis ſtrictè aliqui interpretarantur, quaſi præter exceſſum Prælatorum id fieri non poſſet: Pontifex rejecta hac interpratatione reſcribit dictis fratribus (dummodo ab alijs, quæ jure parœciali proveniunt, prorſus abſtineant) hanc licentiam celebrandi authoritate Apoſtolica promulgari, ut dicti fratres aliquam inda in hoc videantur gratiam conſecuti. Ratio itidam aſſignari poteſt, quia privilegium dabet aliquid operari ultra jus commune: atqui nil opararetur in propoſito, ſi ipſa celebratio in altari viatico haberatur pro præjudicio juris parochialis, quapropter licèt aliquod intercedat præjudicium; hoc tamen per privilegium Papæ ax ſuprema poteſtate alio modo, & juſto ſine compenſatur.

Hinc habentes privilagium celebrandi in altari viatico, ſau portatili poſſunt illo uti ſine conſenſu Epiſcopi, ut ex indulgantia Papæ aliquam gratiam raportent; dummodo non tangant ea, quæ ſunt juris parochialis: ſiquidam in his, quæ cognoſcuntur ſpectara ad cultum divinum ſamper intarpretatio debet aſſe benigna. Hoc tamen privilagium conceſſum Prædicatoribus, & Minoribus celebrandi in altari viatico revocatom fuit per Concilium Tridantinum *ſeſſ. 22. in decreto de obſervand. & evitand. in celeb. miſſ.* ubi præcipitur, na Epiſcopi permittant calabrari in privatis domibus, & extra Eccleſiam, vel oratoria ad cultum divinum daſtinata; proinde na permittant, ut alij ſacerdotes miſſas celabrant in altari viatico, ſina quo extra loca conſacrata non aſt licitum celebrare; & Concilium addit etiam clauſulam genaralem derogatoriam: *non obſtantibus privilegijs, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuscunque.* 24

Docent tamen plurae vigore præfatæ clauſulæ derogatoriæ tale privilegium non aſſe abſolutè revocatum, ſed reſtrictum, ut à ſolis Epiſcopis poſſit facultas hæc concedi, & tantùm ob urgentam neceſſitatem, & juſtam cauſam, ut notat Barboſa *de offic. Epiſc. alleg. 29. n. 8. & ſequent.* Et alij apud ipſum, qui dant hanc rationam quia intentio Concilij fuit tantùm tollere abuſus in calebratione miſſarum, non verò impadire caſus licitos. Verùm poſt Concilium Tridentinum fuit hoc privilegium à Gragorio XIII. in ampliſſima forma conceſſum Sociatati JEſu, & rafertur ab Emanuele Rodriq. *tom. 1. regul. q. 43. art. 4.* Hinc qui communicant in privilagiis, poſſunt uti altari portatili poſt Concilium Tridantinum juxta conſtitutionem Gregorij XIII. quæ incipit à *Decet*, & fuit edita anno 1575. die 3. Maij. 25

Cæterum probabile eſt, quòd atiam poſt Concilium Tridentinum poſſint hodia Epiſcopi concedara facultatem ſacerdotibus celebrandi miſſæ ſacrificium in altari portatili atiam in privatis domibus, ſub dio, vel ſub tentorijs in caſu tamen necaſſitatis, val magnæ utilitatis, ut docent Azorius *lib. 10. c. 26. q. 6.* Navarrue *c. 25. n. 82.* Neque id videtur ſublatum per Concilium Tridentinum, quia Concilium loquitur tantùm de communi, & Ordinario modo celabrandi, non verò de caſu necaſſitatis, & intentio Concilij tantùm fuit tollere abuſus, qualis non eſt ob orgentem neceſſitatem, vel magnam utilitatem, aut aliam juſtam cauſam uti altari viatico. 26

27 Tum quia Concilium non privavit Epiſcopos facultate diſpanſandi in his caſibus, cùm non omnes poſſint præviderì, & maximè in Provinciis remotioribus, in quibus non poteſt commodè haberi recurſus ad Papam. Quinimo ſi gravis urgeret neceſſitas, vel ingens utilitas, & non poſſat racurri ad Epiſcopum, poſſet etiam id fieri ſine conſenſu ejuſdem Epiſcopi.

piſcopi, quia non videtur in caſu neceſſitatis à quoquam poſſe negari, ut notat Barboſa in *c. quoniam in 6. ſub. fin.*

28 Quòd verò attinet ad alia privilegia in *c. cùm de diverſis 2. h. t. in 6.* Innocentius IV, ſtatuit ut in curia Romana vigeat ſtudium juris civilis, & canonici, & ibi ſtudioſi gaudeant privilegiis locorum, in quibus eſt ſtudium generale, & recipiant integros ſuos proventus eccleſiaſticos; tametſi cauſa ſtudiorum abſint à ſuis eccleſiis; adeò ut Clerici beneficiati in hoc ſtudio percipiant fructus ſui beneficij, ſeu corpus præbendæ *c. ult. de Magiſtris.* exceptis quotidianis diſtributionibus, quæ nonniſi iis dantur, qui reſident, & interſunt divinis *c. licet 32. de præben.* Debent tamen Clerici, ut gaudeant hoc privilegio eſſe in ſtudio cum licentia ſuperiorum. Rurſus privilegia Sedium Patriarchalium recenſentur in *c. antiqua 23. h. t.* & eſt deſumptum ex Concillo generali Lateranenſi ſub Innocentio III. & dicitur, quòd poſt eccleſiam Romanam, quæ eſt mater, magiſtra, & Princeps omnium, primum locum habet eccleſia Patriarchalis Conſtantinopolitana, ſecundum Alexandrina, tertium Antiochena, quartum Hieroſolymitana: quarum Patriarchæ à Romano Pontifice debent Pallium recipere, cui etiam fidelitatem, & obedientiam jurant.

29 Poſſunt poſteà ipſi Patriarchæ dare pallium ſuis ſuffraganeis recipientes pro ſe canonicam profeſſionem, & pro Papa promiſſionem Obedientiæ. Rurſus ubique faciunt deferri crucem ante ſe, præterquam in Urbe Romana, vel ubi eſt Papa, vel ejus Legatus utens ſignis propriæ dignitatis. Demum in omnibus Provincijs, quæ ipſis ſubijciuntur, poteſt ad eoſdem appellari, ſalva appellatione, quæ fit ad Papam, quia Patriarchæ ſunt Ordinarij Judices, Prælati Archiepiſcoporum, ſicut Archiepiſcopi Epiſcoporum, & ſicut Archiepiſcopus habet juriſdictionem ordinariam in omnes ſuffraganeos Epiſcopos ſuæ provinciæ *c. paſtoralis 11. de offic. Ordinar.* ita & Patriarchæ in omnes Archiepiſcopos earum Provinciarum, in quibus habet jus patriarchale. Non tamen habet Patriarcha juriſdictionem in ſubditos Archiepiſcoporum ſicut nec Archiepiſcopus in ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, ut notat Abbas in *d. c. antiqua 23. n. 3. h. t.*

30 Privilegia Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum inferiorum habentur *in clement. Archiepiſcopo 2. h. t.* ubi dicitur, quòd Archiepiſcopus tranſiens, vel declinans ad loca exempta ſuæ Provinciæ poteſt liberè ante ſe crucem deferre, populo benedicere, audire privatim, vel publicè divina officia etiam in Pontificalibus celebrare, vel facere celebrare in ſua præſentia ſine Pontificalibus non obſtante quovis contrario privilegio. Rurſus Epiſcopus in locis exemptis ſuæ diœceſis poteſt populo benedicere, audire divina officia, & ea celebrare, vel in ſua præſentia facere, ut celebrentur, dummodo per hoc in locis exemptis, vel privilegiatis nullam aliam juriſdictionem exerceat, nec perſonis exemptis moleſtiam, vel gravamen inferat, nec in alio præjudicetur exemptioni privilegiatorum, nec quocunque modo acquirat jus.

§. IX.

De amiſſione privilegiorum ex parte cauſæ.

PRivilegia amitti poſſunt, vel ratione cauſæ, vel ratione effectus; priori modo, ſeu cauſaliter amittuntur, quando ſupervenit aliqua circumſtantia, ob quam judicio prudentis viri judicatur illicitus, & injuſtus uſus privilegij, quamvis interim adhuc toleratur; quo pacto privilegiatus non dicitur adhuc amiſiſſe privilegium; ſed ſe conſtituiſſe illo indignum, ac mereri illud amittere, & cauſam ſuperveniſſe, ob quam expediat eum tali privilegio ſpoliare. 1

Cauſæ verò, ob quas privilegium amittitur, poſſunt eſſe efficiens, finalis, materialis, & formalis, ad cauſam efficientem pertinet concedens privilegium; ad finalem ratio, ob quam conceditur privilegium; ad materialem ſubjectum, ſeu perſona, vel res, cui privilegium conceditur, ad formalem verba formæ, qua conceſſum eſt privilegium; certum eſt, privilegium abſolutè, & ſine limitatione conceſſum, ſi ſemel legitimè fuerit acquiſitum non amitti per obitum concedentis: ſiquidem eſt regula generalis, quòd gratia ſemel ritè obtenta non ceſſet, nec finiatur per mortem concedentis *c. ſi ſuper. 9. de offic. Jud. Delegat. in 6.* privilegium autem eſt quædam gratia, quia continet favorem illius, cui datur, & eſt quædam liberalis donatio, quæ ſemel facta non expirat per mortem donantis, proinde neque privilegium: unde quamvis concedens privilegium etiam re integra, ſeu antequam privilegiatus ſuo privilegio utatur, deceſſerit, non propterea privilegium amittitur juxta receptum juris axioma, quod gratiæ etiam re integra morte concedentis non expirent: hinc ſi quis obtinuerit privilegium à Pontifice, vel Epiſcopo abſolvendi à reſervatis, vel diſpenſandi in certis caſibus, poteſt uti ſuo privilegio etiam poſt mortem Pontificis, vel Epiſcopi. Immo id procedit non ſolum in privilegio merè favorabili, ſed etiam in odioſo, ratione cujus derogatur juri communi, vel præjudicatur juri alterius privati: ratio eſt, quia jura abſolutè loquuntur de gratia, & non diſtinguunt, an alteri præjudicet, nec ne, & privilegium, quamvis odioſum, eò quia deroget juri communi, vel alterius, adhuc eſt abſolutè gratia ei facta, cui privilegium eſt conceſſum. 2

Amittitur privilegium ratione cauſæ efficientis, quando qui privilegium concedit, illud non niſi limitatè, & ad tempus concedit; tranſacto enim tali tempore, qui privilegium

con-

conceſſit, cenſetur, privilegiatum ſpoliare privilegio, quatenus hoc in ipſo ceſſat: ſiquidem elapſo tempore ad quod privilegium eſt conceſſum, labitur, & finitur privilegium *argum. c. de cauſis 4. de offic. Jud. deleg.* Hoc autem non procedit de privilegio perpetuo, ſed tantùm de temporali, quod ad definitum, & certum tempus conceditur; adeò ut eo elapſo finiatur, & ceſſet. Ex parte concedentis ceſſat etiam privilegium conditionatum ceſſante conditione: quia tale privilegium virtualiter in ſe continet tempus, non quidem certum, & determinatum, ſed indeterminatum; ut tamdiu 2 duret, quamdiu perſeveravit conditio, quâ ceſſante amittitur privilegium, eò quia finitum ſit tempus, pro quo fuit conceſſum.

3 Rurſus quando privilegium concernit gratiam faciendam per Executores, quia tunc gratia per mortem concedentis re adhuc integra expirat. ut docet Gloſſa in *c. ſi cui de præbend. in 6.* ita etiam privilegium. Dicitur autem gratia facienda quando nihil directè à ſuperiore datum, vel conceſſum eſt ei, in cujus favorem gratia tendit; ſed tantùm Delegato directè mandatum eſt, ut talem gratiam ei conferat, nimirum ut cum ipſo cauſa cognita diſpenſet, vel quid aliud in favorem concedat; & per hoc diſtinguitur gratia facienda à gratia facta, quia hæc directè conceditur à ſuperiore alicui in proprium ipſius favorem; tametſi mera executio ab alia adhuc perſona dependeat, ut docet Suarez, *lib. 8. de legiſ. c. 31, n. 18. & ſequent.*

Non ſolùm ratione cauſæ efficientis phy-4 ſicæ, ſeu concedentis amitti poteſt privilegium: ſed etiam ratione cauſæ efficientis moralis, & tunc contingit, quando ſupervenit aliqua circumſtantia, ob quam judicio prudentis viri judicatur illicitus, & injuſtus uſus talis privilegij, quapropter privilegiatus dicitur mereri amittere privilegium; & cauſam ſupervenisse, ob quam expediat, eum ſpoliare tali privilegio. Idque poteſt contingere. Primò propter abuſum *c. ubi iſta diſt 74. c. privilegium 11. q. 3. c. licet de Regul. & c. ut privilegium h. t.* Cenſetur autem quis ſuo abuti privilegio, quando illo non utitur, ut oportet, vel alio modo præter eum, quem intendit ſuperior, qui privilegium conceſſit *l. 19. & 34. ff. de uſu fruct.*

Verùm ut propter abuſum judicetur quis 5 dignus amittere ſuum privilegium, debet abuſus eſſe in ſe notabilis, ſeu talis, & tam gravis, ut inde generetur ſcandalum, quia quoties in jure fit mentio abuſûs non nominatur ſolitariè, ſed ſemper cùm adjuncto deſignante gravitatem, & enormitatem in exceſſu; qui dicitur abuſus, ut habetur in *c. ſedes de reſcript.* ubi quidam dicuntur *abuti nequiter*, & ex *cap. perniciosus de celeb. miſſar.* ubi talis abuſus vocatur *perniciosus*, & ex *c. canonici de officio ordinarij in 6.* ubi dicitur abuſus *deteſtabilis*, ex quibus juribus infertur non omnem exceſſum in uſu privilegiorum eſſe ſtatim vocandum abuſum, ſed tunc tantùm, quando eſt enormis, & generat ſcandalum ob admixtum aliud vitium.

Rurſus ad notam abuſûs, ut occaſione il- 6 lius dicatur quis dignus ſpoliari ſuo privilegio requiritur etiam aliqua frequentia, ſeu conſuetudo ita excedendi, quia id ſignificat ipſa vox abuſus, eſt enim idem ac repetitus malus uſus. Interdum tamen ex bino actu inducitur conſuetudo ſecundùm leges *l. nemo deinceps C. Epiſc. aud.* exceſſus tamen, ſeu abuſus debet talis eſſe, ut poſt ejus iterationem privilegiatus judicetur indignus privilegio, ut notat Innocentius *c. 1 de fide juſſ.* Farinac. *in pract. quæſt. 20.* Meretur etiam quis privilegium amittere ob delictum, ut ſi vitam inhoneſtam ducat, vel crimen committat, ratione cujus omni honore, & gratia conſtituatur indignus, quo pacto Civitas Syllana, eò quia bis ſuos Epiſcopos occiderit, Sede Epiſcopali privata fuit à Gelaſio Papa, ut habatur in *c. ita nos. 25. q. 2.*

Deperditur etiam ob demeritum privi- 7 legium, ſi privilegiatus non vivat decenter ad illum ſtatum, intuitu cujus fuit tale privilegium conſecutus: quo pacto Clericus negotiator, vel qui non incedit in habitu, & tonſura privatur privilegiis clericalibus *c. ex litteris ſin. de vita, & honeſtate Cleric. or.* ut etiam ſi alijs ſua non ſervet *c. dilecti de privil* quia injuriam ſibi facit, qui fratrum ſuorum jura perturbat *c. vero 25. q. 2* hinc in *c. eſto ſubjectus diſt. 95* habetur illud Oratoris Domitij *cur ergo te habeam ut Principem, cum tu me non habeas ut Senatorem.* Vel etiam ſi non contentus propriu privilegio alia non conceſſa ſibi uſurpat *c ubi diſt 74. Sic decet 25. q. 2. & c 2. de cler. non ordin. miniſt* ut etiam ob cauſam ſupervenientem *l. ex facto ff de vulg. & pupill.* nimirum ſi incipiat inferre alijs damnum *c. dilecti c. ſuggeſtum de decimis.*

Ratione cauſæ finalis etiam ceſſet privi- 8 legium, ſi nimirum ceſſat cauſa, ob quam ſuperior privilegium conceſſit: unde non ſufficit, ſi ceſſet cauſa finalis tantùm impulſiva, & quæ nonniſi ſecundariò movet; ſed debet ceſſare cauſa finalis principalis, ſine qua Princeps nullo modo privilegium conceſſiſſet, quia cum valor privilegii in fieri, & conſervari dependeat à cauſa finali principali, hac ceſſante ceſſat etiam privilegium. Tum quia cauſæ finalis principalis eſt, quæ reddit privilegium juſtum, & honeſtum, ut ſine illa tale non eſſet: cùm igitur privilegium deſumat ſuum valorem, & honeſtatem à cauſa finali principali, hac ceſſante debet etiam ceſſare privilegium, perinde ac ceſſante cauſa ceſſat effectus *c. ceſſante 60. de appell.* & docet Suarez *lib. 8. de legib. c. 30. num. 1.* verùm id tantùm procedit de privilegio, quod derogat juri communi, vel alterius tertii: ſiquidem ad eius conſervationem requiritur cauſa: non verò de privilegio, quod continet meram gratiam, ſeu beneficium Principis; quia ad hoc

ritè, & licitè concedendum vel non requiſitur cauſa, vel ſi requiritur non ad conſervationem privilegii, ſed ut hoc honeſtè, & prudenter concedatur: quia poſtquam tale privilegium, quod eſt merum beneficium fuit ex juſta cauſa conceſſum à Principe illud permanet; tametſi cauſa, ob quam conceſſum fuit, ceſſaverit: quia juxta *regul. juris 16. in 6.* decet, beneficium Principis eſſe manſurum; præſertim ſi ſit merè ſavorabile, & abſolutè ſine conditione conceſſum. Præterea etiam privilegium derogans juri communi, vel alterius tertii non ceſſat ceſſante cauſa finali principali ſi datum ſit per modum unius actionis, vel per modum poteſtatis ad unum tantùm actum, ut ad diſpenſandum in matrimonio, legitimandum, nobilitandum; quia ſi ſemel tale privilegium fuit ſortitum ſuum effectum conſummatum; non ceſſat poſtea, quamvis ceſſet ratio finalis principalis, ob quam fuit conceſſum: ratio eſt, quia privilegium tunc unà cum actu præſumitur tranſiiſſe, & non ampliùs exiſtere; proinde non poteſt deſinere ceſſante cauſa.

10 Tum quia tunc privilegium habet rationem cujuſdam diſpenſationis, quæ poſtquam habuit effectum conſummatum, non ampliùs retractatur, quamvis cauſa ceſſet, ut liquet in diſpenſatione voti, ſemel enim conceſſa diſpenſatione, votum non ampliùs obligat, quamvis cauſa mutetur, quia factum legitimè non retractatur, tametſi deveniat ad ſtatum, in quo potuiſſet inchoari, ut deſumitur *ex regul. juris 70. in 6.* Quemobrem privilegium ſolùm amittitur ceſſante ejus cauſa finali, quando habet tractum ſucceſſivum, & datur per modum poteſtatis ad ſucceſſivè operandum.

11 Præterea ut privilegium habens tractum ſucceſſivum quoad actus futuros deperdatur, requiritur, ut eius cauſa finalis principalis non ſolùm ceſſet negativè, ſed etiam contrariè: dicitur cauſa privilegii ceſſare negativè, quando ratio, quæ movet Principem ad concedendum privilegium non ſubſiſtit, & tunc uſus eiusdem non eſt injuſtus, ut ſi Monaſterium obtinuit privilegium non ſulvendi decimas, eò quia laboret paupertate, nec poſſit Monachos alere, ſi poſtea divitiis affluat, ac habeat abundantes reditus, licèt tunc ceſſet cauſa, propter quam privilegium illud fuit conceſſum; non propterea ceſſat privilegium, quia hoc non eſt factum iniquum, nec eius uſus injuſtus, aut perniciosus, nec illicitus, ut ſupponitur; proinde privilegium non amittitur.

Contrariè tunc dicitur ceſſare cauſa fina-
12 lis privilegii, quando eius uſus ob mutationem materiæ, vel circumſtantiarum factus eſt iniquus, ut incipiat damnum inferre alteri, vel cedere in detrimentum communitatis *c. ſuggeſtum 9 de decimis.* quia privilegium conceſſum de re illicita eſt irritum; proinde ſi eius uſus fiat illicitus etiam ipſum privilegium eſt illicitum, quia eſt eadem ratio in conſervatione, ac in inceptione, ſeu prima conceſſione, quia non poteſt dari poteſtas ad facienda illicita: quapropter ut privilegium habens tractum ſucceſſivum ceſſet quoad actus futuros ratione eius cauſæ finalis, debet hæc ceſſare non ſolùm negativè, verùm etiam contrariè: illud privilegium dicitur habere tractum ſucceſſivum, quod datur per modum poteſtatis in ordine ad ſucceſſivè operandum, ut ad abſolvendum à caſibus reſervatis; vel ad non ſolvendas decimas, reſpicit enim hoc privilegium actus futuros, ratione quorum dicitur habere tractum ſucceſſivum.

Ratione cauſæ materialis, ſeu ſubjecti ceſ- 13
ſat privilegium ceſſante eo, cui eſt affixum, & in quo fundatur: & quia privilegium ſolet concedi perſonæ, vel rei; ideo ſi concedatur perſonæ extinguitur privilegium per obitum perſonæ privilegiatæ, adeò ut non tranſeat ad hæredes, vel ſucceſſores illius, quia privilegium adhærens perſonæ eam ſequitur, ac propterea extinguitur per interitum ejusdem *c. privilegium 7. de regul. jur. in 6.* Hoc autem privilegium non tranſiens ad hæredes, & ſucceſſores dicitur etiam privilegium competentiæ, quod datur patri, patrono, marito, ſocio omnium bonorum, militi, donatori, ut ſolùm condemnati poſſint in id, quòd commodè poſſunt facere habita ratione, ne indigeant *l. ſunt qui 16. & 2. ſequent. ff. de re judic.* Quia verò ſubjectum privilegii non ſolùm eſt perſona, ſed plerumque etiam res, vel locus, cui privilegium conceditur, ideo etiam hoc privilegium, quod à ſubjecto denominatur reale per interitum rei, cui eſt affixum extinguitur, ſi ſine ſpe refectionis res privilegiata, ſeu locus deſtruatur.

Cæterum privilegium reale, ſi conceda- 14
tur ratione dignitatis, vel intuitu loci, tunc non deſinit cùm perſona; quia adhæret rei, non perſonæ, & ex eo, quòd ahæreat rei, non ſequitur perſonam, ſed rem; proinde tranſit ad eos omnes, ad quos res ipſa tranſmittitur. Hinc ſi alicui privilegium ſit conceſſum ratione dignitatis, vel officii, quo fungitur, ſi deponatur à tali dignitate, vel officio, quamvis ad aliam poſtea dignitatem promoveatur, non poteſt uti tali privilegio; quia hoc adhæret dignitati, à quo fuit depoſitus. Hinc privilegium datum alicui intuitu dignitatis tranſit ad ſucceſſorem in dignitate; quia tunc privilegium ſequitur dignitatem, cui fuit conceſſum; proinde tranſit unà cum dignitate, ad quoscunque tranſit ipſe dignitas: non tamen tranſit ad Adminiſtratorem conſtitutum pro tempore Eccleſiæ vacantis; ſed tantùm ad ſucceſſorem in dignitate, ſive res integra ſit, ſeu nondum cœpta, ſive non; quia ſive res ſit integra, ſive jam cœpta ſemper militat eadem ratio, quia quæ conceduntur dignitati, non mutantur ob mutationem perſonæ *c. ſi gratioſè 5. de reſcript. in 6.* Quòd ſi privilegium concedatur alicui loco, ut templo, vel domui; ſi per ruinam, bellum, vel alium caſum locus ille

poſt ea

poſtea deſtruatur, adhuc conſervantur ejus privilegia, quæ reviviſcunt, ſi denuò templum reficiatur, vel domus inſtauretur *l. & de ſacra. ff. de contrah. exempt.* & notat Gloſſa *in cap. 7. V. privilegium perſonale de regular. jur. in 6.*

Ratione formæ deperditur privilegium, ſi verba privilegii non ſerventur, & privilegiatus agat contra ipſam formam privilegii; quia tunc non utitur privilegio, ſed potiùs abutitur; & ratione delicti ſeu abuſus meretur privari tali privilegio, ſi abuſus ſit in ſe notabilis, & tam gravis, ut inde ſequatur ſcandalum, ut ſuperiùs innuimus. Rurſus ratione formæ verborum extinguitur etiam privilegium per mortem concedentis ut ſi Princeps concedat privilegium, in quo dicat concedimus talem facultatem uſque ad noſtrum beneplacitum, tunc per obitum Principis extinguitur privilegium conceſſum cum tali clauſula *argum. l. locatio. 4. ff. locati*: ratio eſt, quia per talia verba privilegium limitatur ad vitam concedentis, quia ſignificant perſeverantiam voluntatis in concedente, quæ voluntas cum vita concedentis extinguitur; proinde etiam privilegium. Secus eſſet, ſi Princeps privilegio alteri conceſſo adjiceret hanc aliam clauſulam *concedimus talem facultatem, donec eam revocaverimus*; tunc enim ſi deceſſerit ſine revocatione privilegii conceſſi, hoc manet etiam poſt obitum concedentis, quia tunc intelligitur conceſſiſſe privilegium perpetuò, cùm nunquam illud revocaverit.

Cæterum moris nunc eſt, & uſu receptum ut privilegia à Principe conceſſa etiam ad beneplacitum ſuum per mortem concedentis non extinguantur: quia ut notat Layman in *cap ſi gratioſè 5 in fin. de reſcript. in 6.* illa clauſula *concedimus ad beneplacitum noſtrum.* poteſt benignè explicari, adeò ut Princeps ſolùm intendat cavere, & admonere, privilegium non tranſire in contractum, ſeu pactum; ut per talem conceſſionem nullam intendat ſibi, vel ſuis ſucceſſoribus imponere obligationem, ſed poſſit ſemper liberè, quando ipſi placuerit privilegium revocare: hoc enim pacto interpretatur benignè voluntas Principis concedentis: & tametſi hæc interpretatio ſuaptè natura conveniat gratiis omnibus: expreſſa tamen cautio non poteſt obeſſe, ſed potiùs prodeſſe ad tollendam omnem dubitationem, quia ut dicitur *in l. non ſolent 95. §. de regul. jur. abundans cautela non nocet.*

§. X.

De Amiſſione privilegiorum effectivè per revocationem.

NOn ſolùm cauſaliter, ſeu ratione cauſæ amittuntur privilegia, ſed etiam effectivè, & in actu ſecundo, quando authoritate Superioris tollitur, vel aliis viis penitus extinguitur; adeò ut omnis illius uſus non ſolùm ſit illicitus, verùm etiam nullius roboris, & efficaciæ. Sicut ſex viis poſſunt privilegia acquiri, ita etiam ſex modis amitti; ſcilicet per revocationem, renunciationem, ceſſationem cauſæ, non uſum, contrarium uſum, & per præſcriptionem. Quacumque via ex his recenſitis amittatur privilegiũ poſtquam ſemel amiſſum eſt, uſus non eſt ampliùs licitus, proinde nefas eſt uti tali privilegio; qua ratione Joannes Andreas de Nigris *in Extravag. unic. de vita, & honeſt. Cleric.* comparat amiſſum privilegium virginitati, de qua cecinit ille: *Nulla reparabilis arte, lapſa pudicitia eſt*: nihilominus in dubio nullum privilegium cenſetur amiſſum, ut notant communiter Canoniſtæ cum Gloſſa *in ſumma 25. q. 2.* ratio eſt, quia eo ipſo, quòd certò conſtet de conceſſione & non conſtet certò de amiſſione; poſſeſſio ſtat pro exiſtentia conceſſi privilegii.

Per revocationem duobus modis privilegium amittitur, ſcilicet expreſsè, vel tacitè: tunc habetur expreſſa revocatio quando non ſolùm verbis expreſſis, verùm etiam in ſpecie, vel etiam per clauſulam illam generalem *non obſtantibus quibuſcumque privilegiis* revocatur; quia hujuſmodi clauſula ſufficit: quia comprehendit omnes ſpecies privilegiorum, perinde ac ſub genere comprehenduntur ſpecies: unde hac via amittuntur privilegia, quando is, qui conceſſit, vel ejus ſucceſſor declarat, ſe nolle ampliùs, ut talia privilegia locum habeant, quia ut rectè notat Panormitanus in *c. etſi Cler. de judic.* nihil eſt tam naturale, quàm ut per quas cauſas res naſcitur, per eaſdem deſtruatur. Tacita revocatio privilegii fit per actum Principis directè contrarium privilegio, & qui actus non poſſet ſubſiſtere, nec habere effectum intentum ſine derogatione privilegii priùs conceſſi, dummodo poſſit præſumi eum recordari privilegii antea conceſſi; quia ſi præſumeretur ignorantia privilegii, in Principe, non ſupponeretur hæc virtualis voluntas illud revocandi: & ratio eſt clara, quia ignorantia cauſat involuntarium, cùm nil volitum ſit quin præcognitum. Sin autem Princeps ſupponatur non ignoraſſe privilegium priùs conceſſum; tunc ſi actus contrarius privilegio ſit abſolutè incompatibilis cum toto privilegio, cenſetur totum privilegiũ revocatum: ſin verò tantùm ex parte illi deroget, nonniſi partialiter cenſetur derogari privilegio; quapropter ſi Princeps pro una vice tantùm præcipit exigi tributum à privilegiato, non cenſetur abſolutè, & pro ſemper velle revocare privilegium exemptionis à tributis ſolvendis, ſed tantùm pro illa vice; id enim dependet à voluntate Principis.

Quòd verò privilegia dicantur expreſsè revocari, quando non ſolùm verbis expreſſis, ſed etiam in ſpecie, vel per clauſulam illam generalẽ *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis*, id limitatur circa privilegia inſerta corpori ju-

ris, quibus non derogatur per clauſulam generalem derogatoriam privilegiorum in poſteriore privilegio poſitam: quia privilegia, quæ continentur in corpore juris, habentur veluti leges publicæ, quibus non derogatur per clauſulam generalem derogatoriam; ſed neceſſe eſt, addatur ſpeciatim clauſula ſpecificè derogatoria talis legis, ſeu canonis, ut notat Gloſſa *in authent. qua in Provincia cap. ubi de crimin. ag. oport. V. illic. in privilegio.* ratio eſt, quia correctio juris quantum fieri poteſt, ſemper vitari debet, nec facilè ſit præſumenda; quæ ratio eſt, cur per jus ſpeciale poſterius non tollatur jus prius ſpeciale, quando ob ſpecialem aliquam rationem cenſetur exceptum. Imò nec procedit de privilegiis, quæ licèt inſerta non ſint corpori juris eo tamen tenore ſunt expreſſa, ut revocari non poſſint, niſi de iiſdem expreſſa, & ſpecialis mentio fiat; & quidem de verbo ad verbum, vel alio ſimili modo: docent tamen ferè communiter Canoniſtæ ſufficere, ſi dicatur *non obſtante tali, vel tali clauſula*, imò etiam in genere, ſi dicatur *non obſtantibus privilegiis ſub quacunque forma conceſſis*, & id deſumitur *ex clement.* 1. *de ſepult.*

4 Rurſus nec procedit de privilegiis, quæ conceduntur per modum contractûs in remunerationem meritorum: hæc enim non revocantur per clauſulam generalem revocatoriam, ſed tantùm per expreſſam; niſi fortaſſis in clauſula generali revocatoria privilegiorum apponantur hæc verba, *quamvis per modum contractus fuerint conceſſa*: ratio eſt, quia hujuſmodi privilegia conceſſa per modum contractûs ordinariè non poſſunt revocari niſi ex cauſa gravi pertinente ad bonum publicum: tum quia talis revocatio cedit in præjudicium tertii, cui aufert jus acquiſitum, & voluntas revocandi in Principe non præſumitur, ſed probari debet, conſequenter exprimi in ipſa revocatione.

5 Imò neque procedit præfata clauſula generalis *non obſtantibus quibuscunque privilegiis* de iis privilegiis, quæ conceſſa ſunt non ſubditis, cujuſmodi ſunt Clerici reſpectu Principis, ſi enim Princeps privilegia conceſſerit Clericis, & iſti ea acceptaverint, adeò ut jus ipſis acquiſitum ſit; non poteſt poſtea Princeps etiam ex plenitudine poteſtatis, ex qua provenit clauſula illa generalis, derogare privilegiis conceſſis ipſis Clericis.

6 Quod verò ad tacitam privilegiorum revocationem attinet, ſolent quatuor aſſignari regulæ, quarum prima eſt, ut per legem univerſalem, quæ non expreſsè abrogat privilegia cenſeantur tacitè revocata prilegia inſerta corpori juris, non verò derogetur privilegiis extravagantibus, ſeu non contentis in corpore juris, niſi ſpecialis fiat eorundem mentio: ratio, cur cenſeantur tacitè revocata privilegia inſerta corpori juris eſt; quia privilegia, quæ in jure communi continentur, pertinent, ad univerſales leges, proinde Legiſlator non præſumitur illa ignorare, adeóque per legem poſteriorem univerſalem contrariam revocatur privilegium, ſeu lex prior continens privilegium inſertum corpori juris; tametſi in poſteriori lege tale privilegium ſpeciatim non exprimatur. Ratio verò, cur non abrogentur privilegia extravagantia, eſt, quia hæc continent jus privatum, & particulare factum, quod Legiſlator præſumitur neſcire *cap.* 1. *de conſtit. in 6.* proinde non derogatur juri privato.

Secunda regula eſt, ut per particulare reſcriptum Principis contrarium privilegio prius conceſſo non cenſeatur hoc tacitè revocatum, niſi in illo addatur expreſſa clauſula derogatoria privilegii, quia non præſumitur Princeps habere ſcientiam privilegii, quia ſi condendo legem publicam, & univerſalem non præſumitur ſcire privilegia particularia; multò minùs præſumitur illa ſcire, ſi tantùm concedat particulare reſcriptum, quia Princeps majori deliberatione, & maturitate procedit ad condendam legem univerſalem, quàm ad concedendum privatum reſcriptum, ut notat Gloſſa *in cap. fin. V. noſtatur de conſtitut. in 6.* 7

Tertia regula eſt, ut privilegium priùs conceſſum non tollatur, nec tacitè revocetur per privilegium poſterius contrarium priori, niſi illius fiat ſpecialis mentio, & deſumitur *ex c. veniens 19. de reſcript.* quia cùm privilegium ſit jus privatum, præſumitur Princeps conceſſiſſe ſecundum privilegium ex ignorantia primi; ſi de illo nullam expreſſam habeat mentionem. 8

Quarta regula eſt, ut per latam ſententiam à Principe contra privilegium, qui potuit privilegium concedere, non revocetur privilegium, & deſumitur *ex c. ſuborta 21, de ſent. & re judic.* ubi dicitur, quòd ſi Princeps, qui poteſt privilegium revocare, ſententiam ferat contra privilegium ad judicium delatum, cenſeatur tantùm illud approbare, ut ſubreptitium, vel ut ex alio capite irritum; non verò revocare privilegium priùs validum, & poſſeſſum: quia tunc non tollitur directè privilegium per ſententiam Judicis: alioquin non tacitè, ſed expreſsè per ſe, & directè revocatur privilegium in pœnam delicti: ſed tantùm tollitur privilegium indirectè per ſententiam, quâ Reus condemnatur non obſtante privilegio, quia hoc ſupponitur illegitimè obtentum; adeò ut ſententia ſupponat nullitatem, vel defectum in privilegio. 9

Cæterum circa hanc privilegiorum revocationem plures ſunt Doctorum ſententiæ. Non deſunt, qui cenſeant, privilegia abſoluta quæcunque ſint ſemel conceſſa non poſſe ampliùs revocari: & nituntur, quia revocatio eſſentialiter dicit mutationem voluntatis in revocante: atqui omnis mutatio dedecet non ſolùm Principem, verùm etiam quemvis alium virum gravem, unde Princeps ageret contra ſuam dignitatem, ſi privilegium aliqu od 10

alio

à ſe conceſſum revocaret : unde *in c. decet de jurejur. in 6.* dicitur, quòd *beneficium Principis decet eſſe perpetuum*, quòd ſi decet, ut maneat; indecens eſt, ut tollatur : & quod in Principe eſt indecens judicatur moraliter impoſſibile. Verùm ſi hæc impoſſibilitas eſt tantùm moralis non videtur excedere limites congruentiæ, proinde adhuc poteſt Princeps privilegium à ſe conceſſum revocare; quia non tenetur ſemper ad id, quod eſt congruum.

11 Hinc alii aſtruunt quoad privilegiorum revocationem, attendendam eſſe cauſam, quæ talem ſuadet revocationem : quòd ſi ſubſit cauſa juſta, docent poſſe à Principe privilegium limitari, vel poſſe Principem conditionem aliquam tunc adhibere, ut vult Molina Juriſta *lib. 4. primogen. c. 3.* & cum ipſo Peregrinos *lib. 1. de jur. fiſci tit. 3.* immò alii volunt poſſe abſolutè revocari, tolli, ut Menochius *lib. 2. de præſumptione præſ.* 10. dommodo cauſa revocandi privilegium reſpiciat utilitatem publicam, ut cenſent Cravetta *conſ.* 276. Surdus *conſ* 205. qui tamen addunt, teneri tunc Principem compenſare damnum, quod illi infertur, cui privilegium tollitur, ut notat Decius *l. id quod noſtrum ff. de reg jur.* Socinus *conſ. 266. vol. 2.*

12 Quod ſi nulla ſubſit cauſa juſta, docent non poſſe privilegium revocari *argum. l. Titius ff de obſeq. auth. de referen. col. 2. c. ſuggeſtum de decimis c licet c. poſtquam 25 q. 2.* ubi dicitur, quod pro neceſſitate corrigendorum vitiorum privilegia eccleſiarum, imminuuntur, vel penitus mutantur; ex quo ſequitur in eorum ſententia, quòd ubi non ſubeſt neceſſitas, ſeu cauſa juſta, privilegia non poſſint minui, nec mutari. Idque firmant, quia privilegium participat de natura diſpenſationis, imò induit eius naturam juxta Innocentium *cap. in noſtra de jur.* ſed quando adeſt cauſa diſpenſandi peccat ſuperior, ſi non diſpenſat, vel ſi diſpenſationem priùs datam tollit, ut docet Gloſſa *can. Domino diſt 50. & can. exiguntur q. 7.* Rebuf. *cap. poſtulâſtis de Cleric. excommun.* & plures alii Canoniſtæ *in c. quanto 2. q. 5.* quos ſequitur Barbat. *conſ. 400. vol. 4.* hinc inferunt, ſimpliciter peccare ſuperiorem, ſi privilegium revocet ſine juſta cauſa : ex eo autem quòd peccet revocando, ſequitur, quòd non poſſit licitè privilegium revocare, niſi ſubſit aliqua juſta cauſa. Hoc tamen argumentum non videtur magni momenti; quia tametſi privilegium, & diſpenſatio conveniant in aliquibus, non tamen in omnibus, proinde argumentum à diſpenſatione ad privilegium non valet. Præterea quamvis concederemus, peccare Principem, ſi abſque juſta cauſa privilegium revocet, non tamen inde ſequitur, validam fore revocationem poſtquam ſemel facta eſt : ſiquidem plura facta tenent, quæ fieri prohibentur.

13 Hinc alii docent in revocatione privilegiorum attendendam eſſe cauſam finalem propter quam conceſſum fuit privilegium; & dicunt, privilegia conceſſa ad cauſam piam non poſſe revocari, vel ſaltem nonniſi ægrè, ac difficulter, & per ſpecialem expreſſionem *cap. ſi propter tua debita de reſcript. in 6. l. liberti ult. ff de alim. & cib.* Alii volunt eſſe attendendam perſonam, ad cujus inſtantiam fuerat privilegium conceſſum; eò quia conceſſa ad inſtantiam Regis, vel Reginæ ſortiuntur quandam excellentiam ab iiſdem perſonis, ac precibus; unde inferunt, non ſolere talia privilegia ſic conceſſa comprehendi ſub ullis revocationibus ex ſtatuto Adriani *6. de ceſſionibus* Pariſius *conſ. 14. vol. 4.* Alii volunt in revocatione privilegiorum eſſe habendam rationem perſonarum, quibus privilegium fuit conceſſum, & docent, quòd privilegia conceſſa non ſubditis non poſſint revocari poſt acceptationem, eò quia ad illos tranſeunt, non ut leges ſua natura revocabiles, ſed ut contractus, vel quaſi contractus, ſeu per modum donationis, quæ ſemel accepta, non poteſt ampliùs revocari ob jus quæſitum per acceptationem *l. profecta C. de donat. quæ ſub mod.* Innocentius *c. novit. de judic.* Hoſtienſis *in ſumma privileg §. qualiter.* Panormitanus *c. ſuper eo de appell. c. ſuggeſtum de decimis,* Quantum verò ad conceſſa propriis ſubditis procedunt cum diſtinctione, ſi enim privilegia conceſſa ſint per modum ſimplicis gratiæ, dicunt poſſe revocari, quia conſervatio gratiæ dependet à voluntate concedentis, & ita docet Innocentius *c in noſtra de jur.*

Sin verò privilegia conceſſa fuerint per modum compenſationis ob ſervitia, & obſequia præſtita, proinde per modum remunerationis dicunt, hujuſmodi privilegia ſemel conceſſa non poſſe ampliùs revocari, quia non retinent naturam ſimplicis gratiæ; ſed tranſeunt in contractum, ſuntque jura quæſita, quæ non poſſunt tolli ab his, quibus ſunt quæſita ſine eorundem injuria *argum. c. 2. de ſponſ. & l. ab emptione ff. de pact.* & ita docent ferè communiter Canoniſtæ *in c. 1. de probat.* Panormitanus *in c. contra de jurejur.* Innocentius *cap. novit. de judic* Cignus *in l. digna vox C. de legib. & l. 2. cod. de ſervit. & aqua.* obi dicitur, quòd licèt Deus ſubjecerit leges Principi, non tamen contractus, & notant Baldus *l. qui ſe patris C. de revoc. don. unde libert.* Tiraquel *l. ſi unquam C. de revoc. donat,* ratio etiam id ſuadet, quia obſervatio eorum, quæ ſunt juris naturæ, non debent à voluntate partium dependere : atqui privilegia, quæ conceduntur per modum contractus, vel quaſi contractus talia ſunt, ut eorum obſervatio ſit juris naturæ; proinde ſemel conceſſa, non poſſunt ampliùs revocari, eò quia etiam Principes obligentur ex contractu *c. 1. de prob. & l. Cæſar. ff de public* hinc Panormitanus *c. in noſtra de jurejur.* ait, quòd ſi Princeps, vel civitas dedit privilegium, ut quicunque habitaverit in tali pago liber ſit à ſolvendis tributis, non poſſit poſtea tale privilegium in eorum præjudicium revocare. 14

In hac opinionum varietate hoc certum eſt. 15

eſt, quòd privilegium conceſſum non ſubdito, ſi ſemel ab eodem fuerit acceptatum, non poſſit ampliùs revocari à concedente eius ſucceſſore, ut docent communiter Canoniſtæ *in cap. novit, 13. de judic.* adeò ut privilegia, quæ Imperatores Reges, vel alii Principes ſæculares ſemel conceſſerunt Eccleſiæ, & fuerunt ab hac acceptata non poſſint ampliùs revocari. Ratio eſt perſpicua, quia hujusmodi privilegia poſtquam ſunt acceptata tranſeunt in pactū, beneficio cujus jus acquiritur privilegiato, & Princeps non poteſt jus quæſitū non ſubdito auferre, quia non habet juriſdictionem in non ſubditum.

16 Solet tamen excipi niſi privilegium poſtea cedat in grave detrimentum Principis, qui illud conceſſit; adeò ut ſi Princeps tale damnum prævidiſſet, illud non conceſſiſſet; quia tunc ſucceſſor poteſt privilegium illud revocare, imò & etiam ipſe Princeps concedens, quia tale privilegium præſumitur implicitè conditionatum, ſeu continere ex natura rei conditionem hanc, ſi notabile damnum non fuerit allaturum concedenti, quia nemo intendit ſibi damnum inferre, nec id præſumitur, niſi probetur, & expreſsè conſtet in privilegio, quia tunc poteſt Princeps cedere juri ſuo. Certum eſt etiam privilegium à Principe omnino gratis conceſſum ſubdito, & quo facultas datur aliquid agendi præter vel contra jus commune poſſe revocari validè à concedente etiam abſque ulla cauſa, non tamen licitè, ac decenter, ſi nulla ſubſit juſta, & honeſta cauſa: ratio eſt, quia jus quæſitum per ſimile privilegium non tranſit in dominium ſubditi privilegiati, proinde ſemper dependet à mera voluntate Principis, à quo propterea poteſt revocari ſaltem validè, quamvis nulla ſubſit juſta, & honeſta cauſa: non tamen licitè & decenter, quia ut habetur *in c. decet de jurajur. in 6.* decet, beneficium Principis eſſe perpetuum.

17 Quòd ſi privilegium concedatur ſubdito per modum contractus onerosi, ut ſi Princeps pretio accepto privilegium concedat: vel etiam in præmium, & remunerationem meritorum, ſeu obſequiorum præſtitorum, vel etiam per contractum lucrativum, vel per modum quaſi contractus, & per abſolutam donationem cum translatione dominii rei, vel juris, ut ſi Princeps det ſuo ſubdito caſtrum aliquod, tunc tale privilegium non poteſt à concedente, nec ab eius ſucceſſore revocari: niſi ex gravi, & neceſſaria cauſa pertinente ad bonum publicum, & tunc tenetur Princeps compenſare damnum illatum ſubdito per ablationem juris ab illo quæſiti, idque vel maximè procedit, ſi privilegium conceſſum ſit per contractum onerosum; ſiquidem etiam Principes tenentur ſervare contractus cum ſuis ſubditis initos, proinde non poſſunt revocare privilegia conceſſa ex pactis, præſertim onerosis, quia tunc eorum obligatio oritur ex naturali juſtitia, quæ etiam Principes obligat: quamvis enim ob aliquam urgentem cauſam, vel publicam neceſſitatem poſſit Princeps juſtè privare ſubditum ſuum re ſua, & reſcindere contractum cum illo initum, non tamen ſine compenſatione; quia tunc tenetur reſarcire damnum illatum, & compenſare rem ſubdito ſublatam, quia Princeps non eſt abſolutus Dominus rerum ſubditi, nec ſubditus tenetur gratis remittere jus ſuum, ſi commodè poſſit ei compenſatio fieri. Imò nec privilegium in remunerationem, poteſt revocari, quia ſemel datum in remunerationem præſtitorum obſequiorum, & ſervitiorum non cenſetur gratis datum, præſertim ſi remuneratio debita ſit ex juſtitia.

Quòd ſi privilegium ſit tantùm conceſſum ex gratitudine, tunc eſt etiam irrevocabile, non tamen tam arctè, & fortiter ſicut ex juſtitia, quia vinculum juſtitiæ eſt fortius vinculo gratitudinis, quæ tamen exigit, ut privilegium remuneratorium ſit irrevocabile niſi remuneratio exceſſerit. Quin imò etiam privilegium datum ſubdito per modum contractus lucrativi, ſeu donationis ſine juſta cauſa revocari non poteſt, quia Princeps non poteſt ſuo ſubdito auferre rem ſuam ſine juſta cauſa ſi ſubditus dominium in rem illam acquiſiverit, quia Principes ſine nota injuſtitiæ non poſſunt rem alienam auferre invito Domino, niſi ex gravi, & publica cauſa: quando autem ſubdito per donationem conceditur privilegium, tunc jus per illud conceſſum tranſit in dominium ſubditi, poſtquam ab illo fuerit acceptum: ſiquidem donatio transfert dominium rei dono datæ in ipſum Donatarium: alioquin non eſſet donatio, ſed commodatum, vel precaria conceſſio. 18

In omni revocatione quatuor obſervanda ſunt. Primò ut exprimatur privilegium, ſeu pars illa privilegii, quæ revocatur; ſecundò cauſa, quæ Principem movet ad hanc revocationem faciendam. Tertiò ut adhibeantur clauſulæ pro natura privilegii revocandi generales, aut magis ſpeciales, & efficaciores, & præcipuè clauſulæ; in quibus ponuntur verba illa: *Non obſtantibus quibuscunque privilegiis.* Quartò ut revocatio intimetur: non tamen neceſſe eſt, ut revocatio intimetur, vel innoteſcat ſingulis privilegiatis, ſed ſufficit, ſi promulgatio legis revocatoriæ privilegiorum facta ſit in Curia Principis, vel loco ad id conſtituto; facta autem in tali loco hac promulgatione non ſtatim eodem die intelligitur privilegium revocatum; ſed poſt tempus neceſſarium ad illius obligationem, quod regulariter eſt ſpatium duorum menſium: & juxta ſtylum Curiæ Romanæ tempus illud, quo commodè poſſit deveniri in publicam notitiam privilegiatorum, tunc enim revocatio tantùm cenſetur ſuum ſortiri effectum; non antea: neque obſtat, quòd aliqui in particulari poſt elapſum tempus adhuc invincibiliter ignorent revocationem privilegiorum, quia talis ignorantia ipſis non ſuffragatur, quia jura non diſponunt quidquam ſpeciale 19

Digitized by Google

ſpeciale circa legem revocantem privilegium, ſed tantùm abſolutè revocant privilegium; cujus revocatio incipit reſpectu omnium ſuum ſortiri effectum poſt tale tempus. Tum quia privilegium conceſſum per legem poſt ſufficientem promulgationem ſortitur ſtatim ſuum effectum non obſtante ignorantia aliquorum particularium, quia validitas privilegii non dependet ab actuali notitia privilegiati.

80 Hoc idem etiam dicendum eſt de lege revocante, adeò ut ejus effectus non dependeat à notitia illorum particularium, qui nihil ſciunt de tali revocatione, adeò ut poſtquam lex revocatoria eſt ſufficientèr promulgata, ac omnibus ſufficienter propoſita, ceſſet ejus uſus. Præterea in legibus communibus attenditur tantùm ad id, quod per ſe, & communiter fieri ſolet, non verò ad ea, quæ rarò, & per accidens fiunt; qualis eſt in præſenti ignorantia invincibilis aliquorum particularium. Sin verò revocatio privilegii ab homine ſit privatim facta, tunc non ſortitur ſuum effectum,
81 donec promulgatio ſpecialiter intimetur tali particulari perſonæ privilegiatæ: ratio eſt, quia tunc privilegiatus non poteſt alio modo convenienter devenire in notitiam revocationis ſui privilegii, niſi ut ipſi ſpecialiter intimetur per Nuntium, vel epiſtolam. Agunt de hac intimatione revocationis privilegii, & de modo, quo fieri debeat Navarrus *not. 31. de indulg.* Suarez. *lib. 8. de legib. c. 4.* Reginaldus *in pract. lib. 13. n. 157.* qui putant nil referre, ſi tempus totum effluxerit, & teneri privilegiatum abſtinere privilegio, ſtatim ac intelligit, eſſe revocatum, quomodocunque interim hæc cognitio ad ipſum deferatur. Rebuffus tamen in *pract. benef. tit. de for. Vicar. n. 212.* Cutillus *in addit. ad pract. 4. Mancineam dub. 32.* & alij cenſent, hanc intimationem eſſe faciendam per nuntium, vel epiſtolam ad id deſtinatam, imò Sotus *lib. de juſtit. & jur. q. 1. n. 4.* docet, non ſufficere revocationem factam in
82 Curia Principis, ſed eſſe promulgandam in Diœceſi propria privilegiati: & ſi ſint plures, qui privilegio utantur, non deſunt qui cenſeant etiam in ſingulorum oppidis, & civitatibus eſſe promulgandam hanc revocationem.

83 Verùm communior, & vera ſententia eſt, eam promulgationem revocationis ſufficere pro privilegijs, quæ de jure communi ſufficit pro legibus, ut dicantur obligare, & ſicut lex ſtatim obligat poſt ſufficientem promulgationem, & ſtatim ceſſat poſt ſufficientem ejus revocationem; ita ut omnia in contrarium facta,
84 ſint deinceps irrita, tametſi facta ſint ab ignorante revocationem; ita etiam dicendum de promulgatione revocationis cujusvis privilegii.

§. XI.

De alijs modis, quibus privilegia amittuntur.

PRivilegia effectivè non ſolùm amittuntur per revocationem, ſed etiam renunciationem, ſeu reſignationem, ceſſationem cauſæ, non uſum, contrarium uſum, & præſcriptionem; & cùm hactenus egerimus de amiſſione privilegij per revocationem, ſupereſt, ut expendamus alios modos, quibus privilegium amittitur, quorum primus eſt per renunciationem, ut ſi privilegiatus ſponte teſtetur, ſe non velle ampliùs uti ſuo privilegio *c. licet de Regul. c. nuper de decimis:* ſiquidem iis, quæ pro ſe introducta ſunt, conceditur omnibus, ut poſſint ea recuſare, quemadmodum poteſt quiſque juri ſuo cedere *c. ſtatuimus de regul. l. ſi judex ff. de min. & l. ſi quis in conſcribendo C. de Epiſc. & Cler.* Verùm ad id plura requiruntur. Primò ut is, qui renunciat ſuo privilegio, ſit certus, ſe tale jus, vel privilegium habere, quia nemo præſumitur renuntiare juri, quod ignorat *l. is qui ff. de acquir. hered.* 1

Secundò ut per actum expreſſum tali privilegio renuntiet: alioquin ſi tacitè, & interpretativè renuntiat privilegio, tunc neceſſè eſt, habeat intentionem, ut valeat pro renuntiatione id, quod facit, & ratione cujus dicitur tacitè, vel interpretativè renuntiare privilegio, vel ſaltem ut ſciat, talem actum habere vim expreſſi, & pro tali ab omnibus reputari: alioquin actus non extenduntur niſi ad cogitata, ut notat Barboſa *in collect. ad l. ſi de certa re C. de tranſact.* 2

Tertiò requiritur, ut omnes, quorum intereſt, conſentiant tali renuntiationi, *c. ad hæc de offic. Archidiac. c. quod omnes de regul. jur. in 6.* 3

Quartò ut renuntiatio acceptetur à Principe. Per renuntiationem igitur expreſſam, quæ fit per pactum, vel per verba expreſſa, amittitur privilegium, quia quilibet poteſt favori pro ſe introducto renuntiare *l. penult. C. de pactis*, ſed hoc procedit, ſi privilegium præciſè reſpiciat favorem perſonæ particularis, quia ſi conceſſum ſit principaliter in favorem publicum, vel certi ordinis, aut communitatis, ut ſunt privilegia fori, & canonis conceſſa Clericis in honorem totius ordinis Clericalis, non poſſunt aliqui particulares privilegiati iiſdem renuntiare *c. ſi diligenti de foro competent. c. contingit 36. de ſent. excommun.* 4

Hinc privati Religioſi unius Ordinis, vel Congregationis non poſſunt renuntiare privilegiis ſuæ congregationis, quia tametſi uſus privilegiorum pertineat ad ſingulos in individuo, gratia tamen non eſt ipſis immediatè conceſſa, ſed toti congregationi, ſeu corpori, & jura totius ordinis non ſunt penes ſingulos, nec poſſunt ſinguli de iiſdem diſponere, 5

Ind

6 Imò quamvis aliquis privatus non pro toto ordine, ſed pro ſe ipſo ſolo renuntiaret privilegiis ſui ordinis etiam cum juramento; renuntiatio eſſet invalida, quia quamdio eſt ordinis non poteſt ſacere, quia ad ſe deriventur ea, quæ ſunt ordinis: quo pacto non poteſt judex laicus cognoſcere contra Clericum, etiamſi is renunciet privilegio ſuri, quia quamdiu eſt Clericus non poteſt huic privilegio renuntiare, hinc qui Clericum etiam volentem, & conſentientem percutit, incurrit cenſuram excommunicationis, quia Clericus non poteſt renuntiare privilegio canonis, cùm hoc privilegium conceſſum ſit toti ordini clericali: imò neque omnes Religioſi unius monaſterij, vel congregationis poſſunt renuntiare alicui privilegio monaſterij, vel Congregationis, ſi ſingillatim ſinguli ſuam renunciationem producant, quia licèt videantur omnes renuntiare, non tamen renuntiant niſi ut ſinguli, neque renuntiatio unius poteſt jungi cum renuntiatione alterius; adeò ut non poſſit dici, quòd adſit renuntiatio communis collegii, ſeu communitatis, ſed tantùm, quòd habeantur ſingulares renunciationes privatæ ſingularium perſonarum; aliud enim eſt Religioſos agere, prout conſtituunt unum corpus communitatis, & propterea ut renuntiant collegialiter: & aliud agere prout ſunt perſonæ privatæ.

7 Immo neque ſoli Prælati monaſterij, vel etiam Ordinis, aut Congregationis, poſſunt renuntiare privilegiis conceſſis à Papa toti Ordini, & Congregationi; ratio ex eo petitur, quia renuntiatio eſt quædam ſpecies alienationis, & Prælati monaſterij vel Congregationis non poſſunt ſe ipſis ſolis alienare, quia illi non habent niſi ſolam adminiſtrationem *can. ſi privatum 12. q. 1. can. Epiſcopum 14. q. 1.* atqui conceſſa adminiſtratione etiam libera, non cenſetur conceſſa facultas alienandi *c. fraternitatem de donat l. filiusfamilias §. eod. l. contra ff. de part. l. præſes C. de tranſact.*

8 Neque obſtat, quòd Generalis totius congregationis, Provinciales, & alij ſuperiores Congregationis ſint pars nobilior totius Ordinis, vel Congregationis; quia licèt id verum ſit, non tamen inde ſequitur, poſſe renuntiare privilegiis conceſſis toti congregationi: quia non ſunt major pars totius congregationis, ſed minor, imò & minima, cum numerus ſuperiorum longè excedatur à numero ſubditorum: atqui jura omnia expreſſè aſſerunt, non poſſe partem minorem communitatis renuntiare juribus pertinentibus ad totam communitatem. Quamobrem hæc renuntiatio debet fieri à tota Congregatione, vel ordine in comitiis generalibus, ſeu Capitulo repræſentante totum Ordinem, ſeu Congregationem, tunc quia renuntiatio fieret, nomine omnium ſimul, & collegialiter ſumptorum ſuum ſortiretur valorem: & ſemel facta tali renuntiatione non poſſent ampliùs Religioſi talis Ordinis, monaſterij, vel Provinciæ uti privilegiis, quibus renuntiârunt: ſemel enim quòd quis renuntiat juri ſuo, non poteſt ampliùs illo uti.

9 An verò poſſint ſaltem ad eadem privilegia redire per reaſſumptionem novi Capituli Generalis, novique Prælati. Reſpondendum eſt cum diſtinctione, ſi prima renuntiatio facta fuit per conſtitutionem aliquam confirmatam à Papa, tunc Religioſi non poſſunt amplius ad privilegia, quibus renuntiârunt redire. Sin verò renuntiatio facta ſit per ſimplex ſtatutum non confirmatum à Papa videtur eſſe major difficultas, quia eo ipſo, quòd capitulum renuntiavit nomine communitatis, videtur abdicâſſe à ſe privilegia illa, quibus renuntiavit, proinde non poſſe ad illa ampliùs redire *argum. can. hoc nequaquam 7. q. 1. c. ad ſupplicationem c. quidam de renuntiatione* eo enim ipſo, quòd quis renuntiavit liberè juri ſuo, abſurdum eſt ad illud redire *l. ſiquis jusjurandum C. de reb. credit.* Hinc quòd ſemel repudiatum eſt, non conceditur redintegrari *l. cum quidam cod. de condic. inſert.*

10 Nihilominus putârim, Religioſos qui in Capitulo generali per ſimplex ſtatutum renuntiârunt aliquibus privilegiis poſſe in alio capitulo, per aliud ſimplex ſtatutum ad eadem privilegia redire; ratio eſt, quia quoties renuntiatio non eſt confirmata à Papa, nec propterea acceptata, adhuc intelligitur durare in voluntate Papæ, proinde poſſunt Religioſi per aliud ſimplex ſtatutum redire ad privilegia, quibus renuntiârunt, quia Papa adhuc illis concedit poſſe uti talibus privilegiis, quibus renuntiârunt, ſi velint; & unum Capitulum non poteſt manus ligare alteri, proinde cuilibet Capitulo Generali ſemper ineſt integra facultas redeundi ad eadem privilegia, quibus præcedens capitulum renuntiaverat. Hinc nil frequentius, quàm ut ſancita in uno Capitulo Generali irritentur, & caſſentur in alio, & caſſata iterum redintegrentur, ut conſultiùs viſum fuerit variatis circumſtantiis.

11 Ob ceſſationem cauſæ etiam amittuntur privilegia, ut liquet *ex can. generaliter. 16. q. 1. can. fin. 25. q. 2. c. cum ceſſante de appellat. c. ſuggeſtum de decimis c. Abbate de V. S.* quia privilegium non durat, niſi ſecundùm intentionem concedentis, & non eſt credibile, Principem velle, ut privilegium duret, ſi cauſa ceſ-
12 ſet, propter quam illud conceſſit; & illud non conceſſiſſet ſine tali cauſa: dicuntur enim penitus non habuiſſe cauſam ab initio, aut jam finitam eſſe, quæ fuit, ut docet Gloſſa *in c. ita nos 25. q. 2.*

Procedendum tamen eſt, cum aliqua di-
13 ſtinctione, quia plures cenſent, vulgatum illud axioma, *ceſſante cauſa ceſſare privilegium*, eſſe intelligendum de privilegiis odioſis, non de favorabilibus. Præterea diſtinguendum eſt inter cauſam totalem, & partialem, quia ſi cauſa privilegij ceſſat tantùm ex parte, tunc privilegium non ceſſat niſi ex eadem parte, in qua ceſſat ejus cauſa; non verò ex alijs partibus. Rurſus diſtinguendum eſt inter cauſam fina-

lem

Digitized by Google

lem, Principalem, & tantùm impulſivam, quia ſi ceſſet ſola cauſa impulſiva, non ceſſat privilegium, dummodo ejus cauſa finalis principalis perſeveret. Hinc licèt aliqui Religioſi ſint relaxati & malè vivant, non tamen amittunt ſua privilegia, ut docet Roder. *tom. 1. qq. regul. q. 9. art. 10.* quia privilegia conceſſa ſunt toti Ordini, & ſtatui non verò formæ vitæ, ſeu modo vivendi; duæ enim concurrunt cauſæ finales principalis, & impulſiva, & illa perſeverat hac ceſſante: cauſa enim finalis principalis eſt propter ordinem, & ſtatum religioſum; & cauſa impulſiva propter talem formam vitæ.

13 Hæc tamen doctrina procedit in favorabilibus, non verò in odioſis, nec quando cauſa impulſiva imbibitur in finali, vel quando efficaciſſimè operatur, & movet; ſecus tamen quando tantùm leviter, ſeu potiùs concomitatur cauſam finalem, vel aliam impulſivam efficaciorem. Hinc ſi monaſteriis, vel ſacris Ordinibus conceſſa ſunt privilegia in favorem obſervantiæ, & talis formæ vivendi, poſtquam monaſteria, & ordines relaxantur amittere tunc talia privilegia, quia ceſſat cauſa ſaltem impulſiva efficax imbibita in finali, cum enim talis forma vivendi fuerit cauſa ſaltem efficaciſſimè impulſiva, & imbibita in finali, principali; ideo hac ceſſante videntur etiam privilegia ceſſare. Quòd verò privilegia monaſteriis, & ſacris ordinibus concedantur ex hac cauſa efficaciſſimè impulſiva conjici poteſt ex tenore, & præfatione litterarum Apoſtolicarum, in quibus ſummi Pontifices occaſionem ſumunt concedendi privilegia ex obſervantia, quæ viget in tali Ordine ex vita exemplari, bonis operibus, & ſervitiis, quæ præſtant eccleſiæ, ut notat Rebuffus *l. p. de clauſ. mandat.*

14 Præterea ut explicetur axioma illud, quo dicitur, ceſſante cauſa, ceſſare privilegium, adhuc diſtinguendum eſt in unione, & dependentia, quam habet privilegium cum tali cauſa, & ejus exiſtentia ſive ex natura rei, ſive ex voluntate concedentis: etenim ſi Papa quando conceſſit privilegium tantùm conſideravit ſolam exiſtentiam de præſenti talis cauſæ; tunc nemo dicet, privilegium ceſſare ad ceſſationem cauſæ: hinc non ceſſat privilegium conceſſum monaſterio pauperi percipiendi decimas, tametſi tale monaſterium ad lautiorem veniat ſtatum, ac divitiis incipiat affluere: pari pacto exemptio à ſolvendis tributis conceſſa Petro ob multitudinem prolis non ceſſat, quamvis poſtea proles diminuatur per mortem aliquot liberorum. Præterea vel cauſa ceſſat tantùm phyſicè, vel ſolùm moraliter, vel utroque modo, vel mutat naturam; adeò ut cauſa, quæ priùs fuit impulſiva, fiat poſtea finalis principalis: ſi ceſſat tantùm phyſicè, tunc non ceſſat privilegium cum illa; nec ſimiliter ſi ex impulſiva fiat finalis; nec quando illâ ceſſante remanent reliquiæ, qua ratione privilegium conceſſum alicui dignitati, nonnunquam durat eadem dignitate abdicata in memoriam ipſius, eò quia moraliter cenſetur adhuc durare in perſona *l. fin. ff. de decur.* ut notat Decius *L. in omnibus cod. de regul. juris.* Verùm quomodo ceſſante cauſa dicatur ceſſare privilegium, diximus abundè in præcedentibus.

Per non uſum, & contrarium uſum dicuntur etiam privilegia amitti: & talis non uſus, vel contrarius uſus dici etiam ſolet tacita renuntiatio privilegiorum. Ut autem explicetur quomodo per hanc tacitam renuntiationem, ſeu per non uſum amittantur privilegia: juvat obſervare ex privilegiis alia eſſe affirmativa, & alia negativa, & rurſus tam affirmativa, quàm negativa eſſe vel favorabilia, vel odioſa. Communis ſententia eſt, privilegia affirmativa, quibus datur facultas aliquid agendi cum gravamine, & onere aliorum, ut eſt privilegium imponendi tributum, vel exigendi decimas extraordinario modo, vel viſitandi monaſteria exempta amitti per non uſum privativum, ſeu voluntarium, & liberum oblata occaſione utendi talibus privilegiis; & quidem partim per viam præſcriptionis ſcilicet tempore decennii inter præſentes & 20. annorum inter abſentes, jure autem ordinario, vel extraordinario per ſpatium triginta, vel quadraginta annorum; partim etiam amittuntur per viam tacitæ renuntiationis ex diſpoſitione juris, & tunc non requiritur tantum temporis; quia quando quis non vult uti jure, quòd ſibi competit, cenſetur tacitè renuntiare tali juri *l. 1, juncta Gloſſa V. tempore ff. de nundin.* Hoc enim pacto etiam aliæ obligationes, & ſervitutes tam reales, quàm perſonales amittuntur: hinc ſi dominus jus habet exigendi obſequia à vaſallo, & per longum tempus ea non exigit, tametſi commodè poſſit, & occaſio ſe offerat, amittit per tacitam renuntiationem, ſeu non uſum tale jus exigendi hujuſmodi obſequia.

Quòd ſi à longo tempore nulla ſe occaſio obtulit utendi hiſce privilegiis, vel etiam quia privilegiatus non potuit uti occaſione ſibi oblatâ ob aliquod impedimentum infirmitatis, vel ignorantiam inculpabilem, tunc per talem non uſum non amittitur tale privilegium affirmativum: hinc habens privilegium à Principe juris gladii, tametſi per 50 annos, & ultra nulla ſe obtulerit occaſio, quâ reus capitali ſupplicio fuiſſet plectendus; non propterea per hunc non uſum privilegiatus amittit ſuum privilegium; quia tunc talis non uſus non opponitur privilegio, proinde non poteſt illud tollere: etenim tunc non uſus non eſt voluntarius, proinde non poteſt eſſe indicium voluntariæ renuntiationis ſui juris.

Tum quia quoties non eſt liberum privilegiato uti ſuo privilegio etiam quando occaſio ſe illi offert, tunc non uſus non poteſt eidem verti culpæ, neque negligentiæ, proinde non debet ſpoliari ſuo privilegio; tametſi ultra hominum memoriam non fuerit illo uſus, quia ubi non eſt culpa, non debet ſequi pœna *l. annis 94. §. fin. & l. ſeq. de ſervit. præd. ruſtic.*

ubi dicitur, quòd ſervitus hauriendi aquam ex puteo, vel fundo alterius non deperditur, tametſi fons per 50, & ultra annos exaruerit.

18 Privilegia verò affirmativa ſita in mera facultate aliquid agendi, ſi non cedant in aliorum gravamen; ſed ſint merè; & abſolutè gratiæ, cujuſmodi ſunt privilegium comedendi lacticinia in quadrageſima, abſolvendi à caſibus reſervatis, celebrandi miſſam ante auroram, & alia id genus. Per merum non uſum quamvis longiſſimi temporis non amittuntur, quia tunc non cenſentur deperdi per viam præſcriptionis, quia nemo contra hujuſmodi privilegia non oneroſa præſcribit, cùm alios non reſpiciant: neque per tacitam renuntiationem, quia quilibet pro libitu poteſt uti, vel non uti jure ſuo; ſolus enim non uſus non cenſetur ſufficiens ſignum voluntatis renuntiandi privilegium, neque canones definiunt certum tempus circa hujuſmodi privilegia, contra quæ ab alijs non præſcribitur.

19 Excipitur tamen privilegium nundinarum, quod per non uſum amittitur ſpatio decennii *l. 1. ff. de nundinis*, idque vel quia hoc privilegium recenſeatur inter oneroſa, vel quia id ſit ſpeciale huic privilegio conceſſo à Principe cum tali conditione, ut per non uſum intra ſpatium decennij amittatur: alioquin per actus negativos liberæ voluntatis, ſeu per non uſum facultatis ortæ ex privilegio non amittitur facultas agendi, niſi apertè conſtet, privilegiatum oblatâ ſibi pluries occaſione, noluiſſe liberè, & ſcienter uti ſuo privilegio. Privilegia verò negativa ſita in non agendo, ſi aliis oneroſa ſint, & gravamen inferant, ut eſt privilegium immunitatis à ſolvendis decimis, vel tributis, amittuntur per actum directè contrarium privilegio, ſcilicet per ſolutionem decimarum, & tributorum, quod dupliciter fieri poteſt, ſcilicet per modum præſcriptionis, & per tacitam renuntiationem: qui enim ſciens, & volens & non coactus exercet actum contrarium privilegio, præſumitur in foro externo renuntiare juri ſuo, & privilegio.

20 Ut autem quis dicatur per non uſum, vel etiam per actum contrarium amittere ſuum privilegium, requiritur primò ad omiſſionem per ſimplicem non uſum, ut ſi privilegia ſint odioſa juri communi amittantur ſpatio decem annorum inter præſentes, & 20. inter abſentes.

21 Secundò ut privilegiatus intra id tempus pluries habuerit occaſionem utendi ſuo privilegio, & illo non ſit uſus; ut notat Gloſſa *in c. Privilegia de privil. in Abbatiâ V. S.* & docet Naldus *V. privilegium n. 4.* Quòd ſi non adfuit occaſio utendi privilegio per non uſum ſimplicem, tunc non amittitur; quia ille non uſus cum non imputetur culpæ, non meretur pœnam.

22 Tertiò ut privilegiatus ſcienter non ſit uſus ſuo privilegio: unde requiritur ut privilegiatus ſciverit ſe habere tale jus, & adeſſe occaſionem illo utendi, & nihilominus noluerit illo uti; adeò ut ſcientia non ſolùm ſit de privilegio, ſed etiam de occaſione eo utendi, ut notat Naldus *V. privilegium num. 4.* & Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi p. 2. alleg. 26.*

Quartò ut voluntariè abſtineat ab uſu ſui privilegii; alioquin ſi talis uſus fuiſſet ipſi prohibitus, per non uſum privilegium non amitteret; nomine autem prohibitionis non ſolùm intelligitur prohibitio phyſica, quæ fit per vim illatam; ſed etiam moralis, quæ fit ob reverentiam, aut alium ſimilem reſpectum, vel circumſtantiam aliquam, ob quam privilegiatus judicat, ſibi expedire, ut hic, & nunc abſtineat ab uſu ſui privilegii. 23

Quintò, ut privilegiatus non fuerit uſus ſuo privilegio ex negligentia tali, ut inducat præſumptionem renuntiationis, ut notat Speculator *lib. 2. tit. de inſtrum. edit. §. 11.* alioquin non uſus reſolveretur in ſimplicem nolleitatem. Hinc hi tantùm poſſunt amittere aliquod privilegium per non uſum, qui poſſunt eidem renuntiare. Quinimò ſi privilegium ad plures pertineat, quorum aliqui illo utantur, & alij non; adhuc manet privilegium in ſuo vigore, & poſſunt, qui nonon ſunt uſi, ad illud redire. 24

Sextò per actum contrarium privilegio, ut inducatur tacita renuntiatio requiritur, ut actus fiat ab ipſo privilegiato, quia ſi fieret ab alio, non poſſet talis actus dici contrarius privilegio, quia nemo operatus contra illud privilegium quod non habet. 25

Septimò ut hic actus contrarius privilegio voluntariè exerceatur animo illi ſimpliciter renuntiandi: quoproptter ſi quis neſciat, ſe operari contra privilegium, vel ſi expreſſè proteſtetur, ſe per tale factum non intendere renuntiare privilegio, nec ei præjudicare per talem actum non amittitur privilegium *l. 1. C. de his qui ſponte munera publica ſubeunt.* 26

Octavò ut actus ſit directè contrarius toti privilegio quoad totam facultatem, ſeu ſubſtantiam privilegij, ſeu quoad ejus uſum non, ſolùm præſentem, ſed etiam futurum: quia quædam privilegia habent tractum ſucceſſivum, & actum iterabilem, ut eſt privilegium immunitatis à ſolvendis decimis, vel tributis, qui enim taliter privilegiatus ſemel, vel iterum, ſolvit tributa, vel decimas; tametſi tunc exerceat actum contrarium ſuo privilegio; non tamen poteſt inde abſolutè colligi, quòd ſimpliciter renuntiaverit ſuo privilegio, ſed tantùm quoad illos paucos actus, quos poſuit contrarios ſuo privilegio: ratio eſt, quia cum renuntiatio ſit ſtricti juris non debet ulterius extendi *argum. l. emptor. 47. §. Lucius ff. de pact.* hinc per unum vel alterum actum contrarium privilegio non intelligitur amiſſum totum privilegium quoad omnes actus futuros, niſi concurrant aliæ circumſtantiæ, ex quibus appareat, ſe per hujuſmodi actus contrarios 27

voluiſſe

voluiſſe ſimpliciter, & abſolutè renunciare toti privilegio etiam in futurum, vel niſi legitima præſcriptio acceſſerit; ſiquidem per ſolam contraventionem, ſeu actionem contrariam privilegio noo cenſetur quis eidem renunciare, niſi in eo, in quo operatur contra privilegium; & per unum, aut alterum actum contrarium non operatur quis contra totum privilegium in ſe, & totam ſuam facultatem pro temporibus ſuturis, ſed tantùm hic, & nunc quoad illos pancos actus contrarios. quos exercuit, ut docet Suarez *lib. 8. de legib. c. 35. n.* 10 hinc Salicettus *in ſumma* ait, quòd per unum actum contrarium non perdat quis ſuum privilegium in alijs, ſi privilegium habeat effectum reiterabilom, & ſucceſſivum, & deſu-
28 mitur etiam ex *l. 1. & 2. C. de his qui ſponte munera publica ſuſceperunt.*

Alij tamen ceſſent, quòd ſi privilegiatus pluries exerceret actus contrarios ſuo privilegio, & ſine ulla proteſtatione, quòd per tales actus contrarios non intelligat præjudicare ſuo privilegio, conſtitueretur per hoc alter, cui ſit ſolutio decimarum, vel tributorum in poſſeſſione juris exigendi decimas, & collectas; adeò ut per lapſum temporis legitimi poſſet præſcriptionem perficere: per actus igitur contrarios incipit, præſcriptio currere, quæ
29 tandem ſi compleatur, privilegium extinguitur.

Alij etiam volunt, quòd ut privilegium amittatur per contrariom uſum debeat actus eſſe illi contrarius directè, adeò ut non ſufficiat, ſi tantùm indirectè ſit illi contrarius, & Barboſa *de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 16.* vult, talem actum exerceri non ex voluntate, ſed ex obligatione, imò Diana *tract. 2. dub. regul. reſol. 88.* aſſerit de Regularibus, quòd tametſi aliqui habuerint contrarium uſum alicui privilegio, poſſint nihilominus adhuc ad illud redire illúdque reſſumere, eò quia contrarius uſus ordinariè introducatur per non uſum, per quem non inducitur conſuetudo; nec proinde amittitur privilegium, & hoc etiam declaravit Eugenius IV. pro Caſſinenſibus, & Nicolaus IV. pro Carthuſianis, adeò ut non amittant privilegium, qui per unum, vel plures actus, ex ignorantia, vel negligentia controvenerint; & id procedit, non ſolùm de privilegiis favorabilibus, ſed etiam de odioſis: ratio eſt, quam adſert Layman in *Theol. morali lib. 1. tract. 4. c. 23.* quia alioquin niſi procederet etiam de privilegiis odioſis, privilegium nil operaretur, quia de jure communi, & ſecluſa omni gratia, vel declaratione nunquam amittitur privilegium favorabile per contrarium
30 uſum: unde debet procedere de odioſis,

Per viam præſcriptionis ſicut privilegia acquiruntur; ita eadem per proportionem amittuntur, ſervatis ſcilicet ex parte præſcribentis contra privilegiatum iis, quæ deſiderantur ad complendam præſcriptionem ex diſpoſitione juris, ut habetur *in tot. tit. de præſcrips.* Tum quia privilegia cùm computentur inter bona, ideo poteſt contra ipſa jus acquiri; proinde poſſunt etiam tolli à privilegiato per viam præſcriptionis perinde ac alia jura, & bona *c. placuit 16. q. 3. c. ſanctorum c. quarta c. illud c. ad aures de præſcript.* Hoc autem procedit de privilegiis privatorum, vel particularium eccleſiarum, non verò de conceſſis Caſſinenſibus, & habentibus beneficium communicationis cum ipſis; licèt enim præſcriptio inter præſentes compleatur per decennium, & inter abſentes per ſpatium 20. annorum, vel etiam 40. ſi agatur contra eccleſiam: nihilominus contra Congregationem Caſſinenſium, eiúſque monaſteria nullo tempore completur præſcriptio.

§. XII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

QUæritur primò, an privilegium propter ſimilitudinem rationis debeat extendi ad alias perſonas, vel loca? Reſpondetur negativè, quia efficacia privilegii non conſiſtit eſſentialiter in ratione; vel ejus paritate; ſed in ſola voluntate concedentis; quæ ſi non extenditur ad aliam perſonam, vel locum, aut caſum ſimilem, neque privilegium extendi debet, tametſi ſit utrinque par ratio. Quòd ſi quæratur, quandónam cenſeatur voluntas concedentis extendi. Reſpondetur non extendi niſi id verbis exprimatur: & hæc eſt ratio, cur jura præcipiant obſervari tenorem privilegii, & ut ſalvetur verborum proprietas; quia licèt extenſio poſſit licitè fieri, non tamen ultra proprietatem verborum: idque etiam procedit de privilegiis ad cauſas pias, cæteroquin privilegia conceſſa uni religioni extenderentur illicò ad aliam æqualem, vel etiam ſtrictiorem ob ſolam paritatem rationis; ſiquidem quilibet ſacer ordo Religioſorum eſt etiam cauſa pia: & nilominus certum eſt, privilegia Religioſorum non extendi de uno ad alterum Ordinem ob paritatem rationis, ſed tantùm beneficio communicationis; adeò ut carentes hoc beneficio non participent privilegia alterius Ordinis. Tum quia *ex regula juris 7. in 6.* privilegia perſonalia non tranſcendunt perſonas, quibus conceduntur. Tum quia privilegium etiam conceſſum ad cauſam piam dependet à ſola voluntate Principis, proinde non poteſt extendi niſi volente concedente.

Verùm licèt privilegium ab una perſona non ſe extendat ad aliam, nec ab uno caſu ad alium ob ſolam ſimilitudinem rationis; poteſt tamen privilegium ita interpretari, ut aliquid in eo comprehendatur, quamvis id verbis non ſit clarè expreſſum, quo pacto ſub facultate diſpenſandi in votis comprehenditur etiam facultas ea commutandi, quia majus eſt diſpenſare, quàm commutare: eadem ratione in privilegio teſtandi continetur etiam facultas conficiendi codicillos, & donandi causâ mortis;

quia qui concedit principale ſupponit concedere acceſſorium: & conficere codicillos, ac donare cauſa mortis ſe habent acceſſoriè ad privilegium conficiendi teſtamentum t tunc tamen extenſio non fit de uno ad aliud ob ſimilitudinem rationis, ſed ob virtualem incluſionem unius in alio; talis enim facultas ad acceſſorium virtualiter continetur in verbis; quibus conceditur principale.

4 Cæterum interpretatio, ſeu extenſio privilegii debet ſemper fieri in propria verborum ſignificatione, niſi interpretatio ſit neceſſaria ad hoc ut privilegium aliquid operetur: quia privilegium non debet eſſe inutile; ſicut enim verba legis ſunt accipienda in proprio ſenſu, & ſignificatione, niſi neceſſitas aliter cogat; ita etiam privilegia debent interpretari, ut verba accipiantur in proprio ſenſu, & proprietate, quæ deſumenda eſt ex uſitata ſignificatione, vel uſu communi, vel ex jure, quod ſit privilegio proportionatum; adeò ut ſi privilegium ſit conceſſum à Principe ſæculari, debeat interpretari ſecundùm jus civile; ſin verò ſit conceſſum à Papa, ſecundùm jus canonicum: & in hoc ſenſu intelliguntur regulæ illæ, quibus dicuntur, *quòd privilegia non plus operentur, quàm verbis exprimant* ſcilicet laxè, vel preſsè acceptis juxta conditionem privilegii, & ſervata propria verborum ſignificatione communi, vel juridicè, niſi ſpecialis neceſſitas adigat ad aliam interpretationem, ne privilegium ſit inutile. Quòd *privilegium merè favorabile extendendum ſit ſalva verborum proprietate*, ſcilicet juxta materiam ſubjectam, & uſum juridicum. Quòd *privilegium ſimpliciter odioſum reſtringendum ſit, ut quam minimum operetur* ſcilicet reſpectu aliorum, non autem reſpectu concedentis.

5 Quæritur ſecundò an privilegium conceſſum aliquibus, quòd ſubditi non poſſint uti privilegiis Pontificiis abſque licentia ſuorum ſuperiorum, ſe extendat ad omnia privilegia? Reſp. cum diſtinctione, ſi ſermo ſit de privilegiis jam conceſſis, certum eſt, privilegiũ ſe extendere ad omnia jam conceſſa: quia tametſi conceſſa ſint omnibus, & ſingulis, adeò ut habeant ſinguli propriũ jus pro uſu eorundem; nihilominus quia ſummus Pontifex, poteſt revocare dicta privilegia, poteſt etiam à fortiori modificare eorum uſum, & injungere, quòd ſit dependens à voluntate Prælatorum Regularium. Sin verò ſit non de privilegiis conceſſis, ſed de concedendis in futuro, videtur reſpondendum negativè, quia ut docet Suarez. *lib. 8. de legib, cap. 15. num. 3.* quando Pontifex, concedit communicationem privilegiatorum ſimpliciter, talis conceſſio tantùm comprehendit privilegia jam conceſſa, & non ſe extendit ad privilegia in futurum concedenda.

6 Ratio itidem eſt, quia ipſum privilegium continet modificationem, & reſtrictionem aliorum privilegiorum, quorum uſum reſtringit, ne ſit liber unicuique, ſed dependeat ab aliena voluntate; ſed modificatio, & reſtrictio referuntur ad id, quod jam exiſtit; ſiquidem quod eſt poteſt reſtringi, & modificari, non verò quod nondum eſt, quia non entis nullæ ſunt qualitates *l. Pomponius §. de acquir poſſeſſ.* Hinc communis ſententia docet, conceſſionem privilegiorum *ad inſtar* non ſe extendere ad futura, eò quia illud *ad inſtar* ſupponit exiſtere id, ad cujus inſtar datur, Baldus *in l omnia C. de Epiſc. & Cler.* Panormitanus *in c. fin. n. 5. ne Clerici, vel Monach.*

Tum quia quando aliquid pro præſenti 7
tempore diſponitur, ex natura diſpoſitionis ſit reſtrictio ad tempus præſens; adeò ut comprehendat, quæ tantùm ſunt de præſenti *l. ſi ita eſſet. ff. de auro, argent.* hinc ſi quis leget pecunias, quas habet, intelligitur de illa quantitate, quæ exiſtit tunc, quando conditum fuit teſtamentum; non verò de augmento ſuperveniente: pari pacto, quando conceditur ne quis utatur privilegiis abſque licentia ſuorum ſuperiorum, intelligitur de iis privilegiis, quæ de præſenti exiſtunt; non verò de iis, quæ in futuro erunt concedenda.

Quæritur tertiò, an privilegium conceſ- 8
ſum *ad inſtar* alterius, incrementum ſubeat, & decrementum, ſi primum privilegium ad cujus inſtar augeatur, vel minuatur. Tunc privilegium dicitur concedi *ad inſtar*, quando conceditur inſtar privilegii jam antea conceſſi alteri, cui propterea plenè, & adæquatè commenſuratur, tanquam exemplari, prout hoc ſe habet tempore conceſſi privilegii *ad inſtar.* Unde difficultas eſt, an ſi poſtmodum augeatur, vel minuatur privilegium primum; etiam incrementum, & decrementum ſubeat ſecundum conceſſum *ad inſtar* primi. Pro quo juvat obſervare, quòd ſi generalibus terminis detur privilegium ad inſtar alterius, ſeu primi, & hoc primum non exiſtat, nec ſciri poſſit, qualénam fuerit in ſpecie, ſecundum privilegium conceſſum ad inſtar nil operatur, nec eius conceſſio: perinde ac in legato, ſi nulla omnino res, vel quantitas exprimatur, legatum eſt nullum *l. ſi ſic legatum 75. §. ſi mihi ff. de legatis 1.* Quòd ſi ſpecies privilegii non minueretur, quamvis exemplar non exiſteret, imò nunquam extitiſſet, tunc ſecundum privilegium conceſſum ad inſtar ſuum ſortiretur valorem, quia jam conſtaret de intentione legislatoris. Suppoſito igitur, quòd utrumque privilegium exiſtat, difficultas eſt, an ſi poſtquam conceſſum eſt privilegium ad inſtar, aliud primum privilegium augeatur, vel minuatur, etiam ſecundum debeat tale incrementum, vel decrementum ſubire.

Reſpondetur cum diſtinctione, ſi enim 9
ſecundum privilegium ad inſtar concedatur non per ſe, & principaliter, ſicut conceduntur privilegia alicujus religionis familiaribus ejuſdem, quæ privilegia non conceduntur ratione eorundem familiarium; ſed tantùm ratione religionis, ad quam ſicut familiares ſe habent acceſſoriè, ita privilegium inſtar illius, quod conceſſum eſt religioni, eſt acceſſorium

ad

ad privilegium Religionis; & tunc quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, ideo aucto, vel reſtricto, & vel etiam revocato privilegio principali neceſſariò augetur, reſtringitur, vel etiam revocatur privilegium *ad inſtar* conceſſum familiaribus, quia quoad uſum omnino dependet à privilegio conceſſo Religioni, perinde ac acceſſorium dependet à ſuo principali: hinc è converſo reſtricto, vel revocato, aut deperdito privilegio, quoad familiares, non minuitur, nec revocatur, aut deperditur quoad Religionem; ratio eſt, quia principale, non dependet ab acceſſorio, ſicut hoc dependet à ſuo principali, ut notat Barboſa *in collect. in cap. quod nonnullis 25. num. 4. h. t.*

10 Sin verò privilegium conceſſum ad inſtar communicetur alteri æquè principaliter, & omnino independenter à primo; ſed directè per ſe, & æqualiter; adeò ut is, cui communicatur poſſit eodem prorſus modo illo uti, ſicut alius utitur eodem privilegio ſibi priùs conceſſo; tunc aucto, vel reſtricto, vel etiam revocato privilegio principali priùs alteri conceſſo non augetur, nec minuitur, aut reſtringitur, nec revocatur privilegium ſecundum conceſſum ad inſtar primi, quia tunc privilegium conceſſum *ad inſtar* fit proprium illius, cui conceditur non minus, ac ſi illi fuiſſet primò conceſſum, adeò ut utrumque privilegium ſtet per ſe, nec ullum ſe habeat acceſſoriè ad aliud; quamvis enim poſterius ſit conceſſum ad inſtar prioris alteri antea conceſſi; non tamen quoad uſum, vel non uſum dependet à priore, tanquam acceſſorium à principali, quia ſupponitur conceſſum æquè principaliter, ac primum; proinde independenter ab illo.

11 Hinc in communicatione privilegiorum, quâ uni Religioni communicantur privilegia conceſſa aliis, licèt detur jus utendi iiſdem privilegiis; non tamen communicatur uſus, vel non uſus, quapropter licèt Religio, cui primò conceſſa ſunt, non utatur ſuis privilegiis, & propter non uſum, ea amittat; adhuc tamen aliæ Religiones poterunt illis uti, quibus independenter ab uſu Religionis, cui primò fuerunt conceſſa, communicantur, ut docet Suarez *lib. 8. de legib. c. 16 n. 15.*

12 Quæritur quartò, an privilegium conventionale poſſit eſſe non ſolùm reale, ſed etiam perſonale? Privilegium conventionale dicitur, quod ex pacto conceditur: unde conſtat, non omne privilegium eſſe omnino gratioſum? Reſpondetur, privilegium conventionale poſſe eſſe tam reale, quàm perſonale; ita ut unà cùm perſona extinguatur, quod immeritò iverunt inficias aliqui Juriſtæ, eo innixi principio juridico, quòd omne pactum debeat ex ſua natura eſſe perpetuum, ut etiam obligatio ex illo orta, quæ propterea debet etiam ad hæredes tranſire.

13 Hoc tamen principium nudè ſumptum fallit. Primò in matrimonio, & ſponſalibus, quæ ad hæredes non tranſeunt. Secundò quia uſusfructus poteſt in pactum venire, licèt non tranſeat ad hæredes illius, cui uſusfructus conceditur. Tertiò non videtur ſufficiens ratio ſuppetere, cur non poſſit privilegium ex pacto ad vitam concedi, cùm id dependeat à voluntate paciſcentium, & concedentis privilegium. Quartò quia *ex tit. inſtit. de V. O.* §. 4. habetur, quòd utilis ſit ſtipulatio, quâ quis ſibi petit ab altero promitti decem aureos quoad vivet, qui ſtipulatur; & eo mortuo promiſſor hæredibus nihil debeat: quamobrem principium illud juridicum, quo omne pactum dicitur debere ex natura ſua eſſe perpetuum rejicitur ex pluribus juribus.

Quamobrem illud principium juridicum intelligendum eſt conditionatè; ſi ex intentione contrahentium aliud non colligatur, vel niſi materia, & natura contractus aliud exigat: quamobrem non eſt eſſentiale pacto ut ſic, eſſe perpetuum: ſed ſolùm non repugnare ex genere ſuo eſſe perpetuum. 14

An verò privilegia ſimpliciter conditionata ſint perpetua, ſi adjecta conditio variari poſſit, ut ſi Pontifex concedat privilegium Religioni, ut quamdiu in partibus infidelium Religioſos miſſionarios habuerit, duret tale privilegium: ſi caſus poſtea contingat, quo pro aliquo tempore nullus exſtat Miſſionarius privilegium ceſſet. Putârim procedendum cum diſtinctione, vel conditio eſt talis, ut moraliter poſſit perpetuò durare, quamvis poſſit etiam ceſſare per accidens, & tunc tale privilegium eſt perpetuum non obſtante conditione ſubintelligenda, quamdiu *Sedi Apoſtolicæ placuerit*, quia ut Suarez advertit, hæc conditio quamdiu placuerit Sedi Apoſtolicæ, vel Principi, ſubauditur in quovis privilegio, quia cùm ſit gratia facta, poteſt revocari ex juſta cauſa quando placuerit Principi, qui tale privilegium conceſſerat. Sin verò conditio talis ſit, ut non poſſit moraliter perpetuò durare, tunc privilegium erit temporale: hinc ſi Pontifex, alicui Religioni concedat privilegium tempore graſſantis peſtis, quamdiu ſe impenderit in infectorum ſervitio; tunc cùm peſtis non ſit moraliter perpetuò duratura; privilegium quod reſpicit tempus graſſantis peſtis, eſt tantùm temporale. 15

Quæritur quintò, an privilegiatus debeat eſſe ſubditus privilegiantis? Reſpondetur, quòd tametſi ad recipiendum privilegium contra legem, à qua liberetur privilegiatus, requiratur, quòd recipiens ſit ſubditus privilegiantis, eò quia non ſubditus non obligetur lege: nihilominus in aliquo ſenſu poteſt etiam non ſubditus frui tali privilegio, non quòd cenſeatur eximi à lege, quâ priùs abſolutè obligatur, ſed quia eximitur à lege, quâ alioquin non exemptus obligaretur, ſi in tali territorio moraretur, ubi uſus privilegii eſt exercendus, ut ſi Rex Hiſpaniæ prohiberet efferri ex Hiſpania certas merces, quas tamen Rex Galliæ haberet facultatem extrahendi, 16

utique hæc facultas eſſet privilegium, & tamen Rex Galliæ non eſſet ſubditos Regis Hiſpaniæ abſolutè, ſed ad ſummum tantùm reſpectivè, ſi in terris Hiſpaniarum morentur eius Miniſtri, quia hi cunc tenentur legibus territoriis quòd ſi contra agerent ſine facultate, tunc ratione delicti ſubjicerentur foro Regis Hiſpaniæ. Quòd ſi ſermo ſit de privilegio præter, ſeu ultra jus commune, poteſt etiam oon ſubdito coocedi, quo pacto Imperator poteſt concedere Regi Galliæ, ut io terris Imperii milites conſcribat contra infideles, vel ad recuperanda loca ſacra.

16 Quæritur ſextò, quibúsoam privilegium, ſeu beneficium competentiæ conveniat. Eſt beneficium competentiæ privilegium quorundam debitorom, ut conveniri oon poſſint ultra id, quod commodè ſolvere poſſunt; ſeu ut non poſſint conveniri, quin illis relinquatur competens ſuſtentatio? Reſpoodetur, hoc privilegium convenire parentibus conventis à ſuis liberis, & è contra *l. 1. 16. & 17. ff. de re judic.* ratio eſt, quia filii jubeotur à lege alere proprios parentes ioopes, & è cootra parentes filios indigentes *l. 5. §. 13. ff. de agnoſc. & alen. liber. 2.* Secundò fratri germaoo reſpectu alterius fratris, eò quia ſibi invicem alimenta debeant, ut docent commuoiter Juriſtæ. Tertiò ſocio adverſus ſocium *l. 16. §. ſed & ſi quis ℐ. de act.* imò etiam Patrono adverſus libertum. Quartò illi, qui ex liberalitate, & donatione convenitur *§. ſed etſi l. 15.* Quintò etiam militi armatæ militiæ *l. 6. & 18. ff. de re judic.* Sextò marito adverſus uxorem repetentem dotem *l. 17. §. item ſi de dote.* imò Juriſtæ id etiam extendunt ad ſocerum per *l. 15. fin. ff. eod.* An verò hoc privilegium conveoiat etiam Doctoribus juris, Advocatis, Magiſtris, & Profeſſoribus; videtur oegativè reſpondendum ex *l. 6. ff. de re judic.* ubi io ſpecie hoc privilegium cooceditur militi armato, unde diverſum videtur ſupponi de milite togato, cujus oulla ſit mentio. Nihilominus cootraria ſenteotia videtur probabilis, & deſumi ex *l. medicos 6. C. de Profeſſor. & Medicis.* ubi Profeſſoribus, Doctoribus juris, & Advocatis conceditur privilegium, ut propter civile debitum non poſſint ad judicium duci, nec incarcerari, unde videtur etiam ipſis concedi hoc beneficium, ſeu privilegium competentiæ: ſiquidem eo ipſo, quòd immunes ſunt à carcere, non poſſunt adigi cedere bonis, proinde non teneotur ad plus, quàm commodè præſtare poſſuot.

17 Quòd ſi dicas, cum privilegio, ut oon incarcereotur, poſſe cohætere, ut poſſint cogi, ſi non ad cedendum bonis, ſaltem ad peram excutiendam ſeu ad dandam rotam pecuniam, ut oequidem neceſſaria ad honeſtè vivendum ipſis relinquantur.

18 Contra eſt, quia id non videtur admittendum, quia perinde videretur eſſe ac cedere bonis: neque id eſſet conforme favori privilegii. Neque obſtat, quòd *in l. 6. §. de re judic.* hoc privilegium competentiæ concedatur in ſpecie militi armato, ac proinde diverſum videatur ſupponi de milite togato: quia *lex Medicos 6. C. de Profeſſoribus, & Medicis* fuit poſtea ſancita, proinde licèt *in l. 6. §. de re judic.* privilegium competentiæ non extendatur ad milites togatos; ad illos tamen extenditur per *l. poſteriorem Medicos 6. C. de Profeſſorib. & Medic.*

19 An verò hoc privilegium competentiæ extendatur etiam ad Clericos in ſacris conſtitutos, vel ſervientes eccleſiæ, & altari proprio miniſterio: communior, & verior ſententia affirmat, adeò ut etiam Clerici gaudeant tali privilegio, quia ſunt milites cœleſtis militiæ, & per ipſos placatur ira Dei *l. inter claras C. de ſumma Trinit.* quapropter Clericis tribuuntur bona quaſi Caſtrenſia *l. ſacroſanct. 22. C. de Epiſc. & cler.* Secundò quia id vel maximè decet ſtatum clericalem, ne qui Deo ſunt mancipati, & eius obſequiis addicti cogantur mendicare. Tertiò quia Clerici ob debitum civile prohibentur incarcerari, ut tradit Menochius *de arbitr. judic. lib. 1. q. 18 n. 8.* ex quo infertur, eos non poſſe compelli ad cedendum boois: ſed qui non poſſunt cogi ad cedendum bonis, ex generali regula gaudent beneficio competentiæ; proinde etiam Clerici.

20 Idque etiam firmari poteſt *ex cap. Odoardus de ſolutionib.* in quo Pontifex, non loquitur de ceſſione bonorum, ſed ſolùm ſtatuit, quòd ſi Clerici ooo ſint ſolvendo cavere debeant jurejurando, ſe ubi ad pinguiorem fortunam pervenerint ſatisfacturos ſuis creditoribus; uode Pontifex, videtur concedere Clericis illud idem privilegium, quod *novel. 135.* concedit depauperatis per infortunium: ſed iſtis conceditur beneficium competentiæ; ergo etiam Clericis. Imò hoc privilegio gaudent etiam debitores laici, ſi ſine propria culpa per temporum iniquitatem eò paupertatis redacti ſint, ut oon poſſint ſuis ſatisfacere creditoribus, quia licèt in jure hoc privilegiũ illis non concedatur in formalibus terminis; iis tamen conceditur per verba æquivalentia, & talia, quæ aliũ utilem ſenſum habere non poſſint, cujusmodi verba habeotur in *novel. 135.* io qua novum beneficium continetur: ibi enim dicitur: *Ubi enim locorum juſtum, ut is, qui in univerſum ex accidenti, non ſupina negligentia res ſuas amiſiſſe traditus eſſet, denuò per vim ad ignominioſam vitam tranſponatur, & ad quotidiani victus, nec non amictus corporis inopiam (ut licèt conjicere) adigatur.* Sin autem hic non haberet beneficium competentiæ, deberet bonis cedere, ſicque ad talem tranſponi ſtatum, ſeu ad vitam ignominioſam, qua careat quotidiano victu, eíque deſint neceſſaria ad veſtitum.

Quæritur ſeptimò, an habens duplex privilegium exemptionis Epiſcopi, & Papæ 21

poſſit

poſſit utroque uti? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *c. cum olim 14. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd eccleſia, quæ ſe defendit duobus privilegiis, Epiſcopi, & Papæ ſi ſuccumbat in uno *n. c.* Epiſcopi, poſſit ſe defendere cum altero. Poteſt enim eccleſia uti duplici privilegio exemptionis ſibi conceſſæ ab Epiſcopo, & privilegio libertatis ſibi indulto à Sede Apoſtolica; adeò ut ſi ex uno ſuccumbat, poſſit altero ſe defendere; ratio eſt, quia per impetrationem ſecundi privilegii exemptionis etiam ab alio ſuperiore, impetrans non cenſetur renuntiare priori privilegio
22 obtento ſuper eadem re, ſed potiùs præſumitur utrumque obtinere, ut poſſit validiùs ſe utroque defendere: non enim prohibetur quis pluribus defenſionibus uti *ex regul. jur. 20. in 6.* Verùm *ex. d. c. cum olim* colligitur, Epiſcopum non poſſe ſine conſenſu capituli unam eccleſiam eximere à juriſdictione ſua, imò neque cum conſenſu capituli poteſt illam totaliter, & omnimodè eximere: alioquin ſi poſſet unam totaliter eximere, poſſet etiam aliam: cùm non ſit major ratio de una ac de alia, ſic omnes totaliter poſſet eximere, ac proinde totam curam, ſeu totum officium ſuum paſtorale abdicare, ad quod non habet facultatem: unde poteſt tantùm in multis eximere eccleſias ſibi ſubjectas, quibuſdam tamen ſibi reſervatis, ut docent Canoniſtæ in *c. cum venerabili 7. de Religioſ. domib.*

23 Quæritur octavò, an, qui jure communi ſunt exempti à juriſdictione Ordinarij, ſi citentur ab eodem ad exhibendum privilegium exemptionis, vel ad probandam exemptionem aliqua alia ratione, teneantur parère Epiſcopo citanti, & comparere? Reſpondetur ex communi ſententia negativè; quia cùm jure communi ſint exempti à juriſdictione Or-
24 dinarij, ac propterea eorum exemptio ex jure communi ſit nota; non poteſt juriſdictio Ordinarij adverſus illos de jure communi eſſe fundata: & hæc eſt ratio, cur tantùm illi, qui ſolùm ex privilegio, vel legitima præſcriptione ſe dicunt exemptos, citari ab Ordinario, & adigi poſſint ad exhibendum privilegium, vel ad probandam exempitionem, ut ſtatuit Bonifacius VIII. in *c. cum perſona c. 7. h. t. in 6.* ubi Pontifex ait, ut qui dicunt ſe exemptos per privilegium, vel indulgentiam Sedis Apoſtolicæ, ſi requirantur ab Ordinario, teneantur oſtendere integraliter legenda prædicta privilegia, vel indulgentias ipſi Ordinario in loco congruo & ſecuro, vel aliis prudentibus viris ſine ſuſpicione deputatis ab Ordinario; idque intra terminum competentem moderandum pro qualitate facti ab Ordinario, vel ejus Legato: hæc autem ratio ceſſat in illis, qui jure communi ſunt exempti à juriſdictione Ordinarij; cujuſmodi ſunt Religioſi mendicantes, qui propterea citati ab Epiſcopo ſeu Ordinario loci ad allegandum privilegium exemptionis,
25 non tenentur comparere, ut docet Abbas *c. cum ordinem n. 7. de reſcript.* ratio eſt, quia talis citatio ipſo jure eſt irrita, quia facta à Judice non competente, & contra notorium privilegium.

Hinc quando Doctores aſſerunt, exemptos citatos ſuper exemptione teneri comparere, & 26
allegare privilegium exemptionis, etiam ſi illud notorium ſit, ſaltem proponendo exceptionem declinatoriam fori, ut docet Felinus *d. c. cum Ordinem num. 8. & 9. de reſcript.* id tantùm procedit de privilegio non inſerto corpori juris, quia hoc non ita omnibus notum eſt: vel ſi dicatur notorium, id debet allegari, & de eo poteſt cognoſci, quia potiùs conſiſtit in facto, quàm in jure, quod propterea cognoſci, & probari debet. Secus ſi privilegium ſit inſertum corpori juris, tunc petitio, ut allegetur eſt fruſtranea, quia eſt inſtar juris communis, quod omnibus notum eſſe debet, quoties enim privilegium exemptionis eſt inſertum corpori juris, tunc nullum poteſt dubium eſſe an pertineat ad Ordinarium Judicem loci, proinde non poteſt ab ipſo de eodem cognoſci, ut docet Abbas *in d. c. cùm Ordinem n. 5. de reſcript.* Secus ſi exempti ſolam allegarent præſcriptionem ſine privilegio, tunc Ordinarius loci poſſet uti ſua juriſdictione in illos, donec plenè probetur præſcriptio; quia hæc cùm ſit merè odioſa pen- 27
dente lite ſuper præſcriptione, poteſt Epiſcopus uti juriſdictione ſua ordinaria, quamvis qui præſcripſit, revera ipſi non ſubjiciatur, idque ob favorem juris communis, & per hoc dif- 28
fert præſcriptio à privilegio, quia hoc eſt favorabile, proinde extenditur, non ita præſcriptio.

Cæterum qui allegat exemptionem poteſt ſe juvare duplici modo, ſcilicet privilegio, & jure communi, vel duplici titulo, privilegio, & præſcriptione, ut deſumitur *ex d. c. cum perſona 7. h. t. in 6.* Et licet quod eſt meum ex una cauſa regulariter non poſſit dici meum ex alia, ſeu ex præſcriptione, id tamen fallit. Primò ſi cauſa, ex qua quis dicit, rem eſſe ſuam, dubia ſit, tunc enim ad cautelam poteſt res illa fieri ſua ex ſecunda cauſa ut deſumitur ex *c. poſt electionem 7. de conceſſ. præb.* Secundò ſi per ſecundam cauſam efficacior probatio ei ſuppetat, quàm per primam, ac propterea fortiùs per ſecundam illi ſubveniatur, 29
quàm per primam *l. 4. ff. ad leg. falcid.*

Quæritur nonò, an privilegia ſpecialia, & exorbitantia cenſeantur communicata per generalem communicationem. Certum eſt plures Religioſorum Ordines gaudere privilegiis conceſſis alijs Ordinibus præſertim Congregationi Caſſinenſi, cui conceduntur privilegia per communicationem omnium aliorum Ordinum tum mendicantium, tum non mendicantium; adeò ut participantes de privilegiis Caſſinenſium, participent etiam de privilegiis conceſſis omnibus ordinibus tum mendicantibus, tum non mendicantibus. Difficultas eſt, an etiam per hanc generalem communicationem cenſeantur communicata privilegia ſpe- 30
cialia, & exorbitantia.

Communior & probabilior ſententia eſt affir-

affirmativa. Ratio peti poteſt ex fine communicationis; quia Pontifices per hanc communicationem voluerunt æquare monaſteria monaſteriis, & ſacros Ordines ſacris ordinibus Religioſorum; & hoc pactu exſcindere occaſiones æmulationis, vel invidiæ inter Religioſos; idque colligitur ex ipſo textu bullarum: ſed ſi in communicatione aliqua privilegia exciperentur, non fieret adæquatio intenta à ſummis Pontificibus in communicatione privilegiorum: neque Pontifices aſſequerentur finem, quem intendunt, per hanc communicationem. Tum quia communicatio privilegiorum intelligi debet, ut eam intellexerunt ſummi Pontifices: ſed iſti extenderunt hanc communicationem etiam ad privilegia ſpecialia, & exorbitantia: etenim privilegium celebrandi divina officia tempore interdicti januis apertis eſt proculdubiò ſpeciale, imò eſt ita exorbitans, ut ob hoc à nonnullis, notetur de ſubreptione; & nihilominus Leo X. in ſua Bulla, cui initium eſt: *quamvis in privilegiis* ait illud concedere Minimis S. Franciſci de Paula ratione communicationis privilegiorum, quam habent cum Minoribus.

27 Tum quia privilegium conceſſum Societati JEſu recipiendi ordines eccleſiaſticos extra tempora, & tribus diebus feſtis continuatis eſt ſpeciale, & exorbitans: & tamen plures cum Diana *Tom. 11. tract. 4. Reſol.* 6. dicunt per generalem communicationem derivari ad alios Religioſorum ordines: ſi igitur hujuſmodi privilegia, quæ certè ſunt exorbitantia per generalem communicationem derivantur ad alios ſacros ordines; ſequitur, privilegia ſpecialia, & exorbitantia per generalem communicationem derivari ad alios ſacros ordines. Tum quia generalis conceſſio referens ſe ad privilegia conceſſa alteri omnia comprehendit, nec minus operatur, quàm ſi ſigillatim omnia exprimeret, ut notat Felinus *in Tract. de Privileg. ad inſtar quæſt. 4.* idque vel maximè procedit quando communicationi adiicitur clauſula *quorum tenore*, quia hæc clauſula habet vim ſpecialis, ac individuæ derogationis, & expreſſionis cum omnibus ſuis qualitatibus, tollitque *derogatorias derogatoriarum*, quod eſt derogare omnibus juribus, & conſtitutionibus derogantibus, & derogaturis privilegio conceſſo ſub illa, vel impedientibus ne ſortiatur effectum; ut etiam omni clauſulæ eidem reſiſtenti: ergo communicatio facta cum dicta clauſula, ſe extendit ad privilegia ſpecialia, & exorbitantia.

Tum quia quando unum excipitur, cen-
28 ſentur quælibet alia conceſſa; ſed in conceſſione, ſeu communicatione privilegiorum Papa non excipit exorbitantia, & ſpecialia; ſed tantùm quæ ſunt contraria Concilio Tridentino: ergo præter hæc Papa cenſetur conceſſiſſe omnia alia privilegia, quamvis, ſpecialia, & exorbitantia, dummodo non contrarientur Concilio Tridentino; ſiquidem exceptio firmat regulam. Præterea quando jus non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere; nec recedere à generali conceſſione, niſi aliter conſtet de voluntate concedentis; idque vel maximè verum eſt in materia favorabili, ut eſt hæc privilegiorum: ſed Papa non diſtinguit, neque excipit privilegia ſpecialia, & exorbitantia; proinde neque debemus nos illa excipere: quod tamen intelligendum eſt dummodo privilegia ſpecialia, & exorbitantia non ſint contraria ſtatui alicujus Ordinis; vel enormiter non lædant jus tertii; quia Pontifex non præſumitur velle abrogare ſtatum Ordinis Religioſorum, cui privilegium concedit, ſi id 29
ſpeciatim exprimat.

Quæritur decimò, an privilegium datum ad aliquid agendum finiatur per primum actum, ut ſi Pontifex concedat alicui prænobili fæminæ, ut poſſit ingredi cœnobium Sanctimonialium; privilegium hoc intelligatur expirare cùm primum ſemel fuit prænobilis illa fæmina monaſterium ingreſſa. Agit fusè de hac quæſtione Felinus in *c. 2. de trenga, & pace*, cum quo reſpondendum eſt cum diſtinctione; ſi enim agatur de odioſis, & pœnalibus, tunc intelligitur finiri privilegium per primum actum abſolutum, quia in *l. dotis promiſſio ff. de jure dotium l. boves §. hoc ſermone ff. di V. S.* dicitur, quòd ſermo ſimpliciter prolatus cenſeatur finiri primo actu: & promiſſionem dotis tantùm de primis nuptiis eſſe intelligendam. Hinc quando datur facultas alicui, ut duo ſimul beneficia obtinere poſſit, privilegium tantùm ſe extendit ad illa duo prima, & non ad alia *c. non poteſt de preb. in 6.* Si detur facultas ut publicè proſcriptus poſſit in urbem venire, id tantùm intelligitur pro una vice, adeò ut privilegium expiret, ſi ſemel venerit, ut notat Bart. *l. 1. ff. ad leg. Jul. de adulte.*

Rurſus poteſtas in compromiſſo conceſſa 30
arbitro de prorogando termino compromiſſi deſinit in prima prorogatione. Facultas data patrono laico, quâ poſſit, poſtquam unum Clericum nominavit, deſignavit vel obtuliſſet inſtituendum alium nominare, deſignare, & offerre, finitur per primam nominationem *c. quòd autem 3. de jure patron.* facultas itidem conceſſa ingrediendi in cœnobium ſanctimonialium finitur per primum ingreſſum: quia hæc & ſimilia privilegia verſantur circa odioſa. Secus privilegium, quod non continet odium, nec pœnam, nec onus, nec detrimentum non extinguitur per primum actum, quia cùm includat favorem extendendum eſt, ut ſi alicui detur facultas eligendi confeſſarium non extinguitur privilegium per primam electionem; facultas legendi libros interdictos non extinguitur per primam lectionem: ut nec facultas edendi cibos prohibitos diebus jejuniorum per primam comeſtionem: nec privilegium celebrandi miſſam in domo privata per primum actum, ſeu primam celebrationem.

Præterea quando res ex natura ſua exigit 31
iterationem, ut ſi teſtator præcipiat hæredi [illegible]

ut veſtiat, alâtque viduam, intelligitur, donec permanſerit vidua, adeò ut non ſufficiat, ſi ſemel eam veſtiat, quia victus, & veſtitus ex natura ſua poſtulant iterationem. Hinc ſi quis legavit alimenta uxori Caij ſimpliciter, quatenus eſt uxor Caij, intelligitur legâſſe etiam ſecundæ, & tertiæ uxori, quia quælibet ſucceſſivè eſt uxor Caij; ſecus ſi Cajus ſuæ uxori legaret alimenta intelligeretur legatum relictum tantùm illi uxori, quam tunc habuit, quando legatum condidit. Rurſus ſi quis inſtituat poſthumum, cenſetur inſtituiſſe plures, ſi fuerint. Rurſus ſi facultas, vel privilegium detur ad certum tempus non finitur per primum actum intra illud tempus, ſed durat donec fluxerit totum tempus intra quod poſſunt plures actus reiteri: hac diſtinctione adhibita facilè reſpondetur ad alios caſus, quos exhibet Felinus *loc. cit.*

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

ABſoluto tractatu de delictis & exceſſibus tam Prælatorum, quàm ſubiditorum congruè Pontifex hîc agit de purgatione canonica, quia plerumque contingit, ut crimina plenè probari non poſſint, nec conſequenter puniri, ut par eſſet; cùm pœna infligi non poſſit, niſi crimen luce meridiana clariùs probetur *l. ult. C. de probat.* Eſt enim contra juſtitiam punire innocentem, & tamdiu cenſetur quis eſſe innocens, quamdiu non probatur nocens. Hinc deficientibus probationibus, ne crimina maneant impunita, quod valde pernicioſum foret reipublicæ, introducta eſt purgatio quâ reus de objecto ſibi crimine ſe purgat, vel excuſat; adeò ut infamatus de delicto, de quo ob defectum accuſationum, vel probationum conveniri non poteſt, adigendus ſit ad ſe purgandum, & de hac purgatione eſt ſermo in præſenti titulo.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *NOBILIS* 1. *h. t.* *Ex Concilio Triburienſi ſtatuitur, ut ſi vir nobilis, vel ingenuus, ſeu natus liber, (dicitur enim ingenuus, qui ſtatim ut naſcitur liber eſt* l. ſtit. de ingenuis in princ.) *accuſatus de crimine, neget; deficiente accuſatore, ſi ipſe eſt fide dignus, purget ſe cum duodecim aliis ingenuis viris. Sin verò priùs deprehenſus fuerat in furto, vel perjurio, aut falſo teſtimonio, non ſit admittendus ad juramentum; ſed ei tanquam ingenuo indicenda ſit canonica purgatio. Nota purgationem in genere eſſe remotionem ſordium & factâ translatione à corpore ad animum, ſumitur pro remotione culparum; tum in ordine ad Deum, & fit per ſacramentum Pœnitentiæ: tum in ordine ad hominem ab eo qui de aliquo crimine accuſatus, nequit de eodem convinci. Hæc purgatio eſt duplex una vulgaris diabolî inſtinctu à vulgo excogitata, & fieri conſueverat per ferrum candens, vel aquam bullientem; & hæc prohibita eſt* 2. q. 5. *Altera eſt canonica inventa à iure canonico, & fit per juramentum aliquando ſolius infamati, nonnunquam etiam teſtium compurgantium. Si enim Reus propria confeſſione, vel teſtibus, aut facti evidentia convinci non poſſit, non ſtatim eſt abſolvendus; ſed ſi laboret gravi infamia, vel præbeat occaſionem ſcandali, indicitur illi canonica purgatio, quâ per juramentum ſuam teſtetur innocentiam, aliósque adducat compurgatores, qui juramento teſtentur ſe credere, ipſum verum dicere, ac eſſe innocentem; eſt autem numerus horum compurgatorum arbitrarius, ſeu ad arbitrium judicis; proinde non eſt neceſſe, ut ſint duodecim. Non tamen cuilibet Reo indicitur canonica hæc purgatio; ſed ſolùm fide digno, quem, veriſimile eſt, non pejeraturum: unde qui ante deprehenſus fuit perjurus, non admittitur ad hanc purgationem: quæ hodie non videtur ampliùs eſſe in uſu, niſi in cauſa hæreſis, ut notat Barboſa* hîc n. 2.

C. *SI QUIS PRESBYTER* 2. *h. t.* *Ex Concilio Agathenſi ſtatuitur, quod ſi presbyter malè vivat, ac infametur, debeat Epiſcopus cogere populum ad manifeſtandam infamiam Presbyteri: quòd ſi deſint accuſatores, debeat Epiſco-*

Epiſcopus primò admonere presbyterum ſeparatim, & ſi non ſe corrigat; iterum coram duobus, vel tribus teſtibus; & ſi non ſe emendet, iterum debeat Epiſcopus publica increpatione illum admonere; & ſi nec ſe corrigit, tunc debeat eum ſuſpendere ab officio uſque ad dignam ſatisfactionem, ne ſit populis ſcandalo. Ex hoc textu liquet, nemini indici purgationem canonicam; quia tantùm traditur modus admonendi ſacerdotem infamatum, ſi accuſetur à populo, & is ſub juramento: & ſi accuſatus infamiam fateatur, debet Epiſcopus eum ſemel ac iterum corrigere; imò & ſuſpendere ab officio, ſi ſe non emendet: adeo ut licèt admonitio ab initio ſit fraterna, attamen ob pertinaciam admoniti, tranſit in iudicialem, ac punitur congruâ pœnâ.

C. *MONIALES 3. h. t. ex Concilio Meldenſi ſtatuitur, quòd ſi moniales accuſentur eſſe libidinoſæ, & hoc probari non poſſit; compellantur probare ſuam famam canonicè ſecundùm regulam. Liquet ex hoc textu purgationem canonicam poſſe indici etiam religioſis non ſolùm viris, ſed etiam fœminis; quamvis hodie non videatur id ampliùs eſſe in uſu, ut notat Barboſa.* hîc n. 1.

C. *SI QUIS 4. h. t. Ex eodem concilio declaratur, quòd ſi probetur manifeſtè, ut quia eſt convictus, vel confeſſus manifeſtè, vel intervenisse in raptu ſponſarum, repellitur clericus à proprio gradu: ſin verò non probetur, ſed ſit veriſimilis ſuſpicio. tunc debet ſe canonicè purgare. Ex hoc textu colligitur, eſſe deponendum clericum convictum in judicio manifeſtis probationibus de hoc crimine; & tunc non eſſe locum canonicæ purgationi, quæ ſolùm admittitur in defectu probationum.*

C. *QUOTIES 5. h. t. Innocentius III. declarat, quòd ſi Epiſcopus accuſatur de ſimonia, & accuſatores id non probent, debeat accuſatus ſe purgare cum tertia manu ſui ordinis, & quarta Abbatum, & ſacerdotum Religioſorum. Et proſcribitur forma hæc purgationis ſervanda. Nimirum ut Epiſcopus juret ſuper ſancta Dei Evangelia, quòd pro eccleſia S. Petri præsbytero danda, nihil per ſe, nec per alium accepit; nec aliquis eo ſciente accepit: & compurgatores etiam jurent ſuper ſancta Dei evangelia, quòd credant eum verum dicere. Ex hoc textu liquet, non eſſe neceſſarios duodecim compurgatores; cum Pontifex in hac decretali non niſi ſeptem exigat, tres Epiſcopos, & quatuor Abbates, ſeu Religioſos: dicitur in textu* cum tertia manu ſui Ordinis, & quarta Abbatum teneri ſe purgare *ſcilicet manu aliorum, quia in jurando manu utimur, illam vel elevando, vel pectori, aut evangelio imponendo.*

NOS INTER 6 h t. Alexander III. reſcribit, Epiſcopum poſſe compellere ſuum Parochianum. laborantem infamia de aliquo crimine publico deficiente accuſatore, & teſtibus, ſi non appellat: quia ſi appellet Judex appellationis judicat: ubi notat Gloſſa, non poſſe de quolibet crimine, ſed de eccleſiaſtico, ut de hæreſi, adulterio, inceſtu, vel niſi habeat juriſdictionem temporalem: rurſus cauſa appellationis debet eſſe juſta, ut ſi Epiſcopus excedat modum in purgatione, vel alio modo aggravet, alioquin appellatio ſi juſta non ſit, non admittitur.

C. *CUM P. MANCONELLA 7. h. t. Declarat idem Pont. purgatores debere honeſtos eſſe, & bonæ opinionis, ac converſationis, adeò ut ſint fide digni, & credatur, quòd nolint pejerare amore, odio, pecuniis, & cognoſcant vitam, & converſationem illius, qui purgatur. Rurſus declarat deficientem in purgatione eſſe privandum omni officio, & beneficio. Præterea recipientem purgationem non debere oſtendere malevolentiam, vel indignationem, nec impedire, nec permittere impediri Compurgatores. Cæterum ut notat Gloſſa hic deficiens in purgatione habetur pro convicto, cujus pœna eſt privatio officij, & beneficij, quæ pœna videtur gravior, cum in* c. ſi quis 2. h. t. *tantum imponatur pœna ſuſpenſionis uſque ad ſatisfactionem. Verùm reſpondet Panormitanus, id eſſe intelligendum ſecundùm textum ſub initio capitis* ſiquis 2. *quia ibi tantùm eſt ſermo de Presbytero malè vivente & infamato. In hoc autem textu Monconella fuit accuſatus de ſimonia, cujus criminis, ſi quis convictus ſit deponendus eſt ab officio, & beneficio* c. de hoc c. inſinuatum de ſimon. *Non igitur ob ſolum defectum purgationis, ſed ob crimen ſimoniæ, ſi de eo convictus fuiſſet Manconella utique debuiſſet privari officio, & beneficio. Cæterum in quovis caſu purgationis deficientis infamatus incurrit pœnam illius criminis ordinariam, de qua cenſetur convictus, non aliam.*

C. *EX TUARUM 8. h. t. Lucius III. reſcribit infamato qui ſe purgavit purgatione vulgari, ſeu judicio aquæ frigidæ, & liberatus fuit, poſſe de novo indici purgationem, tametſi idonei accuſatores non appareant: nimirum ut cum ſeptima, vel quinta manu ſui Ordinis oſtendat ſuam innocentiam: quòd ſi id præſtiterit abſolvendus eſt à ſuſpenſione,* & *infamia non obſtante contradictione unius, vel alterius: ubi notandum eſt cum Gloſſa ob enormitatem delicti poſſe clericum ſtatim ſuſpendi ab officio, & beneficio, ne oriatur ſcandalum; non ita ob delictum levius, quia de hoc infamatus non debet ſtatim ab initio ſuſpendi, ſed tantùm poſt defectum purgationis, ut notat Panormitanus hic n. 2. quia deficiens in purgatione habetur pro convicto. Rurſus quia purgatio per aquam frigidam in jure canonico eſt inaudita, ideo fuit opus nova purgatione ſufficiente, qua præſtita canonicè non tenebatur Presbyter iterum ſe de novo purgare. Cæterum purgatio vulgaris, ut candentis ferri, duelli, panis, caſei, eſt prohibita, & habetur pro non præſtita. Rurſus ſicut purgatio prohibita non facit fidem, ita jurans aliter quàm debet, tenetur de novo jurare.*

CON-

C. CONSTITUTUS 9. *h. t. Idem Pontifex declarat ſufficere, ſi compurgatores ſint ab eccleſia tolerati, & bona fama in ſuis ordinibus miniſtrantes, & in judicio non fuerint pro crimine condemnati; ſi iſti juxta propriam conſcientiam, & opinionem jurent ſe credere purgandum eſſe immunem à crimine non eſt inquirendum ampliùs de illis nec facienda alia indagatio ſicut de ordinandis. Imò notat Gloſſa, non eſſe anxiè inquirendum de qualitatibus compurgatorum, ſed ſufficere, ſi tales ſint, quales in hoc textu deſcribantur, ubi etiam videtur Epiſcopus ex quodam malo affectu examen accuratiùs inſtituiſſe, ac ſi eſſent ad ordines ſacros promovendi; imò compurgatores non ſunt ſtrictè examinandi ſicut alii teſtes, & ſtandum eſt quoad eorum qualitates forma in textu præſcripta.*

C. INTER SOLICITUDINES 10. *h. t. Innocentius III. reſcribit, quòd tametſi ſecundùm canones infamatus ſit ſuſpendendus ab officio, donec ſe purget, nihilominus ob criminis enormitatem, ut eſſet hæreſis, poſſit ſuſpendi ab officio, & beneficio, etiam nullo accuſante: verùm ex ſola fama poteſt Epiſcopus ex officio ſuo accipere teſtes contra ipſum, & tunc etiam augetur numerus purgantium, & poſt purgationem ab hæreſi reſtituendum eſt beneficium; licèt ſuſpendatur ab officio in pœnam donec ceſſet ſcandalum, & contrariè operetur ad hæreſin. Sin verò deficiat in purgatione habetur tunc ut convictus, ac proinde deponitur ab officio, & beneficio, & detruditur in Monaſterium ad agendam pœnitentiam; imò ut notat Gloſſa, hæreticus convictus traditur Curiæ ſæculari, non ita ſi tantùm ſit ſuſpectus, præſumptivè ſe habeat. Quòd verò in textu poſt purgationem ab hæreſi dicatur eſſe reſtituendum beneficium ſed purgatum ſuſpendendum ab officio, id non intelligitur in pœnam delicti, quia cùm ab illo Diaconus ſe purgâſſet non debuiſſet puniri: ſed ut rectè notat Panormitanus hîc, fuit Diaconus ille ſuſpenſus propter familiaritatem cum hæreticis, quæ erat cæteris ſcandalo; ad quod removendum fuit ipſi injuncta pœna ſuſpenſionis donec abſtineret totaliter à tali familiaritate, & ſic ceſſaret ſcandalum in aliis.*

C. CUM DILECTUS 11. *h. t. Idem Pont. reſcribit compurgatores debere eſſe perſonas vicinas, & honeſtas. Ratio itidem eſt, quia vicini meliùs ſupponuntur ſcire conditionem, & qualitatem vicinorum* c. quodam c. quanto de præſumpt. *Quòd ſi vicini deſint ſufficiunt alii. Cæterum compurgatores debent ſemper eſſe perſonæ toleratæ ab eccleſia, & non condemnatæ de crimine. Putàrim tamen non poſſe cogi ad purgandum ſicut teſtes in certis caſibus, ut habetur in titulo de teſtibus cogendis, vel non, quia compurgatores debent eſſe voluntarii: alioquin ſi eſſent inviti facilè purgatio redderetur ſuſpecta.*

C. CUM IN JUVENTUTE 12. *h. t. declarat idem Pont. quòd ſi infamia alicujus non ſit orta ex probabilibus conjecturis, non ſit neceſſariò indicenda purgatio, & tantùm poſſit indici ad inſtantiam purgandi. Ubi notandum eſt infamiam Epiſcopi, de quo eſt ſermo in hoc textu proceſſiſſe ab ejus æmulis, & inimicis, quæ cauſa fuit, ut nunquam Pontifex contra ipſum commoveretur, eò quia fortaſſis ab homine maligno, qui litteras Pontificis dolo intercepit, & vulgavit, orta fuit, & ampliata: qua ratione dicitur in textu, quòd unius dictum facilè ſequitur multitudo: unde ob hanc infamiam non eſt indicenda canonica purgatio, eò quia non eſt infamia ex probabilibus conjecturis, ſed ex levibus, quæ non ſufficiunt: poteſt tamen purgatio concedi ob vehementem inſtantiam petentis, ut Pontifex conceſſit Epiſcopo, de quo eſt ſermo in hoc textu.*

C. DE TESTIBUS 13. *h. t. declarat idem Pont. ſufficere ſi compurgatores jurent, hoc tantùm, quod credant, eum qui ſe purgat, dicere veritatem.*

C. ACCEDENS 14. *h. t. reſcribit idem Pont. Epiſcopo Florentino, quòd ſi aliquis infametur publicè in defectu natalium, & non poſſit legitimè conſtare, recipienda ſit ejus purgatio, & non debeat ordinari eò quia licèt non ſit nota delicti eſt tamen nota impedimenti Ordinum ſacrorum. Ubi notat Gloſſa, aliquem non eſſe filium ſacerdotis non poſſe probari directè, ſed tantùm indirectè, eò quia probetur, quod ſit filius talis laici, & ejus uxoris, quam pro legitima habebat, & hoc erat publicum. Cæterum ex hoc textu colligitur, purgationem non ſolùm poſſe indici ſuper delicto Verùm etiam propter alium defectum, aut inhabilitatem ad ſacros Ordines, vel officium, aut beneficium, ut in hoc textu fuit defectus natalium. Quando verò infamia oritur ab æmulis, & inimicis non eſt neceſſaria purgatio, ut liquet* ex d. c. cùm in juventute 12. h. t.

C. CUM DILECTIS FILIIS 15. *h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi crimen ita ſit notorium, ut celari non poſſit, non ſit indicenda purgatio, ſed condemnatio. Rurſus pendente judicio coram Judicibus delegatis Papa non debere Ordinarium purgationem indicere infamato: quòd ſi purgavit, declarat nullius valoris, & mandat eſſe purgandum à delegato Papæ, ſi contra infamatum non appareat accuſator. Ubi notat Gloſſa, quòd quando juris Ordo eſt de ſubſtantia judicii, ſi non ſervetur, ſententia eſt nulla: quando verò non eſt de ſubſtantia judicii ſententia tenet, & ſortitur ſuum valorem, niſi relevetur per appellationem. Cæterum ex textu colligitur purgationem indictam à non ſuo Judice valere. Rurſus quando judicibus ſunt notoria crimina, non debent allegare accuſati purgationem canonicam, quia hæc non habet locum niſi quando factum eſt dubium, vel deficientibus accuſatoribus, & teſtibus.*

C. ACCEPIMUS 16. *h. t. Idem Pont. reſcribit, quòd*

quòd ſi Prælatus, ut Archiepiſcopus ſit infamatus de criminibus, & velit ſe purgare debeat hoc modo, & forma jurare ſecundùm ſanum intellectum; nimirum, ut juret ſe non commiſiſſe poſtquam fuit factus Archiepiſcopus, illa crimina, de quibus eſt infamatus ſcilicet ſe non commiſiſſe ſimoniam, venditionem juſtitiæ, incontinentiam: & ut compurgatores jurent ſe credere eum verum juràſſe: & non ſufficit, nec debet jurare, quòd ſit immunis ab illis criminibus, de quibus eſt infamatus, tametſi illa commiſiſſet antequam eſſet Archiepiſcopus; quia non tenetur jurare de tota ſua vita; nec quòd ſit immunis intelligendo, quòd ſint remiſſa per pœnitentiam jam factam, quia id temerarium eſſet. Ex hoc textu colligitur infamatum de crimine non teneri ſe purgare à die nativitatis ſuæ, ſed tantùm à tempore promotionis ſi ſit Prælatus eccleſiaſticus, quia generatim nemo tenetur ſe ampliùs purgare quàm de illo tempore, à quo accuſatur, aut infamatur. Rurſus infertur per pœnitentiam non tolli pœnam, & accuſationem in foro externo, quia utrumque forum diverſos habet fines & effectus.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit purgatio, quomodo, & quando inducenda.

1 PUrgatio canonica ut ad præſens pertinet inſtitutum eſt alicujus criminis, de quo quis diffamatus eſt; canonicè facta oſtenſio, ſeu demonſtratio, & deſumitur *ex cap. ſi quis Presbyter 2. c. Monachis 3. cap. ſi quis de gradu 4. h. t.* Hinc vocatur hæc purgatio canonica, eò quia fit à ſacris canonibus inventa; imò dicitur etiam canonica, eò quia à ſacris canonibus ſit recepta, & indicitur ei, qui in alicujus criminis gravem ſuſpicionem vocatus eſt (quando contra ipſum non habetur plena probatio, ſed tantùm præſumptio non modica) ut exiſtimationem ſuam ab omni infamia redimat *cap. 1. ſub de conf. c. 8. de cohab. Cler.* hinc Syneſius *Epiſt. 44.* ad quendam Joannem de gravi aliquo crimine ſuſpectum ſcribit. *Tametſi fortè apud Deum innocens ſis, & ſceleris expers, quia execrandum hoc facinus, nec factis, nec conſiliis admiſeris, nondum te tamen apud nos homines innocentem videris, quamdiu purgatus non fueris.* obtinuit olim uſus ait Ivo Carnotenſis *Epiſt. 206.* ut fieret purgatio canonica eius tantùm juramento, qui gravæ alicujus ſuſpicionis macula laboraret, idque probatur *l. ult. §. ſicubi C. de iis ad eccleſ. confug.*

2 Nonnunquam hæc canonica purgatio fiebat per judicium crucis, cujus purgationis mentio fit *lib. 1. capitul. Carol c. 108. lib. 3. cap 46. lib. 4. cap. 126. in append. 2. ad lib. 4. cap. 33.* Quomodo autem hæc purgatio per judicium crucis fieret, non conveniunt interpretes; aliqui cum Turreblanca *de Magia lib 5. cap. 23. num. 26.* cenſent, fuiſſe tale judicium quoddam armorum genus in crucis ſpeciem conformatorum: ſed hanc ſententiam rejicit Reynaudus *de calumniis ſect. 3. cap. 8. q. c.* quia hæc purgatio æqualiter indicebatur viro, & uxori: abſurdum autem eſt, aſſerere fœminam teneri armis pugnare.

Hinc Grethſerus *lib. 2. de cruce cap. 25.* cenſet purgationem hanc per crucem comprehendiſſe olim ſortes quaſdam, quæ jaciebantur ad crucem juxta formam præſcriptam in legibus Friſionum *tit. 14. §. 1.* parabantur enim duæ teſſeræ, quarum una pura erat, altera ſigno crucis notata, linteóque ſuper altari involutæ ponebantur, & poſt varias ad Deum fuſas preces à Presbytero, vel puero extrahebantur ut ſi prima crucis teſſera extraheretur innocentia illius, cujus fuerat, evinceretur, ſeu probata manerat; & tametſi hic ritus diu duraverit, tandem ut ſuperſtitioſus interdictus fuit, & ſublatus. 3

Alii alium purgationis modum per crucem aſſerunt, ut juberetur Reus criminis ſtare ad crucem per quadraginta duas noctes, & ſi non poſſet, vel caderet nocens crederetur, aliàs maneret innocens. Communior tamen, & verior ſententia eſt, purgationem per judicium crucis nil aliud fuiſſe, quàm juramentum per crucem præſtitum, vel contactâ ſanctâ cruce, & frequenter fuiſſe uſurpatum refert Grethſerus *lib. 2. de cruce c. 56.* Hocque juramentum refert etiam Nicetas Choniates in *Alexio Duca.* Nunc verò purgatio canonica juxta præſentem titulum fit per juramentum, quo quis ſe immunem eſſe ſceleris ſibi affícti, & impoſiti invocato Deo in teſtem affirmat, & hanc purgationem cenſet Cujacius *in cap. 8. de cohabit. Cler.* ſuam trahere originem à diſpoſitione legali, de qua *in l. 4. §. ſed ſi ſervus ff. de edend. l. 3. §. ſicubi C. de his qui ad eccleſiam*, quia jure civili plerumque jurejurando controverſiæ decidebantur *l. 1. ff. jurejur.* Hinc ſuſpectus uſuræ, vel interpoſitæ per 4

dolum

dolum perſonæ compellitur jurare *l. eos §. ult. C. de uſur.* Plura hujus rei exempla habentur in pandectis, adeò ut Juſtinianus dixerit ſacramenti timore contentioſam litigantium inſtantiam compeſci *l. 1. C. de jurejur.* per calumniam.

5 Purgatio hæc canonica non poteſt indici niſi à judice competente; adeò ut Clericus non poſſit ſe purgare niſi coram Judice eccleſiaſtico, à quo fuerit ipſi purgatio indicta: quia ſi hæc purgatio indicatur à non Judice, vel à Judice non competente nullum ſortitur valorem, & juramentum præſtitum non probat innocentiam, quia perinde ſe habet, ac ſi nullum fuiſſet *argum. cap. licet 5. de offic. leg.* Epiſcopus verò non ſolum clericum, verùm etiam laicum ſubditum publicè infamatum de aliquo crimine poteſt compellere ad ſe purgandum, ut deſumitur *ex cap. nos inter 6. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd ſi Parochianus (ſeu ſubditus Epiſcopi) de aliquo crimine publica laboret infamia, accuſatore, & teſtibus deficientibus ad purgationem per Epiſcopum eſſe compellendum, niſi ad ſuperiorem appellet, cujus poſtea in judicio apparebit. Ex quo textu claret, Epiſcopum poſſe compellere ſuum Parochianum laborantem infamia de aliquo crimine publico deficiente accuſatore, & teſtibus, ſi non appellat: quia ſi appellat Judex appellationis judicare debet. Unde poſtquam aliquis infamatus eſt publicè apud bonos, & graves viros compellendus eſt ad ſe purgandum *cap. ſi mala 16. cauſa 2. q. 5.* ut autem Epiſcopus poſſit indicere purgationem laico ſubdito, debent crimina, de quibus diffamatus eſt laicus ſpectare ad cognitionem eccleſiæ, cujusmodi ſunt crimina hæreſis, adulterii, & alia ſimilia, quæ ſunt, vel merè eccleſiaſtica, vel ſaltem mixti fori, ut habetur *in cap. cùm ſit de foro compet.* vel in aliis ubi temporalem juriſdictionem habet Epiſcopus.

6 Ratio eſt, quam tradit Innocentius in *d. c. nos inter alios* quia purgatio nunquã indicitur niſi in defectu probationum: unde ſi ad Epiſcopum non pertinet cognitio delicti contra laicum, nec coram ipſo fiunt probationes, conſequenter, neque poteſt Epiſcopus indicere purgationem de crimine ad ejus cognitionem non ſpectante.

7 Quamobrem non poteſt Epiſcopus de quolibet crimine hanc purgationem indicere laico, ſed tantùm de crimine eccleſiaſtico ut de hæreſi, adultario, inceſtu, vel alio, quod ſaltem ſit mixti fori.

8 Non tamen deſunt, qui probabiliter cenſeant, poſſe Epiſcopum hanc purgationem indicere de quolibet crimine: quia textus *in d. cap. nos inter 6. h. t.* generaliter, & indiſtinctè loquitur de aliquo crimine, & Epiſcopus debet inquirere in diœceſi ſuper crimina ſubditorum, etiam laicorum, & ea punire *c. 3. de offic. jud. Ordin.* proinde etiam poteſt deficiente probatione purgationem indicere. Putàrim tamen cum Abbate *in d. c. nos inter 6. num. 2. h. t.* procedendum eſſe cum diſtinctione, vel enim Epiſcopus vult indicere purgationem laico infamato ad pœnam temporalem in foro judiciali imponendam, & tunc non poteſt eam indicere niſi laicus infamatus ſit de criminibus pertinentibus ad forum eccleſiaſticum; vel de iis, quæ pertinent ad mixtum forum: vel vult laico infamato purgationem indicere ad pœnitentiam imponendam in foro animæ; & tunc poteſt infamato laico purgationem indicere, quia Epiſcopus poteſt quemlibet notorium criminoſum adigere ad ſubeundam pœnitentiam, ne in peccato perſiſtat *c. novit. 13. de judic.* quia ad Epiſcopum pertinet cognoſcere de iis, quæ ad ſalutem pertinent animarum.

9 Hinc purgatio generatim eſt culparum remotio tum in ordine ad hominem, ab eo qui de aliqua noxa accuſatus eſt, ſed convinci de ea non poteſt: vel Epiſcopus vult infamato laico de crimine ſæculari, & non pertinente ad forum eccleſiaſticum purgationem indicere; & ejus poteſtas ad id ſe non extendit, quia non eſt Judex competens in ordine ad cognoſcendum de criminibus nullo modo ſpectantibus ad forum eccleſiaſticum, ſi criminoſus ſit laicus.

10 Cæterum is, cui ab Epiſcopo indicta eſt purgatio criminis, de quo eſt publicè infamatus, poteſt appellare ad ſuperiorem, dummodo juſtam cauſam habeat appellaodi, ut quia dicit, ſe non eſſe infamatum, vel quia Epiſcopus nolit admittere teſtes, inter quos converſatus eſt, ſed extraneos, & ignotos, vel inimicos ſuos, vel quia excedit modum in purgatione; vel alio modo illum gravat, quamvis aliàs appellatio à correctione non admittatur: unde cauſa appellationis debet eſſe juſta, ut ſi Epiſcopus excedat modum in purgatione, vel aliàs eum gravet, aliter non admittitur appellatio.

11 Cæterum Epiſcopus non ſolùm Clericis ſæcularibus, ſed etiam Regularibus imò etiam Sanctimonialibus poteſt indicere canonicam purgationem, ſi publicè diffamentur de crimine, vel ſint graviter ſuſpecti, & teſtes ac aliæ probationes deficiant, idque deſumitur *ex cap. moniales 3. h. t.* ubi dicitur, quòd ſi moniales libidinibus inſervire accuſentur, & manifeſtè detegi non valuerint, juxta regulam ſuæ religionis malam famam canonicè purgare cogantur. Si enim Moniales accuſentur eſſe libidinoſæ, & id non poſſit probari, tunc compelluntur purgare ſuam famam canonicè ſecundùm regulam; ex quo textu colligitur, purgationem canonicam poſſe indici etiam Religioſis, non ſolùm viris, ſed etiam fœminis, ſeu ſanctimonialibus.

12 Verùm notat Barboſa *in d. c. moniales 3. num. 1. h. t.* non eſſe ampliùs in uſu ut viris Religioſis, & Sanctimonialibus ſuſpectis de crimine indicatur canonica purgatio. Rurſus publicè infamatus de natalium defectu non eſt

promovendus ad ordines eccleſiaſticos, niſi priùs ſe purgaverit, idque deſumitur *ex cap. accedens 14. h. t.* ubi cùm Epiſcopus Florentinus Diaconum quendam aſſerentem, quòd à ſuis æmulis diceretur filius ſacerdotis, & eum non promoveret ad ſacerdotium, nec permitteret promoveri, reſcribit Innocentius III: quòd ſi publicè fuerit de hoc notatus, ſed legitimè id non conſtet, Epiſcopus purgatione ab ipſo recepta ad ſacerdotium illum promoveat, quia quamvis non ſit nota delicti, eſt tamen nota defectus impedientis promotionem ad ſacros ordines: ex quo liquet, canonicam purgationem poſſe indici non ſolùm ſuper crimine, ſed etiam ſuper aliquo defectu, ſeu inhabilitate, & impedimento ad ordines ſuſcipiendos, vel etiam ad officium aliquod, vel beneficium ſuſcipiendum, ut eſt defectus natalium; & quamvis ubi infamia orta eſt ab æmulis non ſit opus purgatione, *cap. cùm in juventute 12. h. t.* ut conſtabat ex litteris Papæ ub inimico ſubreptis ex æmulatione id ortum habuiſſe; hic tamen id certum non erat, ſed ſolus purgandus id aſſerebat. Quòd aliquis non ſit filius ſacerdotis non poteſt probari directè, ſed tantùm indirectè quatenus poteſt probari, quòd ſit filius talis laici, & eius uxoris, quã tunc habebat pro legitima, & hoc eſſe publicum, ac notorium: eo ipſo quòd Titius probat ſe filium uxoris Caij, & quam Cajus tenet pro uxore, utique probat ſe filium Caij, quod eſt probare indirectè Titium non eſſe filium ſacerdotis. Ex quo infertur, poſſe aliquem non ſolùm à crimine, verùm etiam ab irregularitate ſe purgare, ut deſumitur ex *cap. nos inter 6. h. t.* & *cap. Moniales 3. eod.*

13 Nonnunquam indicitur etiam canonica purgatio cùm quis eſt publicè infamatus de crimine apud bonos, & graves viros, idque deſumitur *ex c. cùm dilectis § fin. h. t.* ex quo habetur, eum non eſſe cenſendum infamatum, ſi à dictis paucorum duntaxat infametur, & eius opinio apud bonos, gravéſque viros integra perſeveret *cap. inquiſitionis 21. §. ult. in fin. de accuſ.* Quamobrem ut ob infamiam indicatur alicui canonica purgatio requiritur, ut infamia ortum ſuum non traxerit à malevolis, vel inimicis eam procurantibus, alioquin canonica purgatio non poſſet à malevolis orta indici infamato, ut notat Sylveſter *V. purgatio num. 2.* quia accuſatio, vel infamatio proveniens à malevolo ſemper eſt ſuſpecta, & quòd ex odio potiùs fiat; excipitur tamen niſi infamia orta à malevolis publicum populo ingeneret ſcandalum, quia tunc ſi hoc tolli poteſt per purgationem, hæc indicenda erit, ut notat Pirinhg. *lib. 5. h. t. §. 2. num 7.* quia propter ſcandalum vitandum recedi ſolet à jure poſitivo *cap. ſi quis 2. cap. quoties 5 c. ex tuarum 9. h. t.*

14 Quòd ſi infamatus de crimine convinci poſſit, & per idoneos accuſatores, aut teſtes, vel per alias legitimas probationes poſſit crimen plenè probari, tunc non eſt ei indicenda canonica purgatio, & deſumitur ex *cap. ſi quis Presbyter 2. h. t.* ubi ex Concilio Agathenſi ſtatuitur, quòd ſi Presbyter malæ ſuſpicioni cauſam dederit, & populus juramento ab Epiſcopo obſtrictus infamiam eius patefecerit, debeat priùs ab Epiſcopo ſeorſim admoneri, poſtea ſub duobus, vel tribus teſtibus; quòd ſi ſe non emendaverit, Epiſcopus publicè debeat eum increpare, & admonere, & ſi tali pacto non ſe correxerit, debeat ab officio ſuſpendi uſque ad condignam ſatisfactionem. Ex quo textu habetur, quòd ſi Presbyter malè vivat, & infametur, debeat Epiſcopus compellere populum manifeſtare infamiam Presbyteri: & ſi deſint accuſatores debeat Epiſcopus primò ſeorſim admonere Presbyterum, ſecundò ſub duobus, vel tribus teſtibus; & ſi ſe non corrigat, debeat eum publica increpatione admonere, & ſi adhuc nolit corrigi, debeat ſuſpendi ab officio uſque ad dignam ſatisfactionem ad evitandum ſcandalum in populo. Unde *in hoc cap. ſi quis h. t.* non indicitur Presbytero canonica purgatio; ſed tantùm traditur modus, quo ſacerdos infamatus ſit admonendus, quando accuſatur à populo, qui ſub juramento debet examinari ab Epiſcopo, & manifeſtari infamiam Presbyteri, & hic niſi ſe correxerit admonitus ſeorſim, debeat iterum corrigi ab Epiſcopo publicè ſub duobus, vel tribus teſtibus, & ſi adhuc non ſe correxerit debeat ſuſpendi ab officio. Hinc licèt hæc admonitio ab initio videatur paterna, vel fraterna; nihilominus propter pertinaciam admoniti tranſit in judicialem, & punitur pœna congrua. Cæterum quod Panormitanus *in d. cap ſi quis 2. num. 1. h. t.* abſolutè dicat à parente accuſatore non debere indici purgationem non videtur cohærere cum textu *in cap. 1.* ubi in ſynodo ſupponitur non deeſſe accuſatorem, ſed accuſatum nolle fateri crimen; ſuper quo accuſatur, & tunc debere ipſi iudici purgationem, quæ propterea non eſt remedium ſubſidiarium ſolius infamiæ, ſed etiam accuſationis, ſi hæc non ſit plena, aut convincens; alioquin ſi plena ſit, & omnino convincat, non eſt opus purgatione, ſed condemnatione.

Neque canonica purgatio indici debet, 15 niſi adſint veriſimiles ſuſpiciones, vel præſumptiones criminis, idque deſumitur *ex cap. ſi quis de gradu* ubi ſtatuitur, quòd ſi quis de gradu eccleſiaſtico raptoribus alienarum ſponſarum ſe conſenſorem, aut interventorem, ſeu mediatorem manifeſtè prodiderit à proprio gradu repellatur, quòd ſi veriſimilibus ſuſpicionibus inde fuerit propulſatus canonicè ſe expurget. Unde ſi probetur manifeſtè, clericum conſenſiſſe; vel interveniſſe in raptu ſponſarum, eo quia convictus fuerit, vel confeſſus, repellitur à proprio gradu; ſin verò non probetur ſed adſit veriſimilis ſuſpicio debet ſe canonicè purgare: ex quo liquet ob veriſimilem criminis ſuſpicionem poſſe canonicam purgationem indici, dummodo hæc ſuſpicio non levis

Digitized by Google

levis, ſed vehemens juxta *cap. inter ſolicitudines 10. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit Archiepiſcopo Senonenſi, quòd tametſi juxta ſacros canones infamatus ſit ſuſpendendus ab officio, donec ſe purget; nihilominus propter enormitatem criminis, ut hæreſis, poteſt ſuſpendi ab officio, & beneficio etiam nullo accuſante: ſed ex ſola ſama poteſt Epiſcopus ex officio ſuo accipere teſtes contra ipſum, & augere numerum purgantium. Poſt verò purgationem ab hæreſi reſtituitur illi beneficium, ſed ſuſpenditur ab officio, donec ceſſet ſcandalum, & contrariè ab hæreticis operetur. Sed ſi deficit in purgatione, habetur ut convictus, & deponitur ab officio, & beneficio, & detruditur in Monaſterium ad agendam pœnitentiam.

14 Ex quo textu deducitur, quòd triplex poſſit canonica purgatio indici, ſcilicet propter infamiam vulgatam, grave ſcandalum; & vehementem ſuſpicionem, ita tamen ut non ſit violenta nec ſufficiat ad ſententiam condemnatoriam ferendam, qoia tunc non eſſet præmittenda purgatio, ſed ferenda eſſet ſtatim ſententia condemnatoria.

15 Videtur tamen textus in *cap. inter ſolicitudines. 10. h. t.* adverſari textui *in c. ex tuarum litterarum 8 h. t.* ubi Lucius III. reſcribit, quòd ſi quis per purgationem canonicam ſuam innocentiam oſtenderit, debeat ſuſpenſio relaxari, & ipſe abſolvi; è contra *in hoc c. inter ſolicitudines 10.* Pontifex vult, Clericum infamatum manere ſuſpenſum quoad officium, quamvis præſtiterit purgationem donec ſcandalum de mentibus catholicorum deleatur.

16 Reſpondent ad conciliandos hos textus plores Canoniſtæ, id eſſe ſpeciale in crimioe hæreſis, vel alio gravi crimine: de quo agitur *in hoc cap. inter ſolicitudines 10.* non ita *in cap. ex tuarum 8.* ubi tantùm proceditur regulariter. Verùm videtur magis ſatisfacere, quod reſpondet Panormitanus *in d. c. inter ſolicitudines*, ſcilicet textum hujus capitis procedere ratione ſcandali, quod ex aliquibus delictis faciliùs oritur; tametſi alia delicta ſint per ſe enormiora; ſcandalum verò ex hæreſi ortum ſtatim ſerpit, & diffunditur.

17 Hinc Clericus *in hoc cap. inter ſolicitudines* poſt purgationem non deberet manere ſuſpenſus propter enormitatem delicti; ſed propter familiaritatem cum hæreticis. Rurſus ex hoc textu infertur, quòd ſi quis ſit vehementer ſuſpectus ſoli Epiſcopo, vel alteri ſuperiori ſuo poſſit eidem indici canonica purgatio *c. omnibus 19. cauſ. 2. q. 5.* non ita ſi ſit ſuſpectus aliis; tunc enim, ſi eſt ſuſpicio probabilis, & tanta ut inducat ſcandalum publicum in populo, indicenda eſt canonica purgatio *c. tua 8. de cohabitat. Cleric. & mulier.* Secus ſi non inducat ſcandalum, ratio diſcriminis inter ſuſpicionem ſuperioris, & aliorum deſumitur ex eo, quia contra Judicem, ſeu proprium ſuperiorem non ita facilè præſumitur; ſicut contra alios *c. ad audientiam 13. de praeſcript.*

18 Quòd ſi infamia non fuerit orta ex probabilibus ſupicionibus, aut conjecturis non eſt illi tunc neceſſariò indicenda canonica purgatio, tametſi poſſit indici ad petitionem purgandi, ut habetur *in c. cùm in juventute 12. h. t.* ubi cùm Epiſcopus Quinqueeccleſienſis in Hungaria etiam Regi propter familiaritatem cum quadam ſua nepte eſſet ſuſpectus, & Innocentius III. illum per litteras de hoc monuiſſet, quas inimicus homo ſubripiens apud Regem, & Magnates ad eum magis infamandum publicavit: nihilominus Pontifex ſciens, quòd unius dictum facilè ſequitur multitudo, nunquam contra ipſum potuit commoveri. Cùm verò ad Strigonienſem eccleſiam idem Epiſcopus poſtularetur, quidam Procurator illius de conſilio, non ſecundùm ſcientiam, quorundam amicorum inſtanter petiit, ut Pontifex purgationem canonicam ei indiceret, qui compulſus denique non juris neceſſitate, ſed petentis importunitate ei purgationem canonicam cum duobus Abbatibus juſſit indici, proteſtando ex alia cauſa petitionem hanc improvidè fieri, quia Strigonienſes ſuffraganei eius poſtulationi contradicentes eo tempore eiusdem purgationem vix eſſent ſuſcepturi. Colocenſes autem ſuffraganei neque ipſi id eſſent facturi; quia inter eum, & Colocenſem Archiepiſcopum de Strigonienſi Metropoli verteretur contentio: unde cùm non ſint alii Pontifices in Hungaria, videbatur per Epiſcopos ſui Regni non poſſe purgari ſuper ſuſpicione ei objecta.

19 Ex hoc textu liquet, infamiam hujus Epiſcopi proceſſiſſe ab æmulis, & inimicis, quæ cauſa fuit, cur contra eum noluerit Pontifex procedere fortaſſis ob illam cauſam; quia ab homine maligno, qui litteras Pontificias dolo intercepit, & vulgavit, orta fuit, vel ſaltem ampliata; & ideo Pontifex cenſuit hîc verùm eſſe illud commune effatum, qood habetur in textu: *unius dictum facilè ſequitur multitudo.*

20 Unde quando infamia procedit ab æmulis vel ab alia injuſta cauſa non eſt de illa curandum, nec indicenda canonica purgatio, etiam ad inſtantiam aliorum; neque debere Judicem ex tali infamia procedere contra infamatum, niſi ob importunitatem petentis prout huic Epiſcopo Quinqueeccleſienſi conceſſit Pontifex, quam tamen potuiſſet etiam negare, eò quia in Hungaria non eſſent tunc idonei cumpurgatores Epiſcopi: ſiquidem canonica purgatio communiter fieri ſolet per compurgatores eiusdem Ordinis; ideóque pro Epiſcopis Innocentius III. ſubſtituit duos Abbates. Ex quo etiam colligitur, numerum compurgatorum eſſe arbitrarium, ac relictum arbitrio Judicis ſecundùm qualitatem perſonæ criminis, & infamiæ. Nam hic fuerunt deputati duo Abbates, & alibi plores, ut notat Abbas *in d. c. cùm in juventute 12. in not. h. t.*

Rurſu.

Rurſus quamvis purgari quis debeat per aliquos ſui ordinis, ut Epiſcopus per alios Coepiſcopos; ſi tamen hi æmuli ſint ipſius purgandi, eique inſenſi, poteſt tunc purgatio fieri per alios inferiores, ut purgatio Epiſcopi Quinqueccleſienſis facta fuit per duos Abbates,

21 Neque debet purgatio canonica indici, quando delictum ita eſt manifeſtum, ut celari non poſſit, idque deſumitur *ex c. cùm dilectis 15. h. t.* ubi dicitur, quòd quando crimen eſt notorium, ut celari non poſſit, non debeat indici canonica purgatio, ſed ſit condemnatio. Rurſus quod judicio pendente coram judicibus delegatis Papæ, non debeat Ordinarius purgationem indicere infamato: & ſi ſe purgavit, purgatio non valet, ſed eſt purgandus à Delegato Papæ, ſi contra infamatum non apparet accuſator. Ex quo liquet, ſententiam contra infamatum eſſe irritam, & nullius valoris, ſi juris Ordo, qui eſt de ſubſtantia judicii, non ſervetur: ſecus ſi talis ordo non ſit de ſubſtantia judicii, ſententia tenet, niſi relevetur per appellationem. Præterea infertur proceſſum Judicum Delegatorum in caſu hujus *cap. cùm dilectis 15 h. t.* fuiſſe nullius valoris, ſcilicet ob prætermiſſum ordinem juris, quia lis non fuerat conteſtata: & hæc conteſtatio eſt neceſſaria ſi inquiſitio fiat ad petitionem alterius principaliter eam promoventis, quia tunc ille eſt loco accuſatoris. Vel fortâſſis talis proceſſus fuit irritus, quia Presbyter non fuit citatus, nec legitimè convictus, fuit condemnatus, ac privatus beneficiis, & Judices judicârunt notorium, qood revera tale non erat.

22 Cæterum ſi crimen, de quo aliquis eſt publicè infamatus, revera ſit notorium, non eſt illi indicenda canonica purgatio, quia tunc non eſt opus probatione *c. manifeſta 15. cauſ. 2. q. 1.* imò nec purgatio requiritur, quia hæc non habet locum niſi quando factum eſt dubium, & accuſatores, vel teſtes deficiunt; citatio tamen ſemper eſt neceſſaria etiam in notoriis *c. de illicita 6. cauſ. 24. q. 3.* niſi fortaſſis manifeſtè conſtet citatum nullam poſſe habere defenſionem, vel excuſationem, ut notat Barboſa *in collect. in d. c. cùm dilectis 15. num. 5. h. t.* Verùm plerumque etiam in notoriis recipiuntur probationes ex abundanti, & ad majorem cautelam *c. bona 22. §. licèt autem de elect.* Tum quia nihil ita eſt indubitatum, quod ſolicitam, quandóque non recipiat dubitationem. Demum ex eodem textu etiam claret, purgationem indictam à Judice non ſuo nullum ſortiri valorem. Rurſus infamatum de crimine, ſi deficiat in purgatione, eſſe deponendum, ſeu privandum omni officio, & beneficio.

23 Quòd ſi quis accuſatus, & infamatus ita ſit de delicto aliquo, ut legitimè, ac plenè non poſſit illud probari, tunc ſi infamatus objectum ſibi delictum neget, debet per juramentum præſtitum purgare delictum, & propriam innocentiam tueri juxta formam, quæ præſcribitur *in c. quoties 5. h. t.* ubi cùm Epiſcopus Tridentinus impetitus de ſimonia fuiſſet, ſed teſtes deficerent, reſcripſit Innocentius III. & mandavit, ut Epiſcopus tertia manu ſui ordinis, & quarta Abbatum, & Religioſorum ſacerdotum ſe purget: & hunc modum purgationis etiam præſcribit, nimirum, ut Epiſcopus juret primò ſuper ſancta Dei evangelia, quòd pro eccleſia S. Petri Presbytero danda nihil per ſe, vel per alium acceperit, nec aliquis eo ſciente accepit: & rurſus compurgatores ſuper ſancta Dei evangelica etiam jurent, quòd credant, infamatum verum dicere.

Unde modus quo fieri debet canonica purgatio eſt, ut in primis Reus, ſeu infamatus tactis ſacroſanctis Evangeliis juret, ſe crimen objectum non perpetrâſſe, nec per ſe, nec per ſubmiſſsm, vel tertiam perſonam: nec aliquem ſuo nomine ſe ſciente objectum ſibi crimen perpetrâſſe, idque procedit, dummodo Reus ſit fide dignus; ſiquidem hoc juramentum non debet temerè deferri, ſed tantùm à fide dignis. Rurſus adhibendi ſunt etiam Compurgatores interdum duodecim, nonnunquam ſeptem, vel etiam plures, vel pauciores juxta arbitrium Judicis, qui pro qualitate delicti, perſonæ, ſeu rei, numerum debet compurgatorum determinare *cap. 8. V. ſicut expedire c. ſignificâſti. V. juxta arbitrium tuum ſuper de adult.* 24

Quinimò debent hi compurgatores eſſe vicini, probatæ, & honeſtæ vitæ *cap. cùm dilectus 11. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit; Compurgatores debere eſſe perſonas vicinas, & honeſtas, ſeu ut declarat Gloſſa, toleratas ab Eccleſia, nec condemnatas de crimine: debent eſſe perſonæ vicinæ, ſeu quæ reum familiariter noverint, & jurare tactis ſacroſanctis Evangeliis ſe credere infamatum objectum crimen non commiſiſſe, ac verum jurâſſe; ex quo apparet juramentum hoc compurgatorium eſſe credulitatis, & juramentum infamati eſſe veritatis, ut habetur *in c. de teſtibus 13.* ubi dicitur, ſufficere, ſi compurgatores jurent hoc ſolùm, nimirum ſe credere, infamatum jurâſſe veritatem. Quandóq; ſi diffamatio levior ſuerit, ſufficit etiã abſque jursmento, ſi ſimpliciter neget, ſe tale crimen commiſiſſe. Econtra *in canone qui Presbyterum 17. q. 4.* ſtatuitur, ut qui Presbyterum occiderit ſi liber ſit cum ſeptuaginta duobus debeat jurare, qui numerus cùm videstur nimium excedere, alii fortâſſis probabiliter putant, legendum eſſe duodecim loco ſeptuaginta duobus, eò quia alii codices ſignent tantùm numerum duodecimum. Sin verò ſervus ſit, ſuper duodecim Vomeres ſerventes debet ſe purgare. 25

Ratio verò, cur infamatus de delicto, quod planè probari non poteſt purgandus ſit proprio juramento, & compurgatorum ſimul, ex eo petitur, quia ſatius eſt, infamatos purgatos eſſe, quàm ſuſpectoa, & quia eccleſia 26

optat

optat in ſuis Miniſtris, & fidelibus catholicis crimina radicitùs abolere; adeò ut ne ipſam delictorum ſuſpicionem valeat in iiſdem ſuſtinere, ideo meritò ſtatuit, ut ſiquis laboret infamia alicujus delicti, quod probari non poſſit, teneatur ſe purgare ab ea ſuſpicione non ſolùm proprio, ſed etiam Compurgatorum juramento, adeò ut iſti jurent, ſe credere, Reum verum jurare, ac immunem eſſe à crimine eidem objecto, Non tamen hæc purgatio facilè indicenda eſt, nec ex alia ferè ratione, quàm ſcandali tollendi causâ juxta Concilium Illerdenſe *in cap. Presbyter 2. q. 4.* ubi expreſsè dicitur: *Ne populus fidelium ſcandalum patiatur.*

21 Quamobrem ubi ſcandalum, vel infamia non adeſt, talis purgatio non eſt indicenda, quia ut ait Cornelius Papa *in c. ſacramentum 2. q. 4.* Sacramentum à ſummis ſacerdotibus, vel reliquis non niſi pro recta fide exigitur. Sin verò diffamatus de crimine deficiat in purgatione, vel quia jurare nolit, vel quia compurgatores non inveniat, qui eum expurgare velint, tunc veluti convictus de crimine, & auctor ſceleris puniendus eſt, ut habetur *in c. de hoc 11. c. inſinuatum 13. de ſimon.* imò ſi crimen tale ſit, ut mereatur depoſitionem, deponendus quoque erit ab officio, & beneficio; ut liquet ex præcitatis juribus, & præſertim *ex c. cum 7. h. t.* ubi Alexander III. ſtatuit, ut qui deficit in purgatione ſit privandus omni officio, & beneficio.

22 Verùm poſſent in contrarium objici aliquot jura, quæ videntur adverſari præfatæ doctrinæ, quia quando purgatio canonica indicitur; vel accuſator eſt legitimus, vel non; ſi primum, vel crimina objecta probavit, & tunc Reus non indiget purgatione, cùm ſit convictus; vel objecta crimina non probavit, & tunc accuſatore non probante Reus eſt abſolvendus *l. 1. & 3. C. de edendo.* Si ſecundum ſcilicet ſi accuſator non ſit legitimus, tunc non eſt fatigandus accuſatus *c. cum accuſator 7. q. 1.* onde in neutro caſu videtur injungenda, canonica purgatio: neque intereſt, quòd Reos poſtulatus infamiâ laboret; quia famæ & rumori populi non eſt temerè credendum, ut habetur *in c. 2. de cohabit. Cleric. c. 5. de eo qui cognovit conſanguineam c. 6. de fide inſtrum.* Tum quia licèt in cauſis civilibus ob inopiam probationum poſſit Reus jurejurando propriam tueri innocentiam *l. admonendi ff. de jurejur. l. 3. C. de reb.* non tamen in cauſis criminalibus licitum eſt hoc juramentum deferre Reo laboranti inopia probationum. Tum quia videtur fallax valde eſſe hoc genus purgationis: quia teſtes compurgatores tantùm deponunt de credulitate: ſiquidem debent deponere in his, quæ perceperunt ſenſu corporeo *l. teſtium C. de teſtibus* & notat Fachineus *lib. 11. controvers. c. 69.* Sed teſti deponenti de ſola credulitate in facto alieno non eſt fides præſtanda, ut docent communiter Juriſtæ, & notat Felinus *in c. quoties de teſtib.* unde non videtur rectè inſtitui hæc canonica purgatio, nec eis indici, qui infamiâ laborant, ſi delictum probari non poſſit.

Sed contra quia licèt in cauſis civilibus regulariter auctore non probante ſit Reus abſolvendus: nihilominus eccleſia in criminalibus exigit, ut Reus ſuam probet innocentiam, ſi gravis infamia inde orta ſit, vel ſcandalum populo datum. Tum quia etiam jure civili in gravioribus delictis læſæ Majeſtatis præſertim militiæ, vel peculatûs, non ſolùm accuſator ea probat, quæ objicit, ſed etiam Reus tenetur ſuam innocentiam tueri, ſeque oſtendere innocentem, quamvis actor in probatione deficiat, eò quia purgatio ex parte Rei ſit etiam neceſſaria *l. fallaciter in fin. C. de abolit.* unde ſicut in cauſis civilibus dubijs actore non probante Reus non abſolvitur, ſed Judex defert juajurandum Reo, vel actori *l. admonendi ff. de jureiur. l. 3. C. de rebus creditis novel. 124 Juſtin. Imper.* pari pacto in criminalibus, actore non probante, ſi cauſa dubia ſit ob infamiam, & ſcandalum, purgatio per juramentum Reo rectè defertur. 23

Hinc ad id quod addebatur jusjurandum deferri non poſſe a Judice Reo in cauſis criminalibus. Reſpondetur, id eſſe valde controverſum, an jusiurandum deferri poſſit Reo tam ab actore, quàm Iudice in cauſis criminalibus: communior, & verior ſententia docet, Judicem nonniſi purgationis cauſa poſſe juramentum deferre, actorem verò in cauſis criminalibus civiliter tantùm intentatis, non verò criminaliter. 24

Ad aliud, quod addebatur, hoc genus probationis fallax eſſe, reſpondetur, teſtes tantùm deponere de ipſa credulitate, ut ipſi ſentiunt, & perceperunt ſenſu; proinde non ita facilè poſſunt falli, & fallere. Tum quia quando compurgatores, qui debent eſſe vicini, & honeſti deponunt ſe credere, Reum jurantem verum dicere; rationem depoſitionis reddunt, quia cùm ſint vicini facilè ipſis innotuiſſet commiſſum à Reo delictum, ſi revera illud commiſiſſet, unde teſtes deponentes ſe ſcire eò quia vicini ſint, cenſentur plenam probationem facere, ut poſt Bartolum. *in l. 1. ff. de rebus credit.* probat Fachineus *lib. 11. controverſ. c. 69.* 25

Verùm cùm dicitur, diffamato de crimine, vel vehementer ſuſpecto eſſe deferendum juramentum purgationis, ut innocentiam ſuam tueatur, jurando ſe tale crimen non commiſiſſe, limitari id debet. Primò dummodo perſona nobilis ſit, vel honeſta; quia ſi perſona ſit vilis, vel infamis, non eſt hæc purgatio per juramentum ipſi injungenda, idque deſumitur *ex c. nobilis 1. h. t.* ubi ex Concilio Triburienſi ſtatuitur, ut vir nobilis, vel ingenuus, ſeu natus liber accuſatus de crimine deficiente accuſatore, ſi ipſe ſit dignus fide debeat ſe purgare cum duodecim ingenuis viris: 26

ſin verò fuerat priùs deprehenſus in furto, vel perjurio, vel teſtimonio falſo non admittatur ad juramentum, quia damnatus furti, perjurij, vel teſtimonij falſi eſt infamis *l. Athletas 45. fin. ff. de his qui not. infam.* proinde ut perſona vilis, & infamis non admittitur ad juramentum. Tum quia contra perjurum præſumitur, quòd iterum ſit peieraturus *c. quicunque 18. cauſa 6. q. 1.* qui falſum etiam teſtimonium tulit habetur perjurus, ut notat Gloſſa *in d. c nobilis 1. h. t. V. perjurio.* Sin verò infamatus de delicto ſit perſona nobilis, & honeſta indicitur illi canonica purgatio per juramentum: ſin verò infamatus ſit ſervus, vel alia perſona vilis ſuſpecta de perjurio non eſt illi deferendum juramentum purgationis; ſed ad arbitrium judicis debet aliter ſe purgare, imò non deſunt; qui cenſent talem eſſe ſubijciendum torturæ, ut per tormenta ſe purget, dummodo ſufficientia præcedant indicia torturæ: alioquin nunquam eſt incipiendum à tormentis *cap. cum in contemplatione 6. de reg. jur.*

§. II.

De Compurgatorum numero, qualitate, & de effectu canonicæ purgationis, ac pœna deficientium in illa.

1 CErtum eſt, Compurgatores debere eſſe perſonas honeſtas, & probitate vitæ commendatas adeò ut mores habeant purgatos, & laude dignos, idque deſumitur *ex c. cùm P. Manconella* ubi Pontifex reſcribit, quòd compurgatores debeant eſſe fide digni, & talis honeſtatis, ac vitæ probitatis, ut veri ſimile ſit, eos nolle amore, vel odio, vel ſpe obtinendæ pecuniæ peierare: ut autem ſint idonei debent tales eſſe, ut ejus, quem purgare debent, vitam, converſationem, moréſque apprimè cognoſcant. Præterea qui deficit in purgatione privandus eſt omni officio, & beneficio. Rurſus in eodem textu additur, quòd recipiens purgationem non debeat oſtendere malevolentiam, vel indignationem, nec impedire; nec permittere impediri compurgatores.

2 Verùm ex eo, quòd deficiens in purgatione debeat privari omni officio, & beneficio eccleſiaſtico, videtur pœna in gravitate excedere delictum: ſiquidem *in c. 2. ſi quis Presbyter h. t.* infamato imponitur pœna ſuſpenſionis uſque ad ſatisfactionem: habetur enim, quòd ſi Presbyter infamatus & ſecundò admonitus ſub duobus, vel tribus teſtibus non ſe corrigit, poſt publicam increpationem debeat ſuſpendi ab officio uſque ad dignam ſatisfactionem, ne in populo ſit ſcandalum.

Tum quia *in c. ſignificaſti de adulter.* de
3 illo, qui propriè deficit in purgatione, dicitur; quòd debeat puniri per ſuſpenſionem: & quia in præſenti textu *c. nobilis. 1. h. t.* deficiens in probatione privatur omni officio, & beneficio eccleſiaſtico, videtur pœna gravior imponi, quàm ut ob hanc ſolam cauſam debeat imponi.

Verùm huic difficultati rectè occurrit Panormitanus hîc dicens id intelligendum eſſe juxta initium capitis, quia hîc Manconella *in c. 7. h. t.* accuſatus fuit de ſimonia, ut deducitur ex illo textu, cujus criminis, ſi quis convictus fuerit, deponi ubique debet ab officio, & beneficio, *c. de hoc, c. inſinuatum de ſimonia c. inquiſitionem de accuſatione,* unde Manconella in hoc textu deficiens in purgatione non privatur omni officio, & beneficio eccleſiaſtico ob ſolum purgationis defectum, ſed ob crimen ſimoniæ, ſi de eo convincatur: ſicut in quovis caſu purgationis deficientis infamatus incurrit pœnam illius criminis ordinariam, de quo cenſetur convictus, & non aliam; tametſi interim ob infamiam & ſcandalum poſſit meritò ſuſpendi ab officio, donec infamiæ ſatisfiat. In aliis verò citatis teſtibus non agitur de crimine ſimoniæ, proinde injungitur pœna mitior, quia delictum eſt minus grave. 4

Quòd ſi infamatus negligat ſe purgare, vel non veniat ultrò ad ſe purgandum, vel hoc remedium juris innocentiæ tuendæ conceſſum non petat (cui non magis negari poteſt, quàm quodvis aliud juris ſubſidium) non propterea habendus eſt ſtatim pro convicto, tametſi talis poſſit ſuſpendi, & excommunicari, ut docet Panormitanus *hic n. 3.* & deſumitur *ex c. excommunicamus 1. §. qui autem de hæret.* Hinc addit Panormitanus, remedium purgationis de infamato debere aliquando peti præſertim ad vitandum ſcandalum. Quòd ſi infamatus ultro ſe offerat ad jurandum, ſed non poſſit ſtatim habere compurgatores, ſperat autem ſe habiturum, tunc non eſt habendus pro convicto; ſuſpendi tamen poteſt, donec reperiat compurgatores; qui ſi non inveni; vel non ita ut ſufficianter teſtentur pro ipſo, tunc infamatus habetur pro plenè convicto, & ut talis puniri debet, ſcilicet depoſitione, vel alia pœna à jure pro tali crimine ſtatuto: idque Innocentius extendit ad eum, cui præfixus eſt terminus peremptorius ad ſe purgandum, & intra illum terminum id non implevit, ac deſperat ſe poſſe purgare. 5

Quòd verò ad Compurgatores attinet, juvat obſervare diſcrimen inter teſtes deponentes ſuper contractibus, & Compurgatores, quia teſtes, qui deponunt ſuper contractibus, vel inſtrumentis non debent neceſſariò cognoſcere vitam moréſque eorum contra quos, vel pro quibus deponunt, niſi fortaſſis deponant de qualitate aliqua inhærente ipſis perſonis, ut habetur *in c. cauſam 37. de teſtibus.* ſecus compurgatores debent neceſſariò cognoſcere vitam, & mores illius, quem purgare volunt: ratio eſt, quia cùm debeant deponere de credulitate ſuper vita & moribus purgandi, 6

gandi, non poſſunt de ipſo teſtificari niſi vitã, & mores illius, pro quo deponunt illis innoteſcant; & hanc notitiam non tantùm habere debent pro tempore, quo deponuot, ſed debuit etiam multò ante hæc ootitia eis ineſſe, quia mores alicujus non cognuſcuntur, ſi quis ſemel tantùm, vel iterum ſermonesmiſceat cum alio, ſed tantùm ex diutorna conſuetudine, & familiaritate: tunc enim qualis ſit intus animus ex repetitis pluries externis actibus dignoſcitur. Abbas tamen *in d. c. cum 7. b. t. in fin.* procedit, & quidem probabiliùs, cum diſtinctione: vel enim crimen, de quo purgandus eſt infamatus, iam pridem fuit perpetratum, & tunc non ſufficit in compurgatoribus notitia purgandi pro præſenti tempore, ſed requiritur ut eum noverint, quales fuerint tunc ejus vita, & mores tempore, quo purgandus, infamatur commiſiſſe tale delictum, an tunc honeſtè vixerit. Vel delictum eſt commiſſum hoc tempore præſenti, & tunc ſufficit notitia purgandi de præſenti.

7 Plures in compurgatoribus requiruntur conditiones. Primò ut non ſolùm ſint perſonæ honeſtæ, ſed etiam vicinæ, vel habeant converſationem cum eo, qui purgandus eſt, ut habetur *in c. cum dilectus 11. h. t.* ubi Innocentius III. exigit, ut ad purgationem canonicam admittantur tantùm perſonæ honeſtæ, & vicinæ: ſiquidem vicinæ præſumuntur exactiùs ſcire, & noſſe conditionem, & qualitatem, proinde etiam vitam, & mores vicinorum, notat tamen Gloſſa *in d. c. cum dilectus 11. not. 1. h. t.* quòd ſi non poſſint haberi Compurgatores vicini, eò quia fortaſſis ſint exoſi purgando, poſſunt tunc aſſumi alij, qui tamen noverint vitam, & mores purgandi, vel habuerint cum ipſo converſationem.

8 Secundò requiritur, ut ab Eccleſia tolerentur, ſeu ſint inſigniti illis qualitatibus, quas eccleſia exigit in compurgatoribus, quos approbat, & admittit.

9 Tertiò, ut non fuerint de eodem crimine accuſati.

10 Quartò, ut jurent ſecundùm conſcientiam ſuam de innocentia infamati, non tamen eorum iuramentum debet eſſe de veritate, ſed ſufficit, ſi ſit de credulitate, ut habetur *in c. de teſtibus 13. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit Epiſcopo Turonenſi, ut qui ad purgandam alicujus infamiam inducuntur, teneantur id ſolum juramento firmare, quòd veritatem credunt, eum dicere; & etiam deſumitur *ex c. quoties 5. h. t.* ubi ex forma ſe purgandi, quam purgando, & Compurgatoribus præſcrit Pontifex, colligitur, quòd juramentum purgantis ſit de veritate, cujus ipſe ſolus conſcius eſt: ſi factum alienum occultum non norint, ſufficit, ſi jurent, ſe credere; quòd ſe purgans verum juraverit, eò quia cùm diu fuerit ipſis notus, cenſeatur ab ijſdem ab omni tali ſuſpicione alienus; quod eſt jurare de ipſa tantùm credulitate, & non de veritate: hinc tametſi res aliter ſe habeat, non propterea compurgatores ſunt perjuri, quia non jurant de veritate, ſed tantùm de ipſa credulitate; & cùm ipſi revera credant ipſum eſſe alienum à tali ſuſpicione; ideò verum jurant, ſi veritas cadat ſupra credulitatem: alioquin ſi compurgatores jurarent non de ſola credulitate, ſed de veritate, periculum ſubirent perjurij, cùm non noverint factum alterius, ſed tantùm mores, & vitam alterius.

Quintò licèt aliqui cenſeant cum Rodriq. *tom. 4. tit. 23. c. 3.* compurgatores eſſe aſſumendos de eodem Ordine: id tamen non videtur ſimpliciter neceſſarium; ſed tunc tantùm quando commodè fieri poteſt. Quamvis enim de jure communi compurgatores debeant eſſe ejuſdem ordinis cum ipſo purgando; adeò ut ſi Epiſcopus purgandus ſit, debeant Compurgatores eſſe Epiſcopi, ac Ordinis Epiſcopalis: ut etiam ſi purgandus ſit Presbyter, debeant Compurgatores eſſe Presbyteri, ac ordinis ſacerdotalis: nihilominus ſi, qui ejuſdem ſunt Ordinis, fuerint exoſi purgando, tunc admittuntur alij etiam inferiores ad compurgandum, idque deſumitur *ex c. cùm in juventute 12. h. t.* ubi Abbates admittuntur ad compurgandum Epiſcopum: imò ſi deſint viri ad compurgandum idonei, admittuntur etiam fœminæ, ut notat Gloſſa *in c. Clericis 32. V. aliqui diſt. 81.* Sin verò purgandus ſit extraneus, & nullos poſſit notos habere, in loco ubi ſe debet purgare, tunc deficiente probatione criminis eſt fides adhibenda ſoli juramento ipſius extranei ſe purgantis ut notat Gloſſa *fin. in c. cum 10. de accuſat.* 11

12 Forma autem juramenti in eo, qui ſe purgat, eò quia ſuſpectus forſan fuerit de hæreſi, ſolet hæc eſſe, ut impoſita manu ſuper evangelia, flexiſque genibus dicat: *Ego N. N. juro ſuper iſta Dei quatuor evangelia ſacroſancta, quod talem hæreſim* (quam tenetur exprimere) *de qua ſum infamatus, nunquam tenui, nec credidi, nec docui; neque teneo nunc, nec credo, & cum juramento nego id, de quo ſum infamatus.* Similiter forma adhibenda à compurgatoribus eſt hæc: *Ego N. N juro ſuper iſta Dei quatuor evangelia, quòd credo ipſum verum juraſſe.* Quòd ſi Compurgatores ſint in judicio condemnati de crimine, tunc repelluntur à teſtimonio ferendo tanquam criminoſi *c. teſtimonium 54. de teſtib.* quinimmo licèt per modum tantùm exceptionis crimen obiiciatur compurgatoribus, & probetur; adhuc excludi compurgatores poſſunt, eò quia gravata ſit eorum opinio ratione infamiæ ſecutæ ex repulſione: ſiquidem debent compurgatores eſſe bonæ famæ, & opinionis, ut habetur in *c. conſtitutus 9. h. t.* ubi Lucius III. ſtatuit, ut compurgatores ſint ab Eccleſia tolerati, & bonæ famæ in ſuis ordinibus miniſtrantes, nec in judicio pro crimine condemnati: quòd ſi ſecundùm propriam conſcientiam, & opinionem jurent, ſe revera credere, purgandum eſſe immunem à crimine; non ſit inquirendum, nec facienda indagatio de his, ſicut de ordinandis.

dis. Ex quo textu colligitur, compurgatores non eſſe ſtrictè examinandos; eò quia cùm ſint teſtes voluntarij non poſſunt compelli ad purgandum aliquem, ſicut adiguntur alij teſtes ad ferendum teſtimonium, ut liquet *ex tit. de teſtib. cogend. 21. l. 2. decret.* Tum quia compurgatores jurati cum deponat ſecundùm conſcientiam, & opinionem ſuam timere poſſunt, ne incurrant periurium, proinde non poſſunt adigi, ſecus alij teſtes deponunt de his, quæ ſunt acta ipſis præſentibus videntibus, vel audientibus, ut notat Abbas *in c. cum dilectus 11. in fin. h. t.* proinde poſſunt compelli ad teſtificandum quod viderint, vel audierint, quia id citra timorem perjurij poſſunt aſſerere,

13 Sin autem diffamatus ſit aliquis Epiſcopus, qui propterea debeat, ſe purgare; tunc Epiſcopus diffamatus purgatur præſtito juramento ſuper corpus alicujus ſancti *c. Mennam c quanto 2. q. 4.* vel ſuper dicta Dei evangelia adhibitis etiam compurgatoribus, de quibus dicitur *in c. quoties frater. ead. q. 4.* Sacerdotes cum ſeptem ſociis itidem Sacerdotibus; & Diaconi cum tribus ejusdem Ordinis purgantur *c. ſi legitima 0. Presbyter ead. q. 4.* Quot verò ſint compurgatores adhibendi Reſpondetur, Epiſcopum teneri ſe purgare adhibitis duodecim Epiſcopis *c. omnibus 19. in fin. cauſ. 2. q. 5.* Sacerdotem adhibitis ſeptem, vel quinque ſacerdotibus ad arbitrium Epiſcopi. Diaconum coram tribus alijs Diaconis, idque deſumitur *ex c. omnibus c. ſi legitima: Presbyter cauſ. 2. q. 4.* Quòd ſi publicè infamatus fuit apud populum, debet etiam coram illo ſe publicè purgare; ut etiam ſi infamatus ſit coram ſolis clericis. Sufficit ſi tantùm ſe coram illis purget, ut notat Sylveſter *V. purgatio q. 4.* Hodie autem Compurgatores adhibentur plures, vel pauciores ſecundùm arbitrium Judicis ſpectata qualitate perſonæ, ac gravitate criminis, & infamiæ *c. omnibus cauſ.*
14 *2. q. 5.*

Ceterùm quia canonica purgatio, admodum periculoſa eſt, maliſque pluribus obnoxia, conſultiùs eſt, eam non niſi raró, & ex neceſſitate urgente inducere, & alia potiùs adhibere media. Hinc fortâſſis ob hant cauſam vix hæc canonica purgatio eſt hodie in uſu, adeò ut dicat Spatharius *in metod. tract. 3. c. 12. de judic. regul.* hodie ab univerſo Chriſtiano orbe abolitam eſſe canonicam purgationem, adeò ut nec ejus quidem nomen audiatur inter ipſos Religioſos: ratio itidem eſſe poteſt, quia infamia perſæpe eſt fallax ſecundùm Panormitanum *in c. cum inſuper de confeſſ.* & interdum accidit, ut temerarij quidam homines ab omni pietate, & religione Chriſtiana alieni ex levibus conjecturis, & indiciis gravia, & enormia ſcelera ſuſpicentur, nec erubeſcant in vulgus ea ſpargere cum non modico animarum ſuarum, & aliorum detrimento.

§. III.

Proponuntur & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

QUæritur primò, qualis debeat eſſe infamia, ut infamato indicatur canonica purgatio? Reſpondetur, hanc infamiam debere publitam eſſe, & quidem apud homines honeſtos, & morum gravitate commendatos, idque deſumitur *ex c. cum dilectis 15. h. t.* adeò ut canonica purgatio non ſit indicenda niſi ei, qui publicè eſt infamatus de crimine apud bonos, & graves viros; quapropter is non eſt cenſendus infamatus, quem dicta tantùm paucorum infamant, ſi ejus opinio adhuc apud homines vitæ honeſtate, & morum gravitate commendatos illæſa maneret, *cap. inquiſitionis 21. §. ult. in fin. de accuſat.* 1

Rurſus non debet hæc infamia ſuam à malevolis, vel æmulis originem trahere, tunc enim non eſt indicenda infamato canonica purgatio, niſi fortaſſis ex infamia à malevolis orta publicum generaretur ſcandalum in populo; quia ſi illud tolli non poſſit; indicenda tunc eſt canonica purgatio, quia propter tollendum ſcandalum receditur à jure poſitivo *c. 2. de nov. oper. nunciat. c. teneamus 6. de præb.* Cæterum licèt ob infamiam ab æmulis ortam non ſit alicui indicenda purgatio, ut liquet *ex c. cum in juventute 12. h. t.* Si tamen conſtet, illam non ſolùm ab æmulis, verùm etiam ab aliis ortam eſſe, adeò ut ſint etiam viri boni, & graves, qui aſſerant, infamatum revera commiſiſſe tale delictum; tunc publicè infamatus tenetur canonicè ſe purgare, ſi hæc purgatio ei indicatur, ut notat Hoſtienſis *in c. accedens 14. h. t.* ratio eſt, quia non conſiderantur æmuli, ſed potiùs vox communis in iiſdem æmulis: neque qui judicem movent ad indicendam canonicam purgationem infamato ſunt æmuli ejusdem, ſed viri boni, & graves aſſerentes infamatum commiſiſſe, tale crimen, alioquin ſi certò conſtaret infamiam ex probabilibus tantùm ſuſpicionibus proceſſiſſe ab æmulis, tunc non eſſet purgatio canonica ad inſtantiam æmulorum indicenda infamato, quia tunc locum habet vulgatum illud effatum, *vanæ voces populi non ſunt audiendæ.* 2

Quæritur ſecundò, an indicenda ſit canonica purgatio, quando crimen eſt ita notorium, ut celari non poſſit? Reſpondetur negativè, idque deſumi *ex c. cum dilectis 15. h. t.* ubi Innocentius III, reſcribit, quod quando crimen eſt ita notorium, ut celari non poſſit, non ſit indicenda purgatio, ſed condemnatio; quia tunc propter notorietatem facti, Judex ſine alia inquiſitione poteſt procedere ad impoſitionem pœnæ; ſi tamen facti notorietas ita ſit communis populo, ut omnes in tota vicinia hoc idem aſſerant, quia tunc hæc notorietas habetur pro ſufficiente delicti probatione; 3

tione; proinde non debet à judice tunc indici canonica purgatio ipſi infamato, quia hæc non habet locum niſi quando factum eſt dubium, vel accuſatores, ac teſtes deficiunt *c. de maniſeſta 17. c. penult. & ult. cauſ. 2. q. 1.* Citatio tamen etiam in notoriis facienda eſt, ut habetur *in c. de illicita 6. cauſ. 24. q. 3.* idque limitatur tamen niſi conſtet citatum nullam poſſe defenſionem, vel excuſationem habere, ut notat Barboſa *in d. c. cum dilectis 15. n. 5. h. t. in collect.* Immo nonnunquem in notoriis etiam recipiuntur probationes ex abundanti, & ad majorem cautelam *c. bona 23. §. licet autem de elect.*

4 Quæritur tertiò, quænam fuerit olim canonica purgatio per ſumptionem Euchariſtiæ? Reſpondetur, olim in caſu furti fuiſſe Monachis permiſſam canonicam purgationem per ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem: ſacerdos enim infamatus miſſam legendo, & non ſacerdos, vel etiam laicus Euchariſtiam ſumendo hiſce verbis ſe purgabat dicens, *Corpus Domini ſit mihi in probationem hodie:* & hoc pacto oſtendebant propriam innocentiam, ſeque purgabant *c. ſæpe & c. fin. cauſ. 2. c. 4.* quinimò olim etiam ipſi ſummi Pontifices apud Imperatores, ſi infamarentur viſi ſunt ſe purgâſſe, non quidem ut Imperatores eſſent Judices Pontificis, cùm hic à nemine judicari poſſit, nec juriſdictioni ſubijciatur Imperatoris; cùm potiùs Imperator juriſdictioni ſpirituali Pontificis ſubijciatur; ſed tantùm ad tollendum ſcandalum, & ut apud populum ſtatim appareret ejus innocentia, & quòd infamatio fuerit pura calumnia. Sic Gregorius VII. inſimulatus ſimoniæ ab Henrico III. Imperatore miſſam publicè celebrando ſe purgavit ab illa infamatione, ut præ cæteria referunt Raynaudus *de calum. sect. 3. c. 2. q. 3.* Delrio *diſquis magic. lib. 4. q. 3.* quæ probatio non ad extorquendum è Deo miraculum, ſed in teſtimonium innocentiæ adhibebatur, eò quia qui conſcius ſceleris ſibi eſſet, non auderet Chriſti corpus ſumere in judicium, & condemnationem, ut notat Suarez *lib. de irreligioſ. c. 3 ſub fin.* Huic probationi nonnunquam adijciebatur imprecatio, quâ quis ſibi imprecabatur, ne Euchariſtiam deglutire poſſet, vel eodem momento periret niſi verum diceret, ut liquet ex formula hujus probationis tradita à Trithemio *in Chronolog Hirſangienſi*: quiâ verò hoc ritu quidem abutebantur, ut refert Balſamon *in can. 61.* Sextæ Synodi, ideo meritò prohibita poſtea fuit hæc purgatio, quo pacto fuerunt etiam improbata alia peregrina judicia *c. tribus de conſec. diſt 2. cap. dilect. c. ex tuorum h. t.* hinc hodie hujusmodi purgatio per ſumptionem Euchariſtiæ non eſt amplius in uſu, & quidem meritò, quia ſuſpectis non eſt danda Euchariſtia.

5 Quæritur quartò, quomodo Prælatus infamatus de aliquo delicto debeat ſe purgare? Reſpondetur, non ſufficere, ſi quando ſe purgat, juret, ſe eſſe immunem à crimine ei objecto, ſed teneri jurare, quòd poſt promotionem ſuam ad Prælaturam tale crimen non commiſerit, idque deſumitur *ex c. accepimus ult. h. t.* ubi cùm Archiepiſcopus Biſuntinenſis ex mandato Papæ ad indicendam purgationem a Delegatis citatus comparuiſſet, juramentum offerens ſub hac forma; quòd nimirum immunis eſſet ab his criminibus, ſuper quibus ſe purgare debeat, & ipſe delegatis abnuentibus accedens Pontificem ei ſupplicaret, ut ſaltem non deberet aſſerere, quòd à nativitate ſua nunquam paſſus fuerit lapſum carnis: Pontifex autem præſumeret, eum alia de cauſa voluiſſe ſub hac forma jurare? ſcilicet quòd immunis erat ab illis criminibus, de quibus fuerat infamatus, tanquam dimiſſis per pœnitentiam, ac proinde jam eſſet immunis ab illis, quod jurare temeritatis eſſet; ideo Pontifex hac forma reprobata hanc præſcripſit: nimirum ut illa crimina graviora, ſeu ſimoniam, venditionem juſtitiæ, atque incontinentiam, de quibus infamaretur, juraret ſe minimè commiſiſſe poſtquam ad Archiepiſcopalem promotus fuerat dignitatem: & compurgatores debere itidem tali pacto jurare, quòd nimirum credant, eum verum jurâſſe: ex quo textu liquet, Prælatum, vel etiam alium infamatū de delicto non eſſe compellendum ad purgandum ſe per juramentum, quo juret à tempore nativitatis ſuæ nunquam commiſiſſe tale crimen; ſed tantùm à tempore Prælaturæ, & ſolùm de criminibus, de quibus infamatus extitit, & non de alijs occultis: & quia Prælatus ut talis non infamatur niſi de delictis, quæ commiſit poſt promotionem ad ſuam Prælaturam; ideo non tenetur ſe purgare niſi de delictis commiſſis poſt ſuam ad Prælaturam aſſumptionem, quia de delictis priùs commiſſis non infamatur, ut Prælatus; & ſi de illis fuiſſet infamatus, non debuiſſet promoveri ad Prælaturam *c. omnipotens 4. de accuſat.*

Tum quia illi: qui ad Prælaturam eum promoverunt præſumuntur tunc approbâſſe ejus mores, proinde non poſſe poſtea eos reprobare, ut notat Gloſſa *in d. c. accepimus 16. V. de quibus h. t.* Rurſus liquet, poſſe poſt ſuam ad Prælaturam aſſumptionem ſe purgare ſuper iis peccatis, quæ poſt peractam pœnitentiam fuerunt ipſi condonata: ratio eſt, quia poſt actam de delictis pœnitentiam, non poteſt quis verè, & certè aſſerere ſe eſſe immunem à tali crimine, proinde nec ita jurare. Tum quia non poteſt aſſerere ſe non commiſiſſe tale delictum poſt ſuam ad Prælaturam promotionem; proinde non poteſt jurare, quòd illud non commiſerit. Tum quia non poteſt ſcire, an rectè egerit pœnitentiam. Tum quia etiam poſt peractam pœnitentiam adhuc remanet publica infamia: quæ per pœnitentiam non tollitur *c. Euphemium 7. §. hinc colligitur cauſ. 2. q. 3.* 6

Quæritur quintò, quinam ſit effectus canonicæ purgationis? Reſpondetur, quòd ſi canonica purgatio fuerit legitimè facta, ejus ef- 7

ſectus eſt abſolotio : qui enim ſuam innocentiam legitimè demonſtravit abſolvendus eſt à crimine, de qno fuit infamatus, ut deſomitur *ex c. ex tuarum 8. h. t.* ubi cùm quidam Presbyter ob infamiam homicidii ab officio ſuſpenſus ſe judicio aqoæ frigidæ purgatum, & à priori Epiſcopo per litteras abſolutum probâſſet : Locios III. hanc purgationem non ſufficere exiſtimans, mandat Epiſcopo, ut idoneis accuſatoribus deficientibus dicto Presbytero purgationem canonicam cum ſeptima, aut quinta manu indicat; quam ſi præſtiterit, ſuſpenſionem relaxet, & ab infamia homicidii nullius appellatione obſtante abſolvat. Ex quo textu colligitur, infamatum de crimine gravi poſſe ſtatim ab officio ſuſpendi, ne ſcandalom oriatur in populo, tametſi infamatus de crimine non debeat ſtatim ab initio ſuſpendi ab officio, eò quia lite adhuc pendente non debeat quis turbari in poſſeſſione, nec illa privari : quia ad impediendum ſcandalum, ne oriatur in populo, ſi crimen ſit valde grave, ac enorme infamatus poteſt ſtatim ab initio ſuſpendi, non ſolùm ab officio; ſed etiam beneficio, donec ſe purgaverit : quia æqnum eſt, ne ſcandalum ſequatur in populo ut infamatus de crimine præſertim enormi ſe abſtineat à miniſterio divinorum, ut notat Gloſſa *in d. c. ex tuarum 8. V. ſuſpendiſſes h. t.* ſecus tamen eſt in delicto citra periculum ſcandali, tunc enim infamatus non debet ſtatim ab initio ſuſpendi, ſed poſt defectum purgationis, ut notat Panormitanos *in d. c. ex tuarum 8. n. 2. h. t.* & tunc valet, quòd lite pendente non debeat quis turbari, nec privari ſna poſſeſſione.

8 Rurſus ſemel abſolutus per legitimam pnrgationem canonicam non tenetur ampliùs ſe purgara vigore infamiæ, & indiciorum præcedentium, quia cùm per juramentum tam ſuum, quàm compurgatorum ſe ritè jam purgaverit non eſt opus, ut purgationem iteret, idque deducitur *ex d. c. ex tuarum 8.* à ſenſu contrario, ibi enim dicitur, purgatio per aquam frigidam non fuit ſufficiens, eò quia extranea, ac ignota ſit ſacris canonibos; & ideo indicitur infamato nova porgatio, quæ ſufficiens ſit : unde ſi hæc ſemel ponatur canonicè, ac ritè, non eſt neceſſaria alia nova purgatio.

9 Quinimò præſtita porgatione canonica, quæ ſit ſufficiens, debet infamatus de criminn ſtatim omni diſrupta mora ablolvi à crimine, & declarari innocens, ac reſtitui in priſtinnm ſtatum: hæc enim declaratio innocentiæ, & reſtitutio in priſtinum ſtatum ſunt proprii effectus purgationis canonicæ : alioquin omnino infamiam facti removere ſolius eſt Dei, quia licèt Princeps poſſit infamiam juris per delictum contractam tollere totaliter, non ita poteſt totaliter removere infamiam facti; quia non poteſt tollere opinionem hominom de bonitate, & malitia alicujus, ut bonum judicent eum, quem in ſe credunt malum eſſe, quapropter hæc infamia, quæ dicitur facti nonniſi à ſolo Deo poteſt totaliter aboleri.

10 Quæritur ſextò, an abſolutus per ſententiam Judicis ab aliquo crimine, de qoo fuerat infamatus, eò quia ſe canonicè, ac ritè purgavit, poſſit iterum de eodem delicto accuſari? Reſpondetur cum diſtinctione : ſi purgatione canonicè, ac ritè peracta nova infamia de eodem crimine orta fuerit diſtincta à præcedente, tunc ſemel purgatus poteſt iterum accuſari, eique indici purgatio, non de eodem crimine, de quo antea jam ſe ritè porgaverat; ſed de novo, de quo poſt purgationem orta fuit infamia. Sin verò non fuerit orta nova infamia, tunc ſubdiſtinguitur : vel enim præceſſit accoſatio, ſed deficlentibus teſtibus, ſeu probatione; & ratione infamiæ præcedentis ei fuit indicta purgatio, & tunc regulariter, ſi ſemel ſe purgaverit, non poteſt iterum accuſari de eodem crimine : quia de delicto ejuſdem hominis ſæpius non quæritur *l. licèt 6. in fin. ff. nauta caupones* : vel non præceſſit accuſatio, & tunc adhuc ſubdiſtinguitur, quia vel terminos fuit aſſignatus intra quem omnes, qoi volunt accuſare, poſſint, cum clauſula tamen, quod elapſo tempore, & transacto non ampliùs ſint audiendi : & tonc ſi nullus accuſator intra talem terminum acceſſit, non admittitur poſtea accuſatio, & dimittitur infamatus *argum. c. ult. qui matrim. accuſ. poſſ.* Vel non fuit talis terminus aſſignatus volentibus accoſare, ſed purgatio, & abſolutio facta eſt abſente accuſatore, non tamen per contumaciam; & tunc non obſtante purgatione, & abſolutione admittenda eſt accuſatio, dummodo accuſator, velit in ſe ſuſcipere onus probandi : ratio eſt, quia ſine accuſatore illa abſolutio facta fuit per probationes non integras, ſed tantum per ſemiplenas, quia teſtes jurârunt tantùm de credulitate : unde accnſatio poteſt fieri ex plenis probationibus recèns accedentibus, ut habetur in *l. admonendi 31. ff. de jurejur.* & notat Abbas *in d. c. ex tuarum 8. n. ult. h. t.*

11 Verùm putârim cum Hoſtienſi in *ſumma num. 6. h. t.* poſt purgationem canonicè, & ritè ſemel præſtitam non poſſe infamatum iterum accuſari ratione infamiæ præcedentis, ſive aſſignatus fuerit terminus ad accuſandum, ſive non, ut etiam ſive accuſator præceſſerit, ſive non; quia juramentum præſtitum in purgatione canonicè peracta majoris eſt auctoritatis, quàm ipſa ſententia Judicis, ut habetur *in l. 2. ff. de jurejur.* tom quia per juramentum idem quis conſequitur, quod per ſententiam *l. ſed ſi 11. ff. eod.* Excipitur tamen niſi accuſans proſequatur ſuam, vel ſuorum injuriam *l. ſi is cui §. iidem ff. de accuſ.* vel niſi probet accoſatorem fuiſſe prævaricatum *l. 3. § 1. ff. de prævaric.* vel niſi onus ſuſcipiat probandi, qnòd infamatus qui ſe purgavit, pejeraverit, qnia cùm juramentum purgationis ſit judiciale

admit-

Digitized by Google

admittiur contra ipſum prnbatio *l. admonendi 31. ff. de jurejur,*

12 Quæritnr ſeptimò, quænam ſit pœna illius, qui deficit in purgatione canonica? Reſpondetor, deficientem in hac purgatione haberi pro convicto, & puniri propterea eadem pœna, perinde ac convictus de crimine; hæc autem eſt pœna depoſitionis ab omni officio, & beneficio eccleſiaſtico, ut deſumitur *ex c. cùm 7, h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, deficientem in purgatione eſſe privandũ omni officio, & beneficio, id tamẽ procedit conſiderato modo agendi, & quando proceditur per modum accuſationis *c. de hoc* 11. *de ſimonia*, alii etiam cenſnnt, id valere, quamvis, procedatur etiam per modum inquiſitionis: verùm hoc intelligendum eſt de crimine enormi, & excepto, ut de ſimnnia, & hæreſi, ut colligitur *ex c. inter ſolicitudines* 10. *h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd licèt ſecundùm cannnes infamatus ſit ſuſpendendus ab officio, donec ſe purget, attamen propter enormitatem criminis, ut hæreſis, poteſt ſuſpendi ab officio, & beneficio etiam nullo accuſante, quòd ſi præceſſit inquiſitio, vel denunciatio; tunc deficienti in purgatione injungitur pœna non ordinaria, ſed arbitraria.

13 Ratio verò, cur qui deficiens in purgatione puniendus ſit ut convictus, ea communiter aſſignator, quia præſumptio probabilis, ſi oriatur ex infamia tranſit in violentam, quando Reos deficit in ſe purgando: & præſumptio violentiæ ſufficit ad condemnationem, ut habetur *in c. 2. de præſumpt.* & licèt videatur nimis rigidum, quod deficiens in probatinne habendus ſit ut convictus de quo fuerat infamatus præſertim cùm violenta præſumptio non videatur ſufficere ad imponendam pœnam ordinariã delicti; nihilominus ita fuit jure canonico ſtatntum, ut nimirum Clerici nnn minus horrerent infamiam, & vehementem criminis ſuſpicionem, quàm ipſum crimen, ut ſcilicet magis ſtudeant eſſe populo bono exemplo.

Tum quia non eſt id nimis rigidum, qnia ex eo, quòd Clericus deficiens in purgatione habeatur pro non convicto, & puniatur æquali pœna, ac ſi convictus fuiſſet; non tamen pœna ordinaria à canone inflicta deficienti in purgatione eſt pœna mortis, vel mutilationis; ſed alia mitior, & eccleſiaſtica. 14

Quòd ſi Clericus deficiens in purgatione degradetur, ac detur curiæ ſæculari, non tamen poteſt à judice ſæculari puniri pœna ordinaria criminis, quâ laicus convictus puniretur de eodem delicto: ratin eſt, quia Clericus, qui tantùm defecit in purgatione non fuit verè, & realiter, ſed tantùm interpretativè convictus de tali crimine; & interpretativè tantùm convicto jure civili non injungitur pœna ordinaria; quia hæc non imponitur niſi claris probationibus, vel propria confeſſione Reus fuerit convictus. 15

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

Quia purgatio alia eſt canonica, & alia vulgaris, & illam canones, hanc populi mores invenerint, & in præcedenti titulo compilator canonum egerit de purgatione canonica, ideo recta procedens methodo hîc pergit agere de purgatione vulgari, in qua tamen quia Deus tentatur, ac multæ miſcentur illicitæ obſervationes, ideo jam pridem ab Eccleſia proſcripta fuit hæc purgatio vulgaris, adeo ut eius uſus hodie non ampliùs reperiatur. Nihilominus ut præſentem titulum donemus explicatu, hîc breviter producemus, quæ ad vulgarem pertinent purgationem.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Trium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. CURA 1. *h. t. Cælestinus III. Conſultus an ſuper eccleſiarum poſſeſſionibus debeant duella ſuſtineri, reſpondet, in nullo caſu debere purgationem vulgarem tolerari, nec per duellum, quia ut notat Gloſſa, hujuſmodi purgatio vulgaris inventa fuit inſtigante diabolo, quia eſt, tentare Deum ad patranda miracula, ideòque reprobatur, & tantùm excipitur, aliquis inſtinctus ſpiritus ſancti, quo excitatus David, deſcendit ad ſingulare certamen contra Goliatum.*

C. SIGNIFICANTIBUS 2. *h. t, cum quidam fra-*

fratres fuiſſent accuſati furti, & propterea cum accuſatore coacti inire duellum, in quo ceciderunt: & furtum poſtea apud alios fuiſſet inventum, & ipſi fratres, qui ceciderunt deprehenſi omnino innocentes Innocentius III. mandavit Spoletanis, ut bona univerſa, quibus illos ſpoliârunt reſtituerent, & declaravit ſententiam latam ex tali purgatione fuiſſe nullam.

C. *DILECTI FILII 3. & ult. h. t. cum Templarii aliique temporales Domini compuliſſent Livones recens baptizatos infamatos de aliquo crimine ſubire ferri candentis judicium; & ſecuta aduſtione civilem pœnam iiſdem inflixiſſent: reſcribit Honorius III. hoc judicium eſſe penitus interdictum; & jubet Templarios prorſus abſtinere ab hoc recens converſorum gravamine, & quidem per cenſuras mandat ad id eſſe compellendos etiam quavis appellatione remota. Hinc ex hiſce tribus capitibus ſatis apertè colligitur purgationes vulgares eſſe prohibitas, eò quia per illas tentetur Deus ut ſigno ſupernaturali manifeſtet, quæ nobis ſunt occulta: & cum id Deus non inſtituerit: ideo dicitur, per has purgationes vulgares; quæ fallaces ſunt, ut liquet ex cap.* ſignificantibus h. t. *ubi furtum ſuit inventum apud alios, qui purgationem non ſuſtinuerunt nil probari.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit purgatio vulgaris, & ex qua cauſa prohibita.

1 PUrgatio vulgaris dicitur, eò quia ſupetſtitione potiùs potiùs populi, quàm ſacris canonibus introducta fuerit *c. Monomachiam 2. q. 5.* hæcque purgatio fiebat, vel per duellum, vel aquam calidam, aut frigidam, vel per ignem, ſeu per ferrum candens, per prunas ignitas, rogum accenſum, & alia ſimilia, ut habetur *ex cap. tuarum 8. h. t. de purg. can.* & *c. 1. & 2. c. fin. num. 1. can. Monomachiam 2. q. 5.* ſi enim alter alterum patrati criminis accuſâſſet, & illud probare non poſſet, ac propterea provocaret ad duellum, ut uter ceciderit, haberetur Reus criminis, vel falſæ accuſationis, ut habetur *in cap. cura ſuſcepti 1. h. t.* ubi Cœleſtinus III. conſultus, an ſuper Eccleſiarum poſſeſſionibus debeant duella ſuſtineri, reſcribit Pontifex, ut in eo caſu, vel etiam in aliis, hoc Epiſcopus non debeat aliquatenus tolerare, quia ut notat Gloſſa *in d. c.* hæc purgatio, quæ inventa fuit ſabricante diabolo, perinde erat ac Deum tentare. Hinc ſi quis diceret ſe falſò accuſatum, & ferrum candens manu comprimeret, vel ſuper ignitum ferrum nudis pedibus incederet abſque aduſtione innocens habebatur, ſin ſecus Reus, ut deſumitur *ex cap. dilecti filii ult. h. t.* ubi Honorius III. cum Templarii, & alii temporales Domini Livones recenter baptizatos de aliquo crimine infamatos ferri candentis judicium ſubire compellerent, & ſecutâ aduſtione civilem pœnam iiſdem infligerent, reſcribit Pontifex, hujuſmodi judicium eſſe penitus interdictum, & jubet dictos fratres, & alios, ut ab hoc converſorum gravamine deſiſtant, imò vult etiam per cenſuras appellatione remota compelli.

Quamobrem olim vulgaris purgatio, de qua agitur in hoc titulo fiebat, vel per duellum, vel per ferrum candens, vel judicio aquæ frigidæ, vel ferventis; hæc enim fuerunt in uſu. Magis tamen uſitatum erat antiquum purgationis genus, quod fiebat per monomachiam, ſeu duellum, quale fuit illud apud Homerum Iliad. 3. Paridis & Menelai ad dirimendam Græcorum, & Trojanorum contentionem. Talis itidem fuit pugna trium Horatiorum cum tribus Curiatiis de Imperio Albanis, vel Romanis decernendo apud Livium *lib. 1.* imò iſte itidẽ fuit inter Gigantem Philiſtæum, & Davidem initum *lib. 1. Reg. c. 17.* cujus ineundi propoſita fuerat illa conditio: ut ibi Imperium foret, unde eſſet victoria. Verùm à publicis diſſentionibus componendis ad privatas poſtea lites dirimendas hic uſus, ſeu potiùs abuſus deflexit: & ſub ea tantùm conditione admittebatur, nimirum ſi quid ita anceps dubium, & obſcurum eſſet, ut humano judicio, vel ob probationum inopiam, vel ob aliam rationem definiri non poſſet, quaſi id Dei judicio committeretur, quod apud homines incertum erat. Hinc liquet quàm miſerè contra juris humani, & divini certa ratione conſtitutas leges, non cauſâ veritatis exquirendæ, quæ plerumque certa erat; ſed animo vindictæ inferendæ effræni, & immani cupiditate ad hujuſmodi duella proruerent. Excipitur tamen aliquis inſtinctus ſpiritus S. ut fuit ille, quo David ad duellum provocavit Goliatum. Tum quia fuit etiam jure divino præcepta ea purgationis ſpecies, quando maritus ſuſpectam adulterii uxorem habebat, 2

&

& quæ per aquares dargutionis, purgabatur *c. 5. Numer.*

3 Aliud atiam valdè in uſu fuit purgationis genus per ignem, ſuper rogum, val ferrum candens, aut vomeras, ut norant Delrius *tom. 4. diſquiſit. magic. c. 4 ſect. 3.* Camararius *centur. 2. horarum ſucciſ. c. 18.* in aa enim erant Ethnici opiniune, ut cenſerent, expiationem faciendam eſſe igne, unda habetur illod Virgilij 6. Æneid. *ſcelus exuritur igne* Haliodorus itidem *lib.* 10. narrat apud Æthiopes, ſacrum extitiſſe forum, qui diceretur infallibile innocentium experimentum: quæ cauſa fuit, ut Faſtus Pompejus hoc genus purgationis ſubfictionam vocaret; & apod Romanos cum faſta Palilia calebrarentur, quibus pueri, & puellæ accenſos, & ardentes fœni acervos, ac ſtipularum ſalto trajicerent; imò etiam homines adulti, & fœminæ, eò quia ſe puros, ac immunes remanare crederant, ut refert Varo *lib 3. de re ruſtica.* & Ovidius *lib. 4. faſtor.* deſcribens hanc per ſaltus trajectionem ſtipularum ardentium ait.

Moxque per ardentes ſtipula crepitantes
acervos,
Trajicias celeri ſtrenua membra pede.

4 Simile aſt, quod de trajectione per ignem apud veteres Chriſtianos apud Theodoretum relatum à Caſaubono legimus. ait enim: *vidi in quibuſdam civitatibus hujusmodi morem in plateis nempe compoſitos ignes, & hos tranſilire non ſolùm pueros, ſed etiam viros, matréſque infantes per flammas transmittere: ſed & hoc quidem ipſis ſibi videantur purgare, & Dei iram amovere.* Quam tamen morem Sexta ſynodus Trullana *can. 65.* damnavit ibi: *Quia in Novilunniis, à quibuſdam ante ſuas officinas, & domos, accenduntur rogi, ſupra quos etiam antiqua quadam conſuetudine ſalire ineptè, & deſalire ſolent, jubemus deinceps ceſſare.* Deinde Synodus injungit pœnas transgreſſoribus ſubdens: *Quiſquis ergo tale quid fecerit, ſi fuerit Clericus deponatur, ſin autem laicus ſegregetur.* De ignibus autem quos Chriſtiani ſolant accendere in nocteS. Joannis Baptiſtæ, eóſque ſaltu trajicere agit Joannes Suaraz *ad leg. Aquil. lib. 3. c. 6. ſect. 3.*

5 Ritus quo olim ferrum candens præſcriberetur ad purgationem refertur in formula ſaucti Dunſtani, ubi hæc habentur: *In ſimplo unum pondus, in triplo tria ferrum aquiparet pondera, & in illa adjuratione non adſint niſi jejuni, & recitatis Litaniis ſacerdos in loco ubi ferrum accenditur adjurationem initiando incboet: Deus Judex juſtus, qui auctor pacis es, & judicas aquitatem: te ſuppliciter rogamus, ut hoc ferrum ordinatum ad juſtam examinationem cujuslibet dubietatis faciendam, benedicere, & ſanctificare digneris: ita ut ſi innocens hoc ignitum in manum acceperit, illæſus appareat; & ſi culpabilis, atque Reus juſtiſſima ſit ad hoc virtus tua in eo cum virtute declarandum*, ut ex Aventino refert Camerarius *centur 2. horar. ſucciſ* Alias hujus adjurationis formulas adfert A oyſius Novarinus *lib. 6. aqua nuptialis c. 8.* ibi: *& ſtatim bis peractis aqua benedicta cunctis adſtantibus detur ad deguſtandum, & aſpergatur per totam domum, & ferrum proferatur, quod à culpato coram omnibus accipiatur, & per menſuram novem pedum portetur: manus ſigilletur, ſub ſigillo ſervetur, & poſt tres noctes aperiatur & ſi mundus eſt, Deo graruletur; ſin autem inſanus crudeſcens in veſtigio ferri inveniatur, culpabilis, & immundus reputetur.*

Non tamen hoc judicium quolibet tempore admittebatur, ſed tantùm diebus feſtivis, & jeunii, ſub quibus pax, & concordia inter Chriſtianos vigerant, & omnis diſceptatio componeratur.

Alia purgatio, quæ olim in uſu fuit per aquam ferventam fiari conſuevarat, jubebatur enim infamatus manus, ſau brachia in fervantem aquam mittere, quòd ſi combuſtus inde evaſiſſat dalicti Reus habeietur: innocens varò ſi nullam inde læſionem contraheret, ut habetur in *29. 35. 39. tit. 9. lib. 1. Longobar.* unde Speculat Sax. *lib. 1. art. 39. ferrum calidum ferant, vel in aquam bullientem brachium usque ad cubitum mittant.* Huic purgationi fuiſſe etiam adhibitas orationes, imò & exorciſmos refert Delrio *lib. 4 magic. diſq cap 4. q. 5. ſect. 1. & ſequent.* Alia purgario hac at per aquam frigidam, & ut notat Delrius *loc. cit. cap. 4.* idque dupliciter ſcilicet per immerſionem perſonæ innoxiæ; vel per immiſſionem manûs in aquam frigidam, coi Deus vim adurendi periode tribueras ac aquæ farventi. Vero ſimilius tamen eſt, quod alii aſſerunt, nimirum in hac purgatiooe conſuaviſſe antiquos ligatis manibus, & padibus corpus projicere in squam conſecratam certo ritu, de quo agit Pitheus *in Gloſſ. ad capit. V Aqua judicium.* etſi corpus mergaretur credebatur Raus innoxius: ſin verò ſuperferretur aqua cenſetatur convictus, ut refert Dunſtanus ralatus à Novarino *lib. 6. aqua nupt. c.* 8. Cenſebaatur autem convicti, qui aquis ſuperferebantur, eò quia videratur aqua aos reſpuere. 6

Quamobrem prærecenſitæ omnes vulgares purgetiones in cauſis tam civilibus, quàm criminalibus prohibitæ ſunt, & tantùm excipiuntur illæ purgationes, quæ inſtinctu ſpiritus Sancti fiunt. Hæc autem prohibitio habetur *in c. cura ſuſcepti* 1. *h. t. in c. ſignificantibus* 2. *h. t.* ubi etiam Innocentius III. addit, ſententiam latam ex tali purgatione eſſe nullam, & non libarare nec condemnare: & *in c. dilecti filii 3. & ult. h. t.* ubi ab Honorio III. intardicitur ſub cenſura purgatio vulgaris candentis ferri, quia id ſit tentare Deum. Hinc Concilium Palantinum coactum anno 1322. ait, *Vulgaris purgationis abuſum per canones interdictum, quo ſuſpecti de criminibus ad ſe purgandum ferrum candens, aut aquas ferventes accipiunt, deteſtantes ſtatuimus, ut mandantes talem purgationem fieri, tenentes, exhibentes,* 7

cuſtodientes, accipientes, ad hoc, ferrum, vel aquam hujuſmodi, cum his Deus tentari videatur, & innocentes in hujuſmodi purgationibus ſine demerito puniantur, in ſententiam excommunicationis incidant ipſo facto. Ratio prohibitionis ex eo deſumitur: quia modus hujus purgationis alienus ſit ab uſu Patrum Eccleſiæ, & contineat Dei tentionem; ſiquidem poſtulatur à Deo in prærecenſitis purgationibus miraculum absque ulla neceſſitate, cum plura alia ſuppetant media exquirendæ veritatis, & tuendæ innocentiæ: hinc Reus ille, quia Michaele Comneno compellebatur ad ſe purgandum per globum ignitum, id facere renuit ſubdens, ſe non eſſe præſtigiatorem: & cum adhuc urgeretur à Metropolita, reſpondit ut ipſemet ſacra indutus ſtola manus illi ignito ferro imponeret, ut refert Georgius Logotet, *in cron. Conſtantinop.* Tum quia in præfatis purgationibus vulgaribus contineri ſuperſtitionem docent communiter Theologii cum D. Thoma *2.2. q. 95 art. 8. ad 3.* quia tentatio eſt dictum, vel factum ad capiendum de aliquo experimentum, ut ſciatur, quali ſit potentiâ, ſcientiâ, bonitate, voluntate, ut cùm quis examinatur in aliqua ſcientia, vel cùm fit alteri contumelia, ut videatur quid facturus ſit. Nec tantùm dicitur quis tentare, ſi id faciat, ut ipſe ſciat; verùm etiam quando aliorum cauſa: quo pacto in ſcripturis Deus dicitur tentâſſe Abrahamum, Jobum, Tobiam, & alios ſanctos, ut nimirum mundo illorum virtutem manifeſtaret, & proponeret in exemplum.

8 Aliquando ſumitur tentare pro eo, quod eſt ad malum incitare: inde enim capitur experimentum virtutis, vel vitioſitatis hominis. Tentatio verò Dei, de qua in præſenti agitur eſt, qua quis absque juſta cauſa aliquid dicit, vel facit ad capiendum experimentum divinæ potentiæ, ſapientiæ, juſtitiæ, miſericordiæ, voluntatis, vel alterius attributi: hæc autem tentatio facta absq; juſta cauſa eſt, quæ prohibetur: alioquin ſi fiat ex juſta cauſa, non eſt propriè tentatio, ut ſi fiat ex divino inſtinctu, vel ex eo, quòd habeat quis donum perpetrandi miracula, reſtituendi ſanitatem, vel etiam ſi honor Dei, vel Religionis defenſio expoſtulet opus, ad quod tale experimentum ſit neceſſarium. Dicitur autem experimentum divinæ potentiæ, ſcientiæ, vel voluntatis quodlibet opus extraordinarium, vel auxilium Dei ſupra communem rerum ordinem præſtitum, & quo eius potentia, ſapientia, vel juſtitia quaſi experiendo cognoſcitur: rurſus debet id à Deo peti, vel expectari: alioquin non diceretur fieri ad capiendum experimentum, qua ratione non eſſet Dei tentatio, ſi quis ſe in ignē conjiceret, ſi non expectaret, ut à Deo, conſervaretur illæſus. Hæc igitur tentatio in eo ſuam prodit deformitatem, quia per illam fit Deo irreverentia, à qua absque juſta cauſa opus aliquod extraordinarium petitur, & expectatur, quaſi Deus adigatur ad tale opus ponendum, quod petitur, cùm inde conjiciatur veritas. Deus enim vult ſervari naturæ ordinem, & adhiberi cauſas naturales jam inſtitutas quantum fieri poteſt; adeò ut nolit, ut ſine urgente neceſſitate hic ordo prætermittatur, niſi ipſi ob cauſas occultas aliter viſum fuerit.

Contra tamen ſuperiorem doctrinam videtur poſſe objici, quia apud omnes gentes, imò & in omni religione ethnica, Hebraica, imò etiam Catholica, hoc genus purgationis vulgaris, per quod Innocentiam Deus ſæpe monſtravit videtur obſervatum fuiſſe, dictúmque judicium Dei: etenim apud Hebræos *c. 5. Numer.* Deus juſſit, quòd ſi mulier accuſata de adulterio id negaverit, nec potuerit probare, debeat offerre ſacrificium Zelotypiæ ſuper altare, & ſacerdos aquas amariſſimas in vaſe fictili execratas maledictione cum parvitate terræ effundat ſuper eam, & dicat: ſi non dormierit vir tecum, & non es polluta, non tibi nocebunt aquæ iſtæ: ſin autem declinâſti à viro tuo, & concubuiſti cum altero, his maledictionibus ſubjacebis: de te Dominus in maledictionem, exemplorúmque cunctorum putreſcere faciat fœmur tuum, & diſrumpatur uterus tuus: & mulier reſpondebit amen, amen, & ſi his factis mulieris uterus diſrumpatur, eſt manifeſtum adulterium, & mulier erit in maledictionem, & exemplum omni populo: ſin verò polluta non fuerit liberos poterit procreare. Idque tradit Stephanus Menochius *lib. 3. de Republic. Hebraor. c. 22.* Rurſus examen per ignem fuiſſe etiam apud Ethnicos uſitatum conſtat ex Sophocle in Antigono, ubi refertur quòd cum Creon Rex publico edicto, & mortis pœnâ indictâ prohibuiſſet corpus Pollinicis ſepeliri, & Antigonus fratrem clam ſepeliiſſet; cuſtodes Regii ſe ipſos invicem cœperunt graviter incuſare, & cùm ea de re non poſſet conſtare, Rex Creon voluit eorum innocentiam per ignem examinare. Romani itidem hoc examen per aquā adhibuerunt, cum referat P. Varro Veſtalem virginem ob falſam de ſtupro ſuſpicionem periclitantem cribrum in teſtimonium ſuæ innocentiæ impleſſe aquâ de Tyberi, & ad ſuos Judices nulla eius parte ſtillante detuliſſe. Aliud ſimile exemplum de alia Veſtali apud Romanos refert D. Hieronymus *lib. 1. adverſus Jovinian.* inquiens *Claudia Virgo Veſtalis cum in ſuſpicionem veniſſet ſtupri, & ſimulacrum Matris Idea in vado Tyberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam ſuam cingulo duxit navim, quam multa millia hominum trahere non poterant.* 9

Sed contra, ad primam enim quod attinet purgationem præſcriptam *in cap. 5. Numer.* ad explorandum adulterium reſpondetur, quòd cùm talis purgatio fuiſſet tunc à Deo ipſo indicta, non potuit non eſſe certa, idque per ſtabile, ac juge miraculum in tali eventu: atqui in uſu purgationis, de qua in præſenti agitur nulla habetur divina inſtitutio, neque approbatio Eccleſiæ, proinde eſt omnino repro- 10

probanda, cùm ſit tentatio Dei abſque ulla neceſſitate. Tum quia præſata purgatio *in c. Numer.* fuit cæremonialis lata à Deo, qui populum illum voluit ſpecialibus legibus gubernare; & præcepta cæremonialia antiquæ legis unà cum morte Chriſti ceſſârunt, adeò ut in lege evangelica non ſolùm non obligent, ſed etiam non poſſint uſurpari, ut habetur *in cap. translato de conſtit.* Ad exempla, quæ efferebantur etiam ex Ethnicis, reſpondetur Deum in allatis exemplis fuiſſe patrocinatum innocentiæ, & tunc peculiari inſtinctu propuliſſe ad uſurpationem talis medii, ut veritas eluceret, & calumnia revinceretur.

11 Cauſæ cur hæc purgatio reprobata, & prohibita fuit, tres præſertim recenſentur; quarum prima, fuit quia per talem purgationem perſæpe contingeret, eum condemnari, qui erat innocens, ac abſolvendus; & reum abſolvi, qui fuiſſet condemnandus *c. ſignificantibus 2. h. t.* Secunda quia hujusmodi purgatio inventa fuit à Diabolo *can. Mennam. can. conſuluiſti 2. quæſt. 5.* Tertia quia inde tentatur Deus *cap. Dilecti Filii ult. h. t.* Nihilominus ſi juſta cauſa ſuppetat non eſt propriè Dei tentatio, neque purgatio illicita: eſt autem juſta cauſa, primò divina inſpiratio; qua ratione Abraham *Genes 15.* petit à Deo ſignum, unde ſciret ſemen ſuum poſſeſſurum terram Chanaam, quam illi Dominus promittebat: & Gedeon *Judicum 6.* petiit bis ſignum in area, & vellere, unde cognoſceret, an revera Deus per ipſum vellet populum liberare; ſicut Angelus dixerat: huc etiam pertinet illud *Iſaiæ 7.* ubi Dominus videtur præcipere Achaz, ut ſignum petat futuræ liberationis; ſed veriùs dicitur Deus non præcipiſſe, ſed tantùm obtuliſſe; & Achaz peccâſſe recuſando petere, quia ex infidelitate noluit petere. Secunda juſta cauſa eſt neceſſitas; ut ſi infidelis, ſi alia ratio cognoſcendæ veritatis non occurrit bona mente miraculum à Deo expoſtulet, ut exploratum ſit, an revera talis doctrina ſit à Deo: hac ratione ſanctus Epiphanius *hæreſ. 30.* refert, Chriſtum apparuiſſe Judæo cuidam, eique præcepiſſe, ut peteret miraculum, & ſic crederet. De hac purgatione fusè tractat Tholoſanus *Syntag. juris univerſ. lib. 48. cap. 35.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur primò, an purgatio vulgaris fuerit aliquando in Eccleſia licita? Reſpondetur, uſum purgationis vulgaris per duellum, vel per ignem olim apud varias Chriſtianorum nationes fuiſſe receptum, & in aliquibus Conciliis provincialibus toleratum; in quo ſenſu explicantur plures textus præſertim *in can. 23.* Concil. Mogunt. ſub Rabano, ut refert Burchardus *lib. 6. decr. cap. 7.* & Gratianus *in c. qui Presbyterum 17. q. 4.* & in hac collect. *in c. 2. de pœnis*, ubi citat verba cujusdam canonis, quæ ſunt hæc: *Qui Presbyterum occiderit duodecim ei annorum pœnitentia ſecundùm canones imponatur: at ſi liber eſt cum ſeptuaginta duobus juret: ſi ſervus ſuper duodecim vomeres ferventes ſe expurget, convictus noxâ usque ad ultimum vitæ tempus militiæ cingulo careat, & abſque ſpe conjugii maneat*: ex hiſce, & aliis textibus claret, purgationem per ignem fuiſſe olim ſacris canonibus permiſſam usque fermè ad tempora Cœleſtini III. Innocentii III. & Honorii itidem III. qui in præſenti titulo hoc purgationis judicium prohibuerunt, Cœleſtinus enim in *c. cura ſuſcepti. 1. h. t.* prohibuit in nullo caſu debere tolerari purgationem vulgarem, eò quia id ſit tentare Deum abſque neceſſitate. Innocentius III. itidem *in cap. ſignificantibus h. t.* non ſolùm prohibuit hujusmodi vulgarem, verùm etiam declaravit irritam ſententiam ex tali purgatione latam. Honorius III. etiam *in cap. dilecti filii 3. h. t.* interdixit ſub cenſura vulgarem purgationem candentis ferri ob eandem rationem, quia ſcilicet id ſit tentare Deum ſine ulla neceſſitate. Cæterum olim purgatio hæc ferri candentis plerumque injungebatur ſervis, & Monachis, eò quia illi ob conditionem; iſti verò ob ſtatum religioſum non poterant purgari per duellum.

Quæritur ſecundò, quænam purgationes vulgares hodie ſint jure canonico prohibitæ? Reſpondetur, prohiberi in ſpecie purgationem factam per monomachiam, idque deſumitur *ex cap. monomachiam 22. cauſ. 2. q. 5.* & *cap. cura ſuſcepti 1. h. t.* ubi Cœleſtinus III. conſultus an ſuper eccleſiarum poſſeſſionibus debeant duella ſuſtineri? Reſpondet, quòd nec in eo caſu, nec in aliis debeat Epiſcopus purgationem illam factam per duellum tolerare. Secundò interdicitur etiam purgatio per judicium ferri candentis *cap. Mennam 7. §. ult. c. conſuluiſti 20.* ubi talis purgatio vocatur ſuperſtitioſa adinventio. Tertiò prohibita eſt etiam purgatio quæ fiebat per aquam frigidam *cap. ex tuarum 8. tit. de purg. can.* ut etiam prohibentur alia purgationum genera, ut fallacia, incerta, & ſuperſtitioſa, ut ait Gratianus *in c. conſuluiſti 20. §. hoc autem cauſ. 2 q 5.* Hinc prohibetur etiam purgatio per fluxum ſanguinis ex cadavere occiſi præſente occiſore, & ſagarum per aquam, in quam mulieres ſuſpectæ de magia injiciebantur, & ſi ſubmergerentur innocentes habebantur, ſecus ſi ſupernatarent, quaſi aqua eas ob delictum reſpueret, ut notat Zœſius *in comm. in decret. h. t. num. 2. & ſequent.* & ita dicendum de aliis ſignis, in quibus miraculoſa divinæ virtutis oſtenſio expectatur, & petitur ad probationem occultæ veritatis, quia id revera eſt Deum tentare. 2

3 Quæritur tertiò, in quo propriè conſiſtat deformitas, quæ oritur ex eo, quòd per volgarem purgationem tentetur Deus? Reſpondetur hanc deformitatem in eo conſiſtere, quia inde fit irreverentia Deo, qui ſine ulla juſta cauſa quaſi adigitur ad opus aliquod præſtandum, vel auxilium extraordinarium impertiendum. Deus enim vult ordinem naturæ ſervari, ac adhiberi cauſas naturales jam inſtitutas; adeò ut ſine urgente gravi neceſſitate non debeat hic ordo prætermitti; niſi quando ipſi Deo ob cauſas occultas aliter viſũ fuerit. Quamobrem quando nulla neceſſitas urget, nullúmque nobis indicium divinæ voluntatis ſuppetit, irreverenter agimus ſi extraordinariam opem ab eo petimus, & ut manifeſtetur veritas hominibus, Deum compellimos ad patranda miracula: nimia enim eſt hæc familiaritas, quâ homo cum Deo, perinde ac cum alio homine agit, non conſiderans illius majeſtatem, nec hominis indignitatem: ſicut enim reverentia Dei in eo conſiſtir, quòd homo conſiderata divina Majeſtate, & propria vilitate non audeat liberè rebus divinis ſe ingerere, nec divina inſcrutari, nec cum Deo agere, ſed ipſum humillimè metuere, revereri, & circumſpicere: ita irreverentia oritur ex defectu huius conſiderationis, & conſiſtit in nimia libertâte, & audacia tractandi divina, vel agendi cum Deo nolla habita ratione divinæ majeſtaris, & humanæ vilitatis: onde malitia hujus tentationis adverſatur illi reverentiæ; quæ debita eſt divinæ Majeſtati: ſicut enim ſi ruſticus, vel alius vir infimæ notæ familiariter vellet cum Principe agere, hic procul dubio offenderetur, eò quia ruſticus irreverenter ob nimiam familiaritatem cum ipſo ageret; ita offenditur Deus, quando ab hominibus in purgationibus vulgaribus, quaſi compellitur ad opus aliquod extraordinarium præſtandum abſque ulla argente neceſſitate.

4 Quæritur quartò quotupliciter poſſit hæc Dei tentatio contingere? Reſpondetur dupliciter ſcilicet expreſsè, vel interpretativè. Tunc dicitur Dei tentatio expreſsè fieri, quando intentione directa capiendi talis experimenti aliquid fit, ut ſi Petrus miraculum à Deo peteret, ut poſſet indu conijceru ejus in aliquo negotio voluntatem, or ſi ſe demitteret ex præalta turri ad experiendum, an Deus ſinat ipſum lædi, ot ex ſimplicitate egit quidam Monachus referente Caſſiano *collat.* 2. Abbatis Moyſis *c.* 5. Quòd ſi Petrus peteret à Deo miraculum, ut ſciret, an poſſit Deus illud facere, tunc tentatio eò eſſet gravior, quò conjunctam etiam haberet infidelitatem. Tentatio tunc fit interpretativè quando quis licèt non intendat tale experimentum ſciendi causâ, facit nihilominus aliquid ob alium finem, quod ex ſe exigit auxilium Dei extraordinarium, quod proprera temerè à Deo expectar: ut ſi quis vellet abſtinere omni cibo, & potu ea inductus perſuaſione, quòd Deus erit vires præbiturus: etenim niſi tale jejunium divino inſtincto, & peculiari inſpiratione in animum inducatur, eſt Deum interpretativè tentare ad præſtandum aliquod extraordinarium; ut etiam ſi quis ſine neceſſitate imminenti ſe periculo committeret, à quo ſine extraordinaria Dei ope non poſſet eripi, confiſus Deum eſſe præbiturum auxilium illud extraordinarium: ſic purgationes illæ vulgares, quæ fieri conſueverant ferro candenti, & aqua ferventе, & in quibus expectabatur incolumitas per auxilium Dei extraordinarium, tentationem includebant interpretativè.

5 Quæritur quintò, qualénam ſit peccatum hujusmodi tentatio? Reſpondetur eſſe mortiferum, præſertim ſi proveniat ex dubitatione earum rerum, quas tenetur homo ſcire, ut ſiquis dubitaret de divina potentia, ſapientia, miſericordia, juſtitia, aur providentia & vellet ob majorem certitudinem experimentum ſumere. Vel ſi conjungatur cum aperto aliquo vitæ periculo, vel gravis læſionis, vel ſi quis in gravi morbo reſpuens remedia naturalia expectaret à Deo ſanitatem ſibi modo ſupernaturali impertiendam, tunc enim duplex intercedit malitia. Prima in eo ſita, quia homo non ſatis reverenter agit cum Deo petendo, vel expectando ab illo ſine juſta cauſa opem extraordinariam: & altera, quæ ſe tenet ex parte materiæ, circa qoam verſatur opus, vel ex parte finis, qui intenditor, vel alterius circumſtantiæ, Vel etiam quando eſt periculum ſcandali, or ſi quis publicè abſque neceſſitate offerat experimentum miraculorum in confirmationem alicujus articuli fidei, niſi fortaſſis ſentirer ſe dono miraculorum præditum, vel peculiari Dei inſtinctu ad id moveri: vel ſi ex curioſitate peteret quis miracula ad eum duntaxat finem, ut quæ vires excedunt naturæ, poſſer videre, quia fieret Deo magna irreverentia, ageret enim cum ipſo quaſi perinde, ac cum ludione aliquo. Cæterum ratione ignorantiæ non craſſæ, aut inconſiderationis, vel ratione parvitatis materiæ poteſt hujusmodi tentatio eſſe tantùm peccatum veniale.

6 Quæritur ſextò, an modus ille ſe purgandi per celebrationem miſſæ, vel ſumptionem Euchariſtiæ licitus ſit? Reſpondent plures, hujusmodi purgationem eſſe per ſe malam, & illicitam, eò quia periculum adſit, ut ab indignis Euchariſtia ſumatur: & hæc ſententia vera eſt, ſi talis purgatio revera cedat in irreverentiam ſacramenti Euchariſtiæ: ſecus ſi non ſubſit tale periculum, putârim modum hunc ſe purgandi non eſſe illicitum, quia non videtur includere intrinſecè Dei tentationem, quia nòn fit ad oſtendendam divinam virtutem per miraculum; ſed ſolùm quaſi in teſtimonium, & probationem ſuæ innocentiæ: & hac ratione nullibi in jure canonico hujusmodi purgatio prohibetur, immo Concilium Wormacienſe relatum *in c. ſæpe* 23. *cauſ.* 2. *q.* 5. ſtatuit ut ſi furta fiant in monaſteriis, & qui hæc committunt, ignorentur: miſſa ab Abbate celebretur; vel ab alio ejus juſſu, qua abſoluta

omnes

omnes fratres communicent, dicentes *Corpus Domini ſit mihi ad probationem hodie.* Immò *in c. ult. cauſ. 2. q 5.* jubetur Epiſcopus, vel Presbyter cui maleficium, ſeu crimen fuit imputatum per miſſæ celebrationem ſe innocentē probare; ſicut ad oſtendendam propriam innocentiam poteſt quis etiam juramento deponere, ſe non feciſſe id, de quo accuſatur, ſi revera illud non fecit, nihil mali relucet, in hoc juramento; ita etiam ad probandam ſuam innocentiam poteſt quis licitè communicare, ſi revera ſit innocens, quia tunc ſtante innocentia hic modus ſe purgandi per ſumptionem Euchariſtiæ non eſt periculoſus, nec poteſt cedere in irreverentiam ſacramenti Euchariſtiæ; quòd ſi eſſet nocens non auderet communicare.

Quæritur ſeptimò, an ſententia lata ex
7 vulgari purgatione, & jure reprobata, ſi ab ipſa non fuit appellatum poſſit retractari? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur *ex c. ſignificantibus 2. h. t.* ubi cùm quidam fratres furti accuſati cum accuſatore coacti fuiſſent inire duellum, in quo ceciderunt, & furtum poſtea apud alios fuiſſet inventum, ipſique innocentes oſtenſi: Innocentius mandavit Spoletanis, ut bona, quibus illos ſpoliaverant, reſtituerent univerſa. Quamvis regulariter ſententia, à qua non fuit appellatum, poſt elapſos decem dies tranſeat in rem judicatam, nec amplius retractetur; tametſi veritas aliter ſe habeat, eò quia vigore ipſius ſententiæ jus inter litigantes jam factum ſit, ut deſumitur *ex c. cum inter 13. de ſent. & re judic.* immo neque propter nova inſtrumenta poſtea inventa, cum non poſſit ſententia lata retractari; nec propter errorem poſtea detectum *l. cùm putarem 36. ff famil. Hercis.* nihilominus ſententia lata *in d. c. ſignificantibus 2. h. t.* retractatur, & Innocentius III. eam declarat nullam, adeò ut non liberet, nec condemnet, eò quia lata fuerit ex probationibus fallacibus, & reprobatis; ſiquidem purgatio illa facta fuerat per duellum, quæ probatio à jure reprobatur: & ſententia lata per falſas probationes, ſi poſtea veritas deprehendatur debet retractari *c. cum venerabilis 6, §. intelleximus de except.* Præterea quia duellum fuit per judicem indictum juxta ſtatutum, & conſuetudinem loci, ut liquet *ex d. c. ſignificantibus 2. h. t.* proinde ſententia lata fuit ex probatione non integra, ſeu non plena: & ſicut ſententia lata ex delatione juramenti per judicem facta parti, ſi comperiatur veritas poteſt retractari *l. admonendi 31, ff. de jurejur* ita etiam hujuſmodi ſententia erat retractanda poſtquam conſtiterit de veritate, quia fuit injuſta; & de injuſtitia poſtea conſtitit: proinde ipſo jure fuit nulla *c. inter cæteras 9. de ſent. & re judic.* tametſi ſententia injuſta teneat, eò quia præſumitur juſta: ſi tamen hæc præſumptio ceſſet, & conſtet ſententiam eſſe injuſtam tunc retractatur, quia ſententia notoriè injuſta nulla eſt.

TITULUS XXXVI.

De Injurijs, & damno dato.

QUia ad proſequendum, & terminandum judicium criminale non ſolùm de pœna ob crimen commiſſum luenda agendum eſt verùm etiam de privata injuriarum, vel damni dati reparatione, eò quia deficiente accuſatore Reus abſolvi debet; & tenetur accuſator quia defecerit in ſua denuntiatione probanda reſarcire accuſato damnum ob injuriam eidem illatum; ideo rectè Pontifex poſt canonicam, & vulgarem purgationem ponit hunc titulum, Tum quia cum in præcedentibus titulis egiſſet, de variis exceſſibus, & criminibus, ex quibus perſepe injuriæ, & damna proveniunt. appoſitè præſens titulus de injuriis & damno dato ſubnectitur præcedentibus.

SUMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. SI RIXATI 1. h. t. *Ex Exodo cap 21. & 22. ſtatuitur, ut ſi homines rixati fuerint, & unus alterum percuſſerit lapide. vel pugno, & percuſſus mortuus non fuerit ſed jacuerit in lecto, percuſſ ſors teneatur ſolvere operas, & impenſas in Medicos reſtituere. Ubi notat Gloſſa non eſſe habendam rationem de deformitate corporis, quia corpus liberum non petit æſtimationem. Quòd ſi liber homo pereat, occiſor eſt condemnandus ad 50. aureos ſolvendos*

l. 1. §. ſed cum liber homo. ff. de his qui dejec. vel effus.

C. *SI QUIS 2. h. t. Ex eodem libre Exodi ſtatuitur, ut ſi quis aperiat, vel fodiat ciſternam, quam relinquat apertam, ſi in eam cadat bos, vel aſinus teneatur Dominus ciſternæ dare pretium jumenti quod ſi mortuus ſit, ipſius erit. Ubi notat Gloſſa, textum hunc procedere de fovea, vel ciſterna in publico poſita: non verò de illa, quæ in loco privato, ubi conſueverunt fieri ciſterna, fuit aperta.*

C. *SI BOS ALIENUS 3. h. t. Ex eodem textu declaratur, quòd ſi bos alicuius cornupeta fuit heri & nudius tertius, adeò ut Dominus eum non cuſtodierit, & alium bovem interfecerit, debeat reddere bovem pro bove, & cadaver integrum accipere. Ubi notat Gloſſa ſecus eſſe ſi bos occiſus fuerit priùs aggreſſus occidentem: vel etiam ſi dubium ſit, quis fuerit prior in aggrediendo.*

C. *SI LÆSERIT 4. h. t. Ex eodem textu declaratur, eum, qui dimiſit ſuum jumentum ut depaſcatur in aliena vinea, vel âgr oteneri ſolvere æſtimationem damni illati.*

C. *SI EGRESSUS 5. h. t. Statuitur ex eodem libro ut ſi quis accendat ſuum campum, & egreſſus ignis comburat alienas ſegetes teneatur damnum ſolvere, ſi tamen ut notat Gloſſa fuit in culpa, eò quia non adhibuerit omnem diligentiam: vel campum incendit tempore, quo ventus excitatas flammas in alienum vicinum campum facilè potuiſſet deferre: alioquin ſi non fuit in culpa, non tenetur de damno.*

C. *SI QUIS 6. h. t Ex Pœnitentiali Romano ſtatuitur, ut ſi quis domum alicujus incenderit, debeat ſolvere totum damnum, & pœnitentiam agere per tres annos Notandum eſt, quòd tametſi lex vetus nullam habeat nunc vim obligandi Chriſtianos, nihilominus jus canonicum recepit in præcedentibus capitibus aliqua judicia præfata veteris legis: quia poteſt obſervatio judicialium illius legis ab aliquo Principe, vel Magiſtratu habente poteſtatem legislativam induci in ſuum Principatum, & obligari populus ad illa, non quòd Princepe debeat obligare ad obſervantiam legis moſaicæ, ſed quia ad imitationem illius poteſt legem condere, ut conſonam legi naturali, & bono publico, ut docet D. Thomas* 1. 2. q. 104. art. 3.

C. *OLIM 7. h. t. Declarat Honorius III. ſæcularem, poteſtatem, quæ clericum mittit in bannum eſſe condemnandam ſecundùm æſtimationem injuria in expenſis & damnis juxta gravitatem illata injuria, quia agit contra libertatem eccleſiaſticam. Ex quo textu liquet, Judicem eccleſiaſticum præſertim ſummum Pontificem, & Epiſcopum loci habere juriſdictionem contra Principes, & Dominos ſæculares irrogantes injuriam Clericis, vel ſibi uſurpantes indebitè juriſdictionem in eoſdem, hi enim committunt ſacrilegium, & violant libertatem eccleſiaſticam, ideòque incurrunt infamiam* c. cum ſit generale c. de foro compet. *Rurſus Clericum ad compenſationem damni, & injuria pecuniariam poſſe agere ſibi applicandam.*

C. *IN NOSTRA 8. h. t. Gregorius IX. declarat ſtatutum etiam juratum de non petenda, vel recipienda reſtauratione damnorum non extendi ad expenſas: quia hæ non obſtante juramento ſolvenda ſunt ad arbitrium Judicis. Ratio poteſt aſſignari, quia ſtatuta communicatum civitatum, immo & locorum particularium ſunt ſtrictiſſimè interpretanda, proinde appellatione damnorum non comprehendi expenſas; tametſi expenſa inutiliter facta damnum inferant, propriè tamen in jure nomine damni non venit diminutio Patrimonij* l. 3. ff. de damno infecto. *Eatenus expenſa non comprehenduntur ſub nomine damni, quia vel fiunt ſponte: vel ſi ab invitis, ſaltem ſponte ſuſcipiuntur, quia ſponte appetitur ſui, rerúmque ſuarum defenſio, adquam requiruntur expenſa. Tum quia ideo expenſa non comprehenduntur nomine damni, quia hoc infertur ab alio, & expenſa fiunt ab ipſo expendente ſive in lucrum, ſive in damnum.*

C. *SI CULPA 9. h. t. Reſcribit idem Pont. quòd ſi culpâ alicujus detur damnum, vel irrogetur injuria, vel auxilium detur irrogantibus injuriam, & hæc contigerint imperitia illius, vel negligentia, teneatur ille ſatisfacere: nec excuſet ignorantia ſi ſcire debuit ex ſuo facto potuiſſe veriſimiliter injuriam contigiſſe, aut jacturam. Rurſus ſtatuitur, quòd ſi mea animalia nocuerunt alicui, teneor ego ſatisfacere pro damno illato niſi velim dare animalia damnum paſſa. Sin verè animalia erant ferocia, & conſueverant nocere, & ego non adhibui diligentiam, quam debebam, non me libero dando animalia, quæ damnum intulere. Præterea tametſi, qui dat cauſam damni videatur damnum ipſum dediſſe: ſecus tamen eſt in eo, qui adhibuit omnem diligentiam, quam debebat ne contingeret. Hinc deſumitur regula, ut quiſquis cauſa, vel occaſio damni fuit, vel damnificantes adjuvit, ſatisfaciat de damno, illúdque compenſet. Verùm ut notat Gloſſa, ut aliquis teneatur reſarcire damnum vel injuriam debet culpa aliqua interveniſſe, alioquin non tenetur, qua ratione infantes, amentes, & furioſi, ſi damnificent, non tenentur reſarcire, quia damnum contigit abſque eorum culpa: quòd ſi adeſſet leviſſima culpa tenerentur.*

IN SEXTO.

C. *ETSI unic. h. t. Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi declarat, quòd tametſi pignorationes, quæ vulgò repræſaliæ dicuntur, in quibus alius pro alio prægravatur jure civili ſint prohibita: ut tamen earum prohibitio in Clericis tantò plus timeatur, quantò ſpecialius inhibentur: ſi tamen in legibus concedantur, declarat Pontifex, non extendi ad perſonas eccleſiaſticas, neque ad earum bona non obſtante contraria conſuetudine, quæ potius eſt corruptela*

ptela: quin imò qui hæc concedunt. vel extendunt contra eccleſiaſticos ſi intra menſem non revocant, & ſint perſonæ ſingulares excommunicantur; ſi univerſales interdicuntur.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De Iniuriis, earúmque pœnis.

1 INjuria multipliciter ſumi ſolet. Primò pro contomelia, vel damno alicui illato cum judicio patientis; ſecundò pro culpa cùm quis etiam ſine prava animi deſtinatione damnum intulit alteri, eò quia eam diligentiam non adhibuerit, quam potuiſſet. Rurſus ſumitur injuria generaliter, vel ſpecialiter priori modo dicitur omne id quod non jure fit, & ab hoc ſuam ſortitur nomenclationem *l. 1. ff. de injuriis.* Poſteriori modo ſeu ſpecialiter tripliciter ſumitur. Primò pro contumelia, quæ à contemnendo dicitur. Secundò pro culpa, ſeu damno, culpâ, & non jure dato, ut in lege Aquilia. Tertiò pro iniquitate, ſeu injuſtitia, ut quando Judex iniquè, & injuſtè judicat. Juxta tamen præſens inſtitutum ſumitur injuria pro contumelia, fitque duobus potiſſimum modis ſcilicet re, & verbis, dicitur contumelia fieri re, cùm quis alterum, vel baculo percutit, vel gladio vulnerat, vel pugnis pulſat: verbis fit contumelia dupliciter, primò cùm quis ad contumeliam alterius verba profert contumelioſa, & tunc hujusmodi verba quibus alter læditur, dicuntur convicia; eſt enim convicium injuria verbis facta, maximè ſi cum vociferatione, & coram hominum frequentia fiat; alioquin non dicitur propriè convicium, ſed tantùm dictum, ſeu verbum prolatum cauſa infamandi alterum *l. item* § *ait Prætor.*

2 Secundò fit litteris, ſeu ſcriptura; ut ſi quis librum ad infamiam alicujus pertinentem, vel carmen famoſum ſcripſit, compoſuit, edidit, & malo dolo fecit, ſive id proprio, ſive alterius nomine præſtiterit, ut notat Sylveſter *in ſumma V. injuriam n. 2.* datur etiam quartus modus inferendi injuriam, ſcilicet geſto, ut ſi quis alteri oſtendat medium digitum, vel cornua affigat portæ ejus domûs, ut notat idem Sylveſter *loc. cit. n. 2.* Cæterum injuria ſine dolo, & animo injuriandi non committitur *l. ſi non convicij 5. c. h. t.* quia injuria ex eo æſtimatur, quòd cum malo affectu fiat: ſi quis enim jocosè tantùm, & per riſum dicat alteri, tu es ſcurra, & nebulo, Sycophanta, non cenſetur injuriam ei facere, quia deeſt animus injuriandi; idque conijcitur ex modo, quo per jocum tantùm proferuntur talia verba.

3 Quòd ſi ex malo affectu quis alterum vocaret ſcurram, & nebulonem non excuſaretur ab injuria alteri illata, quia injuria æſtimatur ex affectu injuriantis, quapropter nemo dicitur facere injuriam, niſi ſciat ſe injuriam facere, tametſi neſciat, cui faciat *l. 1. §. 2. & 3. ff. h. t.* Quòd ſi adſint facta, vel verba ſuaptè natura injurioſa præſumitur tunc animus injuriandi, adeò ut qui injuriam profert ad ſe purgandum, teneatur probare, ſe non habuiſſe animum conviciandi, quia contra ipſum ſtat præſumptio juris *l. ſi non convicij 5. Cod. h. t.* Quòd ſi verba non ſint injurioſa, actoris eſt probare animum injuriandi, alioquin Reus abſolvitur, argum. *l. qui in alterius 41. in fin ff. de reg. jur.* hæc autem probatio fit per conjecturas, ut notat Zoeſius *h. t. n. 4.*

4 Patitur autem quis injuriam non ſolùm directè in ſe ipſo, verùm etiam indirectè & per conſequentiam in perſonis ſuæ Congregationis, cum quibus conſtituit unum corpus myſticum: vel etiam in iis perſonis, quæ ſub noſtra ſunt poteſtate, vel noſtræ ſubijciuntur juriſdictioni: quo pacto iniuria illata liberis redundat in parentes, illata uxori in maritum, & illata Clericis, vel Religioſis pertinet ad Prælatum § *patitur*, & ibi Doctores *inſtit. h. t. cap. cum conſideres in fin juncta Gloſſa de ſent excom.* Verùm ut pro iniuria ſubdito, vel Religioſo illata Domino, vel Prælato dicatur actio competere, neceſſe eſt, ut iniuria fuerit ſubdito vel Religioſo immediatè illata, & quidem aliquo modo in contemptum religionis, imò debet etiam redundare in contemptum dominicæ poteſtatis. Quamobrem ſi iniuria ad Religioſum nonniſi indirectè pertineat, ut ſi eius parentes, vel conſanguinei in ſæculo graviter offendantur; tunc ex communiori, & vera ſententia non cenſetur ius agendi competere monaſterio, ut rectè notat Lauretus de Franchis *in controverſ. inter Epiſc. & Regul. p. 2. variar. quæſt. q. 56.*

5 An verò iniuria illata Novitio alicuius Religionis redundet in monaſterium illius Religionis, adeo ut ei competat jus agendi, componendi, vel tranſigendi, & an hoc jus pertineat ad monaſterium, vel ad Abbatem, negativè reſpondet Lauretus de Franchis *loc. cit. q. 51.* ea innixus ratione, quia monaſterium nondum habet jus in Novitium. Verùm communior, & probabilior ſententia eſt affirmativa, quam docet Paſqualigus in addit ad Lauretum de Franchis *loc. cit. q. 52.* quia tametſi

etſi monaſterium non habeat jus irrevocabile in Novitium, eò quia hic poſſit licitè ex religione egredi, & liber ſit ad emittendam, vel non emittendam religioſam profeſſionam; nihilominus, quandiu manet in noviſiatu ſubjitur religioni, & eſt de juriſdictione ejusdem monaſterij, adeò ut ſubijciatur Abbati, vel Præpoſito monaſterij, ut notat Tamburinus *de jure Abbat. tom. 3. diſt. 6. q. 28.* Idquè ex eo etiam firmari poteſt, quia injuria realis, ut injectio manûs violentæ in Novitiom, cenſetur cedere in contemptum monaſterij, & religionis, adeò ut percutiens Novitium incurrat excommunicationem *c. Religioſo de ſent excom, in 5.* eo autem ipſo, quòd injuria Novitij redundat in religionem, & monaſteriom, jam per talem injuriam læditur etiam monaſterium, & ejos Prælatus, cui propterea competit actio, & jus agendi in ordine ad vindicandam illatam ſibi injuriam.

6 Poteſt autem hæc actio, quæ dator pro injuria vindicanda intentari civiliter, val criminaliter: & quidem civiliter ut injuriâ affectus æſtimet injuriam ſibi irrogatam pro certa quantitete pecuniæ, quam petat ſibi applicari: hæc autem pecuniæ æſtimatio, ne ultra æquitatem excreſcet, debet fieri penſatis circumſtantiis perſonæ, & injuriæ juxta prudens judiciom, ne pœna pecuniaria gravior ſit culpâ, ſeu illatâ injuriâ. Criminaliter agitur, ſi injuriâ læſus petat, ut pecuniaria æſtimatio applicetur fiſco, vel alia pœna ad Judicis arbitrium inferatur irroganti injuriam; poteſt etiam alia actio intentari ex inolita conſuetudine potiùs, ubi hæc invaluit, quàm ex jure ſcripto pro injuria verbali ſi hæc falſa fuerit deprehenſa, & præſertim ſi injuria verbalis fuarit ſcripta in libello aliquo, qui in jure famoſus dicitur, quando injuria ita ſcripta in plurium devenit notitiam auctore incognito; eſtquè hæc actio ad pelinodiam, ſeu recantationem, dicitúrqoe propterea actio recantatoria, per quam petitur, ut qui injuriam irrogavit verbalem, & quidem falſam, eam publicè in judicio revocet, ac recantet: eſtque huiusmodi actio mera condictio, ſeo repetitio honoris ablati, adeò ut per illam non excludatur alia actio, & pœna injurjarum: ſicut pro crimine furti datur actio furti ad pœnam quadrupli, & condictio furtiva ad reſtitutjonem rei ablatæ, nec una actio aliam extinguit.

7 Quòd ſi petatur, quomodo ceſſet, vel extinguatur huiusmodi actio injuriarum? Reſpondetur primò ceſſare lapſu temporis, quia pro injuria verbali dator actio tantum præterita annalis: pro iniuria reali præſertim in triplici caſu, quo qois ſit pulſatos, verberatus vel ejus domos vi aperta; ſi enim hæc actio ſit civilis conceditur ad triginta annos juxta communem interpretum ſententiam in §. *ſed exlex Cornel inſtit. h. t.*

8 Secundò caſſat hæc actio iniuriarum ſive iniuria ſit verbalis ſive realis, ſi iniuria læſus remittat, damnum ſibi illatum, & plenè condonet irroganti iniuriam, quia poteſt quiſque cedere juri ſuo, hæcqoe remiſſio iniuriæ non ſolùm eſt expreſſa, ſed etiam tacita, quæ fit per diſſimulationem, ſi ſcilicet læſus per incuriam ab initio ſtatim iniuriam ſibi irrogatam ad animum non revocaverit, vel poſtea com adverſario, à quo fuit per injuriam læſus ſine neceſſitate loquatur, com edat, & alia familiaritatis ſigna com ipſo oſtendat, tunc enim tacitè cenſetur ipſi remiſiſſe iniuriam *c. ult. inſtit. h. t. l. non ſolùm §. 1. ff eod.* Verùm qui ſub aliena ſunt poteſtate, cuiusmodi ſunt filii. Religioſi non poſſunt iniuriam ſibi irrogatam remittare invitis illis, ſub quorum poteſtate ſunt; quia cùm & ipſis competat actio iniuriarum, poſſunt non cedere juri ſuo, & exigere, ut compenſetur damnum pro iniuria illata: è converſo poteſt pater iniuriam illatam filio, ut etiam Prælatus iniuriam irrogatam Religioſo ſibi ſubdito condonare etiam eo reclamante *l. ſed ſi unius 17. §. planè 17. ff. h. t.* quia voluntas patris cenſetur eſſe illa filii, non è contra, quia filius dependet à patre, non pater à filio.

Tertiò extinguitur etiem actio iniuriarum per mortem iniuriantis, vel illius, cui fuit iniuria irrogata, dummodo lis non fuerit conteſtata, quia cùm actio ex delicto ſit pœnalis, non amplitur ad hæredes nec contra hæredes datur, ſed reſtringitur ad ſolam perſonam, quæ iniuriam intulit alteri, & ad eam, quæ per iniuriam ſibi illatam læſa fuit *l. iniuriarum 13. ff. h. t. l. unic. C. ex delicto defunct.* Id autem procedit ſi iniuriam paſſus contra hæredes illius, qui iniuriam irrogavit, velit pœnam proſequi; alioquin ſi per realem inioriam grave quis accepit damnum in corpore vel, propriis bonis, poteſt tunc hæres nomine defuncti civiliter pro viribus hæreditatis convenire eum, qui iniuriam irrogavit, vel etiam iniuriâ læſus hæredem illius, qui intulit iniuriam *c. ult. de ſepultur c. in literis de raptorib.* 9

Quartò ceſſat iniuria per retorſionem, quando iniuria verbalis retorquetur per aliam iniuriam verbalem, qois tunc ſunt pares, ambo enim iniuriam inferunt, & iniuriam patiuntor, debet tamen id procedere cauſa tuendi honoris per modum defenſionis naturalis, & moderaminis inculpatæ tutelæ. 10

Neque obſtat, quòd jus defenſionis tantùm detor contra præſentem, vel futurem iniuriam, non verò contra præteritam, eò quia hæc judicanda ſit, apud Judicem non privatum; qno pacto nec poſt lapſum temporis poteſt, qui fuit percoſſus, percutientem repercutere quia tum percuſſus non debet ex ſe vindictam ſumere, ſed tantùm poteſt apud Judicem percutiens conveniri. 11

Nam contra eſt, quia tametſi hæc procedant ordinariè de iniuria reali: iniuria tamen verbalis, licèt ſemel prolata quoad ſonum verborom, & phyſicè ceſſet, non ita moraliter, & quoad apprehenſionem; tamdiu durat, quamdiu ipſa apprehenſio hominum perſeverat, tunc enim 12

enim injuria tametſi phyſicè ceſſavetit, adhue cenſetur moraliter patſeverata, donec per retotſionem, vel acceptum judicinm dapallatur.

13 Hæcqua procadunt quoad forum axternum, quia in foto conſcientiæ taneturChriſtianus, tamatſi injntiam fuerit paſſus, odium deponera, & illicitam vindictæ cupiditatam contra eum, qni ininriam irrogavit; licèt non teneatur remittere actionem, vel alia adhibara media juſta, quæ concaduntur ad tuendum proprinm honorem: ſiquidem ex bona fama alicuins injuſtè læſa non ſolùm ipſi infamato plura imminent damna, verùm atiam aliis hominibus, quibus ſi iniuriæ dimittantur impunitæ; datur occaſio ſimilas iniurias in alios irrogandi, proinde via aperiretur ſcandalis, & peccatis, quaproptar Auguſtinus *in c. nolo cauſ. 12. q. 1.* ait, duæ res ſunt conſcientia, & fama: illa neceſſaria eſt tibi; hæc proximo tuo, qui confidens aonſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam, crudalis aſt. Sin varò iniuria non multum læſarit eum, cui fuit irrogata, ſanctiùs tunc, & conſultiùs aſt, axamplo Chriſti patienter tolerare damnum ſibi illatum, & libenter condonata irroganti inintiam: Tum quia convicia ſi contemnantur, vires depetdunt, nihilquè inferunt damni.

14 In ao autem qui iniuriam alteri irrogavic oritur in foro conſcientiæ obligatio, ut ſa cùm iniuriam paſſo taconciliet juxta Chriſti ſententiam *Matth. 5 ſi frater tuus habet aliquid adverſum te vade reconciliare fratri tuo*, unde tanetur ablatnm ei honotem reſtituara per revocationem iniuriæ apud alios qnantum poteſt, ut hac via reſarciat damnum illatum, quod iniutiam paſſo intulit: unde tenetur iniurians conceptam da iniuristo malam opinionem quantum ſina mendacio poteſt abolata; dicendo ſe ax impatu iræ, vel alia animi parturbatione malè fuiſſa locutum, & ininriam intuliſſe, qui enim criman ocaultum, tameſi verum injuſtè revelavit, maladixit, & iniuriam intulit, proinde tanatur læſum honotam reſarcire. Cæterum ceſſat hæc obligatio ſi ininriam paſſus damnum ſibi illatum condonaverit: vel ipſe quoque prius alia inintia affacerit iniuriantem, & noluit poſtaa famam taſtituere, ut cenſat Layman *in Theolog. moral. lib. 3. tractat. 3. p. 2. c. 7.* &

15 An verò iniuriam infarat, qoi cùm alio contendans dicit: *Ego non ſum fur, nec proditor*, plures canſent cum Gomaz *in comment. tit. de iniur. c. 6. tom.* 3. non inferre iniuriam & ratio, quâ hæc ſentantia nititur, aſt quia eo ipſo quòd contandens cum alio dicit tantùm ego non ſum fur, nec proditor, intendit ſolùm calem notam infamiæ à ſe removera abſque relatinne ad alium; proinda non videtur alium lædere: aliod eſt dicere ago non ſum fur, & aliter Petrus aſt fur, prima anim propoſitio eſt negativa, ſacunda affirmativa, proinde, ſi par affirmativam lædetet honorem Petri non poſſet per negativam ai detrahete bonam æſtimationem.

Verùm probabilius aſt, per ſimilem loquendi modùm infarri iniuriam aliari, cum quo quis contandit, ut notant Parlador, *lib. 1. rerum quotidianar. c. 10. n. 17.* Boerius *conſil. 4. n. 17.* id tamen procedit, dummodo ſimilia varba prolata non fuarint ad rapellendam iniuriam; nam ſi quis inſimularetur furti, aut proditionis, & hic reſponderat, non ſum fur, non ſum proditor, tunc ſtatat in terminis dafenſionis, & quidem cum modaramine inculpatæ tutalæ, proinda non inferret altari iniuriam, ſed tantùm aam in ſe propulſaret: hæc autem daſenſio cum ſit de jure naturæ, licita aſt, & in his terminis propugnari poteſt prior ſentantia. 16

Ratio autem, cur huiusmodi loquandi modus iniuriam infarat, eſt, quia huiusmodi verba, quando non ordinantur ad propriam daſanſionam, tunc diriguntur ad ſagragandum proſarentam ab ao, cum quo loquitur, adeò ut verba illa ſic prolata ponant diſcri man itat anm, qui dicit ſa non eſſa furem, nec proditoram; & alium cum quo contendit, proinde continant tacitam oppoſitorum comparationam, adeò ut cùm quis contendens cum alio dicit: *ego non ſum fur*, tacitè, & virtualitar inſimulet alium furti, proinde eſt virtualiter talibus verbis iniurius, ac propterea cenſanda ſunt verba expraſsè iniurioſa, quia id pro axpraſſo habetur, quod virtualitar ineſt, quia taciti, & expreſſi idam eſt judicium *l. cùm quid ff. ſi cert. pet. l fin ff. de legat. 2. l. item quia ff. de pact.* Tum quia qui varba proferens contumalioſa unum nominat, & alium tacitè perſtringit, cui propterea iniuriam infart, ſi ex indiciis coniiciatur in ipſius quoque iniuriam fuiſſa verba illa prolata *l. lex Cornelia* §. *ſi quis lib. ff. de injur.* ubi Battolus *in l. item apud.* §. *cui ff. de iniur.* atqui quando duo ſimul contendantes unus dicit aliari: *ego non ſum fur, non ſum proditor*, ipſa modus loquandi clarè indicat præfata varba alium parſtringere, ac tendere in contumeliam ipſius, cui proptaraa iniuriam inſarunt. Tum quia ut verba dicantur contumalioſa, & iniuriam inferra, ſufficit, ſi tacitè contra aliquem tendant, ut ſi namine nominato imparſonalitar proſarantur dummodo ex indiciis coniiciatur, contra quem proferuntur, idqua deſumitur *ex d. l. lex Cornelia §. ſi quis lib. & l. quod Senatusconſultus ff. de iniuriis*, & quando contandens cum alio dicit *ego non ſum fur non ſum proditor*, & id non aſſatat ad iniuriam ſibi illatam propulſandam, tunc prolata verba tacitè diriguntur ad tertium, & continent virtualiter iniuriam, quam propterea inſarunt tertio. 17

Ex famoſo autem libello graviſſima oritur iniuria, quæ pœnâ punitur capitali *l. unic. C. de famoſis libell.* quod tamen procedit, ſi criminaliter agatur: alloquin ſi civilitar condemnatus jubetur eſſe inteſtabilis §. *ſi quis lib. rum.* Immo hæc pœna non ſolùm conſtituta eſt contra auctorem libelli, verùm etiam in eum, qui de via repertum non decerpſerit, ſed evulga- 18

evulgaverit, & in publicum projecerit, ut ab aliis legeretur. Quòd verò ad pœnas illatas pro aliis iniutiis attinet, ſicut ex iniuriis, aliæ corpus lædunt, & aliæ honorem, vel famam ita pro diverſitate injuriarum variè in jure conſtituuntur pœnæ *l. 1. §. 2.*

19 Rurſus iniuriæ atroces utpote contumelioſiores, ac majores graviùs puniuntur habita ratione perſonæ, temporis, loci, & rei *l. aut. facta §. 1. ff. de pœn. l. Prætor edixit. ff. atrocem* & *C. ſequent. ff. h. t. §. attrox inſt. eod.* injuriæ leviores mitiùs puniuntur, adeò ut pro varietate injuriæ attrocis, vel levis creſcat, vel minuatur æſtimatio injuriæ, & jure civili ob injuriam agitur civiliter, vel criminaliter: prioti modo ad æſtimationem injuriæ, ut ſcilicet Judex tanti Reum condemnet, quanti æſtimaverit injuriam paſſus, vel minoris *§. in ſumma, juncto §. pœna inſtit. eod.* Criminaliter agitur ad pœnam extraordinariam officio judicis irrogandam Reo: utroque modo agitur ex præſcripto juris civilis, ubi juvat obſervare unam actionem tolli per aliam *l. 6. 7. & ult. ff eod.* quia utrumque judicium ad pœnam, & vindictam comparatum eſt, & delictum ſemel vindicatum uno judicio, non debet alio vindicari, *l ſenatus 14. ff. de accuſat.*

20 In Jure canonico tamen, ſi quis injuriam realem Clerico inſerat injiciendo in eum manus violentas, incurrit ipſo facto excommunicationem *can. ſi quis ſuadente 18. q. 4. cap. 5.* Qui verò percutit, vel hoſtiliter inſequitur Cardinalem contra eum proceditur, perinde ac contra Reum læſæ Majeſtatis *cap. felicis de pœnis in 6.* Iisdem fermè pœnis etiam punitur, qui hoſtiliter Epiſcopum inſequitur, eúmque percutit, ut habetur *in clement. 1. de pœnis cap. unic. eod. tit. in 6.* Rurſus jure canonico, qui alterius famam publicè per verba contumelioſa, vel ſcripturam læſit, flagellis cæditur: qui verò libellum famoſum invenit, & non laceravit quaſi auctor eiusdem delicti utroque jure punitur *l. unic. C. eod. de famoſis libell.*

§. II.

De damno iniuriâ dato.

1 ALtera pars Rubricæ præſentis tituli eſt de damno injuriâ dato, & definitur eſſe delictum privatum, quo res aliena dolo, vel culpa diminuitur. Hîc tamen injuria non ſumitur pro contumelia, ſed pro eo, quod non jure, ſed tantùm contra jus factum eſt, proinde damnum injuriâ datum eſt idem, ac culpâ vel dolo illatum etiam ab eo, qui nocere noluit *l. ſed etſi 5. §. 1. ff. ad leg. Aquil.* Agitur de hoc damno injuria dato *in cap ſi culpa ult. h. t.* ubi Gregorius IX. reſcribit, ſi culpâ tuâ datum eſt damnum, vel injuria irrogata, vel aliis irrogantibus opem fortè tuliſti, aut hæc imperitiâ tuâ ſive negligentiâ evenerunt, jure ſuper his, te ſatisfacere oportet. Nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere; vel jacturam. Quòd ſi animalia tua nocuiſſe proponas, nihilominus ad ſatisfactionem teneris, niſi ea dando paſſis damnum velis liberare te ipſis: quod tamen ad deliberandum non proficit, ſi fera animalia, quæ conſueverunt nocere, fuiſſent, & quam debueras, non curaſti; diligentiam adhibere. Sanè qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur: ſecus tamen eſt de illo dicendum, qui ut non accideret de contingentibus nihil omiſit. Ex quo textu claret, quòd quando culpâ alicujus datur damnum, vel irrogatur injuria, vel auxilium datur ipſis injuriam irrogantibus, ſi hæc obtigerunt imperitiâ eius, vel negligentia, tenetur ille ſatisfacere, nec excuſat ignorantia, ſi ſcire debuit ex ſuo facto, poſſe veriſimiliter injuriam contingere, & damnum inſerre. Rurſus ſi animalia Titii nocuerunt Cajo, tenetur Titius ſatisſarere, niſi det ipſa animalia damnum paſſo.

Quòd ſi animalia erant ferocia, & conſueverunt nocere, & Titius non adhibuit diligentiam, quam debuit, & poterat; tunc non 2 ſe liberat dando animalia. Siquidem qui dat cauſam damni, videtur damnum dediſſe: ſecus tamen eſt in eo, qui adhibuit omnem diligentiam, quam debebat, ne contingeret. Hinc ut quis teneatur damnum reſarcire, vel injuriam, neceſſe eſt, ut intervenerit culpa: alioquin non tenetur: quo pacto infantes, & furioſi ſi alium damnificent non tenentur damnum reſarcire ex defectu culpæ: ſin autem adeſſet culpa quamvis leviſſima, quam ſcilicet homo diligentiſſimus præcavere potuiſſet, teneretur ad ſatisfactionem illius damni illati, ut deſumitur *ex d. cap. ſi culpa tua ult. h. t.* ubi indiſtinctè, & indefinitè ſermo eſt de culpa, ſeu negligentia, proinde etiam generaliter, & indiſtinctè debet intelligi de qualibet culpa etiam leviſſima juxta *l. in lege 44. ff. ad leg. Aquil.* & hoc procedit in utroque jure canonico, & civili, adeò ut univerſim qui fuit cauſa, vel occaſio damni, vel damnificantes adjuvit, teneatur de damno, quod propterea debet compenſare, ut notat Abbas *in d. c. ſi culpa tua 9. num. 1. not. 1. h. t.* ubi addit id etiam procedere in ſoro conſcientiæ.

Verùm ſi ſecluſo pacto, vel contractu damnum contigit ex culpa leviſſima imò etiam levi, dummodo damnum præter intentionem 3 contigerit, non teneri in foro conſcientiæ, qui damnum intulit ad reſtitutionem ante ſententiam Judicis docent plures cum Tannero *tom. 3. diſp. 4. q. 6. dub. 2.* ubi cenſet, hanc ſententiam eſſe practicè tutam, quia ſecluſo peculiari pacto, vel contractu nemo tenetur majorem adhibere diligentiam ad cavendum damnum alterius, quàm ſoleant Ordinariè homines eiusdem conditionis præcavere damnum proprium, quia nemo cenſetur prudentior, & circumſpectior in negotiis quàm alii homines ſimilis conditionis, quapropter damnum quod contigit ex omiſſione

hujus

hujus majoris diligentiæ, ad quam non tenetur, non debet ipſi imputari, dummodo adhibuerit diligentiam communem, ad quam tenetur: ex quo ſeqoitur, quòd ex culpa levi, aot leviſſima ſecluſo ſpeciali pacto, & contracto uon teneatur quis damnum alteri illatum præter intentionem reſarcire in foro sonſcientiæ, & ante ſententiam Judicis.

4 Cæterum jure civili damnum injuriâ datum vindicatur lege Aquilia, ſeu plebiſcito, eò qoia Aquilio Tribuno interrogante à plebe Romana latum fuerit: derogavit lex Aquilia legibus omnibus de damno injuriâ dato *conſtituentis l. 1. ff. h. t.* qood tamen prudenter accipiendum eſt, ut plures Juriſtæ cenſent, quia non videtur vero ſimile, legem Aquiliam derogaſſe etiam legi duodecim tabularom, quâ actio in illum datur, qui furtim arbores cæcidit, quamobrem plebiſcitum Aquilianum derogavit tantùm aliis legibus, quæ de damno injuriâ dato ſimpliciter fuerant conſtitutæ, non verò derogavit illis, quibus cautum erat de damnis ſpecialibus, ut notat Weſenbech *diſt. ad ff.* 21. Hoc autem damnum ſolus ille poteſt injuriâ dare, qui doli eſt capax: quapropter furioſi, & inſantes nondum ſeptennes, non tenentur lege Aquilia, ſi caſu præter intentionem damnum dederint; quia ipſi non ſunt capaces doli, nec poſſunt advertere damnum aliis inferendum.

5 Obiectum hojus delicti juxta legem Aquiliam videtur eſſe multiplex: ſiquidem in primo capite agitur de ſervis alienis, & quadrupedibus, quæ pecudum numero accenſentur; & cavetur, ut ſi qnis ſervum occiderit, præſtet non quanti is fuerit, cum occideretur, ſed quanti eo anno plurimi fuit *l. 2. l.* 21. *l.* 23. §. *3. ff. h. t.* hinc Juriſtæ anſam acceperunt corripiendi Aquilium, ac dicendi ipſum oculos in occipitio habuiſſe, eò quia æſtimationem ſervi non præſentem, ſed præteritam reſpexerit. Rurſus *in tertio capite* agitur in lege Aquilia de damnis rellqnis præter homines, & pecudes occiſas, & cavetur ot ſi quis ſervum, aut quadrupedem vulneraverit, vel rem aliam ſive animatam, ſive inanimatam corruperit, præſtet qoanti res ea plurimi ſuit triginta diebus proximis *l. 27. §. 5. ff. h. t.* Qnamobrem caput tertium legis Aquiliæ ampliſſimis deprehenditur finibus circumſcriptum: ſiquldem ad illud caput pertinet damnum datum in rebus animatis; adeò ut ſiquis ſervum alienum, vel pecudem vulneravit, vel etiam liberos alterius occiderit, hæc omnia damna pertineant ad tertium caput legis Aquiliæ, ut etiam quodcumquè damnum datum in rebus animâ carentibus, & mobilibus, adeò ut ſi quis rem alienam combuſſerit, colliſerit, damna hæc omnia tertio capite legis Aquiliæ vindicentur *l. 27. §. 5.*

6 Rurſus pertinet etiam ad dictum capot tertium damnum quodcunqoe datum in rebus immobilibus, ut ſi quis alienas ædes incenderit, ſegetes in prædio alieno protriverit, plantas avulſerit, arbores cæciderit, aquæ ductum corruperit, damna hæc omnia etiam pertineut ad dictum tertium cap. legis Aquiliæ & eadem vindicantur pœna *l. 27. §. 7. 8. 14. ff. h. t.* Secundum verò capur legis Aquiliæ apud Juriſtas in deſuetudinem abiit *l. 27. §. 4. ff. h. t.* Sunt qui cenſent, cantum ibi fuiſſe de ſervo corrupto *argum. l. 5. §. 2 ff. de ſervo corrupto.* Putat tamen Cujacius caput ſecundum legis aquiliæ pertinuiſſe ad utilitates rei læſæ nobis intercepras, ut ſi conſtitura ſervitus ædificio extructo deterior ſit reddita, ſi aqua aliena illicitè abducta.

Ut damnum injuriâ datum oriatur, duo 7
præſertim requiruntur, primò corruptio, ſeo læſio rei alienæ *l. 27. §. 13. & 16. ff h. t.* defectu hujus corruptionis, ſi Titius ſegetem ad ſalcem maturam deſecuerit, uvas itidem maturas decerpſerit, vel olivas decuſſerit, non renetur lege Aquilia, quia tunc nullam inſert Domino injuriam, nec corrumpit rem alienam, quinimò vedetur potiùs ai prodeſſe; cùm præſumatur, impenſas in collectionem fructuum factas, donâſſe Domino fructuum *l. 27 §. 25. ff. h. t.* Secus ſi uvas immaturas decerpſerit, olivas, & ſegetes nondum ad maturitatem deductas deſecuerit, tenetur lege Aquilia, quia tunc rem alienam corrupit *l. 27. §. 27. ff. h. t.* Secundum requiſitum eſt, ot interveniat dolus, vel culpa. Unde ſua ſponte ſequitur, ut damna jure, & citra delictum inferentis data lege aquilia non vindicentur: hinc Magiſtratus non tenetor lege aqnilia, ſi contra reſiſtentem violentiùs quid egerit, quia tunc neceſſitate officij excuſatur *l. 29. §. penult. ff. h. t.* nonnunquam tamen Magiſtratus hac lege tenetur ut ſi res animatas pignori ceperit, & ſame necaverit; ſi res pignori captas, detritas, & corruptas reſtituerit, vel alio modo damnum injuſtè dederit *l. 29. §. penult. ff. h. t.*

Neque renetur lege Aquilia, qui inju- 9
ſtum aggreſſorem læſerit, vel latronem inſidiantem ſibi cum eum apprehendere non poſſet; quia licitum eſt, vim vi repellere, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, quapropter quod quis ad ſui corporis defenſionẽ fecit jure ſeciſſe æſtimatur, dummodo terminos juſtæ tutelæ non exceſſerit, *l 1. §. 27. ff. de vi, & vi armat.* alioquin ſi quis egrederetur terminos inculpatæ tutelæ, teneretur lege Aquilia *l 5. princ. ff. h. t. §. 2. inſt. eod.* Nec tenetur lege aquilia, qui opus in ſuo fundo ſactum cum prædium alieno non ſerviret, manu propria reciderit, quia culpâ carer, qui illud deſtruit, quod non jure in ſuo prædio factum eſt *l. 29. §. 1. ff. h. t. l. ult. §. 2. ff. quod vi, aut clam.* quapropter ſi ſervitute non conſtituta Petrua aquæ ductum in domum Pauli trajecerit, vel tabulas ad ejus januas vi, aut clam fixerit, vel in eius ſundo ædivificaverit, ſi aqnæ ductum Paulus interciderit, tabulas priusquam Petro rennnciaret refixerit, & ædificium fuerit demolitus, non tenetur lege aquilia.

Rurſus in cerramine publico, ot lucta, & 10
pugilatu, ſi quis adverſarium oppreſſerit non

tenetur lege aquilia, quia non injuriæ gratia, ſed virtutis, & gloriæ causâ damnum cenſetur intuliſſe *l. 7. §. 4. ff. h. t.* Id tamen procedit, dummodo oppreſſor leges certaminis ſervaverit: alioquin ſi prætergreſſus ſit, aut in pugna ob periculum vetita damnum dederit, tenetur lege Aquilia, quia ludus ſi noxius ſit, etiam in culpa ponitur *l. 10. ff. h. t.* Id etiam procedit de gladiatoribus, quia in duas diviſi factiones penatam, & martianam, aëriis ictibus congreſſui præludunt, ac inſtructi rodibus, longioribus haſtilibus, mocronibus nodoſis, bipennibus ligneis, macherisque retuſis, ac flexilibus ad pugnam proſiliunt: hi ſi alternis ictibus mutua ſibi vulnera infligant, non tenentur lege aquilia, eò quia non cenſeantur injoriæ inferendæ causâ, ſed gloriæ reportandæ gratiâ decertâſſe: id autem procedit dummodo leges conflictûs ſervaverint, quas alta voce ſolet promulgare ductor cohortis gladiatoriæ: alioquin ſi quis ictum prohibitum impegerit, ex lege aquilia poteſt conveniri. Præterea neque damna illa, quæ dicuntur fatalia, ſeu quæ hallucinantis malignitati fortunæ data ſunt lege Aquilia non vindicantur; quia caſus fortuitus à nemine præſtatur *l. 23. ff. de regul. jur.* quod verum eſt, dummodo nulla acceſſerit culpa: alioquin ſi negligentia, vel etiam imperitia caſum anteverterit, & cauſam damni dederit, tenetur lege Aquilia *§. 3. inſtit h. t.*

10 Præterea Medicus ſi ſuſceptam curationem cum decumbentis diſpendio deſerverit, vel Medicamentum ſanitati exitioſum imperitè propinaverit tenetur lege Aquilia *l. 7. §. fin. 8. ff. h. t. §. 6 & 7. inſtit. eod.* Verùm hodie nonniſi rariſſimè hujuſmodi medicorum delicta in jus vocantur, vel quia ob nimiam frequentiam non expediat eſſe cenſuræ fori obnoxia, ne tribunalia non minus, quàm ſepulchra videantur iiſdem oppleri, vel fortâſſis veriùs, quia indecens eſt, venia non impetrata, in jus eos vocari, quos jubemur honorare ob neceſſitatem: vel quia imperitia medicorum cenſeatur inemendabilis propter judiciū incertum, & experimentum periculoſum. Licet non requiratur dolus, ut quis teneatur lege aquilia; requiritur tamen culpa ſaltem aliqua, ſive ea lata, vel levis, aut leviſſima ſit *l. 44. princ. ff. h. t.* Et per hoc differt damnum injuriâ datum ab aliis delictis, quæ ſine dolo, ſeu animo delinquendi non committuntur *l. 1. c. ſi adverſ. delict. l. 1. §. 3. in fin. ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* damnum enim injuria dediſſe videtur etiam, qui culpâ dedit: nec nomine culpæ negligentia craſſa tantùm, & ſupina deſignatur, ſeu illa quæ propè ad fraudem accedit, verùm etiam imperitia, ſævities, & infirmitas: adeò ut id etiam culpæ vertatur, ſi quis affectaverit, in quo intelligebat, aut intelligere debebat imperitiam, aut infirmitatem ſuam aliis periculoſam fore *l. 5. §. 2. & ult.* quia ubi duo certant de damno vitando æquitas naturalis exigit, ut ille potiùs id ferat, cujus culpa accidit, quam cui, vel nihil, aut ſaltem non tantùm poteſt imputari: hinc tenetur lege aquilia, qui in propriam defenſionem miſſurus lapidem in adverſarium prætereuntem percuſſerit, quia non conceditur ei alium ferire, ſed eum tantùm, qui vim molitur *l. 25. §. penult. ff. h. t.*

An verò ferarum capiendarum cauſa foveam qui fecerit, vel laqueos poſuerit, in quos homo, vel animal manſuetum inciderit, tenetur lege Aquilia; reſpondendum eſt cum diſtinctione: ſi foveam fecerit, vel laqueos poſuerit in loco, in quo iter fieri ſolet, tunc tenetur lege aquilia, quia debuiſſet locum illum tali ſigno notâſſe, ut ſinguli facilè intelligerent accedendum illuc non eſſe, ut ſibi caverent, & quia neglexit, quod non debuerat, ideo redarguitur culpæ, & tenetur lege Aquilia. Sin verò foveam fecerit in loco prorſus impervio, tunc non cenſetur teneri lege aquilia *l. 28. l. 29. princ. ff. h. t.* Hinc ſi pila vehementiùs percuſſa, & in manu barbitonſoris dejecta, effecerit, ut gula aſſidenti præcideretur, ſi barbitonſor dexteram novaculæ applicaverit, ubi ex conſuetudine ludi tur pila, tunc tenetur lege aquilia, ſi non ſufficienter præcluſerit aditum damno; quia debuiſſet illud prævidiſſe, & præcaviſſe. Sin verò in loco ad luſum pilæ inepto, ludicræ oblectationi quis indulſerit, & pilam vehementiùs percuſſam in tonſtrinam dejecerit damno ſecuto, tenetur ipſe lege aquilia. 11

Effectus damni injuriâ dati duplex eſt proximus, & remotus; ille eſt obligatio reparandi damnum injuriâ datum; remotus eſt ipſa reparatio. Hoc autem damnum poteſt contingere, per culpam Theologicam, vel per mere juridicam: is dicitur culpam Theologicam generatim committere, qui mortaliter, vel venialiter peccat: juridica verò culpa dicitur, cùm quis diligentiam omittit, quam ex lege, vel conventione tenebatur adhibere: & hæc culpa juridica aliquando conjuncta eſt cum Theologica, & nonnunquam ab illa disjuncta: tunc dicitur adnexa theologicæ, cum quis diligentiam ex lege, vel conventione debitam omittit cum ea advertentia, quæ ſufficit ad peccarum mortale, vel veniale: culpa juridica ſola, & ſejuncta à Theologica habetur, cùm quis inculpabiliter non advertens debitam à ſe diligentiam omitti, vel ex omiſſione ſua, damnum ſequitur. 12

Hinc id intereſt diſcriminis inter culpam Theologicam, & juridicam, quia illa prævi am ſupponit plenam advertentiam ad aliquem gradum malitiæ; quia peccatum ſemper præſupponit præcedens judicium evidens, & practicum, quòd hic, & nunc talis commiſſio, vel omiſſio mala ſit, quo fit, ut omnis culpa theologica nectatur cum aliquo propoſito. Secus culpa juridica non prærequirit præcedens judicium evidens practicum de commiſſione, vel omiſſione hìc, & nunc mala, proinde non eſt conjuncta cum aliquo propoſito: poteſt enim 13

quis

quis diligentiam omittere, quam ex diſpoſitione jurium, aut conventione tenebatur adhibere. ſimul invincibiliter ignorare, ex tali amiſſione damnum ſequi, hinc poteſt dari culpa juridica abſque omni propoſito: ſiquidem invincibiliter ignorans ſe alterum lædere non habet propoſitum alterum lædendi.

14 An verò ex lege aquilia oriatur obligatio in conſcientia reſarciendi damnum injuriâ datum Covarruvias *tom. 1. de matrim. p. 2. cap. 6. §. 8. num. 15.* cenſet induci hanc obligationem in conſcientia ante ſententiam Judicis; adeò ut ſi culpa merè juridica intervenerit, teneatur quis damnum injuriâ datum reſarcire in conſcientia ante ſententiam judicis; Molina de verò *de juſtit. & jur. diſp. 698. num. 6.* Layman *lib 3. Theol. Moral. tract. 3. p. 1. cap. 6. num. 2.* & alii docent, quòd ſi culpa theologica interceſſerit obligatio in conſcientia non inducitur ante ſententiam judicis. Haunoldus *tract. 2. de juſtit. & jur. cap. 2. controverſia 5. num. 178.* cenſet quòd ſi culpa theologica non intervenerit, non inducitur obligatio in conſcientia, ante, nec poſt ſententiam judicis: & quidem ſpectato jure naturæ putârim non dari hanc obligationem reſarciendi damnum illatum ob defectum advertentiæ, & voluntarii abſque omni culpa theologica, quia ſi daretur hæc obligatio, deberet oriri, vel ex re accepta, vel ex injuſta læſione: neutrum dici poteſt, non primum, quia is qui damnum dedit ob defectum advertentiæ, & voluntarii ſupponitur nullum inde lucrum percepiſſe. Neque ſecundum, quia damnum illatum ob ſolum defectum advertentiæ ſine omni culpa theologica eſt merè fortuitum; quia nullo modo voluntarium: proinde ex radice injuſtæ læſionis non videtur eſſe reparandum; non enim ille cenſetur injuſtè alterum lædere, qui omnino involuntariè eum lædit. Tum quia ſecluſa lege, & pacto, ſeu contractu nemo tenetur reſarcire damnum, quod humano modo non intulit, & cujus propterea non eſt cauſa moralis: proinde ſecluſa lege, & conventione nemo tenetur reparare damnum quod ob defectum advertentiæ dedit ſine omni culpa theologica, quia tunc damnum illud non dedit humano modo.

15 Idque ex eo firmatur, quia ſi furioſus, vel mente captus damnum innocenter inferat, non inde ſequitur, quòd jure naturæ teneatur illud reſarcire: proinde neque alius ſi abſque omni culpa theologica damnum innocenter inferat, tenetur jure naturæ illud reſarcire. Tum quia ut lex naturæ obliget, ſitque efficax neceſſe, eſt ſufficienter innoteſcat, ac promulgetur: alioquin non obligat; ſed nullus eſt qui cognoſcat obligationem reſarciendi damnum illatum alteri ob defectum omnis voluntarii, omniſque advertentiæ, & proinde ſine omni culpa theologica: proinde nullus qui tali pacto damnum intulit obligatur lege naturæ ad illud reſarciendum, cùm lex naturæ, & eius obligatio illi non innotuerit.

Quòd ſi damnum datum fuerit ex culpa 16
theologica tunc obligatio oritur ſolvendi æſtimationem damni dati ante ſententiam judicis: non tamen præſtandi exceſſum pœnalem, quia lex merè pœnalis non obligat in conſcientia ante ſententiam judicis: unde probatur de æſtimatione damni, quia damnum injuſtè datum ante omnem ſententiam judicis eſt reſarciendum: ſiquidem injuſta læſio ipſo jure naturæ obligat ad reſtitutionem: erat enim hæc obligatio neceſſaria ad promovendam Reipublicæ tranquillitatem, ne homines ſibi viciſſim nocerent, ac damna inferrent: unde quando damnum datum oritur ex culpa theologica, quam præſuppoſuit; tunc ante omnem ſententiam judicis naſcitur obligatio ſolvendi ipſam æſtimationem damni. Cæterum poteſt legislator humanus præcipere etiam ut damnum illatum culpâ merè juridicâ ſine theologica compenſetur læſionem paſſo ante ſententiam Judicis, quia legislator humanus poteſt de bonis ſubditorum diſponere juxta exigentiam boni communis, & hæc poteſt talis eſſe, ut ob Reipublicæ tranquillitatem poſtulet, ut damnum culpâ merè juridicâ illatum reſarciatur, ac compenſetur ante omnem ſententiam judicis. Tum quia hæc lex arceret cives ab omni temeritate inconſulta, quod vel maximè conducit ad promovendam Reipublicæ felicitatem.

Tum quia ſi legislator humanus 17
defacto hanc legem conderet, nemo poſſet prudenter conqueri; quia ſpes, & metus foret penitus æqualis, proinde lex hæc non poſſet à ſubditis argui injuſtitiæ, nec ſeveritatis. Practicè verò ante ſententiam Judicis ut communior fert ſententia non oritur obligatio reparandi damnum ſine omni culpa theologica illatum, quia ex jure naturæ non datur hæc obligatio niſi cognoſcatur, & præcedat advertentia: & quando non intervenit culpa theologica, hæc obligatio reparandi damnum illatum non cognoſcitur, neque advertitur: ergo neque hæc obligatio datur de jure poſitivo: quia quando jure naturæ aliquid eſt certum, & jure poſitivo dubium; ſtandum eſt juri naturali certo; quia hoc ſemper prævalet juri dubio: & cum jure naturali certum ſit, non dari obligationem reparandi damnum illatum ſine omni culpa theologica, & jure poſitivo id ſit dubium; ſtandum eſt juri naturali. Tum quia lex aquilia clarè non explicat, quod velit obligare in conſcientia etiam propter damnum culpâ merè juridicâ illatum, proinde non cenſetur velle obligare extra omnem culpam theologicam, quia interpretatio legis eſt ſemper facienda contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, & non dixit *cap. 57. de regul. jur. in 6.* præterea quia verba legis aquiliæ non ſunt tam aperta, ut non prudenter dubitare

liceat, an lex velit obligare in conſcientia etiam propter damnum illatum ex culpâ merè juridicâ : proinde non cenſetur velle obligare, quia quando lex eſt dubia benignior interpretatio eſt ſemper præferenda *l. 102. §. fin. ff. de regulis jur.*

18 Demum quia poſſeſſio certa uniuſ ſemper prævalet juri dubio alterius : atqui in damno citra omnem culpam theologicam illato, is qui dedit damnum, eſt in certa poſſeſſione libertatis, & qui damnum eſt paſſus non habet niſi jus dubium; cùm probabile ſit, quòd jus nullum habeat, proinde poſſeſſio certa illius, qui damnum dedit prævalet juri dubio alterius, qui damnum eſt paſſus.

§. III.

De actione orta ex damno injuriâ dato.

1 EX damno injuria dato oritur actio, quæ etiam eſt effectus remotus legis Aquiliæ, & definitur actio perſonalis, quâ ob damnum injuriâ datum is convenitur, qui damnum intulit, ut quanti res eo anno, vel triginta diebus proximis plurimi fuit, præſtet; & eſt hæc actio civilis, perſonalis, pœnalis, perpetua, ut habetur *in § 9. inſtit. h. t.* Videtur tamen eſſe aliqua difficultas, quomodo hæc actio Aquiliana dicatur pœnalis, cùm frequenter non aliud quis per talem actionem perſequatur, quàm quod ſibi abeſt: etenim ſi tempore damni dati res plurimi fuerit, ultra damnum lis non æſtimatur, proinde tunc dicitur quis merè per talem actionem perſequi quod ipſi abeſt; proinde videtur hæc actio ſaltem perſæpe eſſe meriſſimè rei perſecutoria, & nullo modo pœnalis. Verùm licèt nonnunquam per hanc actionem quis non aliud conſequatur, quàm quod illi abeſt, nihilominus quia lex aquilia jubet, ut ultra damnum lis æſtimetur, ideo finis illius eſt pœnam præfigere inconſultæ temeritati: proinde licèt nonnunquam ultra damnum injuria datum lis non æſtimetur; ex fine tamen legis actio Aquiliana ſuaptè natura eſt pœnalis, quia non eò tantùm pertinet, ut actor, quod ſuum eſt conſequatur, verùm etiam ut temeritas rei coërceatur, & puniatur.

2 Tum quia ex actionibus, quæ dicuntur pœnales alia dicitur abſolutè pœnalis; & alia certo tantùm reſpectu ſecundùm quid: illa dicitur abſolutè pœnalis, quâ quis pœnam perſequitur lege conſtitutam, ſeu qua id quis perſequitur quod ipſi non abeſt, & adverſario non abeſt: pœnalis ſecundùm quid, quâ quis id perſequitur, quod ipſi abeſt, & adverſario non adeſt: ratio eſt, quia tametſi hujuſmodi actio quoad Actorem ſit rei perſecutoria: attamen reſpectu Rei cenſetur pœnalis, & in hoc ſenſu actio legis aquiliæ dicitur pœnalis: etenim qui rem alienam corrumpit, emolumentum non ſentit; neque ex delicto redditur locupletior, proinde ſi conventus actione Aquiliana damnum reſarciat id ſolvit, quod ſibi non adeſt.

Hujus actionis cauſa efficiens proxima 3
eſt ipſa obligatio orta ex damno injuriâ dato reſarciendi rem alienam læſam: remota eſt delictum injuriâ datum. Ejus ſubjectum activum eſt is, cui datur, ſiquidem datur illi, cujus intereſt, damnum non eſſe injoriâ datum, & ejus hæredibus; in quo tamen videtur procedendum cum diſtinctione, quia vel intereſt Petri ob jus in re damnum non eſſe datum, vel ob jus ad rem: ſi ob jus in re Petrus habet hanc actionem, qui propterea ſi Dominus ſit, vel fructuarius poteſt agere ex lege aquilia ob dominium actione directa; & ob uſumfructum actione utili *l. 11. §. 6. & ult ff. h. t.* Sin verò propter uſumfructum Petrus agat, non proprietas utpotè aliena, ſed utilitas tunc æſtimatur, quam hactenus percepit, & fuiſſet percepturus ſi res non fuiſſet perempta *l. 12. ff. eod.* Sin verò damnum ſit datum in pignore, tunc actionem Aquilianam non habet creditor, ſed Dominus: niſi fortâſſis ſolvendo non exiſtat, vel actio perſonalis tempore ſit excluſa, quia tunc uſque ad modum debiti juvatur creditor actione utili; & id, quod conſequitur debitori prodeſt ad extenuandam, & minuendam quantitatem debiti, ut deinceps de ſuperfluo tantùm teneatur *l. 30. §. 1. ff. h. t.* vel intereſt Petri ob jus ad rem damnum non eſſe datum, eò quia fortaſſis conductor fuerit, vel commodatarius; & tunc actione hac non juvatur *l. 11. §. 9 ff. h. t.*

Præter ſubjectum activum, & eſt is, cui 4
datur actio Aquiliana; datur etiam ſubjectum paſſivum, & dicitur is contra quem datur, & quia datur contra illum, qui damnum injuriâ dedit, ideo qui damnum dedit, eſt ſubjectum paſſivum, & quia damnum eſt paſſus, eſt ſubjectum activum, quia illi convenit hæc actio Aquiliana contra alium, qui damnum injuriâ dedit, ſive ipſe per ſe immediatè damnum illud dederit, ſive alius ex ejus mandato *l. 37. ff. h. t.* ſiquidem Mandatarius interdum tenetur hac actione, & quandóque non. Siquidem, vel jus imperandi alter habuit, vel non; ſi primum tunc agendum eſt contra mandantem; ratio eſt, quia in iis, quæ non continent atrocitatem facinoris, ignoſcitur ſervo, qui jubenti domino obtemperavit; & filio, qui patri *l. 167. princ. h. t. & l. 169. princ. ff. de regul jur.* Vel liber homo, cui Petrus imperare non poterat ex mandato Petri damnum intulit, & tunc actio Aquiliana competit contra eum, qui damnum injuriâ intulit *l. 37 ff. h. t.* verùm in tali caſu probabilius videtur, eſſe in arbitrio illius, qui damnum eſt paſſus agere contra mandantem, vel mandatarium, prout ipſi magis libuerit *argum. 11. §. 3. ff. de injur.*

An

An verò hæc actio Aquiliana orta ex
5 damno iniuriâ dato tranſeat ad hæredes, plu-
res negant ee inniti ratione, quia actio Aqui-
liana ſit pœnalis, quæ non eſt ampliande, &
dilatanda ad hæredes, ſed reſtringenda ad eum,
qui damnum iniuria dedit: & ita loquitur Im-
perator *in §. 9. inſtit h. t.* cui adhærere videtur
Vlpianus *in l. 23. §. 8. ff. eod.* Verùm licèt a-
ctio legis Aquiliæ pœnalis ſit, & per illem heres
illius, qui damnum iniuriâ dedit non poſſit
conveniri, eò quia jure civili actiones pœnales
non tranſeant ad hæredes, niſi lis cum defun-
cto fuerit conteſtata, vel hæres ex damno per
defunctum dato locupletior ſit effectus §. *is
autem 9.* juncta *l. unic. C. ex delicto defunct.*
nihilominue hac in parte potius æquitati na-
turali, & juri canonico inſiſtendum eſt; æquum
enim eſt, ut ad exonerandem conſcientiam
defuncti etiam hæredes compelli debeant, ut
pro viribus hæreditatis reſarciant damne à de-
functo illata, cùm viveret *c. ult. de ſepult. & c.
litteris de raptor.* Tum quia non dimittitur
peccatum niſi reſtituatur ablatum *c. peccatum
de reg. jur. in 6.* & procul dubio iniquum fo-
ret, ſi hæres cum omnie defuncti bona poſſi-
deat non ſatisfaceret obligationibus defuncti,
adeò ut damnificatus ab ipſo nullam inde poſ-
ſit ſatisfectionem ſperare. Tum quia hæredi-
tas tranſit ad ſucceſſores cum ſuis oneribus,
proinde ſi defunctus tenebatur ſatisfecere
damnificato hæc obligetio tranſit ed ſucceſ-
ſorem, ne qui damnum eſt paſſus privetur ſuo
jure. Idque procedit, ſi defunctus ex dolo
malo damnum intulerit; edeò ut intervenerit
culpa theologica, ut in præcedentibus expli-
cuimus.

6 Cæterum ex lege Aquilia non tantùm is tene-
tur damnum iniuriâ datum alteri dolo malo
compenſare; ſed etiam, qui ex culpa levi, vel le-
viſſima; licèt hæc obligatio, quæ non oritur ex
culpa theologica, non videatur tranſire ed hæ-
redes; eò quia non obliget in conſcientia, &
ſi ſit ectio pœnalis, quæ ad hæredes non tran-
ſit, niſi lis cum defuncto fuerit conteſtata, vel
hæres ex damno per defunctum dato ſit locu-
pletior effectus.

Is verò, qui etiam ex culpa levi, vel le-
7 viſſima damnum dedit, tenetur reſercire dam-
num illatum, ut qui per incuriam neglexit do-
mi lumen extinguere, & domum incendit: qui
inconſideretè trabem, vel lapides deiiciendo
in plateam tranſeuntem graviter læſit tenetur
actione legis Aquiliæ. *C. in lege 44. ff. ad le-
gem Aquiliam* non verò tenetur, qui dam-
num intulit, ſi priùs omnem diligentiam in
præcavendo damno edhibuit: ut ſi in loco, ubi
aliàs habetur conſuetum jaculorum, & ſclope-
torum exercitium jaculetor vulneravit per ta-
lem locum incautè ambulantem, quem non
prævidit, §. 4. & 5. *inſtit. de lege Aquil. c. ult.
h. t.*

Prætereà hi etiam immunes ſunt à reſtitu-
8 tione damni datis in quibus culpa ob defectum
rationis cadere non poteſt, cujuſmodi ſunt
furioſi, amentes *l. ſed etſi 5. §. 2. ff. ad leg.
Aquil.* Nec tenentur ed actionem legis A-
quiliæ, qui in bello juſto, vel neceſſariæ de-
fenſionis cauſa edverſario damnum intulerunt,
hi enim non tenentur compenſare demnum il-
latum, dummodo non fuerint transgreſſi ter-
minos juſtæ defenſionis, & moderaminis in-
culpatæ tutelæ; ratio eſt, quie tale damnum non
cenſetur iniurie datum, ſed jure illatum, eò
quia jure permittent vim vi repellere, ut ait
juriſconſultus *in l. ſcientia 44. §. qui cum ali-
ter.*

An verò qui incendij arcendi cauſa ædes 9
vicini demoliuntur teneantur damnum reſar-
cire actione legis Aquiliæ videtur reſponden-
dum nagativè *ex l. ſiquis 49. ff. ad leg. Aquil.*
eò quia deſtructio ædium tunc eſt neceſſaria
propter communem defenſionem, ne incen-
dium megis dilatetur, & ampliora inſeret dam-
na. Alij tamen cenſent cum Bartolo *in l. ff.
ad leg. Rhod. de jactu*, quòd ſi incendio aliquo-
rum ædes diruantur, ne ignis latiùs evegari
poſſit, tunc æquum eſſet, ut tota vicinitas,
quæ per deſtructionem talium ædium ab in-
cendio præſervete eſt, concurrat ed refuſionem
damni paſſi ab illis, quorum deſtructæ ædes
erent: ſicut in *l. Rhodia* conſtitutum eſt,
ut ſi in periculo imminentis naufragij ceusâ
nevis levendæ quorúmdam merces in mare
deiiciuntur damnum reſarciatur per omnium
navigantium contributionem: quià cum mer-
ces illæ dejectæ fuerint in mare prò communi
ſalute omnium exiſtentium in tali neve, nè
hæc mergeretur; æquitas poſtulet ut ad jactu-
ram, & damnum compenſandum concurrant
omnes quotquot extiterunt in navi. Quòd ſi
animalia alicuius alteri damnum dederint, eo-
rum dominus ob minus cautam cuſtodiam te-
netur damnum illatum reparare: poteſt ta-
men liberari à tali onere, ſi animal, quod no-
cuit tradat damnificato, tametſi damnum ab
animeli illatum pluris æſtimetur, quàm ipſum
animal *c. ult. h. t. & princ. inſtit. ſi quadrupes
pauper fuiſſe dicatur*, non tamen licitum eſt,
animalia in aliena ſegete deprehenſa interfice-
re, vel damnum iiſdem inferre; quia actio pro
damno dato reſerciendo competit contra Do-
minum eorundem animalium, quæ tantùm
abigi debent ſine damno, vel eorum Dominus
admoneri, ut illa revocet *l. quintus 39.* & *l.
quamvis ff. ad leg. Aquiliam.*

An verò ſi plures damnum dederint ſin- 10
guli teneantur in ſolidum. Reſpondetur, quòd
ſi plures damnum dederint partiàliter partiali-
tate ſe tenente tam ex parte effectus, quàm
cauſæ; fortâſſis quia nullus damnum integrum
dederit, aut animo deſtinaverit: ut ſi plures cit-
tra tractatum prævium, vineam proximam
ſint ingreſſi, & quilibet paucos fructus decer-
pſerit, non tamen ex animo ut totà vinea ſpo-
liaretur fructibus, tunc quiſque de ſuo damno
à ſe ſpeciatim dato tenetur, quia ſive phyſicè,
ſive moraliter res conſideretur, nullus eorum
cenſendus eſt dediſſe integrum damnum, con-
ſe-

ſequenter nullus eorum tenetur ad totum damnum reſarciendum, ſed tantùm ad illud partiale damnum à ſi datum. Sin verò plures dederint damnum totaliter rotalitate ſe tenente, ſi non ex parte cauſæ, ſaltem effectûs, eò quia damnum illatum fuerit fortaſſis indiviſibile, & plures conjunctis animis, & viribus illud intulerint; & tunc ſi conſideretur actio legis Aquiliæ ut pœnalis, ſinguli ita teneantur in ſolidum, ut præſtatione unius reliqui non liberentur: ratio eſt, quia pœna debet reſpondere delicto æquè in gravitate, ac numero; adeò ut tot pœnas eſſe conveniat, quot ſunt delicta *l. 11. §. 2. in fin. & 4. ff. h. t.* Sin verò actio legis Aquiliæ conſideretur ut rei perſecutoria ſinguli quidem damni nomine teneantur in ſolidum: verùm ſi unus eorum integrum præſtiterit, reliqui ab onere reſarciendi liberantur, quia actoris deſiit intereſſe, hic enim, poſtquam compenſationem accepit totiùs damni ſibi illati, non habet actionem rei perſecutoriam ad quid, ultra totalem, & integram compenſationem.

Hujus actionis objectum eſt id, quod
11 per eandem petitur, ſi enim quis petat, ut damnum ſibi illatum in ſegete reparetur æſtimatione in id tempus relata, quo res vel intra annum, vel triginta dies proximos plurimi fuit; objectum hujus actionis eſt damnum illatum in tali ſegete *princ. §. 9. & 11. inſt. h. t.* Quòd ſi Reus neget damnum à ſe datum eſſe, tunc mendacii convictus duplum damni dati ſolvere tenetur *l. 2. §. 1. l. 23. §. 10. ff. h. t.*

12 In hac autem actione non ſolum corporis, ſed etiam utilitatis interverſæ habetur ratio, & cauſæ corpori cohærentes æſtimantur *l. 21. § ult. l. 22. ff. h. t.* quapropter ſi ſervus inſtitutus hæres antequam juſſu Domini habeat hæreditatem, occidatur; tunc non ſolùm damnum corporis, ſeu occiſi ſervi, ſed etiam amiſſæ hæreditatis æſtimatur *l. 23. princ. ff. eod.* pari pacto ſi quis ex rheda, vel quadriga equum occiderit, non ſolùm æſtimatur peremptì equi damnum, ſed etiam reliquorum, qui ſuperſunt, quatenus minoris æſtimantur ob diminutam æqualitatem in equo occiſo.

An verò ſi damnum inferatur corpori
13 habenda ſit etiam ratio ad cicatrices, & deformitatem? in partem negativam, videtur propendere textus *in l. ult. §. de his qui deiecer. vel effud.* ubi Juriſconſultus perſpicuè aſſerit cicatricum, & deformitatis æſtimationem nullam eſſe faciendam: Verùm ſi ſpecioſæ puellæ fuiſſet facies fœdata, ut vix nubere alteri poſſet, niſi promiſſa ampliori dote, tunc putârim habendam eſſe æſtimationem cicatricis, & damni à puella paſſi ob deformitatem ex tali cicatrice ortam: licèt cicatrices; ex qua ratione afficiunt corpus liberum, æſtimationem non recipiant, nihilominus ſi faciem puellæ devenuſtent, æſtimari debet, non ſimpliciter deformitas ſedut connexa cum difficiliori matrimonio; quia tunc unà cum cicatricibus fuit etiam illatum damnum pecuniarium; cùm non poſſit puella illa nubere, niſi promittat ampliorem dotem.

Forma actionis legis Aquiliæ conſiſtit in 14
modo eam deducendi in judicium. Etenim ut rectè deducatur in judicium, probandum eſt primò ab eo, cui damnum eſt injuria datum, quòd res ſua fuerit læſa, & corrupta; & rurſus quòd fuerit corrupta dolo, vel culpa illius, contra quem in judicio agit. Effectus poſtea hujus actionis in judicium ritè deductæ eſt, quod jubeatur adverſarius damnum datum reſarcire æſtimatione ad id tempus reducta, quo res vel intra annum vel triginta dies proximos plurimi fuit. Attenditur annus, ſi ſervus ſit occiſus, vel quadrupes, qui pecudum numero continetur: triginta verò dies proximi attenduntur, ſi vulnus fuerit ſervo inflictum, vel in re aliena damnum datum *princ. §. 9. & 13. inſt. h. t.* ex quo, liquet, lege Aquilia aliter cædem, & aliter vulnera vindicari. Cæterum conceſſa cæde percuſſor jubetur præſtare quanti ſervus eo anno fuit plurimi: vulnere autem inflicto tantùm tenetur ſolvere, quanti plurimi fuit triginta diebus proximis.

An verò ſi Petrus ſervum lethaliter vul- 15
neraverit, & Paulus illum poſtea occiderit, teneatur uterque de occiſo, non conveniunt, Juriſtæ. Julianus cenſet utrumque teneri de occiſo *l. 51. princ. ff. h. t.* Econtra Celſus docet, priorem de vulnerato, poſteriorem de necciſo teneri *l. 11. §. 3. ff. eod.* Verùm exactiùs alii procedunt cum diſtinctione: vel enim primum vulnus fuit ſimpliciter lethale, & tunc primus non tenetur de occiſo, ſed tantùm ſecundus, quia non potuit apparere, an ſervus fuerit moriturus ex primo vulnere ſibi inflicto, ita cenſent Zœſius *ff. h. t. n. 22.* Weſenbech. *diſp. ad §. 21.* & alii aſſerentes, Julianum fuiſſe locutum de vulnere eo lethali, ex quo certum erat, ſervum deceſſurum.

An verò ſi in ſuborta rixa plures ſervum 16
percuſſerint, ac vulneraverint, adeò ut ſervus deceſſerit, & non conſtet, quis eum occiderit, an tunc teneantur omnes de occiſo. Reſpondetur, tunc intereſſe an agatur ex lege Aquilia ad pœnam pecuniariam; an verò ex lege Cornelia ad pœnam capitis: Si primum omnes qui occiderunt tenentur de occiſo *l. 11. §. 2. l. 51. §. 1. ff. h. t.* Sin verò agatur ex lege Cornelia de Sicariis pœna capitis non videtur quòd omnes quotquot ſervum percuſſerunt plecti debeant; ratio eſt; quia in accuſationibus criminalibus requiruntur probationes, quæ ſint luce meridiana clariores *l. ult. C. de probat. l. 16. c. de pœn.* Et quando in ſuborta rixa 50. vel 60. ſimul irruunt in ſervum, quem percutiunt, & occidunt; nunquam luce meridiana clariùs probari poteſt, quis ex illa multitudine ſit homicidii Reus: quis enim tunc poteſt evidenter demonſtrare, ex cujus vulnere ſervus ille deceſſerit? & quia pœnæ ſunt potiùs benigna interpretatione molliendæ, quàm ſæveriori intelligentia exaſperandæ, non videntur ex lege Cornelia omnes quotquot irruerunt in ſervum, ca-

pite

pite plectendi. Tum quia ſatiùs eſt, ut impunitum relinquetur nocentis facinus, quàm ut innocens condemnetur *l. 5. princ. l. penult ff. de pœn.* quamobrem ſi non conſtet, quinam vulnus lethale inflixerit: ratio potiùs exigit, ut ſinguli extra ordinem mitiùs plectantur, quàm univerſi gladio perimantur.

17 Neque obſtat textus *in C. ult. ff. ad leg. Cornel. de Sic.* ubi Juriſconſultus ait, quòd ſi homo percuſſus perierit, contemplari debeat ictus unius cujuſque percutientis: nam id non intelligitur quaſi unus quiſque de occiſo teneatur, ſed ut genus armorum, & inſtrumenta ſingulorum diligenter inſpiciantur & examinentur, & pœna gravior illis infligatur, quorum arma fuerunt atrociora, & ad cædem inferendam magis accommodata, ut notat Weſenbech. *diſq. 21. theſ. 12.*

18 Iuvet obſervare, ob damnum iniuria datum, tres dari actiones, ſcilicet directam legis Aquiliæ, actionem utilem, & ſubſidiariam in factum. Directa eſt, quæ deſcendit ex verbis legis, & datur Domino contra eum, qui corpore in corpus damnum dedit *§. ult. inſt. h. t.* actio utilis dicitur, quæ deſcendit ex mente, & ratione legis; & hæc actio procedit primo, ſi alij quàm Domino ut fructuario, aut poſſeſſori bonæ fidei damnum ſit datum *l. 11. §. fin. ff. h. t.* Secundò ſi in corpus quidem, ſed non corpore damnum ſit datum *d. §. ult.* Tertiò ſi liber homo damnum ſit paſſus *l. 13. princ ff. h. t* Actio ſubſidiaria in factum dicitur, quæ nec ex verbis, neque mente legis deſcendit, ſed à Prætore per ulteriorem interpretationem introducta eſt, & procedit, ſi damnum ſit quidem injuriâ datum; non corpore tamen, neque in corpus, ut ſi Petrus tuum canem vinctum ſolvit, ut aufugeret; hujus damni nomine tenetur Petrus actione ſubſidiaria in factum; non tamen poteſt Petrus actione directa, vel utili legis Aquiliæ conveniri, quia canem non corrupit, aut læſit, proinde deficiunt tam verba legis, quàm mens ejusdem; & ratio: quia verò æquitas exigit, ut damnum injuria datum reparetur, hinc prætor læſo ſuccurrit, & actionem in factum accommodet. Hæc autem actio in factum poteſt dupliciter ſumi, laxè, & preſsè: priori modo ſumpta complectitur omnem actionem non directam, proinde etiam actionem utilem, *l. princ. & § 2. l. 29. §. 5.*

19 Poſteriori modo opponitur actioni utili, & illam deſignat, cui nec oratio, nec ſententia legis convenit *§. ult. inſt. h. t.* prior actio in factum dicitur civilis, ſecunda prætoria. Præterea inter actionem de damno lucroſo furti, & actionem de damno injuriâ dato ex lege Aquilia, id intereſt diſcriminis, quia condemnatus de furto, rapina, vel uſuris honorem amittit, & efficitur infamis, nec poteſt eſſe teſtis in teſtamento, vel judicio, nec aſſequi aliam dignitatem, vel ordinem eccleſiaſticum: qui verò condemnetur de damno lucroſo, honorem retinet, eò quia tunc abeſt ea facti turpitudo, quâ ex aliena jactura mediis illicitis proprium quæritur augmentum. Rurſus conventus de furto; aut rapina tenetur pro diverſitate caſûs in duplum, vel quadruplum, ſi fuerit occultus in duplum, ſi manifeſtus in quadruplum *§. 5. inſt. de oblig. quæ ex delict.* At in actione legis Aquiliæ regulariter tantùm reſtituitur ſimplex æſtimatio damni, & quanti intereſt damnificati, damnum non fuiſſe datum *princ. inſtit & 3. 1. h. t. de leg. Aquil.*

Excipiuntur tamen tres caſus, qui graviori pœna coërcentur, quorum primus eſt, ſi quis alterius arbores clam exciderit, tunc enim condemnatur in duplum ejus, quanti arbor virens prudentum hominum judicio valuit, deducta tamen ligni manentis apud Dominum æſtimatione: ſiquidem cùm arbores tardius ſuccreſcant, & frugiferæ pluribus deſerviant uſibus, earum deſtructio graviùs punitur *l. furtim. 7. §. ult. & l ſequent ff. arborum furtim caſarum.* Is autem dicitur furtim arbores cædere, qui clam eas cædit, quamvis id non faciat furti causâ, tenetur enim ſemper eadem actione, & pœna furti *l. 7. §. 1. & l. 8. §. 1. eod.* 20

Secundus caſus petitur à modo, quo damnum iniuriâ datur, nam qui per vim, & coactis hominibus dolo, ſive ex propoſito damnum aliquod intulerit civiliter convenitur in quadruplum *l. 2.* & ibi Gottofred. *V. judicium ff. de vi bonor. rapt.* criminaliter verò punitur aliquando publicatione bonorum, & deportatione, vel etiam relegatione punitur *§. ad leg. Jul. de vi public. & de vi privat.* 21

Tertius habetur ratione temporis; pœna enim tunc infligitur gravior ob damnum iniuriâ datum ſi tempore calamitoſo e. c. cum incendium conflagraret in urbe, vel tumultus in illa fieret; tunc enim ratione temporis punitur in quadruplum intra annum *l. 1. in princ. l. 3. §. non ſolum ff. de incendio.* Poni etiam ſolet alius caſus circa eijcientes, vel effundentes in plateam publicam, hi enim ob damnum inde ſecutum condemnantur in duplum: & quamvis regulariter actio legis Aquiliæ detur tantùm in ſimplum; habet nihilominus aliqualem pœnam adjectam, quòd æſtimatio damni non fiat præciſè ſecundùm id tempus, quo datum eſt, ſed quanti plurimi res deperdita valuit antea intra annum, vel triginta dies; hoc eſt intra annum ſi ex primo capite legis Aquiliæ agatur, ſeu pro occiſione ſervi, aut animalis; intra triginta dies ſi agatur ex tertio capite pro vulneratione ſervi, vel occiſione animalis pecudum numero non contenti *§. 13. & ſequent. inſtit. l. Aquil.* 22

§. IV.

De Repreſſaliis, ſeu pignorationibus.

Agitur de repreſſaliis *in c. etſi unic. h. t. in 6.* ubi Gregorius X. in Concil. General. 1

rali Lugdunenſi reſcribit: etſi pignorationes vulgò repreſſaliæ dictæ, in quibus alius pro alio prægravatur, jure civili ſint prohibitæ; ut tamen earum prohibitio in Clericis tantò amplius timeatur, quantò ſpecialiùs inhibentur repræſſaliæ contra dictas perſonas concedi, aut cujusvis generalis conſuetudinis prætextu conceſſas, ad illas extendi præſenti decreto diſtrictiùs Pontifex inhibet: & contra facientes niſi præſumptionem hujuſmodi revocaverint intrà menſem; ſi perſonæ ſingulares fuerint, excommunicationem incurrant, ſin verò univerſitas eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Ex quo textu habetur, repreſſalias, quibus unus pro alio gravatur eſſe legibus, & juri naturæ contrarias, proinde prohibitas: & in legibus ſi concedantur, eas non extendi ad perſonas eccleſiaſticas, nec ad bona ipſarum non obſtante conſuetudine contraria, quæ potius dicenda eſt corruptela. & qui has concedunt, vel extendunt contra prædictas perſonas, ſi intra menſem non revocant, & ſint perſonæ ſingulares, anathemate percutiuntur, ſi univerſales cenſurâ irretiuntur interdicti.

2 Hinc quamvis repræſſaliæ ſint illicitæ, & contra naturalem æquitatem, eò quia æquum non ſit, ob culpam, vel crimen alterius pœnam infligi innocenti; nihilominus in quibusdam caſibus, & concurrentibus certis conditionibus contra certas perſonas, & univerſitates, quæ requiſitæ juſtitiam non miniſtrant, usque tavientes ſunt licitæ, non ita contra ſingulares perſonas, quæ non deliquerunt, ut notat Ancharanus *in d. c. etſi unic. not. 2. h. t. in 6.* Rurſus conſtat, repreſſalias ſimpliciter, & neceſſariò conceſſas in aliqua Provincia non extendi ad Clericos, neque ad eorum bona, quia bona clericorum iisdem gaudent privilegiis, ac Clerici. Tum quia repreſſaliæ tum ſint odioſæ reſtringi potiùs, quàm extendi, & ampliari debent; imò neque extenduntur ad ſtudioſos juxta *authent. habita C. ne filius pro patre,* & licèt loquatur de ſtudioſis in jure civili; eſt nihilominus eadem ratio de ſtudioſis in aliis facultatibus maximè in jure canonico.

3 Repreſſaliæ igitur, ſeu pignorationes ſuam videntur nomenclationem deſumere à *re* & *prehendo*, ſeu capio, quaſi repreſſaliæ dicantur iteratæ apprehenſiones; & definiri ſolent, quòd ſint: *poteſtas capiendi, & detinendi aliena, collata à Principe, vel civitate in recompenſationem damni, vel injuriarum.* Licitum enim eſt ſpoliare innocentes Reipublicæ adverſariæ, quando ab ejus civibus ſpoliati ſunt cives alterius, cum qua geritur bellum, & Reſpublica detrectat reſarcire damna; quia tunc altera Reſpublica habet jus agendi ſimiliter contra cives contrariæ Reipublicæ; quamvis innocentes ſint; hac ratione docent communiter; poſſe Principes concedere literas repreſſalias, quibus datur facultas ſubditis ſpoliandi quoscunque cives alterius Reipublicæ adverſariæ pro compenſatione rerum ſibi injuſtè ablatarum à civibus alterius. Hæ literæ dicuntur repreſſaliæ; quia vigore earundem, poteſt quis rurſus reprehendere, quod ſibi injuſtè ablatum eſt. Non tamen quilibet magiſtratus poteſt has literas repreſſalias concedere: ſed is tantùm, qui ſuperiorem non agnoſcit, & cujus indubitata poteſtas eſt *l. hoſtis ff. de captivit. innocent. in c. olim 16. de reſtitut. ſpoliat. cap. 2. de jure jur.* Hinc illæ civitates, quæ alicui domino ſubſunt nonniſi ex ſpeciali indulto concedere repreſſalias poſſunt. Neque officiales, aut Præfecti à principe conſtituti poſſunt literas repreſſalias concedere; niſi ſpecialiter id iisdem committatur, ut notat Tuſchus *conclnſ 191.* Quia verò repreſſaliæ ſunt odioſæ, non debent extendi ultra literas; ſed tantùm ad ea, quæ in literis repreſſaliis exprimuntur. Bald. *In l. ſi aliqua ff. de off. procon. Authent. omnino. C. ne uxor pro marit. in c. 1. de offic. ord.* Felin. *in cap. Rudulphus e. d. 7.*

4 Continent literæ repreſaliæ modum, præter, & extra judicium jus ſuum obtinendi, & quod pro injuria debetur extorquendi, hic autem modus tantùm in civilibus cauſis eſt uſitatus: imò ut notat Henningius *conſ. 35. num. 39.* is, cui repreſſaliæ conceduntur non poteſt ſibi perſonas detinere, nec eas in carcerem detrudere, quia perſonæ ſunt Judici præſentandæ. Mirum ſane, quòd Bartolus, hunc modum obtinendi per literas repreſſaliæ præter & extra judicium quod pro injuria debetur, vocet novum, cum conſtet antiquiſſimum eſſe, ac fundatum in legibus veterum Romanorum, ut notat Zaſius *in l. 2. ff. de orig.* cum Gailio *lib. ſingulari de pignor. obſerv. 2.* ubi cenſet, primum Repreſſaliarum auctorem fuiſſe Numam Pompilium, à quo fæciales conſtituti etiam fuerunt, qui fœdifragia civitatibus, niſi parêre vellent, bellum denunciarent. Hunc pignorandi hoſtes morem antiquiſſimum eſſe notat etiam Budæus *ad l. Aut facta 5. eventus ff. de pœnis.* Mynſing. *cent. 6. obſer. 1.* Gregor. Tholoſ. *in Syntagm. lib. 38 c. 8.*

5 Non tamen peti ſemper poſſunt repreſſaliæ à Magiſtratu; ſed in quinque tantùm caſibus, quorum primus eſt, cum Judex requiſitus renuit, neque ad ſuperiorem ipſius patet acceſſus. Innocent. *in cap. olim. de reſtitut. ſpoliatorum* Cynus *in Authent ne fil. pro patre.*

6 Secundus quando judex adverſarij non vult Arbitros dare, nec delegatos Judices, extra locum ubi formidanda eſt ipſius poteſtas, ut notat Guido Papa *decis 32.* Tertius ſi adverſarius nolit prorogare jurisdictioni judicis non ſuſpecti. Quartus quando committitur injuſtitia à populo ut Tiranno, vel populo erigenti cervices, & non agnoſcente ſuperiorem aliquem. Quintus ob denegatam, vel dilatam juſtitiam; vel illatam ab aliquo judice injuriam, etiam poſſunt peti, & concedi repræſſaliæ contra quemcunque civem, & ſubſidium ejusdem loci *l. Judices C. de Navicularii.* Notat quoque Mynſing. *centur 6. conſervat.* eum qui repreſſaliis exercendis cauſam dedit ſive communitas ſit, ſive privata perſona teneri

ad

ad reſarcienda omnia damna, quæ inde oriuntur, niſi conſtiterit, repreſſalias fuiſſe injuſtè petitas, & conceſſas, ut monet Guido Papa *cit. deciſ. 32.*

6 Verùm videtur in oppoſitum obſtare *c. etſi oppignorationes de injur. & damno dato in 6.* ubi dicitur, quòd repreſſaliæ ſint graves legibus, & naturali æquitati prorſus contrariæ, quapropter Gaillus *lib. ſingulari de pignor. obſerv. 2.* cenſet, repreſſalias regulariter non valere niſi in quibusdam ſpecialibus caſibus exceptis nominatim à regula prohibitiva: quia nemo alterius odio prægravari debet. Hinc notat, regulariter omnia areſta ipſo jure eſſe invalida, & nulla *§. 1. authent. ut non fiant pignorat.* ubi concludit, eum, qui allegat repreſſalias licitas eſſe, teneri caſum exceptum probare. Verùm exinde non ſequitur repreſſalias eſſe omnino illicitas, ſed tantùm non eſſe uſurpandas niſi gravis neceſſitas urſerit. Præterea non eſt abſolutè verum, neminem alterius odio gravati, ſed tantùm eſſe verum, neminem eſſe gravandum abſque juſta cauſa: unde ſicut bellum ex juſta cauſa licitum eſt, licèt in ipſo bonis, & malis noceatur *cap. Dominus noſter 23. q. 2. l. ex hoc jure. ff. de juſtit. & iur.* ita à pari dicendum de repreſſaliis, quæ ſi ex juſta cauſa, & cæteris conditionibus requiſitis fiant licitæ ſunt. Hinc Guido Papa *cit. deciſ. 23.* cùm dixiſſet, repreſſalias non permitti jure canonico, & civili: ſubdit poſtea jure divino permitti *d. c. Dominus noſter 23. q. 2.* qui textus hodie remanet incorruptus, ut notat Gloſſa *in d. c. & ſi pignorationes*, & etiam Bartol. *in tract. de repreſſal.*

7 Conditiones autem, ut legitimè petantur, & concedantur repreſſaliæ, ſunt. Primò ut concedantur authoritate ſuperioris, ſeu Magiſtratûs, qui alium ſuperiorem non agnoſcit, & cujus indubitata eſt poteſtas *l. Hoſtis ff. de captivis*, ut notat Innocentius *in c. olim 16. de reſtit. ſpoliat.* Secundò ut manifeſtè conſtet, cives unius Reipublicæ damnum intuliſſe civibus alterius capiendo, & detinendo eorum bona, & detrectando ſatisfacere ex juſtitia debita; & hæc injuria debet eſſe notabiliter gravis. Hinc tertiò ut cauſa petendi, & concedendi repreſſalias ſit juſta, qualis *in d. cap. Dominus noſter* à S. Auguſtino allegatur, ulciſci injurias, ſi qua gens, vel civitas neglexerit vindicare, quod à ſuis improbè geſtum eſt, vel reddere, quod per injurias ablatum eſt. Quartò ut ſuperiores illius Reipublicæ, cujus cives injuriam intulerunt civibus alterius rogati ut exerceant juſtitiam, id recuſent. Quintò ut manifeſtè conſtet, eos nolle culpabiliter juſtitiam exercere. Sextò ut adſit bona intentio illius, cui repreſſaliæ conceduntur: ſine hac enim nulla eſt perfecta actio. Septimò ut ſupremus Princeps Reipublicæ læſæ habeatur, ut cognita cauſa, concedat litteras repreſſalias. Octavò ut non plus damni inferatur alteri Reipublicæ, quàm neceſſe ſit ad plenam ſatisfactionem prò injuria, ac damnis acceptis. Nonò ut repreſſaliæ non permittantur in perſonis jure exceptis, cujusmodi ſunt primò Clerici, quia ſecus facientes ipſo facto incurrunt excommunicationem, niſi concedens revocaverit intra menſem litteras repreſſalias, & quod oblatum eſt reſtituatur *c. unic. de injur & damno dato in 6.* Secundò confœderati, & ſubditi, qui ad ſatisfaciendum aliis mediis compelli poſſunt. Tertiò ſcholares, qui in Academia ſtudent juxta conſtitutionem Friderici Imperatoris apud Julium Pacium *c. 8* dummodo verè dent operam ſtudiis. Quartò Legati *l. fin. ff. de leg.* imò Sylveſter id extendit etiam ad deferentes neceſſaria pro Legato, vel ſtudioſo, cujusmodi ſunt equi, veſtes, & ſimilia. Quintò euntes ad nundinas, vel locum aliquem religionis causâ. Sextò trajicientes æquora, ſeu navigantes, qui fortè vi tempeſtatis locum, ubi repreſſaliæ exercentur ejecti ſunt. Septimò illi, qui in jus vocari non poſſunt, ut electus in præſidem, vel Judicem. Octavò qui in dignitate conſtituti contradixerunt injuriæ, ſeu injuſtitiæ, cuius vindicandæ causâ repreſſaliæ fiunt. Nonò realiter citati, & Principum Conſiliarii. Decimò mulieres, quas non convenit captivas abduci ob aliena debita, nec detineri à maritis ſeparatas, dummodo honeſtæ ſint, ut notat Franciſcus Marcus *deciſ. 779.* Quòd ſi contra maritum, vel patrem permiſſa ſit pignoratio, tunc uxor, & filii cogi poſſunt; niſi nati ſint poſt contractum delictum, vel alibi jam pridem habitarent: quia jura loquuntur de filiis exiſtentibus tempore delicti *l. in delictis §. ſi extraneus ff de noxalibus l. Titius de Teſtam. militar.* Tuſchus *concluſ. 198.*

Servatis præfatis conditionibus litteræ repreſſaliæ licitè conceduntur, quia in bello juſto bona innocentium licitè diripiuntur, quando id neceſſarium eſt ad obtinendam plenam ſatisfactionem. Neq; obſtat, ſi dicas, innocentes non poſſe lædi in bonis externis per ſe directè etiam in bello juſto, conſequenter neque in repreſſaliis. Contra eſt, quia tametſi innocentes, qui non ſunt pars Reipublicæ civilis cujusmodi ſunt eccleſiaſtici lædi non poſſint in bonis externis per ſe, & directè, innocentes tamen, qui ſunt pars Reipublicæ civilis poſſunt in bello juſto per ſe etiam directè ſpoliari bonis, & libertate; præſertim quando aliter non poteſt obtineri debita ſatisfactio pro injuriis, & damnis acceptis. Ratio eſt, quia omnes cives Reipublicæ conſtituunt unum corpus, ac cenſetur quid unum, proinde quod Reſpublica facit, cenſentur omnes facere. Hinc illa peccante cenſentur omnes, & ſinguli cives peccare, qui propterea punibiles ſunt in illis bonis, quæ cenſentur bona Reipublicæ, eiúsque ſubſunt dominio; cujusmodi ſunt omnia bona fortunæ non ſolùm communia, verùm etiam privata ſingulorum civium. Non tamen licitum eſt pro exiguo damno illato omnia bona adverſariæ partis abripere; quia id neque ad obtinendam juſtam compenſationem, 8

nem, neque ad puniendam injoriam ſecundùm proportionem culpæ, nequæ ad ſtabiliendam pacem eſſei medium aptum, quia excederet omnem menſuram rectæ rationis.

9 Imò neque repreſſaliæ regulariter fieri debent in perſonis, quia iniquum eſt, alium pro alio, ſeu pro culpa alterius, prægravari *cap. etſi pignorationes unic. h. t. in 6.* ubi Gregorius X. ait; repreſſalias, quibus unus pro alio aggravatur eſſe legibus, & juri naturali contrarias, & eſſe prohibitas: & in legibus, ſi concedantur, non extendi ad perſonas eccleſiaſticas, vel bona ipſorum, non obſtante contraria conſuetudine, quæ potiùs corruptela eſt: neque debere fieri in perſonas innocentes, quæ nullam culpam damni contraxerunt: ſed repreſſalias debere fieri in rebus, adeò ut in juſtis repreſſaliis indictis publica authoritate, & ex juſta cauſa non ſit licitum principali intentione innocentes occidere, & lædere, qui ſe, & ſua defendunt, ut notat Covarruvias *regul. peccatum p. 2. §. hinc ni fallor.*

§. V.

Proponuntur & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an teneatur injuriarum, qui defectum corporis, ſeu vitium naturæ, ut ſtrumam colli, calvitiem capitis, gibum tergi, alteri exprobrat. Sunt, qui cenſent, non teneri, eò quia levior ſit talis injuria, ut non mereatur animadverſionem, & indignationem legum: ubi enim culpa eſt levis, videtur à pœna gravi eſcuſanda. Tum quia injuriarum non tenetur, qui nocenti crimen impingit *l. 18 §. h. t.* ergo neque tenetur, qui calvitiem objicit nudo, vitium oculi luſco, tumorem tergi gibboſo, quia tunc ipſis nihil detrahitur. Tum quia ut injuria verbis facta intelligatur debet probroſum aliquid objici contra mores civitatis: atqui calvum eſſe, luſcum, gibboſum; vel claudum, non cenſetur probroſum moribus civitatis: ergo qui vitium naturæ, ut ſtrumam colli, calvitiem capitis, gibbum tergi alteri exprobrat, non videtur teneri injuriarum.

2 Verùm contraria ſententia communior, & verior eſt, adeò ut exprobans alteri vitium naturæ teneatur injuriarum: ratio eſt, quia contumeliam is cenſetur inferri alteri, qui tale vitium illi objicit, quod vel ad infamiam, vel invidiam ipſius pertinet *l. 15. §. 5. ff. h. t.* Sed qui naturæ deficientis vitia alteri exprobrat, ut ſtrumam colli, calvitiem capitis, gibbum tergi certè nil aliud agit, quàm ut riſus, vel contemptui, aut injuriæ eum exponat, proinde is tenetur injuriarum, qui naturæ errantis vitia alteri exprobrat, ut docet Julius Clarus *5. ſent. §. injuria num. 13.* Weſenbech. *diſt. ad ff. 30. th. 13. art 3.* quamvis enim injuria tunc non ſit adeò gravis, non tamen omnino impunè eſt, dimittenda.

Quæritur ſecundò, an ob injuriam fratri, aut cognato illatam, poſſit frater, aut cognatus alius agere? Plores reſpondet affirmativè, aſſerentes poſſe accuſationem injuriæ ſeparari ab eius æſtimatione, ut docent Farinacius *q. 105. num. 288.* Gomez. *4. reſol. 6. num. 6.* Verùm communior ſententia aſſerit, non poſſe fratrem, vel cognatum agere ob injuriam illatam alteri cognato, vel fratri, quia leges civiles nonniſi certis perſonis actionem illam tribuunt: ſiquidem duæ tantùm aſſignantur radices, ob quas injuria alterius ad nos pertinere videtur, ſcilicet poteſtas, & affectus. Poteſtati autem dominicæ ſubjectus eſt ſervus, cui injuria infertur, vel quà tali ſive citra reſpectum Domini, vel contemplatione eiusdem. Servo autem quà tali injuria ſi inferatur, tunc refert, ſitne hæc levis, vel atrox. Si levis hanc leges ob vilitatem perſonæ relinquunt inultam; hinc ſi quis pugnum impegerit ſervo, vel convicium eidem dixerit, conveneri à Domino non poteſt *l. 15. §. 44. ff h. t.* Sin verò injuria ſervo illata atrox fuerit, Prætor tunc ex æquitate eam vindicat, & permittit, ut nomine ſervi poſſit Dominus, eandem perſequi *d. l. 15. §. 35.* quia cùm ſervus ſit etiam homo, durum videretur ac inhumanum inultum acitus relinqui, ſi graviter in eum quis peccet. Quòd ſi injuria ſit ſervo illata contemplatione Domini, tunc poteſt agere Dominus indiſtinctè *l. 15. §. 35.*

Servus dupliciter eſt ſub poteſtate alterius ſeu Domini, vel ſimpliciter, vel reſpectivè, 3
priori modo, vel eſt proprius, vel communis. Servo proprio ſi injuria inferatur, eius tota perſecutio pertinet ad Dominum. Servo communi infertur injuria, vel contemplatione Dominorum, & tunc, quia tam ſervum, quàm ipſos Dominos contumelia reſpicit, conditio eorum, & ſtatus in conſiderationem venit, & ex diverſitate dignitatis injuria aliter, & aliter æſtimatur *§. 4. inſtit. h. t.* vel infertur injuria communi ſervo ſine relatione ad Dominos, & tunc quia ſolo jure dominicæ poteſtatis actio injuriarum competit dominis, non ſpectatur eorum dignitas: ſed pro parte dominica, quam quisque habet ſit condemnatio *l. 16. ff. eod.* Quodam reſpectu ſervus cenſetur u. c. Petri, ſi vel bona fide ei ſerviat, vel uſusfructus in eodem ſit illi conſtitutus: & utroque caſu refert, an ſit in contumeliam Petri injuria affectus; vel an citra hunc reſpectum, ſi prius actione injuriarum Petrus agit *l. 15. §. penult.* ſi poſterius agit proprietarius, vel ipſe ſi liber homo ſit *l. 15. §. 47.* Hinc ſi libero homini, qui mercede conductus Petro inſervit, injuria ſit illata, non aliter Petrus poteſt agere, quàm ſi ipſum contumelia reſpiceret *argum. l. 15. §. penult.* Rurſus poteſtati Patriæ ſubjiciuntur filiiſamilias, quibus ſi injuria inferatur, hæc redundat in Patrem, à quo tum nomine proprio, tum filii poteſt conveniri, qui injuriam intulit *l. 1. §. 5. ff. h. t.* id autem

pro-

procedit dummodo, qui injuriam intulit, ſciverit ſaltem in genere, filiumfamilias eſſe eum, cui injuriam intulit. Rurſus ſi injuria realis ſit filio illata ex lege Cornelia agit ipſe filius: & pater habet actionem prætoriam *l. 5. §. 6. & 7. ff. h. t.* Affectui mariti ſubjicitur uxor, cui injuria ſi inferatur, & ipſa ſit ſuæ poteſtatis, injuriam exequi poteſt, ut etiam eius maritus, *l. 1. §. fin. l. 11. § 7 ff. h. t.*

5 Cæterum ob injuriam uxori illatam poteſt maritus agere, ſi qui iniuriam intulit, ſciverit, eam eſſe nuptam: alioquin ſi credidit eam eſſe viduam, maritus non poteſt agere *l. 18. §. penult. & ult. ff. h. t.* non tamen è contra injuria marito illata redundat in uxorem, quia uxor dignitate mariti, non maritus dignitate uxoris coruſcat, *§. 2 inſtit. h. t.* Excipitur tamen, niſi injuria illata marito uxorem etiam feriat, quia tunc etiam uxor poteſt agere *argum. l. 11. §. 8. ff. h. t.* atqui unus frater non eſt ſub poteſtate alterius fratris, nec cognatus ſub poteſtate alterius cognati: & affectus quo fratres, vel cognati ſe diligunt viciſſim levior eſt, ac communior, quàm ut injuria uni illata præſumatur ad alterum pertinere.

6 Quæritur tertiò, an detrahens alicui excuſetur, ſi proteſtetur, ſe non intendere eius famam lædere? Reſpondetur, hanc proteſtationem non excuſare, proinde juxta gravitatem, vel levitatem materiæ eum peccare, qui alteri detrahit, tametſi proteſtetur, ſe non intendere eius famam lædere: ratio eſt, quia tunc proteſtatio, cùm ſit contraria facto, non poteſt prodeſſe *l. in bello §. facti 2. ff. de capt. & poſtlim revert. l. ſi quis extraneus ff. de acquir. hered. c. gratum de offic. deleg. c. ſollicitudinem de appellat. c. elim. cauſam de cenſib.* & notant Baldus *conſil. 489. lib. 3.* Surdus *conſil. 3. 71. num. 67.* Quando enim actio eſt contraria facto, ſicut non removet factum, ita nec animum deliberatum, à quo factum oritur, proinde proteſtatio ſicut nec ipſa removet factum habetur inefficax, & non conſideratur ipſa, ſed factum, quod declarat animum eſſe contrarium proteſtationi *l. ſi tamen §. ei qui ff. ædilit. edict. c. dilecti filii 1. de appellat.* ut notat Romanus *conſil. 291. n. 4.*

7 Neque dici poteſt, quòd proteſtatio removeat animum ab ipſo facto, quia operator, quòd verba non proferantur in detractionem; & proinde quod loquens non intendat alteri detrahere honorem.

8 Nam contra eſt, quia id tantùm procedit, quando poteſtatio eſt contraria facto non ſecundùm ſe, ſed ratione alicujus, quod ſit ab ipſo ſeparabile, quia tunc quamvis animus conſentiat in factum, non tamen conſentit in id, quod aliàs eſſet annexum facto, & cui proteſtatio contrariatur. Non ita procedit, quando factum ſecundùm ſe, & non per aliquid ſeparabile eſt contrarium proteſtationi, ut in caſu noſtro: etenim detractio eſt inſeparabilis à verbis detractoriis, & etiam læſio famæ alienæ inſeparabilis eſt ab ipſis verbis detractoriis, proinde proferens verba detractoria præſumitur velle detractionem; perinde ac vult proferre verba detractoria.

Tum quis ſi quis proferat in aliquem 9
verba contumelioſa, tametſi utatur proteſtatione *ſalvo honore*, non propterea excuſatur, ſed cenſetur injuria perinde afficere alium, ac ſi nullam adhiberet proteſtationem; ut cenſent Bartolus *in l. ſi quis extraneis init. §. de acquir. hered.* Felin. *in cap. dilecti num. 10. de except.* Guido Papa *decis. 465. in fin.* Covarruvias 11. *variar. reſol. num. 1. lib. 1.* Ratio eſt, quia proteſtatio non removet à verbis contumelioſis qualitatem injuriæ; proinde, quando proferuntur in aliquem, ſecundùm qualitatem, quam in ſe habent, illum afficiunt; hinc verba contumelioſa, & detractoria cùm per proteſtationem non priventor qualitate detractionis, cum hac eadem qualitate eum afficiunt, contra quem diriguntur.

Tum quia licèt proferens verba detracto- 10
ria contra alium proteſtetur, ſe non intendere eius famam lædere, quia tamen verba revera detrahunt proximo, & hæc detractio habeatur, ideo hæc attenditur, non verò proteſtatio; facta enim magis attenduntur, quàm verba *l. Paulus ff. rem rat. hab.* Tum quia per hanc proteſtationem videtur potiùs novam injuriam inferre, quia cenſetur etiam velle illudere injuriâ affecto, dum in effectu illum injuriâ afficit, & ſimul proteſtatur, ſe nolle illum injuriâ afficere: perinde ac ſi Petrus gladio Paulum vulneraret, & ſimul proteſtaretur, ſe non intendere quiddam damni illi inferre; eſſet enim proteſtatio contra factum.

Quæritur quartò, an qui injuſtè alterius 11
honorem læſit, tantùm privatim teneatur honorem læſum reſarcire? Reſpondetur affirmativè, ſive quis publicè, ſive privatim coram illo ſolo eius honorem læſerit contumeliis, irriſione ſannis, aliiſque ſimilibus modis, ratio eſt, quia ſemper veram injuriam intulit alteri contra juſtitiam commutativam. Modi verò reſarciendi honorem læſum per illatas injuriae plures aſſignari ſolent. Primò dicitur reſtitui honor, ſi qui alium læſit amica, & honorifica ſalutatione, aut compellatione cum ipſo agat, & hac ratione Prælati, & ſuperiores cenſentur reſtituere ſubditis honorem læſum: ſecundò ſi qui alteri injuriam intulit eum ad menſam adhibeat, locúmque honorificum illi concedat, & eius ſanitati propinet: & hæc reſtitutio honoris læſi videtur ſufficere inter eos, qui paris ſunt conditionis. Tertiò, ſi petatur venia, quo pacto ſolent inferiores honorem læſum reſtituere ſuperioribus, vel etiam æqualis alteri æquali. Verùm ſi injuria ſit gravior, tunc major etiam requiritur humiliatio? qui verò eam intulit, non tenetur eam præſtare ante ſententiam iudicis, ut docent plures cum Azorio *3. p. lib 13. c. 5.* An verò qui aliquem vera contumelia occulta tamen, affecit, poſſit, ac teneatur dicere ſe fuiſſe mentitum

ut læſo ſatisfaciat. Videtur reſpondendum affirmativè : ratio eſt, quia mentiri eſt propriè ire contra mentem, ſeu loqui aliter ac quis habet in mente : qui verò contumelia etiam occulta alium afficit; revera mentior, quia loquitur cum diſcrepantia à proprio conceptu, in qua diſcrepantia conſiſtit formaliter mendacium : ſiquidem tunc habet conceptum, quod non poſſit objici in contumelia aliqoid occultum, & nihilominus illud objicit; proinde loquitur cum diſcrepantia à proprio conceptu, quem habet in mente, ac proinde mentitur.

12 Quæritur quintò, an omiſſio honoris, reverentiæ debitæ ſuperioribus, vel æqualibus obliget ad reſtitutionem? Reſpondetur per ſe non obligare, eò quia non ſit contra juſtitiam commutativam, ſed contra virtutem obſervantiæ: ſiquidem aliud eſt non honorare, & aliud contumeliam inſerre. Dicitur autem per ſe, quia nonnunquam oritur obligatio ad reſtituendum omiſſum honorem ratione alicujus contumeliæ, vel contemptus interpretativè connexi cum eadem omiſſione, maximè ſi quis talem contemptum intendat : ut ſi aliis honorantibus Prælatum, vel paſtorem prætereuntem, Titius impudenter ipſum aſpiciat, & quaſi deſpiciat ſine ullo honoris ſigno.

13 Quæritur ſextò, an qui injuriâ afficitur, poſſit calore iracundiæ correptus dicere contumelioſo *tu mentiris* abſque eo quòd teneatur actione injuriarum, nec propterea poſſit tali actione conveniri? Reſpondetur ex communiore ſententia affirmativè, ut docent Bartolus *in l. quæ omnia §. 1. ff. de Procurat* Menochius *conſil. 41. num.* 10. Mynſing. *obſer. 17. num. 3. centur. 5.* Fachineus *lib. 9. controverſ. jur. cap. 12. p. 3.* ratio eſt, quia tunc verbum illud *mentiris*, quod retorquetur in contumelioſum ordinatur ad repellendam tantùm injuriam illatam, non verò ad inſerendam; proinde continet meram defenſionem neceſſariam : non verò offenſam : eſt enim tantùm quædam declaratio, quòd inferens injuriam utatur medio illicito mendacii ad offendendum. Neque obſtat, quòd contumelioſus inde patiatur aliquod detrimentum, quia id ſibi tantùm debet imputare, eò quia prior alium offenderit : licèt enim, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendit, injuſtum aggreſſorum offendat, non propterea ei vertitur culpæ damnum illatum injuſto aggreſſori, quia defenſio propria cum dicto moderamine eſt licita. Tum quia non poteſt depelli injuria, niſi verba contumelioſa rejiciantur ut falſa, & oſtendatur falsò nobis contumeliam irrogari : etenim cum verba illa contumelioſa ſint neceſſariò, vel vera, vel falſa, niſi rejiciantur ſtatim ut falſa, & ut falsò dicta, habentur ut vera, & afficimur contumeliâ, quia remanent ut veraciter dicta : ſecus ſi ſtatim rejiciantur ut falſa, declaratur contumelioſus ut mendax : hinc quia neceſſe eſt ad depellendam contumeliam eum declarare mendacem, nec ſuppetat aliod medium ad tutandum proprium honorem, ideo non tenetur actione injuriarum, qui ad ſe defendendum dicit contumelioſo, quòd *mentiatur*.

Tum quia contumelioſus per contumelias inurens honori alterius maculam, revera mentitur, quia dicit animo injuſto adeſſe maculam illam in honore alterius, cùm revera non ſit; proinde præſumitur loqui aliter, ac ſentiat, quia loquitur contra communem ſenſum, cui in externo tenetur ſe conformare; proinde eo ipſo, quòd vult ſe illi conformare, vult loqui aliter, ac cognoſcit, ſe debere loqui, in quo conſiſtit mendacium. Tum quia ſi quis per contumeliam vocet alium furem, & hic cognoſcens revera, ſe nunquam fuiſſe furatum, ſi contumelioſo dicat mentiris, verum dicit, ſi verba contumelioſa conferantur cum innocentia alterius, qui tali contumeliâ afficitur, quia cùm nunquam fuerit furatus, verba contumelioſa non ſunt vera, proinde falſa, & mendacia reſpectu contumeliâ affecti : imò etiam reſpecto contumelioſi carentis fundamento formandi talem conceptum contra quem loqoitur. Præterea quia verbum *mentiris*, quando adhibetur ad propulſandam injuriam eſt tantùm ex ſua natura defenſivum honoris, periode ac ictus adhibitus ad retundendum ictum injuſti aggreſſoris, qui per ſe non ordinatur ad occiſiooem, ſed tantùm ad propriam defenſionem. 14

Quòd ſi dicas, ad repellendam talem injoriam ſufficere ſi injuriâ affectos dicat contumelioſo, quòd fallatur, & falſum dicat, quia tonc ſatis declarat ſibi non convenire talem contumeliam, & contumelioſum qooque non mentiri, ſed tantùm decipi. Contra eſt, quia ad depellendam contumeliam non videtur ſufficere ſi contumeliâ affectus, dicat contumelioſo, quòd fallatur, quia contomelia, non ſolùm continet verba injurioſa, ſed etiam provenit ex animo injuriandi alterum : per id autem, quod injuria affectus, dicat contumelioſo, quòd fallatur, falſúmque dicat non depellitur completa injuria, quia non declaratur, qoòd verba contumelioſa proveniant ex animo injurioſo; quò fit, ut non poſſit eſſe injuria ſine mendacio, ut docet Diana *p. 3. tract. 6. reſol.* 16. 15

Hinc quamvis conſultiùs ſemper ſit maximè in perſonis privatis patienter verba contumelioſa læto, & quieto animo ſuſtinere, imò etiam teneatur quiſque paratus eſſe ad ferendas injorias, ſi id fuerit juxta divinam legem, & dictamen rectæ rationis : ſolent tamen aliqui caſus aſſignari, in quibus privatæ perſonæ tenentur hujuſmodi contumelias repellere, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 72. art. 3.* Primus caſus eſt, bonum illius, qui contumeliam intolit, cùm enim animadverterit quis, quòd ex eius reſiſtentia inſolentia coërceretur proferentis verba contumelioſa, tunc debet illi reſpondere blandè, & leniter exemplo Chriſti percuſſi 16

cuſſi

cuſſi Joan. 18. cur me cadis? Secundus caſus eſt, ob aliorum bonum, quorum profectus impediretur per hujuſmodi contumelias nobis illatas, ſi nil reſponderemus, neque coërceremus contumelioſum. Tertius caſus eſt, cùm quis verba contumelioſa audit contra fidei, & religionis honorem: tunc enim audiens huiuſmodi verba tenetur ea proferentem acriter reprehendere.

17 Quæritur ſeptimò, an ad tutandum proprium honorem licitum ſit obiicere contumelioſo, quòd *mentiatur, ut fur?* Reſpondetur negativè: ratio eſt, quia non eſt licitum dicere alicui tu mentitis niſi ad proprium tutandum honorem; adeò ut quantum quis excedit terminos defenſionis, tantum accedat ad iniuriam: proinde eatenus eſt permiſſum obiicere tu mentiris, quatenus ſiſtit intra terminos defenſionis, quæ ut licita ſit, debet eſſe eum moderamine inculpatæ tutelæ, adeò ut tantum tendat ad propulſandam iniuriam, non verò ad inferandam, nec ad vindictam *c. ſignificaſti 2. de homicid. l. ut vim vi ff. de iuſtit. & jur.* atqui illud verbum *fur* adiectum alteri verbo *mentiris* non eſt neceſſarium pro defenſione, quia verbum *mentiris* ſufficienter propulſat totam iniuriam, proinde verba quæ adijciuntur excedunt moderamen inculpatæ tutelæ, proinde tendunt ad inferendam iniuriam, & ad vindictam. Tum quia totum quod agitur ipſo verbo *mentiris*, eſt ex ſe aptum ad inferendam iniuriam: & quia non eſt neceſſarium ad illatam ſibi iniuriam propulſandam; ſequitur, quòd hoc additum excedat limites inculpatæ tutelæ, & ſit iniuria, quæ infertur alteri; & propulſari iniuriam ultra moderamen inculpatæ tutelæ per aliam iniuriam nunquam eſt licitum, ut docent communiter Canoniſtæ Panormitanus *c. dilecti* 11. *12. n. de exceptio* Farinacius *in prax. q.* 105 *n. 36.* Myſing. *obſer. 17. n. 3. centur. 5.* Gaillus *obſer. 100. n. 9. lib. 2.* Harpprecht. *§. iniuria. n. 87.* & ratio eſt, quia iniuriæ illatio non eſt iniuriæ propulſatio, aliud enim eſt propulſare iniuriam, & aliud inferre iniuriam; primum tantùm dicit propriam defenſionem, & non offenſionem ſaltem per ſe, licèt ſequatur per accidens, ſecundùm offenſionem alterius proinde non eſt defenſio permiſſa, ſed vindicta illicita.

18 Verùm poſſet in contrarium obiici, quia quando verba tendunt ad eundem effectum non inferunt diverſas iniurias ut notant Bartol. *in l. item §. ait Prætor n. 2. ff. de iniur.* Covarruvias *c. 10. n. 8. lib. 2. variar. reſol.* ſed illud verbum *fur* additum verbo *mentiris* tendit ad eundem effectum, ſeu ad exaggerandum mendacium, ac ſi eſſet mendacium furis: ſiquidem fures ſolent frequentiùs mentiri. Secundò quia illud verbum *fur* tantùm qualificat verbum *mentiris*; atqui verbum qualificativè additum non inducit novam iniuriam, ut notat Angel *de malefic. V. verbâ injurioſa n. 6.* Tum quia illud ſuperadditum verbum *fur* eſt acceſſorium ad verbum *mentiris*, proinde ſequitur naturam ſui principalis *c. acceſſorium ex regul. jur. in 6.* & *l. nihil dolo §. 1.* Tum quia illud verbum *fur* venit in conſequentiam ad verbum *mentiris*: & quod attenditur eſt tantùm principale; non verò quod venit in conſequentiam eiuſdem *l. navis adverſa ff. ad leg. Rhod. de jact. l. ſi is, qui §. quod ſi ſervus ff. de neguer rerum domin.* Tum quia quando initium actûs eſt licitum, omnes itidem ejus ſequelæ licitæ ſunt, ut tradunt Bartolus *in l. quod ait lex §. quod autem ff. ad leg Jul. de adult.* Baldus *in leg. ſi quis non dicam C. de Epiſcop & cler.* illud autem verbum *fur* additum *mentiris*, eſt quædam ſequela ejuſdem.

Sed contra ad primum negatur minor, 19 quia illud verbum *fur* non tendit ad eundem effectum cum verbo *mentiris*: ſed ad diverſum, ſiquidem verbum *mentiris* tendit ad defenſionem, & propulſationem iniuriæ, ad quam non eſt neceſſarium verbum ſuperadditum *fur*, & cùm ſit verbum injurioſum tendit ad inferendam iniuriam, quod non eſt licitum; ſiquidem defenſio in eo, quòd extedat terminos inculpatæ tutelæ, eſt vindicta, & iniuria.

Ad ſecundum illud verbum *fur* additum verbo *mentiris* non ſe habere qualificativè, ſed revera inducere novam iniuriam in diverſa ſpecie, aliud enim eſt, aliquem eſſe mendacem, & aliud eſſe furem. Tunc verbum qualificativè adjectum non inducit novam iniuriam, ſi qualificatio, quam importat ſit intra eandem ſpeciem, quia tunc tantùm auget, vel minuit intra eandem ſpeciem; non ita ſi ſit in diverſa ſpecie, quia tunc tanquam circumſtantia, addit novam ſpeciem iniuriæ *c. Martha §. quæſiviſti de celeb. miſſ.* ut notat Menoch *de recuper. poſſeſſ. remed. 6. n. 8.*

Ad tertium illud additum verbum *fur* propriè non eſſe acceſſorium, quia ex natura 20 ſua nullo pacto conjungitur cum verbo *mentiris*, ſed tantùm eidem additur ex voluntate proferentis: acceſſorium autem tunc dicitur ſequi naturam ſui principalis quando eidem unitur ex natura ſua, & non ex voluntate alterius. Præterea ut acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis neceſſe eſt, ut non ſit diverſa ratio in acceſſorio, ac in principali, ut notat Menochius *conſil. 58. in fin.* in verbis autem illis *mentiris ut fur* militant diverſæ rationes, quia verbum *mentiris* eſt intra terminos defenſionis neceſſariæ, & verbum *fur* & extra talem defenſionem; ſiquidem eſt exceſſus in defenſione cum moderamine inculpatæ tutelæ, proinde eſt injuria non defenſio.

Ad quartum reſpondetur, tunc attendi principale, non quod venit in conſequentiam; 21 quando conſequentia eſt naturalis, ſeu neceſſaria, non verò quando eſt voluntaria, quia tunc attenditur voluntas, à qua fit talis conſequentia. Præterea quia verbum *fur* non venit in conſequentiam ad verbum *mentiris* cùm aliud ſit aliquem eſſe mendacem, & aliud eſſe furem, poſſitque eſſe mendax, & non fur, ut etiam

fur-

fur, & non mentiri, ex quo liquet, unum non venire in conſequentiam ad aliud.

22 Ad quintum reſpondetur, eam regulam, quâ dicitur, quòd quando initium actûs eſt licitum, omnes etiam ejus ſequelæ licitæ ſint, tantùm procedere de ſequelis neceſſariis, non verò de aliis, quæ ponuntur merè voluntariè: quando ſequela eſt neceſſaria, tunc ſequitur ex natura antecedentis, & quia ex licito non poteſt ſequi illicitum, ideò verbum *fur* non poteſt, ut ſequela neceſſaria ſuperaddi verbo *mentiris* prolato in propriam tantùm defenſionem. Quando autem ſequela eſt voluntaria, conſequens non commenſuratur antecedenti, ſed retinet propriam naturam, ſecundùm quam judicatur.

23 Quæritur octavò, teneatúrne injuriarum, qui verum crimen nocenti objecit? Plures negant innixi fuadamento deſumpto *ex l. 18 princ. ff. h. t.* ubi Paulus Juriſconſultus ait, æquum non eſſe, ut qui nocentem infamavit ob eam rem condemnetur: quoniam peccata nocentium nota eſſe, & oporteat, & expediat. Verùm putârim procedendum eſſe cum diſtinctione, vel enim crimen fuit objectum animô infamandi, vel alio conſilio; ſi dicatur primum veritas convicij non excuſat ab injuria; ſi ſecundum adhuc ſubdiſtinguendum eſt: vel enim intereſt reipublicæ ut delictum, quod per convicium alicui obiicitur ſciatur, & detegatur, ut puniatur nocens, & tunc qui verum crimen nocenti objecit non tenetur actione injuriarum, ſi tamen objectum crimen probet, aliàs teneretur tali actione, hinc ſi quis alicui objicit, quòd ſit fur, ut puniatur; vel contagioſus, ut ab hominum conſortio removeatur, vel quod ſit infamis, ut non promoveatur ad dignitatem; ſi quod objicitur verum eſt, non tenetur, qui objicit actione injuriarum *l. 18. ff. h. t in princ.* Vel non intereſt Reipublicæ ſcire crimen per convicium objectum, & tunc, qui illud obiicit, tenetur actione iniuriarum, tametſi verum dicat, ut notant Covarruvias *lib. 1, reſol, c. 11, n. 6.* Myſing. *centur. 4. obſer. 4* Fachin. *lib. 9. controverſ. c. 10.* quia in actione iniuriarum non tam penſatur veritas coevicij, quàm animus, ſeu voluntas iniuriandi: non debet autem quis abſque cauſa detegere alterius infamiam, quia id eſt iniurioſum delinquenti, limitat tamen Covarruvias *loc. cit.* hoc idem, quando ex prava intentione, & animo iniuriandi huiuſmodi convicium profertur, tunc enim non excuſat, quia quamvis bonum ſit, ac reipublicæ utile crimina nocentum manifeſtari: adhuc tamen pravus animus revelantis reum afficit revelationem iniquam.

24 Quæritur nonò, an ſi Reus, qui iniuriam alteri intulit, neget, ſe animum habuiſſe eum infamandi, onus id probandi ipſi incumbat? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur ex *l 5. C h t* ubi is, qui homicidium alteri objecerat, ita abſolvi tantùm jubetur, ſi docere poſſit, ſe revera non habuiſſe animum infamandi, ex quo à ſenſu contrario infertur, quòd ſi id non probet, præſumatur habuiſſe animum infamandi. Verùm Reus præſumptionem hanc poſſet aliis præſumptionibus elidere oſtendendo; quòd animo corrigendi tantùm objecerit probrum adverſario, vel quòd joci cauſa convicium amico dixerit, vel quod oſtendat, eum non eſſe ſuum adverſarium, in quem propterea ex indignatione debuiſſet convicia jacere. Præterea poſſet etiam Reus purgare ſe juramento, ſi hoc ab adverſario, vel Judice delatum eſſet *l. 5. §. 8. ff. h. t.* Verùm Judex non debet temerè neque aliter ad hanc percurrere delationem, quàm ſi præſumptio quædam Reo ſuffragetur, alioquin, nequiſſimus quiſque faciliùs in contumelias erumperet, ac iniurias alteri inferret eâ fretus fiduciâ, fore, ut audacis periurii adminiculo omnem declinaret pœnam.

Quæritur decimò, an Reus coram Judice poſſit iniurias proferre contra teſtes, vel accuſatorem: an verò poſſit vera crimina illis objicere ad enervandam eorum fidem, eſt alia quæſtio dependens ex eo, an id ſiſtat intra terminos defenſionis cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quamobrem quæſtio tantùm procedit, an reus ſtans coram teſtibus, & accuſatore, & in præſentia Judicis poſſit contra teſtes, & accuſatorem proferre verba iniurioſa, quin teneatur actione injuriarum? Reſpondetur negativè cum Covarruvia *c. 11. variar. reſol. n. 6. V. ego quidem lib. 1.* Paſqualigo quæſt. *moral. juridic. q 239* Menochio *conſil. 41. n. 29.* & aliis, qui docent, quòd Reus ſi in judicio proferat convicia contra adverſarium non mereatur excuſationem, ſed teneatur actione injuriarum: ratio eſt, quia tametſi poſſit Reus ſe defendere non tamen poteſt vindictam ſumere de accuſatore, aut teſtibus: vindicta enim privata eſt prohibita *c. ſignificâſti & l. extat, ff. quod metus cauſa.* Hinc ſi Reus in judicio proferat iniurias: aut convicia in accuſatorem, aut teſtes, non ſe defendit; ſed offendit: ſiquidem crimen illi objectum non eliditur, Reo ex eo, quòd hic objiciat aliud crimen, ſed ex eo, quod oſtendat propriam innocentiam *l. is qui Reus ff. de pub. judic.* unde cùm ex eo, quòd iniurias proferat in accuſatorem, & teſtes non ſe purget à crimine, de quo accuſatur in judicio, ſequitur, quòd per tales iniurias illatas non ſe defendat, ſed tantum alios offendat; quibus infert iniurias, ac propterea tenetur actione iniuriarum, & eſt punibilis. Tum quia Reus tunc non ſervat modum, quo deberet reaccuſare, ſed cum per modum iniuriæ proferat verba illa contra teſtes, & accuſatorem apertè oſtendit, ſe ex odio, & malo animo verba illa proferre. Præterea, quia pendente cauſa, non poteſt reaccuſare *c. q. 11* & *l. neganda C. qui accuſ. non poſſ.* 26

Hinc ſi Reus in judicio lædat partem contrariam per tales iniurias tenetur Judex ſpeciatim illum punire, eò quia fiat iterum reus ratione iniuriarum, ſiquidem tenetur Judex unicuique

petenti

patenti adminiſtrare juſtitiam, & cùm conſtet de læſione partis, & ipſa pro juſtitia inſtet; ſubintrat obligatio in Judice ad puniendum injuriantem, & ſatisfaciendum parti læſæ. Tum quia cùm huiusmodi iniuriæ coram Judice prolatæ contra partem redundent etiam in offenſã eiusdem Judicis, eò quia Reus coram ipſo proferens iniurias illas videatur parvi pendere eius præſentiam, nec illi deferre reverentiam debitam, ideo poteſt Judex etiam ex hoc capite Reum punire: quia tametſi non poſſit quis ſibi jus dicere in propria cauſa: non tamen in hoc caſu cenſetur Judex judicare in propria cauſa, ſed tantùm in cauſa dignitatis, per quam reſpublica in ipſo repræſentatur, hæc enim per prolatas iniurias à Reo coram Judice læditur; ut deſumitur *ex c. 1. de pœn. in 6.* ubi Gloſſa *V. punire l. unic. ff. ſi quis jus dicend. non obtemp.* & *l. illud. ff. de appellat.* ut docent Innocentius *in c. ex parte n. 1. de V. S.* Gaillus *obſerv. 39. lib. 1.* Menoch. *lib. 2. de arbit. caſ. 263. n. 7.*

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

CUm in præcedentibus titulis Compilator decretalium egiſſet de variis delictis, & criminibus, ob quæ pœnæ injunguntur delinquentibus, ne, ſi delicta maneant impunita, vitia graſſentur cum pernicie, ſummóque Reipublicæ diſcrimine; ideo in præſenti poſt tractatum de delictis, & exceſſibus Prælatorum ſubjicit titulum de Pœnis: *eſt enim pœna*, ut ait Plato *lib. 1. de Legibus*, *omnis injuſtitiæ ſequax*: unde generalis hic titulus adjectus eſt, qui ad omnes ſuperiores pertinet, ut prout quisque deliquit, ita & puniatur, pœnáque irrogetur pro criminis modo, & qualitate. Extat etiam hic titulus in ſexto, Clementinis, Extravagantibus Joannis XXII. & communibus, quia ad juſtitiam pertinet vindicativam, cujus tractatio eſt pernéceſſaria.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *EA qua 1. h. t. Ex Concilio Toletano ſtatuitur, ut ea qua frequenti prævaricatione iterantur debeant frequenti ſententia condamnari. Ex quo liquet, delinquentem toties eſſe puniendum, quoties delictum reiterat, & ratio eſt clara: quia iteratio delicti novum eſt delictum, quod propterea novam ac iteratam pœnam meretur.*

C. *PRESBYTERI 2. h. t. Ex Concilio Triburienſi ſtatuitur, ut qui interficit Presbyterum debeat ſe componere, & ſolvere Epiſcopo Presbyteri, qui tribuat dimidiam partem in utilitatem eccleſiæ, cui Presbyter præfuit; & alteram det in eleemoſynam pro anima mortui. Nota in hoc textu agi de pœna pecuniaria propter cædem Presbyteri, ſuper qua facienda eſt compoſitio cum Epiſcopo, & ejus media pars danda eccleſiæ, ſi occiſus alicui præfuit, altera dimidia pars in ejus eleemoſynam juſtè diſtribuenda. Hæc autem compoſitio per legem Lombardam fuit ſexcentorum ſolidorum. Cæterum liquet ex hoc textu Epiſcopum non debere ſibi accipere pœnas pecuniarias, ſed teneri eas dare eccleſiæ, vel pauperibus: ex quo videtur concludendum non poſſe eas remittere.*

C. *LICET 3. h. t. Statuitur ab Alexandro III. ut Archidiaconi pro corrigendis exceſſibus & peccatis non debeant exigere pecuniam à clericis nec à laicis, neque pro annua exactione ſuſpendere perſonas, vel interdicere eccleſias, nec exigere pecunias, ut in eccleſiis permittant Vicarios cantare, nec alia ſimilia agant, quæ ex radice avaritiæ ſuam videntur originem traxiſſe, quòd ſi præſumpſerint contrarium agere declarat Pontifex, eſſe excommunicandos ceſſante omni appellatione. Ubi notat Gloſſa, textum loqui de Archidiaconis, qui non poſſunt diſpenſare ſuper crimina, nec pœnas commutare, ut etiam de aliis Prælatis, qui non poſſunt mutare pœnas juris. Hinc Concilium Tridentinum* Seſſ. 25. de refor. c. 3. *præcipit ut mulcta pecuniaria aſſignentur piis locis, & ſacra congregatio Cardinalium referente Barboſa declaravit, non poſſe Epiſcopum hujusmodi pœnas pecuniarias non ſolùm*

in ſuos uſus ; ſed nec quidem in fabricam eccleſiæ cathedralis, vel ſalarium Vicarij, aut aliorum Officialium convertere, niſi Epiſcopus quaſi extremè indigeat, & paupertas Epiſcopatus ſit manifeſta.

C. *CALUMNIAM 4. h. t. Ex Concilio Turonenſi ſtatuitur, ut in cauſis pecuniariis victus condemnetur in expenſis victoris, quando ſententia fertur pro præſenti: ſecus ſi pro abſenti. Ubi notat Gloſſa, univerſim victum victori eſſe in expenſas damnandum: & quidem non ſolùm in cauſis pecuniariis quæ exprimuntur non limitationis, ſed ſubjecta materia gratia, ut notat Barboſa n. 3. ſed etiam in aliis. Notat tamen Barboſa hic n. 9. textum non procedere ſi victor cauſam obtinuerit per probationem tantùm ſemiplenam, vel delationem juramenti ſuppletorij; niſi is, cui delatum eſt juramentum, plus quàm ſemiplenè probaverit, & adverſarius nihil. Quinimò victus, ut notat Gloſſa hic præter expenſas punitur etiam de calumnia, quia efficitur infamis* c. crimen de dolo, & cont.

C. *IN DUBIIS 5. h. t. Reſcribit Innocentius III. ſacerdotes gubernantes naves ad pugnam, vel perſonaliter exercentes conflictum, vel alios incitantes ad pugnandum graviter peccare, & de rigore juris eſſe deponendos. Ubi tamen notat Gloſſa, textum procedere de ſacerdotibus incitantibus in bello injuſto; ſecus enim eſſet ſi in bello juſto. Cæterum & hoc textu colligitur non ſolùm homicidam eſſe eum, qui interficit, ſed etiam illum, qui incitat ad interficiendum.*

C. *TUÆ DISCRETIONIS 6. h. t. Reſcribit idem Pont. Epiſcopo Londonenſi, clericos deprehenſos in magnis ſceleribus, ut in latrociniis eſſe degradandos ab Ordine, & detrudendos in arctum monaſterium ad agendam pœnitentiam, ubi Barboſa notat hic n. 6. cum aliquibus ſufficere degradationem verbalem, Cæterum quod ad pœnam attinet detruſionis in monaſterium videtur hodie hæc non eſſe ampliùs in uſu: quinimmo ſi clerici ob præfata enormia ſcelera degradantur tradi ſolent Magiſtratui ſæculari afficiendi ultimo ſupplicio. Verùm non ſufficit ſi ſint deprehenſi in præfatis delictis, ut notat Gloſſa hic, ſed debent eſſe convicti: vel factum ſit per evidentiam notorium,* c. ult. de cohabit Cler. & mul. *Deprehenſio autem debet fieri authoritate Prælati* c. cum non ab homine de jud.

C. *CONSTITUTUS 7. h. t. Reſcribit idem Pont. quòd ſi duo ineant contractum aliquem inter ſe, & apponant pœnam contra non obſervantem; ſi utraque pars non obſervat, utraque incurrat pœnam, ſed ſit compenſatio pœnarum: quia Pontifex in hoc textu utramque partem ab ea pœna reddidit abſolutam Hinc ex hoc textu liquet de jure canonico poſſe contractui apponi pœnam ſed ſi uterque contrahens illum violet, neuter tenetur ad contractum vel pœnam, quia cum utraque pars tunc eamdem pœnam incurrat, fit compenſatio pœnæ cum pœna*

C. *SUPER HIS 8. h. t. Declarat idem Pont. teſtem, qui variat, vel vacillat etiam coram Papa, & ideo detruditur in carcerem, non illico fieri infamem. Hinc notandum cum Panormitano n. 4. quòd ſi teſtis vacillans, aut varians detrudatur in carcerem, ſive aliter puniatur, non ideo incurrit infamiam, & addit etiam rationem Panormitanus, quia non punitur tanquam reus criminis falſi, ſed tanquam delicti levioris, quod poteſt varias habere excuſationes & benigniores interpretationes: & ideo conjicitur in carcerem non ob delictum, ſed quia Judicem offendit, & per ſuam variationem turbavit proceſſum. Quòd ſi deprehenderetur doloſè, ac malignè, vacillâſſe tunc* ex lege Cornel. de fals *poſſet ipſi infligi pœna ordinaria hujus criminis, & tunc deprehenſus incurreret infamiam, quã ſolus carcer non pareret. Cæterum notat Gloſſa hic genus pœnæ non infamare, niſi præceſſerit ſententia.*

C. *SUAM AD NOS 9. h. t. Idem Pont. declarat, ut condemnatus ad ſolvendam certam ſummam pecunia certo loco, & termino ſub pœna ſolvendi aliam ſummam paulò inferiorem: ſi in illo termino non ſolvit totam ſummam, ſed tantùm aliquam ejus partem, non teneatur ſolvere totam pœnam. Sed ut notat Gloſſa, hic tantùm pro rata. Ubi notandum eſt, quòd tametſi de rigore juris, qui ſolvit partem, & non totum debitum committat in totum; nihilominus pœna in hoc textu temperatur, ubi declaratur; quòd obligatus ad certam quantitatem ſolvendam in certo termino ſi partem illius intra certum terminum ſolvit, non teneri ad integram pœnam, ſed ſolùm ad illam partem, quæ necdum ſoluta integra parti deeſt. Verùm huic textui videntur obſtare leges civiles* l. hæred. §. in illa ff. de famil. Hercis. l. ſi in execut. §. item ſi ibi l. ſtipulationum §. ſi ſortem ff. de O. V. *Ubi dicitur, quòd ſoluta parte ſortis principalis debita propter aliam partem non ſolutam in totum pœnam committit, & teneri integrè perſolvere creditori: & additur etiam ratio, quia ſolutio totius quantitatis fuit indiviſibiliter inita. Verùm hæc quantitas inita ſpectata æquitate juris canonici eſt dividua, adeò ut ſi aliquid ante terminum fuerit ſolutum, non plus debeatur, quàm quod parte non ſoluta habuerit proportionem: unde Pontifex judicat ſecundùm æquitatem canonicam.*

C. *AD AURES 10. h. t. Idem Pont. declarat eos, qui occidunt Prælatum ſuum eſſe privandos beneficiis, & feudis, quæ habentur ab illa eccleſia, in qua erat Prælatus, ut nec ipſi, nec eorum hæredes, poſſint habere eadem beneficia, vel alia quælibet de novo: immo notat Gloſſa hic omnia eorum bona in pœnam patrati delicti eſſe tradenda eidem eccleſiæ, cui fuit iniuria irrogata* c. ſi quis de incepto 17. q. 4. *quòd ſi iterum aliqui interficiant ſuum Epiſcopum privantur Epiſcopo, ſeu locus ille privatur, dignitate Epiſcopali* c. ita nos. 25.

C. DI-

C. DILECTUS 11. h. t. Idem Pont. reſcribit quòd ſi conſtiterit, litigatorem temerè præſumere contra aſſertionem Iudicis, ſit puniendus arbitrio Superioris. Verùm textus procedit de iniuria notoria, tunc enim Iudex Ordinarius poteſt ipſe punire iniuriantem, quia in cauſa notoria non fertur ſententia cum ſolemnitate, quòd tamen Panormitanus limitat ad pœnam jure expreſſam: ſecus ſi ſuo arbitrio debeat Iudex pœnam illam imponere; quia tunc poſſit faciliè modum excedere. Quòd ſi iniuria non ſit notoria & tangat principaliter ipſum Iudicem non poteſt, tunc Iudex punire: alioquin eſſet Iudex in cauſa propria in damnum rei. Sin verò tangat principaliter ſuam dignitatem licèt poſſit tunc punire; adhuc tamen poteſt etiam ut ſuſpectus removeri, & recuſari. Cæterum Iudex delegatus ſi per illatam iniuriam impediatur, quo minus poſſit ſuam jurisdictionem exercere, tunc poteſt procedere contra impedientem: ſin verò iurisdictio non impeditur, debes fieri per ſuperiorem iniuriantis, ut habetur in hoc textu & etiam confirmatur argument. authent. de teſtib. §. ſi verò ignoti. Cæterum notat Gloſſa, hunc textum eſſe intelligendum ſi litigator ita temerè contradicat, ut miſceat Iudicis contumelias c. quos contra falſam de prob. c. de cauſis de offic. deleg.

C. IN QUIBUSDAM 12. h. t. Prohibet idem Pont. in Concilio generali, ne patroni, advocati vice Domini ſuper providendis eccleſiis, vel earum poſſeſſionibus, & bonis non plus ſibi uſurpent, quàm jure permiſſum ſit: & ſi contrarium agant, vult eſſe compellendos per cenſuram eccleſiaſticam. Rurſus ſi per ſe vel per alios præſumpſerint rectorem occidere, vel aliquem clericum ipſius eccleſiæ, ſtatuit, ut amittant jus patronatûs, advocatiam, feudum vice dominatum, & beneficium; & de præmiſſis nil proveniat ad hæredes, & eorum poſterò uſque ad quartam generationem non admittantur in collegium Clericorum; nec in domibus Regularium aſſequantur honorem alicuius prælationis, niſi cum ipſis fuerit diſpenſatum. Notat tamen Gloſſa hic, hæredes excluſos debere deſſcendere per lineam rectam uſque ad quartũ gradum, & ingreſſum Religionis tollere irregularitatem c. 1. de fil. Presbyt. Cæterum ex hoc textu liquet, Patronos eccleſiarum, & alios in textu prærecenſitos non poſſe ſibi plus uſurpare de bonis eccleſiarum, & juribus, quàm ſit jure expreſſum.

C. GRAVEM 13. & ult. h. t. Honorius III. reſcribit, eum qui contemnit, & ſordeſcit in excommunicatione per biennium cum ſcrupulo hæreſis eſſe ſuſpectum de hæreſi, ſed ſi ſit Comes tunc ſi propter ejus nobilitatem nolit parêre juri, abſolvuntur eccleſia à jure eidem debito, & ejus ſubditi denunciantur abſoluti à juramento fidelitatis, quandiu eorum Dominus ſordeſcit pertinaciter in excommunicatione, ubi notat Gloſſa, eum, qui propter contumaciam excommunicatur ſivè per annum ſive per plures ſteterit in excommunicatione, non haberi ut hæreticum; ſed aliàs contra ipſum proceditur: qui verò excommunicatur propter ſuſpicionem hæreſis, ſi per annum ſteterit in excommunicatione poſtea habetur ut hæreticus c. excommunicavimus de hæret. c. eam quæ de ſtat. regul. Rurſus ex textu infertur mitiùs puniri nobilem, quàm ignobilem; & in beneficiis magis eſſe providendum nobilitati c. ſatisfaciendi ob diſt.

IN SEXTO

C. ROMANA 1. h. t. declarat Innocentius V. Archiepiſcopum, vel Metropolitanum poſſe punire percutientes, ſe, vel ſuos Nuntios, vel familiam ſuam inter viſitandam Provinciam, vel cùm ſuos ad viſitandum dirigit, vel dum Concilium convocat, vel jurisdictioné exercet, dummodo iniuria illata notoria ſit, & manifeſta, ſive per has iniurias impediatur ſua jurisdictio; adeò ut Metropolitani in ſuis Provinciis jurisdictionem exercentes poſſint punire manifeſtas, & notorias offenſas ſibi, vel ſuis illatas, ſive per has impediatur eorum jurisdictio, ſive non, quia Pontifex id extendit etiam ad iniurias non impedientes jurisdictionem. Ubi notandum eſt eandem facultatem tribuendam eſſe delegatis Apoſtolicis. Immo Archiepiſcopus in Diœceſi ſui ſuffraganei poteſt punire iniurias etiam occultas dummodo de illis conſtare poſſit. Injuria tamen debet tangere eccleſiam vel publicam utilitatem.

C. DEGRADATIO. 2. h. t. Bonifacius VIII. præſcribit modum degradandi, ſeu ut fiat ab Epiſcopo exiſtente cum Ordinibus Clericorum, & cum certo numero eorundem ſecundùm canones. ſi degradandi ſint in ſacris. Sin verò tantùm in minoribus ſufficit ſolus Ordinarius quando ſit verbaliter. Sin verò fiat realiter, vel actualiter, tunc Clericus degradandus indutus veſtibus ſacris habens in manibus inſtrumentum ſui Ordinis, ſiſtitur coram Epiſcopo, qui ſingulatim ab eo aufert veſtes, & inſignia incipiendo ab ultimo, quod habuit in ultimo Ordine uſque ad veſtem primæ tonſuræ, & ita tondetur, ut in eo non remaneat veſtigium clericatus utendo verbis oppoſitis illius Ordinationis. Hodie tamen in degradandis Clericis ſervatur forma Concilij Tridentini ſeſſ. 19. c. 4. & c. 5. de hæret. in 6. & res magis pertinet ad ritus eccleſiaſticos quàm ad jus; videatur Pontificale Romanum

C. QUAMVIS 3. h. t. Idem Pont. declarat, quòd licèt carcer inventus ſit ſpecialiter ad cuſtodiam; poſſit nihilominus convictis, & confeſſis de criminibus dari in pœnam in perpetuum, vel ad tempus ad arbitrium penſatis exceſſibus, perſonis, & circumſtantiis. Nota hanc pœnam carceris deſumptam eſſe ex jure civili l. 1. & ult. C. de cuſtod. reor. Ratio verò cur jus canonicum hanc etiam uſurpaverit pœnam carceris ea eſt, quia Judex eccleſiaſticus non poteſt punire pœnâ ſan

ſanguinis, nec mortis: & quia ſemper tradere Clericos Curiæ ſæculari, videbatur nimis durum; & minus congruum manſuetudini Chriſti, & Eccleſiæ; ideo hac utitur pœna carceris, rarò tamen perpetui, ne Clerici ad deſperationem adigantur. Cæterum quilibet Judex eccleſiaſticus habens merum imperium poteſt hanc injungere pœnam: ſin verò exprimatur, an in perpetuum, vel ad tempus, ſtandum eſt expreſſo: ſin verò nihil exprimatur; ſed ſimpliciter quis damnetur ad carcerem; intelligitur in perpetuum.

C. VBICUNQUE 4. h. t. Idem Pont. declarat, pœnam injunctam alicui, eiúsque, vel poſteris uſque ad certam generationem, non extendi ad deſcendentes ex linea fœminea; ſed tantùm ex maſculina; niſi aliud expreſſum ſit in jure, vel ſententia, ſive à jure, ſive ab homine. Quòd verò in hoc textu pœna poſterorum delinquentis non comprehendant poſteros linea fœminina, id non oritur ex natura materiæ pœnalis, in qua fit ſtrictior interpretatio; ſed ex peculiari diſpoſitione juris. An verò qui filiæ nubit damnati uſque ad gradum quartum etiam in linea fœminina, cuut filii ſint damnati. Reſpondent communiter, quòd ſi ſcienter nubit tali filiæ, ſunt damnati; non ita ſi ignoranter, quia ignorantia facti excuſat, non juris.

C. FELICIS RECORDATIONIS. h. t. In hoc prolixo textu Idem Pont. plures imponit pœnas. Primò punit inſequentes, percutientes, aut capientes Cardinales. & eius criminis ſocios, eóſque declarat reos læſæ Majeſtatis, & perpetuò infames. Secundò etiam eorum filios, & Nepotes. Tertiò ipſis injectatoribus pœnas addit. Quartò declarat, quam ſatisfactionem cum abſolvuntur dare debeant, & quid per abſolutionem conſequantur. Quintò puniendi ſunt ſimplices Conſiliarii, & faventes huic crimini Sextò permittit pœnas extendi ad collaterales. Septimò imponit etiam pœnas inſequentibus clericos, & religioſos familiares Papæ, vel Cardinalium. Octavò ſtatuit pœnas contra eos, qui Cardinales occidunt. Nonò declarat, poteſtates ſæculares pœnis legalibus contra tales uti debere. Decimò declarat excommunicatos, qui intra menſem non faciunt hanc decretalem obſervari; & eorum civitates privatas Pontificalibus, ac interdictas.

IN CLEMENTINIS.

C. SI QUIS 1. h. t. Clemens V in Concilio Viennenſi ſtatuit ut percutiens, capiens, vel banniens Epiſcopum, vel id mandans, aut ratificans, ut etiam conſiliarius, ſocius, fautor, defenſor, cum ſuis poſteris, ut etiam civitas in hoc delinquens, & eius officiales plures, ac varias incurrant pœnas ultra prærecenſitas in c. fœl. recor. in 6. & declarat, ne in articulo mortis abſolvantur ab excommunicatione cum reincidentia, niſi quàm cito commodè poſſunt, ſe præſenſent Romano Pontifici.

C. MULTORUM 2. h. t. Idem Pont. declarat, ut procurantes capi viros eccleſiaſticos, ut renuncient ſuis beneficiis vel ut citati non eant ad curiam, præter pœnam excommunicationis, quam per canones antiquos incurrunt, ſi ſint Prælati à perceptione fructuum ſint ſuſpenſi: & inferiores ſuis ſint beneficiis privati. Rurſus declarat, eandem pœnam incurrere ipſos privatos, qui ſe capi à laicis procurant, & reſignationem beneficii ita factam non tenere; tametſi per Prælatos recepta fuerit, vel ratificata.

C. CUPIENTES 3. h. t. Idem Pont. excommunicat Religioſos mendicantes, & tranſgreſſores conſtitutionis Bonifacii VIII. de Exceſ. Prælat. c. unic. in 6. ut etiam omnes Religioſos, qui in ſermonibus, vel alibi proferunt talia, ut retrahant populum à ſolutione decimarum; & vult ut certis diebus, & in confeſſionibus debeant eas populo ſuadere, ſub certis pœnis, quas incurrunt; niſi tales ſint, ut eorum Monaſteriis, vel Eccleſiis competat percipere decimas. Rurſus excommunicantur etiam violatores c. 1. de ſepult. in 6. quas excommunicationes vult ſoli Papæ eſſe reſervatas. Verùm hæc decretalis hodie videtur ceſſare, quia Religioſi tantùm abeſt ut populum retrahant à ſolvendis decimis ut potiùs earundem ſolutionem enixiùs ſuadeant iisdem, nec ullam ampliùs in hoc faciant difficultatem.

IN EXTRAVAGANTIBUS
Joannis XXII.

C. DIERUM unic. h. t. ſtatuitur, ut qui offendunt Doctores, vel officiales Provinciæ Marchiæ à comitatu, ſint excommunicati, & incurrant alias pœnas, quæ habentur in cap. ad aures cap. in quibuſdam c. felicis h. t. in 6. juxta clement. ſi quis ſuadente h. t.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. DIVINIS unic. h. t. Joannes XXII declarat Epiſcopum Caturcenſem ob varios exceſſus ab ipſo perpetratos, præſertim, quia nimis ambitiosè, & ſimoniacè fuerat ingreſſus in Pontificatum, fuit etiam in progreſſu injurioſus Sedi Apoſtolicæ, eò quia vilipendit verbis appellationes factas ad Sedem Apoſtolicam, & percepit etiam ſuis ut eas non curarent; ſed appellantes caperent, & ſpoliarent beneficiis, in quo fregit juramentum fidelitatis datum eccleſiæ: propterea Pontifex, eum declarat perpetuò depoſitum, & privatum Pontificali dignitate, & ſacerdotali, ut etiam quolibet alio officio, eúmque condemnat ad perpetuum carcerem. Tum quia fuit etiam abuſus litteris Apoſtolicis, & tanquam Tyrannus ſimoniacè batraſus, injuria, fraude, & extorſionibus gravabat Subditos, ut etiam frequentibus, procura-

cura.to-

curationibus, aliisque quæſtibus illicitis non curando de modo, & cauſa. Rurſus non citatos nec convictos privabat ſuis beneficiis injuſtè: dictabat falſa inſtrumenta, & ſimoniacè conferebat beneficia in ſuis manibus reſignata, quorum reditus ſibi uſurpabat, & rurſus erat irregularis, & incontinens cum fœminis. Valet hæc decretalis ad cognoſcendos exceſſus, ob quos Prælatus deponi poſſit cap. veritatis de dolo, & contum. in antiquis cap. ex litteris cap. tanta eſt clavis de exceſſ. Prælat. *& jure novo etiam in Tridentino* ſeſſ. 24. de refor. c. 3.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De pœnis in genere, earúmque partitione.

1 POEna à pendendo dicta ut placet Varroni *4. de lingua latina*, eſt ſupplicium, quo quis ob patratum delictum punitur, & rectè à Cujacio in *paratit. ff. de pœnis* definitur, quòd ſit delictorum, ſeu criminum coërcitio, vindicta inducta ad publicæ diſciplinæ emendationem, vel ſatisfactionem impoſitam à lege, vel Miniſtro legis, nec pœna infligitur, niſi culpa præceſſerit, cujus propterea dicitur eſſe pediſſequa, & licèt nonnunquàm inferatur pœna ſine culpa puniti, non tamen ſine cauſa juxta *regul. jur. 23. in 6.* ibi: *ſine culpa non eſt aliquis puniendus*, ſed ut notat Sylveſter *V. pœna num. 1.* niſi ſubſit cauſa: quia interdum publica utilitas exigit, ut etiam qui culpam non commiſit in propria perſona, puniatur ob delictum commiſſum ab aliis: quo pacto in crimine læſæ Majeſtatis filii, quamvis innocentes puniuntur ob delictum patris *l. quiſquis 5. §. 1. C. ad leg. Jul. Majeſt.* idque in deteſtationem tanti criminis, & ut parentes metuant in filiis exempla hæreditarii criminis, tunc licèt filii innocentes puniantur ſine culpa propria, ſeu ab ipſis commiſſa, non tamen puniuntur ſine juſtà cauſa.

2 Diſtinguitur pœna à mulcta, quia pœna eſt nomen genericum ſignificans omnium delictorum coërcitionem: mulcta verò eſt pœna injuncta propter ſpeciale peccatum, cujus animadverſio hodie eſt pecuniaria. Tum quia pœna à lege imponitur, mulcta verò ex arbitrio ejus, qui mulctam dicit; & ut plurimum indicitur, ubi nulla eſt à lege pœna impoſita. Tum quia is mulctam indicere poteſt, cui adjudicatio data eſt: pœnam verò irrogare poteſt quiſque, cui criminis executio competit, quia pœna ſequitur ad quodlibet delictum, quia eſt coërcitio, & vindicatio omnium delictorum: mulcta verò eſt ſpecialis delicti coercitio, hæc inter utramque pœnam, & mulctam diſcrimina traduntur *in l. aliud fraus 131. ff. de V. S.* Judex autem quicunque ille ſit tenetur pœnam injungere Reo ordinariam, ſeu lege præſcriptam adeò ut non poſſit eam augere, nec minuere, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 67. art. 84.* & deſumitur *ex cap. in iſtis 3. diſt. 4.* ubi habetur, quòd non liceat Judici de legibus judicare, ſed tantùm ſecundùm leges: ratio itidem id ſuadet, quia ſi lex eſt pœnalis imponit ipſo facto pœnam pro tali delicto; proinde tenetur Judex ſecundùm veritatem ſententiam proferre, & pœnam injunctam à lege exequi.

Vel lex imponit pœnam ferendam per 3 ſententiam condemnatoriam Judicis; & tunc etiam poſt condemnationem tenetur Judex illam ex officio exequi. Tum quia Judex inferior nequit pœnam lege præſcriptam excedere; alioquin plus à Reo exigeret, quàm Reus de jure deberet: propterea ſecundùm exceſſum pœnæ inferretur injuria Reo, quod eſt contra juſtitiam. Hinc neque poteſt Judex inferior pœnam lege ſtatutam relaxare, vel minuere, ſi cedat in utilitatem aliorum, cujuſmodi eſt pœna pecuniaria, quæ ſolet applicari parti læſæ, cui jus eſt per legem latam; quod non poteſt Judex auferre, vel diminuere. Quòd ſi pœna contineat meram vindictam, neque poteſt à Judice remitti; quia id cederet in detrimentum, & damnum Reipublicæ, cujus intereſt, ne delicta maneant impunita, vel minus punita.

Cæterum ob circumſtantias, & præſertim ratione ætatis, ut ob pueritiam, vel ſenectutem 4 poteſt Judex inferior minuere pœnam legalem: ut etiam ob paupertatem pœnam pecuniariam. Princeps verò ſupremus ſicut poteſt diſpenſare in lege, ita poteſt licitè totam Reo condonare. Quamobrem ſicut Judex ſæcularis tenetur judicare juxta leges civiles *inſtit. de offic. jud. in princ.* adeò ut non poſſit diſcedere à pœna jure præſcripta *l. 1. §. 1. ff ad Senatconſult. Turpil.* ita Judex eccleſiaſticus tenetur judicare, & pœnas injungere ſecundùm canones, nec poteſt à pœnis per ipſos ſtatutis recedere *c. 1. de ſent. & re judic.* niſi juſta cauſa ſubſit, quia tunc permiſſum eſt, pœnam augere, vel minuere; immò nonnunquam etiam prorſus remittere *cap. fin. de tranſact. l. 3 & 4.* ex quibus cauſis irrogetur infamia, id præ-

ſertim pro varitate circumſtantiarum cauſæ, perſonæ, loci, temporis, quantitatis, qualitatis, penſatur *l. aut facta* 18. *ff. h. t.* etenim tenetur Judex antequam pœnam infligat deligenter attendere, & exactè examinare, an delictum ſit voluntarium, an involuntarium: quia tunc graviùs maleficia puniuntor, quando ex corde committuntur, ut notat Gloſſa *in cap. 1. de converſ. conjugat.* rurſus attendere tenetur perſonarum ſtatum, conditionem, gradum, & qualitatem *l. 2. & 3. ff. de termino moto.* immò etiam diverſitatem temporis, quia hæc plurimum facit ad diſtinctionem criminum, & pœnarum *can. fin. diſt. 14.* ut etiam locus attendendus eſt *can. ante terminum c. aliter. diſt. 30. c. cùm olim de Cleric. conjug.* immò etiam diverſitas quantitatis conſideranda eſt à judice, quia in lege, qui ovem ſurripit, ſur dicitur; & qui gregem, abigeus vocatur *l. aut facta* 18. *ff. h. t. l. 1. & fin ff. de de abigeis.* Sicut enim circumſtantiæ augent, vel minuunt gravitatem delicti, ita etiam pœnam jure iniunctam pro tali delicto. Judex verò Eccleſiaſticus cavere debet, ne pœnam ingerat ſanguinis *c penult. ne Clerici, vel Monachi.*

5 Immò cavere etiam debet, ne injungat pœnam pecuniariam, quando alia eſt à ſacris cannnibus ſtatuta; idque deſumitur *ex c. licèt 3. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, ut Archidiaconi pro corrigendis exceſſibus, & peccatis non debent exigere pecuniam à Clericis, vel à laicis: unde Judex eccleſiaſticus tenetur judicare ſecundùm canones. Quòd ſi nulla certa pœna ſit à canonibus ſtatuta, tunc relinquitur arbitrio Judicis, ut etiam pœnam pecuniariam infligat, idque deſumitur *ex cap. Presbyteri* 2. *h. t.* ubi ex Concilio Triburienſi habetur, ut qui interficit Presbyterum, componatur, & ſolvat Epiſcopo Presbyteri, qui tribuat dimidiã partem in utilitatem Eccleſiæ, cui Presbyter præfuit, & alteram det in eleemoſynam pro anima mortui. Ex quo textu liquet, Epiſcopum non debere ſibi arrogare pœnas pecuniarias, ſed debere eas dare eccleſiæ, vel pauperibus.

6 Agitur enim in textu de pœna pecuniaria propter cædem Presbyteri, ſuper qua fieri debet compoſitio cum Epiſcopo, & ejus media pars tribuenda eſt eccleſiæ, cui occiſus præſuit, & altera debet in eleemoſynam juſtè diſtribui. Notat tamen Panormitanus in *d. cap. Presbyteri*, quòd ſi Epiſcopus ſit pauper, & indigeat, poſſit ſibi retinere eam partem dandam pauperibus, & ſimul preces fundere pro defuncto, ut Deus eum liberet ab igne purgatorio. Imò ſi occiſus habuerit conſanguineos pauperes, poteſt etiam pars illa iiſdem diſtribui in eleemoſynam.

7 Cæterum cavere debet Epiſcopus ab omni ſuſpicione avaritiæ, proinde ſine gravi neceſſitate non debet partem illam pecuniæ convertere in proprium uſum.

8 Gravius etiam puniuntur crimina ob majorem frequentiam, quàm aliàs puniri deberent *l. capitalium § ſolent. l ſervos* 8. *vides autem C. ad leg. Jul. de vi public.* Ut etiam ſi ex uno crimine plures delicti ſpecies oriantur, totidem etiam pœnæ infliguntur *l. 2. ff. de privat. delict.* vel ſaltem altera imponenda augetur cum notabili incremento reſpondente pluralitati delictorum. Immò ob gravitatem criminum non ſolùm jure puniuntur hæredes delinquentium, ut paulò ſuperius diximus in crimine læſæ Majeſtatis, ſed etiam jure canonico; nam qui Epiſcopum ſuum occidit, non ſolum ipſe omnia, quæ ab eccleſia obtinet amittit, ſed etiam liberi uſq; ad quartum gradũ, & ab eccleſia arceantur, ut etiam ab eccleſiaſticis beneficiis, ut deſumitur *ex cap aures 10. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd qui occidunt Prælatum ſuum, debeant privari beneficiis, & ſeudis, quæ habentur ab illa eccleſia, in qua erat Prælatus; & nec ipſi, nec hæredes poſſunt habere eadem beneficia, vel alia quælibet de novo, imò ut notat Gloſſa etiam illorum omnia bona, traduntur eccleſiæ illi, cui eſt injuria irrogata *c. ſi quis de incepto 17. q. 4.* imò etiam excommunicantur *c. ſi quis ſuadente:* quòd ſi iterum aliqui interficiant ſuum Epiſcopum privantur Epiſcopo *cap. ita nos. 25. q. 2.*

Quòd verò pœna tranſeat ad hæredes usque ad quartum gradum deſumitur *ex cap. in quibusdam 12. h. t* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd Patroni, advocati, vice Domini ſuper providendis eccleſiis, vel earum poſſeſſionibus, & bonis non plus ſibi debeant uſurpare, quàm jure permiſſum ſit: & ſi ſecus fecerint, debeant compelli per cenſuras eccleſiaſticas. Rurſus ſi per alios præſumpſerint occidere Rectorem, vel aliquem Clericum ejusdem eccleſiæ amittant jus patronatûs, advocatiam, feudum, vice dominatum, beneficium: & de præmiſſis nil perveniat ad hæredes; & poſteri talium usque ad quartam generationem non admittantur in collegium Clericorum, nec in domnibus Regularium aſſequantur honorem alicujus Prælationis; niſi cum iis diſpenſatum fuerit. Notat tamen Gloſſa in *d. cap. in quibusdam 12. h. t.* quòd hæredes incurrentes pœnam ſuòrum prædeceſſorum debeant deſcendere per lineam rectam usque ad quartum gradum. 9

Quemadmodum crimina varia ſunt, ita ab iiſdem pœnæ ſuas deſumunt differentias. 16
Alia enim eſt pœna poſitiva, per quam infligitur cruciatus, vel dolor aliquis; alia privativa, quâ Reus privatur bono aliquo. Secundò alia dicitur legalis, & alia conventionalis; hæc ex conſenſu partium conſtituitur; illa verò arbitrio Judicis, vel legiſlatoris injungitur. Tertiò pœna in ſe ſpectata alia eſt ſpiritualis, corporalis alia, & alia pecuniaria: ad pœnam ſpiritualem pertinent increpationes, cenſuræ eccleſiaſticæ, depoſitiones, & alia id genus: ad corporalem pertinent jejunia, flagellationes

nes, ſervitutes, publicationes bonorum, exilium: hæcque juxta leges eſt etiam, vel capitalis. Rurſus alia ordinaris, quæ à jure præſcribitur; & alia extraocdinaria, quæ ab arbitrio Judicis dependet. Pœna pecuniaria interdum injungitur pro injuria illata perſonæ, vel loco: nonnunquam pro ſatisſactione illati damni, aliquando in vindictam alicujus facinoris injurioſi, & hæc pœna dicitur mulcta.

11 Rurſus ſi conſideretur pœna ratione cauſæ efficientis, alia eſt pœna à jure canonico, vel civili conſtituta; & alia ab homine impoſita: rurſus alia eſt à conſuetudine: slia mixta, quæ etism dicitur pœna contumaciæ punitiva. Quæ eſt ab homine ſubdividitur in judicialem, arbitrariam, & conventionalem, ut notsnt Toloſanus *lib. 31. cap. 4.* Julius Clarus *q. 67.* Tuſchus *V. pœna concluſ.* 220. Quædam tamen pœnarum genera jure civili prohibita ſunt, & Cujacius *lib. 14. cap. 34.* aſſerit eſſe tria, primùm inedia necari, ſeu permittere ut reus ſame pereat: qua ratione etiam Tyranni, illis, quos sblegabant in ſpecus, aut ſolitaria loca conſueverant aliquid cibi apponere, ne fame perirent. Secundum carcere perpetuo contineri pro pœna. Tertium pœnæ loco tormentis ſubjici *l. penult. ff. de quæſtion.* hoc enim pœnæ genus Tertullianus in apologet. Tyrannicum vocat, & incivile.

12 Romani olim lenitatis ſtudioſi referente Patritio *l. 3. de inſtit. Reipublicæ*, octo tantùm conſueverunt pœnarum genera exercere: & fuerunt damnum, exilium, vincula, verbera, talio, ignominia, ſervitus, & mors, ut notat Felinus *in cap. qualiter, & quando de accuſat.* nunc verò ſecundùm jus civile ſeptem ſunt pœnarum genera in uſu: tria capitalia, & quatuor non capitalia, pœnæ capitales ſunt mors, damnatio ad metalla, & deportatio ad inſulam; non capitales ſunt relegatio, infamia, amiſſio dignitaria, & verbera ut notat Tuſchus *V. capitalis cauſa concluſ. 43.* Damnum vocabatur etiam mulcta, quæ in ovibus, & bobus æſtimandis conſiſtebat; eò quia illis abundaret Italia. Exilii nomine non utebatur Judex, ſed aqua, & igne interdicebat, ad quod ſequebatuc exulatio; & moris fuit, ut exules civitatis jure nudarentur. Vinculorum nomine ſignificantur compedes, pedicæ, manicæ, nervi, carcer. Verbera ſunt, quæ virgis, & fuſtibus infliguntur, & verberatio antecedebat extremum mortis ſupplicium, fuſtigatio autem nonniſi in caſtris fuir in uſu. Talio eſt ſimilitudo vindictæ; nimirum ut taliter quis puniatur, ut oculum pro oculo det; & dentem pro dente. Ignominia fuit pœna infamiæ, quâ infamis privatur jure ad munera, & bona civilia. Servitus eſt, quâ libertas tollitur, ut etiam mors, quâ vita deperditur.

13 In jure Pontificio pœnæ canonicæ ad octo ſolent reduci genera, & ſunt Mulcta, Excommunicatio, ſuſpenſio, depoſitio, Intruſio, Incarcecatio, Interdictum, Degradatio *c. Ad Falſationem ff. de falſis, c. ſi Epiſcopus diſt. 59. c. ſiquis viduam ibid. Gloſſa in c. Ad Imprimendam de offic. ordinarii.* Hiſce pœnarum generibus addit Decianus prohibitionem matrimonii, ſervitium Curiæ, irregularitatem, & venditionem concubinarum: ſed perperam, quia vel non ſunt pœnæ, ut matrimonii prohibitio, & irregularitas, vel ab eccleſia non adhibentur; nec hodie ſunt in uſu. Addi potiùs poſſent, ut notat Zypœus *lib. 1. de juriſd. eccleſiaſt. c. 7.* Flagellatio, ſeu verberatio moderata *c. circumcelliones 23. q. 3.* & levis tortura, per quam non incurritur irregularitas, ut habetur *in c. is qui de ſent. excommun. in 6.* Ut etiam infamia, vel ignominia ut notat Piaſecius *p. 2. cap. 4.* Verùm quod ad pœnas attinet temporales, ut ſunt incarceratio, flagellatio, damnatio ad triremes, tametſi has poſſit infligere Judex eccleſiaſticus, debet tamen prudenter, & moderatè procedere. Pœnam carceria non infligit ex levi cauſa, & frequenter; ſed tantùm ob grave delictum, & ex prævia plena informatione, quia hæc pœna graviſſimum inferrt præjudicium: etſi Judex injuſtè Clericum detruderet in carcerem, pœnam incurreret excommunicationis *c. ſi Clericos de ſent. excom. in 6.*

Rurſus carceres, in quos detruduntur Clerici ob graviora delicta, non debent eſſe ſqualidi, nec ſordidi, ſed decentes, & convenientes qualitati criminis, & perſonæ juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 6. de refor.* Rurſus Clericus non debet puniri perpetuo carcere, niſi in caſibus à jure expreſſis, ut deſumitur *ex c. penult & ult. de hæret.* & quibus de jure civili infligenda eſſet pœna mortis, non quidem ſimplex, ſed attrocior juxta enormitatem, & atrocitatem delicti, ut notat Piaſecius *p. 2. c. 4. art. 14.* & tunc cavendum eſt, ne defectu cibi incluſus in carcere moriatur; alioquin ſecuta ex fame tali morte Judex fieret irregularis, ut notat Abbas *in c. à nobis de Apoſtat.* Cæterum Clericus etiam cuſtodiæ tantùm causâ detineri poteſt in carcere; tametſi civiliter agatur, ſi nimirum de fuga ſit ſuſpectus *cap. ſi Clericos 15. de ſentent. excommun. in 6.* 14

Imò etiam laici in criminibus eccleſiaſticis poſſunt à Judice eccleſiaſtico detrudi incarceres, & hac pœna puniri *Clement. 1. de hæret.* Imò poteſt etiam Judex eccleſiaſticus uti licitè miniſterio laicorum ad detrudendos Clericos in carcerem: nec tunc laici pœnam incurrunt excommunicationis ſi Clericos capiant, & violenter deducant ad carceres, imò etiam percutiant ad defenſionem propriam cum moderamine inculpatæ tutelæ, & ſi aliter detineri non poſſint, ut notat Piaſecius *p. 2. cap. 4. art. 14. num. 5.* quia tunc ſæculares agunt, ut miniſtri fori eccleſiaſtici. Præter pœnam carceris uſitata etiam eſt in jure canonico verberatio *cap. 1. de calumniat. can. fin. diſt. 35.* & frequens fit mentio hujus verberationis à Gratiano, & 15

præ-

præſertim *in can. nullus Clericus* 11. *q.* 1. *can. cum beatus. diſt.* 45. ubi ait Presbyteros, Abbates non eſſe verberibus ſubjiciendos, niſi ob graviora delicta, & quidem mortalia. Tunc verberatio infligenda eſt per Clericum *c. univerſitatis* 24. *de ſentent. excommun.* ita tamen ut Epiſcopus neminem ſuis manibus percutiat *can. non liceat diſt.* 86. non enim decet ſacerdotem, alios percutere. Rurſus verberatio talis eſſe debet, ut infligatur citra mortis, aut mutilationis periculum, & in vindictam ſanguinis tranſire videatur *cap. in Archiepiſcopatu* 4. *de Raptorib.* ſi tamen per accidens, & poſt factũ ſanguinis effuſio ſequeretur non propterea incurreretur irregularitas, quia hæc non contrahitur niſi per mortem, vel membrorum mutilationem.

16 Verùm Judex eccleſiaſticus debet ab hiſce pœnis corporalibus infligendis quantum poteſt abſtinere, nec illis uti niſi ad punienda atrociora delicta, & quidem faciliùs contra Clericos minores, & non in ſacris conſtitutos, quàm contra ſacerdotes: cæterum Clerici omnes, & præſertim ſacerdotes verbis potiùs, quàm verberibus corripi debent: ſi enim leviter caſtigentur, reverentiam exhibent Judici punienti. Addit tamen Diaz in *in pract. crim. can. c.* 117. poſſe Clericum pro crimine torqueri, quamvis civiliter contra illum agatur, dummodo magna, & violenta ad id urgeant indicia probata per duos ad minimum teſtes; & Clericus jam fuerit infamatus de tali crimine: alioquin unus teſtis, qui fuit particeps criminis non ſufficit ad torquendum Clericum, niſi alia ſuffragentur; immò tametſi teſtis ſit bonæ famæ, ſi Reus pro ſe itidem habeat adminicula integræ converſationis. Et licèt confeſſio extra judicium facta regulariter ſit inſufficiens ad torturam in Clerico, ut notat Diaz *in pract. crimin. canon. c.* 117. contrarium tamen uſu ſervari obſervant plures cum Piaſecio *p.* 2. *c.* 4. *art.* 4. *num.* 7. ubi etiam addit, quòd tametſi tortura non debeat Clerico infligi per laicum, uſum tamen obtinere, ut etiam per laicos tanquam per miniſtros Judicis eccleſiaſtici tortura infligatur Clerico. Damnatio, ſeu Relegatio ad triremes eſt etiam alia pœna jure canonico inflicta Clericis, & Romæ præſertim hodie eſt in uſu. Quòd ſi Clerici ad totum vitæ tempus damnentur ad triremes, mos eſt ut prius degradentur, ſin verò ad quinquennium, vel ad aliud brevius tempus deponuntur tantùm verbaliter: & tunc ſi Miniſtri triremium eos verberibus pulſent, ut cæteros damnatos non incurrunt excommunicationem, quia cenſentur miniſtri tunc fori eccleſiaſtici.

17 Juvat obſervare diſcrimen inter jus canonicum, & civile in ordine ad pœnas infligendas: tres enim ſolent differentiæ aſſignari, quarum prima eſt, quia jus canonicum juri naturali, & divino fortiùs inſiſtit, quàm civile, nec facilè patitur peccatum inultum. Secunda, quia jus canonicum magis rei veritatem, quàm externam ſpeciem, & præſumptionem attendit. Tertia, quia pœnis utitur mitioribus ad ſalutem animæ magis accommodatis, & ad correctionem potiùs, quàm ad afflictionem, & dolorem, ut notat Lancelotus de comparatione juris canonici, & Cæſarei, ut etiam Caniſius de differentiis utriusq; juris. Quòd verò jus canonicum fortiùs inſiſtat juri naturali, quàm civile liquet. Primò, quia jure civili ſervus punitur, ſi propriam vitam præferat vitæ Domini, cui inſervit §. *ad Syllan.* ſed jure canonico non peccat, nec punitur. Secundò jure civili, ſi mulier vidua intra annum luctus nubat alteri viro, efficitur infamis *l.* 1. *& auth. iiſdem pœnis C. de ſecundis nuptiis*, jure autem canonico nullam incurrit infamiam *c. ſuper illâ de ſecundis nuptiis*. Tertiò jure civili actio injuriarum non tranſit ad hæredes, nec contra illos *l. ſi eum ff. ſi quis cautionibus.* ſecus jure canonico actio injuriarum tranſit etiam ad hæredes *cap. in litteris de raptorib.* Quartò, jure civili non eſt licitum tranſire per agrum alterius, & in illo decerpere fructus, eóſque comedere *l. per agrum* 1. *de ſervit. & aqua*, ſed jure canonico id conceditur pro uſu neceſſitatis *c.* 1. *diſt.* 1. Quintò jure civilii hæres non tenetur ex delicto defuncti niſi poſt litem conteſtatam *l.* 1. *C. ex delictis defunctor.* ſed jure canonico tenetur etiam ante litem conteſtatam, ut notant Hoſtienſis *in titulo de teſtam.* §. *tenetur autem hæres c. cùm dilectus de ordin. cognit.* Demum jure civili furtum tantùm dicitur contrectatio doloſa lucri faciendi cauſa *lib.* 1. *de furt.* ſed jure canonico omnis contrectatio rei alienæ invito Domino eſt furtum *cap. dixit Dominus* 14. *q.* 5.

Quòd etiam jus canonicum magis rei veritatem, & non externam ſpeciem attendat, quàm jus civile ex eo liquet, quia jure canonico non ſolùm prohibentur actus in ſe illiciti, ſed etiam, qui anſam alicui præbent; quod tamen jus civile non facit: etenim luſus, convivii cauſâ jure civili non prohibetur *l. quod in convivio. ff. de aleatorib.* ſed jure canonico interdicitur *c. inter dilectos de exceſſib. Prælat.* Secundò jure civili, quædam ſunt delicta, quorum accuſatio, cuilibet permittitur, quæ propterea vocantur delicta publica: ſed jure canonico omnium delictorum ſine ullo diſcrimine permittitur accuſatio, ut notat Gloſſa in *c. infames V. fures* 6. *q.* 1. Tertiò jure civili ſors permittitur in pluribus caſibus *l. cùm amboſſ. de judic.* ſecus jure canonico ſimpliciter prohibetur ſors in quolibet caſu *c. ult. de ſortileg.* 18

Cæterum Julius Clarus §. *fin q.* 85. *n.* 10. vult omnem pœnam à jure civili, vel canonico ſtatutam hodie arbitrariam eſſe, eámque poſſe Judicem augere, vel minuere ſi cauſa ſubſit juſta, & rationabilis, ſi tamen agatur de jure communi, ut notat idem Clarus. Non tamen cùm pœna dicitur eſſe arbitraria id intelligendum eſt reſpectu cujuslibet Judicis, ſed illius tantùm, cujus ſuprema eſt poteſtas, & quidem in illis tantùm caſibus, in quibus juſta, & conveniens 19

veniens cauſa movere poteſt Judicem ad augendam, vel minuendam pœnam: hæ autem cauſæ plures ſunt, quas refert Bartolus *in l, quid ergo ff. de his. qui not. infam.* Súntque hujusmodi cauſæ præſertim ſenectus, juventus, ebrietas, furor, calor juſtus iracundiæ, excellentia in aliqua arte. Alij tamen excipiunt crimina atrociora, ut homicidium ex inſidijs commiſſum, latrocinia, & alia id genus delicta, in quibus nullus Judex etiam parte conſentiente poteſt relaxare pœnam, eò quòd tali indulgentiæ cenſeatur reſpublica reclamare ob detrimentum, quod inde pateretur ſi delicta hæc atrociora mitiùs punirentur.

§. II.

De pœnis ſpeciatim ſumptis præſertim de de pœna privationis, depoſitionis, & degradationis

1 POEna privationis eſt, quâ quis in pœnam commiſſi delicti privatur aliquo commodo, beneficio, vel officio, quæ tamen pœna non incurritur niſi in caſibus jure expreſſis, præſertim quoad privationem beneficij, & officij: imò etiam in caſibus, quibus quis ipſo iure privatur, ſententia requiritur Judicis declaratoria, adeò ut non teneatur eccleſiaſticus dimittere beneficium priusquam à Judice per ſententiam declaretur privatus tali officio, & beneficio: quinimò ſi Clericus à ſententia privationis appellet, durante appellatione, non eſt privandus beneficio, & officio; quinimò ſi durante appellatione beneficium reſignet, valida eſt reſignatio, tametſi beneficium jam antea fuiſſet impetratum ob privationem: & hanc eſſe praxim curiæ Romanæ notant plures cum Piaſecio *p. 2. c. 4. art. 14. n. 15.* Qui verò ob non reſidentiam, ſeu abſentiam à beneficio, illo privatur, debet priùs moneri; & quidem per cenſuras primùm eccleſiaſticas, & deinde per ſequeſtrationem, & ſubtractiboem fructuum compelli debet ad reſidentiam; adeò ut poſt quemlibet terminum pœnæ expectetur abſens ad minimum per ſex menſes, ut habetur *in c. quoniam §. prrro ut lite non conteſtata.*

2 Quòd ſi non obſtante prævia monitione per cenſuras eccleſiaſticas, & per ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum non poteſt compelli ad reſidentiam, tunc ob pertinaciam privandus eſt beneficio, ſi ſe abſentet juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 1. de refor.* Sin verò ſit abſens, citandus eſt perſonaliter, ſi tamen ſciatur ubi ſit; alioquin ſi id ignoretur, citatio ſit in eccleſia ſua parochiali, vel metropolitana ter ſucceſſivè; adeò ut una citatio pro tribus non ſufficiat, ut notat Felin. *in c. conſuluit n. 13. de offic. delegat.* Rurſus irrita foret ſententia, quâ non reſidens privaretur ſuo beneficio non præmiſſa trina citatione, vel non ſervata forma Concilij Tridentini; adeò ut non reſidens, debeat priùs moneri, poſtea per cenſuras eccleſiaſticas, imò etiam per ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum compelli debet, ut reſideat, quòd ſi adhibitis hiſce juris remedijs, adhuc eſt pertinax, vel ſe abſentat, adhuc citatur ter ſucceſſivè, & ſi perſeveret in contumacia, privandus eſt beneficio: id fuiſſe deciſum in Rota Romana poſt Genuenſem refert Piaſecius *p. 2. c. 4. art. 14. n. 18.* Et ne Judices in hiſce ſententijs ferendis ſint propenſiores, quàm æquitas exigat; ſanxit Pius IV. conſtitutionem, cui initium eſt *Cupientes* relatam à Quatania *V. de benefic. privat.* in qua Pontifex prohibet, ne Judices, nec eorum affines, aut familiares obtineant ea beneficia; quibus alij privantur.

Crimina, ob quæ Clerici ſuis privantur beneficiis, ſunt in duplici differentia, alia enim ſunt ob quæ ipſo jure privantur non expectata ſententia Judicis. Hæcque ſunt. Primò crimen hæreſis *c. cum ſecundum l. de hæret. in 6. c. ad abolendam de hæret.* Gloſſa ibid. Panormitanus, & Innocentius *c. inter dilectos de exceſſ. Prælat.* Hanc pœnam etiam incurrit Chriſtianæ fidei deſertor, ſeu Apoſtata ut etiam Schismaticus, & receptores, defenſores hæreticorum, quia iisdem pœnis puniuntur, ac ipſi hæretici *c. excommunicatus de hæret.* Non tamen ob ſolam hæreſin mente conceptam incurritur hæc pœna, quia eccleſia non punit occulta mentis peccata. 3

Secundum eſt crimen læſæ Maieſtatis, ut communiter docent doctores *in c. cum ſecundum leges de hæret. in 6.* 4

Tertium ſiquis Cardinalem ſacræ Romanæ eccleſiæ hoſtiliter fuerit perſecutus, vel percuſſerit, vel cœperit, aut ſe ſocium adiunxerit his, qui tale facinus perpetrant, vel auxilium, vel conſilium, vel mandatum dant *c. felicius de pœn. in 6.* 5

Quartum ſi quis Epiſcopum per iniuriam, vel temerè percuſſerit, aut ceperit, vel proſcripſerit, ſeu publicè extra urbem eiecerit, vel opem ad id dederit, aut ratum habuerit *clement. 1. h. t.* 6

Quintum ſi quis falſificaverit per ſe, vel per alium litteras Apoſtolicas, vel ad id conſilium, vel mandatum dederit *c. falſariorum de crimine falſi* textus enim ibidem intelligitur communiter de privatione ipſo jure; tametſi textus id non exprimat, ut notat Petrus Rebuffus *de pacific. poſſ. n. 285.* & *in prax. p. 3. tit. de modis amittendi benefic.* 7

Sextum qui compellit Clericum ſuum beneficium reſignare, vel detinet citatum ad Apoſtolicam ſedem, ne illuc ſe transferat; ſi enim is fuerit inferior privatur ipſo jure beneficiis obtentis: ſin verò fuerit Prælatus aut 8

alius ſupetior, fit ſuſpenſus à perceptione fructuum ſuarum eccleſiarum ad trienium.

9 Septimum eſt alienatio bonorum eccleſiaſticorum, ut habetur in conſtitutione Pauli 11. quæ incipit *Ambitioſæ*.

10 Octavum habetur *in c. 1. de homicid. in 6.* eſtque aſſaſſinium, cùm quis conductus pretio aliquem occidit.

11 Nonum eſt crimen ſimoniæ prout habetur in conſtitutione, quæ incipit: *cum deteſtabile de ſimonia Inter Extravag. communes.*

12 Decimum eſt violenta occupatio beneficij habentis adnexam curam animarum *c. eum qui de prabend. in 6.*

13 Undecimum ſi quis opponat aliquid contra electionem, poſtulationem, vel proviſionem ſactam ad dignitates, & perſonatus, non probans, quod in formam, vel perſonam opponit, ſuſpenſus eſt triennio à beneficiis: quòd ſi intra id tempus ſe temerè in illa ingeſſerit ipſo jure iiſdem privatur perpetuò, idque habetur *in c. 1. de elect. in 6.*

14 Duodecimum eſt, ſi plura beneficia, quibus eſt annexa cura animarum conferantur eidem clerico, tunc enim cùm ſint beneficia incompatibilia, qui illa obtinent, iiſdem privantur ipſo jure *c. Ordinarij de offic. Ordinarij in 6.* & habetur etiam in Tridentino *ſeſſ. 24. c. 17.*

15 Decimum tertium eſt, ſi quis obtineat beneficium per ſimoniam confidentialem, ut habetur in conſtitutione Pij V. cui initium eſt, *Intolerabilis.*

16 Decimum quartum eſt, dare aliquid, vel recipere, vel pactum inire de dando, vel recipiendo pro obtinenda gratia, vel juſtitia apud ſedem Apoſtolicam, prout habetur in conſtitutione Gregorij XIII. cui initium eſt. *Ab ipſo Pontificatus.*

17 Decimum quintum eſt ſi Clerici habentes beneficia non incedant habitu clericali, prout habetur in conſtitutione Sixti V. quæ incipit, *cùm ſacroſanctam.*

18 Decimum ſextum ſi Clericus fuerit malè promotus contra conſtitutionem Pij II. quæ incipit *cum ſacrorum.*

19 Crimina, ob quæ Clerici non incurrunt privationem à beneficiis, & officiis ipſo jure, ſed tantùm poſt Judicis ſententiam declaratoriam ſunt etiam plura. Primò ſi beneficiarius abſque juſta, & legitima facultate abſit ab Eccleſia, in qua tenetur aſſiduè commorari, & præſens eſſe jure communi, vel ſtatuto, vel conſuetudine; tunc enim Clericus ſi abſit per multum temporis ſine legitima facultate, & juſta cauſa meretur privari ſuo beneficio, & officio *c. inter & c. conquerente c. ex parte de Cler. non reſid.* Secundò ſi beneficiarius ſit homicida, licèt ipſo jure non privetur ſuo beneficio eſt tamen illo privandus per ſententiam Judicis *c. clericis ne clerici vel Monachi.* Innocentius *in c. cum noſtris de conceſſ. prab* Et licet Rebuffus *in praxi p. 3. tit. de modis amittendi beneficia n. 42.* cenſeat, beneficiarium ipſo jure privari ſuo beneficio, ſi homicidium commiſerit graviſſimum, ut ſi patrem ſuum, vel matrem; clericum, vel Principem occiderit; Communior tamen ſententia referente Diaz *in prax. crimin. canonic. c. 9. ad fin.* aſſerit, talem homicidam non eſſe ipſo jure privatum ſuo beneficio, ſed tantùm eſſe illo privandum per ſententiam Judicis, quia in jure canonico nullus extat textus, vi cujus dicatur talis homicida ipſo jure privatus ſuo beneficio. Homicida verò ex conceſſione, & indulgentia Epiſcopi poteſt ad beneficium promoveri, imò etiam ad beneficium, quod antea habebat, poteſt reverti, ſi fuerit Epiſcopi ſententiâ eo privatus; & beneficium fuerit ſimplex; non ita ſi eidem erat annexa cura animarum, vel dignitas, aut perſonatus: ita enim docent communiter, & videtur colligi *ex c. 11. de clericis pugnantibus in duello.* Ut notat Hoſtienſis.

Quòd ſi dicas, Clericum homicidam 20 contrahere irregularitatem; proinde non eſſe capacem beneficiorum cùm irregularitas impediat, quo minus poſſit ſuo officio fungi, ex quo potius videtur inferendum eſſe ipſo jure privatum beneficio.

Contra eſt, quia plura ſunt, quæ impe- 21 pediunt, quo minus poſſit quis beneficium acquirere, quæ, tamen à beneficio jam acquiſito non deijciunt clericum beneficiarium: etenim ſi Clerico irregulari, vel excommunicato concedatur beneficium irrita eſt conceſſio, & nihilominus Clericus lapſus in irregularitatem, vel excommunicationem ipſo jure non eſt privatus beneficio, quod habebat: ita etiam ſi Clericus homicida ad beneficium eligatur abſque juſta ſuperioris diſpenſatione electio eſt nulla, quia eſt irregularis, & nihilominus beneficio ante homicidium obtento non eſt ipſo jure privatus. Tertium crimen ob quod Clericus meretur per ſententiam Judicis privari beneficio, & officio, eſt ſi concubinam publicè alat, & monitus ab Epiſcopo eam non deſerit; vel eâ dimiſſâ alteram accipit: olim enim jure communi talis clericus conſuevetat privari beneficijs. Jure tamen novo in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. c. 14. de reformat.* ſtatuitur, ut Clericus concubinarius ſi à ſuperiore monitus non reſipuerit tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum, beneficiorum ſuorum quorumcunque, & penſionum ipſo facto ſit privatus, qui fructus pio loco arbitrio Epiſcopi debent applicari.

Quòd ſi in eodem dilicto cum eadem, 22 vel alia fœmina perſeveraverit, & ſecundæ monitioni adhuc non paruerit, non ſolùm fructus omnes, ac proventus ſuorum beneficiorum, & penſiones eo ipſo amittit, qui etiam locis piis applicantur; verùm etiam ab ipſorum adminiſtratione ſuſpenditur: & ſi ita ſuſpenſus adhuc concubinam non dimiſerit, tunc perpetuò privatur omnibus beneficiis, officiis, penſionibus eccleſiaſticis, & fit indig-

nus,

nus, quocunque honore, dignitate, beneficio, vel officio impoſterum obtinendo, donec poſt manifeſtam vitæ emendationem fuerit cum ipſo diſpenſatum, ut habet Tridentina Synodus. Quartum crimen eſt perjurium, ſiquidem Clericus perjurus, tametſi ipſo jure non ſit privatus beneficio, eſt tamen privandus per ſententiam Judicis, ut notat Gloſſa in *c. querelam de jurejur.* & *in c. illud de exceſſib. Prælator.* & hanc ſententiam Rebuffus *de pacificâ poſſeſſione n. 118* Decius *in c. 2 de reſcript.* Covarruvias *in c. quamvis pactum de pact. in 6. p. 1. § 7. n. 3.* vocant communem. Non tamen hæc pœna in quemlibet periurum eſt conſtituta, ſed tantùm in eum, qui in contractibus, pactis, conventionibus, negotijs, & judiciis peierat, ut docent communiter cum Gloſſa *in l. Lucius §. quæro ff. de his qui not. infam.* Quintum eſt, ſi eccleſiaſticus maledictum in Deum, vel ſanctos objiciat; olim enim jure communi beneficio eccleſiaſtico privabatur *c. ſi quis per capillum 22. q. 1.*

23 An verò omnes blaſphemi univerſim hac pœnâ afficerentur, non erat una omnium opinio: alij enim docebant eâ pœnâ, eos tantùm multari, qui maledictis frequenter conſueverant uti, & moniti ab iiſdem non ſe abſtinebant. Alij docebant, eam pœnam ſolùm in eos conſtitui, qui nefariis maledicti generibus uterentur. Alij cenſebant, pœnam hanc fuiſſe diſſuetudine obrogatam, proinde in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. conſtituitur, ut qui Deo publicè maledixerit, & contumelioſis ac obſcœnis verbis Dominum Noſtrum JEſum Chriſtum, vel Virginem Matrem expreſsè blaſphemaverit, ſi ſacerdos, vel Clericus fuerit, eo ipſo die quo de hujuſmodi delicto fuerit convictus beneficiorum, quæcunque habuerit fructibus unius anni mulctetur pro prima vice; pro ſecunda verò ſi ita deliquerit, & convictus fuerit, & unum tantùm habuerit beneficium, eo privatur, ſi autem plura, privatur eo, quod Ordinarius maluerit: quòd ſi tertiò ejuſdem delicti arguatur, & convincatur, dignitatibus, & beneficiis omnibus quæcunque habuerit eo ipſo privatus exiſtit, & fit inhabilis ad ea ulteriùs retinenda, vel impetranda, ut ſtatuitur in Synodo Lateranenſi ſub Leone X. Sunt etiam alia dilicta, ob quæ beneficiarius non ipſo jure, ſed tantùm poſt ſententiam declaratoriam Judicis privatur beneficio, quæ referuntur à Canoniſtis.

24 Generatim nullus Clericus ſæcularis eſt ſuo beneficio privandus, niſi gravi crimine deliquerit *c. inventum 16. q. 7.* quia ſicut os bovi triturianti alligare ſacræ litteræ vetant, ſeu iis, qui altari deſerviunt, alimenta ſubtrahere, ita miniſtri eccleſiæ non ſunt ſuis privandi beneficiis niſi graviter delinquant, vel negotia ſæcularia ſpiritualibus anteponant. Unde non eſt quis pro qualibet culpa deponendus à ſuo beneficio, & officio *c. 1. diſt. 60.* nec quiſquam eſt privandus ſuo beneficio ſine gravi culpa *c. ſatis perverſum diſt. 56.* licèt Prælati Regulares etiam pro non tam gravibus culpis removeantur *c. per tuas de ſimonia:* eſt enim de beneficiis regularibus alia ratio, quia ex qualibet honeſta cauſa conferuntur, & auferuntur. An verò privati beneficio propter crimen teneantur reſtituere fructus perceptos poſt commiſſum delictum reſpondet Julius Clarus *q. 73. n. 9.* quod tametſi Clericus committens delictum ob quod privari poſſit beneficio, habeat jus in re, donec illo privetur; nihilominus poſtquam eo privatus eſt, tenetur perceptos fructus reſtituere à die commiſſi delicti; imò etiam eos, quos potuit percipere ſive conſueti ſint, ſive effectus ſit locupletior, ſive non; & ait, hanc ſententiam eſſe communem, cui adhæret Diaz *in pract. crim. canon. c. 123.*

25 Nihilominus contraria ſententia defenditur à pluribus cum Cardinale *in clement. conſtitut. §. cæterum in fin. de elect.* & Felino *in c. de quarta col. 10. de præſcript.* Ubi probat, hanc ſecundam ſententiam eſſe veriorem. Alij etiam probabiliùs docent, quòd quando clericus ob crimen damnatur ad reſtitutionem fructuum, tenetur tantùm ex æquitate reſtituere fructus perceptos, non verò eos, qui percipi potuerunt, & non fuerunt percepti: ſatis enim eſt eccleſiæ, cui hujuſmodi fructus applicantur, ſi clericus reſtituat fructus, quos percepit, quamvis illos conſumpſerit ſine eo, quòd tam ſtricta fiat ab illo exactio. Quinimò mihi videtur valde probabile, quòd ſi Clericus poſt commiſſum delictum uſque ad ſententiam declaratoriam Judicia ſatisfecerit muneri ſuo, & ſuum in eccleſia obierit officium, ac inſumpſerit in uſus neceſſarios, ea, quæ ratione beneficij ſui percepit, tametſi privetur beneficio, adhuc poteſt perceptos fructus retinere, ut docet Suarez *de legib. diſp. 40. ſect. 2. n. 21.*

26 Pœna depoſitionis eſt, quâ quis ob commiſſum delictum privatur in perpetuum officio, & beneficio eccleſiaſtico, non tamen privilegio clericali, ſcilicet fori, canonis, & bonorum; cujus forma habetur *in c. veritatis in fin. de dolo, & contumac.* ut docent communiter Canoniſtæ *in c. at ſi Clerici de judic.* Menochius *de arbit. caſ. 415. n. 6.* Layman *lib. 1. tract. 5. p. 3. tit. de ſuſpenſ. c. 6. n. 3.* Immo hæc pœna aliquando in jure canonico eſt latæ ſententiæ. Non tamen ad hanc depoſitionem infligendam requiritur illa ſolemnitas, ſeu numerus, & conſenſus Prælatorum, prout requiritur ad degradationem verbalem, ſed ſufficit ipſa lex, vel ſententia Epiſcopi etiam ſine conſenſu capituli, ut habetur *in c. veritatis de dolo, & contumacia.* Immò etiam expreſsè id habet Pontificale Romanum *in tit. Ordo ſuſpenſionis § circa depoſitionem.* Immo poteſt etiam hæc ſententia depoſitionis ferri à vicario generali, ex commiſſione Epiſcopi, ut notat Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 110. n. 23.* Verùm nullus Ordinarius poteſt hanc de-

depoſitionis pœnam infligere niſi in caſibus à jure expreſſis, ut notat Sayrus *lib. 5. de cenſur c. 21. n. 5.* Ubi recenſet caſus iſtos, & etiam rectè obſervat *ibid. n. 1.* neqoe in omnibus caſibus per antiqnos canones expreſſis, hodie hanc ſententiam poſſe proferri, eò quia ob humanam fragilitatem multum ſit de antiquo rigore laxatum *Can. fraternitatis tuæ 34. diſt.*

27 Agitor de hac pœna depoſitionis *in c. quod in dubiis 5. h. t.* Ubi conſultns Innocencius III, quâ pœnâ eſſet plectendus Clericus operam dans bello, reſcribit Pontifex; ſacerdntes, vel Clericos, qui in claſſe maritima naves gubernant; vel in caſtris terreſtribus exercitum ducunt ad pugnam; vel perſonaliter confligunt, vel alios invirant ad pugnam graviter peccare, & de rigore canonico eſſe deponendos ab officio, & beneficio. Id tamen ſolet limitari: dummodo bellum ſit injuſtum; quia ſi bellum ſit juſtum, & in propriam defenſionem licitum eſt Clericis non ſolùm intereſſe ipſo conflictui, verùm etiam alios invitare, & hortari ad egregiè pugnandum, & ſe defendendum, dummndo ipſi Clerici perſonaliter non pugnent, niſi ipſi ab injuſto aggreſſore invaderentur, quia runc propria defenſio eſt etiam ipſis licita. Hinc ut notat Gloſſa *in d. c. quod in dubiis* Clerici, qui incitant alios ad pugnandum in bello injuſto incurrunt hanc pœnam depoſitinnis, non verò qui incitant in bello juſto, quia tunc propria defenſio eſt de jure naturæ licita.

28 Rurſus hanc pœnam depoſitionis incnrrunt Clerici ob magnum crimen ab iiſdem commiſſum, nt ſtatuitur *in c. tua diſcretionis 6. h. t.* nbl conſulrus Innocentius III, quomodo Clerici in latrociniis, vel aliis magnis ſceleribus deprehenſi & convicti (niſi delictum ſit notorium per evidentiam facti, ut notat Gloſſa hic *V. deprehenſi*) puniri debeant, reſpondet Pontifex, eſſe à ſuis ordinibus degradandos, ac detrudendos in arctis monaſteriis ad pœnitentiam agendam; ex qua reſponſione liquet, Clericos deprehenſos in magnis ſceleribus, ut in latrociniis debere degradari ab ordine, & detrudi in arctum monaſterium ad pœnitentiam agendam: non tamen ſufficere, ſi ſint deprehenſi, ſed ulterius requiritur, nt ſint convicti, vel ſactum ſit per evidentiam notorium *c. ult. de cohabit. cler. & mulier.* Debet autem hæc deprehenſio fieri autoritate Prælati *c. cùm non ab homine de judic.* Rurſus violentia non deber extendi ultra quod exigit defenſio clericorum: alioquin incurritur excommunicatio *c ſama de ſent. excommun.*

29 Iuvar obſervare, quòd licèt in præſenti textn fiat mentio de degradatione, & non de depoſitione; pœna tamen quæ incurritur per præfatum textum eſt tantùm depoſitionis, qoia Pontifex loquitur tantùm de degredatione verbali, quæ non privat omni privilegio clericali: tres enim dantor ſpecies depoſitionis. Prima eſt, quâ quis privatur in perpetuum officio, & beneficio eccleſiaſtico, non tamen privilegio clericali, ſcilicet ſori, canonis, & bonorum: ſecunda eſt ſpecies depoſitionis verbalis, quæ etiam dicitur degradatio verbalis præparatoria ad degradationem actualem, & hæc privat etiam clericum omni officio, & beneficio eccleſiaſtico. Terria eſt ſpecies depoſitionis actualis, & propriè eſt degradatio, de qua ſtatim erit ſermo. Cæterum hæc pœna depoſitionis non eſt imponenda propter ſimplicia furta, ſed propter latrocinia, quæ fiunt de die, & quandóque cnm violentia, ut nòtat Abbas *in d. c. tua 6. n. 1. nott. 2. h.* Circa tamen detruſionem in arctum monaſterium hæc pœna hodie rarò auditur, adeo ut non ſic ampliùs in uſu, quia ſi clerici in huiusmodi gravibus ſceleribus perſevereuc, nolintque ſe corrigere degradati traduntur poteſtati ſæculari ultimo ſupplicio afficiendi.

30 Quod verò ad pœnam attinet degradationis, definitur degradatio à Sylveſtro, ut ſit privatio executionis legitimæ officiorum, & beneficiorum eccleſiaſticorum ſimpliciter, & ex toto abſque ſpe reſtitutionis cum certa ſolemnitate, & privatione privilegii clericalis. Hinc degradatio differt à depoſitione, quià licèt ſit etiam privatio legitimæ executionis officiorum, & beneficiorum abſque ſpe reſtitutionis, retinetur tamen privilegium clericale ſori, & canonis, ſeu capitis *c. ſi quis ſuadente 17. q. 4.* Differt etiam degradatio à ſuſpentione, quia hæc eſt privatio officiorum, & beneficiorum ſimpliciter, vel ad tempus cum ſpe diſpenſationis, licèt nonnunquam ſumatur ſuſpenſio pro depoſitione, & vice verſa *c. etſi clerici de judic.* ut notat Piaſecius *p. 2. c. 4 n. 93.* Duplex autem eſt degradatio, verbalis una, altera actualis, illa quæ & ſententialis dicitur, eſt, quæ aliquando vocatur etiam verbalis depoſitio, non tamen abſoluta, ſed reſpectiva, eò quia ordinata ſit ad Reum degradandum cum ſolemni cœremonia. Degradatio actualis eſt quæ fic cum ſolemni cœremonia, quâ Clericus reus degradatur, & de hac degradatione agitur *in c. degradatio 2. h. t. in 6.* Ubi deſcribitur modus degradandi, ſcilicet, ut degradatio fiat ab Epiſcopo exiſtente cum omnibus ordinibus Clericorum cum certo numero Clericorum ſecundùm canones, ſi degradandi ſint in ſacris: ſin verò in minoribus ſufficit ſolus Ordinarius quando ſit verbaliter.

31 Sin verò fiat realiter, ſeu actualiter, tunc clericus degradandus indutus veſtibus ſacris, & habens in manibus inſtrumentum ſui ordinis ſiſtitur coram Epiſcopo, qui ſingulatim ab eo aufert veſtes, & inſignia, incipiendo ab ultimo, quod habuit in ultimo Ordine usque ad veſtem primæ tonſuræ. Jmò taliter debent etiam capilli tonderi, ut in capite non remaneat veſtigium clericatûs & utitur verbis oppoſitis illius ordinationis, & dicit; *auferimus tibi veſtem ſacerdotalem, & honore ſacerdotali te privamus,*

vamus, & ſic de aliis, mox ablatis omnibus inſigniis cleticalibus adijcit Epiſcopus hæc, vel ſimilia verba: Authoritate Dei Omnipotentis Patris, filij & ſpiritus S. ac noſtra auferimus tibi habitum clericalem, & deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exvimus te omni ordine, beneficio, & privilegio clericali. Immo ad degradationem Epiſcopi cum Archiepiſcopo conveniunt duodecim Epiſcopi, quorum major pars in ſententiam degradationis conſentiat. Rurſus in degradatione Presbyteri accedit proprius Epiſcopus aſſiſtentibus ſibi alijs ſex Epiſcopis.

32 In condemnatione Diaconi, vel Subdiaconi tres tantùm aſſiſtunt Epiſcopi, ut aſſeſſores, & ut juſtitiam cauſæ cognoſcant, ac ſententiam pronuncient. Hodie tamen ex diſpoſitione Concilij Tridentini *ſeſſ. 13. c. 2.* locò Epiſcoporum totidem adhibentur Abbates infulati, immo hiſce impeditis etiam alij in dignitate eccleſiaſtica conſtituti: excluduntur tamen Prælati ordinum mendicantium, quia hi carent nomine dignitatis. Pro degradatione autem verbali Clerici in minoribus tantùm conſtituti ſufficit auctoritas proprij Epiſcopi cum præſentia quorumdam clericorum, qui capitulum repræſentent, ut notat Gloſſa in *d. c. degradatio 2. V. præſentia h. t. in 6.*

33 Abſoluta degratione verbali Epiſcopus poteſt procedere ad realem; tametſi non adſint alij Epiſcopi, vel Prælati, ut notat Abbas *in c. qualiter 2. de accuſ. n. 11.* & exuit Clericum. Reum per ſententiam jam condamnatum, & privatum omni beneficio, & privilegio clericali, veſtibus, & ornamentis clericalibus ſub præfata verborum forma, ſcilicet ſi degradandus ſit ſacerdos: *Auferimus tibi veſtem ſacerdotalem, & te honore ſacerdotali privamus*: & in remotione ſeu ſpoliatione reliquorum inſignium ſimilibus verbis utitur, ut ſuperiùs diximus. Cæterum debet Epiſcopus per ſe ipſum procedere ad realem hanc degradationem, quia hic actus ex inſtitutione eccleſiæ ordini Epiſcopali annexus eſt; proinde non poteſt ab alio exerceri, quàm ab Epiſcopo conſecrato; cum degradatio verbalis quia tantum eſt depoſitio, committi poſſit Vicario Generali; quia depoſitio non exigit poteſtatem Ordinis, ſed tantùm jurisdictionis. Cæterum Epiſcopus proprius Clerici degradandi poteſt alteri Epiſcopo committere realem degradationem, non verò alteri non conſecrato Epiſcopo, ut notat Tuſchus *concluſ. 134.*

34 Præterea non ob quodlibet crimen eſt Clericus degradandus, ſed ob grave, & nocivum, & præſertim propter hæc quatuor crimina quæ annotantur in jure. Primum eſt crimen hæreſis notoriæ, & contumaciæ obduratæ *c. ad abolendam c. excommunicamus de hæret.* & *c. ſup. eo eod. in 6.* quòd ſi pœnitentiam, & emendationem promittat, tunc poteſt ipſi pœna remitti, ſed de rigore detruditur in perpetuum carcerem, ut notat Gloſſa *in c. 1. de hæret. in 6.* relapſo autem in ſemel abjuratam hæreſim non ampliùs remittitur pœna, ſed eſt degradandus *c. ad abolendam §. illos autem de hæret.* & *c. ſuper eo eod. in 6.* ubi habetur, qui deprehenſi fuerint in abjuratam ſemel hæreſin recidiſſe ſine ulla penitus audientia relinquendi ſunt in judicio ſæculari. Secundum crimen eſt falſificatio litterarum Papalium *c. ad falſariorum de crimine falſi.* licèt nonunquam hoc ſupplicium extremum capitis mutetur in perpetuum carcerem *c. novimus §. pro illo de V. S.* Tertium eſt ſodomia juxta conſtitutionem Pij V. *verſ. privilegio Clerical.* ubi omnes eccleſiaſtici exercentes tam dirum nefas omni privilegio clericali, omníque officio, dignitate, & beneficio eccleſiaſtico ejusdem canonis auctoritate privantur. Verùm ut hæc pœna infligatur, requiritur ſententia Judicis. Quartum eſt calummia proprio Epiſcopo irrogata *c. ſi quis ſacerdotem 11. q. 1. c. cùm non ab homine de judic.* & notat Sylveſter *V. degradatio q. 2.*

Hiſce delictis adduntur etiam alia ut crimen abortûs animati, ſolicitantes mulierem in confeſſione, non ordinati celebrantes, vel confeſſionem ſacramentalem audientes, ut etiam alia crimina valde enormia, ut etiam Reipublicæ perquam pernicioſa, ut homicidium qualificatum, ut notant Barboſa in collectaneis hic *n. 6.* Clarus *lib. 5. §. fin. q. 36.* 35

Verùm ut Clericus ob patrata crimina pœnam incurrat degradationis requiritur incorrigibilitas, ut notat Iulius Clarus *q. 36 n. 37.* Quis verò clericus ſit cenſendus incorrigibilis? Reſpondetur generatim eum cenſeri incorrigibilem, qui non vult agere pœnitentiam etiam non depoſitus. Attamen ad privandum Clericum privilegio fori per degradationem realem, requiritur depoſitio, quæ præcedat, adeò ut non ſufficiat ad effectum traditionis ut à Judice ſæculari tanquam incorrigibilis puniatur; niſi præceſſerit depoſitio, & poſtea degradatio, quia depoſitus adhuc eſt ſub jurisdictione eccleſiæ. Differt enim depoſitio à degradatione reali, quia illa fit per ſimplicem ſententiam, quâ Clericus criminoſus ab ordinibus clericalibus, ſeu potius ab ordinum miniſterio, aut executione declaratur depoſitus, & per ſimplicem depoſitionem Clericus depoſitus non amittit privilegium fori, & canonis: ſecus per degradationem realem, ſeu actualem, non ſolùm depoſitus privatur miniſterio, & executione ordinum clericalium, & ſpoliatur veſtibus, & inſignibus clericalibus ſolemni verborum formula; ſed etiam privatus privilegio fori, & canonis. Rurſus depoſitio per ſententiam ab Epiſcopo nondum conſecrato fieri poteſt per ſe, vel per alium, dummodo ſit conſecratus, proinde hic actus cùm ſit jurisdictionis committi etiam poteſt Vicario Generali: ſecus degradatio actualis à ſolo Epiſcopo conſecrato poteſt exerceri, quia eſt actus ex inſtitutione eccleſiæ annexus ordini Epiſcopali. Quamobrem 36

poſt incorrigibilitatem, & depoſitionem præcedentem addenda eſt excommunicatio, & utriuſque contemptus, ut Clericus habeatur incorrigibilis, ut notat Soccinus *regul. 56. num. 10.* Conrad. *tit. de inquiſitionibus num. 8.*

57 In jure canonico is habetur incorrigibilis, qui ſe immiſcet enormitatibus, in quibus perſeverat, licèt non ſit depoſitus, quia delictorum frequentia denotat qualitatem animi indurati; ſecundò Clericus cenſetur incorrigibilis, ſi poſt trinam præviam monitionem non incedit in habitu Clericali *c. contingit de ſent. excommun.* Tertiò qui in via, peccatorum conſtanter ambulat perſeverando in malè perpetratis, ut notat Saytus *de cenſur. lib. 5. c. 21. num. 37.* Quartò qui ſibi aſſignatum locum pro agenda pœnitentia deſerit, fugitque in alium, ut notat Sanchez *lib. 6. Moral. c. 9. n. 4.*

58 In jure civili is habetur incorrigibilis, qui Judici non paret, ſeu eius ſententiam non exequitur, & per hoc differt à contumace, quia hic non paret in principio, ſeu in ipſa citatione; eò quia citatus nolit comparere: incorrigibilis verò non paret in fine judicii, ſententiæ à Judice contra ipſum prolatæ. Dicitur etiam incorrigibilis, qui condemnatus iterum labitur in idem crimen ſimile, vel pejus, nec facit ſui præſentiam Judici: alioquin ſi eam faciat, ut Judex poſſit eam apprehendere, non eſt incorrigibilis, quia eccleſia adhuc habet, quod ampliùs faciat *c. nullum ab homine de judic.* & notat Diaz *in pract. crimin. canon. c. 142.* Riccius *deciſ. 87. p. 1.* Barboſa *in c. cùm non ab homine de judic.* Inter Religioſos autem ille cenſetur incorrigibilis, qui culpas non timet committere, & pœnam recuſat ferre, vel ex earum ſæpe repetita inflictione adhuc non ſe corrigit, ſed in ſuis perſiſtit culpis *conſtit. Ord. prædict. diſt. 1. c. 19.* ſecundò qui ter convictus juridicè, & punitus de eodem gravi crimine, adhuc non fuit correctus. Tertiò qui convictus, & punitus de aliquibus gravibus criminibus etiam diſtinctis nunquam fuit emendatus. Hinc qui tres commiſit Apoſtaſias, ob quas fuit juridicè punitus, & nunquam emendatus poteſt ab Ordine ejici, ut notat Emanuel Roderiq. *tom. 1. q. 30. art. 14.* & Suarez *tom. 4. de relig. lib. 3. c. 4. n. 11.*

59 Cæterum ſi delictum tale ſit, ut pœna mortis in laico puniatur, ut eſt homicidium, & aliud ſimile delictum, ſi Clericus hoc idem committit, & pœnis eccleſiæ conſuetis non emendatur degradari poteſt etiam non expectata incorrigibilitate, ut colligitur ex *c. cùm non ab homine de judic.* & notat Julius Clarus *§. fin. q. 36 num. 4.* ubi tamen addit, quòd in hujuſmodi caſibus enormibus cenſeret in opinionum varietate relinquendum id eſſe arbitrio Judicis eccleſiaſtici degradantis, ut juxta qualitatem facti, & perſonarum decernat, an Clericus tradendus ſit curiæ ſæculari, vel non: & in dubio cenſet, traditionem hanc Clerici delinquentis non eſſe faciendam, niſi ipſa rei natura, & circumſtantia criminis aliud ſuadeant. An verò Judex ſæcularis, cui traditus eſt Clericus degradatus per Judicem eccleſiaſticum, poſſit corporaliter ſibi traditum Clericum punire; reſpondetur ex textu in *cap. cùm non ab homine* videri, non poſſe Clericum degradatum à Laico corporaliter puniri, quia Pontifex in dicto textu expreſsè dicit, quod Laicus non debeat punire clericum ſibi traditum ad mortem; ſed tantùm pœnâ exilii, vel alia legitima, verbum autem *alia* ſignificat ſimilem. Verùm praxis eſt in contrarium, quia de facto Judices ſæculares Clericos degradatos per Judices eccleſiaſticos, ſibique ab iiſdem traditos puniunt etiam pænâ mortis, ut notat Proſper Farinacius *lib. 1. tit. 1. q. 8. n. 47.* ubi ait ubique locorum id ſervari.

60 Juvat obſervare, actualiter degradatum privati officiis, beneficiis fori, & canonii, non tamen charactere ſacerdotali, adeò ut degradatio actualis non impediat, quò minus à degradato validè exerceantur actus Ordinis, quamvis eos exercendo graviter peccet: hinc ſi realiter degradatus miſſam celebrâret, validè conſecraret, ut etiam ſi ſacramentales confeſſiones audiret in mortis articulo validè abſolveret, eò quia perſeveret in ipſo charactere ſacerdotalis, unde ſi debitâ materia, forma, & intentione utatur conficit ſacramentum Encharistiæ. Rurſus degradatio non tollit obligationes, quæ à charactere ſequuntur, adeò ut Clericus degradatus adhuc teneatur ſervare caſtitatem, horas canonicas recitare, & alia ſimilia exercere, quæ ad characterem ſequuntur ſacerdotalem, ut notat Reginaldus *lib. 32. c. 23. num. 56.* Actualiter tamen degradatum nemo poteſt reſtituere niſi Papa, & per hoc differt etiam degradatio actualis à depoſitione, quia depoſitus poteſt etiam per Epiſcopum reſtitui, licèt non per alios inferiores, ut notat Sylveſter V. degradatio. Quòd ſi ſacerdos actualiter degradatus à Papa reſtitueretur, non deberet de novo ordinari, ſed deberent ipſi reſtitui omnia ſacerdotalia inſignia, quæ in ipſa actuali degradatione fuerunt ipſi ablata: quia character impreſſus à Deo in anima manet, & eſt indelebilis, adeò ut ſemel impreſſus non poſſit ampliùs per hominem auferri.

§. III.

De Pœna conventionali confiſcationis bonorum, & exilii.

1 POEna conventionalis ea dicitur, quæ pacto, vel contractui apponitur, & de qua agitur in *c. conſtitutus 7. h. t.* ubi cùm quidam Religioſi contraxiſſent cum Epiſcopo Lavitano ſub certa pœna, quam pars contractum non ſervans ſolveret obſervanti, & utraque pars veniſſet contra illum, & ex confeſſione propria convinceretur. Pontifex utrámque par-

partem ab ea pœna abſolvit. Ex quo textu, liquet etiam de jure canonico, poſſe licitè pœnam contractui apponi, & exigi, & ſi uterque contrahens pactum violet, neutrum teneri ſive ad contractum, ſive ad pœnam, juxta illud *frangenti fidem fides frangatur eidem*: unde ſi utraque pars non ſervat contractum in effectu, tollitur, & pœna compenſatur cum pœna. Hinc propter par delictum neuter incidit in pœnam *l. cum par 154. ff. de regul. jur.* quia in delictis fit mutua compenſatio *c. penult. de adult.* & *l. ſi ambo 10. ff. de compenſ.* proinde etiam pœna compenſatur cum alia pœna *cap. penult. adult.* & *l. ſi ambo. ff. de compenſat.*

2 Quòd ſi obligatus ex vi contractus ſolvere certam quantitatem pecuniæ ad certum tempus ea conditione appoſita contractui, ut ſi non ſolverit tempore deſignato, teneatur ad certam pœnam, tunc ſi ſolvat majorem partem debiti non tenetur integram pœnam ſolvere, ſed tantùm pro parte debiti, quæ non eſt ſoluta in termino conſtituto, idque deſumitur *ex c. ſuam ad nos. h. t.* ubi cùm Clerici S Fortunati ab Epiſcopo Spoletano eſſent in 40. libris per quoddam arbitrium condemnati ſub pœna 30. librarum, niſi eas ſolverent in termino conſtituto, & nonniſi triginta tres libras in termino dicto perſolviſſent. Epiſcopus verò occaſione ſeptem librarum, quæ ſupererant per litteras Apoſtolicas tacita veritate impetratas obtinuiſſet, præfatos Clericos in 30. libris ſibi condemnari. Pontifex, qui fuit Innocentius III. re intellecta decrevit, non decere, ut Epiſcopus deſideret cum aliena jactura ditari; juſſitq; propterea, eum contentum eſſe ſeptem reſiduarum librarum, nec impoſterum moleſtari Clericos ſuper pœna 30. librarum; ex quo texto colligitur, quòd obligatus ad certam quantitatem in certo termino ſolvendam, ſi partem illius intra terminum illum ſolvit, non teneatur poſtea ad pœnam integram, ſed tantùm ad illam partem, quæ nondum ſoluta deeſt majori parti jam ſolutæ.

3 Verùm videtur in contrarium poſſe objici textus *in l. pro parte 85. § item ſi ita 6. ff. de V. O.* ubi exhibetur caſus obligationis pignoratitiæ, ſeu eius debiti quod ſub pignore debetur, cujus ea eſt natura, ut pignus non prius liberetur, quàm pecunia debita ſit ſoluta: unde ſi unus hæredum partem debiti ſolveret pro hæreditaria portione, pignus non poteſt liberare pro parte non magis, quàm ſi debitor ipſe partem debiti voluerit ſolvere: quia nec ſi volente creditore, ſolviſſet, pignus liberâſſet, niſi tota quantitate ſoluta *l. ſi neceſſarias* 8. §. *ſi unus* 2. *l. ſolventem* 11. §. *ſi creditori* 4. *ff. de pignorat.* & ratio eſt, quia id oritur ex voluntate ipſorum contrahentium: qui enim promiſit tantam ſummam pecuniæ certo die dare, & niſi dederit, in pœnam, promittit totam ſommam dare, tunc hæc obligatio pœnalis eſt conditionalis, vel inſtar conditionalis in caſu non dationis: ſed verum eſt, totam ſummam datam non eſſe, tametſi major pars data fuerit: proinde niſi in totum principali obligationi ſatisfiat, non declinatur pœna: *argum. ex l. cui fundus 56. ff. de condit. & demonſt.* idque procedit, quando pœna conſideratur ut talis, ſeu quando eſt punitio moræ, & negligentiæ debitoris: quia nonnunquam pœna non in punitionem promittitur, ſed ob majorem cautionem, & faciliorem expeditionem obligationis, & tunc pœna ſuccedit locò intereſſe, ut notat Gomez, *lib. 2. variar. cap. 10. num. 23.* unde cùm in præcitato *cap. ſuam h. t.* non fuiſſet integrè ſatisfactum Spoletano Epiſcopo, rectè pœnam ſibi promiſſam à plebano, & Clericis petebat.

Huic difficultati, ut ſatisfacerent. Doctores varias excogitârunt ſolutiones. Bartolus *in l. 4. §. Cato. ff. de V. O.* reſpondet in hac parte non convenire jus civile cum canonico, eò quia jure civili pœna ſit individua, & jure canonico partialis ſolutio pro parte eximat à pœna. Alii reſpondent, hanc pœnam conventionalem in jure canonico eſſe invalidè adjectam contractui, eò quia præſumitur in fraudem uſurarum appoſita, cui videtur favere textus *in l. Julianus* 14. §. *idem Papinianus ff. de act. empt.* & huic adhæret Alciatus *l. 4. §. Cato.* 4

Verùm hæc ſolutio ab aliis rejicitur, quia Innocentius non utitur ea generali ratione prohibitionis, ſed alia diverſa. Secundò quia in rigore juris ſententia illa, quâ pœna pecuniaria dicitur adjecta in fraudem uſurarum à pluribus redarguitur falſitatis. Alii cum Fachinæo *lib. 5. controverſ. c. 96. v. ſecundus caſus* docent, in præſenti ſpecie pœnam non deberi, quia pœna non committitur, quando quis deficit in minimo *l. Seja ff. de minor.* & cum *in c. ſuam* Clerici tantùm defecerint in minima parte; ſiquidem ſolutis triginta tribus libris, tantùm ſupererant ſeptem ſolvendæ, proinde non debuerunt incurrere pœnam. Et hæc ſententia videtur communior, quia quamvis jure civili pœna ſit individua, attenta tamen æquitate juris canonici eſt dividua, adeò ut ſi aliquid ante terminum fuerit ſolutum, non plus debeatur, quàm quod ſuperſit ex parte non ſoluta: & cùm *in c. ſuam h. b. t.* jam fuerint ſolutæ ante præfixum terminum triginta tres libræ, & ſolùm ſupereſſent ſolvendæ ſeptem, excedebat procul dubio omnem æquitatem, & proportionem, adhuc exigere integram pœnam appoſitam triginta librarum: unde Pontifex, ad removendam omnem ſpeciem avaritiæ æquiſſimè judicavit, rem totam reduci debere ad illas ſeptem reſiduas libras. 5

Hinc ut rectè notat Panormitanus, quando pœna non eſt integrè ſoluta, debet pro rata de jure canonico peti ſolutio partis deficientis. Præterea adhuc poſſet inquiri, an pœna illa conventionalis *in d. c. ſuam h. b. t.* fuerit ritè, & licitè appoſita, poſſitque propterea exigi à Clericis deficientibus in ſolutione. Rurſus ſi ſupponatur legitimè adjecta, adhuc dubitari 6

bitari poteſt, an licitè exigatur, ſi debitores qoaſi totum debitum ſolverint excepta minima parte. Quoad primum non deſunt, qui putent, Innocentinm III. declaràſſe inhoneſtam conventionalem illam pœnam adjectam contractni, eò quia videatur avaritiam redolere, quæ vel maximè Epiſcopum dedecet, qui debet Magiſter eſſe totins perfectionis, ot docet D. Thomas 2. 2. *q.* 184. *art.* 2. ac propterea debet abſtinere ab iis, quæ licèt aliis ſint licita, in ipſo tamen habent ſpeciem indecentiæ *c. Epiſcopus* 14. *q.* 1. Quamobrem licèt pœna adjecta obligationi dandi quantitatem committatur tanquam individua in totum; qnamvis intra terminum ſolnta ſit, nihilominns id reſpectu Epiſcopi non cenſetur honeſtum, eò quia arguit cupiditatem lucrandi pecunias illas cnm damno Clericorum: unde quamvis ſimpliciter poſſit licitè apponi pœna contractui, reſpectu tamen Epiſcopi pœna illa conventionalis adjecta contractui *in c. ſuam 9. h. t.* videbatur indecens, propterea à Pontifice reprobata fuit, & ab eodem ſtatutum, ut Clerici nonniſi pro rata ſolverent illas libras, quæ ſupererant ſolvendæ.

7 Pœna confiſcationis bonorum eſt, quæ infligitur à fiſco, qoi dici ſolet ſocius regius, in quo congregantur bona Reorom maximè proſcriptorum, unde fiſcus propriè dicitur jus Principis capiendi bona damnatorum, & illis utendi in vindictam delictorum, ut notat Toloſanus *lib. 3. de rer. c. 9. num. 5.* & Gaillus *lib. 2. obſer 86.* Bona verò illata fiſco, vel inferenda fiſcalia dicuntur *ff. & C. de jure fiſci* ad differentiam eorum bonorum, quæ Princeps, ut privatus poſſidet: ſiquidem bona fiſcalia, quamvis ad Principem pertineant, non tamen ſunt ita propria ipſius, ſicut bona patrimonialia, in quæ nullum ſibi jus comunitas vendicat. Acquiruntur autem bona fiſco, vel ex causâ inteſtati, vel ex teſtamento, vel ex delicto; quatenus lex indictione mulctæ ea addit fiſco, vel etiam ex inventione theſauri in publico. Jus antem confiſcandi bona Reorum à Toloſano *l. 31. c. 31. num. 6.* vocatur regale, eò quia nulli præterquam Principi conveniat, vel aliis, quibus à Principe eſt conceſſum. Cæterum videtur hoc jus convenire omnibus, qui vel ordinariam, vel delegatam habent poteſtatem exercendi judicia, & decernendi ſupplicia. Unde neque Prælati eccleſiaſtici excludendi ſunt, ut notat Gloſſa *in c. quia diverſitatem de conceſſ. præbend. clement. 2. de hæret.* & Franciſcus Marc. *deciſ.* 339. *num.* 10. Per confeſſionem autem non ſolum bona confiſcantur, ſed nonnunquam etiam corpus *l. 1. ff. de bon. l. bona fiſco de jure fiſci.*

8 Crimina, ob quæ ipſo jure, & facto bona publicantur plura ſunt. Primum inceſtuoſæ nuptiæ §. 1. *authent. de inceſt. nupt.* dummodo deſint liberi ex alio legitimo matrimonio nati. Secundum eſt crimen læſæ Majeſtatis *l. ex judiciorum ff. de accuſat. penult. ff. ad Jul. Majeſt.* Tertium eſt crimen hæreſis *l. 4. C. de hæret. c. cùm ſecundum de hæret.* de hoc autem crimine ſolus eccleſiaſticus Judex cognoſcit. Hæreticus ob hæreſin gravius punitur; adeò ut etiam inopia, & egeſtate laborare debeat. Publicantur verò omnia eius bona mobilia, immobilia, jura, actiones, & quidquid ad ipſum pertinet nullo habito reſpectu ad filios; idque à die commiſſi criminis, & per totum tempus, quo inſorduit in hæreſi *c. cùm ſecundum de hæret. in 6. l. ult. C. ad leg. Jul. Majeſt.* Quartum eſt crimen peculatûs, & de reſiduis *l. fin. ff. ad leg. Jul. pecul.* idque intra quinquennium, à die commiſſi criminis *l peculatus ff. eod.* Quintum eſt apoſtaſia à fide: quicunque enim à vera fide defecerunt, accuſari à quolibet poſſunt, & convicti bonis ſuis privantur in vita, poſt mortem verò, & intra quinquennium proximioribus ipſius catholicis tamen bona deferuntur, eisque etiam interdicitur alienatio bonorum, & redduntur inteſtabiles *l. 1. C. de Apoſtat. c. excommunicamus de hæret.* Sextum eſt militiæ deſertio *l. 4. cap. de re militar.* ubi Gordianus Imperator jubet, bona defunctorum in deſertione confiſcari. Septimum homicidium illius, in cujus bonis occiſor ſucceſſionem ſperabat; fiſcus enim ab illo, vel eius hærede bona aufert *l. Lucius ff. de jure fiſci.* Sunt etiam plura alia crimina, ob quæ ipſo jure, & facto bona delinquentium publicantur, & fiſco addicuntur.

Sed de jure novo non videtur uſu receptum, ut pro ſingulis recenſitis, & aliis in jure expreſſis delictis bona delinquentium publicentur: ſiquidem hodie exceptis duobus criminibus, nimirum hæreſis, & læſæ Majeſtatis ob nullum aliud crimen bona publicantur, & addicuntur fiſco, niſi fortâſſis ex ſtatuto aliquo particulari id præcipiatur, ut notat Peregrinus *lib. 5. de jure fiſci tit. 1. num. 8.* Quando verò bona publicantur, quæ ſunt immobilia tribuuntur fiſco illius, in cujus territorio ſunt *l. quicunque §. viventi C. de hæret.* ut notat Decianus *l. 4. c. 26. num.* 18. Bona verò mobilia alibi exiſtentia addicuntur communitati Judicis condemnantis *c. 1. §. ſi major Judex de pac. jura fir. l. 2. feud.* Clerici verò bona illi eccleſiæ tribuuntur, à qua ſtipendium habuit, quòd ſi pluribus inſervivit, fit partitio fiſco eccleſiaſtico, ut notat Antonius Peregrin. *lib 4. de jure fiſci p.* 317. bona autem Clerici non habentis beneficia tribuuntur Epiſcopo, à quo applicanda ſunt in pios uſus. 9

Non tamen omnia bona ſunt ſententiæ confiſcationis obnoxia: ſiquidem eximuntur. Primò portiones liberis, & uxoribus aſſignatæ *lib. 1. § 3. l. cum ratio. ff. de bon. dam. l. fin. de bon. præſcript.* Liberis autem ex clementia Principis relinquitur pars dimidia bonorum, quæ publicantur, ut notat Julius Clarus *p.* 78. *num* 26. immò nec confiſcantur beneficia eccleſiaſtica jam obtenta, ut notat Covarruvias *lib. 2 variar. c. 8. n* 4. 10

Secundò ſi uxor damnetur eius dos marito relinquitur excepto crimine læſæ Majeſtatis 11

de

de vi publica. parricidii, veneficii, aſſaſſinatûs, & aliis, in quibus tamen marito contra fiſcum manent actiones ſalvæ *l. quinque legibus cum duab. ſequent. de bon. dam.* Rurſus creditoribus relinquitur jus ſuum, ut ex bonis damnati poſſint ſatisfieri.

12 Tertiò neque obnoxia ſunt ſententiæ confiſcationis latæ à Judice ſæculari bona illa, quæ vel ſpiritualia ſunt, vel ſpiritualibus adnexa, ut jus patronatus : hinc facta confiſcatione per Judicem eccleſiaſticum quamvis liberetur beneficium; non tamen jus patronatus addicitur fiſco, quia id cederet in præjudicium ipſius eccleſiæ, unde tale jus tranſit ad illum, cui per legitimam ſucceſſionem debetur.

13 Quartò excipiuntur etiam bona acquiſita ab hæretico poſt eius condemnationem. Ut etiam eximuntur bona filiorum adventitia tam quoad proprietatem, quàm quoad uſumfructum : hinc excipiuntur etiam peculia caſtrenſia, majoratus, & ſimilia, ut notat Barboſa *in c. vergentis de hæreticis*. Bona itidem reſtitutioni obnoxia fiſco non addicuntur, quia id cederet in præjudicium innocentis creditoris. De bonis autem mariti dubitatur, an uxor, ſi bona mariti publicentur, poſſit ſuam dotem repetere.

14 Probabilior ſententia id affirmat cum Gaillo *lib. 2. obſer. 86.* & colligitur ex *l. ob maritorum C. ne uxor pro marito l. res uxoris C. de donat. inter vir. & uxor.* quia uxor tacitam habet hypothecam in bonis mariti. Præterea quia bona cum ſuis oneribus ad fiſcum devolvuntur *l. ſi debitori ff. de fidejuſſ* & licèt etiam fiſcus tacitam dicatur habere hypothecam in bonis mariti; uxor tamen cenſetur magis privilegiata, & propterea præfertur fiſco, uxores enim dotem ſuam ſemper exigunt, & retinent, tametſi bona mariti publicata ſint ab Imperatore ob flagitium aliquod. Quin imò uxor non dotata ex bonis confiſcatis mariti quadrantem capere poteſt *authent. præterea C unde vir & uxor :* ſiquidem illa quarta pars debetur illi ex proviſione legis, ut notat Peregrinus *de jure fiſci 5. tit. 1. num. 30.* Quod verò ad bona pertinet hæreticorum, notat Barboſa *in c. vergentis de hæret.* quod eorum bona confiſcata in terris eccleſiæ ſubjectis inferuntur fiſco eccleſiæ : & in terris Principum ſæcularium eorum fiſco, niſi fortaſſis ob ſeriam converſionem miſericorditer cum illis agatur.

15 Rurſus quòd filii hæreticorum amittant hæreditatem propter hæreſin parentis, quamvis filii catholici ſint, ut etiam filiæ dotem, & hæc bona ipſo jure cenſeantur confiſcata à die quo quis in hæreſim incidit *c. ſecundum leges de hæret. in 6*, non tamen tenentur Rei bona propria fiſco offerre ante ſententiam Judicis, ſed poſſunt ea ſibi retinere, donec per ſententiam Judicis declarentur hæretici : & tunc non ſolùm confiſcantur eorum bona, ſed etiam uſusfructus, imò & jura conditionata ex contractu orta, quamvis conditio nonniſi poſt confiſcationem impleatur. Imò hæc bonorum confiſcatio manet integra, quamvis hæreticus reſipiſcat, & pœnitentiam agat. Verùm converſis, & emendatis conveniens eſt, ut bona relinquantur, ut notat Barb. *in d. cap. vergentis de hæret.*

Pœna exilii, ſeu Banni, ejectionem quandam ſignificat, quâ Reus à patria, vel alio loco uno, vel pluribus annis abeſſe compellitur : hocque exilium triplex ſolet aſſignari, quatenus poteſt quis ejici non ſolùm ab uno, verùm etiam damnari, ut non poſſit vagari ultra aliqua determinata loca. Tertiò quia poteſt quis in unum tantùm certum locum relegari, ut in Inſulam aliquam *l. exilium eſt C. de interdict. & relig.* Julius Clarus addit alia duo, ſcilicet condemnationem ad metallum, & in opus metalli, de quorum differentia habetur in textu *in l. aut. damna §. divi ff. de pœn.* Verùm omiſſis hiſce diviſionibus exactiùs exilium bipartitur in duo genera, ſcilicet in deportationem, & relegationem : dicitur deportatio quaſi portatio de eo jure, quod quis habet in civitate ad exilium perpetuum aſſignatâ illi provinciâ, vel loco ubi manere debeat *l. inter pœnas ff. de interdict. & releg.* quia verò, ita deportatus libertatem retinebat, ideo capitis media diminutio cenſebatur. Relegatio verò habetur cum quis compellitur exire ex propria patria, hinc differt relegatio à deportatione, quia hæc eſt perpetua, relegatio verò temporanea. Quia deportatio civitatem adimit, non ita relegatio *l. relegator. ff. de interd. & releg.* An verò Prælati Regulares poſſint, ſuos etiam Religioſos in exilium damnare, ſeu illis aſſignare quoddam ſpeciale Monaſterium in pœnam patrati delicti, affirmant plures cum Emanuel. Roderiq. *2. q. 24. art. 1.* eò quia eadem poteſtas conveniat Prælatis Regularium cum proportione, quam habent Epiſcopi in ſuos Clericos : & ſicut Epiſcopis canones permittunt, poſſe pœna exilii punire delinquentes *c. 1. de calum. c. penult de pœnit. cap. ſi qui 3. q. 4. c. cùm beatus diſt. 45.* ita etiam Prælati Regulares poſſunt hanc pœnam imponere Regularibus ſubditis. Tum quia id etiam ſuadet utilitas, tum Reorum, tum innocentium, inter quos deliquerunt : ſiquidem convenit inde corporaliter ejici, ubi quis illecebris vivit. Verùm putârim circa hanc pœnam injungendam ſubditis Regularibus procedendum eſſe juxta ſtatuta Religionum. 16

Cæterum quod veteres exilium, & præſcriptionem dixerunt, Recentiores bannum vocant, quæ tamen dictio barbara eſt, nec in Pandectis ullibi legitur, nihilominus canones mentionem hujus vocis faciunt *in c. felicis de pœn. in 6.* & Banniti æquiparantur deportatis, & relegatis, ut notat Gaillus *lib. 1. de pac. public. c. 1. num. 19.* ubi ait bannum in Imperio eſſe cenſuram judicialem, quâ violatoribus pacis publicæ aqua, & igne interdicitur, adeò ut à nemine in clientelam, fidem, aut amicitiam recipi poſſint. Quamvis ad bannum ſententia 17

tentia declaratoria communiter prærequiratur teſte Gallio *lib. 2. de pac. public. c. 3. n. 1.* in atrocioribus tamen, & notoriis criminibus non cenſetur neceſſaria, ſed abſque judiciali proceſſu fieri poteſt ab Imperatore fœcialibus ſub dio per clangorem tubæ denunciantibus, ac delicti qualitatem ex breviculo recitantibus: quo facto affiguntur edicta, ubique locorum, in quibus bannum continetur: hæcque juris declaratio eſt potiùs executio, quàm ſententia. Ratio cur in atrocioribus, & notoriis criminibus, non ſit neceſſaria ſententia declaratoria eſt, quia, hæc procedit ex præviis probationibus, quæ in notoriis cenſentur ſupervacaneæ, ut notat Felinus *in c. ſi diligenti n. 3. de foro compet.* ubi dicit in notorio crimine poſſe reum defenſionibus ſuis renunciare, quod alias non liceret.

18 Circa verò exilij tempus hæc ſolent notari. Primò ſi tempus exilij certum ac præfixum ſit, & reus illud non obſervat, ſed diminuit; in pœnam duplicatur *l. aut damnum §. quisquis ff. de pœnis.* Secundò ſi tempus exilij ſit continuum non poteſt à reo interrumpi *argum. text. in capite ff. de adult.* & in dubio, ut notat Gloſſa omne tempus cenſetur eſſe continuum. Tertiò, ſi tempus non ſit determinatum intelligitur eſſe perpetuum *l. ſervus C. de pœn.* adeò ut ſi Judex dicat condemno Petrum pœna exilij intelligatur de pœna exilij perpetui. Quartò tempore exilij non poteſt Judex inferior exulem revocare *l. relegati ff. de pœn.* quia Judex ſemel prolata ſententia defunctus eſt proprio officio circa talem Reum; in quem non poteſt aliam ſententiam ferre niſi ex alia cauſa ſuperveniente *l. Judex poſteaquam ff. de re judic.* Quintò ſi Judex ad beneplacitum aliquem condemnaverit, & paulò poſt idem Judex decedat, vel removeatur ab officio; ipſo jure cenſetur etiam deſinere exilium: ratio eſt, quia cum mutatione perſonæ cenſetur etiam mutata ejus voluntas *l. 4. ff. locati,* ubi ſi quis locavit domum quoad voluerit, eo mortuo ſtatim cenſetur revocata conceſſio, ſeu contractus. Non tamen deſunt, qui cenſeant, manere exilium, & voluntatem defuncti cum poteſtate in ſucceſſorem tranſire, ut notat Julius Clarus *q. 71. n. 13.* Verùm hæc ſententia ſicut eſt durior, ita habetur improbabilior.

§. IV.

De alijs pœnis particularibus, de quibus agitur in hoc titulo.

1 TAmetſi pœna pecuniaria à jure, vel ſtatuto ſit determinata, ut *in c. Presbyteri. 2. h. t.* ubi ex Concilio Triburienſi ob injuriam Clerico irrogatam dimidia ejus pars danda eſt eccleſiæ, cujus ipſe injuriam paſſus Rector fuit, eò quia nullus proximior ſit Clerici interfecti hæres, quàm ipſa eccleſia, quæ illum Domino ſociaverat: & altera dimidia pars pœnæ pecuniariæ diſtribuenda ſit pauperibus pro anima Presbyteri interfecti, ut habetur *in d. c. Presbyteri 2. h. t.* Nihilominus Judex eccleſiaſticus cum in omnibus debeat eſſe circumſpectus, maximè cavere debet, ne quando alia à ſacris canonibus ſtatuta eſt pœna, ipſe pecuniariam injungat: quia Judex tenetur judicare ſecundùm canonum diſpoſitionem, non verò ſecundùm ſuam copiditatem. Quòd ſi nonnunquam, quando certa pœna non eſt conſtituta, licitum ſit imponere pœnam pecuniariam, id tamen ita debet fieri, ut in pios uſus tota pecunia convertatur, ut *in c. Presbyteri 2. h. t.* & juxta decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. & c. 3.* adeò ut non quidem officialibus loco mercedis tribui debeat pecunia, ad quam damnatur Reus, quia pœnæ fori eccleſiaſtici, ut pluries declaravit ſacra Congregatio locis piis applicandæ ſunt; adeò ut non valeat conſuetudo contraria per quam pars pœnæ applicatur Vicario, vel cameræ Epiſcopali. Archidiaconi autem & alij Prælati, qui in criminibus non poſſunt diſpenſare, nec pœnas commutare, non poſſunt propter crimina pecunias exigere, imò nec cauſa correctionis pœnam pecuniariam imponere, ſi alia ſit in jure ſtatuta, idque deſumitur *ex c. licet 3. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quod Archidiaconi pro corrigendis exceſſibus, & peccatis non debeant exigere pecuniam à Clericis, vel à Laicis, item quòd nec pro annua exactione ſuſpendant perſonas, nec eccleſias interdicant, nec exigant pecunias, ut in eccleſiis, Vicarios cantare permittant, nec ſimilia agant, quæ ex radice avaritiæ prodeunt, quòd ſi præſumpſerint contrafacere, anathemate percutiuntur ceſſante appellatione. Loquitur Pontifex de Archidiaconis, qui non poſſunt diſpenſare ſuper crimine nec commutare pœnas, ut etiam de alijs Prælatis, qui non poſſunt mutare pœnas juris.

Cæterum ut notat Gloſſa *in d. c. licet 3. V. pœnam h. t.* poteſt Epiſcopus de crimine cognoſcere, & de illo diſpenſare, & correctionis cauſa punire Clericos pœna pecuniaria, præſertim quando hæc magis timetur. 2 Verùm tunc Epiſcopus non debet hanc pecuniam in proprium commodum convertere, ſed eam erogare pauperibus, vel impendere in pios uſus, quia tunc præſumitur correctio, & punitio facta non ex cupiditate avaritiæ, ſed ex Zelo charitatis, ut notat Covarruvias *lib 2. reſol. c. 9. n. 8. & 9.* ubi etiam addit, quòd ſi Epiſcopus eſſet valde inops, poſſet pecuniam illam etiam in proprios neceſſarios uſus convertere. Cæterum extra hunc caſum neceſſitatis Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 3. de refor.* præcipit, ut mulctæ pecuniariæ ab Epiſcopis taxatæ diſtribuantur pauperibus, vel impendantur in pios uſus.

Quòd ſi jura ſtatuant tantùm pœnam 3
ſpiritualem, vel corporalem pro tali crimine,

non

non poteſt Judex eam in aliam commutare, niſi poſſit in illo crimine diſpenſare; notat tamen Fagnanus *in d. c. licet 3. n. 13. h. t.* quòd Judex potens de cauſe cognoſcere poſſit pœnam à jure ſtatutam commutare in pecuniariam dommodo id faciat cognitâ cauſâ in prolatione ſententiæ. Quòd ſi in jure pro tali ſpeciali crimine nulla determinetur ſpecialis pœna, tunc relinquitur erbitrio Judicis, prout conſultiùs viſum fuerit, ut eam injungat pœnam, quæ megis proficua erit delinquenti.

4 Rurſus in cauſis pecuniariis victus condemnatur in expenſis victoris, quando ſententia fertur pro præſenti, non verò qoando abſenti, idque deſumitur *ex c. calumniam 4. h. t.* pro quo notet Pirhing *h. t. n. 9.* extere regulam juris utriusque, victum eſſe victori condemnandum in expenſas, & id procedere non ſolùm ſi quis per calumniem, aut dolum litiget, verùm etiam ſi abſque dolo, dummodo temerè, & inconſulto, & nullo adhibito conſilio litigaverit *l. eum quem 79. ff. de judic.* Cevarruvias *pract. quæſt. c. 27. n. 1.* imò id etiam procedit, quemvis victus ab initio litis juramentum calumniæ præſtiterit, quia tametſi tale juramentum excuſet à calomnia non tamen è temeritate, ut notat Abbas *in d. c. calumniam 4. n. 4. h. t.* Qui verò juſtam litigandi cauſam habuit, non debet in expenſas litis condemnari *l qui ſolid. §. etiam ff. de legat.*

5 Rurſus Judex tantùm tenetur victum in expenſas condemnare victori, ſi is id petierit, ut notat Barboſa *in collect. in d. c. calumniam 4. n. 3. h. t.* ubi tamen id limitat primò niſi actor in libello petierit ſibi jus, & juſtitiam miniſtrari, tunc enim ex vi hujus clauſulæ poteſt Jodex victum condemnare in expenſas quamvis victor id non petierit; quia Judex condemnando in expenſas miniſtrat ei juſtitiam, quam petierat in libello. Secundò ot victus non condemnetur in expenſas. Tertiò ut ob juſtem cauſam litigandi poſſit victus excuſari à pœna expenſarum, Quartò nec victus condemnatur in expenſas ſi victor ſolum ex ſemiplena probatione ob deletum juremeatum ſuppletorium cauſam obtinuit, niſi is cui juramentum delatum eſt plusquàm ſemiplenè probaverit, & pars contraria nihil.

6 Alia pœna, de que egitur in hoc titulo, eſt carceris, quæ habetur *in c. quamvis 3. h. t.* ubi Bonifacius VIII. reſcribit, quòd tametſi carcer inventus ſit ſpecialiter ad cuſtodiam; tamen convictis, vel confeſſis de criminibus poteſt imponi in pœnam, & quidem in perpetuum, vel ad tempus ad arbitrium penſatis exceſſibus, perſonis, & circumſtantiis: ex quo textu juvat obſervere, quòd Pontifex dicens carcerem eſſe inventum ſpecialiter ad cuſtodiam non ad pœnam loquitur ex jure civili, ſeu *l. 1. & ult. C. de cuſtod. Reor.* ubi Imperator de iis, quos carcer tenet incluſos, ait *Aperta definitione ſancimus, ut aut convictos velut pœna ſubducat; aut liberandos cuſtodia diuturna non comaceret.* Quamvis tamen carcer de jure civili conſtituatur ad cuſtodiam; nihilominus de jure canonico etiam conſtituitur ad pœnam, ut habetur *in d. c. quamvis 3. h. t. in 6.* ſive ed tempus, ſive in perpetuum, & rationem edfert Gloſſa ibid. Quia cùm Judex eccleſiaſticus non poſſit punire pœna ſenguinis; & durum nimis foret ſemper tredere Clericos delinquentes Curiæ ſæculari, meritò eccleſia conſtituit carcerem etiam ad pœnam, quâ utitur ed puniendos Clericos delinquentes.

Verùm quie carcer perpetuos deſperationem ſuaderet, valde rarò debet Judex hac pœna uti. Non tamen Clerici hac pœnâ affecti incurrunt infamiam, quia incarceratio, ſeu pœna carceris per ſe non infamat, ut deſumitur *in c. his 8. h. t.* ubi cùm quidam Clericus coram Pontifice in teſtimonio ferendo variâſſet, juſſit Innocentius III. per ſuum Delegatum eum capi, ac detineri in carcere, & cùm quæſitum poſtea fuiſſet, an clericus ille infamis fuiſſet effectus, reſpondit Pape; nullam incurriſſe infamiam: & ratio eſt, quia iſte non fuit detruſus in cercerem tanquam Reus criminis falſi, tunc enim potuiſſet, ei imponi pœna ordinaria hujus criminis *ex l. cornelia de falſis*, & fuiſſet infamiâ affectus, ſed tantùm fuit detruſus in carcerem, eò quia in teſtimonio ferendo vacillaverit, ec variaverit, ex que temen variatione non potuit convinci de crimine felſi, eò quia variatio poterat benignius explicari. Quamobrem ſive teſtis vacillans, eot varians detruditur in carcerem, ſive aliter puniatur, non propterea incurrit infamiam, quia non punitur tanquam reus criminis falſi, ſed ob delictum levius, qood verias poteſt habere excuſationes, & interpretationes benigniores: unde Clericus ille *in d. c. ſuper his* non conijcitur in carcerem ob delictum falſi, ſed quia Judicem offenderit, & proceſſum aliquatenus turbaverit. 7

Hi verò graviùs puniuntur, qui proprium Epiſcopum: vel Rectorem, aut alium Clericum alicujus eccleſiæ percutiunt, vel occidnot, ut habetur *in c. ad aures 10. h. t.* ubi cum Epiſcopum Vicentinum quidam ejus diœceſani occidiſſent, & feudis, ac beneficijs ab illa Sede obtentis per ſententiam privati eſſent; prohibet Innocentius III. ne ipſis aut hæredibus eorum prædicta reſtituantur; vel de novo alia beneficia ei conferantur; ſed potios majori animadverſione mandat eſſe plectendos; Ex quo textu conſtat eos, qui occidunt Prælatum ſuum privari beneficijs, & feudis, quæ hebentor ab illa eccleſia, & nec ipſos, nec eorum hæredes poſſe eadem habere, immo nec alie quælibet de novo, & illorum omnia bona eſſe tredende eccleſiæ illi, cui facta eſt injuria; ut norat Gloſſa *in d. c. ad aures 10.* & habetur *in c. quis de incepto 17. q. 4.* immo percutientes, & occidentes Prælatum eccleſiæ, vel alium Prælatum excommunicantur *c. ſi quis ſuadente;* immo qui interficiunt ſuum 8

Epiſcopum etiam privantur ſuo Epiſcopo *c. ita noſ. 25. q. 2.*

9 Juvat obſervare, quòd *in d. c. ad aures 10. h. t.* nomina beneficiorum intelliguntur etiam ſeuda, & alia quæ temporalem utilitatem afferunt, quæ propterea prohibentur reſtitui, non ſolùm percuſſoribus; ſed etiam eorum hæredibus in pœnam patrati ſceleris. Cùm enim ſacrilegium ſit crimen eccleſiaſticum, rectè poteſt Iudex eccleſiaſticus ad illod puniendum imponere laicis pœnam temporalem. Quinimò *in clem. ſi quis 1. h. t.* aliæ graviores injunguntur pœnæ in perſeqoentes, capientes, percutientes, occidentes Epiſcopos, ut etiam ratificantes, mandantes, conſilium dantes, faventes vel aliam opem præſtantes iis, qui Epiſcopum percutiunt, capiunt, banniunt: hi enim privantur omnibos juribus, & beneficijs, quæ in illa eccleſia obtinent, ſive ſint Patroni, Advocati, vel ſimiles perſonæ habentes jus aliqood in eccleſia, & licèt ſermo ibi ſit de beneficio temporali, ut de feudo; loquitur tamen Pontifex etiam de beneficio eccleſiaſtico, quo privatur, qui Epiſcopum, vel Clericum percutit; an verò ipſo jure, ſeu facto, ſed tantùm poſt ſententiam Judicis; variant Doctores, qoia pœna non incurritur niſi poſt ſententiam declaratoriam. Verùm hæc ſententia videtur in jure poſita ſcilicet *in c. in quibusdam 12. h. t.* ubi Pontiſex dicit, quod patroni, advocati, vice Domini ſoper providendis eccleſijs, vel earum poſſeſſionibus, & bonis non plus ſibi uſurpent, quàm jure permiſſum ſit. Quòd ſi ſecus fecerint, debeant compelli per cenſuram eccleſiaſticam.

10 Rurſus ſi per ſe, vel per alios præſumpſerint occidere rectorem, vel aliquem Clericum ipſius eccleſiæ, amittant prorſus jus patronatûs, advocatiam, feudum, vice dominarum, beneficium, & de præmiſſis nihil perveniat ad hæredes, & poſteri talium oſque ad quartam generationem uon admittantur in collegium clericorum, nec in domibus Regularium aſſequantur honorem alicujus Prælationis, niſi cum eis fuerit diſpenſatom: & quia Innocentius III. non dicit ſimpliciter qnòd *amittant*, ſed quòd *prorſus amittant* illa dictio *prorſus* videtur importare idem, quòd ipſo jure; ut notat Barboſa in *collect. in d. c. in quibusdam 12. n. 3. h. t.* & alij.

Præterea ex eodem textu liquet eos,
11 qui occidunt, vel motilant Prælatum, vel alium Cleticum alicujus eccleſiæ per ſe, vel per alios; non ſolùm ipſos ſed etiam hæredes ſeu poſteros eorum, uſque ad quartam generationem amittere quidquid habent ab Eccleſia, & oon admitti ad ſtatom clericalem. Com his tamen poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut notat Barboſa *hic n. 4.* quia hæc diſpenſatio non fuit ſpecialiter reſervata Papæ. Per poſteros eidem uſque ad quartam generationem, intelliguntur deſcendentes per lineam maſculinam, non aotem per fœmininam, nec per lineas collaterales, ſed tantùm per lineam rectam; quia cùm hæc ſit pœna, quæ ob delictum parentis deſcendit ad filios, & oepotes, debet interpretatio eſſe ſtrictior, adeò ot reſtringatur ad ſolos filios, & nepotes deſcendentes per lineam rectam maſculinam. Neque obſtat quod *in c. uno* § *contra natos de ſchismat. in 6.* pœna poſteris impoſita afficiat deſcendentes per lineam tam maſculinam, qoàm fœmininam. Nam contra eſt, quia *in d. c. un. §. contra natos* expreſſè comprehenduntur etiam deſcendentes ex linea ſœminina, quando autem pœna impoſita à jure, vel ab homine comprehendit expreſsè etiam deſcendentes per lineam fœmininam, tunc jue explicat ſe ipſum, nec indiget alia interpretatione in ordine ad comprehendendos deſcendentes per lineam fœmininam, cùm ipſi ſint in jure expreſſi: at in caſu noſtro deſcendentes per lineam ſœmininam ut etiam per collateralem non exprimuntur, conſequenter lex pœnalis non eſt ad illos extendenda.

Quomodo verò puniendus ſit litigator 12
ſi temerè præſomat contra aſſertionem Judicis ei inferendo injuriam, reſpondetur de hac pœna agere Innocentium III. *in c. dilectus 11. h. t.* obi Pontiſex reſcribit, quòd ne jodicialis evaneſcat autoritas cum de litigatoris improbitate conſtiterit adverſus aſſertionem judicis, temerè prorumpentis, juxta ſuperioris arbitrium digna debeat animadverſione puniri, ſcilicet ut notat Gloſſa quando contradicit miſcendo judici contumelias *c. quos contra falſam de probat. c. de cauſis de offic. deleg.* ubi juvat obſervare quòd ſi injuria ſit ootoria tunc Judex Ordinarius poteſt ipſe per ſe punire injuriantem: ſiquidem in notoria caoſa ſuſpicionis non fertur ſententia cum ſolemnitate, ot docet Innocentios *c. ex parte 1. de V. S.* quòd tamen Panormitanus limitat ad pœnam jure expreſſam: non ita ad pœnam ſuo arbitrio imponendam: & ratio eſt, quia cùm judex ſit is, cui fuit injuria illata, poſſet facilè in modo injungendi pœnam excedere *c. cum veniſſent de judic.*

Qoòd ſi injuria non ſit notoria, & afficiat principaliter ipſum Judicem, tunc non 13
poteſt Judex injuriantem punire, ne ſcilicet ſit Judex in cauſa propria *c. inter multiplices 23. q. 4.* Sin verò injuria lædat principaliter non perſonam Judicis, ſed ejus dignitatem, ſeu judicis officium, tunc poteſt ipſe punire: ſed conſultiùs foret, ſi tunc ipſe Judex, ut ſuſpectus removeretur. Judex autem delegatus ſi per illatam injuriam impediatur ejus juriſdictio; poteſt tunc procedere contra impedientē juriſdictionē ipſios: alioquin ſi non impediatur, debet puniri per ſoperiorem injuriantis, ot habetur *in d. c. dilectus 11. h. t. argum. authent. de teſtib. §. ſi verò ignoti col. 7.*

An verò Metropolitanos poſſit punire 14
injurias ſibi, vel ſuis illatas à ſubditis Comprovincialium Epiſcoporom. Reſpondetur hac ſuper quæſtione Innocentium IV. *in c. Romana 1. h. t. in 6.* reſcribere ad Archiepiſco-

ſcopum Rhemenſem ut ſe, aut ſuorum aliquem in viſitetione Provinciæ injuriantes, ſi ſua per hoc juriſdictio impediatur, & injuria ſit notorie, poſſit proprie euthoritate punire, niſi ampliùs ei de conſuetudine competat. Rurſus concedit, ut Archiepiſcopus, & Metropolitenus poſſit punire percutientem ſe, vel ſuos Nuntios, vel ſamiliam ſuam, dum viſitat Provinciam, vel ſuos ad viſitandum dirigit, vel dum Concilium convocat, vel juriſdictionem exercet. dummodo injuria illata ſit notoria, & maniſeſta, ſive per has injuries impedietur ſua juriſdictio. Unde quando crimina ſunt notoria poteſt Metropolitenus, ſeu Archiepiſcopus punire ſubditos ſuffraganeorum in tota Provincia *c. 1. §. notoria de cenſibus in 6.* Quod ramen limitatur, ut notat Quaranta *in ſum. Bullar. n. 24.* Si Epiſcopue fuerit negligens in puniendis delinquentibus, quia tunc negligentia inferioris ſuppletur per ſuperiorem.

15 Crimina autem notoria ea dicuntur; quæ ita ſunt manifeſta, ut nulle poſſint tergiverſatione celari, ac proinde nulla probetione ſit opus pro cauſæ cognitione, ut notat Barboſa *in collect. in c. Romana 1. n. 2. h. t. in 6.* Quòd ſi injuria fuerit eccleſiæ irrogate, tunc Prælatus licèt poſſit remittere injuriam ſibi illatam, quatenus ipſum tantùm afficit, non tamen poteſt remittere injuriam eccleſiæ irrogatem *l. 1. §. uſque adeo ff. de injuriis.* Rurſus quia nemo debet eſſe Judex in proprie cauſa, nec ſibi, vel ſuis jus dicere *l. unic. C. ne quis in ſua cauſa* ideo ſi injuria Prælato illata ejus tantùm perſonam lædat, non debet propter talem injuriem propriæ perſonæ irrogatam delinquentem punire, ſed hic per alium Judicem puniendus eſt: quòd ſi injuria lædet eccleſiam tunc ejus Prælatus poteſt injuriantem punire tametſi indirectè id cedat in ejus commodum, ut notat Barboſa *in collect. in d. c. Romana 1. n. 4. h. t.*

16 Alia eſt pœna iis injuncta, qui pertinaciter inſordeſcunt in excommunicatione, qua perſiſtunt ultra ennum. De hac enim pœne agitur *in c. gravem 13. & ult. h. t.* ubi Honorius III, cum Comes Regiſterenſis ob multas injurias capitulo Laudunenſi irrogatas per Judices à ſede Apoſtolice delegatos excommunicatus parêre detrecteret, tametſi hoc non careret ſcrupulo hæreticæ pravitatis, nihilominus Pontifex parcens ejus nobilitati, mendat, ſi ab his delegatis commonitus plenè non paruerit, eccleſias, in quibus jus habet, ab eius debito, & fideles ipſius quamdiu in excommunicetione perſtiterit, eb ejus fidelitatis juramento penitus ebſolvi, Ex quo textu colligitur, quòd qui contemnit, & ſordeſcit in excommunicatione per duos ennos, ſeu cum ſcrupulo hæreſis, eſt ſuſpectus de hæreſi, & ſi ſit Comes propter ejus nobilitetem ſi detrectet juri parêre, abſolvuntur eccleſiæ à jure illi debito, & ſubditi denuntiantur abſoluti à juramento fidelitatis, quamdiu perſiſtit in excommunicatione: ubi notat Gloſſe, eum qui propter contumeciam excommunicatur ſive per ennum ſive per plures perſtiterit in excommunicatione non haberi ut hæreticum, ſed poſſe contra eum procedi.

Secus qui excommunicatur propter ſuſpicionem hæreſis ſi per ennum ſteterit in excommunicetione, hebetur poſtea tanquam hæreticus *c. excommunicavimus de heret. c. eam quæ de ſtat. regul.* Quod verò laicus poſſit ob injuries illatas Clericis excommanicari, id intelligendum eſt, ſi commonitus ſuper injuriis nolit ſatisſacere, nec juri parêre, quia propter ſolùm delictum non poteſt quis ab homine excommunicari niſi accedet contumacie *c. ſacro 48. de ſent. excommun.* 17

Prætereo licèr qui perſiſtit per annum, vel ultra in excommunicatione non ſit cenſendus hæreticus, fit temen ſuſpectus de hæreſi *c. excommunicamus 13. §. qui autem de heret.* quia nimirum cenſetur contemnere poteſtatem eccleſiæ, cujus excommunicationem non curat, Cæterum nobiles viri miriùs etiam puniuntur propter delictum, quàm ignobiles ut liquet *ex d. c. gravem ult. h. t.* ubi Papa potuiſſet graviùs Comitem illum punire indicta eidem purgetione de hæreſi, & eâ non præſtitâ illum anathemate percutere; ſed mitiùs egit Pontifex cum illo ad evitanda majora mala; quia ſi ſeveriùs à Judice eccleſiaſtico procedatur contre Principes, & potentes perſæpe graviora oriuntur ſcendele, immo & Schismata, quæ caveri debent. Poteſt tamen Judex eccleſiaſticus ob contemptam excommunicationem punire laicum inſordeſcentem in excommunicatione, privetione jurium, quæ obtinet ab eccleſia, præſertim privetione juris patronatùs, immo poteſt etiem declarare vaſſellos, & ſubditos abſolutos ab obedientia, & obſequiis talis Domini, quamdiu perſtiterit in excommunicatione. 18

Pœna inſectentium, percutientium, capientium, vel occidentium ſacræ Romanæ 19 eccleſiæ Cardinales habetur *in c. felicis recordationis 5. & ult. h. t. in 6.* ubi ſtatuitur, quòd qui Cardinalem hoſtiliter inſequitur, percutit, capit, vel hæc ſecientis, vel fieri mandantis eſt ſocius, vel ratum hebet, aut conſulit, aut ſevet poſtea recipit vel ſcienter deſendit, ſit Reus læſæ Majeſtatis, perpetuâ inſemiâ notetus, diffidatus, bannitus, privatus jure teſtandi, & etiam ſuccedendi ab inteſtato. Rurſus ejus ædificia demoliantur, ſolóque æquentur nullo tempore reperanda. Item nullus illi tenetur debitum reddere, vel reſpondere in judicio; & ejus bona addicuntur fiſco: & ipſe ipſo facto privatur omni feudo, regimine, beneficio eccleſiaſtico, de quibus deinceps Rector eccleſiæ diſponit. Rurſus ejus deſcendentes per lineam etiam fœmininem privantur beneficiis ſine ſpe, ut promoveentur ad dignitates, regimina, & honores etiem mundanos; nec ſunt apti ad ordines, nec ad teſtificandum, nec ad actus alios legitimos,

20 Rurſus anathemate percutitur, ſeu excommunicatione innodatur, & ſingulis diebus feſtis, talis publicatur, quamdiu eſt contumax, nec abſolvitur niſi à Papa, & quidem præmiſſis fuſtigationibus in nudo tergo ad cautelam, & ultra mare relegatur ad triennium. Præterea qui fuit ſimpliciter conſiliarius, vel fautor, Judex pro qualitate culpæ debet eum punire. Hæ pœnæ etiam poſſunt extendi ad collaterales nepotes per Papam. Rurſus qui offendit familiares Papæ, vel Cardinales injungitur ei pœna, pro qualitate culpæ. Demum contra occidentes Cardinales, vel dantes cauſam mortis acriùs inſurgitur etiam à laicis; & ſæculares, qui negligunt horum obſervantiam intra menſem anathemate percutiuntur, & eorum civitas privatur Pontificalibus, eſtque interdicta.

21 Unde ſumma totius textus eſt, quòd Pontifex primò punit inſequentes, percutientes, aut capientes Cardinales, & ejus criminis ſocios. Secundò eorum filios, & nepotes per lineam etiam fæmininam, quatenus eos, privat omni beneficio, etiamſi pontificalem dignitatem adepti ſint, ipſo jure ſunt privati. Tertiò ipſis inſectatoribus pœnas addit. Quartò cùm fuerint abſolvendi cavere idoneè debent, ut æquo animo ſuſtineant pœnam ſibi imponendam, & cùm abſolvuntur, declarat Pontifex, quam ſatisfactionem debeant facere, & quid per abſolutionem conſequantur. Quintò ut ſi quis nudo conſilio, aut favore ſimplici fuerit in præmiſſis culpabilis eum Judex pro qualitate culpæ puniat. Sextò permittit, pœnas has extendi ad collaterales. Septimò ponit pœnas pro inſequentibus clericos, vel Religioſos, familiares Papæ, vel Cardinalium. Octavò ponit pœnas de occidentibus Cardinales

22 Aliæ pœnæ habentur *in c. multorum 2. h. t.* ubi ſtatuitur, quòd capientes, vel detinentes perſonas eccleſiaſticas, ut reſignent ſua beneficia, vel ne citati accedant ad curiam; præter pœnam *canonis ſi quis ſuadente. 17. q. 4.* & aliorum canonum, ſi ſint Prælati non poſſunt percipere fructus per triennium; ſi inferiores, ſint privati beneficiis. Hanc pœnam etiam incurrunt, qui citati ad ſedem Apoſtolicam non comparent, & procurant ſe capi à poteſtate ſæculari. Rurſus reſignationes ita extortæ, tametſi receptæ ſint, & ratæ habitæ à Prælato reſignantium, adhuc declarantur irritæ, & nullius valoris. Demum Prælati, ubi ſciverint aliquem incurriſſe tales pœnas debent ſtatim illum publicare, & omni ſtudio curare, ut pœnæ mandentur executioni, prout ad ipſos pertinet. Rurſus *in clement. cupientes 3. h. t.* Regulares mendicantes, qui domos, vel loca de novo accipiunt vel recepta mutant, vel ea alienant in alios ultra pœnas quas incurrunt *in cap. unic. de exceſſ. Prælat. in 6.* Sunt etiam excommunicati ipſo facto.

23 Rurſus, qui præſumunt proferre aliqua in ſuis ſermonibus, vel alibi, ut audientes retrahant à ſolvendis decimis excommunicatione innodantur; ut etiam ſi requiſiti à Rectoribus eccleſiarum in certis diebus feſtis, quando conciones habent ad populum, vel in confeſſionibus audiendis populum non inſtruunt; vel conſcientiam non faciunt, ut non omittant ſolvere decimas, ultra peccatum mortale graviter debeant argui à ſuis ſuperioribus, qui ſub pœna peccati mortalis tenentur ſtatuta pœnalia facere contra hujuſmodi prædicantes, adeò ut pœna gravior, & ſævior ſit alijs in exemplum.

24 Rurſus Religioſi, qui ſcienter poſtponunt conſcientiam faecre de ſolvendis decimis ipſo facto tamdiu ſunt ſuſpenſi ab officio prædicandi, donec ſi commodè facultatem dicendi habuerint, fecerint conſcientiam pœnitentibus: quòd ſi præſatâ negligentiâ non purgatâ, adhuc præſumpſerint prædicare, ſunt ipſo facto excommunicati. Præterea hæc conſtitutio non extenditur ad Religioſos monaſteriorum, nec ad Rectores eccleſiarum percipientium decimas ſalva in ſuo robore conſtitutione Gregorij IX. ſuper hoc edita, ut habetur *in c. 1. de decimis in 6.* Præterea excommunicantur Religioſi, & Clerici ſæculares; qui ad vovendum, jurandum, promittendum inducunt homines, ut eligant ſepulturam in eorum eccleſiis, vel electam non mutent *c. 2. de ſepult. in 6.* & excommunicatio reſervatur Papæ, & revocantur privilegia. De hac pœna excommunicationis plura habet Suarez *diſp. 23. de cenſur. ſect. 5. n. 33.*

25 Gloſſa tamen enumerat plures ſuſpenſiones cum ſuis iuribus, vult enim quòd alia ſit ſuſpenſio à communione fratrum ſimpliciter, vel ad duos menſes; vel ad fratres non ſuæ eccleſiæ, vel à communione eccleſiæ, donec ipſum pœniteat, ab oblatione altaris, ab acceptione ſacramentorum, à conſecratione Epiſcoporum ſimpliciter, vel per annum, à collatione omnium ordinum ſimpliciter, vel ad annum, vel ad triennium, vel certorum ordinum tantùm, vel primæ tonſuræ tantùm, ab executione ordinum ſimpliciter, vel certi ordinis tantùm, ſimpliciter, vel ad tempus à Pontificalibus tantùm; ab officio ſacerdotali, vel non à toto, ſed à celebratione miſſæ ad duos menſes, vel annum, vel duos annos: ab ingreſſu eccleſiæ ſimpliciter, vel ad menſem, vel quouſque ſatisfecerit, ab ingreſſu, & divinis per menſem, quid autem ſignificet *ab ingreſſu* habetur *in c. is cui de ſent. excommun. in 6.* Ab officio ſuſpenditur vel ad annum, vel triennium, à voce Capituli donec quis ordinetur: à beneficio habito ſimpliciter ad ſex menſes, ad annum, ad triennium, ad incertum tempus, ut quamdiu placuerit: à beneficio obtinendo ad ſex menſes, annum, vel biennium: ab officio, & beneficio ſimpliciter ad tempus donec ſatisfecerint: à privilegio clericali in perſona, vel in rebus, à collatione beneficiorum ſimpliciter ad annum, vel duos

annos: à confirmatione Epiſcoporum ſimpliciter, vel ad annum: à confirmatione inferiorum: ab officio advocationis notoriæ: à collatione Magiſterii, ab officio prædicandi, Hactenus Gloſſa, in enumeratione ſuſpenſionum.

§. V.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, an pœna latæ ſententiæ privationis beneficiorum & inhabilitatis ad illa obliget in conſcientia ante ſententiam declaratoriam? Reſpondent aliqui affirmativè quia cùm beneficia ſint bona communia eccleſiaſtica, & juris publici, magiſque pendeant à publica poteſtate eccleſiæ, poteſt lex ita privare, & obligare: ita docent Navarrus *c. 23. num 67.* Gracias *de benefic, p. 11. c. 10. num.* 18. Monchada *lib. 1. controv. c 7 num. 33.* Verùm communior, & probabilior ſententia docet, hanc pœnam non obligare in conſcientia ante ſententiam declaratoriam; tametſi lex dicat, ut ſit privatus ipſo jure ante omnem declaratoriam; quia tunc adhuc retinet poſſeſſionem naturalem juſtam, vel etiam titulum utilem, ut docent Quaranta *V. alien. num. 49.* Sanchez *lib. 2. c. 26. in decal. num 7.* ubi plures allegat, Farinacius *q. 189. crimin §. 6. num.* 80. idque ampliatur: primò quamvis ſtatim à die commiſſi criminis Reus amiſerit titulum directum beneficii, ita ut poſſit impetrari etiam eo non vocato, non tamen poteſt privari poſſeſſione non vocatus, ſeu inauditus, ut notat Garcias *de beneficijs p. 11. c. 10. n. 23.*

2 Ampliatur ſecundò, quod ante declaratoriam facit fructus ſuos, quamvis poſt declaratoriam compellatur eos reſtituere, in quo tamen caſu poteſt retinere aliquid ad compenſandos labores, & ſervitutes præſtitas Eccleſiæ.

3 Ampliatur tertiò, quia interim ante declaratoriam poteſt beneficium reſignare, quamvis poſt declaratoriam caſſetur ſtatim reſignatio. Ampliatur quartò, quia non ſolùm non tenetur ante declaratoriam dimittare beneficium, ſed neque ante executionem de mandato Judicis. Ampliatur quintò, ut id procedat, quamvis Reus delatus eſſet ad forum, & interrogatus à Judice negâſſet, & abſolutus eſſet ob eius inficiationem; vel ſi condemnatus appellâſſet, vel à Judice ſecundæ inſtantiæ abſolutus eſſet.

4 Verùm hæc ſententia etiam limitatur primò, ut non procedat, quando eſt pœna privationis beneficii nondum abſolutè quæſiti, ſed ſub certo modo aliquo, vel conditione reſolutiva, ut notat Vega apud Garciam *p. 11. c. 10. n. 29.*

5 Limitatur ſecundò, ut non procedat, quando lex expreſsè privat beneficiis quæſitis, & ſtatuit, ut Reus teneatur dimittere beneficium ante omnem ſententiam declaratoriam in conſcientia, ſeu ut antea abſolvi non poſſit: ſiquidem canon poteſt ſic obligare.

6 Limitatur tertiò, quia tametſi poſtea ſequatur ſententia declaratoria criminis, retrotrahitur illius effectus à die commiſſi criminis, adeò ut reſcindantur ipſo jure omnia acta ex jure dicti beneficij, ut emanata ex privata poteſtate, quia ſi emanarent ex publica, & ex actu jurisdictionis ſuum ſortiretur valorem

7 Quod verò ad pœnam attinet inhabilitatis ad beneficia obtinenda, hæc obligat in in conſcientia, ut etiam pœna inhabilitatis ad officia eccleſiaſtica; adeò ut ſoleat recurſus fieri ad ſacram Pœnitentiariam pro rehabilitatione ad beneficia; & interdum ab hac relinqui pœnitentem inhabilem ad alia beneficia, diſpenſando quoad illud obtentum ſolum. Hinc collatio facta inhabili eſt ipſo jure nulla etiam in foro conſcientiæ ante ſententiam declaratoriam, adeò ut retineri non poſſit beneficium. Plures tamen cenſent, hanc pœnam non obligare ante declaratoriam, ita docent Leſſius *lib. 2. c. 35. dub. 26.* Tannerus *tom. 3. diſp. 5. q num. 97.* Navarrus *conſ. 92. de ſimon.* Verum ſi pœna inhabilitatis lata ſit ſolùm quoad unum numerò beneficium, tunc obligat in conſcientia ante omnem declaratoriam, ut etiam ſi inhabilitas oriatur ex cenſura, vel irregularitate.

8 Quæritur ſecundò, an & quomodo affectus, & conatus ad peccandum puniatur? Reſpondetur, affectum, & meram voluntatem peccandi latentem in mente nullâ plecti pœnâ: ratio eſt perſpicua, quia de occultis nec curia, neque eccleſia judicat, quia judicium ſupponit cognitionem rei, de qua fertur judicium; & affectus occulti, quamdiu manent occulti, ſeu intra mentem non cognoſcuntur, ſaltem ſecundum ſe, & directè, proinde non poteſt de ipſis dari judicium: ſacus conatus externus tametſi effectus non ſequatur, punitur pluribus in caſibus, perinde ac ſi conſummatum opus fuerit.

9 Primò ſi non ſtet per conantem quo minus effectus ſequatur, ut notat Gigas *de crimine laſæ Majeſtatis q. 66.* hinc crimen raptûs punitur ob ſolum conatum externum *l. ſi quis non dicam rapere C. de Epiſc. & clric.*

10 Secundò crimen læſæ Majeſtatis, præſertim *ex primo cap. legis Juliæ* ubi eadem ſaveritate jura affectum cum effectu puniri volunt *c. quisquis de pœnit. diſt. 1. clement. paſtoralis. de re judic.*

11 Tertiò crimen parricidii, filius enim parricidii reus cenſetur, ex eo quòd venenum emerit, ut patri daret, licèt effectus non fuerit poſtea ſecutus *l. 1. ff. ad leg. Pomp. de parricid.*

12 Quartò crimen aſſaſſinatûs: ſiquidem condemnatur, ut Siccarius, qui mandavit alicui per inſidias alteri mortem inferre, quamvis

poſtea

poſtea mandatum revocaverit *c. pro humani* §. *fin. de homicid.*

13 Quintò crimen infanticidii, qui enim tentavit infantem occidere eſt obnoxius capitali pœnæ, quamvis ipſo opere infanticidium non compleverit *c. ſi quis de pœnit. diſt.* 1.

14 Sextò crimen lenocinii, qui enim domi ſuæ permiſit tractatum fieri de adulterio, tametſi hoc in eadem domo non fuerit poſtea patratum, adhuc tenetur crimine lenocinii *l. etſi ff. ad leg. Jul. de adult.* Generatim in omnibus delictis, quæ facilè in conſequentiam, & exemplum trahi poſſunt, punitur affectus etiam ſine effectu, licèt mitiori pœnâ, quàm effectus præſertim in materia ſtatutaria: ſiquidem quòd delictum ex attentato æquiparetur perfecto operi, id non oritur ex rei veritate, ſed ex jurisfictione. Statuta autem purè, & naturaliter debent explicari juxta boni Judicis arbitrium, ut notat Tuſchus *concluſ.* 544. Felin. *p. 3. in decretal. c. fin.* Gaillus *lib. de pace publ. cap.* Tiraquel: *tract. cauſ.* 39. Barboſa *in cap. adoleſcens de deſpouſ. impub.*

15 Cæterum non omnis conatus externus effectu non ſecuto pari pœna afficitur, ſed tantùm ille, qui proximus eſt operi perfecto, & conſummato, ut eſt conatus attentantis puellam conſtuprare, tametſi propter impedimenta extrinſeca non potuerit opus perficere, adhuc cenſetur flagitii reus; perinde ac ſi plenè illud conſummâſſet, ut notat Menochius *caſ.* 360. ubi addit, pœnâ extraordinariâ eos puniri, qui qualicunque externo actu mentis ſuæ malitiam produnt. Julius Clarus tamen *§. fin. q.* 91. ait, ex generali conſuetudine non puniri affectum ſine effectu, quamvis ad externum actum fuerit deductus, quod tamen pluribus indiget limitationibus, quia licèt hæreſis purè mentalis non puniatur ab eccleſia, eò quia eam non cognoſcat, ſi tamen hæreſis mente concepta verbo, vel ſcripto manifeſtetur, punitur, ut notat Navarrus *in c. cognitionis de pœnit. diſt.* 11.

16 Quæritur tertiò, an pro homicidio adulterio, & ſimilibus delictis poſſit lege aliqua imponi pœna pecuniaria? Reſpondet Panormitanus *in cap. 2. de delictis puer.* id non eſſe licitum, nec expedire; quia homines exponerentur venales ad delinquendum. Tum quia audaciores fierent ad perpetranda ſcelera, cùm plerique, ita ſint affecti, ut malint pecunias dare, quàm permittere corpus torqueri *argum. l. in ſervorum, & l. aut facti ff. de pœnis.* Hinc communiter improbatur ſtatutum Regni Poloniæ, quo vir nobilis pro occiſione ſervi damnatur ad certam pecuniæ ſummam; cùm teneatur capite luere, ſi alium nobilem occidat. Cenſet tamen Clarus *§. homicidium* occidentem alium culpabiliter quidem, ſed absque dolo, ſeu deliberato animo poſſe pœnâ pecuniariâ, vel exilio puniri, & addit homicidium deliberatum eſſe puniendum pœnâ capitis *l. 1. §. ff. de Siccariis* & notant Farinacius *q. 14. num.* 6. Gaillus *lib. 2. obſer* 110. Menochius *caſ.* 329. Mynſing. *centur. 6. obſ.* 97. Cæterum pœna pecuniaria, ſi quæ imponitur fiſco adjicitur poſtquam ſatisfactum eſt parti, cujus intereſt *l. mulctar. C. de modo mulctar. l. 3. ff. de ſepul. violat.* & notat Sylveſter *V. pœna q.* 25. quia verò Epiſcopus propriè non habet fiſcum, non poteſt attrahere mulctam pecuniariam, ut notat Barboſa *in cap. cùm ſit de haeret.* & *cap. licèt h. t.* niſi fortaſſis propter inopiam indigeat; tunc enim poteſt pœnam pecuniariam ſibi, ut pauperi applicare, prout indiget: alioquin, ut notat Covarruvias *lib. 2. var. cap.* 9. quando à judice eccleſiaſtico imponitur pœna pecuniaria ob injuriam eccleſiæ illatam, dimidia pars diſtribuitur eccleſiæ læſæ, vel cujus Rector fuit injuriam paſſus, & altera pars diſtribuitur in utilitatem læſi. Verùm in hiſce pœnis pecuniariis diſtribuendis non ſolùm attendi debet jus commune, ſed vel maximè municipale, & ſtandum eſt ſtatutis locorum.

17 Quæritur quartò, an pœna verberum, & fuſtigationis Clericis licitè imponi poſſit? Reſpondet Piaſecius *p. 2. cap. 4. num.* 91. hanc pœnam uſitatam eſſe etiam in Clericis *cap. 1. de calumniator. c. fin. diſt.* 35. ita tamen, ut Clericus nonniſi per Clericum verberetur *cap. univerſitatis de ſentent. excommun.* Epiſcopus verò nullum debet per ſe ipſum immediatè percutere *cap. non liceat diſt.* 86. Cavendum itidem eſt, ne cùm verberatur Clericus ulla fiat membrorum læſio, vel ſanguinis effuſio. Hac pœna autem nonniſi rariſſimè ſunt ſacerdotes afficiendi, niſi perpetraverint atrociſſima delicta, cujusmodi ſunt crimina læſæ Majeſtatis, magiæ, & alia, quæ recenſet Zanger *tractat. de tortur. cap. 1. num.* 64. quia ob hujusmodi delicta atrociſſima Clerici, & ſacerdotes pari cum laicis plectuntur modo. Cæterum ſi Clericus ſit ſuſpectus de gravi crimine per ſemiplenam probationem, tametſi conſtitutus ſit in ſacris Ordinibus torqueri poteſt per alium; non verò per laicum niſi, fortâſſis aliud conſuetudo ferat, ut notat Piaſecius *p. 2. cap. 4. num.* 92. non tamen tortura Clericorum pari ſeveritate cum illa laicorum debet fieri: decet enim, Clericos mitiùs puniri, quàm laicos ob ſtatum Clericalem.

18 Non tamen Clericus ex confeſſione facta coram Judice laico poteſt torqueri, quia laicus non eſt Judex competens, nec contra clericum poteſt ſententiam torturæ ferre. Imò cenſent plures, non eſſe torquendum Clericum ex eo, quòd in ferendo teſtimonio vacillaverit, eò quia debeat præcedere infamia cum aliis ſufficientibus indiciis, quæ ſemiplenam efficiunt probationem, ut notant Tuſchus *concluſ.* 231. Clarus *q. 69. num.* 2. Clericorum itidem incarceratio nonniſi rarò facienda eſt, quia eius præjudicium eſt irretractabile. Quandóque tamen ſi Clericus detrudatur in carcerem debet hic non eſſe immundus nec ſqualidus, neque in illo debent laici ſimul detineri: alioquin Prælatos fieri irregulares, & homicidas,

ſi

ſi tetro in carcere Clericos detineant traddit Menochus *caſ. 305.* Cùm ſit finis carceris duplex. Primò ut ſit locus cuſtodiæ, quamdiu Rei cauſa agitatur: ſecundò, ut ſit pœna, & afflictio; juxta hunc ſecundum finem poteſt Clericus ob delictum in carcerem detrudi, ut hac pœnâ commiſſum crimen vindicetur. Ad carcerem autem perpetuum nonniſi in duobus caſibus poſſunt Clerici Rei damnari. Primò quando id in jure exprimitur *c. penult. & ult. de hæret.* Secundò in caſibus, in quibus propter atrocitatem delicti laico imponeretur pœna mortis cum aliqua qualitate atroci, cujuſmodi eſt damnatio ad ignem, vel beſtias. Piaſecius, verò cenſet ad perpetuum carcerem non eſſe Reum damnandum niſi in caſibus jure expreſſis.

19 Quæritur quintò, an quis pro alio, cùm ſit ipſe innocens, puniri poſſit? Reſpondet Covarruvias *lib. 2. variar. c. 8. num. 1.* ex juſtis cauſis, & ob Reipublicæ utilitatem poſſe filios, & nepotes puniri pœna bonorum, & alia ſimili. Ceterùm D. Thomas 1. 2. *q. 87. art.* 8. docet: quòd ſi ſermo ſit de pœna pro peccato inflicta, & quatenus habet rationem pœnæ, debere hac affici ſolùm eum, qui peccavit, & addit rationem, quia actus peccati eſt aliquid perſonale, proinde trahit pœnam ad ipſam perſonam. Quòd ſi ſermo ſit de pœna habente rationem medicinæ, tunc poteſt innocens pro nocente, & peccato alterius puniri; quo pacto puniuntur filii, pro delictis parentum, & ſubditi pro criminibus ſuorum dominorum, quatenus filii ſunt aliquid patris; ut etiam ſubditi Dominorum. Quòd ſi filius ſit particeps culpæ, tunc pœnalis defectus habet rationem pœnæ quoad utrumque, nimirum quoad eum, qui punitur, & eum, pro quo punitur. Sin verò non ſit particeps culpæ habet tantùm rationem pœnæ quoad eum pro quo punitur; quoad eum verò, qui punitur, habet tantùm rationem medicinæ, non verò pœnæ, niſi fortaſſis per accidens, quatenus alterius peccato conſentit. Cæterum in bonis animæ nemo patitur detrimentum abſque culpa propria; proinde hiſce pœnis unus non punitur pro alio, quia ut docet D. Thomas *loc. cit.* quoad animam filius non eſt pars patris, nec ſubditus Domini. Quòd ſi juſta, & rationabilis cauſa ſubſit, docet Julius Clarus §. *fin. q. 86. num. 5.* validum eſſe ſtatutum, ut qui innocens eſt, puniatur pro alio, quod tamen limitandum eſt, ut pœna non ſit corporalis, ſed vel pecuniaria, vel infamiæ, idque deſumitur *ex l. quisquis C. ad leg. Jul. Majeſt.* ubi filii eorum, qui Rei ſunt criminis læſæ Majeſtatis privantur amiſſione bonorum, & honore, & licèt id videatur duriſſimum, tolerari tamen debet ob ſceleris attocitatem.

20 Addit etiam Julius Clarus *loc. cit.* valere ſtatutum, ut Dominus puniatur pro familia delinquente, quod tamen intelligendum eſt quoad pœnam pecuniariam. Cæterum crimina delinquentium eorundem morte extinguuntur *cap. quorundam diſt. 24.* nec poteſt quis poſt mortem ampliùs accuſari *cap. 1. 24. q. 1.* hinc delicta ordinaria propriè dicta, & pœna pro iisdē inflicta non tranſeunt ad hæredes. Tenentur tamen iſti interdum pro defunctis compenſare damna illata ex bonis relictis: ratio eſt, quia nomine hæreditatis veniunt etiam credita, & debita *l. hæreditatis appellatio. ff. de V. S.* quia hæreditas tranſit ad ſucceſſores cum ſuis oneribus. Hinc hæredes tenentur etiam ad pœnam, quæ ſpecialiter legibus conſtituta eſt, ut in crimine hæreſis, & læſæ Majeſtatis *l. cum à Matre C. de rei vendic.* & notat Tuſchus *concluſ. 267.*

Quæritur ſextò, an bannitus poſſit ali- 21
quando in judicio ſuſtinere perſonam actoris? Reſpondent communiter negativè, quia cùm ſit omni jure civium privatus, mortuis potiùs civiliter, quàm vivis accenſetur *l. is qui Reus ff. de publ. act.* Bartol. *in l. cum mulier. num 5. ff. ſolut. matrim.* & licèt non deſint, qui diſtinguant inter bannitos propter delictum, & bannitos propter contumaciam, hæc tamen diſtinctio non videtur hic eſſe ad rem, quia *in l. is qui Reus ff. de publ act.* omnium bannitorum actiones, pacta, & geſta irritantur. Idque etiam conſonat juri canonico *c. Felicis 5. de pœn. in 6.* Verùm licèt hæc procedant de jure communi, quo omnes omnino actiones, & jura ſimpliciter negantur bannito tanquam civiliter mortuo; Mynſingerus tamen *centur. 3. obſer. 30.* aſſerit, patri bannito concedi, ut pro filio poſſit in judicio agere.

Idque ſi verum eſt, procul dubio nititur 22
favore paternæ affectionis, & pietatis. Cæterum ſi bannitus ab alio vocetur in judicium, tenetur comparere, ut reus, quia judicium agitur in invitum *l. inter ſtipulantem §. ſi ſtichum §. de V O.* Gloſſa *in c. 1. V. interrogatus de judic.* Tum quia defenſio juris naturalis nemini eſt deneganda *clement. paſtoralis de ſent. & re judic. l. Divus ff. de adept.* & bannitus quando citatur, accedit ob neceſſariam defenſionem: & tunc ei non tribuitur ullus favor, nec beneſitium.

An verò bannitus poſſit vocari in judici- 23
um, ut teſtis? Reſpondetur cum diſtinctione, ſi ſit bannitus ex delicto, non poteſt admitti, ut teſtis propter infamiam, ut notat Maſcardus *concluſ. 1356.* & Farinac. *q. 56. num. 328.* Sin veró ſit bannitus ob ſolam contumaciam, tunc admitti poteſt ad ferendum teſtimonium, quia non cenſetur infamis, ut notat Baldus *in c. ſuper eo 4. de teſtib.* & tunc debet bannitus muniri ſalvo conducto, ut venire poſſit ad teſtimonium ferendum, ut notat Clarus §. *fin. q. 71. num. 6.* non tamen banniti ſunt integri teſtes, imò ſi alicubi ex lege municipali, ſtatuto, vel conſuetudine banniti notentur infamiâ; tunc non valet juris communis indulgentia, ſed à teſtimonio ferendo repelluntur.

Quæritur ſeptimò, quis diſpenſare poſſit, 24

ſuper pœna privationis beneficiorum convalidando titulum amiſſum ob crimen ipſo jure, vel ſuper pœna inhabilitatis ad beneficia rehabilitando perſonam? Reſpondetur regulariter, hanc diſpenſationem ſuper pœna privationis beneficiorum pertinere ad Papam; præſertim ſi hæc pœna incurſa ſit propter aliquod delictum valde enorme, & atrox: alioquin Epiſcopus ſeu Prælatus habens juriſdictionem Epiſcopalem poteſt diſpenſare ſuper hac pœna incurſa ex crimine non graviori adulterio, ſi nondum ſit ſecuta actualis depoſitio, ſeu privatio: immò probabile eſt in multorum ſententia, poſſe Epiſcopum vigore Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 6. refor.* diſpenſare, ſeu revalidare contra hanc pœnam privationis beneficiorum, vel inhabilitatem in caſibus occultis, ut docent Ugolinus *de ſimon. tabul. 4. c. 6. §. 7. num. 2.* Sanchez *in decalog. lib. 6. c. 15. n. 78.*

25 Verùm contraria ſententia communior eſt, & verior præſertim quoad inhabilitatem illatam à canone quoad illud beneficium circa quod deliquit, & ita declaraſſe ſacram congregationem refert Gar. *de beneſ. p. 8 c. 1. n. 74.* Tum quia Epiſcopus in caſibus in quibus poteſt revalidare, non poteſt titulum beneficii revalidare, etiam ante declaratoriam in præjudicium tertii, qui illud impetravit, ut vacans aliquo modo ex dicta privatione: ratio eſt, quia Epiſcopus non poteſt auferre jus quæſitum illi tertio, ut notat Geminian. *conſ. 105. in fin.* Cæterum Epiſcopus, ſeu Ordinarius collator poteſt revalidare titulum beneficii alicujus, illud de novo conferendo in caſu, quo proviſio fuit nulla ob aliquod impedimentum, ſeu inhabilitatem, ſi tale impedimentum ſit ſublatum: ut ob cenſuram, vel irregularitatem, quando collatio ad ipſum tunc pertinebat, ut notat Garcias *p. 7 c. 13. num. 74. & 76.* ubi pro hac ſententia plures citat. Secus eſt, ſi collatio facta fuit à Papa, & hoc etiam procedit de inſtitutione facta à patrono præſentato; quia ſi non adfuit vitium in ipſa præſentatione, poterit inſtitutio iterari ſine nova præſentatione; ſecus verò ſi in præſentatione contigit vitium.

26 Quæritur octavò, an pœna carceris irroget infamiam, ac proinde efficiat irregularem? Aliqui cum Gloſſa *in cap. infames V pœna 3. q. 7.* reſpondent negativè: quia ſola pœna non infamat, & *citat. leg. nullam C. ex quibus cauſis infamia irrogetur.* Verùm hic textus non loquitur de pœna, quia hæc dicit punitionem, quæ neceſſariò ſupponit culpam; ſed loquitur de pœnalitate torturæ, cujus eſt alia ratio; quia infligi poteſt ex diverſo titulo, & non dicit ordinē ad culpam. Quin imò ſi ad honeſtum finem ſuſcipiantur hujuſmodi pœnalitates, honorem potiùs pariunt, hinc Gloſſa *in d. l. nullam V infamiam* ait, quòd tortura licèt non irroget infamiam juris, irrogat tamen infamiam facti *l. generaliter §. 1. & l. eos. ff. de Decur,* per hos enim textus hæc infamia, quæ eſt oneratio bonæ opinionis, facit repelli à dignitatibus, & ſolùm in ſubſidium ad illas admitti, quando alii non occurrunt: verùm probabile eſt, detruſionem in carcerem non per modum ſimplicis pœnæ, ſed per modum cuſtodiæ ob delictum patratum cauſare infamiam etiam in perſona eccleſiaſtica præſertim ſi tempus carceris ſit diuturnius, ut docent Gloſſa *l. 1. C. ex quib. cauſ. infamia irroget. V. vincula* ubi ait, quòd vincula non irrogant infamiam, quando dantur in puram pœnam, non verò quando ordinantur ad explorandum crimen. Ratio itidem eſt, quia tunc carcer eſt propter culpam explorandam proinde participat cum ipſa in dedecore oppoſito humanæ dignitati, in qua conſiſtit bona fama. Tum quia carcer tunc participat in dedecore cum crimine, propter quod infligitur, & ſimul privat libertate propria humanæ conditionis, & quaſi trahit ad conditionem beſtiarum, quæ inter vincula cuſtodiuntur, proinde dejicit de ſtatu dignitatis humanæ, motibus, & legibus comprobato, hoc autem eſt inducere infamiam.

Quæritur nonò, an Princeps ſupremus 27
poſſit condonare pœnas debitas delictis? ſiquidem intereſt communitatis, quòd delicta puniantur *l. ita vulneratus ff. ad leg. Aquil.* & notat D. Thomas 2. 2. *q. 67. art. 4. ad 3.* unde etiam *Deuter. 13.* dicitur, quòd delinquens debeat puniri, & adducens rationem ſubdit, *ut omnis Iſraël audiens timeat, & nequaquam faciat quidpiam hujus rei ſimile*: ſiquidem remiſſio pœnæ inducit licentiam peccandi, & nutrit delicta. E converſo cùm Princeps ſit ſupra jus poſitivum humanum, ſitque author legum, quæ per eandem poteſtatem, quâ conduntur, poſſunt etiam diſſolvi; videtur, quod ſupremus Princeps poſſit condonare pœnas debitas delictis ſaltem per ablationem juris poſitivi humani, & ita docent Canoniſtæ præſertim Innocentius, & Felinus in *cap. quæ in eccleſiarum de conſtitut. num. 9. & 55.*

Reſpondetur igitur, Principem poſſe re- 28
mittere pœnas debitas delictis, ſi hæc remiſſio non redundet in ſpeciale nocumentum publicæ utilitatis, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 67. art. 4. in corp.* quia cùm Princeps ſit author legum per eandem poteſtatem, quâ poteſt leges ponere, poteſt etiam eas diſſolvere, poteſt etiam auferre effectus ejuſdem juris poſitivi humani. Conveniunt tamen Juriſtæ, non poſſe Principem remittere pœnam debitam delicto, niſi pars læſa remittat offenſam *l. fin. C. de abdi. l. 2. C. de precib. Imperat. offerend.* quia ſi pœnam remitteret delicto debitam non remittente parte læſa offenſam, remiſſio pœnæ eſſet in præjudicium partis læſæ, cui ſatisfit per pœnam inflictam delinquenti, qui læſit. Princeps autem niſi juſta ſuppetat cauſa non poteſt jus tertii tollere *l. fin. C. ſi contra jus, vel util. public.* quod tamen procedit niſi concurrat aliqua cauſa, ob quam Princeps, ita exigente

publica

publica utilitate poſſit, juri tertii derogare, tunc enim tametſi pars læſa non remittat offenſam, adhuc poteſt Princeps remittere pœnam debitam delicto: & ratio eſt, quia tunc publica utilitas præferri debet privatæ *l. fin. C. communia de legat. in authent.* & docet Panormitanus *in cap. 1. not. 5. de Paroch.* Verùm hæc pœna limitari etiam debet ad pœnas corporales, vel ad pecuniarias, quæ aliquo modo redundant in utilitatem partis læſæ, quia ſi pœna ſit pecuniaria applicanda fiſco, poteſt Princeps eam remittere, ut docent communiter doctores in *l. præſcripta C. de precib. offer. Imper.* quia pœna, quæ adjicitur fiſco, eſt ſub diſpoſitione Principis, & non pertinet ad partem læſam, proinde poteſt Princeps eam condonare, ſi velit, quia tunc duo concurrunt actus unus condemnationis, quo pœna pecuniaria adjudicatur fiſco, & alter donationis, quo Princeps pœnam adjudicatam donat reo, & per condonationem unus actus exprimitur, & alter ob vitandum circuitum rejicitur *l. ſingularia ff. ſi cert. pet.*

9 Cæterum quando Princeps remittit pœnam debitam delicto, debet remiſſio reſpicere bonum publicum, cum ſit Princeps propter communem utilitatem, quam debet pro fine reſpicere *l. 2. §. noviſſima ff. de origine jur.* unde Princeps in adminiſtratione regiminis debet ſemper reſpicere ad publicam utilitatem, quapropter non poſſet Princeps pœnas jure humano infligendas condonare, ſi hæc condonatio læderet naturalem æquitatem: ratio eſt, quia licèt Princeps ſit ſupra jus humanum ſimpliciter, & nudè ſumptum, non ita eſt ſupra jus humanum, quando huic aſſiſtit jus naturale: quando enim ſubintrat jus naturale aſſiſtens juri humano, in quod propterea retundit naturalem æquitatem, tunc ceſſat poteſtas Principis, ut notat Abbas *in c. quæ in eccleſiarum de conſtit.* in *cap. per tuas de arbit.* & ratio eſt, quia lex naturalis, & dictamen rationis obligat omnes, quia lex naturæ poſita eſt ab Authore ejusdem naturæ, ut notat Baldus *in c. 1. §. ad hæc de pace juram. ſir.* Quamobrem ſi agatur de pœna debita ob transgreſſionem legis divinæ poſitivæ, aut naturalis, cùm de utraque ſit eadem ratio, eò quia utraque ſit poſita à Deo; non poteſt Princeps talem pœnam condonare, quia non eſt ſupra legem divinam, & naturalem, ſed ipſi ſubjicitur, proindenon poteſt diſponere circa ea, quæ per dictas leges ſtatuuntur *cap. cùm inferior de majorit. & obed.* Immò neque poteſt Princeps ſine rationabili cauſa relaxare pœnas, quia tenetur Princeps procurare publicam utilitatem, quam debet habere pro fine ſui regiminis.

Quæritur decimò, quænam ſint cauſæ, 10 ob quas poſſit Princeps condonare pœnas debitas delictis? Reſpondet Suarez *lib. 5. de legib. cap. 11. num. 9.* has cauſas eſſe plures, adeò ut poſſit Princeps condonare in gratiam ſubditorum, ut ſe illis oſtendat benignum, & eorum animos erga ſe ipſum conciliet. Ut etiam in gratiam alicujus Magnatis, ſi ſupplicet Principi pro gratia. Rurſus etiam ob utilitatem perſonæ delinquentis, vel ob priora obſequia ab ipſo exhibita, & ob alias ſimiles cauſas, quia condonatio pœnæ in his caſibus redundat in bonum publicum. Sed adhibenda eſt diſtinctio, quia ſi delictum ſit contra legem naturalem, & divinam, vel aliquo modo ſubintret æquitas naturalis, tunc non poteſt Princeps ob præfatas cauſas condonare pœnam niſi fortaſſis concurrant tales circumſtantiæ, quæ faciant, quòd condonatio præponderet punitioni, vel ſaltem æquivaleat quoad utilitatem redundantem in communitatem. Sin verò delictum ſit contra legem humanam, tunc prædictæ cauſæ ſunt ſufficientes, quia tunc pœna eſt tantùm debita de jure humano, proinde eſt ſub diſpoſitione Principis, ſicut ipſum jus humanum, proinde poteſt Princeps ex quacunque rationabili cauſa condonare pœnam debitam delicto.

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis, & Remiſſionibus.

QUia præter pœnas, quæ imponuntur in foro externo, ſeu judiciali; dantur aliæ, quæ ſolent injungi in foro interno, ſeu pœnitentiali, & conſcientiæ; & cum in præcedentibus Pontifex egerit de Pœnitentiis fori externi; ideo in præſenti agit de pœnis fori interni, ſeu pœnitentiis, quæ injungi ſolent in ſacramentali Confeſſione, & in foro animæ. Quia verò hujuſmodi pœnæ, ſeu pœnitentiæ injunctæ in foro conſcientiæ interdum relaxantur per Remiſſiones, ſeu Indulgentias; ideo ſubjicit Pontifex ſecundam partem Rubricæ, quæ eſt de Remiſſionibus, ſeu Indulgentiis. De quibus cum fusè egerim in Tomo 8. meæ Theologiæ; & quidem de prima parte hujus Rubricæ à *diſput.* 18. *uſque ad* 26. *incluſivè*, & de ſecunda Rubricæ parte *diſput.* 28. & 29. ideo in præſenti ea duntaxat attingam breviter, quæ in hoc titulo continentur.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *MANIFESTA 1. h. t. Alexander Papa reſcribit, manifeſta peccata, non eſſe occulta correctione, purganda. Ubi notat Gloſſa, ſola delicta publica tametſi levia ſint, eſſe correctione purganda, ut nimirum vitetur ſcandalum. Notandum tamen pœnitentiam ſolemnem, vel publicam non eſſe imponendum Clerico, niſi depoſito* c. confirm. eod.

C. *QUI PRESBYTERUM 2. h. t. Ex Concilio Moguntino ſtatuitur, ut occidenti Presbyterum imponatur pœnitentia duodecim annorum; & ſi ſit convictus, & miles careat cingulo militari per totum vitæ ſuæ tempus; & maneat ſine ſpe conjugii. Ex hoc textu colligitur triplici pœna plecti occiſorem ſacerdotis. Primò pœnitentia duodecim annorum ob enormitatem patrati criminis: alioquin pro crimine mortali ſolùm imponitur pœnitentia ſeptem annorum* c. admonere 2. q. 33. *Secundò plecti privatione cinguli militaris. Ubi notat Panormitanus, Judicem eccleſiaſticum poſſe laicum privare etiam cingulo militiæ temporalis, immò etiam Doctoratu, & quolibet negotio ſeu, mercimonio ſæculari, quod juxta Innocentium poteſt ſacerdos iniungere, ut delinquens agat pœnitentiam ſibi impoſitam. Tertiò conſtat plecti, eò quia privetur etiam facultate nubendi, quo pacto adigitur, ut vivat ſolitarius, decedatque ſine ſobole. Ceterum crimina impedientia matrimonium contrahendum ſunt ſex ſcilicet inceſtus* c. 1. & 2. de eo qui cognovit conſang. uxoris ſuæ *Raptor ſponſæ alterius* c. ſtatutum 27. q. 3. *Interfector uxoris ſuæ* c. admonere 33. q. 2. *Qui baptizat ſuum filium, ut ſeparetur ab uxore* c. de eo 30. q. 1. *Qui monialem ſcienter in matrimonium accepit: & qui occidit Presbyterum, ut in præſenti textu. Verùm non obſtantibus præfatis pœnitentiis, adhuc poteſt Judex ſæcularis contra delinquentem procedere. Immò poteſt etiam Judex eccleſiaſticus alias graviores pœnas imponere, ut notat hic Panormitanus.*

C. *SIGNIFICAVIT 3. h. t. reſcribit Alexander III. Archi-Epiſcopo Mediolanenſi, quòd ſi quis pro ſua libertate ſe defendit, vel pro eccleſia pugnat, ſi multum excedat, peccet, debeatque propterea ei imponi pœnitentia arbitraria, & mitis, ne ob eius aſperitatem ipſe, & alii retrahantur à defendenda eccleſia. Ubi notat Hoſtienſis hic, quòd ſi peccator nequeat injunctam ſibi pœnitentiam implere, dummodo contritus ſit, debeat eum ſacerdos abſolvere cum levi pœnitentia, imò etiam ſine pœnitentia, ſi ille diceret, ſe non poſſe pœnitentiam agere, quia tunc ſi non agit pœnitentiam in hac vita, luet peccata illa in purgatorio: ſiquidem pœnitentia quæ in hac vita impletur à peccatore, tollit peragendam in purgatorio, & proinde ſi hic non perficitur, perficietur in alia vita,* c. quid ergo 5. q. 33. *Verùm hæc ſententia eſt contra communem aſſerentem pœnitentiam eſſe neceſſitate præcepti imponendam à Confeſſario exceptis paucis caſibus. Ceterum non deſunt, qui negent, pœnitentem de præcepto teneri acceptare pœnitentiam etiam juſtam aſſerentes, ſufficere pœnitenti habere propoſitum ſatisfaciendi Deo hic, vel in purgatorio, quæ ſententia eſt probabilis, præſertim cum plures doceant, præceptum ſatisfactionis non obligare extra confeſſionem in hac vita, ſed poſſe differri in purgatorium.*

C. *QUOD AUTEM 4. h. t. Idem Pont. reſcribit Archiepiſcopo Cantuarienſi, indulgentias conceſſas à Prælato in dedicatione eccleſiæ, vel conferentibus ad refectionem pontium tanquam ad opus pium, vel ad reſtaurandam aliam fabricam eccleſiaſticam tantùm prodeſſe ſuis ſubditis. Ex quo textu colligitur, indulgentias à Cardinalibus, vel Epiſcopis alienis collatas piis locis, nonniſi cum proprii Diœceſani conſenſu, imò fortaſſis, & rogatu conceſſas valere. Hodie indulgentia conceſſa pro conſecratione eccleſiæ non debet excedere annum: & in aliis caſibus non debet protrahi ultra 40. dies* c. cum ex eo h. t.

C. *QUOD QUIDAM 5. h. t. Conſultus idem Pont. an volentes confiteri, ſed aſſerentes ſe non poſſe abſtinere, debeant audiri, reſpondet, eorum confeſſionem eſſe recipiendam, eiſque conſilium exhibendum, quia tametſi non ſit vera talis pœnitentia admittenda: nihilominus eſt eorum confeſſio, & crebris ac ſalubribus monitis pœnitentia indicenda. Ex quo textu liquet, confeſſionem eorum, qui volunt confiteri, ſed nolunt abſtinere, quamvis pœnitentia non ſit vera, eſſe tamen accipiendam, & monendum peccatorem, ut juvetur. Loquitur Pontifex de illis qui non verè dolent de peccatis, nec propoſitum emendationis pertinens ad ſubſtantiam veræ pœnitentiæ habent. Sæpe enim aſſertio pœnitentis, quòd non poſſit abſtinere, non ſignificat defectum veri propoſiti, ſed credulitatem, ſeu metum infirmitatis, eò qui experientia edoctus etiam poſt confeſſionem cadet, tametſi nunc velit ſe emendare, & ex animo peccata omnia declinare, in quo caſu pœnitentia, & confeſſio eſt vera, & de hac Pontifex, non loquitur in præſenti textu.*

C. *LICET 6. h. t. Declarat idem Pont. eum, qui ex pœnitentia ſibi injuncta tenetur jejunare in pane, & aqua per aliquot dies, ſi illi deſit panis, poſſe veſci leguminibus, piſcibus*

aliiſque cibis non ad delicias, ſed ad neceſſariam ſuſtentationem. Ratio eſt, quia pœnitentia non injungitur, ut aliquis ſe ipſum fame, & inedia interimat. Tum quia conſervatio propriæ vitæ cadit ſub præceptum naturæ.

C. *QUÆSITUM* 7. h. t. Conſultus Clemens III. An ſacerdotibus Græcis legitimo matrimonio utentibus pœnitentia publica ſit imponenda, ſi eam ſibi poſtulent pro filiis oppreſſis injungi? reſpondet Pontifex, quod ſi ipſis procurantibus, vel ſtudiosè negligentibus, filii in lecto reperiuntur oppreſſi, ab officio altaris debeant perpetuò abſtinere, & eis gravior, quàm laicis debeat pœnitentia injungi, non tamen publica, niſi in publicum id veniat. Verùm ſi & incuria ipſorum inveniantur mortui in cunis, & id fuerit occultum, eis pœnitentia injungenda ſit pro arbitrio pœnitentiarii, & ad terrorem aliorum; & ad tempus debeant abſtinere à celebratione miſſarum. Nota ſtudioſam negligentiam, de qua loquitur textus idem eſſe, ac latam culpam. Ex hoc textu liquet causâ minuendi ſcandali non eſſe imponendam ſacerdotibus publicam, nec ſolemnem pœnitentiam, ſi delictum ſit occultum; quia ſi ſit publicum utraque imponi poteſt, ut notat Gloſſa hîc verb. niſi in publicum nec quoad hoc eſt diſcrimen inter ſacerdotes latinos, & Græcos. Cæterum Græci poſſunt uti matrimonio, quod contraxerunt in ſtatu laicali, vel antequam ad ordines ſacros promoverentur, c. olim de Cleric. Conjug.

C. *DEUS QUI* 8. h. t. declarat Innocentius III. pœnitentiam non tam ſecundùm quantitatem exceſſus, quàm pœnitentis contritionem eſſe moderandam, penſatâ qualitate perſonarum ſuper fornicatione, homicidio, adulterio, perjurio, aliiſque criminibus diligenter conſideratis omnibus circumſtantiis, præſertim ſi perſona ſit recèns converſa ad fidem prout judicavit expedire ſaluti ipſius. Rurſus reſcribit Pontifex, ut recèns converſi ſint inſtruendi paulatim in fide in forma confeſſionis, ſeu confiteor, in oratione Dominica, in Symbolo. Tandem injungit recèns baptizatis, ut communicent in feſtivitatibus conſpectis, & mortis articulo, unde textus iſte tradit regulam de moderandis pœnitentiis in ſacramentali confeſſione.

C. *OFFICII* 9. h. t. declarat idem Pont. quòd ſicut mulieri, quæ de adulterio concepit ignorante marito, & prolem ſuſcepit, non debeat pœnitentia denegari, quamvis ex timore nolit id manifeſtare marito, ita nec deneganda eſt pœnitentia mulieri, quæ inſcio viro ſuppoſuit ſibi partum, ne hæreditas mariti tranſeat ad alios, præſertim alienos. Ubi notandum eſt rectè Pontificem argumentari à paritate criminis ſuppoſiti partus in prægnatione ficta, & in prole ſuſcepta ex adulterio, quia utrinque metus impedit, ne uxor id detegat marito: & utrinque fallitur maritus putans filium legitimum eum, qui eſt ſpurius, & quidem cum damno legitimorum, ſi adſint, quibus à ſpurio eripitur pars hæreditatis. Hinc ſtante gravi metu fœmina quamvis ſuum delictum nolit marito detegere debet abſolvi, ſi præſertim timeat mortem ſibi inferendam, vel in odio inextinguibili vivendum, imò non deſunt qui cenſeant ſufficere timorem, perdendi propriam famam, quia ut docet Cajetanus nemo tenetur reſtituere bona ordinis inferioris cum jactura bonorum altioris ordinis: atqui bona famæ ſunt altioris Ordinis, quam bona rei familiaris, quia ut dicitur proverb. 22. nomen bonum eſt melius, quàm divitiæ multæ. Quod verò in tali caſu, ad damna reſarcienda marito, & filiis legitimis attinet Theologi decidunt.

C. *NOVA QUÆDAM* 10. h. t. Idem Pont. declarat Abbatiſſam, non poſſe proprias Moniales benedicere, nec confeſſiones audire, nec publicè prædicare, quia B. Virgo quamvis dignior fuerit Apoſtolis, non tamen Virgini, ſed Apoſtolis fuit id munus demandatum. Ubi notat Gloſſa Abbatiſſam, non poſſe legere evangelium publicè: licèt fortâſſis in matutinis id ei permitteretur, ut dicitur de Dia, coniſſa 27. q. 1. Rurſus nec poteſt mulier prædicare, immò nec docere, nec ſacra vaſa tangere, nec velare Moniales, nec abſolvere, nec judicare niſi fortâſſis aliqua nobilis Abbatiſſa id habeat ex conſuetudine: imò nec poteſt arbitrium in ſe ſuſcipere nec procuratorem in judicio niſi fortaſſis pro patre, vel decrepito, vel morbis laborante; nec poteſt advocare in judicio, nec officium viri in hoc genere exercere.

C. *QUOD IN TE* 11. h. t. declarat idem Pont. tempore generalis interdicti eſſe concedendum viaticum, & pœnitentiam morientibus: & clericos qui ſervârunt interdictum generale, ſi decedant poſſe ſepeliri in cœmeterio ſine tamen pulſu campanarum, & ſolemnitatibus. Rurſus poſſe itidem in conventualibus eccleſiis binos, vel ternos, & quaternos legere ſubmiſſa voce, non verò cantare horas canonicas januis clauſis, & excluſis excommunicatis, & interdictis, eò quia ſimile privilegium a Sede Apoſtolica conceſſum ſit aliquibus Regularibus. Notandum eſt cum Gloſſa, tempore interdicti ſemper excipi hæc tria ſacramenta, ſcilicet baptiſmum, Pœnitentiam morientium, & viaticum: imò Pœnitentiam etiam concedi euntibus ad bellum juſtum ob periculum, quod imminet mortis in campeſtri conflictu.

C. *OMNIS* utriuſque ſexus 12. h. t. Innocentius III. in generali Concilio Lateranenſi ſtatuit, ut omnes fideles utriuſque ſexus cum ad años pervenerint diſcretionis ſeu, cum primùm ſunt doli capaces teneantur ſaltem ſemel in anno fideliter confiteri omnia ſua peccata proprio ſacerdoti, ſimùlque ſtudeant, injunctam ſibi pœnitentiam adimplere: Rurſus, ut ſuſcipiant reverenter ad minus in paſchate ſacramentum Euchariſtiæ niſi fortâſſis de conſilio pro-

proprii ſacerdotis ob rationabilem cauſam duxerint abſtinendum ad tempus, alioquin mandat, ut vivus arceatur ab ingreſſu eccleſiæ, & mortuus careat Chriſtiana ſepultura, injungit Parochis, & Clericis, ut hoc ſtatutum frequenter in eccleſiis publicetur, ne quis poſſit ſe excuſare ob ignorantiam. Præterea ſtatuit Pontifex, ut ſi quis ex juſta cauſa velit confiteri alieno ſacerdoti ſua peccata, priùs petat, & obtineat licentiam à proprio ſacerdote: alioquin illum non poteſt abſolvere, vel ligare. Mandat etiam, ut ſacerdos ſit diſcretus, & cautus, & perinde ac Medicus peritus infundat vinum, & oleum vulneribus, inquirens diligenter circumſtantias pœnitentis, & peccatorum, ut prudenter eligat, quale conſilium, & remedium ſit ad ſalvandum ægrotum. Rurſus diſtrictè prohibet ne ſacerdos verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodat peccatorem, quòd ſi prudentiori indigeat conſilio, cautè inquirat ſine expreſſione perſonæ: quia qui præſumpſerit revelare peccatum, quod pœnitens aperuit in confeſſione eſt deponendus à ſacerdotali officio, & detrudendus in arctum Monaſterium ad perpetuam pœnitentiam agendam. Celeberrimus eſt hic textus, pro quo explicando Leonardus Duardus integrum ſcripſit volumen, eſt enim eius materia ampliſſima quæ pluribus tractatibus viam ſternit: ſi quis plura deſiderat Theologos conſulat, & præſertim Concilium Tridentinum ſeſſ. 14 c. 5. & can. 8. & 14. ubi egregiè doctrinam de confeſſione ad mentem hujus textus explicat. Cæterum notat Gloſſa, quòd ſi quis de licentia petita & obtenta à Parocho velit alteri confiteri, debet ſacerdotem eligere, qui habeat executionem Ordinis ſacerdotalis, ſeu qui ab Epiſcopo ſit approbatus ad audiendas confeſſiones. Qua ratione etiam Religioſi non habentes pepnium, ſed privilegium abſolvendi alienos Parochianos, non poſſunt abſolvere ſine licentia proprii ſacerdotis Parochianorum, vel Epiſcopi. Imò hodie requiritur ſola Epiſcopi licentia, hæc enim ſola à Religioſis petitur, quia tametſi privilegium det Religioſis executionem Ordinis, & æquiparet eis, qui præficiuntur ab Epiſcopo, adhuc tamen requiritur licentia Epiſcopi, quæ eſt alia ſervitus c. Ex tuarum de uſu pallii c. paſtoralis de privileg. Nec Papa per tale privilegium intendit præjudicare Ordinariis locorum.

C. CUM infirmitas 13. h. t. ſtatuit idem Pont. ut Medici corporales vocati ad ægrotum ante omnia moneant, & inducant ægrotum, ut confiteatur: quia perſæpe peccatum ipſum eſt cauſa infirmitatis. Tum quia poſt ſacramentalem confeſſionem & ſanitatem animæ ſalubriùs curatur corpus: Rurſus mandat Pontifex, quòd ſi Medicus transgrediatur hanc decretalem, tamdiu ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, donec congruam dederit ſatisfactionem. Demum ſub pœna excommunicationis iniungit Medico, ne ſuadeat ægroto aliquid, quod convertatur in periculum animæ pro ſalute corporali animæ, quia ſicut anima eſt pars hominis nobilior, ita eius ſalus præferenda eſt ſaluti corporis. Nota hanc decretalem fuiſſe per motum proprium innovatam à Pio V. anno 1566. ut refert. Quaranta V. Medicus in ſumma Bull. & præcipit ulterius, ut Medicus ultra triduum non præſumat ægrotum inviſere, niſi de facta ſacramentali confeſſione confeſſarius ſcripto fidem faciat: vel quod ex juſta cauſa adigatur eam differre. Rurſus mandat, ut univerſitates, & collegia interconferendum gradum Licentiatus, Doctoratus medicinæ exigant à promovendo juramentum hæc ſervandi. Verum Bulla Pii V. communiter intelligitur de morbis periculoſis, in quibus imminet mortis periculum, ut notat Barboſa hic num 4. Verùm alii hanc conſtitutionem extendunt etiam ad morbos non proximè periculoſos.

C. CUM EX EO 14. h. t. Idem Pont. in Concilio Generali Lateranenſi declarat Quæſtores eleemoſynarum non eſſe admittendos niſi exhibeant veras litteras Apoſtolicas, vel Ordinarii loci: & tunc injungit, ut non permittantur aliud proponere populo præter id, quòd in litteris continetur: ſed de hoc aliter ſtatuitur in Tridentino Seſſ. 5. de refor, c. 2. & Seſſ. 21. de refor. c. 9. Rurſus ſtatuit Pontifex, ut qui deſtinantur ad quærendas eleemoſynas ſint modeſti, & diſcreti non hoſpitentur in tabernis, vel locis incongruis, nec inutiles faciant expenſas, nec gerant habitum falſæ religionis. Præterea ſtatuit, ut in dedicatione Baſilicæ non extendatur indulgentia ultra annum & in anniverſario dedicationis non ultra 40. dies de iniunctis, & ſic vult etiam eſſe moderandum numerum dierum, quando Epiſcopus concedit in aliis caſibus indulgentias, idque ne indulgentia indiſcretè à Prælatis conceſſa contemnantur, vel ne enervent ſatisfactionem pœnitentialem. Hinc notat Gloſſa, quòd ſi concedantur ultra hunc terminum non teneant c. ſi eo eod. in 6. & in tali caſu tantùm valent pro termino præſcripto in hac decretali. Cæterum circa quæſtores eleemoſynarum, de quibus loquitur textus non eſt multum laborandum, quia hodie ſtandum eſt Concilio Tridentino Seſſ. 21. de refor. c. 9. ubi ſtatuitur, ut eorum nomen atque uſus penitus aboleatur, neque ad hoc officium exercendum nullatenus admittantur: imò Seſſ. 9. c. ult. in fin. ſtatuitur, ut ne per ſe nec per alium Quæſtores prædicent, & jubet contrafacientes coërceri ab Epiſcopis. Cæterum in hoc textu limitatur poteſtas concedendi indulgentias, quam habent Epiſcopi ad unum annum in dedicatione, & ad 40. dies in anniverſario.

C. NOSTRO 15. h. t. Reſcribit Honorius III. Archiepiſcopum poſſe concedere indulgentias in ſuperiori capite taxatas in tota ſua Provincia, ut etiam litteras remiſſionis.

C. NE PRO DILATIONE 16. h. t. Gregorius IX. declarat quòd ne pro dilatione pœnitentia

Digitized by Google

nitentia periculum immineat animarum, Epiſcopi, & alij ſuperiores, immo & minores Prælati exempti præter ſui ſuperioris licentiam poſſint ſibi eligere confeſſarium providum & diſcretum. Hoc autem dicendum eſt etiam de Prælatis Religioſis exemptis, quia & ipſi verè ſunt exempti, & quoad hoc pares aliis Prælatis, & plures cenſent huic juris communis privilegio non eſſe derogatum per Concilium Tridentinum Seſſ. 23. de refor. c. 5. *dummodo eligatur confeſſarius ab aliquo Epiſcopo approbatus. Cæterum ex hoc textu colligitur, neminem poſſe abſolvi niſi à ſuo proprio Prælato, & quia periculoſum erat Epiſcopis adire ſuos Superiores, ideo conceditur in hac decretali iiſdem hæc facultas.*

IN SEXTO.

C. *ROMANA* 1. *h. t. Reſcribit Pontifex, ut quæſtoribus pro fabrica eccleſiæ non detur ab Ordinario facultas citandi alios, eò quia ſufficiat, ſi charitativè admoneant, ut ſolvant. Rurſus prohibet Pontifex, ut Archiepiſcopus in concedendis indulgentiis excedat ſtatutum Concilij generalis* c. cum ex eo h. t. *Excipitur tamen niſi ex privilegio poſſit concedere plures indulgentias. Cæterum in hoc textu non eſt immorandum, quia tales quæſtores per Concilium Tridentinum* Seſſ. 21. de refor. c. 9. *ſunt omnino ſublati.*

C. *SI EPISCOPUS* 2. *h. t. Bonifacius VIII. ſtatuit, quòd ſi Epiſcopus concedat ſuo ſubdito ut poſſit ſibi eligere idoneum Confeſſarium, non poſſit electus abſolvere à caſibus ſpecialiter reſervatis Epiſcopo: eò quia in generali conceſſione non veniant ea, quæ veriſimiliter in ſpecie non eſſet quis conceſſurus. Præterea declarat, non poſſe dari conſuetudinem, ut quis præter licentiam ſui Superioris poſſit ſibi eligere Confeſſarium, qui eum abſolvat. Quia ut notat Gloſſa hic, conſuetudo contraria non tenet; neque abſolutio eſt valida, quia eſt ſententia à non ſuo Judice. Rurſus poſt Concilium Tridentinum Confeſſarius debet eſſe approbatus ab Ordinario; adeo non poſſit ſimplex ſacerdos eligi in confeſſarium, niſi ab Epiſcopo fuerit approbatus; & hic non poteſt abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis: ſuntque abſolvere à majore excommunicatione* c. nuper de ſent. excom. *Imponere pœnitentias blaſphemantibus* c. 1. de Cler. malef. *Sortilegis* c. 2. de Sortil. *Commutatio votorum* de voto, & voti c. *e. Diſpoſitio malè ablatorum incertorum, quando non extant domini* c. cum ſit de Judic. *Pœnitentia imponenda contrahentibus clandeſtinè: vel contra interdictum eccleſiæ* c. cum inhibitio de clandeſt. *Solent etiam Epiſcopi plures alios caſus ſibi reſervare.*

C. *INDULGENTIÆ* 3. *h. t. Declarat idem Pont. indulgentias, quæ ab uno, vel pluribus Epiſcopis conceduntur in Dedicationibus eccleſiarum, vel quibuſcunque aliis caſibus non valere, ſi ſtatutum Concilij Generalis exceſſerint. Nota, non valere tunc indulgentias quoad ſolum exceſſum, ſeu in eo, in quo exceſſerunt; quia in numero taxato, quem non excedunt, valent; quamvis non deſint qui cenſeant non valere etiam in numero taxato.*

IN CLEMENTINIS.

C. *CUM SECUNDUM* 1. *h. t. Clemens V. in Concil. Viennenſi ſtatuit, ut damnatis ad mortem non ſit deneganda pœnitentia, ſi eam petant, & Epiſcopi moneant, & ſi opus ſit, cogantur cenſuris eccleſiaſticis.*

C. *ABUSIONIBUS* 2. *h. t. Idem Pont. præcipit Epiſcopis, ut examinent litteras quæſtorum eleemoſynarum, & eorundem exceſſus, & ſi delinquant, vult eſſe puniendos ab iiſdem Epiſcopis.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *ANTIQUORUM* 1. *h. t. Bonifacius VIII. centeſimo quoque anno inſtituit jubilæum, & viſitantibus Baſilicas Apoſtolorum Petri, & Pauli Romæ indulget pleniſſimam remiſſionem omnium peccatorum.*

C. *UNIGENITUS.* 2. *h. t. Clemens VI. reſtringit jubilæum ad quinquaginta annos, cum antea non niſi centeſimo concederetur; ad ſimilitudinem Legis Moſayca: & viſitationibus addit Baſilicam Lateranenſem.*

C. *ETSI* 3. *h. t. Paulus II. ultra caſus Bullæ cœnæ ſibi reſervat alios caſus, quos explicat Laymanus.*

C. *QUEMADMODUM* 4. *h. t. Sixtus IV. confirmat jubilæum, & reducit ad annum vigeſimum quintum, revocátque omnes indulgentias plenarias, & facultates commutandi vota, componendi, & diſpenſandi in malè ablatis.*

C. *ETSI DOMINICI* c. *ult. h. t. Sixtus IV revocat indulgentias, quas ipſemet conceſſerat, & facultates abſolvendi caſus Bullæ Cœnæ; ſibique reſervat plures caſus nominatim, qui continentur in Bulla Cœnæ.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De Pœnitentia, ejuſque variis ſignificationibus

1 PŒnitentia generaliter ſumpta dicitur prioris ſententiæ mutatio: ſiquidem pœnitere generaliter dicitur, qui nollet feciſſe, vel omiſiſſe, quod fecit, vel omiſit, ſive bonum ſit, ſive malum: quæ ratio eſt, ut pœnitentia dividatur in bonam, quæ habetur de actu malo, quatenus aliquem pœnitet perpetrâſſe actum malum; & in malam, quæ habetur de actu bono: hæcque pœnitentia poteſt dupliciter contingere. Primò ſine dolore ut in Beatis, quos ſine dolore ſuorum pœnitet peccatorum. & in Deo qui *Genes. 6.* ait *pœnitet, me feciſſe hominem*, non enim Deus eſt capax doloris. Secundò cum dolore, ut in Viatoribus, qui non ſolùm nolunt, ſe peccâſſe, ſed etiam dolent, quòd peccaverint, unde Auguſtinus *in can. pœnitentia 4. diſt. 3. de pœnit.* ait, *pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe.*

Hinc pœnitentia transfertur ad ſignifi-
2 candam ſpecialem virtutem, quâ quis dolet de commiſſo peccato, & ex D. Ambroſio *in can. ecce nunc tempus 39. in fin.* de *pœnit. diſt. 1.* definitur à poſteriori, & per effectum, quòd ſit *plangere præterita, & plangenda iterum non committere*: & adhuc ſumitur tripliciter. Primo ut eſt virtus ſpecialis, quæ definitur à D. Thoma *3. p. q. 85. art. 2. & 3.* deteſtatio, ſeu dolor animi de peccato, quatenus eſt offenſa, ſeu injuria Dei cum intentione eam compenſandi. Secundò prout eſt ſacramentum novæ legis à Chriſto inſtitutum *Joan. 20.* & conſtat contritione, confeſſione & ſatisfactione. Tertiò pro ipſa ſatisfactione, quæ adhuc duplex eſt, publica, & privata; & huc pertinent canones pœnitentiales juſſu Gregorij XIII. in fine decreti recuſſi, ſeu iterum editi, ſuntque regulæ directivæ ad pœnitentias imponendas delinquentibus; quæ tamen, cùm videantur nimis rigidæ, non ſunt hodie amplius in uſu, & in earum locum ſucceſſerunt remiſſiones, & indulgentiæ.

Ut ad præſens pertinet inſtitutum, ſu-
3 mitur pœnitentia pro ipſa ſatisfactione, quæ ſolet injungi pro patratis peccatis; eſtque duplex publica una, & alia privata: illa imponitur pro manifeſtis peccatis, ut deſumitur ex *c. manifeſta t. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, manifeſta peccata, non eſſe occulta correctione purganda, proinde publicâ pœnitentiâ compenſanda, tametſi peccata levia ſint, idque ad vitandum ſcandalum: qui enim publicè peccant debent etiam publicè puniri, ut alij terrore perculſi arceantur à ſimilibus flagitiis perpetrandis *c. penult. juncta Gloſſa V. veteri diſt. 45.* & conſentit Concilium Trident. *Seſſ. 24. c. 8. de refor.* Verùm pœnitentia ſolemnis, & publica, non debet imponi Clerico, niſi depoſito. Pœnitentia privata è contra injungitur pro peccatis ſecretis, & quæ ſubjiciuntur clavibus eccleſiæ in ſacramentali confeſſione, & ideo privatim peragitur, non enim occulta peccata ſunt publicè punienda, ne quod occultum eſt, alijs innoteſcat cũ detrimento famæ, & honoris ipſius pœnitentis *c. ſi peccaverit 19. cauſ. 2. q. 1.* Rurſus pœnitentia publica bipartitur in ſolemnem, & non ſolemnem, illa præſcribitur in Concilio Agathenſi relato *in c. in capite 64. diſt. 50.* eſtque, quam imponit Epiſcopus ob graviſſima flagitia, & delicta publica initio quadrageſimæ peragenda ſervatis ſolemnitatibus, quæ recenſentur *in can. pœnitentes 63. & can. in capite diſt. 50.* Hæcque, ne eccleſiæ authoritas vileſcat, non niſi unica eſſe debet, perinde ac unum eſt tantùm baptiſma, ut ait Ambroſius *can. ſi quis poſt remiſſ. diſt. 50.*

Verùm id ex ſpeciali duntaxat quarun- 4
dam eccleſiarum conſuetudine; nam alibi iterare licet *cap. nihil prodeſt 21. §. ex perſona de pœnit. diſt. 3.* Hæc autem publica, & ſolemnis pœnitentia olim non injungebatur ſacerdotibus, niſi priùs cœleſtis militiæ cingulo exutis, ſeu depoſitis propter ſcandalum *argum. can. alienum, & can. confirmandum diſt. 50. c. quæſitum 7. h. t.* ſiquidem hujusmodi pœnitentes habebantur infames, non ratione pœnitentiæ, ſed criminis promulgati; & præſertim ſi per ſententiam judicis hujusmodi ſolemnis pœnitentia imponeretur, quæ ratio fuit, ut publicè pœnitentes prohiberentur ad ordines ſacros promoveri, ac miniſtrare in ſuſceptis *c. illud. 66. diſt. 59.* & notat Sylveſter *V. pœnitentia q. 8.* imò prohibitum etiam fuit communicare cum hiſcè pœnitentibus, niſi in mortis articulo.

Verùm hodie hujusmodi pœnitentia 5
publica ſolemnis non eſt ampliùs in uſu; & per deſuetudinem, eſt abolita. Publica pœnitentia non ſolemnis eſt, quæ publicè citra ullam juris ſolemnitatem injungitur peragenda:

talis eſt peregrinatio ad limina Apoſtolorum, vel ad alia loca ſacra, cum pera, & baculo benedictis, qoam non ſolùm Epiſcopus, ſed etiam quilibet ſacerdos poteſt injungere, & à fortiori Pœnitentiarius Epiſcopi: injungebatur hæc pœnitentia publica non ſolemnis, quia ut habetur *in c. manifeſta 1. h. t.* peccata manifeſta non ſunt occulta correctione purganda. Quando autem hæc publica pœnitentia injungenda ſit, habetur in Concilio Tridentino *Seſſ. 24. c. 8.* Clericis autem non ſolùm ſolemnis, ſed nec publica pœnitentia eſt imponenda, niſi priùs fuerint depoſiti, ut notat Gloſſa *in d. c. manifeſta 1. V. occulta h. t.*

6 An verò ſimplex Confeſſarius pro publicis peccatis, quæ pœnitens aperuit in ſacramentali confeſſione poſſit pœnitentiam publicam injungere, negant plures cum Navarro *in c. 2. diſt. 6. de pœnit. n. 87.* ratio eſt, quia ſi ſimplex confeſſarius pro publicis peccatis in in ſacramentali confeſſione auditis injungeret publicam pœnitentiam; utique ſignificaret, pœnitentem fuiſſe ſibi talia peccata confeſſum, proinde ſaltem indirectè violaret ſigillum, & revelaret confeſſionem, quod pro nullo eventu licitum eſt. Quamobrem cùm dicitur, quòd pro peccatis publicis, ſit injungenda pœnitentia publica, eò quia peccata manifeſta non ſint occulta correctione purganda; id intelligendum eſt non de pœnitentia ſacramentali, ſed de illa tantùm, quæ in foro externo imponitur, ut non obſcurè ſignificat Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. c. 8.*

7 Alij tamen cum Navarro *in c. 2. diſt. 6. n. 93.* id limitant, niſi pœnitens expreſsè vel tacitè conſenſerit, ut ejus confeſſio manifeſtetur, ac permittat, peccatum à ſe commiſſum revelari ob rationem, quia ſicut Deo, & populo ſuit ſcandalo, ita Deo publicè ſatisfaciat, & populo ſit ædificationi. Qoamobrem quando peccata manifeſta dicuntur non eſſe occulta correctione purganda, id debet intelligi in ſoro externo, quando à Judice in foro exteriori publicè, & juridicè injungitur pœnitentia; in ſoro interno intelligitur conditionatè tantùm, nimirum ſi pœnitens velit, vel ſponte publicam pœnitentiam petat. Verùm rectè monet Covarruvias *lib. 2. var. reſol. c. 10. n. 3.* cautè eſſe procedendum.

8 Privata pœnitentia, quæ & ſecreta dicitur, eſt, quæ nec ſolemnis, nec publica eſt, ſed privatim ſuſcipitur, ac injungitur, & etiam privatim peragitur, tametſi impoſita ſit pro gravioribus criminibus, ſed occultis, ut deſumitur *ex c. quæſitum 7. h. t.* ubi Cœleſtinus III. reſcribit, quòd ſacerdotibus græcis quorum filij reperiuntur in lectis mortui oppreſſi, ſi ipſis procurantibus, vel negligentibus id contigit, injungator ut perpetuò abſtineant ab altari, & ut gravior ipſis pœnitentia, quàm laicis imponatur, non tamen publica, ſi delictum non fuit publicum. Hinc occulta peccata non ſunt publicè punienda *can. ſi peccaverit 2. q. 1. can. fin. 15. q. 5.* Hæc autem pœnitentia privata, & ſecreta injungitur in ſacramento pœnitentiæ, quod ex Tridentino *Seſſ. 14. c. 1.* non ſecus lapſis poſt batiſmum eſt ad ſalutem neceſſarium, ac ipſe baptiſmus nondum regeneratis: qua ratione in *can. ſecundo de pœnit. diſt. 1.* Sacramentum pœnitentiæ vocatur ſecunda poſt naufragium tabula: quia ſicut navis cum pelagus traijcit, ſi impingat in ſcopulum, & frangatur, unum vitæ ſervandæ refugium navigantibus ſupereſt, nimirum tabulam aliquam fractæ navis arripere, & imminentis mortis periculum evadere: ita ſtadium præſentis vitæ currentibus poſt innocentiam baptiſmi amiſſam, ſeu commiſſam culpam lethalem ad declinandum æternum gehennæ naufragium, unicum ſupereſt perſugium ſcilicet ad hanc pœnitentiæ tabulam confugere.

Definitur hæc pœnitentia quatenus eſt ſacramentum novæ legis, eſſe ſacramentum conſtans contritione, confeſſione, & ſatisfactione, & operans remiſſionem peccatorum: hinc materia remota hujus ſacramenti ſunt peccata non ut perpetranda, ſed ut deteſtanda, & dicuntur etiam materia, circa quam verſatur pœnitentia. Materia proxima ſunt tres actus pœnitentis, contritio, confeſſio, & ſatisfactio, ut habetur in Concilio Tridentino *Seſſ. 14. de ſacram. Pœnitentia c. 3. & ſeq.* qui actus dicuntur etiam partes integrales ejuſdem, eò quia ex Chriſti inſtitutione requirantur in pœnitente ad integritatem ſacramenti, & plenam peccatorum remiſſionem. Dicuntur autem à Tridentino hi actus quaſi materia, non quia careant ratione veræ materiæ, ſed quia non ſint ejuſmodi materia, quæ extrinſecus adhibetur in aliis ſacramentis, ut aqua in baptiſmo, Chriſma in Confirmatione. 9

Eſt autem contritio animi dolor, ſeu deteſtatio de perpetrato peccato cum firmo propoſito impoſterum non peccandi, ut habetur in Tridentino loco cit. ubi etiam addit, cum propoſito ſimul confitendi, & ſatisfaciendi: adeò ut ad contritionem requiratur odium, & deteſtatio peccati præteriti: ad quam deteſtationem, quam contritio eſſentialiter includit, conſequitur in viatore neceſſariò dolor, tanquam immediatus ejus effectus, qua ratione contritio ab effectu dicitur eſſe animi dolor; cæterum formaliter, & propriè eſt odium, & deteſtatio peccati. Rurſus ad contritionem requiritur propoſitum de cætero non peccandi Ezech. 18. *Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, & facite vobis cor novum.* Rurſus requiritur propoſitum confitendi, & ſatisfaciendi, adeò ut damnata fuerit opinio Petri Oſmacenſis docentis, per ſolam cordis contritionem remitti peccata mortifera ſine ordine ad claves, ſeu ſine animo ea confitendi in ſacramentali confeſſione. 10

Rurſus hæc contritio duplex eſt, perfecta una, alia imperfecta: illa quæ propriè contritio dicitur, eſt dolor, deteſtatio peccati propter Deum ſummè dilectum ob ejus boni- 11

bonitatem ſupernaturalem, ſeu ut eſt Anthor gratiæ, & gloriæ, proinde hæc contritio ſemper eſt eum charitate, & voto ſacramenti, & reconciliat hominem Deo, etiam antequam actù ſacramentum ſuſcipiat, ut liquet ex Tridentino *loc. cit. c. 4.* imperfecta, quæ & attritio dicitur, eſt dolor, & deſtatio peccati ſuper omnia com propoſito emendandi vitam, & voto ſacramenti ob metum gehennæ pœnarum, vel ob turpitudinem peccati. Hinc differt attritio à contritione, quia per contritionem pœnitens dolet propter Deum ſummè dilectum, & per attritionem propter metum gehennæ. Dicitur tamen attritus per ſacramentalem confeſſionem fieri contritus, non formaliter; ſed quoad effectum, quatenus beneficio ſacramenti remittuntur etiam attrito, & confeſſo ipſa peccata.

12 Cæterum ſicut amor Dei debet eſſe ſummus ſaltem appretiativè, ita dolor de peccatis, debet oriri ex amore Dei, & eſſe ſummus non quidem intenſivè, ſed appretiativè, ſeu affectivè, adeò ut pœnitens ſaltem virtualiter, & implicitè doleat de ſuo peccato ſuper omnia, velitque pro nulla re creata Deum utpote ſummè bonum offendiſſe, & impoſterum non offendere. Non tamen eſt neceſſarius dolor ille ſenſûs, qui ſolet manifeſtari per ſingultus, planctus, lachrimas & alia id genus, quia iſte dolor eſt potius effectus contritionis, quàm ipſa contritio, quæ eſt in voluntate *argum. can. ſi propterea* 28. *can. ſi tui* 30. *de pœnit. diſt. 1.*

13 Non tamen dolor ille ſenſibilis, qui ſequitur ad contritionem eſt contemnendus, cùm ſit admodum utilis, at bonus, exemplo Davidis pœnitentis, Petri illachrimantis ſuæ culpæ in Magiſtri abnegatione, Magdalenæ ſeceſſum ſolitudinis petentis in Maſſilienſi ſpecu, Ninivitarum in cinere, & cilicio plangentium ſua peccata. Immo perquam utile eſt, etiam de ſingulis peccatis mortalibus contritionem ſpecialem elicere, & ſingula deteſtari, ac de illis dolere, & illud *Iſaia* 38. repetere. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ:* abſolutè tamen id non eſt neceſſe, ſed ſufficit unico actu contritionis ſimul deteſtari omnia peccata, quæ poſt examen occurrunt, idq; ex eo evincitur, quia peccator poteſt in inſtanti juſtificari juxta illud Ezech. 33. *in quacunque hora converſus fuerit, & ingemuerit peccator*, quod refertur in *can. ponderet diſt. 5.*

14 Hæc autem contritio, ac dolor de peccatis anteactæ vitæ eſt neceſſaria neceſſitate præcepti ſimul, & medij, ut colligitur ex Concilio Tridentino *Seſſ. 6. c. 14. & Seſſ. 14. c. 4.* ubi definit contritionem omni tempore fuiſſe neceſſariam peccatori ad juſtificationem & ex illo Luc. 13. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.* Verùm licèt optimum ſit ſtatim poſt patratum peccatum lethale conteri, ac de illo perfectè dolere, non tamen adeſt obligatio eliciendi ſtatim actum contritionis, niſi fortaſſis immineat vitæ periculum: ratio eſt, quia præceptum contritionis, cum ſit affirmativum non obligat ſemper & pro ſemper, ſed tantùm pro determinato tempore, perinde ac alia præcepta affirmativa. Quo fit, ut peccator non obligetur ſub peccato mortali ſtatim poſt commiſſum peccatum elicere actum contritionis.

15 Putârim tamen, ejus dilationem ſine cauſa eſſe circumſtantiam aggravantem ipſum peccatum commiſſum. Cæterum quoties imminet periculum vitæ, veluti in gravi infirmate, in partu periculoſo, in maris procella urgente, in cruento conflictu, ac navigatione longa & periculoſa inſtituenda urget præceptum contritionis ſub peccato mortali.

§. II.

De Præcepto Sacramentaliter confitendi; déque Sacramento Pœnitentiæ, ejúsque partibus.

1 AGitur de hoc præcepto *in c. omnis utriusque ſexus* 12. *h. t.* ubi in Concilio Generali Lateranenſi ſtatuitur, quòd omnes fideles utriusque ſexus, cùm pervenerint ad annos diſcretionis, ſeu cùm primùm ſunt doli capaces teneantur ſaltem ſemel in anno fideliter confiteri omnia ſua peccata proprio ſacerdoti, ſimúlque ſtudere pro viribus adimplere injunctam ſibi pœnitentiam. Rurſus ut ſuſcipiant reverenter ad minus in paſchate ſacramentum Euchariſtiæ niſi fortè de conſilio proprii ſacerdotis ob rationabilem cauſam duxerint abſtinendum ad tempus, & adijcitur etiam pœna ut ſi quis ſecus fecerit, vivus arceatur ab ingreſſu eccleſiæ, & mortuus careat Chriſtiana ſepultura. Injungitur etiam, ut hoc ſtatutum frequenter in eccleſiis publicetur, ne quis poſſit ſe excuſare. Item ſtatuitur, ut ſi quis juſta de cauſa velit confiteri alieno ſacerdoti ſua peccata, debeat priùs petere, & obtinere licentiam à proprio ſacerdote, quia aliter illum non poteſt abſolvere, vel ligare; item ut ſacerdos ſit diſcretus, & cautus, & ſicut medicus peritus infundat vinum, & oleum vulneribus, diligenter inquirens circumſtantias peccatoris, & peccati, ut prudenter eligat, quale conſilium, & remedium debeat adhibere utendo diverſis experimentis ad ſalvandum ægrotum. Item ut ſacerdos omnino caveat, ne verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; ſed ſi prudentiori indigeat conſilio cautè inquirat ſine expreſſione perſonæ, quia qui præſumpſerit revelare peccatum in confeſſione ſibi detectum deponendus eſt à ſacerdotali officio, & detrudendus in arctum monaſterium ad perpetuam pœnitentiam agendam.

2 Hoc eſt celeberrimum illud caput, quod paucis vix explicari poteſt, & fusè ejus materiam

riam quæ ampliſſima eſt, declarant Theologi Scholaſtici, & Morales, & nos etiam egimus in tomo octavo noſtræ Theologiæ in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ: unde hic tantùm ea erunt adjicienda, quæ ad captum præfati capitis ſufficiunt, cui etiam conſentit Concilium Tridentinum *Seſſ. 14. c. 5. & can. 8. de ſacrament. pœnit.* Quamobrem pro brevi, & dilucida explicatione hujus celebris capitis *Omnis utriusque 12. h. t.* notandum eſt, ſacramentalem Confeſſionem definiri *peccatorum ſuorum ſacerdoti proprio factam declarationem ad eorum ſacramentalem remiſſionem obtinendam.* Dicitur *peccatorum ſuorum*, quia in *d. c. omnis utriusque 12. h. t.* dicitur *omnia ſua ſolus peccata*, hoc eſt, peccata tantùm à ſe commiſſa. Additur *ſacerdoti*, quia ut definitum fuit in Conciliis Lateranenſi, Florentino, & Trident. *can. 6. & 10.* ſolus ſacerdos eſt miniſter hujus ſacramenti: ſiquidem. *Matth. 16. & 18.* non omnibus ſed ſoli Petro, & Apoſtolis promiſſæ ſunt claves Regni Cœlorum.

4 Rurſus non ſolùm dicitur *ſacerdoti*, ſed etiam additur *proprio* nimirum illi, qui habet abſolvendi poteſtatem propriam, aut delegatam, quia in Miniſtro hujus ſacramenti jure divino requiritur non ſolùm poteſtas ordinis, quæ ei confertur, cùm ordinatur ſacerdos; verùm etiam poteſtas juriſdictionis, quæ tametſi illi etiam conferatur in ſua ordinatione, quaſi in habitu, & incompletè, non tamen quoad actum, adeò ut non poſſit ſacerdos hanc quaſi habitualem juriſdictionem exercere, niſi habeat ſubditos, in quos illam exerceat, quia juriſdictio non exercetur niſi in ſubditos: hos autem debet ſacerdos accipere ab eccleſia, & tunc eos ab illa accipit, quando canonicè præficitur curæ animarum, vel beneficium obtinet curatum juxta Concilium Tridentinum *Seſſ. 23. c. 15. de refor.* & tunc juriſdictio in ſacerdote dicitur completi.

5 Hinc defectu poteſtatis ordinis confeſſio facta laico, vel Clerico non ſacerdoti etiam urgente vitæ periculo non eſt ſacramentalis, neque valet ad effectum abſolutionis ex declaratione Concilii Trid. *Seſſ. 14. can. 10.* quippe de fide eſt, quòd ſolus ſacerdos ſit miniſter ſacramenti pœnitentiæ, ut definivit Concilium Tridentinum *loc. cit.* proinde non poteſt quis alteri confiteri, quàm ſacerdoti, quia confeſſio eſt in ordine ad ſacramentalem abſolutionem, quæ à ſolo ſacerdote poteſt impertiri. Tum quia ſacramentalis confeſſio eſt accuſatio, quâ pœnitens ſe accuſat coram audiente, ſéque conſtituit, tanquam reum implorantem miſericordiam, & reconciliationem cum Deo mediante remiſſione peccatorum, quo fit, ut non poſſit inſtitui niſi apud eum, qui poteſt eſſe judex in tribunali conſcientiæ, & reconciliere Deo: hic autem eſt ſolus ſacerdos, qui habet facultatem judicandi conſcientias, ut declarat Concilium Tridentinum *Seſſ. 14. c. 5.*

6 An verò talis confeſſio licita ſit non in ordine ad obtinendam abſolutionem peccatorum, ſed ad aliquem alium finem, non conveniunt Doctores. Suarez *diſp. 24. de pœnit. ſect. 5. n. 2.* Coninck de Sacram. *diſp. 8. de miniſt. pœnit. dub. 6. n. 6.* & alij docent, talem confeſſionem licitam eſſe, ſi fiat alicui prudenti viro in ordine ad capiendum conſilium; ut liberetur à peccato, & provideat circa ea, ad quæ tenetur ex conſcientia: quæ ſententia eſt valde probabilis, quia tunc confeſſio ſuam haurit honeſtatem à fine, qui id operatur, ut ſit moraliter neceſſaria ad hoc, ut conſulatur conſcientiæ. Extra hunc caſum docent communiter conſultiùs ſemper eſſe ſoli Deo confiteri. Mihi tamen videtur procedendum cum diſtinctione, quia ſi ſermo ſit de confeſſione peccatorum, quæ ſunt publica, hæc certè licita eſt, quia ſi fiat debito modo continet ſaltem exercitium humilitatis. Tum quia poteſt etiam publicè fieri in vindictam propriorum peccatorum, & in ædificationem eccleſiæ, ut declarat Tridentinum *Seſſ. 14. c. 5. de pœnit.* hinc etiam in primitiva eccleſia moris fuit, ut publicè confitentes peccata ſue publicam agerent pœnitentiam. Sin verò ſermo ſit de peccatis ſecretis putârim probabiliùs ex objecto confeſſionem publicam non eſſe licitam, quia niſi interveniat aliqua cauſa rationabilis, quæ actionem cohoneſtet, variétque objectum; publicè confiteri peccata occulta perinde foret, ac propriam prodigere famam, cùm ſapiens nos moneat, ut curam habeamus de bono nomine.

7 Quamobrem nonniſi cautè in hoc procedendum eſt, quia facilè poſſet contingere, ut exiſtente etiam rationabili cauſa non eſſet licitum ita publicè confiteri, vel ob ſcandalum, quod inde oriretur, vel quia periculum inde poſſet imminere, præſertim ſi peccatum alienum concerneret intereſſe. Hinc tollenda omnino eſt conſuetudo illa navigantium, qui imminente naufragii periculo, ſi ſacerdos deficiat, ſibi invicem peccata confitentur, quia talis confeſſio non eſt ſacramentalis, & ad nihil deſervit, immo poteſt eſſe occaſio alicujus mali, quia ſi navigantes naufragium evadant, quisque ſcit poſtea peccata alterius, & per talem ſcientiam prodigitur propria bona opinio, & poſſent plura inde oriri mala.

8 Neque obſtat, quòd D. Iacobus *c. 5.* dicat. *confitemini alterutrum peccata veſtra*, nam verba D. Jacobi intelligi debent in ſenſu accommodo, ut fiat confeſſio peccatorum inter vos, ita ut quisque propria peccata confiteatur alteri habenti poteſtatem abſolvendi. Cæterum Apoſtolus uſus eſt illa voce alterutrum, ut ſignificaret, quòd etiam ſacerdotes deputati ad audiendas confeſſiones debeant & ipſi alteri confiteri, eò quia obligatio confitendi ſit univerſalis, ſéque extendat ad omnes etiam Miniſtros.

10 Neque obſtat *can. quem pœnitet §. quare de pœnit. diſt. 1.* ut nec etiam *can. qui vult confiteri ibid. diſt. 6.* ubi Auguſtinus, vel Auctor

libri de vera, & falſa pœnitentia ait: *tanta vis confeſſionis eſt, ut ſi deeſt ſacerdos confiteatur proximo, ſeu laico.* Nam contra eſt, quia id intelligi debet tantùm de conſilio, & cauſa humilitatis exercendæ, vel conſilij petendi, & accipiendi à proximo, non verò ad effectum ſacramentalis confeſſionis, ut rectè notat Navarrus ad *can. 1. diſt. 6.*

9 Defectu juriſdictionis non poteſt abſolvere quilibet ſimplex ſacerdos excepto mortis articulo, ſed is tantùm, cui competit juriſdictio ordinaria, vel delegata in eum, qui ſua peccata confitetur, ut liquet ex Concilio Tridentino *Seſſ. 14. c. 6. & 7.* hinc proprius ſacerdos, cui tenetur quis *ex c. omnis utriuſque ſexus 12. h. t.* aperire in ſacramentali confeſſione ſua peccata, eſt is, qui habet juriſdictionem eum abſolvendi, & in hoc ſenſu dicitur, quòd confeſſio peccatorum debeat fieri proprio ſacerdoti, non alieno, niſi de licentia proprij, petitâ priùs, & obtentâ licentiâ. Hinc dicitur proprius ſacerdos in primis is, cui cura parochialis eccleſiæ eſt concredita, ſive Rector ſit, ſive Vicarius, ut etiam Epiſcopus Diœceſanus, qui eſt Ordinarius Paſtor Diœceſis, ut etiam Papa, qui eſt generalis Paſtor totius orbis Chriſtiani, ut etiam Legatus Papæ: quemadmodum poteſt quisque proprio confiteri Parocho, vel de ipſius licentia etiam alteri ſacerdoti; ita poteſt etiam quis confiteri ſuo Epiſcopo, vel ab eo delegato. Quòd ſi Paſtor immediatus abſque juſta cauſa deneget licentiam ſuo parochiano adeundi alium ſacerdotem, poteſt is alium adire, *argum. c. licet 18. de regul.* vel ſi non poſſit habere confeſſarium regularem privilegiatum, poteſt adire ſuperiorem parochi, qui eum compellat ad dandam licentiam, ut notat Gloſſa in *d. c. omnis utriuſque V. obtineat h. t.*

10 Juvat obſervare, quòd Religioſi mendicantes olim ex privilegio Papæ potuerunt confeſſiones audire omnium ſæcularium, eóſque abſolvere à peccatis abſque eo, quòd iſti tenerentur iterum eadem peccata ſuo confiteri parocho, ut habetur in *Extravag. vas elect. de haret.* Concil. Lateran ſub Leone X. *Seſſ. 2.* Verùm Bonifacius VIII. *in extravag. ſuper cathedram de ſepult.* ſtatuit, ut mendicantes præſentent Epiſcopo idoneos, qui ab eodem accipiant poteſtatem prædicandi, & audiendi confeſſiones. Verùm Benedictus XI. in *extravag. inter cunctos* ſuſtulir ſtatutum Bonifacij, & conceſſit mendicantibus facultatem prædicandi, & audiendi confeſſiones, abſque eo, quòd ſe Epiſcopis præſentarent; nihilominus ſtatutum Bonifacij VIII. fuit iterum innovatum per *Clement. dudum de ſepult.* ut etiam per Concilium Tridentinum, cui hodie omnino ſtandum eſt, ſiquidem *Seſſ. 23. c. 18.* definit, neminem etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id munus obeundum reputari idoneum, niſi vel parochiale habeat beneficium, vel ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, idoneus judicetur, & approbationem ab eis obtineat, non obſtantibus privilegiis, & conſuetudine quacunque etiam immemoriali.

11 Excipitur tamen mortis articulus, quia tunc quilibet ſacerdos eſt ſufficiens miniſter ſacramenti Pœnitentiæ; eſt ſiquidem ſingulare privilegium eorum, qui ſunt conſtituti in articulo mortis, ut poſſint ſacramentaliter abſolvi à peccatis etiam reſervatis à quocunque ſacerdote *c. ſi quis ſuadente 17. q. 4. c. eo noſcitur de ſentent. excommun. & c. eos qui de ſentent. excommun. in 6.* & luculenter ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 7. de pœnit.* ubi habetur. *Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes ſacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſint.*

12 Cæterum extra mortis articulum non omnis ſacerdos èſt ſufficiens miniſter ſacramenti pœnitentiæ, ut definit Concilium Tridentinum *Seſſ. 14. c. 7. de pœnit.* quia cùm ſacramentum pœnitentiæ fuerit à Chriſto inſtitutum per modum judicij, in quo Confeſſarij ſunt judices, neceſſe eſt, ut iſtis inſit juriſdictio, ſine qua non poſſent ſententiam proferre in peccatores: proinde requiritur etiam, ut pœnitentes ſubijciantur tali ſacerdoti, cui ſua confitentur peccata, quia juriſdictio non poteſt exerceri in non ſubditum, neque qui ſubijcitur uni in ordine ad ea, quæ ſpectant ad ſalutem animæ, poteſt voluntariè ſe alteri ſubijcere, quia id cederet in præjudium proprij Paſtoris. Hinc Concilium Tridentinum *dict. ſeſſ. 14. c. 7.* ait: quoniam igitur natura, & ratio judicij illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur, perſuaſum ſemper in eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe, Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam non habet juriſdictionem.

13 An verò de jure divino, vel tantùm eccleſiaſtico competat, cuilibet ſacerdoti poſſe abſolvere in mortis articulo; plures putant, ex jure divino hanc facultatem competere cuilibet ſacerdoti, ita docent Sylveſter *V. confeſſio 2. n. 2. Navarr. c. 27. manual. n. 170.* Canus *relect. de pœnit. p. 5. §. ad ſecundum argumentum.* Nititur hæc ſententia, quia hujusmodi poteſtas eſt ex perpetua traditione eccleſiæ: hæc autem traditio perpetua in eccleſia eſt ſignum juris divini ex D. Auguſt. *lib. 4. de baptis. c. 24.* Nihilominus probabilior, & verior ſententia, cui adhærendum puto, eſt, ut hæc facultas nonniſi de jure eccleſiaſtico competat cuilibet ſacerdoti, ut docent D. Thomas *in 4. diſt. 19. q. 1. art. 3.* D. Bonaventura *diſt. 19. art. 3. q. 1.* Sotus *diſt. 18. q. 4. art. 4.* D. Antoninus *3. p. tit. 17. c. 4. caſ. 7.* Suarez *diſp. 26. de pœnit. ſect. 4. n. 7.* Covarruvias *in c. Alma Mater p. 1. §. 6. n. 8.* & deſumitur

etiam

etiam ex Concilio Tridentino *Seſſ 14. c. 7. de pœnit.* ubi dicitot : *In eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis.* Quòd ſi fuit ſemper cuſtoditum, certè fuit continua obſervantia, & ex vi ejuſdem obſervantiæ, quæ facit jus eccleſiaſticum adeſt hæc poteſtas pro mortis articulo in omnibus ſacerdotibus.

14 Ratio etiam ex eo peti poteſt, qoia ſimplex ſacerdos non habet facultatem exercendi poteſtatem abſolvendi à peccatis ratione alicujus officij, cui de jure divino annexa ſit; nec ratione ſuæ ordinationis, quia tametſi in ordinatione poteſtatem accipiat abſolvendi, non tamen ex vi illius habet ſubditos, in quos valear hanc facultatem abſolvendi modo juriſdictionali exercere : ex quo liquet, ſacerdotes nonniſi ex jure eccleſiaſtico habere hanc facultatem abſolvendi quemlibet in mortis articulo : ſiquidem ad exercendam facultatem abſolvendi requiritur, ut is, in quem exercetor, ſit ſubditus ſacerdori exercenti juriſdictionem ex Tridentino *ſeſſ. 14. c. 7. de pœnit.* & ex vi ordinationis ſacerdos non acquirit aliquem in ſubditum. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, D. Aug. *loc. cit.* ſolùm aſſerere, id, quod habetur ex perpetua traditione eccleſiæ provenire ab Apoſtolis : ait enim Auguſtinus : *Quod univerſa tenet eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Sed quod Apoſtolica authoritate eſt traditum non eſt de jure divino. Hinc facultas, quam habet quilibet ſacerdos abſolvendi in articulo mortis eſt delegata, ut notat Suarez *diſp. 29. de pœnit. ſect. 4. n. 8* Siquidem non poteſt eſſe ordinaria quia non convenit ratione officij, ſeu curæ animarum. Tum quia non extenditur niſi ad illum unicum actum in mortis articulo.

15 Quòd ſi petas, à quo facta ſit hæc delegatio reſpondetur, factam fuiſſe ab univerſali eccleſia, ut nimirum pia mater eccleſia in illo periculo amittendæ ſalutis æternæ faciliùs, & promptiùs omnibus opem ferret, ac afferret remedium abſolutionis, quantum ſacramenti inſtitutio patitur. Hinc hujuſmodi delegatio incepit ab initio eccleſiæ cum conſenſu Apoſtolorum, ut non obſcurè indicat Concilium Tridentinum *Seſſ. 14. c 7. de pœnit.* ubi ait, quòd *in eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit*, proinde etiam ab initio tempore Apoſtolorum.

16 An verò hæc delegatio poſſit à ſummo Pontifice revocari, pu ār m, negativè eſſe reſpondendum, nec de potentia abſoluta ; quia tametſi ſummus Pontifex habeat plenitudinem poteſtatis *c. ad honor. de uſu pallij.* Hæc tamen plenitudo poteſtatis clauditur intra terminos rationis, extra quos non poteſt ſe extendere : ſiquidem omnis poteſtas non poteſt egredi ſphæram rationis : alioquin non eſſet poteſtas rationabilis, nec juſta, ſi enim rationabilis ſit, neceſſe eſt contineatur intra ſphæram rationis *l. 2. ff. de uſufruct. earum rerum, quæ uſu conſummuntur cap. ſunt quædam 25. q. 1.* quamobrem actus, qui non eſt juxta rationem, non eſt actus poteſtatis, conſequenter defectu poteſtatis non ſe extendentis ad ipſum, eſt nullus : quin imò in ipſo non exercetur plenitudo poteſtatis, ſed tempeſtatis, ut loquitur Baldus *conſil. 453.* atqui revocatio prædictæ delegationis non eſſet intra terminum rationis, quia auferre remedium ſalutis, non eſt juxta, ſed contra rationem : imò eſſet iiidem contra charitatem, quâ ſummus Pontifex tenetur proprias oves paſcere, proinde revocatio talis delegationis non eſſet actus poteſtatis, quam habet paſcendi dominicum gregem, conſequenter talis revocatio irrita foret.

Tum qnia poteſtas ſummi Pontificis eſt
in ædificationem, non in deſtructionem 1. *ad* 17
Corinth. 10. hoc eſt ad paſcendum, juvandúmque gregem, non verò ad eum perdendum, qua ratione Chriſtus dixit D Petro Joan. 21. *paſce oves meas*, & revocatio hujus delegationis eſſet in deſtructionem ; quia eſſet contra munus obeundum à ſummo Pontifice, quod eſt perducere oves ad ſalutem æternam, & ad illius aſſecutionem iiſdem viam ſternere : & per talem revocationem potius Chriſti oves in mortis articulo impedirentur, ne æternam conſequerentur ſalutem. Quòd dicitur de mortis articulo procedit etiam de periculo evidente, quia *in c. placuit de pœnit. diſt. 6.* & in alijs juribus mortis articulus non videtur diſtingui ab evidente, & imminente periculo *c. eos qui de ſent. excommun. in 6.* ubi Pontifex prius loquitur expreſsè de mortis articulo, quem poſtea vocat periculum imminens. Tum quia cùm id cedat in favorem eorum, qui conſtituti ſunt in mortis articulo ampliari debet, non reſtringi, quia favores ampliantur. Tum quia pia mater eccleſia præſumitur velle ſaluti conſulere ſuorum filiorum, non ſolùm in mortis articulo, verùm etiam quoties imminet evidens mortis periculum, nec adeſt alius ſacerdos magis idoneus.

Cæterum etiam extrà mortis articulum 18
plures ſunt caſus; qui ſoli ſummo Pontifici reſervantur, & à quibus propterea nullus confeſſarius abſque ſpeciali licentia poteſt abſolvere : tales ſunt qui recenſentur in Bulla cœnæ Domini, & plures alij deſumpti ex corpore juris communis, ut etiam ex diverſorum Pontificum conſtitutionibus. Permittit tamen Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. c. 6.* Epiſcopis facultatem abſolvendi in foro conſcientiæ delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputatum in quibuscunque caſibus occultis etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, dummodo nondum deducti ſint ad forum contentioſum : quinimò etiam in crimine hæreſis occultæ, ita tamen ut ſoli Epiſcopi poſſint per ſe abſolvere, & non per alios, quia in hoc crimine cen-

ſetur electa induſtria perſonæ. Nihilominus decretum Concilij Tridentini non procedere quoad caſus Bullæ Cœnæ Domini declaratum fuit à Gregorio XIV. & Clemente VIII, ut notat Piaſecius *p. 2. c. 1. art. 3. n. 4.* ubi etiam citat declarationem Cardinalium, quoad cauſas hæreſis: qua ratione Epiſcopi plures obtinent à ſede Apoſtolica facultatem abſolvendi ab hæreſi etiam occulta.

19 Inferiores verò Epiſcopo tametſi approbati fuerint, non poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis, niſi ad id ſpecialem obtinuerint facultatem; non enim hæc facultas continetur in ipſa approbatione: neque in generali conceſſione comprehenduntur, quæ ſpeciale exigunt mandatum *c. ſi Epiſcopus h. t. in 6.* Caſus verò Epiſcopo reſervati alij dicuntur de jure, ut levis percuſſio Clerici *c. pervenit de ſentent. excommun.* alij de conſuetudine, & alij, quos ipſe Epiſcopus ſibi reſervavit, prout poteſt ſibi reſervare juxta Tridentinum *Seſſ. 14. c. 6.* & ab hiſce neque Regulares poſſunt abſolvere niſi ex ſpeciali licentia ipſius Epiſcopi, ut notat Riccius *in praxi decis 562.* & Piaſecius *p. 2. c. 1. art. 3. n. 3.* ubi affert quandam declarationem ſacræ Congregationis, ubi etiam addit *n. 4. & ſequent.* Epiſcopum in reſervandis hujuſmodi caſibus debere modum ſervare præſcriptum in decreto ſacræ congregationis relato à Riccio in *prax. decis. 562.* nimirum ut non reſervet ſibi caſus contentos in Bulla cœnæ Domini, & alios reſervatos Sedi Apoſtolicæ. Neque eos, quibus annexa eſt major excommunicatio à jure impoſita: neque eos, in quibus abſolutio non datur niſi facta reſtitutione: neque illos, qui ſunt de rebus parvi momenti; immo neque peccata carnis niſi cum magna circumſpectione.

20 Quod verò ad tempus attinet, quo præceptum confeſſionis obligat: certum eſt ex præcepto eccleſiæ, quæ jus divinum determinavit ad tale tempus, teneri omnes fideles utriuſque ſexus, ubi ad annos diſcretionis pervenerint, ſaltem ſemel in anno omnia peccata ſua lethalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem ſcientiam habuerint, confiteri proprio ſacerdoti, vel alteri approbato de illius licentia, ut deſumitur *ex d. c. omnis utriusq; ſexus 12. h. t.* Poteſt autem hæc confeſſio ſacramentalis fieri, quocunque anni tempore, dummodo fiat ſemel in anno, adeò ut qui ſemel confeſſus eſt intra annum, non teneatur poſtea in paſchate confiteri, quia per ſe jam adimplevit præceptum annuæ confeſſionis. Per accidens tamen poteſt contingere ex alio titulo, ut qui pluries confeſſus fuit intra annum; adhuc teneatur denuò confiteri in paſchate: qui enim poſt confeſſionem factam initio quadrageſimæ peccavit mortaliter, quia in paſchate ex alio præcepto eccleſiæ tenetur communicare, ac ſuſcipere Euchariſtiam; ideò, ut dignè communicet, tenetur iterum confiteri, ut etiam ſi ſuperimmineat mortis periculum

21 Cæterum hic annus computatur à paſchate uſque ad paſcha, ut notat Barboſa *in d. c. omnis utriusque ſexus num. 5. & c. h. t.* & pœnitens tenetur injunctam ſibi pœnitentiam implere, ut pariter dicitur in *eod. cap. omnis utriusque ſexus 12. h. t.* conſequenter tenetur etiam ipſam acceptare, ſi non ſit nimis dura, & poſſit à pœnitente commodè impleri, ut notat Barboſa *in d. c. num. 3.* Cæterum Euchariſtia ex præcepto, non eſt ſumenda à Laicis ſæpius per annum, ſed ex præcepti neceſſitate ſufficit, ſi communicent ad minimum ſemel in paſchate: olim verò tenebantur laici communicare ter in anno, ſcilicet in paſchate, Pentecoſte, & Natali Domini *c. & ſi 16. diſt. 2. de conſec.* Imò Eugenius IV. declaravit, fideles ſatisfacere huic præcepto eccleſiaſtico, ſi in hebdomada majori, ſeu ſancta, vel intra octavam paſchæ, uſque ad dominicam in albis incluſivè Euchariſtiam ſuſcipiant, immo notat Fagnanus in *d. c. omnis utriusque ſexus 12. n. 46. h. t.* poſſe ex juſta cauſa hoc tempus communicandi ab Epiſcopo, vel Parocho prorogari, prout conſultius viſum fuerit,

22 Pueris etiam Euchariſtia dari poteſt ante pubertatem, ſeu 14 ætatis annum, dummodo decimum, vel undecimum attigerint annum, ſintque in iiſdem ſigna diſcretionis, ac devotionis, in qua reſtandum eſt arbitrio prudentis viri. Quòd ſi puer decennis eſſet conſtitutus in mortis articulo, & in ipſo apparerent ſigna devotionis, & diſcretionis, poſſet communio ei dari per modum viatici, quia tunc videretur urgere præceptum divinum obligans in mortis articulo quotquot annos diſcretionis attigerint. Pœna autem non communicantium in paſchate ſine juſta cauſa eſt, ut arceantur ab ingreſſu Eccleſiæ, & priventur eccleſiaſtica ſepultura: quin imò omittentes annuam confeſſionem, & ſacram communionem habentur ſuſpecti de hæreſi, ut notat Barboſa in *d. c. omnis utriusque ſexus 12. num. 11. h. t.* Pœna verò impoſita ſacerdoti revelanti confeſſionem eſt depoſitio ab omni officio ſacerdotali, & detruſio in monaſterium ad agendam ibi perpetuam pœnitentiam, ut dicitur in fine *d. c. omnis utriusque ſexus 12. h. t.* Confeſſarius autem in pœnitentia injungenda pro peccatis, debet diligenter experiri vires pœnitentis, qualem poſſit pœnitentiam portare *c. allegans 16. q. ult.* adeò ut potiùs rationem reddat de miſericordia, quàm de crudelitate *c. non ſatisfaciendi 86. diſt.*

23 Rurſus actualis confeſſio obligat in mortis articulo, ſeu evidenti periculo, cui mora certa, ut plurimum conjuncta eſt, ut eſt ſtatus agonizantium; gravi, & acuta febri laborantium, ſeu eorum, de quorum recuperanda ſanitate deſperant Medici, ut etiam ſunt fœminæ, quibus imminet partus difficilis; navigantes, quibus naufragium; & milites; quibus campeſtris pugna, ut notat Abbas *in c. paſtoralis §. 1. de offic. judic. ordin.* & *in cap. cùm infirmitas 13. h. t.* ubi Innocentius III. injungit

jungit Medicis corporalibus ſub pœna excluſionis ab ingreſſu eccleſiæ, ut vocati ad ægrotum ante omnia moneant, & inducant ægrotum, ut ſacramentaliter confiteatur: ſæpe enim peccatum eſt cauſa infirmitatis, ſicque poſt confeſſionem ſalubriùs curatur corpus: hoc autem decretum non ſolùm innovavit Pius V. motu proprio in ſua conſtitutione quæ incipit: *Supra gregem* 11. Martii edita anno 1566. verùm etiam juſſit, ut impoſterum Medici, dum creantur Doctores, promittant, ac jurent, ſe hanc conſtitutionem ſervaturos: & etiam prohibuit, ne medici ultra tres dies ægrotos viſitent in lecto jacentes, niſi fuerint prius confeſſi.

24 Secundò obligat etiam præceptum confeſſionis quando quis exiſtimat, ſe à peccato aliquo non poſſe abſtinere, nec vincere gravem aliquam tentationem, niſi per ſacramentalem confeſſionem expiaverit conſcientiam, quia quiſque jure divino tenetur ea adhibere remedia, quæ neceſſaria ſibi videntur ad vincendam tentationem, & declinandum peccatum.

25 Tertiò quoties etiam quis communicat, & adſit copia Confeſſarii, tunc enim ſi ſe noverit in ſtatu peccati lethalis tenetur ante ſumptionem Euchariſtiæ præmittere ſacramentalem confeſſionem ex Trident. *ſeſſ. 13. cap. 7. can. 11.* ubi etiam dicitur, quòd ſi neceſſitate urgente ſacerdos ſine prævia confeſſione celebraverit, quàm primum poſtea confiteatur, hoc etiam procedit de adminiſtrante ſacramenta, ut deſumitur ex *can. per Eſaiam 1. q. 1.* ubi habetur: *Omnia ſacramenta cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per ſe dignè ſumentibus.*

26 Quartò obligat etiam ratione juramenti, aut voti *argum. cap. magna de voto.* ut etiam ratione pœnitentiæ à Confeſſario injunctæ, vel ratione ſtatuti, religionis, aut præcepti Superioris.

27 Quintò ratione conſcientiæ, ut ſi quis putet, ſe ad confeſſionem teneri, tametſi ſufficiat talem conſcientiam deponere *argu. c. inquiſitioni de ſent. excom.*

28 Sextò ſi quis probabiliter putet, ſe alioquin non habiturum eo anno copiam idonei confeſſarii, ut notat Navarrus in *manual. c. 20. num. 20.* quemadmodum ſi quis credat non adeſſe in pago niſi unicum ſacrum, quod ſummo mane celebratur, tenetur eidem intereſſe, ut præcepto ſatisfaciat eccleſiæ.

§. III.

De reliquis, quæ ad ſacramentalem confeſſionem requiruntur.

1 PRæter hactenus recenſita pleraque alia requiruntur, ut ſacramentalis confeſſio ritè fiat. Quæ continentur ad memoriam juvandam his verſibus.

Sit ſimplex, humilis, confeſſio pura, fidelis,
Nuda, frequens, diſcreta, lubens, nec non verecunda.
Integra, ſecreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parêre parata.

Non tamen omnes prærecenſitæ conditiones ſunt de neceſſitate ſacramentalis confeſſionis: ſiquidem præter tres, ceteræ ſunt tantùm de perfectione confeſſionis: quæ de neceſſitate, ſunt: primò, ut ſit lachrymabilis, ſeu cum contritione, vel ſaltem illa ſalutari attritione, quæ neceſſaria eſt, ut ſacramentum ex attrito faciat contritum, ſeu conferat confitenti eum effectum, quem conſequeretur, ſi eſſet contritus. Secunda conditio neceſſaria eſt, ut ſit ſincera, ſeu pura ab omni mendacio, & ſimulatione, ſine excuſatione, ſine verbis ſuperfluis, adeò ut pœnitens confiteatur ſua peccata eo prorſus modo, quo ea cognoſcit, ea non aggravando, nec imminuendo; proinde certa, ut certa, & dubia, ut dubia. Tertia, ut ſit integra omnium ſcilicet, & ſingulorum peccatorum quoad numerum, & ſpeciem, & quæ poſt diligens examen occurrunt memoriæ: imò, debet pœnitens etiam aperire circumſtantias mutantes ſpeciem peccati ex Tridentino *ſeſſ. 14. c. 5. & can. 7.* & ex Concilio Florentino in *inſtruct. Armen.* quia cùm ſacerdos in hoc ſacramento fuerit à Chriſto conſtitutus judex, non poſſet ſententiam juſtam ferre, nec juxtam menſuram delicti infligere pœnam, ſeu ſatisfactiones injungere, quæ tamen neceſſariò requiruntur ex Tridentino *loc. cit.* ſiquidem juxta illud *Deuter. 25. debet juxta menſuram delicti eſſe plagarum modus.* 2

Quod verò ad circumſtantias attinet peccatorum, ſunt, quæ accidunt ipſis peccatis, & variæ ſunt, ut habetur in *can. aut pacta 19. de pœnit. diſt. 1. c. ſicut dignum de homicid.* & continentur illo verſu. 3

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis cur, quomodo, quando.

Quis ſignificat circumſtantiam perſonæ, quæ peccat, vel cum qua peccat. *Quid* circumſtantiam rei, circa quam peccat: ſic miniſtrare ſacramenta in peccato lethali eſt peccatum, & quidem eò majus, quò ſacramentum eſt excellentius. *Ubi* denotat locum, qui enim furatur in loco ſacro præter peccatum furti, committit etiam ſacrilegium. *Quibus auxiliis* eſt circumſtantia ſignificans media, cauſas, vel occaſiones peccandi. *Cur* denotat finem peccati, qui quandoque novam addit malitiam, ut cùm quis furatur, ut poſſit mœchari. *Quomodo* ſignificat modum peccandi publicè, vel occultè, ſcienter, vel ignoranter. *Quando* ſignificat circumſtantiam temporis. Tametſi hæ circumſtantiæ pertineant ad ſpeciem peccati, ſintque accidentia ſpeciei, aliquando tamen mutant ſpeciem. Cùm enim voluntas non ſit ad unum tantùm determinata, ſicut natura, poſitâ deformitate actûs ex objecto malo poteſt voluntas ulterius procedere, & aliam 4

liam malitiam intendere, ratione alicujus circumſtantiæ, qua ratione idem actus, induit duplicem malitiam, eſtque in duplici ſpecie morali juxta probabiliorem opinionem.

4 Regula verò dignoſcendi, quando circumſtantia ſpeciem mutet: hæc eſt, ſi nimirum transferat peccatum ex materia unius virtutis ad materiam alterius, & per ſe operetur, ut actus non ſolùm opponatur uni, verùm etiam alteri virtuti: tunc circumſtantia dicitur ſpeciem mutare, novámque inducere malitiam. Quòd ſi circumſtantia relinquat actum intra materiam ejusdem virtutis non mutat ſpeciem, ſed tantùm peccatum aggravat intra eandem ſpeciem. Ex his circumſtantiis certum eſt, mutantes ſpstiem eſſe neceſſariò exprimendas in confeſſione, cùm addant novam malitiam moralem, qui enim furatur in Eccleſia candelabrum argenteum, non ſufficit, ſi dicat, ſe fuiſſe furatum candelabrum argenteum, ſed rurſus debet addere circumſtantiam loci, quia hæc addit novam malitiam ſacrilegii, alioquin confeſſio non eſſet integra. An verò ſint etiam exprimendæ circumſtantiæ notabiliter aggravantes, vel minuentes peccatum, plures docet, hujusmodi circumſtantias non eſſe neceſſariò aperiendas in confeſſione, adeo ut ſufficiat ſi pœnitens dicat, ſe commiſiſſe furtum in re notabili, ut confeſſarius poſſit cognoſcere, pœnitentem commiſiſſe peccatum mortale in materia furti, ita docent Vaſquez, Durandus, Navarrus, Megala, Zerola, & alii, quos citat, & ſequitur Diana *p.1. tractat.7. reſol.14.* ratio, quâ hæc ſententia nititur, eſt, quia non habemus præceptum, quo teneamur has circumſtantias aperire in confeſſione: quia de jure divino tantùm tenemur confiteri omnia, & ſingula peccata lethalia, & poſſumus ſufficienter ea confiteri, tametſi non exprimamus circumſtantias notabiliter aggravantes, vel minuentes peccatum, ut cùm quis dicit ſe commiſiſſe furtum mortale decies, non explicando furti quantitatem. Tum quia inde ſequeretur, quòd peccator deberet ſcire omnes circumſtantias aggravantes, ſicut tenetur ſcire omnia peccata lethalia.

5 Nihilóminus contraria ſententia communior eſt, ac tutior, proinde eidem adhærendum: unde ſi quantitas culpæ mortalis eſt duorum aureorum, qui furatur quatuor vel quinque, tenetur hanc circumſtantiam aggravantem explicare: ſiquidem hæc circumſtantia ſuperaddita in ſe ſumpta eſt mortalis: qui tamen furatur tres aureos, vel tres, & dimidium non tenetur id explicare, quia tunc hæc circumſtantia ſuperaddita in ſe ſumpta non pervenit ad mortale ex ſuppoſitione, quod quantitas mortalis furti ſit duorum aureorum. Et id etiam procedit de damno famæ, honoris, & perſonæ.

6 Sunt etiam exprimendæ omnes illæ circumſtantiæ, quæ excommunicationem annexam, vel caſum reſervatum habent, ut percuſſio enormis Clerici, ſubreptio bonorum naufragantium; ratio eſt, quia confeſſarius, cùm ſit judex, debet cognoſcere ſtatum pœnitentis, & an ſit aliqua cenſurâ innodatus *can. excommunicatus can. rogo 11. q.3.* Secundò ſunt etiam exprimendæ circumſtantiæ habentes caſum aliquem reſervatum, quia ſi caſus eſt reſervatus; confeſſarius ſimplex non habet facultatem ab illo abſolvendi, proinde debet pœnitentem mittere ad alium confeſſarium habentem talem facultatem, vel ſaltem debet ipſam petere à ſuperiore reſervante, ut pro illa vice poſſit pœnitentem illum abſolvere. Tertiò debent itidem exprimi circumſtantiæ, quæ intra eandem ſpeciem transferunt peccatum à veniali ad mortale, cujusmodi eſt magnitudo furti. Quartò ſunt etiam aperiendæ circumſtantiæ, quæ valdè notabiliter peccatum minuunt, ut ſi quis infirmus ex præcripto medici carnes comederit in quadrageſima: quamvis contraria ſententia de hiſce circumſtantiis notabiliter aggravantibus, vel minuentibus ſit etiam probabilis. Circumſtantia *cur* ſeu propter quid non ſolùm includit intentionem finis propter quem operamur, ſed etiam electionem mediorum, ubi juvat obſervare, finem non eſſe propriè circumſtantiam, niſi quando eſt extrinſecus; quia ſi ſit intrinſecus eſt potius objectum: hinc eſt, quòd ad circumſtantiam *cur* concurrant formaliter, vel virtualiter duo actus, nimirum intentio finis, & electio medii, reſpectu cujus finis dicitur eſſe circumſtantia.

7 Idque tripliciter poteſt contingere. Primò quando tam finis, quàm medium ſufficiunt ad conſtituendum peccatum mortale, ut ſi quis furetur, ut poſſit mœchari, tunc tenetur hanc circumſtantiam finis explicare, quia habentur duo peccata ſpecie diverſa, unum furti contra juſtitiam, & alterum fornicationis contra temperantiam. Quòd ſi utraque malitia finis, & medii ſit ejusdem ſpeciei, & illi duo actus intentionis finis, & electionis medii componant unum in genere moris, tunc ſi explicetur ultimus actus, alius non eſt neceſſariò aperiendus; hinc ſi quis utatur tactibus impudicis, ut ſe excitet ad conſummandum, tunc ſi affectus ſequatur, & ille explicetur in confeſſione, non eſt neceſſè aperire prædictos tactus, quia cum conſummatione actus conſtituunt unum peccatum in genere moris.

8 Secundò poteſt eſſe electio medii bona, vel indifferens in ſe, & finis malus, ut ſi quis det eleemoſynam puellæ, ut cùm illa fornicetur: quia tunc unum tantùm committitur peccatum fornicationis, non eſt opus explicare electionem medii aſſumpti ad extorquendum conſenſum puellæ, ut docet Suarez *in 3.p. diſp. 22. ſect. 3. n.8.*

9 Tertiò poteſt etiam contingere, ut objectum electionis ſit ſufficiens ad peccatum mortale, non ita finis, ut ſi ſtudioſus die feſto omittat ſacro intereſſe propter ſtudium, tunc circumſtantia malæ electionis medii eſt neceſ-

lariò

ſariò aperienda in confeſſione, non verò finis, non enim tenetur explicare, ſe ſacrum omiſiſſe, ut daret operam ſtudio, quia tunc circumſtantia finis non aggravat notabiliter peccatum, nec mutat ſpeciem peccati, maximè ſi ſtudioſus operetur ex ſua libertate: ſecus enim eſſet, ſi operaretur ex vehementi, & inordinato affectu ad talem finem, adeò ut poneret ultimum ſuum finem in ſtudio, quia tunc teneretur utrùmque aperire in confeſſione ſcilicet omiſſionem ſacri die feſto, & rationem finis ultimi, quem ponit in ſtudio, ut notat Sanchez *lib. 1. Moral. c. 5 n. 15.*

10 Poteſt etiam pluribus aliis modis actio referri ex arbitrio operantis ad finem extrinſecum, ut circumſtantiam moraliter afficientem. Primò quia circumſtantia finis boni novam ſpeciem bonitatis addit actioni bonæ ex objecto, adeò ut duarum virtutum opus exerceat; pœnitentiæ ſcilicet, & miſericordiæ, ut cùm quis dat eleemoſynam ad eum finem ut Deo pro peccatis ſatisfaciat: quod intelligendum eſt, dummodo voluntas etiam ipſam bonitatem, ſeu honeſtatem objecti proximi per ſe eligat, quod contingit, quando illa ſecundùm ſe conducit ad honeſtatem finis principaliter intenti.

11 Secundò circumſtantia finis mali omnino deſtruit, & efficit actum, qui ex objecto bonus eſſet, ſimpliciter malum, quia malum ex ſingulis defectibus, & bonum ex integra cauſa, & tunc finis non tam habet rationem circumſtantiæ, quàm objecti tribuentis actui morali primam, & unicam malitiæ ſpeciem, ut ſi quis det eleemoſynam publicè propter vanam gloriam.

12 Tertiò circumſtantia finis boni tribuit actui ex objecto indifferenti primam & unicam eſſentiale in ſpeciem bonitatis, & tunc in genere moris non habet rationem circumſtantiæ, ſed objecti: quia finis tunc ſe habet tanquam objectum formale proximum in genere moris; quamvis ſit extrinſecus in genere naturæ, proinde dat primam, & eſſentialem ſpeciem bonitatis: hinc ire ambulatum ad finem viſitandi aliquam eccleſiam eſt actus religionis; licèt in genere naturæ ſemper maneat ejuſdem ſpeciei, ut notat Vaſquez. *1. 2. diſp. 53. c. 2. n. 9.*

13 Quartò circumſtantia mali finis confert actui ex obiecto indifferenti primam, & unicam eſſentialem ſpeciem malitiæ, proinde in genere moris amittit proprietatem circumſtantiæ, & induit rationem objecti: ratio eſt, quia tunc finis malus eſt primum in genere moris, quod appetitur: objectum enim indifferens eſt extra genus moris; ſic ire ambulatum ob fornicationem eſt peccatum intemperantiæ, ut docet D.Thomas *1. 2. q. 18. art. 5. ad 4.*

14 Quintò circumſtantia finis boni nil confert actui ex objecto malo, ſed relinquit ſimpliciter malum, ut ſi quis furetur, ut poſſit eleemoſynam elargiri pauperi, tametſi circumſtantia finis ſit bona, actus tamen ſemper ex objecto manet malus quia actus malus non eſt capax ullius bonitatis moralis: quod enim habet aliquem defectum, ſeu privationem bonitatis debitæ, eſt ſimpliciter malum: quapropter D.Auguſtinus *lib. contra mendacium* aſſerit, ob nullam cauſam licitum eſſe mentiri, & Apoſtolus ad Rom. 3. ſcribit eorum damnationem eſſe juſtam, qui dicunt, faciamus mala, ut eveniant bona; quamobrem furtum ex fine dandi eleemoſynam eſt actus malus contra iuſtitiam, non verò bonus ſub genere miſericordiæ: ſiquidem eſt ſpecies furti exercere liberalitatem ex re aliena, ut docet D.Thomas *1. 2. q. 18. art. 4. ad 3.*

15 Sextò circumſtantia mali finis confert actui ex objecto malo novam malitiam, eámque vel ſpecie diſtinctam, ſi finis pravus habeat ordinem repugnantiæ cum recta ratione ſpecificè diverſum, ut cùm quis furatur, ut inde poſſit mœchari: vel ſolo numero diſtinctam, ſi pravitas finis ſit ejuſdem rationis cum pravo medio, ut contingit in eo, qui furatur inſtrumenta, quibus uti poſſit ad ſurripiendas alterius pecunias, tunc ſurripiens Inſtrumenta, & pecunias, committit tantùm duo peccata contra juſtitiam ſolo numero diſtincta. Quòd ſi media ejuſdem ſpeciei malitiam contineant cum malo fine, & per ſe ſoleant ordinariè eſſe conjuncta; tunc una cùm fine eandem numero malitiam contrahunt, ut liquet in actibus impudicis præcedentibus fornicationem, tunc enim explicato actu principali, ſeu ipſa fornicatione; alii actus acceſſorii per ſe ſubintelliguntur, ut docent plures cum Diana *p. 1. tr. 7. reſol. 42.*

16 Quia verò una ex neceſſariis conditionibus eſt, ut confeſſio ſit integra, adeò ut teneatur pœnitens per ſe omnia peccata mortalia cum prærecenſitis circumſtantiis explicare, oritur difficultas, an licitum ſit dimidiare confeſſionem, ſeu uni ſacerdoti confiteri aliqua peccata lethalia, & alteri alia itidem lethalia. Certum eſt ex intentione confitentis, & ſine legitima, & urgente cauſa non poſſe confeſſionem dimidiari, ut deſumitur *ex c. omnis utriuſque ſexus* 12. *b. t.* nihilominus ſi legitima ſubſit cauſa, poteſt dari caſus, quòd poſſit licitè dimidiari, ut notat Navarrus in *can. conſideret §. cautus, & can. non poteſt de pœn. diſt 1.*

17 Primò ob neceſſitatem pœnitentis ſi nimirum, poſt unum, vel alterum peccatum in confeſſione expreſſum privetur uſu loquelæ, vel incidat in morbum, quo impediatur, ne poſſit confeſſionem proſequi, vel ſi immineat mortis periculum, tunc enim abſolvendus eſt, & ſi evadat periculum poteſt alteri ſacerdoti confiteri peccata, quæ in anteacta confeſſione non expreſſit.

18 Secundò ob neceſſitatem ſacerdotis, ut ſi ſacerdos poſtquam incepit audire confeſſionem corripiatur aliquo morbo, nec poſſit progredi, nec ſit alius, qui pœnitentem audire poſſit, & immineat mortis periculum, tunc enim ſacerdos poteſt illum abſolvere.

19 Tertiò ob neceſſitatem ſociorum, ut quando imminente naufragio non omnes in navi exiſtentes audiri poſſunt, tunc ſacerdos, ut ſubveniat omnium neceſſitati dictante id ratione, & exigente charitate, poteſt excipere aliqua eorum peccata, & eos abſolvere, ut etiam in bello, ſi inſtet periculum pugnæ.

20 Quartò quando ex confeſſione alicujus peccati ſequitur periculum vitæ corporalis, vel Spiritualis, propriæ, vel alterius, tunc docent aliqui cum Navarro in *man. c. 7. n. 3.* licitum eſſe, tale peccatum non aperire tunc tali ſacerdoti, ſed alteri. Imo Navarrus *l. c. n. 1.* cenſet, id etiam procedere, quando veriſimiliter timetur magna diffamatio complicis, eò quia confeſſarius illum cognoſcat, & non ſit commoditas alteri confitendi. Verùm contraria ſententenria verior eſt, & communior, quia pœnitens, exprimendo omnia ſua peccata in confeſſione utitur jure ſuo.

21 Quintò quando ſacerdos non poteſt aliter confiteri ſuum peccatum, niſi revelando alienum auditum in confeſſione, tunc enim poteſt licitè omittere tale peccatum, & dimidiare confeſſionem, quia fortior eſt obligatio ſervandi ſigillum confeſſionis.

22 Cæterum poteſt multipliciter contingere, ut confeſſio ſit nulla. Primò ex parte pœnitentis ob defectum intentionis, ſi non intendat ſuſcipere ſacramentum, vel ſi intendat illud ſuſcipere ob finem tamen pravum, qui ſit peccatum lethale, quia tunc ponit obicem abſolutioni. Secundò ex defectu doloris, ſeu attritionis, vel contritionis; & huc etiam refertur defectus abſtinendi à peccato, quia non remittitur peccatum niſi corrigatur *c. peccat. de reg. jur. in 6.* Tertiò ex defectu integritatis quando ſcienter, & ſine legitima cauſa, vel ex craſſa, & culpabili negligentia non confitetur quis omnia ſua peccata mortalia cum circumſtantiis neceſſariò exprimendis. Quartò ratione excommunicationis non ignoratæ, quia excommunicatus etiam minori excommunicatione excluditur à participatione ſacramentorum *c. ſi celebrat de cleric. excommun. miniſt.* Quòd ſi excommunicatio ignoretur, & excommunicatus bona ſide petat abſolutionem, hæc ſortitur ſuum effectum, quia nullo jure, vel ratione contrarium probatur. Tum quia res, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit *c. ſine culpa de regul. jur. in 6.* Quintò defectu ſufficientis examinis, & diligentiæ adhibitæ, hæc enim tanta eſſe debet, quanta judicio prudentis, & boni viri adhiberi debet in re magni momenti, qualis eſt ſalus animæ.

Rurſus ex parte confeſſarii poteſt eſſe nul-
23 la confeſſio. Primò ex defectu intentionis, ſi non intendat abſolvere, quia in miniſtro eſt neceſſaria intentio ut validè, & ritè ſacramenta miniſtret. Secundò ex defecto poteſtatis, ſeu juriſdictionis, ut patet, quia carens juriſdictione non poteſt actum juriſdictionis, exercere. Tertiò ſi ejus juriſdictio impedita ſit per excommunicationem, ut in hæretico *can. 1. §. laboret de pœnit. diſt. 6.*

Verùm poſt Concilium Conſtantienſe ſoli 24
notarii clericorum percuſſores, aut nominatim excommunicati privantur juriſdictione. Quartò ſi non proferat verba abſolutionis, quia in hoc judicio debet ſententia ferri voce ſacerdotis, nec ſufficit illam ſcribere, ut in aliis tribunalibus, in quibus poteſt per miniſtrum ferri, dummodo illa ſcripta ſit à Judice, & approbata. Quintò ex defectu ſcientiæ in confeſſario requiſitæ, ut ſi tanta laboraret ignorantia, ut neſciret abſolvere, & diſtinguere peccata mortalia contra præcepta decalogi. Neque Deus ordinariè hos defectus ſupplet, neque dat gratiam extra ſacramentum niſi verè contritis, quia tunc charitas eſt, quæ operatur. Sigillum verò quod attinet confeſſionis, eſtque obligatio non revelandi, quæ audita ſunt in ſacramentali confeſſione, ſervari omninò debet, non ſolùm à confeſſario, ſed etiam ab interprete & alio quocunque, ſivè is vir ſit, ſive fœmina; laicus, vel clericus, & ſive caſu, vel ex induſtria directè, vel indirectè, mediatè, vel immediatè confeſſionem alterius audiverit: & ratio eſt, quia obligatio ſervandi ſigillum non cadit in ipſum ſacerdotem primariò, ſed in ipſam confeſſionem, quæ pro nullo eventu poteſt revelari, quo fit, ut hæc, ad quemcunque tranſeat, ſemper ſecum ferat hoc onus, ut non poſſit revelari *c. ex litteris de pignorib.*

Dicitur autem hæc obligatio non reve- 25
landi confeſſionem auditam ſigillum methaphoricè, quia ſicut ſigillum continet occultam rem obſignatam in charta, vel tabula *l. 1. §. fin. l. ſi quis ex ſignatoribus ff. quemad. teſtam. aper.* ita hæc obligatio efficit, ut quæ fuerunt audita in confeſſione nullo modo poſſint manifeſtari & quidem ex triplici jure, naturali, divino poſitivo, & eccleſiaſtico. Jure naturali, quia lex naturæ docet, non eſſe alteri faciendum, quod nolemus nobis fieri: & nemo vellet ſecretum, quod alteri commiſit manifeſtari aliis, & præſertim propria peccata, ex quorum manifeſtatione honor, & fama detrimentum patitur. Tum quia ex tali revelatione plurima poſſent graviſſima mala ſequi, proinde confeſſio redderetur graviſſima, & odioſa, & ab illa fideles deterrerentur, & retraherentur. Eſt etiam hoc ſigillum de jure divino poſitivo, quia Chriſtus inſtituens hoc ſacramentum etiam inſtituit hoc ſigillum, ſine quo ſacramentum non poſſet conſiſtere, nec commodè fieri, ſiquidem eſſet exoſum, & multi ab illo retraherentur ex timore, ne eorum peccata aliis manifeſtarentur *argum. c. præterea de offic. deleg. & l. 2. c. juriſd omn. judic.*

Hinc nulla humana poteſtas poteſt præ- 27
cipere alicui ſub quantavis pœna revelationem ſacramentalis confeſſionis; nec diſpenſare ſuper ejus ſigillo. Quòd etiam ſit de iure eccleſiaſtico liquet ex *c. omnis utriusque ſexus 12. h. t.* ubi dicitur, quòd qui præſumpſerit revelare peccatum in confeſſione ſibi detectum, ſit deponendus à ſacerdotali officio, & detru-

den-

dendus in arctum monaſterium ad agendam perpetuam pœnitentiam.

27 Neque obſtat, quòd in præcitatis juribus fiat tantùm mentio ſacerdotis, quia expreſſio unius eſt excluſio alterius *c. nemo de præſumpt.* Nam contra eſt, quià qui de uno dicit, negat quidem de alio diſſimili, ſed non de alio ſimili *can. qualis diſt. 23. argum. c. ſi tibi abſenti juncta Gloſſa de præbend. in 6.* & quamvis confeſſarius, & alii audientes peccata in confeſſione non ſint quoad omnia ſimiles, ſunt tamen tales, quoad obligationem, ſeu onus non manifeſtandi peccata audita in confeſſione. Tum quia eatenus in prædictis juribus fit tantùm mentio ſacerdotis, quia potentia revelandi frequentior, ac facilior ineſt ſacerdotibus, quàm aliis, quibus nonniſi rarò confeſſio aperitur: ſed quæ ratione frequentioris uſus exprimuntur, non reſtringunt regulam.

28 Nec obſtat *c. manif. 2. h. t.* ubi dicitur, quòd manifeſta peccata non ſint occulta correctione purganda, ubi à contrario ſenſu videtur inferendum; pro manifeſtis peccatis imponendam eſſe publicam pœnitentiam. Nam præfatum *c. manifeſta*, & alia hujuſmodi jura intelligi debent de correctione exteriori, non verò de interiori, & ſacramentali niſi in caſu, quo pœnitens ſponè ſuſcipiat talem pœnitentiam, & ſic expreſſe, vel tacitè conſentiat in publicationem ſuæ confeſſionis ex juſta aliqua cauſa, ut ſcilicet Deo ſatisfaciat, & hominibus, quibus fuit ſcandalo, hinc Navarrus in *can. ſacerdos n. 100.* probat, canones pœnitentiales, quos in fine decreti Gratiani edidit Gregorius XIII. procedere de hac exteriori correctione.

29 Cæterum pœna revelantis confeſſionem in *d. c. ſacerd.* eſt depoſitio, & perpetua peregrinatio: ſed quia erat dedecori non ſolùm ipſi ſacerdoti, ſed etiam toti ſtatui Clericorum *can. Diaconi diſt. 23.* ideò conſultiùs in *c. omnis utriuſque ſexus 12. h. t.* temperatur pœnitentia, & perpetua peregrinatio mutatur in perpetuam reclusionem in arctum monaſterium; derogat enim lex nova veteri, ſi contrarium ſtatuat, licèt mentionem veteris non faciat *c. 1. de conſt. in 6.* Hæc tamen pœna non procedit in laicis, qui cùm non ſint in ordine conſtituti; non poſſunt ab ordine deponi, *argum. l. dec. ff. de V. O.*

Injungenda eſt etiam pœnitenti ſatisfactio,
30 quæ eſt tertia pars ſacramenti pœnitentiæ, licèt enim poſſit interdum contritio tanta eſſe, ut ejus beneficio unà cum culpâ remittatur etiam tota pœna, perinde ac per baptiſmum, ac martyrium, ut conſtat de latrone pendente in cruce, cui Chriſtus dixit, *hodie mecum eris in Paradiſo*, quia tamen non ſemper per ſacramentum pœnitentiæ unà cum culpa remittitur tota pœna, ſed æterna mutatur in temporalem, ut definit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 14. & can 3. & ſeſſ 14. c. 8. can. 12.* eò quia peccatum non ſolùm ſit contra Dei amicitiam, ſed etiam contra juſtitiam, inde fit, quòd in pœnitente recepto in Dei gratiam, & amicitiam, adhuc maneat debitum luendæ pœnæ temporalis locò perpetuæ; quam miſericors Deus per ſacramentalem abſolutionem obliviſcitur: hinc eſt quòd ad ſatisfaciendũ juſtitiæ neceſſarium erat, ut pœnitenti injungeretur ſatisfactio, quam poſt confeſſionem poneret pro pœna illa temporali, in quam virtute abſolutionis mutatur perpetua, quæ debebatur peccatis. Hinc ſatisfactio ſacramentalis eſt debita ob injuriam Deo illatam conſiſtens in operibus pœnalibus; & laborioſis taxatis à confeſſario: eſt hæc ſatisfactio pars tantùm integralis hujus ſacramenti, quia ſatisfactio non ordinatur ad primarium effectum Sacramenti pœnitentiæ, qui eſt remiſſio culpæ; ſed ad ſecundarium, qui eſt remiſſio pœnæ temporalis; proinde non debuit eſſe de neceſſitate ſimpliciter hujus ſacramenti, quod propterea validum eſſet, quamvis ſacerdos nullam injungeret ſatisfactionem (dummodo pœnitens malitioſè non concurreret ad omiſſionem pœnitentiæ ſibi injungendæ) attamen ſacerdos vix excuſaretur à peccato, ſi abſque rationabili cauſâ pœnitentiam non injungeret.

Unde per ſe loquendo tenetur ſacerdos
regulariter aliquam ſemper ſatisfactionem 31
pœnitenti injungere, quia tenetur curare ſalutem pœnitentis, ut medicus; ſervare æquitatem ut judex; ponere integritatem ſacramenti, ut miniſter; quapropter hujuſmodi obligatio ex genere ſuo eſt gravis, & obligat confeſſarium ſub mortali. Immò probabilius videtur teneri confeſſarium hanc ſatisfactionem injungere per modum præcepti, quia ſacerdos eam imponit tanquam judex, ut ſcilicet puniat pœnitentem pro patratis delictis, & judex non punit niſi per vim coërcitivam, quâ obligat reum ad pœnam ſibi injunctam ſubeundam. Quinimo ſi pœnitentia non imponeretur ſub obligatione, propriè non diceretur pœnitentia à ſacerdote injuncta; proinde non eſſet ejus adimpletio ſatisfactio, quæ eſt pars hujus ſacramenti.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus ſacer-
dos excuſatur à pœnitentia injungenda. Pri- 32
mò ſi pœnitens ſit impotens, & morti adeò proximus, ut nihil poſſit percipere. Secundò ſi confeſſarius ex ſignis conjiciat, pœnitentem ad hoc ſacramentum cum tanto dolore acceſſiſſe, ut credat, ipſum integrè Deo ſatisfeciſſe. Verùm quia vix poteſt certè id ſacerdoti conſtare, conſultiùs ſemper eſt, ſatisfactionem aliquam injungere ante abſolutionem, ut uſus jam obtinuit. Tertiò quando abſque ſatisfactione inſtat remedium perfectæ remiſſionis, ut martyrium ſubeundum. Quartò quando pœnitens ob ſuam fragilitatem putatur nullam accepturus pœnitentiam: ſubinde ad vitanda graviora mala; conſultiùs eſt ſe accomodare imbecillitati pœnitentis.

Opera injungenda à confeſſario pœniten- 33
ti pœnalia eſſe debent, & ad tria reducuntur capita, quorum primum eſt oratio, ad quam reducuntur alia bona opera interna, ut contri-

tio, gratiarum actio, & alia hujnsmodi. Secnndum eſt jejunium, ad quod reducitnr, quælibet maceratio carnis. Tertium eſt eleemoſyna, ad quam reducuntur reliqna opera miſericordiæ in proximum. Verùm quando confeſſarius injungit pro ſatisſactione jejunium, ſi nihil aliud exprimat, non cenſetnr injungere opns aliàs debitum ex præcepto; unde pœnitens non ſatisfacit pœnitentiæ ſibi injunctæ, ſi jejunet eo die, quo ex præcepto eccleſiæ tenetur jejunare, niſi fortè aliter conſtet de voluntate confeſſarii. An verò confeſſarius poſſit injungere pœnitentiam ſub conditione, ut ſtatim confiteatur, ac lapſus fuerit in hoc, vel illud peccatum, probabilior, & tutior ſententia eſt negativa, quia pœnitentia debet injungi abſolutè, & non ſub conditione. Poteſt etiam pœnitens ſatisſacere per bona opera ſibi non pœnalia, ut vir ditiſſimus, & liberalis per eleemoſynam, in cujus elargitione nullam ſentit pœnam, nec incommodum, aut triſtitiam. Verùm quò magis ſunt opera pœnalia, eò magis ſunt ſatisfactoria.

34 Quod verò ad menſnram attinet ſatisfactionis imponendæ, tametſi lege eccleſiaſtica id non ſit taxatum, & canones pœnitentiales tantùm continerent regulam quandam directivam; quam confeſſaril poterant ſequi, qnoties cenſerent, id expedire, vel potiùs pertinerenr ad forum externnm, & ædificationem eccleſiæ, qnàm internum, & hodie tales canones non ſint ampliùs in uſu: nihilominus quia ſacerdos eſt ſimul conſtitutus judex, & medicus, & illi datæ ſunt claves ad ſolvendum, & ligandum, ideo curare debet, ut ſecundùm menſuram delicti, ſit etiam plagarum modus, ut dicitur *Deuter. 25.* quapropter debet diligenter perpendere quantitatem, & qualitatem, & alias circumſtantias delicti, ut etiam contritionem, & ætatem pœnitentis *can. de his 26. q. 7.* unde hoc negotium non eſt abſolutè relictum in poteſtate voluntaria confeſſarii, ſed conſideratâ gravitate peccatorum, diſpoſitione pœnitentis, aliiſque circnmſtantiis perſonæ, temporis, debet injungi proportionata ſatisfactio: ita ex rationabili cauſa ob impotentiam; vel fragilitatem pœnitentis poteſt confeſſarius nonnunquam leviorem injungere pœnitentiam ut tempore jubilei vel indulgentiarnm, quia per indulgentias tollitur debitum ad pœnam.

35 Uſus etiam invalnit, ut confeſſarius ex juſta, & rationabili cauſa poſſit in confeſſione diminuere, & commutare pœnitentiam à ſe, vel ab alio confeſſario injunctam pœnitenti, quia cùm hoc ſacramentum institutnm ſit ad bonum animarum, cui interdum expedit talem pœnitentiam à ſe vel ab alio injunctam commutare, ideo poteſt confeſſarius ex juſta cauſa, eam diminuere, vel commutare, & juſta cauſa cenſetur eſſe notabilis utilitas, vel gravis difficnltas pœnitentis in peragenda pœnitentia, ut etiam oblivio pœnitentiæ aliàs injunctæ. Non tamen hæc commutatio debet fieri extra confeſſionem, quia cùm ſatisfactio ſit actus jurisdictionis clavium in foro ſacramentali debet commutari à ſacerdote exercente jurisdictionem clavium.

Sunt tamen qui ſentiant cum Navarro *c. 26. num. 22.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 14. p. 4.* 36 non eſſe neceſſariam tunc confeſſionem peccatorum ſaltem in particulari, ſed ad ſummum in ſpecie pro quibus injuncta eſt. Verùm communior ſententia eſt, quòd teneatur confeſſionem repetere ut ſacerdos poſſit ſcire, qualem debeat pœnitentiam injungere, ut docet Suarez *diſp. 30. ſect. 10. n. 8.* ſunt tamen, qui cenſent, pœnitentem, qui oblitus eſt pœnitentiæ ſibi injunctæ, non teneri iterum eadem peccata confiteri, ut aliam pœnitentiam pro iiſdem recipiat, ſed ſatis eſſe, ſi confiteatur tale peccatum, ſi ex ſua culpa non recordetur ampliùs pœnitenriæ ſibi injunctæ: ratio, quâ hæc ſententia nititur, eſt, quia Deus non judicat bis in ipſum: & illa peccata, cùm fuerint ſemel à Deo judicata non debent iterom in judicio ſacramentali judicari, unde dicunt tantùm teneri confiteri culpam oblivionis, ſi qua fuit, ita docent Sotus *in 4. diſt. 20. q. 2. art. 2. ad 2.* Fernandez *p 3. c. 7. §. 6. n. 14.* Navarrus *in manual. c. 9. n. 6.* Cæterum pœnitens non poteſt propria auctoritate pœnitentiam commutare in aliam æqualem, vel etiam meliorem, quia commutare pœnitentiam eſt actus jurisdictionis, qui non poteſt exerceri niſi ab habente jurisdictionem ſacramentalem, quâ pœnitens caret.

Sunt tamen, qui contrariam ſententiam 37 probabilem putent, ea innixi ratione, quia quoties quis abundantiorem ſolutionem offert pro debito, legem non ſolvit, ſed abundantiùs implet: & dicunt, tunc pœnitentem propria authoritate non ſibi imponere novam legem, nec exercere actum judicii & jurisdictionis; ſed tantùm uberius implere legem à confeſſario ſibi injunctam. Verùm prior ſententia communior eſt, & illi adhærendum, pœnitens enim ſi velit abundantiorem ſolutionem offerre pro debito, poteſt id præſtare exequendo priùs pœnitentiam ſibi injunctam à confeſſario, & poſtea eidem addere alia opera pœnalia, vel eandem pœnitentiam ſibi injunctam bis, vel ter repetere.

Sicut confeſſarius tenetur pœnitentiam 38 injungere, ita pœnitens tenctur eam acceptare, ſi tolerabilis ſit, & humanæ fragilitati accommodata, niſi legitimè commutetur, idque deſumitur ex *c. omnis utriusque ſexus 12. h. t.* & ratio peti poteſt ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 8. & can. 13.* cùm enim ibi claves dicantur datæ ſacerdoti non ſolùm ad ſolvendum; verùm etiam ad ligandum procul dubio poterit iiſdem debitè utendo obligare pœnitentem ad rationabilem pœnitentiam pro culpa lethali ſibi injunctam: ea autem pœnitentia dicitur rationabilis, quæ cujuſcunque ſtatui, & fragilitati congruit, tametſi condigna non ſit. Rurſus ex parte pœnitentis adeſt obligatio adimplendæ pœnitentiæ gravis;

adeo

adeo ut graviter peccet, ſi pœnitentiam gravem ſemel à ſe acceptam non adimpleat: ſecus qui non adimplet pœnitentiam levem, non peccat graviter, quia tunc parvitas materiæ excuſat à peccato lethali.

39 Tenetur tamen pœnitens implere pœnitentiam, quàm primum commodè poteſt, ſi confeſſarius non determinet tempus, alioquin implenda eſt intra tempus à confeſſario præfixum. Quòd ſi pœnitens pœnitentiam ſibi injunctam à confeſſario adimpleat in ſtatu peccati mortalis, licèt ſatisfaciat præcepto confeſſarii, non tamen effectum, ſeu fructum ſatisfactionis conſequitur: Ratio primæ partis eſt, quia is dicitur præceptum, & obligationem adimplere, qui facit, quod ſibi præceptum eſt: & pœnitens adimplendo pœnitentiam in ſtatu peccati mortalis revera facit, quod ſibi præceptum eſt, proinde ſatisfacit præcepto confeſſarii. Tum quia adimplet ſubſtantiam operis ſibi injuncti: modus autem operandi non ſolet ſub præceptum cadere: unde quòd pœnitens adimpleat pœnitentiam ſibi injunctam in hoc, vel illo ſtatu non pertinet ad ſubſtantiam præcepti.

40 Ratio alteræ partis eſt, quia peccatum lethale nondum remiſſum eſt obex ad remiſſionem pœnæ: ſiquidem indignus eſt, ut pœnæ obtineat remiſſionem, qui dignus eſt æternâ pœna. Alii tamen cenſent, talem pœnitentiam adimpletam in ſtatu peccati mortalis, adhue ſortiri fructum ſatisfactionis: quia ſatisfactio ſacramentalis non cauſat remiſſionem pœnæ temporalis mediante infuſione gratiæ, nec per modum meriti de condigno, quibus ſtatus peccati lethalis eſt obex; ſed impetrando illam à Deo, & huic impetrationi peccatum non obeſt; ſiquidem peccatores etiam in ſtatu peccati lethalis plura à Deo impetrant de congruo, licèt non per modum meriti de condigno.

41 Cæterum probabile eſt, pœnitentiam impletam in ſtatu peccati mortalis ſortiri ſuum effectum, & prodeſſe ad remiſſionem pœnæ ſublato obice, ſeu ſtatu peccati lethalis: ratio eſt, quia cùm ſatisfactio ſit pars integralis ſacramenti, debet ſignificare, & efficere aliquid ex opere operato, & quia non efficit gratiam, eò quia hæc confeeratur in eo inſtanti, in quo perficitur abſolutio, ſequitur debere ex opere operato efficere remiſſionem peccatorum ſaltem recedente obice, ſeu ſtatu peccati. Rurſus quia ſatisfactio ſacramentalis injuncta à confeſſario, eſt perſonalis, non poteſt per alium adimpleri, ſed implenda eſt per ipſum pœnitentem: ex voluntate tamen confeſſarii poteſt hæc ſatisfactio per alium adimpleri præſertim ſi juſta cauſa ſubſit, quia poteſt unus juſtus pro alio juſto ſatisfacere, ut habetur in ſymbolo fidei, in quo confitemur communionem ſanctorum, ſeu omnium bonorum totius eccleſiæ, hinc David *Pſal. 18. Particeps ego ſum omnium timentium te Domine, & cuſtodientium mandata tua.* Tum quia *ad Epheſios 4., ad Corinth. 1.12, & ad Rom. 12,* Omnes fideles exiſtentes in gratia dicuntur unum corpus in Chriſto: ſinguli autem alterius membra: membra autem viva unius corporis, & capitis ſe mutuò juvant. Hinc Apoſtolus *ad Galat. 6.* ſcribit: alter alterius onera portate, hoc eſt onera non ſolùm corporalia, ſed etiam ſpiritualia.

§. IV.

Donantur explicatu quædam alia capitula, quæ continentur in hoc titulo circa pœnitentias injungendas.

Quæritur primò, quænam pœnitentia injungenda ſit ei, qui Presbyterum occidit? Reſpondetur de hoc dubio agi in *c. qui Presb. 2. h. t.* ubi ex Concilio Moguntino ſtatuitur, ut ei, qui Presbyterum occiderit pœnitentia duodecim annorum ſecundùm canones injungatur. Rurſus convictus de hoc, ſi ſit miles ut careat uſque ad ultimum vitæ ſuæ tempus cingulo militiæ, maneatque abſque ſpe conjugii. Ex quo textu liquet, occiſorem ſacerdotis triplici pœna plecti. Primò pœnitentia duodecim annorum ob enormitatem criminis cum alioquio pro crimine mortali ſolùm imponatur pœnitentia ſeptem annorum *c. hoc ipſum c. admonere 2. q. 33.* Secundò punitur privatione cinguli militaris unde infert Panormitanus hic, poſſe judicem eccleſiaſticum laicum privare, etiam cingulo militiæ temporalis, imò etiam doctoratu, & quolibet mercimonio ſæculari. Tertiò privatur etiam facultate nubendi, ut vivat ſolitarius, ac decedat ſine prole. Hæ autem pœnitentiæ non obſtant, quò minus poſſit judex ſæcularis contra occiſorem Presbyteri procedere, quinimo poteſt etiam judex eccleſiaſticus graviores pœnas imponere. Cæterum pœnitentia duodecim annorum, de qua loquitur textus conſiſtit in jejuniis ſervandis certis diebus in hebdomada, vel in peregrinatione, aut alio opere pœnitentiæ exercendæ arbitrio prudentis confeſſarii. Præterea ex tertia pœna, ſeu carentia conjugii impeditur quidem matrimonium contrahendum, ſed non dirimitur contractum, ut notat Gloſſa in *d. c. Presbyterum a. h. t. V. abſque ſpe conjugii.*

Quæritur ſecundò, quænam pœnitentia ſit ei imponenda, qui pro libertate ſua ſe defendit, vel pro eccleſia pugnat, ſi multum excedat, & peccet? Reſpondetur, ei eſſe imponendam pœnitentiam arbitrariam, & mitem, idque colligi ex *c. ſignificavit 3. h. t.* ubi Alexander III. cùm vir nobilis opponendo ſe Imperatori, & caſtrum Vernicæ negando, in cauſa fuiſſet ut duo millia domorum ibi ſolo æquarentur, multique homines occiderentur, ac proinde dictus vir nobilis cuperet reconciliari, mandavit Pontifex ei pœnitentiam miſericorditer imponi, attento, quòd pro liber-

tate ſuæ, & eccleſia id fecerit. Idque ne ex gravitate pœnitentiæ alii retraherentur à defenſione eccleſiæ. Ex hoc textu infert Hoſtienſis *in ſumma* quòd ſi peccator non valeat exequi pœnitentiam ſibi à ſacerdote injunctam & tamen ſit contritus de ſuo peccato, quòd tunc ſacerdos debeat eum abſolvere cum levi pœnitentia, immo etjam ſine aliqua pœnitentia, ſi pœnitens diceret ſe non poſſe pœnitentiam agere: quia ſi non agit pœnitentiam in hac vita, luet in alia ſua peccata: quia pœnitentia, quæ hic peragitur, tollit pœnitentiam peragendam in purgatorio, & ſi hic non perficitur, perficietur in flammis expiatoriis *c. quid ergo 5. q. 33.* Hinc pœnitentiæ dicuntur res arbitrariæ, ac relinquendæ arbitrio prudentis confeſſarii, qui eas augere poteſt, vel minuere conſideratis circumſtantiis. Ex eodem textu etiam liquet, confeſſarium debere talem injungere pœnitentiam, qualem prudenter putat poſſe pœnitentem peragere.

3 Quæritur tertiò, quænam pœnitentia injungenda ſit pro delicto oppreſſionis filiorum? Reſpondetur, ſolutionem hujus dubii haberi in *c. quæſitum 7. h. t.* ubi Clemens III. reſcribit, quòd ſacerdotibus græcis, quorum filii reperiuntur in lectis mortui, & oppreſſi, ſi ipſis procurantibus, vel negligentibus contigit, debeat imponi, ut perpetuò abſtineant ab altari, & gravior pœnitentia eis injungatur, quàm laicis, non tamen pœnitentia publica, ſi delictum fuit occultum. Sin verò ex eorum incuria filii inveniantur mortui in cunis, & hoc ſit occultum, imponitur pœnitentia ad arbitrium Pœnitentiarii, & ad terrorem cæterorum abſtineat ad tempus à celebratione miſſarum.

Ex quo textu liquet, quòd ſi crimen ſit
4 grave, non tamen inde oriatur ſcandalum, & ſit occultum, non imponitur pœnitentia ſolemnis, ſeu publica, ſive delinquens ſit clericus, ſive laicus. Sin verò crimen ſit grave, & publicum, adeóque etiam ſcandaloſum civitati, vel loco; tunc imponitur pœnitentia ſolemnis. Sin verò ſit quidem ſcandaloſum, non tamen toti civitati, vel loco, imponitur pœnitentia publica ad ſedandum ſcandalum, ſed non ſolemnis, ut notat Fagnanus in *d. c. quæſitum. 7. num. 3. & ſequent h. t.* & habetur etiam jure novo ex Concilio Tridentino *c. 8. ſeſſ. 24.* ubi ſtatuitur, quòd ob crimen commiſſum ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu condigna pœnitentia illi injungatur, & quidem publicè pro modo culpæ.

Rurſus ex *d. c. quæſitum* colligitur, negli-
5 gentiam craſſam, ſeu affectatam æquiparari ſcientiæ, ac dolo, quia in *d. c. quæſitum* opprimentes filios in lecto ex ſtudioſa, ſeu affectata negligentia procedente ex lata culpa, quæ æquiparatur dolo quoad irregularitatem incurrendam ſi ſint ſacerdotes græci tenentur perpetuò abſtinere ab altaris miniſterio, quamvis crimen ſit occultum: ad infligendam autem pœnam ordinariam homicidii, ad quam requiritur dolus, non ſufficit lata culpa, ut notat Abbas in *d. c. quæſitum n. 2.* Cæterum ſi culpa ſit leviſſima non contrahitur irregularitas, ut conſtat ex *d. c. quæſitum* in quo ſacerdotes græci, ex quorum incuria, & ſine tactu proprio, ſeu alia procuratione filii eorum reperiuntur mortui in cunis, debent abſtinere tantùm ad tempus à celebratione miſſarum, non verò in perpetuum, eò quia non cenſeantur homicidæ, ut notat Fagnanus in *d. c. quæſitum n. 9.*

Quæritur quartò, an admittenda ſit con- 6
feſſio dicentium, ſe non poſſe abſtinere à peccato? Reſpondetur affirmativè, idque colligi *ex c. quod quidam 5. h. t.* ubi Alexander III. conſultus, an volentes confiteri, ſed aſſerentes, ſe non poſſe abſtinere à peccato ſint audiendi, reſpondit; eorum confeſſionem eſſe recipiendam, eisque conſilium exhibendum: quia tametſi non ſit vera ejusmodi pœnitentia, admittenda nihilominus eſt eorum confeſſio, & frequentibus, ac ſalutaribus monitis pœnitentia inducenda. Loquitur Pontifex de iis, qui non dolent de peccatis, nec verum habent emendationis propoſitum, quæ duo ſunt aliàs de ſubſtantia veræ pœnitentiæ.]

Cæterum aſſertio pœnitentis, quòd non 7
poſſit abſtinere à peccato, perſæpe non ſignificat defectum veri propoſiti, & voluntatis impoſterum, non peccandi, ſed ſolùm credulitatem, ſeu metum infirmitatis, quod experientia doctus credat, ſe lapſurum in peccatum eò tempore præcedente ceciderit; tametſi hic, & nunc ex animo intendat ſe emendare, ſibique firmiſſimè proponat omnia impoſterum peccata mortalia declinaturum: & in hoc caſu pœnitentia, & confeſſio eſſet vera, ut communiter docent Theologi, ſed Pontifex in *d. c. quod quidam* non loquitur de hac confeſſione, ſed de priori, quia non habentes verum dolorem de peccatis, nec firmiſſimum propoſitum cavendi impoſterum omnia peccata lethalia non agunt veram pœnitentiam, quia ipſis deſunt, quæ ad ſubſtantiam veræ pœnitentiæ requiruntur: & iſtis non poteſt abſolutio ſacramentalis impertiri ex defectu doloris, & propoſiti ſe emendandi, proinde eorum confeſſio nullius eſt valoris, & ſic confitentes tenentur iterum confiteri cum dolore, & propoſito.]

Cæterum prodeſt talis confeſſio perinde 8
ac alia opera bona, quæ fiunt extra charitatem, & ſtatum gratiæ ad obtinendum à Deo ſpeciale gratiæ auxilium, ut peccator citius convertatur, & ad impetrandam remiſſionem pœnæ temporalis, vel alia bona temporalia, ut notat Covarruvias in *c. Alma Mater 1. p. relect. §. 4. n. 11.*

Quæritur quintò, quænam pœnitentia ſit 9
injungenda mulieri, quæ partum alienum ſibi ſuppoſuit, vel proprium ex adulterio ſuſcepit? Reſpondetur, huic mulieri non eſſe denegandam pœnitentiam, idque colligi ex *c. officii 9. h. t.* ubi cùm mulier quædam fuiſſet

con-

confeſſa, quòd ex timore, ne bona ſui viri devolvererentut ad alios, ſe gravidam quarundam herbarum ſucco fingens, partum etiam ſibi ſuppoſuerit alienum, & mox nolit ſuum facinus marito detegere: Innocentius III. reſcripſit, quòd ſicut mulieri, quæ ignorante marito de adulrerio proiem ſuſcepit, quamvis ex timore nolit id viro manifeſtare, non eſt deneganda pœnitentia: ita neque huic mulieri, maximè ſi ad alienos timeat bona temporalia mariri devolvi, ſed eſſe illi iniungendam competentem ſatisfactionem per diſcretum ſacerdotem. Argumentatur Pontiſex in hoc textu à paritate criminis ſuppoſiti partûs in prægnatione ficta qualis fuit iſta; & in prole ſuſcepta ex prægnatione facta ex adulterio: utrinque enim metus impedit, ne uxor ſuum ſcelus marito detegat, & maritus utrobique ſallitor exiſtimans filium ſpurium eſſe ſuum legitimum, & quidem non ſine damno legirimorum, quibus à ſpurio pars eripitur hæreditatis.

10 Ad quid verò teneatur mulier, quæ vel alienum partum ſibi ſuppoſuit, vel proprium ex adulterio ſuſcepit. Reſpondetur teneri quantum fieri poteſt ſine famæ detrimento, & vitæ periculo procurare, ne legitimi hæredes ratione hujus illegitimæ prolis damnum capiant, quia mulier non poteſt damnum inferre filiis legitimis, vel legitimis ſucceſſoribus: unde ſi habeat bona paraphernalia, tenetur in compenſationem damni illati ea relinquere legitimis filiis, vel ſucceſſoribus. Pari pacto quidquid ex labore acquirit lucri debet legitimis filiis, vel ſucceſſoribus relinquere in compenſationem derrimenti, quod capiunt, ex eo, quòd filius ſpurius partem obtineat hæreditatis, quæ illi non debetur: unde tenetur etiam mulier proprios ſumptus minuere, ut reſarciat damnum illum: quòd ſi non poſſit ullo ex his modis compenſare, tenetur tunc filio ſuppoſito, vel ex adulterio ſuadere, quantum eſt in ſe, ut fiat religioſus, & renuntiet hæreditati, quia tenetur modis omnibus impedire, ne legitimi hæredes damnum patiantur.

11 Quòd ſi his modis plenè compenſet damnum, non tenetur ad aliud, & poteſt permittere, ut filius illegitimus, vel ſuppoſitus ſuccedat tanquam legitimus, quia nullum tunc legitimi hæredes damnum patiuntur. Nec obſtat, quòd leges civiles arceant ab hæreditate, & ſucceſſione filios illegitimos, quia jura civilia tantùm excludunt filios illegitimos, quando cognoſcuntur ut tales in foro exteriori. Secundò excludunt filios illegitimos quando portio legitimis non compenſarur; non verò quando compenſarur, & res eſt omninò occulta, & neſcitur, quòd talis filius ſit illegitimus. Tertiò quia licèt proles ſit illegitima, poteſt nihilominus permitti, ut ſuccedat, ne mulier, & proles infamentur, præſertim ſi legitimi hæredes inde damnum non ſentiant, eò quia mulier ſufficientem donet illis compenſationem.

Præterea quamvis mulier nullo ex præ- 12
recenſitis modis poſſet damnum legitimis ſucceſſoribus compenſare; adhuc non teneretur manifeſtare marito, & proli ſuum peccatum, niſi fortaſſis eſſet moraliter certa damni avertendi, ut communiter docent Doctores: alioquin ſi dubitaret, an mediante tali manifeſtatione poſſet damnum avertere, adhuc non teneretur prodere ſuum adulterium marito, quia in dubio conditio poſſidentis eſt melior, proinde ſi prudenter dubitet, an proderit revelatio, non tenetur propriam famam & honorem prodigere manifeſtando ſuum adulterium: id enim illi maximæ verteretur imprudentiæ: ſiquidem redderet ſe infamem, & exoſam apud maritum, & filium, & tunc conjiceret filium in magnos animorum æſtus. Et rarò poteſt contingere, ut adultera non habeat hanc juſtam rationem dubitandi, an revelatio ſit profutura; ſiquidem filius matri dicenti ipſum eſſe ſpurium, non tenetur credere, quamvis ſciat ipſam fuiſſe adulteram, idque deſumitur ex *c. offic 9. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit ut mulieri, quæ de adulterio concepit ignorante marito, & prolem habuit, non ſit pœnitentia deneganda, quia ei non crederetur, ſi diceret, prolem ſuam eſſe ſpuriam: & ratio etiam eſt, quia aleganti ſuam turpitudinem nulla eſt fides præſtanda, ut habetur in regulis juris, quod intelligitur eum alterius præjudicio, ut eſſet in caſu noſtro cum præjudicio filii, qui ſi declaretur ſpurius, plurimum patitur damni quoad honorem, & bona hæreditatis. Tum quia filius cum in propria, & communi opinione præſumatur legitimus, non tenetur cum tanto ſuo incommodo ſe putare illegitimum, niſi convincatur, quiſque enim tamdiu præſumitur bonus, quamdiu non probatur malus. Quòd ſi filius omnino convinceretur, eò quia ejus mater per teſtes probaret, eum eſſe ſpurium, eò quia tunc temporis, quando ipſum concepit, ejus maritus abſuerit, tunc non poſſet filius adire hæreditatem.

Cæterum licèt certa ſpes affulgeret, quòd 13
per revelationem criminis, vel adulterii, poſſet mulier impedire damna hæredum, adhuc non teneretur mulier crimen ſuum manifeſtare, ſi inde periculum vitæ, vel infamiæ cenſeret ſibi impendere: quòd non teneatur ſub periculo vitæ, docent communiter præſertim Covarruvias *regula peccatum 1. p. n. 7.* Innocentius, Panormitanus, & alii Canoniſtæ in *d. c. officii 9. h. t.* ratio itidem eſt, quia vita nullo pretio eſt æſtimabilis, conſequenter ob rei pecuniariæ, reſtitutionem non tenetur quis propriam vitam periculo exponere; tum quia in periculo vitæ ceſſat diſtinctio dominiorum, adeò ut quiſque poſſit licitè re aliena, tanquam ſua uti, ut ſi irruente inimico, quis alienum equum conſcendat, ut inde periculum vitæ fugiendo poſſit evadere. Quòd nec etiam ob periculum famæ teneatur mulier proprium crimen manifeſtare, deſumitur ex *d. c. offic 9. h. t.*

ubi

ubi Innocentius III. conſultus de quadam muliere, quæ partum ſibi ſuppoſuerat, an eſſet abſolvenda, eò quia timeret ſuum crimen marito detegere, reſpondet quòd debeat competens ſatisfactio ei injungi per diſcretum ſacerdotem. Loquitur Pontifex in genere de muliere, quæ ob aliquam juſtam cauſam timet marito ſuum crimen detegere, ob periculum vitæ, vel famæ, vel perpetuæ offenſionis. Tum quia fama apud homines non æſtimatur pecuniâ, quòd ſi quis pluris faceret pecunias, quàm famam, easque ei præferret, utique contra rectam rationem faceret, unde Sapiens Prove b. 22. ait, *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*: hinc renuntiare pecuniis pertinet etiam ad perfectionem vitæ; non ita renuntiare famæ, quia hæc pertinet ad ædificationem proximi, & rectam officii adminiſtrationem. Tum quia quod ſoli legitimi filii ſuccedant ut hæredes, tantùm humanis legibus eſt introductum: hæ autem non obligant, quando agitur de periculo vitæ, vel famæ amittendæ: hæc autem procedunt de muliere honeſtæ conditionis, & quæ communiter cenſeatur honeſta, quia tunc propriè dicitur mulier bonæ famæ: alioquin ſi foret aliqua muliercula vilis, & ſuſpecta, cujus fama prudentum virorum judicio parvi fieret tunc ejus fama judicio prudentum poſſet componi cum æſtimatione hæreditatis, ut docet Sotus *lib. 4. de juſtit. q. 7. art. 2.*

14 Quæritur ſextò, an Abbatiſſæ moniales poſſint confeſſiones in criminibus audire? Reſpondetur negativè, & id deſumi clarè ex *c. nova quædam 10. h. t.* ubi cùm Abbatiſſæ moniales proprias benedicerent, & ipſarum quoque confeſſiones in criminibus audirent, & legentes evangelium præſumerent prædicare: mandavit Innocentius III. ne de cætero id fiat, firmiter inhiberi. Quia licèt Beatiſſima Virgo Maria, dignior, & excellentior fuerit Apoſtolis univerſis, non tamen B. Virgini, ſed Apoſtolis Chriſtus claves Regni cœlorum concredidit, ex quo textu claret, Abbatiſſam non poſſe proprias moniales benedicere, nec earum confeſſiones audire, ut nec etiam prædicare: & ratio eſt, quia licet Abbatiſſa dicatur habere aliquam juriſdictionem ſpiritualem fori externi, non tamen illi poteſt convenire juriſdictio, quæ oritur ex poteſtate clavium, & ordinum, quorum mulier eſt omnino incapax, adeo ut ordinari non poſſit, neque characterem ſuſcipere ordinis, proinde nec poteſt Abbatiſſa prædicare publicè, nec moniales docere, ſed tantum ſecretò eas monere, & privatim eas adhortari ad ſtudia & culturam virtutum. Neque poteſt ſolemniter eas benedicere, immò neque publicè evangelium legere, quia hæc omnia procedunt ex poteſtate clavium, & ordinum, quorum mulieres ſunt incapaces: hinc Abbatiſſæ nec poſſunt ſacra vaſa tangere, nec velare moniales, nec abſolvere, nec prædicare.

15 Quæritur ſeptimò, an damnatis ad mortem pœnitentiæ ſacramentum ſit concedendum, ſi illud petant? Reſpondetur affirmativè, idque deſumi ex *Clement. cum ſecundum c. 1. h. t.* ubi Pontifex ex eo, quòd cùm ſecundùm canones ultimo deputandis ſupplicio ſi petant, non debeat Pœnitentiæ ſacramentum denegari, damnat abuſum contra hoc introductum, & eum volens aboleri, juſtitiarios, & Domines temporales hortatur, ut ab hujusmodi deſiſtant, & ſimul locorum ordinariis injungit, ut illos ſtatim ac commodè poterunt, diligenter commoneant, & ſi neceſſe fuerit, etiam cenſurâ eccleſiaſticâ compellant. Ex quo textu liquet damnatis ad mortem non eſſe denegandam pœnitentiam, ſi eam petant, nimiæ enim foret crudelitatis, damnatis ad mortem temporalem denegare media ad evadendum mortem æternam. Immo damnati ad mortem poſſunt abſolvi etiam à ſimplici ſacerdote, ſi approbatus haberi non poſſit, quia damnati ad mortem cenſentur conſtituti in articulo mortis, proinde poſſunt abſolvi juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini *ſeſſ. 14. c. 7. de pœnit.* à quolibet ſimplici ſacerdote. Quòd verò ſint cenſendi in articulo mortis docent, fere communiter Covarruvias in *c. Alma Mater p. 1. §. 11. num. 8.* Sotus *in 4. diſt. 17. q. 4. art. 4.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 10. punct. 3.* ratio etiam id ſuadet, quia is cenſetur conſtitutus in mortis articulo, qui habet cauſas illativas mortis circa ſe ipſum determinatè applicatas; tunc enim fit, ut ejus mors ſit in fieri: ſed damnati ad mortem habent cauſas inductivas mortis circa ſe ipſos applicatas, ſcilicet ſententiam judicis, & mandatum executionis; ſunt enim hæ cauſæ efficaces mortis, adeò ut articulus mortis ſit in ipſis magis certus, quàm in illis, qui naturali morbo intereunt. Tum quia lex concedens poſſe unumquemque ſacerdotem abſolvere conſtitutos in mortis articulo eſt favorabilis, & privilegiativa illorum, qui ſunt in tali articulo mortis: unde quamvis contrarium eſſet in praxi, adhuc id non valeret, & eſſet abuſus, ut habetur in *cit. Clement. cùm ſecundum 1. h. t.* quia quando privilegium eſt conceſſum à jure, cùm ſe habeat per modum legis ordinatæ ad bonum commune, non ceſſat per non uſum, ut conſtat de privilegio comedendi carnes in feria ſexta vel Sabbatho, quando in eis incidit feſtum Nativitatis Domini, ut in *c. fin. de obſer. jejun.*

Immò damnatis ad mortem non jejunis poteſt miniſtrari Euchariſtia, ut docent Navarrus *conſil 40. in fin. h. t.* Suarez *diſp. 66. de Euchariſt ſect. 5.* Tannerus *tom. 4. ſum. diſp. 5. q. 8. dub. 4. num. 84.* ratio eſt, quia præceptum de jejunio ante Euchariſtiam non extenditur ad tempus, in quo impleri debet præceptum divinum de ſumptione Euchariſtiæ pro extremo vitæ tempore, quia tunc urget divinum præceptum, quod fortius eſt eccleſiaſtico: proinde debet hoc illi cedere: atqui jejunium ante Euchariſtiam eſt tantùm de præcepto eccleſiaſtico, & ſumere in ex- 16

tremo vitæ tempore Eucharistiam eſt de præcepto divino, quod neceſſariò ſervari debet, quamvis non impleatur præceptum eccleſiaſticum. Tum quia Euchariſtia eſt tunc maximè neceſſaria ad ſuperandas tentationes, quæ ſpeciali modo poſſunt damnatos urgere, unde eccleſia non intendit ponere aliquod impedimentum, in ordine ad ſumptionem Euchariſtiæ, & hoc impedimentum poſſet oriri ſtante præcepto jejunii, unde ex intentione eccleſiæ, non videtur hoc præceptum extendi ad tempus mortis, quia tunc habetur privilegium viatici, quod cùm poſſit miniſtrari non jejunis conſtitutis in mortis articulo, poteſt etiam miniſtrari damnatis ad mortem, licèt non jejunis.

17 Cæterum ſi damnati ad mortem ſine notabili eorum incommodo poſſent ante Euchariſtiam ſervare jejunium ob reverentiam, tenerentur illud ſervare: licet contraria ſententia, quam docet Dicaſtil. *de Sacrament. tract. 4. de Euchariſt. diſt 9. dub. 16.* videatur etiam probabilis, eò quia damnati ad mortem pervenerint ad extremum vitæ, & quidem cum majori certitudine, quàm laborantes acuta febri, & graviſſimè decumbentes cum imminenti periculo mortis; proinde tenentur ex præcepto divino ſumere Euchariſtiam, cujus tunc vel maximè indigent: præceptum autem divinum non obligat, ut conſtituti in articulo mortis debeant jejuni communicare: nec præceptum Eccleſiæ de præmittendo jejunio, ſe extendit ad conſtitutos in mortis articulo. Tum quia cauſa finalis, ob quam eccleſia ſuum præceptum non extendit ad conſtitutos in articulo mortis, hæc eſt; quia vult, tunc adimpleri præceptum divinum de ſumenda Euchariſtia, quocunque modo impleri poſſit, & per Euchariſtiam ſuccurri moribundo. Quòd verò non poſſit ſervari regulariter jejunium ab infirmis niſi cum notabili incommodo eſt tantùm cauſa impulſiva. quâ ceſſante non ceſſat diſpoſitio, ſiquidem ut caſum comprehendat ſufficit ſimiliter eadem ratio, & cauſa finalis *l. illud c. de SS. Eccleſ. l. his ſolis. §. ſatis etiam cautè c. de revoc. donat* & notat Alexander *in l. peregrè §. V. non obſtat. ff. de acquir. poſſeſſ.*

18 Non tamen damnatis ad mortem miniſtrari debet ſacramentum extremæ unctionis, quia non laborant infirmitate corporis, & illi tantùm ſunt capaces extremæ unctionis, qui ex corporis infirmitate ſunt conſtituti in articulo mortis; non verò ex ſententia judicis. Hinc iis, quibus periculum vitæ imminet ab extrinſeco ut ſunt, qui in bello ſunt præliaturi, & in mari verſantur in periculo naufragii, & per ſententiam judicis ſunt capite puniendi, non poteſt ſacramentum extremæ unctionis miniſtrari, idque deſumitur ex Concilio Florentino *in decreto fidei pro Armen.* ubi habetur, quòd hoc ſacramentum non poſſit miniſtrari, niſi infirmis, de quorum morte timetur, & hæc declaratio fundatur in verbis Apoſtoli Jacobi dicentis *infirmatur quis in vobis*: ubi Apoſtolus ſolis infirmis propoſuit hoc ſacramentum; conſonat etiam Concilio Florentino Tridentinum *ſeſſ. 14. c 3. de extrema unct.* ubi declaratur, quòd ex inſtitutione Chriſti debeat hoc ſacramentum miniſtrari infirmis: unde ſi per Apoſtolum Jacobum, & Concilia hoc ſacramentum eſt miniſtrandum infirmis, non poterit miniſtrari ſanis, quamvis ſint morti proximi. Unde non poteſt alia ratio aſſignari, quam inſtitutio Chriſti, quia quantum ex natura ſacramenti non repugnaret illud miniſtrari omnibus morti proximis, ſi Chriſtus ita inſtituiſſet. Et quia ſacramenta habent totam vim ex Chriſti inſtitutione, & ſecundùm menſuram ipſius; ideo ſi miniſtrentur præter inſtitutionem ſunt nulla.

19 Verùm ratio aliqua peti poſſet ex fine hujus ſacramenti, quia Chriſtus per extremam unctionem voluit conſulere ſpirituali depreſſioni animæ in ordine ad ſe præparandum ad mortem, proinde voluit ſacramentum hoc eſſe alleviativum animæ; adeò ut hæc ſublevetur ob depreſſionem corporis ab illa ineptitudine, quam habet in ordine ad eliciendos actus ſupernaturales: & quia hic finis, non habet locum in ſanis, quamvis morti proximis, quia ſicut in ipſis non infirmantur corporis vires; ita neque vires animæ remanent debilitatæ ex conſenſu cum imbecillitate, & depreſſione corporis.

20 Neque obſtat, quòd in ſanis conſtitutis in mortis articulo poſſit extrema unctio ſuum ſortiri effectum abſtergendi reliquias peccatorum. Quia inde non ſequitur eſſe capaces hujus ſacramenti, quia effectus abſtergendi has reliquias eſt tantùm ſecundarius, & conditionatus, ait enim Apoſtolus Jacobus *& ſi in peccatis ſit, remittentur ei*, unde ſe habet conſecutivè ad effectum primarium: atqui quando primarius non habet locum, nec etiam ſecundarius, & conditionatus, quia acceſſorium ſequitur ſuum principale. Tum quia abſtergere reliquias peccatorum convenit etiam aliis ſacramentis, quæ tollunt venialia, & ſuppeditant auxilia contra graves tentationes, quapropter extrema unctio debet ſpeciali modo abſtergere, & tollere peccatorum reliquias, unde eas tollit alleviando ſpiritualiter infirmum, quatenus hic ob depreſſionem corporis langueſcit etiam Spiritu, ac impotens eſt ad ſe erigendum in Deum per actus ſupernaturales: & ad hanc ineptitudinem tollendam miniſtratur infirmis hoc ſacramentum, quod eſt alleviativum animæ: in ſanis autem ob depreſſionem corporis non langueſcit Spiritus, proinde ipſis non eſt hoc ſacramentum miniſtrandum.

21 Hinc ſi damnati ad mortem eſſent ſimul infirmi, poſſet tunc extrema unctio ipſis miniſtrari, verùm infirmitas talis eſſe debet, ut quantum ex ſe inducat periculum, poſſitque ex ipſa probabiliter conjici imminens mortis periculum: ratio eſt, quia ſtante hac infirmitate

tate ſecluſa mortis ſententia conſtitoti in tali periculo eſſent capaces extremæ unctionis, quia iilis non deeſſet qualitas requiſita pro capacitate hujus ſacramenti: hæc enim qualitas eſt gravis infirmitas, ex qua conjici poſſit imminens mortis periculum: proinde ſi damnati ad mortem ita infirmentur, ſunt capaces extremæ unctionis; non enim ſententia mortis lata à judice tollit ab ipſis hanc capacitatem, cùm non tollat qualitatem, ſeu infirmitatem periculoſam, quæ inducit hanc capacitatem: neque ſententia Judicis tollit jus, quod hujusmodi infirmi habent ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum. Tum quia ſi judex vel Princeps condonaret huic infirmo pœnam mortis, & perſeveraret eadem infirmitas, ex qua conjiceretur imminens mortis periculum, poſſet hic ægrotanti miniſtrari extrema unctio: ergo poterit etiam miniſtrari non obſtante ſententia mortis, quia hæc ſententia eſt tantùm extrinſeca, quæ non mutat intrinſecè ſubjectum, nec punit in ipſo capacitatem. Demum damnati ad mortem non ſunt privandi eccleſiaſtica ſepulturâ, idque deſumitur *ex c. quaſitum 30 cauſ. 13. q. 2.* Verùm nonniſi addita licentia Judicis, vel Principis ſolent eorum cadavera ſpeliri *l. 1. & 2. ff. de cadaver. damnat.* & notat Clarus *§. fin. q. 100. n. 1.*

22 Quæritur octavò, quænam pœnitentia tempore generalis interdicti conceſſa ſit? Reſpondetur, morientibus tempore interdicti non eſſe negandam pœnitentiam; imò neque viaticum, ſeu ſacramentum Euchariſtiæ, idque deſumitur ex *c. quod in te 11. h. t.* in quo Innocentius III. declarat, quòd tempore generalis interdicti pœnitentia non ſit moribundis denganda, neque viaticum decedentibus: quamvis per generale interdictum tam unctio, quàm eccleſiaſtica ſepultura denegetur: ex gratia tamen Clerici ſi ſervaverint interdictum in cæmeterio ſine pulſu campanarum, & ſolemnitatibus poſſunt privatim, & in ſilentio ſepeliri, ſicut & horæ canonicæ in eccleſiis conventualibus recitari ſine cantu à binis, & binis januis clauſis, excluſis interdictis, & excommunicatis, ita tamen ſubmiſsè, ut exteriùs non audiantur. Rurſus declarat Pontifex, ut recipientibus ſignum crucis, vel poſtulantibus, non negetur pœnitentia, quæ aliis quoque peregrinis poteſt miſericorditer indulgeri, ſeu ex gratia concedi: Ex quo textu colligitur, ſacramentum Euchariſtiæ quatenus eſt viaticum morientium tempore interdicti poſſe miniſtrari, adeò ut nonniſi per modum viatici poſſit morientibus conferri.

23 Quòd ſi dicas, in *c. quod in te 11. h. t.* concedi, ut tempore interdicti miniſtretur morientibus ſacramentum pœnitentiæ, & in *c. ver. de ſent. excommun. in 6.* hoc ſacramentum pœnitentiæ non ſolùm morientibus, ſed etiam ſanis concedi, ex quo videtur inferendum etiam Euchariſtiam non eſſe ſanis denegandam tempore interdicti.

Contra eſt, quia in hoc *cap. quod in te 11. h. t.* non abſolutè conceditur ſacramentum Euchariſtiæ iis, quibus conceditur ſacramentum Pœnitentiæ, ſed tantùm quoties confertur Euchariſtia morientibus per modum viatici: & ratio eſt, quia imminente mortis periculo hæc duo ſacramenta neceſſariam habent connexionem, non verò extra mortis articulum, ut notat Barboſa in *d. c. quod in te 11. h. t.* onde eſt diſcrimen inter ſacramentum Euchariſtiæ, & pœnitentiæ, quia quamvis tempore interdicti juxta textum *in c. quod in te 11. h. t.* ſacramentum Pœnitentiæ concedatur tantùm morientibus, & infirmis, nihilominus juxta *c. in fin. de ſentent. excommun. in 6.* ſeu jure noviore conceditur etiam ſanis, & benevalentibus dummodo non ſint excommunicati, nec interdicti, nec cauſam interdicti ſuâ culpâ dederint, nec auxilium, vel conſilium, ut docent plures apud Barboſam *in collect.* hic *n. 2.* ſecus Euchariſtia tempore generalis interdicti non conceditur ſanis, & benevalentibus, ſed tantùm morientibus per modum viatici: ratio diſcriminis eſſe poteſt, quia ſacramentum pœnitentiæ, eſt magis neceſſarium, ut quis recedat à ſtatu peccati mortiferi: Euchariſtia enim ſupponit eam ſumentem in ſtatu gratiæ; & pœnitentia ponit non ſupponit pœnitentem in eodem ſtatu. 24

§. V.

De alterà parte Rubricæ hujus tituli, nimirum de remiſſionibus, ſeu indulgentiis.

Quia remiſſio temporalis pœnæ debitæ ob peccata condonata quoad culpam beneficio ſacramenti Pœnitentiæ dupliciter poteſt obtineri: primò per propriam ſatisfactionem, vel ſatispaſſionem ipſius peccatoris: ſecundò beneficio indulgentiæ ad id conceſſæ, ut fidelibus, qui eam lucrantur remittatur pœna hæc temporalis, adhuc debita ob peccata per claves eccleſiæ jam remiſſa: & Pontifex in prima parte Rubricæ hujus tituli egiſſet de remiſſione per propriam ſatisfactionem; vel ſatispaſſionem ipſius pœnitentis, cui variæ pro diverſitate delictorum injunguntur pœnitentiæ, ideò in hac ſecunda parte Rubricæ hujus tituli agit de remiſſione, quæ fit beneficio indulgentiæ. Quamvis remiſſio in genere ſit liberatio ab aliquo onere injuncto, vel injungendo juxta tamen præſens inſtitutum ſumitur remiſſio pro ipſa indulgentia, quæ vox licèt juxta proprietatem latini idiomatis uſurpetur pro quadam laxa licentia facilique permiſſione impunè agendi contra jus; & ſumatur interdum etiam in malam partem pro molli, & delicata quadam permiſſione, ac nimia licentia, ut apud Quintillianum *mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus nervos omnes, & mentis, & corporis frangit:* interdum tamen ſignificat honeſtam, ac moderatam alicujus pœnæ, vel de- 1

debiti temiſſionem conceſſam ex ſola vel libertate, & miſericordia; hinc indulgentia ut jam oſu invaluit, dici ſolet quælibet gratia, ae libecalis conceſſio, aut alicujus debiti remiſſio, ut hanc votem aſurpant Cyprianus *lib. de lapſis*, & Tertullianus *lib. de pudicitia* imó nonnunquam ſignificat ipſum jus, ſi contineat benignam aliquam tonceſſionem, ſen modecationem, ut in *c. interſectores 33. q. 2.* immò *in c. dudum de privileg.* quodlibet Pontificum privilegium indulgentia vocatur.

2 Juxta tamen præſens inſtitutam definitur indulgentia ex Clemente VI. *in Extravagant. commun. c. unigenitus 2. h. t. Remiſſio pœnæ temporalis debita Deo propter peccata actualia commiſſa poſt baptiſmum, & remiſſa quoad culpam, facta extra ſacramentum per applicationem ſatisfactionis Chriſti, & Sanctorum.* Dicitur *remiſſio* non culpæ, led pœnæ, quia remiſſio culpæ habetur per ſacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto ſuſceptum, at etiam remiſſio pœnæ æternæ juxta Concilium Tcidentinum *ſeſſ.6. c.14.* & *ſeſſ.7. cap.4. de ſacram. in gen.* unde per indulgentiam remittitut tantùm pœna temporalis. Certum eſt enim poſt remiſſam eulpam per pœnitentiam ſæpe manere reatum pœnæ temporalis, qui extinguitur vel pec propriam ſatisfactionem peccatoris, vel pec conceſſam eidem peccatori indulgentiam. Quòd dimiſſâ culpâ, & pœnâ æternâ beneficio ſacramenti Pœnitentiæ adhuc perſæpe cemaneat pœna temporalis exolvenda in hac vita, liquet exemplo Adæ *Geneſ. 2. & 3.* Moyſis, & Aaron ob peccatum diffidentiæ; tametſi remiſſum *Deut.32.* & David 2. *Reg. cap.24.* dicitur *Debitor Deo ob peccata actualia poſt condonationem*: quia peccata quæ fuerunt perpetrata ante baptiſmum quoad culpam, & pœnam æternam, & temporalem remittuntur per ipſam ſuſceptionem baptiſmi, quia tunc pleniſſimè communicatuc Chriſti paſſio ſuſcipienti baptiſmum. Additur *extra ſacramentum facta* ſcilicet cemiſſio talis pœnæ, quia per hoc indulgentia differt à pœnitentia, & ſatisfactione, quæ in ſacramento pœnitentiæ injungitur. Subjungitur *per applicationem ſatisfactionis Chriſti, & Sanctorum*; quia tametſi Chriſtus utpote univerſalis mundi Redemptor infinitè ſatisfecerit Deo Patri pro peccatis omnium hominum, tam mortalibus, quàm venialibus; nobisque promeruerit gratiam, & gloriam, ut ait Apoſtolus *ad Epheſ. 2. & 3.* debent nihilominus hæc infinita merita, & ſatisfactiones Chriſti nobis applicaci, vel per uſum ſacramentorum præſertim baptiſmi, & pœnitentiæ quoad remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ; ut etiam alicujus pœnæ temporalis: vel extra ſacramentum per indulgentias, quarum beneficio nobis applicantur merita, & ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum in ordine ad remittendas pœnas temporales, quæ ſuperſunt exſolvendæ poſt culpas remiſſas.

3 Hinc datur in ecclesia theſaurus indulgentiarum, in quo aſſervantur merita, ſatisfactiones Chriſti, & omnium Sanctorum. Erenim opus in charitate factum non ſolùm eſt meritorium gratiæ, & gloriæ, quatenus eſt informatum charitate; ſed etiam eſt ſatisfactorium, quatenus pœnale ipſi operanti; & ſatisfactio Chriſti adeò fuit exuberans, ut non ſolùm pœnam omnem pro peccatis totius mundi debitam tollere poſſit, ſi debitè per baptiſmum, vel Pœnitentiæ ſacramentum omnibus hominibus applicetur: verùm etiam ob conjunctionem humanitatis cum divinitate infinitè excedat omnem pœnam debitam pro peccatis totius mundi, ut habetur in *extravag. c. unigenitus 2. h. t.* Rurſus quia etiam Sancti Martyres, Confeſſores, Virgines, Ecemitæ, Monachi, multo plura paſſi ſunt, quàm eorum peccata mererentur juxta illud Job. 6. *Utinam appenderentur peccata mea in ſtatera, & calamitas, quam patior quaſi arena maris multò gravior appareret.* Tum quia virgo Mater licèt nullo unquam peccato fuerit contaminata, adhuc plura paſſa fuit, & ejus animam doloris gladius pertranſivit. Quamobrem hujusmodi redundantes ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum, cùm non fuerint remuneratæ quoad ſatisfactionem, tametſi quoad meritum prœmium retulerint, remanere debent in divina acceptatione, & ex iiſdem dicitur conſtitui theſaurus eccleſiæ, & indulgentiarum ad utilitatem fidelium, ut definit Clemens VI. *in Extravag. commun. c. unigenitus 2. h. t.*

Sicut in qualibet rectè conſtituta republica ſolet theſaucos, vel ærarium conſtitui ex bonis redundantibus pto publicis neceſſitatibus reipublicæ, & civium: & in lege veteri fuit etiam gazophylacium, in quo recondita erant neceſſaria pro pauperibus: ita in eccleſia conſtituitur theſaurus ex redundantibus ſatisfactionibus Chriſti, & Sanctorum, quæ non ſuperſunt cemunerandæ quoad ſatisfactionem: & Chriſtus hunc theſaurum concredidit Beato Petro, & ejus ſucceſſoribus, ſeu ſuis in terris Vicariis, ut illum diſpenſent ſalubritec, & ex juſtis, ac rationabilibus cauſis ſuis fidelibus. 4

Quamobtem ineſt eccleſiæ poteſtas concedendi indulgentias, per quas remittuntur fidelibus pœnæ debitæ apud Deum pro peccatis in ſacramentali confeſſione condonatis, & hanc poteſtatem ecclesia accepit à Chriſto Domino, idque colligitur ex Tridentino *Seſſ. 21. cap.9. de reformat.* ubi vocat indulgentias cœleſtes theſauros, & anathemate etiam ferit audentes aſſerere indulgentias inutiles eſſe, ut etiam negantes ineſſe eccleſiæ hanc poteſtatem concedendi indulgentias: ſiquidem hæc poteſtas probatur ex illo ſcripturæ textu, quo Chriſtus promiſit D. Petro claves Regni cœlorum: ſiquidem declarans hanc poteſtatem clavium, vimque efficacem ſubdit *Matth. 16. & quodcunque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis: & quodcunque liga-* 5

veris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis, eſt enim textus hic intelligendus etiam de poteſtate remittendi pœnas temporales beneficio indulgentiarum, quia ſunt verbe generalia, per qnæ Chriſtus promittit D. Petro Primatum univerſalis eccleſiæ, & ſignificant cœleſtem quandam, ac ſnpernatnralem, univerſalémque poteſtatem promiſſam Petro; quæ poteſtas inter alios actus cnmplectitur etiam hunc concedendi indulgentias, ſen remiſſiones pœnarnm temporalium; quæ adhue debentur ex peccatis in ſacramentali conſeſſione condonatis: alioquin ſi poteſtas tradita Pĕtro non complectcretur hunc actum, non foret poteſtas nniverſalis in ordine ad eccleſiæ regimen, ad quod etiam pertinet, ut ejus rector, ſeu ſuperior poſſit ſubinde ex juſtis, & rationabilibns cauſis has pœnas temporales remittere. Quòd autem poteſtas à Chriſto Domino tradita Petro fuerit univerſalis liquet ex contextu: & quòd ſuerit ſupernaturalis conſtat ex fine; ſiquidem ſuit poteſtas aperiendi, & claudendi regnum cœlorum, qui actus ſignificatur per verba ligandi, & ſolvendi.

6 Diſpenſat igitur ſnmmus Pontifex hunc eccleſiæ theſaurum, quando concedit indulgenrias, ſen quando merita ſatisfactoria Chriſti, & Sanctorum redundantia applicat in ſetisfactionem pro alienis peccatis; hoc eſt per talia merita ita applicata offertnr æquivalens debito. Licèt enim Deos de poteſtate abſoluta poſſit remittere omnem pœnem absque ulla compenſatione; non tamen de lege ordinaria eam remittit, nec vult remittere, niſi propter merita paſſionis Chriſti applicata hominibus; adeò nt Deus ne qnidem in baptiſmo, vel aliis ſacramentis remittat pœnam ſive temporalem, ſive æternam absque merito paſſionis Chriſti. Hinc eſt, quòd Pontifex non poſſit abſolvere à pœna Deo debita ſine applicatione illius theſauri, quem ſemper intelligit applicere, quoties indulgenrias concedit. Hinc intelligentia non ſolùm eſt condonatio, ſed etiam ſolutio debiti ſub diverſo tamen reſpectu: etenim eſt condonatio reſpectu recipientium; & ſolutio in ordine ad Chriſtum, & eccleſiam. Imò non ſolùm pro fidelibus vivenribus; ſed etiam pro mortuis purgatorio igne expiantibus poteſt Pontiſex indulgentias contĕdere; quia licèt mortui non ſint ſub jnrisdictione Pontificis, adhuc poteſt Pontiſex tantùm ex meritis Chriſti, & Sanctorum ſolvere pro mortuo; quantum ipſe debet: non enim ut quis ſolvar pro alio neceſſe eſt, ut hic alius ſit ſubditus, & ſub jurisdictione ſolventis: nil enim obſtat, qno minus poſſit Rex Galliæ ſolvere, pro nobili Hiſpano quantum Madriti debet, licèt Hiſpanus non ſit ſub jurisdictione Regis Galliæ: ad hoe enim, ut unus pro alio ſatisſaciar, non eſt neceſſe, nt juridicè abſolvatur; ſed ſufficit, ſi rantom ſolvatur pro eo, quantum debet: hinc Paſcaſins V. conceſſit indulgentias plenarias per modnm ſuffragii animabns expiantibus in purgatorio; pro qnibus quis eelebraverit, vel curaverit celebrari quinque miſſas in ſacello eccleſiæ S. Praxedis Romæ.

Verùm diverſimode ab eccleſia conceduntur indulgentiæ mortnis, & vivis: iſti enim, qnia qnamdiu vivnnt, ſubſunt tribunali eecleſiæ militantis, ſeu jurisdictioni Pontificis, & poteſtas concedendi indnlgentias ſpectet ad claves jurisdictionis, ut declaratur in *c. quod autem h. t.* ideo Pontifex vivis concedit indulgentiam per juridicam abſolutionem, ſeu directè abſolvendo illos à pœnis debitis; tametſi ite abſolvat, ut etiam ſolvat, & ſatisſaciat pro ipſis ex theſauro eccleſiæ, ut habetur *in extravag. commun. c. unigenitus 2. h. t.* hinc Pontifex concedendo indulgentias plenarias vivis, non illis dimittit gratis pœnas pro peccatis debitas, ſed eas dimittit ſimul abſolvendo, & ſolvendo pro ipſis ex theſauris eccleſiæ: ſeeus pro mortuis, quia hi non ſubſunt ampliùs tribunali, ſeu jurisdictioni militantis eccleſiæ, ideo absque juridica abſolutione, & per nudam, ac ſimplicem hujus eccleſiaſtici theſauri applicationem concedit indulgentias ſatisſaciendo ſcilicet & ſolvendo pro mortuis ex theſauro eccleſiæ; perinde ac vivi mortuis ſuffragantur miſſarum ſacrificiis, precibus oblatis, eleemoſynis datis, jejuniis ſuſceptis, aliisque quibuscunque piis operibns nomine mortuorum factis: unde Pontiſex qnando pro vivis concedit indulgentiam illos juridicè abſolvit, & etiam pro iisdem ſolvit: quando verò concedit indulgentias pro mortuis, eos juridicè non abſolvit, ſed tantùm pro iisdem ſolvit; & hæc eſt ratio, cur indulgentiæ dicantur concedi mortuis per modum ſuffragii, ſeu compenſationis, & ſolutionis; quia nimirum Pontifex tunc ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum tanquam quoddam ſuffragium immediatè eis applicat absque ulla abſolutione juridica. 7

Dividitur indulgentia ex parte effectûs in totalem, & partialem; illa quæ & plenaria dicitur, eſt, per quam ſimpliciter tota pœna in purgatorio pro peccatis luenda remittitur: partialis per qnam tantùm aliqua pars pœnæ temporalis remittitur, cujusmodi ſnnt indulgentiæ quadraginta diernm; unius vel plurium annorum juxta *Extravag. commun. c. unigenitus 2. h. t.* Secundò dividitur ex parre eornm, pro qnibus indulgentiæ conceduntur, qua ratione aliæ dicuntur concedi pro vivis, & per modnm abſolutionis, & aliæ pro defunctis per modum ſuffragii, ſeu ſolurionie; ut paulò ſuperiùs explicuimns. Tertiò dividitur indulgentia in perſonalem, localem, ac realem; perſonalis eſt, quæ per ſe directè conceditur perſonis ſine determinatione ad certum locnm, vel rem materiaem, & tunc indulgentia dicitur perſonam ſequi: localie eſt, quæ conceditnr elieui loco ſacro, ut alicui eccleſiæ, quam qui viſitaverint, & in ea oraverint, 8

rint,

ſint, lucrentur indulgentiam: realis eſt, quæ certæ rei materiali affixa, ut numiſmati, vel globulis precariis. Quartò dividitur in perpetuam, quæ ſemper manet, donec revocetur, & in temporalem, quæ duntaxat ad certum tempus datur, quo elapſo extinguitur indulgentia.

9 Certum eſt, ſummum Pontificem ex poteſtate à Chriſto ſuſcepta poſſe has omnes indulgentias concedere omnibus fidelibus ex juſta, & rationabili cauſa; ut deſumitur *ex c. unigenitus 2. b.t. in Extravag. commun.* immò ſolus Papa poteſt indulgentias totales, ſeu plenarias concedere: & Epiſcopi jure communi canonico, & ordinario tantùm indulgentias partiales, non verò totales, & plenarias: ratio eſt, quia concedere indulgentias non eſt actus ordinis, ſed juriſdictionis voluntariæ, ut deſumitur ex *c. quod autem 4. b.t.* ubi dicitur, quòd conceſſio indulgentiarum ſit actus abſolvendi, & judicialis, proinde competit Epiſcopo jure ordinario, adeò ut Epiſcopus electus, & confirmatus, tametſi nondum conſecratus poſſit indulgentias conferre.

10 Quinimo ex delegatione Papæ poteſt Epiſcopus concedere indulgentias etiam plenarias; quia id dependet à voluntate Papæ, quia hæc conceſſio eſt actus juriſdictionis voluntariæ, quæ poteſt reſtringi, & ampliari, quinimo ait Barboſa *de officio Epiſcop. alleg. 88, num. 9.* poſſe Epiſcopum hanc facultatem delegare ſuo Vicario Generali, imò etiam alteri Clerico, non tamen Laico, eò quia ſit poteſtas ſpiritualis, quæ non poteſt exerceri niſi à Clerico. Archiepiſcopis itidem conceditur hæc facultas in ſuis provinciis, dummodo ſtatutum Concilii Generalis non excedant *c. noſtro poſtulâſti 15. b.t.* ſcilicet dummodo in dedicatione Baſilicæ ultra annum, & in anniverſario dedicationis ultra quadraginta dies non concedant indulgentias *c. cum ex eo 14. b.t.* ubi Innocentius III. ſtatuit, ut cùm dedicatur Baſilica ſive ab uno, ſive à pluribus non extendatur indulgentia ultra annum, nec in anniverſario dedicationis ultra quadraginta dies de injunctis; & hoc pacto etiam eſt coercendus numerus dierum, quando Epiſcopus in aliquo caſu concedit indulgentias, ne exceſſivè, & indiſcretè indulgentiæ conceſſæ à Prælatis enervent ſatisfactionem pœnitentiarum: quòd ſi exceſſerint, eas invalidas declarat Bonifacius VIII. in *c. indulgentiæ ult. b.t. in 6.* ubi Pontifex reſcribit indulgentias, quæ ab uno, vel pluribus Epiſcopis in dedicationibus eccleſiarum, vel aliis caſibus conceduntur, non habere vires, ſi excedant ſtatutum Concilii Generalis; quod tamen intelligendum eſt, quòd non valeant in eo, in quo exceſſerunt; quia in numero taxato, & quo non excedunt, plures canoniſtæ cenſent, ſuum ſortiri valorem; quia quoad eam partem, quam dare poſſunt, ſemper ſunt validæ: &, ratio poteſt etiam deſumi ex regula juris, quia utile per inutile non vitiatur *c. utile de regul. jur. in 6.* Legatus ſummi Pontificis poteſt etiam ſpeciales, & certas concedere indulgentias in provincia ſibi concredita, ut docet Gloſſa *in cap. penult. b.t.* Abbates verò, & alii Prælati inferiores non habent hanc poteſtatem, niſi ex ſpeciali privilegio, vel legitima conſuetudine *c. accedentibus de exceſſib. Prælator.* Competit tamen hæc poteſtas concedendi indulgentias Concilio Generali, ut repræſentanti eccleſiam.

Ut autem indulgentiæ ritè concedantur, 11 requiritur juſta, & rationabilis cauſa; adeo ut ad validitatem indulgentiarum, non ſufficiat ſola poteſtas concedentis, niſi hæc fulciatur juſta, & rationabili cauſa; & ratio eſt, quia Pontifex non eſt Dominus, ſed tantùm fidelis diſpenſator theſauri eccleſiæ; proinde non niſi ex juſta & rationabili cauſa debet indulgentias concedere: alioquin non eſſet diſpenſator, ſed diſſipator, quâ ratione in *c. cùm ex eo 14. b.t.* indulgentiæ diſcretæ, ſeu conceſſæ ſine ulla cauſa damnantur, ac irritantur. Tum quia cùm reatus pœnæ relictus poſt culpæ remiſſionem ſit jure divino Deo debitus; nequit Pontifex, ſi nulla ſubſit juſta, & rationabilis cauſa quemquam eximere ab obligatione juris divini, ut liquet in injuſta diſpenſatione à voto, & juramento, quæ defectu juſtæ, & rationabilis cauſæ eſt nulla. Cæterum in iis, quæ à mero jure humano dependent, ut abſolvere à cenſuris, à caſibus reſervatis, aliiſque ſimilibus, poſſunt abſque juſta cauſa fieri tametſi taliter concedens non exenſetur à peccato.

Hine quamvis indulgentia conceſſa ſine 12 juſta cauſa non valeat ad tollendam obligationem pœnæ Deo debitæ, valet tamen ad tollendam obligationem pœnitentiæ agendæ injunctæ ex præcepto confeſſarii, quia hæc eſt tantùm juris humani, ſuper quo poteſt ſummus Pontifex diſpenſare. Non tamen eſt neceſſe, ut cauſa ſit æquivalens, alioquin indulgentia non eſſet remiſſio, ſed potius commutatio unius in aliud æquivalens; quamobrem ſatis eſt, ſi cauſa ſit ſufficiens, quæ ſufficientia commenſuranda eſt ſecundùm quantitatem indulgentiarium; adeo ut major indulgentia majori indigeat cauſâ, ut habetur in *c. cum ex eo 14. b.t.* unde ſi cauſa indulgentiarum non ſit totaliter, ſed tantùm ex parte ſufficiens, tunc indulgentiæ valent ſecundùm proportionem cauſæ; non verò quoad partem, quæ cauſam excedit, quia ſicut indulgentia, ſi concedatur abſque ulla juſta cauſa, eſt tota nullius valoris; ita ſi concedatur ob cauſam non ſufficientem, non eſt invalida ex toto, ſed tantùm ex parte; juxta enim menſuram ſufficientiæ cauſæ ſortitur indulgentia ſuum valorem: ſicut enim ſe habet totum ad totum, ita etiam pars ad partem, hinc indulgentiæ non ſemper tantùm valent, quantum ſonant, ſed juxta proportionem cauſæ, quæ ſpectatur ex duplici capite: primo ex opere quod Pontifex exigit pro indulgentia, cujuſ-

modi eſt jejunium, oratio, eleemoſyna: ſecundò ratione finis intenti, qui debet eſſe bonum commune eccleſiæ, ut ſavor fidei, conſervatio religionis, ejúsque ampliatio, converſio infidelium; & hic finis, quo eſt excellentior, magisque neceſſarius eccleſiæ, eò cæteris paribus major ratione illius poteſt indulgentia concedi, tametſi poſtea opus ob quod conceditur ſit leve, quia ſufficit, ſi conducat ad aſſecutionem finis intenti.

13 Non tamen indulgentiæ concedi poſſunt iis, qui non ſunt de gremio eccleſiæ; quia hæc extraneis non diſtribuit ſuos theſauros *can. nihil ſic debet* 1. *q.* 3. Tum quia indulgentiæ conceduntur ex poteſtate clavium, & earum conceſſio eſt actus jurisdictionis, quæ non exercetur niſi in ſubditos, & homines non ſubjiciuntur jurisdictioni eccleſiæ, niſi per ſuſceptionem baptiſmi, cujus beneficio ingrediuntur eccleſiam, fiuntque ejus membra. Hinc catechumeni ante ſuſceptionem baptiſmi non videntur eſſe participes indulgentiarum. Rurſus fideles ut ſibi conceſſas acquirant indulgentias, debent eſſe contriti, & confeſſi, idque deſumitur ex *c. antiquorum* 1. *in Extravag. commun h. t.* ubi Bonifacius VIII. cùm innovâſſet, ac confirmâſſet antiquas, & pleniſſimas indulgentias conceſſas viſitantibus Baſilicas SS. Petri, & Pauli centeſimo quoque anno, qui eſt annus Jubilei; poſtea addit, qui verò ampliùs, & devotiùs easdem Baſilicas frequentaverit plus merebitur, & efficaciùs indulgentias conſequetur; quapropter volentes indulgentias lucrari, debent eſſe contriti, & confeſſi, qua ratione in Bullis quibus conceduntur indulgentiæ ſemper adduntur illa verba *verè pœnitentibus, & confeſſis.*

14 Verùm ſatis eſt, ſi confeſſio facta fuerit etiam ante quatuor, vel quinque dies; vel ultra; dummodo qui lucratur indulgentiam, perſeveraverit ſemper in ſtatu gratiæ usque ad tempus indulgentiarum, ut notat Turrecremata *in* § *in Levitico n.* 8. *ſub can. menſuram de pœnit diſt.* 1.

15 Præterea debent, qui intendunt indulgentias lucrari implere per ſe opera injuncta, & quæ præſcribuntur ad finem lucrandi indulgentias; alioquin qui non omnia opera injuncta, ſed tantùm eorum partem adimpleret, non lucraretur indulgentiam, nec partem ejusdem, quia illa pars, quæ impleretur, non eſſet illud opus, quod requireretur, ut quis lucretur indulgentiam. Tum quia conceſſio indulgentiarum eſt conditionata, adeò ut non poſſit quis indulgentiam lucrari, ſi totum opus injunctum non adimpleat.

16 Demum debet, qui lucratur indulgentiam eſſe in ſtatu gratiæ, pro eo tempore, quo indulgentiam lucratur; quia corpus mortuum ſicut non poteſt ullum influxum viventis corporis ſuſcipere: ita nec exiſtens in peccato lethali, eſt capax influxûs æternæ vitæ. Cæterum, ſi quis adimpleret aliquod opus injunctum in ſtatu peccati mortalis; non propterea id eſſet illi impedimento, quo minus poſſet alio tempore lucrari indulgentiam, ſi tunc ſit in ſtatu gratiæ: ut ſi Pontifex concedat Jubileum per unam vel alteram hebdomadam viſitantibus aliquam eccleſiam; & dantibus eleemoſynam pauperibus, ſi quis die lunæ exiſtens in peccato lethali pinguem daret pauperibus eleemoſynam ex intentione lucrandi jubileum, & poſtea die veneris confiteretur, & die Sabbathi in ſtatu gratiæ viſitaret eccleſiam, adhuc indulgentiam lucraretur; ratio eſt, quia non eſt neceſſe, ut ipſum opus injunctum ſit meritorium remiſſionis, ſeu indulgentiæ; ſed ſufficit, ſi ſit actio moraliter bona, & utilis ad placandum Deum, & ad avertenda flagella temporalia.

Cæterum conſultiùs ſemper eſt, & tutiùs, omnia opera injuncta implere in ſtatu gratiæ, quia tunc non ſolùm ſunt ſatisfactoria, ſed ulterius etiam meritoria. Notat tamen Navarrus in *comment. de indulgent. not.* 19. ut quis acquirat alteri indulgentias, non eſſe opus, eum eſſe in gratia dummodo ſit in gratia is, cui indulgentiæ acquiruntur, quia indulgentiæ non nituntur ullo opere facto à peccatore, ſed tantùm theſauro eccleſiæ per Pontificem diſtributo, & hujus diſtributionis eſt capax, quicunque eſt in ſtatu gratiæ, & indiget ſatisfactione. Peccatum verò veniale niſi vitiet opus præſcriptum, non impedit fructum indulgentiarum. 17

Si indulgentiæ concedantur indeterminatè vel toties, quoties; poteſt ſemper illas conſequi, qui facit opus præſcriptum; dummodo iteratio non cedat in contemptum, vel deriſum. Quòd ſi concedantur determinatè ut moris eſt a primis veſperis usque ad ſecundas; tunc ſemel tantùm poteſt quis eas indulgentias lucrari. Quia verò modus lucrandi indulgentias dependet à voluntate concedentis; ideo debent ea impleri, quæ injunguntur; adeo ut ſi Pontifex exigat plures actus, ut quis lucretur plures indulgentias, ſint tunc hujusmodi actus multiplicandi. Cæterum ſicut ex publico ærario non ſunt illi ſuccurrendi, qui alieno ære gravati cùm poſſint de ſuo proprio debitum ſolvere, nolunt; eò quia aperiretur occaſio ad negligentias in ſolvendis debitis, imò etiam ad delicta contra juſtitiam in debitis non ſolvendis *c. ex parte de conſuet. c. conveniri ff. de pacto total.* ita ex theſauro eccleſiæ non debet ſolvi pro negligentibus, qui cùm poſſint, nolunt operibus pœnalibus propriis ſatisfacere debitis, noluntque pœnam purgatorii redimere per propria opera; quia iſti non merentur, ut iisdem ſuccurratur ex theſauro eccleſiæ, ut liberentur à debitis, quæ per delicta contraxerunt. 18

Neque poteſt quis indulgentias lucrari, ut ipſi proſint pro futuris pœnis, quia ſolutio non ſit ante debitum contractum, ſed neceſſariò debet debitum ſupponere, quòd ſolvatur: unde ſi quis hìc & nunc non indigeat aliqua in- 19

indulgentia, eò quia nullo gravetur debito, ſed reatu pœnæ non poteſt indulgentiam lucrari, ut ei proſit pro extinguendo reatu pœnæ futuro, & quem ob mortalem culpam poſtea patiendam erit contracturus; ſed indulgentia, quam quis lucratur tempore, quo quis illâ non indiget, remanet in theſauro eccleſiæ.

§. VI.

De Effectu Indulgentiarum.

1 CErtum eſt, eſſe ſcopum indulgentiarum non eſſe remiſſionem peccati lethalis per ſe, licèt concomitanter poſſit interdum aliud ſecum afferre, quod proſit ad remiſſionem lethalis culpæ: ſiquidem peccatum lethale non remittitur abſque infuſione gratiæ ſanctificantis, quæ non infunditur per ſolam indulgentiam, ſeu remiſſionem factam extra ſacramentum, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. can. 4.* definit, ſacramenta novæ legis ita eſſe ad ſalutem neceſſaria, ut ſine illis, aut eorum voto nullus poſſit gratiam ſanctificantem aſſequi; quod dicitur ratione Baptiſmi reſpectu infidelium, & ratione ſacramenti Pœnitentiæ reſpectu baptizatorum, qui poſt ſuſceptum baptiſmum fuerunt lapſi in culpas mortiferas: hinc idem Concilium *ſeſſ. 14. c. 3.* definit, ſacramentum Pœnitentiæ eſſe ad ſalutem lapſis poſt baptiſmum neceſſarium: hinc non ineſt eccleſiæ poteſtas conferendi homini lapſo poſt baptiſmum extra ſacramentum Pœnitentiæ gratiam ſanctificantem, vel remiſſionem peccati mortalis.

2 Si dicas, poſſe ſaltem indulgentiam extra ſacramentum pœnitentiæ in re ſuſceptum, cum voto tamen illius ſe extendere ad remiſſionem culpæ mortalis.

3 Contra eſt, quia vel tunc votum ſacramenti habetur per veram contritionem, vel per ſolam attritionem, vel ſine utraque, & per ſolum propoſitum ſubjiciendi clavibus eccleſiæ peccata: hoc ultimum adverſatur principiis fidei, quia ex Tridentio *ſeſſ. 14. c. 1.* fideles lapſi in culpam lethalem non juſtificantur ſine pœnitentia, quæ propterea fuit ſemper ad ſalutem neceſſaria; & vera pœnitentia includit ſemper actum doloris, vel contritionis. Secundum nec poteſt ſuſtineri, quia ſola attritio, ut definitur in Tridentino *loc. cit. c. 4.* ſine ſacramento pœnitentiæ nequit per ſe perducere peccatorem ad juſtificationem; quamobrem licèt attritio bona fide annexa alicui alteri ſacramento in re ſuſcepto, ut Euchariſtiæ, vel extremæ unctioni fortaſſis (ut probabile cenſent nonnulli) poſſit cauſare remiſſionem peccati mortalis in voto ſacramenti pœnitentiæ: nullus tamen hactenus dixit, ſolam attritionem ſine adminiculo alicujus ſacramenti poſſe hominem perducere ad gratiam ſanctificantem, & remiſſionem peccatorum.

4 Ratio eſt, quia inſtrumenta continentia gratiam Chriſti, eámque ex opere operato conferentia, ſunt tantum ſeptem ſacramenta à Chriſto inſtituta, adeò ut non poſſint miniſtri eccleſiæ aliter gratiam conferre ex opere operato niſi miniſtrando aliquod ex ſeptem ſacramentis: quamobrem cum attritio non poſſit hominem ad juſtificationem perducere, niſi ratione alicujus gratiæ collatæ ex opere operato; ſequitur ſolam attritionem extra ſacramentum in re ſuſceptum, & cum ſolo voto illius non poſſe hominem perducere ad remiſſionem culpæ lethalis.

5 Quòd ſi votum pœnitentiæ adnexum indulgentiæ includat actum contritionis, tunc non eſt ipſa indulgentia, quæ operatur remiſſionem culpæ lethalis, ſed eſt ipſa contritio, quæ ſupponitur ad ipſam indulgentiam: ſiquidem contritio ex ſe reconciliat hominem Deo, & de congruo ſemper cauſat gratiam ſanctificantem independenter ab indulgentia, adeò ut ſi eliciens actum contritionis non lucraretur indulgentiam, adhuc contritio per ſe conferret remiſſionem culpæ lethalis.

6 Hæcque ratio eſt, cur formæ in eccleſia uſitatæ in concedendis indulgentiis ſemper exigant, ut volentes indulgentiam lucrari ſint contriti, & confeſſi, nec ſoleant indulgentiæ concedi niſi contritis, & confeſſis, & quidem ea ratione, quia effectus indulgentiæ debet præſupponere remiſſionem peccatorum, & infuſionem gratiæ ſanctificantis, ad quam per ſe indulgentia non extenditur. Hinc in *c. cum ex eo 14 h t.* ſignificatur, per indulgentiam compenſari ſatisfactionem, quæ eſt tertia pars pœnitentiæ, non verò contritionem, vel confeſſionem, aut remiſſionem peccatorum, quoad culpam, quia in *d. c. cum ex eo* per indulgentias indiſcretas dicuntur ſatisfactiones pro peccatis condonatis enervari.

7 Quamobrem tantùm concomitanter poteſt interdum indulgentia dici, quòd remittat culpam, quatenus interdum aliquod ſecum adfert, quod prodeſt ad remiſſionem lethalis culpæ: ſiquidem nonnunquam cùm indulgentia datur facultas confeſſariis abſolvendi à peccatis reſervatis, vel cenſuris, vel etiam ad commutanda vota, vel alia debita, ut etiam ad reſtitutiones componendas; quæ omnia multum poſſunt prodeſſe ad faciliùs obtinendam abſolutionem, & veniam culparum: verùm quia hæ facultates non ſunt indulgentiæ, ſed alia privilegia diſponentia ad indulgentiam non per ſe, ſed tantùm concomitanter ratione alterius adnexi, dicitur poſſe juvare ad obtinendam peccatorum remiſſionem.

8 Si dicas, inde tantùm ſequi, indulgentias per ſe non valere ad remiſſionem culpæ lethalis immediatè; non tamen probari non poſſe mediatè juvare ad remiſſionem peccatorum honeſtum aliquem actum, quo diſponatur ſufficienter ad remiſſionem peccati mortalis: ſed non repugnat indulgentiam ſe extendere ad hunc effectum: quia unus homo juſtus poteſt

alteri mereri de congruo remiſſiouem culpæ lethalis: neque repuguat ex parte theſauri eccleſiæ, quia merita Sanctorum poſſuut valere ſaltem de congruo ad impetrandam hanc peccatorem remiſſiouem: neque ulla ſubeſt ratio, quâ debeamus negare eccleſiæ poteſtatem concedendi indulgentias juvantes mediatè ad remiſſiouem peccatorum.

9 Contra eſt, qoia tametſi fiat ab eccleſia hæc conceſſio ad impetrandam remiſſionem peccatorum; non tamen hæc remiſſio propriè eſt indulgentia, ſed tantùm eſt remiſſio quædam pœnæ relictæ ob peccata condonata quoad culpam, & illa conceſſio facta ab eccleſia, cùm ſit impetratio non eſt remiſſio, ſed auxilium poſitivum diverſæ rationis, unde patet hanc conceſſionem non pertinere ad poteſtatem ligandi, & ſolvendi, quæ eſt in eccleſia, quia non eſt propriè actus jurisdictionis, nec vinculi, nec ſolorionis; ſed potius pertinet hoc genus beneficii ad intereeſſiones eccleſiæ, quæ ſicut pro ſuis membris, ſeu pro fidelibus poteſt Deum rogare, ac publicas offerre orationes: ita etiam poteſt iiſdem adjungere merita Sanctorum, ut faciliùs à Deo exaudiantur.

10 Quamobrem indulgentia, ut præcisè talis per ſe, & immediatè non habet ullum ſpiritualem effectum poſitivum in eo, cui conceditur; ſed ejus effectus eſt tantùm privativus moraliter conſiſtens in oblatione alicujus pœnæ debitæ pro peccatis condonatis, quia ſi indulgentia poſſet effectum poſitivum habere utique eſſet aliquod divinum auxilium per modum impetrationis, aut meriti de congruo: hic autem modus impetrandi, non eſt proprius indulgentiæ, neque ad ipſam pertinet, ſed eſt modus proprius illius auxilii, quod impetrat contritionem, ad quam ſequitur gratia ſanctificans, & remiſſio peccatorum. Nihilominus quamvis indulgentia per ſe, & immediatè non habeat ullum effectum poſitivum, ſed tantùm privativum ſitum in ablatione alicujus pœnæ debitæ pro peccatis jam condonatis: remotè tamen, & per accidens juvat ad plures alios ſpirituales effectus, ut ad interiorem pacem, & ſpirituale gaudium, quod ſolet indulgentia ſecum adferre.

11 Hinc quando in formula conceſſionis indulgentiæ ſignificatur dari conſequentibus indulgentias remiſſionem peccatorum quoad culpam, & pœnam, id intelligendum eſt ſecundùm diverſos reſpectus, adeò ut detur remiſſio culpæ per contritionem, & confeſſionem à ſolo Deo, qui ut cauſa principalis remittit culpam juxta illud Iſaiæ: *Ego ſolus deleo iniquitates tuas per memetipſum.* Vel tunc Pontifices per culpam intelligunt reatum culpæ, & ſumunt cauſam pro ipſo effectu: vel ſumunt indulgentiam non per ſe ſolam, ſed ſimul cum opere injuncto in conceſſione indulgentiæ, ſeu cum ſacramentali confeſſione, & contritione, quæ ut prævia diſpoſitio ſolet præſcribi ad fructum indulgentiæ, etiam ut conditio neceſſaria, ut valeat quis lucrari indulgentiam. Pœnæ autem remittuntur formaliter per ipſas indulgentias, non quod remittatur quævis pœna; ſed tantùm temporalis prout in formula conceſſionis exprimitur, quia indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant.

Ex eo autem, quòd indulgentia per ſe, 12 & immediatè non valeat ad remiſſionem culpæ lethalis, ſequitur, quod non poſſit remittere pœnam æternam; adeò ut indulgentia ſemper ſupponat pœnam æternam commutatam in temporalem, quam tantùm remittit; ratio eſt, quia eo ipſo, quòd per contritionem, & ſacramentalem confeſſionem remittitur peccatum mortale, remittitur etiam pœna æterna ipſi adnexa, & cùm peccatum mortale non remittatur per indulgentiam, ſed per contritionem, & Sacramentum Pœnitentiæ, ita & pœna æterna. Et licèt poſſit contingere ut peccator lucretur indulgentiam in eodem prorſus inſtanti, in quo juſtificatur, ut quando homini conceditur, ut per ſacramentalem confeſſionem lucretur indulgentiam plenariam, vel ut ſimul abſolvatur à culpa, & à pœna, non tamen tunc indulgentia propriè verſatur circa pœnam æternam, ſed tantùm circa temporalem, quia æterna remittitur per ſacramentum pœnitentiæ, & temporalis per indulgentiam.

Quando per ſacramentum Pœnitentiæ 13 quis lucratur plenariam indulgentiam duplex concurrit cauſa, & ratio moralis; ratione quarum duplex remiſſio in eodem inſtanti habetur: prima enim cauſa eſt ſacramentum, vel contritio remittens culpam, conſequenter etiam pœnam æternam, quam commutat, quantum eſt ex ſe in pœnam temporalem: alia cauſa eſt indulgentia, quæ applicatur in ſecundò ſigno naturæ, & hæc tantùm remittit pœnam temporalem relictam ex priori remiſſione, vel eam ſaltem minuit. Unde in dato caſu contritio, vel ſacramentum pœnitentiæ priùs natura remittit culpam, & pœnam æternam, quam commutat in temporalem: in ſecundo ſigno naturæ indulgentia tollit, vel minuit hanc pœnam temporalem: unde effectus indulgentiarum non eſt remiſſio mortalis culpæ, nec pœnæ æternæ.

Imò neque indulgentia per ſe valet ad 14 remiſſionem peccati venialis immediatè: quia hoc peccatum ſive actuale, ſive habituale ſemper eſt aliquid moraliter diſtinctum à reatu pœnæ temporalis, & indulgentia tantùm verſatur circa hunc reatum pœnæ, quem vel minuit vel omnino tollit, adeò ut effectus indulgentiæ immediatus ſit remittere, vel totaliter, vel partialiter hunc reatum pœnæ: quia verò peccatum veniale diſtinguitur ab hoc reatu pœnæ, ſequitur, indulgentiam per ſe non valere ad remiſſionem culpæ venialis. Tum quia peccatum veniale de lege ordinaria non poteſt deleri ſine actu hominis, quo prior voluntas aliquo pacto mutetur, & per hoc differt à remiſſione pœnæ temporalis,

quæ

quæ non exigit hanc volnntatis mutetionem: per indulgantiam autem non detur homini hic ectus deſtructivus paccati vaeialis.

15 Quòd ſi dicas, poſſa aliquam attritionem cum indulgantia ſufficare ad tollendum pactatum veniala; proinde tunc indulgantiam illud delera, perinde ac ſecremantum dicitur paccatum tollata, non quia ſine ullo dolore illud tollat, ſad quia cum aliqua attritione id præſtat, quæ per ſe non ſufficarat ad telem effectum. Contra aſt, quia quando ramiſſio culpæ hebetur abſque diſpoſitiona per ſe ſufficiante ad remiſſionam culpæ, tunc naceſſa eſt intercedet aliqua alia cauſe, quæ ax opare operato poſſit vanialam culpam dalere, & hæc cauſa ſolat aſſe ſacramantum: ſiquidam indulgeatia ex ſe non habet vitturem delendi peccatum ſina ſacremento, quia peccatum non tollitur oiſi per gretiam, & hæc non infunditur per indulgentiam, ſad per ſacramentum: & quemvis ed ramiſſionam peccati venialis par ſa loquendo fortaſſis non ſit nacaſſaria gratiæ infuſio, hæc tamen requiritur, ut remiſſio peccetorum fiat ex opere operato; adaò nt cenſeant nonnulli noc de potentia abſoluta poſſe peccata venialia daleri abſque infuſione alicnjus gretiæ, quando tollitur abſque ectuali diſpoſitione, quæ par ſe ſufficeret ad remiſſionem peccati venialis.

16 Sed quidqnid ſit da hac potentia abſoluta, ſaltem id cartum eſt, da lage ordinaria; quia ad remiſſionem peccati venielis per ſa ſemper neceſſarie eſt eliqua diſpoſitio actualis: unda quando Daus minore diſpoſitiona contentus remittit culpam venialam, id non præſtat niſi ſupplendo imperfactionem ectûs per aliud nobilius donum inhærans animæ, quod donum eſt ipſa gratia ſanctificans, val ajus augmantum: ſicut enim ramiſſio peccati venialis cſt alique hominis ſanctificatio, quæ connaturalitar non fit niſi per diſpoſitionam, ſeu formam inhærentem animæ, adaó nt ſecundùm legam ordinariam, & ſacluſis privilagiis legis gretiæ non remittatur culpa vanialis; ſinè actuali diſpoſitiona ſufficienta: ita non fit remiſſio venialis ſine eugmanto gretiæ ſanctificantis.

17 Proprius igitur effactus indulgentiæ per ſe eſt tantùm ramittete pœnam temporelem relictam ax peccatis ſive lethalibus, ſiva venialibus jam condonetis quoad culpam, val per Sacramanta, val per infuſionem gratiæ. Dicitur indulgentie remittere tantùm pœnam temporalem, quia ætarna dabita pro morteli remittitur virtuta ſacramanti, vel in re, vel in voto, ſeu per actum contritionis, edeò ut ſi actus conttitionis injungatur in conceſſione indulgentiæ, ut prævia diſpoſitio, remiſſio pœnæ æternæ, cujuſque commutatio in temporalam, oon ſit tunc effactus indulgentiæ, ſed ipſius contritionis, vel Sacramanti pœnitentiæ; adeò ut anta fructum indulgentiæ ſupponatur pœna ætarna ramiſſa, & commutata in temporalem, ed quam poſtea tollendam vel minuendam epplicantur indulgentiæ. Hæc autam remiſſio pœnæ temporalis, quæ aſt proprius affactus indulgantiæ, non ſolùm fit in foro acclеſiæ, ſad atiam in foro Dai, adeò ut Deus non ampliùs axigat talem pœnam debitam pro peccato: ſiquidam Ecclaſiæ ineſt hæc poteſtas remittendi hanc pœnam in foro Dai, & varba quibus indulgantia concaditur hoc idem atiam ſignificant, hinc Concilium Tridantinum *ſeſſ. 25. in decret. de indulgent.* definit, indulgentiarum uſum populo Chriſtiano plurimum adfarre utilitatis, ac eſſe maximè ſalutarem: quia obligetio illa luandi pœnas relictas ax condonatis peccatis aufertur per ſubtractionam mataria; quatenus Pontifex ex ſpirituali theſauro acclеſiæ, cujus habat claves, ſolvit, quantum ſufficit ad companſandum debitum: poſita enim tali ſolutiona homo manet liber etiem corem Deo ab illo debito.

Non tamen omnes indulgentiæ tollunt 18
in eedam manſura pœnam temporalem relictam ex condonatis peccatis: hinc ſolent indulgantiæ concedi ſub triplici forme. Primò per dies, val annos: ſacundò per dimidiam, tertiam, quartam, val quintem partem ramiſſionis peccatorum: tartiò ſub forma plenariæ, plenioris, val pleniſſimæ, ut habetur in *Extravag. commun. c. antiquorum 1. h.t* & tunc datur remiſſio totiùs pœnæ dabitæ: hodie tamen non aſt diſtinctio inter planam, planeriam, plenioram, & pleniſſimam indulgentiam: ſicut nac ulla aſt differentia quoad relaxetionem inter jubileum, & indulgentiem plenariem, niſi quòd in jubileo ſoleet dari facultes abſolvandi è votis, & caſibus reſervatis, & eligendi confeſſarium, quæ facultas oon datur per quamcunque plenariam indulgantiam.

Hinc ſi in forma conceſſionis habeentur 19
hæc varba; *concedimus indulgentias viginti annorum, aut dierum de pœnis injunctis:* intalligitur da injunctis tantùm, niſi Pontifex aliud daclarat; adao ut indulgaotia tunc tantùm remittat pœnam reſpondentem pœnitentiis à ſacerdote in ſecremantali confaſſione injunctis, & retio petitur ax ipſo indulgantiarum uſu, qui potiori ex parte fuit introductus ob graviſſimas pœnitenties, quæ juxte canones pœnitantieles injungabantur fidalibus pœnitentibus primitivæ acclеſiæ: ſiquidem pro ſingulis peccatis imponabantur tot dierum, vel annorum pœnitantiæ, quæ ingenti ſanctóque fervora adimplebantur; quia verò decurſu temporis cœpit fervor ille tepeſcere, ac deficera; cœperunt etiam paulatim Pontificas concadere indulgantias circa injunctas pœnitentias remittendo, val annos, val dies aliquot ex illis, qui pro pœnitentiæ injungebantur: quamobrem intantio ſuperioris concedentis indulgentiae fuit tunc minuare, val modarari onus injunctum pœnitantibus, quod nonniſi difficulter ferre poterant: unde cùm

finis indulgentiæ conceſſæ fuerit diminuere pœnas injunctas pœnitentibus, quoties in forma conceſſionis ponuntur illa verba *de injunctis pœnitentiis*, non remittitur tunc alia pœna, quàm quæ continetur in pœnitentia injuncta à ſacerdote in ſacramentali confeſſione.

20 Quando verò in conceſſione indulgentiæ non addnntur illa verba *de injunctis pœnitentiis* tunc conceſſio eſt univerſalis, ac indifferens ad pœnam etiam pro aliis peccatis debitam, quia ſuperior concedens indnlgentiam habet facultatem ſolvendi de ſpirituali theſauro eccleſiæ pro compenſatione omnis pœnæ debitæ etiam per aliis peccatis, & verba non limitant conceſſionem, unde tunc indulgentia extenditur ad remittendam omnem pœnam etism pro aliis peccatis debitam, tum quia Boniſacius VIII. in *Extravag. commun. c. antiquorum 1. h. t.* ubi plenariam indulgentiam concedit viſitantibus illo anno quindecim diebua Baſilicas S, Petri, & Pauli, & voluit hanc indulgentiam adeo amplam eſſe, ut dixerit ſe intelligere eam concedere cum omni poſſibili amplitudine, & ægrè tulit, quòd Confeſſarii eo anno pœnitentias injungerent lucrantibus jubileum, ut habet Gloſſa *in d. Extravag.* cujus Author aſſerit ſe id à Pontifice audiviſſe.

22 Tum quia plerumque indulgentiæ concedantur verbis illis generaliſſimia *quantum claves ſe extendunt*, & tunc remiſſio ſe extendit ad omnem pœnam relictam eriam ex aliia peccatis in quantum fieri poteſt, qnia ubi nec jus, nec ratio reſtringit, nec nos reſtringere debemus, ut notat Gloſſa *in can. conſuluiſti 2. q. 5.* per varia jura, quæ ibidem allegat.

23 Tum quia moris hodie non eſt, ut Confeſſarii injunganr pœnitentias plurium annorum, aut dierum abſolutè ſine reſtrictione ad injunctas, vel injungendas, quamvis nonnulli per centum annos, aut dies intelligant tot annos, aut dies purgarorii. Alii tamen probabiliùs cenſent, id intelligi de annis, & diebus, quibus sliquis in hac vita pœnitere deberet, ſi tamdiu viveret, ac proinde tantùm remitti de pœna purgatorii, quantum huic pœnitentiæ canonicæ reſpondet: ſiquidem hic modus concedendi indulgentias ſuam trahit originem ex antiquo uſu concedendi indulgentias de injunctis, conſequenter in hoc ſenſu ſemper videtur id intelligendum; quamvis non exprimatur: quo pacto intelligitur, quid ſit concedere indulgentiam dimidiæ, vel tertiæ partis peccatorum. Verùm quia de indulgentiis fuſè egi in tomo octavo meæ Theolog. *diſp 28. à p. 427. usque ad 482.* ideo qui plura deſiderat, hunc conſulat tractatum, cum in præſenti titulo non agatur, niſi de hactenus expenſis.

§. VII.

De anno Jubileo.

AGitur de Jubileo in *Extrav. Antiquorum 1. h. t. inter communes*, in qua Bonifacius VIII. centeſimo quolibet anno, qui jubileus dicitur, conceſſit pleniſſimam ſuorum peccatorum veniam, ſcilicet pœnarum, quæ pro peccatis debebantur viſitantibus Baſilicas Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, quæ remiſſio cum eſſet jam in eccleſia uſitata à Bonifacio definita fuit anno ſæculari, qui deinceps annus jubileus nominatus eſt, & tunc erat annus à reparata ſalute 1300. nomen enim jubilei generatim ſumptum ſignificat plenam debitorum remiſſionem, & liberalem in integrum reſtitutionem factam auctoritate legitima, & ſpeciali quodam ritu ad id inſtituto: qua deſcriptione comprehenditur utrumque jubileum, tum legis Moſaicæ, tum Chriſtianæ, quia ſicut in lege Evangelica Jubileum liberat omnem Chriſtianum ab omni reatu, & pœna relicta ex condonatis peccatis, quem propterea in integrum reſtituit priſtino ſtatui quoad debitum pœnæ: ita jubileum legis Moſaicæ liberabat ab omni debito temporali Judæos, quos propterea reddebat immunes ab omni debito contracto intra annum quinquageſimum in ſuis bonis temporalibus, eóſque in integrum reſtituebat quoad bona ſtabilia, quæ antea legitimè poſſidebant, ſervis etiam libertate donatis. Hinc jubileum ſignificans remiſſionem ſuam trahit nomenclationem, vel à verbo *jubilo*, ſeu *jubilando* quod ſignificat lætitiam ingentem, quæque verbis exprimi nequeat, ſed voce tantùm & tripudio manifeſtetur, vel à voce hebraica *Jobel*, quæ remiſſionem ſignificat, ut notat Bottonus in *obſer. circa jubileum c. 1.* fuit enim in lege Moſaica inſtitutus annus jubileus, ſeu remiſſionis, ſingulis quinquaginta annis celebratur in memoriam liberationis populi judaici ex Ægyptiaca captivitate, ut habetur *Levit. cap. 25.* ait enim Deus: *Numerabis ſeptem hebdomadas annorum, id eſt ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos 49. & clanges buccina menſe ſeptimo, decima die menſis propitiationis tempore in univerſa terra veſtra. Sanctificabiſque annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ, ipſe eſt enim jubileus. Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unusquisque rediet ad familiam priſtinam, quia jubileus eſt & quinquageſimus annus.* 1

Obſervat Liranus, jubileum dictum fuiſſe annum quinquageſimum, vel quia computaretur ultimus annus præcedentis jubilei, 2 adeò ut idem annus jubileus eſſet finis præcedentis, & ſimul initium ſubſequentis: vel quia ſuos effectus operari inceperit anno duntaxat ſubſequenti, adeò ut annus præcedens fuerit tantùm quædam præparatio ad ſubſequentem, quo complebatur quinquageſimus. Præterea annus jubileus certo quodam ritu

cele-

celebratur à miniſtria legitimis, & præſertim à claagore buccinæ, à quo ut pluribus placat, jubileum, qood cornu, ſeu buccina ſignificat ſuam trexit nomeaclaturam.

3 Quemadmodum igitur in lege Moſaica jubileom remittebat debita antea contracta, & immunes reddebat ab omni debito intra annum quinquageſimum in ſois bonis temporalibus contracto, ſervia libertate donatis, & bonis alienatis ſine ullo pretio antiquis Dominis reſtitutis, ac propterea fuarit jubileum tempotale, eò quia remiſſio fieret quoad temporalia: ita in lege evangelica fuit inſtiturum jubileum ſpirituale, in quo fit remiſſio in homine ſpirituali; adeò ut ſit chriſtianum jubilaum plenaria remiſſio totius pœnæ relictæ ex condonatis peccatis, quæ remiſſio habet annexas ſpirituales gratias, ac indulta ex plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis, & quæ conceduntur fidelibus lucrantibus jubileum à ſummo Pontifice ex inexhauſto theſauro ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum: quapropter jubileum Chriſtianum convenit cum reliquis indulgentiis plenariis, cùm & ipſæ remittant totam pœnam, licèt non per modum jubilei, quod propterea differt ab aliis plenariis indulgentiis, non quoad plenariam remiſſionem totius pœnæ relictæ ex condonatis peccatis, ſed ex aliis annexis jubilæo, quæ non conceduntur ſimul cum aliis plenariis indulgentiis; ſiquidem jubileum habet ſemper annexa quædam indulta, cujuſmodi ſunt facultas eligendi ſibi quemcunque confeſſarium ex approbatis ab ordinario, qui aligentem poſſit ab omnibus caſibus, & cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis abſolvere, & ejus commutare vota, ac alia pleraque id genus, quæ non annectuntur plenariis indulgentiis.

4 Hæcque indulta conceduntur à ſummo Pontifice, cui ſoli ineſt poteſtas concedendi jubileum: non enim Concilium tametſi generale ſine ſummo Pontifice habet hanc facultatem concedendi jubileum cum Chriſtus non Concilio, ſed ſoli Petro, & in ejus perſona ſuis legitimis ſucceſſoribus dixerit Joan. 21. *Paſce oves meas.* Imò nec Cardinales licèt in electione ſummi Pontificis univerſalem repræſentent eccleſiam tempore ſchiſmatis poſſunt jubileum promulgare ad implorandum divinum auxilium pro electione legitimi paſtoris, quia facultas diſpenſandi ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum ex communi theſauro eccleſiæ ſoli Petro; ejúſque legitimo ſucceſſori fuit à Chriſto collata, quia ſoli Petro Chriſtus dixit Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, & Joan. 21. *Paſce oves meas.* Tum quia non poſſunt Cardinales ſede vacante concedere leges univerſales, quibus obligent totam eccleſiam; proinde neque per jubileum poſſunt diſpenſare Chriſti ſatisfactiones, quia hic actus eſt ſupremus juriſdictionis, proinde proprius ſolius Chriſti Vicarii.

5 Cæterum Chriſtianum jubileum eſt duplex unum, quod ex conſtitutione ſedis Apoſtolicæ ſtato tempore fidelibus recurrit, & ſolet tunc durare per annum, qui dicitur annus ſanctus remiſſionis, reconciliationis, pacis, & indulgentiæ, quia tunc ſolemni ritu aperitur Romæ porta ſancta, & theſaurus meritorum, & ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum munifica largitate Chriſti fidelibus diſpenſatur. Aliud eſt jubileum quod ſolent ſummi Pontifices initio ſui Pontificatus concedere, promulgare ad implorandum divinum auxilium, ut dignè valeant eccleſiam gubernare, & ut ſimul dent ſignum toti Chriſtianitati legitimæ electionis factæ. Imò hoc jubileum ſolet etiam interdum concedi ob urgentes eccleſiæ neceſſitates, præſertim ad impetrandam pacem à Deo inter diſſidentes Principes Chriſtianos, vel ad præcavenda, quæ imminent mala: utrumque enim jubileum propriè eſt pleniſſima indulgentia, quia quantum eſt ex ſe aptum eſt remittere pœnas omnes temporales relictas ex condonatis peccatis. Quamvis poteſtas concedendi jubileum fuerit ſemper in eccleſia implicitè conceſſa D. Petro, & ejus legitimis ſucceſſoribus quando Chriſtus *Joan. ult.* dixit Petro *paſce oves meas*, nihilominus primus, qui jubileum ſolemni ritu, certóque recurrente tempore celebrandum inſtituit, fuiſſe fertur Bonifacius VIII. anno 1300. & videtur deſumi ex *c. antiquorum 1. in extravag inter communes h.t.*

Alii verò ſolemnem inſtitutionem Chriſtiani jubilei ducunt à ſancto Sylveſtro Papa, 6
qui creatus fuit Pontifex anno 314. & anno Imperii Conſtantini, poſt conſtructam ab hoc Imperatore Baſilicam Principis Apoſtolorum, ut fideles è ſingulis orbis partibus ad illam accederent, & inde ſolemnior fieret Principis Apoſtolorum cultus, & memoria celebrior.

Cæterum fuit ab initio jubileum inſtitu- 7
tum pro quolibet recurrente anno 100. quia hic mos fuit apud Romanos, ut quovis centeſimo anno populus ludus celebraret, qui à ſæculi interſtitio ſæculares vocarentur: & ad quos per publicum Præconem ſuperſtites cives invitarentur vocibus illis: *Ad illud ludi genus, quales nec hactenus vidiſtis, nec amplius viſuri eſtis vocamini cives.* Pontifices verò ex divino inſtinctu ritum illum in ſacram poſtea ſæcularem commutârunt indulgentiam: quapropter Bonifacius VIII. in *Extravag. Antiquorum 1. h.t. inter commun.* inſtituit, ut centeſimo quoque anno ſolemni ritu celebraretur Jubileum, & annus ille jubileus diceretur, quamvis ex dict. *Extravag. antiquorum* potiùs inferatur, Bonifacium VIII. non primò inſtituiſſe hoc jubileum, ſed potius innovâſſe, quia ibi pontifex approbat, confirmat, & innovat auctoritate Apoſtolica laudabilem conſuetudinem centeſimo quoque anno accedendi ex ſingulis terræ partibus ad Baſilicas SS. Petri, & Pauli de urbe ob peccatorum remiſſiones, & indulgentiarum conſecutiones.

8 Verùm quia centeſimus annus videbatur ſpatium nimis diuturnum, ideo conſultiùs poſtea cenſuit Clemens VI. in quinquageſimum reſtringere, idque contigit anno 1342. ut conſtat in *Extravag. unigenitus 2. h.t. inter communes* ubi præter Baſilicas Sanctorum Petri, & Pauli, addit etiam tertiam S. Ioannis Lateranenſis ob memoriam Conſtantini Imperatoris, qui ob ſuſcepta beneficia emendationis à lepra, & baptiſmi Baſilicam illam conſtruxit. Tum ob venerationem imaginis Salvatoris, qui in eadem viſibiliter apparuit populo Romano. Imò cùm adhuc hoc quinquaginta annorum ſpatium videretur diuturnum Urbanus VI. illud reſtrinxit ad annos quos vixit Chriſtus 33. Demum Paulus II. qui renunciatus fuit Pontifex anno 1464. adhuc reſtrinxit annum jubilei ad vigeſimum quintum, ut conſtat in Bulla cui initium *Ineffabilis providentia*, ſumpto initio à pervigilio Nativitatis Chriſti proximè elapſo usque ad idem pervigilium anni ſequentis: & hunc ritum cum præfata reſtrictione auctoritate Apoſtolica confirmavit, & primus mandavit executioni Sixtus IV. anno 1471. ut liquet in *Extravag. quemadmodum 4. h.t. inter communes*, ubi Sixtus IV. confirmat jubileum publicatum & revocat omnes indulgentias plenarias, & facultates commutandi vota, componendi, & diſpenſandi in malè ablatis, vel per uſuram, ut etiam facultates deputandi Confeſſarios cum poteſtate abſolvendi etiam à caſibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ, ut etiam facultates & Indulta conceſſa monaſteriis, hoſpitalibus, piis locis, univerſitatibus, confraternitatibus. Tam in perpetuum, quàm ad certum tempus in vita, & in articulo mortis, imò in eadem *Extravag. 6. etſi dominici 5. h.t.* revocat etiam indulgentias, & facultates, quas ipſe conceſſerat abſolvendi caſus Bullæ cœnæ Domini, & alias ſupra poſitas, & commutandi quinque vota, & anathemate percutit contrarium attentantes, & quidem excommunicatione reſervata Papæ.

9 Quia verò præter jubileum añi ſancti ſolent Pontifices aliis temporibus præſertim initio ſui Pontificatûs, & quoties magnum aliquid imminet in Chriſtiana Republica jubileum indicere ad Dei opem implorandam, ideo operæ pretium eſt, aliquid ſubjicere circa promulgationem hujus jubilei, cujus promulgatio duplex eſt, una quæ fit Romæ pro habitatoribus urbis ſimpliciter: altera, quæ fit extra urbem ab ordinariis locorum. Certum eſt, Jubileum non habere vim antequam ſit promulgatum, tametſi Pontificis litteræ jam fuerint in curia confectæ, & expeditæ; ratio eſt, quia jubileum à Pontifice conceditur fidelibus per modum univerſalis legis ſe extendentis ad omnes: lex autem, ut vim obtineat, ac obliget, exigit ſufficienter promulgari: proinde etiam jubileum, quod non acquirit vim ante promulgationem.

10 Hinc jubileum poſtquam in Romana curia eſt abſolutum, per orbem poſtea publicatur, & in illis affigitur locis publicè, in quibus cæteræ leges: unde neque electio Confeſſarii, neque votorum commutatio ullum ſortiuntur valorem ante promulgationem jubilei, quâ factâ ſuum jubileum obtinet vigorem, & fideles ſi ea adimpleant, quæ præſcribuntur, illud lucrantur; non tamen factâ Romæ promulgatione poſſunt fideles in aliis locis jubileum lucrari antequam illis à proprio ordinario promulgetur: ratio eſt, quia Pontifex præter promulgationem pro commorantibus Romæ exigit pro cæteris fidelibus extra urbem promulgationem faciendam à locorum Ordinariis, à quibus propterea debent proceſſiones fieri, & eccleſiæ deſignari, quibus opera injuncta pro obtinendo jubileo exerceantur. Quòd ſi Ordinarius loci negligeret jubilei promulgationem, tunc poſſent diœceſani jubileum lucrari, ubi primum ad eorum notitiam pervenerit, & opera à Pontifice injuncta adimpleverint: Quia Paulus V. in jubileo ab ipſo conceſſo anno 1605. & primo ſui Pontificatûs Confeſſario ab ipſis electo facultatem conceſſit, ut illis deſignaret eccleſias viſitandas.

Cæterum nomine Ordinarii non intelli- 11
guntur ſoli Epiſcopi, & ejus Vicarii, ſed etiam alii Prælati habentes quaſi epiſcopalem juriſdictionem; id enim fuit declaratum à ſacra congregatione Cardinalium ſupra Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 18. de reform.* ratio eſt, quia tales Prælati quoad poteſtatem juriſdictionis ſunt pares Epiſcopis, à quibus ſolùm differunt ordine, & dignitate, quæ ad hunc actum non eſt neceſſaria. Non tamen nomine ordinarii in Bullis privilegii intelliguntur Prælati Regulares, niſi aliunde habeant epiſcopalem quaſi poteſtatem in ſubditos ſæculares: quapropter litteræ pro jubileo diriguntur ad ſolos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Prælatos habentes epiſcopalem juriſdictionem. Quòd ſi Prælati Regulares habeant Epiſcopalem quaſi poteſtatem in ſubditos ſæculares, tunc comprehenduntur nomine ordinarii loci, poſſuntque ſuis ſubditis ſæcularibus, in quos plenam exercent ordinariam poteſtatem jubileum indicere, non verò ſuis Religioſis, cùm in ipſos non habeant talem juriſdictionem.

Quod verò ad effectum attinet jubilei, cer- 12
tum eſt, jubileum non remittere culpam lethalem; cùm hæc non deleatur ſine infuſione gratiæ, ut habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. c. 7.* & indulgentia, quæ per jubileum acquiritur, non infundit gratiam ſanctificantem, ſiquidem pro prima juſtificatione eſt neceſſarius baptiſmus ſaltem in voto, ut definitur in eodem Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. can. 5. de Baptiſ.* & pro inſtauranda juſtificatione deperdita per peccatum lethale, eſt neceſſarium ſacramentum pœnitentiæ, ut definitur in eodem Concilio *ſeſſ. 14. c. 4. & can. 1.* unde cùm hæc duo ſacramenta fuerint inſtituta, ut ne-
ceſ-

ceſſaria pro remiſſione peccatorum, non poſſunt hæc remitti per indulgentiam jubilei. Quinimò neque remittuntur peccata venialia, quia indulgentia in jubileo conceſſa eſt tota per modum ſatisfactionis, quia per jubileum applicantur merita Chriſti ut ſatisfactoria, proinde jubileum non habet vim remittendi peccata venialia, quia cùm exhibeat pretium ex theſauro eccleſiæ per modum ſatisfactionis, tantùm extinguit debitum pœnæ. Tum quia cùm peccatum veniale contrahatur ab homine per proprium actum, non poteſt eidem condonari ſine proprio actu: ſiquidem non poteſt ei remitti, niſi ordinetur id in eo, in quo fuerat deordinatum. Tum quia ſi poſſet jubileum peccatum veniale delere, poſſet etiam mortale; quia deleret veniale in virtute paſſionis Chriſti, quatenus applicaret ejus merita proinde tantum poſſet jubileum delere, quantum obtinere poſſent Chriſti merita, quæ cùm ſint infinita, poſſent omnem culpam delere.

13 Quamobrem effectus jubilei eſt remiſſio integra, & totalis pœnæ debitæ, & relictæ ex condonatis peccatis, ut docent communiter Canoniſtæ. Ratio eſt, quia voluntas ſummorum Pontificum indicentium jubileum eſt menſura remiſſionis, quia ratione clavium, & poteſtatis paſcendi dominicum gregem poſſunt applicare de theſauro eccleſiæ tantam Chriſti ſatisfactionem, quæ ſufficiat ad extinguenda totaliter, & adæquatè omnia debita contracta à peccatoribus, quia cùm hæc finita ſint, & Chriſti ſatisfactio infinita, nulli eſt dubium, quin hæc poſſit ſemper applicari in compenſationem omnium delictorum, quæ homines contraxerunt, contrahunt, & erunt contracturi; cum hæc debita ſemper ſint finita; & Chriſti ſatisfactio utpote infinita nunquam exhauriatur: Sed ſummi Pontifices quoties concedunt jubileum applicant pleniſſimam, & totam illam Chriſti ſatisfactionem, quæ deſideratur ad extinguenda omnia noſtra debita in ordine ad luendas pœnas relictas ob condonata peccata: ſiquidem Pontifices in ſuis bullis, quibus jubileum indicunt, exprimunt remiſſionem integram, & totalem omnium peccatorum, non quidem quoad culpam, ſed quoad reatum pœnæ debitæ peccatis: ſumitur enim cauſa pro effectu, ſeu peccatum pro reatu pœnæ, ut Machab. c. 12. *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis abſolvantur*: hoc eſt à pœnis debitis ob peccata jam condonata: cùm igitur indulgentia Jubilei ſit pleniſſima extinguit totaliter, & adæquatè omnia debita: alioquin ſi aliquid ſupereſſet ſolvendum indulgentia non eſſet pleniſſima, quia remiſſio non foret totalis *c. bene quidem diſt. 96. c. Apoſtol. de præb. 6.*

14 Verùm hæc remiſſio integra, & totalis eſt ſolùm pro foro interno, & in ordine ad Deum: ratio eſt, quia hæc remiſſio fit à ſummo Pontifice, ut à Diſpenſatore theſauri eccleſiæ, & Pontifex ut fungitur munere talis diſpenſatoris non exercet juriſdictionem pro foro externo, proinde non poteſt in ipſo ponere tunc ullum effectum juriſdictionis, qualis eſt remiſſio pœnæ, quæ propterea eſt tantùm pro foro interno & in ordine ad Deum. Tum quia theſaurus eccleſiæ non poteſt aliter diſpenſari niſi ſecundùm inſtitutionem Chriſti, & à Chriſto fuit hic theſaurus inſtitutus ſolùm pro ſatisfactione debitorum, quæ erga Deum contrahunt peccatores: unde non poteſt Pontifex virtute hujus theſauri remittere pœnas quoad forum externum. Rurſus hæc remiſſio pœnæ, quæ fit beneficio ſuſcepti jubilei, non ſolùm fit per modum ſolutionis, ſed etiam abſolutionis; quia hæc remiſſio fit vivis juriſdictionali modo quoad eos, quibus conceditur, & fit etiam in virtute clavium, ut liquet ex bulla Leonis X. ubi dicitur: *Poteſtate clavium quorum eſt aperire Regnum cælorum tollendo illius in Chriſti fidelibus impedimenta culpam ſcilicet & pœnam pro actualibus peccatis debitam*: ubi Pontifex per poteſtatem clavium declarat, concedi indulgentias, & remitti culpam, & pœnam pro actualibus peccatis debitam; nimirum culpam concomitanter, quatenus indulgentia nonniſi ſolis confeſſis, & contritis conceditur: & poteſtas clavium eſt poteſtas juriſdictionis: ſed quando remiſſio fit per poteſtatem juriſdictionis non fit tantùm per modum ſolutionis, ſed etiam per modum abſolutionis: quia ſi remiſſio eſſet per modum puræ ſolutionis non eſſet neceſſaria juriſdictio, neque remiſſio eſſet facienda juriſdictionali modo; de facto autem non aliter per indulgentias remittitur pœna, quàm modo juriſdictionali, quia indulgentiæ poſſunt tantùm concedi ſubditis eas concedentis: ſiquidem nemo poteſt ligari, vel abſolvi niſi à ſuo ſuperiore, ut deſumitur *ex c. quod autem 4. h. t.* unde ſi is, cui conceditur indulgentia debeat eſſe ſubditus, jam conceſſio indulgentiæ eſt actus juriſdictionis, proinde remiſſio pœnæ, quæ fit in jubileo, non ſolùm eſt per modum ſolutionis; quatenus deſumitur pretium ex theſauro eccleſiæ, & ſolvitur pro extinguendo debito pœnæ relictæ ex condonatis peccatis; ſed etiam per modum abſolutionis, quatenus ſuperior habens juriſdictionem abſolvit ſubditos. Hinc eſt, quod Martinus V. in fine Concilii Conſtantienſis in conceſſione indulgentiæ plenariæ pro omnibus, qui eidem concilio interfuerunt, utitur nomine *abſolutionis*, quia nimirum poteſtas clavium exercetur circa fideles ut ſubditos quoad omnia, quæ pertinent ad ſalutem, & cùm à Chriſto fuerit eccleſiæ theſaurus inſtitutus in ordine ad remittendam pœnam ex ſe impeditivam conſecutionis gloriæ, donec ſolvatur; ideo poteſt Pontifex ut diſpenſator ſpiritualis theſauri ſolvere pro fidelibus quantum ſufficit ad extinguendum debitum pœnæ, & juriſdictionali modo abſolvere ab eodem debito.

Neque obſtat, quòd abſolutio juriſdictio- 15
nalis præſupponat cognitionem cauſæ: quia

id eſt verùm quando abſolutio jurisdictionalis procedit ex juſtitia; non verò quando ex gratia. Quando abſolutio jurisdictionalis procedit ex juſtitia debet reſultare ex actis, ex quibus cùm poſſit reſultare tam condamnatio, quàm abſolutio, ideo ut ſententia rectè proferatur, eſt neceſſaria præcognitio cauſæ. Secus quando abſolutio procedit ex gratia, quâ abſolvens vult tantùm uti abſolutione in favorem abſoluti, tametſi abſit meritum condemnationis, tunc non eſt neceſſaria cognitio cauſæ, ut quando ex occaſione nuptiarum Principis, vel inaugurationis Regis liberantur, qui detinebantur in carcere, & abſolvuntur ab eorum delictis absque prævia cognitione cauſæ.

16 Rurſus hæc remiſſio pœnæ, quam confert jubileum, eſt infallibilis, niſi ponatur obex, quia ubi habetur ſufficiens poteſtas, & capacitas ſubjecti, & materia; ibi infallibiliter ponitur actus, niſi impediatur ab aliquo obice: ſed quando fideles lucrantur jubileum, adeſt ſufficiens poteſtas in concedente, capacitas in ſuſcipientibus, & in eccleſia theſaurus meritorum, & ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum ut habetur *1. Ioan.* 2. Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi: quia hic theſaurus eſt infinitus, & nunquam exhauriendus; ſed hic theſaurus fuit à Chriſto inſtitutus pro communitate eccleſiæ, ut poſſet applicari pro omnibus indigentibus; qua ratione Chriſtus univerſaliter ſe obtulit in ſatisfactionem pro omnibus, proinde ſi non interſit obex, remiſſio pœnæ, quam confert jubileum, eſt infallibilis.

17 Tum quia quoties Pontifex operatur auctoritate Apoſtolica, & in virtute clavium operatur infallibiliter, quia tunc operatur per facultatem ſibi à Chriſto datam in ordine ad illos ſpeciales actus, proinde operatur per facultatem divinitùs inſtitutam, & confirmatam pacto Chriſti, qui cùm non poſſit in ſua promiſſione deficere, ſequitur, talem poteſtatem ſufficienter applicatam ſemper ponere ſuum effectum: ergo cùm Pontifex concedens jubileum operetur in virtute clavium, & utatur poteſtate ſibi ſpecialiter data à Chriſto ad diſpenſandum theſaurum eccleſiæ, ſequitur, hanc remiſſionem pœnæ haberi infallibiliter.

§. VIII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelecta quæſtiones.

1 QUæritur primò, quomodo quæſtores eleemoſynarum ſint admittendi? Reſpondetur de hoc dubio agi *in cap. cùm ex eo 14. h. t.* ubi Innocentius III. ex Concilio generali Lateranenſi prohibet quæſtores eleemoſynarum admitti; niſi exhibeant veras litteras Apoſtolicas, vel Ordinarii, & quod tunc non permittantur aliud proponere populo præter id, quod in litteris continetur (& ibi ponitur forma litterarum) rurſus mandat Pontifex, ut qui deſtinantur ad quærendas eleemoſynas ſint modeſti, & diſcreti, non hoſpitentur in tabernis, vel locis incongruis, & non faciant inutiles, vel ſumptuoſas expenſas. Hinc quæſtores eleemoſynarum non habent poteſtatem citandi ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, idque deſumitur *ex c. Rom. 1. h. t. in 6.* ubi quæſtoribus pro fabrica eccleſiæ dicitur, quòd non detur ab Ordinario facultas citandi alios, ſed ſufficiat, ſi charitativè admoneant, ut ſolvant. Ratio eſt, quia citatio eſt actus jurisdictionis, & quæſtores cùm tantùm ſint deputati ad colligendas eleemoſynas pro aliquo pio loco; ex eo præcisè quòd ſint quæſtores non habet jurisdictionem; conſequenter non poſſunt citare ſubditos ſuffraganeorum, ſed tantùm eos charitativè movere.

Rurſus cùm *in cap. cum ex eo 14. h. t.* 2 prohibeantur Quæſtores eleemoſynarum admitti, niſi litteras Apoſtolicas, vel Epiſcopi Diœceſani veras exhibuerint, id intelligendum eſt de quæſtoribus, qui nomine alicujus loci pii, eccleſiæ, vel hoſpitalis, proinde alieno nomine eleemoſynas quærunt: quia ſi ipſi ſint pauperes, & proprio nomine pro ſe ipſis eleemoſynas quærant, non eſt neceſſe, ut exhibeant litteras Apoſtolicas, quia pauperibus non prohibetur pro ſe ipſis eleemoſynas quærere.

Præterea Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5.* 3 *cap. 2. de reform. in fin.* prohibet, ne quæſtores eleemoſynarii ullo modo per ſe, vel per alium præſumant prædicare, & mandat, ut contrarium facientes opportunis remediis omnino arceantur ab Epiſcopis, & Ordinariis locorum non obſtantibus privilegiis quibuscunque. Immo quia hæc remedia non profuerunt idem Concilium *ſeſſ. 21. cap. 9. de reform.* ſtatuit, ut impoſterum in omnibus Chriſtianæ religionis locis eorum nomen, & uſus penitus aboleatur, neque ad hujusmodi officium exercendum ullatenus admittantur; non obſtantibus quibuscunque privilegiis, eccleſiis, monaſteriis, hoſpitalibus, aliisque locis piis, non tamen ſub hoc decreto comprehenduntur fratres Ordinum mendicantium, quia ipſi non prohibentur eleemoſynas per ſe ipſos quærere, ſed tantùm prohibentur quærere per alios, quàm per ſui Ordinis fratres, in diœceſibus, ubi habent conventus. Quòd ſi in locis alienis ubi non habent monaſteria, quærere volunt; tenentur ordinario loci oſtendere ſuorum ſuperiorum licentiam, ut notat Barboſa *de offic. Epiſc. alleg. 109. num.* 8. Cæterum poteſt etiam Epiſcopus dare licentiam quærendi eleemoſynas pro uſu alicujus pii loci, in forma tamen, quæ ſolet præſcribi à Sede Apoſtolica Epiſcopo ordinario.

Quæritur ſecundò, an ſacerdos cum canonico impedimento detentus poſſit licitè miniſtrare ſacramentum Pœnitentiæ in mortis articulo? Reſpondetur, ſacerdotes canonico impedimento detentos eſſe diverſi generis jux- 4

ta diverſa impedimenta : ſiquidem poſſunt impediri ratione ſuſpenſionis, excommunicationis, hæreſis, aut degradationis. Covarruvias *in cap. Alma Mater p. 2. §. 6. num. 8.* & alii cenſent, ſacerdotem excommunicatum non toleratum non eſſe ſufficientem Miniſtrum in articulo mortis, eò quia excommunicatio tollat jurisdictionem, quâ ſublata non poteſt eſſe miniſter.

4 Verùm hæc ratio non videtur urgere, quia excommunicatio tollit jurisdictionem, & ſubditos in ordine ad ſacramentum pœnitentiæ extra articulum mortis, non pro articulo mortis, ſi non adſit alius ſacerdos, qui poſſit moribundum abſolvere, quia tunc urget præceptum charitatis abſolvendi moribundum; excommunicatio autem cùm ſit pœna rationabiliter inflicta, non debet egredi terminos rationis, juſtitiæ, & charitatis: eſſet autem contra rationem, & jus naturale charitatis tollere jurisdictionem etiam pro articulo mortis, ſi non adſit alius ſacerdos, à quo poſſit moribundus abſolvi; quia tunc moribundus ſi tantùm eliceret actum attritionis, & non veræ contritionis deberet perire, quod adverſatur charitati exercendæ in proximum.

5 Alii cenſent, ſacerdotem hæreticum non eſſe ſufficientem Miniſtrum ſacramenti pœnitentiæ pro articulo mortis, ea innixi ratione; quia hæreticus careat fide, quæ eſt fundamentum neceſſarium ad jurisdictionem ſpiritualem. Verùm nec hoc fundamentum eſt firmum, quia ſi fides eſſet fundamentum jurisdictionis ſpiritualis, inde ſequeretur quòd hæreticus occultus nullam haberet jurisdictionem, & ſacramenta dependerent à fide miniſtrorum, quod falſum eſt. Præterea licèt hæreticus defectu fidei non ſit incorporatus corpori myſtico eccleſiæ; adhuc tamen ratione charitatis baptiſmalis eſt in fundamento ordinis hierarchici, & ſi habeat characterem ordinis, adhuc eſt intra Hierarchiam eccleſiaſticam, quia character eſt indelebilis, & eſt capax illius jurisdictionis, quam exigit character : hinc in ſacerdote eſt capacitas jurisdictionis in ordine ad ſacramentum pœnitentiæ, & poſt hæreſin eadem jurisdictio perſeverat, conceſſa omnibus ſacerdotibus pro mortis articulo, ſi nullus alius adeſt ſacerdos, à quo poſſit moribundus abſolvi.

6 Reſpondetur igitur cum communiore ſententia, quemlibet ſacerdotem, ſive excommunicatum, ſive hæreticum, eſſe ſufficientem miniſtrum ſacramenti pœnitentiæ pro articulo mortis, ſi alius non adſit ſacerdos, à quo poſſit moribundus abſolvi, ita enim docent ferè communiter cum Gloſſa *in cap. non eſt de ſponſalib.* Riccio *in deciſ. Curiæ Archiepiſ. Neapol. deciſ. 26. n. 4. p. 4.* & deſumitur ex D. Thoma *in 4. diſt. 19. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1.* ubi docet, quemlibet ſacerdotem poſſe uti clave abſolvendi quemlibet, in articulo neceſſitatis. Ratio etiam id ſuadet, quia tunc concurrunt duo jura, canonicum, & naturale charitatis, illud impedit adminiſtrationem pœnitentiæ, & tollit jurisdictionem à ſacerdote per ſubtractionem ſubditorum : jus verò naturale charitatis exigit, ut ſubveniatur conſtitutis in articulo mortis per adminiſtrationem ſacramenti pœnitentiæ, & quilibet ſacerdos tenetur ex præcepto charitatis moribundum abſolvere : atqui quando concurrunt duo jura, quod eſt fortius debet prævalere : & in hoc caſu jus naturale charitatis eſt fortius jure canonico tollente jurisdictionem à ſacerdote per ſubtractionem ſubditorum, proinde ſervari debet jus naturale.

7 Tum quia jus canonicum poſitivum, ut ſit juſtum non poteſt adverſari juri naturali charitatis, alioquin foret injuſtum; cùm enim jus canonicum poſitivum ſubordinetur juri naturalis charitatis, debet eidem conformari, ut ſervet juſtitiam, proinde non debet tollere hanc obligationem charitatis, quam habent ſinguli ſacerdotes; neque jus moribundi ad exigendam talem ſubventionem.

8 Præterea quia eccleſia poteſt reſtringere impedimenta canonica, ut non procedant in ſacerdotibus pro miniſtrando ſacramento pœnitentiæ in articulo mortis; ſiquidem omnia hæc impedimenta ſunt ex diſpoſitione juris canonici : ſed eccleſia de facto reſtrinxit hujusmodi impedimenta in Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 7.* ubi dicitur, *verum tamen piè admonendum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat; in eadem eccleſia DEI cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes ſacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt,* declarat Concilium abſque ulla limitatione, & univerſaliter poſſe omnes ſacerdotes in articulo mortis abſolvere pœnitentes, proinde hæc facultas abſolvendi convenit etiam ſacerdotibus excommunicatis, vel alio canonico impedimento detentis : ſiquidem ſumus in diſpoſitione favorabili, in qua agitur de favore animæ, proinde hic favor ampliari debet, non reſtringi. Tum quia ubi lex non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere *l. non diſtinguemus §. de recept. arbit. l. 1. §. generaliter. ff. de leg. præſt.* ubi Gloſſa *V. in infinitum c. ſolita de major. & obed. c. quia circa de privileg.*

9 Tum quia ſi Concilium Tridentinum non intellexiſſet de omnibus ſacerdotibus generatim, ſed voluiſſet aliquos excipere, utique de facto excepiſſet *l. ſi ſervus §. Prætor ait. ff. de acquir. hæred. c. ad audientiam 2. de decim.* Præterea illa dictio *omnes*, qua utitur Concilium neminem excludit : ſiquidem ex vulgata regula, qui omne dicit, nihil excludit *l. hoc articulo ff. de hæred. inſtit. l. fin ff penult. c. ſolita de major. & obed.* ſiquidem particula *omnes* propter ſuam generalitatem includit ea, quæ alias non includerentur, ut notat Bartolus *in l. generalis §. uxori ff. de uſufruct.* Maſcardus *de probat. concluſ. 148. n. 9. vol. 1.* Tum quia in legis interpretatione attendenda eſt natu-

naturalis ſignificatio verborum, & eorundem proprietas *l. fin. C. de his, qui veniam ætat. cap. ſuſceptum de reſcript. in 6.* & notat Tiraquel. *in l. ſi unquam V. ſuſceperit. num. 17. C. de revoc. donat p. 1. lib. 5. c. 16. q. 9.* atqui illud *omnis ſacerdos* naturaliter ſignificat omnes ſacerdotes quocunque canonico impedimento detentos, ſive excommunicati ſint, ſive hæretici, quia revera ſunt propriè ſacerdotes, tametſi habeant manus ſacerdotele impeditum.

10 Quæritur tertiò, quinam habeant privilegium ſibi eligendi confeſſarium? Reſpondetur de hoc agi *in cap. ne pro dilatione ult. h. t.* ubi Gregorius IX. reſcribit, quòd Epiſcopi, & ſuperiores, & Prælati minores exempti poſſunt eligere ſibi diſcretum, & providum Confeſſarium præter licentiam ſui ſuperioris. Juvat obſervare, id procedere ſi periculum immineat animarum, & periculoſum ſit adire ſuos Superiores, quia de jure communi nullus Epiſcopus, vel alius Prælatus etiam ſuperior Epiſcopo poteſt ſibi eligere Confeſſarium, quia nemo poteſt abſolvi, vel ligari niſi à ſuo proprio judice, ſeu Prælato habente in illum ordinariam jurisdictionem *cap. omnis 12. h. t.* adeò ut de jure communi Epiſcopus debeat confiteri Archiepiſcopo, & hic Patriarchæ, & iſte Papæ, vel de licentia illius alteri, ut notet Hoſtienſis *in ſum. h. t. num. 19 & ſequent.* Verùm per privilegium Papæ *in d. c. ne pro dilatione ult. h. t.* Epiſcopi etiam non exempti poſſunt ſibi confeſſarium eligere ſine licentia ſui Archiepiſcopi, ut notat Hoſtienſis hic *V. Epiſcopi §. ſed ne quid:* & nomine Epiſcoporum hic intelliguntur Epiſcopi ſive conſecrati ſint, ſive non; immò etiam Epiſcopi titulares, & alii, qui renunciârunt Epiſcopatui, ut notat Barboſa in collect. *in d. c. ne pro dilatione num. 1.* Immo etiam alii Prælati Superiores ut Archi-Epiſcopi, Patriarchæ, Primates poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, quia *in d. c. ne pro dilatione* hæc facultas non ſolùm conceditur Epiſcopis, ſed etiam aliis ſuperioribus, immo etiam Cardinalibus, quia iſtis communicatur privilegium conceſſum Epiſcopis, & Prælatis exemptis. Rurſus nomine Prælatorum minorum hic intelliguntur etiam Prælati Epiſcopo inferiores, qui tamen ut gaudeant privilegio eligendi ſibi confeſſarium, duo requiruntur, Primò, ut præſint aliis cum ſpirituali jurisdictione fori contentioſi, ſeu externi, ut ſunt Abbates, & Præpoſiti. Secundò, ut ſint exempti, ſeu ut ſubjiciantur immediatè Sedi Apoſtolicæ, ut docet Hoſtienſis hic *V. minoribus.*

11 Quin immo etiam alii Prælati inferiores Regulares, & locales exempti, qui non ſubjiciuntur Epiſcopo, poſſunt ſibi Confeſſarium eligere, licèt alios habeant ſuper ſe Superiores, ut Præpoſitum, Generalem, Provincialem, Abbatem, quia cùm conſtitutio *cap. ne pro dilatione ult. h. t.* contineat favorem, & gratiam, privilegium eſt favorabile, proinde ampliandum præſertim, cùm nulli ſit detrimento. Verùm in hoc ſtandum eſt privilegiis, & conſtitutionibus approbatis à Sede Apoſtolica unius cujusque Religionis ſpecialis.

12 Quæritur quartò, an Confeſſarius electus poſſit abſolvere à caſibus ſpecialiter reſervatis Epiſcopo, qui ſuo ſubdito conceſſit facultatem eligendi ſibi Confeſſarium idoneum? Reſpondetur negativè, quia Confeſſarius, quem ſubditus elegit, nullam penitus habet poteſtatem in caſibus, qui eidem Epiſcopo ſunt ſpecialiter reſervati, idque deſumitur, *ex c. ſi Epiſcopus 2. h. t.* ubi Bonifacius VIII. declarat, quòd quando Epiſcopus concedit ſuo ſubdito, ut ſibi poſſit eligere, idoneum Confeſſarium, electus non poſſit abſolvere, à caſibus ſpecialiter reſervatis Epiſcopo: quia in generali conceſſione non comprehenduntur ea, quæ veriſimiliter in ſpecie non eſſet quis conceſſurus, ubi Gloſſa in *c. omnis utriusque ſexus 12. h. t.* addit, contrariam conſuetudinem non valere nec tenere abſolutionem, eo quia ſit ſententia à non ſuo judice. Tum quia hæc conſuetudo eſſet oneroſa eccleſiis, per quam labefactaretur eccleſiaſtica diſciplina, conſequenter nullius cenſenda eſt valoris.

13 Tum quia ſubditus, ut talis non poteſt præſcribere contra obedientiam ſui ſuperioris *c. cum non liceat 12. de præſcript.* quia tunc adeſſet mala fides, vel error, aut ignorantia notiſſimi juris, cùm quo non poteſt præſcribi. Cæterum Epiſcopus cuilibet Diœceſano ſibi ſubdito poteſt concedere licentiam eligendi ſibi Confeſſarium, quem voluerit, qui idoneus ſit, poſſitque abſolvere, vel ligare, ſiq́ue propterea ſacerdos curatus, approbatus tamen ad confeſſiones audiendas à ſuo Ordinario, idque jure novo juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 15.* Rurſus quamvis parochianus non poſſit vi conſuetudinis acquirere poteſtatem eligendi ſibi confeſſarium ſine licentia ſui ſuperioris, nec per conſuetudinem temporis immemorialis, nec præſcribere tale jus; nihilominus poteſt Prælatus, vel alius in dignitate conſtitutus, ut Archidiaconus præſcribere, & per conſuetudinem legitimè præſcriptam acquirere curam animarum in parochianos alterius, ac fieri proprius ſacerdos, & audire eorum confeſſiones, ut notat Sylveſter V. *Confeſſor 1. n. 8. in fin.*

14 Quæritur quintò, an conſtitutus in vitæ diſcrimine poſſit ſibi eligere Confeſſarium excommunicatum, vel hæreticum? Reſpondetur, non poſſe moribundum petere ab hæretico, ſi periculum adſit ſubverſionis, ſacramentum pœnitentiæ, quia intuitu ſalutis æternæ, non poteſt quis ſe exponere periculo peccandi, & deficiendi à fide, quia id non eſſet ſalutem quærere, ſed potiùs flocci facere: quapropter in eo caſu tenetur conſtitutus in mortis articulo quantum poteſt elicere actum contritionis ſi periculum ſubverſionis prudenter, & ex ſolido fundamento judicetur imminere. Præterea nec licitum eſt ab hæretico petere ſacramentum pœnitentiæ, ſi id cenſeatur mo-

ralie

ralis communicatio in hæreſi: quia id nen eſſet quærere remedium ſalutis, ſed potius illius jacturam, quia per talem communicationem communicans peccaret, ac irritaret ſacramentum pœnitentiæ, quapropter ſanctus Hemenegildus in paſchate noluit Euchariſtiam ab Ariano Epiſcopo recipere, quia illa communio fuiſſet communicatio in hæreſi cum eodem Epiſcopo *can. fin. 24. quæſt. 1.* Extra tamen hos caſus cenſent plures conſtitutum in articulo mortis poſſe ſacramentum pœnitentiæ à ſacerdote excommunicato petere, quia cùm eccleſia his ſacerdotibus concedat jorisdictionem pro articulo mortis poteſt moribuodus petere, quod io ſui favorem conceſſum eſt ab eccleſia, & quia jurisdictio abſolvendi in mortis articulo conceſſa eſt cuilibet ſacerdoti ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 7.* ideo poteſt pœnitens ſe conformare intentioni eccleſiæ. Immo poteſt etiam petere ſacramentum pœnitentiæ ab illis ſacerdotibus, qui non ſunt parati illud miniſtrare, ut docent Sylveſter *V. confeſſio 3. n. 2.* Suarez *diſp. 26. de pænit. ſect. 4. n. 5.* Paludanus *in 4. diſt. 20. q. 1. artic. 3.* quia conſtitutus in vitæ diſcrimine habet jus ſtante conceſſione eccleſiæ, quod in ſui favorem conceſſum eſt, ſibique debetur ex charitate, unde cùm utatur proprio jure io ordine ad ſalutem animæ, non facit alteri injoriam: tum quia tunc induceret ſacerdotem ad actionem ex ſe bonam, & quæ tantùm per accidens poſſet eſſe mala, eò quia malè forſan adminiſtraretur.

15 Tum qnia miniſter ſive excomunicatus, ſive hæreticus poſſet tunc elicere actum contritionis; ſeque diſponere ad dignè miniſtrandum: unde ſi peccaret, id eſſet tantùm ei imputandũ, oon ipſi conſtituto in vitæ diſcrimioe, quia periclitans de æterna ſalute tenetur adhibere omnia ea media, quæ poteſt, ot æteroam conſequatur ſalutem: & io mortis articulo urget præceptum divinum coofitendi ſacramentaliter ſoa peccata: unde tenetur hoc præceptum ſervare, adeò ut ſi non adſit niſi ſacerdos excommunicatus, vel hæreticus, teneatur ab illo petere ſacramentum pœnitentiæ, imò id etiam procedit, quamvis moribnndus ſit contritus, quia cùm non poſſit id certò ſcire, adhuc urget præceptum confeſſionis.

Quæritur ſextò, an præſente proprio Pa-
16 rocho, vel ejus delegato poſſit quilibet alius ſacerdos in mortis articulo abſolvere? Reſpondetur, duas eſſe ſententias, quarom prima eſt negativa, qoia licèt Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. de pænit. c. 7.* declaret, quòd omnes ſacerdotes in articolo mortis poſſint abſolvere qnoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & cenſuris, non tamen per hoc Concilium cooſtituit novum jus, ſed tantùm commendat conſuetudinem eccleſiæ, quæ eſt, ut præſente Superiore, ſeu Parocho, oon poſſit inferior ſacerdos abſolvere *c. Aurelius c. fin. 26. q. 6. c. Presbyteri eod tit.* & detumitur *ex Extravag. 1. §. decernimus de ſent. excommun.* ubi declaratur, quòd pœnitentes in certis caſibus poſſint abſolvi in mortis articulo, ſi non poſſunt tunc ad Epiſcopum, vel ſummum Pontificem recurrere, ex quo infertur, quòd ſi poſſint, vel ſint præſentes, debeant ab iiſdem abſolvi. Tum quia in *c. eos qui de ſent. excommun. in 6.* abſolutus ratione imminentis periculi à cenſura reſervata ceſſante impedimento tenetor comparere coram Superiori, qui proinde ſi ſit præſens tenetur ſubditus ab illo petere ſacramentum pœoitentiæ. Tum quia in articulo mortis non poteſt inferior præſente proprio Prælato abſolvere publicum excommunicatum quoad forum externum, proinde neqoe quoad forum internum.

Tum qnia hæc facultas conceſſa cuili- 17
bet ſacerdoti abſolvendi in articulo mortis coocceditur ad conſulendum neceſſitati, ne ſcilicet ratione reſervationis aliquis pereat, ut declarat Conciliom Tridentinum *cit. ſeſſ. 14. c. 7.* unde ceſſante neceſſitate ceſſat etiam conceſſio, quia hæc non conceditur ultra exigentiam cauſæ finalis. Tum quia praxis fidelium ita interpretatur hanc conceſſionem factam omnibus ſacerdotibus. Demum quia ſicut excommuoicatus non poteſt miniſtrare niſi in defectum aliorom ſacerdotum, ita neque ſimplex ſacerdos niſi in defectum proprii. Hæc ſententia eſt communior, & probabilior, cui adhærendum puto, eámque doceot Covarruvias in *c. Alma Mater p. 1. §. 11. n. 8.* Navarrus *c. 26. manual. n. 27.* Sotus in *4 diſt. 18 q. 4. art. 4.* Soarez *diſp 26. de pænit. ſect. 4. num. 4.* Ugolinos *de cenſur. tabul. 1. c. 4. §. 5. n. 2.*

Nihilominus contraria ſententia videtur 18
etiam oiti probabili fundamento, eámque docent Barbola *de poteſt. Epiſc. alleg. 25. n. 79. V. poſſe in his.* Zerola in *praxi pænit. c. 13. q. 4.* Diana *p. 1. tract. 5. de abſolut. ab hæres. reſol 5.* & alii plores quos ipſe citat, & ſequitur *p. 4. tract. Miſcelan. reſol. 161.* Nititur hæc ſententia, quia Concilium Tridentinum *in d. ſeſſ. 14. c. 7. de pænit.* ſive jus oovum conſtituat, ſive tantùm aotiquum declaret, & commendet, certum eſt, Concilium aſſerere quòd omnes ſacerdotes poſſint abſolvere, quoscunque pœnitentes conſtitntos in mortis articulo; nec Concilium ullam adhibet limitationem, aut conditionem, cùm loquatur abſolutè: unde ſive ex jure novo, ſive ex declaratione juris aotiqui, quilibet ſacerdos habet facoltatem delegatam abſolvendi quoscunqoe pœoitentes, ſive præſente proprio parocho, ſive non, quia cùm lex loquatur ſine limitatiooe, & exceptiooe, debet ot talis accipi *l. de pretio ff. de pub. in rem act. l. in fraudem § fin ff. de teſtam. milit. c. ſolita §. fin. de major & obed.* tum quia ubi lex non diſtinguit, nec nos debemus diſtiognere *c. circa de privileg.* Tum quia ſi ſimplex ſacerdos non poſſet abſolvere in præſentia Parochi, vel ejus delegati, non poſſet abſolvere quoslibet pœnitentes; ſed eos duntaxat, qui proprio carent ſacerdote: unde conceſſio facta à Concilio omnibus ſacerdo-

tibus eſſet limitata ad certum genus pœnitentium: hæc autem limitatio non ponitur à Concilio cùm in *d. ſeſſ. 14. c. 7.* dicat expreſsè, omnes ſacerdotes in mortis articulo poſſe abſolvere quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & cenſuris. Tum quia dictio *quoslibet* neminem excipit, quia ob ſuam univerſalitatem omnes comprehendit, ut notat Gloſſa in *l. cum quid. V. quoslibet. ff. ſi cert. petie.* Menochius *conſil. 33. n. 21.* Hinc licèt utraque ſententia nitatur probabili fundamento, prima tamen præferenda eſt, quia communior, & tutior.

19 Quæritur ſeptimò, an confeſſio publica poſſit aliquando obligare conſtitutum in vitæ diſcrimine? Reſpondetur publicam confeſſionem ex præcepto eccleſiæ nunquam obligare, quia eccleſia, dum tradit præceptum ita confitendi, & determinans divinum præceptum tantùm injungit confeſſionem ſecretam, & auricularem, ut habetur in *c. omnis utriusque ſexus 12. h. t.* ibi *teneatur ſolus confiteri ſua peccata proprio ſacerdoti* illa autem vox *ſolus* excludit omnem alium, ut deſumitur ex *c. quæ ſint init. de V. S.* & notat Rota decis *449. n. 9. p. 1.* quinimò Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 5.* ait, confeſſionem publicam non ſatis conſultè aliqua lege præcipiendam eſſe.

20 Verùm difficultas eſt, an quando non poteſt quis ſecretò confiteri, teneatur publicè. Plures reſpondent teneri publicè confiteri; non quidem ex vi præcepti ſacramenti pœnitentiæ; ſed vi præcepti naturalis charitatis, quo quis tenetur procurare propriam ſalutem, quando dubitat de ſufficientia ſuæ contritionis: ita enim docent Layman *lib. 5. tractat. 6. c. n. 5.* Suarez *diſp. 36. de pœnit. ſect. 6.* Molfeſius *p. 1. tractat. 7. c. 11. n. 12.* Alii verò abſolutè negant, adeſſe hanc obligationem publicè confitendi, ita Sotus *in 4. diſt. 18. q. 2. artic. 6.* Cajetanus *V. confeſſio condit. 11.* Victoria in *ſumma tit. de pœnit. num. 137.* Et quidem hanc obligationem non adeſſe ex præcepto divino deſumi poteſt ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 5.* ibi *cæterum quoad modum confitendi ſecretò apud ſolum ſacerdotem, & ſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, tum aliorum exemplum: tum ob eccleſiæ offenſæ ædificationem delicta ſua publicè confiteri poſſit: non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda.* Cùm verba Concilii clara ſint, non indigent ulteriori explicatione. Immò putârim neque ex præcepto naturali charitatis de procuranda propria ſalute teneri fidelem publicè confiteri, tametſi dubitaret de ſufficientia propriæ contritionis, quia tunc ſufficeret, ſi pœnitens confiteretur tantùm unum, vel alterum peccatum ex iis, quæ ſunt minoris infamiæ.

21 Ratio eſt, quia charitas non obligat ad ea, quæ adverſantur charitati: alioquin charitas ſibi ipſi adverſaretur, ſeque deſtrueret; atqui charitas eſſet ſibi contraria, ſi ex naturali præcepto charitatis de procuranda propria ſalute obligaret ad publicam confeſſionem; ſiquidem publica confeſſio præſertim peccatorum, quæ ſunt occulta, generat infamiam, conſequenter pœnitens ea publicè cônfitendo læderet propriam famam, quapropter Concilium Tridentinum *d. ſeſſ. 14. c. 5.* ait *non ſatis conſultè humana lege præciperetur, ut delicta ſecreta publica eſſent confeſſione aperienda*, quia id adverſaretur bonæ opinioni hominum, proinde etiam charitati. Tum quia infamia, quæ poteſt incurri eſt ſufficiens cauſa excuſandi ab obligatione præcepti divini confitendi, quia cùm ſit præceptum poſitivum obligans tantùm morali modo, non cenſetur obligare cùm tam gravi diſpendio incurrendi infamiam: ſiquidem quodlibet peccatum lethale niſi aliàs ſit notum generat infamiam, & maculat graviter honorem; & licèt in aliquibus peccatis id homines fortaſſis minus apprehendant; hoc tamen per accidens ſe habet, & oritur ex corrupto judicio: quia quodlibet peccatum, ſemper conſtituit hominem moraliter malum, Deo inimicum, & exoſum, æternis deputatum pœnis, unde in quavis culpa lethali militat ratio excuſans ab illa confeſſione.

22 Cæterum putârim tam ex naturali præcepto charitatis, quàm ex præcepto divino, conſtitutum in vitæ diſcrimine teneri ſacramentaliter confiteri. Quòd teneatur ex naturali præcepto charitatis, ex eo liquet, quia tenetur quisque hoc præcepto procurare propriam ſalutem, proinde conſtitutus in vitæ diſcrimine, niſi ſit moraliter certus de vera contritione, tenetur ad id, quod in qualibet confeſſione ſecreta præſumitur publicum; nimirum ad aperienda aliqua peccata venialia, & in genere ad ſe accuſandum de omnibus, in quibus Deum quocunque modo offendit; hæc enim cenſentur publica in quavis confeſſione ſecreta: etenim eo ipſo quòd quis confitetur ſacramentaliter præſumitur, quòd ſe accuſet ſaltem de aliquibus peccatis venialibus; alioquin non poſſet confici hoc ſacramentum; unde ſi confiteatur publicè aliqua peccata venialia, & in genere ſe accuſet, quòd Deum offenderit, nil ampliùs publicat, quàm manifeſtaret, ſi ſecretò confiteretur coram multis adſtantibus.

23 Quòd verò modus iſte confitendi ſufficiens ſit ad conficiendum ſacramentum, liquet ex ſupra dictis, quia tunc habetur materia ſufficiens & ex vi præcepti divini non tenetur tunc pœnitens publicè manifeſtare peccata ſua mortalia in ſpecie, proinde tenebitur tali modo confiteri ex præcepto naturali charitatis, quo tenetur adhibere ſufficiens remedium ad aſſecutionem ſalutis, & confeſſio tali pacto inſtituta eſt ſufficiens medium ad obtinendam remiſſionem peccatorum, proinde conſtitutus in vitæ diſcrimine, ſeu mortis articulo tenetur

tut ponere tale medium ex naturali præcepto charitatis, ut poſſit ſalutem conſequi. Quòd verò etiam ex præcepto divino teneatur tale medium ponere ex eo evincitur, quia conſtitutus in mortis articulo tenetur præcepto divino confiteri; conſequenter præceptum divinum obligat eo modo, quo poteſt quis tunc confiteri; proinde pœnitens tenetur tunc ita confiteri, quia talis confeſſio eſt illi poſſibilis citra ullum detrimentum famæ; quo ſtante tantùm poſſet excuſari. Tum quia præceptum confeſſionis obligat in mortis articulo in ordine ad obtinendam remiſſionem peccatorum judiciali modo per poteſtatem clavium; proinde obligat ad illam confeſſionem, quæ eſt medium ſufficiens pro tali remiſſione obtinenda: ſiquidem menſura obligationis præcepti eſt finis ejusdem, adeò ut tantùm præceptum obliget, quantum finis exigit: & imminente mortis periculo ſacramentalis confeſſio eſt neceſſaria, & talis modus confitendi eſt ſufficiens, proinde cadit ſub obligationem.

24 Quæritur octavò, an hæretico negativo damnato ad mortem debeat pœnitentia miniſtrari? Hæreticus negativus dicitur, qui convictus de hæreſi perſiſtit in negatione, & negat ſe in talem hæreſin fuiſſe prolapſum, aut illi adhærere; & quia eccleſia ex actis, & probatis habet certitudinem de ipſius crimine in foro externo, ideo negans delictum & affirmans animum catholicum præſumitur mentiri. Difficultas eſt, an ſtante tali præſumptione poſſit hæretico negativo miniſtrari ſacramentum Pœnitentiæ cenſent nonnulli cum Suarez *diſp. 23. de fide ſect. 2. num.* 5. non poſſe ei miniſtrari Pœnitentiam, quia cùm non ſit reconciliatus eccleſiæ, non eſt admittendus ad participationem ſacramentorum.

25 Tum quia ſi revera fuit hæreticus tenetur tollere ſcandalum, & fateri crimen, & ſi illud non tollit, eſt verè impœnitens; conſequenter non poteſt eidem miniſtrari ſacramentum pœnitentiæ. Verùm putârim adhærendum eſſe contrariæ ſententiæ, quia forum externum diverſo modo procedit, ac forum internum, à quo differt: ſiquidem in foro externo civili, & eccleſiaſtico homines judicant, ut homines, ſeu auctoritate humana: ſecus in foro conſcientiæ judicat homo, non ut homo, ſed ut repræſentans Deum, & auctoritate divina, quâ remittuntur peccata, adeò ut Deus ſit, qui peccata remittit, & ſacerdos miniſterium exercet *cap. verbum Dei de pænit. diſt. 1.* quo fit, ut diverſimodè procedant: ſiquidem forum externum ſequitur præſumptiones, & iis innititur in ferenda ſententia, quæ fertur juxta probata, & allegata *l. fin. C. quod metus cauſa l. ſi extraneus ff. de condit.* forum verò conſcientiæ nititur ex pura veritate *c. filius de teſtam.* & notat Baldus *in l. rogâſti §. ſe tibi num. 5. ff. ſi cert. petit.* hinc forum internum dicitur forum Dei & poli, ac tribunal veritatis, & æquitatis naturalis, ut notat Menoch. *lib. 1. de arbit. q.* 80. *num. 15.* & D. Thomas *1. 2. q. 96. art. 4. in 1. argum.* vocat forum internum judicium divinum: quamobrem præſumptiones non habent locum in foro conſcientiæ, nec leges, quæ fundantur in præſumptione, ut notat Menochius *lib. 1. præſumpt. 80. num. 1.* Mantica *lib. 2. conject. 14. num. 14.* Quinimò cùm in foro conſcientiæ confeſſio ſit voluntaria ſtatut ipſi pœnitenti, & creditur verum, quod ipſe profert, perinde ac ſi eſſet notorium, ut notat Gloſſa *in c. ſignificaſti 2. V. credendum de homicid.* per textum *c. illud de Clerico excommunicato miniſt.*

Hinc reſpondetur ad quæſitum hæretico 26
negativo damnato ad mortem eſſe miniſtrandum ſacramentum pœnitentiæ, ſi aliàs ſit congruè diſpoſitus, quia forum externum præſertim eccleſiaſticum, non debet impedire alienam ſalutem, ſed potiùs eam procurare, quantum poteſt; proinde non poteſt pœnitenti denegare remedia neceſſaria ad ſalutem; quia quisque habet jus ad illa petenda, nec poſſunt illi denegari niſi injuſtè: unde cum forum externum diverſimode procedat à foro conſcientiæ, & contingere poſſit ut damnandus in uno ſit abſolvendus in altero; vel è contra, tenetur eccleſia permittere Reum ſubjici judicio ſacramentali pœnitentiæ, ſi velit, ut in eodem judicetur, ac recipiat remedium ſalutis. Tum quia interdum poteſt contingere, quod non obſtantibus probatis, & allegatis adhuc Reus ſit innocens in foro interno; proinde ex allegatis, & probatis in foro externo non benè deducitur, quod non ſit innocens in foro interno, & non poſſit confiteri, eò quia neget ſuum crimen. Tum quia juxta communiorem ſententiam Reus, qui in judicio negavit delictum, pronunciatâ ſententiâ, & completo judicio non tenetur ampliùs fateri veritatem, ut docent Sayrus *lib. 12. cap. 17. n. 15.* Segura Davalos *in direct. jud. p. 2. c. 14. num. 36.* Diana *p. 2. tract. 1.* Miſcelan. *reſol. 26.* & alii, quos ſequitur Sanchez *lib. 3. in decal. c. 7. num. 11.* & ratio eſt, quia poſt latam ſententiam judicium eſt completum, & judex in tali cauſa ſemel judicata, non eſt ampliùs judex *l. judex §. de re judic.* proinde ceſſat etiam in ipſo jus ad exigendam manifeſtationem veritatis à Reo, ut etiam extinguitur obligatio in Reo ad illam manifeſtandam, quia talis obligatio eſt relativa ad ipſum jus judicis; unde ceſſante jure in judice ceſſat obligatio in Reo. Hinc confeſſarius, ſi velit, poteſt etiam hanc ſententiam ſequi, ut favorabilem pœnitenti; qui ſi diſpoſitus ſit, poteſt eidem ſacramentum pœnitentiæ miniſtrare; tametſi publicè non fateatur crimen hæreſis, ne apud alios infamiam incurrat.

Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ re- 27
ſpondetur non reconciliatos eccleſiæ non eſſe admittendos ad participationem ſacramentorum ſi ſint extra articulum mortis, quia tunc tenentur priùs reconciliari eccleſiæ; ſecus imminente mortis periculo admittendi ſunt ad

ſacramentum pœnitentiæ, quia tunc reconciliatur eccleſiæ in foro interno, licèt eidem non reconcilientur in foro externo ob timorem incurrendæ infamiæ; reconciliatio autem interna poteſt fieri à quolibet ſacerdote, dummodo reperiat pœnitentem diſpoſitum.

28 Quæritur nonò, an judex teneatur concedere tempus damnato ad mortem, imò & illud prolongare, ſi intra debitum noluit ſacramentum pœnitentiæ ſuſcipere? Reſpondetur, judicem teneri concedere tempus damnatis ad mortem ſuſcipiendi ſacramentum pœnitentiæ, idque deſumi *ex clement. c. cùm ſecundum t. h. t.* ubi Pontifex declarat, damnatis admortem non eſſe denegandam pœnitentiam, ſi petant, & injungit locorum Ordinariis, ut judices moneant ad concedendum tempus, quo Rei poſſint commodè confiteri, & ut ad id etiam cenſuris eccleſiaſticis officiales compellant, ubi Pontifex ſupponit adeſſe obligationem permittendi, ut damnati ad mortem poſſint recipere ſacramentum pœnitentiæ. Ratio etiam id vel maximè ſuadet, quia tunc urget præceptum divinum ſuſcipiendi hoc ſacramentum, proinde non poſſunt judices, nec officiales impedire executionem hujus præcepti. Præſertim quia agitur de ſalute ſpirituali proximi, quam non poſſunt impedire: quin immo cùm damnatos ad mortem ſit in graviſſima neceſſitate ſpirituali, tenentur judices & officiales eum juvare, non ſolùm ratione charitatis, ſed etiam officii: ſiquidem Reus damnatus eſt poteſtate judicis, & officialium; proinde ad ipſos pertinet procurare neceſſaria ad ſalutem ſpiritualem.

29 Quinimò ſi Reus intra tempus, quod ſolet à judice concedi damnatis ad mortem, nolit ſuſcipere ſacramentum pœnitentiæ, adhuc tenetur concedere aliquam dilationem; quia Reus tunc eſt in graviſſima neceſſitate ſpirituali, & elicere verum actum contritionis eſt eidem moraliter impoſſibile: ſiquidem eo ipſo, quòd nolit confiteri ſua peccata, nec recipere ſacramentum pœnitentiæ, non præſumitur diſpoſitus ad pœnitentiam, adeò ut non poſſit ſperari, quòd conteratur; proinde tenatur judex ex charitate eidem extremè indigenti opitulari, & concedere longius tempus ad experiendum, ſi fortè reſipiſcat: non tamen ad id tenetur ex juſtitia, niſi fortaſſis reſipiſcens petat confiteri ſacramentaliter, quia tunc etiam ex officio teneretur ei ſuccurrere, quia ex juſtitia tenetur procurare, quæ ſpectant ad ejus ſalutem ſpiritualem.

30 Cæterum ſi poſt conceſſam congruentem dilationem ultra tempus conſuetum, adhuc damnatus ad mortem nollet recipere ſacramentum pœnitentiæ, non teneretur tunc judex eum à morte liberare; ſed poſſet ſententiam exequi, ut docet Sotus *lib. 5. de juſtit & jur. q. 1. art. 2.* Reginaldus *lib. 29. praxis fori pœnit. num. 71.* ſiquidem judex tunc fecit, quantum in ſe eſt, ut damnatos ad mortem ſacramentaliter confiteretur, ac propriæ conſuleret ſaluti; unde ſi velit mori impœnitens, id non eſt culpæ vertendum judici, non enim is tenetur damnatum ad mortem liberare, eò quia nolit ſacramentaliter confiteri: alioquin vix repetiretur Reus damnatus ad mortem, qui vellet confiteri; omnes enim mallent potiùs liberari à morte, quod ſanè in maximum cederet Reipublicæ præjudicium.

31 Quæritur decimo, an pueris ante, & poſt ſeptennium poſſit miniſtrari ſacramentum pœnitentiæ, ſi dubitetur, an habeant uſum rationis? Certum eſt, ſolere aliquando uſum rationis accelerari in pueris, adeò ut ante ſeptennium ad ipſum perveniant præſertim ſi educatione, & diſciplina juventur; experientiâ enim deprehenditur, pueros interdum ante ſeptennium pollere uſu rationis, & D. Gregorius *lib. 4. dialog. c. 18.* refert, puerum quinquennem eò, quòd blaſphemus eſſe ſubreptum à dæmone fuiſſe è manibus paretum, quod Deus non permiſiſſet; niſi puer ille quinquennis in blaſphemiis illis peccâſſet, ſeu niſi habuiſſet tale judicium, quod ſufficeret ad voluntatem peccandi, ſiquidem ſine voluntate libera nemo peccat.

32 Reſpondetur igitur, quòd ſi conſtet puerum nondum ſeptennem uſu pollere rationis, eſſe illi miniſtrandum ſacramentum pœnitentiæ, ut docent Layman *lib. 5. theol. moral. tract. 6. cap. 5. num. 7.* Palaus *p. 4. op. moral. tract. 23. diſp. unic. punct. 20. §. 7. n. 4.* Ledeſma *2. p. 4. q. 5. art. 5. dub. 9. diſt. 2.* ſiquidem eo ipſo, quòd puer ſive ante, ſive poſt ſeptennium utitur ratione, eſt capax peccati, proinde etiam pœnitentiæ, quæ peccatum conſequitur, proinde eſt ipſi miniſtrandum ſacramentum pœnitentiæ, quia hoc fuit inſtitutum pro remedio peccati commiſſi poſt baptiſmum, & ut eſſet ſecunda tabula poſt naufragium juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 2. can. 2.* alioquin puer ille nondum ſeptennis ſtante uſu rationis periculo exponeretur æternæ damnationis, ſi in aliquod fuiſſet peccatum lethale lapſus. Immò id etiam procedit, ſi puer tantùm confiteatur peccata venialia; quia hæc ſunt etiam ſufficiens materia pro ſacramento. Sin autem non plenè conſtet, ſed confeſſarius dubitet, an puer utatur ratione, tunc putârim confeſſarium teneri eum abſolvere ſub conditione, tametſi probabilius cenſeret puerum uti ratione, quia adhuc eſſet incertum, an ſciret concipere verum dolorem de peccatis, verùmque propoſitum de cætero non peccandi: quia cùm uſus rationis non ſit perfectus, licèt diſcernat inter bonum, & malum, non tamen facilè ei eſt percipere quid ſit Deum offendiſſe, quidque habere verum dolorem de patratis peccatis, & qualis diſpoſitio requiratur, ut ſacramentum pœnitentiæ validum ſit, & quamvis ob præcedentem inſtructionem reſpondeat ad interrogata, adhuc poteſt contingere, ut non percipiat ea, quæ profert; quamobrem ad evitandam ex hoc capite invaliditatem ſacramenti, conſultius

tius

tius eſt, talem puerum ſob conditione abſolvere; ſi capax ſit, habeátque omnia requiſita, quia tunc providetur ſaluti pueri conſtituti in periculo vitæ, evitatur periculum irritandi ſacramentum pœnitentiæ : cùm enim agatur de ſalute ſpirituali pueri, debet eius ſalus, qoantum fieri poteſt, in tuto poni, & etiam declinari periculum irritandi ſacramentum.

33 Hinc etiam nullo imminente vitæ diſcrimine poteſt ſub conditione pueris ante ſeptennium miniſtrari ſacramentum pœnitentiæ, ſi affulgeat aliqua probabilitas, quòd utantur ratione, ut docet Layman *lib. 5. theol. moral. tract. 6. c. 5. num. 7.* quia tunc pueri ob hanc probabilitatem ſont probabiliter capaces ſacramenti pœnitentiæ, proinde habent probabile jus ad ipſum : proinde non eſt ipſis denegandum id, ad quod habent jus probabile: unde non debet ipſis denegari hoc ſacramentum pœnitentiæ, cùm id non cedat in detrimentum illius, & per appoſitam conditionem declinetur periculum irritandi ſacramentum. Poſt verò ſeptennium communior ſententia eſt, pueros eſſe capaces abſolutionis ſacramentalis, præſertim in articulo mortis, ut docent D. Thomas *in 4. diſt. 27. q. 2. art. 2.* Layman *lib. 5. theol. moral. tract. 6. c. 5. num. 7.* Suarez *diſp. 36. de ſacrament ſect. 2 num. 6.* Sotus *diſt. 18. q. 1. art. 3.* qoia in illa ætate præſumitur uſus rationis, & regulariter ſolet adeſſe, proinde pueri ſeptennes cenſentur capaces ſacramenti pœnitentiæ niſi conſtet de oppoſito : ſiquidem non poteſt præſumptio capacitatis eludi niſi probetur contrarium.

34 Verùm contra hanc rationem videtur adeſſe aliqua difficultas, quia licèt ætas ſeptennii completi præſumatur capax doli, proinde etiam peccati; non tamen inde ſequitur, puerum ſeptennem eſſe ſemper capacem ſacramenti pœnitentiæ; quia ad hoc ſacramentum non ſolùm requiritur capacitas peccandi; verùm etiam capacitas diſpoſitionis debitæ, quæ cùm ſit difficilior, perfectiorem exigit cognitionem, quàm requiratur ad peccatum, ut enim quis peccet, ſatis eſt, ſi diſtinguat inter turpe, & honeſtum; ut autem congruenter diſponatur ad hoc ſacramentum, requiritur dolor de peccatis, qoi ſit ſaltem vera attritio, & propoſitum impoſterum non peccandi; ad hanc autem diſpoſitionem perfectior requiritur cognitio, quàm ad peccatum, unde Confeſſarius debet cautè, & prudenter procedere, ne ſacramentum irritet; unde ſi ipſi non conſtet, puerum eſſe ſufficienter diſpoſitum, non debet abſolutè eidem miniſtrare ſacramentum pœnitentiæ, ſed tantùm ſub conditione, tametſi puer ſit ſeptennis, quia hoc pacto occurritur neceſſitati ſpirituali pueri, ſimúlque reverentiæ debitæ ſacramento.

35 Quæritur undecimò, an dari poſſit caſus, ut ſacramentum pœnitentiæ miniſtretur ei, qui tantùm in genere peccata ſua confitetur? Reſpondetur, abſolutionem ſacramentalem nunquam impertiendam eſſe ei, qui tantùm in genere ſua confitetur peccata, dicens ſe peccâſſe : ſed neceſſe ſit explicare peccatum aliquod in ſpecie, ut docent Sotus *in 4. diſt. 18 q. 2. art. 5.* Ledeſma *2. p. 4. q. 9. art. 5. dub. 2.* Alvarez *1. 2. diſp. 80.* ratio eſt, quia in ſacramentali confeſſione Confeſſarius exercet officium judicis, & abſolvendo ſententiam profert abſolutionis : judex autem ex vi officii tenetur procedere cum cognitione cauſæ, & inquirere, quæ debent manifeſtari in ordinn ad ferendum rectum judicium, quo fit, ut Confeſſarius non poſſit impertiri abſolutionẽ ei, qui cùm poſſit in ſpecie ſua confiteri peccata, tantùm confitetur in genere; hinc Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 5. de pœnit.* ex ratione judicis infert neceſſitatem tanqoam de jure divino manifeſtandi omnia ſingula peccata in ſpecie. Tum quia ex eo qoòd pœnitens præciſè dicat, quòd peccaverit, nullam inde ſacerdos notitiam acquirit, quam antea non habuerit, cùm ſciat, omnes homines eſſe peccatores. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt 1. Joan. 1.*

Tum quia ad impertiendam abſolutio- 36
nem ſacramentalem, requiritur aliquid determinatum ſupra quod directè cadat, & qoòd per ipſam remittatur : & per confeſſionem in genere, nil proponitur particulare, circa quod verſetur abſolutio; hæc enim debet verſari circa ea, quæ homo commiſit, proinde circa ſingularia. Tum quia per talem confeſſionem in genere nil poſſet per abſolutionem remitti, quia peccatum in genere non eſt remiſſibile, & peccatum in ſpecie non remittitur, niſi ſubjiciatur clavibus eccleſiæ, ſeu aperiatur in confeſſione.

Cæterum ſi mortis periculum imminet, 37
& non poſſit pœnitens confiteri in ſpecie; tunc ſufficit, ſi concepto vero dolore confiteatur in genere, ut docent Suarez *diſp. 23 ſect. 1. num. 5.* D. Antoninus *3. p. tit. 10. c. 2.* & deſumitur ex D. Thoma *in 4. diſt. 21 q 2. art. 1. ad 1.* quia tunc concurrunt omnia requiſita eſſentialiter ad ſacramentum ritè conficiendum, quia ex parte materiæ requiritur dolor extrinſecè manifeſtatus, ut materia proxima, & peccatum tanquam materia remota; & in hoc pœnitente intervenit dolor extrinſecè manifeſtatus, & externa confeſſio, quia dicens ſe peccâſſe, & ex corde ipſum pœnitere peccatorum, jam confitetur ſoum peccatum in genere, tametſi pœnitens in mortis articulo tantùm nutu ſignet ſe peccâſſe, & ipſum pœnitere peccatorum. Tum qoia confeſſio peccati in genere poteſt eſſe materia partialis ſacramenti pœnitentiæ, ut ſi pœnitens recordetur, ſe mortaliter peccâſſe, & non occurrat tunc memoriæ, in qua ſpecie, ut docent D. Thomas *in 4. diſt. 21. q. 2. art. 1.* Suarez *diſp. 23. de pænit. ſect. 1. num. 8.* quia tunc pœnitens habet conſcientiam peccati mortalis, quod propterea tenetur ſubjicere clavibus eccleſiæ; & quia non

 poteſt

poteſt illud ſubjicere in ſpecie, eò quia illius non recordetur; debet illud ſubjicere in genere: ſed quod poteſt eſſe materia partialis in ſacramento pœnitentiæ, poteſt etiam eſſe materia totalis, quando non adeſt alia, vel non poteſt haberi; hinc ſi quis tantùm conſcientiam haberet peccati mortalis in genere, adhuc teneretur illud ſubjicere clavibus, ac ſacramentaliter confiteri, ut abſolvatur.

38 Demum ſi conſtitutus in articulo mortis non poſſit loqui, & ſolis nutibus petat abſolvi; adhuc ſacerdos tenetur illi impertiri abſolutionem, ſi det ſufficientia ſigna doloris, vel illa antea dederit, quia tunc impendi poteſt abſolutio pœnitenti, quando exhibet ſufficientem materiam, ſupra quam cadat abſolutio, qui verò non poteſt loqui, & dat ſufficientia ſigna doloris, exhibet ſufficientem materiam, quia hæc ſunt peccata, & dolor de ipſis; ita tamen ut ſenſibiliter manifeſtentur ſacerdoti, eo modo quo poſſunt manifeſtari: illa autem ſigna doloris manifeſtant internum dolorem, & etiam peccata eo modo, quo poſſunt manifeſtari; ſiquidem dolor de peccatis manifeſtatus accuſat ipſa peccata, proinde poteſt ſacerdos huic impertiri abſolutionem ſacramentalem. Tum quia ſigna doloris exhibent tunc totum, quod eſt neceſſarium ad ſubſtantiam judicii; etenim ad judicium ſufficiunt judex, Reus, accuſator, delictum, & tunc hæc omnia interveniunt, quia ipſe pœnitens ex eo, quòd exhibeat ſigna doloris, eſt accuſator ſui delicti, cujus ipſum pœnitet: ſacerdos eſt judex, qui profert ſententiam abſolvendo Reum pœnitentem: cùm igitur ſacramentum pœnitentiæ ſe habeat per modum judicii, poterit validè confici, quoties moribundus, qui non poteſt loqui talia exhibet ſigna doloris, quæ ſufficiant ad ſubſtantiam judicii.

39 Quòd ſi dubitetur, an hæc ſigna doloris oriantur à vero dolore de peccatis; vel potiùs ex anguſtia mortis, vel oppaſſione corporis, aut acerbitate dolorum, tunc putârim eſſe impertiendam pœnitenti abſolutionem ſub conditione, non verò abſolutè; quia tunc talia ſigna ſunt ſaltem materia dubia pro ſacramento pœnitentiæ, quia cùm ſit dubium; an proveniant ex concepto dolore de peccatis, vel ex acerbitate dolorum; ideo pro utraque parte habetur motivum dubitandi, quò ſit ut illa ſigna doloris ſint materia probabilis: atqui quando urget neceſſitas licitum eſt, miniſtrare ſacramentum neceſſitatis, ut eſt illud pœnitentiæ, & quia materia eſt dubia, ideo miniſtrari debet ſub conditione; ſi adſint omnia requiſita, quia tunc conſulitur ſaluti proximi, & declinatur periculum irritandi ſacramentum.

Quæritur duodecimò, an poſſit quis abſolvi ſub conditione, quando abſolvitur ex opinione probabili? Reſpondetur communem ſententiam eſſe, quod abſolutio debeat tunc impertiri ſub conditione, quia cùm adſit tantùm opinio probabilis adhuc remanet dubium, an poſſit confici ſacramentum, ideóque ad evitandam irreverentiam, adhibenda eſt conditio. Verùm exactiùs proceditur cum diſtinctione, quia vel ſermo eſt de probabilibus juris, vel de probabilibus facti; ſi dicatur primum, eò quia controvertatur inter Doctores, an ſtante tali confeſſione, ſeu ſignis pœnitentiæ poſſit pœnitens abſolvi; adeò ut utraque pars ſit probabilis, tunc cenſent plures, poſſe impendi abſolutionem abſque ulla conditione, quia tunc non adeſt periculum irritandi ſacramentum, quia operans ſecundùm opinionem probabilem, dummodo opinio ſit verè probabilis operatur ſecundùm regulas rectæ rationis; proinde ſecundùm rectam rationem: & qui ita operatur eſt certus, quòd non peccet, quia peccatum conſiſtit in deordinatione operationis à præſcriptione rectæ rationis. Neque ex eo, quòd opinio illa probabilis in ſe vera non eſſet, irritaretur ſacramentum, neque abſolvens peccaret. Nam licèt illa opinio non eſſet in ſe vera; adhuc nullitas ſacramenti ſe haberet tantùm materialiter, quæ non imputaretur Confeſſario abſolventi, ſicut eidem non imputatur ad peccatum; ſi operetur ſecundùm opinionem verè probabilem, proinde nulla tunc interveniret irreverentia erga ſacramentum; quia irreverentia tantùm habetur, quando irritatio ſacramenti poteſt imputari, quia irreverentia fundatur in cognitione dictante aliquid, à quo irreverentia oritur, non eſſe faciendum; proinde cum opinione verè probabili probabilitate juris poteſt Confeſſarius abſolutè impendere abſolutionem. Vel ſermo eſt de probabilibus facti, adeò ut ſit tantùm probabile pro conficiendo ſacramento ea intervenire, quæ probabiliter cenſentur ſufficientia, & tunc abſolutio impendenda eſt ſub conditione, quia tunc probabilitas cadit ſupra exiſtentiam partis eſſentialis ſacramenti, quam propterea conſtituit dubiam, quia cùm propoſita parte adhuc adſit probabilitas; remanet dubia eius exiſtentia: quia ex una ratione judicatur adeſſe, & ex alia non adeſſe, proinde tollitur certitudo exiſtentiæ: unde cùm non habeatur certitudo de parte eſſentiali ſacramenti, ſeu materia non poteſt abſolutè impertiri abſolutio, ſed tantùm conditionatè. 40

TITU-

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis.

EGit Pontifex in præcedentibus titulis de pœnis, quæ in foro tam contentioſo, quàm ſpirituali ſeu pœnitentiali infligi ſolent, nunc ſubjicit aliquid de quadam ſpeciali pœna, quâ ii coërcentur, qui contra prædictas pœnas refractarii exiſtunt, ſeu de excommunicatione, quia quos eccleſiæ miſericordia ad meliorem frugem non perduxit, eiusdem piè ſævientis diſciplina ad emendationem compellit. Quia verò excommunicatio eſt pœna delicti, ſi feratur à jure, & pœna contumaciæ ſi ab homine, ideo ſubjicitur hic titulus, qui in antiquis, ut notat Panormitanus inſcribitur tantùm de ſententia excommunicationis, eò quia excommunicatio ſit præcipua ſpecies cenſurarum, quæ ab eccleſia ſolent infligi contumacibus. Inſcribitur autem hic titulus de ſententia excommunicationis, non quòd excommunicatio ſit propriè ſententia: ſiquidem non eſt ſententia definitiva, quia cauſam non definit, ſed petenti abſolutionem nunquam denegatur audientia *cap. ex parte de V. S.* neque eſt ſententia interlocutoria, quia hæc profertur à judice inter principium, & finem cauſæ, ut dicitur *in Clement. de ſequeſt. poſſeſſ.* excommunicatio verò perſæpè fit etiam extra judicium *c. dilecto 6. h. t. in 6.* Sed inſcribitur titulus iſte de ſententia excommunicationis, quia excommunicatio perſæpe per ſententiam contra contumaces profertur, & exercetur: & quia excommunicatio eſt ſpecies cenſuræ eccleſiaſticæ; ideo ſolent Canoniſtæ in hoc titulo aliquid præmittere de cenſuris in genere.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *SUPER EO. 1. h. t. Alexander III. reſcribit, quòd ſi unus Clericus, vel aliquis alius impubes alium Clericum percutit, poſſit abſolvi ab Epiſcopo, & non ſit mittendus ad ſedem Apoſtolicam. Ut etiam ſi contingat, Clericos ſe ad invicem ex levitate percutere, non ex odio, vel invidia, aut indignatione, licèt ſint in plena atato, declarat Pontifex non eſſe excommunicatos; ut nec magiſtrum ſi intuitu diſciplina, vel correctionis ſcholarem percutit: quia tunc non verificatur violenta injectio manuum: ſin verò ex odio id contingat, jubet Pontifex eſſe percuſſores mittendos Romam. Ex hoc textu liquet, ætatem impuberum excuſare non à toto, ſed à quanto; quatenus incurrunt quidem excommunicationem, ſed non debent Romam ire.* c. quamvis c. ult. h. t. *Rurſus colligitur, magiſtrum poſſe diſcipulum intuitu diſciplinæ, & correctionis percutere, quamvis ſit Clericus.*

C. *MONACHI 2. h. t. idem Pont. reſcribit, Monachos & Canonicos Regulares, quocunq; modo ſe in clauſtr[ ] percuſſerint, non eſſe mittendos Romam; ſed eſſe abſolvendos à ſuo Abbate, & deficiente diſcretione Abbatis eſſe corripiendos à Diœceſano. Nota cum Gloſſa, id procedere, dummodo non enormiter injecerint manus violentas in Abbatem, vel Epiſcopum, vel Clericum ſæcularem* c. cum illorum h. t. *ſin verò Monachus percuſſerit Monachum alterius Monaſterii, abſolvi debet per Abbatem utriusque Monaſterii* c. cum illorum c. canonica h. t. *ſin autem Monialis Monialem percuſſerit, vel converſam, aut converſum, vel Clericum tunc abſolvit Epiſcopus* c. de Monialibus h. t.

C. *SI VERO ALICUJUS 3. h. t. Idem Pont. reſcribit, quòd ſi oſtiarius prætextu ſuo officii malignatus non graviter clericum percutiat debeat abſolvi ab Epiſcopo. Rurſus officialis qui deliberatè manum injicit in clericum, non abſolvitur ab Epiſcopo, ſed à Papa niſi fortè coërcendo turbam irruentem non ex deliberatione, ſed caſu fortuito clericum lædat. Rurſus nec qui incontinenti vim vi repellendo clericum lædit eſt mittendus Romam, eò quia non incurrit excommunicationem ex defectu deliberationis, & ratione na-*

tura-

turalis defenſionis. Rurſus declarat Pontifex quòd ſi vir clericum cum ſua uxore turpiter inventum, vel cum matre, ſorore, aut filia interficit non incurrat excomunicationem nec ſit Romam mittendus: ſecus ſi inveniat clericum cum alia conſanguinea non ita proxima, & manus violentas in eum injiciat incurrit excommunicationem. Ubi notat Gloſſa, percuſſionem gravem ſemper excipi & laicum, qui de mandato Epiſcopi ſui injicit manum in clericum, eſſe excommunicatum; niſi clericus deliquerit, nec aliter capi poſſit. c. ut famæ c. univerſitatis h.t. *tametſi vim vi repellat.* c. ex tenore h.t. *Præterea quod in textu dicitur de uxore id intelligendum eſt de ſponſa de præſenti: imò licèt revera non ſit uxor, dummodo putetur ut uxor. Cæterum nomen matris non extenditur ad aſcendentes, vel deſcendentes.*

C. *SI VERO ALIQUIS 4. h.t. declarat idem Pont. quòd ſi quis ignorans probabiliter aliquem eſſe clericum, ut quia barbam nutriebat, eum percutit, non eſt excommunicatus: & ſi dubium ſit an ignoraverit, eum eſſe clericum debeat jurare ſe ignoràſſe, quòd ſi jurare recuſet, declarat Pontifex eſſe excommunicatum & eſſe habendum pro tali donec abſolvatur à Papa. Ubi notat Gloſſa, quòd ſi ignorantia non ſit probabilis non excuſat* c. Apoſtolicæ de Cleric. excommun. *quinimò ſi tonſuram vidit, quamvis non crediderit eſſe clericum, incidit in excommunicationem ſi erat clericus: quinimo ſi non erat clericus adhuc debet abſtinere donec certificetur. Cæterum qui putabat laicum percutere, & percuſſit clericum per hunc textum non videtur excommunicatus; verùm communior ſententia aſſerit eſſe excommunicatum, quia revera injecit manus violentas in clericum; debuiſſet enim ipſe majorem adhibere diligentiam, ut cognoſcèret, an percutiendus ſit clericus, vel laicus & in dubio præſumptio ſtat contra ipſum*

C. *NON DUBIUM 5. h.t. declarat idem Pont. injicientem violentas manus in clericos vel canonicos, vel cujuſvis Religionis converſos ex conſtitutione Concilii incurrere excommunicationem, à qua nonniſi in articulo mortis poſſit ab alio abſolvi ſine Romano Pontifice adeò ut extra mortis articulum non poſſit abſolvi niſi à ſolo Papa. Notandum eſt etiam converſos religionis gaudere privilegio canonis,* ſi quis ſuadente Diabolo *hac enim excommunicatio fertur contra omnes, qui clericos percutiunt, vel Monachos, & ſunt capaces cenſuræ, quamvis ſint fœminæ. Nomine Clericorum comprehenduntur etiam illi qui habent ſolam primam tonſuram* c. cum contingat de ætat & qual. ordin. *tametſi ſint conjugati* c. unic. de cler. conjug. in 6 *Non tamen omnes clerici gaudent privilegio hujus canonis. Primò non gaudent clerici conjugati ſi non geſtent habitum clericalem, nec degradati realiter* c. 1. de pœnis in 6. *benè tamen verbaliter tantùm degradati aut depoſiti, vel ſuſpenſi aut excommunicati, vel irregulares niſi in jure id expreſſum ſit. Nec gaudent privilegio hujus canonis, qui deſerto habitu clericali dedunt ſe enormitatibus* c. cum non ab homine de jud. *quibus etiam accenſentur clerici incorrigibiles. Neque gaudent hoc privilegio qui relicto habitu clericali arma militaria geſtant, & in ſæculari luxu ſcandaloſam ducunt vitam, & admoniti non reſipiſcunt* c. in audientia h.t. *ne qui ſe Joculatores, aut Hiſtriones faciunt, aut Macellarios, vel Laniones agunt* c. unic. de vic. & honeſt. cleric. *quia iſti poſt trinam admonitionem amittunt privilegium clericale. Rurſus nomine Monachorum, de quibus ſit mentio in textu intelliguntur omnes Regulares argum.* c. cum illorum *& tam mares, quàm fœminæ: imò etiam converſi tametſi propriè Religioſi non ſint* c. præſenti, c. ex tenore, c. de Monialibus h.t. *immò etiam Novitii qui tantùm ſunt in via ad Religionem* c. Religioſo §. quamvis h. t. in 6. *quia favores ampliantur, & Novitii initiativè ſunt Religioſi. Quòd verò* ſuadente Diabolo *clericus dicatur percuti id intelligitur intentione mala, quam hoſtis ille ſuggerit odii, vindictæ, vel contemptus, dummodò contineat peccatum mortale: quia veniale, non ſufficit ad incurrendam excommunicationem, ut ſi quis Clericum percutiat ex ſubita ira, vel joco, vel levitate, ut etiam ſi percutio fiat ſtudio moderatæ correptionis, vel neceſſariæ defenſionis, vel ex caſu fortuito inculpabili: hæc enim non poſſunt cenſeri facta ſuadente diabolo. Rurſus per manus violentas injectas in clericum ſignificatur actio injurioſa corporalis contra perſonam clerici, vel res eidem adhærentes, ut ſi quis ex contemptu vel odio veſtes clerici violenter eriperet, & laceraret, vel aqua, pulvere, vel lapillis ex contemptu, vel ira clericum conſpergeret, vel ad lapſum impelleret: quamvis tunc eum non occideret, nec mutilaret, nec verberaret adhuc diceretur manus violentas injicere in clericum, & incurreret excommunicationem. Quamobrem non requiritur ſemper immediatè manuum uſus, ut quis dicatur manus violentas injicere in clericum, & incurrere excommunicationem: ſiquidem poteſt etiam cubito, pede ſputo, aliiſque modis fama violari. Præterea gravitas læſionis non ſolum æſtimanda eſt, ex læſione corporis, ſed etiam honoris ſi contumelioſa ſit perſona eccleſiaſtica. Cæterum ad incurrendam hanc excommunicationem non ſufficit ſolum metum incutere, ſed requiritur aliqua actio violenta: unde ſi quis ſolis minis clerico metum incutiat, vel domo ejiciat non incurrit hanc excommunicationem, quam tamen incurrunt non ſolùm percutientes ſed etiam mandantes, & conſulentes, non impedientes, ſi ad ipſos pertinet impedire, & demum etiam omnes quovis modo incitantes. Secus qui conſi-*

conſilium datum efficaciter retractat: & impedit, ne effectus ſequatur, hanc non incurrit cenſuram immò nec irregularitatem, ut Innocentius notat in c. ad audientiam de homicid. *Cæterum hæc cenſura eſt lata ſententia id enim verba canonis declarant, & colligitur etiam* ex c. cum ab homine h. t. *ubi Clerici percuſſores dicuntur in edictum excommunicationis incidiſſe pro injectione manuum in clericum, ut opus non habeat injiciente, & hæc cenſura eſt etiam reſervata Pontifici, à qua alius nonniſi in mortis articulo, ubi omnis reſervatio ceſſat, abſolvere poteſt.*

C. *MULIERES 6. h. t. reſcribit idem Pontif. quòd mulieres, & aliæ perſonæ, quæ non ſunt ſui juris, ſi manus violentas injiciat in clericum debeant abſolvi à Diœceſano: perſonæ verò quæ ſunt eminente dignitate inſignita, vel clarioribus honoribus affectæ, vel ita delicata, ut non poſſint laborem itineris ſubire, nec Romam proficiſci, debeat id nunciari priùs Papæ, & poſtea corrigi de delicto juxta ejus conſilium. Rurſus declarat Pontifex eum eſſe excommunicatum, & mittendum Romam, qui mandat clericum percuti, vel ejus authoritate percutitur, quia tunc verè committit delictum. Nota, eos in textu dici non eſſe ſui juris, qui ſub patria ſunt poteſtate, vel tutoris, aut curatoris: ut etiam ſervi, qui ſunt ſub poteſtate Heri. Regulares itidem ſi in clauſtro ſe mutuò percutiant* c. Monachi h. t. *ſin verò ſe percutiant extra clauſtrum, mittendi ſunt Romam; quia nulla de his ſit exceptio. Cæterum notat Gloſſa, filios familias, qui ſunt ſub patria poteſtate, niſi ſint impuberes, eſſe mittendos Romam.* c. quamvis c. ult. h. t. *Rurſus Epiſcopum debere arbitrari, an poſſit quis ſubire Romani itineris labores, & ſi non poſſit, ſitque periculum in mora, poſſe ipſum abſolvere, acceptâ tamen cautione, quòd ſtabit mandato Papæ* c. de cætero h. t. *ſin verò non ſit periculum, teneri priùs Papam conſulere.*

C. *PORRO 7. h. t. reſcribit idem Pont. ut qui Clericum percutit, & non convincitur, quamvis ſit ſecretus, debeat nihilominus ſatisfacere parti ac Romam proficiſci, quia non poteſt Epiſcopus eum abſolvere. Ibi notat Gloſſa, non eſſe abſolvendum, niſi priùs ſatisfecerit læſo: neque ſufficere privatam veniæ petitionem.*

C. *NULLI 8. h. t. declarat idem Pont. neminem poſſe ſe privilegio Apoſtolico tueri, quo minus debeat excommunicatos vitare. Quòd ſi ipſe percutiat eſt etiam excommunicatus, & vitandus. Ratio ex eo deduci poteſt quia eſt juri divino conveniens, ut qui non obediunt eccleſiæ ſint nobis quaſi Ethnici, & publicani, merentes ut ab eccleſia præſcindantur; ſitque nobis eorum converſatio abominationi. Verùm poſt Concilium Conſtantienſe ſub Martino V. per extravag. cui initium eſt* ad evitanda *nullus alius excommunicatus hodie vitandus eſt, niſi ille, qui nominatim fuerit excommunicatus, & à Judice publicatus, vel denunciatus, quia excreſcentibus hæreſibus per Germaniam præſertim Wicleſi, & Johannis Hus communicatio cum hæreticis videbatur inevitabilis ob illorum multitudinem, cum quibus erat communicandum in politicis, & civilibus, hacque neceſſitas legem extorſit, quâ nonniſi nominatim excommunicatos, & à Judice publicatos teneremur hodie evitare, ut nimirum vitarentur ſcandala, & pericula animarum, quibus conſultum non fuiſſet, ſi omnes hæretici manifeſti per Bullam cœnæ & alia jura notoriè excommunicati vitandi eſſent. Cæterum licèt alios excommunicatos non teneamur vitare ex præcepto eccleſiæ, ſi nominatim non ſint excommunicati; tenemur tamen ex charitate, ne demus illis occaſionem peccandi; ſi nimirum petamus ab ipſis ſacramenta, quæ ſcimus non poſſe licitè adminiſtrare, eò quia eccleſia ſolis Catholicis hanc gratiam miniſtrandi ſacramenta indulſerit. Sunt tamen qui probabiliter cenſent, ab excommunicatis toleratis poſſe licitè peti & recipi ſacramenta, quia eccleſia abſolutè concedit facultatem communicandi cum illis; quæ facultas fruſtranea videretur immò potius nociva ſi excommunicati, & tolerati non poſſent viciſſim ſine peccato nobiſcum communicare.*

C. *PAROCHIANOS 9. h. t. declarat idem Pontifex excommunicatum, & vitandum ac propterea denunciandum eum, qui percutit Monachum, vel converſum religionis, & non poſſe abſolvi, niſi prius ſatisfecerit læſis, & cum litteris Ordinarii adeat ſedem Apoſtolicam. Ubi notat Gloſſa, Monachum percuſſum non poſſe agere actione injuriarum, quia actio convenit Monaſterio, perinde ac actio injuriæ ſervi competit Domino: hinc tametſi Monachus remiſerit injuriam ſibi illatam, adhuc Monaſterium poteſt agere: ſicut ſi filiusfamilias remittat injuriam ſibi factam, adhuc poteſt pater agere. Rurſus quamvis Monaſterium poſſit remittere injuriam factam Monacho; non tamen eccleſia remittit injuriam factam clerico. Cæterum ſatisfactio danda pro læſione facta Monacho dari poteſt Monaſterio: quia ſatisfactionem quam acquirit Monachus, acquirit Monaſterio: ſecus ſatisfactio danda ob læſionem factam clerico ſæculari dari debet clerico illi, cui fuit injuria illata, & quidem coram Judice eccleſiaſtico, & nonnunquam etiam coram laico.*

C. *EX TENORE 10. h. t. ob violentam manuum injectionem alicujus canonici in quendam Subdiaconum mandat idem Pontif. ut Archiepiſcopus Genuenſis recepto ab illo juramento de mandato ipſius, à ſententia, qua tenetur, ipſum abſolvat. & ponitur in textu forma ſervanda in abſolutione ab excommunicatione ob percuſſionem clericorum: nimirum, ut abſolvens poſitis litteris Apoſtolicis recipiat juramentum, quod ſuo ſtabit mandato, deinde ut authoritate Papæ ipſum abſolvat:*

ſolvat: & poſtea in virtute juramenti præcipiat, ne de cætero in clericum Monachum, vel converſum Religionis manus violentas injiciat, niſi in ſui defenſionem, vel de mandato ſuorum Prælatorum; vel niſi ſit ejus Prælatus, vel Magiſter; & niſi ſit cum ipſo ſocius in eadem eccleſia. Ubi notat Gloſſa, hunc jurantem non teneri ſervare niſi juſtum mandatum: & per hoc juramentum tantùm poſſe præcipi, ut ſtet mandatis eccleſiæ, & ſatisfaciat læſo c. Parochianos 9. h.t. *Cæterum ſi ſocius in eccleſia percutiat alium ſocium, ei non præcipitur juramentum, quia hujuſmodi ſocij præſumuntur ſæpe invicem rixari,*

C. *DE CÆTERO 11. h.t. reſcribit idem Pont. quòd ſi quis ob violentam manuum injectionem in clericum ſit excommunicatus, & abſque periculo ob capitales inimicitias non poſſit Romam adire, nec ſe Pontifici ſiſtere; poſſit tunc Epiſcopus ipſum abſolvere recepto priùs juramento ſecundùm morem eccleſiæ, ut quam citius opportunè poterit Papam adeat mandatum ſuſcepturus. Ex quo textu notat Gloſſa, in quovis edicto ſemper admitti rationabilem excuſationem ſeu legitimam exceptionem* c. quamvis h.t. *Rurſus Epiſcopum poſſe committere alteri hanc facultatem abſolvendi* c. vet. de Offic. Ordin. *Cæterum ſemel quod juravit adire Papam, cum primùm commodè poſſit, ſi ipſum non adeat, eſt perjurus & poteſt compelli ad ſervandum juramentum, non tamen incurrit excommunicationem.*

C. *AD HÆC 12. h.t. Urbanus III. declarat, quòd ſi quis ſit excommunicatus à delegato, & impetret litteras à Papa pro altero delegato, qui abſolvat, debeat in litteris expreſsè contineri, ut præſtet cautionem ſufficientem ſe obtemperaturum judicio eccleſiæ, quia ſedes Apoſtolica, ſic conſuevit litteras dare: alioquin ut notat Gloſſa hic nullius ſunt valoris, quia reſcriptum impetratum præter uſum Romanæ curiæ non valet. Imò ſi conſtet de violenta manuum injectione non ſufficit ſola cautio juratoria, niſi id eſſet expreſſum in mandatis, ſed tenetur prius ſatisfacere.*

C. *EA NOSCITUR 13. h.t. reſcribit Clement III quòd mulieres, ſenes, valetudinarij membris fracti, vel mutilati, quamvis Romam non adeant, poſſint ab Epiſcopo loci abſolvi præſtita prius ſatisfactione læſis juxta ſuas facultates. Alij verò Papæ vel ejus Legato, ut abſolvantur. Rurſus ſi quis infirmus timore mortis abſolvitur ab excommunicatione debet jurare, ut ſi convaluerit, erit Papam aditurus, vel ejus Legatum & recepturus mandatum Apoſtolicum ſuper talibus. Ubi notat Gloſſa in ſatisfactione ſemper conſiderari facultatem; & hac deficiente mutari in aliam pœnam* c. 2. de maledic. *vel ſaltem data cautione expectandum eſſe donec poſſit.*

C. *CUM NON AB HOMINE. 14. h.t. Idem Pont. reſcribit, reum canonis* ſi quis ſuadente Diabolo *ſeu percuſſorem clericorum manifeſtum, quamvis non denunciatum eſſe, tamen evitandum: ſecretum verò à ſciente tantùm, & in ſecreto. Rurſus occiſores clericorum, aut Presbyterorum, qui contempto clericali habitu tirannidi & enormitatibus ſe immiſcent dicto canone coerceri non poſſe, ſeu non eſſe excommunicatos, eſſe tamen aliquanto aſperiùs puniendos, quàm occiſores laicorum. Hodie tamen poſt Concilium Conſtantienſe cum nulli excommunicati ſint vitandi niſi ſint denunciati, ideo quoad hanc partem præſens decretalis locum non habet. Cæterum ex ſolo contemptu habitus clericalis non perditur privilegium, niſi poſt trinam admonitionem* c. in audientia. c. contingit h.t. *immò quamvis etiam incedat armatus: ſecus tamen ſi ſe enormitatibus immiſcet,* c. perpendimus h.t.

C. *CUM DESIDERES 15 h.t. plura Pontif. in hac decretali declarat. Primò ut tametſi juramentum quis præſtiterit obediendi mandatis eccleſiæ non ſit cum illo communicandum niſi priùs fuerit abſolutus. Secundò ſi publica fama ſit, aliquem verberâſſe clericum non ſit cum ipſo communicandum niſi ad arbitrium Epiſcopi ſe purgaverit, vel ad cautelam fuerit abſolutus. Tertiò ut Clericus quamvis verberatus Epiſcopo mediante reconciliatus fuerit verberatori; nihilominus ſit vitandus, eò quia nondum eccleſiæ ſatisfecerit. An verò ſi abſolvatur ob excommunicatione omiſſo juramento abſolutio teneat, verius videtur tenere: quia juramentum non eſt de ſubſtantia abſolutionis, ſed ad cautelam ne impoſterum incidat. Tum quia aliqui abſolvuntur ſine juramento, quamvis id non debeat fieri ſine cauſa.*

C. *VENIENS 16. h.t. declarat idem Pontifex, ſacerdotem qui ut liberius poſſit in eccleſia divina officia celebrare, clericos, qui ludentes turbant, vel impediunt divina officia appoſitis manibus transeundo volentes egredi cogit extra eccleſiam eos manere, non eſſe excommunicatum nec vitandum. Ubi notat Gloſſa, non ſolùm habentes officium in eccleſia, ſed etiam quemlibet ſacerdotem privatum poſſe ejicere turbantes officia ab eccleſia ſine pœna excommunicationis, quia talis ejectio præſumitur bono modo facta, & ſine animo injuriandi, quia ſola temeritas, & violentia eſt, quæ prohibetur* c. 1. c. cum voluntate. h.t.

C. *PERVENIT. 17. h.t. declarat idem Pont. excommunicatum non pro enormi, ſed pro modica, & levi injuria facta Clerico debere abſolvi ab Epiſcopo, ad quem pertinet arbitrari, an percuſſio levis ſit, vel gravis. Ubi notat Gloſſa, id procedere de jure communi, non ex pura Indulgentia Rurſus quia in texto Pontifex ſpecificat enormem percuſſionem, mediocrem poſſe Epiſcopum abſolvere; quia ſola enormis excipitur.*

C. *SIGNIFICAVIT 18. h.t. declarat Idem Pont.*

Cleri-

Digitized by Google

Clericos, qui ſponte, & ſcientes participant cum excommunicatis à Papa, eoſq; admittunt ad divina officia, eſſe excommunicatos eadem excommunicatione majori; & pro abſolutione eſſe mittendos Romam ad Papam cum literis Ordinarij.

C. *TUA NOS 19. h. t. Idem Pont. declarat, non ſolùm eos qui clericos percutiunt, verùm etiam incendiarios, poſtquam ab Eccleſia ſunt publicati, incurrere excommunicationem, ac eſſe mittendos ad Papam pro abſolutione. Notat tamen Gloſſa, non omnes incendiarios eſſe ipſo jure excommunicatos; quia id non dicitur in jure: unde textus intelligendus eſt de incendiariis eccleſiarum. Alii verò ſunt excommunicandi; & poſtquam ſunt excommunicati, ac denunciati ſunt mittendi ad Papam pro abſolutione.*

C. *AD EMINENTIAM 20. h. t. ſtatuit Idem Pont. ut excommunicati ob percutionem Clericorum poſſint abſolvi à Legatis de Latere Papæ; tametſi id non habeant expreſſum in mandatis. Nota tamen, Legatos à latere non habere juriſdictionem niſi in ea provincia, ad quam delegantur: nihilominus poſtquam ſunt egreſſi ab urbe poſſunt abſolvere ab excommunicatione, donec iterum ingrediantur urbem.* c. quamvis. c. ea noſcitur h. t. *Idque procedit de ſolis legatis qui habentur in* c. penul. & ult. de offic. deleg.

C. *A NOBIS 21. h. t. Idem Pont. declarat, excommunicationem generaliter latam contra fures, non ligare niſi ſubditos excommunicantis: niſi major authoritas ei delegitur. Ubi notat Gloſſa, extraneos delinquentes eſſe ſubditos illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi delinquunt, idque ratione delicti exigentis puniri ubi committitur c. placuit 6. q. 2. ſicque ſunt excommunicati, nec ob ignorantiam, quòd neſcierint ſententiam excuſantur, quia commiſerunt rem illicitam, unde fuerunt in culpa, & poterant, ac debuerant quærere de ſententia; Hoſtienſis tamen docet, non ſequi, quòd qui obligati ſunt ad culpam, ſint etiam ad pœnam excommunicationis: & vult id aliunde eſſe cognoſcendum, non ex mora, quam traxit in loco.*

C. *CONQUESTI 22. h. t. declarat idem Pont. ſpoliantes eccleſias cum effractione eſſe excommunicatos, & denunciandos, donec congruè ſatisfaciant injuriam paſſis, ac reſarciant damna illata: & eſſe Romam mittendos cum litteris Ordinarii, ut à Papa abſolvantur. Ex hoc textu liquet, fractores eccleſiarum eſſe ipſo jure excommunicatos, perinde ac incendiarios eccleſiarum: non ita fractores, vel incendiarios aliarum rerum; quia iſti ſunt tantùm excommunicandi per ſententiam Judicis. Nota cum Gloſſa hic, fractores, & incendiarios eccleſiarum antequam denuncientur poſſe abſolvi ab Epiſcopo, & poſt denunciationem, à ſolo Papa extra mortis articulum.*

C. *PERPENDIMUS 23. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi ſacerdos ſe falsò nominans filium Regis acceptis armis ſeditionem, ac bellum movens verberetur, vel etiam occidatur, non teneatur occiſor ire pro abſolutione: ſed Ordinarius debet eidem imponere pœnam competentem pro qualitate perſonæ: addit Pontifex etiam rationem, quia non propulſando, ſed inferendo injurias fuit ſacerdos ille occiſus. Et licitum eſt vim vi repellere* c. ſi verò h. t. c. ſignificaſti de homic. *Fuit ſacerdos, de quo loquitur textus invaſor, unde ad defendendam publicam quietem potuit juſtè occidi. quia cum ſe immiſcuerit enormitatibus amiſit privilegium canonis.*

C. *UNIVERSITATIS 24. h. t. reſcribit idem Pont Laicum ex mandato Abbatis etiam cauſa regularis diſciplinæ percutientem Monachum eſſe excommunicatum ſimul cum Abbate mandante: & addit Pontifex id vel maximè procedere, ſi cauſa verberandi non ſubeſſet, ſed ex odio id fieret. Ex hoc textu hæc deducitur regula: quòd Prælatus Epiſcopo inferior non poſſit clericum ſibi ſubjectum etiam diſciplinæ cauſa citra urgentem neceſſitatem verberare per laicum: quia ut notat Gloſſa, diſciplina regularis non debet imponi per laicum, ſed per ipſum Abbatem; imò ſi neceſſitas urgeat per alium Monachum, vel clericum quod verò dicitur de Abbate non procedit de Epiſcopo; qui neminem propriis manibus debet percutere* c. non liceat 36. diſt. *Cæterum Laicus verberans Monachum eſt excommunicatus tametſi Monachus ſuæ verberationi conſentiret* c. contingit h. t. *Excipitur tamen quando clericus aliter non poteſt capi, nec corrigi, quàm per laicos* c. ut famæ 35. h. t.

C. *IN AUDIENTIA 25. h. t. reſcribit idem Pont. clericum, qui relicto habitu clericali arma militaria defert; ſi poſt trinam admonitionem factam à Prælato non deponit arma; non gaudere privilegio canonis* ſi quis ſuadente: *quia fruſtra implorat auxilium Eccleſiæ, qui contra ipſam delinquit: & lex civilis nervoſum affert argumentum de matrona induta in veſte meretricali, cujus propterea pudicitia eſt attentata, hæc enim non poteſt agere injuriarum. Ex hoc textu eruitur regula æquitati naturali valdè conſentanea: quod is non debeat à principe petere ut authoritate ſua ei opem ferat, cujus authoritatem ſprevit, & nihili facit. Nota cum Gloſſa, clericum qui arma ſumit, ſi ſe non immiſceat enormitatibus, non amittere privilegium canonis niſi poſt trinam præviam monitionem factam à Prælato, idque de jure antiquo* c. de illicita 24. q. 3 c. de Presbyterorum 17. q. 4. *Hodie tamen jure novo poſt Concilium Tridentinum* ſeſſ. 23. c. 6. *non eſt opus præviis admonitionibus; ſed ipſo facto, quòd clericus non portat habitum, & conſuram, aut non ſervit eccleſiæ, vel non verſatur in ſtudiis de licentia Epiſcopi eſt privatus privilegio canonis; ut etiam ille, qui ſe*

immiſcet enormitatibus. Tunc autem dicitur clericus ſe immiſcere enormitatibus quando facit ſeditiones, aggreſſiones, tumultus in populo, ut docet Belletus diſq. cleric. p. 1. tit. de favor. cler. can. n. 41.

C. *QUOD DE HIS 26. h. t. reſcribit idem Pont. aſſerentem ſe in canonem latæ ſententiæ incidiſſe, non aliter, quàm per ſedem Apoſtolicam, aut ejus legatum poſſe abſolvi, niſi fortè in mortis articulo, vel paupertate, aut infirmitate, vel ſenectute gravetur, ut Romam non valeat proficiſci. Debet tamen juramentum exigi, quod cum primum convaluerit, & opportunitas ſe obtulerit, velit Romanam eccleſiam viſitare.*

C. *CUM PRO CAUSA 27. h. t. declarat Innocentius III. excommunicatum ob duplicem cauſam ut quia violavit eccleſiam, & ob percuſſionem clerici, ſi exprimat unam tantùm cauſam pro abſolutione, à qua abſolvatur; adhuc remanere excommunicatum pro altera cauſa non expreſſa, & teneri pro illa ſatisfacere. Ubi notat Gloſſa, quòd ſi nulla ſit cauſa expreſſa; ſed indeterminatè abſolvitur; tunc eſt abſolutus ab omnibus: ſin verò una tantùm ſit cauſa expreſſa, tunc abſolutio non extenditur ad alias: imò abſolutio obtenta ob unam ſolam cauſam expreſſam eſt ſubreptitia* c. officii 42. h. t. *& hoc procedit quamvis ex ignorantia altera cauſa non fuit expreſſa. Vide Gloſſam hic.*

C. *A NOBIS 28. h. t. Reſcribit idem Innocentius III. excommunicatum, quamvis det ſigna manifeſta pœnitentiæ, præſtétque juramentum de parendo eccleſiæ, ſeque humiliet; ſi tamen antequam abſolvatur ab excommunicatione decedat; tametſi ſit abſolutus coram Deo; non tamen haberi abſolutum coram eccleſia; ſed poſſe etiam, imò & deberi ab eccleſia abſolvi: quia cum non fuerit cum ipſo vivo communicatum, & tamen fuiſſet ei communicandum, quem non contemptus religionis, ſed neceſſitatis articulus impedivit: legitur enim in certis caſibus in jure canonico, eccleſiam ligâſſe, vel abſolviſſe mortuos à vinculo excommunicationis. Mandat etiam Pontifex ut ſervetur forma abſolutionis, id eſt cum pſalmo Pœnitentiali, oratione dominica, & cum aliis conſuetis: rurſus ut hæres ſatisfaciat pro mortuo; & ſi admonitus detrectet, ſit compellendus per diſtrictionem eccleſiaſticam. Notat Gloſſa, tálem in extremis potuiſſe abſolvi, ſi habuiſſet copiam confeſſarii; ſed poſt mortem non poſſe abſolvi, niſi ab eo, à quo vivus extra mortis articulum poterat abſolvi. Cæterum quando agitur contra perſonam, vel de perſona tantùm, non poteſt quæri poſt mortem, quia crimina cum morte extinguuntur* c. quorundam d. 23. c. Accuſat. c. ſi verò de hæret. in 6. *ſolus enim Deus punit, aut abſolvit mortuorum crimina, coram quo nunquam extinguuntur; ſi in via non fuerint extincta per pœnitentiam. Unde eccleſia non niſi indirectè poteſt ligare, vel abſolvere mortuos, quatenus poteſt præcipere; vel prohibere fidelibus vivis orare pro mortuis.*

C. *NUPER 29. h. t. idem Pont. reſcribit, laicos detinentes clericos in cuſtodia publica, vel privata, id eſt violenter abſque alia læſione corporis eſſe excommunicatos: item communicantes in crimine criminoſo cum nominatim excommunicato, cujuſmodi ſunt dantes conſilium, auxilium, favorem; ſunt enim excommunicati pari pœna. Communicantes verò cum nominatim excommunicato non in crimine; ſed in orando, oſculando poſſunt abſolvi à proprio ſacerdote: quia iſti incurrunt excommunicationem juris, & non judicis; & conditor canonis hanc abſolutionem à tali excommunicatione non ſibi reſervavit; proinde videtur conceſſiſſe aliis facultatem hanc abſolvendi. Rurſum communicantes in crimine cum abſolvuntur debent jurare. Demum ſi abſolvendus difficulter, & ex juſta cauſa non poteſt accedere ad excommunicatorem pro abſolutione, poteſt tunc abſolvi à ſuo Epiſcopo, vel ſacerdote, præſtita priùs cautione, quod parebit mandato excommunicatoris. Nota cum Gloſſa hic, ad incurrendam excommunicationem attendi ſolam violentiam, etiam inter ſolos parietes ſine compedibus: quia per violentam detentionem infertur gravis injuria clerico detento in carcere. Cæterum quòd in textu communicans cum nominatim excommunicato in orando dicatur non incurrere excommunicationem reſervatam Papæ; id intelligitur de levi aliqua participatione in orando extra templum, vel in templo ad breve tempus; vel non in officiis ſolemnioribus, nec precibus publicis, quæ fiunt nomine eccleſiæ. Cæterum tunc tenetur quis de conſilio, quando alter non erat crimen commiſſurus.*

C. *QUOD IN DUBIIS 30. h. t. declarat idem Pont quòd tametſi excommunicatus juraverit de ſtando mandato eccleſiæ, adhuc tamen eſt excommunicatus, neque cum illo eſt communicandum, donec abſolvatur. Rurſus quod nullus teneatur communicare cum excommunicato nominatim, niſi ſit ex perſonis ſpecialiter exceptis à Gregorio Papa* cap. quoniam multos. 2. q. 3. *Item præſumptuoſè participantes cum nominatim excommunicatis ſi admoniti non deſiſtant ſunt excommunicandi: ſin verò participent ſcienter cum eo, qui per ſententiam eſt excommunicatus cum participibus ſuis, ſunt excommunicati. Notat Gloſſa neque Prælatum poſſe communicare cum ſubdito excommunicato: qui enim aliis prohibet aliquid non debet ipſe facere. Rurſus Judex, non debet excommunicare participantes cum excommunicato, niſi præmiſſa canonica admonitione: ſecus ſententia excommunicationis nullius eſt valoris.*

C. *INTER ALIA 31. h. t. declarat idem Pont. quòd ex perſonis nominatim* in cap quoniam multos 2. q. 3. *illa tantùm perſona teneantur*

tur

tur ad familiare obſequium, & per conſequens ad communionem, ſine qua obſequium exhiberi non poteſt. Quæ verò perſonæ ante excommunicationem tenebantur præſtare obſequium; cum per excommunicationem ſervi non liberentur à conditione ſervili, adhuc tenentur conſueta præſtare obſequia; non tamen debent communicare in criminibus: quod dicitur de ſervis procedit etiam de Dominis. Rurſus declarat Pontifex, alias perſonas nominatas in dicto capite quoniam 2. q. 3. non teneri niſi in articulo neceſſitatis: ſicque unde jus prodiit, interpretatio procedit. Cæterum qui tenentur ad familiare obſequium ſunt domeſtici, filii, ſervi, mercenarii, uxor.

C. CUM ILLORUM 32. h. t. Reſpondet Pontifex quæſtioni, in qua quærebatur an excommunicati ob percuſſionem clericorum ſi ordinentur ſint ſuſpenſi: & decit, quòd ſi ipſi percuſſores excommunicati ſint ſæculares, & ſcienter ſe excommunicatos fecerunt ordinari ſunt deponendi in perpetuum ab ordinibus: ſi ignorabant, vel factum, vel jus, hos Epiſcopi ſicut non poſſunt abſolvere; ſic nec diſpenſare ſine ſpeciali mandato ſedis Apoſtolicæ; ſed poſſunt hæc ſignificare Papæ, ut provideat, quid agendum ſit ſecundùm rigorem, vel æquitatem: ſi ſint regulares, in prædictis in favorem Religionis, & ne vagentur, conceditur eorum Prælatis, ut eos abſolvant à talibus, dummodo exceſſus non ſit difficilis, & enormis, ut mutilatio membri, effuſio ſanguinis; vel injectio manus violenta in Epiſcopum, vel Abbatem, quia hæc non poſſunt ſine ſcandalo præteriri. Rurſus declarat Pontifex quòd ſi clauſtralis percuſſit aliam perſonã religioſam alterius clauſtri, debeat abſolvi per utrumque Abbatem proprium ſcilicet, & illius qui fuit percuſſus: ſin verò clauſtralis percuſſit clericum ſæcularem, non abſolvitur niſi à Papa. Rurſus ſi contingat prædictos regulares Ordinari, ſi ſcienter in contemptum eccleſiæ, ſtatuit Pontifex, ut maneant ſuſpenſi ab executione ordinis ſuſcepti, & officii: ſin verò ex ignorantia facti, vel juris, ſeu quod in memoria non habeantur tunc mandat Pontifex, ut penſanda priùs ſit utilitas monaſterii: & poſt injunctam regularem pœnitentiam, & peractam, poſſint eorum Abbates diſpenſare dummodo factum non fuerit grave, & notabile, & niſi violenter præſumatur contra ignorantiam, ut quia erat vir adultus, & diſcretus. Rurſus præcipitur Abbatibus ſervari hanc formam. Ex hoc textu liquet, quòd ſi excommunicatus ordinetur non ſolùm deponitur ab Ordine, ſed etiam à beneficio c. poſtulaſtis de clerico excommunicato, & id etiam procedit de excommunicato, qui confert, vel accipit. Cæterum quamvis textus neget, vel limitet Abbatibus poteſtatem abſolvendi percuſſores Clericorum, hodie tamen non ligat regulares ſuos, nec eos qui religionem ingrediuntur ob privilegia religionum, per quæ conceſſum eſt eorum ſuperioribus, ut per ſe, vel per alios omnes ſuos ſubditos poſſint abſolvere ab omnibus peccatis ante, vel poſt ingreſſum commiſſis, & ab omnibus eccleſiaſticis, & ſæcularibus ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine latis per Bullam Sixti IV. conceſſum Minoribus S. Franciſci, quatuor tantùm exceptis caſibus ibi recenſitis.

C. DE MONIALIBUS 33. h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi Moniales ſe ipſas ad invicem percutiant, vel etiam ipſæ converſas ſuas, vel Clericos percutiant debeant ab Epiſcopo loci abſolvi. Ubi notat Gloſſa, quòd ſi Moniales unius Diœceſis percutiant Monialem, vel Monachum converſum, vel converſam, aut clericum alterius Epiſcopatus debeant abſolvi ab utroque Epiſcopo, vel ſaltem, ut alter eorum deleget alteri, ut eas abſolvat, deſumitur ex præced. c. cum illorum hinc Abbatiſſa, non poteſt abſolvere ſicut nec benedicere, quia claves non ſunt concreditæ ſexui fœmineo.

C. SI VERE 34. h. t. declarat idem Pontifex, quòd ſi quis inivit contractum cum excommunicatis poſt contractum, ſi ſine damno non poſſit contractus diſſolvi, poſſit cum illis communicare: ut ſi Cajus pepigit, ut dicitur in textu cum Nautis Venetis, ut illum transveherent, & Cajus jam ſolverit partem Venetis, qui interim excommunicantur, nec volunt reſtituere pecunias ſolutas à Cajo, declarat Pontifex in hoc textu, poſſe tunc Cajum cõmunicare cum illis, ne videantur ex contumacia, & obſtinatione portare commodum, & Cajus ex pœnitentia damnum. Tum quia ſicut jure poteſt tranſiens per terras excommunicatorum, vel hæreticorum emere, & recipere ab illis neceſſaria: imò ſicut excuſatur familia communicans cum patrefamilias excommunicato, ita Cajus erat in navibus Venetorum tanquam in ipſorum familia. Hinc notat Gloſſa, non teneri aliquem cum ſuo maximo damno, vel incommodo ſcindere ſocietatem cum ſuo ſocio, ſed tantùm abſtinere, quantum poteſt, & illud dicitur quis poſſe, quod commodè poteſt l. nepos in fin. ff. de V. S. l. filius qui ff. de conjung.

C. UT FAMÆ 35. h. t. reſcribit idem Pont. Epiſcopo Londonenſi, Prælatos debere exceſſus ſolùm ſubditorum corrigere: & poſtquam ſunt canonicè de crimine condemnati debeant eos ſub arcta cuſtodia detinere, ne aufugientes pejora perpetrent ſcelera. Rurſus declarat laicos citra excommunicationem poſſe capere clericos, & ad judicium trahere etiam violenter ſi opus ſit de mandato tamen judicis eccleſiaſtici, cui ſunt ſubditi, & ad quem pertinet corrigere: quia tunc laici propria authoritate id non faciunt, ſed tantùm authoritate & ex mandato Judicis eccleſiaſtici, quapropter non laici, ſed potius Judex eccleſiaſticus facit cujus authoritate laici faciunt, dummodo laicorum violentia, non ampliùs ſe extendat, quàm defenſio, vel rebellio clericorum exigat; ut enim notat Gloſſa hic debet id præſtari à laicis cum moderamine inculpatæ tutelæ. Notandum tamen eſt, quòd licèt poſſint

 laici

laici dè mandato ſuperioris violenter accipere incorrigibiles, non tamen poſſunt corrigere verberando, non de mandato Abbatis c. univerſitatis eod. *Ex hoc textu deſumitur regula, quòd qui facit per alium, cenſeatur facere per ſe ipſum.*

C. *CONTINGIT 36. h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi clericus offendat aliquem & pro ſatiſfactione ex conſuetudine ſua patria ſubjicitur ſponte verberibus, adhuc verberans eſt excommunicatus: & additur etiam ratio in textu, quia tametſi hæc manuum injectio non ſit violenta, eſt nihilominus injurioſa Ordini clericali, & ille canon non tam eſt in favorem clerici Ordinati, quam totius ordinis clericalis: quamobrem præcipit Pontifex, ut clericus tunc ſatiſfaciat competenter injuriam paſſo ſine injuriâ clericali, adeò ut remaneat pax inter ipſos: demum ſtatuit Pontifex, ut ſi impoſterum aliquis clericus præſumpſerit ſe ſubjicere ſimilibus verberibus, excommunicetur. Ex hoc textu etiam deſumitur regula, quòd ubi privilegium eſt indultum principaliter in favorem collegii, ſeu loci publici, tametſi communiter etiam concernat favorem privatarum perſonarum, adhuc non poſſit privata perſona tali privilegio renunciare* cap. ſi diligenti de foro compet. *hinc clericus non poteſt renunciare privilegio canonis, & aſſentiri, ut ab alio verberibus excipiatur, quia tale privilegium indultum eſt principaliter in favorem totius Ordinis clericalis: ſecus eſt quando privilegium principaliter concernit favorem privatum, & tantùm conſequenter favorem publicum* c. dilecti de foro compet. *Cæterum qui per jocum percutit clericum etiam invitum non eſt excommunicatus. Secus percutientes injurioſè Clericum non invitum ſunt excommunicati, & ſi percuſſores ſint clerici ſunt etiam depoſiti.*

C. *RELATUM 37. h. t. Idem Pont. reſcribit Archiepiſcopo Lugdunenſi etiam ſervos percuſſores clericorum eſſe excommunicatos, & mittendos ad ſedem Apoſtolicam abſolvendos, eò quia plus Deo, quàm hominibus ſit deferendum; ſin verò id fecerunt in fraudem, ut ſe ſubtrahant à ſervitio Dominorum: vel ſi Domini ob id ſine ſua culpa gravi damnum incurrant, tunc declarat Pontifex, ut poſſit Epiſcopus ex indulgentia, & diſpenſatione Papæ eos abſolvere: & pro labore itineris injungatur eis alia ſatisfactio, dummodo tamen percuſſio non fuerit enormis, & non poſſit ſcandalum aliter tolli, quin ſervi Romam veniant, ut abſolvantur: notat hic Gloſſa, non eſſe idem dicendum de viro reſpectu uxoris, & de liberto, qui locavit opera ſua, quia non excipiuntur ut ſervi, cum participantibus voluntariè* c. cum illorum 32. h. t.

C. *SACRIS 38. h. t. Idem Pont. reſcribit Archiepiſcopo Strigonienſi, quòd excommunicatus, quia communicavit cum excommunicatis, & in ſe reverſus de mandato eccleſiæ expugnat illos excommunicatos, non ideò habetur abſolutus niſi priùs abſolvatur, adeò ut ſi in bello decedat, non ſit pro eo orandum, niſi poſtquam conſtiterit per evidentia ſigna de ejus pœnitentia. Rurſus mandat Pontifex, abſolutionem impendi defuncto juxta conſtitutionem in* c. à nobis 28. h. t.

C. *SICUT 39 h. t. declarat idem Pont. excommunicatum ab Epiſcopo ſemper haberi excommunicatum, & eſſe vitandum, donec conſtiterit de illius legitima abſolutione, vel per litteras Papæ, vel delegati à Papa, vel alio legitimo modo. Ubi notat Gloſſa, id procedere in foro contentioſo, & quando fieret actori præjudicium, ſed tunc non ſufficit unus teſtis, nec ſufficit honeſtas perſonæ, ut ei credatur, imò neque aliter ſufficerent.* c. inter c. tuæ de cler. peregrin. *Secus ſi nulli fiat præjudicium, quia cum tunc non habeatur damnum tertii, mitigandus potiùs eſt rigor juris. In foro autem conſcientiæ eſt illi credendum, quia non præſumitur immemor ſuæ ſalutis.*

C. *PER TUAS 40 h. t. Idem Pont. reſcribit Archiepiſcopo Senonenſi, quòd ſi excommunicatus ab Epiſcopo appellet ad Metropolitanum, & velit probare excommunicationem eſſe nullam, quia fuit lata poſt legitimam appellationem, vel quia continebat errorem patenter intolerabilem, debeat admitti ad ea probanda, tametſi abſolutionem non petat. Verùm donec de illis conſtiterit, in aliis ſit vitandus, quamvis ſedes Apoſtolica conſueverit tales abſolvere ad cautelam: in aliis verò niſi imploret gratiam abſolutionis non eſt audiendus: verùm ſi humiliter petat abſolutionem, Metropolitanus debet eum abſolvere: ſi verò velit deferre ſuo ſuffraganeo poteſt ad illum remittere: quòd ſi ſuffraganeus nolit illum abſolvere ſecundùm formam juris; debet tunc eum abſolvere Metropolitanus ſumpta tamen cautione de parendo ſuo mandato: deinde debet cauſam audire, & decernere ſecundùm jus. Sin verò Epiſcopus ſuum ſubditum excommunicâſſet propter manifeſtum exceſſum, tunc Metropolitanus non debet illum abſolvere, niſi quando ſuffraganeus requiſitus malitioſè denegavit abſolutionem. Ex quo textu colligitur, appellationem habere duos effectus ſuſpenſivum unum, alterum devolutivum: priorem tamen non habere appellationem ab excommunicatione, quia illam non ſuſpendit per hunc textum, benè tamen poſteriorem, quia devolvit cauſam ad ſuperiorem, cui defertur juriſdictio: hinc poteſt ab excommunicato legitimè appellari. Cæterum ut notat Panormitanus hic* num. 3. *qui dicit, excommunicationem eſſe nullam, eò quia lata fuerit poſt legitimam appellationem, vel quia contineat errorem patenter expreſſum, auditur, quamvis non petat abſolutionem ad cautelam. Secus dicens excommunicationem eſſe injuſtam non auditur, ſi velit probare juſtitiam, niſi priùs petat abſolutionem, quia excommunicatio injuſta ligat ſaltem quoad eccleſiam. Si enim in quovis caſu*

ſu deberet quis ſtatim audiri, & abſolvi fruſtraneè expectaretur eventus excommunicationis, quia nullus eſſet illius effectus c. cum contingat de offic. deleg. eſſet enim reus jam abſolutus: etenim ſi antequam reus probet ſententiam eſſe injuſtam auditur, & abſolvitur: ſi poſtea probet reverà ſententiam eſſe injuſtam non poteſt ampliùs abſolvi, cum jam ſit abſolutus.

C. SI ALIQUANDO 41. h. t. declarat idem Pont. quod ſi contingat, ut nonnunquam Papa in ſuis litteris ſalutet excommunicatum à Sede Apoſtolica; non propterea intelligatur abſolutus: quia contingit, hujuſmodi litteras impetrari per ignorantiam, negligentiam, vel nimiam occupationem; vel per ſubreptionem. Nota quòd licèt non poſſimus ſalutare excommunicatos: poſſumus tamen cum iiſdem loqui, miſcere ſermones ſpectantes ad eorum ſalutem: & ſi tunc alia verba excedant non pertinentia ad ſalutem, non propterea incurritur excommunicatio c. tamen h. t. Rurſus ſi Papa ſcienter ſalutet excommunicatum; hic eſt abſolutus, quia talis ſalutatio eſt quædam communicatio, quæ ſi fiat ſcienter à Papa, tollit excommunicationem: bene abſolutio debet impetrari ex certa ſcientia, non per ſubreptionem.

C. OFFICII 42. h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi quis habeat plures Prælatos habentes jus in ipſum; & propter plures exceſſus à pluribus Prælatis eſt excommunicatus, ſi valit unè ex hiſce prælatis ſatisfacere de uno exceſſu, non ſit abſolvendus; & ſubreptitia abſolutio non proſit. Nota cum Gloſſa, tunc excommunicatum poſſe abſolvi, ſi unus Prælatorum committat alteri ſuas vices: vel ſi quilibet prælatus abſolvat à ſua; ultima tunc confirmat præcedentes: non tamen interim poſt primam abſolutionem ab una excommunicatione tantùm eſt communicandum cum illo: quia adhuc innodatur alia excommunicatione, & excommunicatus in una eccleſia eſt excommunicatus quoad omnes

C. RESPONSO 43. h. t. declarat idem Pontifex, coram excommunicatis, & interdictis eſſe licitum prædicare verbum Dei; non tamen celebrare divinum officium. Rurſus tempore generalis interdicti eſſe licitum baptizare, & confirmare in fronte pueros. Imò ut notat Gloſſa etiam dare pœnitentiam morientibus; & ſub nomine pœnitentiæ etiam intelligitur viaticum c. quod in te rit. ſup. non verò extrema unctio. Ex hoc textu colligitur, eſſe licitum participare cum excommunicato, & interdicto, quando participatio, ſeu communicatio tendit ad eius correctionem.

C. INQUISITIONI 44. h. t declarat idem Pont. quòd ſi alter conjugum certò ſcit impedimentum conjugii, quamvis illud probare non poſſit, non debeat copulam exercere; & ſi cogatur ab eccleſia; potiùs debeat humiliter ſententiam ſubire excommunicationis, quam per copulam peccare. Sin verò credat adeſſe impedimentum ex cauſa probabili, & diſcreta, tametſi non evidente, & manifeſta; tunc poſſit debitum reddere, ſed non petere, ne peccet vel contra conſcientiam; vel contra legem conjugalem; ſi credit ex levi, & temporaria credulitate, tunc ad conſilium Epiſcopi debeat ſuam deponere conſcientiam, ut valeat debitum reddere, & petere. Ubi notat Gloſſa, levem credulitatem dici, ſi audivit impedimentum à viris levibus, vel à paucis, quibus credere non tenetur. Credulitatem probabilem, & diſcretam dici, ſi quis vidit virum cum ſua conſanguinea in locis ſuſpectis, & hora ſuſpecta, ſolum cum ſola ante matrimonium; vel quia publicè dicitur ab hominibus c. litteris de præſumpt. ſi igitur conjux ſit certus de tali impedimento debet potiùs patienter ſubire ſententiam excommunicationis, quàm exercendo copulam peccare mortaliter: ſin verò probabilius ſit, etiam judicio viri probi tale impedimentum non ſubeſſe, poteſt tunc reddere, & petere debitum, quia in utroque caſu licitum eſt ſequi opinionem tutiorem, & probabiliorem. Sin verò probabiliter vacillet, tunc ſolùm poteſt reddere non petere debitum; ne abſque ſufficienti cauſa deneget jus alteri conjugi, quem periculo peccandi exponat.

C. CONTINGIT 45. h. t. ſtatuit idem Pont. ut Clerici non geſtantes tonſuram, nec habitum clericalem, & tractantes negotia ſæcularia, non omittant privilegium clericale niſi præceſſerit trina monitio. Notat tamen Gloſſa, quòd ſi graviter excedant, etiam ſine prævia monitione perdunt privilegium.

C. IN PRÆSENTIA 46. h. t. Cum quidam Canonici Decano ſuo objicerent excommunicationem, reſcripſit idem Pont. non poſſe canonicos id facere, cum ſuper hoc nec admonitus, nec impeditus fuerit: nec ipſi propter hoc eum duxerint evitandum; ſed Epiſcopus ei in menſa, & canonici communicaverint etiam in divinis. Ex hoc textu infert Gloſſa exceptionem excommunicationis in quacunque parte litis valere, ſed mox dandam eſſe abſolutionem, quæ ex hoc textu ſupponit præceſſiſſe præviam monitionem. Rurſus notandũ eſt non poſſe quemquam judicare excommunicatum, ſi non vitetur,

C. QUANTÆ 47. h. t. declarat idem Pont. eos, qui poſſunt impedire manifeſtam clericorum percuſſionem, & non impediunt, incurrere excommunicationem: quia facientes & conſentientes pari pœna plectuntur. Ubi notat Gloſſa, conſentientem præſumi cooperari, ac præſtare authoritatem percuſſioni, ac proinde puniri pari pœna c. mulieres. c. nuper h. t. quòd ſi non cooperetur; ſed præcisè non obviet percuſſioni, licèt teneatur ex officio, & poſſit tantùm; non incurrit excommunicationem, quia non participat in crimine.

C. SACRO 48. h. t. idem Pont. in Concilio generali plura declarat. Primò non poſſe Prælatum ferre ſententiam excommunicationis niſi præmiſſa competente monitione coram perſona

ſonis idoneis, per quas probari poſſit, præceſſiſſe talem monitionem. Quòd ſi præſumat contrarium, interdicitur ei ingreſſus eccleſiæ per menſem, tametſi excommunicatio ſit juſta; imò etiam alia pœna mulctatur ſi ſic videbitur expedire. Secundò ſtatuit, ut qui excommunicat ſine manifeſta, & rationabili cauſa, & requiſitus non curat abſque gravamine revocare proceſſum; ſi gravatus conquaratur apud ſuperiorem ſuper injuſta excommunicatione; hic (ſi abſque periculo moræ fieri poſſit) remittat excommunicatum cum ſuo mandato ad excommunicatorem abſolvendum intra determinatum tempus; alioquin ipſe ſuperior ſufficiente cautione recepta ipſum abſolvat. Tertiò ſi de injuſta ſententia excommunicationis conſtiterit, ut condemnetur excommunicator ad intereſſe excommunicato; alioquin ſit ſuperioris arbitrio puniendus. Quartò ſi conquerens contra ſententiam excommunicationis nihil rationabile probaverit, condemnatur tunc ipſe ad intereſſe: vel ſententia reducitur in priſtinum, uſque ad condignam ſatisfactionem. Quintò ſi Judex ſuum cognoſcens errorem paratus ſit latam revocare ſententiam, ut appellationem illius, pro quo lata eſt non audiat, niſi error ſit dubius: & tunc cautione recepta de parendo mandatis, ad quem appellavit, debeat excommunicatum abſolvere: ſic non ſubjacebit pœnæ præſcriptæ. Cavere tamen debet, ne malitioſè mentiatur in præjudicium alterius. Nota eo quòd ſententia excommunicationis non ſit ferenda niſi præmiſſa monitione; liquet, excommunicationem non incurri ſine contumacia; & eum dici contumacem, qui monitus parere detrectat, unde ſupponit contemptum admonitionis. Rurſus excommunicationem pro culpis præteritis, vel præſentibus ſemper requirere ſpecialem admonitionem, de qua intelligitur præſens textus. Idque etiam extendi ad interdictum c. indignè 12. q. 2. *Hæc autem admonitio facienda eſt à Judice, vel eius authoritate ad inſtantiam partis ſi feratur in commodum perſonæ privatæ* c. 1. de judiciis num. 33. *quia in cauſa boni communis Judex ex officio procedit. Hinc in ferenda ſententia excommunicationis eſt ſervandus ordo juris, perinde ac in aliis cauſis* cap. 1. de exceſſ. Prælat. *Primò debet ſcribi; ſecundò proferri; tertiò debet cauſa exprimi, ob quam feratur; quartò exemplum ſcripturæ tradi debet, ſi intra menſem petatur; quintò judex ſi contrarium fecerit eſt per menſam ſuſpenſus ab ingreſſu eccleſiæ. Eſt tamen ſententia valida quamvis non ſcribatur, dummodo nihil aliud deſit: idque ex eo colligitur, quia tales ſententiæ jubetur relaxari* c. 1. h. t. in 6. *Cæterum Epiſcopus, qui excommunicavit non ſervato ordine juris, evoluto menſe poteſt eccleſiam ingredi; ſed puniuntur communione hominum arbitrio ſuperioris* c. illicita 24. q. 3. *Hodiè niſi excommunicet in ſcriptis, & expreſſè ponat cauſam excommunicationis eſt ſuſpenſus ab ingreſſu eccleſiæ, & divinis officiis per menſem, & ſi non ſervat ſit irregularis* c. cum medicinalis h. t. in 6 *& infra hunc menſem poteſt abſolvere excommunicatum ab excommunicatione* c. duobus h. t.

C. *NOVERIT 49. h. t. Honorius III. excommunicat omnes hæreticos utriuſque ſexus, & fautores, ac receptores, & defenſores eorum. Ut etiam omnes facientes ſervari ſtatuta edita, & conſuetudines introductas contra libertatem eccleſiæ: nec non ſtatutarios, & ſcriptores ſtatutorum; imò etiam poteſtates, conſules, Rectores, Conſiliarios locorum; ubi hujuſmodi ſtatuta edita fuerint, vel conſuetudines introducta, vel ſervata: & eos qui ſecundum illa præſumpſerint judicare, vel in publicam formam ſcribere judicata. Ubi notat Gloſſa, eos, qui agunt contra libertatem eccleſiaſticam eſſe ipſo jure excommunicatos; ut etiam eos, qui jura eccleſiæ conantur auferre, vel onera imponunt eccleſiis, & gravamina; ſi admoniti non deſtiterint. Hi omnes ſunt ipſo jure excommunicati* c. non minus c. adverſus de immun. eccleſ.

C. *CANONICA 50 h. t. Extendit idem Pont.* c. 2. &c. illorum de Monac. & Canon. Regul. *ad fratres Hoſpitalarios Hieroſolymitanos: nimirum, ſi ſe invicem percuſſerint, & exceſſus non ſit difficilis, & enormis, ut non ſint mittendi Romam: ſed ab eorum priore qui ſolet eſſe presbyter, poſſint abſolvi. Nota cum Gloſſa, hanc gratiam factam Monachis, & Canonicis Regularibus extendi ad cæteros Regulares* c. ex parte de poſtul. *& quod conceſſum fuit religioſis extendi ad Epiſcopos* c. quod nonnullis de privileg. *quod tamen intelligitur de Epiſcopis electis, & confirmatis* c. inter de translat. *ut etiam quod dicitur de uxore intelligitur de ſponſa. Cæterum Religioſi poſſunt ſuos, & non alios abſolvere.*

C. *SUPER EO 51. hoc tit. Cum Monachi Græci, & Eremitæ ob inobedientiam ſuſpenſi, & excommunicati nollent ad mandatum Eccleſiæ niſi per manûs promiſſionem redire: reſcribit Pontifex, poſſe eos hâc vice cum promiſſione manuali ſine juramento recipi, cum aliquibus locis ſit ſeveritati detrahendum, conſideratis ſcilicet locorum circumſtantiis, & temporum qualitatibus. Nota, Monachos græcos, de quibus loquitur textus fuiſſe affines ſchiſmaticis, proinde noluiſſe præſtare juramentum de obediendo mandatis eccleſiæ Romanæ; de qua juramentum in textu intelligitur: offerebant enim obligationem tantùm manualem tanquam minoris obligationis, & reverentiæ: ad declinanda majora mala, & ſcandala putavit Pontifex aliquid concedendum. Ex quo colligitur, quòd licèt juramentum ſit de forma, non tamen ſit de eſſentia abſolutionis in rigore; adeo ut ſine illo abſolutio teneat: ratio eſt quia juramentum fuit potiùs ad cautelam introductum, ne impoſterum tale delictum committatur* c. eum deſideres. h. t.

C. *VENERABILI 52. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi Epiſcopus ferat ſententiam ſuſpenſionis contra aliquem, cum Papa ſoleat illam relaxare*

re ad cautelam; debeat ſententiatus jurare, de parendo mandatis Epiſcopi, quando Epiſcopo conſtabit de cauſa culpabili, ob quam fuit lata ſententia. Ex quo textu colligitur quòd ſi dubitetur de valore Sententiæ, poſſit excommunicatus abſolvi ad cautelam, præſtito juramento de parendo mandatis Eccleſiæ: quo non obſtante debebit in totum abſolvi, ſi reperiatur inculpabilis. Ubi notat Gloſſa, quòd licèt quando quis abſolvitur ad cautelam non deberet jurare; nihilominus quando res eſt dubia, ut in textu, debet jurare.

C. *GRAVEM 53. h. t. Idem Pont. jubet excommunicari conſiliarios, & officiales civitatis, ſi non deleant de libris ſuis ſtatuta contra libertatem eccleſiaſticam: ut ſi eſſet ſtatutum, quòd Clericus, vel Laicus ſub pœna certa ſolutionis non impetret à Sede Apoſtolica literas contra clericos, vel laicos alicujus diſtrictûs: vel impetratis renunciet: ut etiam ſi eſſet ſtatutum, quòd clerici ſuis ſumptibus aliquam arcem cuſtodiant: niſi hac & alia hujusmodi ſtatuta contra libertatem eccleſiaſticam deleant, caveántque in futurum; eſt contra ipſos excommunicatio promulganda: & ſtatutarii ſi habeant feuda eccleſiaſtica illis priventur. Ubi notat Gloſſa, poſt duos evolutos menſes eſſe ipſo jure excommunicatos* c. noverit 49. h. t. *vel promulgantur excommunicati; quia jam incurrerunt excommunicationem: ſic etiam denuntiantur privati feudis.*

C. *CUM voluntate 54. h. t. declarat Gregorius IX. Primò eum, qui loquitur cum excommunicato de pertinentibus ad abſolutionem, vel ad ſalutem animæ, licèt interponat alia verba incidenter, ut apud eum magis proficiat, non incurrere excommunicationem. Secundò Prædicatores illorum, vel curam gerentes, quorum res excommunicati, vel alii detinent, poſſe eleemoſynas ab illis recipere. Tertiò, pueros vel adoleſcentes in minoribus conſtitutos turbantes divinum officium ſi Prælati, vel Magiſtri correctionis causâ leviter percuſſerint non incurrere excommunicationem, ut nec illos, qui aliquos de ſua familia ſimili modo, ex eadem cauſa corrigunt. Nota cum Gloſſa, ſeniores non poſſe corrigendo verberare exiſtentem in ſacris, ſed tantùm admonere, & ſi ſit contumax ſuſpendere. Cæterum dantur plures caſus, in quibus licitum eſt, clericum percutere ſine excommunicatione incurrenda. Primò ſi jocosè quis leviter percutiat clericum. Secundò ſi deprehendatur in loco, & hora ſuſpectis cum matre, filia, uxore, ſorore. Tertiò ſi vis vi repellatur de repente* c. ſi verò eod. *Quartò ſi Clericus poſt trinam admonitionem non ſe corrigat,* c. contingit c. in audientia. *Rurſus ſi prodictæ perſonæ in percutiendo excedant modum, non tamen irato animo, & propoſito non incurrunt excommunicationem. Cæterum clericus quamdiu eſt in minoribus, eſt ſub patria poteſtate niſi expreſſe mancipetur: ſed in ſacris eximitur à patria poteſtate* c. in decorum de ætat. & qualitat.

C. *SI CONCUBINÆ 55. h. t. reſcribit idem Pontifex communicantes in eodem crimine criminoſis incidere in eandem ſententiam criminoſorum: unde concubinæ publicæ clericorum in hoc textu fuerunt excommunicatæ, quia non receſſerunt à clericis concubinariis. Rurſus accedentes ad ipſas ſunt etiam excommunicati, quia participant in crimine cum criminoſis. Notandum eſt, quòd cum notorium ſit, concubinatum eſſe crimen criminoſum, eò ipſo, quòd concubinæ ob hoc vel aliud crimen ſunt excommunicatæ, manifeſtum eſt etiam clericos cum eis rurſus concumbentes eſſe excommunicatos, utpote participantes, & communicantes cum excommunicatis in crimine criminoſo: ſecus tamen eſt ſi participent in locutione, vel aliàs non ſint excommunicati majori, ſed tantum minori excommunicatione* c. noverit 49. h. t. c. adverſus de immun. eccleſ.

C. *DUOBUS 56. h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi committatur duobus, ut alter alterum poſſit abſolvere à minori excommunicatione ſi in eam incidat, & uterque eam incurrat, facultas non expiret. Ubi notat Panormitanus hic, Pontificem in hoc textu voluiſſe notare aliquam ſpecialitatem excommunicationis minoris, nimirum quod per hanc non amittatur poteſtas abſolvendi habitu, quia excommunicatus abſolvendo non ſe immiſcet participatione ſacramentorum poſſiva, quæ ſola prohibetur per hanc excommunicationem, ſed tantùm exercet actum juriſdictionis ſibi non prohibita, ſicuti prohibita eſt excommunicato excommunicatione majori.*

C. *PERMITTIMUS 57. h. t. Idem Pont. permittit Miniſtris eccleſiæ, ut tempore interdicti ſemel in hebdomada miſſarum ſolemnia celebrent, ut conficiant corpus Chriſti, quod datur morientibus in pœnitentia non pulſatis campanis ſubmiſſa voce januis clauſis, excluſis interdictis, & excommunicatis. Ubi notandum eſt, æquiſſimam eſſe hanc cauſam celebrandi tempore interdicti cauſa conficiendi corpus Chriſti pro morientibus in pœnitentia. Hoc autem mandatum extenditur etiam ad Religioſos, & alios privilegiatos* c. nonnullis de privil. c. fin. h. t.

C. *QUAMVIS 58. h. t. declarat idem Pontifex, eum qui injicit manus violentas in clericum, etiamſi ſatisfaciat pro ſua facultate injuriato, non ideo poſſe abſolvi ab Epiſcopo, ſed eſſe mittendum ad Sedem Apoſtolicam niſi immineat mortis periculum, urgeat infirmitas, adſint inimicitiæ, laboret paupertate, ſit in ætate puerili, vel jam ſenio confectus, ſit fœmina, vel adſit alia corporis impotentia, vel detineatur quolibet impedimento canonico, quo Romam non poſſit ire, vel exemſetur beneficio juris. Verùm laborantes temporali impedimento (exceptis pueris) injungitur ſub juramento præſtito ſecundùm formam eccleſiæ, ut ceſſante impedimento adeant Sedem Apoſtolicam, &*

humiliter ſuſcipiant ejus mandatum. Textus eſt clarus : & tantùm notat Gloſſa, ſatisfactionem & juramentum non eſſe de ſubſtantia abſolutionis ab excommunicatione c. cum deſideres 15. h. t.

C. *SI QUEM* 59. *h. t. declarat idem Pontif. excommunicationem ſimpliciter latam ſtare pro majori. Hinc ſi contingat aliquem excommunicari ſub hac forma verborum : illum excommunico, vel ſit excommunicatus : is non tantùm minori, quæ à perceptione ſacramentorum excludit, ſed etiam majori excommunicatione, quæ à communione fidelium ſeparat, eſt ligatus. Ubi notandum eſt, quòd tametſi de jure communi in pœnis facienda ſit mitior interpretatio, nihilominus attendenda eſt conſuetudo, quæ ſub nomine excommunicationis abſolutè poſito intelligit majorem excommunicationem, non verò minorem : & ratio etiam reddi poteſt, quia quando in ſententia excommunicatio exprimitur ſimpliciter intelligitur de excommunicatione ſimpliciter, non verò ſecundùm quid : excommunicatio minor eſt tantùm ſecundùm quid, & major ſimpliciter : proinde excommunicatio ſimpliciter expreſſa intelligitur de majore ſive à jure ſive ab homine. Cæterum excommunicatus in minore à ſacerdote debet per eum reconciliari : ſi eſt à canone, & in minore quilibet ſimplex ſacerdos poteſt ſine juramento, vel aliquo mandato, niſi participet in crimine* c. nuper c. ſi concubinæ h. t. *Qui verò excommunicatus eſt in majore ab homine debet ab eodem, vel à ſuperiori abſolvi* c. per tuas 40. h. t. *exceptis tamen incendiariis poſt publicationem* c. tua h. t. *Sin verò excommunicatus ſit quis in majori à jure poteſt abſolvi à ſuo Epiſcopo, niſi Papa id ſibi reſervaverit, ut in percuſſione clericorum* c. ſi quis ſuadente 17. q. 4.

C. *PUERIS* 60. *h. t. declarat idem Pontifex pueros excommunicatos ob percuſſionem etiam ſi poſt pubertatem poſtulent abſolvi, poſſe ab Epiſcopo abſolvi ; quia rigor eſt manſuetudine temperandus ob defectum ætatis. Hinc ſi pueri doli capaces ante decimum quartum annum incidant in excommunicationem ob percuſſionem parcitur quidem ætati non tamen in totum , ſed quoad minorem pœnam, quia rigor juris temperatur ratione ætatis, loci, temporis , perſonæ , cauſæ, multitudinis, & ſcandali.*

IN SEXTO.

C. *MEDICINALIS* 1. *h. t. reſcribit Innocentius IV. quòd cùm excommunicatio ſit medicinalis, & diſciplinans, ideo qui excommunicat, debet in ſcriptis proferre ſententiam excommunicationis, in qua expreſſe ponatur cauſa excommunicationis ; & requiſitus tradat infra menſem exemplum ſcripturæ , in qua contineatur excommunicationis ſententia ipſi excommunicato ; ſuper qua requiſitione fiat inſtrumentum publicum , vel litteræ teſtimoniales munitæ authentico ſigillo : & temerè contrafacientes declarat ſuſpenſos ab ingreſſu eccleſiæ, divinisque officiis per menſem integrum : ſtatuit tamen ut ſuperior ad quem recurritur ſine difficultate relaxet excommunicationem, & condemnat latorem excommunicato ad expenſas & omne intereſſe, ac puniat aliâ pœnâ, adeo ut non ſolum excommunicatio relaxetur à ſuperiore, ſed etiam ipſe lator , ſeu excommunicator condemnetur ad expenſas. Vult Pontifex hæc etiam ſervari in ſententia ſuſpenſionis, & interdicti. Cæterum excommunicans , quia non ſervavit prædicta eſt ſuſpenſus per menſem : quòd ſi infra menſem exequitur divina officia , ut priùs, fit irregularis, nec poteſt ab hac irregularitate diſpenſari niſi à ſolo Pontifice. Notandum eſt, excommunicationem dici medicinalem, eò quia excommunicati rubore ſuffuſi & confuſi, cum videant ſe ab aliis vitari, & excludi à civili hominum commercio, ſocietate, ac legitimis actibus reſipiſcunt, & excuſſa contumacia obediunt eccleſiæ, & humiliter petunt reſtitui communioni fidelium : in hoc ſenſu dicitur excommunicatio Medicinalis, quatenus eſt ratio, cur peccator reſipiſcat. Cæterum licèt excommunicatio ſit præcipuus nervus diſciplinæ eccleſiaſticæ ſobriè tamen & cautè, & magna cum diſcretione adhibendus eſt hujusmodi gladius ad percutiendos anathemate fideles, ut notat Concilium Tridentinum* Seſſ. 25. cap. 3. *Cæterum ſi excommunicatio feratur ſine ſcriptis tenet , tametſi injuſta ſit : relaxatur tamen tunc à ſuperiore, & excommunicans punitur : alioquin ſi ſententia licèt injuſtè lata foret nulla, eò quia non fuerit in ſcriptis prolata non poſſet nec deberet relaxari, quia quod non ligat, non indiget relaxari : quia verò ſententia injuſta eſt iniqua ; ideo excommunicans qui eam tulit jubetur puniri pœnis hic expreſſis. Rurſus non ſufficit in ſcriptura generatim exprimere juſtam cauſam, ſed ſpeciatim id fieri debet, ut ob violationem eccleſiaſticæ libertatis, vel aliam cauſam. Non tamen eſt de neceſſitate, ut conficiatur publicum inſtrumentum, ſed de conſilio ; ut ſi excommunicator negaret ſe fuiſſe requiſitum ſuper ſcriptura poſſit convinci. Rurſus ſi Judex cognoſcat ſuum ſubditum contemnere excommunicationem, vel non proficere, non debet tunc illum excommunicare ; ſed eidem infligere aliam pœnam : & ſi excommunicavit debet etiam nolentem ipſum abſolvere, eò quia non proficiat. Sententia tamen definitiva ſi non feratur in ſcriptis, non tenet , nec requiritur expreſſio cauſæ. Rurſus ſi homini notoriè conſtet de injuſtitia excommunicationis, ut ſi non ſit lata in ſcriptis, vel non expreſſit rationabilem cauſam ; ſuperior poteſt illum abſolvere non remittendo eum ad excommunicatorem : ſin verò non conſtet notoriè debet remitti ad eum, qui ſententiam tulit excommunicationis. Præ-*

terea

terea Judex ſi evoluto menſe à die ſententia requiratur, tenetur dare copiam ſententiæ, perinde ac aliarum ſcripturarum, non tamen incidit in has pœnas; ut nec etiam ſi ſine dolo & culpa non ſervat prædicta in excommunicatione, tunc quia inculpatè proceſſit, non incidit in has pœnas.

C. *SOLET 2. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi excommunicatus petat abſolvi ad cautelam dicens ſententiam excommunicationis fuiſſe nullam, tunc debeat abſolvi, quamvis excommunicator, vel adverſarius ſe opponat, niſi objiciat, quòd ſit excommunicatus pro manifeſta offenſa; ſi enim intra octiduum id probet, non abſolvitur, niſi priùs ſufficientem præſtet emendam; vel det ſufficientem cautionem parendi juri, ſi offenſa ſit dubia. Rurſus ut excommunicatus volens probare in judicio; ſe poſt appellationem legitimam fuiſſe excommunicatum, vel ſententiam excommunicationis continere intolerabilem errorem, pendente probatione in cæteris, quæ ut actor attentat, in judicio ſit vitandus; non verò extra judicium in officiis, electionibus, poſtulationibus, aliiſque legitimis actibus. Edita fuit hæc decretalis ac coërcendas, ſeu moderandas excommunicationes, ne in cauſis dubiis multiplicentur; & innocentibus damnum inferatur. Cæterum notat Gloſſa ex juſta cauſa ultra octiduum poſſe dari dilationem ad probandum. Quòd verò extra judicium dicatur admitti in officiis id intelligitur etiam divinis; adeo ut poſſit tunc etiam celebrare.*

C. *STATUIMUS 3. h. t. Reſcribit idem Pont. judicem non poſſe excommunicare majori excommunicatione participantes cum excommunicatis ab ipſo, niſi præmittat canonicam monitionem; vel niſi participent in crimine damnato: quia ex participatione in locutione, & aliis tantùm incurritur excommunicatio minor. Quòd ſi judex ſecus fecerit, mandat Pontifex, ut puniatur. Nota cum Gloſſa præviam monitionem non eſſe de ſubſtantia excommunicationis; ſed de juſtitia: hinc excommunicatio lata ſine prævia canonica monitione eſt quidem valida, ſed injuſta* c. ſacro 48. h.t. *proinde eſt revocanda. Rurſus declarat communicantem cum excommunicato in majori, & publicato peccare lethaliter; ac poſt factam canonicam monitionem poſſe excommunicari: ante tamen denunciationem participare cum excommunicato eſt tantùm peccatum veniale, ut cenſent plures. Cæterum participans cum excommunicato in crimine damnoſo poteſt excommunicari etiam ſine prævia monitione. Imò etiam Epiſcopus communicans in crimine damnato cum excommunicato a ſe incurrit excommunicationem majorem, quia ut notat Hoſtienſis eſt excommunicatio lata à jure contra quoscunque participantes in crimine crimimoſo cum excommunicato* c. Nuper 29. h.t. *non tamen deſunt qui contrarium doceant.*

C. *QUIA 4. h.t. Statuit idem Pont. ut Epiſcopi, & alii Prælati, nullius conſtitutionis occaſione ſuſpenſionis, vel interdicti incurrant ſententiam ipſo jure, niſi in iiſdem de Epiſcopis habeatur expreſſa mentio. Nota hunc textum non ſolùm procedere de ſuſpenſione ab officio, ingreſſu eccleſiæ, aliiſque id genus: verùm etiam de ſuſpenſione à beneficio* c. ſi compromiſſarius de electis in 6. *Secus de excommunicatione* c. pro humanis init. de homic. in 6. *Præterea nomine Epiſcopi intelliguntur etiam Archi Epiſcopi, Patriarchæ, Primates; quia non attenditur dignitas, ſed officium pontificale; & non datur ordo ſuperior Epiſcopatu: unde etiam Papa dicitur Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ; nec aliter ſe nominat.*

C. *ROMANA ECCLESIA 5 h.t. Idem Pont. plura ſtatuit. Primò Ne Archi Epiſcopus Remenſis ſententias officialium Suffraganeorum ſuorum relaxet, niſi id ex conſuetudine fuerit introductum. Secundò ut ſententiæ generales ejuſdem Archi Epiſcopi, vel officialium illius non ligent niſi ejus ſubditos. Tertiò ut nec in genere, nec in ſpecie pro culpis præteritis, vel præſentibus excommunicationem ferant, monitione non præmiſſa. alioquin ſententia eſt injuſta. Quartò ut pro futuris, vel jam commiſſis culpis, ſi intrà tale tempus non ſatisfaciat, neminem excommunicent; niſi ſubſit aliqua cauſa juſta ut mora, vel culpa, quæ exprimenda eſt in ſententia. Quintò prohibet ne in totum collegium, vel univerſitatem feratur excommunicatio. ne contingat innoxios irretiri; ſed in illos tantùm de collegio, vel univerſitate. qui culpabiles fuerint. Nota ex hoc textu excommunicationem latam in non ſubditos non tenere; quia ferre talem ſententiam eſt actus jurisdictionis. qui non exercetur niſi in proprios ſubditos. Rurſus canonem conſilii Provincialis ligare provinciam; ſed decretum Archi Epiſcopi ſolum Archi-Epiſcopatum in particulari. niſi exteri ſiant ſubditi ratione delicti* c. ut de fero compet. *Præterea excommunicationem latam ſine prævia admonitione, quamvis injuſtam, ligare tamen; ſed excommunicantem incurrere pœnas. Nota diſcrimen inter ſtatutum, & ſententiam; quia ſtatutum poteſt fieri pro futuris delictis: quo pacto Papa interdum dicit: ſtatuimus ut nullus faciat hoc, vel illud: qui id fecerit ſit ipſo facto excommunicatus* c. à nobis 28 h.t. *ſecus ſententia ſupponit delictum jam patratum.*

C. *DILECTO FILIO 6. h. t. declarat idem Pont. ſi Princeps ſæcularis, ſeu potentia quævis laicalis velit ſuis bonis mundanis injurioſe ſpoliare Prælatum eccleſiaſticum poſſit hic ſe defendere armis temporalibus & ſpiritualibus, ſeu excommunicatione & interdicto: eo quia omnia jura permittunt ſingulis vim vi repellere, ac ſe defendere, & quidem utroque gladio. imò etiam tale auxilium exhibere cuilibet proximo ad repellendam ejus injuriam.*

quia hi duo gladij neceſſitate exigente conſueverunt ſibi invicem ſuffragari, & juvamen alterius ſubventione mutua frequenter exerceri.

C. *VENERABILIBUS 7. h. t. Idem Pont. declarat. Primò Archiepiſcopos non poſſe abſolvere excommunicatos à ſubditis ſuorum Suffraganeorum, ut ab Abbate, vel Archidiacono eò quia Archiepiſcopus non ſit Judex excommunicati, nec excommunicantis. Secundò Archiepiſcopum non poſſe abſolvere excommunicatum ab ejus Suffraganeo vel etiam ipſius Officialibus, niſi ad eum fuerit appellatum: quia niſi fuerit appellatum quamvis altera pars recurrat ad Archiepiſcopum, non poteſt hic cognoſcere de injuſtitia excommunicationis niſi una pars fuerit ad inſtantiam alterius partis excommunicata à Suffraganeo, & deinde coram Archiepiſcopo petat Suffraganeum puniri ob injuſtitiam. Vel quando Epiſcopus non ad inſtantiam partis, ſed ex ſuo officio excommunicavit; quia tunc poteſt Archiepiſcopus cognoſcere de juſtitia ſententiæ. Tertiò Archiepiſcopum debere abſolvere excommunicatos à Suffraganeo antequam incipiat cauſam audire in caſibus, in quibus ei competit juriſdictio, ut quando quis poſt definitivam fuit excommunicatus, & appellat, exceptis caſibus, in quibus jura prohibent appellare. Hinc ſi Suffraganeus extra judicium ob defenſionem propriam, vel ſui juris aliquem excommunicat; & ſuper hoc ei querelam ponit priùs abſolvendus eſt juxta formam eccleſiæ niſi Suffraganeus ſe offerat probaturum eum excommunicâſſe pro manifeſta offenſa, vel pro contumacia: etenim ſi fuit excomũnicatus ob contumaciam, quia non comparuit in termino ſive cauſa ſit contra partem, & appellavit, & pars contradicat abſolvi: ſive cauſa ſit cum Epiſcopo & excomũnicatus dicat quòd vere contumax non debeat cenſeri, eò quia fuerit in itinere captus, vel legitimè impeditus, tunc etiam eſt priùs abſolvendus ſecundùm formam eccleſiæ: ſecus ſi fateatur ſe contumacem, vel conſtet de contumacia manifeſta, vel offenſa, tunc non eſt abſolvendus niſi priùs ſatisfaciat expenſis, detque cautionem, de ſtando judicio eccleſiæ; his enim poſitis tantùm abſolvi debet. Verùm contumacia hæc debet eſſe manifeſta, & non præſumpta, cujus aliquot exempla ponit Pontifex. Hinc ſi Judex vocat aliquem ad certum locum, & vocatus dicat, locum illum ei non eſſe tutum, quod non probat, & non comparet; ſi deinde appellat eſt abſolvendus juxta formam eccleſiæ præſtita prius cautione, ut ſupra. Quartò excommunicationem latam poſt appellationem ex cauſa probabili non ſtatim eſſe pronunciandam irritam, & nullius valoris, ſed poſſe relaxari ad cautelam, etiam ante inchoatam cognitionem cauſæ; ut etiam ſi dicatur læſa propter errorem intolerabilem, ſed error ille defendatur. Quintò declarat etiam Pontifex, quòd ſi certum ſit, excommunicationem eſſe juſtam ſuperior Judex dummodo periculum non ſit in mora debeat remittere excommunicatum ad excommunicatorem: imò ſi ſit dubium, poſſit relaxari ad cautelam, quamvis honeſtius ſit eum remittere ad excommunicatorem, tametſi veniat relaxatio ſi Epiſcopus ſit Judex. Quòd ſi conſtet, ſententiam eſſe injuſtam non debeat excommunicatus remitti, ſed abſolvi. Cæterùm quando Archiepiſcopus poteſt cognoſcere de excommunicatione ſi abſolvat, abſolutio tenet, quamvis ſit injuſta, quia licèt ſit contra jus litigatoris, non tamen abſolvit contra conſtitutionem. Sextò declarat etiam poſſe Archiepiſcopum in caſibus, in quibus poteſt excommunicare ſubditos Suffraganei poſſe ab iiſdem exigere emendas pecuniarias ſecundùm conſuetudinem regionis. Septimò quòd ſi excommunicatus dicat ſententiam excommunicationis continere errorem intolerabilem, & Epiſcopus id neget, poſſit tunc Archiepiſcopus eum abſolvere ad cautelam. Octavò ſi dicat, ſe excommunicatum ante definitivam ſententiam in judicio; vel extra poſt legitimam appellationem, poteſt Archiepiſcopus abſolvere ad cautelam juxta formam eccleſiæ etiam antequam incipiat cognoſcere de veritate cauſæ appellationis. Notandum eſt ex hoc prolixo textu Archiepiſcopum non eſſe Judicem ſubditorum ſui ſuffraganei, quando proceditur per viam querelæ ſed tantùm quando per viam appellationis. Cæterum quamvis forma abſolvendi excommunicatos in eccleſia antiquitùs fuerit longa, hodie tamen ſufficit, ſi abſolvens dicat* Ego te abſolvo ab hac excommunicatione quam incurriſti ob tale delictum, & reſtituo te communioni fidelium. *Cæterum appellatio interpoſita poſt definitivam ſententiam intra decem dies non revocat alia attentata, quia excommunicatio vel fuit ſtatim valida, vel irrita. Rurſus colligitur ex textu, judicem eccleſiaſticum poſſe mulctare pœnâ pecuniaria loco excommunicationis tametſi non ſit conſuetudo. Verùm hæc pœna pecuniaria non niſi rariſſimè eſt imponenda: & ſi injungatur debet pecunia impendi in pios uſus ne Judex videatur avaritiam olere.*

C. *DECERNIMUS 8. h. t. Alexander IV. ſtatuit, ut Judices ſæculares per cenſuras ab eccleſiaſticis præmiſſa canonica monitione compellantur repellere excommunicatos ab agendo patrocinando, & teſtificando in ſuis curiis, & judiciis: quia eſt quædam communicatio cum excommunicatis in iis, quæ cum aliis infidelibus ſunt ipſis interdicta. Ex quo textu liquet, Judicem laicum poſſe adigi ad ſervanda iura canonica in materia peccati. Hinc excipiuntur ea, quæ ad juſtam vel neceſſariam ſui defenſionem pertinent: quia ad ſe defendendum nemo repellitur* c. intelleximus de judic.

C. *CONSTITUTIONEM 9. h. t. Gregorius X. renovat, & confirmat conſtitutionem Innocentii IV. in* c. ſtatuimus 3. h. t. *de participantibus cum excommunicatis ante monitionem canonicam non excommunicandis maiori*

iori excommunicatione, & declarat quòd quando excommunicantur participantes cum excommunicate præmiſſa canonica monitione & ſervatis ſervandis debeant etiam exprimi nominatim, hi qui monentur. Rurſus ſtatuit, ut Judices, quando faciunt canonicas monitiones, ſive citent tribus vicibus, ſive una pro tribus, obſervent intervalla competentia aliquorum dierum niſi neceſſitas facti ſuaſerit aliter illa eſſe moderanda. Hinc colligitur cum Gloſſa ad excommunicandos participantes cum excommunicata eſſe iſtas nominatim monendos & non ſufficere generalem monitionem. Rurſus ſi fiat una monitio pro tribus eſſe explicandum, & dandum terminum competentem explicando pro ſingulis formam. Cæterum nominatio poteſt fieri non ſolùm per nomina, ſed etiam per circumſtantias indubitabiles habentes vices proprii nominis. Cæterum probabile eſt in ſententia plurium, hodie non poſſe generaliter excommunicari participantes niſi in crimine criminoſa communicent cum excommunicatis.

C. PRÆSENTI 10. h. t. declarat idem Pontif. quòd tametſi excommunicatio relaxetur ad cautelam, ut in cap. venerabilibus; nihilominus interdictum poſitum generaliter in civitates, caſtra, vel alia loca non debeat ad cautelam relaxari. Ratio eſſe poteſt, quia interdictum non infere, tam grave damnum interdicto, ut ante finem cauſæ debeat relaxari, ut fieri ſoles, in excommunicatione. Cæterum ſi relaxatio fiat, non tenet. Sin verò interdictum fiat particulariter in perſonam poteſt perinde ad cautelam relaxari, ſicut excommunicatio.

C. QUICUNQUE 11. h. t. declarat idem Pont. eſſe excommunicatos quotquot dant licentiam moleſtandi, vel gravandi in perſonis, vel in bonis illorum, qui excommunicaverunt, ſuſpenderunt, interdixerunt; vel quorum occaſione hæ ſententiæ ſunt prolatæ: ut etiam obſervantes illas ſententias, vel eos, qui nolunt communicare cum prædictis, niſi re integra licentiam revocaverint: vel re non integra ſi occaſione licentiæ proceſſum ſit ad captionem bonorum, niſi infra octiduum reſtituant, vel ſatisfaciant. Rurſus declarat Pontifex etiam excommunicatos eos, qui auſi ſunt, uti dictâ licentia vel ſine licentia motu proprio aliquid ex prædictis prohibitis committunt. Et demum ſtatuit, ut perſeverantes in hac excommunicatione per duos menſes non poſſunt deinde abſolvi, niſi à Sede Apoſtolica. Ubi notat Gloſſa etiam Epiſcopum incurrere hanc excommunicationem, ut etiam eum qui hac occaſione percuſſit laicum ut etiam prohibentes ne quis vendat, vel emat ab eis.

C. SI JUDEX 14. h. t. declarat Bonifacius VIII. quòd ſi malefactor captus, & detentus à Judice laico dicat ſe eſſe clericum ac petat remitti ad Judicem eccleſiaſticum: vel hic eum repetat, & laicus neget eſſe clericum, cognitio hujus cauſæ ſpectet ad Judicem eccleſiaſticum vocato tamen Judice ſæculari. Sin verò ſit notorium, vel fama publica, quòd ille ſit clericus, vel communiter habeatur pro clerico, tunc ſtatim ante cognitionem cauſæ ſit reſtituendus curiæ eccleſiaſticæ, ut etiam ſi ante capturam Reus non gerebat ſe ut laicum publicè, & fuit captus ut clericus, ſeu in tonſura & veſtibus, quia ſtatus alicujus is videtur eſſe, in quo ipſe deprehenditur donec contrarium conſtiterit, perinde ac qui eſt in poſſeſſione ingenuitatis. Quòd ſi antequam caperetur publicè ſe pro laico gerebat, & pro tali etiam communiter habebatur, quamvis in tempore capturæ fuerit poſtea inventus in habitu clericali, tunc non eſt ſtatim reſtituendus, donec captus doceat de titulo, quia præſumptio tunc eſt contra ipſum licèt contra eum interim non debeat procedere. Ex hoc textu liquet, quòd quando eſt dubium an reus aſſerens ſe eſſe clericum ſit verè clericus, cognitio cauſæ pertineat ad Judicem eccleſiaſticum non laicum juxta communem ſententiam Canoniſtarum. Cæterum Judex laicus non poteſt capere clericum etiam in delicto deprehenſum ſine incurrenda excommunicatione niſi periculum ſit in mora, id eſt ne fugiat, & delictum maneat impunitum.

C. STATUTUM 13. h. t. declarat idem Pont. quòd ſicut Iudex non poteſt excommunicare excommunicatione majore participantes cum excommunicatis niſi præmiſſa canonica monitione: ita nec poſſit eoſdem participantes ſuſpendere, vel interdicere ſine prævia monitione canonica, & declarat prædictas cenſuras impoſitas ſine prævia monitione & niſi in ipſis nominatim exprimantur cenſuris ligati non valere.

C. LICET 14 h. t. Idem Pont. declarat ſententiam excommunicationis poſt legitimam appellationem negligenter deſertam, non ideo ratificari, nec etiam convaleſcere. Excommunicatum tamen nominatum ſpecialiter, & expreſsè poſt terminum appellationis proſequendæ ab homine, vel jure ſtatutum elapſum, debere publicè denunciari & ubique vitari, ac à legitimis actibus removeri donec docuerit de nullitate ſententiæ. Hinc elapſo tempore eſt publicè denunciandus excommunicatus, & eſt vitandus in judicio, & extra judicium, & removendus ab actibus legitimis, donec doceat ſe fuiſſe excommunicatum poſt appellationem, vel aliter oſtendat nullitatem excommunicationis. Ubi notat Gloſſa, interim poſſe peti abſolutionem ad cautelam, & non ceſſare juriſdictionem Judicis, qui propterea poteſt procedere in cauſa principali. Unde ex eo quod quis ſit denunciatus excommunicatus, non propterea ſequitur eſſe excommunicatum, quia poteſt quis revera non eſſe excommunicatus, ut in textu, tametſi ſit denunciatus excommunicatus.

C. SI CLERICOS 15 h. t. reſcribit idem Pont. quòd ſi Epiſcopus faciat per laicos capi clericos ſibi ſubjectos ob exceſſus, eóſque in carcerem detrudi, neque Epiſcopus, neque ipſi capientes ſint excommunicati, tametſi clerici capti, & in carcerem detruſi nondum appareant incorrigibiles. Si tamen dicti clerici de parendo juri dede-

dederunt cautionem, detineri non debent, niſi ob enormitatem exceſſus vel aliam cauſam rationabilem. Ubi notandum eſt textum loqui de captura Clerici ex mandato Prælati eccleſiaſtici qui punire poteſt etiam per laicos, quamvis clerici capti nondum appareant incorrigibiles. Rationabilis autem cauſa detinendi clericos ab exceſſus enormitatum eſt ad clericos indiſciplinatos coercendos. Cæterum Iudex laicus ſi ſine mandato Prælati eccleſiaſtici detineat clericum in carcere eſt excommunicatus.

C. *SI SENTENTIA 16. h. t. declarat idem Pont. quòd interdicto clero populus non intelligatur pariter interdictus, niſi aliud exprimatur: neque è converſo interdicto populo intelligitur interdictus clerus. Rurſus civitate ob delictum Domini interdicta ejus cives qui non ſunt culpabiles, nec interdicti (niſi fortâſſis in pœnam Domini) poſſunt è civitate egredi, & intereſſe divinis officiis. Rurſus interdicto populo ſunt etiam interdicti ſingulares de populo, qui propterea non poſſunt intereſſe divinis, nec recipere ſacramenta, niſi in caſibus à jure conceſſis. Ex hoc textu notat Gloſſa, interdicto clero alicujus eccleſiæ non eſſe interdictam eccleſiam, adeò ut alii clerici poſſint licitè in ea celebrare* c. per exemptione de privil. in 6. *Cæterum qui dat cauſam interdicto locali incurrit etiam interdictum perſonale; adeò ut non ſolùm in loco interdicto non poſſit divinis intereſſe, & ſacramenta recipere, ſed nec alibi; alioquin eſſet ſine effectu: verba enim ita ſemper ſunt explicanda, ut aliquid operentur.*

C. *SI CIVITAS 17. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi civitas caſtrum, vel villa interdicatur intelliguntur etiam interdicta ſuburbia, & continentia ædificia, tametſi de jure communi pœna utpote odioſa ſint ſtrictæ interpretationis; hæc tamen eſt latior ex vi hujus textus, ne interdictum contemnatur. Rurſus ſi interdicatur eccleſia ſunt etiam interdicta capella, & cœmeterium contiguum, in quo propterea non poteſt quis ſepeliri: ſecus verò ſi cœmeterium non ſit contiguum, ſed diſtet ab eccleſia, ut ſi eccleſia ſit in civitate, & cœmeterium extra muros ejuſdem civitatis. Quæ verò ædificia dicantur continentia, ut comprehendantur in interdicto, cenſet Gloſſa, id relinquendum eſſe arbitrio Iudicis. Rurſus quando interdicitur ingreſſus eccleſiæ, interdicitur etiam ſepultura cœmeterii* c. is cui h. t. *Quòd ſi tempore interdicti fuit aliquis ſepultus, ſi pœnitens deceſſit non eſt exhumandus. Præterea notat Gloſſa, quòd tametſi interdicta eccleſia contigua ſit etiam interdictum cœmeterium contiguum, non tamen è converſo interdicto cœmeterio eſt interdicta eccleſia contigua* c. unic. de conſec. eccleſ. in 6.

C. *IS QUI 18. h. t. declarat Pont. quòd ſi quis in eccleſia ſanguinis effuſione polluta, vel præſentibus majori excommunicatione innodatis ſcienter celebrare præſumat; quamvis in hoc temerariè agat, non tamen laqueum incurrit irregularitatis, eò quia id non ſit in jure expreſſum. ſcienter tamen celebrans in loco interdicto in caſibus non permiſſis, nec ex privilegio, incurrit irregularitatem à qua non poteſt diſpenſari niſi à ſolo Papa; & non poteſt eligere, nec eligi. Ubi notat Gloſſa, hanc irregularitatem non incurrere eum, qui ignoranter celebrat in loco interdicto* c. Apoſtol. de cler excommun. c. 1. de poteſt. *Cæterum eccleſia polluitur effuſione ſanguinis humani injurioſi* c. 1. de conſec. eccleſ. *Rurſus quamvis celebrans coram excommunicatis non fiat irregularis, ſit tamen ſuſpenſus* cap. is cui 20. h. t. *Item ſuſpenſus ab officio ad tempus à Confeſſario, ſi celebret, non ſit irregularis. Cæterum ex hoc textu deſumitur regula, quòd nulla incurratur irregularitas, niſi in jure ſit expreſſa, adeò ut irregularitas non poſſit imponi per ſententiam nec per ſtatutum. Imò debet caſus ob quem irregularitas incurritur ſpecificè eſſe expreſſus in jure, quia ſi ratio cur non incurratur irregularitas, eſt, quia non eſt in jure expreſſa, ſequitur à contrario ſenſu tunc tantùm incurri irregularitatem quando eſt ſpecificè expreſſa: quapropter ab uno caſu non poteſt fieri extenſio ad alium quamvis ſimilem: imò debet factum, ob quod irregularitas incurritur, eſſe certum, non dubium.*

C. *QUONIAM 19. h. t. declarat idem Pont. quòd tametſi terra ſit interdicta poſſit licitè fieri chriſma in die cœnæ Domini, eò quia chriſma ſit omnino neceſſarium in conferendis ſacramentis Baptiſmi, & confirmationis, quæ tempore interdicti licitè conferuntur pueris, & adultis. Nec obſtat, quod ſuperſit ſufficiens chriſma ex veteri, quia ut notat Gloſſa, vetus chriſma non debet eſſe uſui ultra annum, ſed debet comburi in fine anni* c. de conſec. diſp. 3. *Cæterum quia Baptiſmus & confirmatio conferuntur tempore interdicti pueris, & adultis, neceſſe eſt, conficiatur chriſma etiam tempore interdicti: quia conceſſo principali, ſeu baptizare, & confirmare, debet etiam concedi acceſſorium, ſeu confectio chriſmatis* c. acceſſorium de regul jur. in 6.

C. *IS CUI 20. declarat idem Pont. quòd interdicto ingreſſu eccleſiæ, ſit etiam interdicta celebratio divinorum, & ſe ingerentem in illis fieri irregularem, & decedentem in interdicto non eſſe ſepeliendum in eccleſia, vel cœmeterio niſi priùs ipſum pœnituerit. Præterea ſicut excommunicati, ita neque ſuſpenſi ab ingreſſu eccleſiæ ejuſque effectus per appellationem ſuſpenduntur: unde ſuſpenſio ab officio, vel ingreſſu eccleſiæ, vel ejus effectus non ſuſpenduntur per ſequentem appellationem, ſicut nec excommunicantur. Notat tamen Gloſſa ſuſpenſum ab ingreſſu eccleſiæ, ſi celebret extra illam, ut ſub aëre, vel ſub tentoria, vel privato tecto non fieri irregularem. Rurſus ei interdici ſepulturam cœmeterii cui interdicitur ingreſſus eccleſiæ, & id procedere ſive cœmeterium ſit contiguum eccleſiæ, ſive non, quia hoc interdictum eſt perſonale, & non locale. Rurſus notat Gloſſa, ſubſequentem appellationem non*

ſu

ſuſpendere ſuſpenſionem ab ingreſſu eccleſia, vel divinorum, ſicut neque à beneficio: ſed ſuſpendere ſuſpenſionem à perceptione beneficii, quia eſt temporalis, ſicut etiam à temporalibus, vel à præbenda, non ita à canonica, quia eſt ſpecialis: verùm probabilior ſententia eſt quòd appellatio ſuſpendat ſubſequentem ſuſpenſionem à beneficio.

C. RELIGIOSO 21. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi Religioſus percutiat clericum ſæcularem poſſit abſolvi ab Epiſcopo in eo caſu in quo Epiſcopus poſſet abſolvere clericum ſæcularem, qui alium clericum percuſſiſſet. Rurſus quamvis Novitius non cenſeatur Religioſus cum effectu donec ſit tacitè vel expreſſè profeſſus: declarat tamen Pontifex, eum, qui Novitium percutit, non evadere excommunicationem canonis. Caſus verò in quibus Epiſcopus poteſt abſolvere Religioſum, vel clericum ob percutionem alterius clerici, ſunt, ſi percuſſio ſit levis, & non ſolùm leviſſima c. mulieres h. t. ſi ſit æger, ſi in mortis articulo c. quod de litteris h. t. ut etiam ſi laboret, quovis alio impedimento eundi Romam. Impedimentum autem Religioſi principalius eſt prohibitio evagandi.

C. EOS QUI 22. h. t. declarat idem Pont. ut qui eſt in aliqua cenſura, à qua non poteſt abſolvi niſi à Papa, & ob mortis periculum, vel aliud legitimum impedimentum abſolvitur ab inferiore Prælato, vel ſacerdote: ſi poſtea ceſſante periculo, vel impedimento, quàm cito commodè poterit contemnat ſe præſentare illi, à quo erat abſolvendus ad recipiendum mandatum, & ſatisfaciendum, reincidat in eandem cenſuram. Rurſus ſi quis abſolvatur, à Sede Apoſtolica, vel eius legato cum hac conditione, ut ſe præſentet ſuperiori immediato, à quo accipiat pœnitentiam, & ſatisfaciat injuram paſſo; ſi hac non impleat, quando commodè poteſt reincidit in eandem ſententiam, non quod prior abſolutio ſuum amiſerit valorem, quia abſolutio ſemel valida non poteſt fieri quin fuerit valida, ſed, quia per novum inobedientia, & contumacia delictum eiuſdem excommunicationis reatum de novo, qui antea fuerit abſolutus, incurrit.

C. CUM QUIS 23. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi Paulus percutiat clericum nomine Petri, ſed ſine mandato Petri, ſi poſtea Petrus ratam habeat percuſſionem factam à Paulo ſit perinde Petrus ratificans excommunicatus, ac Paulus percutiens; quia ratihabitio retrotrahitur, & tunc comparatur mandato. Sin verò Paulus percuſſit clericum non nomine Petri, & poſtea Petrus ratam habeat percuſſionem clerici non eſt excommunicatus, quamvis per talem ratihabitionem peccet. Ratio verò, cur tunc non incurrat excommunicationem, eſt, quia nullus poteſt ratum habere quod ſuo nomine non eſt factum. Hinc notat Gloſſa, in primo caſu, Petrum eſſe excommunicatum à tempore ratihabitionis, & tunc ſortiri ſuum effectum, quamvis ratihabitio dicatur retrotrahi c. paſtoralis de appell. Quòd ſi Petrus tantummodo in ſuo animo ſit contentus de tali percuſſione, quam propterea ratificet in ſe, & non per ſigna exteriora, tunc quamvis ſit excommunicatus ſecundùm Deum, ſeu peccet mortaliter, non tamen incurrit excommunicationem in eccleſia militante, quia hæc non judicat de occultis, nec fert ſententiam excommunicationis niſi in eos, qui per ſigna exteriora delinquunt, vel manifeſtant ſua peccata.

C. ALMA MATER 24. & ult. h. t. declarat idem Pont. tempore interdicti ſive ab homine ſive à jure, omnes ſive benè ſive malè valentes eſſe admittendos ad ſacramentum pœnitentiæ, dummodo non ſint excommunicati; quia iſti non admittuntur niſi in articulo mortis. Neque admittuntur ij, qui ob culpam, dolum, vel fraudem dederunt cauſam interdicti, imò neque qui ad talem culpam interdicti dederunt conſilium, auxilium, vel favorem, niſi pro ipſo delicto priùs ſatisfaciant, ſi poſſint; vel ſaltem dent idoneam cautionem de ſatisfaciendo: vel ſi non poſſunt, ſaltem jurent ſe eſſe ſatisfacturos quam primùm commodè poterunt, & laboraturos pro poſſe dando conſilium, ut qui tenentur ſatisfacere, ſatisfaciant. Verùm non ideo relaxatur interdictum, ſed tantùm tunc conceditur illis pœnitentia. Rurſus ſtatuit Pontifex, ut tempore interdicti in eccleſiis, & Monaſteriis ſingulis diebus celebrentur miſſæ, & alia divina officia, ut priùs, ſub pœna diſtributionum amittendarum, ſi ſint canonici, & alii clerici, qui horis divinis non interſunt: debent tamen divina celebrari ſubmiſſa voce januis clauſis excluſis excommunicatis, & interdictis, & non pulſatis campanis. Rurſus feſtivitatibus Natalis Domini, Paſcha, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis mandat Pontifex, ut pulſentur campanæ, & januis apertis & alta voce ſolemniter celebrantur divina officia excluſis tamen excommunicatis, ſed admiſſis interdictis, qui non dederunt cauſam interdicti; quia illi pro quibus fuit expreſſè poſitum interdictum arcentur etiam tunc ab altari: & per hanc decretalem derogatur Bullis aliorum Pontificum Prædeceſſorum in hac materia remanentibus cæteris circa obſervantiam interdictorum in ſuo robore. Ratio eſt, quia ex obſervantia interdicti, & ſubtractione ſacramentorum devotio tepeſcit, charitas refrigeſcit, & cultura cæterarum virtutum negligitur; & inſurgunt hæreſes, & periculum animarum. Ubi notandum eſt cum Gloſſa, quòd licèt infirmis tempore interdicti poſt Pœnitentiam detur viaticum c. quod in te de pœnit. & remiſſ. non tamen benè valentibus poſt Pœnitentiam datur Euchariſtia. Præterea notandum eſt, quod tempore interdicti celebrandum ſit in eccleſiis non interdictis, quamvis ſint in loco interdicto.

IN SEPTIMO.

C. PROVIDÆ 1. h. t. Bonifacius VIII. ex eo quòd tempore interdicti divina organa ſuſpendantur & laudes Dei, & eccleſiaſtica ſacramenta non miniſtrentur, & tollantur mortuis, ſeu minuantur ſuffragia, præſertim per oblationum frequentiam hoſtiæ ſalutis; & adoleſcentes ac par-

parvuli rariùs percipientes ſacramenta minùs inflammentur, & conſolidentur in fide fidelium, & devotio tepeſcat, hæreſes pullulent, & multiplicentur animarum pericula, ideo ſtatuit, ut impoſterum Provincia, civitas, caſtrum, villa, locus, territorium, vel diſtrictus authoritate ordinaria, vel delegata non ſupponantur eccleſ. interdicto pro debito pecuniario, vel pro cujuſvis moneta, vel pecuniæ quantitate ſub quacunq; occaſione, vel cauſa ſeu quovis quæſito colore, pro eo maximè quod ipſorum Domini Rectores, ſeu Officiales, quocunque nomine cenſeantur, aut incolæ ſeu inhabitatores, quod ſingulares perſonæ ipſorum ſtatutis, vel ſtatuendis, Ordinatis, vel ordinandis terminis hujus, ſeu quantitate non ſolverint hac[t]*enus, aut in antea non perſolvent. Et Pontifex, declarat irritum, & inane ſi quid in contrariũ contigerit attentari.*

C. *QUONIAM 2. h. t. Leo X. ex concordatis Galliæ etiam prohibet ne judices in quæcunque loca ob debita pecuniarum ſententiam interdicti ferant, niſi caſibus hic expreſſis urgentibus, ſcilicet niſi ex cauſa ſive culpa ipſorum locorum; vel Domini, ſeu Rectores, vel Officiales ipſorum locorum authoritate Judicis requiſiti perſonam excommunicatam infra biduum inde eum effectu non ejecerint, aut ad ſatisfaciendum compulerint.*

C. *LICET EA & ult. h. t. Clemens VII. etiam declarat pro debito pecuniario, vel cujuſvis æris crediti quantitate non poſſe Judicem ordinaria, vel delegata poteſtate locum, vel populum interdicere non obſtantibus quibuſcunque contractibus, obligationibus, compoſitionibus, ſubmiſſionibus, fidejuſſionibus, conſenſibus, proceſſibus, & ſententiis tunc deſuper habitis, & habendis juramentorum, pœnarum ſpiritualium, temporalium, ſeu mulctorum appoſitione, vel quacunque alia firmitate vallatis; niſi talis ſuppoſitio interdicti eatenus foret facta, vel in antea fieret de Apoſtolicæ Sedis ſpeciali licentia, & expreſſa, apparente per ipſius patentes litteras.*

IN CLEMENTINIS.

C. *EX Frequentibus 1. h. t. præcipit Clemens V. in Concilio Vienneuſi, ut omnes Religioſi etiam exempti ſervent inviolabiliter interdictum juxta* c. alma mater *quod ſciunt obſervari à Cathedrali, vel matrice, vel Parochiali eccleſia, non obſtante quacunque appellatione, vel objecto: quod ſi ſecus fecerint declarat eo ipſo incurrere excommunicationem. Rurſus præcipit, ut idem obſervetur in interdicto, & ceſſatione à divinis præſcriptis à Concilio Provinciali. Ut etiam in ceſſationibus generalibus à divinis civitatum, terrarum, & aliorum locorum quos aliquando ex conſuetudine, vel aliàs capitula collegia, vel conventus ſecularium, aut regularium eccleſiarum ſibi vendicant. Demum monet, ut diligenter obſervent ſtatuta Romanorum Pontificum ſuper his edita. Ubi notat Gloſſa, quòd licèt interdictum in ſe non teneat: ſi tamen eccleſia matrix illud ſervat; teneantur etiam religioſi illud ſervare ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda.*

C. *GRAVIS ad nos 2. h. t. Idem Pont. anathemate percutit omnes nobiles, & Dominos temporales, qui præſumpſerint quomodolibet compellere, celebrari divina officia in locis interdictis, vel evocare alios præſertim excommunicatos, vel interdictos ad audiendum divina officia; vel prohibere, ne publice excommunicati, vel interdicti exeant de eccleſiis, dum celebrantur divina officia, à celebrantibus admoniti, ut exeant: quòd ſi ipſi excommunicati nominatim non exeunt, iterum excommunicantur hac excommunicatione reſervata Papæ; ut etiam præfati nobiles, & Domini temporales cogentes alios celebrare divina in loco interdicto. Notat Gloſſa, ſcientem interdictum poſitum ab homine, vel à jure, quamvis non ſit denunciatus, teneri illud ſervare. Rurſus textum ponere vocationem, & coactionem realem, vel perſonalem directè vel indirectè Præterea celebrantem, ſi adſit excommunicatus, debere miſſam inchoatam relinquere; niſi canon jam fuerit, & ipſe inchoatus.*

C. *CUM EX EO 3. h. t. Prohibet idem Pontifex, ne fratres minores tempore interdicti admittant ad divina officia fratres, & ſorores tertii ordinis, quem S. Franciſcus inſtituit non obſtantibus privilegiis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, à qua non niſi per Pontificem abſolvi poſſint: vel ſatisfactione præmiſſa per locorum Epiſcopos authoritate Apoſtolica.*

C. *SI SUMMUS 4. & ult. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi Papa ſcienter communicet cum excommunicato verbo, oſculo, vel alio modo, per hoc non cenſeri eum abſolvere, niſi per hoc exprimat, quod velit eum abſolvere. Ut etiam licèt ſub titulo dignitatis nominet, vel honores non per hoc illum in dignitate conſtituit, vel approbat, vel illi tribuit aliquid novi juris. Cæterum notat Panormitanus, poſſe Papam per quemcunque actum aliquem abſolvere, dummodo conſtet, Pontificem per talem actum intendiſſe eum abſolvere. Idque neceſſarium eſt in ordine ad forum externum, in quo abſolutio non probatur niſi per ſigna ſenſibilia.*

IN EXTRAVAGANTIBUS
Joannis XXII.

C. *CUM AD ſacroſancta. unic. h. t. Præſcribit Pontifex, textum pro litteris Apoſtolicis juxta monetam Turonenſium groſſorum, & Romanorum: quæ tamen moneta hodie non eſt amplius in uſu, nec nobis nota: propterea ſtandum conſuetudini, ac praxi hodiernæ: & ſupervacaneum eſt diutiùs in explicatione textus immorari.*

IN EXTRAVAGANTIBUS
COMMUNIBUS.

C. *EXCOMMUNICAMUS 1. h. t. Excommunicat Bonifacius VIII. omnes Clericos, Religioſos, & laicos utriuſque ſexûs, qui pactum fecerint, & aliquid magnum, vel parvum promiſerint, vel receperint apertè, vel occultè pro aliqua juſtitia, vel gratia pro ſe, vel alio obtinenda. Rurſus ſcientes aliquem culpabilem in prædicto, niſi intra triduum Papæ retulerint, vel alicui, per quem ad ipſum fideliter referatur,*

vatur, ſimili ſententia ſubjacent; quam Pontifex ſibi reſervat, adeo ut à nullo alio abſolvi poſſint extra mortis articulum. Mandat etiam Pontifex, ut priùs quàm abſolvantur, quantum dederunt, vel receperunt pauperibus integrè largiantur: & quæ ſic obtinentur, vult eſſe irrita: & ſcienter ipſis utentes ſimili excommunicatione ligantur. Hanc decretalem Extravagantem poſtea innovavit Gregorius XIII. in Bulla, cui initium Ab ipſo Pontificatûs principio *edita Romæ anno 1574. doctiſſimè ſcripſit ſuper eadem Bulla Navarrus in ſuo commentario* de datis, & promiſſis pro juſtitia, & gratia obtinenda. *differt tamen Bulla Greg. XIII. ab Extrav. Bonif. VIII. quia in hac non imponitur pœna privationis, aut ſuſpenſionis à Beneficiis: bene tamen in Bulla Gregoriana, in qua non ſolùm infligitur pœna privationis, & ſuſpenſionis à beneficiis; ſed etiam ab officiis ſæcularibus, & temporalibus; & declarat Pontifex, hanc pœnam ipſo jure incurri, ut notat Navarrus* loc. cit. not. 31. num. 40. *Notat Gloſſa, etiam Epiſcopos incurrere hanc pœnam. Qui tamen dat Judici pro juſtitia differenda, vel auferenda, non incurrit hanc pœnam; imò nec ipſe Judex, nec tabellio, qui plus debito accipit. Cæterum non ſufficit promiſſio, vel datio cujusvis rei parvæ; ſed debet eſſe tanta, ut præſumatur eſſe apta ad flectendum à recto recipientem, ut notat Navarrus* loc. cit. *Rurſus poſt negotium completum ſine præcedente parobola poteſt dari aliquid promotori. Præterea quando neuter facto, vel verbo exprimit, & ſola intentione uterque hoc gerit, non ligatur hoc vinculo, quia cum ſit pœnale requiritur factum. Cæterum, quod datum fuerat non reſtituitur danti, ſed pauperibus ob turpitudinem dantis: turpe enim lucrum extorquendum eſt à poſſeſſore, & dandum pauperibus; quia res erat in ſe mala. Nota, hanc decretalem tantùm procedere de obtinentibus aliquid apud Sedem Apoſtolicam, non verò apud alium Principem, vel Magiſtratum.*

C. *PROVIDE 2. h. t. Idem Pontifex prohibet ne interdictum imponatur pro re pecuniaria, ut quia populi non ſolverunt, ſine ſpeciali licentia Papæ, cum cauſa expreſſa. Nota, hanc diſpoſitionem ſolùm in generali interdicto integræ civitatis procedere; non unius ſolùm Parochiæ, ſi plures in tali civitate, vel loco ſint.*

C. *AD CERTITUDINEM 3. h. t. Clemens V. declarat excommunicatum Andronicum* Palæulogum, *qui ſe imperatorem Græcorum nominabat foventem hæreſes, & ſchiſmata. Imò etiam eius ſequaces in hoc, & dantes auxilium, conſilium &c. univerſitates verò ſupponit interdicto.*

C. *QUIA 4. & ult. h. t. Idem Pontifex excommunicat eos, qui audent impugnare literas Papæ ſuper quibuscunque negotiis factas ante coronationem Papæ.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit cenſura.

1 CEnſura ſignificat Cenſoris dignitatem, & Cenſor dicitur à verbo cenſeo, quod eſt conſtituere, vel præcipere, ut habetur *in l. Cenſ. III. ff. de V. S.* pertinebat enim ad officium Cenſoris de civium moribus inquirere, ut indigni ab honoribus arcerentur, & digni ad eosdem promoverentur: fuit etiam Cenſoris officium, cenſuum, ac vectigalium ſolutioni præeſſe, ut refert Livius *lib. 4. dec. 1.* Uſus tamen poſtea invaluit, ut nomine cenſuræ rigida, ac ſevera correctio ſignificaretur, ut etiam ſententia coactiva, vel punitiva cenſoria, in quo ſenſu Plinius junior vocat cenſuram Principis vitam, & Juvenal. Satyr. 2.

Dat veniam Corvis, vexat cenſura columbas.

Scilicet malitia Principis parcit peccantibus, & eos punit, qui ex fragilitate, ac ſimplicitate delinquunt. In hoc ſenſu cenſura alia eſt activa; paſſiva alia; illa eſt actio judicis punientis, quæ cenſio, ſeu punitio dicitur: hæc eſt terminus eiusdem actionis, ſeu paſſio illata, id eſt pœna illa, quæ à Judice infertur. Hinc cenſuræ vox tranſlata, & accommodata eſt ad ſignificandam eccleſiaſticam pœnam, & mulctam, quæ ſeveritatem aliquam prodat, ac rigorem eccleſiaſticæ juriſdictionis, ac poteſtatis coërcivæ.

2 Prout igitur cenſura juxta præſens inſtitutum eſt in uſu eccleſiæ, uſurpaturque à ſacris canonibus definitur eſſe: *pœna ſpiritualis, & medicinalis privans primario uſu aliquarum actionum ſpiritualium per eccleſiaſticam poteſtatem: ita impoſita, ut per eamdem ordinariè abſolvi poſſit.* Dicitur *pœna ſpiritualis* loco generis quia omnis cenſura eccleſiaſtica eſt pœna ſpiritualis, non è contra; quia irregularitas ſæpe eſt gravis pœna, & quidem ſpiritualis, non tamen eſt cenſura; ſed quædam duntaxat inhabilitas. Rurſus dicitur pœna quia hæc non contrahitur niſi propter culpam, additur *ſpiritualis*, quia cenſuræ eccleſiaſticæ non verſantur principaliter circa privationem bonorum temporalium, nec circa afflictionem corporis, ſed circa pœnam ſpiritualem. Dicitur etiam *pœna medicinalis*, quia cenſura eccleſiaſtica propriè non eſt pœna vindicativa ſceleris jam patrati; ſed medicinalis intendens futuram correctionem delinquentis contumacis *c. cum medicinalis 1. h. t. in 6.* ubi Innocentius IV. ait excommunicationem eſſe medicinalem, & diſciplinantem.

Additur privans *primariò uſu aliquarum actionum ſpiritualium* ad differentiam aliarum pœnarum; quia tametſi eccleſia directè verſetur circa ſpiritualia; indirectè tamen verſatur etiam circa temporalia in ordine ad ſpiritualia; proinde dicitur cenſura primariò privare 3

ſpiritualiabus actionibus ; ſecundariò, & indirectè etiam uſu corporalium, ſeu externarum actionum, ut communicatione cum cæteris fidelibus. Ex bonis ſpiritualibus quædam ſunt propria & permanentia, quibus nemo invitus poteſt privari, cujusmodi ſunt gratia habitualis, virtutes infuſæ, earúmque operationes: alia dicuntur bona ſpiritualia communia, quibus homo in pœnam delicti poteſt invitus privari quoad uſum tam activum, quàm paſſivum, cujusmodi ſunt adminiſtratio, & participatio publicorum ſuffragiorum eccleſiæ.

4 Rurſus hæc pœna ſpiritualis medicinalis dicitur *impoſita per eccleſiaſticam poteſtatem* : quis legitima pœna non poteſt infligi niſi ab habente poteſtatem. Adduntur ultimæ particulæ : *ita impoſita, ut per eandem ordinariè abſolvi poſſit* ; quia ex ſua inſtitutione eſt vinculum quoddam diſſolubile : ſiquidem ab eccleſia inſtituta eſt non ſolùm, ut ſit pœna, ſed etiam ut ſit medicina, quæ ſanet, ſeu faciat reſipiſcere hominem contumacem *can. corripiantur 24. quæſt. 3.* id autem non præſtaret ſi perpetua foret, ſine ſpe remiſſionis.

5 Quod verò ad numerum attinet cenſurarum docent plerique, cenſurarum ſpecies eſſe ſeptem, excommunicationem, interdictum, irregularitatem, degradationem, depoſitionem, & ceſſationem à divinis, eâ innixi ratione, quia omnibus hiſce ſpeciebus conveniat definitio cenſuræ : ſiquidem earum quælibet eſt pœna eccleſiaſtica, quâ puniri ſolet fidelis baptizatus, ac privari aliquo bono ſpirituali. Communior tamen, & verior ſententia eſt, tres tantùm eſſe ſpecies cenſuræ, ſcilicet excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum ; ut docent ſpeciatim Panormitanus *in cap. præterea num. 2. de offic. deleg.* Hoſtienſis *in c. quærenti de V.S.* & communiter Canoniſtæ, quia hæc quæſtio videtur fuiſſe definita ab Innocentio III. in *cap. quærenti de V.S.* ubi ſub cenſura tres duntaxat præfatæ ſpecies comprehenduntur ; etenim interrogatus Pontifex, quid per cenſuram eccleſiaſticam ſit intelligendum, reſpondet, *quòd per eam non ſolùm interdicti, ſed ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententia valeat intelligi*, ex qua definitione infertur ; excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum eſſe absque ulla controverſia tres veras ſpecies cenſuræ, cùm id expreſſis verbis Pontifex, docuerit.

6 Idque adeò eſt certum, ut nullus Catholicorum dubitet. Ratio etiam hoc idem evincit, quia cenſura propriè, & formaliter eſt pœna ſpiritualis, ac medicinalis inflicta pro culpa, & privans uſu aliquorum ſpiritualium bonorum, & per eccleſiaſticam poteſtatem impoſita, ut fidelis reſipiſcat, & à contumelia deſiſtat, & hujusmodi ſunt excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum : ſunt enim pœnæ ſpirituales, quibus privantur fideles uſu, vel excommunicatione aliquorum bonorum ſpiritualium, unde nulli dubium, quin excommunicatio ſuſpenſio, & interdictum, ſint tres veræ ſpecies diſtinctæ cenſuræ, cùm diverſo modo & diverſis bonis ſpiritualibus privent.

Quòd autem, tantùm dentur tres cenſurarum ſpecies, & non aliæ, ex eo colligitur, quia præcitata reſponſio Pontificis eſt doctrinalis conſequenter æquivalet univerſali ; adeò ut ſenſus ſit, omnes cenſuras eccleſiaſticas contineri in tribus illis ſpeciebus excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti : alioquin inſufficienter Pontifex reſpondiſſet, neque plenè ſatisfeciſſet quæſtioni ſibi propoſitæ ; cùm enim Pontifex interrogatus, quid nomine cenſuræ ſit intelligendum reſponderit, non ſolùm interdictum, ſed etiam ſuſpenſionem, & excommunicationem, procul dubio ſequitur, nihil aliud per cenſuram intellexiſſe juxta eccleſiaſticam conſuetudinem, quàm excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum : alioquin regula illa inſufficiens foret ad intelligenda reſcripta Pontificum, & conceſſiones, quæ in eis fiunt : ſiquidem nomine cenſuræ poſſemus interdum quid aliud explicare ; proinde ſupervacanea, & ferè nullius momenti fuiſſet reſponſio Pontificis : quia ea non obſtante, quando Pontifex impertitur facultatem ſolvendi cenſuras eccleſiæ, vel illas ferendi, poſſet quis interpretari, ibi dari facultatem tollendi, vel imponendi etiam irregularitatem, depoſitionem, & alia id genus, quod tamen falſum eſt. 7

Quòd ſi dicas, Innocentium III. tantùm expoſuiſſe nomen cenſuræ prout uſurpatur in reſcriptis Pontificiis ; non verò ſecundùm ſe, & abſolutè. Contra eſt, quia hæc duo videntur inter ſe repugnare, quia nomen cenſuræ ex antiqua eccleſiæ conſuetudine ſignificat rem quandam moralem, ſeu pœnam ab eccleſia introductam, adeò ut per ſe primariò nitatur Pontificia authoritate, à qua derivetur ad inferiores : quapropter non poteſt aliter ſumi, nec alias continere ſub ſe ſpecies, quàm juxta præſcriptum, & uſum ſummorum Pontificum : hæcque ratio eſt, cur quoties in jure numerantur cenſuræ, fiat tantùm mentio excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ut in *c. ſtatutum h. t. in 6.* 8

Ineſſe eccleſiæ hanc poteſtatem infligendi cenſuras probari ſolet ex antiquo uſu eccleſiæ, etiam à tempore Apoſtolorum : ſiquidem D. Paulus *1. ad Corinth. 5.* inceſtuoſum quendam tradidit Satanæ inquiens ; *Judicavi tradere hujusmodi Sathanæ in interitum carnis* quòd nil aliud ſignificat, quàm illum excommunicâſſe, quia ut rectè Eckius in *enchir. art. 21.* in primitiva eccleſia ad fidei augmentum, & religionis propagationem, ſicut Spiritus ſancti dona ſenſibili ſigno fiebant palam, ut omnibus manifeſtarentur : excommunicatio exteriori vexatione dæmonis cognoſcebatur : quinimò eſt ac nunc per excommunicationem traditur ſathanæ ; quatenus tradere ſathanæ perinde etiam hominem communibus eccleſiæ ſuffragiis deſtitutum exponere tentationibus dæmonum, ut explicat D. Thomas *lect. 1. in c. 5. ad Corinth.* Hinc D. Auguſtinus *lib. 2. retract. cap. 17.* expreſſe docet, hanc poteſtatem juris- 9

juriſdictionis ferendi cenſuras ineſſe eccleſiæ; idque infert ex verbis illis *1. Corinth. 4. auferte malum ex vobis ipſis*: ubi Auguſtinus ite explicat textum Apoſtoli, ut ſenſus ſit; *auferte hominem malum, & pernicioſum a vobis ſeparate per excommunicationem*, quam maximam eſſe pœnam declaret, in *lib. de cor. & grat. c. 15.* & habetur *in cap. corripiantur 34. q. 3.* hinc Chryſoſtomus *homil. 4. ad Hebraeos*, ait: *nemo contemnat eccleſiaſtica vincula, non enim homo eſt, qui ligat, ſed Chriſtus, qui nobis hanc poteſtatem dedit.*

10 Ineſt enim eccleſiæ poteſtes juriſdictionis in foro exteriori, ſeu contentioſo à Chriſto conceſſe; duplex enim datur poteſtas in eccleſia, Ordinis, & juriſdictionis, & ed ferendam cenſuram non ſufficit, nec neceſſaria eſt poteſtes Ordinis, ſed requiritur poteſtas juriſdictionis; quæ bipartitur in interiorem, & exteriorem; non enim quævis juriſdictio eodem modo, & per eoſdem actus exercetur, verum quia utreque eſt in hominibus reſpectu aliorum hominum, neceſſe eſt, ut per actus exteriores exerceetur: & juriſdictio interior dicitur, quia ſolùm pertineat ad conſcientiam, & internum bonum animarum, quæ tamen juriſdictio cùm ordinetur ed forum ſecramentale exercetur etiem per actus externos. Alie eſt poteſtas ordinata ad regimen eccleſiæ in foro exteriori per judicia, pœnas, & elia, quæ ad benè conſtituendam & regendam hominum rempublicam neceſſarie ſunt. Hæcque vocatur poteſtas juriſdictionis exterioris, ad quam pertinet vis directiva ad ferendas leges obligantes in conſcientia, imò pertinet etiam vis coerciva, quæ propterea vocatur etiem poteſtas fori contentioſi: hanc poteſtatem fuiſſe à Chriſto conceſſem eccleſiæ conſtat ex generalibus illis verbis quibus Chriſtus *Matth. 16. & 18.* dixit, *quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis*: ubi conſideratur dictio illa generalis *quodcunque*, extenditur enim ed omnia illa, quæ ad conveniens eccleſiæ regimen neceſſarie, vel utilia eſſe poſſunt, neque limitanda ſunt verbe, quæ Chriſtus non limitavit, ut rectè notevit Innocentius III. *in cap. ſolita de major. & obed.*

11 Rurſus conſideranda eſt metaphore ſita in verbo *ligandi*, quæ optimè accommodetur cenſuræ eccleſiaſticæ, quæ vinculum quoddam, ſeu ligamen eſſe dicitur. Ex eo autem, quod addet *erit ligatum, & in cœlo* ſatis apertè ſignificet, hanc poteſtatem non eſſe neturalem, ſed ſupernaturalem, & illud ligamen eſſe ſpirituale.

12 Præterea quòd inſit eccleſiæ poteſtas juriſdictionis exterioris, & fori contentioſi, & ad hanc pertineat hæc poteſtas *ligandi* ſatis apertè declarent antecedentia verbe *Matth. 18. ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus*, ſeu ſeparetur, ut indignus eccleſiaſtica communicatione, & fructu: ſiquidem Chriſtus, ut oſtenderet futurum eſſe, ut hoc juſtè, & validè fieret in ſua eccleſia ſtatim ſubdit, *Amen dico vobis quæcunque ligaveritis*, & hanc poteſtetem agnovit in ſe ipſo D. Paulus cùm *2. ad Corinth. 10.* ſcripſit: *Nam etſi ampliùs aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam.*

Ratione etiam hoc idem evincitur, quia de ratione cujusvis Reipublicæ benè inſtitutæ eſt habere poteſtatem juriſdictionis in foro externo, ſeu poteſtetem directam, & coërcivam, ut convenienter regi, ac dirigi poſſit, ut vel ipſo naturæ lumine conſtat, cui aſſentitur utrumque jus: ſiquidem jus civile in *l. 2. §. de juriſdic. om. judic.* ait: *Cui juriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus juriſdictio expleri non potuit*: atqui ſine poteſtate coërciva, & directiva non poteſt juriſdictio exerceri hinc in *l. ult. §. de eo, cui mandata eſt juriſdictio*, dicitur, juriſdictio ſine modica coercitione nulla eſt. Hoc idem etiem edſtruit jus Canonicum: ſiquidem *in c. paſtoralis in princ. de offic. deleg.* habetur, *juriſdictio nullius videretur momenti, ſi coërcitionem aliquam non haberet*: rurſus *in c. ex litteris eod. tit.* dicitur; *juriſdictio deluſoria videretur, ſi coërcitionem aliquam non haberet*: atqui Chriſtus ſuam inſtituit eccleſiam per modum unius corporis politici, ſeu per modum perfectæ Reipublicæ ritè regendæ, & gubernandæ per homines, proinde eidem eccleſiæ conceſſit Chriſtus hanc juriſdictionem, quæ procul dubio deſiderabatur ad bonum ejuſdem regimen: etenim ſine vi directive, & coercive non poſſent ſubditi in eccleſie gubernari, & cùm quævis Reſpublice ſæcularis benè inſtitute poteſtatem habeat non ſolùm dirigendi ſubditos, ſed etiem puniendi rebelles, & contumaces, maximè in bonis, quorum diſtributio pertinet ad ipſem; ita nulla poteſt ratio ſuppetere, cur hæc eadem poteſtas non debeat regimini convenire eccleſiaſtico, cùm Chriſtus ſuam inſtituerit eccleſiam per modum unius corporis myſtici, & politici regendi, & gubernandi per homines: ad id enim deſiderabatur juriſdictio exercenda in ſubditos per utramque poteſtatem directivam, & coercivam; proinde neceſſaria etiam erat poteſtes ferendi cenſuras. 13

Idque ex eo etiam firmari poteſt, quia eccleſiæ ineſt ſpiritualis poteſtes coercive, quæ ex Chriſti inſtitutione non eſt limitata ed unum, vel alterum modum pœnæ, ut paulò ſuperiùs diximus; proinde debet extendi ed quamcunque pœnam, & modum; præſertim cùm modus ligandi, & puniendi per cenſuras inferendas ab eccleſia, non ſolùm ſit poſſibilis, ſed etiam, vel maximè conveniens regimini eccleſiæ: quia ſpirituali poteſteti magis videtur congruere gladius ſpiritualis, quàm materialis. Tum quia ſi quævis reſpublice ſæcularis bene inſtitute habet poteſtatem puniendi, & coercendi ſubditos, adeò ut poſſit illos pro- 14

pelis privare bonis, ac privilegiis, quibus utuntur communiter cives ejusdem, idque ad bonum promovendum regimen, & manu tenendum; etiam eccleſiæ neceſſaria videbatur hæc poteſtas puniendi, ſeu coercendi ſubditos per privationem bonorum ſpiritualium. Fusè egi de cenſuris generatim in mea Theol. *tomo 8. diſp. 35. & ſequent. à p. 657. usque ad 754.* & quia non partinent ad præſens inſtitutum, ideo ſi quis plura deſiderat, abundè *in d. tom. 8.* habet, ut ſibi ſatisſaciat.

§. II.

Quid, & quotuplex ſit excommunicatio, & quâ formâ ferenda.

1 QUamvis Pontifex in hoc titulo non ſolùm agat de excommunicatione, ſed etiam de aliis cenſuris, exprimit nihilominus in titulo ſolam excommunicationem, eò quia denominatio inſcriptionis fit à potiori. Definiri autem ſolet excommunicatio, *ut ſit cenſura, quâ Chriſtianus privatur aliqua eccleſiaſtica communione, & ejus fructu.* Ut autem intelligatur definitio juvat obſervare, duas inter fideles eſſe communicationes, unam purè naturalem, politicam, & civilem, quæ communis eſt fidelibus, & infidelibus: ſiquidem infideles inter ſe civiliter, & politicè communicant, ſalutatione, colloquio, mutua habitatione, communi menſa, & aliis id genus, quæ intra limites naturalis, & politicæ ſocietatis continentur abſque ullo ordine ad ſupernaturalia. Aliam eſſe com̃unicationem in rebus ſpiritualibus, ac divinis, quibus homines ad vitam æternam diriguntur, & hæc communicatio eſt propria fidelium, quibus tantùm convenit. Rurſus hæc communicatio ſpiritualis eſt triplex; una purè exterior, & viſibilis, ut communicatio in eiſdem cœremoniis ſacris, & in ſacramentis; ut etiam in aſſiſtentia ad divina officia, talis eſt etiam concurſus ad ſolemnes proceſſiones, viſitationes eccleſiarum, & ad alia hujusmodi præſcindendo à fructu ſpirituali, qui ex tali communicatione redundat in animam. Secunda communicatio ſpiritualis eſt purè interior, & inviſibilis fundata in illa myſtica unione, quâ fideles per gratiam, & charitatem inter ſe, & cum Chriſto capite uniuntur.

2 Hæcque adhuc eſt duplex, una quæ non exigit ſpecialem applicationem ipſorum juſtorum, ſed fit ex eo præcisè, quòd juſti ſint; & ratione hujus communicationis participant juſti fructum quendam ſpiritalem, qui conſiſtit præſertim in duobus; nimirum in gaudio quodam accidentali ex eo quòd alii plures ſint etiam juſti, & Deo grati, perinde ac in evangelio dicitur *Gaudium ineſſe Angelis ſuper peccatore pœnitentiam agente*: & in hoc alio, quòd quilibet ex conſortio ad alios juſtos ſit quodammodo Deo gratior: perinde ac inter homines, habitores unius oppidi dicuntur Regi chariores, alicujus peculiaris loci vicini, valde dilecti, qua ratione Deus *Geneſ.* 10. promiſit veniam toti urbi Sodomorum ſi in ea decem juſti reperirentur. Alia communicatio eſt, quæ exigit applicationem factam ab ipſis fidelibus, ut communicatio in meritis, & ſatisfactionibus propriis unius cujusque fidelis; quas ipſe etiam fidelibus in gratia exiſtentibus applicat: quæ communio dicitur etiam purè interior, eò quia nullo ſenſibili, & exteriori ſigno indigeat, ut fiat; & de hac utraq; com̃unione intelligitur illud ſymboli *Sanctorum communionem*, & illud Davidis Pſal. 118. *particeps ego ſum omnium timentium te.* Tertia communicatio ſpiritualis dicitur mixta ex interiori & exteriori; viſibili, & inviſibili, ut communicatio in cœremoniis ſacramentorum, ſuffragiis, orationibus, aliiſque rebus ſacris, ſenſibilibus & externis, & earum ſpiritualibus, fructibus, nimirum auxiliis divinis, & gratiis inde provenientibus.

Certum eſt, nullam excom̃unicationẽ privare communicatione ſpirituali purè interna, quod 3
procedit non ſolùm de illa quæ nullã exigit applicationẽ factam ab ipſis juſtis, ſed etiam de ea, quæ talem exigit applicationem: ratio eſt, quia hæc interior excom̃unicatio reſultat ex gratia, & charitate, quibus fideles ſunt juſti, & grati Deo: atqui nulla excommunicatio tollit per ſe gratiam, & charitatem, quia id eſt proprius effectus ſolius peccati lethalis, ut habetur in *cap. quod 11. q. 3. c. ſi quis non vi 24. q. 3.* proinde nulla excommunicatio tollit per ſe talem communicationem purè internam, ſpiritualem, ſitam in gratia, & charitate, quibus fideles ſunt juſti, & grati Deo; ſimúlque in hoc communicant. Imò tantùm abeſt, quòd eccleſia per excommunicationem velit privare fideles gratiâ, & charitate, ut potiùs per omnes ſuas cenſuras, & pœnas, quibus fidelium peccata punit, eos enixim exhortetur ad talem communionem.

Hinc eccleſia per ſe non vult privare ſua 4
membra gratia ſanctificante, & virtutibus ſpiritualibus, quæ à nemine invito poſſunt auferri. Licèt interdum excommunicatio ſupponat carentiam gratiæ ratione culpæ, ob quam fertur; non tamen ipſa excommunicatio illam tollit, nec impedit, quo minus excom̃unicatus poſſit per actum contritionis redire ad gratiam ſanctificantem; etiam antequam abſolvatur ab excommunicatione. Quòd nec etiam tollat communionem ſpiritualem purè internam, quæ talem applicationem exigit, ex eo evincitur, quia actiones purè internæ, quæ nullo exteriori ſigno manifeſtantur ſunt extra eccleſiæ jurisdictionem; proinde non poſſunt ab ea prohiberi: quamobrem excommunicatus etiam majori excommunicatione, dummodo conteratur, participat fructos omnium ſuffragiorum, & bonorum operum particularium; quæ alii fideles nomine proprio afferunt actibus purè internis; imò quamvis

vis ea offerant actibus externis : quia licèt eccleſia, poſſet ex juſta cauſa privare excommunicatos hiſce ſuffragiis prohibendo ſcilicet, ne alii fideles pro illis orent, aut offerant bona ſua opera nomine proprio : non tamen eccleſia id facit, ſed tantùm eos privat ſuffragiis, quæ nomine totius eccleſiæ offeruntur. Quamobrem excommunicatio privat fideles exteriore communione purè ſpirituali, ut etiam communione mixta ; quod tamen ita debet intelligi, ut de ratione excommunicationis in communi ſit privare omnibus, vel aliquibus ex prærecenſitis effectibus : ſiquidem excommunicatio major privat utraque communione : & minor tantùm aliquibus.

5 Juvat obſervare, quòd cùm excommunicatio dicitur privare communione, id non ita intelligendum eſt, ut ſignificetur privare habilitate, vel potentia radicali ad hujusmodi communionem, ſed ſolùm actuali communicatione, ut liquet ex proprietate verborum, quia communio actum ſignificat. Quinimò convenienter poſſet etiam dici, excommunicationem non ſolùm privare actu, verùm etiam jure communicandi, non quidem jure illo merè paſſivo, & quaſi fundamentali, quod conſiſtit in charactere baptiſmali, ſed jure proximo, & morali, quod fidelis habet ad hanc communionem, ut licitè, & honeſtè illa fruatur, quamdiu prohibitus non eſt : unde quamvis ex vi excommunicationis Chriſtinus non reddatur ita inhabilis ad ſacramenta, ut ab eo ſuſcepta nulla ſint, loquendo præcisè ex vi cenſuræ : redditur tamen moraliter inhabilis ad licitam, dicentem participationem ſacramentorum, in quo ſenſu fidelis per excommunicationem dicitur privari communione eccleſiaſtica non tam facto, quàm jure.

6 Videtur tamen contra definitionem excommunicationis poſſe urgeri : etiam per peccatum lethale privatur fidelis communione ſacramentorum, & nihilominus peccatum mortale, non eſt excommunisatio ; proinde definitio excommunicationis non videtur rectè procedere : vel dicendum eſt cum Gabriele in *4. diſt. 18. q. 2. art. 1.* peccatum mortale eſſe excommunicationem minorem, cui ſententiæ vidètur ſavere Gratianus *cap. ad menſam 11. q. 3.* ubi docuit, Adamum propter eſum ligni vetiti incurriſſe minorem excommunicationem, cui videtur etiam aſſentiri Gloſſa *c. penult. h. t.* Sed contra eſt, quia peccatum eſt tantùm culpa non pœna, proinde non poteſt eſſe excommunicatio, quæ non eſt culpa, ſed tantùm pœna, quâ ipſum peccatum punitur ; hinc peccatum excluditur à ratione excommunicationis per hoc, quòd in illa definitione excommunicatio dicatur eſſe cenſura, ſeu pœna eccleſiaſtica : peccatum enim non eſt pœna, ſed culpa, quæ pœnam meretur.

7 Secundò, quia indignitas, quam ratione peccati mortalis habet homo ad recipienda ſacramenta oritur ex novo peccato, & lege divina : indignitas verò ratione excommunicationis minoris provenit ex ſola legè eccleſiaſtica

8 Tertiò, quia excommunicatio minor privat uſu omnium ſacramentorum, non ita peccatum lethale, quia exiſtens in lethali debet ſacramentum pœnitentiæ ſuſcipere.

9 Quartò, quia irretitus excommunicatione minori nequit ſacramenta recipere, niſi præcedente abſolutione ; atqui exiſtens in peccato lethali non indiget abſolvi, ut ſacramenta ſuſcipiat, ſed ſufficit, ſi verum eliciat actum contritionis excepto uno tantùm ſacramento Euchariſtiæ ob ſpeciale præceptum Concili Tridentini.

10 Quintò quia peccatum mortale non reddit hominem incapacem electionis paſſivæ, nec illam reddit irritam, & invalidam, ſecus excommunicatio minor invalidat electionem, redditque excommunicatum incapacem paſſivæ electionis.

11 Dividitur autem excommunicatio. Primò in minorem, & majorem, ut habetur *in cap. ſi quem 59. h. t.* ubi Gregorius IX. reſcribit : ſi quem ſub hac forma verborum : *illum excommunio*, vel ſimili, à judice ſuo excommunicari contingat, dicendum eſt ; eum non tam minori, quæ à participatione ſacramentorum ; verùm etiam majori excommunicatione, quæ à communione fidelium ſeparat, eſſe ligatum ; hinc Panormitanus cum Gloſſa notat, nomine excommunicationis abſolutè poſito intelligi majorem excommunicationem, quia major eſt ſimpliciter excommunicatio, & minor tantùm ſecundùm quid. Major igitur excommunicatio eſt, quæ abſolutè, & ſimpliciter ſeparat à communione fidelium. Minor enim tantùm ſeparat ſecundùm quid, quatenus tantùm privat paſſiva perceptione ſacramentorum. Dicitur enim minor, non ob parvitatem objecti, cum ſit ex ſe res gravis privari perceptione ſacramentorum : ſed per comparationem ad excommunicationem majorem, cujus eſt pars : vel etiam dicitur minor, ut nonnullis placet, quia incurri poſſit etiam per peccatum veniale.

12 Cæterum ratio, cur nomine excommunicationis ſimpliciter, & abſolutè ſumpto intelligatur excommunicatio major eſſe poteſt ; quia juxta regulam dialecticorum ; analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato : atqui excommunicatio in communi dicitur analogicè, ſeu inæqualiter de majori ; & minori ex quibus major eſt excommunicatio ſimpliciter, eò quia abſolutè privet communicatione fidelium ; & minor eſt tantùm excommunicatio ſecundùm quid, eò quia ſolùm privet particulari quadam communicatione. Hinc D. Thomas *in addit. ad 3. p. q. 22. art. 1. ad ult.* docet, excommunicationem minorem participare imperfectam vocem excommunicationis, quia in rebus concernentibus animæ periculum, tutior interpretatio facienda eſt *cap. juvenis de ſponſal. c. ad audientiam c. ſignificaſti 2. § quòd ſi diſcerni non poſſit de homicid.* hinc cùm Superior excommunicat abſolutè, cum poſſit dubitari ; an intelligendum ſit de majori, vel

minori, tutius eſt interpretari de majori. Juvat tamen obſervare id procedere, quando ex majori, vel ex adjunctis non ſatis clarè conſtat, ſermonem eſſe determinatè de excommunicatione minori.

13 Neque obſtat, quòd in pœnis ſit benignior interpretatio facienda *cap in pœnis regula 49. de regul. jur. in 6. c. pœna de pœnit. diſt. 1. l. ſi præſens l. interpretatione ff. de pœnis* quia hæc regula tantùm locum habet, quando jus, & conſuetudo contrarium non declarant: at Gregorius IX. *in d. c. ſi quem 59. h. t.* expreſsè declaravit, excommunicationem abſolutè prolatam eſſe intelligendam de majore. Prætetea ut notat Abbas *in d. c. ſi quem in fin. h. t.* regula, quâ dicitur, quòd in pœnis ſit benignior interpretatio facienda tantùm procedit in pœnis corporalibus; & pecuniariis, non verò in medicinalibus, qualis eſt excommunicatio, quia cùm hæc pœna ſit ad ſanitatem, & ut contumaces reſipiſcant non debet mitiùs interpretari quia id potiùs obeſſet, quàm prodeſſet illis, qui hâc cenſurâ irretiuntur, ut notat Covarruvias *in cap, Alma Mater p. 1. §. 8. num. 5.*

14 Si dicas, diviſionem excommunicationis in majorem, & minorem non eſſe adæquatam, eò quia detur alia excommunicatio, quæ dicitur maxima, ut eſt anathema: non enim eſt excommunicatio minor, quia privat omni communione activa, & paſſiva, & minor excommunicatio privat tantùm uſu paſſivo, & perceptione ſacramentorum. Rurſus neque anathema eſt excommunicatio major, ut conſtat textu *c. nemo Epiſc. 1. q. 3.* ubi diſtinguitur privatio communionis eccleſiaſticæ ab anathmate, & permittitur epiſcopis privare ſubditos eccleſiaſtica communione, quod perinde eſt, ac eos excommunicare excommunicatione majore, non tamen eis permittitur ſubditos anathematizare ſine ſententia Archi-Epiſcopi, vel Coepiſcoporum: ex quo inſertur, anathema eſſe excommunicationem maximam diſtinctam ab excommunicatione majori; idque etiam deducitur *ex cap. Engeltruda 3. q. 4.* ibi: *Engeltrudam noveris non ſolùm excommunicatione, quæ, à fraterna ſocietate ſeparat, ſed etiam anathemate, quod ab ipſo Chriſti corpore, quod eſt eccleſia recidit: credo percuſſam eſſe*: ex quo textu ſatis apertè colligitur, excommunicationem majorem, & anathema non eſſe idem. Tum quia *in c cùm non ab homine de judic.* habetur, quòd Clericus criminoſus debeat primò deponi; etſi non corgatur, excommunicari: quòd ſi in ſua pertinacia permanſerit, debeat demum anathematis mucrone feriri.

15 Contra eſt quia prærecenſiti textus non obſtant, quin diviſio excommunicationis in majorem, & minorem non ſit adæquata. Ratio eſt, quia cùm excommunicatio major inducat maximam privationem, quatenus ſimpliciter privat communione fidelium, non poteſt eſſentialiter differra ab anathemate, quia quando pervenitur ad maximum terminum non poteſt in illo eſſe ſubſtantialis varietas: anathema enim ex uſu eccleſiæ ſignificat excommunicationem majorem, quatenus ſimpliciter privat communione fidelium, & tantùm accidentaliter differt ab excommunicatione majori, quatenus ad anathema concurrunt plures ſolemnitates; ex quo non ſequitur majorem privationem communionis adferri per anathema, quàm per excommunicationem majorem, ſed omnino eandem, niſi quòd in anathemate adhibentur plures ſolemnitates ad majorem ignominiam & terrorem, ut habetur in *c. quiſquis 11. q. 3.* Cæterum anathema ſubſtantialiter non differt ab excommunicatione majori, ſed tantùm quoad accidentales ſolemnitates, quia anathema fit cum publica denunciatione, & condemnatione adhibitis cæremoniis, quibus culpa exaggeratur; ut terror, ac ignominia incurratur, ut habetur in *c. debent 106. cauſ. 11. q. 3.* & notat Covartuvias in *d. c. Alma Mater p. 1. §. 8. num. 6.* Hinc ad textum deſumptum ex *c. nemo 11. q. 3.* reſpondent plures, textum illum eſſe intelligendum de excommunicatione minori, idque ex eo etiam conjicitur, quia textus ibi ſignificat, poſſe ferri excommunicationem ob peccatum veniale: atqui major excommunicatio non poteſt ferri ob ſolum veniale, quia cùm major excommunicatio ſit pœna maxima, excederet culpam contra juſtitiam. Eodem pacto reſpondetur ad alios textus, nimirum nomine excommunicationis tantùm in *c Engeltrudam* intelligi excommunicationem minorem, & per anathema excommunicationem majorem.

Neque obſtat, quòd textus loquatur de 16
excommunicatione, quæ ſeparat à fraterna ſocietate, quòd non verificatur de excommunicatione minori. Nam contra eſt, quia tempore, quo textus ille fuit conditus ſub Joanne VIII. ut refertur in Decreto antiquo, vel Nicolao I, ut dicitur in Decreto Gregoriano per excommunicationem quamcunque etiam minorem fuerunt homines ſeparari ab exteriori converſatione, & colloquiis mutuis, tametſi per minorem excommunicationem non privarentur communibus ſuffragiis, nec ſimpliciter ab eccleſiis præſcinderentur: & in hoc ſenſu poſſunt commodè explicari omnes præcitati textus. Prætererea quamvis vellemus aſſerere, eos eſſe intelligendos de excommunicatione majori; adhuc inde non ſequeretur, eſſe inferendum excommunicationem majorem differe eſſentialiter, & ſpecificè ab anathemate: ſiquidem poſſet adhuc comodè reſponderi, differentiam eſſe accidentalē, quoad ſolemnitates accidentales, quatenus anathema fit cum pluribus ſolemnitatibus, cum publica denunciatione, & condemnatione adhibitis cæremoniis, quibus culpa exaggeratur, ut terror, ac ignominia incurratur.

Rurſus excommunicatio dividitur, per- 17
inde ac quælibet alia cenſura in eam, quæ fertur,

turà jure, & in eam, quæ ab homine, ſeu judice. Illa dicitur, quando aliquid per legem perpetuam, conſtitutionem, vel ſtatutum prohibetur ſub pœna excommunicationis : vel præcipitur. Quæ verò ab homine fertur, eſt, quæ infligitur per ſententiam judicis : inter utramque id intereſt diſcriminis, quia ſententia excommunicationis lata à jure perpetuò durat etiam poſt mortem ferentis ; perinde ac lex perpetua eſt, & tamdiu durat, quamdiu contraria lege vel conſuetudine non revocatur : ſecus excommunicatio lata ab homine ceſſat per mortem vel depoſitionem ferentis; adeò ut mortuo ferente cenſuram, hæc deinceps non incurratur : tametſi qui vivente latore, eâ fuit ligatus tamdiu maneat ligatus, donec abſolvatur : quapropter ſi quis à judice ſit excommunicatus ſub conditione, ſi intra menſem non reſtituerit, & judex antequam menſis elabetur, decedat, non incurrit excommunicationem, ut notat Layman *lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 2. num. 2.* Deinde partitur etiam excommunicatio in eam, quæ ipſo facto incurritur, ſive criminis commiſſione, ſive ſententia judicis, & dicitur excommunicatio latæ ſententiæ, ut cum dicitur : qui auſus fuerit, hoc facere ſit excommunicatus : vel ſubjaceat excommunicationi, vel ipſo facto excommunicetur : & in illam, quæ non ipſo facto incurritur ante ſententiam judicis, ſed debet infligi per ipſum judicem, & dicitur excommunicatio ferendæ ſententiæ, ut ſi dicatur, qui hoc fecerit excommunicetur. Demum alia eſt excommunicatio generalis, eſtque quæ fertur in communi contra omnes, qui commiſerint, vel committunt tale delictum : alia particularis, quæ fertur contra perſonas particulares expreſſis eorum nominibus.

18 Cæterum ut feratur excommunicatio, non eſt neceſſaria certa verborum forma, ſed ſufficit, ſi verba talia ſint, per quæ congruè exprimatur mens, & voluntas ferentis excommunicationem : ſiquidem in jure nulla habetur certa verborum forma, quâ debeat ſententia excommunicationis ferri, ſed ſufficit, ſi ſententia excommunicationis externis ſignis ſcilicet voce, vel ſcripto ſufficienter exprimatur, quia cum procedat humano modo debet neceſſariò judicari per ſigna ſenſibilia, alioquin ſi ſola mente concipiatur, non habet vim ligandi. Cæterum modus procedendi ad ſententiam excommunicationis habetur in *c. cum medicinalis 1. hoc tit. in 6.* ubi Innocentius IV. ex Concilio Lugdunenſi declarat, quòd cùm excommunicatio ſit medicinalis, & diſciplinans, non mortalis, nimirum cùm ſit introducta ad medelam, non verò mortem excommunicati, ſcilicet ut corrigatur & non intereat in ſua contumacia : ideo mandat Pontifex, ut judex eccleſiaſticus cautè procedat, & in ea ferenda ſignificet, ſe proſequi correctionem, & medelam duntaxat, non verò damnum ullum per ſe directè ; ideò injungit, ut qui ſententiam profert excommunicationis, eam præferat in ſcriptis, in quibus expreſſè ponat cauſam excommunicationis, & requiſitus tradat intra menſem exemplar ſcripturæ excommunicationis ipſi excommunicato, ſuper quo requiſitione fiat inſtrumentum publicum, vel litteræ teſtimoniales ſignatæ ſigillo authentico : & qui temerè in contrarium egit, ſuſpenditur ab ingreſſu eccleſiæ, & divinis officiis per menſem integrum : & etiam mandat, ut ſuperior, ad quem fit recurſus ſine difficultate relaxet excommunicationem, & condemnet latorem excommunicato ad expenſas, & omne intereſſe, & puniat etiam aliâ pœnâ. Vult etiam Pontifex hæc eadem ſervari in ſententia ſuſpenſionis, & interdicti. Demum excommunicans, qui non ſervevit prædicta eſt ſuſpenſus per menſem, quòd ſi infra menſem exequitur divina officia, aut priùs, ſit irregularis, in qua irregularitatem non poteſt diſpenſari, niſi à Papa.

Ex hoc textu liquet excommunicationem 19 non eſſe aliter ferendam niſi per modum medicinæ, ut contumax reſipiſcat. Rurſus gladium excommunicationis nonniſi ſobriè, ac diſcretè eſſe exercendum, ut etiam declarat Concilium Tridentinum *Seſſ. 25. cap. 3.* Licèt textus dicat, ſententiam excommunicationis eſſe in ſcriptis proferendam, non tamen eſſet nulla ſi ferretur ſine ſcriptis, & ſine cauſa ; ex tunc enim adhuc teneret tametſi injuſta foret, ſed eſſet relaxanda à ſuperiore, & puniendus, qui eam tulit, quia talis ſententia foret iniqua, proinde excommunicatus jubetur puniri pœnis in hoc texto expreſſis. Neque ſufficit in ſcriptura ſententiæ, ſi exprimatur cauſa in genere, ſeu in communi ; ſed neceſſe eſt ſpecialiter illam exprimere ; ut ob violationem libertatis eccleſiaſticæ, vel ob aliquam aliam ſpecialem cauſam juſtam inferendi excommunicationem. Prætetea fieri publicum inſtrumentum non eſt de neceſſitate, ſed tantùm de conſilio, ne excommunicatus neget, ſe fuiſſe requiſitum, ſi enim id negaret, poſſet per inſtrumentum publicum convinci de falſitate.

Rurſus ſi judex eccleſiaſticus videat ſuum 20 ſubditum contemnere excommunicationem, vel non proficere, non debet tunc illum excommunicare, ſed aliam pœnam infligere, & ſi ipſum excommunicavit, debet eum etiam nolentem, abſolvere, eò quia non proficiat. Rurſus ſententia definitive ſi non feretur in ſcriptis non tenet ; neque requiritur expreſſio cauſæ. Præterea ſi homini notoriè conſtet de injuſtitia excommunicationis, ut ſi lata non ſit in ſcriptis, vel non expreſſerit rationabilem cauſam ; ſuperior poteſt illum abſolvere, non remittendo illum ad excommunicatorem. Item ſi judex poſt menſem à die latæ ſententiæ requiratur, tenetur dare copiam ſententiæ, ſicut & aliarum ſcripturarum : non tamen incidit in has pœnas ; ut etiam ſi ſine dolo & culpa non ſervat prædicta in excommunicatione.

§. III.

§. III.

De Cauſis Excommunicationis.

1 CErtum eſt, legem eſſe cauſam excommunicationis, quia cùm omnis excommunicatio ſit vel à iure, vel ab homine, ſequitur jus, ſeu legem eſſe cauſam excommunicationis: nomine autem legis in jure canonico intelligitur decretum, ſtatutum, canon perpetuus, vel conſtitutio facta à Papa, vel Epiſcopo, Concilio, aut Capitulo, vel quovis alio Prælato habente jurisdictionem Ordinariam. Quòd ſi dicas, omnem legem continentem excommunicationem eſſe conditam ab homine, proinde omnem excommunicationem eſſe ab homine. Contra eſt quia licèt omnis lex ſit lata ab aliquo homine, proinde etiam omnis excommunicatio, non tamen eodem modo, quia ex excommunicationibus aliæ feruntur condendo legem perpetuam, quâ aliquid præcipitur, vel prohibetur ſub pœna excommunicationis: & aliæ feruntur per modum præcepti temporalis, quod non habet vim legis ad futura tempora: ſed tantum habet reſpectu illius particularis negotii, de quo agitur: hinc priores excommunicationes dicuntur à jure, quia feruntur mediante jure, ſeu lege perpetua: ratio hujus diverſæ appellationis ex eo etiam deſumi poteſt, quia licèt utraque ab homine imponatur; nihilominus, quia excommunicatio ponitur ab homine mediante lege perpetua, non debet vocari ab homine ceſſante, cùm primùm homo decedit: ut autem hæc acta diſtinguerentur ab illis, quæ non ceſſant per mortem hominis ideo rectè dicuntur eſſe ab homine, cujus ſequuntur mortalem conditionem, & alia à jure quod eſt perpetuum. Hinc excommunicatio à jure eſt, quæ fertur à lege, ſeu ſtatuto de ſe perpetuo: & excommunicatio ab homine, quæ fertur à judice, ſeu Prælato per ſententiam, vel præceptum temporale.

2 Differt verò excommunicatio lata à jure à lata ab homine multipliciter. Primò quia lata à jure, ſeu per viam legis, ac ſtatuti obligat perpetuò: tametſi legislator jam mortuus ſit, aut jurisdictione privatus, ut notat Gloſſa in *c. final. V. ſtatuti* & Panormitanus ibid. *lib. 2. & 9. de offic. legat.* Secus lata ab homine non obligat poſt ejus mortem niſi quando manet in officio, proinde non durat tempore ſucceſſoris *argum. c. à nobis h. t.* ratio diſcriminis eſt, quia ſententia hominis tantùm reſpicit præſentem ſtatum: & lex, quæ eſt quædam vivendi norma, quæ hominum vitam dirigit *argum. lib. 1. & 2. de legit.* reſpicit ſtatum futurum, eſtque perpetua.

3 Secundò quia excommunicatio lata ab homine exigit prævias admonitiones, quibus non indiget excommunicatio lata à jure, quia lex ſemper loquitur, & ſe habet per modum Principis admonentis *l. Hadriani c. de hæret.* quæ ratio eſt, cur excommunicatio lata per legem non indigeat prævia monitione diſtincta ab ipſa lege.

Tertiò quia excommunicatio lata ab homine debet neceſſariò ferri in ſcriptis *c. cùm medicinalis 1. h. t. in 6.* Secus excommunicatio lata à jure, ſeu per viam legis. 4

Quartò quia excommunicatio ab homine nequit licitè ferri in die feriato benè tamen excommuoicatio, quæ fertur per modum legis: ratio eſt, quia ab homine non poteſt ſententia excommunicatinnis ferri niſi mediante prævia cognitione cauſæ *c. nemo. q. 1. c. ſacro h. t.* hæc autem cognitio non poteſt haberi die feriato, quia tunc ceſſant tribunalia *c. fin. de reſcriptis*: Secus ad ferendam excommunicationem per modum legis, & ſtatuti nulla prærequitur cognitio judicialis cauſæ, proinde ferri poteſt etiam die feriato. 5

Quintò quia excommunicatio lata ab homine interdum ligat ſubditos etiam exiſtentes extra territorium: non ita lata per modum legis & ſtatuti *c. fin. de conſtit. in 6.* ubi dicitur ſtatutum Epiſcopi excommunicantis ſubditos, qui furtum fecerint, eos non ligare, qui extra ejus territorium furati fuerint: ratio eſt, quia lex reſpicit tantùm territorium legislatoris; conditur enim ut territorium rectè gubernetur; unde lex extra territorium legislatoris nil operatur; ſecus excommunicatio lata ab homine non reſpicit territorium, ſed ipſas perſonas ſecundùm ſe. 6

Sextò excommunicatio per modum legis poteſt ferri pro delictis futuris vitandis; ſecus excommunicatio ab homine non fertur niſi pro præteritis, vel præſentibus *c. Romana §. caveant h. t. in 6.* Id autem procedit de excommunicatione lata ab homine, ùt judice, & per modum ſententiæ exigentis cognitionem cauſæ; non ita de ea, quæ imponitur ab homine ut Prælato præcisè propter bona ſubditi. Ratio diſcriminis eſt, quia eſt de natura legis providere circa futura *c. fin. de conſtit. l. legit C. de leg.* Secus de natura excommunicationis latæ ab homine eſt ſolùm providere circa præterita, vel præſentia *l. 1. ff. de uſu.* Tum quia judex minor tenetur ſententiam proferre iuxta allegata, & probata, quæ ſupponunt commiſſum delictum *argum. l. illicitas §. veritas ff. de offic. Præſ.* 7

Septimò quia ab excommunicatione lata à jure poteſt quis abſolvi ab inferiori, & qui tale jus non condidit, dummodo legislator eam ſibi non reſervaverit *c. Nuper 29. h. t.* ab excommunicatione verò lata ab homine non poteſt abſolvere inferior immò neque æqualis, ſed tantùm is, qui eam tulit, vel ejus ſuperior *c. Sacro 48. h. t.* 8

Hinc omnes ii, & ſoli habent poteſtatem ferendi ſententiam excommunicationis de jure communi, & Ordinario, qui jurisdictionem eccleſiaſticam habent in foro externo, ut deſumitur *ex c. cum ab Eccleſiarum 3. offic. jud. Ordin.* quapropter Papa poteſt hanc ſententiam ferre in univerſam eccleſiam, ut etiam Concilium Generale; Rurſus Epiſcopi omnes electi & confirmati tametſi non ſint conſe- 9

crati

erati, & Concilia provincialia in ſuas diœceſes, ut etiam capitulum cathedrale ſede vacante. Archiepiſcopi verò non poſſunt excommunicare ſubditos Suffraganeorum, niſi tempore viſitationis, quando exercent juriſdictionem in ipſos, & in cauſa appellationis. Hanc eandem poteſtatem habent etiam generales, & provinciales in religionibus exemptis, immò etiam Abbates, Prælati, ac Rectores in Religioſos, qui ſibi ſubjiciuntur.

10 Immò ex inolita conſuetudine legitimè præſcripta poſſunt etiam Archidiaconi, Archipresbyteri, & Decani ſuos ſubditos excommunicare. Verùm in hoc debent cautè procedere, & conſuetudo eccleſiæ eſt examinanda. Alii inferiores nonniſi ex commiſſione Legati, & Nuncii Apoſtolici poſſunt excommunicare. Non tamen laici, ſive poteſtate ordinaria, ſive delegata, niſi ex plenitudine poteſtatis Papalis, immo nec Clerici conjugati, quamdiu vivunt in conjugio, nec fœminæ quamvis Abbatiſſæ, aut Moniales *c. Nova 10. de pœnit. & remiſſ. & c. dilecta 12. de major & obed.* Probabile tamen eſt mulieres jure divino non eſſe incapaces poteſtatis excommunicandi, ac ferendi alias cenſuras, adeò ut poſſit mulier Abbatiſſa ex commiſſione ſummi Pontificis ſententiam ferre excommunicationis: quamvis enim mulier jure divino ſit incapax clavium Ordinis; non tamen eſt incapax clavium juriſdictionis ſpiritualis ex commiſſione Papæ, & quoad exercitium: ſicut etiam laicus ex commiſſione Papæ poteſt eandem juriſdictionem exercere. Cæterum non legitur, quòd Chriſtus hanc poteſtatem excommunicandi ulli conceſſerit fœminæ, proinde neque eccleſia hactenus conceſſit, quia id non expedit, nec decet, quamvis juri divino non videatur abſolutè repugnare.

11 Excommunicari verò poſſunt omnes, & ſoli homines viatores baptizati, rationis, & doli capaces, qui in eccleſia habent ſuperiorem, ut docet D. Thomas *3. p. in ſupplem. q. 22 art. 3. & 4.* Quòd ſoli viventes in hac vita mortali, qui & viatores dicuntur, poſſint excommunicari, ex eo liquet, quia ferre ſententiam excommuoieationis eſt actus juriſdictionis, qui non poteſt exerceri niſi in ſubditos; proinde eccleſia non poteſt, hunc actum exercere in mortuos, quia iſti non ſubſunt ampliùs juriſdictioni eccleſiæ: nec etiam in viventes non baptizatos, ut ſunt Judæi, Ethnici, Turcæ, quia nec iſti ſubjiciuntur juriſdictioni eccleſiæ, unde ſupereſt, quòd tantùm homines viventes, baptizati, rationis, & doli capaces habentes in eccleſia ſuperiorem poſſint excommunicari, hinc mortui nonniſi indirectè dicuntur excommunicari, quatenus eccleſia poteſt prohibere viventibus, ne cum illis communicent eos ſepeliendo in loco ſacro; nec pro iis publica ſuffragia, & ſacrificia offerant: quo pacto poſſunt etiam excommunicari non baptizati, ut Judæi; poteſt enim Papa prohibere, ne fideles communicent cum ipſis. Secus hæretici, ſchismatici & Apoſtatæ poſſunt directè excommunicari, quia ſubjiciuntur juriſdictioni eccleſiæ. Qui tamen uſu carent rationis, ut pueri nondum ſeptennes, furioſi, amentes, quia non poſſunt legibus obligari, nec poſſunt eſſe contumaces contra eccleſiam. Non tamen poteſt ſuperior eccleſiaſticus ſe ipſum excommunicare, ut nec etiam alium ſibi ſuperiorem; quia juriſdictio non exercetur niſi in ſubditum, & inferiorem, & nullus eſt ſibi ipſi inferior. Hinc Papa à nemine poteſt excommunicari, etſi laberetur in hæreſin manifeſtam, quia tunc deſineret eſſe Papa, & poſtea incurreret excomunicationem juris latam contra hæreticos. Neque poteſt excommunicari ſimul collectivè tota aliqua civitas, aut univerſitas, idque ne innocentes pœnam ſubeant ſolis nocentibus debitam *c. 1. cauſ. 24. q. 3.*

Poſſunt tamen anathemate percuti omnes delinquentes diſtributivè, qui ſunt de communitate *c. Romana 5. §. ult. h. t. in 6.* ubi Innocentius IV. expreſſè prohibet ne feratur ſententia excommunicatioois in univerſitatem, vel collegium, ne irritentur innoxii; ſed præcipit tantùm ferri in culpabiles de collegio, vel univerſitate, ex quo claret, univerſitatem non poſſe excommunicari: ſed ſi excommunicetur, an tunc excommunicatio teneat, multi negant: ſed communior, & tutior ſententia eſt, quòd teneat ſecundùm eccleſiam: & qui illis poſtea ſunt ſubrogati debeot ſe tenere pro excommunicatis, & petere abſolutionem ab excommunicatione. Quòd ſi certo conſtaret omnes, & ſingulas perſonas alicujus collegii, aut univerſitatis reas eſſe; aut participes alicujus delicti, & in eo contumaciter perſiſtere; tunc cenſent communiter, quòd poſſet totum collegium excommunicari, quia tunc omnes ſunt rei, & merentur talem pœnam. 12

Cæterum excommunicatio lata per ſententiam generalem ab Epiſcopo, vel alio Prælato inferiore, ut cum ſententia excommunicatioois dicit, ſi quis furtum commiſerit, ſit excommunicatus, non ligat peregrinos, & extraneos, ſed tantùm ſubditos niſi major poteſtas ei fuerit delegata, idque deſumitur ex *c. à nobis 21. h. t.* ubi Clemens III. reſcribit, excommunicationem generaliter latam non ligare niſi ſubditos excommunicantis, niſi major authoritas ei delegetur: ratio eſt, quia ſtatutum, vel ſententia generalis ſupponit poteſtatem juriſdictionis in ferente, & juriſdictio tantùm extenditur ad ſubditos, non verò ad extraneos. 13

Quòd ſi dicas, extraneos delinquentes in Diœceſi fieri ſubditos ejusdem ratione delicti *c. placuit 6. q. 2. c. ex tuarum de privileg.* proinde ligari & ipſos excommunicatione, nec excuſari ignorantia, quòd neſcierint ſententiam, quia commiſerunt rem illicitam, & ſic erant in culpa, & poterant quærere de ſententia. 14

15 Contra eſt, quia ut notat Hoſtienſis non ſequitur, obligatos ad culpam eſſe itidem ad pœnam excommunicationis: quamvis qui furtum commiſit in alienâ diœceſi ſub excommunicatione prohibitum peccet contra jus commune, & naturæ: non tamen contra illam legem ut emanatam ſpeciatim à tali ſuperiore, & propriam illius loci; conſequenter non poteſt dici contumax contra tale ſtatutum particulare continens in ſe cenſuram, quia extraneus non ſubjicitur tali legi, nec poteſtati talis legiſlatoris: priùs enim debet quis ſubjici alicui ſtatuenti aliquid, quàm ut obligetur ſtatuto illius: hinc quia extraneus eo, quòd furetur in tali loco, delinquat contra jus commune, & naturæ, fit ſubditus Epiſcopi loci ratione delicti, proinde quamdiu moratur in tali Diœceſi poteſt legitimè citari ab Epiſcopo loci, ubi deliquit, & compelli ad ſatisfaciendum parti læſæ; quòd ſi contumax ſit, poteſt etiam excommunicari, non verò ſtatim incurrit excommunicationem, ac furtum committit, ut notat Barboſa *in d. c. à nobis 21, num. 4. h. t.* Ratio, cur Epiſcopus vel alius Ordinarius non poſſit excommunicationis ſententiam ferre extra ſuam Diœceſim etiam in proprios ſubditos, qui aliàs ejus ſubjiciuntur juriſdictioni, ea eſt, ne alienum territorium videatur violare: & quia cenſuræ exigunt judicialem cognitionem cauſæ, quæ cognitio, cùm ſit actus juriſdictionis, non poteſt exerceri in alieno territorio. Quòd ſi crimen ita eſſet notorium ut non indigeret judiciali cognitione, tunc poſſet Epiſcopus ſuos ſubditos etiam exiſtentes extra propriam Diœceſin excommunicare; ſicut etiam poteſt iiſdem aliquid præcipere ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ ſine alia ſententia.

16 Non tamen ex ſolo judicis, aut ſuperioris arbitrio poteſt validè ferri excommunicatio in alium, ut habetur *in cap. ſacro 48. h. t.* quia ſententia lata in cauſa civili ſine juſta cauſa ex ſolo judicis arbitrio invalida eſt, ac injuſta, proinde à fortiori etiam in cauſa eccleſiaſtica, cum bona ſpiritualia, quibus excommunicatio privat, ſint longè excellentiora bonis temporalibus, quibus privat ſententia civilis. Tum quia Apoſtolus *2. ad Corinth. 3.* ait: Poteſtatem ſpiritualem non eſſe datam Prælatis eccleſiæ ad deſtructionem, ſed ad ædificationem: ſin autem Prælatus ſine legitima cauſa, & pro ſolo ſuo arbitrio poſſet excommunicationem ferre, utique hæc poteſtas data eſſet in deſtructionem, non ædificationem.

17 Hæc igitur cauſa debet eſſe aliqua culpa, ut deſumitur ex *cap. nemo Epiſcoporum 17. q. 3.* ut etiam in verbis Chriſti *Matth. 18. ſi eccleſiam audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus,* Ratio itidem eſt, quia cùm excommunicatio ſit pœna medicinalis debet neceſſariò ſupponere morbum, ac culpam, quia pœna juſtè non infligitur, niſi propter delictum; ut nec etiam medicina exhibetur niſi propter morbum; cùm igitur excommunicatio, ut etiam quævis alia cenſura ſit pœna medicinalis, imponi non poteſt niſi ob culpam, & ad eum finem, ut delinquens reſipiſcat. Quinimò debet hujuſmodi culpa eſſe propria ipſius, qui excommunicatur, adeò ut non poſſit excommunicatio ferri niſi in ipſum perſonaliter delinquentem *cap. ſi abeſt 24. q.* ubi ex ſententia D. Auguſtini *epiſt. 85.* dicitur, quòd nemo poſſit pro aliena culpa excommunicari, adeò ut ſi peccaverit paterfamilias, non poſſint filii, uxor, & famuli excommunicari, niſi fortaſſis in eodem crimine partem habuerint. Ratio eſt, quia in jure civili ſententia lata contra innocentem, probatum ut talem, eſt ipſo jure invalida, proinde etiam in jure eccleſiaſtico; eſt invalida excommunicatio lata contra innocentem. Tum quia excommunicatio eſt pœna medicinalis, quæ non infligitur niſi propter culpam, quæ eſt morbus ſpiritualis proinde non debet infligi niſi contra eum, qui deliquit, & in quo reperitur culpa: & cùm innocens careat culpa, non debet in ipſum excommunicatio ferri. Imò excommunicatio major non poteſt infligi niſi ob ſolùm peccatum lethale, ut deſumitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 3. de reform.* quia pœna, ut juſta ſit debet commenſurari culpæ, ſeu eam non excedere *c. ne filius 5. de pænit. in 6.* & excommunicatio major eſt pœna graviſſima, quæ propterea debet ſupponere culpam mortalem.

Rurſus non ob quodvis peccatum mor- 18
tale ferri poteſt excommunicatio, ſed ſimul requiritur peccatum contumaciæ, & inobedientiæ *cap. quiſquis 19. cauſ. 2. q. 6.* non tamen neceſſariò peccatum ſpecialis inobedientiæ conjunctum cum formali contemptu præcepti: alioquin qui exerceret opus prohibitum ſub excommunicatione duplex committeret peccatum: ſufficit inobedientia generalis, & contemptus interpretativus, quo reus ſciens tranſgrediatur præceptum eccleſiæ; ſicque aliquo modo ſpernat ejus præceptum, vel admonitionem, ut deſumitur ex illo *Matth. 18. Si eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus,* hoc eſt, ſi ei non obedierit, colligitur *ex c. ex parte 23. de V. S.* imò neque neceſſe eſt, ut ea contumacia procedat ex contemptu, quia poteſt quis legitimè admonitus de concubina dimittenda excommunicari, tametſi non ex contemptu præcepti, ſed potiùs libidinis cauſa ſcortum non dimittat, nec pareat, ut notat Covarruvias *in c. Alma Mater. p. 1. § 9 n. 3.*

Hinc pro peccato tantùm veniali non po- 19
teſt ferri excommunicatio major, & deducitur *ex cap. nemo Epiſcoporum, & cap. nullus ſacerdos 11. q. 3.* & definitum etiam fuit in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25, cap. 3. de reform.* ubi expreſsè præcipitur, non eſſe excommunicationem imponendam pro rebus levibus, & ratio id ſuadet: ſiquidem recta ratio dictat, ut pœna infligatur juxta gravitatem culpæ, cui propterea debet pœna commenſurari, & quia excommunicatio major eſt inter pœnas eccleſiaſticas omnium graviſſima *cap. corripiantur*

24.

24. q. 3. ſequitur, qoòd non debeat excommunicatio major imponi pro culpa levi, ſed taatùm pro culpa lethali. Hinc excommunicatio major lata pro peccato tantùm veniali non ſolùm eſt injuſta, ſed etiam invalida, idque defectu poreſtatis, quia Prælati eccleſiaſtici habent poteſtatem excommunicandi dependenter à ſacris canonibus, & legibus: & ſacri canones ſtatuunt, non poſſe excommunicationem ferri niſi pro culpa gravi, cujusmodi eſt peccatum lethale.

20 Cæterum peccatum veniale dupliciter poteſt conſiderari: primò præcisè ſecundùm ſe, & ut manens intra latitudinem peccati tantùm venialis præſcindendo ab omni reſpectu ad mortale, & in hoc ſenſu dicitur quòd peccatum veniale non ſit materia ſufficiens excommunicationis majoris. Secundò quatenus dicit ordinem ad mortale ratione periculi, in quo conſtituit hominem proximè pronum ad peccandum mortalitar, qood poteſt dupliciter contingete.

21 Primò quando peccatum veniale eſt tale, ut proximè diſponat ad mortale, ſeu quatenus conſtituit hominem in periculo proximo peccandi lethaliter; & tunc tale peccatum, quod ex genere ſuo eſſet tantùm veniale, ratione talis circumſtantiæ ſit mortale, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 104 art. 5.* ſiquidem in moralibus eandem malitiam habet exponere ſe periculo proximo committendi peccarum aliquod, ac illud defacto committere: hinc ſi peccatum veniale eſt proxima occaſio ſcandali alieni, ratione hujus circumſtantiæ ſit mortale, & poteſt eſſe materia excommunicationis majoris; non quia ſit præciſè veniale, ſed qoia ſcandaloſum, & ratione circumſtantiæ mortale.

22 Secundò poteſt peccatom veniale conſiderari proor tantùm remotè eſt diſpoſitio ad peccatom mortale, & nihilominos propter aliquas circumſtantias, eius prohibitio maximè conducit ad bonum regimen, & communem otilitatem, adeò ut pro bono commoni, & ob bonum regimen melius ſit prohiberi, quàm non prohiberi; & tonc licèt ſecundùm ſe, & etiam ratione circumſtantiarum, adhuc maneat intra latitudinem peccati venialis, peterit prohiberi ſub excommonicatione latæ ſententiæ, quia ratione circumſtanciæ præcepti, & prohibitionis ſit mortale: imò hoc pacto poteſt etiam prohiberi actos de ſe indifferens, ot patet in excommonicatione contra ingredientes monaſterium monialium, eò quia dent occaſionem majoris mali, & tunc non imponitur excommunicatio pro peccato veniali, vel re indifferente, ſed pro mortali; quia ratione transgreſſionis præcepti, peccatum, quod ex natura ſua erat veniale ſit mortale, & materia escomunicationis majoris, quia hæc non cadit ſimpliciter, & præcisè ſupra peccatum veniale, vel actum ſecundùm ſe indifferentem. ſed pro ot pro bono regimine prohibetur; conſequenter, quatenus eſt peccatum grave.

23 Pro peccato tamen pore interno non poteſt excommunicatio infligi, adeò ut peccatum quod eſt materia excomunicatioins debeat ſaltem per ſignum aliquod externum manifeſtari, ut docet D. Thomas *1. 2. q. 91. art. 4.* ubi generatim ait, legem humanam, vel judicium non poſſe ferride motibus interioribus, & deſumitur etiã *ex c. tua nos c. ſicut tuis de ſimon.* ubi tanquam certum ſuppontur, eccleſiam non niſi de ſibi manifeſtis judicare; non verò de occultis, cujusmodi eſt peccatum porè internom, ſeu quod conſummatur totaliter in mente. Hinc ortum habuit illud axioma juris: *Non habent latentia peccata vindictam.* Ratio etiam hoc idem ſoadet, quia nemo poteſt præcipere, aut prohibere, quod non poteſt punire; nec poteſt ponire, quod non poteſt cognoſcere, & judicare: eccleſia antem non poteſt cognoſcere, nec judicare actus purè internos nullo ſenſibili ſigno exteriùs manifeſtatos: ſiquidem eccleſia procedit humano modo, ac ſenſibiliter, proinde non poteſt ſub pœna excommunicationis actus purè internos præcipere, ac prohibere.

24 Neque obſtat, quòd poteſtas eccleſiæ ſit ſpiritualis, quæ poteſt ſe extendere ad actos ſpiritnales, ſeu purè internos. Tum quia eccleſia præcipit actum fidei purè internum, & prohibet actum infidelitatis, etiam internum.

25 Nam contra eſt, quia licèt poteſtas tradita eccleſiæ, ſit ſpiritualis, quia tamen exercenda eſt per homines, qoi de occultis non poſſont judicare, ſequitur, hanc poteſtatem non ſe extendere ad actus purè internos, ſed tantùm ad illos, qui ſob humanum poſſunt judicium cadere, quatenus nectuntur cum ſignis aliquibus externis. Ad id, qnod addebatur de actu fidei, reſpondetur, obligationem aſſentiendi per actom fidei alicui veritati recèns declaratæ ab eccleſia non provenire directè, & per ſe ex præcepto eccleſiæ definientis, ſed ex ipſo jure divino, quo tenemur aſſentiri revelatis. Rorſus poſſet reſponderi, eccleſiam nonniſi indirectè obligare ad talem aſſenſum prout conſtituit veritatem definitam ſub objecto fidei, cui de jure divino tenemur aſſentiri aſſenſu etiam purè interno.

§. IV.

De effectibus utriusque excommunicationis maioris, & minoris.

1 PRimus effectus excommunicationis majoris dicitur eſſe privatio uſos activi ſacramentorum, adeò ut nollus excommunicatus poſſit licitè adminiſtrare, vel conſerre per ſe loquendo ullum ſacramentum, ut habetur *in cap. ult de cleric. excommunicat.* ſiquidem poteſt eccleſia arcere indignos, & excommonicatos à ſacramentis adminiſtrandis, quia hæc adminiſtratio eſt in eccleſia publicum miniſterium, qood prohiberi poteſt, ne exerceatur ab indignis. Verùm id procedit extra ſtatum urgen-

urgentis neceſſitatis; quia miniſter excommunicatus toleratus poteſt licitè conſerre ſacramenta, quoties adeſt gravis neceſſitas, vel proximi notabilis utilitas id poſtulat, quia interdum præcepta eccleſiæ non obligant cum gravi incommodo. Hinc miniſter excommunicatus, tametſi non ſit toleratus, non ſolùm in articulo mortis licitè poteſt adminiſtrare ſacramenta baptiſmi, & pœnitentiæ, ſi alius non adſit ſacerdos; verùm etiam in eadem extrema neceſſitate, interdum ſacram Euchariſtiam, vel extremam unctionem poteſt licitè conferre, ut ſi moribundus non poſſit aliud ſacramentum ſuſcipere, ut docet Suarez *diſp. 11. de cenſur. ſect. 1. num. 17.* Rurſus ſacramenta adminiſtrata ab excommunicato, ſive tolerato, ſive non tolerato, etiam extra caſum neceſſitatis, vel mortis articulum valida ſunt; quamvis licitè non adminiſtrentur: ratio eſt, quia ad illorum valorem non plus requiritur, quàm propria materia, forma, & intentio miniſtri juxta Chriſti inſtitutionem, quam eccleſia non poteſt mutare: unde ſi hæc concurrant, tametſi ſacramenta ab excommunicato non adminiſtrentur licitè ſ; ſunt tamen valida.

2 Hoc tamen non procedit de ſacramento pœnitentiæ, quia ſi hoc adminiſtretur extra mortis articulum ab excommunicato non tolerato, eſt invalidum defectu juriſdictionis in ſacerdote excommunicato; ſiquidem, ut validè miniſtretur ſacramentum pœnitentiæ non ſufficit poteſtas Ordinis, ſed requiritur etiam juriſdictio, quæ àb eccleſia adimitur excommunicato non tolerato, niſi interveniat publicus error facti cum titulo præſumpto, quia tunc excommunicatus habetur pro legitimo ſacerdote, ut docet Suarez 11. *ſect. 2. num. 12.* Ex hac autem doctrina eruitur regula generalis, ut quotieſcunque excommunicatus non toleratus exercet actum, qui dependet à poteſtate juriſdictionis, tunc actus ſit invalidus defectu eiusdem juriſdictionis. Sin verò actus, qui exercetur ab excommunicato non tolerato non requirat poteſtatem juriſdictionis, ſed ſolam poteſtatem Ordinis, tunc quia hæc poteſtas non auſertur per excommunicationem, actus ſuum ſortitur valorem.

3 Alius excommunicationis effectus eſt privatio uſus paſſivi ſacramentorum, quatenus excommunicati arcentur à ſuſcipiendis ſacramentis, idque ſub gravi peccato *cap. cùm illorum 32. h. t.* unde nullus excommunicatus poteſt licitè, & abſque gravi peccato ſacramentum percipere, quia transgredi præceptum eccleſiæ in re gravi, non caret culpâ gravi: excuſaretur tamen excommunicatus à peccato, ſi ex inadvertentia, ignorantia invincibili juris, vel facti ſacramenta ſuſciperet, & neſciret ſe eſſe excommunicatum; ut etiam ob gravem neceſſitatem, vel ad declinandum imminentis mortis periculum, vel etiam corporis mutilationem, infamiam, aut jacturam bonorum. Ratio eſt, quia lex humana, & cenſura eccleſiaſtica non obligat cùm tanto rigore, & incommodo.

Cæterum ſi excommunicatus etiam mala fide, & illicitè ſacramenta ſuſcipiat, validè illa ſuſcipit, quia vis, & valor ſacramentorum non poteſt impediri per legem eccleſiaſticam, quia dependet ex Chriſti inſtitutione; excepto tamen ſacramento pœnitentiæ; quia ſi quis mala fide ſciens ſe eſſe excommunicatum, & abſque ulla neceſſitate peteret priùs abſolvi ſacramentaliter à peccatis, quàm ab excommunicatione, invalida eſſet abſolutio, ſaltem indirectè; quia in pœnitente deeſſet debita diſpoſitio. Sin verò bona fide in caſu neceſſitatis, vel etiam probabilis ignorantiæ; eò quia inculpabiliter ignoraret ſe eſſe excommunicatum, vel neſciret inculpabiliter eſſe peccatum mortale ſuſcipere ſacramentum in ſtatu excommunicationis, & cum hac ignorantia inculpabili ſacramentaliter confiteretur, & abſolveretur; tunc abſolutio eſſet valida, tametſi adhuc maneret in excommunicatione, eò quia reſervata eſſet ſuperiori, vel quia confeſſarius pœnitentem non abſolveret à tali excommunicatione. 4

Præter privationem utriusque uſus activi, & paſſivi, ſeu adminiſtrationis, ſuſceptionis ſacramentorum, tertius effectus excommunicationis eſt privatio communionis, & eccleſiæ ſuffragiorum, adeò ut excommunicatus licèt toleratus privetur omni fructu indulgentiarum, ſacrificiorum, precum, ut deſumitur *ex cap. à nobis 28. h. t.* adeò ut privetur excommunicatus omni fructu, qui ex communi eccleſiæ theſauro fidelibus applicatur; quia cùm horum ſpiritualium fructuum diſpenſatio pertineat ad eccleſiam, quæ ob bonum eiusdem regimen, & ut delinquentes, & contumaces reſipiſcant, poteſt eos indignis denegare, & de facto denegat excommunicatis, ſequitur hos privari omnibus hiſce fructibus. 5

Quin imò cenſent plures cum Suarez *diſp. 9. de cenſur. ſect. 3. num. 2.* excommunicatum, tametſi reſipiſcentem, & emendatum adhuc privari prædictis ſpiritualibus bonis, donec ab excommunicatione abſolvatur, adeò ut quamvis excommunicatum pœniteat ſui delicti, & contumaciæ, eliciátque actum contritionis, quo reſtituatur gratiæ ſanctificanti, quamdiu non abſolvitur ab ipſa excommunicatione, ſemper privetur ſpiritualibus bonis, quæ ex communi eccleſiæ theſauro ab eccleſia fidelibus applicantur, idque deſumitur *ex cap. ſacro 48. h. t.* ubi dicitur, quòd excommunicatus licèt emendatus ſit, priùs quàm abſolvatur, ſemper tamen maneat ligatus cenſurâ, nec licitum ſit pro ipſo ſacrificia offerre, quia cenſura excommunicationis eſt pœna, quæ ſublatâ culpâ adhuc perſeverat, donec per legitimam judicis authoritatem remittatur. Tum quia cenſura quamdiu manet, ſemper producit ſuum effectum, qui non tollitur per ſolam interiorem contritionem: alioquin excommunicatus per ſolam elicientiam actus contritionis 6

tionis liberaretor ab excommunicatione, à qua propterea non indigeret ampliùs abſolvi.

7 Rurſus quartus excommunicationis effectus eſt, ut axcommunicatus ooo poſſit intereſſe divinis officiis, idque deſumitur *ex cap. ſignificavit 18. h. t.* ubi Clemens III. reſcribit, Clericos ſponte, & ſcienter participantes com excommunicatis à Papa, eos admittentes ad divina officia, incurrere eandem excommunicationem majorem, & pro abſolutione mittendos eſſe ad Papam cum litteris Ordinarii. Idque etiam habetur *in cap. ult. h. t. in 6.* Per divina autem officia hic intelliguntur omnes ſacræ functiones, quæ ab eccleſia publicè, & ſolemniter fiont, ot ſacrificium miſſæ; cui excommunicati prohibentur iotereſſe, imò prohibetor etiam ſacerdoti miſſam celebrare coram excommunicato. Recenſentur etiam inter divina officia publicæ preces horarum canonicarum, & omnis oratio, quæ ex Chriſti, vel eccleſiæ inſtitutiuna ſolemniter fit à miniſtris ad id ordinatis. Non tamen prohibentur excommonicati privatim orare, & conciooem aodire in eccleſia, tempore quo in eadem divina oon celebrantur officia. Imò ſi excommunicatus ſit ſacerdos, teneatúrque ad racitationem Breviarii, oon liberatur à recitatione horarum canonicarum, ſed adhuc tenetur eas orare privatim tamen, & ſine *Dominus vobiſcum*, alioquin excommunicatio liberarat excommunicatum ab onere recitandi horas canonicas.

8 Eſt etiam quintus effectus excommunicationis privatio ab omni uſu, & exarcitio juriſdictionis ſpiritualis, ſeu eccleſiaſticæ *cap. audivimus* 4. *verſ.* 24. *q.* 1. *cap. ſi is cui* 10. *de offic. deleg. in 6.* ubi expreſsè dicitur, quòd ſi delegatus Papæ, qoi alicui cauſam ſubdelegavit, poſtea fuit excommunicatus, oon ſit ad ipſom appellandum, ſed ad primum delegatum & adducitur etiam ratio: quia ſubdelegatus ratione excommunicationis, in quam incidit, eſt privatus juriſdictione. Hinc etiam *in c. de offic. Vicarii in 6.* dicitur, quòd ſubſtitutus ab Officiali Epiſcopi eo excommunicato non poſſit juriſdictionam exercere, quam ab ipſo officiali acceperat. Unde electio ad beneficium facta ab excommunicato nullius eſt valoris, ot etiam irrita eſt præſentatio, quod tamen procedit tantùm de axcommunicatis vitandis, quia quæ fiuot ab excommunicato tolerato ſuum ſortiuntur valorem, quamdiu per oppoſitam exceptionem oon repelluntur: adeò ut excommunicatus tolaratus poſſit beneficia eccleſiaſtica conferre, eligere, præſentara, juriſdictionem delegare, & alia id genus validè exercera, oiſi per oppoſitam exceptionem repellantur.

9 Privatio itidem omnis forenſis communicationis eſt ſextos effectus excommunicationis majoris, adeò ut hac excommunicatione irretitus non poſſit fungi officio Judicis, tabellionis, Advocati, Procuratoris, Actoris, Teſtis etiam in cauſis civilibus, ut deſumitur *ex cap. decernimus 8. h. in 6.* obi Alexander IV. mandat, ut judices eccleſiaſtici compellant per cenſuram eccleſiaſticam judices ſæcolares præmiſſa canonica admonitiona, ot repellant excommunicatos ab agendo, patrocinando, reconveniendo, teſtificando in ſuis curiis, & judiciis. Juvat tameo obſervare, quòd exceptio excommunicationis poteſt opponi non ſolùm in foro eccleſiaſtico, ſed etiam in foro ſæculari, adeò ut repelli poſſit excommunicatos laicus ab actibus judicialibus eidem prohibitis, poſsítque ad id adigi judex ſæcularis etiam per cenſuram eccleſiaſticam, qoia judex ſæcularis tenetor etiam ex officio repellere ab agendo excommunicatum notoriè, etiam nemine opponente; immò etiam partibus invitis, & reclamantibus, ot notat Barboſa *in d. c. decernimus* 8. *num.* 4. *h. t.* Jus enim canonicum, quod diſponit circa judicij ordinationem, ſervandum eſt etiam in foro ſæculari, ſi ob non obſervationem foveatur peccatom, faveator contumaciæ: aliàs poſſet judex ſæcularis procedere juxta ſuas leges. Secos tamen in materia peccati; tuoc enim judex eccleſiaſticus tenetur ſemper adigere judicem ſæcularem ad ſervandum jus canonicum, quia peccata ab utroque jure ſont omnino impedienda.

Quòd verò *in d. c. decernimus 8. h. t.* dicatur, quòd nullus excommunicatus poſſit eſſe judex, advocatus, tabellio, Procurator, actor, aut teſtis, id procedit, quamvis ſit toleratus, aut occultus, quia quantom eſt ex ſe tenetor ſemper vitare cæterorum communionem joxta antiquos canones: etanim jura novo per Concilium Conſtantianſe nullus favor factus eſt excommunicato tolerato; ſio verò excommonicatus agat in judicio advocatom, procuratotem, actorem, aut teſtem, & nemo contra illum excipiat, neque judex eum excludat ex officio, ot præſtare poteſt in excommunicata tolerato, ſi excommunicatio ſit publicè nota, valida ſunt omnia eius acta, ut deſumitur *ex cap. 1. except. in 6.* ubi dicitor quòd tune ſint valida omnia acta excommunicati quantumvis vitandi. 10

Acta verò judicis non tolarati, ſive hic eccleſiſticos ſit, ſive laicus ſont iovalida, idque defectu juriſdictionis, cujus oſus per excommunicationem impeditur, id enim de judice eccleſiaſtico habetur *in cap. ult. de exceſſ. prælat.* & de judice ſæculari *c. in nos ſanctorum 4. cauſa 15. q. 6.* Acta verò publica tabellionis excommonicati non tolerati in foto externo ſunt ipſo jure invalida, idque procedit, ſi non ſolùm præſentis Norarii, ſed etiã aothenticum eius inſtrumentum requiratur ad valorem alicujus teſtamenti, aut contractus: ratio eſt, qoia cùm excommunicatos non toleratus excludatur ipſo jure ex officio judicis à publicis actibus, eius inſtrumentum oon ceoſetur authenticum. 11

Præterea privatio omnis civilis & politi- 12

Iiii ii 3 cæ

ex communicationis cum fidelibus eſt ſeptimus effectus excommunicationis, idque deſumitur *ex cap. ſi aliquando 41. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd quando Papa cum ſuis litteris ſalutat excommunicatum à Sede Apoſtolica, non inde intelligitur ſtatim abſolutus ab excommunicatione: quia contingit, hujusmodi litteras impetrari per ignorantiam, negligentiam, benignam occupationem, vel ſubreptionem, ex quo colligitur excommunicatum non poſſe etiam civilem, & politicam communionem exercere cum aliis fidelibus, ſeu baptizatis etiam excommunicatis, & hæreticis, quia hi etiam ſubjiciuntur eccleſiæ: cum infidelibus tamen non baptizatis poteſt excommunicatus civiliter, & politicè communicare, quia eccleſia per ſe non intendit excommunicatum privare communione cùm non ſuis ſubditis, ſed tantùm intendit illum abſcindere, ac ſeparare ab eccleſia tanquam putridum membrum, ut vel reſipiſcat, vel aliis non noceat: ex eo autem, quòd communicet cum infidelibus, qui ſunt extra eccleſiam, non nocet fidelibus.

13 Rurſus, ut notat Gloſſa *in d. c. ſi aliquando 41. h. t.* licèt non poſſimus ſalutare excommunicatos, poſſumus tamen eos alloqui de ſpectantibus ad eorum ſalutem, & quamvis tunc poſtea incidenter alia verba proponantur, non propterea incurrimus excommunicationem *c. tamen cum voluntate eod. tit.* Sin verò Papa ſcienter ſalutaret excommunicatum, tunc cenſeretur hic abſolutus, quia per talem ſalutationem Pontifex, eum abſolveret, & reconciliaret eccleſiæ. Quamobrem abſolutio debet procedere ex certa ſcientia; non verò impetrari per ſubreptionem. Cæterum civilis, & politica communicatio, quâ privatur excommunicatus vitandus, ſeu non toleratus comprehendit omnem humanam ſocietatem activam, & paſſivam; adeò ut teneatur excommunicatus non ſolùm alios fideles vitare, ſed etiam ab aliis vitari *cap. illud §. autem de cler. excom.*

14 Solet autem hæc civilis communicatio prohibita excommunicato explicari hoc verſu

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

per *os* enim prohibentur omnes ſalutationes, ſive in præſentia per oſcula, nutus colloquia, & amplexus, ſive per litteras, vel nuncium, idque deſumitur *ex 2. Joan. 1. neque ei ave dixeritis*; adeò ut nec licitum ſit honoris cauſa excommunicato caput detegere, ut docet Suarez *diſp. 15. de cenſur. ſect. 1. num. 2.* Per *orare* intelligitur omnis communicatio in orationibus, & publicis officiis eccleſiæ, in quibus non licèt participare cum excommunicato orando cum illo, vel audiendo ſacrum. Per *vale* intelliguntur omnes ſalutationes, valedictiones, honores: reſalutare tamen non eſt illicitum eò quia reſalutatio ſit quædam debiti ſolutio. *Communio* prohibet omnem ſocietatem ſcilicet agere negotia, contrahere pacta, ambulare cum excommunicato, laborare cum eodem.

Domum per *menſam* prohibetur convictus, & cohabitatio in eadem menſa, lecto, cubiculo; hæc autem intelligenda non ſunt de communicatione merè materiali, quia hæc non eſt prohibita: ſi enim caſu, & præter intentionem quis converſetur cum excommunicato hæc communicatio utpote, vel proveniens ex ignorantia, vel caſualis, & præter intentionem, non eſt prohibita; ſed tantùm in æſtimatione morali, ut ſi aliquis ſcienter non obſtante prohibitione velit converſari cum excommunicato. Cæterum ſunt plures cauſæ, quæ licitam etiam conſtituunt communicationem cum excommunicato. 15

Præter recenſitos excommunicationis effectus dantur etiam alii, ut quòd excommunicatus ſit inhabilis ad quodvis eccleſiaſticum officium obtinendum, adeò ut electio illius, vel confirmatio, ut etiam præſentatio, & inſtitutio ſit ipſo jure invalida *c. ult. de cler. exc.* Rurſus privatur etiam excommunicatus eccleſiaſticâ ſepulturâ, adeò ut neque in loco ſacro, aut benedicto, & deſtinato ad ſepulturam fidelium licitè poſſit ſepeliri, neque à Clero deduci ſolemniter ad ſepulturam, neque exequiæ pro illo fieri, quia ut habetur *in cap. ſacris 12. de ſepultur.* quibus non communicamus vivis, nec mortuis poſſumus communicare. Verùm poſt Concilium Conſtantienſe intelligi id debet de ſolis excommunicatis non toleratis. 16

Rurſus effectus proximus per ſe ac directus excommunicationis eſt unus, ſcilicet privare directè participatione, ſeu ſuſceptione ſacramentorum ut liquet ex *c. 2. de except.* & in *c. ult. de cler. excommun.* Hinc ſi excommunicatus minori excommunicatione ſacramentum ſuſcipiat ſine juſta neceſſitate peccat mortaliter, quia materia hujus prohibitionis eſt gravis. Indirectè verò minori excommunicatione innodatus non poteſt ad beneficium eccleſiaſticum eligi: & ejus electio non quidem ipſo facto irrita eſt, ſed tamen irritanda ſaltem ſi ſcienter electus paſſus ſit ſe eligi: ratio eſt, quia beneficium eccleſiaſticum ſaltem remotè eſt inſtitutum ad ſuſcipiendos Ordines, vel miſſam celebrandam, proinde etiam aliquo modò, vel ſaltem remotè ad ſuſcipienda ſacramenta, quorum ſuſceptio prohibita eſt ligato minore excommunicatione. 17

§. V.

De conditionibus præcedentibus, concomitantibus, & ſubſequentibus excommunicationem, ut valida ſit.

CONditiones requiſitæ ad excommunicationem latam à jure, ut valide ſit, quinque recenſentur, quarum prima eſt, 1

eſt, ut lex continens excommunicationem conducat ad bonum commune: Siquidem de ratione legis eſt, ot feratur ad utilitatem, & bonum non ſolùm totius communitatis, verum etiam ipſorum ſubditorum in particulari, quia ſi non tenderet in bonum particulare, nec etiam conderetur in bonum commune; cùm hoc coaleſcat ex bonis particularibus, unde lex continens excommunicationem, ſi eſſet inotilis bono communi non haberet rationem legis, neque excommunicatio per ipſam lata foret valida. Quòd ſi ſuperior tantùm ad propriam utilitatem talem conderet legem, quâ graviter ſubditos puniret, non eſſet legiſlator, ſed Tyrannus; ut docet D. Auguſtinus *lib. 6. de Civit. Dei c. 15.* cui adhæret D. Thomas *22. q. 42. artic. 2.* ubi expreſſè docet, quòd ſi legiſlatur prætermiſſo bono communi quærat proprium, non ſit legiſlator, ſed tyrannus.

2 Secunda conditio eſt, ut ſit de re poſſibili, quia ad impoſſibile nemo tenetur, præſertim per legem continentem excommunicationem, quæ ut incurratur, prærequiritur peccatum grave inobedientiæ. Sin verò res eſſet poſſibilis, ſed obſervatu difficillima, & valde oneroſa, ut ſi Pontifex ſine rationabili cauſa legem conderet præcipientem ſub excommunicatione perpetuum jejunium in ſolo pane, & aqua reſpondent plures, tunc talem legem non fore obligatoriam, qnia fideles non ſubjiciuntur Prælatis ſubjectione ita ſervili, & ſtricta ſicut mancipia, ſed ſubjectione politica. Hine tertia conditio aſt, ut lex ſit de re juſta, & honeſta, quia lex humana eſt participatio divinæ, & æternæ, quæ ſicut eſt juſtiſſima, ita lex humana nonniſi juſta, & honeſta debet præcipere. Quarta conditio eſt ut lex continens excommunicationem ſit ſufficienter promulgata, qoia lex non obligat, neque exercet rationem legis niſi ſit ſufficienter promulgata, ut communiter docent cum Gloſſa *in c. cognoſcentes V. ante probibitionem de conſtit.* ſiquidem non poteſt quis obligari ad id agendum quod non cognoſcit, an ſit faciendum; perinde non poteſt lex vim ſuam exercere niſi promulgata fuerit, adeò ut promulgatio ſit ſaltem conditio extrinſeca neceſſaria, ut lex actu obliget. Ultima conditio eſt, ut lex continens excommunicationem ſit recepta à ſubditis, non quòd id exigat natura legis eccleſiaſtici, ſed ex benignitate legiſlatoris quia cum Prælati eccleſiaſtici non habeant hanc poteſtatem condendi legem acceptam ab ipſis ſubditis, ſed à ſolo Deo, ideo poſſunt ſuis legibus obligare ſubditos, quamvis iſtis non ſemper conſtet de legiſlatoris benignitate, donec lex ſit à majori parte ſubditorum recepta.

3 Ex parte judicis, ſeu Superioris imponentis excommunicationem ſive per legem, ſive per ſententiam tres reqoiruntur conditiones, quarum prima eſt, ut ſit ſui compos, habeátq; perfectum uſum rationis, cujus defectu inſani, amentes, ſtolidi, & etiam ebrii tempore ebrietatis capaces non ſunt ferendi in alios ſententiam excomunicarionis: imò nec capaces ſunt requirendi poteſtatem excommunicandi.

4 Secunda ut ferens cenſuram in alium ſit conſtitutus in ordine clericali, quia indecorum eſt, ut laicus ſit judex eccleſiaſticus: tum quia ferre cenſuras eſt actus juriſdictionis, & laicus non habet juriſdictionem in clericos, hinc baptizati, non poſſunt alios excommunicare, qoia carens baptiſmo non eſt capax Ordinis clericalis *c. fin. de Presbyt. non baptiz.* Non tamen eſt neceſſe, ut ſuperior ferens cenſoram ſit ſacerdos, ſed ſufficit, ſi ſit conſtitutus in minoribus ordinibus, quia ut probabilior fert ſeutentia poteſtas excommunicandi, & abſolvendi ab excommunicatione fuit data Apoſtolis, quando Chriſtus *Matth. 16.* dixit, *quodcunque ligaveritis ſuper terram* & etiam quando *Matth. 18.* dixit: *Si autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*: ſed tunc Apoſtoli nondum erant ſacerdotes, quia ut definivit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 28. can. 1. & 2.* Apoſtoli fuerunt à Chriſto Domino ordinati ſacerdotes in ipſa nocte cœnæ.

5 Tertia conditio eſt, ut qui fert excommunicationem habeat juriſdictionem in foro exteriori contentioſo, quia excommunicare propriè eſt actus juriſdictionis, qui debet ſupponere juriſdictionem in ferente excommunicationem. Poteſt etiam Pontifex de plenitudine poteſtatis hanc juriſdictionem committere laicis: quia quòd de facto laici non ſint judices in rebus eccleſiaſticis, eſt tantùm de jure pontificio humano, ut habetur in *c. decernimus de judic.* & Pontifex poteſt in jure pontificio diſpenſare, ut liquet in *c. propoſuit de conceſſ. prabend.* eſt enim Pontifex ſupra jus commune; proinde nil obſtat, quin poſſit diſpenſare in jure Pontificio, & commitere hanc juriſdictionem laicis. Id autem non poſſet præſtare alius Prælatus eccleſiaſticus inferior, quia cæteri Prælati inferiores ſubjiciuntur juri communi, in quo propterea non poſſunt diſpenſare.

6 Rurſus hæc juriſdictio requiſita in ferente ſententiam excommunicationis debet eſſe expedita quoad uſum, quia poteſtas impedita, perinde ſe habet, ac ſi non eſſet. Hinc excommunicatio lata à Prælato ebrio, vel amente eo tempore, quo illam intulit, invalida eſt, ut deciditur in *c. infamis 3. q. 7.* quia ebrietas, & amentia impediunt uſum rationis, proinde etiam uſum juriſdictionis; quia talis uſus eſt actus humanus, & quoties homo operatur ſine uſu rationis hujuſmodi operationes non ſunt actus humani, proinde non poſſunt ligare.

7 Invalida eſt etiam excommunicatio lata à judice, qui fuerat priùs juſtè, & legitimè recuſatus, quia recuſatio impedit uſum juriſdictionis, quo fit, ut acta judicis recuſati nullum ſortiantur valorem, ſintque irrita ut habetur in *c. quoties Epiſcopi 2. q. 6.* Imò eſt etiam

iam

iam invalida excommunicatio lata contra eum, qui antea legitimè appellaverat: quia per legitimam appellationem præcedentem, ſuſpenditur ſubſequens uſus hujus juriſdictionis per textum in *c. ſi à judice de appellat. in 6.* Rurſus eſt etiam invalida excommunicatio lata à judice inferiori contra præceptum irritans emanatum à ſuperiore: quia cum ſuperior poſſit totaliter privare inferiorem juriſdictione, à fortiori poterit etiam eidem uſum interdicere juriſdictionis. Sin verò præceptum ſuperioris ſit tantùm prohibens, & non irritans, tunc excommunicatio lata ab inferiori eſt valida, licèt peccet eam ferendo: ratio eſt, quia ſola prohitio non tollit poteſtatem, nec uſum illius.

8 Quid verò dicendum, ſi ipſe judex, vel ſuperior, qui fert excommunicationem, ſit excommunicatus excommunicatione majori occulta tamen. Reſpondetur, talem excommunicationem ab eo latam eſſe validam: ratio eſt, quia eccleſia non præſumitur privare uſu juriſdictionis judices, & Prælatos publicos occultè excommunicatos, idque ad evitanda ſcandala, & incommoda: alioquin ſi ſemel manifeſtaretur occulta hæreſis, in qua per plures annos immoratus fuit Prælatus; ſequeretur, quòd omnia negotia ab ipſo intra id tempus peracta eſſent iterum innovanda, & lites jam extinctæ iterum ſuſcitarentur; ſiquidem ob contractam excommunicationem majorem ea omnia irrita eſſent, ac invalida: id autem maximum adferret Reipublicæ incommodum, & omnia perturbarentur. Hinc ad hæc præcavenda incommoda, docent communiter Canoniſtæ, excommunicationem latam à judice excommunicato excommunicatione majori occulta tamen, eſſe validam; & id deſumitur ex *c. infamis 3. q. 7.* & in jure civili ex *l. Barbarius ff de offic. prætor.* Tum quia in *c. ad probandum de ſentent. & re judic.* habetur, quòd ſententia lata à publicè excommunicato nullius ſit valoris: unde per ſenſum contrarium ſententia lata ab eo, qui non fuit publicè excommunicatus, ſed tantùm occultè ſuum ſortitur valorem. Tum quia ut docent plures eccleſia in tali caſu intendit conferre occultè excom̃unicato juriſdictionem & facultatem excom̃unicandi, & alia præſtandi, quæ in bonum cedunt Reipublicæ Chriſtianæ.

9 Præterea ad valorem excommunicationis neceſſaria eſt prævia monitio, quia excommunicatio non poteſt ferri ab eccleſia niſi contra contumaces, & detrectantes parêre ſuis præceptis: & non poteſt quis cenſeri inobediens poteſtati eccleſiaſticæ, niſi priùs fuerit ab eccleſia admonitus ad parendum: alioquin præſumendum potiùs eſſet, quòd timore tantæ pœnæ obediviſſet; ſi ſufficienter fuiſſet admonitus. Hinc nulla excommunicatio ab homine lata ob peccatum præteritum, vel præſens, in quo reus contumaciter perſiſtit infligi debet, niſi aliqua præceſſerit admonitio, ut colligitur ex illo Chriſti Matth. 18. *Si eccleſia non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus,* & ex illo *Apoſt. ad Tit. 3.* Hæreticum hominem poſt unam, aut alteram correctionem devita: ex quibus liquet, ad excommunicationem ferendam ab homine requiri præviam admonitionem, idque etiam habetur *ex c. ſacro 48. h. t.* ubi Innocentius III. declarat, Prælatum non poſſe excommunicare niſi præmiſſa competenti admonitione coram perſonis idoneis per quas ſi neceſſe fuerit poſſit monitio probari. Ratio eſt, quia excommunicatio non fertur niſi in contumaces contra eccleſiam, & tales non ſunt, niſi qui præmiſſa admonitione, & comminatione cenſuræ recuſant obedire. Sicut in aliis ſententiis, neceſſe eſt præcedat citatio ad audiendam ſententiam *c. cenſuit 24. de offic. de leg.* ita in ſententia excommunicationis requiritur prævia monitio, ut reus ſe corrigat, & pœnam divitet.

Immo excommunicatio lata ab homine 10
pro præteritis culpis ferri non debet; niſi præceſſerint tres monitiones cùm ſuis intervallis, ut habetur in *d. c. ſacro 48. h. t.* & *c. Romana 5. h. t.* ubi Innocentius IV. declarat ſententiam excommunicationis prolatam in genere, vel ſpecie pro culpis, & offenſis præteritis, vel præſentibus ſine competenti monitione præmiſſa eſſe injuſtam; hæ autem monitiones debent eſſe tres taliter, ut intra unam, & alteram mediet intervallum duorum, vel trium dierum juxta judicis arbitrium: vel ſi fiat una tantùm monitio, talis ſit, ut æquivaleat illis tribus, ut monet Gregorius X. in *c. Conſtitutionem 9. h t in 6.* ubi reſcribit, quòd judices, quando faciunt canonicas monitiones ſive citant tribus vicibus, ſive unà pro tribus, obſervent intervalla competentia aliquorum dierum niſi neceſſitas facti ſuaſerit aliter eſſe illa moderanda.

Hæc tamen trina monitio requiritur ex 11
juris præcepto, ut juſtè feratur excommunicatio, non verò ut validè; quia tametſi trina monitio non præceſſerit, adhuc excommunicatio ſuum ſortitur valorem, ut habetur in *d. c. Sacro 48. h. t.* ubi excommunicatio lata ſine hac prævia trina monitione dicitur injuſta, non tamen nulla, ut etiam notat Covarruvias in *c. Alma Mater p. 1. §. 9. num 5.* Cæterum ad valorem excommunicationis requiritur ſaltem una prævia monitio, quia ut diximus omnis cenſura præſupponit neceſſariò contumaciam, quæ non poteſt aliter apparere, quàm ſi reus monitus ab eccleſia eam non audiat.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus poteſt 12
quis excommunicari, tametſi prævia monitio non præceſſerit, & eos recenſet Barboſa in *collect. in d. c. ſacro 48. n. 5. h. t.* Cæterùm hæc monitio canonica fieri debet, quantum poteſt, perſonaliter ipſi reo, niſi fortaſſis is malitioſè latitet: quia tunc ſufficit, ſi citatio cum comminatione fiat ad ejus domum, vel ad valvas eccleſiæ, vel alium locum publicum, adeò ut facilè poſſit ad ejus notitiam deferri.

Qui-

Quinimò ſi ex contumacia non compareat, poteſt etiam abſens excommunicari, ut notat Covarruvias in *c. Alma Mater. p. 1. §. 9. n. 4.* Sin verò judex negligat excommunicationis ſententiam ferre absque competente monitione præmiſſa, incurrit interdictum, quo per unum menſem prohibetur ab ingreſſu eccleſiæ; quinimò poteſt etiam aliter puniri, ut habetur in *d. c. ſacro 48. h. t.* ubi Pontifex cùm declarâſſet, non poſſe Prælatum excommunicare niſi præmiſſa competenti monitione coram perſonis idoneis, poſtea ſubdit: *Sin verò contra præſumpſerit, interdicitur ei per menſem unum ingreſſus eccleſiæ, tametſi excommunicatio juſta ſit, & aliâ pœnâ mulctabitur, ſi ſic judicabitur expedire.* Non tamen is, qui arcetur ab ingreſſu eccleſiæ perdit poteſtatem exercendi jurisdictionem *argum. c. ult. de cler. excommunicat.* immò hæc pœna ingreſſûs infligitur ipſo jure, & elapſo menſe relaxatur, ut notat Hoſtienſis in *d. c. ſacro 48. V. per menſem h. t.*

13 An verò, quando lex aliquid præcipit ſub excommunicatione ferenda, poſſit ſaltem tunc judex ſine prævia monitione à ſe facta delinquentem excommunicare. Reſpondetur negativè quia excommunicatio non exigit monitionem utcumque, ſed illam, quæ ſufficit ad contumaciam, & inobedientiam: atqui per ſolam monitionem factam per legem reus non eſt inobediens judici, ſed tantùm legi: unde ſicut excommunicatio lata à lege exigit monitionem factam ab ipſa lege; ita lata ab homine exigit monitionem factam ab ipſo homine; adeò ut judex non poſſit quemquam excommunicare, niſi priùs eum moneat.

14 Neque obſtat, ſi dicas, reum jam ſufficienter fuiſſe admonitum per legem. Contra eſt, quia licèt ſola admonitio facta à lege ſufficiens ſit ad contrahendam excommunicationem latam à jure, non tamen ſufficit ad contrahendam excommunicationem latam ab homine: quia tametſi tunc transgreſſor talis legis ſit inobediens legi, non tamen eſt inobediens homini, à quo eſt excommunicandus, quamdiu ab illo non eſt præcisè admonitus. Cæterum ad incurrendam excommunicationem latam non ab homine, ſed à Jure, ſeu Canone pro culpa futura ipſo facto incurrenda, ut ſi lex dicat, *qui hoc fecerit, ſit ipſo facto excommunicatus,* non requiritur ulla alia admonitio, ſed ſtatim incurritur excommunicatio, quàm primùm quis delinquit contra legem, idque deſumitur ex *c. reprehenſibilis de Prælat.* ubi deciditur, Prælatos non debere ſine Canonica monitione ſententiam excomunicationis ferre, niſi talis ſit culpa, quæ ipſo jure excommunicationem inducat, qui textus communiter intelligitur de ſententia tantùm declaratoria, quæ denuntiat excommunicationem ipſo jure latam, fuiſſe à tali reo contractam; quis tunc non judex excommunicat de novo, ſed ſimpliciter declarat, reum incurriſſe excommunicationem latam à jure: hinc ad incurrendam excommunicationem latam à Canone pro culpa futura, non eſt neceſſaria alia admonitio, quia tunc lex ipſa, ut etiam præceptum judicis generale, vel ſpeciale continuò admonet, proinde meritò delinquens cenſetur inobediens, & contumax, eò quia detrectet parêre. Tum quia ſi præter legem: vel præceptum requireretur alia monitio, non poſſet unquam cenſura ipſo facto incurri; etenim ſi poſt legem violatam reus reſipiſceret, non eſſet contumax, nec poſſet propterea cenſura puniri, nec ipſo jure, ſeu facto illam contraheret, quia non præſumeretur monitus à judice.

Quinimò nec prævia monitio requiritur, 15
ut declaretur cenſura antea incurſa, ſeu ipſo facto contracta, ſi crimen, cui cenſura eſt adnexa, clarè conſtet, fuiſſe commiſſum; quia tunc cum crimen ſit notorium, eſt etiam notoria excommunicatio ei adnexa, proinde non requiritur alia admonitio. Sin verò crimen non ſit notorium, tunc reus antequam declaretur, & denuncietur excommunicatus, citari debet, & audiri, ut poſſit allegare, ſi quid habeat in contrarium: ſine hac enim citatione prævia declaratio eſſet nulla, quia contra inauditam partem non poteſt quidquam in judicio definiri *c. 1. de cauſ. poſſ. & prop.*

Quando verò in jure fertur excommu- 16
nicatio non latæ, ſed ferendæ ſententiæ, ut ſi canon dicat, *quicunque id fecerit excommunicetur*, tunc non eſt reus ſtatim excommunicandus, tametſi convictus ſit, niſi præceſſerit trina monitio, per ſe loquendo, quia tunc excommunicatio infligitur ab homine; quia lex declarat delinquentem excommunicandum, proinde non eſt lex, quæ excommunicat, ſed injungit judici, ut excommunicet: & ad quamlibet excommunicationem latam ab homine requiritur prævia monitio.

Hinc quando excommunicatio non eſt 17
latæ, ſed ferendæ ſententiæ requiritur canonica monitio, quia exceptio firmat regulam in aliis non exceptis. Tum quia inde ſequeretur, quòd perſæpe excommunicatio infligeretur ob crimen merè præteritum, vel emendatum, ut ſi reus poſt crimen commiſſum reſipiſcat, & paratus ſit eccleſiæ parêre, ac ſatisfacere, tunc enim excommunicari non poſſet, ſed potiùs abſolvi, ſi antea excommunicationem incurriſſet *c. quâ fronte 25. de appellat.*

Conditiones, quæ concomitantur ipſam 18
excommunicationem, quando fertur, aliæ ſe tenent ex parte ipſius ſententiæ, quæ fertur, aliæ ex parte temporis, & aliæ ex parte loci. Ex parte ſententiæ requiritur, ut feratur in ſcriptis, & deſumitur ex *c. 1. de ſent. excommun. in 6.* idque ut reo concedatur tempus, ſi voluerit appellare. Solet etiam ſententia in ſcriptis ferri ad evitanda plura incommoda, & ne forâſſis aliter poſtea ſcribatur, vel referatur, quàm fuerat promulgata: eſt tamen id intelligendum de excommunicatione

lata ab homine per viam ſententiæ; quia quæ fertur per modum legis, aut ſtatuti, non eſt neceſſe, ut ſit ſcripta recèns quando incurritur. Ratio diſcriminis eſt, quia excommunicatio lata ab homine per modum ſententiæ poteſt eſſe juſta, vel injuſta: proinde neceſſaria eſt ſcriptura, ut à ſuperiore illius examinetur juſtificatio: ſecus excommunicatio lata per modum legis, quia ſemper præſumitur juſta, non indiget ſcripturâ.

19 Non tamen ad valorem excommunicationis eſt ſcriptura ſimpliciter neceſſaria, quia tametſi judex ferens excommunicationem ſola voce ſine ſcriptura peccet, eò quia non ſervet ordinem juris, ut deſumitur ex *d. c. 1. h. t. in 6.* eſt nihilominus excommunicatio illa valida; ratio eſt, quia Pontifex in prædicto capite priùs privat judicem ingreſſu eccleſiæ, & divinis officiis per menſem, & poſtea præcipit ſuperiori, ut talem excommunicationem abſque difficultate relaxet; unde Pontifex ſupponit, eam fuiſſe validam: alioquin non juſſiſſet illam relaxari.

20 Non tamen excommunicatio ferri debet tempore feriato. Ratio eſt, quia excommunicatio lata ab homine exigit ferri præmiſſa trina monitione, & cognitione cauſæ *cap. ſacro 48. h. t.* & *c. nemo 2 q. 1.* ſed tempore feriato cauſæ non poſſunt cognoſci, ut deſumitur ex *c. final. de feriis*, conſequenter neque poteſt ferri ſententia excomunicationis: quòd ſi hæc feratur, peccat judex, quia transgreditur ordinem legis in re gravi, ſed excommunicatio eſt valida. Excipitur tamen ab hac regula caſus, in quo contumacia delinquentis, ita eſſet omnibus manifeſta, ut judiciali non indigeret cognitione *c. evidentia de accuſ.* Neque ſententia excommunicationis fertur nocturno tempore, quia eccleſiaſticum judicium non exercetur in tenebris, *cap. cenſuit de off. & poteſtat. jud. dele.* quòd ſi de nocte ferretur ſententia excommunicationis ſine ulla neceſſitate, peccaret tunc judex; verùm excommunicatio valida eſſet.

21 Circumſtantiæ ſe tenentes ex parte loci denotant locum, in quo poteſt ſententia excommunicationis ferri: Epiſcopus enim exiſtens extra proprium territorium non poteſt excommunicare proprios ſubditos *c. Epiſcoporum 9. q. 2. & Clement. quamvis de foro compet* quia ad ferendam excommunicationem ab homine per viam ſententiæ judicialis requiritur cognitio cauſæ, quæ neceſſariò exigit aliquod tribunal: cauſæ ſiquidem delinquentium non cognoſcuntur niſi in tribunali: Epiſcopus autem in alieno territorio non habet juriſdictionem, proinde non poteſt pro tribunali ſedere, nec cauſas cognoſcere, nec exercere juriſdictionem contentioſam per textum in *c. de offic. de leg.* & in jure civile per *l. ult. ff. de juriſdict. omn. judic.* Hinc excommunicatio lata ab Epiſcopo extra proprium territorium, ſeu ſuam Diœceſin eſt etiam invalida, ut probat Gloſſa in *d. c. de offic. deleg. V. terminus*, & quamvis ibi ſermo ſit de interdicto; adhuc tamen ratio urget etiam de excommunicatione, ut colligitur ex ipſo textu; ubi Pontifex non aliter ſalvat ſententiam interdicti latam à Legato contra Regem Francorum, niſi quia nondum fuerat egreſſus terminos ſuæ legationis.

22 Hinc inferunt Canoniſtæ, quòd ſi fuiſſet egreſſus terminos ſuæ legationis, ſententia lata fuiſſet nulla, quia extra proprium territorium non poteſt quis actus juriſdictionis exercere. Sin verò culpa adeò eſſet notoria, & publica, ut non indigeret cognitione cauſæ, tunc cenſent plures, poſſe Epiſcopum extra proprium territorium ſuos ſubditos excommunicare, dummodo præmitteret requiſitas admonitiones, quia cùm non eſſet tunc neceſſaria cognitio cauſæ non eſſet neceſſe, ut ſederet pro tribunali in alieno territorio. Cæterum poteſt Epiſcopus exiſtens in proprio territorio excommunicare ſubditum exiſtentem in alieno; dummodo culpa, pro qua excommunicatur, commiſſa fuerit in proprio territorio: alioquin eccleſiaſtica poteſtas nihili fieret, poſſentque ſubditi ab omnium Epiſcoporum juriſdictione ſe eximire, ac ſubjici immediatè ſoli ſummò Pontifici, etenim ſi quis comitteret delictum in uno territorio, & ſtatim in aliud aufugeret, non poſſet excommunicari à proprio Epiſcopo, cùm non amplius exiſteret in ejus territorio: neque ab Epiſcopo, in cujus territorio exiſteret, quia in tali territorio nullum commiſiſſet delictum, proinde non poſſet pro tali delicto niſi à ſolo ſummo Pontifice excommunicari.

23 Non tamen poteſt Epiſcopus excommunicare proprium ſubditum pro delicto commiſſo in alieno territorio: ratio deſumitur ex fine, ab quem introducta fuit limitatio, & diſtinctio Diœceſium: Sicut enim juriſdictio Epiſcopi eſt limitata quoad perſonas, ita decuit, ut etiam limitaretur quoad loca: unde licèt Epiſcopus ſit verus Paſtor illius hominis quoad forum conſcientiæ, non ita tamen quoad forum externum reſpectu talis delicti, quia ratione illius ſit ſubditus illius Epiſcopi, in cujus territorio, & juriſdictione delictum commiſit. Idque etiam procedit, tametſi excommunicatio lata eſſet per modum ſtatuti generalis, ut colligitur ex *c. 2. de conſtitut. in 6.* ubi habetur; ſtatutum Epiſcopi eos excommunicantis, qui furantur, non ligare eos, qui extra Diœceſin furantur; quia ratione delicti commiſſi extra Diœceſin ſubjicitur illi Epiſcopo, in cujus territorio delictum commiſit; hinc ſi in propria Diœceſi daretur locus exemptus, & ibi ſubditus Epiſcopi delictum aliquod committeret, cui eſſet adnexa excommunicatio, illam non incurreret, quia locus exemptus, quamvis intra Diœceſin æquiparatur loco extraneo, & extra Diœceſin quoad uſum juriſdictionis *c. cum Epiſcopus de offic Ordin. in 6.* Nomine loci exempti intelliguntur oppida, vel parochiæ, quæ ſunt alterius juris-

riſdictionis eccleſiaſticæ: unde locus exemptus non eſt talis ſimpliciter, & præciſè ratione perſonarum, cujuſmodi ſunt monaſteria Religioſorum: quia ſubditi Epiſcopi, ſi delinquant in monaſteriis Religioſorum, adhuc poſſunt ab Epiſcopo excommunicari, quia monaſteria Religioſorum non ſunt exempta niſi præciſè quoad perſonas religioſas ibi commorantes.

24 Quòd ſi delictum, cui eſt annexa excommunicatio per modum ſtatuti inchoatum fuerit in proprio territorio, & conſummato in alieno, tunc in ſententia plurium delinquens nonincurreret excommunicationem latam à ſuo Epiſcopo: ratio eſt, quia excommunicatio non cenſetur lata contra inchoantes delictum, ſed contra illud conſummantes, quia in odioſis res ſunt reſtringendæ: hinc ſi excommunicatio lata eſſet contra homicidas in loco ſacro, & quis exiſtens in eccleſia ſagittam evibraret, quâ hominem occideret extra eccleſiam, non incurreret excommunicationem, quia licèt homicidium illud cenſeretur inchoatum in eccleſia, à qua fuit ſagitta emiſſa extra eccleſiam; nihilominus conſummatum eſſet extra eccleſiam.

25 Conditiones ſubſequentes excommunicationem ſunt denunciationes: ſiquidem lata excommunicatio debet denunciari *cap. cura 11. q. 3. c. paſtoralis* §. *final. de appellat.* idque ut excommunicatos rubore ſuffuſus, & pudore affectus citiùs reſipiſcat, quatenus cognoſcit ſe eſſe omnibus exoſum, & tanquam membrum prutridum ab omnibus evitari. Tum quia jure novo poſt Concilium Conſtantienſe, non tenetur quis excommunicatum vitare, donec nominatim denuncietur; dummodo non ſit publicus Clerici percuſſor: quia hic incorrit ſtatim excommunicationem à jure latam, & abſque alia denunciatione eſt vitandus. Debet autem denunciatio fieri ab eodem, à quo fertur excommunitio, ſi hæc lata fuerit ab homine *c. paſtoralis* §. *fin. de appell.* & *cap. 1. de raptor.* Idque etiam procedit, ſi excommunicatio lata fuit per modum ſtatuti, & legis. Quòd ſi excommunicatus in alieno commoretur territorio, debet tunc Epiſcopus denuncians excommunicationem monere alium Epiſcopum, in cujus territorio exiſtit, ut illum denunciet *Clement. 1.* §. *eorundem de ſor. compet.* Quòd ſi excommunicatio à delinquente incurſa lata fuerit à jure communi, tunc debet denunciatio fieri ab Ordinario loci, ubi fuit incurſa, ut declaratur *in clement. 2.* §. *locorum de pœnis, & clement. 1. de privileg.* Verùm ante denunciationem excommunicationis, quæ à jore incurritur, debet etiam præcedere citatio, ut poſſit reus ſe defendere: quia nemo inauditus eſt condemnandus: alioquin ſententia declaratoria excommunicationis incurſæ irrita foret, ut notat Covarruvias *c. Alma Mater p. 1.* §. *11. n. 6.*

26 Quòd ſi citatus ſuum fateatur crimen, ſimulque ſe paratum dicat ad exhibendam ſatisfactionem, tunc non eſt denunciandus: quia cùm excommunicatio ſit pœna medicinalis ceſſante morbo debet deſinere, & eo ipſo quòd delinquens reſipiſcit, jam reſtitutior priſtinæ ſaluti, conſequenter non indiget ampliùs medicinâ. Sin verò citatus ante denunciationem appellaret, adhuc eſſet denunciandus, ſi excommunicatio ſupponatur lata ab homine; quia hujuſmodi appellatio non ſuſpendit denunciationem: ut habetur *in cap. paſtoralis* §. *verum de appellat.* Unde Judex ordinarius non obſtante tali appellatione adhuc poterit illum denunciare, quamvis eam appellationem admiſerit: non tamen id procedit de judice delegato, quia hic tenetur illum priùs denunciare, quàm appellationem admittere, quia eo ipſo, quòd admittit appellationem, ceſſat eius juriſdictio, ut habetur *in c. paſtoralis cap. cùm autem de offic. deleg.*

§. VI.

Quomodo excommunicatio iniuſta ſit, & invalida, & qualis ignorantia, ac metus excuſet ab illa incurrenda.

Sermo eſt de cenſura lata ab homine, ſeu judice, quia cenſura lata à jure ſemper præſumitur juſta, perinde ac ipſa lex. 1
Excommunicatio igitur, quæ fertur ab homine aliquando eſt ſolùm illicita, & injuſta, eò quia injuſtè lata fuerit; ſed adhuc valida eſt: ſi enim judex ex ſiniſtra intentione excommunicationem ferat, vel non ſervet formam in ea ferenda, ut ſi omittat trinam præviam admonitionem, vel ſententiam non ſcribat, vel cauſam non exprimat, pro qua fertur ſententia excommunicationis, in his enim caſibus excommunicatio eſt illicita, & injuſta, quia injuſtè lata. Rurſus patet excommunicatio non ſolùm eſſe injuſta, ſed etiam invalida, adeò ut non potis ſit ligare: hæcque invaliditas ex triplici poteſt oriri capite.

Primò defectu juriſdictionis in ferente, 2
ſi nimirum non habeat juriſdictionem, vel ſi habeat, careat eius uſu ob cenſuram excommunicationis; vel talis juriſdictio ſuſpenſa ſit per legitimam appellationem interpoſitam ante ſententiam definitivam latam à judice *c. 1. c. præterea 40. de appell. c. ſolet 2. h. t. in 6.* Non ita tamen contingeret, ſi appellatio fieret poſt latam ſententiam excommunicationis, cujos effectus per ſequentem appellationem non ſuſpenditur *cap. is cui 20. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd ſuſpenſio ab officio, vel ingreſſu eccleſiæ, ut etiam eios effectus non ſuſpendantur per ſequentem appellationem.

Secundò fit etiam excommunicatio nulla, 3
ſi in ea ferenda non fuerit ſervatus ordo ſubſtantialis judicii, ut ſi nulla fuerit præmiſſa admonitio, ſi omiſſa Rei citatio, nec admiſſus Reus ad ſe defendendum, ut etiam ſi deſit legitima

tima probatio cauſæ, ab quam cenſura fertur, ut docet Suarez *diſp. 4. de cenſur. ſect. 7. n. 2.*

4 Tertiò eſt etiam invalida excommunicatio ex defectu juſtæ cauſæ, ſi ſcilicet ob nullam, vel levem culpam excommunicatio gravis feratur: quoties pœna eſt gravior culpâ, juxta menſuram, quâ pœna excedit culpam ſententia eſt injuſta, quia ut juſta ſit, debet pœna commenſorari culpæ.

5 Rurſus poteſt cauſa eſſe injuſta ex triplici capite. Primò ſi crimen, licèt patratum fuerit, non tamen de eo reus legitimè convictus fuit, nec reus fuit illud confeſſus, quia tunc licèt cauſa ſubſiſtat ſecundùm ſe, non tamen in ordine ad judicium publicum: quia tunc excommunicatio nulla eſt, quamvis crimen occultum innoteſceret privatim judici, quia ut perſona publica debet procedere ſecundùm allegata, & probata, ſeu ſecundùm notitiam publicam, non verò ſecundùm privatam. Unde quamvis crimen revera ſit commiſſum; ſi tamen Reus non convincatur, nec illud confiteatur, tunc ſententia excommunicationis contra ipſum lata eſt injuſta, eò quia non procedat juxta allegata, & probata in judicio. Secundò ſi à parte Rei nullum crimen ſit commiſſum; & nihilominus adeſt legitima probatio, non quidem vera, ſed præſumpta cauſa ferendi cenſuram, tunc enim cauſa ferendæ excommunicationis eſt etiam injuſta, non quidem juridicè cùm excommunicatus in judicio exteriori probetur nocens, ſed in foro conſcientiæ; eò quia revera ſit innocens. Tertiò ſi nec re ipſa, nec juxta allegata, & præſumptionem fori externi crimen ſubſit; ut ſi Epiſcopus ferat ſententiam excommunicationis contra ſuos ſubditos, qui tempore paſchali confitentur extra parochias apud Religioſos privilegiatos, tunc hujusmodi excommunicatio invalida eſſet, quia intolerabilem contineret errorem, & infligeretur pœna abſque culpa, quia poſſunt ſubditi Epiſcopi confiteri tempore paſchali extra parochias apud Religioſos privilegiatos, & deſumitur *ex c. venerabilibus 7. h. t.*

6 Cæterum excommunicatio juxta allegata, & probata valida eſt quoad forum externum, licèt reverà parte Rei ſit injuſta, proinde excommunicatos tenetur petere, ut in eodem foro abſolvatur: quamvis in foro interno conſcientiæ non ſit valida, neque obliget: proinde per talem excommunicationem innocens, qui ſecundùm legitimas probationes in judicio publico habetur nocens, re ipſa in foro conſcientiæ non privatur communibus eccleſiæ ſuffragiis, & orationibus; neque jure agendi, & exercendi ea, quæ aliàs ratione excommunicationis prohiberentur, ſive occultè, ſive coram iis, quibus eius innocentia innoteſcit, vel ſententia cenſuræ non eſt explorata: hinc ſi divina officia occultè celebret, non peccat, quia cùm revera non ſit in conſcientia excommunicatus, neque in conſcientia incurrit pœnas inflictas propter excomunicationem, licèt teneatur in facie eccleſiæ, & coram iis, quibus ſententia lata innoteſcit, ſe gerere ut excommunicatus: proinde ſe abſtinere ab omnibus, quæ ob excommunicationem prohibentur, donec ab eadem in foro externo abſolvatur, vel eius innocentia publicè manifeſtetur.

7 Ratio verò, cur occultè poſſit omnia exequi, quæ alias prohiberentur ob excommunicationem, eſt, quia cùm à parte rei talis excommunicatus ſit innocens coram Deo, non eſt ligatus cenſurâ, Deus enim nudam veritatem aſpicit, non verò falſas fori externi præſumptiones, ut dicitur in *cap. 1. de ſent. & re judic. in 6.* unde neque eccleſia, quæ ſe conformat veritati, vult graviter punire innocentem; cùm hanc poteſtatem puniendi non acceperit contra inobedientes, & contumaces. Quamobrem cùm talis ſententia excommunicationis re ipſa ſit injuſta, eò quia pœnam non præceſſerit culpa, licèt in foro externo juſta putetur, & habeatur, non poteſt obligare in foro conſcientiæ, ſed tantùm in ordine ad forum externum ob vitandum ſcandalum, & apparentem contemptũ eccleſiaſticæ diſciplinæ, ne ſcilicet fidelis videatur reſiſtere poteſtati eccleſiaſticæ, cùm ſecundùm externas probationes legitimè condemnatus ſit: ſiquidem judex ex ſuo officio tenetur ſententiam ferre juxta allegata, & probata; & reus tametſi in foro interno, & conſcientiæ innocens tenetur huic ſententiæ latæ à judice parere ob publicam judicis authoritatem tuendam, eò quia talis ſententia in foro externo præſumitur valida, alioquin ſi haberetur invalida, non eſſet publicè ſervanda, tametſi unus, vel alter inde ſcandalizaretur, quia tale ſcandalum foret paſſivum.

8 Quamobrem ſi re ipſa, & in conſcientia innocens, & in foro externo ſecundùm allegata, & probata publicè excommunicatus divina exercet officia, quæ prohibentur excommunicatis in foro conſcientiæ non ſit inhabilis ad eccleſiaſtica beneficia, neque collatio beneficii eidem in eodem ſtatu facta eſſet invalida, quia revera cùm in conſcientia ſit innocens re ipſa non eſt excommunicatus, quia eccleſia non intendit hanc pœnam infligere niſi propter culpam. Sin verò accuſaretur in judicio, & convinceretur, & non obſtante, quód in foro exteriori ſit publicè excommunicatus, adhuc audeat divina peragere, quæ prohibentur excommunicatis; tunc poſſet in foro externo, ut irregularis à judice condemnari; quia judex tenetur procedere juxta ea, quæ allegantur, & probantur in foro externo: & ſi monitus nolit deſiſtere, tunc poterit verè excommunicari etiam in foro interno propter contumaciam, quia excommunicatus in foro exteriori tenetur ſe gerere, ut excommunicatus. E contra ſi excommunicatio ſit in foro conſcientiæ valida, & in foro externo prorſus occulta tunc, non tenetur ita excommunicatus ſe ipſum prodere, licèt teneatur

ſe

ſe gerere, ac ſi eſſet excommunicatus, prout ſine propria infamia, & ſcandalo fieri poteſt.

9 Cæterum ſi quis dubitet, an excommunicationem incurrerit; conſultiùs ſemper eſt petere abſolutionem ſub conditione, & interim ſe gerere, ut excommunicatum, prout ſine ſcandalo, & propriâ infamia fieri poteſt: & tenetur ſe abſtinere ab actionibus per excommunicationem prohibitis, ſi rumor ſit in populo eum contraxiſſe excommunicationem. Alioquin ſecluſo ſcandalo ſi dubium ſit de jure, an tali culpæ ſit annexa excommunicatio; tunc in neutro foro interno, & externo contrahitur excommunicatio, quia odia debent reſtringi; quæ ratio eſt, cur pœna non incurratur, niſi in caſibus jure expreſſis. Quòd ſi ſit dubium facti, tunc nec tenetur quis ſe gerere, ut excommunicatus, niſi in caſibus jure expreſſis: ratio eſt, quia Rei habentur magis favorabiles, quàm actores *l. 168. §. de regul. jur.*

10 Tum quia quis ſemper præſumitur innocens, donec convincatur nocens, & in dubio non poteſt ita convinci, quia dubium æquiparatur ignorantiæ, ſi enim quis certò ſciret, non dubitaret: quinimo qui dubitat, ignorat; qua ratione dubitans æquiparatur ignoranti *l. manifeſtiſſimè §. ſin autem dubium C. de furt.* ut notat Baldus *conſil. 298. in fin. lib.* 1. Non enim qui dubitat, ſcit id, de quo dubitat, quia ſi ſciret, excluderetur dubium. Quod ſi neſcit, ignorat, proinde dubitans habet neceſſariò annexam ignorantiam de eo, de quo dubitat, & ſtante dubitatione, & ignorantia, quòd quis commiſerit tale delictum de eodem convinci debet, ut condemnetur.

11 Metum ſubinde excuſare ab excommunicatione incurrenda ex eo evincitur, quia cùm plerumque excuſet à culpa, debet etiam excuſare ab excommunicatione, quæ nonniſi ob culpam imponitur: ſupponit enim excommunicatio culpam, & contumaciam, cujus eſt pœna medicinalis. Tum quia impoſitio cenſuræ non impedit, quo minus metus à culpa excuſaret transgreſſorem legis quamvis cenſura impoſita non eſſet: pari pacto metus excuſat à culpa, licèt addita ſit pœna cenſuræ ex ſuppoſitione, quòd materia ſit eadem, & obligatio in conſcientia per ſe ſufficiens, & humana, quæ non obligat cum tanto diſpendio. Hinc docent communiter, metum gravem cadentem in virum conſtantem excuſare ab incurrenda excommunicatione; quia præceptum eccleſiaſticum, ob quod imponitur, non obligat cum tanto diſcrimine: proinde cùm metus cadens in conſtantem virum excuſet à culpa, excuſat etiam ab incurrenda excommunicatione, quia hæc non incurritur niſi ob culpam. Quamobrem ſi Petrus teneretur ſub pœna excommunicationis ſolvere mille aureos, quos debet alteri intra menſem, & interim ex tali ſolutione illi immineret mortis periculum, tunc ex metu cadente in virum conſtantem non incurreret excommunicationem; ſi ſolutionem debiti differret ultra præſcriptum tempus.

Verùm id intelligendum eſt cum aliqua 12
limitatione; dummodo metus non incutiatur directè in contemptum religionis, vel poteſtatis eccleſiaſticæ: quia ſi quis tunc propter talem metum transgrederetur præceptum eccleſiaſticum procul dubio lethaliter peccaret, proinde incurreret excommunicationem latam in transgreſſores; ratio eſt, quia in tali caſu eccleſia obligat etiã cùm diſcrimine vitæ. Quia tunc non agitur de ſola obſervantia legis, ſed de vitando gravi damno eccleſiæ, & religionis: & quilibet fidelis in particulari tenetur bonum commune eccleſiæ, & religionis præferre propriæ vitæ: ſiquidem bonum commune eſt ſemper præferendum privato, quapropter eccleſia habet poteſtatem obligandi etiam cum diſcrimine vitæ.

Non ſolùm metus, ſed etiam ignoran- 13
tia invincibilis excuſat ab incurrenda excommunicatione lata à jure, præſertim ſi ignorantia ſit antecedens ad præceptum eccleſiaſticum, cujus transgreſſioni eſt annexa excommunicatio, ut communiter docent, præſertim Joannes Chryſoſtomus Philippinus in ſuo tractatu de privilegiis ignorantiæ *cap. 4. privil.* 15. & deſumitur etiam *ex c. 2. de conſtit. in* 6. ubi declaratur, quòd ſtatuta Epiſcoporum non ligent ignorantes, quorum ignorantia nec eſt craſſa, nec ſupina. Ratio eſt quia ignorantia antecedens tollit omnino voluntarium, proinde excuſat à culpa, & excommunicatio nonniſi propter culpam imponi poteſt: quæ cauſa eſt, ut ignorantia invincibilis antecedens excuſet ab excommunicatione incurrenda, eò quia careat culpâ: hinc *in cap. 2. de conſtit.* habetur: *Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari, non convenit*, & ſolet applicari ad rem, quæ ob ignorantiam culpâ caret.

Ignorantia alia dicitur facti; alia juris; 14
illa habetur quoties ex actione hominis ſequitur aliquod factum, quod nec prævifum fuit, nec cogitatum, ut cùm quis in venatione occidit hominem, quem putaverat feram. Ignorantia juris habetur, quando lex omnino ignoratur, & ſolet hæc ignorantia ſubdiſtingui, quia poteſt interdum ignorari tota lex quoad prohibitionem, & obligationem actûs, ut etiam quoad cenſuram: & aliquando poteſt ſciri præceptum, & ignorari cenſura adnexa transgreſſioni ejusdem. Rurſus ignorantia alia eſt invincibilis, alia vincibilis; illa eſt inculpabilis, quia involuntaria, hæc culpabilis, quia voluntaria, quia quòd homo non repellat talem ignorantiam, ſibimet debet imputare; quia eo ipſo, quòd ignorantia eſt vincibilis, poteſt homo eam vincere, adhibendo media proportionata ad ſibi acquirendam oppoſitam ſcientiam. Solet etiam ignorantia vincibilis ſubdividi in craſſam, & ſupinam, quæ tamen diſtinctio eſt magis de voce, quàm de re. Rurſus dividitur etiam ignorantia in antecedentem, concomitantem,

& ſubſequentem : ignorantia antecedens eſt omnino invincibilis, & ita eſt cauſa actûs, ut ſi non adeſſet actus, non fieret : ignorantia concomitans ea dicitur, quæ ita eſt conjuncta cum actu, ut iſte adhuc fieret, tametſi illa non adeſſet; ut cùm quis caſu fortuito ignorans occidit inimicum, quem adhuc occidiſſet, ſi eum noviſſet; ignorantia conſequens eſt, quæ quovis modo eſt voluntaria.

15 An verò ignorantia concomitans excuſet à contrahenda excommunicatione, Reſpondetur, quòd ſi ignorantia ſ.cta ſit culpabilis, tunc ſicut ignorantia concomitans excuſat à culpâ; ita etiam à contrahenda excommunicatione; quia hæc non incurritur niſi propter culpam. Neque obſtat, hujuſmodi ignorantiam vocari concomitantem; quia ſi conſideretur formaliter in ordine ad voluntatem, & actionem ab eadem elicitam eſt igorantia antecedens, quæ propterea impedit, ne actio illa contrahat culpam : hinc ignorantia concomitans, prout non eſt vo'untaria, rectè dicitur antecedere voluntatem, quia prævenit hominem, antequam præſtet conſenſum directè, vel indirectè; hinc in ordine ad actionem eſt etiam antecedens, quia hic, & nunc eſt cauſa talis actionis,& de ratione cauſæ eſt præcedere effectum. Quòd ſi dicas, talem actionem adhuc fuiſſe futuram, tametſi ignorantia non extitiſſet : reſpondetur, id non obſtare, quo minus hic, & nunc illa ignorantia eſſet cauſa talis actionis.

16 Ratio eſt, quia quando propoſitio eſt conditionalis, cognitio nihil ponit in re: quapropter poſita conditione, quòd ignorantia non eſſet, actio illa haberet aliam cauſam; nunc verò quia ſupponitur ignorantia, habet hanc pro ſua culpa. Si dicat, hanc ignorantiam vocari concomitantem, non quia præcedat voluntatem, ſed quia hanc ſupponat ita diſpoſitam, ut adhuc eſſet volitura eundem effectum etiam ſeclusâ ignorantiâ. Contra eſt, quia hæc diſpoſitio voluntatis poteſt dupliciter conſiderari. Primò in radice quatenus eſt diſpoſitio habitualis; tametſi actu non exerceatur, & hæc concomitantia nil facit ad culpam, quia per habitualem diſpoſitionem homo non peccat formaliter, donec operetur. Secundò poteſt hæc voluntatis diſpoſitio conſiderari quatenus dicit actum eiuſdem, ut ſi quis in venatione poſt ſufficientem diligentiam caſu occidat Clericum inimicum : de quo tamen actu cogiter in ordine ad occidendum; & tunc actus ille voluntatis, tametſi ſit merè internus, nihilque influat in illam actionem externam, eſt peccatum mortale, quamvis actio externa fortaſſis peccaminoſa non ſit, ut cùm quis omnino caſu fortuito clericum occidit inimicum; cùm enim hæc actio externa peccaminoſa non ſit; non incurritur propter ipſam excommunicatio; quia hæc ſupponit eſſentialiter culpam, & cenſura non imponitur propter actum merè internum, ſed propter externum; qui caret culpâ.

Hinc ignorantia concomitans nullo modo poteſt eſſe cauſa cenſuræ, ſi invincibilis ſit; alioquin ſi vincibilis foret, poſſet quidem eſſe cauſa cenſuræ, non tamen ut concomitans, ſed ut voluntaria formaliter; proinde ignorantia conſequens reſpectu voluntatis eſt ſolùm antecedens reſpectu actionis; eò quia ſit cauſa eiuſdem. Immò non ſolùm ignorantia propriè dicta, verùm etiam ipſa inconſideratio naturalis abſque gravi negligentia excuſat ab excommunicatione incurrenda : quia oblivio, ſi ſit merè naturalis ſine gravi negligentia excuſat à culpa, quatenus reddit actionem omnino involuntariam, non ſolùm directè, eò quia voluntas nihil poſſit actu directè velle, niſi quod ab intellectu eidem actualiter repræſentatur: & oblivio naturalis, ſeu inconſideratio tollit hanc actualem repræſentationem factam voluntati ab intellectu; quod perinde eſt, ac tollere voluntarium indirectè : verùm etiam reddit actionem involuntariam indirectè; quia nullum ibi eſſe poteſt voluntarium indirectum, niſi ratione cauſæ, inconſiderationis, quæ cùm ſit involuntaria, nequit actio rationa illius eſſe indirectè, ſeu in cauſa voluntaria: unde cùm naturalis inconſideratio excuſet à culpa, debet etiam excuſare ab incurrenda excommunicatione, cùm hæc nonniſi propter culpam imponatur. Verùm hæc intelligenda ſunt de cenſura lata à jure, ſeo per viam ſtatuti. 17

Ignorantia facti excuſans à culpa excuſat generatim à contrahenda excommunicatione, idque deſumitur *ex cap. ſi verò 4. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd ſi ignorans probabiliter aliquem eſſe clericum, ut quia barbam nutriebat, & eum percutiat, non ſit excommunicatus, ſi ſit dubium, an ignoraverit; teneatur jurare ſe ignoràſſe : quòd ſi jurare recuſet, ſit excommunicatus, & pro tali habeatur, donec abſolvatur à Papa : ubi notat Gloſſa, quòd ſi ignorantia non ſit probabilis non excuſat *cap. Apoſtolica de Clerico excomm.* Verùm textus procedit ſive ex ignorantia percutiens clericum dederit operam Rei alioquin licitæ, ſive etiam illicitæ : ut ſi quis intendens percutere injuſtè Petrum ſæcularem, per errorem percutiat Paulum clericum: tunc enim percutiens per errorem Clericum non incurrit excommunicationem, quia tametſi percuſſio hæc ſit peccatum injuſtitiæ, non tamen eſt peccatum ſacrilegii, cui propriè annexa eſt excommunicatio, unde talis non peccat contra legem eccleſiæ prohibentem percutionem Clerici. 18

Tum quia per *dict. cap. ſi verò 4. h. t.* percutiens Clericum, quem neſcit eſſe clericum dat procul dubio operam rei illicitæ, quia nunquam licitum eſt proximum injuſtè percutere, & tamen non incurrit excommunicationem. Secus is excommunicationem incurreret, qui inten- 19

intendens percutere Perrum clericum, percuteret Joannem ſimiliter Clericum, quem crederet eſſe Petrum; quia tunc adeſt intentio, & opus externum cedens in injuriam ſtatûs clericalis; propter cujua reverentiam impoſita ſuit excommunicatio. Præterea quia in hoc caſu percutiens non excuſatur ob ignorantiam, cùm habeat intentionem percutiendi clericum. Secus autem contingeret, ſi volens percutere Petrum laicum, percuteret Paulum clericum, quia tunc non haberer intentionem percutiendi Clericum: ſicut neque excommunicationem incurreret, qui volens percutere clericum percuteret laicum, quem putaret eſſe clericum: ratio eſt, quia pravus effectus non punitur his pœnis non ſubſecuto opere externo.

20 Ignorantia invincibilis ſolius cenſuræ etiam excuſat ab illa incurrenda, tametſi aliàs non ignoret quis ſimplicem eccleſiæ prohibitionem: quia cenſura non incurritur niſi præcedat monitio aliqua ſub comminatione eiusdem cenſuræ ſed qui ſcir præceptum, & ignorat cenſuram adnexam transgreſſioni eiusdem, quamvis admoneatur per præceptum, non tamen admonetur ſub comminatione cenſuræ: proinde ignnrantia ſolius cenluræ excuſat ab illa incurrenda. Cenſura enim eſt pœna, quæ non infligitur niſi ob peculiarem modum contumaciæ, & inobedientiæ: & hæc contumacia non reperitur in eo, qui cenſuram ignoravit, quamvis legem noverit quia ad contrahendam excommunicationem debet neceſſariò præcedere aliqua monitio, non utcunque; ſed ſpeciatim ſub comminatione ipſius excommunicationis: qui verò ſola lege monetur, & invincibiliter ignorat cenſuram annexam eſſe transgreſſioni legis, re ipſa non admonetur ſub comminatione cenſuræ: proinde defectu præviæ monirionis ignorantia invincibilis ipſius cenſuræ excuſat ab illa contrahenda.

21 In contrarium tamen ſentit Covarruvias *in cap. Alma Mater p.* 1. §. *10.* ubi docet, ignorantiam invincibilem ſolins cenſuræ non impedire, quo minua incurratur cenſuræ, eò quia ad incurrendam pœnam non ſit neceſſaria ſcientia pœnæ, ſed tanquam certum ſupponitur, nullam poſſe aſſignari in cenſuris ſpecialem rationem, ob quam ab hac generali regula excipiendum ſit. Quòd verò ad incurrendam pœnam non ſit neceſſaria cognitio pœnæ probat Covarruvias: primò inductione, quia blaſphemus, homicida, fur, & alii eiusdem furfuris de facto puniuntur pœnis impoſitis à lege ob talia delicta, adeò ut delinquentes eas incurrant, ſivè illas ignoraverint, ſive non. Secundò, quia talis ſcientia pœnæ non eſt neceſſaria, ut quis dicatur peccare contra legem: quia ſicut præceptum ſuperioris obligat ad culpam tametſi non ſir divulgatum ſub tali pœna: ita ad delinquendum contra legem, ſufficit, ſi cognoſcatur lex ipſa, tametſi ignoretur pœna; neque ſcientia pœnæ eſt neceſſaria ad conſentiendum in pœnam; quia de ratione pœnæ non eſt, ut teus eidem aſſentiatur, quinimò eſt potiùs de ratione pœnæ, ut Reus eidem non aſſenriatur, quia pœna eſt involuntaria, vel ſaltem non voluntaria, niſi ſir in foro pœnitentiæ; & ad ſummum poteſt tantùm dici voluntaria radicaliter, & remotè, quatenus cenſetur volita ſaltem interpretativè in ipſo delicto, cum quo pœna nectirur; etenim qui vult unum, cenſetur etiam velle aliud, quòd eſt eidem adnexum.

22 Verùm hæc non urgent, quia licèt in aliis pœnis incurrendis non ſit neceſſaria ſcientia pœnæ, hæc tamen neceſſaria eſt in cenluris contrahendis; quia cenſura eſt quædam ſpecialis pœna medicinalis exigens peculiararem modum contumaciæ, & inobedientiæ: cùm enim ſit pœna medicinalis non ordinatur per ſe primò ad puniendum delictum enmmiſſum, ex eo præcisè quòd commiſſum ſit, quia tunc potius eſſet pœna vindicativa impoſita ad vindicandum patratum delictum; ſed ordinatur per ſe primò ad emendationem delinquentis, & ad eum compellendum, ut ſaltem timore pœnæ deſiſtat à contumacia, & reſipiſcat: quod non poſſet fieri absque prævia monitione ſub comminatione cenſuræ incurrendæ, unde argumenta, quibus nititur Covarruvias tantùm convincunt de aliis pœnis, quæ non ſunt cenſuræ: ut enim rectè notat Covarruvias eo ipſo, quòd quis voluntariè peccat, & legem transgreditur, videtur conſentire in pœnam injunctam transgreſſoribus legis.

23 An verò ignoranria invincibilis excuſet etiam à cenſura lata ab homine. Reſpondent communiter ex ſuppoſitione, quòd abſens fuerit ſufficienter admonitus, poſſet in illum etiam invincibiliter ignorantem ferri ſententiam cenſuræ. Probant, id nonnulli ex D. Paulo *1. ad Corinth. 5. Ego præſens ſpiritu, abſens autem corpore jam judicavi*, ex quo inferunt, Apoſtolum excommunicâſſe abſentem. Verùm hic textus non probat, Apoſtolum excommunicâſſe abſentem ignorantem: ſiquidem potuit ita abſentem excommunicare, ut noluerit eum ligare, donec eidem intimaretur cenſura: quinimo hanc fuiſſe Apoſtoli intentionem ex eo conjicitur; quia ad hunc finem eum excommunicavit, ur reſipiſceret, ſeu ut *ſpiritus eius ſalvus fieret*, & quamdiu ab illo ignoraretur excommunicatio non poterat timore pœnæ reſipiſcere, unde Apoſtolus non intendebat excommunicare abſentem, antequam moneretur.

24 Præterea quia eo tempore nullum moralem effectum habuiſſet excommunicatio; quia excommunicatus ignorans excommunicationem non fuiſſet obligatus ad virandos alios, nec alii ad ipſum vitandum, quia ignorantia utrosque excuſâſſet: unde ex textu D. Pauli non evincitur, talem abſentem cùm invincibili ignorantia fuiſſe excommunicatum, quia Apoſtolus potuit intendere, ut non ligaretur ante monitionem, ut inde timore corrigeretur, prinaquam cenſoram incurreret. Quamobrem facta ſuppoſitione tantùm, quòd

abſens

abſens fuerit ſufficienter admonitus, poteſt in illum etiam invincibiliter ignorantem ferri ſententia excommunicationis, quia ex ſuppoſitione, quòd admonitio ad ejus notitiam pervenerit, cenſura poteſt illum ligare; tametſi hæc ab illo invincibiliter ignoretur, tunc quando in illum fertur ſenteatia: quia tunc ignorantia non impedit cenſuram ſic latam, quia hæc igaorantia tantùm abeſt, quod tollat contumaciam, ut potiùs illam ſupponat; proinde ex parte delinquentis hæc igaorantia ſupponit ſufficientem cauſam cenſuræ. Præterea ex parte jodicis habetur etiam ſufficiens poteſtas ligandi, quia hæc, ut operetur, non exigit præſentiam, vel ſcientiam alterius, ſed ſufficit, ſi habeatur cauſa, & materia cenſuræ, & ſubjectio; unde talis ignorantia non impedit, quo minus abſens incurrat cenſuram ab homine latam: ſiquidem ex parte delinquentis ſupponitur ſufficiens cauſa cenſuræ, cùm talis ignorantia non tollat contumaciam, ſed eam ſupponat: & ex parte judicis habetur vera poteſtas ligandi cenſuris ſubditos.

25 Quòd ſi dicas, judicem ferentem cenſuram in abſentem, eam tantùm ſerre ſub conditione; nimirùm quòd ſit habitura ſuum affectum, quando abſens monitus de cenſura jam lata in ipſum non ſtatim reſipiſcit. Contra eſt, quia licèt ſententia cenſuræ poſſit tali pacto ferri, immò videatur etiam id pertinere ad benignitatem judicis; non tamen ſimpliciter eſt neceſſe, ut cùm hac intentione feratur ſententia, quia id non eſt de ſobſtantia ceaſuræ, imò nec de juſtitia talis ſententiæ: ſiquidem cùm primùm juridicè profertur ſententia, hæc valida eſt, ſuumque ſortitur robor, & incipit habere efficaciam, tametſi nondum ſit reo intimata: licèt quoad illas actiones, quæ neceſſariò exigunt ejus ſcientiam, non obliget, vel non operetur, donec intimata ſit. Quòd ſi ſentearia talis eſſet, ut per interpoſitam appellationem poſſet ejus effectus ſuſpendi, tunc ſi ſententia lara eſſet in abſentem; tempus conceſſum ad appellationem tantùm inciperet computari cùm primùm ſententia lata ad ejus perveairet notitiam: ratio eſt, quia tunc illa actio omnino dependet ex tali notitia. Hæc autem non habet locum in ſententia excommunicationis, quia hæc non ſuſpenditur per ſubſequentem appellationem; adeò ut poſſit taliter ferri, ut ſtatim operetur, quantum valet etiam contra ignorantem quoad illos effectus, quia ejus notitiam non requirunt.

26 Quòd ſi abſens eo tempore, quo cenſura in ipſum fertur, ceaſuram incurreret, ſi reſipiſceret ac præcepto pareret eccleſiaſtico; poteſt enim contingere, ut eo tempore, quo cenſura fertur in abſentem, hic jam obedierit eccleſiæ, ac depoſuerit comaciam tam, etſi id ad notitiam judicis nondum potuerit pervenire. Reſp. etiam tunc abſentem incurrere cenſuram: ratio eſt, quia rametſi ſupponatur, quòd abſens jam paruerit eccleſiæ tempore, quo in eum fertur cenſura; nihilominus adhuc haberetur materia ſufficiens cenſuræ, qoia hæc non fertúr propter perſeverantiam in contumacia, ſed propter inobedientiam, quam habuit, quado fuit monitus; nec inde ſequitur, ferri hanc cenſoram in peccatum purè præteritum, quia licèt reus ſe emendaverit occultè, & in ſe; ac propterea in foro Dei non ſit ampliùs contumax, nihilominus ſemper cenſetur rebellis in foro eccleſiaſtico contentioſo quamdiu non comparuerit coram judice. 27

Notandum eſt, quòd tunc cenſura non fertur propter perſeverantiam in contumacia usque ad illud tempus, in quo fertur ſententia, ſed pro contumacia conſummata in tempore præſcripto per admonitionem: ſiquidem hæc contomacia vera fuit, & in re: conſequenter ſententia judicis ſemper ſundatur in vera, ac legitima cauſa. Juvat obſervare, quod quamdiu is, in quem fertur cenſura, illam ignorat, excuſatur à transgreſſione ejusdem cenſuræ, tametſi tunc efficiat actus per eandem cenſuram prohibitos. Ratio eſt, quia cenſura non magis obligat, quàm ipſum præceptum; habet enim cenſura rationem præcepti reſpectu actuum prohibitorum: ſed ignorantia invincibilis præcepti excuſat transgreſſionem ejusdem, proinde etiam excuſabit transgreſſionem cenſuræ, debet tamen hæc ignorantia eſſe invincibilis, alioquin non excuſaret.

An verò ignorantia vincibilis excuſet à cenſura incurrenda. Reſp. ignorantiam vincibilem aliam eſſe affectatam, & eam dici, quâ quis ignorat, quia ſcire non vult id, quod poteſt, & tenetur ſcire; aliam eſſe craſſam, quæ oritur ex pura negligeatia ea diſcendi, quæ quis ſcire tenetur. Aliam ſupinam ita vocatam, eò quia oriatur ex nimia ſolicitudine, & affectione ad alia negotia impedientia debitum ſtudium, & ea ſciendi, quæ oportet: & ex his ignorantiis vincibilibus affectatam dici directè voluntariam; craſſam verò, & ſupinam tantùm indirectè. Rurſus ignorantiam craſſam, & ſupinam habere gradus, quia alia procedit ex negligentia gravi, & alia ex ita levi, ut ad perfectum voluntariom, quale deſideratur ad peccatum mortale non ſufficiat. 28 29

Dubitatur autem non ſolùm de ignorantia vincibili juris, ſed etiam facti, quia quoad hoc eſt utrinque par ratio. Præterea procedit etiam quæſtio de legibus ſimpliciter, & abſolutè præcipientibus, vel punientibus aliquid ſub cenſura: alioquin ſi lex adhiberet aliquam particulam, quæ ex proprietate ſuæ ſignificationis exigeret ſcientiam; tunc etiam ſi quis legem illam transgrederetur ex ignorantia vincibili, non tamen contraheret cenſuram; non quia id ſit geaerale omnibus cenſuris: ſed quia talis lex nolit cenſuram ferre, niſi contra ſcientes expreſſe tali transgreſſioni legis injunctam eſſe cenſuram, quia lex non obligat ultra id, quod ſignificat.

Re-

30 Reſpondetur igitur ad dubium, ignorantiam facti, & juris nunquam excuſare à cenſura, quia ſimiliter excuſet à culpe mortali, quia quoties habetor peccatum mortele habetur materia ſufficiens, ſopra quam cadit cenſura; & ignorantia, quæ non excuſat à peccato morteli, non tollit materiam cenſuræ: ergo non poteſt excnſare è cenſora, qoia poſita materia ponitur & forma, quæ ipſam afficit. Id tamen intelligendum eſt reſpectivè ad ipſam legem: Siquidem poteſt ignorantia non excuſare actum ab omni culpe mortali, & nihilominus excnſare à cenſura, ſi reſpectu telis legis excuſet à culpa lethali: etenim ſi per aliquam ignorantiam objecti, aut illius circumſtantiarum fectum noo contrehat malitiam, ob quam imponitur cenſura, ut ponitur exemplum in *c. ſi verò 4. h. t.* de illo, qui percutit clericum ignorando eum eſſe clericum, remetſi is non excuſetur à culpa homicidii, excuſatur nihilominus à cenſura; quie tunc percuſſor Clerici excuſatur à culpe ſacrilegii, cui duntaxat impoſita fuit cenſura.

31 Hnc idem etiam proportionaliter dicitur de ignoranria juris; ſiquidem poteſt contingere, ut actus ſimpliciter non excuſetur à culpa propter aliam legem naturalem: aut divinam, & nihilominus excuſetur reſpectu legis eccleſiaſticæ: tunc enim talis ignorantie ſufficit ad excuſandam cenſurem ſuppoſiro temen, quòd tam ex parte ſacti, quàm juris eccleſiaſtici prohibenris eliqnid ſub cenſura ignorantia ſufficiat ad impediendem culpam mortalem; alioquin ſi non excoſar à culpa mortali, nec à cenſura. Ratio eſt, quia in jure nulla aſſignatur ignorantia vincibilis, quæ ſi ſufficiens ſited culpam mortalem; non ſufficiat etiam ed cenſurem impoſitam propter talem culpem incurreodam.

32 Cæterum generatim nulla ignoraotia vincibilis excuſat à cenſura; erenim ignorantia affectata, cùm non excnſet à colpa mortali ſaltem in totum, non tollit materiam cenſuræ: hinc qni ex ignorantia affectata tranſgreditur legem cujus violationi eſt impoſita cenſura, hanc procul dnbio incnrrit, quia ignorantia effectata eſt quaſi ſcientia ipſius legis, proinde temerè cum ignorantia affectata violatur lex. Ignorantia itidem craſſa, & ſupina non excuſat à cenſura, & id deſumitur *ex c. 2. de conſtitut. in 6.* obi deciditur tranſgredieares cnm ignorantia craſſa, & ſupina legem, cui ſit anoexa cenſura, non excuſari ab hac contrahenda.

Præterea quie in jure omnis ignorantia vincibilis ſufficiens ad culpam mortalem comprehenditur ſub illis duobue membris, ſeu ſub ignorantia craſſa, & ſopina, niſi ſit major iſtis, cujusmodi eſt ignorantie affectata, quæ in jure potiùs habetur tanquam dolus, & malitia: proinde nulla ignorantia vincibilis, ſive craſſa, ſive ſupina excuſat à cenſure. Quòd ſi præter has ſpecies ignorantiæ affectatæ, craſſæ, & ſupinæ, detor aliqua alia ignorantia, tunc perpendendum eſt, an hæc excuſet à culpa mortali, vel non: ſi enim excuſat à lethali, excnſat etiam à cenſura, quæ nonniſi propter mortale contrahitur, & hoc etiam procedit de ignorantia craſſa, & ſupina: ſin verò non excuſet à culpa morteli, neqne excuſabit à cenſura.

33 Hæc eſt regula generalis, à qoa tamen excipiuntur cenſuræ, quæ expreſſè feruntor contra eos, qui ſcienter, vel conſultò, vel ex præſumptione, vel ex cootemptu aliqnid egerint, tunc enim hujusmodi leges ex vi propriæ ſignificationis exignnt ſcientiam in earundem transgreſſuribus. Hinc ignorantia etiam craſſa excnſat à cenſura, quendo hæc impoſita eſt facienti aliquid ſcienter, quia quando lex exigit ſcienriam, & dicit, ſi ſcienter, ſi præſumpſerit, ſi auſus fuerit, ipſa lex moderatur pœnam, quam propterea oon vult incurri, niſi quando peccatum, vel factum cootra legem eſt tali circumſtantia affectum; & quandò adeſt ignoranria etiam craſſa deeſt circumſtantia à lege requiſita, ut incurratur cenſura, quæ propterea non incurritur. Præterea, qnia pœnæ, nt dicitur in jure, ſunt potiùs leniendæ, & reſtringendæ, quàm exaggerandæ *c. pœna de pœnit. diſt. 1. & l. pœnis ff. de pœn.* quia quando lex noo addit *ſcienter*, requiritur craſſa ignorantia, oe ignorans excuſetur: ergo quando lex addit *ſcienter* reqniritur quid ampliùs: alioqoin froſtra adderetur, proinde requiritur ſcientia.

§. VII.

An ceſſante cauſa ceſſet excommunicatio, quâ quis alligabatur.

QUia excommunicatio eſt talis pœna, 1
quæ ex vi ſoæ inſtitutionis poteſt auferri, adeò ot perpetua non ſit, ideò non meritò dubitatur, an ſemel contracta tollatur ipſo facto ceſſante cauſa: quia cenſure per modum cujusdam accidentis intelligirur illi ineſſe, qui cenſura ligatus eſt; hinc perinde ac elia accidentia videtur poſſe cenſura deſtrui: Philoſophi autem plures ſolent modos aſſignare, quibus accidentia corrompi poſſunt, & commodiùs ad tres reducuntur; ſcilicet ad deſtructionem ſubjecti: vel ex abſentia termini, vel cauſæ, à qoa accideon pendebat: vel per actionem contrariam: iisdem modis videtur etiam poſſe cenſura deſtrui. Primò per mortem illius, qui cenſura ligatus erat, quia deſtructo ſubjecto neceſſe eſt pereat forma, quæ eidem inhærebat, perinde ac deſtructo fundamento neceſſe eſt corruat res fundata. Tum quia in cadavere non poteſt manere cenſura, cùm capax non ſit obligationis, nec cognitionis, nec poteſt cenſura inhærere animæ ſeparatæ, qnia cùm hæc non ſis ampliùs in ſtatu viæ eſt extra forum eccleſiæ; à qua propterea non poteſt cenſurâ ligari, proinde per mortem ligati cenſura de-

bet ſtatim ceſſare, quia non eſt aſſignabile ſubjectum, cui inhæreat. Secundò tollitur etiam cenſura per ſe ſublatâ causâ, & poſitâ condignâ ſatisfactione, quam exigit eccleſia, quia deſtructo ſundamento ſponte ſua corruit quidquid in illo ædificatum erat. Tertiò videtur etiam cenſura tolli per abſolutionem tanquam per actionem contrariam.

2 Quæritur in præſenti, an excommunicatio, vel alia cenſura ſemel contracta ceſſante ſola cauſa ipſo facto tollatur, tametſi non intervenit abſolutio. Reſpondetur, excommunicationem ſemel contractam ceſſante causâ non tolli ipſo facto, antequam ligatus cenſura ab ea abſolvatur, adeò ut excommunicatus, qui per internam contritionem reſipiſcit, ac juſtificatur coram Deo, adhuc remaneat ab excommunicatione abſolvendus in foro eccleſiaſtico; idque deſumitur ex *c. à nobis 2.* & *c. cum deſideres h.t.* ratio eſt, quia cùm eccleſiæ tantùm inſit facultas ferendi cenſuras, & ſola eccleſia liget cenſuris delinquentes contumaces, ſequitur, quòd iſti nonniſi ab eccleſia, & in foro ejuſdem abſolvi poſſint: ſiquidem ad quem pertinet ligare, ſpectat etiam ſolvere.

3 Præterea quia ſi cenſura excommunicationis aliter ſolveretur, quàm per abſolutionem in foro eccleſiaſtico plura exinde ſequerentur abſurda. Primò ſequeretur, abſolutionem ab excommunicatione, quæ ſolet ab eccleſia fieri, nullius fore valoris; ſiquidem præſupponeret hominem illum jam abſolutum per internum actum contritionis. Secundò quia exinde homines perditiſſimi anſam deſumerent cenſuras eccleſiaſticas illudendi, poſſent enim aſſerere ſe eſſe contritos coram Deo, & id ipſis ſufficere: poſſent etiam ſigna fingere pœnitentiæ, ne ab aliis haberentur pro excommunicatis. Tertiò quia pari pacto poſſet Confeſſarius in ſacramento pœnitentiæ abſolvere à peccatis ſacramentaliter pœnitentem, quem judicaret accedere contritum, nullâ præmiſſa excommunicationis abſolutione, quam priùs incurrerat, quod eſt abſurdum, & contra eccleſiæ praxim; etenim ſi pœnitens contritus non ſit excommunicatus jam non indiget abſolvi ab excommunicatione, præſertim in illo foro ſacramentali, in quo non agitur de præſumptione juris; ſed de rei veritate: ſin verò eſſet excommunicatus, ſupponeretur jam abſolutus per internam contritionem, conſequenter non eſſet abſolvendus ab excommunicatione, quod tamen abſurdum eſt. Quartò ſequeretur, in ordine ad forum ſacramentale, nullam eſſe abſolutionem ab excommunicatione reſervatam, quia ſi excommunicatus excommunicatione reſervata Pontifici eliciat actum contritionis, quo reſipiſcat, & juſtificetur coram Deo jam abſolveretur ab excommunicatione ex vi ipſius contritionis, proinde non eſſet opus adire Pontificem ad obtinendam abſolutionem. Quintò quia ſi ſacerdos excommunicatus antequam abſolveretur in foro eccleſiaſtico eliceret actum contritionis, & miniſtraret ſacramenta, non fieret irregularis, quia tunc quando miniſtrat ſacramenta, non eſſet ampliùs excommunicatus ſi per ſolum actum contritionis tolleretur cenſura, hoc autem falſum eſt; proinde ſequitur, cenſuram ſemel contractam ceſſante cauſa ipſo facto non tolli, ſed ad id requiri abſolutionem in foro eccleſiæ, & id etiam deſumitur ex illo *Matth. 18. Quæcunque ligaveritis, vel ſolveritis*, quia ſi ex illis verbis rectè colligunt Doctores poteſtatem datam eccleſiæ ligandi per cenſuras, multò magis etiam ſolvendi ab illis; quia quoad formam verborum eſt utrinque par ratio: quoad materiam verò ſolutio eſt per ſe, & propriè intenta; ligatio verò quaſi coactè ob contumaciam ipſius hominis, & ad illam coërcendam; proinde cenſura tollitur per abſolutionem. Tum quia abſolutio à cenſuris eſt actus juriſdictionis, & deſumitur *ex c. unic. de major. & obed. in 6.* & *ex c. venerabilibus §. porro h.t.* Proinde debet fieri neceſſariò ab eccleſia habente juriſdictionem, quæ ut perfecta ſit non ſolùm eſſe debet ad ligandum, verùm etiam ad ſolvendum: alioquin non eſſet in ædificationem, ſed potiùs in deſtructionem, quia cenſura per ſe conſiderata nocumentum adfert ſpirituale.

Neque obſtat textus *ex c. cum ceſſante* 4
de appell. ubi dicitur, quòd ſublata cauſa tollatur etiam effectus: & cùm peccatum lethale ſit cauſa excommunicationis, ideo hoc ſublato tolli debet etiam ipſa cenſura. Nam contra eſt, quia ſublata cauſa conſervante ſolùm tollitur effectus, non verò ceſſante cauſa tantùm motiva ad imponendam pœnam: excommunicatio autem cùm ſit pœna non dependet à culpa in conſervari, ſed tantùm in fieri, adeò ut culpa tantùm ſit cauſa motiva ad imponendam cenſuram, proinde ceſſante culpa, adhuc poteſt pœna, ſeu excommunicatio perſeverare. Hinc etiam poteſt exhibitam debitam ſatisfactionem adhuc ligatus cenſura eſt in foro eccleſiaſtico abſolvendus, ut habetur in *c. deſideres 15. h.t.* ubi Clemens III. reſcribit, nullum poſſe communicare cum excommunicato, antequã abſolvatur, tametſi juraverit ſe ſtare mandato eccleſiæ, quia iſta cautio juratoria potiùs eſt introducta ex conſuetudine eccleſiæ, quàm ex vigore canonum, nec eſt tanti momenti, ut poſt eam ante abſolutionem poſſit cum ipſo communicari, immò qui communicat, incurrit excommunicationem.

Si dicas, videri inhumanum, quòd Dei, 5
amicus ſit ab eccleſia, & conſortio fidelium per excommunicationem ſegregatus, perinde ac ſi eſſet membrum Sathanæ.

Contra eſt, quia eſſet tantùm inhuma- 6
num ſi eccleſia cenſuram ferret majorem à principio contra Dei amicum nullo præſuppoſito peccato: non verò eſt inhumanum, quòd remiſſâ culpâ, propter quam impoſita fuerat cenſu-

cenſura adhuc hæc permaneat, quia pœna inflicta propter culpam non dependet in conſervari à culpa, ut hâc ſublatâ ceſſare etiam debeat ipſa pœna, quinimo ad obſervantiam eccleſiaſticæ diſciplinæ vel maximè deſiderabatur, ut hæc pœna adhuc perſeveraret tranſacta culpa. Quapropter non licet pro tali excomunicato ſacrificia offerre, nec alia communia ſuffragia nomine eccleſiæ; quia quamdiu non eſt abſolutus, manet ſimpliciter excommunicatus, proinde privatus communibus eccleſiæ ſuffragiis, & quidem non ſolùm publicè, ſed etiam ſecretò.

7 Quòd ſi de facto ei applicarentur ſuffragia minimè illi prodeſſent, quia eò ipſo quòd eſt excommunicatus jam privatur communione horum ſuffragiorum, quia excommunicatio quamdiu durat, conſervat propriam eſſentiam excommunicationis ſitam in paſſivâ privatione communicationis ſpiritualis fidelium quoad fructum ſuffragiorum eccleſiæ; proinde non ſolùm eſt de ratione cenſuræ alios prohibere, ne pro excommunicato ſacrificia offerant, neque pro eodem applicent ſuffragia; verùm etiam eſt proprium excommunicationis conſtituere excommunicatum inhabilem ad percipiendos fructus ſuffragiorum.

8 Qui verò propter aliquod peccatum mortale contraxit excommunicationem majorem, & poſtea per actum internum contritionis fuit juſtificatus coram Deo, licèt nondum abſolutus in foro eccleſiaſtico gaudet ſuffragiis particularibus fidelium, adeò ut hæc eidem applicata proſint quoad ſatisfactionem, quia fructus particularium ſuffragiorum unius cujuſque juſti in particulari non dependet ex applicatione eccleſiæ, ſed ex particulari eorundem fidelium applicatione: proinde eccleſia non impedit per excommunicationem talem applicationem; proinde ſi excommunicatus ſupponatur contritus, & in gratia, erit capax talium ſuffragiorum, quorum fructum de facto percipit.

9 Quinimò licèt hæc applicatio fidelium in particulari prohiberetur ab eccleſia, adeò ut excommunicatus non ſolùm eſſet privatus ſuffragiis communibus, ſed etiam particularibus fidelium, quatenus iſtis eſſet prohibitum offerre ſua bona opera in ſatisfactionem pro tali excommunicato; adhuc in hac hypotheſi ſuffragia particularia fidelium prodeſſent excommunicato contrito, ſi de facto pro illo applicarentur, & prohibitio non obligaret ſub peccato mortali, quia in hoc caſo fidelis in particulari, qui eſſet juſtus, & offerret ſua bona opera pro tali excommunicato contrito non peccaret, quia talis prohibitio ſupponitur non obligare ſub peccato, proinde hujuſmodi bona opera ei prodeſſent, cui applicarentur, ſi ſupponatur in ſtatu gratiæ: ſiquidem opera applicata, & ipſa applicatio bona ſunt, & meritoria; & ſubjectum, cui applicantur bona opera, cùm ſit in ſtatu gratiæ, eſt etiam capax fructus ſuffragiorum in particulari. Quòd ſi prohibitio obligaret ſub peccato mortali, tunc ſuffragia applicata non prodeſſent, quia talis applicatio utpote peccaminoſa nullius eſſet valoris, & efficaciæ ex parte applicantis. Tum quia opera, quæ aliàs eſſent ex ſe bona ſi fiant ab exiſtente in peccato lethali ſunt nullius valoris, proinde non poſſunt alteri prodeſſe.

Sin verò hujuſmodi particularia ſuffra- 10
gia fidelium non applicentur ab iis excommunicato contrito, tunc eidem non poſſunt prodeſſe in ſatisfactionem, ut nec etiam cuicunque alteri non excommunicato, & exiſtenti in gratia, ut docet D. Thomas *in addit. q. 21. art. 2. ad 2.* quia ſpecialis ſatisfactio cujuſvis fidelis eſt ſibi propria, & non debetur alteri, etiam ex charitate, præcipuè ſi tali indigeat ſatisfactione: unde licitum eſt unicuique reſervare ſibi totam ſuam ſatisfactionem nihil applicando aliis, proinde cæteri, tametſi ſupponantur juſti, nihil de hac ſatisfactione participant. Idque etiam evinci poteſt ex diſcrimine inter ſacrificia communia oblata ab eccleſia, & ejus miniſtris, & inter ſacrificia particularia, quæ unuſquiſque fidelis offerre, & applicare poteſt; quia eccleſia non poteſt pro ſua voluntate non applicare ſuffragia communia omnibus fidelibus, niſi adſit juſta cauſa: ſecus particularis fidelis poteſt pro ſuo libitu applicare, vel non applicare ſua merita & ſuffragia pro alio juſto. Præterea ut juſti gaudeant ſuffragiis communibus eccleſiæ quantum ad ſatisfactionem actualem, requiritur applicatio eorundem ſuffragiorum facta ab eccleſia mediis ejus Miniſtris, adeò ut ſi eccleſiæ liceret ea non applicare, & de facto à tali applicatione abſtineret, nihil ſatisfactionis caperent fideles ex illis: ergo idem dicendum eſt de particularibus ſuffragiis non applicatis, quia fidelis particularis longè majus jus habet ad ſua particularia ſuffragia, quorum habet dominium, quàm miniſtri eccleſiæ ad communia, quorum tantùm habet diſpenſationem non dominium.

Præterea quia ſi pœna æterna commu- 11
tetur Paulo per pœnitentiam, & abſolutionem à peccato mortali in pœnam temporalem viginti dierum jejunii, & abſolutus perſeverans in gratia jejunet omnes illos viginti dies, adeò ut nulli alteri applicet ſatisfactionem talis jejunii; ſolvit in integrum totam pœnam debitam, & reliqui fideles juſti nihil ſatisfactionis ex illo jejunio acceperunt: alioquin Petrus non applicâſſet pro ſatisfactione propria omnes illos viginti dies jejunii, quia ex tali ſatisfactione aliquid derivâſſet in alios juſtos; proinde adhuc deberet ſupra viginti dies alios jejunare, ut suppleret partem ſatisfactionis, quam aliis applicâſſet.

Neque obſtat, quòd reſpondent aliqui, ex 12
ſolo titulo charitatis, quemlibet juſtum de facto participare aliquam ſatisfactionem ex ſingulis bonis operibus aliorum juſtorum ſine alia applicatione: quia ſi id verum eſſet,

ſi per impoſſibile darentur in Eccleſia Catholica juſti actu infiniti, ſequeretur, quamlibet operationem bonam cujusvis juſti fore infinitæ ſatisfactionis, non ſolùm extenſivè, ſed etiam intenſivè; quod abſurdum eſt: ſiquidem purus homo nnn habet in ſe, unde poſſit habere infinitam ſatisfactionem, ſicut nec infinitum meritum: quòd verò talis operatio bona quantumvis remiſſa facta à viro juſto, eſſet infinitæ ſatisfactionis, ex eo liquet, quia cuilibet juſto daret aliquem gradum ſatisfactionis, & quia juſti eſſent de facto infiniti in actu, ſatisfactio hujus operis deberet neceſſariò in ſe continere infinitos gradus ſatisfactionis, quia nemo dat, quod non habet. Quòd ſi dicas cum Covarruvia, & Navarro; quemlibet juſtum ratione charitatis eſſe participem omnium bonorum operum aliorum juſtorum eccleſiæ militantis etiam ſecluſa quavis applicatione juxta illud Davidis Pſal. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua* & illud Symboli Apoſtolorum *credo communionem Sanctorum*, reſpondetur juxta titulum charitatis, & ex eo præciſè, quòd juſtus ſit, ſine alia applicatione dici capere fructum aliquem ex bonis operibus aliorum, non quia illi proſint ad æqualem ſatisfactionem; ſed duntaxat quantum ad quoddam gaudium accidentale, quod illi accreſcit ex meritis, & bonis operibus aliorum; hoc enim gaudium incipit in hac vita, & conſummatur in alia, eo pacto, quo Angelis dicitur ineſſe gaudium, in cœlo ſuper peccatore pœnitentiam agente. Dicitur etiam juſtus particeps omnium timentium Deum, quia unus juſtus ex conſortio ad alios eſt quodammodo Deo gratior in ſuis operibus: perinde ac in humanis habitatores alicujus urbis dicuntur Regi chariores quam alii.

§. VIII.

De Abſolutione ab Excommunicatione, & aliis cenſuris.

1 Sicut ex jure, & conſuetudine inolita plures ſunt modi abſolvendi à cenſuris, ideo operæ pretium eſt eos explicare. Et quia cenſura alia imponitur à jure, & alia ab homine abſolutio alia eſt ab homine, & alia à jure: illa eſt, quâ defacto homo ſeu Miniſter eccleſiæ abſolvit ab excommunicatione, vel alia cenſura, & hæc ferè ſola eſt in uſu. Abſolutio à jure habetur, quando jus dicit: *ſi hoc fecerit, ex tunc ſit abſolutus*

2 Secundò dividitur abſolutio cenſuræ in abſolutam, & conditionatam, ſeu in illam, quæ fertur abſolutè, & quæ ſub conditione. Prima eſt, quæ in verbis, & in intentione abſolventis nullam includit conditionem, ſed abſolutè ſolvit de præſenti ligatum: conditionata eſt, quæ ſemper involvit aliquam conditionem: neque eſt efficax quoad effectum ponendum niſi adimpleta conditione, quæ poteſt eſſe tam de præſenti, quàm de præterito, & futuro. Quòd ſi conditio ſit præſens, vel præterita, tunc nullam trahit ſecum difficultatem; quia non ſuſpendit actum, nec effectum abſolutionis, ſed vel abſolutio ſtatim operatur, vel eſt nulla; quia vel illa conditio ita fuit, vel eſt, ſicut proponitur, & ſic tranſit in abſolutam, quia conditionalis propoſitio impleta conditione æquivalet abſolutæ. Sin verò conditio non ſit poſita in eſſe, tunc abſolutio eſt nulla.

Tertiò dividitur in abſolutionem, quæ 3
dicitur talis ſimpliciter, & abſolutè, & in eam, quæ conceditur ad cautelam: hæ tamen abſolutiones quoad ſubſtantiam non differunt, ſed tantùm in modo conditionato orto ex defectu conditionis, ſeu certitudinis ipſius cenſuræ, etenim quando certò conſtat, hominem contraxiſſe cenſuram, & ipſe ligatus cenſura hoc idem fatetur, tunc datur abſolutio ſimpliciter, & abſolutè, & habetur primum membrum hujus tertiæ diviſionis: ſubinde etiam contingit, cenſuram eſſe nobis ignotam, vel ſaltem dubiam, & tunc ob majorem certitudinem dari ſolet abſolutio ſub conditione & ad cautelam: quo pacto in ſacramento pœnitentiæ ſolet promitti abſolutio ad cautelam à cenſuris propter reverentiam ipſius ſacramenti, & propter conjunctionem, & ſubordinationem, quam per ſe exigit abſolutio à cenſura, & à culpa quia abſolutio à culpa ſupponit abſolutionem à cenſura in ſacramento Pœnitentiæ.

In abſolutione à cenſura nulla eſt in jure 4
eccleſiaſtico præſcripta forma verborum, quæ ſit de ſubſtantia hujus formæ: neceſſe tamen eſt, ut hæc abſolutio fiat per verba vocalia, & ſint ſenſibilia, quibus ſufficienter ſignificetur, eum qui cenſurâ ligatus erat ſolvi, & liberari ab eadem, ùt *Abſolvo te, Reconcilio te eccleſiæ, Reſtituo te priſtinæ communioni, & uſui ſacramentorum*, & alia his ſimilia. Ratio eſt, quia cùm hæc abſolutio exerceatur inter homines, neceſſe eſt, fiat ſenſibili modo. Præterea exprimenda eſt aliquo modo perſona, quæ abſolvitur à cenſura, quia per hanc expreſſionem ſignificatur, quòd intentio abſolventis dirigatur in eandem perſonam, & quoad effectus intentos per verba abſolutionis exerceatur in eadem perſona. Quinimò eſt etiam neceſſaria expreſſio Miniſtri abſolventis, quia ſi illi, qui antea ligatus erat, vel etiam ipſi eccleſiæ non ſignificetur, abſolutionem fieri ab illo, qui poteſtatem habet abſolvendi, non ſignificatur ſufficienter, ut vera abſolutio. Non tamen eſt neceſſe ut expreſſio perſonæ
abſolventis fiat per vocem diſtinctam ab ipſo 5
verbo, quo ſignificatur actus abſolvendi, quia in ipſo verbo implicitè, & virtualiter jam continetur, quod ſufficit ad ſignificationem ſenſibilem.

An verò neceſſe ſit, ut in abſolutione à 6
cenſura exprimatur cauſa, ob quam abſolvendus contraxit cenſuram. Reſpondent communiter negativè, eò quia ſufficiat, ut exprimatur intentio abſolventis. Per accidens

tamen

tamen poteſt contingere, ut expediat cauſam exprimere, ut ſi quis eſſet ligatus pluribus cenſuris ob diverſas cauſas, & tantùm abſolveretur ab una, & non ab aliis, eò quia tunc petat abſolutionem à Miniſtro, qui non habet facultatem abſolvendi ab omnibus illis; in hoc enim caſu miniſter deberet exprimere cenſuram, à qua abſolvit. Sin verò miniſter, non haberet facultatem abſolvendi niſi ab illa una cenſura, tunc non eſſet opus exprimere cauſam, quia cum abſolutio non poſſit excedere facultatem abſolventis, certum eſt, illam tantùm cenſuram tolli, quæ cadit ſub poteſtatem abſolventis, quamvis abſolutio ſit abſoluta.

6 Ab excommunicatione lata à jure, ſed non expreſsè reſervata abſolvere poteſt non ſolùm Epiſcopus, vel alius obtinens jurisdictionem Epiſcopalem, ſed etiam proprius Parochus, ſeu ſacerdos, vel qui eius vices gerit *cap. nuper 29. h. t.* & licèt ibi tantùm expreſsè agatur de excommunicatione contracta propter communicationem cum excommunicatis; ratio tamen Pontificia, quæ ibi adducitur, accommodatur omnibus cenſuris non reſervatis, ad quas propterea extenditur: eò enim ipſo, quòd conditor canonis eius abſolutionem ſibi ſpecialem non reſervavit: tunc videtur aliis conceſſiſſe facultatem eam relaxandi. Parochi licèt defectu jurisdictionis ordinariæ non habeant poteſtatem ordinariam jure communi abſolvendi ab excommunicatione ratione ſui officii: habent tamen poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione majori, & minore ex commiſſione juris quaſi delegatam, ut deſumitur *ex d. cap. nuper*, vel ex commiſſione Papæ, quatenus talis poteſtas ſæpe neceſſaria eſt ad conferendam ſacramentalem abſolutionem à peccatis: quapropter non poteſt Parochus delegare alteri facultatem abſolvendi ab excommunicatione. Extra ſacramentum Pœnitentiæ quivis habens jurisdictionem eccleſiaſticam in ſoro externo, ſive ex officio, ſive ex commiſſione abſolvere poteſt ab excommunicatione majori, vel minore; etiam ſi ſacerdos non ſit. Ab excommunicatione juris reſervata poteſt abſolvere is, qui eam reſervavit, vel etiam eius Superior, non verò alius inferior; quia eiusdem eſt abſolvere, cujus eſt ligare.

7 Quamobrem ſi abſolutio ſit reſervata Papæ ipſe ſolus, vel cui ipſe commiſit, poteſt abſolvere: ſi ſit reſervata Epiſcopo non ſolùm ipſe & eius Vicarius, ſed etiam eius Superior, imò & capitulum Sede vacante poſſunt abſolvere. In articulo autem mortis, quilibet ſacerdos etiam excommunicatus, & non toleratos poteſt abſolvere ab omnibus cenſuris ſive à jure, ſive ab homine latis, ſi non poſſit habere alium, qui de jure abſolvat, quia in mortis articulo nullus caſus eſt reſervatus, nec ullus ſacerdos impeditus ab impertienda abſolutione. Immò abſolutio ab excommunicatione in articulo mortis poteſt impendi etiam extra ſacramentum pœnitentiæ. Excommunicatione verò lata ab homine, ſeu judice generatim poteſt abſolvere, non ſolùm qui eam tulit, vel eius Superior; ſed etiam inferior, ſcilicet Parochus, ſeu ſimplex ſacerdos; ſicut is, qui poteſt abſolvere ab excommunicatione juris non reſervata.

Quòd ſi excommunicatio lata ſit ab homine in ſpecie, & nominatim contra Petrum, 8
tunc jure cõmuni is tantùm poteſt abſolvere, qui eam tulit, vel eius Superior, vel Succeſſor, vel delegatus regulariter loquendo, ut fusè probat Avila *p. 2. cap. 7. diſ. 1. dub. 8.* Ab excommunicatione verò minore à jure lata licèt ſit contracta propter peccatum veniale, abſolvere poteſt ſacerdos proprius ipſius excommunicati, ut notat Covarruvias *in cap. Alma Mater p. 1. §. 10. num. 6.* & colligitur *ex cap. nuper 29. h. t.* ubi Pontifex reſcribit, quòd ſi quis communicet non in crimine, ſed in orando, oſculando cum excommunicato, tunc poſſit abſolvi a proprio ſacerdote, ſeu Epiſcopo, vel Parocho. Ex quo infertur, non poſſe abſolvi ab alio ſacerdote non proprio niſi ex cõmiſſione hujus, licèt excommunicatio ſit minor; quia tametſi quilibet ſacerdos, etiam ſimplex, & qui curam non habet animarum poſſit alienum ſubditum abſolvere à peccatis venialibus ex jure divino, & humano: non tamen poteſt abſolvere ab excommunicatione majore, vel etiam minore: quia ad abſolvendum à venialibus non requiritur jurisdictio fori externi, quæ tamen neceſſaria eſt ad abſolvendum ab excommunicatione majore, vel minore, & hanc jurisdictionem non habet ſacerdos in excommunicatum non ſubditum.

Unde patet diſcrimen inter abſolutionem 9
ſacramentalem à peccatis venialibus, & ab excommunicatione minore, quia hæc abſolutio non eſt ſacramentalis: quâ ratione etiam abſolutio a peccatis mortalibus differt ab abſolutione ab excommunicatione majore, quæ exigit jurisdictionem fori externi, ſeu judicialis; abſolutio enim à peccatis ſolùm exigit jurisdictionem fori interni, ſeu pœnitentialis. Quinimò etiam excommunicatus excommunicatione minore poteſt abſolvere alium ab excommunicatione, idque deſumitur *ex cap. duobus 50. h. t.* ratio eſt, quia excommunicatio minor tantùm privat perceptione ſacramentorum; non verò ab eorundem collatione. Hinc ligatus minore excommunicatione habet poteſtatem abſolvendi non ſolùm in habitu, ſed etiam in actu: eſt enim abſolutio à cenſura actus jurisdictionis, quâ ligatus minore excommunicatione non eſt privatus.

Archiepiſcopus poteſt abſolvere excom- 10
municatum à ſuo ſuffraganeo, etiam ſi ante appellationem fuerit excommunicatus, adeò ut non teneatur illum remittere ad Epiſcopum, à quo fuerat excommunicatus, niſi velit hoc ipſi deferre. Sin verò excommunicatio lata ab Epiſcopo ſit evidenter juſta, eò quia delictum excommunicati ſit manifeſtum, tunc

non debet Metropolitanus ipſum abſolvere, ſed remittere ad ſuffraganeum, qui eum excommunicavit, niſi hic requiſitus malitioſè deneget abſolutionem, idque deſumitur *ex cap. per tuas 40. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd quando excommunicatus ab Epiſcopo appellat ad Metropolitanum, ſi vult probare, excommunicationem eſſe nullam, eò quia lata fuit poſt legitimam appellationem, vel continebat errorem intolerabilem patenter, ſit admittendus ad probationem horum; licèt abſolutionem non petat; ſed donec de illis conſtiterit in aliis eſt vitandus, licèt Sedes Apoſtolica cenſueverit tales abſolvere ad cautelam: in aliis verò niſi imploret gratiam abſolutionis non eſt audiendus: ſed ſi humiliter pétat abſolutionem, debet Metropolitanus eum abſolvere.

11 Sin verò Epiſcopus ſuum ſubditum excommunicâſſet propter manifeſtum exceſſum; Metropolitanus, non debet illum abſolvere, niſi ſuffraganeus requiſitus malitioſè denegaverit abſolutionem. Ex quo textu infertur, eum excommunicatum eſſe audiendum, qui dicit excommunicationem eſſe nullam, licèt non petat abſolutionem ad cautelam, quia ſi probet excommunicationem fuiſſe nullam, non eſt neceſſaria abſolutio, quam propterea fruſtra excommunicatus peteret. Poteſt autem excomunicatio, ut habetur in textu, dici nulla, eò quia lata fuerit poſt legitimam appellationem interpoſitam. Vel quia in forma excommunicationis fuit expreſſus error intolerabilis.

12 Cæterum non ſolùm in his duobus caſibus, ſed etiam in cæteris aliis; in quibus allegatur nullitas, audiendus eſt, qui vult probare ſententiam excommunicationis eſſe nullam; tametſi non petatur abſolutio. Qui verò dicit, ſententiam excommunicationis eſſe injuſtam, non auditur; ſi velit probare illam eſſe injuſtam, niſi prius petat abſolutionem *cap. per tuas §. verum in aliis.* Ratio eſt quia excommunicatio etiam injuſta ligat, quoad eccleſiam militantem, & in foro externo, ut habetur *in cap. à nobis 28. h. t.* Unde ne fruſtranea ſint acta, ante omnia peti debet abſolutio ab excommunicatione: alioquin excommunicatus, ſi tantùm dicat, excommunicationem ſibi illatum eſſe injuſtam, videtus contemnere ſententiam, & claves eccleſiæ, & ob hujusmodi contemptum magis ligatur.

13 Cæterum in caſibus, in quibus juriſdictio devolvitur ad Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum: tenetur hic abſolvere excommunicatum ad petitionem partis: vel ex officio antequam incipiat de cauſa cognoſcere, & tantùm excipitur, niſi excommunicatio lata fuerit ob manifeſtam offenſam, vel contumaciam, quia tunc non abſolvitur niſi data ſatisfactione de expenſis, & cautione teſtandi in judicio. Rurſus per appellationem interpoſitam in caſibus, in quibus ea à jure eſt prohibita, non devolvitur cauſa ad Superiorem, ut nec etiam quando qui fuit excommunicatus & citatus non comparuit; qui enim detentus fuit legitimo impedimento excommunicationem quidem incurrit, quâ ligatur, ſed eſt ſtatim abſolvendus eſt, ut deſumitur *ex cap. venerabilibus 7. h. t. in 6.* ubi Innocentius IV. reſcribit, quòd Archiepiſcopus non poteſt abſolvere excommunicatum ab ipſo ſuffraganeo, vel eius officialibus niſi in caſu, quo ad ipſum fuerit appellatum, tunc enim poteſt abſolvere: ſin verò non fuit appellatum, tametſi altera pars recurrat ad Archiepiſcopum, non poteſt hic cognoſcere de injuſtitia excommunicationis, niſi in duobus caſibus. Primò quando una pars fuit ad inſtantiam partis excommunicata à ſuffraganeo, & deinde coram Archi-Epiſcopo petit Suffraganeum puniri de injuſtitia. Secundò quando Epiſcopus non ad inſtantiam partis, ſed ex ſuo officio excommunicavit, tunc poteſt Archiepiſcopus cognoſcere de juſtitia ſententiæ. Item reſcribit Innocentius IV. ut Archiepiſcopus abſolvat excommunicatos à Suffraganeo, antequam incipiat cauſam audire in caſibus, in quibus ei competit jurisdictio: ut quòd quis poſt definitivam fuit excommunicatus, & appellat: excipiuntur tamen caſus, in quibus jura prohibent appellare.

14 Hinc ſi ſuffraganeus extra judicium, ſed pro ſua offenſa, vel pro deſenſione ſui juris, aliquem excommunicat, & ſuper hoc ei querelam ponit; priùs eſt abſolvendus ſecundùm formam eccleſiæ, niſi ſuffraganeus velit probare eum excommunicâſſe pro manifeſta offenſa. Unde ſi fuit excommunicatus ob contumaciam, quia non comparuit in termino fixe cauſa ſit contra partem, & appellavit, & pars contradicat abſolvi; ſive cauſa ſit cum Epiſcopo, & excommunicatus dicit, quòd verè contumax reputari non debeat, quis fuit in itinere captus, vel legitimè impeditus; eſt priùs abſolvendus juxta formam eccleſiæ; ſecus ſi fatetur ſe contumacem, vel conſtet de manifeſta contumacia, vel offenſa, tunc non debet abſolvi, niſi priùs ſatisfaciat expenſis, & det cautionem ſtandi judicio eccleſiæ: quapropter contumacia non debet eſſe præſumpta, ſed manifeſta. Hinc in ſimilibus caſibus, ſi judex vocet aliquem ad certum locum, & ille dicit, locum illum non eſſe ei tutum, quòd tamen non probat, & non comparet; ſi deinde appellet, eſt abſolvendus. Rurſus quando quis ex cauſa legitima, vel probabili, ut quia locus non ſit tutus appellat, & actu excommunicatur, ſuperior, ad quem fuit appellatum, non debet ſtatim declarare excommunicationem nullam, ſed tantùm ad cautelam eam relaxare ad tempus ſecundùm formam eccleſiæ.

15 Item quando conſtat, excommunicationem fuiſſe juſtam, mandat Pontifex, ut judex ſuperior remittat excommunicatum ad excommunicatorem, nec abſolvat niſi ſit periculum in mora; vel niſi excommunicatus requiſitus

ab

ab excommunicato malitioſè illi denegct abſolutionem. Quòd ſi conſtet aſſa injuſſam,non debeat illam ramittera, ſed abſolvere : ſin verò ras ſit dubia ſuperiur potaſt aum abſolvera,niſi valit daferre excommunicatori, quod honeſtius, & convenientius eſt. Prætera a quando Archiapiſcopus potaſt cognoſcere de excommunicatione, ſi abſolvat, abſolutio tenat; licèt ſit injuſta, quia tamatſi abſolvat contra jus litigatoris, non tamen contra jus conſtitutionis. Cæterum Archiepiſcopus in caſibus, in quibus potaſt axcommunicare ſubditos ſuffraganei,poteſt ab iiſdem exigare amendas pacuniarias ſacundùm conſuetudinem regionis. Demum quando excommunicatus dicit ſentantiam continere erroram intolerabilam. & Epiſcopus nagat, tuna Archiapiſcopus poteſt eum abſolvera ad cautalam. Ut etiam ſi dicat ſe excommunicatum ante definitivam ſantantiam in judicio, vel exrra, poſt legitimam appallationem, potaſt Archiepiſaopus abſolvere ad cautelam juxta formam ecaleſiæ, atiam antequam incipiat cognoſcare da varirata cauſæ appellationis.

16 Hæc omnia ſtatuuntur *in d. cap. venerabilibus 7. h. t.* ex quo infert Gloſſa, Archiepiſcopum non eſſe judicem ſubditorum ſuffraganai quando proceditur par viam queralæ : ſecus quando par appellationem. Rurſus appellatio intarpoſita poſt difinitivam intra dacam dias non potaſt ravocare axcomunicationem latam intar ſententiam, & appellationam; quia excomunicatio,vel ſtatim valuit,vel ſtatim non valuit. Cæterum quòd judax poſſit, mulctare pœna pecuniaria loco axcommunicationis, id non eſt hodie in uſu, aò quia ſortaſſis non axpadiat : quòd ſi ſiat, debet pecunia converti in pios uſus. Cætarum in ordina ad axigendas mulctas pacuniariis ſtandum eſt aonſuatudini Ragionis. Rorſus quando ſententia excommunicationis dicitur lata propter arrorem intolarabilem raquiritur, ut error ipſe ſit intolerabilis, & ut ſit in ipſa ſenrenria axpreſſus, adaò ut non ſufficiat, ſi ſit tantùm notoriua.

17 Antequam axcommunicatus abſolvatur, duplex eſt ab eodem cautio præſtanda. Prima ſit per juramentum, quòd abſolvendus velit parêre mandatis acclaſiæ,ac promittere, ſa non commiſſurum impoſtarum tale delictum *cap. ex tenore 10. h. t.* Ubi Alexander III. mandat, ut in virtuta juramenti præcipiat, ne de cætero in Claricum, Munachum, vel aonverſum Raligionis injiciat manus violentas, niſi ſe defendendo, val de mandato ſuorum Prælatorum; vel niſi ſit eius Prælatus, & Magiſter, vel niſi ſit aum aodam ſocius in eadem ecclaſia. Non tamen id axigitur in abſolutiona ab omnibus criminibus, ſed tantùm in enormibus; ut in ſalſariis, incandiariis, aliiſqua id genus. Idque atiam habetur *in cap. ad hac 12. h. t.* ubi Urnanus III. raſcribit, quòd quando quis eſt excommunicatus à delagato, & impetrat littatas à Papa pro altero delagato, qui abſolvat, in litteria dabaat contineri expreſsè, ut præſtat aautionam ſufficiantem, quòd obediet judicio ecclaſiæ, quia Sedes Apoſtolica ſic tantùm conſuavit litteras dare. Alioquin, ut nutat Gloſſa *in d. cap.* litteræ impetratæ eſſent nullæ, quia reſcriprum præter uſum Romanæ curiæ non valet. Sacunda cautio eſt, ut abſolvendus promittat ſe ſatisfacturum parti læſæ : non anim in foro intarno, vel externo eſt quis abſolvendus ab excommunicatione, niſi priùs parti læſæ actu, val raaliter ſit ſatisfactum, vel cum ea transactum. Sin autam id ſtatim præſtare non poſſit, tunc tanatur dare ſufficientam caurionem, ſive pignoratitiam, ſive fidajuſſoriam : ſin verò nequa hanc dare poſſit, tunc ſufficit juratoria, quia ad impoſſibile non datur obligatio. Quòd ſi quis poſt præſtitam cautionam per juramentum da ſatisfaciendo parti læſæ nagligat poſtea latisfacare; non ideo in priorem excommonicationem reincidit, quia id juta expreſſum non aſt. Potaſt tamen à judica excommunicari, ut notat Covarruvias *p. 1. in cap. Alma Mater* §. *11. num 6.* Rurſus ſi habens ordinariam poteſtatam, val atiam dalagatam aliquem abſolvat ab excommunicatione anta ſatisfactionem datam parti læſæ, val ante præſtitum juramantum da parando mandatis ecclaſiæ, illicita quidem eſt abſolutio, ſed valida; quia non pertinat ad illius ſubſtantiam, ut daſumitur *ex d. c. venerab. 7. h. t. in 6.*

Abſolutus tamen in imminente aliquo mor- 18
tis periculo ab eo; qui non habat poteſtatam abſolvendi à tali excommunicationa, ſi periculum avaſarir, tenetur poſtaa ſa ſiſtare habenti potaſtatam abſolvandi; quia abſolutio, quam obtinuit à non habenta potaſtátam data fuit ad reincidentiam, nimirum ut abſolutus ſi mortis periculum aſſadat, debeat itarum abſolvi ab habente poteſtatem, quia ſublato periculo reincidit in axcommunicationam, & abſolutio propterea fuit ai impartita ſub conditione, ut ceſſante mortis periculo, ſe præſenter ſuperiori, qui extra illum caſum poſſit eum abſolvera, idqua daſumitur *ex cap. eos qui 22. h. t.* ubi Gregorius X. reſcribit, ut innodatus aliquâ cenſurâ, à qua non poſſit abſolvi, niſi à Papa, ſi propter mortis pariculum, val aliud impedimentum lagitimum abſolvatur ab alio, caſſante periculo, vel impedimanto dabeat ſa præſentara illi, à quo arat abſolvandus : alioquin ſi id nagligat reincidit in eandem cenſuram. Acceſſus tamen ad lagitimum Supariorem pro abſolutiona aſt ita intalligendus, ut fiat, cùm primùm commodè poteſt; quòd ſi tantùm fluarat aliquod modicum tempus, dummodo habaret intantionem, quamprimum arit poſſibila ſa præſentandi ſuperiori, non cenſeratur reincidera in excommunicationam, quia modicum pro nihilo reputatur.

Prætarea hæc præſautatio non fit, ut ex- 19
communicatus itarum ab excommunicatione abſolvatur; cùm jam planè ab illa ſit abſolutus;

tus; ſed ut ſuperior medicinam adhibeat, & ſatisfactionem imponat; ſi ita judicaverit. Imò onos ſe præſentandi non eſt injungendum habenti perpetuum impedimentum; uude hoc impedimentum debet eſſe temporale, ut eo ceſſante teneatur, qui fuit abſolutus, ſe ſiſtere ſuperiori, ut deſumitur *ex cap. quamvis 58. h. t.* ubi dicitur, quòd laborantibua temporali impedimento (exceptis pueris) ſolet illis injongi ſub juramento præſtito ſecondùm formam eccleſiæ, ut ceſſante impedimento adeant Sedem Apoſtolicam, & humiliter ſuſcipiant eiua mandatum. Ubi notat Gloſſa, ſatisfactionem, & juramentum non eſſe de ſubſtantia abſolutionis ab excommunicatione, & deſumitur *ex cap. cùm deſideres 15. h. t.* ubi dicitor, quòd nullus poſſit communicare com excommonicato antequam abſolvator, tametſi juraverit ſtare mandato eccleſiæ: quia iſta cautio juratoria potiùs eſt introducta ex conſuetudine eccleſiæ, quàm ex vigore canonum; unde ſi abſolvatur quis ab excommunicatione omiſſo juramento, abſolutio tenet, quia juramentom non eſt de ſubſtantia abſolutionis; ſed tantùm ad cautelam, ne impoſterum incidat. Cæterum obligatus ad ſe præſentaudum ceſſante impedimento tenetur perſonaliter ſe præſentare: alioquin ſi per Procuratorem compareret minimè ſatisfaceret, niſi fortaſſia ſubeſſet caoſa juſta, ut probabiliter cenſent plures.

20 Quid verò dicendum ſit de excommunito, qui in mortis articulo dedit ſigna manifeſtæ pœnitentiæ, & juraverit ſe pariturum eccleſiæ, & nihilominua decedat antequam abſolvatur ab excommunicatione. Reſp. hunc tametſi abſolutum coram Deo, non tamen, haberi abſolutũ coram eccleſia, poſſet tamen imò deberet ab eccleſia abſolvi, idque deſumitur *ex cap. à nobis 38 h. t.* ubi Innocentis III. reſcribit, judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur ſemper inniti: judicium verò eccleſiæ aliquando ſeqoi opinionem; proinde eſſe obnoxium errori, ac poſſe fallere, & falli, adeò ot qui ligatus eſt apud Deum, ſolutna ſit apud eccleſiam, quod in ſuſcitatione Lazari eſt manifeſtum, quem prius Chriſtus ſuſcitavit, & poſtea præcepit Apoſt. ſolvere *Joa. c. 11.*

21 Hinc ſi qui dedit ſigna pœnitentiæ morte præventus abſolvi non potuit, quamvis credatur abſolutus apud Deum, oondum tamen eſt habendus abſolutus ab eccleſia, ſed poteſt, ac debet hæc illi ſubvenire, quia licèt non fuerit communicatum vivo, fuiſſet tamen ei communicandum, quem non contemptus religionis ſed articulus neceſſitatis impedivit: & legitur in certis caſibus in jure canonico eccleſiam ligâſſe, vel abſolviſſe mortuos, quod intelligitur indirectè quatenus imperavit vivis, ut ſuffragia offerrent pro mortuis, quia eccleſia non habet juriſdictionem in mortuos, qoia Chriſtus *Matth. 18.* dixit Petro: *Quodcunq; ligaveris, vel ſolveris ſuper terram, erit ligatum, & ſolutum & in cœlis,* unde hæc poteſtas tantùm extenditur ad eos, qui ſunt ſuper terram, quales non ſont mortui. Neque obſtat, quòd in *d. c. à nobis* eccleſia dicatur ligâſſe, & ſolviſſe mortuos, quia ibi tantùm factum narratur, non verò deciditur quæſtio, nec ratio illa approbatur. Hinc licèt eccleſia privet eccleſiaſtica ſepultura, & ſuffragiis fidelium publicum peccatorem mortuum, non tamen tunc excommunicatione innodat mortuom in ſe, & directè; ſed tantùm indirectè præcipiendo vivis fidelibus, ne illum ſepeliant, nec pro eo orent; tum quia illa pœna non habet propriam rationem cenſuræ, cùm non ſit medicioalis, nec ad correctionem, ſed tantùm ordinetur ad aliorom fidelium terrorem.

Qui verò fuit ab Epiſcopo excommonicatus & dicit, ſe abſolutum ab alio ſuperiore, non eſt ei credendum, niſi conſtiterit de ejus legitima abſolutioon, vel per litteras Papæ, delegati à Papa, vel alio modo legitimo, idq; deſumitur ex *c. Sicut 39. h. t.* ubi dicitur aliquos excommunicatos à ſuo Epiſcopo fuiſſe Romanam curiam profectos, & redeuntea dixiſſe ſe eſſe abſolutos, non oſtenſis litteris ſuæ abſolutionis, & interrogatus Innocentius III. an habendi eſſent ut abſoluti, reſpondet, quòd niſi excommunicati ab Epiſcopo adferant litteras abſolutionis ab ipſo Papa, vel delegato ipſius, vel alio modo de ipſorom abſolutione legitimè conſtiterit, eſſe habendos ut excommunicatos; proinde eſſe vitandos: quia ſemel excommuuicatus præſumitur ſemper excommunicatus, niſi ſe probet abſolutum: neqoe ipſi dicenti ſe eſſe abſolotum eſt credendum, niſi id probet: & debet hæc abſolutio probari per teſtes, vel alio legitimo modo, adeò ut non ſufficiat, ſi ſe probet abſolutum per ſchedam Confeſſarii, ſed debet id probari per duos teſtes aſſerentes, excommunicatum fuiſſe abſolutum, & ſatisfeciſſe parti læſæ. Id tamen procedit in foro contentioſo, & quando fieret actori præjudicium, tunc enim non ſufficit unus teſtis, tametſi ſit perſona honeſta, ot ei credatur, immò nec illa indicia, quæ ſufficerent *c. inter c. tua de cler. pereg.* Secus tamen eſt dicendum ut notat Gloſſa hic, quando nulli ſit præjudicium. In foro autem conſcientiæ credendum eſt ei cofitenti: ratio eſt, qoia in foro interno nulli ſit damnum, niſi pœnitenti. 22

§. IX.

De quibusdam excommunicationibus ſpecialibus, de quibus agitur in hoc titulo.

SOlemnis eſt illa excommunicatio, quâ quis innodatur ab percutionem Clerici, & de 1
qua agitur in *c. porro 7. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd percuſſor Clerici tametſi non convincatur, ſitque ſecretus, debeat ſatisfacere parti, & Romam proficiſci pro abſolutione, eò quia ab Epiſcopo non poſſit abſolvi

ſolvi, ubi Pontifex duo imponit. Primò ut ſatisfaciat parti, & poſtea ut Romam proficiſcatur pro abſolutione; ex quo colligitur, percuſſorem Clerici non eſſe abſolvendum ab incurſa excommunicatione, niſi priùs ſatisfecerit parti læſæ; non enim pœnitentia valet ſine debita ſatisfactione: alioquin ſi non ſatisfaciat, reincidit in eandem excommunicationem. Rurſus ex hoc textu conſtat, excommunicatum propter violentam manuum inectionem in Clericum, licèt crimen ſit occultum, non poſſe ab alio abſolvi niſi à ſolo Papa. Id tamen procedit de jure communi antiquo: quia hodie ex Concilio Tridentino *Seſſ. 24. de reform. c. 6.* poſſunt Epiſcopi ſuos ſubditos abſolvere ab excommunicatione etiam propter percuſſionem Clerici, dummodo delictum ſit occultum, & nondum deductum ad forum contentioſum: quòd ſi talis excommunicatus ob occultam percutionem Clerici ſemel fuerit ab Epiſcopo abſolutus, vigore Concilii Tridentini, non tenetur poſtea adire Papam, nec ejus Legatum. Agitur etiam de hac excommunicatione in *c. Parochianos 9. h.t.* ubi qui percutit Monachum, vel converſum religionis dicitur excommunicatus, & vitandus, & ita eſt denuntiandus, nec poteſt abſolvi, niſi ſatisfaciat læſis, & cum litteris Ordinarii adeat Sedem Apoſtolicam. Quòd verò ſit denunciandus, id ſupponit delictum non eſſe occultum ſaltem pluribus.

2 Hinc à ſententia excommunicationis ob percutionem Clerici non poteſt appellari, quando conſtat notoriè, percuſſorem Clerici incidiſſe in excommunicationem, tunc enim nec per appellationem impeditur, quo minus percutiens ſit denunciandus, & vitandus: ſecus eſt ſi notoriè non conſtet, & dubitetur, an percuſſerit, nec ne, quia in dubio eſt reo favendum, ac ejus appellationi deferendum. Præterea agitur de hac eadem excommunicatione in *c. cum non ab homine 14. h.t.* ubi Clemens III. reſcribit, quòd manifeſtus percuſſor Clericorum, licèt non ſit denunciatus, ſit tamen vitandus; ſecretus verò tantùm à ſciente, & in ſecreto. Hinc ex hoc textu habetur, excommunicatum ob violentam, & ſacrilegam percutionem Clerici ſtatim eſſe vitandum, quamprimùm conſtat eum eſſe excommunicatum, quamvis nondum ſit denunciatus: hoc tamen diſcrimine, ut excomunicatus occultus ſit vitandus occultè, & publicus publicè, quia per denunciationem excommunicati ipſe non excommunicatur, ſed ſolùm declaratur excommunicatus, ut notat Covarruvias in *c. Alma Mater p. 1. §. 3. n. 2. in fin.*

3 Quòd ſi Clericus percuſſus jam antea dimiſerit habitum, & tonſuram Clericalem, ſeque immiſcuerit enormitatibus, qui talem Clericum percuteret, non incurreret excommunicationem, idque deſumitur ex *d. c. cum non ab homine 14. h.t.* ubi Clemens III. addit, qui occidit Clericum, vel Presbyterum, qui contempto habitu Clericali enormitatibus ſe immiſcet, non eſt excommunicatus; aſperiùs tamen eſt puniendus, quàm qui laicum occidit. Ratio verò, cur tunc percutiens non incurrat excommunicationem eſt, quia talis Clericus amittit privilegium canonis *ſi quis ſuadente* ſine alia admonitione, eo ipſo quòd dimittit habitum, & tonſuram clericalem, ſeque immiſcet enormitatibus: & hoc ſtatutum eſt in odium horum Clericorum, qui ob contemptum habitus Clericalis, & enormia delicta privantur privilegio canonis. Dicuntur autem Clerici ſe immiſcere enormitatibus, quando ſeditiones excitant in populo, prælia ineunt, & alia id genus.

De hac eadem excommunicatione lata contra percuſſores Clericorum, agitur etiam in Concilio Lateranenſi *cap. 15.* ubi ab Innocentio III. ſtatuta eſt excommunicatio contra percuſſores Clericorum, prout refertur in *c. ſi quis ſuadente 29. cauſ. 17. q. 4.* ubi dicitur: *Si quis ſuadente Diabolo in Clericum, vel Monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum præſumat illum abſolvere niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat.* In hac enim conſtitutione excommunicantur omnes perſonæ cujusvis conditionis, ſtatus, & ſexus, quæ ſunt capaces excommunicationis & utuntur ratione, ſuntque baptizatæ, ſi Clericum percutiant, ut fusè oſtendit Suarez *diſputat. 22. de cenſur. ſect. 1. n. 5.* 4

Per Clericum verò intelliguntur omnes, non ſolùm qui ſunt ſacris ordinibus initiati, ſed etiam habentes primam tonſuram, dummodo Clericalem habitum, & tonſuram geſſent, quamvis ſint conjugati, ſed cum unica virgine *c. unic. de cler. conjug. in 6.* quia hi omnes gaudent privilegio canonis, ut fusè probat Suarez *loc. cit. ſect. 1. n. 6.* Quia verò in *c. Si ſuadente Diabolo* dicitur, injecerit manus violentas in Clericum, & Monachum; nomine Monachi comprehenduntur omnes Religioſi utriusque ſexus, qui tria vota Religionis ſive ſolemnia per profeſſionem, ſive ſimplicia ediderunt, immò etiam converſi, & converſæ; dummodo talia vota emiſerint in Religione approbata à Sede Apoſtolica, immò comprehenduntur etiam Novitii, quamvis nondum ſint Religioſi, ſed tantùm in via ad profitendam Religionem *c. Religioſo 21. § quamvis h. t. in 6.* quia Novitius habetur ut Religioſus ſaltem inchoativè, & gaudet privilegio canonis *ſi quis ſuadente*: immò gaudet etiam privilegio fori eccleſiaſtici, adeò ut non poſſit conveniri coram judice ſæculari, eo quia ſit perſona eccleſiaſtica. Hæc tamen excommunicatio ut incurratur, debet percuſſio Clerici fieri ſuadente diabolo, hoc eſt illicitè, & injuſtè, adeò ut per talem percuſſionem inferatur gravis injuria per externam, & ſenſibilem violentiam: alioquin ſi non haberetur hæc externa violentia, ſed tantùm internum propoſitum lædendi in corpore, vel honore, licèt talis in- 5

tentio eſſet peccatum mortale, non tamen intendens Clerico ita nocere incurreret hanc excommunicationem, quia cùm ſit pœna non incurritur niſi ob delictum exteriùs patratum cum ſuo effectu: Sicut à contrario ſenſu, ſi læſio exterior eſſet gravis, & intentio non eſſet de tali damno inferendo non incurreretur hæc excommunicatio, quia hæc non incurritur niſi ob peccatum mortale, unde ſi in tali caſu percutiens excuſaretur à peccato gravi, eò quia non habuerit intentionem lædendi non contraheret excommunicationem.

6 Rurſus ſunt injiciendæ manus violentæ, ut contrahatur hæc excommunicatio: per manus autem violentas intelligitur quævis actio externa, & corporalis injuſta, ac injurioſa ſive manibus fiat, ſive alio membro circa perſonam clerici, aut res ei adhærentes, ut ſi Clericus, vel Monachus occidatur, mutiletur, vulneretur manu, enſe, fuſte; ſi per injuriam eripiatur aliquid ei de manibus violenter: ſecus tamen ſi quis nulla adhibita violentia per fraudem auferret veſtes, vel pallium poſitum in alio loco: quia ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur violentia, quæ fiat Clerico, vel Monacho. Tametſi Clericus aſſentiretur tali violentiæ ſibi inferendæ, ut habetur in *c. contingit 36. h.t.* ubi Innocent. III. ait quòd Clericus, qui offendit aliquem, ſi pro ſatisfactione ex more patriæ ſuæ ſubjicitur ſponte verberibus, adhuc verberans ſit excommunicatus: quia hæc injectio manuum quamvis non ſit violenta, eſt tamen injurioſa ordini clericali: & privilegio canonis non poteſt Clericus renunciare, cùm non tam in favorem Clerici, quàm in favorem totius ordinis Clericalis ſit conceſſum.

7 Quòd ſi dicas, volenti, & conſentienti non fieri injuriam, reſpondetur, id procedere, quando volens conſentit in iis, in quibus poteſt & pertinent ad totam communitatem. Unde ad incurrendam hanc excommunicationem ſufficit, ſi violentia fiat ſtatui Clericali, licèt non inferatur alicui particulari Clerico volenti, & conſentienti. Verùm tamen eſt, quòd Clericus conſentiens in ſui percuſſionem non ſit ipſo facto, ſeu jure excommunicatus, ſed excommunicandus, quia in *d. c. contingit 36 h.t.* Innocentius III. ait *De cætero ſi aliquis Clericus præſumpſerit ſe ſubjicere ſimilibus verberibus excommunicetur.* Illud verbum *excommunicetur* ſupponit non eſſe ipſo jure excommunicatum, ſed eſſe excommunicandum. Immò eandem excommunicationem etiam incurrit Clericus ſi ſe ipſum ex ira, vel tædio vitæ vulneret.

8 Verùm contraria ſententia videtur perquam probabilis, quia ad incurrendam hanc excommunicationem canonis, requiritur diſtinctio perſonarum inter ipſum percuſſum, & percutientem. Tum quia in *c. Si quis ſuadente, dicitur ſi quis manus violentas injecerit in Clericum, vel Monachum*; unde ſupponit textus injicientem manus violentas ſe habere activè, & Clericum paſſivè, ac eſſe perſonam diſtinctam à percutiente.

Cæterum hæc excommunicatio lata in 9
c. in ſi quis ſuadente non ſolùm incurritur ab ipſis percutientibus Clericos, ſed etiam à mandantibus, conſulentibus, conſentientibus, imò etiam non impendientibus, ſi poſſint, ac debeant ſaltem ex charitate impedire percutionem Clerici: hi enim omnes ſecuto effectu incurrunt excommunicationem, idque colligitur ex *c. mulieres 6. h.t.* ubi Alexander III. declarat, quòd qui mandat, Clericum percuti, vel ejus authoritate percutitur, eſt excommunicatus, ac mittendus Romam, quia verè committit delictum: ubi notat Gloſſa, quòd mandans, & qui facit ex mandato incidunt in excommunicationem, quia mandatum eſt injuſtum, cui non debet obediri. Item qui mandat, & ante executionem eum pœnitet, ſi non revocat mandatum, adeò ut revocatio ad Mandatarium perveniat; etiam incurrit hanc excommunicationem.

Quòd ſi mandans ante injectionem manuum 10
moriatur, non incurrit excommunicationem, quia mandatũ morte extinguitur mandantis. Quòd ſi mandatum revocatum ſit, & revocatio intimata Mandatario, tunc mandans non ampliùs incurrit excommunicationem, ſi Mandatarius manus violentas injiciat in Clericum, quia tunc per talem revocationem mandans non intelligitur ampliùs influere in talem percutionem Clerici, cui non ampliùs aſſentitur. Quòd verò dicitur de mandante Clericum percuti, id extenditur etiam ad ratihabentem ipſam percuſſionem ſuo nomine factam idq; deſumitur ex *c. cum quis 23. h.t. in 6.* ubi dicitur, quòd quando quis percutit Clericum meo nomine, ſed ſine meo mandato, ſi poſtea ego ratumhabeo delictum, ſum excommunicatus, quia ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato. Sin verò percuſſio non fuit facta meo nomine, & ego deinde ratamhabeam, non ſum excommunicatus, licèt peccem: ratio etiam additur, quia nullus poteſt habere ratum, quòd ſuo nomine non eſt factum.

Hinc qui ratumhabet, quod ſuo nomi- 11
ne actum eſt ratihabitio retrotrahitur, proinde obligatur, perinde ac ſi mandâſſet: idq; procedit non ſolùm in contractibus, ſi enim quis emat rem ſine mandato Petri, ſed nomine Petri, & per traditionem recepit, & Petrus poſtea ratamhabeat emptionem, acquiritur ipſi dominium, & poſſeſſio rei per ratihabitionem eo pacto, quo acquireretur per Procuratorem Petri, ſi haberet ejus mandatum, in quo ſenſu ratihabitio dicitur retrotrahi, & æquiparari mandato. Verùm etiam procedit in delictis illis, quæ poſſunt per alium committi ut habetur in *d. c. cùm quis 23. h. t.* in aliis enim delictis, quæ non poſſunt fieri per alios, ut adulterium, & alia id genus ratihabitio non habet locum. Immò qui verbo, vel ſigno ratificat, ſeu approbat delictum perpetra-

tratum ſuo nomine punitur eadem pœna, ſicut ipſe delinquens, proinde incurrir eandem excommunicationem, quia ratihabitio in criminibus æquiparatur mandato ſ, quia habetur ut cauſa moralis patrati delicti, ſi hoc commiſſum ſit nomine ratumhabentis: alioquin ſi non ſit commiſſum nomine ratificantis, tunc licèt ratamhabeat percuſſionem, hæc tamen moraliter illi non imputatur, neque excommunicationem incurrit.

11 Juvat tamen obſervare, quòd tametſi in civilibus ratificatio retrotrahatur ad tempus celebrati actus, non ita in criminibus, quia in hiſce ratificans tantùm contrahit obligationem à die ratificationis, non à die commiſſi delicti, quia jura non dicunt, in delictis ratificationem retrotrahi ad tempus mandati, ſed tantùm dicunt æquiparari mandato; proinde ratificans tantùm contrahit excommunicationem tempore ratihabitionis, non verò tempore injectionis manuum.

12 Cæterum ut incurratur excommunicatio in *c. ſi quis ſuadente 29. cauſa 17. q. 4.* neceſſe eſt, ut injuria facta Clerico opere conſiſtat, & quidem phyſicè, & contingat perſonam eccleſiaſticam, vel res illi adhærentes: alioquin vim inferens non incurreret hanc cenſuram, quia non injiceret manus violentas in Clericum, eſt enim hæc cenſura lata contra injicientes manus violentas: & donec actio exterior non conſummetur ſub ea proprietate, quam verba legis exigunt, non incurritur cenſura; ratio eſt, quia in pœnalibus verba accipienda ſunt ſecundùm propriam ſignificationem *c. ex litteris de ſponſal. l. non aliter ff. delegat. 3.* Tum quia eccleſia punit ſolam actionem exteriorem, cùm non judicet de occultis *c. Tua nos §. fin. de Simonia.*

13 Hinc hac excommunicatione non ligatur, qui per ſola verba contumelioſa injuriam infert Clerico. Nec qui animo percutiendi ejaculatur in Clericum ſclopetum, ſi nec perſonam, nec veſtes Clerici tetigit; quia phyſicè Clericum non percuſſit, licèt graviſſimè peccaverit. Sin verò ex tali exploſione fuiſſet ortum ſcandalum, tunc cenſent plures jaculatorem incurrere hanc excommunicationem. Præterea hæc externa actio phyſica debet talis eſſe, ut ex vi ſua ſufficiat ad peccatum mortale, quia cùm eccleſia tantùm puniat actum exteriorem, debet hic eſſe culpa mortalis: cùm enim excommunicatio ſit culpa graviſſima, ut commenſuretur delicto, debet ſupponere culpam gravem: unde ſi quis tantùm leviter Clericum percuteret, nec graviter lædat, ut percuſſio ex vi ſua non ſit mortalis; percutiens non incurrit hanc excommunicationem, tametſi habuerit intentionem eum graviter percutiendi, quia intentio latet eccleſiam, quæ tantùm punit actum externum, cui ſi ſit annexa culpa levis ob ipſam non incurritur hæc excommunicatio, quæ eſt graviſſima.

14 Verùm quia violentia eſt majoris rei impetus, qui coërceri difficulter poteſt *l. 2. ff. de eo, quod met. cauſ.* ideò tunc dicitur quis violentas manus in aliquem injicere, non ſolùm quando illum percutit; verùm etiam quando ab illo aliquid per violentiam auſert, ſi enim talis vis exteriùs inferatur, incurritur hæc excommunicatio licèt ſine tali violentia, ſola rapina, vel ablatio non ſufficeret ad hanc excommunicationem incurrendam, quamvis res ſublata ipſi Clerico adhæſiſſet: ut ſi quis ex crumena Clerici occultè nummos extraheret, ac ſurriperet, talis ablatio, quia non pertineret ad violentiam, ſed ad ſolum furtum, ob illam non incurreretur hæc excommunicatio, quia hæc non fuit lata ob furtum, ſed ob violentam manuum injectionem. E contra ſi quis violentiam inferret Clerico, tametſi percuteret rem Clerico adhærentem contraheret hanc cenſuram, quia violentia cenſeretur facta ipſi perſonæ *c. ſi quis pulſatus de pœnit. diſt. 1.*

Cæterum quia manus eſt inſtrumentum 15
aptius ad percutiendum, & violentiam inferendam, & frequentiùs hæc manu fit, ideo textus ſolùm mentionem facit de violenta injectione manuum; in qua tamen comprehenduntur omnes corporis partes, quibus poteſt violentia alteri inferri: onde ſi quis violenter Clericum morderet, vel pedibus eum premeret, vel calcibus percuteret, vel brachiis pulſaret, vel genu premeret, hanc contraheret cenſuram.

Præterea hæc violenta manuum injectio 16
quoad effectum incurrendi hanc cenſuram non eſt neceſſe, ut immediatè fiat, ſed ſufficit, ſi mediatè, ſeu mediante aliquo inſtrumento; dummodo inſtrumentum perſonam Clerici, vel rem eidem adhærentem tangat: ſi enim quis enſe vulneret, baculo percutiat, lapide contundat Clericum, incurrit hanc excommunicationem: quia manu, vel alio membro dicitur fieri, quidquid aliquo inſtrumento mediante fit ab ipſa manu, vel alio membro: qui enim eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati.

Quia verò hæc violenta injectio manuum 17
eſt quaſi locutio metaphorica, qua omne corporale damnum ſignificatur; cum violentia ſine corporali læſione non inferatur, ut notat Panormitanus in *c. Nuper not. 3. h. t.* ideo hanc excommunicationem contrahit non ſolùm, qui violentas manus in Clericum injicit, ſed etiam qui ſine manuum injectione in corpus facta aliquod nocumentum Clerico injurioſe infert, ut qui Clericum detruderet in carcerem ex *c. nuper, & c. contingit 1. h. t.* etenim etiam ſine corporali læſione violentia interdum infertur Clerico.

Poteſt tamen judex ſæcularis per Miniſtros 18
etiam laicos capere Clericum deprehenſum in flagranti crimine, non ut eum puniat, ſed ut tradat ſuo judici eccleſiaſtico, ut notat Clarus *in pract. crimin. §. fin. q. 28 num. 6.* eodem pacto poſſunt alii laici capere Clericum

cum ex mandato Prælati eccleſiaſtici, quia is facere intelligitur, cujus authoritate fit: verùm ad id requiritur ſpeciale mandatum. Et deſumitur ex *c. ut fama 35 h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd etiam laici infra periculum excommunicationis ab eis incurrendæ poſſint Clericos in magnis ſceleribus deprehenſos capere, & ad judicium trahere, & etiam ſi opus ſit violenter, dummodo id faciant ex mandato Prælatorum eccleſiaſticorum, quorum juriſdictioni Clerici ſubjiciuntur, unde requiritur ſpeciale mandatum; & generale non ſufficit.

19 Hinc hac cenſura is etiam ligatur, qui Clericum in aliquo loco includit, à quo nonniſi cum pudore poſſit exire: ut etiam ſi quis frœnis equi manus admovet, aut abſcindit cingulum, aut cum adeo furioſè perſequitur, ut cogatur ſe præcipitare, vel aliud malum ad ſe liberandum ſubire: non ita tamen ſi fugiens caſu caderet. Quia verò hæc violentia non ſolùm armis inferri poteſt *l. 1. ff. de leg. Jul. de vi public.* ſed etiam per omne id, quod poteſt nocere *argum l. armotos ff. ad leg. Jul. de vi public.* ideo hac excommunicatione innodantur etiam qui hauſtum veneno infectum porrigerent Clericis, eosque necarent; vel moleſtiam illis inferrent, quamvis furtivè, & ſine exteriori violentia.

20 Sunt tamen plures caſus, in quibus percuſſor Clerici non incurrit hanc cenſuram. Qui enim Clericum ſibi vim inferentem vi repellit incontinenti, ac violenter, non incurrit hanc cenſuram, idque deſumitur ex *c. ſi verò 3. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, eum, qui incontinenti vim vi repellendo Clericum lædit, non eſſe mittendum Romam, ſed non eſſe excommunicatum, eò quia licitum ſit vim vi repellere, nec propria defenſio imputatur culpæ ſe defendenti ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, & ſine culpa non incurritur hæc excom̃unicatio. Quoties ex circumſtantia perſonæ percuſſæ, vel ex modo percuſſionis non cenſetur percuſſio culpabilis, nec graviter injurioſa ſtatui clericali non incurritur hæc cenſura. Sunt etiam qui cum Soto *in 4. diſt. 22. q. 1. art. 2. caſ. 2. cum verò*, ob circumſtantiam perſonæ excuſant pueros Clericos rixantes, & ſe invicem percutientes pugnis, & calcibus, quamvis ſanguis è naribus eliciatur, quia plerumque hæc injuria inter ipſos cenſetur levis, tametſi aliquando gravis eſſe ſoleat *argum. c. ult de ſent. excommun.* & Layman *lib. 1. ſum. tract. 5. p.* 2 *c. 5. n. 8.* cenſet id eſſe conjiciendum ex circumſtantiis.

21 Ex modo percutiendi ſolent etiam excuſari ab hac cenſura incurrenda, qui ex ſubita paſſione animo non plenè advertente; vel à fortiori, causâ joci, & ludi Clericum percutiunt; quia tametſi percuſſio aliàs eſſet in ſe gravis: modus tamen quo contingit, minuit gravitatem, & impedit, ne percuſſio ſit culpa lethalis *argum. c. ſuper 1. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd ſi contingat, Clericos ſe ab invicem percutere ex levitate jocoſa, & non ex odio, vel invidia, vel indignatione, licèt ſint plena ætate non ſunt excommunicati. Rurſus excuſantur ignorantes probabiliter, Clericum eſſe, quem percutiunt, quia hæc excommunicatio non propter percuſſionem injuſtam tantùm, ſed ſimul propter percuſſionem ſacrilegam, & ſtatui Clericali injurioſam ſtatuitur: atqui ſtante ignorantia probabili Clericatûs ceſſat injuria, ut expreſſè habetur in *c. ſi verò 3. h. t.* ubi excuſatur ab excommunicatione percuſſor Clerici nutrientis comam, quia probabiliter exiſtimare percuſſor poterat, Clericum non eſſe, idque adeò eſt verum, ut ſi Clericum ignoranter percutientes etiam darent operam rei illicitæ, hanc cenſuram non incurrerent, quia ratione ſtatus clericalis eſſent immunes à culpa, ut notat Covarruvias *in c. Alma Mater 1. p. §. 10. n. 16.*

Quin imò quamvis animum haberent percutiendi Clericum, ſi tamen probabiliter ignorarent Clericum eſſe, quem percutiunt, hanc non incurrerent excommunicationem, quia hæc non contrahitur ob pravum effectum ſed ob externam ſacrilegam manuum injectionem, ut notat Suarez *diſp. 22. ſect. 1. n. 54.* Præterea in *c. ex tenore* quatuor recenſentur caſus, in quibus non incurritur excommunicatio ob Clerici percuſſionem, ubi Alexander III. ponens formam ſervandam in abſolutione ab excommunicatione ob percuſſionem Clerici mandat, ut poſitis litteris Apoſtolicis abſolvens recipiat juramentũm, quòd ſtabit ſuo mandato: deinde authoritate Papæ ipſum abſolvat: mox in virtute juramenti præcipiat, ne de cætero in Clericum, Monachum, vel Converſum religionis injiciat manus violentas, niſi ſe defendendo, vel de mandato ſuorum Prælatorum, vel niſi ſit ejus Prælatus, vel Magiſter, vel niſi ſit cum ipſo ſocius in eadem eccleſiâ. 22

Rurſus quamvis in quibusdam caſibus percutiens, vel occidens privata authoritate graviter peccet, non tamen incurrit excommunicationem, quia eccleſia non cenſet ejuſmodi excommunicationem eſſe factam ſuadente diabolo, ſed ex vehemente paſſione, ut ſi maritus inveniens Clericum turpiter jacentem in lecto cum ſua uxore, matre, ſorore, vel filia violentas manus in illum injiciat, ut *ex c. ſi verò 3. h. t.* ubi Clericus turpiter inventus is dicitur, qui quemlibet turpem actum exercet cum dictis perſonis, etiam oſculo, vel amplexu tantùm. Rurſus nomine uxoris intelligitur etiam ſponſa de præſenti, cum qua contractum eſt matrimonium, ſed nondum conſummatum, non verò ſponſa de futuro, quia non eſt uxor; rurſus nomine matris, filiæ, non intelligitur avia, & neptis; quia verba legis ſunt propriè intelligenda, & potius reſtringenda, ſi ſint pœnalia. 23

Præterea neque hanc canonis excommunicationem incurrunt, qui percutiunt clericum cauſâ diſciplinæ correctionis, ut ſi Magiſter 24

giſter diſcipulum Clericum percutiat, Pater filium; Prælatus eccleſiaſticus ſuum ſubditum *cap. ex tenore 10. h. t.* ut etiam ſi quis habeat officium in eccleſia, ratione cujus poſſit corrigere inferiores clericos. Quòd poſſit Prælatus eccleſiaſticus percutere clericum ſibi ſubditum per alium; non ita per laicum cauſâ juſtæ correctionis habetur etiam *in cap. univerſitatis 24.* ubi Clemens III. reſcribit, quod ſi laicus qui Abbate mandante etiam ex cauſa regularis diſciplinæ percutit Monachum tam ipſe, quàm Abbas ſunt excommunicati: quod maximè procedit ſi cauſa verberandi non ſubeſſet; ſed ex odio id fieret. Quòd ſi Abbas causâ regularis diſciplinæ clericum percutiat per ſe ipſum, vel ſi neceſſitas urgeat per clericum, vel Monachum, non incurritur hæc cenſura, quia Abbas habet jus caſtigandi ſuum ſubditum, id enim ſæpe neceſſarium eſt ad conſervandam diſciplinam, proinde ob talem percuſſionem non poteſt cenſura incurri. Debet tamen hæc correctio fieri ex juſta cauſa, & cum debita moderatione: alioquin ſi fiat cum notabili exceſſu incurritur excommunicatio, quia talis exceſſus non eſſet eccleſiaſtica diſciplina, ſed violenta manuum injectio.

§. X.

Quisnam poſſit abſolvere ab excommunicatione canonis ob percutionem Clerici.

1 Percuſſio clerici triplex eſt, prima dicitur levis, quæ reſpectu percuſſionum mortiferarum, nec eſt enormis, nec mediocris, & Navarrus *in Manual. cap. 27. num. 91.* aſſerit, levem percuſſionem eſſe, quæ ſit pugno, palma, baculo, vel lapide, & ubi nullum membrum ſecatur, nec dens evellitur, nec multum ſanguinis effunditur: ſed id non ſemper eſt verum, putârim circa hoc non poſſe certam regulam dari, proinde ſtandum eſſe judicio prudentis judicis, quia levis percuſſio conjici debet ex circumſtantiis perſonarum, locorum, temporum, & ex modo percutiendi, ac lædendi; etenim ſi Clericus ſolemniter miniſtrando in altare percuteretur etiam leviter, talis injuria ratione loci, & perſonæ, ut celebrantis actu non conſeretur injuria levis circumſtantiarum, quamvis aliàs eſſet in ſe levis.

2 Secunda eſt percuſſio gravis, & dicitur illa, quæ nec levis eſt, nec enormis, & de qua judicare pertinet ad Epiſcopum, vel Abbatem, quibus conceditur in certis caſibus abſolvere ab illa proinde poſſunt cognoſcere, an ad ipſos pertineat ab illa abſolvere *cap. ſuper litteris de reſcript.* & *l. ſi quis ex aliena ff. de judic.*

3 Tertia eſt percuſſio enormis, & ea dicitur, quæ pervenit ad occiſſionem, aut mutilationem membri, vel ad effoſſionem oculi, vel ſi Clericus ex læſione fiat inutilis ad fungendum munere ſuo, ſi vulnus notabile ei infligatur, à quo, ut ſanetur, indigeat remedio chirurgiæ, vel aliorum medicinalium: magna tamen effuſio ſanguinis ſolùm è naribus ob impactam alapam, non dicitur percuſſio enormis, ut nec etiam effuſio ſanguinis ex modico vulnere. Dicitur tamen percuſſio enormis ſi laicus officialis auctoritativè percutiat Clericum. Ut etiam ſi quis injiciat manum in Epiſcopum, vel Abbatem, vel alium, qui ſit caput monaſterii, vel vicem illius gerat. Præterea eſt enormis percuſſio ratione loci, ſi vulneretur clericus in oculo, vel in facie, ut etiam ratione ſcandali, ſi ſubditus ita ſuperiorem percutiat, ut inde oriatur ſcandalum; vel ſi Monachus percutiat clericum ſæcularem, & ex eo detur ſcandalum. Rurſus ratione irreverentiæ cenſetur percuſſio enormis, ſi præſente Prælato, vel judice percutiatur clericus *inſtit. de injur. §. atrox.* ut etiam ratione loci ſi percutiatur clericus in eccleſia, cæmeterio, vel dormitorio *argum. cap. quisquis 17. q. 4.* eadem ratione erit enormis percutio, ex facti notorietate, præſertim ſi percutiatur clericus in magno aliquo concurſu, ut in nundinis, mercatu celebri.

An verò, quando dubitatur, num percuſſio 4
Clerici ſit levis, vel gravis, judicanda ſit gravis. Affirmant plures cum Suarez *diſp. 22. ſect. 1. num. 88.* & Sayro *de cenſur lib. 3. cap. 28. num. 8.* quia in dubio percuſſiones ſunt potiùs cenſendæ graves, & enormes, quàm leves, idque ne detur occaſio offendendi ſtatum eccleſiaſticum, & videtur id deciſum in extravag. Joannis XXII. Alii verò dicunt *dict. Extravag.* non habere authoritatem, & percuſſionem in dubio eſſe cenſendam levem, quia Reo eſt favendum. Verùm prior ſententia communior eſt, & verior, cui adhærendum puto.

Ab excommunicatione contracta ob le- 5
vem percuſſionem clerici poteſt Epiſcopus abſolvere ſuos ſubditos, idque deſumitur *ex c. pervenit 17. h. t.* ubi Clemens III. reſcribit, quòd excommunicatum non pro enormi, ſed pro modica, & levi injuria facta clerico, abſolvit Epiſcopus, ad quem etiam pertinet arbitrari, an percuſſio levis ſit, vel gravis, idque de jure communi juxta communiorem ſententiam; an verò hæc eadem poteſtas extendatur ad quoslibet alios Prælatos jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, non conveniunt Canoniſtæ. Negant Felinus, & Panormitanus *in cap. pervenit 17. h. t.* quos ſequitur Molina *tractat. 3. diſp. 59. n. 2.* & nituntur ea ratione, quia Pontifex *in d. cap. pervenit* committit Epiſcopo, ut fratri hanc poteſtatem, ait enim textus: *tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum*, ſed nullus inferior Epiſcopo vocatur à Pontifice frater, ſed tantùm filius: ex quo inferunt, hanc poteſtatem non eſſe cenſendam aliis ab Epiſcopo conceſſam. Verùm hæc ratio non videtur efficax, ſiquidem Pontifex cùm *in d. c. pervenit:* loqueretur cum Epiſcopo, debuit ipſum vocare fratrem, non quia vellet hanc poteſtatem adnectere tantùm characteri, ſed ut proprio titulo honoraret Epiſcopum.

6 Quamobrem comunior, & verior ſententia eſt, quoscunque Epiſcopali jurisdictione gaudentes habere hanc poteſtatem abſolvendi ab excomunicatione contracta ob levem percusſionam, quia hujusmodi Prælatis competunt omnia, quæ ad Epiſcopalem jurisdictionem pertinent, ooo verò ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis: & abſolutio ab excommunicatione canonis eſt actus jorisdictionis Epiſcopalis, proinde illis competit, ſi abſolutio in canone noo ſit reſervata, ut ootat Fagnanus *in d. cap. pervenit. num. 13.* Ab excommunicatione verò contracta ob gravem, & à ſortiori ob enormem clerici percuſſionem ſpectatò jure communi ſolus Pontifex, vel ejus Legatus abſolvere poteſt exceptis aliquibus caſibus in jure expreſſis, & his verſibus comprehenſis.

Regula, mors, ſexus, hoſtis, puer, Officialis.
Religioſus, inops, agérque, ſenèſque, ſodalis,
Janitor, adſtrictus, dubius cauſa, levis ictus.
Debilis abſolvi ſine ſumma ſede merentur.

7 Hos caſus explicat Filiucius *tom. 1. tract. 15. num. 37.* & eos ad tria teſtringit capita, quæ reperiuntur *in cap. quamvis 58. h. t.* ubi Gregorius declarat, quòd injiciens manus violentas io clericum, quamvis ſatisſaciat pro ſua ſacultate læſo, non ideo poteſt abſolvi ab Epiſcopo, ſed debet mitti ad Sedem Apoſtolicam exceptis his caſibus; ſcilicet imminente periculo mortis, infirmitate, inimicitia, inopia, ætate ſenili, val fragilitate ſexûs vel alia corporis impotentia, vel ſi detineatur quolibet impedimento canonico, quo oon poſſit Romam proficiſci, vel beneficio juris excuſetur,

8 Hinc omnes prærecenſiti caſus reducuntur, vel ad impedimentum corporale, ſob quo reducuntur inimicitiæ graves, articulos mortis, paupertas, ægritudo, ſenectus, cæcitas, & alia id genus. Vel ad impedimentum canonicum, quô textus aſſerit laborare ſervos, & filiosfamilias exercentes monus publicum, & habentes aliam juſtam cauſam arbitrio booi viri. Ad tertium impedimentum ex juris beneficio reducuotur omnes gaudentes tali beneficio, ut mulieres, impuberes, officiales arcentes turbam, oſtiarii, clerici, ſimul viveotes, Regulares, viri nobiles, ac delicati. An verò qoi contraxit excommunicationem canonis pro enormi percuſſione clerici, & noo poteſt Pontificem adire, taneatur Romam mittere Procuratorem, vel Epiſtolam pro abſolutione; communior ſententia aſſerit, irretitum excommunicatione Papali, ſi ob legitimum impedimentum non poteſt perſonaliter Papam adire pro abſolutione, teneri mittere Procuratorem, qui eius nomine eam petat: vel ſaltem per epiſtolam petere abſolutionem à Sede Apoſtolica, & facultatem, ut poſſit ab Epiſcopo ſuo abſolvi: vel ſaltem vigore illius ſacultatis generalis abſolvendi impeditos cum onere ſe præſentandi Verùm Theſaurus aſſerit, in Romana Pœnitentiaria praxim eſſe cootrariam,

9 Epiſcopus tamen poteſt abſolvere ex quacunque percuſſione Clericorum, ſi percuſſio occulta ſit, quamvis percuſſor poſſit Papam adire: quia ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 6. de reformat.* omnibus Epiſcopis, & aliis Prælatis habentibus Epiſcopalem jurisdictionem conceditur poteſtas abſolvendi ab hac; & ab omni alia excommuoicatiooe, modò delictum occulrum ſit, & nondum ad ſorum contentioſom deductum. Imò hanc eandem ſacultatem conceſſam eſſe mendicantibus Religioſis, docent Squillante *de privil. Cleric. cap. 6. num. 110.* Palaus *tom. 6. diſp. 3. punct. 23. §. 4. num. 19.* Sunt etiam plures caſus, in quibus Epiſcopus non debet exigere juramentum, ut abſoluti à cenſura canonis teneantur Papam adire, ſcilicet quando impedimentum eſt perpetuum, quale eſt in ſenibus, mulieribus, morbo perpetuo laborantibus, ut etiam illis, qui membris ſunt deſtituti, neque debet ab ipſis Epiſcopus exigere cautionem juratoriam ad eundem ſummum Pontificem: quia hujusmodi cautio in prærecenſitis eſſet prorſus inutilis. Immò quamvis miraculosè curarentur à morbo, qui nulla naturæ vi curari poterat, adhuc non tenerentur adire Papam: quia beneficium jam fuerat illis plenè conceſſum. Hoc idem etiam procedit de impubere poſtquam adolevit: quod enim conceſſum eſt ætati, & cœpit locum habere, non ceſſat per incrementum ætatis,

10 Rurſus ob inopiam, ioimicitias capitales, ægritudinem, & ſubjectionem alterius poteſtati; ut ſi Dominus pateretur grave damoum ob mancipii abſentiam, non debet Epiſcopus juramentum exigere, oec cautionem. Nec etiam ab officiali pellente turbam, oſtiario, & clericis ſub eodem tecto viventibos: iſti enim quamvis non poſſint ab enormi, poſſunt tamen à mediocri percuſſiooe abſolvi ab Epiſcopo. Hinc Janitor, qoi prætextu ſui officii percutit clericum etiam animo injuriandi poteſt, ab Epiſcopo abſolvi, quamvis percuſſio gravis ſit, dummodo ad enormitatem noo pertingat, idque deſumitur *ex cap. ſi verò 3. h. t.* & id procedit etiam de officiali, ſeu Appatitore alicujus poteſtatis etiam laicæ, ſi arcendo turbas ex aliqua negligentia, non tamen ex propoſito, clericum percutit. Si enim percuſſio enormis oon ſit, poteſt ab Epiſcopo abſolvi non ita ſi ſibi jurisdictionem arrogaret quaſi id licitè præſtare poſſet, & oon in defenſionem oſtii ſibi comiſſi.

11 Ratio, cur poſſit abſolvi ab Epiſcopo, eſt, quia delictum alicujus commiſſum ioter exercendum proprium officium alleviatur quidem: ſed quia ad iracundiam provocatus modum exceſſit, Ideo non caret culpâ, ob quam excommunicationem incurrit, à qua tamen abſolvi poteſt ab Epiſcopo. Quòd ſi laicus oon exerceat proprium officium; ſed ſibi arroget talem jurisdictionem: tunc culpa non alleviatur ratione officii; proinde non poteſt abſolvi ab Epiſcopo, qoia percuſſio facta clerico gravis eſt, & enormis, comparatione injuriæ ſtatui eccleſiaſtico factæ. Unde ſi offi-

cialis

cialis non fortuitò, & incautè ; ſed titulo jurisdictionis percutiat ex odio clericum, eſt mittendus ad Papam pro abſolutione exceptis caſibus legitimi impedimenti : quia percuſſio facta ab officiali titulo jurisdictionis, tametſi in ſe videatur levis, eſt tamen gravis ratione ſtatus Clericalis, cui fit injuria.

12 Cæterum Epiſcopus abſolvens tales Janitores, Oſtiarios, Apparitores ob percutionem clerici in arcenda turba non debet iisdem imponere onus ſe præſentandi poſtea ſedi Apoſtolicæ : quia talis favor in prædictis juribus non conceditur hiſce officialibus ratione temporalis impedimenti, ſed ratione officii, quod exercent. Quòd ſi dubitetur, an officialis caſualiter, vel deliberatè clericum percuſſerit ad hoc, ut declaretur excommunicatio Epiſcopalis, vel Papalis, cenſet Innocentius, in *cap. ſi verò 3. h. t.* onus probandi incumbere ipſi clerico percuſſo ex regula, *actore non probante*. Verùm Panormitanus docet onus probandi incumbere Officiali præſato percutienti : quia percuſſio eſt contra ipſum.

13 Verùm mihi videtur cum Alexandro de Nevo in additionibus ad Panormitanum, procedendum cum diſtinctione : ſi oſtiarius exercendo officium percuſſit, tunc cum Innocentio dicendum eſt, onus probandi incumbere clerico percuſſo, quia Oſtiarius ratione officii, quod exercet, excuſatur à dolo præſumpto donec contrarium probetur. Sin verò oſtiarius percuſſit non exercendo ſuum officium, quia non aderat turba arcenda, tunc locum habet ſententia Panormitani, & onus probandi incumbit oſtiario, quia præſumptio eſt contra ipſum.

14 Poteſt etiam Epiſcopus abſolvere clericos in eadem domo commorantes ſive ex redditibus alantur, ut in ſeminariis ex Concilio Tridentino, & collegiis Univerſitatum : ſive unusquisque ad ſui ſuſtentationem concurrat, ut in convictoriis ſcholaſticorum. Hi enim ob percutionem etiam gravem, dummodo non perveniat ad enormitatem, poſſunt ab Epiſcopo abſolvi *argum. cap. quoniam de vita, & honeſtat. Cleric.* ſiquidem ratione communis vitæ faciliùs inter ſe diſſident, promptiúsque iraſcuntur, ſéque percutiunt, ideòque conveniens erat, ne pro qualibet injuria juvenes illi ſtudioſi mitterentur ad Sedem Apoſtolicam, ut notat Panormitanus *in d. cap. quoniam n. 3.* imò nec Epiſcopus debet illis abſolutionem impendere cum onere ſe poſtea præſentandi ſedi Apoſtolicæ : quia hic favor non conceditur hiſce ſtudioſis ratione impedimenti temporalis; ſed ob rationem ſpecialem quia in communi vivunt, ut docet Suarez *de cenſur. diſp. 22. ſect. 1. num.* 83. Immò Molina *Tom. 4. diſp. 62.* id extendit etiam ad pueros miniſtrantes in eccleſia cathedrali, ſi ibi communiter vivant, & alantur ex redditibus ejusdem eccleſiæ, ad id ſpeciatim deputatis. Immo etiam ad Clericos viventes in aliqua domo communi ſub aliquo moderatore; tametſi ipſi contribuant ad ſuam ſuſtentationem.

15 Impuberes, ſeu minores quatuordecim annis, & puellæ, puberes, ſi incidant in excommunicationem canonis *cap. ſi quis ſuadente* : poſſunt etiam abſolvi ab Epiſcopis diœceſanis, idque deſumitur *ex cap. pueris ult. h. t.* ubi Greg. reſcribit, pueros, excommunicatos ob percutionem clerici ; etiam ſi poſt pubertatem petant abſolvi poſſe ab Epiſcopo abſolvi, eò quis rigor debeat manſuetudine temperari propter defectum ætatis, in qua fuit talis percuſſio commiſſa ; ubi Gloſſa notat, pueros doli capaces ante decimumquartum annum excommunicatos ob violentam percuſſionem clerici propter tenellam ætatem non incurrere totam pœnam ; ſed minorem. Nec tenentur poſtea ſe præſentare ſedi Apoſtolicæ, quia beneficium ſemel indultum minori, ex quo cœpit locum habere non extinguitur per majorem ætatem ſupervenientem, ut notat Panormitanus *in d. cap. fin. h. t.* Hinc licèt pueri impuberes doli capaces, non petant abſolutionem ante pubertatem, adhuc poſſunt abſolvi poſt pubertatem, ſi poſtulent abſolutionem ab Epiſcopo, nec tenentur poſtea ſe præſentare Sedi Apoſtolicæ, quia excuſantur ob ætatem à labore itineris, quamvis læſio facta tempore impubertatis fuerit enormis, ut notat Barb. *in d. c. pueris ult. n.* 2. *h. t.*

16 Poſſunt etiam Epiſcopi abſolvere mulieres cujusvis ſtatûs, & conditionis, ſi incurrant excommunicationem canonis, & deſumitur *ex c. quamvis 58. h. t. & c. mulieres 6. eod.* ubi Alexand. III. declarat, quòd ſi mulieres, & aliæ perſonæ, quæ non ſunt ſui juris injiciant manus violentas in clericum, debeant abſolvi à Diœceſano : perſonæ verò, quæ ſunt magnæ potentiæ, vel ita delicatæ, ut nequeant ſubire laborem adeundi Romam, non debent abſolvi niſi priùs nuncietur Papæ de ſtatu perſonæ, & poſtea ſecundùm conſilium Papæ corrigantur de ſcelere. Quia verò præcitata jura loquuntur de habentibus fragilitatem ſexûs, & mulieribus non diſtinguendo, an ſint ſui, vel alieni juris, fortes, vel debiles, vel pauperes, ideo cujusvis ſint conditionis poſſunt ab Epiſcopo abſolvi, quia in ipſis periculoſum eſt vagari ; ac virorum cœtibus ſe immiſcere; proinde hæc abſolutio datur ſimpliciter ab Epiſcopo, & non ad reincidentiam.

17 Hinc hodie Epiſcopi omnes fœminas abſolutè etiam ob enormem læſionem abſolvunt, adeò ut ex conſuetudine jam præſcripta videatur hæc jurisdictio conceſſa Epiſcopis. Idque à fortiori procedit de monialibus, quæ non ſolùm ſunt mulieres, ſed etiam morantur clauſæ in conſervatoriis, vel profitentur perpetuam clauſuram, ut notat Suarez *de cenſuris diſp. 21. ſect. 1. num. 63.* Excuſantur etiam à Romano itinere ſenes, qui propterea & ipſi poſſunt ab Epiſcopo abſolvi, ut deſumitur ex *cap. ex noſcitur 3. h. t.* ubi Clemens III. reſcribit, Epiſcopum abſolvere percuſſores clericorum, qui ſint mulieres, ſenes, infirmi, mutilati, datâ priùs ſatisfactione offenſis juxta ſuas facul-

facultstes ; ratio itidem eſt , quia ſenes habentur pro infirmis , cùm ipſa ſenectus morbus ſit.

18 Qui verò dicendi ſint ſenes, non una eſt omnium opinio Gloſſa *in cap. 1. de celeb. miſſ.* Joannes Annanus *in Rubric. de delict. puer. col. 1.* & alii cenſent, eum eſſe ſenem , qui annum quinquageſimum attigit usque ad ſeptuageſimum , idque probant *ex l. 2. §. ult. ff. de dec. l. 3. C. eod. l. ult. C. qui ætate ſe excuſ. lib.* 10. quibus probatur excedentes quinquageſimum quintum annum à muneribus perſonalibus excuſari, ut ſenes. Alii verò cenſent ſenem dici ſeptuagenarium , & infra hanc ætatem judicium de ſenectute eſſe relinquendum arbitrio viri boni ; ita præ cæteris ſentit Abbas *in cap. quoniam ut lite non conteſtata num. 8.* quia ſeptuagenarius revera eſt ſenex , cùm paſſim excuſetur à muneribus obeundis , à tutela , & cura *l. unic. C. qui morbo aut ætate ſe excuſant.*

19 Alii volunt id relinquendum eſſe judicio prudentis viri, qui debet arbitrari juxta qualitatem perſonarum , ita docent Maſcardus *de probat. concluſ.* 1301. *num. 8.* Menochius *de arbit. lib. 2. caſ. 59. num. 3.* Farinacius *in prax. crimin. q. 66. num.* 83. Sayrus *de cenſur. lib. 3. c. 28. num. 25.* Et hæc opinio videtur communior niſi ſenes ſint in ſeptuageſimo anno , & ultra, quia tunc judex non poteſt arbitrari ſeptuagenarium non eſſe ſenem, onde de aliis infra ſeptuageſimum annum res poteſt arbitrari de ſenectute : quia alii aliis citius ſeneſcunt. Cæterum videtur etiam probabile , poſſe Epiſcopum abſolvere etiam ſenes ſexagenarios , adeò ut iſti non teneantur Romam adire ad obtinendam abſolutionem, quia hæc ætas eſt obnoxia laſſitudini , & præſertim ſi multum temporis debeat vir ſexagenarius impendere in itinere.

20 Servi itidem incidentes in cenſuram canonis poſſunt in duobus caſibus abſolvi ab Epiſcopo , ut habetur *in cap. relatum 37. h. t.* Primò ſi delinquant in fraudem Domini , vel Patrisfamilias , ut Romam eant, ſeque ſubtrahant ab obſequio debito Domino, vel Patri, recurrendo ad Sedem Apoſtolicam pro beneficio abſolutionis. Secundò ſi Dominus , vel Pater ob ſervi abſentiam patiatur grave damnum : niſi percuſſio ſit tam gravis , vel enormis , ſcandaloſa , ut ad tollendum ſcandalum neceſſe ſit , ut Romam proficiſcatur, hæc totum deſumitur *ex d. cap. relatum* ubi Innocentius III. declarat, ſervos percutientes clericos incurrere excommunicationem canonis, & eſſe compellendos venire ad ſedem Apoſtolicam, quia plus Deo quàm hominibus deferendum eſt. Verùm ſi id fecerunt in fraudem, ut ſubtrahant ſe à ſervitio Dominorum , vel ſi Domini propter hoc citra ſuam culpam grave incurrant damnum , tunc vult Pontifex, poſſe Epiſcopum ex indulgentia , & diſpenſatione Papæ eos abſolvere ; & pro labore itineris injungere eis aliam ſatisfactionem : dummodo tamen percuſſio non fuerit enormis , & ad tollendum ſcandalum eſſet Romam adeundum.

Verùm id non procedit de viro reſpectu 21
uxoris , nec de liberto , qui locavit opera ſua, quia non excipiuntur , ut ſervi , cùm participantibus voluntariè , ut deſumitur *ex c. cùm illorum 32. h. t.* Pauperes etiam velut impediti à caſibus Papæ reſervatis poſſunt ab Epiſcopo abſolvi , ſi tanta laborent paupertate, ut non poſſint ad curiam ire pro abſolutione; idque deſumitur *ex cap. quamvis 58. h. t.* & licèt *in cap. ea noſcitur 13. h. t.* videatur contrarium ſtatui , tamen intelligendum eſt de pauperibus , qui poſſunt proficiſci , & ire ad Sedem Apoſtolicam , ut notat Gloſſa *ibid V. pauperes.* Cæterum quoad hoc privilegium abſolutionis obtinendæ ab Epiſcopo dicuntur etiam pauperes , qui non mendicant, ſed carent patrimonio , ex quo poſſint ſe alere , vel vivunt tantùm dietim ex ſuo artificio , quia iſti non tenentur oſtiatim , & cum verecundia victum ſibi quærere in itinere , ita cenſet Abb. *in d. c. ea noſcitur. n. 5.*

Hinc Epiſcopus jure communi poteſt ab- 22
ſolvere ab excommunicatione canonis *ſi quis ſuadente* , tametſi percuſſio fuerit publica, & enormis. Primò quando percutiens excommunicatus eſt impeditus Romam adire ob quodcunque impedimentum. Secundò ob periculum mortis. Tertiò ob infirmitatem diuturnam , quamvis non periculoſam. Quartò ob inimicitiam capitalem. Quintò ob paupertatem. Sextò ob ætatem ſenilem, vel impuberem , licèt poſt pubertatem petatur abſolutio ab excommunicatione , quæ fuit contracta ante pubertatem. Septimò ob ſubjectionem parentibus. Octavò ob obligationem alendi uxorem, filios, & familiam. Nonò ob curam animarum , ſi quis timeat , quòd per eius abſentiam oves patiantur detrimentum. Decimò ob ſervitutem , quando talis ſervus non poteſt adire Romam ſine præjudicio Domini , & hic non fuerit cauſa, quòd inciderit in excommunicationem. Undecimò ob fragilitatem ſexûs. Duodecimò ob quodlibet aliud impedimentum quod arbitrio prudentis viri judicatur legitimum , idque conſtat ex hactenus præcitatis , & explicatis juribus , immò qui propter aliquod ex prærecenſitis impedimentis non poteſt perſonaliter Romam proficiſci, non tenetur mittere Procuratorem pro abſolutione , ut communior fert ſententia. Qui verò ob aliquod impedimentum abſolvitur ab Epiſcopo ab excommunicatione reſervata Papæ , debet poſtea ceſſante impedimento ſe ſiſtere Pontifici, ut notat Avila *de cenſur. p. 2. cap. 7. diſp. 1. dub. 6. concluſ 3.*

Rurſus qui abſolvitur ab Epiſcopo debet 23
priùs parti læſæ ſatisfacere , quantum commodè poteſt , ut etiam qui abſolvitur ob temporale impedimentum , debet juramentum priùs præſtare , quòd ceſſante impedimento velit com-

comparere coram Sede Apoſtolica, vel coram alio habente authoritatem abſolvendi; quia tunc abſolvitur ad reincidentiam, etſi poſtea non compareat incidit in eandem excommunicationem, ut habetur *in cap. eos qui 22. h. t. in 6.* ubi Gregorius X. reſcribit, quòd lapſus in aliquam cenſuram, à qua non poteſt abſolvi niſi à Papa, & propter mortis periculum, vel aliud impedimentum legitimum abſolvitur ab alio; ſi deinde ceſſante periculo, vel impedimento, quàm citò commodè poterit, contemnat ſe præſentare illi, à quo erat abſolvendus ad recipiendum mandatum, & ſatisfaciendum; reincidit in eandem cenſuram.

23 Poteſt etiam Epiſcopus abſolvere Religioſos ſi ſe invicem percuſſerunt ex licentia tamen ſuperioris Regularis, ſi percuſſio fuerit levis, & non gravis, idque colligitur *ex cap. luminoſo 18. q. 2.* ubi habetur, Epiſcopum poſſe exercere juriſdictionem de conſenſu Abbatis in monaſterio exempto. Immo ſi Prælatus Regularis abſit, ac deſit illius præſentia, & licentia, poteſt Epiſcopus in defectum eiusdem Prælati, ſi non ex vi juris, ſaltem ex æquitate dictos Regulares exemptos abſolvere, ne ſint deterioris conditionis, quàm alii omnes. Quòd ſi Prælatus Regularis nolit per ſe, vel alium abſolutionem concedere; ſi juſtè id deneget, eò quia atrocitas delicti petat cogere Religioſum adire Sedem Apoſtolicam, tunc non poteſt Regularis ab Epiſcopo abſolvi. Sin verò Prælatus Regularis injuſtè deneget abſolutionem, & id manifeſtè conſtet, tunc poteſt Religioſus ſe Epiſcopo ſubjicere, & ab eo abſolutionem obtinere, quia tunc Pontifex, & religio cenſetur juriſdictionem concedere Epiſcopo, quia ſuperior Regularis non utitur, ſed abutitur exemptione.

§. XI.

De quibusdam aliis excommunicationibus comprehenſis in hoc titulo.

1 CLerici ſcienter participantes in divinis cum excommunicatis à Papa incurrunt excommunicationem, habetur hæc excommunicatio *in cap. ſignificavit 18. h. t.* ubi Clemens III. reſcribit, quòd clerici ſponte, & ſcienter participantes cum excommunicatis à Papa admittendo eos ad divina officia ſunt excommunicati eadem excommunicatione majore, & pro abſolutione mittendi ſunt ad Papam cum litteris Ordinarii. Verùm ad incurrendam hanc excommunicationem, quinque requiruntur. Primò, ut excommunicatus, cui communicatur fuerit nominatim à Papa excommunicatus. Secundò, ut communicans ſit clericus. Tertiò, ut communicans ſciat ipſum eſſe excommunicatum, à Papa. Quartò, ut ſponte communicet non vi, vel metu coactus. Quintò, ut in divinis participet intra, vel extra eccleſiam ſimul orando, vel alio modo, ut notat Covarruvias *in cap. Alma Mater pag. 1. §. 3. num. 4.* Generatim excuſantur omnes fideles à peccato communicando cum excommunicato in quinque caſibus ex jure naturæ, & poſitivo, & comprehenduntur in hoc verſiculo.

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Prima dictio *utile* denotat utilitatem veram non fictam, tam ſpiritualem, quàm temporalem, propriam vel ipſius excommunicati, adeò ut ob hanc utilitatem poſſit excommunicatus agere cum aliis, & alii cum illo ſine peccato. Hinc ſicut licet cum excommunicato communicare pro ſua ſalute; ita licitum eſt etiam pro noſtra, vel aliena; poſſumus enim pro ſalute ſpirituali ſi neceſſitas urgeat conſilium petere, etiam ab excommunicato: immò etiam pro commodo temporali valde tamen neceſſario, ut cenſent plures cum Suarez *diſp. 15. de cenſur. ſect. 3. n. 9.* Sylvio *in ſupplement q. 23. art. 1.* Secunda dictio *lex* indicat matrimonium; hinc licitum eſt uxori cohabitare cum viro excommunicato petendo, & reddendo debitum, & alia obſequia ei exhibendo, quæ connexa ſunt vitæ conjugali: è converſo poteſt vir hæc eadem præſtare uxori excommunicatæ, quia lex matrimonii æquè utrumque obligat. Verùm id non procedit, quando excommunicatio lata eſt propter ipſum matrimonium malè initum: in hoc enim caſu neuter poteſt cum altero communicare: ſicut nec poteſt in quocunque alio crimine; alioquin diceretur communicare in crimine criminoſo; proinde incurreret majorem excommunicationem.

Rurſus neque hujusmodi excommunicatio ſe extendit ad divina, nec quando uxor petiit divortium à marito quoad habitationem: ratio eſt, quia tunc uxor non cenſetur ampliùs marito ſubjecta, ut docet Sanchez. *de matrim. lib. 9. diſp. 14. num. 9.* Per tertiam dictionem *humile* intelliguntur hi omnes, qui alteri ſubjiciuntur ſive ut filii, ſive ut ſervi, & ancillæ, ſive ut famuli urbani, vel ruſtici, ſive tanquam ſubjecti temporaliter Domino ſuo; ſive ut ſpiritualiter ſubjecti ſuo Prælato: hi omnes poſſunt obedire ſuis Superioribus, & cum illis communicare ordinaria communicatione: ratio eſt, quia Superior ſive ſit pater ſive Dominus, aut Prælatus non amittit poteſtatem in ſubditum ex eo, quòd hic innodetur excommunicatione; neque ſubditus eximitur à ſubjectione ſui ſuperioris, ex eo, quòd excommunicationem incurrerit, ut notat Ugolinus *tabul. 2. c. 23 §. 7.* 2

Poſſunt etiam hæ perſonæ excommunicatæ in divinis communicare cum Dominis, Patribus, vel Superioribus præſtando ea, quæ non concernunt ſubjectionem, & miniſterium, ſeu famulatum; adeò ut poſſit famulus cum Domino excommunicato divinum officium recitare, vel cum ipſo intereſſe miſſæ, quia hæc videntur miniſteria, & officia famulatûs: non tamen liceret filio, licèt eſſet Parochus ſacramenta miniſtrare patri ſuo excommunicato vitando, 3

tando, nec coram ipſo divina facere. Ratio eſt, quia hæc communio ei non competit ratione conjunctionis naturalis, nec ratione ſubjectionis, ant ſuperioritatis, ut docet Suarez *de cenſ. diſp. 14. ſect. 5. n. 22.* Cæterum hoc privilegium communicandi eum excommunicatis à jure conceſſum inferioribus per relationem extenditur etiam ad Superiores, tametſi ipſi ſint etiam excommunicati reſpectu inferiorum, quia in correlativis diſpoſitum in uno habet etiam locum in altero, ut notat Navarrus *c. 27. n. 20.*

4 Excluduntur tamen Vaſalli ex *c. nos Sanctorum 15. q. 6.* hi enim non poſſunt communicare cum ſuis Principibus temporalibus excommunicatis vitandis quia à jure poſt ſententiam criminis declaratoriam eximuntur à jurisdictione ſubjectionis: ſiquidem Dominus tunc temporis eſt ſuſpenſus ab uſu jurisdictionis. Non tamen eximuntur Vaſalli à ſolutione tributorum, quamdiu Princeps non privatur dominio temporali, ut oſtendit Ugolinus *dict. tabul. 2. c. 13. §. 9.* Per *rem ignoratam* intelligitur ignorantia probabilis, quæ conjuncta non eſt cum negligentia, vel affectata, tam juris, quàm facti: hæc enim excuſat à communicatione cum excommunicato hinc dubitans de alterius excommunicatione, & denunciatione non tenetur illum vitare, quia inferret illi injuriam; eſt enim in hoc caſu melior conditio poſſidentis. Immo dubitans de denunciatione, quamvis certus ſit de excommunicatione non tenetur illum vitare, tametſi poſſit, ſi velit; ut docet Suarez *de cenſur. diſp. 15. ſect. 3. n. 5.*

5 Rurſus in dubio juris nemo tenetur ſe gerere ac ſi eſſet excommunicatus, ut notat Azorius *1. p. lib. 1. c. 19. q. 10.* ſecus in dubio facti tenetur ſe gerere ut excommunicatus, licèt contrarium ſentiat Sanchez eò quia in criminibus dubiis favendum potiùs ſit reo. Per ultimam dictionem *neceſſe* intelligitur neceſſitas tam ex parte excommunicati, quàm aliorum communicantium cum ipſo: & hæc neceſſitas poteſt eſſe ſpiritualis, vel corporalis, quamvis non ſit extrema: quapropter ſuſtentationis cauſa, poteſt quis licitè aliquid eleemoſynæ, dare excommunicato, eumque recipere hoſpitio. Rurſus excommunicati tempore neceſſitatis ſuæ ſpiritualis poſſunt adire Doctores, Confeſſarium, Theologum, Epiſcopum: in temporalibus itidem artifices, licitè adeunt Medicum, Mercatorem, cum quibus ſine culpa communicant in rebus neceſſariis ad vitam, & communes neceſſitates; hinc in itinere eſt etiam licitum equum conducere ab excommunicato, hoſpitium petere, & ſimilia. Demum qui ex metu gravi, vel vi cogitur communicare cum excommunicato excuſatur à peccato, quia cenſetur exiſtere in gravi neceſſitate, & eccleſia non obligat cum tanto incommodo.

6 Alia excommunicatio fertur contra Incendiarios, & deſumitur *ex c. tua nos 19. h. t.* ubi Clemens III. declarat non ſolùm injicientes manus violentas in Clericos, ſed etiam incendiarios poſtquam ab Eccleſia ſunt publicati excommunicati, eſſe mittendos ad Papam pro abſolutione. Unde hæc excommunicatio eſt etiam reſervata Papæ, adeò ut non poſſit abſolvi ab ullo alio. Verùm textus intelligendus eſt de Incendiariis, qui jam ſunt, vel poſtquam fuerant per hominis, ſeu judicis ſententiam excommunicati, & publicati, hi enim non poſſunt abſolvi niſi à Papa, quia in textu Pontifex non loquitur de ſententia excommunicationis, ſed de ſententia promulgationis, ſeu denunciationis, quæ ſupponit excommunicationem jam latam, unde poſtquam per ſententiam eccleſiæ fuerint excommunicati, & publicati non poſſunt abſolvi niſi à Papa. Hinc in *c. peſſimam 32. cauſ. 23. q. 9.* Præcipitur ut Incendiarius excommunicetur, & careat eccleſiaſticâ ſepultura: ex quibus juribus liquet, Incendiarios non eſſe ipſo jure excomunicatos, ſed eſſe excommunicandos ab eccleſia.

Nihilominus ex conſuetudine recepta, ac legitimè præſcripta, cenſentur Incendiarii ipſo facto excommunicati; adeo ut ſi ſemel denunciati fuerint per eccleſiæ ſententiam, à nullo præter Romano Pontifice abſolvi poſſint, in quo ſenſu explicatur textus in *d. cap. tua nos 19. h. t.* Unde jure novo poſtquam Incendiarii ſunt excommunicati ab Epiſcopo, & denunciati ut tales, Papa ſibi reſervat abſolutionem eorum ad terrorem cæterorum. Ad hanc autem reſervationem requiritur, ut Incendiarius non ſolùm ſit excommunicatus, ſed etiam publicè denunciatus, & quidem ſpecialiter, & nominatim, licèt alii cenſeant ſufficere, ſi publicetur per ſententiam generaliter promulgatam, quia Pontifex ſibi reſervat, hanc excommunicationem ad deterrendos homines ab incendiis; unde reſervat etiam, quando fertur ſententia generaliter in omnes Incendiarios. 7

Excommunicantur etiam, qui cum effractione ſpoliant eccleſias, adeò ut fractores eccleſiarum ſint ipſo jure excommunicati, perinde ac Incendiarii eccleſiarum, idque deſumitur ex *c. conqueſti 22. h. t.* ubi Clemens III. declarat, ut qui cum effractione ſpoliant eccleſias ſint excommunicati denunciandi, donec congruè ſatisfaciant paſſis injuriam, & damna reſarciant, & cum litteris Ordinarii mittantur ad Papam. Hinc qui eccleſias violenter effringunt, & illas ſpoliant, ſunt ipſo jure excommunicati. Non tamen ſermo eſt de omni furto ſacrilego eccleſiæ, ſed ſolum de violenta effractione eccleſiæ, ejusque ſpoliatione, ut rectè notat Suarez *de cenſur. diſp. 22. ſect. 2. n. 6.* Per effractionem autem intelligitur quævis violenta apertio ſive comburantur januæ: per ſpoliationem verò intelligitur quælibet rapina, vel furtum in ea quantitate ut ſufficiens ſit ad conſtituendum peccatum lethale in materia ſacrilegii, adeò ut non ſit neceſſe, ut eccleſia ſpolietur tota ſua ſupellectili. 8

Rurſus

9 Rurſus hæc fractio debet fieri per vim, quia verbum *frangere* ſignificat vim quamdam adhibitam in effringendo; hinc ſi quis aperiat artificiosè januas eccleſiæ clavi adulterina, non incurrit excommunicationem, quia tunc non dicitur fractor. Rurſus poſt fractionem requiritur etiam ſpoliatio, quæ ſignificat quamlibet actionem, per quam notabile damnum infertur eccleſiæ in rebus ad ipſam pertinentibus, tametſi furto non ſurripiantur, ut ſi quis ſupellectilem incendio abſumeret, ſacras imagines deſtrueret. Præterea nomine eccleſiæ intelliguntur etiam monaſteria, hoſpitalia & alia pia loca, immò etiam ſacriſtia, ſi conjuncta ſit eccleſiæ: non ita privata oratoria non conſecrata, vel benedicta, quæ ſolent eſſe in domibus communibus. Verùm ut hæc excommunicatio ſit reſervata Papæ, requiritur, ut ſit denunciata, quia in textu priùs præcipitur, ut frangentes, & ſpoliantes eccleſias denuncientur, & poſtea ut excommunicati vitentur, donec à Papa abſolvantur: unde ante denunciationem abſolutio hujus excommunicationis non eſt cenſenda reſervata in hac materia pœnali, & odioſa.

10 Excommunicationem itidem incurrunt, qui dant facultatem moleſtandi eos, qui excommunicaverunt, idque deſumitur ex *c. quicunque 11. h. t.*, ubi Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunenſi ſtatuit, ut omnes, qui dant licentiam moleſtandi, vel gravandi in perſonis vel in bonis illorum eos, qui excommunicaverunt, ſint excommunicati; ut etiam qui dant licentiam moleſtandi eos, qui ſuſpenderunt, interdixerunt, vel quorum occaſione hæ ſententiæ ſunt prolatæ, vel obſervantes illas ſententias; vel eos, qui recuſant communicare cum prædictis, niſi re integra licentiam revocaverint; vel re non integra, ſi occaſione licentiæ ſit progreſſum ad bonorum captionem, niſi infra octo dies reſtituant, vel ſatisfaciant. Item ſunt excommunicati, qui auſi ſunt uti dicta licentia; vel etiam qui ſine licentia motu ſuo aliquid prædictorum prohibitorum committunt. Et demum ſunt etiam excommunicati, qui in hac excommunicatione perſeveraverint per duos menſes, excommunicatione reſervata Papæ, adeò ut non poſſint niſi à ſede Apoſtolica abſolvi.

11 Hinc actiones, ob quas fertur hæc excommunicatio videntur eſſe plures: prima eſt licentiam dare aliis inferendi hujuſmodi gravamen, vel injuriam, quæ licentia non ſufficit ad incurrendam excommunicationem, niſi nectatur cum ſuo effectu; ſi enim nullum inferatur gravamen, vel injuria per ſolam datam licentiam non incurritur excommunicatio, ut nec etiam ſi licentia fuerit revocata re integra, ſeu antequam talis licentia aliquem effectum habuerit: nam ſi qui dedit licentiam, eam poſtea revocavit, & is cui fuit conceſſa licentia fuit illâ uſus, tunc qui licentiam dedit, non incurrit excommunicationem, quia alter illa utitur non ex conceſſione alterius, ſed ex malitia propria. Præterea licèt licentia data revocata non fuerit, ſed habuerit effectum; non tamen incurritur excommunicatio niſi poſt octo dies, intra quos non eſt ſatisfactio, vel reſtitutio facta, ut docet Suarez *de cenſur. diſp. 22. ſect. 23. n. 20.*

12 Cæterum non tantùm dans licentiam, ſed etiam qui illa utitur, hanc excommunicationem incurrit, dummodo actio ſit conſummata, & gravamen illatum perſonis, vel ſuis bonis: immò hanc incurrunt mandantes, & mandatarii, ut notat Suarez *loc. cit. n. 4.* Immò incurrunt etiam hanc excommunicationem quoquot hæc delicta patrârunt propria authoritate absque licentia Superioris, quia hi non tantùm dant ſibi hanc licentiam, ſed etiam ipſum delictum exequuntur. Gravamen tamen illatum ut ex illo incurratur excommunicatio, debet inferri per actionem injurioſam contra juſtitiam, ut habetur in *d. c. quicunque 11. h. t. in 6.* quia ibi ſermo eſt de occidentibus, capientibus, nolentibus reſtituere, & ſatisfacere. Hæc autem excommunicatio non eſt reſervata Papæ ſtatim ac incurritur, ſed poſt duos menſes, ſi eâ innodati per duos menſes in eadem perſeveraverint: hinc infra duos menſes poſſunt abſolvere ab hac excommunicatione omnes habentes juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, quia ante id tempus non eſt reſervata.

13 Alia excommunicatio fertur contra illos, qui ob neceſſitatem abſoluti ab aliqua cenſura lata à jure, vel homine, & à qua aliàs de jure non fuiſſent abſolvendi, cum onere poſtea comparandi coram ſuperiore, ſublato impedimento cùm poſſint, non ſe præſentant. Hi enim excommunicationem incurrunt, non eandem numero, ſed aliam ſimilem ob novam inobedientiam, quæ ſimiliter eſt reſervata ac prior erat, & ei ſuccedit, idque deſumitur ex *c. eos qui 22. h. t. in 6.* ubi Gregorius X. ſtatuit, ut qui eſt in aliqua cenſura, à qua non poteſt abſolvi niſi à Papa, & propter mortis periculum, vel impedimentum legitimum abſolvitur ab alio, ſi deinde ceſſante periculo, vel impedimento, quàm citò commodè poterit, contemnit ſe præſentare illi, à quo erat abſolvendus ad recipiendum mandatum, & ſatisfaciendum, reincidit in eandem cenſuram. Ut etiam qui abſoluti à Sede Apoſtolica, vel ab ejus Legato cum onere ſe præſentandi Superiori immediato, ut accipiant pœnitentiam, & ſatisfaciant paſſis injuriam; ſi hæc non implent, cùm primum commodè poſſunt reincidunt in eandem pœnam. Notat tamen Suarez *loc. cit.* hunc ita abſolutum poſſe comparere coram Ordinario, non ſolùm perſonaliter, & per ſe, verùm etiam per Procuratorem, niſi aliter exprimatur in mandato.

14 Fertur etiam excommunicatio in conjuges nolentes reddere debitum conjugale, idque deſumitur ex *c. Inquiſitori 44. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd ſi alter conjugum certò ſcit impedimentum conjugii, licèt

pro ſuis negotiis. Decimotertio appellantes à gravamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum ed poteſtatem Laicam. Quartodecimò Officiales, & alii qui cauſas eccleſiaſticas evocant à judicibus Apoſtolicis. Quintodecimò judices ſæculares, qui perſonas eccleſiaſticas ad ſua tribunalia trahunt, Sextodecimò impedientes Prælatos, ne utentur ſua jurisdictione eccleſiaſtica. Decimoſeptimò uſurpantes juriadictionem Sedis Apoſtolicæ aliarum eccleſiarum, & fructus ſequeſtrantes. Decimooctavò imponentes decimas collectas, & alia onera perſonis eccleſiaſticis. Decimononò judices ſæculares, & alii miniſtri in cauſis capitalibus Clericorum ſe interponentes. Vigeſimò occupantes bona aut terras Eccleſiæ Romanæ, & ſupremam jurisdictionem in illis uſurpantes. Hæ omnes excommunicationes ſunt reſervatæ ſummo Pontifici, præter quam in mortis articulo, & excommunicantur, qui abſolvunt ab excommunicationibus hujus Bullæ.

19 Extra Bullam cœnæ excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt primò omnes percuſſores Clericorum *c. Si quis ſuadente Diabolo 17. q. 4.* Secundò perſeverantes per annum in excommunicatione lata à Delegato Papæ *c. quærenti de offic. Deleg.* Tertiò Falſarii litterarum pontificaliom *c. ad Falſariorum de crimin. falſ.* Quartò habentes litteras Apoſtolicas falſas, & eas non deſtruentes intra ſpatium viginti dierum *c. dura de criminib. falſ.* Quintò Incendiarii ab homine excommunicati, & denunciati *c. tua nos de ſentent. excomm.* Sextò ſacrilegi effringentes eccleſias *c. conqueſti 22. h. t.* Septimò communicantes in crimine cum excommunicatis à Papa *c. Nuper 29. h. t.* Octavò eligentes potentiâ inſignem in Senatorem Romanum *c. fundamenta de elect. in 6.* Nonò vexantes eos, qui cenſuram in aliquos tulerunt *c. quicunque 11. h. t. in 6.* Decimò abſoluti ab excommunicatione papali ſub conditione, & eum non implentes *c. eos qui 22. hoc titulo in 6.* Undecimò offendentes Cardinales *c. felicis de pœn in 6.* Duodecimò exigentes tributa à perſonis eccleſiaſticis *c. Clericis de immunit. eccleſ. in 6.* Tertiodecimò violantes interdictum modis prohibitis in *Clem. gravis h. t.* Quartodecimò falſificantes monetas Regis Franciæ *Extrav. prad. de crimine.* Quintodecimò Exempterantes corpora defunctorum *Extravag. 1. de ſepult.* Sextodecimò violantes interdictum Sedis Apoſtolicæ *Extravag. etſi de pœn. & remiſſ.* Decimoſeptimò conſpirantes in perſonam Romani Pontificis *Extravag. ead. de pœn. & remiſſ.* Decimooctavò dantes, vel recipientes ob ingreſſum religionis *Extravag. 1. de Simo.* Decimononò Simoniaci in ordine & beneficio *extravag. 2. de Simon.* Vigeſimò taxantes opiniones de conceptione B. Mariæ Virginis *extravag. nimis de de ventra. Sanctor.* Vigeſimoprimò dantes, & recipientes pro gratia, aut juſtitia apud Sedem Apoſtolicam in Bulla Gregorii XIII. 24. Vigeſimoſecundò offendentes Magiſtratus Provinciæ Marchiæ Anchonitanæ *Extravag. dierum de pœn.* Vigeſimotertiò dantes nuncientibus proviſiones beneficiorum vacantium in curia in Bulla Gregorii XIII. cui initium *ſolicita 4.* Vigeſimoquartò occupantes bona Cardinalium in Conclavi exiſtentium Concilium Conſtant. *ſeſſ. 41. decret. omnis ætas.* Vigeſimoquintò fingentes ſe nepotes Cardinalium, ut expediant litteras Apoſtolicas Leo X. *in Bull. inhærende 27.* Vigeſimoſextò impedientes executionem litterarum ſacræ Pœnitentiæ Julius III. *in Bulla ratione congrui, 1.* Vigeſimoſeptimò ſupponentes ſe in examine ut beneficia impetrent pro alio Paulus IV. *inter cætera 12.* Vigeſimooctavò ambientes Papatum, ejusque cauſa ſimoniam committentes Paulus IV. *in Bull. cum ſecundum Apoſt. 16.* Vigeſimononò committentes duellum, conſulentes, concedentes locum, adſtantes, incitatores, juvantes Pius IV. *in Bulla ea qua 21.* Trigeſimò deferentes allumina ex partibus fidelibus ad infideles Pius IV. *in Bulla ex Apoſtol. 43.* Trigeſimoprimò mittentes litteras, aut nuncium in Conclave, & qui receperint *idem in eligendis 63.* Trigeſimoſecundò occupantes bona montium pietatis, & locorum piorum *Concil. Tridentin. ſeſſ. 22. c. 11.* Trigeſimotertiò fœminæ ingredientes monaſteria Regularium prætextu Apoſtolicæ facultatis, immò ſine prætextu Pius V. *in Bulla decet Romanum 20.* Trigeſimoquartò ſuadentes Papæ ut infeudet loca eccleſiæ Romanæ Pius V. *in Bulla admonet nos 35.* Trigeſimoquintò capientes Chriſtianos habitantes inter Turcas in ſervos Pius V. *in Bulla licet omnibus 149.* Trigeſimoſextò committentes ſimoniam confidentialem in beneficiis Pius V. *in Bulla intolerabilis 85.* Trigeſimoſeptimò non revelantes Papæ vel Ordinario Conſpiratores contra Cardinales Pius V. *in Bulla infelicis 93.* Trigeſimooctavò proponentes populo indicem caſuum, & gratiarum cum indulgentiis Pius V. *in Bull. quam plenum 99.* Trigeſimononò accipientes fructus primi, vel ſecundi anni beneficii vacantis Pius V. *in Bulla durum nimis 104.* Quadrageſimò impugnantes inſtitutum ſocietatis, ejusque conſtitutiones Greg. XIII. *in Bulla Aſcendente Domino 89.* Quadrageſimoprimò facientes jurare illicita contraria libertati Eccleſiaſticæ, & decretis Tridentini idem Gregorius *in Bulla inter Apoſt 93.* Quadrageſimoſecundò diripientes animalia, & alia bona in ſtatu eccleſiaſtico, & illa ementes, & permutantes, ac recipientes idem Gregor. in Bull. *Non ſine gravi 98.* Quadrageſimò tertio violantes eccleſiæ immunitatem Gregorius XIV. *in Bulla cum alias 7.* Quadrageſimò quartò docentes, licere per litteras, ſeu internuncium confeſſario abſente peccata ſacramentaliter confiteri Clemens XIII. *in Bulla edita die 20. Julij 1602.* Quadrageſimò quintò extrahentes frumentum, bladium, legumina, animalia, & alia id genus ex ſtatu eccleſiaſtico, locisque im-

immediatis Paulus V. in Bulla cui initium *inter graviſſimas* 12. Quadrageſimò ſextò clerici participantes cum excommunicato à Papa eum admittentes ad divina *cap. ſignificavit.* 18. *h. t.* Quadrageſimo ſeptimò Clerici inducentes ad jurandum de eligenda ſpud ipſos ſepultura, vel electa non mutanda *Clement. cupientes* §. *ſane de pœn.* Quadrageſimooctavò procurantes fraudulenter alienationes eccleſiàrum in earum detrimento Paulus II. *cum in omnibus* 1. Quadrageſimononò procurantes poteſt mortem unius Pontificis eligi in eius ſucceſſorem Leo X. *in Concil. Lateran ſeſſ.* 5. Quinquageſimò prædicatores, qui non ſervârint decreta pro eis *in Conc. Lateran.* ſub Leone X. *ſeſſ.* 11. Quinquageſimoprimò Parochi non adimplentes juramenta de reſidendo certo tempore in ſuis parochiis Pius IV. in Bulla cui initium *inter multiplices.* Quinquageſimoſecundò accipientes, vel retinentes apertè, vel occultè beneficia quæcunque in confidentiam Pius in Bulla *Romanum Pontif.* 85. Quinquageſimotertiò abſolventes à caſibus Bullæ Cœnæ, vel papalibus, vel à reſervatis Ordinariorum, prætextu privilegiorum *Extrav. etſi dominici 2. de pœn. & remiſſ.* Quinquageſimo quartò Regulares adminiſtrantes ſacramentum extremæ unctionis, Euchariſtiæ, vel matrimonia ſolemnizantes abſque licentia Parochorum *clement.* 1. *de privileg.* Quinquageſimoquintò Regulares euntes ultra mare ſine licentia Superiorum *Extrav. ad noſtrum de regul.* Quinquageſimoſextò mendicantes tranſeuntes ad non mendicantes excepto ordine Chartuſianorum ſine licentia Papæ *extravag. viam ambitiox. de regul.* Quinquageſimoſeptimò detinentes Apoſtatas Dominicanos Bonifacius apud D. Antoninum *3. p. tit. 24. cap.* 70. Quinquageſimoctavò Moniales exeuntes de clauſura abſque licentia concedenda tantùm ex certis cauſis Pius V. in Bulla, cui initium *Decori* 6. Quinquageſimononò Superiores Regularium non denunciantes ſuos, qui ſolicitant mulieres in confeſſione Paulus V. in Bulla edita anno 1606. Sexageſimò minores recipientes fratres ordinis prædicatorum ſine licentia Papæ D. Anton. *3. p. tit. 24. c.* 70. Sexageſimoprimò Minores de obſervantia ſubornantes in electionibus, & procurantes favorem extra ad officium obtinendum in Religione Pius V. in Bull. *Paſtor.* 128. Sexageſimoſecundò Clauſtrales recipientes Minimos ſine licentia Papæ Julius II. *in Bull. virtute conſpicuos* Sexageſimotertiò Tertiarii, Eremitæ, & alii portantes habitum Mialmorum Leo X. *in Bulla licèt aliàs.* Sexageſimoquartò Minimi ſubtrahentes ſe ab obſervantia Correctorum Paulus V. *in Bull. cum ſicut.* Sexageſimoquintò Minores tempore interdicti admittentes fratres tertii ordinis ad divina *clement. cum ex eo 3. h. t.* Sexageſimoſextò recipientes aliquem è Societate JEſu exceptis Charthuſianis ſine licentia ſui Superioris, & contra ipſos de ſocietate ingredientes religionem aliam à Chartuſia Pius V. in Bulla *æquum reputavimus.* Sexageſimoſeptimò Epiſcopi, aliique Ordinarii vexantes per cenſuras eos, qui ſuis negotiis, vel pro ſervitio Papæ, & curiæ, Romæ commorantur *extravag. 3. de privileg.* Sexageſimooctavò Cardinales non ſervantes ſtatuta à Julio II. ut ſine ſimonia eligatur Papa Julius II. in Bull. cui initium *cum tam divino.* Sexageſimononò, Cardinales revelantes geſta in ſecreto Conſiſtorio præcepta ſub ſilentio ſervari Leo X. in in Bulla cui initium *supernè* 7. §. *pro reverentia.* Septuageſimò Epiſcopi, qui in ſuſpenſione conferunt beneficia Pius V. in Bulla cui initium *Quanta* 58. Septuageſimoprimò Cardinales ambientes Papatum, ejúſque cauſa ſimoniam committentes Paulus IV. *in Bull. cum ſecundum.* Septuageſimoſecundò ſimoniaci in ordine, & beneficio Pius V. *intoler.* 85. Septuageſimotertiò Prælati, qui perſonam eccleſiaſticam collegium, vel conventum traxerint ad forum laicale pro cauſis, quæ ſpectant ad forum eccleſiaſticum Martinus V. in Bulla *ad reprimendas* 10. Septuageſimoquartò Domini temporales cogentes aliquem tempore interdicti *Clement. gravis 2. h. t.* Septuageſimo quintò prohibentes ſubditis ne quidpiam vendant eccleſiaſticis, neque ab eis emant *c. fin. de immunit. eccleſ. in* 6. Septuageſimoſextò Bannientes regulares, aut proſcribentes perſonas eccleſiaſticas Urbanus VI. in Bulla *quia ſicut* 3. Septuageſimoſeptimò Concedentes, vel permittentes duellum in ſuis terris Conc. Trident. *ſeſſ. 25. cap.* 19. Septuageſimooctavò Inquiſitores inferiores Epiſcopis malè procedentes contra hæreticos *Clement. multorum* §. *verùm de hæret.* Septuageſimononò Officiales non reddentes integrè computa Cameræ Apoſtolicæ Paulus III. *in Bulla cum ſicut.* 40. Octogeſimò Officiales ſacræ Pœnitentiariæ expedientes, aut concedentes ſibi interdicta, Pius V. *in Bull. in omnibus rebus* 83. §. *omnes verò.* Octogeſimoprimò Officiales quicunque Papæ exceptis Cardinalibus, accipientes munera præter comeſtibilia biduo conſumptibilia dantes, & recipientes Paulus III. *in Bulla munera* 6. Octogeſimoſecundò Legati, & Gubernatores facientes, vel defendentes bannitos, & homicidas Pius V. *ex ſuperna* 10. Octogeſimotertiò Cardinales, non ſervantes formam in eligendo Pontifice præſcriptam: vel præſumentes aliquid facere, attentare contra ipſam Bullam Gregorius XV. in Bulla *æterni Patris* 13. Octogeſimoquartò, fratres minores de obſervantia appellantes ad ſæcularia tribunalia contemptis ſuperioribus ſuis Gregorius XIII. in Bulla *quoniam* 27. Octogeſimoquintò Eccleſiaſticæ perſonæ receptantes bannitos in Regno Neapolitano, vel eis favorem præſtantes Sixtus V. in Bulla *hoc noſtri.* Octogeſimoſextò Officiales cameræ in contractibus cameræ quomodolibet participantes Paulus III. in Bulla *alias felicis* 18. Octogeſimoſeptimò facientes ſponſiones ſuper vita, & morte, & futura electione ſummi Pontificis,

cis, aut ſuper promotionibus Cardinalium Gregorius XIV. in *Bull. cogit nos 4.* Octogeſimooctavò illi, qui armata manu invadunt domum alicujus Cardinalis, aliquid violenter, & hoſtiliter rapiunt, vel aliquem ibi exiſtentem vulnerant, vel ad tale delictum mandato, conſilio cooperantur, aut ratumhabent Leo X. in Bulla cui *init. temerarium.* Octogeſimononò extrahentes reliquias ex cœmeteriis, cryptis, vel cathacumbis intra urbem exiſtentibus ex mandato Pauli V. an. 1613. Nonageſimò conficientes libellos famoſos, vel aliam ſcripturam contra ſtatum Ordinis Prædicatorum, vel Minorum Alexander IV. in Bulla *ex alto.* Nonageſimoprimò Commiſſarii, judices delegati ſedis Apoſtolicæ concedentes alienationes bonorum eccleſiaſticorum fieri in detrimentum eccleſiarum, ut etiam doloſè & ſcienter procurantes hujuſmodi alienationem, vel alienationis decretum Paulus II. in Bulla *cum in omnibus judiciis.* Nonageſimoſecundò ſuperiores Ordinum Religioſorum non denunciantes ſuos Religioſos hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos Pauli V. in Bulla *Romanus Pontifex 26.* Nonageſimotertiò extrahentes per ſe, vel per alios ex Bibliothecis fratrum minorum de obſervantia libros, quinterna, folia, & res alias in dictis bibliothecis exiſtentes, & ipſas amoventes aſportantes, tollentes, ſeu amoveri, aſportari, aut tolli facientes, vel conſulentes, & opem præſtantes Sixtus V. in Bull. *cum ſicut 67.* Nonageſimoquartò, præſumentes amovere, vel ſubtrahere ex bibliothecis Ordinis fratrum B. Mariæ de monte Carmelo, aut earum aliqua, libros, & alia monumenta ſive impreſſa, ſive manuſcripta ibi exiſtentia.

16 Continentur etiam in corpore juris plures aliæ excommunicationes nemini tamen reſervatæ. In decreto & decretalibus excommunicantur primò Gubernatores, & judices non reddentes jus eccleſiaſticis ob negligentiam, vel iniquum animum *cap. adminiſtratores 23. q. 5.* Secundò qui non electus ſaltem à duabus partibus Cardinalium in Papam conſentit ſuæ electioni, & etiam recipientes eum in Papam *cap. licèt de vitanda de elect.* Hodie tamen hæc excommunicatio eſt reſervata Papæ, quia ſchiſma eſt. Tertiò Rectores, conſules, & alii officiales laici, qui tallias, & alias exactiones indebitas eccleſiis, aut perſonis eccleſiaſticis imponunt, & eorum Fautores *c. non minus, & cap. adverſus de immunit. eccleſ.* Verùm hæc excommunicatio hodie eſt reſervata. Quartò Religioſi profeſſi, qui diutius duobus menſibus abſunt à ſuis Monaſteriis ad audiendas leges, vel medicinas *cap. non magnopere ne cler. vel Monach.* Quintò ſacerdotes, vel alii clerici habentes officium Vice-Comitis, aut Præpoſiti ſæcularis, qui admoniti nolunt ſe emendare *cap. cleris ne cler. vel Monach.* Sextò violantes libertatem eccleſiaſticam per modum ſtatuti, vel conſuetudinis *c. noverit 49. h. t.* Verùm hæc excommunicatio hodie eſt etiam reſervata Papæ in Bulla Cœnæ. Septimò ementes, vel quovis alio modo acquirentes rem eccleſiaſticam à Schiſmatico, vel recipientes beneficium ab illo, vel conſentientes Ordinationi ipſius ſchiſmatici *cap. 1. de ſchiſmat.* Octavò in ſexto decretalium excommunicantur mittentes ſcripturam, vel nuncium alicui Cardinali in conclavi exiſtenti ad Romani Pontificis electionem, vel cum eo ſecretè loquentes *cap. ubi periculum de elect. in 6.* Nonò Domini Rectores, aliique officiales, qui diligenter non obſervant, aut fraudem aliquam committunt in iis, quæ hic præcipiuntur obſervari in morte ſummi Pontificis decedentis in terra ipſius *in d. c. ubi periculum de elect. in 6.* Decimò omnes illi, qui per ſe, vel per alios præſumpſerint vexare perſonam eccleſiaſticam, vel alia loca pia, eò quia rogata noluerint eligere eum pro quo ipſi rogârunt, aut induxerunt *cap. ſciant cuncti de elect. in 6.* Undecimò uſurpantes, vel conantes uſurpare jus cuſtodiendi, vel reſervandi aliquam eccleſiam vacantem, & præſumentes capere bona ipſius *cap. generali de elect. in 6.* Duodecimò acceſſitus in directorem electionis Monialium non ſe temperans à rebus, ex quibus naſci diſcordia poteſt *c. indemnitatibus de elect. in 6. §. poſtremo.* Tertiodecimò procurantes quòd Judices conſervatores ſibi dati intromittant ſe ad alia, quàm ad manifeſtas injurias, vel violentias, extendant poteſtatem ad ea, quæ judicialem exigunt diſcuſſionem *cap. hac conſtitutione de offic. jud. deleg. in 6.* Quartodecimò qui vi aut metu conſequuntur abſolutionem, vel revocationem ſententiæ excommunicationis, interdicti, vel ſuſpenſionis *c. unic de his quæ vi in 6.* Quintodecimò qui fingit caſum, vel fraudem aliquam facit, qua Judex compellatur teſtimonium accipere alicujus fœminæ *c. mulieres de judic. in 6.* Sextodecimò qui compellunt eccleſiaſticos, ut ſubmittant eccleſias, vel earum bona immobilia, aut jura laicis in caſibus jure prohibitis *cap. hoc conſultiſſimo de reb. eccleſ. non alienan. in 6.* Decimoſeptimò, qui inſtituunt novum ordinem Religionis, aut percipiunt novum habitum illius: & mendicantes exceptis quatuor ordinibus, qui recipiunt aliquem ad ſuum ordinem *cap. unic. de religioſ. domib. in 6.* Hodie tamen hæc prohibitio & excommunicatio non videtur ampliùs eſſe in uſu. Decimooctavò qui per ſe, vel alios ſuo, vel alieno nomine exigunt ab eccleſiis, vel eccleſiaſticis perſonis pedagium pro perſonis, aut rebus, quas deferunt, vel deferri faciunt, non cauſa negotiationis *cap. quamquam de cenſibus in 6.* Decimononò compellentes litigare in foro ſæculari ſuper cauſis eccleſiaſticis *cap. quoniam de immunit. eccleſ. in 6.* Hodie tamen hæc excommunicatio eſt reſervata in Bulla Cœnæ. Vigeſimò Domini temporales prohibentes ſuis ſubditis vendere ſua Clericis, vel præſtare officia *cap. fin. de immunit. eccleſ. in 6.* Vigeſimoprimò Religioſi temerè habitum dimittentes, ut etiam Docto-

res,

res, ſeu Magiſtri, qui Religioſos habitu dimiſſo leges, vel phyſicam audientes ſcienter docere, aut in ſcholis retinere præſumunt *cap. ut periculoſa ne cler. vel Monach. in 6.* Vigeſimoſecundò præſumentes ſepelire in eccleſiaſtica ſepulturâ hæreticos, credentes, eorum receptatores, deſenſores, vel fautores, adeo ut non ſint abſolvendi donec propriis manibus publicè ſepultos extumulent *cap. quicunque de hæret. in 6.* Vigeſimotertiò Poteſtates, Domini temporales, Rectores, & eorum officiales, ſi de crimine hæreſis cognoſcant, vel judicent: vel ſi captos pro eodem crimine abſque diœceſanorum, vel inquiſitorum licentiè è carcere liberent: vel ſi executionem pro tali crimine injunctam à Diœceſano, vel inquiſitore non adimpleant: aut ſi directè, vel indirectè præſumant illorum ſententiam, aut proceſſum impedire. Ut etiam omnes in hiſce ſcienter dantes conſilium, auxilium, vel ſavorem *cap. ut inquiſitionis de hæret. in 6.* Vigeſimoquartò Clerici, qui cùm non ſint Epiſcopi permittunt in ſuis terris Fœneratores publicos, alienigenes, & non expellentes eos ex iiſdem terris, ut etiam iiſdem locantes, vel alio prætextu concedentes domus ad uſuram exercendam *c. uſurarum de uſuris in 6.* Vigeſimoquintò in Clementinis etiam excommunicantur, qui capientes fructus beneficii impediunt, vel infringunt ſequeſtrum inductum ſuper beneficia ab Ordinario oblatam in Curia Romana ullam ſententiam definitivam ſuper poſſeſſione, vel proprietate eiuſdem *clem. unic. de ſequeſt. poſſeſſ. & fruct.* Vigeſimoſextò ſepelientes aliquem in loco ſacro interdicto in caſibus à jure non permiſſis *Clement. 2 de ſepult.* Vigeſimoſeptimò Religioſi qui non habentes beneficium, nec adminiſtrationem ſibi decimas appropriant *clement. Religioſi decimis.* Vigeſimooctavò Religioſi ſimplices adeuntes Aulas Principum animo nocendi ſuis Prælatis, aut monaſteriis *clement. ne in agro § quia verò de ſtat. Monach.* Vigeſimononò Monachi, qui ſine facultate Abbatis habent arma intra clauſtra Monaſteriorum *clement. ead.* Trigeſimò præſumentes impedire Viſitatores Monialium in eo, quod ſtatuitur à Concilio, ſi à viſitatoribus admoniti non eſſent *Clem. attendentes § ſi de ſtat Monach.* Trigeſimoprimò qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis jure canonico interdictis, vel cum Monialibus matrimonia contrahunt, ut etiam Religioſi Moniales, & clerici conſtituti in ſacris ordinibus matrimonia contrahentes *clement. 1. de conſanguinit. & affinit.* Trigeſimoſecundò Inquiſitores, & Commiſſarii eorum, aut Epiſcopi, vel Capituli Sede vacante, qui prætextu ſui officii illicitè ſumunt aliquam pecuniam, vel ſcienter confiſcant bona eccleſiaſtica *clement. nolentes de hæret.* Trigeſimotertiò Omnes officiales urbium, qui faciunt, vel dictant ſtatuta, ut ſolvantur uſuræ, vel quòd ſolutæ non poſſint repeti. Item judicantes uſuras eſſe ſolvendas, vel ſolutas non eſſe repetendas. Ut etiam non eradentes è libris ſuis talia ſtatuta cùm poſſint *clement. 1. de uſur.* Trigeſimoquartò Religioſi, qui concionantur, vel aliquid proferunt ad everrendos auditores à ſolvendis decimis debitis eccleſiæ. Ut etiam illi, qui de induſtria nullum conſcientiæ ſcrupulum incutiunt in confeſſione pœnitentibus non ſolventibus decimas *Clem. cupientes de pœn.* Trigeſimoquintò Religioſi non ſervantes interdictum, vel ceſſationê à divinis, quam ſervat eccleſia cathedralis *clem ex freq. h. t.* Reperiuntur etiam in corpore juris aliquot aliæ excommunicationes, quæ tamen cùm videantur non eſſe in uſu, eas omittimus.

Nonnullæ etiam jure novo ex Concilio 17
Tridentino, feruntur excommunicationes. Primò contra imprimentes, & mandantes imprimi, vendentes, vel apud ſe retinentes libros de rebus ſacris, ſine nomine authoris, & ſine approbatione Concil. Trident. *ſeſſ. 4.* Secundò contra prædicantes docentes, vel pertinaciter aſſerentes non eſſe neceſſariam ſacramentalem confeſſionem habita copia Confeſſarii ante communionem iis, qui ſibi conſcii de cul. a mortali eliciunt actum contritionis *ſeſſ. 13. canon. 11.* Tertiò contra Raptores mulierum ac illis conſilium, auxilium, & favorem præbentes *ſeſſ. 24. c. 6. de refor.* Quartò contra illos, qui quovis modo ſuos ſubditos, vel quoſcunque alios adigunt minus liberè matrimonia contrahere *ſeſſ. 24. c. 9.* Quintò contra Magiſtratus ſæculares, qui non exhibent auxilium invocatum ab Epiſcopis ad reſtituendam, vel conſervandam clauſuram monialium *ſeſſ. 24. c. 5. de Regul.* Sextò ingredientes ſepta monaſteriorum Monialium cujuſcunque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerint ſine licentia Epiſcopi, vel ſuperioris in ſcriptis obtenta *ſeſſ. 24. c. 5.* Septimò contra cogentes aliquam fœminam, præter quam in caſibus in jure expreſſis ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum Religionis, vel ad emittendam profeſſionem. Hi enim excommunicantur, ut etiam qui conſilium auxilium, vel favorem in id dederint, vel præſentes eidem actui ſcienter fuerint. *ſeſſ. 25. cap. 18. de regul.* Octavò contra impedientes virginum, vel mulierum voluntatem accipiendi velum, aut profitendi in religione ſine juſta cauſa. Hujuſmodi excommunicationes, quæ habentur in Concilio Tridentino non ſunt reſervatæ. Excommunicatio tamen, quæ habetur *in ſeſſ. 25. c. 19.* qua excommunicantur Domini temporales concedentes locum in terris ſuis ad duellum, ut etiam committentes pugnam, vel duellum ut etiam patrini conſilium dantes, & ſpectatores hodie per Clementem VIII. reſervatur Papæ. Excommunicantur etiam in Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matrim.* negantes matrimonia clandeſtina ante Trid. celebrata valida fuiſſe, vel poſt Trid. matrimonium à filiis familias inconſulto patre initum validum eſſe.

§. XII.

§. XII.

De Suſpenſione, quæ eſt ſecunda ſpecies cenſuræ.

1 CUm de prima ſpecie cenſuræ eccleſiaſticæ fusè agatur in hoc titulo, in quo nonnulla etiam habentur de ſuſpenſione, & interdicto, quæ ſunt aliæ duæ ſpecies cenſurarum, operæ pretium eſt hiſce nonnulla ſubjicere; ut earum plenior cognitio habeatur. Definitur ſuſpenſio: *Eccleſiaſtica cenſura privans Clericum uſu eccleſiaſtici officii; vel beneficii, vel ordinis in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus.* Dicitur cenſura, quia convenit cum cæteris cenſuris, & differt ſuſpenſio à pœna exilii, carceris, vel privationis beneficii, quia hæ pœnæ non ſunt cenſuræ. Dicitur *eccleſiaſtica*, ut diſtinguatur à prohibitionibus civilibus, & ut indicetur cauſa efficiens ſuſpenſionis, quæ eſt perſona eccleſiaſtica habens jurisdictionem in foro externo. Tum quia indicatur, ſubjectum cenſuræ eſſe hominem eccleſiaſticum; ſeu habentem primam tonſuram. Additur *privans uſu*, ut ſignificetur non privare ipſo officio, vel ordine, aut jurisdictione, ſed tantùm exercitio. Plures ſunt hujus ſuſpenſationis ſpecies. Alia enim eſt ab officio tantùm, & per officium intelligitur tam officium ordinis, quam jurisdictionis eccleſiaſticæ: alia eſt à beneficio tantùm, & nomine beneficii intelliguntur dignitates, canonicatus, beneficia ſive curata, ſive ſimplicia, & alia hujusmodi; alia eſt ab officio, & beneficio ſimul. Præterea ſuſpenſio ab officio tantùm aliquando eſt à toto officio, quando ſcilicet quis privatur omni uſu ſui officii; aliquando à parte, ut ſacerdotio, vel diaconatu, vel alio inferiori ordine quo ad uſum. Rurſus ſuſpenſio bipartitur in pœnalem, & medicinalem; illa fertur in pœnam, & vindictam præteriti delicti, & tunc non fertur per modum cenſuræ, ſed ſolius pœnæ: medicinalis eſt, quâ intenditur emendatio, & bonum delinquentis. Demum alia dicitur ſuſpenſio temporalis, quia fertur ad tempus, alia perpetua, quæ non extinguitur tempore niſi revocetur; alia eſt à jure, alia ab homine.

2 Hinc differt ſuſpenſio à cæteris cenſuris, quia excommunicatio nunquam tollitur niſi per abſolutionem; ſuſpenſio verò aliquando etiam ſine abſolutione tollitur. Secundò excommunicatio nunquam fertur niſi ob contumaciam: ſuſpenſio verò in pœnam delicti etiam ſine contumacia. Tertiò excommunicatio quæcunque ſit prohibet ſacramentorum ſuſceptionem, & collationem; ſuſpenſio verò non prohibet ſuſceptionem niſi quando eſt ſuſpenſio ab ipſa ſuſceptione ſacramentorum: neque impedit collationem ſacramentorum, niſi quando eſt ſuſpenſio ab officio, ordine, vel collatione ſacramentorum. Quartò quia excommunicationem à jure contrahunt Epiſcopi, quamvis non fiat expreſſa eorum mentio, ſuſpenſionem verò à jure non contrahunt niſi facta eorum expreſſa mentione. Quintò differt etiam ſuſpenſiio ab interdicto, quia ſuſpenſio non inducit privationem tantarum rerum, ſicut inducit interdictum. Tum quia interdictum magis privat uſu paſſivo, quàm activo. Demum quia ſuſpenſio fertur in eccleſiaſticas perſonas; interdictum verò poteſt ferri etiam in laicos. Rurſus differt ſuſpenſio ab irregularitate, quia hæc privat ſuſceptione ordinis, ut ordo eſt; ſuſpenſio verò privat exercitio Ordinis, vel beneficii, ſeu poteſtatis eccleſiæ, ut eſt quædam functio; ut notat Sayr. *lib. 4. c. 1. n. 18. & ſeq.*

Differt etiam ſuſpenſio à privatione 3
officii, vel beneficii, & depoſitione, quia ſuſpenſio eſt cenſura eccleſiaſtica inducens irregularitatem, ſi ſuſpenſus exerceat actum aliquem officii, quo ſuſpenſus eſt, nec poſſit à tali irregularitate liberari niſi per ſummum Pontificem *c. 1. de ſent. & re judic. in 6.* Hodie tamen jure novo ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* permittitur Epiſcopus in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus ea excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum diſpenſare: ſecus privatio, & depoſito non ſunt cenſuræ eccleſiaſticæ. Tum quia per ſuſpenſionem non amittitur beneficium, nec ea pars fructuum, quæ eſt plenè neceſſaria ad ſuſtentationem: ſecus eſt per privationem beneficii, aut depoſitionem.

Ex eo autem quòd quis determinatè ſuſ- 4
pendatur ab officio, ſive à jure, ſiva ab homine non cenſetur eo ipſo ſuſpenſus à beneficio, niſi id exprimatur, quia in jure ſæpe exprimitur ſuſpenſio ab officio nulla facta mentione de beneficio, ut *in cap. quia in omnibus 3 in fin. de uſur.* interdum tantùm fit ſuſpenſio à beneficio, ut in *cap. cùm in cunctis 7. §. fin. de elect.* unde ſuſpenſio ab officio, & beneficio cenſendæ ſunt diverſæ ſpecies ſuſpenſionum; ita ut una non contineatur ſub altera, niſi utraque exprimatur, cùm enim ſint diverſæ pœnæ, & una poſſit executioni mandari ſine altera; ſequitur quòd ſuſpenſus ab officio non ſit cenſendus ſuſpenſus à beneficio, ſi id non exprimatur: quia in pœnis, utpote odioſis non eſt facienda extenſio ab una ad alteram non expreſſam; & id firmari etiam poteſt ex *cap. inter 10 de purg. canon.* ubi habetur, quòd ſuſpenſio ab officio per ſe non ſit conjuncta cum ſuſpenſione à beneficio. Et licèt beneficium dicatur dari propter officium præſertim ſi beneficium ſit curatum; nihilominus acquiſito titulo beneficii illud non amittitur, quia officium præſtari non poteſt pro tempore à ſuſpenſo, perinde ac non poteſt ab eo præſtari, qui aliquo legitimo impedimento detinetur, vel ægrotat; & nihilominus beneficium retinet, & fructus illius percipit.

Præterea, quia ſuſpenſus ab officio non 5

Digitized by Google

amittit beneficium, cujus propterea percipit fructus, & quidem propter officium, quia tenetur recitare hores canonicas. Per recitationem enim brevierii ſatisfecit officio quatenus ei conceſſum eſt: tum quie poteſt elia eccleſiaſtica miniſterie præſtare per ſubſtitutum, ſeu Vicarium. Tum quia poteſt ſuſpenſus ab officio adhuc in temporalibus licitè edminiſtrare beneficium, quia hoc datur, non ſolùm ut clericus edminiſtret in ſpiritualibus, qnod non poteſt ſoſpenſus ab officio præſtare; ſed etiam in temporelibus, quòd licitè adhuc poteſt. Verùm totaliter ſuipenſo ab officio illicitè confertur oovum beneficium *c. cum dilectus* 8. *de conſuetud.* ſi temen ei conferetur collatio non eſt ipſo jure irrita, ſed irritanda *cap. ult. de cler. excommun.* & docet Suarez *de cenſur. diſp.* 26. *ſect.* 3. *num.* 7. Sicut ſuſpenſus ab officio uoo intelligitur ſuſpenſus à beneficio, niſi utreque pœna exprimatur; ita neque ſuſpenſus à beneficio cenſetur ſuſpenſus ab officio, niſi id exprimetur.

6 Quamobrem ſoſpenſus à beneficio impeditur, ne poſſit percipere ullos fructus, & redditus temporeles ſui beneficii; quinimo neque poteſt beneficium adminiſtrare, quia hæc edminiſtratio ordinatur ad perceptionem fructunm: etenim ſi ſemel alicui ſit aliquid prohibitum, cenſentur etiam prohibire ee, quæ ad illud ordinantur. Quamobrem ſi quis ſit ſuſpenſus à beneficio noo poteſt eius fructus percipere, nec eius edminiſtrationem exercere; ſed debet Oeconomns conſtitui, qui fructus colliget. Quòd ſi ſuſpenſus adminiſtretionem beneficii ſibi prohibitam exerceret, ipſo jure priveretur etiam ipſo beneficio *cap. cupientes* 16. §. *caterum de elect.* Non poteſt ſuſpenſns à beneficio percipere eius fructus; tametſi indigeat, & aliunde habere elimenta non poſſit, ſi tameo ſuſpenſus fuit in pœnam contumaciæ, quia tunc ſua culpa patitur eem neceſſitetem.

7 Sunt tamen qui putent; ſuſpenſum, ſi indigeat, poſſe percipere fructus ſui beneficii maximè quotidianas diſtrlbutiones, ſi divinis officiis interfuit, & dummodo per ipſnm ooo ſtet, quin à cenſure liberetur. Snſpenſns tamen ſimpliciter à beneficio, non eſt ita prohibitus à novo beneficio acquireodo, ut collatio el fecta ipſo jure ſit irrite; quamvis à judice ſit irritanda, ut habetur in *c. ult. de cler. excommun.* quie electio, vel collatio propriè non numerantur inter fructus beneficii, qoorum perceptio prohiblta eſt ita ſuſpenſo; ſed potiùs ſunt ectos officii, & qoeſi jurisdictionis ſibi competentis ratione beneficii: uode cum electio, & colletio beneficii oon ſit fructus beneficii, ſnſpenſus à beneficio validè, quamvis non licitè promovetur ed novnm beneficium, collatio tamen licèt non ſit ipſo jure irrita; eſt tamen irritenda à ſuperiore: quemobrem cùm qnis ſuſpenditur à beneficio ſolet etiam adjici clauſula, quâ non ſolùm ſuſpenditur à beneficio; ſed etiam à jure eligendi, vel cooferendi illud. Cœterum ſuſpenſus à beneficio ſimpliciter poteſt exercere omnes actus jurisdictionis ſibi ratione officii, ſen mnneris clericalis competentis, & etiam adminiſtretionem; imò tenetur etiam ſuo fungi officio, & omnia in ſpiritualibus, & temporalibus exercere, ſeu adminiſtrare; perinde ac ſi fructns beneficii perciperet, quia ſuſpenſio debet ei eſſe pœna, non levamen, nec libererio obligationis.

Imò ſnſpenſus eb ordine non eſt ſoſpenſns à 8
jnrisdictione; proinde poteſt exercere omnes actus jurisdictionis non exigentes actualē uſum ordinis: hinc Epiſcopus ſuſpenſus tantùm ab ordine poteſt alteri delegare poteſtatem abſolvendi, quamvis ipſe non pnſſet confeſſiones audire, nec à peccatis ebſolvere, ut docet Suarez *diſp.* 26. *de cenſur. ſect.* 4. *num.* e. Rerio eſt quie cum ſuſpenſio ſit pœna, & odioſa non eſt extendenda ed ea, quæ non exprimuntur, ſed reſtringende eſt ed id tentùm, quòd exprimitur: & quia ordo eſt diſtinctus à jurisdictione, ideo ſoſpenſus ab ordine tentùm non cenſetnr ſnſpeoſus à jurisdictione, ſi non exprimatur. Hinc Epiſcopos ſuſpenſus eb ordine Epiſcopali tentùm non poteſt exercere ectus ordinis, qui ſunt proprii Epiſcopi; cujusmodi ſunt ordines conferre, confirmate, conſeerare eccleſias, altarie, conficere chriſma, & alia hnjusmodi. Alios verò ectns qui jure ordinario competunt ſacerdoti ſimplici poreſt exercere, ut miſſam celebrare ſine Pontificalibus, audire confeſſiones, & alia id genus, quæ fiunt à ſimplici ſacerdote; quia ſuſpenſus ab ordine ſuperiore, non ideo eſt ſuſpenſus ab inferiore; hinc ſuſpenſus ab officio ſacerdotali non prohibetur ſolemniter cenere Epiſtolam, vel Evangelium, nam cui prohibetur mejus, noo cenſetur prohiberi minus.

Secus ſnſpenſus ab ordine inferiore ceo- 9
ſetur etiam ſuſpenſus à ſuperiore, ut plures docent: ſiquidem cui noo eſt licitum minus, nec debet ei licitum eſſe majus *argum. l. relegatorum* 7. §. *ult. ff. de interdict.* Id autem procedit de actibus inter ſe connexis, ſeu ſi in ectu ordinis ſuperioris includatur ectos inferioris, à quo eliquis ſit ſuſpenſos: ſic enim ſacerdos ſuſpenſus à diaconatu cenſetur etiam ſuſpenſus à ſecerdotio in ordine ad miſſem celebrandam, quia hæc non legitur ſine evangelio. Cæterum ſacerdos ſuſpenſus ab ordine Diaconi poteſt exercere alie munia ſacerdotella, ut confeſſiones audire, baptizare ſolemniter, & alia id genus ebsque note irregularitatis, quamvis non ſine indecentia alique, quia indecens videtur, ut qui non poteſt exercere ectus ordinis inferioris, exerceat actus ſuperioris. E converſo ſuſpenſus à jurisdictione ſimpliciter non prohibetur exercere actus ordinis non exigentis jnrisdictionem, quie ſuſpenſio à jurisdictione non includit ſuſpenſionem ab ordine, nec hæc illam. hinc ſuſpenſus à jurisdictione, licèt non poſſit abſolvere

vere ſacramentaliter à peccatis defecto juriſdictionis, poteſt tamen alia ſacramenta adminiſtrare, ut etiam miſſam celebrare, & ea omnia peragere, quæ non exigunt juriſdictionem.

10 Cauſæ ſuſpenſionis plures ſunt; efficiens eſt eccleſia, quia licèt acceperit à Chriſto poteſtatem ferendi ſuſpenſionem, ipſa tamen ſuſpenſionem inſtituit, cujus initium fuit tempore Apoſtolorum, licèt poſtea redacta fuerit ad certam formam. Hinc omnis, & ſolus qui poteſt excomunicare, poteſt etiam ſuſpendere, eadem enim eſt poteſtas requiſita ad utramque cenſuram: hinc licèt Confeſſarius, & Parochus poſſit alicui prohibere, ne celebret, ita ut contraveniens peccet; neuter poteſt ſuſpendere per cenſuram; quia poteſtas ordinaria ferendi cenſuram ſuſpenſionis eſt in Epiſcopis & Prælatis gaudentibus juriſdictione quaſi Epiſcopali: poteſtas delegata poteſt eſſe in aliis Clericis, quia Epiſcopus poteſt hanc poteſtatem etiam ſimplici ſacerdoti, vel alteri Clerico delegare, ut notat Layman *l. 1. tract. 5. p. 5. c. 2. n. 1.* Cauſa finalis ſuſpenſionis eſt eadem ac excommunicationis, ſcilicet utilitas animarum, quam unicè eccleſia intendit, quando corrigit, & caſtigat.

11 Cauſa materialis eſt duplex proxima, & remota: illa eſt peccatum propter quod ſuſpenſio fertur, quòd ſi ſuſpenſio gravis ſit, debet neceſſariò ſupponere peccatum grave: ſi levis poteſt etiam ferri pro culpa veniali, debet enim pœna commenſurari culpæ: in jure autem pœna ſuſpenſionis cùm ſemper ſit gravis ſupponit etiam culpam gravem. Materia remota eſt, qui ſuſpendi poteſt, hoc eſt omnis, & ſolus Clericus: ratio eſt, quia omnis ſuſpenſio vel eſt ab officio, vel beneficio; ſed officium & beneficium eſt proprium Clerici, unde ſoli Clerici quamobrem ſoli Clerici, ſive ſæculares; ſive regulares ſunt materia. Remota hujus cenſuræ, ſive ſint Epiſcopi, ſive Patriarchæ, ſive Cardinales excepto ſumo Pontifice.

12 Epiſcopi tamen generatim non incurrunt ſuſpenſionem à jure latam niſi fiat ſpecialis de ipſis mentio. Collegium Clericorum poteſt etiam ſuſpendi, quia eſt capax culpæ, ſicut quælibet humana Congregatio, eſt enim unum corpus politicum habens propria bona, ac proprias actiones, ita ad illud pertinentes, ut non ad ſingulas perſonas per ſe pertineant: vel ratione ſingulorum de communitate, in quibus tamen ſupponitur culpa & quidem gravis, quia tam graves pœnæ non debent communiter ferri ob culpam venialem, tametſi ſi ferantur, poſſint etiam ob venialem culpam incurri. Quia verò ſuſpenſio non poteſt ferri ſine propria culpa, cujus ſit pœna; ſequitur, quòd ea ſuſpenſio, quæ fit ob ſenectutem, lepram, debilitatem, vel aliam ſimilem cauſam non ſit ſuſpenſio, ſeu cenſura, de qua hic loquimur, ſed tantùm quædam privatio, quæ laxè ſuſpenſio dicitur. Quæ verò crimina mereantur ſuſpenſionem, non poteſt certa tradi regula.

Cauſa formalis ſuſpenſionis, ſeu forma illa, ſub qua fertur cenſura ſuſpenſionis in jure non eſt determinata; proinde ſolet actus ille ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ pluribus modis exprimi: ſuſpenſio ab homine, quando eſt cenſura lata ob contumaciam, exigit, antequam feratur, præviam admonitionem t non ita ſi infligatur in pœnam delicti. In ipſa verò ferenda requiruntur verba determinata, quæ ſignificent ſpeciem ſuſpenſionis, & ejus effectum: & hæc verba ſunt ſcripto proferenda ex præcepto eccleſiæ, quamvis Sylveſter *V. Suſpenſio n. 4.* cenſeat, id non eſſe de eſſentia cenſuræ. 13

Effectus verò ſuſpenſionis, quod attinet plures ſunt. Primus eſt, ut ſi ſuſpenſus exerceat actum, à quo eſt, ſuſpenſus peccet mortaliter, eò quia violet præceptum eccleſiaſticum in re gravi, quamvis ratione parvitatis materiæ poſſit contingere, ut excuſetur à lethali. 14

Secundus ut ſuſpenſus ab ordine, vel aliquo includente ſuſpenſionem ordinis non ſolùm peccet; ſi actum ordinis exerceat, ſed etiam fiat irregularis; adeò ut ſecundus effectus ſuſpenſionis ſit inducere irregularitatem, præſertim ſi ſit exercitium ſolemne majoris ordinis, à quo eſt ſuſpenſus: quod verum eſt non ſolùm quando violatur ſuſpenſio perpetua, quæ eſt propria cenſura t verùm etiam quando violatur ſuſpenſio, quæ eſt pura pœna lata ad determinatum tempus. Hinc ſuſpenſus ab ordine fit irregularis, ſi benedicat aquam, ceras, fructus, nuptias. Rurſus ſuſpenſus ab ingreſſu eccleſiæ incurrit irregularitatem, ſi in ea exerceat aliquem actum Ordini ſacro deputatum, non autem ſi domi, vel in Oratorio privato celebret, Piaſecius *2. p. c. 4. n. 18. V. ſuſpenſus.* Nemo tamen ſuſpenſus (præter quam ille, qui ſuſpenſus eſt à divinis) ſive abſolutè, ſive in aliquo loco, incurrit irregularitatem contraveniendo ſuſpenſioni licèt peccet: & ſuſpenſus à divinis tunc incurrit irregularitatem, quando exercet aliquem actum alicui ordini ſacro, vel minori ſpecialiter deputatum. Hinc ſuſpenſus à beneficio non fit irregularis, ſi recipiat fructus beneficii, quia non violat cenſuram per exercitium ordinis ſacri. Neque ſuſpenſus à ſuſceptione ſacramentorum incurrit irregularitatem illa ſuſcipiendo; quia ſe habet tantùm paſſivè. 15

Tertius effectus eſt, quòd acta à ſuſpenſo, ſi juriſdictionem requirant, ſint per ſe invalida, quia ſuſpenſus eſt actuali juriſdictione privatus. Si tamen ſuſpenſus ſit occultus, & ab eccleſia communiter toleretur in publico officio, tunc ejus acta valent, quia eccleſia ſupplet defectum propter commune bonum, ut docet Suarez *de cenſur. diſp. 26. ſect. 5. num. 2.* ubi addit, quòd ſi ſuſpenſus non ſit ſpecialiter denun- 16

denunciatus, tametſi prohibeatur exercere ſuum officium licèt peccet illud exercendo, non tamen quoad alios actus eſt privatùs juriſdictione. Cæterum actus ordinis ſi excipiatur abſolutio ſacramentalis exigens juriſdictionem, ſunt validi, quia valorem horum actuum eccleſia non poteſt impedire, ſi debito modo conferantur.

18 Quartus effectus ſuſpenſionis eſt, quòd ſuſpenſus privetur communione eorum in eo, in quo eſt ſuſpenſus. Simpliciter tamen ſuſpenſio per ſe non privat communicatione cum aliis, ſicut excommunicatio; adeò ut ſuſpenſus etiam nominatim denunciatus quantum eſt ex vi cenſuræ, & præcepti eccleſiaſtici à nemine ſit vitandus eò, quia nullum jus hujus rei aſſignari poſſit, in quo hic effectus tribuatur ſuſpenſioni; dummodo communicans cum ſuſpenſo eum non inducat ad actum ipſi prohibitum; neque in eo ipſo cooperetur, id enim eſſet peccatum contra jus divinum, ac naturale, ac intrinſecè malum. Verùm ut notat Suarez *diſp.27. ſect.3. n. 7.* ob talem communicationem cum ſuſpenſo nulla incurritur cenſura, quia nulla reperitur pœna impoſita illi, qui ſic cum eo communicat; proinde neque incurritur minor excommunicatio ſicut in communicatione cum excommunicato, in quo etiam differt ſuſpenſio ab excommunicatione.

19 Quoad verò ſuſpenſionis durationem, ejusque abſolutionem, certum eſt, ſuſpenſionem ſimpliciter latam, & abſolutè abſque conditione, vel limitatione temporis durare, donec tollatur per abſolutionem: & latam cum determinatione temporis durare intra tempus determinatum; & eo tempore elapſo ceſſare; quia cenſura non ligat ultra conditoris voluntatem: hinc ſuſpenſus ab officio per menſem, prohibetur intra menſem officium exercere incipiendo ab eo die, quo lata eſt ſuſpenſio, quæ ſecum trahit executionem, ut notat Suarez *de cenſur. diſp.26. ſect.1. n.13.* & *diſp.27. ſect.1. n.23.* ſuſpenſio verò ab officio ſimpliciter lata abſque loci determinatione valet pro omni loco: quia ſuſpenſio eſt cenſura, quæ ſequitur ipſum ſuſpenſum in quemlibet locum: & quamvis Prælatus extra ſuum territorium non poſſit obligare per ſtatutum, vel legem; nihilominus per præcepta particularia, quæ imponuntur perſonis, & immediatè ea reſpiciunt, poteſt eas obligare etiam extra territorium, & id etiam procedit de ſuſpenſione ſimpliciter à beneficio abſque loci determinatione; tametſi non deſint, qui contrarium etiam probabiliter ſentiant, præſertim ubi conſuetudo inolevit, ut notat Layman *lib.1. tractat.4. p.3. c.1 num. 7.* Sin verò ſuſpenſio lata ſit ut pura pœna, tripliciter tolli poteſt. Primò per temporis lapſum, ſi enim ſuſpenſio lata ſit per ſemeſtre ſolo hujus temporis lapſu ceſſat, & non eſt neceſſe, ut ſuſpenſus abſolvatur à tali cenſura, quia qui eam tulit voluit, ut poſt tale tempus ceſſaret; proinde ipſemet abſolvit.

Secundò tollitur per diſpenſationem Superioris: ſi enim lata ſit ad certum tempus, vel etiam in perpetuum poterit per diſpenſationem Superioris tolli, tametſi tempus nondum effluxerit. Tertiò tolli poteſt per abſolutionem, quando vel lata eſt ſimpliciter in pœnam abſque ulla temporis determinatione. Quòd ſi ſuſpenſio lata ſit cum conditione donec ſatisfeceris, tunc exhibita ſatisfactione illicò ceſſat, quia talis conditio videtur præſcribere terminum, pro quo duratura ſit ſuſpenſio.

Nihilominus contraria ſententia probabilior & tutior eſt, ſi tamen ſuſpenſio lata ſit ut cenſura, & non in puram pœnam. Cæterum abſolutio ſuſpenſionis lata ab homine ad eum pertinet, qui ſententiam tulit, vel ad ejus ſucceſſorem, vel ad Superiorem. Abſolvere autem poſſunt à ſuſpenſione lata in pœnam privilegiati mendicantes. Poteſtate verò ordinaria quando ſuſpenſio lata eſt ad certum tempus vel in perpetuum tolli tantùm poteſt ab Authore canonis; quia quando fertur in puram pœnam ſuſpenſio fertur cum ſtabilitate, & virtualiter author canonis ſibi reſervat, ne ante illud tempus ullus inferior abſolvat: nec eſt par ratio de excommunicatione, à qua etiam inferior poteſt abſolvere, niſi reſervata ſit à conditore canonis: ratio eſt, quia ſuſpenſio lata in puram pœnam non tollitur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem, quæ ex natura ſua cenſetur reſervata, niſi explicitè concedatur, ut cenſet Gloſſa in *c. cupientes de elect. in 6.* Suſpenſio verò lata ob contumaciam, & perſeverantiam in illa non poteſt tolli, antequam tollatur contumacia niſi ab eo, à quo lata fuit, vel alio Superiore: ſecus poſt ablatam contumaciam tolli poteſt etiam à ſucceſſore in officio, præſertim ſi ſit ab homine: quòd ſi ſit à jure, tunc ſi eſt reſervata tantùm tolli poteſt ab Authore Superiore, vel ſucceſſore. 20

Si tamen delictum ſit occultum ſuſpenſio lata propter ipſum, quamvis reſervata Papæ poteſt ab Epiſcopo tolli ex decreto Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. c. 6.* Sin verò non ſit reſervata Papæ poteſt ab illa abſolvere quilibet Ordinarius ex communi ſententia uſu recepta. Cæterum quoad formam abſolvendi à ſuſpenſione non eſt certa aliqua forma determinata, quæ conſtet certis verbis; ſed ſufficit, ſi voluntas abſolventis ſignificetur: ordinariè tamen ſolet hæc forma ſervari: *Ego te abſolvo à vinculo ſuſpenſionis, quam incurriſti ob hanc, vel illam cauſam; & reſtituo te ad executionem tui muneris, vel ordinis; vel ad tuum beneficium, à quo fuiſti ſuſpenſus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quando verò ſuſpenſio eſt dubia, & incerta, tunc ſolet hæc alia abſolutio eſſe in uſu: Si teneris aliquo vinculo ſuſpenſionis, à quo te poſſim abſolvere, abſolvo te, ut fusè notat Suarez *diſp. 7. de cenſur. ſect.9. num.2.* & *diſp. 25.* Cæterum ſuſpenſus ad tempus hoc dilapſo, eſt ipſo facto 21

facto abſolutus, nec indiget alia abſolutione. Durante verò tempore ſuſpenſionis incuſſæ à jure ob delictum commiſſum non poteſt totaliter abſolvi ab Epiſcopo, ſed tantùm poteſt Epiſcopus diſpenſativè pœnam moderari. Quòd ſi ſuſpenſio fuerit inflicta à jure ob contumaciam, & conditor canonis ſibi non reſervaverit abſolutionem, tunc poteſt Epiſcopus ab illa abſolvere.

82 Suſpenſiones verò, quæ ipſo jure contrahuntur à Clericis plures ſunt. Primò ſuſpenduntur ipſo jure recipientes ordines ab eo, qui renonciavit Epiſcopatui *c. 1. de ordin. ab Epiſcop. qui renunc. Epiſcopatui.* Secundo recipientes ordines ſine licentia proprii Epiſcopi ab alieno Pius II. in Bulla *cum ex ſacrorum 6.* Tertiò recipientes ordines à proprio Epiſcopo in aliena Diœceſi ſine licentia *c. Epiſcopum 9. q. 2.* Quartò recipientes ordines ab excommunicato, vel ſuſpenſo denunciato *c. 1. & 3. de ſchiſm.* Quintò recipientes ante legitimam ætatem ordines Pius II. in Bulla *cum ex ſacrorum 6.* Sexto recipientes eos extra tempora ſine diſpenſatione Pius II. *ibid.* Septimò recipientes ordines non ſervatis interſtitiis *c. litteras de temp. ordin.* Octavò Clerici ordinati ficto titulo *c. ſanctorum diſt. 70.* Nonò promoti per ſaltum Concil. Trident. *ſeſſ. 23. c. 14.* Decimò Clerici recipentes ordines ſacros poſt matrimonium ratum etiam non conſummatum *Extravag. antiqua de voto.* Undecimò Clerici recipientes ordines, ſi ſint excommunicati, vel ſuſpenſi, vel interdicti *c. cum illorum 32. h. tit.* Duodecimo recipientes ordines cum litteris capituli ſede vacante intra annum Concil. Trident. *ſeſſ. 7. c. 10. de reform.* Tertiodecimo obtentes ordine in loco interdicto præter modum jure conceſſum, *c. Is cui 20. h. t. in 6.* Quartodecimo celebrantes coram excommunicato, vel interdicto *c. Epiſcoporum de privileg. in 6.* Quintodecimo tradentes ſepulturæ publicos uſurarios *c. quia in omnibus de uſur.* Sextodecimo Parochi copulantes ſponſos alterius parochiæ ſine licentia Concil. Trident. *ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matrim.* Decimoſeptimo Parochi non prohibentes matrimonia clandeſtina, vel contra interdictum eccleſiæ *c. cum inhibitio de clandeſt. deſponſ.* Decimooctavo abutentes veſtibus contra juris ſtatuta *Clem. 2. de vita & honeſt. Cler.* Decimonono alienis debitis gravantes eccleſias ſibi concreditas *c. 2. de ſolut.* Vigeſimo occupantes bona Prælati defuncti *c. quia ſæpe de elect. in 6.* Vigeſimoprimo Electores Epiſcoporum non præſentantes electionem electo infra octo dies *c. cupientes de elect. in 6.* Vigeſimoſecundo Compromiſſarii eligentes indignum *c. Compromiſſar. de elect. in 6.* Vigeſimotertio eligentes indignum ad Epiſcopatum, vel curatum *c. cum in cunctis §. fin. de elect.* Vigeſimoquarto poſtulantes in Prælatum Cathedralis eccleſiæ eos, qui prohibentur *c. cum in cunctis de elect.* Vigeſimoquinto conſentientes electioni per abuſum ſæcularis poteſtatis *c. quiſquis de elect.* Vigeſimoſexto inferiores Epiſcopi non ſervantes in viſitatione conſtitutionem Innocent. IV. *c. exigit de cenſib. in 6.* Vigeſimoſeptimo conferentes beneficia eorum, qui ſerviunt in curia, & eadem recipientes, *Extravag. de privil.* Vigeſimooctavo facientes in judicio per ſortes aliquid contra juſtitiam, & conſcientiam in gravamen partis *c. 1. de ſent. & re jud. in 6.* Vigeſimonono conſervatores ſe immiſcentes in aliis, quàm de manifeſtis injuriis *c. ult. de offic. deleg. in 6.* Trigeſimo occupantes bona, cenſus, alia hujuſmodi eccleſiæ, beneficii, vel pii loci Concil. Trident. *ſeſſ. 22. c. 11. de reformat.* Trigeſimoprimo publici peccatores *c. ult. de tempor. ordin.* Verùm hujuſmodi ſuſpenſio non eſt ampliùs in uſu. Trigeſimoſecundo publici concubinarii *ibid.* Trigeſimo tertio Simoniaci Extravag. Pauli II. *de Simonia.* Trigeſimoquarto jurantes de tenendo Schiſmate *c. de Schiſmat.* Trigeſimoquinto provocantes ad duellum, & acceptantes *c. 1. de Cler. pug. in duell.* Trigeſimoſexto raptores & præbentes auxilium, vel favorem raptoi Concil Trident. *ſeſſ. 24. c. 6. de reform.* Trigeſimoſeptimo diſputantes de conceptione B. Virginis Pius V. in ſua Bulla *ſuper ſpecula.* Trigeſimooctavo ſuſpenduntur etiam Epiſcopi conferentes ordines Simoniacis *c. penult. de Simon.* Trigeſimonono conferentes ordines ſuſpenſo propter malam promotionem *c. ſi qui Epiſc. 1. q. 1.* Quadrageſimo ordinantes Religioſum non profeſſum Pius V. in ſua *Bulla 74.* Quadrageſimoprimo ordinantes accepto juramento, quod non moleſtabuntur Superiorum proviſione *c. ſi quis ordinaverit de Simon.* Quadrageſimoſecundo ordinantes Monachum ſine licentia Abbatis *c. fin. diſt. 68.* Quadrageſimotertio non promulgantes Concilium Provinciale toti eccleſiæ *ibid.* Sed hæc ſuſpenſio non eſt ampliùs in uſu. Quadrageſimoquarto intromittentes ſe in cauſis ſpectantibus ad electionem Epiſcoporum *c. quamvis de elect. in 6.* Quadrageſimoquinto ſubmittentes laicis bona eccleſiæ ſine debito conſenſu *c. hoc conſultiſſimo de reb. eccleſ. non alienan. in 6.* Quadrageſimoſexto occupantes bona vacantium pertinentium ad eorum proviſionem *c. præſenti de offic. ordin. in 6.* Quadrageſimoſeptimo malè utentes poteſtate delegata in cauſa alienationis *Extravag. 2. cum in omnibus* Pauli II. Quadrageſimooctavo alienantes bona eccleſiæ ultra biennium *Extravag. ambitioſæ de reb. eccleſ. in alien.* Quadrageſimonono admittentes reſignationes contra formam præſcriptam in conſtitutione Pii V. cui initium eſt *Quarta* Pius V. in ſua *Bulla 58.* Quinquageſimo foventes uſuras, locando ſuas domus *c. 1. de uſur. in 6.* Quinquageſimoprimo abutens munere Inquiſitorum in cauſa fidei *Clement. 1. §. verum de hæret.* Quinquageſimotertiò non ſervantes Extravagantem *2. de elect.* quoad perceptionem fructuum primi vel ſecundi anni *Extravag. 2. de elect.* Quinquageſimoquarto promoti à Sede

Apoſtolica ſine litteris authenticis eiusdem *Extravag. 1. de elect.* Quinquageſimoquintò Concubinatii à Synodo admoniti, nec ſe emendantes Concil. Trident. *ſeſſ. 25 c. 14. de refor.* Quinquageſimoſexto relaxantes Incendiariis pœnam contentam in jure *c. peſſimam 23. q. 8.* Quinquageſimoſeptimo negligentes procedere contra Simoniacum *c. quidquid 1. q. 1.* Quinquageſimooctavo oon facientes comburi libros Talmut Julius III. *in Bulla cum ſicut 46.* Quinquageſimonono publicantes populo indicem caluum Pius V. *in Bulla quam plenum.* 99. Sexageſimo non viſitantes limina Apoſtolorum tempore præſcripto, Sixtus V. in Bulla cui initium *Romanus Pontifex.* Sexageſimoprimo Ingredientes Monaſteria Monialium ſine neceſſitate Gregorius XIII. in Bulla *Ubi gratia.* Sexageſimoſecundo incurrunt etiam ſuſpenſionem capitula ſi dilapident bona relicta, vel obvenientia tempore vacationis *c. quia ſæpe de elect. in 6.* Sexageſimotertiò ſi recipiant Prælatos promotos in curia ſine litteris Papæ *Extravag. 1. de elect.* Sexageſimoquartò ſi petant in receptione ad religionem, ant poſt illam partus, & prandia *Extravag. ſane de Simon.* Sexageſimoquintò ſi non ſervent contenta in conſtitutione Pii V, cui initium eſt *Quanta* Pius V. in eadem Bulla. Sexageſimoſextò cotrahunt ſuſpenſionem etiam Religioſi Apoſtatæ recipientes .ordines in Apoſtaſia *c. fin. de Apoſt.* Sexageſimoſeptimo recipientes ad profeſſionem ante annum probationis *c. non ſolùm de regul. in 6.* Sexageſimooctavò ſuperiores concedentes redditus eccleſiarum alicui ad dies vitæ *Clement. 1. de reb. eccleſ. non alienan,* Sexageſimononò uſurpantes decimas ſibi non convenientes *Clement. 1. de decimis.* Septuageſimò non utentes habitu, & veſtitu modo ipſis præſcripto *Clement. 1. §. ſi quis autem de ſtat. Monach.* Septuageſimoprimò ſuperiores, ad quos occaſione exceſſuum ſuorum aliquid pervenerit *Clement. de privil.* Septuageſimoſecundo non facientes conſcientiam pœnitentibus de ſolvendis decimis *Clement. cupientes de pœnis,* Septuageſimotertiò non profeſſi recipientes ordines ſacros Pius V. in Bulla, cui initium *Romanus Pontifex.* Septuageſimoquarto introducentes mulieres in monaſteria prætextu facultatis Sedis Apoſtolicæ Pius V. in *ſua Bulla 22.* Agunt fusè de prærecenſitis ſuſpenſionibus Suarez *de cenſur. diſp. 25. & ſequent.* Filiucius *tractat. 17. c. 5. & ſequent.* Navarrus, Sayrus, & alii.

§. XIII.

De Interdicto ut eſt tertia ſpecies cenſuræ.

1 INterdictum juxta præſens inſtitutum definitur *cenſura eccleſiaſtica prohibens uſum quarundam rerum divinarum, ut fidelibus communem, quatenus talis eſt,* in qua definitione abſtrahitur à loco, & perſona, ut etiam ab uſu activo, & paſſivo, quia interdictum generatim ſumptum ab iisdem abſtrahit, unde *cenſura Eccleſiaſtica* ponitur loco generis. Additur *prohibens uſum fidelibus communem* ad differentiam ſuſpenſionis, quæ privat etiam aliquo uſu non tamen ut communi omnibus fidelibus; ſed ut proprio alicujus poteſtatis eccleſiaſticæ: unde ſuſpenſio per ſe tantum privat uſu activo ipſos Clericos; Interdictum verò privat indifferenter, & ex ſe eſt quid commune Clericis, & Laicis. Additur *quatenus talis eſt* ut diſtinguatur ab excommunicatione, quæ licèt privet uſu talium rerum ſacrarum, non tamen quatenus eſt uſus rei ſacræ, ſed ut præcisè eſt communicatio cum aliis fidelibus. Interdictum autem formaliter privat uſu talis rei ſacræ per ſe, ac independenter à communicatione cum aliis. Rurſus differt interdictum ab excommunicatione, quia hæc privat non ſolùm communicatione in divinis, ſed etiam in humanis: interdictum verò ſolùm privat uſu ſacrarum rerum non quidem omnium, ſed earum, quæ in jure exprimuntur, & quidem eodem modo, quo in jure declarantur, ut fusè explicat Suarez *de cenſur. diſp. 32. ſect. 1.*

Interdictum ſic explicatum tripartitur in 2 locale, perſonale, & mixtum. Locale dicitur, quo locus ſolus interdicitur, ut eccleſia Parochia, civitas, Regnum, quatenus prohibetur, ne in tali loco officia divina audiantur ab incolis, vel etiam extraneis, tametſi perſonæ loci interdicti non prohibeantur in alio loco non interdicto audire divina officia. Perſonale eſt, quo prohibetur aliqua perſona particularis, vel etiam populus audire divina officia ubicunque ſit, adeò ut hoc interdictum immediatè dirigatur ad perſonam. Hinc differt interdictum locale à perſonali, quia quando ſolus locus eſt interdictus poſſunt perſonæ, quæ in eo ſunt, dummodo non fuerint cauſa interdicti, in aliis locis audire divina, dare, ſuſcipere: Secus quando perſonæ ſunt interdictæ, nullibi poſſunt intereſſe divinis, & illa audire, idque deſumitur ex *c. ſi ſententia 16. h. t. in 6.* & ratio eſt, quia interdictum perſonale afficit perſonam, quam propterea ſequitur in quovis loco.

Quando verò ſolæ perſonæ alicujus ec- 3 cleſiæ, vel civitatis interdictæ ſunt, poſſunt in eadem ab aliis, & coram aliis, ut peregrinis, & alienigenis non interdictis celebrare etiam januis apertis. Cæterum interdicta aliqua civitate, intelliguntur etiam interdicta ſuburbia, & ædificia continentia; perinde ac interdicta eccleſia intelliguntur interdicta ejus ſacella, & cæmeterium contiguum, idq; ne interdictum reddatur eluſorium *c. ſi civitas 17. h. t.* ubi Gregorius X. reſcribit, quòd ſi civitas, caſtrum, vel villa interdicatur, intelligantur etiam interdicta ſuburbia, & continentia ædificia. Ideo enim hæc interpretatio fit latior, ne contemnatur interdictum. Quod ſi interdicatur eccleſia, intelligitur etiam interdictum cæme-

cæmeterium contiguum, adeo ut non poſſit
quis in illo ſepeliri, ſecus tamen ſi non ſit con-
tiguum. Quæ vero ædificia dicantur conti-
nentia relinquitur erbitrio judicis, non enim
dieuntut contigua, qnia hæc ſunt, quorum ex-
treme ſe invicem tangunt. Interdictum mix-
tum eſt, quod complectitur utrumque locale,
& perſonale : quando enim interdicuntur ſi-
mul locus, & perſona tale interdictum dici-
tur mixtum; eo quia participet de utroque.

Hinc interdicto loco non cenſetur inter-
4 dictus populus, niſi aliter exprimatur, ut nec
etiam interdictis perſonis intelligitur interdi-
ctus locus, niſi hoc exprimetur, ut docet
Suarez *de cenſuris diſp. ſect. 1. & 2.* Quamo-
brem interdicta eliqne eccleſia poſſunt eius ſa-
cerdotes in alie eccleſia celebrere, ac divina
perſolvere officia, dummodo ipſi non fuerint
in cauſa culpabili, ob quam latum ſit interdi-
ctum: ſiquidem, qui dederant ceuſam cul-
pabilem interdicti localis, nullibi poſſunt au-
dire, eut perſolvere divina officia: ſi igitur
locus ſit interdictus, non poſſunt cives illius,
nec exteri, ac peregrini in eodem celebrare,
nec audire divine.

Interdictum autem locale aliud dicitur
5 particulare, qno interdicitur tantùm locus
aliquis particularis, ut hæc, vel illa eccleſia:
aliud dicitur generale, quo interdicitur locus
univerſalis, ut Regnum, Provincia, Diœce-
ſis, civitas; adeo ut interdictum parochiæ ſit
generale; ſi per parochiam intelligatur totus
ambitus alicujus caſtri. Sin verò parochia ſit
in civitate, in qua ſint aliæ, tunc interdi-
ctum eſt ſpeciale non generale, quia non o-
mnes eccleſiæ, & perochiæ illius loci ſunt in-
terdictæ; quia licèt in parochia interdicta non
poſſint divina officia celebrari, poſſunt tamen
in eliis eccleſiis, & parochiis eiusdem civitatis.
Interdictum perſonale aliud eſt etiam ſpeciale,
quo interdicitur una tantùm, vel elia peculiaris
perſone: aliud generale, quo interdicitur ge-
neraliter populus totius civitatis, provinciæ,
vel Regni. In hoc autem interdicto cleri do-
cet Suarez *de cenſur. diſp. 32. ſect. 2. num. 17.*
cùm Covarruv. *in cap. Alma Mater p. 2. §. 1.*
cenſeri etiam interdictos Religioſos, eò qnia
populus generetim ſumptus diſtinguetur in
populum, & clerum, & cùm Religioſi non
comprehendantur ſub nomine populi compre-
henduntur ſub nomine cleri.

Verùm contrarie ſententie, quam docent
6 Sayrus *de cenſur. lib. 5. c. 4. num. 29.* Henriq.
lib. 13. cap. 41. num. 3. videtur perquem pro-
babilis, quia Religioſi tantùm in favorabilibus
veniunt nomine cleri; non verò in odioſis:
quo pacto etiam interdicto popnlo non intel-
ligitur interdictus clerus. Secus interdicta
aliqua femilie, cenſentur etiam interdicti
clerici, & alii eiusdem familiæ; qnia inter-
dictum tunc fertur ſimpliciter in omnes per-
ſonas eiusdem familiæ, ut docet Suarez *diſp.
32. de cenſur. ſect. 2. num. 14.* Notant verò
Sayrus de cenſuris *lib. 5. cap. 4. n. 30.* Ugolinus
tabul. 5. cap 20. §. 5. quòd interdicto populo
civitetis non intelligantur interdicti, qui ha-
bitant in Suburbiis, ſi temen iſti non ſint de
populo civitatis; alioquin cenſerentur inter-
dicti. Cives verò communitatis interdictæ
tametſi abſint, quando fertur interdictum,
adhuc ligantur hac cenſurâ, ut notat Sayr. *l. c.*
Ratio eſt, quia ſunt & ipſi pars communitatis
interdictæ Quòd ſi elibi hebeant domicilium,
vel aliò transierant domicilium deſinunt eſſe
interdicti, dummodo non dederint cauſam
culpabilem interdicti. Non tamen interdicto
populo, ubi eſt publica Acedemia intelligun-
tur interdicti externi, ut ſunt ſtudioſi, quam-
vis per multum temporis ibi habitent, ut no-
tat Navarrus *cap. 27. num. 67.* quia ſcholares
exteri morantes ſtudiorum cauſa in elique ci-
vitate, non ſunt pars illius communita-
tis.

Rurſus amentes, & pueri nondum ſeptennes 7
non interdicuntur interdictâ communitate, eò
quia pueri nondum ſeptennes, & amentes non
præſumuntur capaces doli, & culpæ: privantur
nihilominus eccleſiaſticâ ſepultura tempore in-
terdicti, ſi interdictū ſit locale, & directè afficiat
locum. Sin verò interdictum generale perſo-
nele latum ſit contra aliquam communitatem,
intelliguntur interdictæ omnes ſingulares per-
ſonæ, quæ ſunt partes eiusdem communitatis,
quia non interdicitur communitas in abſtracto,
ſed in concreto, ut comprehendit omnes illas
perſonas, ex quibus coaleſcit. Quòd ſi per
interdictum locale generale interdicetur ali-
qua civitas cenſentur etiem interdictæ eccleſiæ
religionum, tametſi eliàs ſint exemptæ; adeò
ut teneantur Religioſi ſervare interdictum lo-
cale generele, idque ex Concil. Trid. *ſeſſ. 25. de
regul. c. 12. & 22.*

Non tamen per interdictum ſpeciale po- 8
teſt Epiſcopus interdicere eccleſias exemptas,
quia hoc jus ei non competit. Judex tamen,
qui fert ſententiam interdicti perſonalis gene-
ralis, non cenſetur ſubjici interdicto, quam-
vis ſit pars ralis communitatis: ratio eſt, quia
cùm judex non habeat jurisdictionem coacti-
vam in ſeipſum, non poteſt ſe ipſum cenſurā
innodare, quia ferre ſententiam interdicti eſt
actus jurisdictionis, qui non exercetur niſi in
ſubditos: ſecus in loceli interdicto includitur e-
tiā ipſe judex, vel ſuperior, vel æqualis: ratio eſt,
quia effectus interdicti ſunt instituti à jure com-
muni, in quo judex inferior Papâ nequit diſpenſa-
re: hinc judex, qui aliquem locum interdixit, te-
netur abſtinere à perſolvendis officiis divinis in
eodē loco, quia id eſt effectus interdicti intro-
ductus à jure communi, in quo non poteſt ju-
dex inferior Papâ diſpenſare.

Interdicere poteſt, qui & excommuni- 9
care, ac ſuſpendere, ut etiam interdici paſſi-
vè poteſt, qui etiam excommunicari & ſuſ-
pendi. Non tamen debet judex eccleſiaſticus
interdictum ferre, niſi pro cauſa gravi, vel
ob inobedientiam, vel grave crimen cum con-
tumacia comprehenſum ſcripto interdicti.
Hinc

Hinc poteſt interdictum ferre primò Papa. Secundò Epiſcopus etiam ſine conſenſu Capituli, quia inolita conſuetudine derogatum eſt juri antiquo. Tertiò Prælati Religionum, qui tamen non poſſunt interdictum locale ferre, ſed tantùm perſonale, quia ipſorum jurisdictio potiùs cadit in perſonas, quàm in locum, ut docet Suarez *de cenſur. diſp. 36. ſect. 1.* Hinc à ſummo Pontifice poteſt interdictum perſonale, aut locale ferri etiam in totum orbem, ut etiam à Concilio generale ſede vacante, eò quia jurisdictio Pontificis ſe extendit ad omnes fideles, & eorum loca. Verùm ad ferendum hoc univerſale interdictum non videtur poſſe juſta cauſa ſubeſſe.

10 Cauſa finalis interdicti eſt reſipiſcentia, & emendatio delinquentis. Materialis eſt culpa, ob quam fertur interdictum, quod cùm ſit pœna gravis ſupponit itidem culpam gravem. Et interdictum perſonale generale, cùm ſit longè gravior pœna, exigit etiam culpam graviorem. Interdictum verò locale generale, debet præſupponere cauſam graviſſimam generalem, quæ non ſolùm ſit peccatum mortale, verùm etiam aliquo modo publicum, adeò ut ſit ipſe Princeps, ſeu gubernator, qui delinquat; vel ut tota communitas. Immò etiam interdictum locale particulare exigit culpam gravem, & aliquo modo communem; tametſi minorem, quàm interdictum generale, ut notat Covarruvias *in cap. Alma Mater p. 2. §. 1. num. 4.* Suarez *de cenſur. diſp. 26. ſect. 3. num. 2.* ratio eſt, quia pœna debet infligi juxta gravitatem culpæ, quæ ſi gravior fuerit acriori pœnâ debet puniri.

11 Effectus interdicti ſunt primò privatio activa, & paſſiva quorundam ſacramentorum, *cap. ſi civitas* 17. *h. t. in* 6. & *cap. Alma Mater ult. eod. tit. in* 6. ubi Gregorius X. declarat, quòd tempore interdicti ſive ab homine, ſive à jure, omnes ſive infirmi, ſive benevalentes privantur aliquibus ſacramentis, ſed admittuntur ad ſacramentum pœnitentiæ, dummodo non ſint excommunicati; quia iſti nonniſi in mortis articulo admittuntur ad ſacramentum pœnitentiæ: nec admittuntur, qui per culpam, dolum, vel fraudem fuerunt in cauſa, ut interdictum ferretur: immo nec admittuntur, qui ad talem culpam interdicti dederunt conſilium, auxilium, vel favorem; niſi pro ipſo delicto priùs ſatisfaciant, ſi poſſunt, vel dent idoneam cautionem de ſatisfaciendo; vel ſi non poſſunt, jurent, quòd ſatisfacient, cùm primum poterunt, & laborabunt, ut poſſint ſatisfacere dando conſilium, auxilium, ut qui debent, ſatisfaciunt: non tamen relaxatur interdictum, ſed tantùm conceditur illis ſacramentum.

12 Item declarat Pontifex, quòd tempore interdicti in eccleſiis, & monaſteriis, ſingulis diebus miſſæ, & alia divina officia celebrentur, ut antea, ſubmiſſa tamen voce, januis clauſis, excluſis excommunicatis, & interdictis, & ſine pulſu æris campani. Item quòd tempore interdicti canonici, & alii clerici, qui horis divinis non interſunt, amittant conſuetas diſtributiones, ſicut quando non eſt interdictum. Item quòd in feſtivitatibus Natalis Domini, paſchæ, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis pulſentur campanæ, & januis apertis, ac voce alta ſolemniter celebrentur divina officia excluſis tamen excommunicatis, & admiſſis interdictis, qui non dederunt cauſam interdicti: alii enim excluduntur ab altari: & in hoc derogatur Bullis prædeceſſorum Pontificum in hac materia; remanentibus cæteris circa obſervantiam interdictorum in ſuo robore, non obſtantibus quibuscunque. Ratio autem hujus capitis ea videtur eſſe, quia ex obſervantia interdicti, & ſubtractione ſacramentorum facilè oriuntur hæreſes, & pericula animarum.

13 Hinc tempore interdicti localis, generalis, vel particularis adminiſtrari poſſunt parvulis ſacramenta Baptiſmi, & Confirmationis, imò etiam adultis, infirmis, aut ſanis; & quidem ſolemniter cum Cathechiſmis, exorciſmis, unctione Chriſmatis in vertice publicè, & apertis januis; adeò ut Parochus, & cujus eccleſia eſt interdicta non teneatur adire aliam eccleſiam, ut ſacramentum baptiſmi adminiſtret, quia quoad hunc effectum miniſtrandi baptiſmum eccleſia non eſt interdicta, ut docent, Sayrus *lib. 5. c. 7. n. 2.* Suarez *diſp. 33. ſect. 1.*

14 Sacramentum Confirmationis poteſt recipere perſonaliter interdictus interdicto tamen generali perſonali: quia innodatus ſpeciali interdicto perſonali non admittitur ad hoc ſacramentum, ut nec etiam qui cauſam dedit interdicto, niſi priùs condignam ſatisfactionem præſcriptam ab eccleſia præſtiterit; quia hic non ſolùm eſt reus culpæ; ſed etiam contumaciæ. Rurſus licitum eſt miniſtrare baptiſmum etiam ſolemniter perſonæ interdictæ interdicto perſonali generali; non ita perſonæ interdictæ ſpeciali interdicto extra urgentem neceſſitatem: & ſi hæc urſerit, poſſunt tantùm privatim baptiſmum miniſtrare. Rurſus perſonaliter interdictus interdicto generali perſonali, dummodo cauſam non dederit interdicto, poteſt miniſtrare ſacramentum Confirmationis, vel baptiſmi, non ita ſpecialiter interdictus, ut docent Suarez *de cenſur. diſp. 33. ſect. 1.* Reginaldus *lib. 32. n. 24.* Sayrus *lib. 5. c. 7. num. 6.* Sacramentum verò pœnitentiæ tempore generalis interdicti localis, jure novo poteſt miniſtrari tam infirmis, quàm ſanis; ut notat Covar. *in c. Alma Mater p. 2. §. 3. n. 3.*

15 Excipiuntur tamen primò excommunicati, hi enim excluduntur etiam tempore interdicti à ſacramento pænitentiæ niſi conſtituti ſint in mortis articulo, vel fuerint abſoluti à legitimo ſuperiore. Secundò excluduntur etiam, qui ob propriam culpam, dolum, vel fraudem dederunt cauſam interdicti. Tertiò etiam qui auxilium, conſilium, favorem dederunt ad perpetrandum delictum, ob quod latum

tum fuit interdictum : hi tempore interdicti non poſſunt abſolvi, niſi priùs ſatisfacerint, vel ſaltem ſi non poſſint, idoneam dent cautionem de ſatisfaciendo, vel jurent, ſe quàm primùm poterunt, ſatisfacturos, ſimúlque curaturos, ut ab aliis ſatisfiat. Hinc Confeſſarii, qui non dederunt culpabilem cauſam interdicto locali, poſſunt tempore interdicti localis etiam in loco interdicto adminiſtrare ſacramentum pœnitentiæ; idque etiam procedit tempore interdicti perſonalis generalis: ſecus tamen quando confeſſarius eſt ſpecialiter interdictus, tunc enim non poteſt excepto caſu neceſſitatis ſaltem licitè ſacramentum pœnitentiæ adminiſtrare.

16 Sacramentum Euchariſtiæ jure tam antiquo, quàm novo tempore interdicti localis licitè miniſtratur infirmis conſtitutis in probabili mortis articulo, & quidem cum ſolemnitate, luminaribus comitantibus, recitatione Pſalmorum, & apparatu ſacerdotis. Qui verò ſani ſunt tempore interdicti localis prohibentur Euchariſtiam ſumere, ut notat Saytus *lib. 5. cap. 7. num. 21.* quia interdictum privat divinis quantum poteſt, unde non poteſt licitè miniſtrari Euchariſtia Clericis, vel laicis niſi in caſibus jure expreſſis. Cenſet tamen Suarez *diſp. 33. ſect. 1. num. 35.* ſacerdotibus non celebrantibus tempore localis interdicti poſſe concedi Euchariſtiam, eò quia privilegia ſint amplianda. Imò plures cenſent tempore interdicti generalis localis teneri fideles adimplere præceptum annuæ communionis, & nituntur ea ratione; quia *in cap. Alma Mater 24. h. t. in 6.* in die paſchatis conceſſum ſit non obſtante interdicto locali generali divinis intereſſe, proinde inferunt etiam eſſe conceſſum Euchariſtiam ſumere, ita ſentiunt Suarez *de cenſur. diſp. 33. ſect. 1. n. 37.* Filiucius *tract. 18. n. 42.*

17 Verùm communior ſententia eſt, non eſſe tunc licitum communicare in die paſchatis, neque fideles ad id obligari, eò quia interdictum privet ſuſceptione Euchariſtiæ excepto in mortis articulo, ut habetur in jure. Tum quia nomine Euchariſtiæ non intelligitur divinum officium, quod permittitur tempore interdicti, unde diſpoſitum in uno, non cenſetur diſpoſitum in alio, ut notat Covarruvias *in c. Alma Mater p. 2. §. 3. n. 1.* Sacramentum Extremæ unctionis nonniſi ex privilegio ſpeciali miniſtratur perſonaliter interdicto, vel tempore interdicti localis generalis, vel particularis; adeò ut perſonaliter interdictus non poſſit hoc ſacramentum percipere in loco interdicto: ratio eſt, quia interdictum perſonale adhæret perſonæ, in qua ſuum producit effectum ubicunque exiſtat.

18 Sacramentum ordinis, nec poteſt adminiſtrari perſonaliter interdicto, vel tempore interdicti localis, quia interdictum privat ſacramentorum perceptione, niſi fiat aliqua ſpecialis exceptio, quæ non fit in hoc ſacramento: unde excipitur tantùm caſus neceſſitatis, ſi non eſſent alii ſacerdotes, qui tempore neceſſitatis conferrent ſacramenta, ut notat Sayrus *lib. 5. cap. 7. num. 38.* Quoad matrimonium cenſent plures poſſe licite contrahi inter perſonaliter interdictos, quia licèt matrimonium ſit ſacramentum, adhuc tamen eſt contractus humanus, cui adnexa eſt ratio ſacramenti: & contractus humani per interdictum non prohibentur, ut notat Covar. in *c. Alma Mater p. 2. §. 2. n. 7.* Verùm contraria ſententia probabilior eſt, quia licèt matrimonium ſit contractus, adhuc tamen eſt ſacramentum; & ſacramenta non poſſunt licitè miniſtrari interdicto, vel tempore interdicti exceptis ſacramentis in jure expreſſis. Sponſalia tamen de futuro poſſunt licitè, & validè fieri ſive in loco interdicto, ſive inter perſonas interdictas, quia ſponſalia non ſunt ſacramentum, ſed tantùm quidam humanus contractus.

Secundus effectus interdicti eſt privatio divinorum officiorum; adeò ut tempore interdicti generalis localis non poſſint miſſæ celebrari, nec divina officia publicè in loco interdicto cum pulſu æris campani, & ſono organorum: nomine divini officij intelligitur, quod fit in eccleſia à miniſtro eccleſiaſtico, ſeu à perſona conſecrata, vel deputata ad illud officium: ſacramentalia etiam comprehenduntur nomine officij, cujuſmodi ſunt omnes cæremoniæ ſacræ, quæ ſpectant ad ſolemnem ritum ſacramentorum immediatè, vel præparatoriè; vel conſecutivè, ut eſt ſolemnis benedictio nuptiarum, eccleſiæ, ſacræ ſupellectilis, veſtium ſacrarum, candelarum, cinerum, palmarum, fontis baptiſmalis aquæ, immò etiam benedictio ſolemnis Epiſcopi, & alia id genus. 19

Alia autem officia, quæ ex ſe non exigunt perſonam eccleſiaſticam ad ea deputatam non cenſentur prohibita tempore interdicti, quia non habentur inter officia eccleſiaſtica, & communia. Poſſunt tamen tempore interdicti, ſive localis, ſive perſonalis obligari ad horas canonicas, eas privatim recitandas, imo & debent, ſi ad illas teneantur ex aliquo voto, vel ratione beneficii, aut ordinis ſacri, adeò ut beneficiarii eas omittentes teneantur ad reſtituendos fructus pro rata omiſſionis, ut docet Suarez *diſp. 24. de cenſur. ſect. 3. num. 10.* imò jure antiquo licitum erat tempore interdicti ſemel in hebdomada celebrare miſſam ad conſecrandam Euchariſtiam pro infirmis, & in jure novo *in cap. Alma Mater 24. h. t. in 6.* licitum eſt ſingulis diebus in eccleſiis, & monaſteriis celebrare, ſervatis tamen quatuor conditionibus; quarum prima eſt, ut celebretur ſubmiſſa voce; ſecunda januis clauſis, tertia ſine pulſu æris campani. Quarta excluſis excommunicatis, & interdictis. 20

Tertius effectus interdicti localis, & perſonalis generalis, vel eſt privatio eccleſiaſticæ ſepulturæ, vel ingreſſus eccleſiæ, ut habetur *in clement. 1. de ſepult.* unde non poſſunt ſepeliri mortui in loco ab Epiſcopo conſecrato, 21

nec in cœmeterio ab eodem benedicto, neque in loco ubi divina peraguntur; nec cum pompa funebri ecleſiaſtica: quamobrem laici, quamvis non interdicti, non poſſunt ſepeliri in loco ſacro interdicto; à fortiori neque excommunicati. Qui verò non ſunt perionsliter interdicti poſſunt ſepeliri in loco ſarro non interdicto: & inrerdicti poſſunt ſepeliri in aliquo cæmeterio ab Epiſcopo deputato, non tamen benedicto.

17 Immo neque tempore interdicti localis poſſunt in loco ſacro ſepeliri infantes, vel amentes: quia per interdictum lorus fit incapax ſepulturæ cujusvis cadaveris. Immo nec tempore interdicti perſonalis generalis, quia ſunt & ipſi aliqua ratione pars communitatis: tempore tamen interdicti perſonalis ſpecialis poſſunt ſepeliri in loro non ioterdicto; quia ipſi non afficiontut interdicto ſpeciali, & ideo nullum contrahunt impedimentum nx parte perſonæ, nec ex parte loci, ut ootat Sayr. *lib. 5. c. 8. n. 5.*

18 Cæterum laicus tempore interdicti ſepultus in loro non ſacro ſublato interdicto debet exhumari, & ſepeliri in loro ſacro, quia ſublatâ causâ ceſſat etiam illius effectus. Rurſus interdictus ab ingreſſu ecleſiæ non poteſt ſepeliri in eccleſia, niſi fortaſſis ſigna dederit contritionis, tunc enim poteſt abſolvi, & ſepeliri in loro ſacro, & deſumitor *ex cap. is cui 20. h. t. in 6.* Immò interdictus ab ingreſſu eccleſiæ privator exercitio ordinis ſacri in ecleſia, proinde non poteſt relebrare; nec miniſtrare ſacramenta, & ſit irregularis, ſi exerceat ordines ſacros in eccleſia, quia violat interdictum per exercitium ordinis ſacri. Cæterum extra ecleſiam poteſt celebrare, quia interdictus ab ingreſſu ecleſiæ non cenſetur interdictus ab ingreſſo cœmeterii, quia pœnalia non ſunt amplianda, ſed reſtringenda, niſi in jure aliter exprimatur. Hinr interdictus ab ingreſſu eccleſiæ non prohibetur celebrare in cæmeterio, vel alio loco extra eccleſiam.

19 Violantes interdictum locale ſpeciale, vel perſonale ex genere ſuo percant lethaliter, quia tranſgrediantur præceptom ecleſiaſticum; ſeu agunt contra prohibitionem cenſuræ in materia gravi. Sunt tamen qui quoad interdictum lorale cenſeant, percare tantùm venialiter ſecluſo rontemptu, violentia, ſcandalo, ant aliqua alia circomſtantia extrinſeca mortali. Cæterum laici ob violatiooem interdicti nullam incurrunt pœnam, quia in jure onlla reperitur expreſſa præterquam *in clement. 2. de ſent. excommun.* ubi anathemate percutiuntur laici compellentes aliquem celebrare divina officia in loco interdicto, vel vocantes alios interdictos, ut interſint divinis offiriis, quæ in loro interdicto celebrantur; vel etiam prohibentes, ne interdicti exeant, poſtquam fuerint admooiti. Clerici verò ſæculares, & Regulares violantes interdictum tam locale, quàm perſonale generale, vel ſpeciale non ſolùm peccant ex ſuo geoere mortaliter, eò qoia agant contra præceptom in re gravi, verùm etiam incurrunt irregulatitatem ſi ſcienter celebrent, vel actum aliquem ordini ſacro deputatum exetreant in loco interdicto, niſi ſuper hoc habeatur ſpecieale privilegium, vel à jure ſit id illis conceſſum: & ab hac irrgularitate non poſſunt abſolvi per alium, quàm per Romanum Pontificem, proinde fiunt ineligibiles, & oon debent nec ad eligendom cum aliis admitti, & deſumitur *ex c. is cui 20. h. t. in 6.*

Rurſus tales violatores incurrunt etiam ſuſpenſionem ab officio, proinde etiam à juriſdictione violantes interdictum locale, ut etiam interdictum ab ingreſſu eccleſiæ ſi violent interdictum locale ſaltem generale: generatim tamen privantur electione activa, & paſſiva, & per ſententiam poſſunt privari beneficiis. Non tamen celebrans coram interdicto inrurrit irregularitatem, quia hæc irregularitas non habetur in jore; cæterum clericus communirans cum nominatim interdictis in rebus, à quibus ſunt interdicti, lethaliter peccat, ut ſi coram ipſis celebret, vel illos ad divina admittar. Nominatim autem interdicti dicuntur, qoi nomine proprio, vel officii, vel alio ſigno demonſtrante talem perſonam in particulari exprimuntur: hinc notat Navarrus *cap. 25. n. 187.* in perſonali interdicto lato contra aliquod collegium, vel communitatem ſingulos de collegio, vel communitate, non eſſe nominatim denunriatos interdictos; quia per nomen communitatis non ſufficienter exprimuntur omnes cives nominatim. Contraria tamen ſententia communior eſt, & probabilior, quia ut rectè docer Suarez *de cenſur. diſp. 37. ſect 2. num. 3.* communitas aliud non eſt, quàm ſingulæ perſonæ, & quando interdicitur commonitas, hæc non interdicitur in abſtracto, ſed in roncreto, hoc eſt interdicuntur omnes illæ perſonæ, quæ ſunt membra talis commonitatis: alioquin eſſet impoſſibile in interdicto communitatis omnes, & ſingulos nominare. 20

Interdictum ſi latum ſit pro delicto purè præterito ſine ulla adjecta conditione dependente ex voluntate illius, qoi interdicitur, & abſque temporis limitatione tolli non poteſt niſi per relaxationem, vel abſolutionem factam à ſuperiore habente poteſtatem ordinatiam, vel delegatam. Quòd ſi interdictum latum ſit, ut pura pœna pro peccato præterito, & pro tempore definito, tunc non eſt neceſſe, ut elapſo tali tempore interdictus abſolvatur; quia tunc ceſſat ipſo facto interdictum: cenſura enim non plus operatur, quàm per verba exprimatur. Sin verò interdictum latum ſit, ut recedatur à contumacia, vel ſub hac conditione tacita, vel expreſſa, donec ſatisfiat, vel reſtituatur. Covarruvias *in cap. Alma Mater p. 1. §. 11. num. 7.* cenſet, non eſſe neceſſariam abſolutionem, eò quia ſi conditio non eſt impleta interdictum non eſt tollendum: ſin verò conditio eſt impleta, ipſo facto ceſſat interdictum, 12

ctum, quia terminans tunc ponitur à lege, & ultra illum, interdictum non operatur.

27 Ab interdicto locali poſito à jure poteſt Epiſcopus abſolvere, quinimmo poteſt hoc interdictum ab Epiſcopo ſuſpendi ad tempus, quia ab iis, quæ non ſunt reſervata poteſt Epiſcopus diſpenſare. Non tamen poteſt Epiſcopus abſolvere ab interdicto perſonali, niſi hoc fuerit occultum, quia tunc poteſt abſolvere virtute privilegii conceſſi in Tridentino *ſeſſ.24. de reform. cap. 6.* Sin verò interdictum latum ſit à ſummo Pontifice, ut ab homine, non poteſt Epiſcopus ab illo abſolvere, cùm inferior non habeat juriſdictionem in ſuperiorem, ut notat Syrus *de cenſur. lib. 5. cap. 15. num. 14. & ſequent.* Confeſſarius verò & Parochus non poſſunt abſolvere ab interdicto locali: quia locus non eſt materia fori pœnitentialis, nec pertinet ad tribunal conſcientiæ auferre interdictum locale, quia talis ablatio interdicti eſt actus juriſdictionis in foro externo, quæ juriſdictio competit Epiſcopo, non Parocho, vel Confeſſario.

28 Hinc Parochus non poteſt abſolvere ab interdicto perſonali generali, quia communitas interdicta, ut talis præcisè non pertinet ad forum pœnitentiæ; in quo judicatur tantùm de ſingulis in particulari, non verò in communi. Poteſt tamen Parochus jure communi abſolvere ab interdicto perſonali particulari non reſervato, quia poteſt etiam abſolvere ab aliis cenſuris: Cæterum ante abſolutionem interdicti debet præcedere ſatisfactio partis, quapropter qui relaxat interdictum, tenetur vocare partes, ut eas componat, ſi id opus ſit: quinimo interdum præmittenda eſt etiam cautio juratoria de ſtando mandatis eccleſiæ juxta conſuetam eccleſiæ formam, ut habetur in *c. Super eo 5 1. h.t.* & *c. venerabil. 7. h.t. in 6.*

§. XIV.

Proponuntur, & diluuntur aliquot ſelectæ quæſtiones.

1 QUæritur, an Prælatus eccleſiaſticus incurrat pœnam excommunicationis, ſi per Laicos capiat Clericos delinquentes, quos in carcerem conjiciat? Reſpondetur negativè, & deſumitur ex *c. ſi. Clericos 15. h.t.* ubi Bonifacius VIII. reſcribit, quòd Prælatus capiens per Laicos ſuos Clericos ob exceſſus commiſſos; etiam ſi eos per laicos capiat, ne fugiant; & cuſtodiat in carcere; tametſi nondum conſtet, eos eſſe incorrigibiles, non eſt excommunicatus, nec Laici Clericos capientes ſunt excommunicati: quia non adeſt temeritas, nec injuria, niſi ex propoſito excedant. Idque procedit, ſive Clerici ſint conſtituti in ſacris, ſive non; quia textus loquitur in genere de Clericis. Hinc poſſunt Clerici ob commiſſa delicta capi, & detineri in vinculis per judices Laicos ex mandato Epiſcopi, vel alterius Prælati eccleſiaſtici; neque Laici tunc incurrunt excommunicationem, quia non capiunt Clericos injurioſè, nec temerariè, quapropter non dicuntur violentas manus in eos injicere.

2 Non tamen poſſunt Clerici ob debitum civile capi, & in carcerem detrudi; quia id tantùm permittitur ob commiſſa criminis, non ob contracta debita, niſi fortaſſis tale debitum oriatur ex crimine. Cæterum ſi Clericus, qui propter crimen poteſt capi, & detrudi in carcerem, det fidejuſſorem de parendo juri, non debet ulterius detineri, ſed liber dimitti niſi crimen eſſet adeò grave, ut daretur locus timori, ne relictis Fidejuſſoribus aufugeret. A fortiori etiam debet Clericus liberari à carcere, ſi det pignora, quia tunc habetur major cautio, quàm per Fidejuſſores.

3 Quæritur ſecundò, an ſi malefactor captus à judice Laico dicat ſe eſſe Clericum teneatur illum remittere ad judicem eccleſiaſticum? Reſpondetur de hac quæſtione agi in *c. ſi judex 12. h.t.* ubi Bonifacius VIII. reſpondet, quòd ſi judex Laicus detineat captum malefactorem, qui dicit ſe eſſe Clericum, ac proinde petat remitti ad judicem eccleſiaſticum, cognitio hujus cauſæ ſpectat ad judicem eccleſiaſticum, debet enim hic vocato tamen judice ſæculari cognoſcere, an revera ſit Clericus. Quòd ſi ſit fama publica, ipſum eſſe Clericum, vel conſtet pro Clerico communiter haberi; tunc etiam ante cognitionem cauſæ, an ille ſit Clericus tradi debet curiæ eccleſiaſticæ, adeò ut debeat ſtatim remitti.

4 Idque etiam procedit, ſi ante capturam erat in veſtibus Clericalibus, & tonſurâ, quia ſtatus alicujus is videtur eſſe, in quo ipſe deprehenditur, donec contrarium conſtet. Quòd ſi antequam caperetur, ſe gerebat ut Laicus, & incedebat in veſte laicali, quamvis poſtea tempore capturæ fuerit inventus in habitu Clericali, tunc non eſt ſtatim reſtituendus, donec probetur de titulo, quia eſt præſumptio contra ipſum, interim non proceditur contra illum. Hinc colligitur, quòd ſi reos capitur per judicem ſæcularem; & controvertatur, an ſit Clericus, & inceſſerit in habitu Clericali, & tonſura, tunc cognitio hujus rei pertinet ad judicem eccleſiaſticum, ut docent Covarruvias in *pract. quæſtionib. c. 33. num. 2.* Julius Clarus §. *fin. q. 36. n. 21.* Refert tamen Barboſa in *d.c. ſi judex n. 2. h.t.* in nonnullis Regnis contrarium obſervari; quia cùm hæc quæſtio conſiſtat in facto, poteſt judex ſæcularis de quæſtionibus facti circa eccleſiaſtica, & ſpiritualia negotia cognoſcere. Verùm id repugnat juri eccleſiaſtico, quia ſæculares non poſſunt exercere actus juriſdictionales in Clericos, niſi ex ſpeciali privilegio Papæ.

Rurſus ſi Clericus capiatur à Laico non ſolùm ipſe poteſt excipere, ſe eſſe Clericum, & petere, ut remittatur ad judicem eccleſiaſticum, ſed etiam hic poteſt ex officio captum Clericum repetere. Quòd ſi notoriè conſtet,

conſtet, captum à judice ſeculari eſſe Clericum, ut Archidiaconum, Archipresbyterum; tunc remitti ſtatim debet ad judicem eccleſiaſticum, quia quando opponitur exceptio notoria, judex ſtatim illam admittere debet absque alia judiciali cognitione. Rurſus pendente adhuc quæſtione, an captus ſit Clericus, vel Laicus remittendus eſt ſtatim ad judicem eccleſiaſticum, quia ad ipſum pertinet cognoſcere ſuper hac cauſa.

4 Quæritur tertiò, an aliquando poſſint Clerici criminoſi incarcerari à Laicis citra metum incurrendæ excommunicationis? Reſpondetur, Laicos de mandato judicis eccleſiaſtici poſſe Clericos ſine metu incurrendæ excommunicationis capere, & in carcerem detrudere, idq; deſumitur ex *c. ut famæ tua 35. h. t.* ubi Innocentius III. reſcribit, quòd Prælati debeant corrigere exceſſus Subditorum, & poſtquam ſunt canonicè de crimine condemnati, eos ſub arcta cuſtodia detinere, ne incorrigibiles, & aufugientes pejora faciant. Item quòd Laici citra excommunicationem poſſint capere Clericos, eosque ad judicium trahere etiam violenter ſi opus ſit, ſed de mandato judicis eccleſiaſtici, cui ſunt ſubditi, & cujus eſt corrigere: ratio etiam aſſignatur, quia tunc Laici non auctoritate propria capiunt Clericos, ſed auctoritate judicis eccleſiaſtici, qui utitur Laicis, ut ſuis miniſtris; adeò ut ſit judex eccleſiaſticus, qui Clericos capiat mediantibus miniſtris Laicis, quorum tamen violentia non debet ultra ſe extendere, quàm propria defenſio exigat; hoc eſt, ut notat Gloſſa, cum moderamine inculpatæ tutelæ.

5 Hinc poſſunt Laici de mandato Superioris violenter capere incorrigibiles, non tamen poſſunt ipſos corrigere verberando. Cæterum ſi Clericus ſit probabiliter ſuſpectus de fuga, poteſt etiam in arctum carcerem conjici, quamvis aliàs fuiſſet tantùm detrudendus in monaſterium ad agendam pœnitentiam. Juvat obſervare non poſſe Laicos capere Clericum, niſi ſpeciali mandato à judice eccleſiaſtico; quia talis captura non poteſt fieri niſi authoritate judicis eccleſiaſtici, proinde requiritur ſpeciale mandatum, & generale non ſufficit; & hoc procedit, quamvis Clericus ſit depoſitus, quia adhuc gaudet privilegio Clericali.

6 Quæritur quartò, quomodo debeat Prælatus Eccleſiaſticus uti gladio ſpirituali in propriam defenſionem contra poteſtatem ſæcularem? Reſpondetur ad hanc quæſtionem reſcribere Bonifacium VIII. in *c. dilecto filio 6. h. t.* quòd Prælatus eccleſiaſticus contra potentiam temporalem, ut ſi eum velit ſuis bonis injurioſè ſpoliare; vel eadem violenter occupare, poſſit ſe defendere armis temporalibus, & ſpiritualibus, ſeu excommunicatione, & interdicto: quia omnia jura permittunt ſingulis vim vi repellere, & ſe defendere, & utroque gladio uti, imò etiam hoc auxilium præbere cuilibet proximo ad repellendam ipſius injuriam. Ex quo textu liquet, Prælatum eccleſiaſticum poſſe uti gladio ſpirituali contra dominos temporales eos anathemate percutientes, & interdicentes, ſi nitantur injurioſè bona ipſius eccleſiaſtici uſurpare. Hinc ſi alicui Epiſcopo, vel alii Prælato eccleſiaſtico injuria inferatur ab aliquo Domino ſæculari, poteſt Epiſcopus eum excommunicare, ut etiam ejus terram ſubjicere interdicto eccleſiaſtico. Immò poteſt hiſce armis ſpiritualibus uti, etiam quando poſſet gladio temporali ſe defendere: immò poteſt priùs uti gladio temporali, & poſtea ſpirituali, ſi temporalis non ſufficiat, quia licitum eſt cuique, vim vi repellere. Et tunc poteſt Prælatus eccleſiaſticus excommunicare vim, & injuriam ſibi inferentem, etiam non præmiſſa monitione, quia tunc infligitur pro defenſione proprii juris, ut notat Covarruvias in *c. Alma Mater p. r. §. 9. num. 6.* ratio eſt, quia defenſio eſt juris naturalis, & non ſolùm Laicis, ſed etiam Clericis competit, quibus propterea licitum eſt ſe defendere utroque gladio temporali, & ſpirituali.

Quæritur quintò, an excommunicatio lata poſt appellationem, ſed quæ per negligentiam deſerta fuit, convaleſcat? Reſpondet Bonifacius VIII. in *c. licèt 14. h. t. in 6.* quòd qui eſt excommunicatus, poſt legitimam appellationem, & per negligentiam non proſequitur ſuam appellationem poſt tempus elapſum, non ideò convaleſcit excommunicatio lata, ſed elapſo tempore eſt publicè denonciandus excommunicatus, & evitandus, & removendus ab actibus legitimis, donec doceat quòd fuit excommunicatus poſt appellationem, vel aliàs oſtendat nullitatem excommunicationis. Ex quo textu colligitur, quòd ſi excommunicatus poſt legitimam appellationem interpoſitam ex juſta, & vera cauſa, eam debito tempore ob negligentiam non proſequatur; non ideo ratificantur attentata ab excommunicatore poſt appellationem ex juſta cauſa factam: quia per legitimam appellationem eximitur appellans à juriſdictione judicis, & ejus juriſdictio ſuſpenditur; proinde tam excommunicatio, quàm alii actus geſti ab eo poſt appellationem non ſunt validi; proinde neque ex poſt facto convaleſcunt; quod enim nullum eſt ipſo jure, non poteſt tractu temporis convaleſcere; nec ratificari ex *regula juris 18. in 6.* Idque etiam procedit de ſententia ſuſpenſionis, & interdicti, quia eſt eadem ratio *argum. c. ſtatutum 13 h. t. in 6.* Immò etiam in aliis ſententiis, quæ ipſo jure ſunt invalidæ. 7

Rurſus liquet quoad deſertionem appellationis, paria eſſe non proſequi appellationem intra terminum juris, vel hominis *c. perſonas 4. de appell.* licèt enim appellans poſt deſertam appellationem abſque juſto impedimento non poſſit eam proſequi; poteſt nihilominus proſequi nullitatem excommunicationis, & dicere, illam eſſe nullam non ſolùm 8

quia

quia lata eſt poſt appellationem; ſed etiam ex alia cauſa coram quocunque judice competente. Ruiſus qui poterat proſequi ſuam appellationem, & id neglexit, punitur ob negligentiam, ac propterea denunciatur publicè excommunicatus, & vitandus, tam in judicio, quàm extra judicium; verùm ipſe non tenetur interim ſe gerere pro excommunicato, ſi revera ſententia excommunicationis ſit nulla; unde ejus acta ſunt valida, tametſi non ſortiantur effectum, niſi in futuro eventu, quo probetur nullitas excommunicationis. Hinc poteſt quis declarari excommunicatus, qui tamen revera non ſit excommunicatus, eò quia ſententia excommunicationis ſit nulla.

11 Quæritur ſextò, an poteſtatem ferendi excommunicationem, & alias cenſuras poſſit conſuetudine, vel præſcriptione acquiri? Reſpondetur affirmativè ex *c. Romana 3. b. t. in 6. c. dudum de elect. & electi poteſtate.* Notat enim Gloſſa in *d. c. Romana* Archiepiſcopi abſolventis ab excomunicatione non ſubditum abſolutionem eſſe invalidam, eò quia fertur in non ſubditum in prima inſtantia: niſi ſit conſuetudo, vel privilegium *c. Romana de offic. ordin. & de foro compet.* unde ubi conſuetudo invaluit poteſt quis ferre cenſuras, quia ad quem pertinet abſolvere à cenſuris, ſpectat etiam poteſtas ferendi cenſuras. Da præſcriptione ſignificatur etiam in *c. auditis, & c. cum olim de praſcript.* ratio eſt quia juriſdictio poteſt conſuetudine acquiri, *c. cum contingat de foro competent.* ſicut conſuetudine poteſt introduci: ita poteſt abrogari obligatio obtinens vim legis, & per legitimam præſcriptionem poſſunt mutari jura.

12 Verùm licèt hæc juriſdictio dicatur acquiri præſcriptione, vel conſuetudine conceditur tamen hæc poteſtas tunc à ſummo Pontifice, qui hoc ſtatuit ita fieri, ut nimirum juriſdictiones eccleſiaſticæ firmæ eſſent, ac certæ. Poteſt tamen hæc facultas acquiri circa unam cenſuram non circa aliam, cum inter ipſas non ſit neceſſaria connexio; ut qui unam fert, poſſit etiam aliam ferre: non enim in præſcriptionibus, & conſuetudinibus locum habet, ut jus acquiſitum circa actus unius generis extendatur ob ſimilitudinem ad alios *c. cum olim de praſcriptionib.* Præterea habens poteſtatem hanc ferendi cenſuram non poteſt ea uti in cauſa propria *cap. inter querelas cap. 23. quaeſt. 4.* quia nemo permittitur eſſe judex in propria cauſa, quòd tamen intelligit Innocentius IV. in *c. dilecto filio 6. in 6.* ubi Prælatus cenſuram fert per modum judicii, non verò quando in propriam defenſionem utitur gladio ſpirituali contra violentum invaſorem; quia jus naturæ dictat vim vi eſſe repellendam. Neque obſtat, quòd excommunicatio habeat rationem pœnæ, quia tunc non infligitur per ſe ſub ratione pœnæ, ad vindicandum delictum, ſed ſub ratione propriæ defenſionis, & ut præcaveatur majus malum, unde Pontifex in *d. c. dilecto filio* ait, quòd Prælatus eccleſiaſticus contra potentiam temporalem, ſi eum vult ſuis bonis injurioſè ſpoliare poſſit ſe defendere armis temporalibus, & ſpiritualibus, ſeu excommunicatione, & interdicto, quia omnia jura permittunt ſingulis ſe defendere, vimque vi repellere.

Quæritur ſeptimò, an excommunicatio 13
ſit actus irretractabilis, ſeu irreparabilis. Damnum irreparabile dicitur, quod quis ſemel eſt paſſum, quia non poteſt fieri, ut non fuerit tale damnum in ſe paſſum, qui enim fuit virgis verberatus non poteſt fieri, quin ſenſerit verbera illa. Reſpondent ad quæſitum plures præſertim Juris-Conſulti, excommunicationem non eſſe actum irretractabilem, dicunt enim, eos actus dici irretractabiles, in quibus per revocationem, quæ ſubſequi poteſt, non poteſt concedi reſtitutio ad primævum ſtatum, ut docent Alexander in *l. 4. §. condemnatum n. 10. ff. de re judic.* Jaſon *ibid. num. 24.* & in excommunicatione per abſolutionem fit plena reſtitutio ad primævum ſtatum, hinc inferunt, excommunicationem non eſſe actum irretractabilem. Nihilominus reſpondendum eſt, excommunicationem eſſe actum irretractabilem, idque evinci ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. c. 1 de reform.* cùm enim determinâſſet gravamen irreparabile, quod per definitivam reparari non poſſit; quæſita circa hoc ſacra Congregatio, quænam eſſent dicenda gravamina irreparabilia, facto verbo cum ſanctiſſimo tunc Clemente VIII. reſpondit, eſſe torturam, excommunicationem, & carcerationem, idque patet ex decreto edito Romæ die 16. Octobris 1600. quod citat Piaſecius in *prax. p. 2. c. 4. art. 15. n. 6.* & Lezana *in ſumma tom. 3. V. appellare n. 17.* ubi ponit diſcrimen inter ſententiam definitivam, & interlocutoriam; ut definitiva ſit, quæ fertur ſuper cauſa principali, de qua controvertitur, ut an maritus fuerit adulter: interlocutoria verò, quæ fertur ſuper dubiis emergentibus in ipſa cauſa, ut de teſte aliquando recipiendo, dilatione danda. Poſtea ſubdit, appellationem poſſe fieri ab utraque ſententia, ita tamen, ut ab interlocutoria comuniter non liceat, niſi contineat damnum irreparabile, & citat Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. c. 1. de reform.* & *ſeſſ. 24. c. 20. de reformat.*

Hoc autem damnum irreparabile, ait, 14
eſſe torturam, excommunicationem, ſuſpenſionem, interdictum, immò ex declaratione ſacræ Congregationis etiam incarcerationem. Et rectè ſacra Congregatio inter gravamina irreparabilia recenſuit carcerationem, quia ut notat Calvacanus de Brachio Regio *p. 2. n. 13. c. dura, & incarceratio;* carceratio affert præjudicium irreparabile, ſive quoad honorem, ſive quoad ſcandala, & hoc idem etiam docet Genuenſis in *praxi c. mihi 70. n. 12.* quia licèt carceratio per liberationem poſſit de futuro reparari, & revocari; non tamen poteſt revocari de præterito reſpectu præjudicii ignominiæ, & damnorum corporis; ita etiam ex-

communicatus, quamvis per abſolutinuem poſſit liberari ab excommunicatione, non tamen poteſt revocari de præterito reſpectu præjudicii ignominiæ, & privationis fructuum ſpiritualium.

15 Quæritur octavò, an cenſura, ut incurratur, debeat præſupponere actum conſumatum, ſeu totaliter expletum? Reſp. ad incurrendam excommunicationem latam à jure ob aliquod delictum requiri, ut delictum ſit in ſuo genere conſummatum, ſeu expletum; idque deſumitur ex *c. perpetua ſanctionis de elect. in 6.* ubi dicitur ſcienter indignum eligentes non incurrere juris pœnas, niſi adeò in eo perſtiterint, ut ex votis eorum communis electio ſubſequatur; ex quo textu apertè ſignificatur, pœnam non incurri ob peccatum quod non eſt omnino completum in ſuo genere, vel quod caruit effectu. Ratio deſumitur ex eo, quòd odia ſint reſtringenda: lex enim punitiva ut eſt, quæ imponit cenſuras eſt ſtrictè interpretanda, ut docet Suarez *de cenſuris diſp. 4. ſect. 3. num. 4.* hinc qui nititur, Clericum percurere, vel etiam occidere, ſi illum non vulneravit, nec tetigit, eò quia ictum erraverit, tametſi peccet mortaliter, non tamen incurrit excommunicationem canonis, *ſi quis ſuadente.* Rurſus ſi lex imponit cenſuram contra homicidam; ſi quis aliquem percutit, vel etiam vulnerat, ſi mors non ſequatur non incurrit cenſuram, quia hæc non eſt lata propter vulnus, ſed propter homicidium, quod per inflictum vulnus fuit tantùm inchoatum, & ad incurrendam excommunicationem requiritur homicidium conſummatum cum effectu.

16 Immo quamvis plura ſint inflicta vulnera, ex quibus naturaliter debeat mors ſequi; ſi vulneratus miraculosè conſervaretur, ejusq; mors impediretur, adhuc vulnerans non incurreret excommunicationem; quia tametſi actio ex parte vulnerantis ſit perfecta; quia tamen homicidium non ſequitur ex parte vulnerati, non incurritur excommunicatio; quia hæc non fuit lata, niſi ob ſolum homicidium cum effectu; proinde ſi non ponatur homicidium, non incurritur excommunicatio. Ob eandem rationem non incurrit excommunicationem latam contra hæreticos, qui non eſt perfectè hæreticus, hoc eſt externè, & denunciatus ut talis: pari pacto, qui conſulit, aut mandat opus, cui eſt annexa cenſura, hanc non incurrit, tametſi ex conſilio, & mandato ſequatus opus (niſi in jure exprimatur, quòd contrahant excommunicationem, etiam conſulentes, & mandantes) ratio eſt, quia conſulens, & mandans opus, non efficit phyſicè opus illud, cujus eſt tantùm cauſa moralis, licèt peccet. Quòd ſi excommunicatio lata ſit, etiam contra conſulentes, & mandantes, tunc iſti non incurrunt cenſuram ob conſilium, & mandatum, niſi ſequatur opus: opere enim non ſecuto non incurritur excommunicatio ſi hæc principaliter feratur propter tale delictum: alioquin ſi feratur principaliter propter conſilium aut mandatum ſtatim incurritur antequam ſequatur opus, immò licèt hoc non ſequatur, ut habetur in *c. 1. de homicid. in 6.* & in *Clement. de pœn. c. 1.*

Quæritur nonò, an excommunicatio ferri poſſit pro peccato purè interno? Reſpondetur, duas eſſe ſententias. Primam affirmativam, quam docent Hadrianus *quodlib. 8. q. 1.* Corduba in *qq. Theolog. lib. 4. q. 13.* & alii, qui ea nituntur ratione, quia poteſtas eccleſiæ eſt ſpiritualis, & poteſt propterea præcipere, ac prohibere actus purè internos; idque firmant, quia in *Clement. 1. de hæret.* excommunicantur Inquiſitores, qui in cauſa fidei ex odio, vel amore aliquid omittunt, & ex *Clement. de ſtatu Monachor.* ubi excommunicatur Monachus, qui abſque licentia ſui Prælati ſe confert ad curiam Regiam, ea intentione, ut illum accuſet: & ex *can. ſi quis diſt. 30.* deſumpto ex Concilio Gangrenſi *cap. 18.* ubi anathematizantur, qui in die dominica jejunant in contemptum ejuſdem diei. 17

Secunda ſententia, cui adhærendum omnino eſt, docet, excommunicationem non poſſe ferri ob peccatum purè internum, eſt enim hæc ſententia communis inter Theologos, & Canoniſtas, & deſumitur ex *c. tua nos de Simonia 3.* & *c. ſicut tuis eod. tit.* ut etiam ex Apoſtolo *1. ad Corinth. 4.* ubi ait, *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia, & tunc laus erit unicuiq; à Deo.*

Hinc deducitur regula, quòd eccleſia non judicet de occultis: ratio itidem id ſuadet, quia judicium non poteſt formari ſine cognitione: peccata autem occulta ſunt ignota de lege ordinaria hominibus viatoribus; proinde eccleſia non poteſt de ipſis judicium ferre condemnando, vel abſolvendo. Idque procedit de actu interno, & occulto per ſe; non verò de actu interno connexo actui externo, eò quia internus ſit cauſa externi: quia tunc internus indirectè, ſeu ratione externi ſit ſenſibilis; proinde cadit ſub judicium eccleſiæ, à qua præcipi poteſt, puniri, & prohiberi. Quamobrem delictum ob quod fertur excommunicatio debet eſſe actus externus, vel junctus externo, ratione cujus fiat indirectè ſenſibilis. Rurſus ut incurratur excommunicatio debet actus eſſe conſummatus prout lex ſtatuit, quia pœnæ reſtringi, non ampliari debent: hinc ſi deſit aliqua conditio, ex cujus defectu actus non judicetur perfectus, & conſummatus, non incurritur propter talem actum excommunicatio; ut docet Suarez *de cenſur. diſp. 4. ſect. 7.* Vaſquez *de excommun. dub. 13.* Valentia *tom. 3. diſp. 7. q. 3. punct. 2.* 18

Hinc ad textus adductos pro prima ſententia reſpondetur, ex illis potiùs colligi nullum actum interiorem prohiberi, nec puniri ab eccleſia, niſi verbo, aut alio ſigno exteriùs indicetur, quamvis conjugatur cum actu exteriori. 19

tiori. Præterea Inquiſitores non incurrere excommunicationem, quamvis ex odio, vel amore procedant in cauſa fidei, niſi ſigno aliquo exteriori ſignificent omiſſionem provenire ex odio, vel amore. Similiter Monachus quamvis adeat curiam animo accuſandi ſuum Prælatum, non incurrit excommunicationem, niſi exteriùs per ſignum aliquod ſenſibile animus manifeſtetur. Neque excommunicationem incurrunt, qui in contemptum diei dominicæ ea die jejunant, niſi indicent exteriùs id fieri in contemptum. Ex quibus conſtat, excommunicationem non ferri pro peccato purè interno; ſed tantùm poſſe ferri pro peccato interno, ut connexo cum externo, qui ſit ſignum ſanſibile interni. Quòd ſi actus externus ſit ſecundùm ſe honeſtus, ac bonus non incurritur excommunicatio, quia tunc non eſt nec indirectè manifeſtativus actus interni mali, quia ut probat Suarez *de cenſur. diſp. 4. ſect. 2. n. 18.* cùm actus externus ſit bonus, nec ſit ſignum malitiæ ex fine, non poteſt ab eccleſia judicari malus ob ſolam circumſtantiam finis. Cæterum Suarez *loc. cit. n. 22.* docet, poſſe eccleſiam prohibere actionem externam ex ſe malam, & prohiberi illam ut præcedentem à peculiari affectu, & non ab alio: idque putat probari argumentis, quibus ſolet probari, eccleſiam poſſe punire actum internum, ut connexum externo. Tum quia licèt quis externo actu profiteretur hæreſin, & animo veram fidem retineret, non incurreret pœnam hæreſis. Vaſquez tamen in *1. 2. diſp. 160. cap. 5. n. 20. & tractat. de excommun. dub. 19.* aſſerit, actum externum debere eſſe ſignificativum actus interni ſub ea ratione, quâ eſt prohibitus actus externus ab eccleſia, quia actus externus ſub ea ratione malitiæ eſt omnino incògnitus eccleſiæ, cùm neque ex materia habeat talem malitiam; neque ſit ſignum malitiæ ex fine, quæ latet in voluntate.

20 Quæritur decimò, an ſententia cenſuræ lata ſub forma disjunctiva valida ſit, ſuumque ſortiatur effectum, ut ſi judex dicat: Præcipio hoc tibi ſub pœna excommunicationis, vel ſuſpenſionis? Reſpondent Sayrus *de cenſur. lib. 4. c. 7. num. 2.* Ugolinus *de cenſur. tit. 1. §. 2. num. 4.* Navarrus *c. 27. num. 61.* talem ſententiam disjunctivè latam nullum ſortiri valorem, quia verba illa *excommun. vel ſuſpendo te* nihil determinatè ſignificant; proinde nihil determinatè efficiunt. Tum quia tunc verba non poſſunt operari utrumque, excommunicationem ſcilicet, & ſuſpenſionem ſimul, quia illa particula *vel* eſt disjunctiva, non copulativa, & intentio judicis non eſt, per illam ſententiam utrâque cenſurâ illaqueare; neque poſſunt verba ſententiæ alterum tantùm operari, quia non eſt major ratio de excommunicatione, quàm de ſuſpenſione. Suarez tamen putat valere talem formam quoad alterutrum, ac eſſe in arbitrio Rei eligere, quam velit ex duabus cenſuris in ſententia latis disjunctivè.

21 Verùm non putârim huic ſententiæ adhærendum niſi de alterutra incurrenda cenſura ad arbitrium rei conſtet intentio judicis: ſi enim intentio judicis non explicetur forma cenſuræ manet dubia, proinde reus in dubio qualem pœnam ſit ſubiturus, nullam tenetur ſubire. Quòd ſi judex expreſſè relinquat arbitrio Rei eligere, quam maluerit ex duabus cenſuris, & reus eligeret unam determinatè, hæc procul dubio ligaret ex intentione ferentis cenſuram, immò teneretur Reus eligere ex duabus, quam maluerit: ratio eſt, quia ſententia lata in foro conſcientiæ, & pœnitentiali ſub forma disjunctiva arbitrio pœnitentis determinanda eſt valida, ut ſi Confeſſarius injungeret pœnitenti, ut vel die Sabbathi jejunet, vel det unum florenum in eleemoſynam pauperibus, tunc enim pœnitens ſatisfacit pœnitentiæ ſibi injunctæ alterutram ex illis exequendo. Cæterum ſi judex eccleſiaſticus ferret ſententiam cenſuræ ſub tali forma disjunctiva non excuſaretur à culpa, quia non eſt in uſu eccleſiæ, nec quòd pœna eligatur à reo; quia de ratione pœnæ eſt ut involuntariè incurratur.

22 Quæritur undecimò, an judex excommunicatus poſſit validè alium excommunicare? Reſpondetur negativè, præſertim ſi ſit excommunicatus nominatim denunciatus, aut notorius Clerici percuſſor; quia talis judex cùm non toleretur ab eccleſia, deſtituitur etiam omni juriſdictione eccleſiaſtica; & cum ferre ſententiam excommunicationis ſit actus juriſdictionis, debet neceſſariò, & eſſentialiter præſupponere juriſdictionem in ferente talem ſententiam. Immò tametſi judex excommunicatus, vel ſuſpenſus ſit occultus, adhuc probabilis nonullorum ſententia eſt, talem judicem non poſſe ferre ſententiam excommunicationis, eò quia excommunicatio, & ſuſpenſio tollit juriſdictionem excommunicandi, & ſuſpendendi. Verùm probabilior & communior ſententia eſt, juriſdictionem excommunicandi, & ſuſpendendi non tolli, niſi per manifeſtam ſententiam latam à judice.

23 An verò ſi judex excommunicatus ſit toleratus poſſit validè excommunicare negat Layman *lib. 2. tract. 5. p. 2. cap. 5. num. 7.* eò quia in Extravag. Concilii Conſtantienſis nullum jus, & favor detur ipſis excommunicatis, niſi quatenus cedit in gratiam, commodum, aut petitionem reliquorum fidelium, ex quo infert, actus juriſdictionis coactivæ, quos judex ex officio exercet erga ſubditum invitum, non minus nunc eſſe inefficaces, quàm antea. Verùm contraria ſententia non caret probabilitate, cui adhæret Coninck *de ſacram. diſp. 14. dub. 10. num. 91.* quia quamdiu judex, toleratur in excommunicatione ab eccleſia, publicè agnoſcitur, ut verus judex; proindè exercet actus juriſdictionis; & validè etiam injungit Reo, ut pareat latæ ſententiæ; ſiquidem hoc præceptum eſt actus juriſdictionis, cui ſi reus non obediat, eſt contumax. Tum

quia

quia quamdiu contra talem judicem toleratum non excipitur, agnoſcitur publicè, ut verus, ac legitimus judex; cui tenetur reus obedire. Tum quia ſi ei non eſſet jurisdictio, eccleſia ſuppleret eius defectum propter bonum commune, Tum quia quoad exercitium actuum judiciallum eodem modo ſe habet nunc excommunicatus toleratus; ſicut aliàs ſe habebat excommunicatus occultus; uterque enim habet impeditam jurisdictionem; & tamen hoc impedimentum in excommunicato occulto ſuppletur ab eccleſia; adeò ut validè exerceat eius actus, ſed judicio judicis excommunicati occulti olim reus tenebatur obedire, niſi contra judicem legitimè exciperet *cap. 1. de except. in 6.* ergo tenetur etiam reus nunc obedire judici excommunicato tolerato.

24 Verùm licèt poſt Concilium Conſtantienſe poſſit judex excommunicatus toleratus validè exercere actus jurisdictionis; poteſt tamen reus eius judicium declinare opponendo excommunicationem: ratio eſt, quia tametſi fideles poſſint cùm ipſo converſari non tamen tenentur: unde poſſita excommunicatione, & quod reus nolit converſari cum illo, ut excommunicato, ſi ſententiam ferat excommunicationis hæc eſt nulla, quia tunc reus non cenſetur contumax ſi non obediat, quia non obediendo illi, non peccat.

25 Quæritur duodecimò, an excommunicatio per vim, & metum lata valida ſit? Plures docent, eſſe validam præſertim Suarez *de cenſurie diſp 2. ſect. 5. num. 2.* Coninck *de ſacrament. diſp. 13. dub. 5. num. 36.* ratio, quâ nituntur, eſt, quia quæ metu fiunt niſi aliquo jure impediantur valida ſunt; ſiquidem voluntas tametſi coacta, adhuc eſt voluntas, ut docet Ariſtoteles *3 ethic.* & *l ſi mulier. §. ſi metu ff. quod metus cauſa.* Tum quia, vel qui per metum fert ſententiam excommunicationis, habet intentionem excommunicandi, vel non: ſi primum metus non videtur obſtare, quo minus habeat vim obligandi; quia intentio nunquam poteſt ulla vi humana extorqueri. Si ſecundum excommunicatio eſt irrita, ſed non ratione metus, ſed tantùm defectu intentionis. Hinc tametſi excommunicatio feratur metu gravi etiam cadente in virum conſtantem id non obſtat valori cenſuræ, quia tunc cenſura ſic lata nullo jure irritatur: non jure naturali, quia tametſi ſententia ex metu feratur eſt tamen ſimpliciter voluntaria. Neque irritatur jure poſitivo, quia nullum eſt aſſignabile tale jus.

26 Verùm contraria ſententia eſt probabilior, eique adhærendum puto cum Ugolino *de cenſur. tabul. 1. cap. 2. §. 4. num. 2.* Cornejo *in 3. p. tractat. 5 de cenſur in gen. diſt. 2. n. 4.* Sayro *lib. 1. cap. 16. num. 9.* ratio eſt, quia abſolutio ab excommunicatione per vim, & metum extortam eſt invalida, ut expreſsè reſcripſit Pontifex *in cap. unic. de iis quæ vi metuve cauſa fiunt in 6.* proinde erit etiam invalida excommunicatio eodem metu extorta. Tum quia jura in favorabilibus debant ampliari ſicut, & in odiſis reſtringi, unde ſi abſolutio à cenſura per vim & metum extorta cenſetur in jure irrita ratione metus incuſſi, multo magis id cenſendum erit de ipſa excommunicatione, cùm hæc ſit odioſa, & eius abſolutio favorabilis. Tum quia ex vulgari regula, quæ à plerisque approbatur quando aliqua veteri jure facta ſunt paria, quod poſtea jure novo de uno ſtatuitur, id extenditur ad alterum: atqui jus ligandi, & ſolvendi ſunt paria, proinde quod in *cap. unic. de his quæ vi metúsve cauſa ſiunt in 6.* ſtatutum eſt de abſolutione, cenſeri etiam debet ſtatutum de ipſa excommunicatione.

Quæritur tertiodecimò, an cenſura ſub conditione lata valida ſit? Reſpondetur affirmativè, & deſumitur *ex cap. Romana 5. h. t.* ubi Pontifex reſcribit *in §. caveant*, quòd taliter non excommunicent, ſive in genere, ſive in ſpecie pro futuris culpis, ut ſi tale quid fecerint, vel pro jam commiſſis ſub hac forma, ſi pro illis intra tale tempus minimè ſatisfecerint, niſi præceſſerit culpa, vel mora, aut ſit alia rationabilis cauſa; quæ eſt exprimenda in ſententia: ex quo infertur, quòd ſi culpa præceſſerit excommunicatio lata ſub conditione ſit valida. Verùm tunc cenſura lata ſub conditione non incurritur, donec conditio adveniat, & impleatur; quia excommunicatio tunc tantùm fertur à judice, & ſuam habet efficaciam, quando ponitur conditio, quia tunc cenſetur proferri à Judice, & non tempore pronunciationis, ut docet Covarruvias *in cap. Alma Mater p. 1. §. 10. num. 6. h. t.* Appellatio tamen poſt ſententiam excommunicationis latam ſub conditione, ſi fiat ante completam conditionem ſuſpendit excommunicationem, ut docent plures cum Avila *p. 2. c. 5. diſp. 5. dub. 11. concluſ. 3.* 27

An verò hæc appellatio poſſit fieri toto tempore, quo conditio non eſt impleta; vel ſolùm intra decem dies, ut fieri ſolet appellatio ab aliis ſententiis juxta *cap. quod ad conſultationem de re judic.* non conveniunt Doctores Abbas *in cap. præterita de appellat.* cenſet faciendam eſſe intra decem dies, eò quia jus ſit generale. Gloſſa tamen *in d. cap. præterea* cenſet poſſe appellationem fieri toto tempore, quo conditio non eſt impleta, & huic ſententiæ adhæret Navarrus *in cap. cùm contingat de reſcript. cauſ. 18.* Ratio eſt, quia *in dc cap. præterea de appellat.* expreſſè dicitur, quòd appellatio poſſit fieri *medio tempore*, hoc eſt toto illo tempore antequam conditio purificetur, quia ante conditionem purificatam ſententia non eſt ſimpliciter talis; ſed tantùm ſecundùm quid; hinc non debet mirum videri, ſi non comprehendatur ſub jure, & lege generali. 28

Hinc quamvis ab aliis ſententiis appellari debeat intra tempus à jure præfixum, ſeu intra decendium: ab excommunicatione tamen lata ſub conditione poteſt ſemper appella- 29

pellari ante purificationem conditionis, etiam poſt decem dies; ratio diſcriminis eſt, quia ad incurrendam excommunicationem requiritur peccatũ contumaciæ & contumacia non habetur niſi tunc quando implenda eſt conditio, & non impletur: nec tunc excommunicatio retrotrahitur ad tempus, in quo prolata eſt ſententia. Cæterum ſi conditio eſſet de futuro, & omnino impertinens; cenſura non eſſet licita, quia id eſſet abuſus poteſtatis ſpiritualis: an verò ſit etiam invalida, videtur reſpondendum negativè, quia judex poteſt ſuum conſenſum adnectere cuilibet conditioni, proinde cum talis actus aliàs non ſit jure poſitivo irritus, nil videtur obſtare, quo minus debeat ſortiri ſuum effectum.

30 Quæritur quartodecimò, an probabiliter judicans ſententiam excommunicationis eſſe nullam teneatur, ſe gerere, ut excommunicatus? Aliqui negativè reſpondent, quia pœnæ non incurruntur, niſi ſententia in rei veritate valida ſit, ſi enim in re non eſt valida, neque excommunicatio ſuum ſortitur valorem, & efficaciam, eſt enim excommunicatio pœna: ita docet Turrianus *de cenſur. lib. 2. diſp. 21. dub. 3.* Sed verior, & communior ſententia, cui adhærendum eſt, docet, ita dubitantem teneri ſe gerere, ut excom̃unicatum; quia in dubijs an ſententia excommunicationis valida ſit, judicandum eſt in favorem judicis ferentis ſententiam.

31 Tum quia in dubiis tutior pars eſt eligenda, & ſi dubitans ſe gerat, ut excommunicatus; non incurrit periculum contumaciæ, & inobedientiæ, proinde eximitur à periculo peccandi: ergo ita dubitans de ſententia judicis, tenetur tam in exteriori hominum conſpectu, & apparentia, quàm in occultò parêre judici: alioquin ſi contrafecerit incidit in omnem pœnam à jure ſtatutam. In dubio verò, an cenſura ſit lata, vel ferenda, cenſenda eſt tantùm ferenda, quia odia reſtringi debent. Hinc ut teneantur vitare excommunicatum non ſufficit dubium quamvis prudens denunciationis; ſed requiritur notitia moraliter certa de dicta denunciatione.

Quæritur quintodecimò, an hæreticus non denunciatus poſſit abſque incurſione excommunicationis in eccleſia ſepeliri. 32 Certum eſt, prohiberi Chriſtianis ſepelire propriis manibus cadaver illius, qui fuerat publicè denunciatus hæreticus, & ſepelientes ſi ſcienter id faciant incurrere excommunicationem majorem: unde difficultas eſt de hæretico non denunciato, & Henriquez *lib. 13. num. 3.* cenſet, hæreticum non denunciatum poſſe ſepeliri abſque incurſione excommunicationis in loco ſacro, & ſepelientes non peccare; quia ſepultura pertinet ad divinum officium, in quo tunc tantùm quis peccat, quando repetit excommunicatum non toleratum. Verùm contraria ſententia communior eſt, eique adhærendum, quia ut hæretici priventur eccleſiaſtica ſepultura non eſt neceſſe, ut ſint nominatim denunciati, ſed ſufficit, ſi manifeſtè conſtet, eos eſſe hæreſi infectos, & cum tali hæreſi deceſſiſſe: id enim ſpecialiter eſt factum in hæreticis ob criminis enormitatem: debet tamen hæreticus, ita notoriè decedere, ut nulla tergiverſatione eius malitia poſſit excuſari; alioquin non eſſet privandus eccleſiaſtica ſepulturâ, quia quilibet ſemper præſumitur bonus, donec probetur malus.

TITULUS XXXX.

De Verborum Significatione.

QUemadmodum juris conſulti plerumque circa verborum interpretationem non modicè laborant ad eliciendas ex his contrahentium voluntates, & ad eruendam cujuscunque legis, & conſtitutionis mentem, ut etiam legislatoris intentionem; ita etiam juris canonici authores maximam habent verborum rationem: & licèt hic titulus fortâſſis ab aliquo deſideraretur ſtatim ſub initium Juris Canonici, perinde ac in Grammatica pueris ſtatim nomenclator exhibetur pro communiori latinarum vocum intelligentia; nihilominus in neutro jure id expediens viſum fuit, nec fieri commodè poterat, quia ſignificatio verborum difficilior eſt, quàm ut ad Tyronum captum faciat: proinde quia ab incipientibus difficulter verborum ſignificationes comprehendi potuiſſent, conſultius viſum fuit, eas in calce utriusque juris ponere. Quia verò ſignificatio verborum per totum jus paſſim diffuſa videtur in propriis materiis; ideo hîc breviter tantùm eas exponemus. Ut autem quædam generalia, & obſervatu digniora proponantur, notandum primò eſt, verba cujuscunque diſpoſitionis eſſe ſemper intelligenda, & interpretanda in ptopria ſignificatione, & ſecundùm commu-

nem uſum hominum *l. non aliter 69. ff. de leg. 3.* & id procedit, quamvis materia ſit ſtrictæ interpretationis, præjudicialis alteri, niſi fortaſſis aliter conſtet de mente diſponentium, & tunc onus probandi talem mentem eſſe diſponentis incumbit alleganti, ut notat Gloſſa *in d. l. non aliter. V. teſtatorem.* Rurſus quando ex verbis ſequitur aliquod abſurdum, vel diſpoſitio redditur inutilis, tunc verba ſunt potiùs in ſenſum improprium accipienda, quàm ut diſpoſitio pereat. Secundò debent verba intelligi cum ſuo effectu, adeò ut aliquid operentur, & non ſint ſuperflua *l. 1. §. hac autem verba ff. quod quisque juris.* Tertiò in verbis potiſsimum attendenda eſt mens diſponentium: ſiquidem verba debent deſervire intentioni, non intentio verbis, ut habetur *in cap. intelligentia 6. h. t.* Quartò ſi verba in contractibus, ſeu pactis ſint ambigua, tunc interpretatio fit contra illum, qui potuit legem clariùs, & apertiùs proponere *cap. contra eum de regul. jur. in 6.* Verùm quantum fieri poteſt ſervanda ſemper eſt æqualitas inter contrahentes *l. penult. c. communi dividundo.* debet enim haberi ratio æqualitatis *l. ſi id quod 7. ad fin. §. de reſcind. vendit.* Quintò verba intelligenda ſunt etiam ſecundùm ſubjectam materiam, & naturam actûs, vel contractûs. Cæterum in dubiis ſi quæratur de verbis reſcripti ſummi Pontificis, tunc conſulendus eſt Pontifex, ut in *cap. olim 16. h. t.* aliàs accipienda ſunt verba juxta ſenſum ac ſignificationem, ſecundùm quam inſpectis rerum circumſtantiis veriſimile eſt, proferentem ita ex accipiſſe, ut habetur *in cap. quærenti 20. h. t.* ne dum proprietas ſpectatur, veritas amittatur.

§. I.

De Verborum ſignificationibus, quæ habentur in Capitulis huius tituli.

1 VT explicemus verba, quæ in hoc titulo ponuntur, breviter exponenda ſunt per capita, in quibus recenſentur. In *cap. 1. innovate* deſumitur *novale* pro prima telluris neglectæ cultura, adeò ut *novale* ſit ager nunc primum proſciſus, ſeu terra, de qua non erat memoria, quòd fuerit exculta, & nunc tantùm primùm colitur. Hic textus deſumptus eſt ex D. Hieronymo ſuper Oſeæ *cap. 10.* & refertur in Gloſſa interlineari *l. 30. §. 2.* Rurſus *in ff. de V. S. novale* definitur terra proſciſa, quæ anno ſuperiori ceſſavit, aratro ſciſſa, verſa, culta, & quæ alternis annis colitur; nihilominus Innocentius III *in cap. quid* reſcribit, ſuos prædeceſſores per *novale* intellexiſſe agrum de novo cultum, & redactum, de quo non extat memoria, quòd aliquando fuiſſet cultus, & hæc ſignificatio eſt communiter accepta.

2 *Cap. 2. Nam & Rex* ponitur nomen *patris* ad ſignificandum proavum, & avum, imò ut notat Gloſſa, usque ad Tritavum patres dicuntur Habetur enim *in d. cap. nam & Rex Nabuchodonoſor Pater tuus*, ſeu Proavus more Scripturæ, ſcilicet quæ avos patres appellat, & concordat *lex appellatione ff. eod.* ubi dicitur: appellatione parentis non ſolùm patrem, ſed etiam avum, & proavum, & deinceps omnes ſuper avos intelligi, adeò ut nomine patris intelligatur in infinitum aſcendentes *de gradibus affinit.*

Cap. 3. Nam & ego hoc nomen *puer* ſi natus 3
ſtatim moriatur habetur ac ſi non fuiſſet, & ſecundus vocatur unigenitus, unde Salomon nominat ſe unigenitum, eò quia ſcriptura teſtetur, fratrem ſuum uterinum, qui præceſſerat deceſſiſſe ſine nomine, propterea habetur quaſi nunquam fuiſſet, in quo ſenſu Salomon licèt natu minor dicitur unigenitus, hinc Panormitanus *in d. cap. nam ego* ait unigenitum propriè eum dici, qui non habet alium fratrem, vel ſi habuit jam deceſſit, quia quoad effectum perinde ſe habet, ac ſi non fuiſſet.

Cap. qui dicitur 4. habetur ex eo, quòd 4
dicitur *antequam conveniret*, inde non ſequi, ut poſtea convenerint, ſed ſcriptura, quod factum non ſit, explicat, ubi Panormitanus notat, dictiones negantes actum pro certo tempore non fuiſſe geſtum, non involvere poſtea eſſe: unde non ſequitur ex eo quòd dicatur Maria antequam cum Joſepho conveniret, poſtea convenerit: ex facto negativo non ſequitur neceſſariò aliqua affirmatio.

Cap. Joſeph. 5. dicitur, quòd *Maria pepe-* 5

ro

vit primogenitum, id eſt unigenitum : qoia in ſcriptura, id quod primò naſcitur, licèt non ſequatnr ſecundum, dicitur primogeoitum, quod non dicit relationem ad ſecundò genitum ſine quo eſſe poteſt primogenitus. Præterea in *d.cap.* ex eo, quòd Joſeph dicatur, non cognoviſſe Mariam, donec pepererit filium ſuum primogenitum non deſuerunt, qoi perverſiſſimè ſuſpicati fuerint,& dixerint alios filios Mariam habuiſſe; quia moris eſt in ſcripturis, ut filius primogenitos dicatur, qui primò natus eſt, licèr ad ipſum alii non ſequantur.

6 *Cap. intelligentia* 6. habetur : *verba non eſſe intelligenda, ut ſonant, ſed ſecundùm mentem intelligentis, ſeu ſecundùm cauſas, in quibus dicuntur*; quia non res ſermoni, ſed ſermo rei eſt ſubjectus, unde in verbis ioterpretandis attendenda, vel maximè eſt intentio dicentis; quia verba ad id ſunt inſtituta, ut per illa intentionem noſtram exprimamus & concordat lex in conventionibus *ff. eod.* ibi *In conventionibus contrahentium voluntatem potiùs, quàm verba expectari placuit, & ſi verba impropriè accipienda ſint.* Id tamen procedit, ſi de voluntate quibusdam ſignis conſtet: alioquio ſtandum eſt verbis, & ſcripturæ.

7 *Cap. nil obſtat. 7.* dicitur, *quòd diverſitas narrandi rem non nocet, ſi res eſt eadem*, ut in Evangeliſtis, qui eo ordine dixerunt, quod Deus voluit; & ratio addi poteſt, qoia ordo diverſus narrandi non mutat ſubſtantiam rei.

8 *C. propterea 8*, habetur *qui interpretatur epiſtolam tenetur reddere ſenſum ſenſui, non verbum verbo*, ne amitiatur ſenſus, onde ſemper judicandum eſt ex proprietate verborum

9 *C. quamvis 9.* quamvis qui præeſt vocetur *Præpoſitus*, uſus tamen invaluit, ut Præpoſitus dicatur, qui habet quandam curam Prioratûs ſuper alios. Verùm ſi ulla in voce attendendus eſt uſus, id vel maximè opus eſt in nomine Præpoſiti. Sunt enim Præpoſiti in eccleſiis collegiatis, & Cathedralibus canonicorum Regularium, & in illorum cœnobiis, qui eorundem regimen habent: elicubi etiam vocantur Abbates. Ruſus hoc nomen *Præpoſiti* etiam uſurpatur ad ſignificandam ſecnndam dignitatem poſt Epiſcopalem.

10 *Cap. forus* 10. dicitur *forus* locus litium exercendarum à fando dictus, vel à Foroneo Rege, qoi primus Græcis legem dedit, & conſtat forus, cansâ, lege, judicio; cauſa dicitur illud negotium, quod dum proponitur dicitur caoſa, dum diſcutitur judicium; dum finitur juſtitia. Hinc in omni negotio requiruntor plores perſonæ, judex, accuſator, reus, tres teſtes; in teſtibus conſideratur conditio, hoc eſt, ſi teſtis ſit liber, & non ſervos; natura hoc eſt, ſi ſit vir, non fœmina: vita, ſeu ſi ſit innocens, vel integer actu.

11 *Cap. pactum* 11. dicitur *pactum* inter partes ex pace conveniens ſcriptura legibus, ac moribus comprobata: & dicitur *pactum* quaſi ex pace factum; hoc eſt, ut notat Gloſſa, tametſi fier ſine ſcriptura.

12 *Cap. jus dict. 12.* dicitur *jus* dictum à jure & id jure poſſidetur, quod juſtè, ac benè; quod autem malè poſſidetur, dicitur alienum: & ille malè poſſidet, qui vel malè ſuis utitur, vel aliena præſumit Non tamen jus in *d. cap.* definitur ab Iſidoro, ut eſt nomen generale, ſed prout applicatur certæ rei, ſuper qua jus prætenditur, quo pacto dicitur à jure poſſidendi.

13 *Cap. cauſa* 13. reſcribit Paſchalis canonicis S. Martini, oblationes, primitias, & decimas non poſſe dari judici ſæculari, & ſic accipientem eſſe raptorem, & ſacrilegum. Quamvis *oblatio* generatim dicatur quidquid offertur eccleſiæ, ſtrictè tamen, & ſecundùm uſum communem loquendi dicitur, quod ſacerdoti offertur in miſſa diebus dominicis, aliiſque præcipuis feſtivitatibus: & has oblationes eſſe obligationes cenſet Hoſtienſis: ſed Panormitanus id limitat, ſi Parocus indigeret pro neceſſaria, & congrua ſuſtentatione, & addit eſſe id relinquendum conſuetudini, quia in jure non reperitur textus expreſſus.

14 In *cap. quæſivit* 14. reſcribit Alexander III. ſacerdotem unum præſente Clerico & etiam ſolum poſſe infirmum ungere. Item in anno biſſextili, ut feſtum S. Matthiæ celebretur ſecundum conſuetudinem loci, dummodo vigilia ſit immediatè ante feſtum, quia biduum illud pro uno die habetur, cúmque ſexto Kalendas Martii natum cenſeamus ſive primo ſive ſecundo die natus ſit in anno biſſextili, quamvis in anno communi priorem diem ſibi natalem habere debeat. Ex eo autem, qoòd ſolus ſacerdos dicatur poſſe infirmum ungere colligitur ex hoc textu, ſolos ſacerdotes propriè dictos eſſe miniſtros extremæ unctionis, ut definivit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 28. cap. 3.* & *can. 4.* Et hos Presbyteros adducendos eſſe ad ungendum infirmum, ut habetur *Jacobi 4.* ubi per Presbyteros non intelliguntur ætate ſeniores, ſed clerici; quamvis hoc ſacramentum ab uno ſolo ſacerdote poſſit adminiſtrari, & urgente neceſſitate etiam à pluribus, ut notat Gloſſa *in d. c. quæſivit.*

15 *Cap. in his 15.* habetur verbum *ſtatuo*, & verbum *præcipio* ſignificare definitivam ſententiam, quia intentio, & non verba ſunt conſideranda; debet enim ſententia definitiva continere abſolutionem, vel condemnationem *l. omnium judicum c. de & interloc.* Hinc cum Archiepiſcopus Mediolanenſis poſt cognitionem cauſæ *in d. cap. in his* non fuiſſet uſus verbis *abſolvo*, vel *condemno*, ſed verbo *ſtatuo*, dubitabatur, an ejus ſententia firma eſſet, & reſcripſit Cœleſtinus III. eſſe firmam, & perpetuam, eò quia ſufficiant verba æquipollentia, *ſtatuere* enim ſignificat mandatum perfectum & illo condemnat violatores, ad culpam, & ſubinde etiam pœnam. Non enim attendi debet nuda verborum proprietas, ſed mens, & volun-

voluntas ſtatuentis. Panormitanus *in d. cap. in his vult.* hanc interpretationem eſſe intelligendam de ſententia, quæ fit judicialiter partibus præſentibus.

16 *Cap. olim tibi 16.* dicitur, quòd beneficium Principis debeat latiſſimè interpretari, adeò ut ſi Princeps dicat *provideas huic ſicut uni ex reſidentibus* intelligi debeat quamvis non reſideat; notat tamen Gloſſa, in ſcriptis, non eſſe faciendam latam interpretationem, ſed tantùm ſecundùm intellectum concedentis, quia lites ſunt reſtrigendæ *cap. nonnulli c. ult. de reſcript.* Præterea nec beneficium eſt ita interpretandum, ut multum lædat alium *c. relatum de præbend.*

17 *Cap. cum in partibus 17. h. t.* declaratur, quòd generale interdictum dicitur non ſolùm quando regnum, vel tota provincia interdicitur; ſed etiam quando villa, vel caſtrum, quæ etiam vocantur terræ, & privilegiati eodem modo ſe habent in his ſicut in regnis. Ubi notat Panormitanus diſcrimen inter interdictum particulare, & generale eſſe: quia illud habetur, quando una eccleſia, vel plures eccleſiæ ſpecificè, & non ſub nomine univerſitatis interdicuntur: generale verò, quando univerſitas unius loci interdicitur, ſive locus parvus ſit, ſive magnus ſive in illo ſint plures eccleſiæ, ſive una tantùm: quia ſi in villa non eſſet niſi una eccleſia, eſt tamen apta, ut ſint plures eccleſiæ, ſeu plures homines, qui frequentent plures eccleſias.

18 *Cap. cum tibi 18.* declaratur, quod quando Papa concedit, ut Epiſcopus poſſit diſponere de rebus clericorum decedentium ab inteſtato, id etiam intelligitur de rebus canonicorum. Ubi tamen notat Gloſſa, Pontificem non loqui de bonis patrimonialibus, vel acquiſitis intuitu perſonæ, ſed de eccleſiaſticis ſi conſuetudo eſſet, ut laici ea acciperent. Rurſus nomine Clericorum venire omnes ſubditos Epiſcopi, ut etiam nomine beneficiorum omnia beneficia majora, vel minora. In indulgentia enim largè eſt interpretatio facienda.

19 *Cap. cum Clerici 19.* declaratur, ut qui jurat, eſſe fidelis, & obediens Epiſcopo, & *Clero* eccleſiæ, non intelligitur clerus totius diœceſis, ſed clerus Capituli Cathedralis eccleſiæ, & primariò obligatur Epiſcopo, ut capiti, & ſecundariò Capitulo: ubi notat Panormitanus, poſſe hoc juramentum per ſtatutum induci. Rurſus licèt jurans ſit toti capitulo obligatus, non tamen eſt obligatus diſtributivè, ſeu diverſis ſingulis, ſed collectivè omnibus, ut conſtituentibus unam communitatem, quòd ſi Epiſcopus mandet contraria capitulo, teneatur clericus, qui juravit obedientiam, parêre Epiſcopo, quia eidem ſpecialiter, & primariò eſt obligatus, ut capiti.

20 *Cap. quærenti 20. h. t.* habetur, quòd quando in litteris Apoſtolicis ponitur verbum *cenſuris* intelligitur excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum, adeò ut diſcretus judex eam ex tribus recenſitis ferat, quam magis viderit expedire. Rationem adfert Panormitanus, quia excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum in multis à pari procedunt in eo præſertim, quòd ſint medicinales, & ferantur causâ medicinæ, *cap. is qui de ſent. excommun. in 6.* Et licèt in delegationibus apponatur clauſula, *ut contradictores compeſcantur per cenſuram eccleſiaſticam*, poteſt tamen judex delegatus, ſi alia pœna in jure non ſit expreſſa, procedere ad alias jure non expreſſas; & arbitrarias *argum. c. de cauſis de offic. deleg.* idque non virtute clauſulæ adjectæ, ſed delegationis; cujus poteſtas non eſt reſtringenda per clauſulam: unde non eſt compellendus delegatus adhibere cenſuram, niſi prout vult.

21 *Cap. quid per novale 21.* declaratur, quòd *novale* intelligitur ager recèns ad cultum redactus, de quo non extat memoria, quòd aliquando fuerit cultus, & de quo eccleſia parochialis non percipit magnos proventus, ut decimas. Verùm id jam explicatum eſt *in c. t. h. t.*

22 *Cap. venerabili 22.* habetur, quòd quando fit privilegium ſalvo jure Matricis eccleſiæ, tunc per matricem eccleſiam non intelligitur Romana ſed Cathedralis, quod tamen non videtur eſſe indiſtinctè verum, quia communius videtur potiùs intelligi eccleſia baptiſmalis, ſeu Parochialis, ut liquet ex communi uſu loquendi. Unde notat Panormitanus, eſſe attendendam ſubjectam materiam, quia Pontifex ſolum declarat per matricem eccleſiam non eſſe intelligendam eccleſiam Romanam.

23 *Cap. ex parte 23.* habetur, quod quando quis eſt cenſura excommunicationis, vel interdicti ligatus, ſi ob contumaciam tantùm, quia citatus noluit juri ſtare; ſi priùs tribuat ſufficientem cautionem ſtandi juri, & congruè ſatisfaciat, ut relaxetur ſententia: ſin verò ob offenſam, quia juſſus noluit maleficium emendare, & offenſa eſt manifeſta non ſatisfacit congruè, ut relaxetur ſententia, niſi priùs ſufficientem præſtat emendam: quòd ſi offenſa ſit dubia ſufficit ſatisfactio parendi mandato eccleſiæ. Notat Panormitanus, ſatisfactionem congruam eſſe pignoratitiam, vel fidejuſſoriam, vel juratoriam. Quòd ſi pro parte fiſco debita non poſſit quis ſatisfacere ſolvendo, debet fieri commutatio in pœnam corporalem, ut notat Panormitanus in *d. c. ex parte*, ubi allegat plures leges civiles.

24 *Cap. cum olim 24.* habetur fere idem, quòd in præcedente, & tantùm additur, quòd offenſa tunc intelligenda ſit manifeſta, quando per confeſſionem, vel legitimam probationem nota eſt, vel per evidentiam rei, quæ nulla poſſit tergiverſatione celari.

C. Abbati 25. reſcribit Pontifex Epiſcopo, & cantori Atrebatenſi, quòd ut privilegium aliquid operetur; ſi in eo aliquid concedatur; & ſubjiciatur clauſula *juxta, vel ſecundùm morem præteriti temporis*, illæ dictiones *juxta vel* *ſecun-*

ſtrandùm non debeant ſumi, ut conditionales quaſi referantur ad imperſonale, quaſi dicat, ſi talis mos eſt, ideo concedimus, ſed ſumi debeat cauſativè; adeò ut determinent, & ſenſus ſit: quia talis mos eſt, ideo concedimus: ratio eſt, quia privilegium dicitur lex privata, & lex non debet aliquid indulgere. Rurſus quando eſt conſuetudo ut Abbas pro uno monaſterio ſumatur ex altero monaſterio, id intelligitur tamdiu valere, quamdiu monaſterium, ex quo ſumitur, eſt in obſervantia regulari, & in eodem eſt perſona idonea ad Abbatiam. Notat tamen Gloſſa, quòd ſi pro tempore in monaſterio non vigeat obſervantia, vel non ſit idoneus ad Abbatiam, non propterea amittitur jus, quia ſi deinde viguerit in illo obſervantia, & erit perſona idonea, eligendus eſt ex eodẽm Abbas, idque quamvis alienus Abbas vixerit per 40. annos.

25 *Cap. ſuper quibuſdam 26.* declaratur, hæreticos manifeſtos eos dici, qui publicè prædicant contra fidem Catholicam, vel profitentur, aut defendunt eorum errorem; vel qui coram Prælatis ſuis convicti ſunt, vel confeſſi, vel ab iis ſententialiter condemnati ſuper hæretica pravitate; quorum propria bona confiſcantor, & ipſi puniuntur juxta legitimas ſanctiones. Rurſus ſi Legatus Apoſtolicus interdicat pedagia, goidagia, ſalinaria intelliguntur etiam illa interdicta, quæ non apparent fuiſſe conceſſa largitione Regum, Imperatorum, vel quæ non ſunt introducta ex antiqua, & immemorabili conſuetudine. Rurſos ſi Legatus Apoſtolicus mandet alicui Principi ſæculari, ut ſecundùm arbitrium Legati, vel judicis Ordinarii, vel delegati Apoſtolici juſtitiam exhibeat in cauſis, tunc id intelligitur de omni cauſa, quæ ratione perſonarum, vel rerum ſpectat ad forum eccleſiaſticum, aut ſuper univerſis capitulis, quæ à Legato ſunt ſtatuta pro ſervanda pace, ſtatuenda Apoſtolica authoritate. Item tenetur reſpondere in judicio eccleſiaſtico viduis, pupillis, orphanis, & perſonis miſerabilibus. Comes Tholoſanus in *d. c. ſuper* conſulit Pontificem primò ſuper hæreticis manifeſtis, ſecundò ſuper guidagiis, pedagiis, ſalinariis, interdictis. Tertiò ſuper cauſis ſpectantibus ad forum eccleſiaſticum, quas Pontifex ſummatim recenſet: & quamvis hæc tria per ſe non ſint connexa nihilominus præfatus comes ſuper illis ſimul conſulit Pontificem.

26 *C. novimus 27.* declaratur quòd Clericus degradatus tunc intelligatur traditus curiæ ſæculari, quando degradatur à judice eccleſiaſtico præſenta poteſtate ſæculari; & poſt degradationem pronunciatur eidem ſæculari, ut in ſuum forum recipiat degradatum; adeò ut tunc intelligatur tradi curiæ ſæculari; ſed eccleſia debet efficaciter intercedere pro ipſo, ut citra periculum mortis ſententia contra eum moderetur. Notandum eſt, ante hanc decretalem duas fuiſſe ſententias degradationis. Prima quâ degradatus, eò quia ejiceretur de foro eccleſiæ per conſequentiam foro traderetur ſæculari. Secunda qua traditio fiebat verbaliter præſenta poteſtate ſæculari: & hanc poſteriorem ſententiam voluit Pontifex retineri, & ſervari.

Cap. dilectio 28. Honorius III. reſcribit Archiepiſcopo Turonenſi, ut quando aliquis intendit recuperare poſſeſſionem rei, & legitimè impeditur, currit tempus præſcriptum *V.C.* unius anni, ſi Papa indulget, ut lapſus anni ei non noceat; intelligitur hoc indultum ſecundùm jus commune, hoc eſt ſi in illo anno non poterat legitimè recuperare rem ſuam, quia Pontifex non intendit privare alteram partem jure ſuo. 27

Cap. cum inter 29. nomen *oblationis* dicitur generale, ut ſignificet omnia, quæ ad eccleſiam, quocunque titulo pervenerint, ut ſunt ea, quæ in feſtivitate omnium Sanctorum deferuntur ad eccleſiam, vel ad domum ſacerdotis intuito defunctorum, vel offeruntur in miſſa Trinitatis, aut dantur pro miſſis mortuorum, ut etiam pro ſeptimis, trigeſimis, & anniverſariis, & panes, & alia, quæ infra hebdomadam offeruntur, & declarat Pontifex, ut cui debetur tertia pars oblationum, debeatur etiam tertia pars horum omnium. Notat tamen Gloſſa quadragenalem præſumptionem tollere omnem actionem. 28

Cap. ex parte veſtra 30. reſcribit Pontifex, quòd quando dicitur *à tempore mota litis*, id debeat intelligi de tempore, quo lis fuit conteſtata, & non de tempore, quo lapillus in denunciatione operis novi jactus fuit, quia ut notat Gloſſa tunc incipit judicium. Verùm quamvis Canones non cenſeant litem moveri, niſi tunc quando fit conteſtatio *c. relatum de offic. de leg.* eò quia tunc lis dicatur cœpta, & perpetuetur juriſdictio per ſolam citationem: nihilominus leges generaliter accipiunt litem conteſtatam, etiam pro diſcordia, ſeu controverſia præcedente *argum. l. reſtit. ſpol.* Sed ſtandum eſt juri canonico. 29

C. ex parte veſtra 31. declaratur, quòd quando Legatus ſancit conſtitutionem, ut mortuariorum ſolvatur tertia pars Epiſcopo, id non intelligitur de omnibus legatis, ſeu mortuariis, nec de his, quæ ad ornamenta eccleſiæ, vel ad fabricam ejuſdem, vel ad luminaria, vel quæ pro anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, fiunt, neque de his, quæ ſpecialiter fiunt perſonis, ut Rectori eccleſiæ, niſi fiant intuitu eccleſiæ, ſed tantùm de aliis, prout reperitur in jure communi. Spectat præſens textus ad Prælatos Galliarum, qui eo tempore, quo Chriſtiani recuperaverunt Paleſtinam erant Conſtantinopoli, & in aliis Orientalibus partibus. Notat Gloſſa, poſſe Legatum conſtitutionem ſancire in ſua Provincia, quæ duret eo recedente, non tamen quæ ſe extendat in homines, qui non ſunt de Provincia. 30

Cap. tua nobis 32. reſcribit, Pontifex Epiſcopo Turonenſi, quod quando Papa ex juſta cauſa ad relaxanda debita Epiſcopi conceſſit 31

cedit fructus beneficiorum primi anni, nomine *beneficiorum* intelligi etiam majora beneficia, & præbendæ. Cauſa autem juſta eſt ea, quâ ſublevatur Epiſcopus paupar ob debita non ab ipſo contracta, ſed à ſuis prædeceſſoribus ob cauſam neceſſariam: tunc hæc cauſa cenſenda eſt juſta, & favorabilis.

82 *Cap. transmiſſa 33.* Gregorius IX. declarat, ſi in litteris ponatur hoc verbum *moderamini* V.C. *numerum Canonicorum pro quantitate redituum*, tunc verbum moderari non poſſe multiplicare numerum, ſed minuere; adeo ut ſi reditus abundent, applicari debeant in beneficium eccleſiæ, non verò dividi inter canonicos. Ubi notat Gloſſa, Clericos, & Canonicos eſſe in eccleſiis inſtituendos ſecundùm facultates eccleſiæ, & non plures: quòd ſi plures fuerint, debeant minoi authoritate Papæ. *Cap. quoniam de vita, & honeſtat. Cleric.* Rurſus notat redditus eccleſiæ auctos eſſe convertendos in utilitatem ejusdem, ſi creverint præter diligentiam canonicorum; ſecus ſi cum eorundem diligentia.

§. II.

De verborum ſignificationibus, quæ habentur in ſexto Decretalium Clementinis, & Extravagantibus.

1 HActenus diximus de ſignificationa verborum, quæ habentur in hoc titulo, & ſparguntur per quinque libros decretalium, licèt adjiciantur in calce quinti. Superſunt nunc explicandæ ſignificationes verborum, quæ continentur in ſexto libro Clement. & Extravagantibus.

2 In *cap. igitur veniens* 1. Innocentius IV. declarat per illa verba poſita in privilegiis *recipimus vos V.C. in filios proprios Romanæ eccleſiæ* non fieri receptos, exemptos à juriſdictione Ordinarii, licèt non poſſint excommunicari, ſuſpendi, vel interdici ab aliquo, niſi à Papa, vel ejus delegato. Rurſus idem Pontifex declarat, quòd quando datur privilegium ædificandi eccleſias ſine licentia in locis deſertis, per loca deſerta eſſe intelligenda ea, quæ non fuerunt culta à Chriſtianis ex memoria hominum. Non tamen per hanc declarationem intendit Papa derogare Defenſionibus, aliisq; juribus partium. Continet præſens capitulum privilegia fratrum S. Joannis Hieroſolimitani ob eccleſias, quas ædificabant in locis deſertis, & Innocentius IV. explicat, quid per locum deſertum in ordine ad hunc effectum intelligatur.

3 *C. conſtitum. 2.* Nicolaus III. ſtatuit tria. Primò ut ſecundùm conſtitutionem Gregorii in Concil. Lugdunenſi, ſi objiciatur electo, aut promovendo inter alia ejusdem ſcientiæ, aut alterius perſonæ defectus, de illo primitùs cognoſcatur, & deficiens in probatione à cauſa ſit totaliter excluſus, & puniatur: ſi quis in manifeſto defectu oculorum auditûs, vel aliorum ſenſuum, memoriæ, & intellectus contra electum opponendo itidem deficiat excludendus ſit. Secundò Canonicos, qui ſtatutum fecerint, & ſolemniter jurârant, quòd contra omnes impetrantes Canonicatum etiam ad mandatum Papæ velint ſe opponere; habendos eſſe conſpiratores contra eccleſiam, & puniendos ſecundùm canones. Tertiò ſtatutum Canonicis adimens libertatem, & obedientiam debitam Romanæ eccleſiæ eſſe habendum deteſtabile, & illicitum.

Cap. exiit qui ſeminat 3 Nicolaus III. declarat plura dubia, quæ poſſent occurrere in Regula S. Franciſci: primò ut quando compromittunt Religioſi illi ſervare Evangelium, id intelligendum ſit ſecundùm præcepta, & conſilia quæ continentur in regula. Secundò ut nihil poſſint habere etiam in communi, licèt non renuncient uſui rerum facti, & non juris, nec in extrema neceſſitate, licèt non poſſint habere proprietatem, poſſeſſionem, uſumfructum, jus utendi, non tamen uſumfacti durante licentia. Tertiò ut Domini, qui retento dominio concedunt perpetuum uſum rei, non dicantur inutiliter habere dominium, quod jura prohibuerunt, quia eſt meritorium vitæ æternæ. Quartò ut nunquam ſint defutura fratribus mendicantibus neceſſaria, quia ſicut Chriſtus promiſſit; fides nunquam deficit, nec opera miſericordiæ, & ſic ipſis miſeris dabitur. Quintò, ut quando ſæculares à ſe abdicant rem ſuam, & transferunt Franciſcanis dominium, proprietas illius rei liberè, & plenè pertinet ad Papam, & eccleſiam Romanam: hinc & locorum proprietas, quæ emunt fratres, eſt Papæ. Excipitur tamen quando concedens ſibi reſervat dominium. Sextò ut non habeant pecuniam, nec poſſint accipere mutuo, quia in mutuò transfertur dominium, datur tamen remedium pro neceſſitatibus: & hoc ſervandum eſt in legatis. Septimò datur licentia ut res eccleſiæ, ſeu Papæ, quarum fratres habent uſumfacti, poſſint vendi, & per deputatum, ac per tertium emi alia utiliora. Octavò ut fratres infirmi de licentia Cuſtodis poſſint habere plures tunicas. Nonò qui ſtudent non tenentur laborare, & Laici debent laborare in conventu. Decimò Prædicatores cum licentia Epiſcopi poſſunt concionari. Undecimò ut fratres non ingrediantur monaſteria monialium. Duodecimò Papa excommunicationa ligat eum, qui Gloſſaverit hanc extravagantem, adeò ut non poſſit abſolvi niſi à ſolo Papa non obſtantibus quibuscunque, & etiam cum privationa beneficii, & officii. Prohibuit enim Pontifex diverſas Doctorum opiniones circa hanc regulam, eò quia S. Franciſcus vetuerit regulam ſuam gloſſari. Juvat tamen obſervare, Joannem XXII. in extravag. ſenſiſſe, non poſſe uſum ſeparari à Dominio in hujusmodi rebus *c. ad conditorem h.t.* ea innixum ratione, quia Dominium ſit, poſſe de re diſponere prout 4

Digitized by Google

prout habet, proinde etiam illam deſtruere, ex quo infert, impoſſibile eſſe, panem deſtruere comedendo, & vinum bibendo, & non habere Dominium in panem, & vinum cum talis deſtructio ſit actus Dominii: hinc cum fratribus minoribus detur uſus, conceditur etiam Dominium. Rurſus obſervandum eſt, Nicolaum IV. & Clementem V. in *Extravag. exivi* contrarium docere, eò quia ad Dominium non ſufficiat poſſe rem quovis modo deſtruere, ſed poſſe liberè deſtruere quando, ubi, & eo modo, quo placuerit independenter à revocatione alterius, adeò ut non poſſint revocari, quæ donantur: atqui Minores non poſſunt liberè res ſibi dono datas deſtruere, imò poſſunt revocari, quæ ipſis donantur; proinde non dicuntur habere propriè Dominium, ſed ſolùm uſum, ſicut habent omnes viri Religioſi in particulari, licèt habeant verum Dominium in communi, ut docent communiter Canoniſtæ poſt Nicolaum IV. & Clementem V. Hoc poſtea confirmatum fuit à Martino V, Paulo II. Alexandro VI. in privilegiis mendicantium, & ex Theologis ita docent Suarez *tom. 2. de relig. diſp. 28. ſect. 2.* Sotus *lib. 4. de juſtit. q. 1. art. 1.* Leſſius *lib. 2. c. 3. dub. 8.* Neque obſtat inde ſequi Ioannem XXII. in Extravag. erraſſe, quia hæc quæſtio non eſt de fide, ſed politica, aut juridica, hinc plures cenſent, uſum etiam independenter in conſumptibilibus eſſe verum Dominium. Sed alii communiùs id negant. Nicolaus verò, & alii Pontifices ob defectum dominii propriè dicti receperunt omnia donata Minoribus in dominium Sedis Apoſtolicæ, à qua poſtunt Minores privari bonis omnibus, quæ poſſident, in quo ſenſu dicuntur tantùm habere uſum illorum, non verò Dominium, quia utuntur illis bonis dependenter à revocatione Sedis Apoſtolicæ.

4 *Cap. privilegium 4.* Bonifacius VIII. reſcribit, quòd quando conceditur privilegium, ut Monachi, vel fratres habitantes in cellis ſpectantibus ad monaſteria, non poſſint excommunicari ab Ordinario, id intelligitur, ut nec cellæ poſſint interdici. Rurſus nomine cellæ intelligi tantùm loca ſolitaria, & ſecreta ab hominum converſatione ſeparata ad vacandum Deo, non verò intelligi prioratus eccleſiæ, vel capellas, nec in iis commorantes. Quamobrem nomine cellæ intelliguntur illæ, quas ſinguli Monachi habitant in Monaſteriis. Notat Gloſſa idem eſſe dicere fratres, ac Monachos *c. cauſam de judic.*

5 *Cap. ficut nobis 5.* habetur, quòd quando alicui conceditur privilegium, ut poſſit conferre beneficia ſuorum Clericorum cedentium, vel decedentium, nomine *ſuorum Clericorum* intelliguntur illi Clerici, qui ſunt familiares, & vivunt expenſis privilegiati, cujusmodi ſunt domeſtici, & commenſales. Ubi notat Gloſſa, Clericos divites morari in domo ſed non vivere expenſis privilegiati, & hoc procedere in privilegiis, quæ ſunt odioſa cùm aliàs nomine Clericorum ſuorum intelligantur omnes ſubjecti. Cæterum communior ſententia eſt, ut in ſimilibus caſibus per Clericos ſuos intelligantur, qui ſine fictione, & fraude qualibet verè ſunt ejus Clerici familiares, & in ejus expenſis continuò domeſtici commenſales.

In Clementinis *Cap. Exivi in Paradiſo 1.* 6
Clemens V. in Concilio Viennenſi declarat, quòd Franciſcani ex voto non teneantur ad omnia præcepta, & conſilia, quæ ſunt in Evangelio; ſed ad illa tantùm quæ habentur in regula: ratio eſt, quia votum determinatum cujuslibet debet cadere ſub certo, ſeu regula; in qua non poſuit omnia conſilia Evangelica. Rurſus declarat Franciſcanos non ſolùm teneri ex voto ad illa tria vota paupertatis, caſtitatis, obedientiæ nudè, & abſolutè ſumpta; verùm etiam ad ea omnia, quæ ſunt in regula, & pertinent ad illa tria vota, quorum aliqua ex vi verborum obligant ad mortale, quando ſcilicet ponitur verbum *Præcepti*, vel alterius æquivalentis, & alia non obligant ad mortale, & hæc eſſe declaranda. Rurſus declarat Pontifex, quod licèt fratres non teneantur ad omnia, quæ ponuntur in regulis ſub verbis modi imperativi, ac ſi eſſent præcepta, vel eis æquivalentia, Nihilominus teneantur ad aliqua æquipollentia præceptis, quæ ponuntur in *Extravag.* ut de non portandis calceamentis, de non equitando extra caſum neceſſitatis, de veſtibus vilibus, de jejuniis adventus, & ſextæ feriæ; de officio Romano; de cura Superiorum pro neceſſitatibus fratrum. Rurſus quòd ſerviant infirmis fratribus; quòd non prædicent contradicente Epiſcopo: & nonniſi examinati, & approbati, ac inſtituti à Superioribus. Item de forma habitus, & profeſſionis. Præterea declarat Pontifex, hoc verbum *teneantur* obtinere vim præcepti, & ut tale eſſe ſervandum. Rurſus injungit, ut Novitii pro renunciandis bonis temporalibus conſulant externos timoratos. Nullo modo habeant pecunias, nec quæſtus, nec arculas, vel ciſtas pecuniarum, nec clavem, nec rationem exigant de pecuniis à Procuratoribus, nec poſſint ſuccedere ſibi, nec monaſterio acquirere. Præterea declarat, annuos redditus haberi pro bonis ſtabilibus, & eſſe contra paupertatem. Item prohibet, ne fratres aſſiſtant in curiis cùm agitur de rebus, neque contrectent pecunias, nec habeant vineas, vel agros; ſed tantùm hortos ad olera, & ad exercitium: nec habeant horrea, nec cellas vinarias niſi in ſumma neceſſitate. Rurſus mandat, ut paramenta, & vaſa eccleſiaſtica ſint modeſta, ut etiam uſus rerum ſit pauper, ut diſponit regula. Denique præcipit, ut electio Miniſtri Provincialis fiat à capitulo per plura ſuffragia, & confirmatio à Generali, & ut id etiam procedat de electione generalis.

Cap. Sæpe 2. Sancit idem Pontifex, ut 7
judex, cui cauſa ſimpliciter, ac de plano, ſeu ſine ſtrepitu, & forma judicii committitur

non exigat neceſſariò libellum, nec litis conteſtationem, & tempore etiam feriarum ob neceſſitates hominum indultarum procedat; & ut materiam dilationum omnino amputet: & etiam partium, advocatorum, Procuratorum, Teſtium contentiones, ac multitudinem coërceat, & ſolùm probationes neceſſarias, ac legitimas defenſiones admittat: Non tamen Pontifex excludit citationem, & juramentum nomine calumniæ. Addit tamen, quòd ſi aliquid petere voluerit, petitio ſtatim fiat initio litis, quæ poſtea inſeratur actis, ut poſſit deinde judex ad poſitiones, & articulos ſimul dandos terminum dare, niſi aliud partes voluerint. Rurſus declarat, quòd pro teſtibus producendis poſſint etiam inſtrumenta produci. Demum ut judex ſententiam definitivam (citatis ad id non peremptoriè partibus) in ſcriptis ſtans, vel ſedens proferat etiam concluſione non facta. Quamobrem Pontifex in hoc *cap. ſæpe* declarat, ac explicat, quid ſignificet clauſula illa poſita in commiſſionibus *procedat ſimpliciter, & de plano, & ſine ſtrepitu, & figura judicii*: Scilicet ut judex non exigat neceſſariò libellum, nec poſtulet litis conteſtationem, quòd poſſit procedere tempore feriarum, & amputare materias dilationum, ac facere litem breviorem repellendo exceptiones, appellationes dilatorias, & fruſtratorias, refrænare contentiones, & jurgia partium, & advocatorum, & ſuperfluos teſtes, & tantùm admittere probationes, & defenſiones legitimas, & neceſſarias, ut etiam citationem, & juramentum de calumnia, vel de veritate dicenda: & ut petitio partium fiat in exordio, & inſeratur in actis, & ſententiam in ſcriptis dato termino ſtans, vel ſedens proferat. Cæterum ſi judex ſervet ordinem judiciarium in toto, vel in parte non contradicentibus partibus proceſſus erit validus, & non irritandus.

In Extravag. Joannis XXII. *cap. quorun-*
8 *dam 1.* declarat idem Pontifex, regulam D. Franciſci, & explicat: quanta debeat eſſe longitudo, latitudo, groſſities, ſubtilitas, forma, figura, habitûs, capucii, tunicæ interioris ſpectare ad Guardianos, Cuſtodes, & Miniſtros id determinare, ſicut de colore, & groſſitie illis impoſuit Clemens V. in Concilio Vienenſi in *c. exivi de paradiſo* & Nicolaus in *c. exiit, qui ſeminat.* & onerat eorum conſcientias: rurſus declarat fratres ſtantes prædictis determinationibus Superiorum eſſe tutos in conſcientia. Rurſus mandat, ut obediant in habendis granariis, & cellariis ſecundùm formam conſtitutionis *exivi* Clementis V. quia obedientia eſt major paupertate, & caſtitate. Unde Superiorum judicio etiam relinquit, an granaria habenda ſint pro neceſſariis ad fructus colligendos.

9 *In cap. quia nonnunquam 2.* idem Pontifex ſuſpendit ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ excomunicationem latam contra interpretantes decreta *Exiit qui ſeminat.*

In c. ad conditorem 3. revocato aliqua 10
dicta Nicolai IV. *in c. exiit, qui ſeminat in 6.* ſiquidem in prædictis non vult eccleſiam Romanam acquirere aliquod jus, vel dominium virtute illius *c. exiit*, vel virtute alterius ordinationis. Excipit tamen eccleſias, Oratoria, Officinas, habitationes, vaſa, libros, & alia divinis officiis inſervientia, circa quæ Joannes XXII. vult, ut ſervetur conſtitutio Nicolai V. explicantur etiam pleraque alia, in quibus diſſidet Joannes à Nicolao, in quibus tamen non eſt diutius inhærendum. Plura allegat Barboſa in *d. c. ad conditorem* pro hiſce Pontificibus conciliandis.

In cap. cum inter nonnullos 4. hæc pro- 11
poſitio: *Chriſtus, & Apoſtoli nihil habuerunt in ſpeciali, nec in communi* declaratur erronea, & hæretica, eò quia Sacræ Scripturæ contradicat. Rurſus hæc alia propoſitio *Chriſto, & Apoſtolis non competebat jus illis utendi, quæ habebant, nec vendendi, vel donandi, aut ex ipſis aliqua acquirendi* etiam declaratur erronea, & hæretica, quia ex ſcriptura conſtat, eos uſos fuiſſe rebus, quæ habebant, & eas etiam donâſſe, ut quando Chriſtus juſſit donari tributum Cæſari.

In cap. quia quorundam 5. Pontifex re- 12
probat opinionem plurium, qui tunc temporis impugnabant conſtitutiones Joannis XXII. *c. ad conditorem c. cùm inter dicentes* quod id, quod fuerat determinatum ut de fide ab aliis Pontificibus ſcilicet, quòd Chriſtus, & Apoſtoli mendicantes non habuerunt aliquod jus, ſed ſolùm uſum facti, non poterat ab ipſo Joanne XXII. retractari: & diſputat fusè contra prædictos; ac determinat præfatos Pontifices per uſum facti non intellexiſſe uſum ſimplicem denudatum ab omni jure, quia hic actus utendi ſine aliquo jure non eſſet juſtus, nec pertineret ad perfectionem: ſed per uſum facti intellexiſſe uſum juſtè facti, pro quo competat jus utendi, quia ſi id intelligeretur, de uſu facti ſimplici ſine omni jure utendi ſequeretur, quòd fratres poſſent uti æquè permiſſis, ac prohibitis ſine differentia. Rurſus declarat Pontifex, ut ſi quis ſcienter verbo, vel ſcripto præſumat defendere, vel approbare hæreſes ſit vitandus tanquam hæreticus; præſertim ſi dicet, Chriſtum, & Apoſtolos nihil habuiſſe in ſpeciali, vel communi, vel ſi habuerint, non tamen jus utendi. Præterea mandat, ne quis ſcripto, vel verbo aliquid approbet, vel defendat contra definita, & ordinata in *c. ad conditorem*, & ſi quis contra præſumpſerit, vult eſſe habendum tanquam contumacem, & Rebellem eccleſiæ Romanæ.

TITUL.

TITULUS XLI. & Vltimus.

De Regulis Juris.

QUemadmodum Superior Titulus Generalis fuit ad hos libros Decretalium, ita etiam hic ultimus, quo clauduntur libri Decretalium. Ratio verò, cur hic Titulus ponatur in calce Decretalium eſt, quia priùs agendum erat de toto Iure Canonico, quia regula ſumitur ex Iure, non verò jus ex regula. Præceſſit etiam hunc Titulum alius de verborum ſignificatione, quia diſputatio de vocibus ſimplicibus debet præcedere diſputationem de compoſitis.

§. I.

Quid ſit Regula Juris, & quot ex quinque Libris Decretalium eruantur.

1 REgula dicitur norma, quâ lineæ diriguntur, adeò ut regula ſit, quæ regit menſuram. Hinc vocatur regula, eò quia rectâ viâ ducat, vel quia regat, vel normam rectè vivendi præbeat. Vel quia corrigat, quod obliquum eſt ac pravum, ut habetur in *Can Regula diſt. 3.* hinc græcè regula Canon dicitur, & jus Pontificium dicitur canonicum, ſeu regulare, eò quia ſit regula, quâ humanæ operationes dirigendæ ſunt, ac procedunt. Juris-Conſultis tamen regula eſt quædam compendioſa narratio multarum rerum variis partibus juris definitarum, hinc Paulus Juris-Conſultus in *l. 1. ff. h. t.* ait, regulam eſſe propoſitionem, quæ rem, ut eſt, vel eſſe debet breviter enarrat: non ut ex Regula Jus ſumatur, ſed ex Jure, quod eſt regula, fiat, cujus ſenſus eſt, quòd in regula ſit oratio, quæ rem, quæ eſt, ſeu jus, quod in ipſa controverſia ſequi oportet, ſeu cauſam, & rationem plurium rerum in corpore juris definitarum breviter, generalitèr, & quidem ex jure conſtituto, & recepto enarrat. Etenim ſicut in aliis ſcientiis non omnia facta, & individua ob multitudinem propemodum infinitam poſſunt aliqua ratione comprehendi, ac cognoſci; ita neque omnes leges, & omnes caſus, qui quandoque incidunt comprehendi ſimul poſſunt *l. neque leges ff. de ll.* hinc neceſſe fuit, ut exemplo aliarum ſcientiarum, etiam ex jure excerperentur aliquæ generales regulæ, ex iis, quæ in variis partibus definita fuerunt, & ut hujusmodi regulæ continerent cauſam, & rationem primariam, quâ moti fuerunt prudentes, ad ita definiendum.

2 Hinc Ulpianus ex eo, quòd in diverſis partibus juris obſervâſſet primum moribus receptum, deinde legibus conſtitutum, quod fœminæ non poſſent eſſe judices, nec Magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec eſſe curatrices, inde deſumpſit univerſalem hanc regulam: *Fœminæ arcendæ ſunt ab omnibus civilibus officiis l. 2. ff. eod.* Rurſus quia in variis juris locis definitum fuit piſces, feras, beſtias, lapillos in littore maris inventos fieri primò occupantis, eò quia in nullius bonis ſint; inde eruta eſt hæc alia regula: *Quæ in nullius bonis ſunt, fiunt primò occupantis.* Hinc intelligitur, quomodo regula dicatur naſci ex jure, non verò jus ex regula. Patet etiam utilitas regularum juris: ſunt enim regulæ Juris-Conſultis perinde ac Medicis Aphoriſmi, & Geometris poſtulata. Hinc regula verbis generalibus affirmativis, vel negativis concipi debet, vel ſaltem indefinitis, quæ æquivaleant generalibus. Neque eſt de natura regulæ, ut novum jus conſtituat, cùm potiùs deſumatur à jure jam conſtituto, tametſi non repugnet regula, quæ conſtituat jus.

Præterea differt regula à lege, ſive ſpectetur cauſa efficiens utriusque, ſive attendantur aliæ conditiones. Fusè agunt de hiſce regulis Hugo, Umbertus, Caramuel in regula S. Benedicti, tantùm juvat obſervare, quòd licèt regula dicatur generalis, ac fieri per ſigna univerſalia affirmativa, vel negativa, vel indefinita verba, quæ ſimpliciter dicuntur æquipollere univerſalibus *c. ſi Romanorum 19. cap. quia circa de privileg.* non tamen eſt neceſſe, ut regula ita ſit univerſalis, ut ſemper comprehendat omnia particularia: quia quando non eſt eadem ratio, aut paritas omnium particularium, quæ ſub regula videntur comprehendi, tunc indefinita, non æquipollet univerſali quoad illa particularia, de quibus non eſt eadem ratio, aut paritas, ut fusè pluribus exemplis illoſtrat Dynus hîc *num. 3. & 7.* hinc fit quòd nulla ferè ſit regula, quæ ſtrictè ſit univerſa- 3

Digitized by Google

verſalis, comprehendatque omnia, & ſingula particulsria, quapropter habatur vulgatum illud effatum: *Nulla eſt regula ſine exceptione*, hoc eſt ſina limitatione, quam jura ragulis à ſe conditis potuiſſeor addara ob aliquam diſparitatam, vel ob aliam juſtam cauſam.

4 An verò exceptiones ſint de regulis, videntur non eſſe, cùm derogant regulæ, & intendant oppoſitum. Plures tamen cenſent exceptiones contineri in regula, quia per exceptiones confirmantur in sontrarium, & ſemper ſpecialia inſunt ganeralibus. Varùm Dynus hîc *num. 16. & ſequent.* ait exceptiones non eſſe ſub regula, quæ ob defectum paritatis in caſibus exceptis perdit ſuum officiom, ot regula illa, *quod in nullius bonis eſt, conceditur primò occupanti*, ſallit enim hæc ragula in homine libero, & re ſacra, multisque aliis, in quibus hanc regulam ſeqoi non poſſumos: quæ tamen procadit in piſcibus, avibus, lapillis repertis in littore maris, feris, beſtiis, quæ in nullius bonis ſunt *inſtit. de rer. diviſ. ff. eod.* Ait tamen Dynus exceptiones aſſe ſub regulas, quateous continentur ſub materia, ſeu ganere illlos, quamvis eximantur à diſpoſitione prædicati: ut ſi dicas; omnes ſtudioſi ſtudeot præter Franciſcum, qui dormit, utique Franciſcus ſub ſtudioſis continetur, tametſi de eo, aliud quàm de cæteris prædicetur. Sic teſtimonium periuri ait Decius contineror ſub teſtimonio in genere; & quamvis perjurus ſe emendaverit non admittitur ad teſtificandum; ſicut admittitur teſtimonium illius, qoi in alio genere malitiæ ſa emendavit. In hoc ſenſu verum aſt, exceptiones ſpaciales contineri regolis generalibus, quoad ſubjectum, & mateтiam, ſad non qoantum ad diſpoſitionem; eo quia ſubſit aliqoa ratio, ſeu diſparitas, quæ non patitor ipſam diſponi ſecundùm geoos. Hinc cùm plures, & varii caſus poſſint freqoenter incidera, ſive in jure expraſſi, ſive non, de quorum intalligen-
5 tia ſolet dubitari, rectè ad has regulas juris veluti ad quædam communia capita recurritur.

Prima igitur regula eſt: *Omnis res per quæcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur:* tribuitur hæc regula Aothori operis imperfecti *Homil. 32. in Matth.* Et qoidem nil tam natorale eſt, quàm unumqoodque per eaſdem cauſas diſſolvi, per quas conſtitutum fuerat: hinc obligatio verborum, quia orta fuerat ex verbis, per verba tollitur: Obligatio mutoi conſenſus, quia oritur ex conſanſu, per contrarium conſenſum etiam diſſolvitur. Hac regulâ utitur textus in *c. omnis 27. q. 2.* ut probetur matrimonium non ſeparatione corporum, ſed volontatum diſſolvi, eò qoia cauſa matrimonii non fuerit copula carnalis, ſed conſanſus volontatis. Hinc communiter Canoniſtæ cum Panormitano intelligunt, obligationem, temporalem eſſe ex ſua natura, quando ex divina Inſtitutione non aſt perpetua: ut venditio, & amptio, & alii humani contractus, qui ſicut ſolo conſenſo contrahuntur, ita accedente diſſenſu diſſolvuntur, ſi non acceſſerit traditio: alioqoin facta traditione non diſſolvitur; niſi qui diſſaoſit ram rurſus faddat. Non tamen ſimpliciter res qoælibet naturalis, artificialis, vel etiam moralis par eas cauſas, quibos conſtituitur diſſolvitur, ut liquet in omnibus illis bonis, quorum conſarvatio à cauſa productiva non dependet, manet anim domus ſine artifice, pomum ſine planta, ſantentia ſine judice. 6

Cætarum hæc regula non intalligitur de phyſicis compoſitis; ſed da civilibus, & moralibus, idque aoimadvertans Gloſſa, ita axplicat præſatam ragulam: ſcilicèt *omnis obligatio temporalis per quaſcunque cauſas contrahitur, per eaſdem diſtrahitur.* Siquidem hæ obligationes tamporales cum fiant conſenſu, pereunt diſſenſu. In ſpiritualibus tamen deficit hæc regula, quia matrimonium coonſummatum, quamvis ortum ſuarit ex mutuo cooſanſu, ooo tamen potaſt ampliùs mutuo diſſanſu voluntatum diſſolvi. Eſt enim matrimonium ax divina inſtitutiona indiſſolubile. Item ſallit regula in baptiſmo, Confirmationa, Ordine, quia illorum affectus ſunt irrevocabiles. Fallit atiam in caſibus notatis *in c. infer. de major. & obed.* quia in multis caſibus poteſt quis ligara, & non taman abſolvare.

Secunda regula: *Ea facta, quæ dubium eſt,* 7
quo animo fiant, in meliorem partem interpretanda ſunt, tunc habeiur dubium, quando intellectus qoaſi in bivio hærens ſuſpenſus, neutram ex duabus eligit partem, quia dubitans quaſi compeda injecta progredi nequit, & dividitur dubium in poſitivum, & negativum; tamatſi dubium poſitivum confundatur cum opiniona, quæ dubitatio poſitiva eſt nixa motivo poſitivo, tametſi caraat certitudine: omnis enim dubitatio oritor ex defectu medii ſcientifici, vel ex æqualitate ſignorum, aut probatioaum, vel ex obſcoritata rerom, adeò ut dubitatio ſicot notat Farinacius *in prax. crimin. q. 36. num. 197.* non ſit propriè aliquis probationis gradus, ſad tantùm initium perveſtigationis de certitudine, & cùm primùm poſt inqoiſitionem judex incipit in unam partem magis inclinare, tonc ceſſat dobium, & ſobintrat opinio, ut etiam notat Menochius *de præſumpt. q. 7. num. 47.* In hoc igitur dubio melior pars eligenda eſt, qoia ut docat D. Thomas *2. 2. q. 60. art. 4.* hoc ipſo quòd aliquis habat de alio malam opinionem absqua ſoſficienti cauſa, ioſart eidem injuriam, eúmque habet cootemptui: ſad nullus debet alium contamnera, neque inferre illi nocumentum ſine cauſa impellente: quo fit, ut ſi non apparaant manifeſta indicia da malitia alicujus, teneamur eum æſtimare bonum, & iotarpretara in meliorem partem, quod dubium eſt. 8

Hæc autem ragulà non procedit in judicio de rebus, quia tunc non attanditur bonum, val malum ex parte rarum, de qoibos judicamus, & quibus judicium noſtrum qualecunque ſuerit, nullum adfeti nocumentum: ſad attenditur in rebus ſolùm bonum judicantis, an va

rum

rum attingat, vel non : eſt enim bonitas intellectûs ipſa veritas, & malum falſitas. Secus eſt in judicio de perſonis, quia tunc periclitatur bona fama, & innocentia proximi. Cæterùm limitatur hæc regula. Primò in cauſis gravioribus, tunc enim conceditur minus benigna interpretatio : ſecundò quando agitur de malo declinando, & bono acquirendo : ſicut enim quilibet ſua acta timere poteſt, cum Jobo *cap. 9. v. 28. verebar omnia opera mea* : ita in aliis debet quis attendere, ne damnum illis, vel nobis inferatur; proinde tunc licitum eſt ad avertendum damnum cogitare, quod deterius eſt, in quo ſenſu dicitur quis interpretari aliquid in pejorem partem ad declinandum malum, quæ declinatio, bona eſt.

9 Tertia *utilius ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Duplex eſt ſcandalum activum, & paſſivum, illud dicitur infirmorum, hoc impiorum, ut notat Sylveſt. *V. Scandalum.* Rurſus veritas, alia eſt vitæ in eo ſita, ut quis vitam rectæ rationi conformem agat : alia veritas eſt doctrinæ, ſita in oratione, quæ eſt animi index, adeò ut nil contra mentem quis loquatur; qnia mendacium eſt ire contra mentem : alia veritas juſtitiæ, quâ conſilia, & actiones nnſtræ debent commenſurari intellectui; tanquam regulæ eorum, quæ juſta ſunt. Quando dicitur contempto ſcandolo eſſe veritati inſiſtendum; ſumitur in eo ſenſu ut vitæ probitas nunquam deſeratur ex timore, ne quis ex honeſtate noſtrarum operationum ſcandalum ſumat; quia tunc ſcandalum non oritur ex honeſtate noſtrarum operationum, ſed ex malitia aliorum; qui propterea ſibi debent imputare, qui inſtar araneorum ex bono malum ſugunt, ſeu quod bonum eſt convertunt in malum : & in hoc ſenſu melius eſt, ut ſcandalum naſcatur, quàm ut veritas deſeratur. Rurſus eſt etiam juſtitia ſervanda, ne innocens condemnetur, tametſi aliquando ſit ſeveritas lenienda; & juſtitia clementiæ ſocianda. Inhærendum itidem eſt veritatis doctrinæ, quia mentiri pro nullo eventu licet, cùm ſit intrinſecè malum.

10 Quarta *quod non eſt licitum lege, neceſſitas facit licitum* : procedit tamen hæc regula de lege poſitiva, cujus obligatio non eſt tam arcta, quin ſubinde, vel omiſſionem, vel actum contrarium admittat. Nam ut notat Gloſſa, Sabbathum cuſtodiri præceptum eſt; & nihilominus Macchabæi ſine culpa in ſabbatho pugnabant *cap. ſi nulla 23. q. ult.* & hodie ſi quis ægrotus non jejunet, non propterea habetur voti Reus *c. 2. de obſerv. jejunior.* quia neceſſitas legi non ſubjacet *c. quando de conſuetud. c. ſicut diſt. 1. de conſec.* hinc tempore extremæ neceſſitatis omnia communia ſunt *cap. dilectiſſimis 12. q. 1.* Hinc propter damnum, quod quis meritò timet; vel lucrum juſtum, quo carere non debet, licitum eſt omittere aliquando non ſolùm, quæ civilis magiſtratus, verùm etiam quæ eccleſia præcipit : ſic pro neceſſaria conſervatione bonorum temporalium, dicitur quis licitè abeſſe à miſſa die feſto, ut docet Suarez *lib. 6. de legib c. 6.* quia leges politicæ, & eccleſiaſticæ non obligant cum tanto incommodo, ac detrimento.

11 Cæterum quod non eſt licitum in lege divina naturali, neceſſitas nunquam facit licitum, quia lex divina naturalis eſt ita conſtans, & fixa, ut nullam admittat mutationem : unde quæ in lege divina naturali, ſeu in decalogo comprehenſa ſunt, ut etiam in iis, quæ ſunt prohibita, quia ab intrinſeco mala, ut ſunt hæreſis, mendacium, adulterium nunquam in iiſdem neceſſitas facit licitum, quod in tali lege eſt illicitum, cùm Chriſtus *Matth. 19.* dicat, *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata*, idque abſque ulla exceptione, etiam ſi quis totum deberet mundum lucrari, cum dicat Chriſtus *Luc. 9. Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur.*

12 Quinta *quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere*, quæ enim latenter, ſeu clam fiunt, ſuſpecta ſemper ſunt de malo, cùm dicat Chriſtus *Joan. 3. Omnis qui agit malè, odit lucem.* Multipliciter autem cenſetur quis latenter, ſeu clanculò aliquid agere. Primò ſi celet adverſario, & non denunciet illi, timens ſcius controverſiam : ſecundò ſi agat animo celandi eum, quem intelligit prohibiturum. Tertiò ſi oppoſitum ſeu reſiſtentiam metuens aliter faciat, quàm ſignificaverat. Quartò ſi furtivè poſſeſſionem ingrediatur metuens veri poſſeſſoris inſiſtentiam. Quintò ſi prohibitus uti re aliqua, eâ nihilominus utatur. Sextò ſi aliquid in occulto fiat excluſis teſtibus, ut liquet in ſponſalibus, & matrimonio clandeſtino, ut habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 1. de reform.* & *in c. 2. de ſponſal* Quia tunc ea fiunt contra jus, & facta contra jus haberi debent pro infectis. Rurſus quæ per vim, aut metum cadentem in conſtantem virum fiunt, ſi conſtiterit ita fuiſſe facta revocantur *cap. audientia de his, quæ vi metúſve cauſa.* Vi autem factum dicitur id, ait Ulpianus, quod quisque cùm prohiberetur, facit. Hinc regula intelligitur, ut facta per vim, dolum, & alium modum legibus prohibitum, non mereantur laudem, vel approbationem, & habenda ſint irrita, vel irritanda.

13 Dicitur tamen in regula *quòd nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere*, quia per ſe non quidquid illicito modo fit, eſt invalidum : etenim ſententia non eſt ferenda ſub conditione, & tamen ita lata valida eſt. Executio teſtamenti facta per Guardianum S. Franciſci illicita eſt, quia prohibita *Clement. Exivi de V. S.* & tamen facta eſt valida, Rurſus Prælati prohibentur delegationes ſuſcipere à judicibus ſæcularibus *cap te qui 11. q. 1.* & nihilominus ſi eas ſuſceperint judicium eſt validum. Rurſus clericus, quamvis Notatius prohibetur inſtru-

menta conficere *c. ſicut ne Clerici, vel Monach.* & tamen ſi rogatus inſtrumentum confecerit, hoc ſuum ſortitur valorem. Præterea excommunicato prohibetur ſtare in judicio *c. intellectus de judic.* & tamen ſi ſteterit, valet judicium, ſi nihil opponatur *c. 1. §. ſi vero de except. in 6.* Item in cauſa criminali non debet Procurator admitti, & nihilominus, ſi interveniat, & alia pars non reclamet, judicium valet. Item pacta conventa, contractus ratione ſoliùs honeſtatis, vel privatæ utilitatis, ſi prohibeantur non fiunt licitè, & tamen facta ſubſiſtunt, donec à judice irritentur, quia quod ir[illegible] faciendum, non tollit factum *l. in amb.gt. ſ d. re jur.*

14 Sexta *In ipſo cauſæ initio non eſt à quæſtionibus inchoandum*, ſumitur hic quæſtio pro indagatione veritatis per tormentum: hinc quæſtionem ferre eſt vindicandum facinus judicibus præbere: & magis propriè, ut pertinet ad præſens inſtitutum dicitur *quæſtio* tormentum, quo torquetur reus ad eruendam veritatem, & in hoc ſenſu Gregorius VII. ſcribens Epiſcopo Varienſi mandat, à quæſtionibus, ſeu tormentis non eſſe judicium inchoandum. Idque fuiſſe olim ab Imperatoribus itidem conſtitutum teſtatur Ulpianus. Hinc Auguſtus *l. 1. tit. de quæſt.* jubet in judiciis non eſſe incipiendum à tormentis: & Hadrianus ſtatuit, tunc ad tormenta ſervorum veniendum eſſe, quando ſuſpectus eſt reus; & indicia adeo certa, ut ſola videatur confeſſio deeſſe, & contrarium ſi fiat, appellationis remedium reo conceditur *cap. non ſolent. 2. q. 9.* ubi dicitur, quòd ante ſententiam poſſit appellari; judex niſi civili negotio ad quæſtionem habendam interlocutus ſit, imò etiam in criminali ſi contra leges id faciat.

15 Ratio eſt, quia vel reus eſt ſuſpectus, & ſola ſuſpicio non eſt ſufficiens probatio, ut poſſit reus ſuſpectus torqueri: vel torquetur reus, quia eſt accuſatus, & ſola accuſatio neque ſufficit cùm interdum æquè boni, ac mali accuſentur, & aliena improbitas, non propria culpa reos perſæpe faciat. Poteſt quidem reus torqueri, ſed certo conſilio, tempore, & modo; indicia priùs quærenda ſunt, & argumenta diſcutienda; alioquin in initio cauſæ Pontifex prohibet à quæſtionibus inchoare; ſiquidem periculoſum eſt, & incerta alea, quâ ſuper Innocentum corio luditur. Quamobrem debet judex maturè perpendere, an delictum aliter, quàm per torturam probari poſſit; ſiquidem regulariter ad quæſtionem, ſeu torturam nequit deveniri; niſi in ſubſidium, ubi aliæ probationes deſunt: alioquin ſi hiſce neglectis judex ſubjiciat reum tormentis cùm agatur de graviſſimo, & irreparabili præjudicio, cenſetur conſtitutos in dolo, ut ait Baldus *conſil. 233. lib. 1.* Neque juvatur ratione officii ſi contra naturam ipſius deliquit *argum. l. qui fundum §. ſi tutor T. pro emptore.*

16 Septima *quicquid in ſacratis Deo rebus, & Epiſcopis injuſtè agitur pro ſacrilegio reputatur; quia ſacra ſunt, & à quoquam violari non debent* poſuit hanc regulam Stephanus *1. epiſt. 2.* quæ incipit *gaudemus*; ubi Pontifex, declarat duas ſpecies ſacrilegii unam in rebus, alteram in perſonis; ſacrilegium, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 99. per tot. art. 3.* Fit quoties aliquis irreverenter ſe gerit ad res ſacras, quibus ratione ſanctitatis debetur reverentia: hinc juxta diverſam ſanctitatis rationem rerum ſacrarum, quibus fit irreverentia, debent ſpecies ſacrilegii, diſtingui. Res Deo ſacrata hîc illa tantùm intelligitur, quæ per publicam conſecrationem, deputationem Deo addicitur, hinc ſacrilegium dividitur communiter in tres ſpecies rei, loci, & perſonæ *c. quis 17. q. 4.* eò quia non ſolùm res, ſed etiam loca, & perſonæ Deo conſecrantur.

Octava *qui ex timore facit præceptum; aliter, quàm debet, facit, & ideo jam non facit*, traditur hæc regula à S. Auguſtino c. *121. enchirid.* pro cujus intelligentia notandum eſt, timorem alium eſſe ſervilem, & alium filialem; iſto culpam declinamus, illo pœnam fugimus. Procedit regula de timore ſervili, & ſenſus eſt, ut qui ex timore facit præceptum, ſitque timor motivum principale, deviat ab intentione legiſlatoris omittendo charitatem, & amplectendo ſervilitatem; ſic qui ex timore præceptum facit, invitus præſumitur facere, proinde non cenſetur in animo facere: ſiquidem mavult omnino non facere, ſi ſecundùm ea, quæ cupit, & metuit, permittatur impunè: ac per hoc in ipſa voluntate eſt reus, ubi ipſe, qui præcipit, videt Deus, ut ait Auguſtinus *lib. 3. contra duas epiſt. Pelag c. 4.* 17

Nona *Defleat peccator, quia offendens in uno, factus eſt omnium reus*, deſumitur hæc regula ex *cap. 14. lib. de vera, & falſa pænitentia* & tribuitur præſertim S. Auguſtino *Tom. 4.* licèt non rectè; quia ibi allegatur tantùm Auguſtinus, & Author à ſententia allegata diſcedit, ut notat Bellarminus *de ſcript. eccleſ.* Verùm id veritati hujus regulæ non officit, quia regula deſumitur potiùs ex ſcriptura *Jacob. 1.* ut rectè docet D. Thomas *2. 2. q. 72. art. 1.* Cæterum hæc regula variè explicatur: alii cum Authore *lib. de vera, & falſa pænit. cap. 14.* dicunt quòd offendens in uno fiat omnium reus in hoc ſenſu, quia omnis virtus ab uno vitio detrimentum patitur. Alii cenſent fieri omnium reum, quia non minus omnia merita amittit, quàm ſi totam legem violâſſet juxta illud *Ezech. 18. omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur*: alii dicunt fieri omnium reum, quia per unum peccatum mortiferum peccator lædit omnes virtutes acquiſitas deſtruendo earum ſtatum per habitum vitioſum impedientem illarum operationes. Gloſſa verò, quam ferè communiter ſequuntur alii, explicat regulam in hoc ſenſu, quòd offendens in uno fiat omnium reus, quatenus eandem pœnam damni incurrit, ſcilicèt privationem gratiæ, charitatis, & aliarum virtutum infuſarum; conſequenter etiam privationem cœleſtis gloriæ, ac ſi omnia præcepta violâſſet. 18

Alii

19 Alli demum explicant regulam in hoc alio ſenſu, qnatenus non eſt amicns Dei, qui unum aliqnod præceptnm non ſervat; proinde ita deperdit Dei amicitiam, ac ſi omnia alia præcepta etiam violâſſet, quia ſicut bonum ex integra cauſa; ita malum ex quovis defectu. Putârim tamen; regulam eſſe intelligendam, ut cùm offendens in uno dicitur factus omnium reus, *ſit* illud *omnium* intelligendnm non copulativè, ſed tantùm copulatim: ſiquidem præcepta omnia legem totalem conſtituunt, quæ dicitur lex decalogi, violatio unius præcepti totam legis complexionem, quæ ex ſingulis integratur, lædit, licèt non vinlet ſingula præcepta, quatenus omnia totam legem conficiunt. Aliud enim eſt lædere totam legis complexionem; & aliud ſingula præcepta: ad primum ſufficit ſi unicum tantùm præceptum lædatur, quia totum neceſſariò deſtruitur, ex unius cujusque præcepti particularis transgreſſione: ad ſecundum verò requiritur, ut ſingula præcepta violentur. D. Auguſtinus *epiſtol. 29.* explicat etiam regulam in hoc ſenſu, ut qui in uno offendir dicatur fieri omnium reus, eò quia lædat charitatem, ex qua tota lex pendet; agens enim contra charitatem, in hoc ſenſu dicitur violare totam legem, ac fieri omnium reus. Hinc mnnet S. Gregorius in præfata regula, ut peccator defleat ſtatum ſuum, quia tametſi ſervatis cæteris præceptis in uno tantùm offenderit plangendi cauſam habet, eò quia factus ſit omnium reus, ſaltem quoad effectum, ſeu pœnam, & damna, quæ inde ſequuntur.

20 Decima *Non enim poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & Paſtor neſcit*, deſumitur hæc regula ex ſcriptura *Ezech. 34.* & *Actor. 20.* ubi dicitur, quòd Paſtores, ſeu Prælati eccleſiæ ad id eliguntur à Deo, & præficiuntur, ut fidelium animas quaſi oves paſcant Ioan. 21. unde Auguſtinus *ſerm. de ovib.* ait, *quòd Præpoſiti ſumus, inter Paſtores deputamur, ſi boni ſumus: quòd autem Chriſtiani ſumus, & nos nobiſcum oves ſumus.* Obligationes ſacri Paſtoris decem recenſentur, quarum prima eſt paſcere oves. Secunda efficere, ut accumbant; tertia iufirmas conſolidare: quarta ægrotas ſanare: quinta confractas alligare: ſexta abjectas, & erraticas reducere: ſeptima quærere eam, quæ periit: octava leniter eis imperare: nona paſcere in judicio: decima eas ſolerter cuſtodire; quæ omnes ad tres reſtringuntur, ſcilicet ad notitiam ovium, cuſtodiam earundem, & curam alimenti, quibus ſi non invigilet Paſtor, & ſinat gregem ſibi concreditum à lupis rapacibus dilaniari; excuſaſari non poteſt, quia Paſtor tenetur ex officio omnem excutere ſegnitiem, & indefeſſâ curâ invigilare ſuper gregem à Deo ſibi commiſſum. Quamobrem non admittitur excuſatio paſtoris, ſi lupus oves comedat, & paſtor neſciat; quia ignorantia in facto alieno non excuſat, quando quis ex officio tenetur diligenter indagare, cuſtodire, præcavere, ut notat Panormitanus hîc; imò tenetur etiam paſtor pro ovibus à lupo laceratis; adeò ut ipſi imputetur culpæ, ſi non adhibuit omnem, quam potuit diligentiam.

Undecima, & ultima *Indignum eſt, & à Romana eccleſia conſuetudine alienum, ut pro ſpiritualibus facere quis homagium compellatur.* 21
Juvat cum Panormitano obſervare diſcrimen inter homagium, & juramentum; quia homagium concernit temporalia, ut cum qui jurat, ſe facit eius, cui jurat, vaſallum, & obligat ſe illi ad certas operas temporales; adeò ut eo ipſo, quòd quis præſtat homagium alteri, ſe illi ſubjiciat in ſamulitium aliquod, & ideo homagium propriè convenit Dominis temporalibus, ut notat Suarez *lib. 1. de relig. tract. de jurament. c. num. 24.* ubi docet, talia obſequia temporalia non poſſe Epiſcopis, ut dominantibus in clero præſtari ſine ſpecie ſimoniæ pro beneficio obtinendo. Et deſumitur etiam *ex c. cum eſſent de ſimon.*

Juramentum verò fidelitatis, & obedientiæ præſtatur à Clericis ad ſuos Prælatos, quia fidelitas, & obedientia debentur Prælatis eccleſiaſticis, ut Paſtoribus ſpiritualibus pro illorum cura, & adminiſtratione ſacramentorum; & quamvis in jure hoc fidelitatis, & obedientiæ juramentum dicatur homagium, illud tamen dicitur tantùm in laxa ſignificatione, quia homagium propriè concernit temporalia, & præſtatur Dominis temporibus: juramentum verò fidelitatis, & obedientiæ Clericorum concernit ſpiritualia. Cæterum hæc regula ſumitur ex decreto Lucii III. quamvis in corpore juris non allegatur, ubi reperiatur: ſufficit enim conſuetudo eccleſiæ Romanæ, cui debent cæteræ conformari, cum ab ipſa habeant ſuam inſtitutionem, & authoritatem. Id autem intelligendum eſt de conſuetudine univerſali; non verò de particulari, quia plures eccleſiæ habent ſpeciales ritus diſtinctos ab illis eccleſiæ Romanæ, ut eccleſia Ambroſiana, cui Romana nihil præſcribit in contrarium quoad tales ritus, 22

§. II.

De Regulis iuris Pontificii in ſexto decretalium.

QUia in regulis juris tota propemodum omnium titulorum vis contrahitur, ideo opere pretium eſſe puto adjicere reliquas regulas, quæ ex ſexto decretalium deſumuntur, quarum prima eſt: *Beneficium eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine inſtitutione canonica obtineri.* Dicitur inſtitutio canonica, quæ fit ſecundùm canones, & ut ita fiat, deſideratur poteſtas in inſtituente & habilitas in recipiente, ut etiam modus, ſeu ſolemnitas à jure præſcripta. Hinc ſenſus regulæ eſt, ut jus percipiendi fructus ex bonis eccleſiaſticis à nullo juſtè, & legitimè acquiratur, vel 1

retineatur ; niſi beneficium illi juxta canones collatum fuerit : alioqnin plura inde ſequerentur inconvenientia in perniciem religionis *cap. quoniam inveſtituras 16.q.7.*

2 Secunda : *Poſſeſſor malæ fidei nullo tempore non præſcribit.* Dicitur poſſeſſor à pedum poſitione *l. 1. tit. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. cap. 5.* eò quia per pedum poſitionem ſuper agrum, vel fundum acquiratur poſſeſſio : actus poſſidendi poſſeſſio facti dicitur, & jus poſſidendi poſſeſſio juris : poſſeſſio verò facti *eſt detentio rei corporis, & animi, & juris adminiculo* : dicitur *detentio rei ſive corporalis*, ut ſunt agri, & campi ; *ſive incorporalis*, ut ſunt cenſus, beneficia, ſervitutes, & alia id genus : detentio verò eſt prima rei apprehenſio, ſeu inchoata poſſeſſio : adduntur illæ particulæ *corporis, & juris adminiculo*, quia præter intentionem, & voluntatem poſſidendi, adhuc aliquo corporis inſtrumento, ut manu, vel alia re, in qua aliquo modo contineatur, dicitur quis rem poſſidere.

3 Additur etiam *juris adminiculo*, non quia omnis apprehenſio, vel poſſeſſio ſit conformis; ſed quia diſpoſitione juris pro poſſeſſione habetur illa, quæ damnari poteſt : hinc detentio rei ſacræ, vel furto ablatæ tametſi injuſta ſit, poſſeſſio tamen vocatur, quâ privari poſſeſſorem non permittitur Domino pro ſuo libitu *l. qui univerſas tit. de acquir. & amitt. poſſeſſ.* Senſus igitur hujus regulæ eſt, quòd poſſeſſori alicujus rei, ut rectè præſcribat neceſſarium omnino eſt, ut veraciter, & prudenter ſibi perſuadeat rem, quam poſſidet, non eſſe alterius, ſed ſuam, idque non ſolùm ſub initium inchoatæ poſſeſſionis, verùm etiam, ut totius temporis lapſu fuerit in bona fide abſque ulla interruptione, & contraria notitia ; adeò ut fuerit ſemper in bona fide. Eſt bona fides animi perſuaſio, aut credulitas, quâ quis prudenter exiſtimat rem eſſe ſuam ; vel ſaltem neſcire eſſe alienam ; dicitur *prudenter*, quia ignorantia craſſa, vel affectata, ut etiam inordinata cupiditas præſtant, ut quis credat rem eſſe ſuam, quamvis revera ſit alterius, & is tunc dicitur poſſeſſor malæ fidei, cujus præſcriptio propterea non valet, quia præſcribens in nulla temporis differentia, debuit habere conſcientiam rei alienæ.

4 Tertia : *Sine poſſeſſione præſcriptio non currit.* Hæc regula deſumitur *ex c. cauſam de præſcript. & cap. 3. de prob.* eſtque captu facilis, cùm nil aliud velit, niſi quòd non poſſit quis rem præſcribere, niſi eam poſſideat; adeò ut ſi quis privetur poſſeſſione, ſive per vim, ſive per dolum, ſive naturali aliquo caſu, ut ſi campus aquis obruatur, inchoata præſcriptio, juris authoritate interrumpatur : pluribus aliis modis etiam impeditur præſcriptio, ut per litis conteſtationem ſi longiſſimi ſit temporis *l. mora 26 de rei vendic.*

5 Quarta : *Peccatum non dimittitur niſi reſtituatur ablatum.* Nomine peccati hic intelligitur culpa, ſeu offenſa Dei, & proximi quæ nunquam remittitur niſi peccator ſatisfaciat ; ſive re ipſa, ſive in præparatione animi : unde particula *niſi* indicat eſſe aliquid ponendum, vel faciendum, cum ponatur poſt negationem : unde ſenſus regulæ eſt, quòd non debeat quis expectare remiſſionem peccati, niſi velit reſtituere : unde ultima verba regulæ *niſi reſtituatur ablatum* ſumenda ſunt amplè pro quovis damno, ſive negativo formali, vel virtuali : ſiquidem omnia, quæ proximo inferunt damnum, pari ſunt obligatione compenſanda. Fur enim, & Raptor dicuntur injuriam formaliter inferre, conſulens verò, & mandans tantùm virtualiter, hinc ex quolibet juſtitiæ læſione oritur reſtituendi obligatio. Quamobrem ſenſus hujus regulæ eſt, ut ad remiſſionem peccati contra juſtitiam, non ſufficiat pœnitere confiteri, & emendationem promittere, ſed inſuper reſtituendum ſit ablatum, vel re ipſa, vel animi deſtinatione.

6 Quinta : *Peccati venia non datur niſi correcto* : hæc regula concordat cum præcedente, quia ſicut non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum ; ita nec remittitur peccati pœna, niſi interveniat mentalis correctio, ſeu animi pœnitentia, cordiſque contritio : hiſce enim poſitis datur peccati venia, & regula in hoc ſenſu ſumpta fundatur in vera Theologia, quia nemo extra baptiſmum poteſt peccati à ſe commiſſi veniam obtinere ; niſi per pœnitentiam. Imò regula ampliatur etiam ad peccata venialia, pro quibus nec datur venia niſi contrito ; quia tametſi non teneatur quis in ſpecie conſiteri peccata venialia, tenetur tamen ea confiteri in genere ; imò extenditur etiam ad delicta non conſummata opere externo, cujuſmodi ſunt impuræ cogitationes, prava conſilia, mala deſideria *cap. Chriſtiana 32. q. 5.*

7 Sexta : *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.* Deſumitur hæc regula ex *c. fin. de pact.* & *cap. fin. de condit. appoſit.* eſt etiam ex *c. 1. de jurejur. in 6.* Pro hujus regulæ explicatione juvat obſervare impoſſibile apud J. C. aliud eſſe naturæ, ut digito cœlum tangere *§. ſi impoſſibilis inſt. de inutil.* Aliud juris, ut ſi lex prohibeat, alere parentes, præcipiat res ſacras ſibi uſurpare ; quia enim lex eſſet iniqua, diceretur obſervatu impoſſibilis ; aliud dicitur impoſſibile repugnantiæ, ſeu perplexitatis, ut ſi dicas *Titius hæres eſto ſi Cajus erit* : & *Cajus hæres eſto, ſi Titius erit.* Rurſus impoſſibile aliud dicitur arbitrarium ; aliud caſuale & aliud mixtum, ut notant Weſſenb. & Schneid *§. ſub conditione inſtit. de V. O.* Barboſa tamen breviùs prærecenſita impoſſibilia revocat ad duo genera, ſcilicet ad impoſſibile de facto, ſub quo continentur impoſſibilia naturæ, & ad impoſſibile juris, ſeu de jure, ut eſt turpe, & inhoneſtum *c. ult. de pact.*

8 Hinc impoſſibilia quamvis in jure vocentur etiam ea, quæ ſunt difficilia : juxta tamen præſens inſtitutum dicuntur, quæ in ſe ſunt infactibilia, & quibus factum, vel jus repugnat ; &

& difficilia dicuntur, quæ tametſi ſint facto poſſibilia, ettameo ob defectum hominis fieri non poſſunt. Regula igitur, ita eſt intelligenda, ut nemo obligare ſe ipſum poſſit ad id, quod nature ſoa eſt impoſſibile, ut lunam è cœlo eripere; ſolem extinguete *l. ſi ſtipul. tit. de V.O.* nec ad impoſſibile facti, ut montem humeris aliò aſportare *argum. tit. de ſtatu. lib. 1. cum heres. §. 1.* immò nec poteſt ſe ipſum obligare ad impoſſibile de jure, ut ſi quis promitteret ſe peccatum patraturum; ad peccandum enim non poteſt dari obligatio.

9 Septima: *Privilegium perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.* Cùm privilegium ſit privata quædam lex, quæ ſi datur in gratiam perſonæ, perſonale dicitur; ideo perſonæ intelligitur adhærere, cùm ſit ipſius proprium donum: & ſicut res adhærens perſonæ, ut indumentum, veſtis ſemper ſequitur perſonam quoquo ſe verterit; ita etiam privilegium perſonale; exemplum habetur *in c. 2 de victu & uſu pallii*, ubi Cœleſtinus Papa ait, non eſt conveniens, ut palliom tuum alicui commodes, cùm pallium in perſonam non tranſeat; ſed quisque debeet cum eo ſepeliri. In hoc ſenſu intelligitur prima pars hujus privilegii: *privilegium perſonale perſonam ſequitur*; quia cùm ſit factum intuitu perſonæ, eique adhæreat, non ſeparatur à perſona, quem propterea ſequitur, quocunque ierit: in quo ſenſu notat Barb. hic, privilegium perſonale, ita perſonæ eſſe annexum, ut neque oxori, neque filiis, & multo minus familiaribus liceat eo frui; niſi id ſpecialiter expreſſum fuerit. Hinc intelligitur ſecunda pars regulæ, nimirum privilegium perſonale extingui cum perſona, quia ſi perſona pereat, ceſſant eidem adhærere quæ antea adherebant; adeò ut privilegium perſonale nulla hæreditate, vel ſucceſſione tranſeat ad poſteros, quia ceſſante cauſa, à qua ſola dependebat, debet etiam effectus ceſſare, & cum privilegiorũ perſonalium cauſa ſit proprie dignitas perſonæ, ut ſic incommunicabilis, ideo nec filii, poſteri poſſunt ſperare, ſe eodem fruituros, niſi fortaſſis aliter expreſſum ſit.

10 Octava *ſemel malus, ſemper præſumitur eſſe malus*, quæ regula ex eo videtur capcu difficilis, qoia oppooitur illi alteri: *quilibet habendus ſit bonus, donec probetur malus.* Verum ſeoſus regulæ eſt, ut is qui ſemel deliquit in aliquo genere delicti, ut perjurio, non poſſit illud eluere, niſi per mutationem animi, & pœnitentiam; & quia hujusmodi mutatio non conſtat in foro externo; nec debnat præſumi quamdiu ignoratur: hioc eſt, quòd præſumatur adhuc talis eſſe, qualis aliquando fuit deprehenſus in perjurio, idque dooec contrarium innoteſcat *c. maiores §. ult. de bapriſ. argum. l. ſi poſſideris* ubi Gloſſa *de probat* unde cùm dicitur ſemel malus ſemper præſumitur malus, id intelligitur oon abſolutè, & univerſè, ſed in eodem genere delicti, cujus gratia in judicio non admittitur, ut boous, niſi probaverit contrarium; quia tunc præſumptio ceſſat, & cedit veritati, ut notet Gallius *lib. 2. obſ. 109.* Imò licèt, ſi aliquie malus ſit in ono genere delicti, debeat reputari à Magiſtratu boous in aliis; oihilominus convictue de uno manet ſuſpectus de aliis, hinc non recipitur juramentum illius, qui ſemel in pejurio deprehenſus eſt *c. ut parvuli 22. q. 5.* Notarius ſemel de falſo condemnatus, ne qoidem in propria cauſa permittitur inſtrumentum couficere, ut notat Jaſon io *l. Barbarius de off. Prætor.* Rurſus qui ſemel falſum teſtimooium dixit, nunqoam recipitur, ut teſtis *c. teſtimonium de teſt.*

Nona *Ratum quis habere non poteſt, quòd ipſius nomine geſtum non eſt.* Deſumitur ex *c. penult. de ſent. excommun. in 6.* pro ejus intelligentia obſervandum eſt, ratumhabere idem eſſe ac comprobare, idque noo verbis tantùm, ſed etiam facto; hinc ſi Procurator conſtitutus caveat rem ratamhabiturum Dominum, ſatisdatio de rato, vel cautio appellatur *l. 23. tit. de admin. tutor.* Hinc quod meo nomine actom noo eſt, ſecundùm hanc regulam illud ratumhabere non poſſum. Ratio eſt, quia ut ratihabitio ſuum ſortiatur effectom debet fieri per fictionem traoslativam, ad quam duo requirontur cum habilitate unius ad alterum; quæ habilitas non habet fundameotum, quando alia eſt contrahentis, vel agentis voluntas, qoàm ſit mea; cojus ratihabitio attenditur. Hæc regula in hoc ſenſu procedit etiam io ſpiritualibus ad animæ ſalutẽ proficuis, vel etiam oeceſſariis; hinc habetur quæſtio, an valida ſit abſolutio à reſervatis ſpe ratihabitionis à Pootifice factæ, & ſolet reſponderi, duplicem eſſe ratihabitionem de futuro unam, alteram de præſenti: de futuro, ut ſi Parochus non habens facultatem abſolvendi credat, quòd ſi eam vel Epiſcopo peteret, eſſet eam daturus: & hæc ratihabitio non ſufficit, quia abſolutio à peccatis non dependet ab aliquo futuro. 11

Sin verò ratihabitio ſit de præſenti ut ſi Epiſcopus modo velit, ut Confeſſarius abſolvat à reſervatis, tametſi illi nil dixerit, & Confeſſarius præſumat ejus voluntatem eſſe talem; hæc ratihabitio cenſetur ſufficiens, quamvis in contrarium poſſent plura adferri. 12

Decima *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*, deſumitur hæc regula ex *ex c. penult de ſent. excommun. in 6.* cujus ſenſus eſt, ut qui ratificat actum aliqoem ſuo nomine factum, idem facit (quoad ea, quæ ex tali opere ſequuntur) ac ſi ipſe mandâſſet fieri eo tempore, quo talis actus factus eſt. Hinc hæc ratihabitio dicitur retrotrahi ad tempus, quo actus ille factus fuit, tametſi ratihabitio non fuerit poſita niſi poſt plures dies, vel etiam menſes; idque patet in contractibus, etenim ſi quis emerit meo nomine equum, quem per traditionem acceperit; ſi ego poſt menſem ratifico emptionem illam equi, acquiritur mihi dominium equi, ac ſi ab initio mandâſſem ipſum emi; ſic mea ratiha-

tihabitio retrotrahitur ad tempus emptionis, ſeu contractus initi, & quidem per fictionem juris, quia ratihabitio comparatur mandato. Eſt fictio juris alia inductiva, cùm lex fingit eſſe, vel exiſtere aliquid, quod tale non eſt, ut cùm miles mortuus in bello dicitur vivere per gloriam *l. bello amiſſ. tit. excuſ. tut.* alia privativa, qoando jura finguut ex adverſo non eſſe, quod revera eſt, ut cum dicunt, Monachum profeſſum non vivere, ſcilicet civiliter *c. placuit 16. q. 1.* Alia translativa, quando jura actum certo tempore, & modo fingunt factum eſſe, proinde transferunt ad aliud tempus, & formam, ut in præſenti regula, in qua actus ratihabitionis retrotrahitur, & fingitur factus tempore initi contractus. Cæterom quando ratihabitio dicitur retrotrahi, & comparari mandato, id cum ea moderatione intelligi debet, niſi ſtatus, & conditio rei mutata ſit; quia ſi aliquid intervenerit, quod utriusque extremi connexionem impediat, nullus ratihabitionis effectus erit, *c. quamvis de reſcript. in 6.* ut notat Tiraquel. *de primogen. q. 34. n. 10.* In illis tamen delictis, quæ à ratificante non potuiſſent fieri, quando fuerunt commiſſa, ratihabitio non retrotrahitur, tametſi peccatum ſit: hinc homicidiom commiſſum nomine pueri biennalis, ſi ab eodem adolto poſtea ratificetur, ratificatio non retrotrahitur, quia puer biennalis non erat capax homicidii perpetrandi. Præterea nullum ratihabitio ſortitur effectum, ſi tempus intra quod debuiſſet fieri, effluxerit: etenim quòd ſemel amiſſum eſt, ſola ratihabitione non poteſt reſtitui.

13 Cæterum ratihabitio non ſemper verbis, & voce, ſed facto etiam, & re fieri poteſt; & qoidem multipliciter: primò per proſecutionem litis inchoatæ nomine ratificantis. Secundò per ſolutionem expenſarum in lite; vel per ſolutionem cenſus promiſſi, aut fructuum rei; quia tunc ſolvens fatetur ſe dominum illius rei. Tertiò per uſum, retentionem, poſſeſſionem. Quartò ſi quis exigat rationes adminiſtrationis. Quintò ſi agat ex contractu pro alio inito. Sextò per taciturnitatem, ut ſi major vigintiquinque annis factos toto quinquennio non contradicat diſpoſitioni à ſe factæ. Septimò per antiquitatem temporis, quia tunc præſumitur interveniſſe mandatum. Octavò per actum fortiorem ſupervenientem ut ſi quis metu coactus promiſerit aliquid quod poſtea libera, & ſpontanea mente confirmat.

14 Undecima *Cùm ſunt partium jura obſcura reo favendum eſt potiùs, quàm actori* Partes jurium dicuntur in judicio Actor, & reus litigantes inter ſe; eò quia conſtituant normam judicii accuſando, & defendendo: conſtat enim judiciom forenſe ex tribus perſonis, judice, actore, & reo. Jura igitur juxta hanc regulam dicuntur obſcura, quando dubiæ ſunt probationes: unde jura, probationes, documenta, & inſtrumenta, tunc dicuntur obſcura, quando jodicis animum ancipitem conſtituunt, detinentque, ne clarè videat, obi veritas, & juſtitia latet; tunc favendum eſt potius reo, quàm actori, quia melius eſt nocentem abſolvere, quàm innocentem damnare *l. abſentem tit. de pœn.* tum quia minos periculi continet errare per exceſſum in benignitate, qoàm in ſævitie, cùm dixerit Chriſtus *Miſericordiam volo non ſacrificium*, ut habetur in *c. ponderet diſt. 50.* Tum quia reus inopinatè ad jodicium trahitur ab adverſario, qui ad ſingula ſe præparavit: unde favendum eſt potius reo, ſi cauſam propriam minus aptè propugnet, ut notat Vivianus in *Comment. hujus regulæ.* Tum quia reus ad judicium pertractus præſumitur in poſſeſſione.

15 Procedit etiam hæc regula quando reus per accidens tantùm eſt Actor, ut ſi petat, adverſario poni ſilentium; qui jactat ſe creditorem eſſe debet diffamari *c. de ingennis manumiſſ.* Secundò quamvis reus revera nullum jus habeat, & ſolo poſſeſſionis nomine munitus ſit. Tertiò licèt in ſe receperit onus probandi, quod poſtea minus bene exequatur. Quartò quamvis boni nominis præjodicio ab Actore ſuperetur. Quintò etiam ſi pro Actore teſtes eſſent clariores. Hinc ſi crimen probatum ſit per duos Clericos, & pro reo ſtent duo Laici in favorem rei, prævalent Laici ipſis Clericis *c. Clerici diſt. 8.* Cæterum ſunt etiam quædam cauſæ, in quibus contraria juris diſpoſitio actori magis, quàm reo favet. Primò in cauſa matrimonii *reg. nuptias 30. tit.* Secundò in cauſa libertatis *reg. quoties 20.* Tertiò in cauſa dotis *reg. in ambiguis 19.* Quarto in teſtamentis *reg. in teſtamentis 12.*

17 Duodecima *in judicio non eſt acceptio perſonarum habenda*, deſumitur hæc regula ex *c. 18. Proverb. Salom.* Judiciorum autem nomine intelliguntur non ſolùm quæ inter actorem, & reum fiunt, ſed etiam ea omnia, in quibus ad merita, diſpoſitionem & qualitates perſonarum attendi debet, quo pacto beneficia eccleſiaſtica, officia Reipublicæ conferri debent ſine acceptione perſonarum dignioribus, ut etiam præmia iis, qui ea promeruerunt. Etenim in gratuitis nil prohibet eligere perſonas, prout eligenti magis placuerit, & uni dari potiùs, quàm alteri: hinc Chriſtus *Matth. 20.* ait, *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum.* Valet etiam hæc regula in arbitriis, quæ judiciis accenſentur, *C. ſi de meis tit. de arbit.* quo pacto ſolent rogari arbitri, ut bona fide æſtiment ea, de quibus alioquin litigandum eſſet *l. Sticus 12. tit. de leg.*

18 Tertiadecima *Ignorantia facti, non juris excuſat*: eſt ignorantia carentia ſcientiæ, quam qois cùm potuiſſet, neglexit acquirere; & diſtinguitur ab errore, quia hic conſiſtit in judicio quodam poſitivo; & ignorantia ſita eſt in negativo, & eſt duplex una facti, alia juris; illa habetur cùm quis ignorat alienum factum, immò vel etiam proprium; ſi non recordetur, quid ante quinquaginta annos vo-

luerit

luerit, vel egerit: ignorantia juris eſt, quâ ignotatur lex prohibens, vel præcipiens, ſive ſit divina, ſive humana: otreque ignorentia facti, & juris eſt duplex, una ſimplex, & inculpabilis, eò quia fuerit invincibilis, & adnectitur bonæ fidei: elia eſt craſſa, & ſupina, quia potoit vinci, & nectitur malæ fidei, ac culpæ.

19 Intelligitor præſens regula de ignorantia facti alieni; laborans enim tali ignorentia meretur excuſationem, qoia cum facta aliene ſint propemodum infinita, eſt moraliter impoſſibile, poſſe eliquem omnia ſcire. Cæterum proprii facti ignorantia regulariter non meretur excuſationem, uc nec etiam ignorantia juris illius, quod publicè propoſitum eſt, quia in eliis juribos non ita notoriis rudes, qui communiter habentur ot tales, non comprehenduntur in hec regula.

20 Quartadecima *Cùm quis in jus ſuccedit alterius juſtam ignorantia cauſam cenſetur habere.* Intelligitur regula de ignorantia facti, quæ probebilis, & juſte reputatur. Duplex autem eſt ſucceſſio, alia perſonarum; & alia rerom: illa habetur, quando priori gradu ceſſante, qui in inferiori erat conſtitutus ad ejus locum aſcendit: ſucceſſio rerum eſt, cùm quis rebus ſuccedit elterius; idque dupliciter, vel in jus univerſum, ut hæredes ſuccedunt: vel in res ſingulares, ut Legetatli, qui tantùm in partem rerum Teſtetoris ſuccedunt *l. 7. & 8. tit. de jurejur.* regula autem extenditur ad omnes ſucceſſores, & verba illa *cenſetur habere* ſignificant præſumptionem, quâ ſi aliud non ſuppetat, pro veritate utimur, & hæc ignorentia facti prodeſt hæredi, ſucceſſori; quia habens pro ſe juris præſumptionem non tenetur quidquam probare. Rurſus non tantùm præſumitur ſucceſſor ignorere, quæ defunctus egit, ſed etiam in dubio, quæ in ejos inſtrumento continentur *l. non eſt tit. de tranſact. l. verius tit. de probat.*

21 Quintadecima: *Odia reſtringi, favores convenit ampliari.* Sumuntur odia pro ipſis rebus, vel objectis; adeò ut odium dicatur, quidquid pœnam, damnum, vel moleſtiam adferunt: fevores è converſo dicuntur, quæcunque nobis utilia, commoda, & jucunda ſunt: qoando igitur de odioſis agitur, verba legis ſunt ſtrictè interpretanda, amplè verò ſi de favoribus; & procedit regula etiam in dubiis, quia proniores eſſe debemus ad liberationem, quam condemnationem *l. Arianus tit. de oblig.* Ut autem cognoſcantur, quænam odioſa ſint, & quæ fevorebilia, attendendum eſt ad principalem ſcopum legislatoris: quia Clerici liberi ſunt ab oneribus civilibus, id eſt ipſis fevor, ſed civibus odioſum, cùm teneantur iſti totum onus ſuſtinere, in hoc caſu videtur dubium, an hæc liberatio ab oneribus conceſſa Clericis odioſe ſit, vel favorabilis, cùm ex parte Clericorum ſavorem; ex parte Laicorum odium contineat: In hoc caſu ertendendus eſt finis Legislatoris; fuit ejus principalis intentio Clericos honorare, & Laicis eos præferre.

Cæterum reſtringenda ſunt ut odioſa, quæ adverſantur æquitati, bonis moribus, honeſtati, & legibus. Secundò reſtringuntur etiam diſpenſationes, & exemplum adfert Gloſſa de indulto conceſſo Anglis recèns converſis ad fidem, contrahendi matrimonium cum ſuis affinibus, & conſanguineis *c. quadam lex §. quod ſcripſi 35. q. 3.* ſi alius populus ad fidem convertatur, privilegium conceſſum Anglis non extenditur ad hunc elium populum, quia diſpenſationes, cùm derogent legi accenſentur odioſis. Tertiò reſtringuntur decreta pœnalia; hinc pœnæ Clericorum non extenduntur ad Epiſcopos. Quartò reſtringuntur privilegia, quæ tertio ſunt præjudicio; quia hæc non præſumuntur eo fine concedi, ut noceant aliis. 22

Fevorabilia tunc ampliantur. Primò quando mens concedentis, & forma conceſſionis id videntur exigere. Secundò in cauſis piis pertinentibus ad eccleſias, moneſteria, hoſpitalia, & alie loca. Tertiò, ſi tangant jure eorum, qui conceſſerunt, quia Princeps liberalis videtur facilè juri ſuo cedere. Quartò ſi agatur de redeundo ad jus commune, ut notet Barboſa in *cap. ſtatutum de præbend. in 6.* Quintò quando dentur intuitu conatæ dignitatis, perſonæ, ſic viri nobilis favor ad filios extenditur. Sextò quando cauſa concedendi in aliis reperitur æquè, vel etiem potiori modo: quo pacto Clerici, & Regulares gaudent privilegiis militum ſæcularium. Septimò quando non facta extenſione privilegium non ſortiretur ſuum effectum. Octavò, quæ conceduntur motu proprio etiam empliſſimè explicantur; quia munere à Pontifice, & Imperatore motu proprio conceſſa præſumuntur ampliſſima, quia liberalitas Principis non eſt coërcenda *l. pæn. c. de donat. inter vir. & mulier.* ut docet Suarez *de legib. lib. 8. c. 18.* Barboſe in *lib. 3. decret. tit. 33.* 23

Decima ſexta: *Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum;* diſtinguitur beneficium à privilegio, quia illud habetur, quando Princeps de ſuo, ſecundùm, vel præter jus commune aliquid concedit, ut ſi feudum det ſuo ſubdito: privilegium verò eſt contra jus commune, ut cum Princeps liberat aliquem ab oneribus ſolvendi vectigalie, licèt jus commune præſcribet vectigalia eſſe ab omnibus ſolvenda. In hac autem regula beneficium, & privilegium ſumuntur pro eodem, & ſenſus eſt, quòd beneficium ſemel à Principe conceſſum tolli non debet abſque rationabili cauſa: quia quod ſemel glorioſè Princeps largitus eſt debet immotum relinquere. Hinc beneficium ſeu privilegium ſemel, & legitimè conceſſum dicitur de ſe perpetuum, eò qoia ſine rationebili, & urgente cauſa tolli non debeat. Limitetur tamen hæc regula primò ſi in ipſa conceſſione irrepſerit error, deceptio, aut ſimulatio; adeò ut fundamen- 24

tum, quo nititur benefirium non ſit firmum. Secundò ſi concedatur tantùm ad tempus; tunc enim eo elapſo reſſat beneficium. Tertiò quando ſtatus rerum notabilem ſubit mutationem. Quartò ſi ex conceſſione ſacta concedens ſentiat notabile damnum. Quintò ſi conceſſum beneficium tendat in præjudicium Principis. Sextò ſi quis abutatur beneficio, ſeu privilegio ſibi conceſſo *c. dilecti. c. privilegio de privileg.* & docet Suarez *de legib. lib. 8. c. 29.* & Barboſa in *c. ſi gratiosè de reſcript. in 6.*

25 Decimaſeptima: *Indultum à jure beneficium non eſt alicui conſerendum*, deſumitur hæc regula ex *c. commiſſa de elect. in 6.* & ſignificat ab invito non tolli beneficia, ſeu privilegia, quæ habet ab ipſo jure: ſiquidē juris cōmunis diſpoſitiones per inferiores non poſſunt auſerri *c. cum inferior de major. & obed.* Cæterum poſſunt indulta à jure beneficia tolli à iure: & quia ſi jus ſit humanum conditum fuit ab homine; ita poſſunt indulta beneficia etiam tolli ab homine, ſed mediante jure, ut inſtrumento *c. penult. inſtit. de jur. natur.* Quamobrem hæc regula intelligenda eſt, quod indultum à jure beneficium non ſit alicui auferendum ab inferiore non habente poteſtatem condendi contrarium jus. Vel etiam quia lex ex ſe exigit perpetuitatem, cum perſeveret ſublato legislatore, & obligat ſubditos non ſolùm præſentes, ſed etiam futuros: quia lex ſemel lata, ſemper durat donec revocetur.

26 Decimaoctava: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.* Idq; verum eſt, niſi quid aliud ſuperveniat: hinc ſi duo impuberes per verba de præſenti contraxerint matrimonium irritum; hoc non convaleſcit, quando contrahentes ſiunt puberes *c. 1. de deſponſ. impub. in 6.* Hinc ſententia ab initio injuſtè lata ex ſuperveniente tempore non validatur *l. ſi. expreſſ. tit. de appellat.* quia ſolum tempus per ſe ſpectatum non dat valorem actui, quia à lege non à tempore actus ſuum deſumit valorem. Hinc ad dignoſcendum, an actus aliquis validus ſit, examinare debemus ejus initium, ſi enim ab initio fuit irritus, non poteſt poſtea convaleſcere, idque procedit non ſolùm in contractibus, judiciis, & ultimis voluntatibus; ſed etiam in electionibus, uſucapionibus, & poſſeſſionibus, adeò ut materia hujus regulæ ampliſſima ſit.

27 Decimanona: *Non eſt ſine culpa, qui rei, qua ad eum non pertinet, ſe immiſcet.* Intelligitur hæc regula de ſe immiſcente officio alterius, ad quod eſt minus habilis, vel cujus exercitium eum non decet: quo pacto imputatur Clerico culpæ ſi arma gerat, & belligeret; ut etiam vitio datur Monacho, ſi munus cauſidici in foro externo exerceat. Hinc peccat, qui medicinæ ignarus medici munere fungitur, & per imperitiam infirmis eſt damno: quia ſe immiſcere in hiſce rebus, quæ ad eum non pertinent non eſt ſine culpa; quia imperitia accenſetur etiam culpæ: immò imperitus tenetur etiam ad reſtitutionem damnorum, quæ ob ſuam imperitiam aliis intuli c-

28 Vigeſima: *Nullus pluribus uti defenſionibus prohibetur.* Ratio deſumitur ex eo, quòd definitio ſit de jure naturæ, proinde favorabilis; ſi ſit cum moderamine inculpatæ tutelæ *§. penult. tit. de jur. natur.* hæc regula etiam procedit in judiciis, ad quæ reus præter ſpem, & expectationem trahitur etiam imparatus, cùm teneatur ſic reſpondere judici interroganti: conceduntur illi omnes defenſiones quotquot poteſt adducere. Immò ampliatur etiam hæc regula in exceptionibus diverſis, vel etiam contrariis; etenim qui negavit homicidium de eodem convictus poteſt excipere, ſe ob neceſſariam ſui tutelam occidiſſe injuſtum aggreſſorem: non tamen contrariæ exceptiones, ut monet Caniſius, ſimul offerendæ ſunt, ſed tantùm ſucceſſivè.

29 Vigeſimaprima: *Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt.* Intelligitur de firmitate, & conſtantia in actionibus, & conſiliis, & etiam in pactis conventis ad evitandas offenſiones, & diſſidia, quæ ex mutatione, & levitate oriri poſſent: alioquin regula non debet ita intelligi, ut in nullo eventu licitum ſit recedere à prima voluntate; adeò ut ſit eidem jugiter inhærendum, cum viri prudentis dicatur eſſe mutare conſilium; & dies poſterior dicatur corrigere præcedentem. Quamobrem regula intelligitur, quod non ſit recedendum à ſemel ſtatuto, quando hoc proceſſit ex matura deliberatione, & nulla ſuppetit poſtea alia ratio mutandi conſilium: quia ſi rationabilis cauſa ſeſe offerat, non erit tunc prohibitum reſilere ab eo, quod antea ſtatutum fuerat. Cæterum mens legiſlatoris per hanc regulam non fuit damnare omnem diſplicentiam, ſed tantùm illam, quæ abſque gravi cauſa, & ſine urgente neceſſitate ſit, alioquin ſi ſponſiones includant tacitè conditionem aliquam, à qua mutatio purificetur, tunc poteſt quis licitè reſilere à præconcepto conſilio.

30 Vigeſimaſecunda: *Non debet aliquis alterius odio prægravari* hanc regulam Barboſa de damno illato explicat, non de culpa; adeò ut ſenſus ſit, quòd nemo ob alterius negligentiam, fraudem, vel delictum, debeat damnum ſentire, quod ex contractu aliquo oritur. Alii verò explicant hanc regulam in hoc ſenſu, ut Petrus, quia odio habet Paulum gravare non debeat Joannem cognatum Pauli, nec in iſto vindicare, quæ in Paulo odit. Hinc hæredes non tenentur ad obligationes perſonales ratione delicti; quia nemo alieni criminis ſucceſſor conſtituitur *l. crimen tit. de pœn.*

31 Vigeſimatertia: *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.* Prior hujus regulæ pars aſſerens neminem, ſine culpa eſſe puniendum conformis eſt juri naturæ, & communi ſententiæ Theologorum, quia pœna non infligitur niſi propter culpam, quæ ſi abſit, pœna locum non habet. Secunda pars: *niſi ſubſit juſta cauſa* in hoc ſenſu vera eſt, quatenus propter delictum Patris, qui privatur pluribus bonis damnum patitur filius: non tamen hoc dam-

num

num propriè eſt pœna inflicta filio, quia per accidens, & indirectè ei obtingit tale damnum: lex enim primariò, & directè intendit punire delictum Patris.

32 Cæterum prima pars hujus regulæ ampliatur. Primò quando reus licèt de ſe innocente confitetur delictum, quia leges intendunt ſemper favere innocentiæ omnibus modis, hinc ſi Petrus fateatur ſe dediſſe Paulo venenum, quo mortuus fuit: & aliunde certò conſtet, Paulum occubuiſſe gladio non punitur Petrus, quia ejus innocentia præfertur confeſſioni à ſe factæ. Hinc qui immaniſſima, & attrociſſima confitentur delicta ſuſpecti habentur, & potiùs deſipere, quàm veritatem dicere præſumuntur; ſecundò ſi inter duos non poſſit diſcerni, quiſnam crimen patraverit, neuter eſt puniendus; ſed uterque abſolvendus, quia melius eſt liberare nocentem, quàm damnare innocentem.

33 Quando verò plures ratione aliqua nectuntur, adeò ut conſtituant, unam familiam, vel communitatem, tunc in nocente puniuntur etiam innocentes: hinc in ſcripturis pro culpa parentum filii, & nepotes plectuntur, & *Joſue c. 7.* licèt Acham furtum de anathemate ſolus, & inſciis omnibus feciſſet; attamen in univerſum populum fuit à Deo pœna conſtituta, cæſis primùm tribus millibus: deinde auxilio, & protectione in futurum negatis, *non ero ultra vobiſcum:* unde unius ſacrilegium totum populum afflixit: *Ut non ſe ſolum* ait S. Auguſtinus in Joſue *lib. 5. q. 8. quiſque curet in populo, ſed invicem ſibi adhibeant diligentiam tanquam unius corporis, & unius hominis alia pro aliis membris ſint ſolicita.* Ratio igitur, ob quam innocens pro reo plectatur conjunctio eſt, ſeu vinculum, ratione cujus unum quaſi corpus, aut communitatem efficiunt.

34 Vigeſimaquarta: *Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parère neceſſe:* quæ regula intelligenda eſt, dummodo judex non præcipiat, quæ naturali, & divinæ legi adverſantur, plura adfert Dynus exempla: juber judex ſepulchrum deſtrui, & hac deſtructione aqua pluvia nocere poterat; non tenetur deſtructor actione de ſepulchro violato, ſed auctoritas judicis excuſat *l. quamquam tit. de aqua pluvia arcenda.* Verùm rectè notat Andreas Gaillus *lib 2. obſ. 76.* quòd cum in ſimilibus præſumatur pro judice, & proceſſu ipſius; neceſſe eſt, ut ſervato ordine juris, ea præcipiantur, quorum executio immunes reddit eos, qui obtemperant, quia judex is eſt, qui juſta præcipit: etenim ſine juſtitia non eſt judex, proinde quod ad ejus officium non pertinet, ratum non eſt *l. factum à judice tit. de regul. jur.* Procedit etiam hæc regula in mandatis, immò & precibus Principum, ut à dolo excuſetur, qui obſequitur *l. quod Principis de aqua pluvia.* Item in mandatis Dominorum, dummodo non præcipiant iniqua, & manifeſtè impia, qua ratione famuli, & ancillæ in pluribus excuſantur à peccato ob parendi neceſſitatem; & ita dicendum de conductis operariis, & aliis ſimilibus.

Vigeſimaquinta: *Mora ſua cuilibet eſt* 35
nociva. Hæc regula vera eſt, ſi mora imputetur culpæ alicui: alioquin inulta maneret contumacia, & iniquus poſſeſſor cum jactura veri Domini diteſceret *l. jure natura tit. h. tit.* Gloſſa ponit exemplum hujus moræ culpabilis: etenim ſi Parochianus aliquis non ſolvit decimas, quæ debentur Parocho *c. cum homines de decim.* & mox irruentes milites comburunt, vel evacuant horreum frugibus omnibus ſublatis, damnum, quod ſequitur ex mora, eſt Parochiano nociva, & tenetur adhuc ſatisfacere Parocho: alia ſimilia exempla adfert Gloſſa in *dict. regul.* Hinc mora definitur *fruſtratio debitoris non ſolventis, vel creditoris non accipientis:* adeò ut duæ ſint ſpecies moræ, quarum una in debito non præſtito ſita ſit; altera in credito non excepto: & poteſt dupliciter fieri in re, & perſona; dicitur tunc perſona eſſe in mora, quando debitor opportuno loco, & tempore à creditore interpellatus, cùm poſſit, debitum non ſolvit *l. mora 32. tit. uſur.* In re contingit mora, quando ipſo jure, vel lapſu temporis absque ulla creditoris interpellatione obligatio ſolvendi ſufficienter monet debitorem *l. ſed etſi 23. de ſolut.* quia tunc dies præfinita ſolutioni ſufficienter interpellàt, & monet, & inducit efficaciter moram, niſi ſatisfaciat *l. magnam C. de contrahend. & committ. ſtipulat.* Quo pacto lex dicitur inſtare, & monere ſine hominis facto.

Vigeſimaſexta: *Ea quæ fiunt à judice, ſi ad* 36
ejus non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt: Ratio eſt, quia quæ fiunt à judice vim & effectum ſortiuntur ab ipſius officio, quo ſublato nullius valoris ſunt acta: ſumitur officium hìc pro ipſa jurisdictione, ſine qua actus ſunt nullius valoris, ut exemplificat Gloſſa de ſimplici Presbytero ordines, & Chriſma conferente, nil tunc agit defectu jurisdictionis *c. quorum vires diſt. 68.* Dynus aliter exemplificat, ſi judex laicus ſententiam ferat contra aliquem, quem conſtat Clericum eſſe; non valet ejus ſententia defectu jurisdictionis, quam Laicus non habet in Clericos: qua ratione invalida eſt itidem diſpoſitio, ſi judex pupillo ſibi non ſubjecto tutorem conſtituat, ut etiam ſi pupillo ſubjecto det tutorem non ſubjectum *l. jure oportet §. fin. tit. de excuſat. tutor.* Cæterum hæc regula intelligi debet de his tantùm, de quibus conſtat clarè non pertinere ad officium judicis; quia in dubiis præſumitur pro judice, cujus munus ſpectat, ea examinare, quæ ad ſuam pertinent jurisdictionem *c. ſuis litteris de reſcript.* & interim geſta per eum valent mero jure: & procedit regula tam in judicialibus judicis authoritate expediendis, quàm in extrajudicilibus.

Vigeſimaſeptima: *Scienti, & conſentienti* 37

non fit injuria, neque dolus: quia non revocans injuriam ad animam ſuam, cenſetur eam contemnere, & non curare §. *ult. inſtit. de injur.* Dicitur autem copulativè *Scienti, & conſentienti* quia nil obſtat, quo minus ſcienti injuria fiat, quemadmodum contingit iis, qui in graſſatores incidunt, quos nihilominus injuriam pati manifeſtum eſt. Rurſus conſentienti, & non ſcienti injuria fit, ut amenti. Quod verò dicatur ſcienti id intelligendum eſt de actuali cognitione, vel debito eam habendi: ſiquidem ignorans, quod ſcire debet non meretur excuſationem *cap. 1. de poſtul. Prælat.*

38 Cæterum notat Dynus, hanc regulam duas habere partes, quarum prima eſt, ut *Scienti, & conſentienti non fiat injuria:* Secunda ut *ſcienti, & conſentienti non fiat dolus*, nimirum taliter, ut inde actionem habeat deceptus. Exemplum eſt, ſi ingenuus cum ſerva matrimonium liberè contrahat ſciens ſervam eſſe, non poteſt tunc contrahens ingenuus excipere, dolum, & injuriam *c. ſi quis ingenuus c. ſi fœmina 29. q. 7.* Aliud exemplum ponitur de duobus Clericis etiam in majori ætate conſtitutis, qui ſe invicem jocoſa levitate percutiunt; ſiquidem nec injuriam inferunt, nec excommunicationem incurrunt. Rurſus procedit regula ſive de ſciente re ipſa, ſive tantùm præſumptivè, & de conſentiente expreſſè, vel tacitè; quia in jure hæc æquiparantur, ut notat Andreas Gaillus *l. 2. obſ. 98. num. 21*, immò nil refert ſive ſcientia, & conſenſus præcedat, ſive ſequatur in ſententia ſaltem communiori.

39 Vigeſima octava: *Quæ à jure communi exorbitant nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda*; ratio eſt quia exorbitantia à jure communi ſunt odioſa *c. ſane de privil.* proinde non debent ampliari, ſed reſtringi; propterea non debent trahi in conſequentiam ad alia, ut ad ipſa non extendantur. Ea autem dicuntur exorbitare, quæ ab orbita, ſeu communi via deflectunt, ſeu à communi jure declinant, cujuſmodi ſunt diſpenſationes, privilegia, ſtatuta juri communi contraria: hæc enim non debent trahi in conſequentiam, neque extendi ad alios caſus ſimiles; neque ad alias perſonas.

40 Vigeſima nona: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, ſiquidem alteri per alterum imponenda non eſt iniqua conditio *l. non debet tit. h. t.* Cæterum regula procedit de his cauſis, & negotiis tantùm, quæ ita ſingulos, ut etiam univerſos tangant; quia in aliis ſufficit ex omnibus major, vel ſanior pars: exemplum habetur in adoptione facienda, in qua debent omnes convenire, & authoritatem præſtare, ſi omnes concernat *l. fin. C. de author. præſtan.*

41 Trigeſima: *In obſcuris minimum eſt ſequendum.* Ratio eſt, quia minimum ſemper in maximo continetur; non è converſo, maximum in minimo: hinc qui ſumit minimum in dubio quando aliud de voluntate diſponentis non habetur, non errat. Eſt etiam alia ratio, ne quiſquam gravetur, aut præſtare cogatur plus juſto contra voluntatem diſponentis. Monet tamen Gloſſa, in dubiis non attendi primò quid ſit maximum, vel minimum; ſed quid veriſimiliùs attenta rei natura, conſuetudine loci, & ſimilibus: ut etiam, quid expreſsè, & quid tacitè agatur. Hinc qui in contractu promiſit dare frumentum, non tenetur exhibere, quod præſtantiſſimum eſt, ſed ſatisfacit dando quodlibet *l. 3. tit. de trit. & vino legat.* Ampliatur regula præſertim ad pœnas, & ſupplicia; in dubiis enim, & obſcuris minor pœna eſt infligenda, ne nocens plus æquo puniatur, hinc Panormit. in *c. quando de jurejur.* notat ſi quis condemnatus ſit ad pœnam capitalem, intelligitur de exilio: ſi ad manûs amputationem de ſiniſtra minus neceſſaria intelligitur; in dubiis enim circa pœnas mitior pars eligenda eſt.

Trigeſimaprima: *Eum qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet.* Ratio aſſignatur à Viviano, quia denunciationes ad hoc fiunt, ut certior quis efficiatur *l. Item veniunt. tit de petit. hered.* unde fruſtra requiritur certificatio ab eo, qui certus eſt: qui verò dicendus ſit certus, & habere rei notitiam non conveniunt Doctores. Philoſophi enim docent, hanc certitudinem deſumendam eſſe à motivo formali, ſeu cauſa propter quam; ſive hæc intrinſeca ſit, ſive extrinſeca: intrinſeca in moralibus, & judicialibus rarò habetur: extrinſeca verò conſiſtit in authoritate dicentium, litteris, tabulis, documentis, ſignis, conjecturis, & aliis ſimilibus: exinde enim oritur varietas cognitionum, quarum una dicitur alia certior, hinc certus non eſt ſtatim dicendus, qui à quocunque aliquid audivit, vel intellexit, ſed attendenda eſt dignitas atteſtantis, vitæ conditio, ac ſtatus, major enim fides præſtanda eſt viro pio, religioſo, quàm laico ſicophantæ, & nebuloni. 42

Trigeſimaſecunda: *Non licet Actori, quod Reo licitum non exiſtit.* Exemplum eſt, quòd ſi Actori petenti datur dilatio propter teſtes, debet hæc etiam Reo concedi, quia non plus debet concedi Actori, quàm Reo; hinc quia poſt cognitas teſtium depoſitiones ulterior teſtium productio Reo non eſt licita *authent. de teſt. §. illud tamen.* Nec Actori convenit eadem ulterior teſtium productio: immò à fortiori, eò quia cauſa Rei cenſeatur favorabilior. Sic poſt litem conteſtatam non licet Reo Procuratorem revocare *l. quæ omnia tit. de procurat.* proinde nec actori id licitum erit. Quia Reo non licet obſcurè reſpondere dicendo faciam, quod de jure facere debeo, cum veri ſimiliter ſciat quid facere debeat, neque Actori licitum erit exhibere libellum obſcuris conceptum terminis. 43

Trigeſimatertia: *Mutare quis conſilium non poteſt in alterius detrimentum:* hæc tamen regula limitatur, & reſtringitur ad ea conſilia pacta, 44

pacta, & acta, ex quibus jus alteri quæſitum eſt: qua ratione completo ſcrutinio non ampliùs licet Electori revocare ſuffragium, quia per electionem factam electus acquiſivit jus, quo privari ſine culpa, & rationabili cauſa non debet. Hoc idem etiam procedit de judice poſt latam ſententiam; de contrahente poſt abſolutum contractum, & de aliis ſimilibus. Cæterum non eſt prohibitum conſulenti, inſtruenti mutare conſilium, ſi inde nil damni proximo advenit, quinimo prudentia dictat retractanda eſſe priùs conſtituta ob novas, quæ contingunt, circumſtantias *l. nonnunquam tit. de coll. bon.* & docet Felin. *in c. ne innit. de conſt.*

45 Trigeſimaquarta: *Generi per ſpeciem derogatur.* Non ſumitur hic genus pro genere logico, cui ſubjiciuntur ſpecies, ſed pro eo, quòd plura continet ſingularia, latiùsque patet: & ſpecies dicitur quod ſub tali univerſali, ſeu genere continetur *l. 2. tit. ſi cert. petat.* Hinc ſi teſtator legavit Petro ſpeciem, & Paulo genus; huic per ſpeciem derogatur. Valet etiam hæc regula in ſubſtitutionibus, contractibus, legiſlationibus; ut ſi Pontifex generaliter mandaverit aliquid, & privilegio exceperit nonnullos; per hoc ſpeciale privilegium tunc derogatur conſtitutioni generali. Imò regula extenditur ad minus ſpeciale, quia ſicut generi per ſpeciem derogatur, ſeu per minus commune communiori: ita ſi dentur duæ ſpecies, quarum una latiùs pateat, eidem per reſtrictiorem derogabitur *l. ſi ſervo manumiſſo tit de pecunia legata*: eſt utrinque par ratio: quando verò perſonæ concurrunt cum rebus tunc magis ſpeciale cenſetur, quòd perſonas reſpicit.

46 Trigeſimaquinta: *Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus*: ratio eſt evidens, quia pars ſemper continetur in toto: hinc Caniſius eruit aliam regulam, *cui licet quod eſt plus, licèt utique quod eſt minus*, quæ tamen nonnullas habet exceptiones, & à Barboſa reſtringitur ad totum integrale, & quantitativum; in his enim ſemper, quod plus eſt in ſe, continet, quod eſt minus; ſeu quantitas bipalmaris palmarem, quadripalmaris bipalmarem, integra civitas continet domus, & eccleſias, in quo ſenſu regula eſt clara.

47 Trigeſimaſexta: *Pro poſſeſſore habetur qui dolo deſiit poſſidere.* Debet enim par eſſe conditio illius, qui quid poſſideat, vel habeat; & illius cujus dolo malo factum ſit, quominus poſſideret, vel haberet, idque ne dolus, vel fraus, cuiquam patrocinetur *cap. ſedes de reſcript. lib. 6. §. 1. tit. de doli mali & met. exc.* Hinc producit Gloſſa exemplum ex *c. eccleſ. S. Mariæ ut lite pendente*: ſi Petrus cùm poſſideret rem Pauli, ad fraudandum deſiit poſſidere, poteſt Paulus agere contra illum rei vendicatione; quaſi adhuc poſſideret, quia cum dolo dimiſerit poſſeſſionem, adhuc agnoſcitur pro poſſeſſore. Quòd ſi dolus non præſumatur; onus probandi ei incumbit, qui illum allegat *l. quoties §. qui dolo tit. de prob.* hinc actor debet graviter circumſpicere, an aliquid intervenerit, ex quo ſumatur conjectura doli admiſſi, ut ſi poſt litem conteſtatam rem vendidit, vel dono dedit: quia ſi antea hoc fecerit non vindicatio rei, ſed actio in factum dabitur ex titulo *de alienatione judic. mut. cauſ.* Immo id etiam extenditur ad eum, qui toto tempore bonæ fidei extitit poſſeſſor. *l. ſi bona fidei tit. de noval.*

48 Trigeſimaſeptima: *Utile non debet per inutile vitiari.* Vocatur in præſenti inutile quidquid eſt contra legem, vel naturam illius rei, de qua agitur, & vagatur per contractus, teſtamenta, lites, judicia, conſtitutiones, electiones, & alia id genus. Si enim electio Prælati juxta canones valida fuit per falſam, & inutilem confirmationem non irritatur; ſed electio adhuc manet in ſuo robore *cap. ſi confirmationem de elect.* Si ad contractum pupilli authoritatem præbuit unus tutor falſus, & alter verus, propter authoritatem veri validus eſt contractus; quia utile per inutile non vitiatur, quod tamen procedit, quando inutile ſeparari poteſt ab utili. Unde in quovis contractu, ſi vitium aliquod contigerit tollendum eſt inutile, ut maneat utile *l. quoties tit. de rebus dubiis.* Ratio eſt, quia quando ſimul concurrunt utile, & inutile dignius & potentius eſt utile, quod ad ſe trahit minus dignum, & validum: ſunt enim utilia digniora & potentiora inutilibus: hinc præſens regula imitatur naturam, quæ rejicit inutilia, & conſervat, quæ ſibi utilia, & commoda ſunt.

49 Trigeſimaoctava: *Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare* indicat regula, eos non debere commodum, & lucrum ſperare, qui non ratione officii ſui, ſed quia injuſtam eſſe exiſtimant rem, de qua agitur, eius fundamentum ſubruere nituntur: ſecus autem ſi ad id certa ratione ducuntur, ut ſi Petrus Pauli teſtamentum, in quo legatum habet temerè impugnet, ut inofficioſum, privatur legato, quod in tali teſtamento ei aſſignatur *l. Papinianus tit. de inoffic. teſtam.* hinc qui decretales ſummorum Pontificum non eſſe authenticas dixit, nullum pro ſe ex iiſdem debet ſubſidium ſperare; nec illas in proprium favorem allegare *cap. qua jure diſt. 8*, immo regula extenditur ad fructus jam perceptos, tenetur enim eos reſtituere, qui cauſam ſuæ acquiſitionis impugnat, idque ob improbam intentionem *l. ſi in area tit. de condit. indeb.*

50 Si dicas, non repugnare, aliquem impugnare conceſſionem beneficii eccleſiaſtici, & pro eodem denuò inſtare *c. capitulum de reſcript.* reſpondetur, id eſſe verum, quando concurrunt diverſi reſpectus, ſive perſonarum, ſive judiciorum, ut in *d. c. capitulum de reſcript.* ſecus quando perſonæ non ſunt diverſæ: & ſenſus hujus regulæ procedit, quando oppugnatio non præjudicat extraneis, ſed his tantum, inter quos agitur. hinc dicitur: res inter alios acta aliis non præjudicat *c. cum olim de cenſib.*

51 Trigeſimanona: *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo*, cui ſimilis eſt illa alia; *cum quid prohibetur; & omne id, per quod pervenitur ad illud videtur prohibitum, l. oratio tit. de ſponſal.* Verùm per ſecundam regulam prohibentur media, & per primam extrema, ſeu conſequentia. Hinc ſi prohibeantur carnes cenſentur ſimul prohibita illa omnia, quæ ex illa ſuam trahunt Originem *c. denique diſtinct. 4.* Rurſus prohibita concupiſcentia per legem intelliguntur etiam prohibita omnia mala, quæ ſequuntur ex illa *c. nam concupiſcentiam de conſtitut.* Item prohibita alienatione prohibentur etiam venditiones, manumiſſiones, & alia id genus; ratio hujus regulæ ab aliquibus petitur à toto, & partibus; qui enim totum prohibet, cenſetur etiam prohibere omnes eius partes: hinc lex prohibens matrimonium, prohibet eius antecedentia, conſequentia, & adiuncta, & quibus veluti ex partibus contractus matrimonii, conſtituitur. Alii verò cum Baldo deſumunt rationem à cauſa finali, & mediis, quia media ſunt propter finem, quo ceſſante, ceſſant etiam ipſa media. Alii ex dependentia neceſſaria, & inſeparabili antecedentium, & conſequentium; quia in iis quæ per accidens ſequuntur nulla poteſt conſecutio fieri: à contrario ſenſu habetur etiam illa maxima: *Conceſſo uno conceduntur omnia neceſſaria ad illud, cui juriſdictio data eſt tit. de juriſdic.* hinc notat Gloſſa, legatis avibus etiam aviaria comprehendi, eò quia ſine illis aves contineri non poſſent.

52 Quadrageſima: *Pluralis locutio duorum numero eſt contenta*: quia numerus binarius verificatur de pluribus, hinc *in cap. is cui de præbend. in 6.* habetur, quòd conceſſio plurium beneficiorum non decernitur extendi ultra binarium. Pari pacto quando alicui ſervo teſtamento legatur libertas poſt annos, & dies intelligitur de duobus tantùm annis, & totidem diebus *l. libertas tit. de manumiſſ.* quia in dubiis & obſcuris, ut in præcedentibus diximus minimum ſequi convenit. Excipiuntur tamen caſus in jure expreſſi; ſiquidem in teſtamentis ſolemnibus jura requirunt ſeptem teſtes: in depoſitione pecuniæ tres; in donatione causâ mortis quinque: aliquando tamen pluralis numerus uſurpatur pro ſingulari, quando nomina carent ſingulari numero, ut in voce *liberi*; ſi quis enim pro liberis Petri teſtamento aliquid relinquat, licèt Petrus unicum tantùm habeat filium, adhuc teſtamentum valet. Generatim pluralis numerus in ſingulari verificatur, quando eadem eſt unius, & multorum ratio; vel quando neceſſitas ſuadet, vel aliàs abſurda eſſet interpretatio, ut explicat Tiraqoel *in l. ſi unquam V. ſuſceperit liberos C. de revoc. donat.*

53 Quadrageſimaprima: *Imputari non debet ei, per quem non ſtat; ſi non faciat quod per eum fuerat faciendum.* Procedit hæc regula de conditione poteſtativa, quæ dependet ex facto legatarii tantùm, vel hæredis ſcripti, vel alterius, cui erat ſcripta: quia ſi fortuitò impediatur quis à conditione implenda, debetur ei legatum; quia per ipſum non ſtetit, quo minus conditio impleretur *l. quæ ſub conditione tit. de condit. inſtitut.* ut notat Dynus reſtringens hanc regulam ad ſolam conditionem poteſtativam, quæ pendet ex facto legatarii tantùm, vel hæredis ſcripti, vel alterius; cui erat ſcripta. Nam ſi per caſum aliquem impediatur à conditione implenda, adhuc debitum eſt ei legatum. Cæterum alii hanc regulam extendunt ad judicia, contractus, teſtamenta, pœnas, & ſimilia, etenim in judiciis, ſi quis non valeat agere propter impedimentum, non currit præſcriptio contra ipſum *l. e, c. de annal. except.*

Impedimenta autem legitima cenſentur 54
morbus, captivitas, infectio aëris, mors parentum, & conſanguineorum, pericula viarum, aquarum inundationes, tempeſtates, carentia rerum neceſſariarum ad iter, nuptiæ, quæ contrahunt, bellum, inſidiæ, quæ timentur, & alia id genus, & quia hujuſmodi impedimenta ſunt facti non juris, probari debent ab eo, qui ea allegat; & tenetur etiam docere, tale fuiſſe impedimentum, ut removeri non potuerit, & tale impedimentum fuiſſe in cauſa, ne præſtaret, quod aliàs præſtandum erat; immo ut notat Menochius, & Barboſa *in cap. quia propter de elect. & cap. cum in tua de divortiis* in multis caſibus impedimentum juramento probatur: excipitur tamen niſi perjurus fuerit, quia ſemel malus, ſemper præſumitur eſſe malus in eodem genere, donec probetur bonus. Excipitur etiam niſi velit ſuo impedimento acquirere actionem: quia tunc rejecto juramento ſunt teſtes adhibendi, imo excipitur etiam, quando agitur de gravi præjudicio, ut notat Gaillus *lib. 1. obſerv. 9e. n. 5.*

Quadrageſimaſecunda: *Acceſſorium na-* 55
turam ſequi congruit principalis. Illud dicitur principale, quod in re præcipuum eſt, & quaſi cauſa, ſeu fundamentum illius quod accidit: quapropter tanta eſt utriuſque connexio, ut poſito, vel ſublato principali, acceſſorium quoque ponatur, vel auferatur. Ubi enim eſt eadem ratio; debet & eſſe idem judicium *l. illud tit. ad leg. Iul.* Hinc ſi gratia de collato beneficio eſt ſubreptitia, inſtrumentum itidem de eo erit ſubreptitium: quod ſi à Pontifice conſtitutus ſit executor pro canonico recipiendo; ſicut morte Pontificis principalis gratia non extinguitur, ita neque officium executoris, eò quia habeat ſe acceſſoriè *c. ſi ſuper gratia de offic. deleg.* Hinc in judiciis, cui commiſſa eſt cognitio cauſæ, cenſentur etiam commiſſa eius adjuncta, ut teſtium examinatio, pœnæ impoſitio, & ſimilia *c. præterea c. prudentiam in fin. de offic. deleg.* Rurſus in contractibus vendito agro cenſetur etiam divenditos aquæductos debitus agro cum aliis acceſſoriis. Imò valet regula quamvis acceſſorium cenſeatur majoris pretii: unde Pomponius reſpondet, gemmas auro, & argento

gendo incluſas eis cedere *l. & ſi ſint.* §. *perveniamus tit, de auro, & argento legato.*

56 Quadrageſimatertia : *Qui tacet conſentire videtur*, hæc verò regula niſi ad certas ſpecies coarctetur, non ſemper eſt vera : pluribus enim in caſibus contingit, ut ſciens, & tacens non cenſeatur conſentire. Hinc aliqui, ut explicent hanc regulam, diſtinguunt actus, quos contradicendo poſſumus impedire ab aliis, quos non poſſumus; & dicunt circa priores verificari regulam, qui tacet conſentire videtur, non verò circa poſteriores; eò quia illi, non iſti à noſtra dependeant libertate. Verùm hæc explicatio refellitur *in l. ſi ſervus communis 39. tit. de donat. inter vir.* ubi plures patitur inſtantias : ſiquidem inter actus, quos contradicendo impedire Dominus poteſt, eſt pignoris conſtitutio; & nihilominus, quamvis præſens ſit, & taceat, non cenſetur conſentire, niſi aliud addatur *l. 2. C. ſi aliena res pignori.* Alii communiùs apud Barboſam docent, hanc regulam veram eſſe in ſavorabilibus, non verò in odioſis, & præjudicialibus : ratio eſt, quia nemo ſanæ mentis præſumitur reſpuere favores, qui illi fiunt, cùm natura ipſa propendeat ad ea percipienda commoda, quæ ipſi ſunt conſentanea; & ea reſpuenda incommoda, quæ moleſtiam adſerunt : nemo eſt, qui non expetat utilitatem, & ad eam rapiatur; unde qui tacet conſentire videtur in favorabilibus, & etiam, quando res hinc inde æqualiter dubia eſt, & in contrarium nulla apparet conjectura; ut ſi res ſit commoda, amabilis, aut honorifica. Hinc qui ad obligationem, & collationem beneficii, vel dignitatis tacet, præſumitur conſentire.

57. Quadrageſimaquarta : *Is qui tacet, non fatetur; ſed neque utique negare videtur.* Sunt qui putant, hanc regulam eandem eſſe cum præcedente, ſed falluntur : quia in præcedente ſermo eſt de conſenſu tacito, hic verò de interrogationibus, quæ fiunt ad eliciendam reſponſionem. Ut ſi creditor debitorem interroget, an non fateatur ſuum debitum : & debitor cùm ſit extra judicium, & ſciat ſe eſſe debitorem, nihil reſpondet; tunc nec ſateri debitum dicitur, nec illud negare; quia inter affirmationem, & negationem poſitivam mediat ſilentium, in quo nec affirmatio continetur, nec negatio. Rurſus ut habetur in *cap. anteriorum 2. q. 2.* Judex contra me ſententiam definitivam pronunciavit, ego tamen tacui, cùm potuiſſem ſtatim appellare : in hoc ſenſu non dicor conſenſiſſe, nec faſſus fui crimen; quia mihi reſervavi jus appellandi intra decem dies. In hoc ſenſu vera eſt hæc regula, quamvis non deſint, qui cenſeant, eam non procedere niſi in odioſis.

58 Quadrageſimaquinta : *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veroſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.* Sumitur hic obſcurum pro dubio, & ancipiti, quod non ſufficiat ad determinandum intellectum ad unam potius, quàm alteram partem; qui propterea dicitur anceps hærere, & in obſcuris verſari. *Veroſimile* ſumitur pro eo, quod ex conjecturis apparet probabile : ſunt autem conjecturæ deſumendæ, ut ait Dynus; primò ex comparatione rerum ad invicem, vel comparatione rei ad pretium *l. 1. tit. de rebus dubiis*, ſecundò ex propinquitate ſeripturarum *l. ſervus plurium tit. de legat. 1.* tertiò ex dignitate perſonarum *l. Titia tit. de auro & argento legato.* Quartò ex charitate, & neceſſitate perſonarum *l. ſervus plurium §. fin.* Quintò ex conſuetudine loquentis. Hæc veroſimile faciunt, & ſi deficiant recurrendum eſt ad proprietatem verborum; & in horum defectu ad arbitrium viri ſapientis : quia ut notat Alciatus *in proœm. tract. de præſumpt.* non poteſt certa regula conſtitui; ſed veriſimilitudo colligenda eſt ex factorum diverſitate.

Hinc in contractibus, qui rem magni pre- 59
tii duplo, vel triplo minoris vendit, ex hoc facto veriſimile eſt, vendentem vel aucupari gratiam ementium pro futuro, vel mala fide rem divenditam fuiſſe ab ipſo comparatam. In teſtamentis etiam Teſtator de eo quoque diſpoſuiſſe creditur, quòd ſi monitus fuiſſet, id egiſſet. Beneficium veriſimilitudinis eſt, ut veroſimile pro veritate agnoſcatur, quia paria ſunt habere pro ſe veritatem, & præſumptionem fundatam in veroſimili, quamdiu contrarium latet, ut notat Jaſon. *ad leg. Imperator tit. de leg. 1.* Rurſus quia veriſimilitudo rejicit in adverſarium onus probandi *l. in perſona l. ſive poſſidetis C. de probat.* & licèt non ſemper omnino relevet ab onere probandi; nihilominus ſemper corroborat probationem, cui adnectitur: quin imò interdum unum veriſimile ſufficit ad ferendam ſententiam *c. afferte de præſumpt.* ut notat Gaillus *lib. 1. de pre. publi. obſer. 17. num. 8.* Rurſus habenti ſemiplenam probationem defertur juramentum in ſupplementum probationis, non tamen juramentum defertur habenti veriſimilitudinem, quia præſumptio ſtat pro ipſo *c. fin. de jurejur.*

Quadrageſimaſexta : *Is qui in jus ſucce-* 60
dit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit. Succeſſor alius dicitur univerſalis, ut hæres; & bonorum omnium poſſeſſor : & ex Trebelliano ſuccedens : hi enim in jus univerſum defuncti ſuccedunt; proinde dicuntur univerſales *l. quoties §. hæredes tit. de hæred. inſtituend.* alius dicitur ſucceſſor ſingularis, qui tantùm ſuccedit in partem aliquam bonorum Teſtatoris, ut eſt Legatarius, donatorius *l. quadam tit. de edendo*; qui igitur ſuccedit in jus alterius, ſive ab inteſtato, ſive teſtamento, eo jure quo ille, uti debebit, ſeu eadem dignitate, vel qualitate, aut officio, vel aliis, quæ competebant defuncto. Hinc laicus hæres clerici lite cum defuncto conteſtata coram judice eccleſiaſtico convenitur, eò quia hic fuit judex competens Clerici *l. venditor tit. de re judic.* Succeſſor convenitur per reſcriptum impetratum contra prædeceſſorem *c. dilecti de foro compet.*

Hæres

Hæies non poteſt uſu cepere quod non uſu ca-
piebat deſuoctus, cui ſucceſſi: *l. cum hares de
diverſ. & temporal. reſcript* Idque extendi-
tur ad hæredes mediatos, & poſteriores *l. ha-
redis appellatio tit. de V.S.*

61 Tum quia hæreditas dicitur eum ſuo one-
re tranſire ed ſucceſſores. Neque obſtat,
qood *in authent. de jurejur. à moriente præſtito.*
mors dicatur omnia ſolvere. Tum quia ſub-
jecto extincto qualitas ineſſe non poteſt *l tu-
tela ff. de legit. tutor.* Nem mors tantùm di-
citur ſolvere perſonalia, ſeu quæ perſonæ, ita
propria ſunt, ut alteri convenire non poſſint;
quia cum adhæreant perſonæ, tantùm pereunt
cum perſona: ſecus quæ realia ſunt, non ex-
tinguuntur cum perſona, ſed tranſeunt ad ſuc-
ceſſores: hinc debita defuncti ab hæredibus
præſtanda ſunt, & damna compenſanda. Te-
nentur etiem hæredes ſatisfecere obligetioni-
bus, quibus res defuncti efficiuntur. Neque
obſtet, quod *in l. bonorum ff. rem ratam haberi
& l. 3. de bon. poſſeſſ. eod.* dicatur, quòd hæres
non poſſit ratificare factum defuncti, quod ta-
men hic cùm viveret, poterat. Nam eſt diſ-
par ratio, quie pacta, & contractus, antequam
abſolvantur, non ſunt juris; ſed meri facti,
quæ ratio eſt, ut ad hæredes non tranſeant *l.
conſilio ff. de Curator. curioſ. dan.* quapropter
ſi Donetarius decedat ante acceptionem, jus
acceptandi non tranſit ad eius hæredes, tametſi
donetio per Notarium fuiſſet abſenti ſtipula-
ta, ut notat Tiraqvel. *de conſtit. n 9.*

62 Quadragesimaſeptima: *Præſumitur ig-
norantia ubi ſcientia non probatur.* Procedit
hæc regula de ignorantia facti, quia facta alio-
rum, cùm ſint propemodum infinita, non præ-
ſumuntur nota, niſi ſcientie certis indiciis pro-
betur. Hinc *in c. ſi vero 3. de ſent. excommun.*
declaretur ab Alexandro III. eum non eſſe ex-
communicatum, qui ignorans aliquem eſſe
clericum, manus violentas in illum injicit. Ve-
rùm cùm dicitur: ubi ſcientia non probatur;
id debet intelligi, quòd ſcientia probari debe-
at ab adverſario, & quidem perfectè; adeò
ut ſcientia præter rei ſubſtantiam, eius etiam
qualitates, & circumſtanties manifeſtet, ut
notat Gloſſa *in c. concertationi 8. de appell. in 6.*
Extenditur hæc ignorantia ed pupillos, &
Minorennes; in illis enim præſumitur igno-
rantia, quamvis per tutorem indicate ſint illis
geſta.

63 Qudrageſimaoctava: *Locupletari non
debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura.*
Id enim legi edverſatur neturæ, quia non eſt
damnum elteri directè inſerendum, ut quis in-
de aliquod commodum hauriat. Cenſetur
autem locupletior factus cum injuria alterius,
qui rem elienam epud ſe invito Domino deti-
nuit, ex qua emolumentum notablile accipit.
Secundò qui bona ſua indebitis modis conſer-
vat, ut uberiores fructus ex iiſdem accipiat.
Tertiò qui alienis utitur, ut ſuis parcat, ut
bobus ad arandum, equis ad vehendum. Quar-
tò qui rem alienam à ſe juſtè pactam ultra tem-
pus detinet: quòd etiam de pignoribus pro-
cedit. Quintò poſſeſſor malæ fidei qui prop-
terea dicitur nunquam præſcribere. Amplia-
tur hæc regula etiam in pupillis, & minoreni-
bus, qui tenentur etiam perceptos fructus re-
ſtituere, ne ex re eliena diteſcant *l ſi pupilli ff. de
negot. geſt.*

Quadrageſimanona: *In pœnis benignior
eſt interpretatio facienda.* Ratio eſt perſpi- 64
cua, quia pœnæ ſunt odioſæ, proinde reſtrin-
gendæ, et benignè interpretandæ: ſicut favo-
res ampliantur; ita etiam odie reſtringuntur,
ne quis puniatur ultra meritum cauſæ. Hinc
ut notat Gloſſa, ex pluribus pœnis mitior eli-
gitur *c. ſi quis dederit 24. h. t.* Si verba viden-
tur ſignificare pœnam perpetuam, non tamen
clarè eligitur temporelis *c. non oportet 33. q. 4.
diſt. 50.* In pœnis non valet illatio ad ſimilia,
quæ non ſunt de mente legiſlatoris, nec ha-
bent eundem effectum, ne ſcilicet pœnæ ex-
cedant proprium caſum *§. pœna diſt. 1. de pœnit.*
Rurſus quoties dubitatur, quanam pœna ſit
reus puniendus, mitior ſeligitur *l. enim ff. de
ſuſpect. tut.* idque procedit non ſolùm in Lei-
cis, ſed etiam à fortiori in eccleſiaſticis, imò
etiam locum habet regula, quamvis eliqua in
contrerium præſumptio ſit. Nec obſtat tex-
tus in *c quoniam ut lite non conteſtata*, ubi
judici præcipitur, ut non ineat viam benignio-
rem; ſed ut contumaci eam pœnam decernat,
quam magis exiſtimat poſſe timere. Nam
non ſumus in caſu, quia contumacia addita
delicto, ejus malitiam euget; propterea acriùs
debet delictum puniri ob malitiam, quam ex
contumecia contrahit. Tum quia id prodeſt
peccatori, cujus ſalus in judiciis eccleſiaſticis
unicè intenditur, ut notat Barboſa in *c. veniens
de preſbyt. non baptizat.*

Quinquageſima: *Actus legitimi condi- 65
tionem non recipiunt, neque diem.* Dicuntur
actus legitimi, qui à lege, aut nature, vel ſal-
tem fictione, & interpretatione legis introdu-
cti, & conſtituti formam acceperunt, & ap-
probati poſtea, & confirmeti fuerunt. Rur-
ſus ex conditionibus aliæ dicuntur de præſen-
ti, & eliæ de præterito, ut etiam aliæ de fu-
turo explicitè poſitæ, vel tacitè: aliæ itidem
fundatæ in nature rei, & aliæ ab extrinſeco
provenientes, quæ ſeparebiles etiam dicuntur.
Conditio de quæ loquitur hæc regula eſt de
futuro, quæ ſuſpendit obligationem, & effe-
ctum actûs in eventum dubium; adeò ut actus
non cenſeatur perfectus, & abſolutus *c. cum ad
diem, & l. itaque ff. de reb. cred.* Hinc matri-
monium quamvis ſit actus legitimus, recipit
propriam, & ſuſpenſivam conditionem. In
eliis contractibus conditio ſemper actum ſu-
ſpendit; adeò ut ſuum non ſortiatur valorem,
donec conditio purificetur, ſeu impleatur. Alia
verò ſacramenta in ſua edminiſtratione non
admittunt conditionem ſuſpenſivam, & diem;
quia effectus ſacrementorum non dependet
à futuro eventu, ſiquidem perficiuntur conce-
ptis verbis, & ſolemni forma.

Quinquageſimaprima: *Semel Deo dica- 66
tum*

tum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum. Deo dicantur non ſolùm res, ſed etiam perſonæ, quæ propterea ſacræ dicuntur: hoc tamen diſcrimine, quòd homines, ſi inviti, & non liberè fuerunt Deo dicati reſtituendi priſtino ſtatui ſint, non obſtante hac regula: ſecus dicitur de rebus inanimatis: hinc ſi res aliqua per errorem ſuit ab Epiſcopo conſecrata remanet ſacra, & tantùm pretium reſtituitur illi, ad quem res illa pertinebat *c.unlli 12. q. 2.* Qui verò res Deo ſemel dicatas, vel eccleſiæ donatas eripere nititur, vel aliis uſibus præſumit applicare, ſacrilegium committit, & excommunicationem incurrit *cap. conqueſtus de foro compet.*

67 Neque obſtat textus *in l. & liberi* & *l. ſequent. ff. de contrahend. empt.* ubi venditio, & emptio rei, & loci ſacri ab ignorante facta ſubſiſtit, & à jure agnoſcitur, ex quo conjicitur, dominium rei ſacræ in Laicos poſſe transferri. Nam contra eſt, quia ignorantiâ, & bonâ fide illius, qui rem ſacram non vendibilem emit, excuſatur beneficio juris, ut actionem habeat ad id, quod intereſt contra venditorem: cæterum dominium rei manet ſemper apud eccleſiam, nec poteſt transferri per erroneos contractus emptionis & venditionis.

Quinquageſimaſecunda: *Non præſtat im-*
68 *pedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.* Intelligitur hæc regula de re non exiſtente, quæ non poteſt effectum habere. Siquidem quod nullum eſt, nullum producit effectum *l. 4. §. condemnatum ff. de re judic.* Tum quia paria ſunt nullum eſſe, & eſſe ſine effectu, ut notat Barboſa *in excomm. 147. num. 23.* Hinc etiam quæ non fiunt, dicuntur non ſortiri effectum *l. 1. §. nihil ff. de in offic teſt.* Exemplum ponitur in *c. 4. & 5. de deſponſ. impub.* ubi cum Titius ſponſalia contraxiſſet cum puella nondum ſeptenni, & non multo poſt cum ejusdem matre matrimonium iniviſſet: reſcripſit Pontifex, non obſtantibus ſponſalibus cum puella initis matrimonium cum ejus matre ratum eſſe, quia ſponſalia non præſtant impedimentum publicæ honeſtatis. Aliud exemplum habetur in *cap perpetuo de elect.* ubi dicitur qoòd ſi Canonici ſcienter indignum eligant; vel nominent, & electio effectu careat, non privantur jure eligendi alium, quia nimirum electio, quæ ſuum non fuit effectum ſortita non præſtat impedimentum, quòd ſi Canonici perſiſterent in electione facta, ita ut ſequeretur effectus, tunc privarentur jure eligendi; in quo ſenſu procedit textus in *c. quamquam de elect.*

69 Procedit hæc regula etiam in contractibus: ſi enim prima ſtipulatio irrita fuit, non ponit impedimentum ad ſecundam circa eandem rem, quia cum prima nulla fuerit, nullum potuit effectum producere *l. c. ſi dari ff. de V. O.* Immò procedit regula etiam in ſacramentis; etenim baptizatus cum defectu eſſentiali, quo ſacramentum fuit irritum, baptizari iterum poteſt, quia quod non fuit, non potuit impedimentum ponere: & ſacramentum invalidè ſuſceptum perinde ſe habet, ac ſi non fuiſſet. Procedit etiam regula de ſtatutis: ſiquidem ſtatutum puniens eum, qui exceptionem proponit, intelligi debet de exceptione, quæ de jure poteſt effectum conſequi. Fallit tamen regula in caſibus, in quibus ſola voluntas ad cauſandum effectum ſufficit. Ut etiam in delictis, quia quæ contra jus fiunt carent effectu, & habentur pro infectis, in quo ſenſu inutilia quaſi non facta cenſentur. Fallit pluribus aliis, ut notat Decius in *c. litteris de offic. deleg.*

Quinquageſimatertia: *Cui licet quod eſt* 70
plus, licet utique quod eſt minus. Sumitur hæc regula ab argumento à majore ad minus, tam affirmativè, quàm negativè. Hinc ex eo, quòd ſacerdos in miſſa conficiat corpus Chriſti, ſequitur, multo magis poſſe populum benedicere *cap. Ecce diſt. 95.* Cui licet teſtari in peculio caſtrenſi, licet etiam donare mortis causâ *l. tam iis §. de donat. cauſa mortis.* In judicio quia judex poteſt Actori juramentum in litem deferre, à fortiori poteſt etiam, quod eſt minus, ſcilicet juramento laxationem addere *l. videamus §. penult. ff. de in lit. juram.* Ex hac autem regula concepta affirmativè oritur hæc alia negativa ſcilicet: *cui non licet, quod eſt minus: neque licet quod eſt majus:* quapropter prohibitus à minoribus dignitatibus habendis, cenſetur etiam prohibitus ad majores *c. pœnale. 14. q. 5.* Procedit hæc regula etiam in delictis; ſi enim quis non punitur ob delictum conſummatum, à fortiori neque ob attentatum: ſi liberto non eſt licitum famam denigrare Patroni ſui, nec ejus honori detrahere; ſequitur à fortiori, quòd nec poſſit ipſum occidere, quamvis deprehenſum in adulterio cum ſua uxore *l. ſi adulterium cum inceſtu §. liberto. ff. de adult.* Si actio non datur pro re vili furto ablata, multò minus mortis ſupplicium *l. ſi oleum. ff. de dolo.* Ampliatur verò utraque regula affirmativa, & negativa in legibus, & ſtatutis, ut etiam in iis, quibus jura videntur corrigi.

Quinquageſimaquarta: *Qui prior eſt tem-* 71
pore, potior eſt in jure. Notat Decius, hanc regulam eſſe intelligendam cæteris paribus, unde volunt alii, locum habere in iis, qui omni alio reſpectu præterquam temporis pares ſunt. Hinc ſi Petrus in eccleſia primò obtinuit beneficium, & Paulus poſt aliquot dies, juxta hanc regulam Petrus eſt potior in jure eò quia fuit prior tempore. In monaſteriis, collegiis, congregationibus, eccleſiis etiam qui præceſſit tempore quoad receptionem, & profeſſionem emiſſam, vel etiam quoad inſtitutionem eſt potior jure in conſidendo, procedendo, conſulendo, ſuffragando, & aliis id genus. Hinc ſenior cæteris paribus juniori præfertur, & cujus antiquior eſt familia, nobilior cenſetur: & ſic in omnibus facultatibus, qui gradum priùs obtinuit, præfertur poſterioribus. Imò ampliatur regula etiam in gratia de futuro accipienda, qui enim primò eam impetravit, excludit alios ordine poſte-

riores, ut notat Paris. *lib. 4. conſil. 117.* non enim gratia, quæ differtur, auſertur: immò procedit regula, quamvis collator juràſſet ſe daturum beneficium poſteriori: quia in juramento continetur exceptio, niſi jus vel authoritas Superioris obſtet. Tum quia præſumitur tunc mens collatoris in jurejurando conditionata de dando beneficio poſteriori, ſi nihil adſit, quod impediat. Plures ampliationes hujus regulæ adſerunt Garcias *tract. de benef.* & Rebuffus *q. 21.*

72 Quinquageſimaquinta: *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contra.* Hinc Parochianus, qui non in ſua parochia, ſed in alia eccleſia ſepulturam eligit, non poteſt privare eccleſiam parochialem quarta funeralis, vel etiam aliâ pro conſuetudine loci: quia cum eccleſia parochialis ſenſerit onus, laboresque ſubjerit adminiſtrando ſacramenta, & alias res ſacras ſuis Parochianis; æquum eſt, ut inde aliquod commodum eidem obtingat *c. 1. de ſepultur. in 6.* Si Clericus ob incontinentiam damnetur ad clauſtrum, & monaſterii impenſis alendus ſit, æquum eſt, ut ejus bona ſimul monaſterio inferantur, quia eum ſentiat onus in alendo Clerico, æquum eſt ut ex ejusdem bonis commodum ſentiat *c. de lapſis 16. q. 6.* Immò hæc regula procedit, quamvis inde oriatur aliorum præjudicium: hinc in *c. ſi quis rapuerit 27. q. 1.* ſtatuitur, ut bona illius, qui ſanctimonialem corrupit, monaſterio, in quo alenda eſt, inferantur, tametſi id cedat in damnum cognatorum, quorum ſpes ad talia bona tunc evaneſcit. Immò procedit etiam regula, quamvis id, ex quo oritur lucrum in alieno dominio & poſſeſſione detineatur: hinc gener promiſſam, & non ſolutam dotem apud quemcunque extiterit, poteſt exigere cum uſuris *l. in Inſulam §. uſuras. ff. ſolut. matr.* quia cùm debeat onera matrimonii ſuſtinere æquum eſt; ut commodum dotis etiam ſentiat. Econtra qui non ſentit onus, nec debet commodum ſentire: hinc in *c. ad audientiam de Cleric. non reſid.* & in *c. fin. eod. in 6.* ſtatuitur, ut Clerici fructibus priventur ſuarum præbendarum, ſi non reſideant in ſua eccleſia exceptis infirmis, & legitimè occupatis; quia cùm non reſidentes onus non ſentiant, nec debent commodum ſentire: quinimmò tenentur etiam perceptos fructus reſtituere ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 12.* quia beneficium datur propter officium *c. fin. de reſcript. in 6.* proinde ceſſante officio debet beneficium ceſſare. Hinc non exercentes artem, quam profitentur licèt in matriculam relati ſint, non gaudent privilegiis illius *l. ſcriniarios C. de numerariis* ut notat Gaillus *lib. 2. obſerv. 118.*

73 Ex hac regula poſſunt etiam aliæ duæ deduci à contrario ſenſu. Prima eſt, ut *qui ſentit commodum, ſentire etiam debeat onus,* animarum enim Rectores, & Prælati eccleſiaſtici cùm ſentiant commodum ex proventibus, ex ſuis beneficiis eccleſiaſticis, debent etiam onus ſentire in procuranda ſubditorum æterna ſalute, miniſtrandis ſacramentis. Rurſus qui fructus percipiunt beneficiorum ſimplicium tenentur ad tecta eccleſiæ reſarcienda, & ad alias expenſas, quæ neceſſariæ ſunt pro conſervatione eccleſiæ, quia cùm beneficiatus ſentiat commodum in percipiendis fructibus talis eccleſiæ; tenetur etiam ſentire onus, & ſuppeditare neceſſarias expenſas ad ejusdem reſtaurationem, & conſervationem. Extenditur hæc regula fere ad totam materiam vectigalium tributorum, pedagiorum, & aliorum ſimilium, quia ſentientes commodum in transferendis, & vendendis mercibus, debent etiam ſentire incommodum: ex iis enim, ex quibus quis commodum, & lucrum accipit onus eidem annexum recuſare non poteſt, niſi ſpeciali privilegio, vel pacto aut conventione liberetur. Hinc uſus hodie plerisque in locis invaluit, ut in vectigalibus, & pedagiis ſolvendis nulla ſacri, vel profani ſtatus differentia ſervetur, & æquè Clerici, ac Laici teneantur ſolvere, ut notat Gaillus *lib. 2. obſerv. 52. n. 12.*

Secunda regula eſt, ut *qui non ſentit commodum, nec onus ſentire debeat.* Hinc ſi Parocho negentur decimæ, vel ſubtrahatur quod loco decimarum promiſſum erat, non poteſt cogi ad prædicationem, aut ſacramentorum adminiſtrationem, ut notat Gloſſa in *c. omnis Chriſtianus de conſec. diſt. 1.* Si canonicis diſtributiones, & reditus negentur, non tenentur ſua præſtare officia, quia non ſentientes commodum non debent onus ſentire, ac ſubire. 74

Quinquageſimaſexta: *In re communi potior eſt conditio prohibentis.* Senſus hujus regulæ eſt, ut quando una res ad duos, vel plures pertinet, non debet unius tantùm arbitrio mutari, adeò ut ſi alter prohibeat mutationem, non debeat hoc fieri cum ejus præjudicio, ac gravamine. Baldus ad *leg. ſi convenerit ff. pro ſocio* id exemplificat de duobus ſtudioſis, qui communem cameram conduxerunt; ſi enim contingat alterum eorum diſceſſurum, non poteſt inſcio, vel prohibente ſocio alium ſuo loco ſtudioſum admittere, nec multò minus mulierculam. Gaillus *lib. 2. obſerv. 69. num. 22.* explicat hanc regulam hoc alio exemplo: ſi caſtrum aliquod in communi duo fratres poſſideant, non conſulto, nec conſentiente minore, non poteſt major illud vendere, vel tradere tertio, tametſi Principi, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Hinc conditio prohibentis in hac regula dicitur eſſe potior, quia id fieri non permittitur, quod ipſe, ne fiat, contradicit; quia non datur actio repetendi id, quod proprio arbitrio impendit *argum. l. fin. C. de neg. geſt.* & valet regula etiam in cauſis piis; quia non permittitur uni conjugi altero diſſentienti caſtitatem vovere, vel religionem amplecti. Neque obſtat textus in *l. 1. C. communia de manumiſſ.* ubi dicitur, quod ex duobus habentibus ſervum communem, ſi alter eum manumittit, quamvis alter invitus ſit, compellitur 75

par-

partem ſuam remittere, & conſentire in libertatem ab altero conceſſam. Nam reſpondetur, hunc caſum excipi in lege, cui Imperatores piæ commiſerationis affectu, & favore libertatis maluerunt derogare: proinde caſus iis accenſetur, quibus homines coguntur, vel inviti ſua relinquere, idque in favorem libertatis humanæ.

76 Quinquageſimaſeptima: *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda.* Nomine legis in hac regula intelligitur omne pactum, vel conditio, quam contrahentes adjicere ſolent contractibus; & regula extenditur non ſolùm ad omnes contrahentes; verùm etiam ad alios: hinc ut notat Gloſſa ſi Petrus contra profeſſionem à ſe emiſſam excipiat, tunc fuiſſe minorem, & de contrario non conſtet, interpretatio fieri debet, fuiſſe minorem annis viginti quinque; non verò annis quatuordecim; ratio eſt, quia in utroque modo poteſt Petri exceptio explicari: & ideo potiùs explicatur de minoritate viginti quinque, quàm 14. quia præſumitur de malignitate: ſiquidem, ſi intellexiſſet ſe fuiſſe minorem annis 14. dixiſſet clariùs, ſe tunc fuiſſe impuberem: unde cum potuerint verba Petri eſſe clariora ſunt interpretanda juxta tutiorem ſenſum.

77 Generatim ſermo ambiguus non probat, & dubia probatio non relevat *c. in præſentia de probat l. non hoc c. unde legitimi*: idque ne quis ex doloſa machinatione ſua lucrum reportet, contra ipſum fieri debet interpretatio à judice; & qui ambiguè locutus fuit ſibi debet imputare, qui clariùs loqui potuiſſet; idque procedit tam in reo, quàm in Actore, ſuccumbit enim reus ineptè excipiendo, ut etiam Actor ineptè proponendo, ut notat Barthol. *ad l. 1. labeo ff. de flumin.* Immò procedit regula non ſolùm in contractibus ſtricti juris, ſed in iis etiam, qui bonæ fidei appellantur, & benignam interpretationem ex natura ſua recipiunt. Non tamen procedit obſcura locutio in mutuo, quia natura mutui eſt, ut in eadem quantitate, & qualitate quod datum eſt reddatur, ut etiam res in eodem pondere, numero, & menſura.

78 Quinquageſimaoctava: *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.* Ratio eſt, quia juramentum non induit obligationem niſi licitè fiat, & ut licitum ſit, tria requiruntur, veritas, juſtitia, & judicium; & quando eſt contra bonos mores juramentum non eſt juſtum, proinde nec licitum; nec poteſt obligationem inducere. Eſt juramentum actus, quo divinum nomen adhibemus fidei faciendæ cauſâ & contra bonos mores non poteſt licitè divinum nomen adduci in teſtem. Quamobrem juramentum, quod in ſalutis æternæ diſpendium vergit, non eſt ſervandum *c. ult. de pact. c. pactum cum ſequent. eod. in 6.* Irritum eſt igitur juramentum de non ſolvendis decimis, de committendo adulterio, vel alio delicto, furto, homicidio, quia quod juri, & legibus repugnat contra bonos mores eſſe dicitur; proinde illicitum, & inſufficiens ad inducendam obligationem. An verò obligatorium ſit juramentum contra bonos mores civiles, ut de alienanda dote, de renuncianda hæreditate paterna, non mutando teſtamentum, & aliis ſimilibus, quæ legibus civilibus vetantur. Communior Canoniſtarum ſententia eſt hujusmodi juramenta, quamvis juri civili adverſantia valida eſſe, & obligationem inducere, eò quia non vergant in diſpendium æternæ ſalutis, nec redundent in alterius præjudicium.

Quinquageſimanona: *Dolo facit, qui petit quod reſtituere oportet eundem.* Ratio hujus 79
regulæ eſt, quia juſta non poteſt eſſe cauſa petendi, quod retinere quia non poteſt: proinde præſumitur deeſſe bona fides, & ſincera intentio; idque exemplificat Gloſſa in uſurario, qui non petendo uſuras callidè agit, cum ſciat ſe poſſe compelli ad reſtitutionem *c. nullus 14. q. 4.* Aliud exemplum habetur in *l dolo ff. de doli mali & metus except.* de hærede damnato à Teſtatore, ne debitum exigat: ſi nihilominus debitorem de ſolvendo interpellaverit, removendus eſt exceptione doli mali, & reſtituere debet acceptum; quia ut notat Paulus J.C. dolo facit, qui petit, quod redditurus eſt. Poſita fuit hæc regula ad removenda ambigua; & ne per plura trahatur, quod paucioribus expediri poteſt *l. fruſtra ff. ne uxor pro marito.* Monet Gloſſa, regulam valere quando eidem perſonæ, quæ dedit, reddere oportet, ſic commudatarius rectè à fure rem ablatam alterius exigit, ut ad verum Dominum redeat: non tamen valere regulam, quando cauſa eſt diverſa petitionis & reſtitutionis, ut ſi poſſeſſio rei detur à proprietario *l. 1. §. 1. ff. quorum legat.* Hinc ſi Titius ſit hæres, & Cajus Legatarius, & hic, quod leges vetant, legatum propria authoritate accipit, & poſſidet: Titius hæres poteſt ab eo repetere quamvis ſciat reddendum eſſe, quia non dolo, ſed jure agit.

Sexageſima: *Non eſt in mora, qui exce- 80
ptione legitima ſe poteſt tueri.* Non ſumitur hic mora, quæ ſit inculpata, ſed cui ſemper ſit annexa aliqua culpa, & in debitore perſæpe reperitur, quando ſcit, vel ſcire debet, quòd res ad ipſum non pertineat, nec tamen eam reſtituit vero Domino; ſed cunctatur. Tunc ſi culpam moræ à ſe factæ purgare velit, neceſſe eſt, utatur exceptione, cujus varia ſunt genera, ut ſi ſolutio ſit impoſſibilis, vel ſaltem valdè difficilis. Secundò ſi debitum non ſit liquidum. Tertiò ſi proveniat ex facto alieno. Quartò ſi facta ſit compenſatio aliqua. Quintò ſi adverſarius contractum non adimpleverit. Sextò ſi oblatam ſolutionem creditor accipere detrectet. Septimò ſi dilatio non ſit multa, ſed exigui temporis. Sicut autem in mora non eſt, qui per exceptionem à mora præſervatur, ita fingitur, in mora non fuiſſe.

Sexageſimaprima: *Quod ob gratiam ali-* 81

cujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum. Et deſumitur hæc regula ex *l. nulla juris ratio ff. de leg.* idque exemplificat Gloſſa ex *c. charitatem 12. q. 2.* ubi præcipitur Oeconomis eccleſiæ, ne exiſtiment ſibi pro labore inventarii ab eccleſia quidquam deberi: alioquin favor, & gratia, per quam eccleſiæ datur Oeconomus in ipſius diſpendium cederet. Aliud exemplum etiam afferri ſolet ex privilegiis Minorum, qui non poſſunt in judicio eſſe ſine authoritate Tutoris *l. clarum. c. de præſtando authorit. Tutor.* hinc ſententia contra ipſos lata nullius eſt roboris *l. contra pupillum ff. de re judic.* Quòd ſi ſententia feratur in favorem Minorum, ſuſtinetur, & ſuum ſortitur valorem *l. non eo minus c. de Procurator.* Præterea Minoribus conceſſum eſt privilegium, ut poſſint contra venditorem petere reſtitutionem in integrum; hoc beneficio quamvis nolint Minorennes uti, non propterea licitum eſt venditoribus, ad libitum venditionem reſcindere; ne beneficium convertatur in officium, ac diſpendium.

Rurſus privilegium civitatis datum Cle-
82 ricis, & ſtudioſis non comprehendit onera, quibus cives gravantur; ſed tantùm includit, quæ favorabilia ſunt: alioquin privilegium cederet in damnum, & diſpendium Clericorum, & Scholarium, ut notat Baldus ad *l. ſi Ruffinus c. de teſtam. milit.* Hæc regula etiam procedit, quamvis præſumptio juris communis obſtare videatur: hinc ſi Teſtator uxori ſuæ domum reliquit decem millibus florenorum æſtimatam, adjecta conditione, ſi minus valeat ab hærede ſuppleatur: licèt in æſtimatione deprehendatur pluris valere, quàm decem mille florenis: non tamen debet retractari, ne gratia Teſtatoris minuatur: quia ut notat Zæſius in *l. nulla ff. de legib.* præſumendum tunc eſt exceſſum illum benignitate Teſtatoris datum eſſe uxori; ſunt etiam plures aliæ ampliationes, quas recenſet Gloſſa.

Sexageſimaſecunda: *Nullus ex conſilio,*
83 *dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Ratio eſt perſpicua, quia ſimplex conſilium nullam inducit obligationem, nec ullam adfert neceſſitatem *c. quisquis 14. q. 1.* ubi conſilium non dicitur obligationem inducere, ſed in arbitrio eſt alterius illud amplecti, vel non. Hinc dicitur, quòd ubi conſilium datur offerentis arbitrium ſit: ubi præceptum neceſſitas ſit ſervientis: quia quod præcipitur, imperatur, & neceſſe eſt fieri: ſi non fiat, pœnam habet; ut dicitur in *d. c. quisquis 14. q. 1.* Hinc ex ſimplici conſilio nemo obligatur, quamvis non expediat, ei cui dabatur; quia liberum eſt cuique, perpendere, num expediat ſibi conſilium. Regula tamen communiter intelligitur procedere de illo, qui dat conſilium non verò de illo, cui datur: etenim qui conſilium dat, non contrahit ullam obligationem civilem, ratione cujus poſſit conveniri ab eo, cui conſilium dedit eidem objiciendo, quod hoc vel illud damnum per ſuum conſilium ei intulerit: in hoc ſenſu non obligatur conſulens ex ſuo conſilio; quia non neceſſitat illum, cui datur, adeoque nullum in ipſo effectum operatur, idque exemplificat Dynus. Si Titius conſilium dedit Cajo, ut pecuniam ſuam potiùs in mercimonium, quàm prædiorum emptionem converteret, & malè negotium obtigit Cajo, eò quia merces naufragio perierint, non tenetur Titius reſarcire damnum, quod Cajus paſſus eſt; niſi Titius fortâſſis in conſilio illo dato dolum, & fraudem adhibuerit. Ex hoc exemplo liquet, regulam non loqui de obligatione accipientis conſilium, ſed de obligatione dantis, & quidem reſpectu humani judicii.

Hinc additur in regula, *dummodo frau-* 84
dulentum non fuerit. Non enim ſignificant hæc verba eſſe obligandum conſulentem illi, cui fraudulenter conſilium dedit, ſed illis, quibus interventu ſuaſionis fraudulentæ damnum illatum eſt: ut ſi Titius conſilium dedit Cajo ſervo, ut fugeret, & Cajus aufugit, & ex ejus fuga damnum fuit ejus Domino illatum, tunc Titius non Cajo, ſed Domino tenetur reſarcire damnum. Generatim quoties conſulitur aliquod maleficium, tenetur conſulens non illi, cui datum eſt conſilium, ſed ei in cujus damnum conſilium eſt datum; & tunc convenitur non actione doli mali, ſed maleficii; ſi enim homicidium ſuaſit habetur homicida *c. ſicut de homicidio §. qui vero,* ſi furtum conſuluit, factus eſt furti reus; ſi injuriam itidem injuriarum *l. 1. ff. de ſervo corrupt. l. non ſolum ff. de injur.* Limitatur tamen hæc regula, ut non procedat de illis, qui ratione ſui muneris, vel profeſſionis tenentur conſilium petentibus dare, ut Medici, Cauſidici, Procuratores, quia iſti cum ex conventione, vel tacita promiſſione fidem ſuam obſtrinxerint, damnoſum conſilium malitioſe dederint, tenentur ad damna reſarcienda omnibus læſis.

Sexageſimatertia: *Exceptionem objiciens* 85
non videtur de intentione adverſarii confiteri. Hanc regulam explicat Covarruvias *lib. 1. c. 1. num. 3.* ut procedat non tantùm de eo, qui conditionali oratione excipit, ſed etiam de ſimpliciter excipiente, & nititur, eò quia Juris-Conſulti, & Pontifices Romani, qui hanc tradiderunt regulam, eam dederint abſque ulla conditione *l. non utique ff. de except. c. cum venerabilis de except.* ubi quamvis exceptio fuerit tantùm conditionaliter propoſita, nihilominus ſummus Pontifex regulam ſimpliciter approbat. Ratio etiam id ſuadet, quia actus non debet operari ultra agentis intentionem *l. non omnis §. ſi cert. petat.* Exceptio autem eo animo proponitur, ut intentio agentis excludatur: unde in dubio non poteſt ex tali exceptione aſſumi probatio intentionis ipſius agentis. Probabilior tamen eſt ſententia Dyni diſtinguentis exceptionem: vel enim reus excipiendo aliquid ſimpliciter negat: vel excipiendo aliquid ponit. Si negat ut in exceptio-

ne non numeratæ pecuniæ, tunc concedit, non
videri de intentione actionis: ſin verò exci-
piendo ponit aliquid, vel illud ponit ſimplici-
ter, vel ſub conditione; ſi primum, ut quia
dicit ſibi pactum initum de non ſolvendo, ſol-
viſſe, vel abſolutum eſſe; tunc de ſola exce-
ptione agendum eſt, nec neceſſe eſt, quòd a-
ctor intentionem ſuam probet: ſed ſi neget,
& ſub conditione ponat, dicatque, ſe non te-
neri, & ſi appareat eum teneri dicat, ſibi fa-
ctum pactum de non petendo; tunc ait Dynus
non videri confiteri de intentione Actoris;
conſequenter onus probandi exceptionem ipſi
non incumbere, niſi actor probaverit intentio-
nem ſuam. Hanc Dyni expoſitionem videtur
cæteris præferenda.

86 Sexageſimaquarta: *Quæ contra jus fiunt,
debent utique pro infectis haberi.* Illud dicitur
fieri contra jus, quod agitur contra formam
juris, & mentem legiſlatoris: hinc ſi bona
eccleſiæ ſine debita ſolemnitate alienentur, a-
lienatio eſt contra jus, quia hoc prohibet bona
eccleſiæ alienari ſine debeta ſolemnitate. Si
Novitius ante 16. ætatis annum profeſſionem
emittat in Religione approbata, profeſſio eſt
contra jus, & habetur pro infecta, quia leges
prohibent, talem profeſſionem emitti ante 16.
annum.

Verùm hæc regula fallit in pluribus: pri-
87 mò in matrimonio, quòd poſt ſimplex caſtita-
tis votum non eſt irritum *cap. unic. de vot.* ut
nec etiam ſi fiat contra interdictum eccleſiæ:
ſecundò in ordinatione Clericorum, & conſe-
cratione eccleſiarum facta ab alieno Epiſcopo,
quia non debet retractari, nec haberi pro in-
fecta, licèt ordinatio, & conſecratio facta fue-
rit contra jus, ut notat Sylveſter *V. ordo 11. n.
10.* In Baptiſmo, qui citra neceſſitatem à fœ-
mina collatus validus eſt *cap. quod jubeo de
conſec. diſt. 4.* In conſecratione Euchariſtiæ
facta tempore indebito, loco improprio, & ſine
requiſitis; valida enim eſt talis conſecratio,
quamvis contra jus facta, ut notat Sylveſter *V.
Euchariſtia* §. 11. Tum quia plures ſunt a-
ctus prohibiti vitis Religioſis, qui tamen ſi fi-
ant, licèt contra prohibitionem, non dam-
nantur, ut invalidi; quia licèt fiant contra le-
gem, non tamen contra formam à legibus præ-
ſcriptam, qua neglecta actus foret invali-
dus.

Cenſent aliqui, hanc regulam pertinere
88 ad leges pœnales, proinde reſtringendam eſ-
ſe. Verùm id communiter reſpuitur, quia
quando actus aliquis irritatur, pœna non con-
ſtituitur. Præterea licèt pœna conſtitueretur,
adhuc non tolleretur omnis ampliatio, quia
in pœnalibus, ubi identitas rationis invenitur,
ſubinde extenſio locum habet. Hinc melius
alii hanc regulam ampliant, ut valeat etiam in
ſtatutis particularibus, & conſuetudinibus; ſi
enim quid contra hæc geſtum fuerit, reproba-
tur & nullum jus tribuit, nec ullum producit
effectum. Secundò dicunt valere etiam in iis,
quæ regulam antecedunt, leges, & ſtatuta anti-
qua; quia licèt lex futurum tempus reſpiciat,
doceátque, quid faciendum ſit, vel quid factum:
declaratio tamen utriusque temporis futuri,
& præteriti actiones contingit.

Hinc etiam mens antiqui legiſlatoris de- 89
claratur fuiſſe, ut quæ contra ſuas conſtitutio-
nes fierent, haberentur pro infectis, ut notat
Gaill. *lib. 2. obſerv 9 n. 5.* Rurſus ampliatur re-
gula, ut actus contra jus facti, non acquirant
vires etiam ex juramento, ſi per ſe noceant bo-
no publico. Imò extenditur etiam regula, ut
ad illam enervandam nulla privatorum homi-
num pacta vim habeant; quia nemo juri, quod
pro ſe ſancitum non eſt, poteſt renunciare *c. ad
Apoſt. de Regul.*

Sexageſimaquinta: *In pari delicto, vel* 90
cauſa potior eſt conditio poſſidentis. Explicat
priorem partem hujus regulæ Gloſſa exemplo
deſumpto ex *cap. non ſanè 14. q. 5.* ubi qui pe-
cuniam dedit pro iniquo judicio, à repetendo
excluditur: quia cùm uterque peccaverit, tam
qui dedit, quàm qui accepit, ſintque pares in
delicto, conditio poſſidentis eſt melior proin-
de qui dedit pecunias pro iniquo judicio non
poteſt eas repetere: ſiquidem qui eas accipit
eſt in poſſeſſione earundem. Ponit Gloſſa ali-
ud exemplum de eo, qui uſuras, quas ſolvit
repetit, cùm ſit in pari delicto *cap. quia fruſtra
de uſur.* Secundam partem hujus regulæ, quæ
eſt, ut in pari cauſa, potior ſit conditio poſſi-
dentis etiam explicat Gloſſa de beneficio, quod
ſi eodem die duobus conferatur, uni à Ponti-
fice, & alteri ab Epiſcopo, & ignoretur, quæ-
nam collatio fuerit prior, is præfertur, qui be-
neficium poſſidet, quia ambo ſunt pares in
cauſa; & conditio poſſidentis eſt potior *cap. ſi à
ſede de prebend. in 6.*

Hinc in judicio, quando teſtes utriusque 91
partis videntur eſſe pares, & idonei, teſtes il-
lius præferontur, qui eſt in poſſeſſione *c. ex
litteris de probat.* Hæcque regula procedit,
ſive poſſeſſor ſit actor ſive Reus. Hinc quan-
do dicitur, quod in dubio Reus ſit abſolven-
dus, ita debet intelligi, niſi poſſeſſio faveat a-
ctori, ut notat Tiraquel. *de nobil. q. 17.* Imò
valet etiam regula contra cauſam piam, & fa-
vorabilem: etenim poſt mortem Prælati ſi
ignoretur, an bona relicta ſint ex patrimonia-
libus, vel eccleſiaſticis, eorum conditio eſt
potior, qui in eorundem poſſeſſione reperiun-
tur, ſive Clerici ſint, ſive laici; dummodo res
prorſus ignoretur, ut quæſtio reſolvi non poſ-
ſit: quinimo valet etiam regula in quæſtioni-
bus tam facti, quàm juris. Habetur quæſtio
facti; quando non conſtat, num id, de quo
quæritur, factum ſit. Quæſtio juris, quando
conſtat, eſſe quidem factum, ſed dubitatur, an
jure, vel injuria, ſeu an contra, vel juxta
jus.

Sexageſimaſexta: *Cùm non ſtat per eum ad* 92
*quem pertinet, quo min⁹ conditio impleatur, habe-
ri debet, perinde ac ſi impleta fuiſſet.* Hæc regula
procedit præſertim in ultimis voluntatibus, &
diſpoſitione ſtatuti, ut notat Decius, ſed latiùs

Ttttt 3 ſe

ſe extendere probat Gloſſa *ex Geneſ. 22.* ubi adfert Abrahæ ſactum, qui ne occideret filium ſuum, ut mandaverat Dominus, ab Angelo impeditus eſt, proinde eius meritum perfectum fuit, eique collatum prœmium, non ſecus ac ſi filium ſuum Iſaacum immolaſſet *cap. ſi qualibet* 22. *q.* 2. Juvat obſervare, aliud eſſe non imputari ad culpam; & alind conditionem haberi pro impleta. Primum dicitur in regula 41. ſuperiùs explicata: ſecundum in præſenti regula: differunt enim ambæ regulæ, quia nonnunquam contingit, ut culpâ vacet omiſſio; non tamen ut inde ullum reportet omittens fructum; ut liquet in uſu ſacramentorum, ſi non ſerventur conditiones ad volorem neceſſariæ: quando verò conditio habetur pro impleta, omittens fructum reportat. Hinc valet valet hæc regula in iis, quæ ad ſalutem pertinent animarum, quia ut docet D. Auguſtinus *in Pſal. 134. Deus cor quærit, cor inſpicit intùs, teſtis eſt, judex eſt, approbator, adiutor, coronator, ſufficit, ut offerat voluntatem.*

93 Imò procedit regula non ſolùm ad exceptionem; ſed etiam actionem pariendam: ſiquidem ex vendito agi poteſt, quaſi impleta eſſet venditio, ſi non ſtetit per eum, ſed per emptorem, quò minùs adimpleretur *l. labeo ff. de contrah. empt.*

94 Sexageſimaſeptima: *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.* Explicat hanc regulam Peckius dupliciter. Primò quòd alicui ſub nomine ſuo proprio facere non licet, nec ſub alieno nomine, ſcilicet per alium licebit. Secundò quod non licet alicui ſuo nomine, ſeu pro ſe ipſo, neque alieno nomine, ſeu pro alio facere licet. Et hæc ſecunda explicatio communior eſt, in cujus confirmationem Gloſſa adfert exemplum de uſura; ſi enim mihi non licet propria mea opera uſuram exercere, nec mihi licebit eandem exercera per operam alterius *cap. ſicut non diſt. 46.* ubi etiam additur ratio: eò quia indecens ſit crimen ſuum alienis commodis impendere. Extant plura alia exempla, ut ſi nomine meo non debeo album Prætoris corrumpere, neque nomine alieno, id mihi licitum erit *l. ſi quis id ff. de jurisd. omn. judic.*

Procedit autem regula non ſolùm de ma-
95 leficiis, quæ ſi quis non poteſt nomine ſuo facere, nec poterit nomina alieno, eò quia maleficium ſemper ſit illicitum: ſed etiam procedit regula in contractibus, qui ſine maleficio, ſeu peccato fieri poſſunt; cui enim non licet per leges civiles frumentum extraneo vendere; neque id licebit per alios. Si Prælatus eccleſiaſticus bona eccleſiæ non poteſt per ſe alienare; neque per alios extante etiam prohibitione tantùm politica; temetſi hi contractus in ſe illiciti, & mali non ſint. Hinc præſens regula prout verſatur circa maleficia, ampliatione non gaudet, nec limitationem admittit, quia negativam prohibitionem contineat. Verùm quatenus de contractibus agit varias patitur limitationes, adeò ut non procedat, quando mea & alterius diſpoſitio eſt diverſa: vel quando boni deſiderati ſolus alius, pro quo agitur, capax eſt: etenim Petro non licèt matrimonium contrahere cum ſua ſorore, vel conſanguinea intra quartum gradum *c. non debet de conſanguin. & affin.* poteſt nihilominus, ut Procurator contrahere nomine alieno, qui non ſit conſanguineus, nec affinis *c. fin. de procur. in 6.* Si Petro per alienum fundum non licet jumentum agere ob negatam ſervitutem; poteſt tamen nomine alieno, ſi ſervitutis jus habeat *l. ſi ſtipulatus fuero ff. de V.O.*

Sexageſimaoctava: *Poteſt quis per ali-* 96
um, quod poteſt facere per ſe ipſum. Idque Gloſſa explicat exemplo, ex eo enim, quòd poſſit quis matrimonium inire per ſe ipſum, poterit etiam illud per Procuratorem contrahere. Ex eo, quòd quis ob clerici percuſſionem incurrat excommunicationem, eandem incurrit ſi per alium clericum percutiat. Quia poteſt Petrus eleemoſynam per ſe ipſum facere, poteſt etiam per alios eandem elargiri pauperibus. Valet regula tametſi conventum, aut ſtatutum eſſet, ut propria manu effectus fieret, poſſet enim per alios idem effectus fieri, dummodo actus ab alio præſtitus non cederet in præjudicium tertii, neque ita ſtatutum eſſet, ut propria manu effectus fieret, aò quia ad hunc electa fuerit perſonæ induſtria; ut notat Felin. *ex c. licet ex quadam de teſt.* quapropter juſſus à teſtatore propria ſua manu tabulam pingere, non poteſt per alium eam pingere, eò quia teſtator elegit induſtriam perſonæ, ſeu pictoris: ratio eſt quia unus in arte pictoria magis excellit, quàm alius. Rurſus quando nudum miniſterium alicui committitur ſubdelegari non poteſt; quia in eo perſonæ induſtria electa eſt: & ita de cæteris, in quibus eligitur perſonæ induſtria; in his enim non valet regula iſta.

Cæterum ampliatur regula, ut valeat,
quamvis quis pro alio faciat; ſiquidem procu- 97
rator conſtitutus ad negotia, poteſt ſuo loco alium ſubſtituere, & hic videtur ſubſtitutus ab ipſo Domino *l. item eorum ff. quod cujusque univerſ. nomina.* Quinimò nonnunquam tenetur quis per alium agere, ne deroget dignitati perſonæ, vel quia ſit ipſe inſufficiens ad id præſtandum; val ob delictum, vel periculum. Ne derogetur dignitati perſonæ in judicio non comparent nobiles, & illuſtres, qui per Procuratorem res ſuas agunt *l. quicunque C. de Procur.* Ob inſufficientiam pupilli non agunt per ſe ipſos in judicio, ſed per alios *cap. Paſtoralis de jud.* ob periculum, excommunicatus non poteſt agere in judicio, ſed poteſt per alium conveniri *c. intelleximus de jud.* Quinimo interdum per alios licet, quod alicui prohibitum eſt: etenim clericis ſpecialiter prohibetur negotiatio, *cap. negotiationem diſt. 88.* & tamen per alios, qui totam induſtriam præſtent, negotiari poſſunt, & dare pecuniam ſuam in ſocietatem Mercatorum; & inde ſuam portionem recipere. Fallit autem regula. ſi

certa

certa perſona requiratur à lege pro forma actûs : in teſtamenti confectione, quam non licet alterius voluntati committere *l. ſi Sempronium ff. de hæred. inſtit. cap. cum tibi de teſtam.* In Tutore, Curatore, & Procuratore judiciali, qui antequam per alios poſſint agere conteſtanda priùs eſt lis ab iiſdem *l. neque l. Procuratoribus l. de procur.* ut etiam in cauſis criminalibus, in quibus procurator non admittitur *l. penult. ff. de publ. judic.*

98 Sexageſimanona : *In malis promiſſis fidem non expedit obſervari.* Procedit hæc regula de promiſſionibus, quæ ex parte accipientis malitiam continent, ac turpitudinem, ut ſi uſurarii, & Raptores præter jus extorqueant promiſſionem aliquam, vel ſtipulationem ad dandum, non debetur. Eſt enim hæc regula conſentanea Theologiæ Chriſtianæ, quia ſicut in malis promiſſis, quorum objecta ſunt ex ſe, & intrinſecè mala illicitum eſt fidem ſervare, eò quia ipſa obſervantia ſit peccatum, quod nunquam eſt licitum : ita in promiſſis, quorum modus, & cauſa inductiva trahit ſecum peccatum, non eſt expediens, ut fides ſervetur, quia malum nunquam poteſt licitè fieri. Hinc Iſidorus rectè monet, ut in malis promiſſis ſcindamus fidem : in turpi voto mutemus decretum, quia impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.

99 Septuageſima : *In alternativis debitori eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.* Quod debitoris ſit electio, liquet, ſi quis enim in ſolutionem ſui crediti exigat, à ſuo debitore florenos, vel aureos; debitoris eſt eligere alterutrum. Si teſtator frumentum, vel vinum legaverit, hæredi liberum eſt alterutrum dare; ſi bovem, vel equum quis debet, in eius arbitrio eſt bovem, vel equum prout ipſi magis placuerit dare : ratio eſt quia niſi in hiſce alternativis electio permitteretur dibitori, voluntas offerentis nullum ſortiretur effectum ſublata optione incluſa in officio *l. cum quid ff. ſi cert. petat.* Alternativorum autem quatuor ſunt genera, ad quæ cætera referuntur. Primum perſonarum, quando alternatio fit inter perſonas. Secundum rerum cùm inter plures res conceditur alternativa electio. Tertium locorum, quando inter diverſa loca : & quartum temporum, cùm inter plura tempora conceditur terminus unus, vel alter. Ampliatur regula, ut deſtructa una parte alternationis, altera debitori contingat. Secundò ut facta electione licitum ſit dsbitori variare pro ut ipſi magis libuerit *l. cum qui 138 §. 1. de V. O.* imò nec ipſa litis conteſtatio adimit hanc facultatem mutandi voluntatem ; quinimò ſi per errorem debitor utrumque ſolverit, licitum eſt illi repetere, quod placuerit *l. penult. C. de condit. indeb.* Hinc in ſecunda parte hujus regulæ dicitur, ſufficere alterum adimpleri, quia ſic ſervatur proprietas, ſi quis enim dicat promitto tibi bovem, vel equum, & det bovem, non verò equũ ſervat ſuum promiſſum; quoad proprietatem verborum ; quia promiſſor non promiſit conjunctivè bovem, & èquum ſimul, ſed alterutrum disjunctivè.

Fallit tamen hæc regula in alternativis 100
perſonarum *l. 4. cap. de V. S.* ubi habetur, quòd quando plures in teſtamento nominantur non disjunctivè, ſed copulativè ſunt numerandi, ut nemo fraudetur à commodo Teſtatoris. Præpoſitio enim disjuncta tunc deſinit in copulativam. Secundò fallit, quando alternativa concipitur per particulam *ſeu*, quæ non tam diſtinguendi, quàm copulandi causâ videtur adjecta *l. ſi quis ita 32.* Verùm id in pluribus locum non habet; adeò ut ex adjunctis formandum ſit judicium. Tertiò fallit, quando alternativa ponitur inter genus, & ſpeciem; partem, & totum. Quarto etiam in alternativa legum *l. pen. V. quemadmodum C. de V. S.*
Ut etiam quando materia ſubjecta eſt finis. 101

Septuageſimaprima : *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multè magis admittendus.* Gloſſa id explicat idoneo exemplo illius, qui legitimè præſcribit is enim à poſſeſſione dejectus actionem habet, & quidem multo fortiùs, dum poſſidet exceptionem *cap. placuit §. poteſt. 16. q. 3.* Hinc habens dominium utile poteſt agere contra Dominum utili actione in rem ; proinde exceptionem habet ſi ab eo conveniatur; ratio eſt, ut notat Peckius quia exceptio favorabilior eſt, quàm actio : ut etiam defenſio, quàm impugnatio, ac propterea, magis neceſſaria *l. ſcientia ff. ad leg. Aquil.* Hinc cui licet quod eſt plus, ſcilicet agere; licèt etiam quod eſt minus; ſcilicet ſe defendere. Procedit regula non ſolùm de perſona principali, ſed etiam de procuratore ipſius, quia cum procurator datus ſit ad agendum, ut notat Panormitanus ad *cap. accedens de procur.* per conſequens videtur habere mandatum ad excipiendum, ac defendendum quinimò non admittitur procurator, niſi promittat ſe Dominum velle defendere, ac reſpondere, quando conventus fuerit, imò valet regula quamvis conceptio odioſa ſit, dummodo
jus eidem ſuffragetur. 102

Septuageſimaſecunda : *Qui facit, per alium, perinde eſt, ac ſi faciat per ſe ipſum.* Differt hæc regula à præcedente 68. *Poteſt quis per alium, quod facere per ſe ipſum*, quia præſens regula concedit ſubſtitutionem, per quam utimur alienâ opera : & regula 68. nobis adſcribit quod per alios facimus. Hinc in judiciis, ſi Procurator juret in animam Domini ſui : perinde habetur juramentum, ac ſi ab ipſo Domino emiſſum fuiſſet. Juvat obſervare, quod illud verbum *facis* licèt ex ſe referatur ad homines, quibus mandamus dicto, vel ſcripto, ut aliquid præſtent : hic tamen extenditur etiam ad bruta ; quibus utitur ad delictum aliquod perpetrandum : qui enim inſtigat moloſſos ad irruendum in hominem, cúmque diſcerpendum, dicitur hominem occidere; licèt homicidium committat per canes ad id inſtigatos *l. 1. §. ſi quadrup. paup. feciſſe dicatur.* Extenditur regula, ut valeat, quamvis is, cui man-

mandatum eſt per ſe, vel per alium exequatur *l. ſi eo ff. quod vi, aut clam. c. Henricus Presb. de cler. pug. in duell.* Imo procedit etiam, licèt fines mandati exceſſerit is, cui mandatum fuit, dummodo longo temporis intervallo poſt mandatum effectus ſequatur; quia quando certum tempus præſcriptum non eſt, durare mandatum cenſetur usque ad tacitam, vel expreſſam revocationem: ſunt etiam aliæ limitationes, quas refert Sylveſter *V. mandatum.*

103 Septuageſimatertia: *Factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, à quo non potuit inchoari.* Si enim Titius matrimonium contraxit, quando fuit ſanæ mentis, ſi poſt contractum matrimonium decidat in amentiam, non propterea retractatur matrimonium *l. patre furioſo ff. qui ſunt ſui vel alieni juris.* Hoc idem etiam procedit, ſi ſuperveniat affinitas, vel cognatio ſpiritualis *c. penult. & ult. de eo qui cognovit conſang.* Hinc nec vitiatur teſtamentum furioſi, qui cùm ſibi conſtaret, illud condidit *l. is cui ff. de teſtam.* Pari pacto præſentatus ad eccleſiam à legitimo Patrono non removetur, quamvis patronus poſtea ſpolietur jure patronatûs *c. conſultationibus de jure patron.* Valet regula etiam quoad id, quod ab actu illo legitimè facto dependet: quia ſicut matrimonium legitimè contractum non irritatur per ſuperveniens impedimentum, ratione cujus non potuiſſet inchoari; ita nec patria poteſtas ceſſat, nec commodum acquiſitionis eorum, quæ filius acquirit: ſed hæc omnia Patri manent, ſicut priùs erant *l. furioſo patre ff. de his qui ſunt ſui, vel alterius juris.*

104 Imò valet regula tametſi cauſa actus legitimè facti poſtea ceſſet per ſupervenientem caſum, quia ſi poſt donationem, filii naſcantur Donatori, non revocatur donatio, quæ antea fuerat legitimè facta *l. ſi unquam C. de revoc. don.* ut etiam ſi mater liberorum tutelam ſemel perdiderit, eò quia tranſierit ad ſecundas nuptias, non reſtituitur illi tutela, quamvis ſecundus maritus decedat, & ipſa vidua, ſicut antea, fiat, *authent ut matri, & avia C. quando mulier offic. tut. fungatur.* Neque obſtat, ſi dicas, legitimè electum ad Prælaturam eccleſiaſticam ſi ante confirmationem orta lite de calumnia juret, & poſtea duas contrarias poſitiones oppoſitis objectionibus præſtet, tanquam perjurum ab electione excludi, & à beneficio dejici *c. fin. de jurejur. in 6.* ex quo liquet, retractari, quod legitimè factum erat ex caſu ſuperveniente, à quo non poterat inchoari, quia ſi perjurium anteceſſiſſet eligi non potuiſſet. Nam contra eſt, quia in hoc caſu non retractatur electio legitimè facta; ſed propter perjurii crimen juſtè denegatur confirmatio, quæ quaſi ſigillum eſt electionis; ſiquidem ſine confirmatione nullum effectum electio habet.

105 Septuageſimaquarta: *Quod alieni gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.* Ratio hujus regulæ eſt; quia privilegia, ut etiam diſpenſationes non conceduntur ſine prævia diſcuſſione cauſæ, & quia quæ militant pro una perſona, nil faciunt pro alia, ſequitur quòd judicium, & deciſio ſuperioris nonniſi ad præſentem caſum reſpicere debeat, ac illi tantùm ſatisfacere, qui hic, & nunc perit exemptionem. Non enim per conceſſionem privilegii conſtituitur commune jus, ſed tantùm particulari ſingulare, quod propterea ſi favet uni, cui conceditur, non debet trahi ab aliis in exemplum. Tum quia à particulari ducta conſequentia, juxta regulas dialecticæ claudicat, & nihil habet roboris.

Septuageſimaquinta: *Fruſtra ſibi fidem* 106
quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat. Ratio eſt, quia in omni contractu ſemper ſaltem tacite intelligitur incluſa conditio, dummodo altera pars ſtet conditionibus contractui adjectis, & fidem ſervet; unde una parte non ſervante fidem, altera non tenetur ad eandem ſervandam. Gloſſa id exemplificat; quia ſicut Vaſallus tenetur fidelitatem Domino ſuo ſervare; ita Dominus viciſſim Vaſallo: hinc ſicut vaſallus privatur feudo ob infidelitatem commiſſam in Dominum: ita Dominus privatur ſuperioritate: ſi enim Dominus velit Vaſallum ſupprimere, Princeps eximit vaſallum à juriſdictione Domini *cap. ne forma 22. q. 5.* generatim quoties una pars deficit à pacto inito, altera non tenetur ad pactum ſervandum, quia perit obligatio, quam contraxerat, eò quia altera pars contractui non ſtet *l. cum proponas C. de pact.* Imò id procedit, quamvis fides in minimo tantùm læſa fuit; ut ſi de ſolutione nummus deſit, poteſt venditor rem venditam detinere *l. Jul. §. ferri ff. de act. empt.*

Septuageſimaſexta: *Delictum perſonæ non* 107
debet in detrimentum eccleſiæ redundare Procedit regula de omnibus conſtitutis in quovis eccleſiaſtico gradu; ut declaravit Alexander III. *in cap. 2. de donat.* Hinc Epiſcopus, ut etiam quilibet alius Prælatus eccleſiaſticus, cùm non ſit Dominus; ſed tantùm Miniſtrator rerum eccleſiaſticarum: ideo poteſt quidem conditionem eccleſiæ meliorare; non verò deteriorem facere, unde *in d. cap.* quia Epiſcopus graves donationes ex rebus Epiſcopatûs fecerat, jubet Pontifex, eas revocari, ut invalidas de jure.

Aliud exemplum habetur in *cap. ſi Epiſcopum 16. q. 6.* ubi ex eo, quòd Epiſcopus ob graviſſimum delictum privatus fuerit Epiſcopatu; non tamen bona eccleſiæ fuerunt ad fiſcum devoluta, quia delictum perſonæ non obeſt eccleſiæ. Ex quo ſequitur, quòd ſi Prælatus rem eccleſiæ malè alienaverit poſſit eam repetere, allegando errorem, ac propriam turpitudinem; idque tametſi juraſſet, ſe non repetiturum rem illam, quia juramentum de re illicita non valet, nec ullam infert obligationem, ut notat Panormitanus in *c. ſi quis de reb. eccleſ. alien.*

Septuageſimaſeptima: *Rationi convenit,* 108
ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore. Eſt enim æquitati conſonum, ut qui ſentit commodum

modum ex re aliqua, ſentiat etiam incommodum, quod ex illo ſequitur. Hinc quia hæreditas *in ff. de legat præſtand.* & *l. filius §. ſi legata* dicitur honor, ideo in ſubſtituto hærede erit quicquid commodi, & oneris ex illa poteſt obtingere; adeo ut qui ſuccedit in hæreditate dicatur etiam ſuccedere in oneribus eidem annexis, teneatúrque propterea ſolvere legata, & ſatisfacere obligationibus, quibus Teſtator gravabatur. Hinc ut notat Gloſſa filius patroni eccleſiæ, vel beneficii ex eo, quòd ſuccedat in honore juris patronatûs, dicitur etiam ſuccedere in onere defendendi eccleſiam *cap. filiis, & Nepotibus 16. q. 7.* quia honoris augmento cura itidem ſolicitudinis debet accreſcere.

110 Septuageſimaoctava : *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.* Senſus hujus regulæ eſt, ut ex iis, quæ propter neceſſitatem aliquando permittuntur, non debeat conſequentia formari, ſed potiùs quod pro neceſſitatis tempore ſtatuitur ceſſante neceſſitate debet relinqui *cap. quod pro 41. cauſ. 1. q. 1.* Hinc habere plures Epiſcopatus canones prohibent in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Concil. Trid. *ſeſſ. 7. cap. 2.* Et tamen præſertim in Germania conceduntur eccleſiaſticis Principibus plures Epiſcopatus, ut contra hæreticos defendere poſſint fidem catholicam; etiam armorum vi, ſi neceſſitas poſtulet. Matrimonium in tertio, & quarto gradu contrahi prohibetur ex Concil. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 3. & ſequent.* & tamen olim permittebatur; eò quia perſonarum numerum fuerit minor. Rurſus bona eccleſiæ non eſt licitum alienare ſive mobilia ſint, *c. ſi quis de reb eccleſ. alien.* Neceſſitas tamen pauperum excuſat à peccato *c. aurum 12. 42.* Rurſus in neceſſitate Pater poteſt filium vendere; non ita extra neceſſitatem *l. 1. & 2. C. de patribus qui filios ſuos diſtraxerunt.* id tamen non procedit de filio ſacerdote, quia pater non poteſt vendere filium ſacerdotem etiam urgente graviſſima neceſſitate.

111 Hæc & alia id genus, quæ conceduntur ob neceſſitatem in argumentum trahi non poſſunt. immò procedit regula etiam in utilitate evidente *c. fin. de eccleſ. ædific.* ut notat Innocentius ad *c. cum omnes de conſtit.* Imò quæ ob neceſſitatem aliquando conceduntur, non ſolùm nequeunt in argumentum trahi, verùm etiam ceſſante neceſſitate illicò deſinunt, quæ neceſſitatis tempore valuerant *c. quod pro neceſſitate 1. q. 1. c. quod pro remedio ibid. q. 7.*

112 Septuageſimanona : *Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.* Ratio hujus regulæ deſumitur ex eo, quòd non poſſit quis dare, quod non habet, *c. quod autem de jure patronat.* Qui enim rem alienam poſſidet, quia nullum in ipſam habet dominium, ſi illam quocunque titulo det alteri, nil juris in ipſum transfertur, quia Donator, cùm non habuerit jus in illa; non potuit hoc jus in alterum transferre. Qui vendit rem alteri non poteſt in Emptorem transferre plus juris, quàm habuerit venditor: quâ ratione dominium eo modo transfertur in emptorem, quò fuerat in venditore. Procedit hæc regula, ita amplè, ut nemo cujuscunque ſit dignitatis excipiatur; ſiquidem ad Imperatorem res cum ſuo onere venit, quamvis poſſit Imperator, ſi velit rem illam ab onere liberare.

Octogeſima : *In toto partem non eſt dubium contineri*, ratio eſt perſpicua, quia totum coaleſcit ex partibus, quæ propterea, ut conſtituentes debent contineri in conſtituto. Dynos hanc regulam explicat pluribus exemplis. Primò loquens de toto numerali ait: ſi me viginti interrogante, tu decem reſpondes, pro his decem obligatio contrahitur, eò quia in viginti includuntur decem. Secundò de toto integrali, qui poſſidet totam domum, dicitur etiam poſſidere fundamentum, tectum, & parietes, quia ex hiſce domus conſtruitur. Tertiò quoad totum univerſale ſi pereat ſpecies, pereunt etiam individua, quæ continentur in tali ſpecie, quia ſunt partes eiusdem. Quartò in moralibus, qui habet jus in toto, dicitur habere etiam jus in qualibet illius parte. Valet etiam regula in negativis, etenim prohibitus à toto cenſetur etiam à qualibet illius parte prohibitus: & excluſus à teſtamento non habet jus in ullam eius partem. 113

Octogeſimaprima : *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* Idque procedit ſive conceſſio jurata ſit, ſive non; ratio eſt, quia juramentũ non poteſt ſupplere defectum conſensûs. Gloſſa ad id explicandum producit exemplum Epiſcopi, qui dedit Titio facultatem eligendi confeſſarium, quemcunque voluerit: is non cenſetur accipere, per hanc conceſſionem poteſtatem abſolvendi Titium à caſibus Epiſcopalibus *c. 2. de pœnit. & remiſſ.* quia poteſtas abſolvendi à reſervatis eſt quid ſpeciale, quod Epiſcopus veriſimiliter non conceſſiſſet. Hinc nec generalis commiſſio facta à Pontifice ſuo Legato extenditur ad cauſas fidei *c. frater noſter 16. q. 1.* Rurſus ſi pater concedat filio generalem adminiſtrationem peculii, non cenſetur dare filio facultatem, ut poſſit peculium donare, quia aliud eſt adminiſtrare, & aliud donare, hoc enim ſecundum eſt quid ſpeciale, quod pater veriſimiliter non conceſſiſſet *l. ſi filiusfamilias de donat.* 114

Gloſſa ad dignoſcenda, quæ in ſpecie non cenſentur concedenda ponit hanc regulam, & docet, id eſſe cognoſcendum ex impoſſibili, inhumana, vel dura ſeparatione, ut ſi petantur inſtrumenta propriæ artis, vel quæ ad effectionem pertinent, ac nobis ſunt ſpecialiter chara, ut uxor, filii, cognati, amici, hæc enim non videntur alteri concedenda, ut nec etiam quæ ſunt contra jus commune, contra receptam conſuetudinem, contra libertatem, vel jus acquiſitum alteri: ut etiam omnia ea, ex quibus oritur grave incommodum, vel damnum 115

irreparabile, & etiam ea, à quibus, vel ipſa natura videtur abhorrere, ut ſi daretur filio contra proprium patrem poteſtas exequendi: hæc enim, & alia id genus, ut evitentur, inſpiciendum eſt, quod magis appacet veriſimile, quia actus concedentis non extenditur ultra eius intentionem.

116 Cæterum hæc regola valet, tametſi generali conceſſioni adjecta ſit clauſula *metûs proprii*, quia verba generalia non ſufficiunt ad tollenda jura ſpecialia, ut notat Rebuff. *in prax. 3. n. 9.*

117 Neque obſtat, ſi dicas, in genecalibus ſpecialia contineri *l. ſemper. ff. de regul. jur.* Nam contra eſt, quia ſpecies tantùm in potentia dicitur contineri in genere; non verò actu: & cum in præſenti conſiderentur actiones morales, non attenditur hæc incluſio: ſed quid in gratuitis actionibus, & conceſſionibus includatur, quod nonniſi ex fine concedentis ſumitur conjectura. Ut ſi moveatuc quis boni ſpecie ad laegiendum, progreditur, quia in præſenti nil occurcit in conccarium, quo retacdetur. Verùm quando deſcendimus ad particularia, talia ſe offerunt incommoda, ut nemo prudens alitec judicare poſſit, quàm ex intentione concedentis eſſe excludendum, quod incommodum adfert.

118 Octogeſimaſecunda : *Qui contra jura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.* Ratio eſt, quia quilibet tenetur actiones ſuas conformare publicis legibus, cùm ad hunc finem fuerint leges conditæ, ut eſſent normæ humanarum actionum; unde qui ſecus agit, ſuſpicionem ingecit animi pecverſi, proinde non pcæſumitur in bona fides, quia ut ait Apoſtolus ad *Roman.* 14. Quod non eſt ex fide peccatom eſt, & illud dicitur non eſſe ex fide, quod non eſt ex bona conſcientia, hinc omne quod contra conſcientiam agitur peccatum eſt, & ad gehennam ædificat, unde S. Auguſtinus in illod Apoſtoli *ad Roman.* 14. ait: omne quod aliter fit, quàm pcobatum ſit, peccatum eſt. Hæc regula ampliatur ad omne jus naturale, poſitivum, ſacrum, profanum, & ad ſtatuta, & conſuetudines; & ſi aliquis horum jurium prætendat ignorantiam; eidem onus incumbit probandi. Ad præſcriptionem tamen, & uſucapionem impediendum nil prodeſt ignorantia juris, vel erroc *l. namque ff. de uſucap.*

119 Octogeſimatertia : *Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur.* Ratio eſt, quia obligatio ad ſolvendam rem alienam per ipſam ſolutionem ſtatim extinguitur; unde illâ poſitâ, non tenetur, qui ecat debitor iterum eam ponere, qoia ponitur ſolutio ad extinguendum debitum, & cùm hoc fuecit extinctum pec primam ſolutionem, non eſt, cur debeat poni ſecunda ſolutio, quia nihil extingueret debiti. Nec intereſt, qoomodo facta ſit ſolutio per ſe, vel per alium. Procedit regula, quòd nec ab alio poſſit exigi iterum, quod ſemel ſolutum eſt.

120 Octogeſimaquarta : *Quod unâ via prohibetur alicui, ad id aliâ viâ non debet admitti.* Siquidem in omni diſpoſitione legum, intentio potiùs, quàm enunciatio attendi debet *l. ſcire ff. de leg.* unde cavetur per hanc regulam, ne quis in ſuum favorem trahens verba legis, quod uno modo non licèt, per alium nitatur conſequi. Hinc quia Prælatus ante confirmationem ſuam non poteſt adminiſtrare res eccleſiæ, vel monaſterii *c. avaritiæ 5. de elect. in 6.* ſi res easdem velit adminiſtrare, ut Procurator, vel ut œconomus id ei non permittitur, ne quod una via ei prohibetur ad id aliâ admittatur. Verùm hæc regula pcocedit quoad ea, quæ principaliter prohibentur; non verò quoad viam, modum, vel medium: etenim illegitimus non poteſt in Epiſcopum eligi, qui tamen poſtulari non prohibetur *c. innotuit 20. de elect.*

121 Neque huic regulæ obſtat quod Clecico non liceat de bonis ab eccleſia obtentis, teſtaci, cui tamen permittitur donare de iisdem bonis inter vivos; quod etiam extenditur ad Religioſos profeſſos, qui beneficia eccleſiaſtica obtinent, ut notat Barboſa *c. caterum c. per tuas de donat.* Nam contra eſt, quia Clecicis beneficiatis jure communi prohibetur teſtamentum inſtituere de bonis ab eccleſia obtentis, non quod id per ſe & ex natura ſuâ malum ſit, ſed ne conſanguineos ſuos, & cognatos de bonis, quæ diſtribuenda ſunt pauperibus ex damnabili amoce pcæſumant ditare. Vel prohibentur clerici teſtari de bonis ab eccleſia obtentis; quia talia bona non habent nomine propcio, ſed alieno, quorum proptera ſunt tantùm adminiſtratores; ſecus donationes moderatæ etiam reſpectu cognatorum ipſis permittuntur ex benigna quadam jucium intecpretatione; & quia charitas ordinata incipit à ſe ipſa, & pcocedit immediatè ad eos, qui lateri noſtro vinculo conſanguinetatis adhærent, ut notat Barb. *in c. ad hac de teſtam.*

122 Si dicas, Judicem de qua re non poteſt directè cognoſcere, poſſe indirectè, & incidenter judicare *c. penult. de reſtit. in integ.* proinde unâ viâ admitti, quod aliâ prohibetur. Reſp. hoc eſſe beneficium juris conceſſum ex neceſſitate, ne continentia cauſæ dividatur, & coram diverſis judicibus idem Actor litigare compellatur, cùm inutili ſumptuum jacturâ, ſuóque notabili damno. Ob hanc rationem omiſſis etiam intermediis tribunalibus, ſupremum adire licèt, ut notat Andreas Gaillus *lib. 1. obſer. 32. n. 1.* & Menochius *lib. 4. de præſumpt. præſumpt. 189. n. 82.*

123 Octogeſimaquinta : *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.* Sumitur hîc lex pro forma contractûs, quia hic ex conventione contrahentium formatur, vel variatur, quia contractus totalitec dependet ex conventione partium, quâ ratione voluntas contrahentium dicitur dare eſſe contractui *l. Juris gentium §. quod ff. de leg.* & ratio etiam aſſignatur, quia quilibet rei ſuæ eſt moderatur,

&c

& arbiter, proinde pôteſt de ipſa diſponere, prout ipſi magis placuerit *l. in re C. mandatis:* unde poſſunt contrahentes apponere contractui quamcunque conditionem prout ipſis magis placuerit, dummodo non ſit conditio turpis, repugnans juri, vel impoſſibilis, quia tunc conditio contractum inficeret, & invalidum conſtitueret. Hinc quamvis depoſitarius ex natura contractus ſolum teneatur de dolo, & lata culpa, quæ dicitur dolus præſumptus *l. 1. §. quod Nerva ff. depoſiti* :nihilominus ſi paciſcentes ſimul conveniant etiam de culpa leviſſima obligatio ex illa oritur, eò quia contractus ex conventione contrahentium legem, ſeu formam accipit.

124. Immò procedit regula, ſive conventio exprimatur in ipſo contractu, ſive ſtatim poſt contractum initum adjiciatur *l. Lecta ff. ſi cert. petat.* Immò procedit quamvis rei natura videatur alterari. Etenim quamvis res corporalis ex natura ſua ſit dividua; poſſitque in plures partes ſemper dividi; ex paciſcentium tamen conventione poteſt fieri individua, non quidem phyſicè, quia res corporea eſt ſemper phyſicè dividua; ſed moraliter in ordine ad jus quod in illa conſtituitur *l. ſtipulationes non divid. ff. de V. O.* Præterea contractus emptionis talis eſt naturæ, ut venditor de evictione teneatur, & nihilominus ſi contrahentes de contrario conveniant; nullam contrahit venditor obligationem de evictione *l. non dubitatur C. de evict. l. ſi in evenditione ff. eod.*

125 Juvat obſervare, quòd quando contractus in hac regula dicitur ex conventione legem accipere intelligendum eſt de lege, ſeu forma accidentali, & contingente; non verò de forma ſubſtantiali, quia hæc dependet à lege, ſeu ipſo jure, & ſemel lata non eſt ampliùs mutationi obnoxia, cum non ſubſit ampliùs ipſius legislatoris voluntati, niſi lex ipſa ob bonum commune mutetur: ſecus forma accidentalis dependet à voluntate paciſcentium, variiſque occurrentibus circumſtantiis. Hinc contractus emptionis, & venditionis forma ſubſtantialis eſt, ut pro re vendita exhibeatur pretium ab emptore: quando verò, & quibus conditionibus ſit pretium exhibendum; id eſt adventitium, ac variabile; proinde mutationi obnoxium, & dependet à voluntate contrahentium: & quoad hanc formam accidentalem dicitur contractus ex conventione contrahentium legem accipere.

126 Octogeſimaſexta: *Damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare.* Cùm enim ſit ipſe ſui damni Author, non poteſt conqueri niſi de ſe ipſo, cùm nullus alius tale damnum ei intulerit; hinc Ulpianus rectè dixit legis auxilio indignum eſſe eum, qui ſe ultro conjecit in neceſſitatem *l. ſi fidejuſſor §. 1. ff. qui ſatisdare cogantur.* Valet hæc regula in contractibus: hinc ſervorum, quos ſine delectu admiſerunt, coguntur Domini damnum præſtare *l. videamus ff. locati* etiam in teſtamentis *l. fin. c. de jure de liber.* ubi redarguitur ſtultitiæ, qui damnoſam hæreditatem abaque inventario ſuſcepit, quia debuiſſet antea perveſtigare, quænam ſit hæreditas à ſe ſuſcipienda. Valet itidem in judiciis, adeò ut qui re minus diligenter examinata cum alia via eam conſequi poſſet, nihilominus maluit in judicio litigare; ſi cauſa cadat, & in expenſas condemnetur, damnum hoc debet ſibi ſoli imputare *l. 1. c. de edend. l. 1. ff. eod. tit.* Immo procedit etiam in pœnis; adeò ut Procurator pœnam, quam ex ſuo delicto paſſus eſt, non debeat repetere *l. qui proprio ff. item §. de Procurat.* hinc etiam fidejuſſor, ſi ſemel ſolverit uſuras, ad quas non tenebatur, eas à debitore non recuperat. Et ampliatur regula, ut procedat, quamvis nullus dolus, aut delictum commiſſum ſit; hinc qui in fluminis ripa molendinum exſtruit, vel domum, ſi aquarum impetu deſtruatur molendinum, vel domus conſtructa, ſibi debet dominus imputare, qui firmius ſolum non elegit pro domo exſtruenda.

Videtur tamen contra hanc regulam poſſe objici; quia ſi pro culpa ſua filius ad pecuniarum pœnam damnetur, pro eo poteſt ejus pater conveniri, ut notat Baldus ad *l. ſi filiusfamilias c. ne filius pro patre.* Sed contra, quia parens, & filius in jure numerantur pro una eademque perſona *l. fin. c. de impub. & aliis ſubſtit.* proinde pater in mulcta pecuniaria convenitur pro filio, ut ipſe ſolvat. Tum quia bona patris ad filium derivantur, cùm hic ſuccedat in bona patris, proinde ex eo, quod ſolvat pater, id cedit in damnum filii, qui propterea dicitur, & ipſe ſolvere mulctam pecuniariam. 127

Octogeſimaſeptima: *Infamibus non pateant portæ dignitatum.* Quemadmodum bona fama eſt ſtatus illæſæ dignitatis, legibus, ac moribus: ita mala fama, ſeu infamia eſt læſio ejuſdem dignitatis, adeò ut infamis dicatur, qui legibus, moribus in ſuis ſe non conformat operationibus; ſed ea operatur, quæ legibus ſunt contraria, & bonis moribus diſſona; eſt autem infamia alia juris, alia facti; illa dicitur, quæ irrogatur per judicis ſententiam in his caſibus, in quibus jure definitur, quòd condemnatus ſit infamis; cujusmodi ſunt condemnati de furto, rapina, lenocinio, uſura, *l. 1. ff. de his qui notantur infam.* Infamia facti, ut ait Dynus eſt, quæ gravat opinionem apud probos, & graves viros, ut cum alicujus pudor, vel per increpationem judicis extra cauſæ cognitionem oneratur, vel notatione parentis in teſtamento perſtringitur *l. ob hæc verba ff. de his qui notant. infamia* Quilibet igitur infamis ſive juris, ſive facti arcendus eſt per hanc regulam à dignitatibus; adeò ut non poſſit promoveri ad illas, nec ad honores, & hæc excluſio vel habetur ipſo facto, vel per ſententiam judicis. 128

Immò non ſolùm à dignitatibus, ſed etiam à beneficiis, ordinibus ſacris arcentur infames, idque ob indecentiam; ex qua oritur in animis hominum vilis æſtimatio, & contem- 129

temptus, ratione cujus nou decet, infamem promoveri ad dignitates, & houores: alioquiu cùm perſona communicet dignitati nitorem ſi ſit perſoua conſpicua; adeò ut eadem diguitas pluris fiat in viro Principe, quàm plebeo, & in viro doctiſſimo, quàm rudi, ideo dignitas infami collata quodammodo infamaretur à perſona, cui fuit collata, ut notat Covarruvias iu *c. quamvis pactum p.* 1. §. 7. Barboſa in *c. accedens de purg. can.* Idque ampliatur, ut iufamia maneat, etiam ſublatâ causâ, vel peractâ pœnitentiâ de patrato crimine. Hinc licèt Judæus per ſuſceptionem Baptiſmi Chriſtianus fiat: nihilominus repellitur à teſtimonio ferendo in caſu, quo ante baptiſmum teſtis eſſe non poterat, ut notat Felinus in *c. eam de reſcript.* Eodem pacto delinquens, qui pœnitentia culpam diluit, quamvis pœnitentiam egerit; adhuc infamiâ notatus manet, nec admittitur, ut integer & idoneus ad teſtimonium in cauſa criminis ferendum *c. teſtimonium* 54. *de teſtib.* Id tamen limitatur niſi adſint alii, qui poſſint teſtimonium ferre, vel res naturâ ſuâ ſit difficilis probationis, ut notat Barboſa iu *d. c. teſtimonium* 54. *de teſt.*

130 Octogeſimaoctava & ultima: *Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.* Quatuor à Dyno aſſignantur modi, quibus contra hanc regulam peccatur, fraude legibus facta. Primò per declinationem à re in rem. Secundò à perſona ad perſonam. Tertiò à contractu, ad contractum. Quartò à contractu ad eundem contractum, ſed non eodem modo; adeò ut videatur alius contractus. Exemplum à re in rem habetur, ne pro pecunia, quæ prohibetur, frumentum, aut vinum filiofamilias mutuò detur. Exemplum à perſona ad perſonam habetur in marito vendente uxori ſuæ rem nullo pretio exacto. Exemplum à contractu ad contractum habetur in eo qui cùm teſtari non poſſit ſimulat ſe inter vivos alienare accepta quidem, ſed mox reddita pecunia. A coutractu ad eundem contractum ſi mulier, quæ S.C. Vellejani beneficio contra fidejuſſorum juvatur; fingitur directè ac propriè non acceſſoria ſed principali obligatione, ſe obligâſſe *l. quamvis §. eum eſſet, S.C. Vellejan.* Dicitur contra legis voluntatem niti, qui legis verba complectitur, quando lex eſt obſcura, ac ejus ſenſus ambiguus. Oritur autem obſcuritas iu lege, vel ex verborum inopia, vel ex vario, improviſo eventu. Tametſi res perſæpe nota ſit, non tameu ita verbis exponitur, ut non poſſit quis errare in ejus intelligentia, ac propterea niti contra voluntatem legis. Eventus itidem quia certis limitibus nou continentur non ſigillatim per ſe, ſed generatim, & confusè menti obſervantur. Exemplum poteſt peti ex eo, quod jus prohibuerit, ne Clericus beneficiatus ex bonis eccleſiæ ſuos locupletet conſauguineos ex Concil. Tridentin. *Seſſ. 25, de reform. c. 1.* Petrus bona, quæ immediatè ſuis non poteſt conſanguineis dare relinquit Paulo conſangoineo ea conditione, & lege, ut Paulus poſtea eadem bona donet couſangoineis Petri. Non eſt legis mens ut hoc pacto bona eccleſiæ dentur conſanguineis, quia lex prohibet directè, & indirectè immediatè, vel mediatè, ne bona eccleſiæ dentur conſanguineis. Unde qui ita legem interpretatur, ut mediatè, ſeu mediante non conſanguineo poſſit bona eccleſiæ dare conſanguineis nititur contra legis voluntatem, cujus verba detorquet in ſenſum improprium, non enim tunc habetur legis interpretatio, nec legis mens, ſed mentis parum rectæ illuſoria calliditas. Extenditur hæc regula etiam ad ſtatuta, & decreta futura, ut ſi quis domum ſuam ſciret brevi addicendam fiſco, eandem homini ignaro venderet: doloſa enim eſſet venditio, & venditor contra legis voluntatem diceretur niti.

FINIS.

Quinti Tomi, & Totius Iuris Canonici.

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Quæ in hoc quinto Tomo Decretalium Pontificiarum continentur,
Prior numerus Paginam indicat. Secundus eſt Marginalis.

A.

Abbas poteſt accuſari à Monachis, quorum intereſt. 39. 58

Abbates Monachorum poſſunt à ſuis Religioſis accuſari, niſi rationabilis cauſa impediat. 12. 2

Abbates, & Prælati exempti licèt poſſint cognoſcere ſuper cauſis matrimonialibus, non tamen poſſunt publicas, & ſolemnes pœnitentias imponere. 583 4

Abjurare qui detrectat, punitur ut pertinax, & traditur Judici ſæculari ſi convictus fuerit de hæreſi. 226. 9

Abjuratio fit per ſcripturam ſcriptam propria manu abjurantis, vel confectam per publicum Notarium. 225. 8

Aborſum procurare propter ſanitatem eſt illicitum. 162. 2

Aborſum procurantes per ſe, vel per alios, quas pœnas incurrant. 263. 9

Abſens à loco judicii, quo ſenſu dicatur non poſſe accuſari. 32. 17

Abſolutio de criminibus illatis per colluſionem facta etiam præcedente partium transactione non impedit Judicê punire delinquentes. 508. 2

Abſolutio in ſacramento pœnitentiæ quando impertienda ſub conditione. 774 40

Abſolutio ab excommunicatione, & aliis cenſuris. 820. 1

Abſolutio à cenſuris abſoluta, & ad cautelam. 820. 3

Abſolvere ab excommunicatione canonis ob percutionem Clerici quis poſſit. 829 1. & ſeqq.

Abſolutus ſemel de certo crimine non poteſt iterum de eodem accuſari. 32. 56

Accepta per Simoniam quomodo reſtituenda ſint? 130. 1. & ſeqq.

Accuſare qui poſſint, & qui ab accuſatione repellendi ſint? 9. 1

Accuſare Laicos criminaliter prohibentur Clerici. 10. 2 Neque poſſunt Laici Clericos criminaliter accuſare niſi ſuam propriam, vel ſuorum injuriam proſequantur. 10. 4. Laici accuſantes criminaliter Clericos cenſentur moveri potius odio, quàm Zelo juſtitiæ. ibid.

Accuſare Chriſtianos non poſſunt Pagani, ut neq; Acatholici Catholicos. 10. 6

Accuſare prohibentur ob inimicitiam gravem, & capitalem qui ſunt accuſati inimici: quia præſumuntur accuſare cauſâ privatæ vindictæ. 11. 9

Accuſare in quibus caſibus, quis teneatur. 31. 13

Accuſare de adulterio poſſunt tam adulter, quàm adultera, dummodo adulterium ſit doloſè commiſſum. 348. 21

Accuſatio juridica, quid, & quomodo definiatur. 7. 1. Explicatur definitio. ibid. 2. & ſeq.

Accuſatio tametſi inchoata fuerit, adhuc multipliciter ceſſat. 17. 10

Accuſatio ſemel criminaliter inſtituta, ſi lis ſit conteſtata non ampliùs abrumpitur. 18. 14

Accuſatio extinguitur per præſcriptionem viginti annorum à die commiſſi criminis. 18. 15. ut etiam poſt mortem Rei delinquentis. ibid. 17. Excipiuntur tamen aliquot crimina. ibid. 19

Accuſatio de jure civili non poteſt reiterari ab eodem accuſatore. 30. 7

Accuſatio quot modis fiat injuſtè. 31. 15

Accuſatio ut juridicè inſtituatur, plura exigit. 35. 32

Accuſatio criminalis ad pœnam ſanguinis, vel mortis imponendam debet fieri coram Judice ſæculari. 348. 17

Accuſationis libellos eſt duplex unus in criminalibus; alter conventionis in civilibus. 7. 3

Accuſationis forma, ut valida ſit, plures requiruntur conditiones, quæ recenſentur. 7. 6

Accuſationis praxis, quæ? inter Regulares. 39. 39

Accuſator & reus ſi ſint præſentes in judicio quomodo ſit procedendum in cauſis criminalibus, & civilibus. 9. 19. In criminalibus evidentiores requiruntur probationes. ibid. 20

Accuſato de crimine quomodo indicenda ſit canonica purgatio. 10. 1

Accuſator in foro externo tenetur docere de prævaricatione Judicis. 30. 9

Accuſator quomodo dicatur differre ab actore, cum uterque procedat contra Reum. 35. 31

Accuſator antequam accuſet non ſemper tenetur præmittere monitionem. 37. 44

Accuſator, in quibus caſibus poſſit deſiſtere ab accuſatione jam inchoata. 37. 47

Accuſator tenetur probare crimen, quod defert. 39. 60

Accuſatoris temeritas detegitur, quando calumniatur, prævaricatur, & tergiverſatur 42. 5

Accuſatos criminaliter pendente accuſatione nequit reaccuſare accuſatorem in pari, vel minore crimine, niſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequatur. Sed debet priùs ſe purgare. 10. 8

Accuſatus ſemel de uno crimine, vel ab eodem abſolu-

ſolutus, nequit iterum de eodem accuſati. 13. 7 Id tamen multipliciter limitatur. ibid. 8. & ſeq.

Accuſatus de crimine mixti fori coram judice eccleſiaſtico poteſt iterum accuſari coram ſæculari. 14. 16

Accuſatus de aliquo crimine pendente accuſatione non poteſt promoveri ad honorem, vel dignitatem, donec ſe canonicè purget. 16. 4. idque quamvis non præceſſerit infamia. 17. 5

Accuſatus debet abſolvi, ſi crimen non probetur. 17. 8

Accuſatus ſemel de aliquo delicto nequit iterum accuſari ab eodem accuſatore, nec ab alio de eadem delicto, ſi accuſatus fuerit ſemel à tali delicto à Judice abſolutus. 31. 11

Actio vi bonorum raptorum competit etiam ob rem minimam. 376. 2

Actio rerum amotarum non eſt propriè ſpecies condictionis furtivæ. 397. 30

Actio de tigno juncto cur jure civili introducta. 406. 6. Et in quem detur ibid. 7. Objectum hujus actionis quale. ibid. 10

Actio de tigno juncto prout contra poſſeſſorem malæ fidei eſt merè pœnalis. 407. 15

Actio orta ex damno injuria dato. 694. 1. Ejus cauſa efficiens, & ſubjectum. ibid. 3. & ſeq.

Actiones plures non ſunt inſerendæ in libello accuſationis, ſed ſeorſim ſunt exponendæ. 9. 17

Actiones plures ſi oriantur ex eodem, quomodo inſtituendæ. 59. 23

Actor in cauſis civilibus poteſt deſiſtere ab inchoata actione per gratiam vel tranſactionem, excipitur tamen actio famoſa. 38. 49 Poteſt etiam deſiſtere per gratiam in cauſa criminali ante litem inchoatam. ibid. 50

Actus juriſdictionis eccleſiaſticæ eſt materia Simoniæ. 78. 12 Poſt auditam Confeſſionem aliquid exigere à Pœnitente pro abſolutione eſt Simonia. 78. 12. Ut etiam delegare alteri mediante pretio poteſtatem abſolvendi à peccatis eſt Simonia. ibid. 13

Actus omnes juriſdictionis eccleſiaſticæ tam fori interni, quàm externi ſunt materia Simoniæ. 149. 3

Actus merè politici an ſint materia Simoniæ. ib. 4.

Actus omnes qui fiunt in favorem Clerici excommunicati ſunt irriti. 541. 24

Actus ſpectantes ad Epiſcopalem juriſdictionem quinam prohibeantur exhiberi à Prælatis inferioribus. 583. 1

Adulter tenetur compenſare damna illata filiis legitimis: & quibus caſibus excuſetur. 347. 9

Adulteri Jure Canonico novo ſi in adulterio perſeverent anathemate percutiuntur. 352. 7 Et pœnis aliis puniuntur, quæ recenſentur. ibid. 8. & ſequent.

Adulteri Iure Canonico non poſſunt privata authoritate occidi, quamvis deprehenſi in delicto. 369 34

Adulteri cognoſcentes eodem tempore uxorem alterius abſentis ad quid teneantur. 371. 40

Adulter in dubio an proles ſit adulterina non tenetur ad reſtitutionem. 370 37

Adultera ſi quid acceperit ab adultero tenetur illud impendere in commodum mariti. 371. 44

Adulteria Jure Canonico antiquo publica pœnitentia mulctabantur. 351. 6

Adulterii pœnæ, ob quas cauſas non incurrantur. 355. 30

Adulterium quid ſit, quomodo accuſandum, & probandum 346. 1. & ſeq.

Adulterium duplicem in ſe continet malitiam. ibid. 2 Et poteſt tripliciter committi. ibid. 3.

Adulterium eſt ſpecie diſtinctum à ſimplici fornicatione, & ſtupro. 346 4

Adulterium Jure Civili non committitur, niſi cum muliere conjugata, & cur? 347. 5

Adulterium eſt fœdius, ac deteſtabilius ſcelus cæteris peccatis carnis. 347. 6

Contra adulterium poteſt agi civiliter, & criminaliter. ibid. 7. & 14

Adulterium accenſetur criminibus public. 348. 15

Adulterium difficulter poteſt directè probari: & non niſi per præſumptiones, conjecturas, & indicia probari ſolet, 349. 22 Præſumptiones violentæ, quibus probatur adulterium, recenſentur. ibid. 23. & ſeq.

Adulterium ubique locorum Gentes variis pœnis mulctârunt. 351. 1. & ſeq.

Adulterium quod ſub ſpecie matrimonii perpetratur gravius punitur. 351. 5

Adulterium ſi agatur civiliter, compenſatur per aliud adulterium alterius conjugis. ib. 29. & ſeq. Et quid ſi ambo conjuges adulterium commiſerint, & reconciliati poſtea fuerunt, ſi poſt reconciliationem alteruter iterum in adulterium relabatur. 354. 24

Adulterium committitur ab uxore, quamvis ejus maritus in illud conſentiat. 355. 35

Adulterium hodie punitur pœna arbitraria pro conſuetudine locorum. 362. 18

Adulterium an ſit mixti fori. 372. 49. Et quid de adulterio commiſſo à Clerico. 373 51

Affectus, & conatus ad peccandum quomodo puniatur. 725. 8

Agenti ex interdicto adipiſcendæ poſſeſſionis in beneficialibus non obſtat exceptio criminis, niſi de illo ſit priùs publicè infamatus. 17. 7

Agnos Dei benedictos divendere pretio temporali eſt Simonia jure humano prohibita. 73. 25

Annatæ, ſeu integri fructus primi anni, qui ex beneficiis vacantibus colliguntur non pertinent ad materiam Simoniæ. 150. 11

Annexa ſpiritualibus, quænam dicantur eſſe materia Simoniæ. 140. 26

Annexum poteſt unum eſſe alteri tripliciter. 70. 2

Annexum Spirituali ratione connexionis, quam habet cum illo eſt materia Simoniæ, ſi ſit inſeparabile à ſpirituali. 70. 5

Annus conceditur ad proſequendam appellationem: & tres menſes ad probandum jus ſuum, ut denunciatus pergat in ſuo opere novo ædificando. 591. 10

Apoſtaſia quid ſit, & quotuplex, & quæ pœnæ eidem infligendæ? 248. 1. & ſeq. Apoſtaſiæ tres ſpecies, ibid. eſt ſpecies infidelitatis, & Apoſtatæ dicuntur rei violatæ religionis. ibid. 2

Apoſta-

Apoſtaſia ab ordine Clericali, & religione, quibus pœnis punienda. 250. 1. & ſeq.
Apoſtaſia à religione eſt criminoſa, & mortifera receſſio à religioſi ordinis inſtituto ſine propoſito revertendi. 252. 10
Apoſtaſia tribus modis poteſt contingere. 256. 1
Apoſtata à fide Catholica tranſiens ad Judaiſmum, vel Paganiſmum eſt etiam hæreticus. 250. 9. Et quæ pœnæ à jure injunguntur Apoſtatis in fide Catholica. ibid. 10
Apoſtata per quid differat à fugitivo. 252. 11
Apoſtata Religioſus quibus pœnis ſit puniendus. 253. 14
Apoſtata tantùm exterior in foro conſcientiæ non incurrit excommunicationem. 256. 2
Apoſtata ſi ſit Religioſus Clericus incurrit dupliciter pœnas iuris. 257. 4
Apoſtata fugitivus à religione poteſt à ſuo ſuperiore ubique capi. ibid. 5
Apoſtata religioſus non poteſt tranſire ad aliam religionem ſine licentia ſuorum ſuperiorum. 258. 11
Apoſtatæ, quibus ſint pœnis puniendi. 249. 6
Apoſtaſia à fide dupliciter conſiderata. ibid. 9
Apoſtatæ decedentis in ſæculo bona, ad quem pertineant. 227. 7
Appellatio non datur à ſententia Inquiſitorum lata contra hæreticos, eorúmque fautores. 214. 20
Archidiaconus pretio conſtitutus ad agendas vices Epiſcopi eſt removendus. 148. 1
Argumentum à rubro ad nigrum cur non ſemper valeat. 555. 4
Arma deferre Saracenis prohibentur Chriſtiani, & quid armorum nomine intelligatur. 171. 4
Aſſenſus contra fidem ſi deliberatione careat non eſt hæreſis. 185. 2

B

BAlliſtæ contra Chriſtianos prohibentur. 341. 4
Balliſtarii qui dicantur, & cur prohibeantur. 340. 1. Balliſtæ majores, & minores quæ ibid.
Bannitus an vocari poſſit in judicio, & ſuſtinere perſonam actoris. 729. 21
Baptiſmi Miniſter urgente neceſſitate poteſt eſſe fœmina, & quilibet. 553. 8
Baptiſmum reiterantes, quas pœnas incurrant. 254. 1
Baptiſmus pertinet ad animam, quam liberat à pœna promerita ob patrata delicta, quæ etiam delet; non tamen in foro ſæculari liberat à pœna promerita ob patratum delictum ante ſuſceptum baptiſmum. 534. 4
Baptiſmus licitum licitè confertur in mortis articulo, quamvis ſit mortem acceleraturus. 557. 17
Baptizans debet eſſe perſona diſtincta à baptizata. idque exemplo Chriſti, qui voluit baptizari à Joanne. 552. 4
Baptizans imminente mortis periculo, quamvis baptizando acceleret mortem non ſit irregularis. 558 19
Baptizatus invalidè ſi recedat à fide ſit propriè hæreticus. 22. 23 Non tamen punitur ab Eccleſia ibid.
Baptizatus recedens à fide baptiſmi eſt Apoſtata. 148. 3
Baptizatus, & Catholicus tranſiens ad Judaiſmum eſt Apoſtata. 249. 6
Belli indicendi cauſa, an poſſit eſſe damnum ſine culpa illatum. 344. 17
Belligerare quo tempore non licitum. 212. 9
Bellum à quo ſuam trahat nomenclationem. 310. 1. Bellum poteſt eſſe juſtum & injuſtum. ibid. 2. Bellum ut ſit licitum plures requiruntur conditiones ibid. In bello conſiderantur opera varia, 311. 3. Bellum poſſunt Clerici comitari ad legendas miſſas, audiendas confeſſiones. ibid. 4. Pugnantes in bello injuſto & iiſdem cooperantes contrahunt irregularitatem. 311. 5
Bellum infidelibus indicendi facultas ob ſolam infidelitatem non eſt penes Reges ſæculares, ſed tantùm penes ſummum Pontificem. 341. 1
Bellum in pluribus caſibus poteſt indici infidelibus 342. 4
Bellum an poſſit indici hæreticis ob ſolam hæreſim ibid. 10
Bellum indicendi ſi cauſa juſta ſuppetat, poſſunt tunc bellum ſuſcipere non ſolùm ii, quorum intereſt, ſed etiam poſſunt adjuvari ab aliis, qui velint ſocii eſſe juſti belli. 343. 13
Bellum an poſſit indici ob ſolum titulum puniendi culpam in aliquem commiſſam ibid.
Bellum ut ſit juſtum non ſufficit qualiscunque perſuaſio de juſta eius cauſa. 345. 15
Bellum interdicitur Clericis, & Monachis, non quia ſit per ſe malum; quia bellum juſtum eſt licitum, ſed quia diſtrahit animum à divinis. 326. 9
Benedictionis nomine per antiphraſim ſignificatur maledictio. 532. 7
Beneficia eccleſiaſtica habent annexam ſpiritualitatem, ſuntque materia ſimoniæ. 80. 1
Beneficia eccleſiaſtica quatenus includunt jus exercendi miniſteria ſpecialia, ſunt materia ſimoniæ. 80. 2. Beneficia eccleſiaſtica, ut includentia jus percipiendi fructus, ſeu emolumenta temporalia, dantur propter officia. 80. 1
Beneficia eccleſiaſtica etiam quoad jus percipiendi emolumenta temporalia non poſſunt vendi. 80. 3
Beneficia ſimplicia prohibentur vendi de jure humano: ſed curata jure divino. 81. 5
Beneficia ſimplicia fuerunt jure poſitivo inventa. ibid. 7
Beneficia eccleſiaſtica habent jus percipiendi fructus temporales ex primæva inſtitutione annexum. 71. 7
Beneficia conferri conſanguineis, non prohibent canones dummodo digni ſint. 111. 14
Beneficiati plures in eadem eccleſia ſimpliciter non dicuntur conſtituere collegium. 581. 10
Beneficii collatio propter metum, vel minas, an ſit ſimoniaca? 89. 23
Beneficii nomine in ordine ad ſimoniam incurrendam intelliguntur etiam electiones, poſtulationes, confirmationes, & omnes proviſiones eccleſiaſtum

Digitized by Google

ſiarum ; ut Generalatut. Provincialatus. 120. 4

Beneficiorum commutatio ſi fiat per pactionem privatorum beneficiorum eſt ſimoniaca prohibita jure eccleſiaſtico. 113. 2

Beneficiorum nomine intelliguntur etiam feuda,& alia adferentia temporalem utilitatem. 724. 19

Beneficium qui obtinuit, ſi ſit publicè infamatus de crimine, quod illi objicitur,& accuſator paratus eſt illud probare,executionem collationis non conſequitur. Quæ differtur,donec exceptio examinetur. 17. 9

Beneficium quatrupliciter poteſt conferri ob timorem, vel ruinas. 89. 25

Beneficium ſine licentia ſummi Pontificis non poteſt permutari cum reſervatione penſionis. 101. 4

Beneficium conferre conſanguineo intuitu conſanguinitatis non eſt ſimonia. 111. 14

Blasphemandi conſuetudo an excuſet ab incurrenda pœna in blasphemos ipſo jure ſtatuta. 535. 9

Blasphemantes ex inolita conſuetudine an ſint abſolvendi in ſacramentali confeſſione. 536. 10

Blasphemi pœnis puniuntur atrociſſimis. 532. 7

Blasphemi jure canonico graviſſimè puniuntur. 533. 8

Blasphemi à Principe ſæculari puniuntur mulcta pecuniaria. ibid. 9

Blasphemi ſi ſint clerici non puniuntur pœna publica. 531. 19. Neq; puniuntur publicè qui in ebrietate,vel ex impetu iracundiæ blaſphemant. ib, 12

Blasphemi ſunt denunciandi, & adigendi ad emendationem. 535. 6.

Blasphemia hæreticalis eſt crimen eccleſiaſticum, & non eſt mixti fori. 215. 6

Blasphemia eſt convitium, ſeu maledictum in aliquem dignitate,& excellentia conſpicuum prolatum. 531. 1

Blasphemia continet falſitatem, eſtque falſa locutio. 632. 2

Blasphemia eſt peccatum, quod adverſatur virtuti religionis: eſtque contumelia verbalis in Deum, & Sanctos. 532. 4

Blasphemia ſicut & hæreſis conſiſtit in actu intellectus. 532. 4. Exigit tamen pravam affectionem formalem, vel virtualem voluntatis, ut diſpoſitionem. 532. 5

Blasphemia ſimplex nec formaliter,nec virtualiter continet falſitatem contra fidei veritatem. Alioquin regulariter blaſphemia eſt peccatum grave 532. 6

Blasphemia eſt crimen mixti fori. 535. 5

Blasphemiæ,maledicta, & convincia, quæ contra Deum proferuntur, an ſpecificè inter ſe diſtinguantur. 538. 11

Blasphemus ſi confiteatur, eúmque pœniteat prolatæ blasphemiæ, ac promittat feriò emendationem mitiùs punitur. 514. 1

Bona temporalia non poſſunt dari eccleſiæ, ut quis accipiat canonicatum. 81. 4

Bona temporalia æquiparantur vitæ,ad cujus conſervationem ſunt neceſſaria. 300. 11

Bona occiſi qui occupat non tenetur de homicidio. 325. 58

Bona naufragorum poſt aliquot annos ſi reperiantur ab Urinatoribus an fiant primò occupantis. 384. 6

Bona uſurarii quamvis empta ex pecunia uſuraria ſine titulo oneroſo, ſeu lucrativo pervenerint ad tertium,non ſunt ipſo jure tacitè hypothecata. 463. 12

Bona hodie non publicantur niſi ob duo crimina hæreſis, & læſæ Majeſtatis. 702. 9

Bona pleraque obnoxia non ſunt confiſcationi. 720. 10

Bona mariti ſi publicentur poteſt uxor ſuam dotem repetere. 721. 14

Bona hæreticorum ipſo jure cenſentur confiſcata, & iisdem privantur filii licèt Catholici. 721, 15

C.

Calumnia eſt falſi criminis impactio. 41. 1. Calumniatores variis pœnis tam jure civili, quàm gentium, & ſacris Canonibus puniuntur. ibid. 2

Calumniator præſumitur, qui ex errore probabili ductus alium accuſavit,ſi in probatione deficiat. 43. 1

Calumniator quando tenetur reſarcire damna illata alteri falsò accuſato. 44. 13

Calumniator volens graviſſimas criminationes deferre ad Principem non poteſt licitè privata authoritate occidi, quamvis cauſa ſit graviſſimi damni inde ſecuturi. 46. 24

Calumniator dicitur, qui falſum accuſatorem ſubmittit, vel mandat, aut inſtruit ad accuſandum. 56. 10

Calumniatores jure canonico infamiâ notantur, & privantur beneficio, & officio. 41 3. Jure tamen novo puniuntur pœna extraordinaria ſpectatis qualitatibus criminis objecti. 42. 4

Calumniatorum pœna, quæ? 42. 8

Cambii lucrum an licitum ſit, ac liberum ab omni uſura. 476. 23

Cambium eſt mutatio pecuniæ pro pecunia. 477. 24. dividitur in Cambium manuale, ſeu minutum, & locale. ibid. 25

Cambium locale contrahitur per litteras ad majus commodum itinerantium. 477. 26

Cambium locale non illicitum, dummodo lucrum non excedat. ibid. 32

Campſarii,ex quibus cauſis poſſint aliquid exigere loco Auctarii. 477. 26

Capitulum generale Regularium poteſt novas provincias erigere, vel erectas dividere. 586. 18

Carentia pecuniæ an ſit pretio æſtimabilis, & poſſit ratione illius à mutuatore aliquid accipi. 444. 16

Caſus in dubio non cenſetur reſervatus. 187. 14

Caſus ſpeciales in jure, in quibus ob homicidium, quod contingit ex opere illicito,& periculoſo contrahitur irregularitas, tametſi ſufficiens & debita diligentia præceſſerit. 309. 28

Cauſa hæreſis exigit proceſſum ſummarium ſine ſtrepitu judicii, vel figura. 219. 1

Cauſæ

Digitized by Google

Cauſæ plures excuſantes ab incurrendis pœnis adulterii. 355. 30
Cauſa finalis, & purè impulſiva quomodo cognoſcatur in reſcriptis. 492. 18
Cauſæ matrimoniales, & criminales reſervantur examini, & jurisdictioni Epiſcopi. 583. 2
Cauſarum merita partium aſſertione panduntur. 33. 24.
Cenſura quid ſit, & quotuplex. 783. 10. & ſeq.
Cenſûs definitio explicatur. 455. 1. & ſeq.
Cenſus reſervativus, & conſignativus quid. 456.6
Cenſus ratione penſionis multipliciter dividitur 456. 9. Imò etiam ratione pacti. 457, 10
Cenſus pecuniarii; & fructuarii juſti, & liciti ſunt. 458. 34
Cenſus perſonalis perpetuus redimibilis, vel irredemibilis ex parte ſolius venditoris, an licitus ſit. 459. 40
Cenſus poteſt conſtitui in rebus mobilibus, quæ primò ſtatim uſu conſumuntur. 460.44
Chriſtiani non prohibentur operas ſuas locare Judæis, dummodo Judæi non ſint aſſiduè præſentes. 165. 12
Chriſtiani prohibentur deferre ad Saracenos arma ſub pœna excommunicationis, ut etiam eorum naves regere. 170. 1. & ſeq.
Chriſtiani, in quibus caſibus prohibeantur cum Judæis communicare. 173. 1. & communicantes in prædictis graviter peccant, niſi ex levitate materiæ excuſentur. ibid. 2
Chriſtiani ob aliquas cauſas excuſantur à culpa, ſi cum Judæis converſentur. 173. 3
Chriſtiani, an teneantur promiſſas uſuras ſolvère Judæis. 175. 12
Chriſtiani, cur prohibeantur communicare cum Judæis, & Saracenis. 160. 1. & ſeq.
Chriſtiani nequeunt eſſe ſervi Judæorum. 162. 3 Prohibentur etiam Judæis inſervire 192. 3
Chriſtiani prohibentur in eadem domo cum Judæis manere. ibid.
Chriſtiani poſſunt habere Judæos ſervos, licèt non debeant cum Judæis immorari. 163. 10
Chriſtiani prohibentur cibos ſumere cum Judæis, tamerſi Judæi abſque ciborum delectu velint cum Chriſtianis comedere. 163. 12
Chriſtiani prohibentur Judæos Medicos adhibere in ſuis infirmitatibus 164. 14. Idque procedit etiam de Saracenis, aliiſque Paganis. ibid. 15
Chriſtiani ſunt oves Dominici gregis, & ubique locorum tenentur audire voces ſummi Paſtoris, ſeu Romani Pontificis leges pertinentes ad animarum ſalutem. 333. 9
Chriſtiani poſſunt ſibi uſurpare bona à Turcis poſſeſſa, quæ olim pertinebant ad Chriſtianos. 422. 48
Chriſtianis non eſt licitum filios Judæorum enutrire. 164. 18
Chriſtianis qualis familiaritas ſit interdicta cum Judæis. 165. 20
Chriſtianis non eſt interdictum ad modicum tempus colloquia miſcere cum Judæis, & mutuos contractus venditionis, & emptionis inire. 173. 4
Chriſtianis an licitum ſit ea vendere Judæis, quibus ad Judaicas cæremonias peragendas ſolent abuti. 174. 5
Chriſtianos cognoſcens carnaliter Judæam, vel aliam fœminam infidelem gravius peccat. 361. 12
Circumſtantiæ quomodo attendendæ in pœnitentia injungenda homicidæ. 325. 55
Clauſula, quâ dicitur: in cauſis fidei decidendis eſſe procedendum ſummariè, quid ſignificet. 36. 42
Clerici prohibentur criminaliter accuſare laicos. 10. 2
Clerici quamvis idonei ad prædicandum evangelium, debent nihilominus ad id munus obeundum obtinere priùs facultatem à ſuis ſuperioribus. 164. 16
Clerici minoribus tantùm initiati ordinibus poſſunt renuntiare ſtatui clericali. 251 3
Clerici prohibentur in bello fungi officio militis, vel ducis. 311. 7
Clerici pugnantes in bello defenſivo juſto, neceſſario, & inevitabili, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ non incurrunt irregularitatem. 312. 10
Clerici falſificantes litteras apoſtolicas incurrunt plures pænas; non ita ſi falſificent literas Imperatoris, vel Regis. 487. 7
Clerici in ſacris conſtituti inconſulto ſummo Pontifice non non poſſunt exercitui præeſſe. 523 4
Clerici poſſunt Principes hortari ad ſuſcipiendum bellum contra infideles. 523. 5
Clerici ſolo jure eccleſiaſtico prohibentur pugnare in bello. 526. 7. Et pugnantes peccant mortaliter. ibid. 8
Clerici, & Monachi in ſacris Ordinibus conſtituti ex licentia ſummi Pontificis poſſunt militiam exercere, milites ducere, tormenta bellica dirigere, & ſuis manibus immediatè pugnare. 526. 10
Clerici, & Mònachi pugnantes in bello non fiunt irregulares. ibid. 12
Clerici depoſiti, excommunicati, quomodo puniantur ſi miniſtrent, & exerceant actum Ordinis, vel officii ſibi prohibiti. 538. 1. & ſeq.
Clerici non deponuntur ab eccleſia in perpetuum, ſed tantùm ad tempus. ibid. 3
Clerici ſuſpenſi, interdicti, excommunicati, ſi celebrent divina òfficia, perpetuò deponuntur ab officio, & beneficio. 540. 9
Clerici plures excommunicati, vel interdicti, ſi præſumant divina officia celebrare, deponuntur ab officio ſacerdotali in perpetuum, ſi non excedant numerum quadragenarium. 540. 10
Clerici excommunicati ſi præſumpſerint ſacra celebrare, præter alias pœnas privantur etiam omnibus beneficiis, & Epiſcopus poteſt eos in perpetuum deponere. 541. 18
Clerici ſuſpenſi, vel excommunicati ſi per ignorantiam celebrent non incurrunt irregularitatem. 545. 1
Clerici celebrantes in loco interdicto privantur ſuis beneficiis. 548. 18
Clerici ob uſuram excludendi ſunt à beneficiis eccleſiaſticis. 576. 9
Clerici publicè ſe gloriantes de gravibus criminibus, quomodo ob exceſſum puniendi. 582. 15
Clerici nomine in favorabilibus intelliguntur etiam religioſi, Novitii, converſi. 582. 5

Clericis prohibitum eſt alios percutere; adeo ut Prælati eccleſiaſtici nequeant licitè alios percutere. 522.1

Clericis, & Monachis an jure naturali illicitum ſit pugnare. 523. 6

Clericis excommunicatis non poſſunt conferri beneficia eccleſiaſtica. 542.19

Clericis excommunicatis nequeunt beneficia conferri ſive excommunicatio ſit à jure, ſive ab homine. ibid. 21

Clerico excommunicato non poteſt conferri penſio ex beneficio eccleſiaſtico. 543. 25

Clerico abſoluto ab excomunicatione validè confertur beneficium. 544. 29

Clerico excommunicato licèt incapaci beneficii, ſi hoc ei conferatur, quamvis collatio ſit nulla, poteſt tamen obtenta abſolutione cum ipſo diſpenſari. 546. 8

Clerico per ſaltum ordinato injongitur pœnitentia, ut ei conferatur ordo omiſſus. 550. 3

Clericorum nomine in pœnalibus intelliguntur in ſacris conſtituti. 548.14

Clericus ob hæreſim degradatur; & per degradationem privatur omni officio, & beneficio. 225. 6

Clericus ſcribens proceſſum in cauſa ſanguinis, an excuſetur ab incurrenda irregularitate. 320. 33

Clericus ſola neceſſitate adactus ad pugnam, quam declinare non poteſt, non incurrit pœnam ſuſpenſionis. 334. 17

Clericus ut puniatur tanquam adulter debet eſſe omnino convictus. 352. 14

Clericus ſi ſit uxorius fornicator deponitur ab officio, & beneficio. 361. 9

Clericus percutiens alium etiam Laicum incurrit pœnam ſuſpenſionis. 523. 3. Idq; ſi ſemel tantùm percuſſerit alium enormiter, & lethaliter. ibid. 4

Clericus ſtans in pugna ex parte ſe defendentium, an ſit puniendus, licèt neminem percuſſerit. 514. 1

Clericus ex ira graviter percutiens ſe ipſum, an incurrat excommunicationem canonis. 527. 15

Clericus honori ſummi Pontificis detrahens judicis arbitrio puniendus eſt. 531. 9

Clericus ſuſpenſus ab officio, ſi miſſam celebret, non ſolùm incurrit irregularitatem: verùm etiam ſi exerceat alios actus ſacerdotales, vel alterius ordinis inferioris. 539. 8

Clericus quilibet meretur depoſitionem, ſi in excommunicatione, & interdicto divina celebret, & an ad id prævia requiratur admonitio. 540. 12

Clericus dubitans num ſit excommunicatus tenetur ſe abſtinere à divinis miniſtrandis; alioquin incidit in pœnas canonum. 541. 16

Clericus excommunicatus ſi baptizet infantem non adhibita debita materia incurrit irregularitatem. 546. 6

Clericus excommunicatus debet abſolvi in foro exteriori, ut poſſit ei beneficium conferri. 547. 11

Clericus ligatus cenſura incurrit irregularitatem, ſi in minoribus ordinibus miniſtret. 547. 23

Clericus minori excommunicatione irretitus, ſi celebret miſſam non fit irregularis. 549. 21

Clericus irretitus minori excommunicatione, an poſſit eligi, vel eligere. 549. 24

Clericus irretitus minore excommunicatione ſi ignoranter eligatur ad beneficium eccleſiaſticum electio non eſt irritanda. 550. 26

Clericus non ordinatus miniſtrans quales pœnas incurrat. 555. 1. & ſeq.

Clericus miniſtrans in pertinentibus ad ordinem, quem nondum percepit eſt deponendus, & non amplius ordinandus. 553. 9

Clericus miniſtrans in ordine, ad quem nondum fuit promotus fit irregularis. 554. 19

Clericus miniſtrans ſolemniter in ordine minori, quo caret, an fiat irregularis. 558. 21. & quis poſſit in hac irregularitate diſpenſare. 559. 22.

Clericus per ſaltum ordinatus quales pœnas incurrat. 560. 1

Clericus per ſaltum ordinatus ſuſpenditur. ibid. 3

Clericus ordinatus per ſaltum an incurrat irregularitatem. 561. 6. & ſeq.

Clericus quomodo dicatur furtivè ordinem ſuſcipere. 567. 1

Clericus furtivè ſuſcipiens ordines fit irregularis. 567. 2. Neque Epiſcopus poteſt cum ipſo diſpenſare. 568. 5

Clericus furtivè ſuſcipiens ordinem, probabiliter non incurrit irregularitatem, ſed tantùm ſuſpenſionem ab executione ordinis ſuſcepti. ibid. 7

Clericus furtivè ſuſcipiens ordinem eccleſiaſticum duas contrahit pœnas, excommunicationem, & ſuſpenſionem ab ordinibus omnibus quoad uſum. 568. 8

Collatio beneficii facta clerico antequam excommunicetur eſt valida. 544. 27

Colludentes quali pœna jure canonico puniantur. 509. 3

Colludentes in cauſis beneficialibus conſtituentes per colluſionem beneficium cenſuale, ſeu illud penſioni ſubjiciendo privantur ſuo beneficio. 509. 4

Colluſio quid ſit; & quomodo detegenda? 507. 1

Commodatarius, ſi utatur re commodata ad alium uſum, inſcio, & invito Domino rei commodatæ, tenetur actione furti. 391. 5. Ut etiam qui rem alienam jacentem in loco publico reperit, & ſurripit animo eam ſibi retinendi. 391. 6

Compenſatio adulterii cum adulterio inter conjuges, quomodo procedat. 354. 29

Cumpurgatores qui dicantur, & quales eſſe debeant. 674. 1. & ſeq.

Compurgatores debent eſſe perſonæ honeſtæ, ac plures alias habere conditiones. 675. 7. & ſeq.

Concionatores publicè monentes Miniſtros, & Judices ut ſervent leges, & juſtitiam exerceant non fiunt irregulares. 302. 28

Concubinarii ſi poſt trinam monitionem non emendantur anathemate percutiuntur. 361. 11

Con-

Condictio furtiva certi, & incerti, quæ? & quibus competat 396. 16. & ſeq.
Confeſſio facta laico, vel non ſacerdoti, etiam urgente vitæ periculo non eſt ſacramentalis. 539. 5
Confeſſio publica peccatorum eſt licita. 759. 6
Confeſſio extra jus facta, quamvis præjudicet, nemo temen ſine accuſatore damnetur. 583. 16
Confeſſio ſacramentelis ex præcepto eccleſiæ obligat ſaltem ſemel in enno: & ex præcepto divino in mortis erticulo. 742. 23. Obligat etiam in pluribus aliis caſibus. 742. 24
Confeſſio ſecramentalis, ut ritè fiat, plure exigit, quæ explicantur. 743. 1. & ſeq.
Confeſſio dicentium ſe non poſſe abſtinere à peccatis, an admittenda. 750. 6
Confeſſio publica num poſſit aliquando obligare. 770. 19
Confeſſionem revelantis pœna quæ? 747. 29
Confiteri tenetur conſtitutus in vitæ diſcrimine. 770. 22
Conſilium nudum ſuapte netura poteua eſt determinere alterum ad delinquendum. 57. 11
Conſuetudo in Monaſteriis Monialium obtinuit, ut hodie puellæ non recipiantur niſi dotem exhibeant. 74. 31 Non tamen Monaſterium poteſt plus exigere, quàm ed commodum unius puellæ in tali ſtetu ſuſtentationem requiratur. ibid. 31. Poteſt tamen recipi, quod fuerit ſine taxatione gratis oblatum. 76. 38
Conſuetudo non eſt titulus ſufficienter excuſans acceptionem, vel traditionem rei temporalis pro Spirituali per modum pretii. 115. 15
Conſulens homicidium injuſtum antequam committatur fit irregularis, ſi homicidium poſtea ſequatur. 297. 35
Contractus aſſecurationis, in quo mutuans ſuſcipit in ſe periculum rei mutuatæ in foro externo præſumitur uſurarius. 443. 12
Contractus aſſecurationis, ut ſit licitus, plura requiruntur. 443. 14
Contractus quando ſit cenſualis, vel emphyteuticus, quomodo cognuſcatur. 456. 8
Contractus cenſualis realis ſive perpetuus, ſive temporalis, ſive vitalitius, ſive redimibilis, ſi conſtituetur per emptionem, & venditionem juſtus eſt, & licitus. 457. 11. Requiruntur tamen plures conditiones, quæ explicantur. ibid. 12. & ſeq.
Contractus cenſualis ut ſit juſtus Jure Canonico aliquot requiruntur conditiones. 457. 17. & ſeq.
Contractus liciti, & illiciti, quibus eſt annexum delictum quomodo differant. 463. 11
Contractus uſurarius etiam bone fide initus non cedit in commodum contrahentis, niſi prouc contractus fuerit juſtè, ac licitè initus. 473. 4
Contractus quo quis vendit ſuum fundum, vel prædium cum conditione reſervandi ſibi fructus annuales, donec ipſi ſolvatur pretium non eſt uſurarius, ſed licitus. 478. 87
Contritio perfecta, & imperfecta. 737. 18
Correctio fraterna an debeat neceſſariò præcedere accuſationem. 8. 14
Correctio fraterna quæ, & quomodo obliget. 25. 6
Creditor non habet jus in debitorem niſi juxta menſuram bonorum, quæ actu poſſidet 288. 20
Crimen publicum puniri ed publicam pertinet utilitatem. 9. 1. Non ite ſi privatum ſit. ibid.
Crimen probatum per viam inquiſitionis quomodo puniendum. 23. 36
Crimen poteſt tripliciter opponi, denuntiando, excipiendo, eccuſendo. 17. 21
Crimen publicum poteſt à quolibet accuſari. 38. 51 Non ita privatum. ibid.
Crimen falſi quid, & quibus modis Reſcripta felſentur. 481. 1
Crimen falſi eſt veritatis immutatio cum dolo. ibid. 3
Crimen falſi pluribus modis committi poteſt. 473. 18
Crimen falſi quomodo committatur circa teſtes. 493. 21
Crimen per abſolutionem ſopitur, non perimitur. 508. 10
Crimina ſemel eudita, etiam ſi deinde accuſator deſiſtat, adhuc à Judice puniri debent. 509 1
Crimina per colluſionem abſoluta poſſunt à Judice iterum exeminari. ibid. 2
Crimine felſi tenentur adulteratores monetæ. 488. 16
Criminatio Prælati quomodo tractanda. 33. 24
Criminoſi ut viles, & infames excluduntur ab accuſatione judiciaria. 12. 17
Colpa lata non æquivalet dolo in delictis tendentibus principaliter ed vindictam. 58. 16
Culpa Theologica, & Juridica, quomodo differant? 692. 13

D.

DAmnatus per ſententiam Judicis incurrit irregularitatem. 45. 18
Damnatus per ſententiam Judicis, eò quia felſum condiderit teſtamentum, fit irregularis. 493. 22
Damni injuriâ dati effectus proximus, & remotus. 692. 18
Damnum emergens quando dicatur contingere. 437. 1. Eſt duplex. ibid.
Damnum injuriâ datum quomodo compenſendum. 690. 1. Jure civili vindicetur lege Aquilia. 691. 4
Damnum injuriê datum ex colpa Theologica trahit obligationem ſolvendi æſtimationem damni dati. 693. 16
Debitor non tenetur quamvis moroſus compenſare damnum emergens, ſi non præceſſerit pactum de ſolvendo intereſſe. 438. 10
Degradatio verbalis, & realis. 716. 30 Degradatio realis ſeu actualis quomodo fiat. 717. 31
Degradationis pœna non incurritur à Clerico niſi ob incorrigibilitatem. 717. 36
Delicta puerorum quæ? & quomodo puniantur. 510. 1
Delicti cauſa phyſica, & Moralis quid. 56 9 Delictis obnoxii ſunt, quotquot poſſunt delinquere. 56. 9.
Delicti ſubjectum eſt, qui delicto læditur, eſtque Angelus, vel homo. 57. 12. Delicto lædi is tentùm

rùm poteſt, qui doli eſt capax; imò etiam incapax, ot infans, ebrius, furioſus. ibid. 13
Delicti objecta ſunt omnia illa bona, in quibus per delicta qois punitur. 58. 14
Delicti forma propriè conſiſtit in libera, & ſenſibili transgreſſione legis divinæ, vel humanæ. 58. 16
Delicto uno interdum læditur quis in pluribus bonis. 58. 15
Delictum quodlibet eſt materia Evangelicæ denunciationis. 25. 11
Delictum eſt ſactum illicitum, quod lege meretur pœnam 55. 1. Vel libera, & exteriùs ſenſibilis transgeſſio legis divinæ, vel humanæ. ibid. Dividitur delictum multipliciter, in proprium, & improprium: privatum & publicum: nominatum, & innominatum: nototium, & occoltum: exceptum & non exceptum: grave, & leve. 56. 2. & ſeq.
Delictum æſtimatur ex animo delinquentis. 57. 13
Delictum ut committatur, exigit plura, quæ recenſentor; & explicantor. 58. 16
Delinquentes generatim poſſunt accoſari de qolbuscunqoe delictis absqoe ollo ſexûs diſcrimine. 12. 1
Denunciatio generatim ſompta quæ: & cui facienda. 24. 1. Denunciatio eſt triplex Charitativa, Judicialis, & Canonica. ibid.
Denunciatio judicialis bipartitor in publicam, & privatam. ibid. 2. Denunciatio Canonica dicitor à ſacris Canonibus, & etiam bipartitur in poblicam, & privatam. ibid. 3
Denunciatio propriè ſumpta differt ab accuſatione ratione finis, modi procedendi. 25. 4
Denunciatio fieri poteſt per Procuratorem non ita accuſatio. 27. 19
Denunciatio judicialis per quid differat à charitativa, & Canonica. 38. 52. & ſeq.
Denunciatio ſive juſta, ſive injuſta novi operis impedit ædificationem operis jam inchoati. 494. 26
Denoncians Prælatum ſuum ſi deficiat à probatione ſuſpenditur à beneficio, & officio. 46. 22
Denonciatus de aliquo crimine pendente denunciatione non poteſt promoveri ad honorem, vel dignitatem, donec canonicè ſe purget. 16. 3
Denunciaturos denunciatione Evangelica tenetur ſecretam præmittere monitionem. 37. 44
Depoſitarius habet actionem furti, ſi ipſius culpa lata res ſublata fuerit. 394. 5
Depoſitio Clerici eſt doplex, verbalis tantum; & verbalis ac realis ſimul. 538. 2
Depoſitio ſubinde fit ab officio, interdum ab officio, & beneficio. 539. 4
Depoſitus ab ordine privatur uſu ordinis, non verò ipſo ordine. ibid. 3
Depoſitus perpetuò ab ordinibos, & gradibus eccleſiaſticis ob patratum crimen ſi auſu temerario celebret, vel exerceat actum ordinis, vel officii, à quo eſt depoſitus, & in eo miniſtret, anathemate percutitur. 539. 6
Diaconus ſolemniter baptizans ſine delegatione ſibi facta incurrit irregularitatem. 555. 1
Diſpenſare poteſt Epiſcopus ſuper irregularitate orta ex mutilatione voluntariâ illicita, & occulta. 322. 44
Diſpenſare ſuper pœna privationis beneficiorum pertinet ad Papam. 730. 24. Poteſt tamen Epiſcopus revalidare titulum beneficii illud de novo conferendo in caſu, quo proviſio fuit nulla. ibid. 25
Diſpenſatio quoad pœnas Simoniæ, Ordinis, beneficiorum, & ingreſſus in religionem. 327. 3
Diſpenſatio probari poteſt per teſtes. 242. 3
Diſpenſatio in jure ordinariè competit ſummo Pontifici. 321. 43
Diſpenſationes in votis, & juramentis ſunt actus ſpirituales. 78. 14. Et non eſt licitum aliquid temporale pro iiſdem accipere. ibid. Excipiuntur tamen diſpenſationes ſuper impedimentis matrimonii ex ſtylo Curiæ Romanæ, idque ex pluribus cauſis. ibid. 16
Diſpenſationes pœnarum, qoæ in jure ſtatuuntur contra Simoniacos. 127. 1
Divinatio ex ſomniis an licita ſit, & ex quibus cauſis poſſint ſomnia contingere. 502. 12
Divinatio, & vana obſervatio quomodo differant? 503. 19
Divinatio eſt occultorum ſignificatio ex pacto cum Dæmone. ibid.
Dœmones poſſunt celerrimè movere corpora animalium, & hominum de loco ad locum. 505. 32
Dœmones poſſunt curare morbos, qui remediis naturalibus curari poſſunt. 506. 33
Dolo an æquivaleat in delictis colpa lata. 58. 17
Dolus quando expreſsè requiritur ad incorrendam pœnam, lata culpa non ſufficit. 362. 18
Dubius poſitivè in fide, ſi voluntariè dubitet, eſt hæreticus. 187. 11. 223. 1
Dubitans voluntariè, ſeu deliberatè ac peccaminosè de rebus ſidei ſufficienter propoſitis cenſendus eſt hæreticus. 236. 56
Dubium in fide poſitivum, & negativum: & quis dicatur dubius poſitivè. 187. 10
Duella non poſſunt permitti à Principibus Chriſtianis in ſuis terris, neque inter Chriſtianom, & infidelem. 335. 2
Duella poſſunt à Pontifice prohiberi Judæis commorantibus in temporali ſtatu Eccleſiæ. ibid. 2.
Duellantes ſi vulnerati ſupervixerint uno, vel altero die, & ſacramentaliter confeſſi, & abſoluti à cenſuris deceſſerint in propria domo, non privantur eccleſiaſtica ſepultura. 330. 21
Duellica pugna Clericis potiſſimum eſt interdicta. 332. 7
Duellicæ actiones, quæ ſub pœna excommunicationis prohibentur. 335. 4
Duellicam pugnam non committentes, quamvis ad illam ſe provocaverint, & ad locum pugnæ acceſſerint, non incurrunt pœnas contra duellantes. 337. 22
Duellicam pugnam conſulentes, ſuadentes, juvantes incurrunt pœnas contra duellantes, quamvis provocati non deſcenderint ad ſingulare certamen. 337. 23. Duello tamen cooperantes non excommunicantor abſolutè, ſed tantùm conditionatè; & quo tempore pœnas incurrant. ibid. 25

Con-

Conſilium tamen dantes ad duellicam pugnam ſi poſtea illud retractent, & diſſuadeant duellum, non incurrunt pœnas contra cooperantes duello. 338. 26. Provocatus tamen ad duellum ſi armatus ſe conſerat ad locum pugnæ ea intentione, ut tantùm ſe defendat, ac proprium tueatur honorem, incurrit excommunicationem. 338. 27

Duellum quid ſit, à quo ſuam hauriat nomenclationem, & cur Jure Canonico prohibitum. 331. 1. & ſeq.

Duellum antehac ſuſcipiebatur ad veritatem eruendam, vel litem dirimendam, & quomodo. 332. 3 hujuſmodi duellum eſt lege divina prohibitum. ibid. 4

Duellum ad corporis vires oſtentandas, & gloriam inde captandam eſt illicitum, & jure divino prohibitum. 332. 6

Duellum non eſt ita intrinſecè malum, ut pro bono publico non poſſit cohoneſtari, ac licitum eſſe. 338. 28. Sin verò ex ſingulari certamine non impediatur graviſſimum damnum; neque de conſenſu Principis poteſt duellum cohoneſtari, ac licitum eſſe. ibid. 29

Duellum in quibus caſibus poſſit licitum eſſe. 339. 31

E.

Ecleſia directè judicat de ſolis externis. 192. 4

Eccleſia non fovet delicta, ſed protegit reſipiſcentes. 417. 24

Eccleſiæ regimen committi non poteſt Sacerdotibus ſub annuo cenſu. 148. 2

Eccleſiæ prælaturæ non debent pretio dari, nec fieri cenſuales. ibid.

Eccleſiæ ineſt poteſtas ſpiritualis coërciva. 795. 14

Eccleſiarum unio ex quibus cauſis fieri debeat. 587. 24

Effectus accuſationis plures ſunt, & recenſentur. 10. 1 & ſeq.

ElectioSimoniacè facta mediante pretio temporali eſt tantùm jure eccleſiaſtico irrita. 95. 2

Electio Simoniacè facta eſt ipſo jure irrita, quamvis facta fuerit inculpabiliter ignorante electo. 93. 5

Electio poteſt eſſe Simoniaca quamvis electus ratione ignorantiæ non ſit Simoniacus. 95. 6

Electio Simoniacè facta etiam ignorante electo nullius eſt valoris, quamvis Simonia fuerit occulta. 96. 9

Electio Simoniacè facta eſt ipſo jure irrita, quamvis Simonia fuerit tantùm conventionalis. ibid. 10

Electio quoad ſubſtantiam nequit ſubjici humano contractui. 97. 23

Electio indigni; vel minus digni impediri poteſt per exhibitionem pecuniæ. 98. 20

Electio per ſortes ad beneficia eccleſiaſtica non eſt jure irrita, ſed poteſt irritari. 500. 20

Electores paciſcendo committunt Simoniam. 97. 12

Electori volenti eligere indignum, vel minus dignum an liceat exhibere pecunias, ne talem eligat. 98. 20

Emptor tenetur reſtituere beneficium quod Simoniacè acquiſivit. 129. 17

Epiſcopi in Germania ſolent in foro conſcientiæ abſolvere Lutheranos, & alios hæreticos volentes Catholicam fidem ſuſcipere. 196 13

Epiſcopi in pœnalibus non accenſentur cæteris Clericis, niſi de ipſis fiat expreſſa mentio. 487. 10

Epiſcopi non per ſe, ſed per alios poſſunt Clericos Initiatos ſacris ordinibus pro gravioribus criminibus verberibus excipere. 522. 1

Epiſcopi in ordinandis Clericis intendunt non ordinare non examinatos, & non approbatos. 569. 2

Epiſcopi in puniendis delictis Clericorum non tenentur requirere conſenſum Capituli. 575. 3

Epiſcopi nequeunt alios inferiores Presbyteros privare ſuis eccleſiis, juribus, vel reditibus. 575. 4

Epiſcopi, & alii Prælati non poſſunt eccleſias, vel beneficia conferre indignis. 576. 6

Epiſcopi in locis ſuæ juriſdictionis debent conſtituere Judices Laicos, qui in cauſis criminalibus jus dicant. 577. 14

Epiſcopi, & alii Prælati nequeunt compellere ſacerdotes ſibi ſubditos ad revelandum peccatorem, vel peccatum auditum in confeſſione. 578. 16. Imò neque Pontifex. ibid. 17

Epiſcopi ſine conſenſu Papæ non poſſunt unire plures Epiſcopatus. 578. 19

Epiſcopi non poſſunt gravamina inferre Religioſis. 579. 24

Epiſcopi an poſſint punire Regulares ſi ſibi uſurpent jura Epiſcopalia. 587. 20 Epiſcopi pleriſque in caſibus habent nonnunquam juriſdictionem delegatam in exemptos. 638. 13

Epiſcopi ob rationabilem cauſam poſſunt in aliena civitate uti privilegio altaris viatici. 647. 22

Epiſcopi an poſſint facultatem concedere ſimplici ſacerdoti celebrandi in altare portatili. ibid. 27

Epiſcopatuum diviſio cauſat tumultum in populo. Neque Epiſcopus ſine conſenſu ſummi Pontificis poteſt ſuum Epiſcopatum dividere aut unire cum alio. 586. 19

Epiſcopo inconſulto non debent regulares ingredi poſſeſſionem eccleſiarum exiſtentium in ſua diœceſi. 638. 16 Epiſcopus examinat gratiam indultam à Pontifice Regularibus. 639. 17

Epiſcopus pro conſecratione poteſt exigere remunerationem moderatam juxta facultates eccleſiæ conſecrandæ. 51. 9

Epiſcopus poteſt diſpenſare in Simonia ignoranter incurſa, ſi beneficiarius ſponte renuntiet beneficio. 128. 8

Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum Simoniacè electo, ſi condemnatus ſit per ſententiam. 128. 12

Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum eo, qui ſcienter Simoniacè acquiſivit beneficium. 129. 17

Epiſcopus committit Simoniam ſi Vicarium eo pacto conſtituat, ut minus ſtipendium accipiat, quàm aliàs illi debetur. 148. 7

Epiſcopus poteſt imponere omnibus eccleſiis, & beneficiatis ſuæ diœceſis charitativum ſubſi-

dium pro ſuis neceſſitatibus. 151. 13
Epiſcopus poteſt diſpenſare ſuper irregularitate orta ex mutilatione voluntaria illicita, & occulta. 322. 44. Et quid diceodum de irregolaritate orta ex homicidio occulto. ibid. 46
Epiſcopus an poſſit diſpenſare in irregularitate orta ex defecto perfectæ lenitatis. 322. 48
Epiſcopus etiam ad lites extiogueodas noo poteſt penſiooes imponere ſuper beneficio, quæ transeant ad ſucceſſores. 509. 3
Epiſcopus ſi jubeat alium crudeliter fuſtigari, ſuſpenditur duobus menſibus ab ordine. 521. 5 Quod ſi occaſinnem dediſſet morti perpetuam incurrit irregularitatem. 521. 6
Epiſcopus in pœna depoſitioois imponenda Clerico per judicem poteſt diſpenſare, dummodo Clericus paratus ſit reſipiſcere, ſeque corrigere. 540. 10
Epiſcopus poteſt diſpenſare cum excommuoicato celebrando divina officia citra pœnam ei imponeodam ab homine. 541. 18
Epiſcopus ſuſpenſus tantùm à Pontificalibus ſi miſſam celebret non incurrit irregularitatem. 546. 7
Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum promoto per ſaltum, ſi abſque diſpenſatione recipiat ordinem prætermiſſum; non ſolùm ut mioiſtret io ſuſcsptis ordioibus, verùm etiam ne ad ſuperiores aſcendat. 565. 16
Epiſcopus noo poteſt diſpenſare cum promoto per ſaltum, ut aſcendar ad ſuperiores ordines antequam inferiorem prætermiſſum recipiat. 565. 17. Sed tantùm ut poſt peractam pœnitentiam recipiat ordinem prætermiſſum. ib. 18
Epiſcopus an poſſit diſpeoſare ex juſta cauſa cum promoto per ſaltum, ſi non miniſtraverit in ordine ſuſcepto. 565. 19
Epiſcopus poteſt uoire ecelefias ſuæ diœceſis privativè ad inferiores Prælatos. 578. 20
Epiſcopus non poteſt unire plores eccleſias, ſi per talem uoionem minuatur cultus divinus, vel reditus, qui ſufficereot pluribus eccleſiis. 578. 21
Epiſcopus eſt, ac dici debet Dominus Clericorum. 581. 7
Epiſcopus cum ſuo Capitulo conſtituit unum corpus. 581. 9
Epiſcopus ex juſta cauſa accedente conſeoſu Capituli poteſt eximere aliquam eccleſiam à ſua juriſdictione. 936. 4
Epiſcopus interdum procedit, ut delegatus Sedis Apoſtolicæ. 638. 15
Epiſcopus poteſt indicere canonicam purgationem etiam Regularibus, & Sanctimonialibus. 699. 11
Epiſcopus poteſt punire Clericos pœna pecuniaria, ſi hæc magis timeatur. 722. 2
Epiſcopus ex delegatione Papæ poteſt concedere indulgentias plenarias. 757. 10
Errare quomodo cenſeatur is, qui alios ab errore non revocat, cum poſſit. 191. 14
Errores Græcorum, Armenorum, ac aliorum Orientalium non parentium Romano Pootifici. 245. 12
Euchariſtia miniſtrari poteſt pueris ante pubertatem. 742. 21
Exceſſus ſubditorum in ſuos Prælatos receoſeotur, & expeoduntur. 580. 1
Excipiens de crimioe ante confirmationem electi non ſe inſcribit, bene tamen poſt confirmationem. 28. 24
Excommunicari poſſunt omnes, & ſoli homines viatores baptizati, rationis, & doli capaces. 801. 11
Excommunicatio quid, & quotuplex, & qua forma fereoda. 796. 1. & ſeq.
Excommunicatio minor, & major per quid differant. 797. 11 & ſeq.
Excommunicatio lata à jure, & homioe. 798. 17
Excommunicatio fereoda eſt per modum medicinæ. 798. 19
Excommuoicatio per modum legis poteſt ferri pro delictis futuris vitandis. 800. 7
Excommunicatio à jure, à quibus abſolvi poſſit. ibid. 8
Excommunicatio lata ab Epiſcopo non ligat peregrinos. 801. 13
Excommunicatio ferri poteſt ob quodvis peccatum mortale. 802. 18
Excommunicatio major non fertur ob peccatum veniale. ibid. 19
Excommunicatio quomodo ſit injuſta, & invalida, & qualis ignorantia, & metus excoſet ab illa incurrenda. 811. 1 & ſeq.
Excommunicatio lata juxta allegata, & probata valida eſt quoad forum externum, licèt à parte rei ſit injuſta. 812. 6
Excommunicatio plerumque non incurritur ob metum. 813. 11
Excommuoicatio ceſſat ceſſante cauſa, qua quis illigabatur. 817. 1 & ſeq.
Excommuoicatio lata à jure non expreſſè reſervata abſolvitur ab habeote juriſdictiooem quaſi Epiſcopalem. 821. 6
Excommunicatio lata ab homine abſolvitur ab eo, qui eam tulit. ibid. 8
Excommuoicatiooem non incurrit Prælatus eccleſiaſticus, ſi per Laicos capiat Clericos delinquentes, quos detrudat in carcerem. 851. 1
Excommunicationis cauſæ explicantur. 200. 1
Excommunicationis ferendæ cauſa debet eſſe aliqua culpa. 802. 16
Excommunicationis minoris, & majoris effectos expenduntur. 803. 1 & ſeq.
Excommunicationis cooditiooes præcedentes, concomitantes, & ſubſequentes. 806. 1. & ſeq.
Excommonicationis abſolutio quomodo fiat. 820. 1. & ſeq.
Excommunicationes plores latæ in jure recenſentur. 824. 1. & ſeq.
Excommuoicatiooes aliæ plures comprehenſæ in iure recenſentor. 833. 1 & ſeq.
Excommunicatus in uno loco, eſt vitandus in omni alio loco. 378. 21
Excommunicatus abſolutus tantùm in foro conſcientiæ debet non communicare cum fidelibus. 547. 12
Excommunicatus contritus, quomodo gaudeat Con-

ſuffragiis particularibus fidelium. 819. 8

Excommunicatus imminente mortis periculo poteſt abſolvi à quolibet ſacerdote ad reincidentiam. 823. 18

Exempti à juriſdictione Epiſcopi, qui dicantur. 636. 1 & ſeq.

Exempti alii dicuntur nullius eſſe Diœceſis, & alii in Diœceſi. 636. 2

Exempti à juriſdictione Epiſcopi an poſſint aliquando coram eodem conveniri. 641. 28

Exempti à juriſdictione Ordinarii, ſi ab eodem citentur ad oſtendendum privilegium non tenentur comparere. 637. 7

Exemptio conceſſa monaſterio non ſecum trahit exemptionem capellæ. 639. 20

Exemptio conceſſa Clericis comprehendit etiam Canonicos, non ita conceſſa Canonicis comprehendit Clericos. 642. 26

Exilii pœna quæ, & quotuplex, & quomodo dividatur in deportationem, & relegationem. 721. 16

Exilii tempus poteſt multipliciter inſtitui. 722. 18

Expilatores, & Graſſatores jure civili diverſimodè puniuntur. 377. 14

Expoſitio meritorum apud collatorem beneficii non eſt cauſa proxima collationis beneficii. 67. 11

F.

FAlſarii litterarum Apoſtolicarum, ſi ſint ſæculares notantur infamia. 483. 11. Si ſint Clerici deponuntur. ibid. Id tamen limitatur multipliciter. 483. 12. & ſeq.

Falſarii literarum Apoſtolicarum quamvis occulti incurrunt pœnas jure inflictas. 487. 10. Non ita pœnas infligendas à Judice. ibid.

Falſarii literarum Apoſtolicarum anathemate percutiuntur in Bulla Cœnæ. 488. 12

Falſatio in reſcriptis pluribus modis cognoſci poteſt. 483. 19. & ſeq.

Falſi crimen qui committit, cauſa cadit in judicio. 492. 6

Falſi crimen committentes, puniuntur mitiùs, vel ſeverius pro modo criminis. 492. 5

Falſi crimen non ſupponitur commiſiſſe, qui teſtis eſſe noluit. ibid. 9

Falſidicus teſtis tribus eſt obnoxius. 492. 6

Falſificantes literas Apoſtolicas, quas pœnas incurrant. 486. 1. & ſeq.

Falſitas generatim eſt veritatis imitatio, vel potiùs immutatio. 481. 1. & quomodo committatur circa perſonas, & circa res. ibid.

Falſitas quadrupliciter committitur. 481. 3

Falſitas ſi deprehendatur in literis apoſtolicis attendenda eſt qualitas perſonæ impetrantis, & quantitas gratiæ impetratæ. 490. 2

Falſitatem in libris apoſtolicis non præſumitur quis commiſiſſe niſi convincatur 490. 2

Falſum non præſumitur, niſi probetur. 490. 2

Fama præcedens inquiſitionem juridicam debet eſſe à viris providis, & honeſtis. 20. 11

Fama bona in genere id ſaltem operatur, ut ſi adſint indicia ad torturam levius reus torqueatur. 21. 18

Fama præcedens inquiſitionem juridicam plura exigit, quæ recenſentur. 20. 11. & ſeq.

Fama requiſita ad inquiſitionem ſpecialem inſtituendam eſt regula, quæ multipliciter limitatur. 21. 18. & ſeq.

Fama per ſe non facit plenam probationem, ſed tantùm ſemiplenam, 21. 28

Famuli an teneantur ad reſtitutionem, ſi non manifeſtent Domino alios famulos ſurripientes res domeſticas. 421. 45

Famulis ægrotantibus quæ alimenta ſunt ab heris ſuppeditanda. 268. 8

Fera ſi incidat in caſſes Petri, & Paulus eam laqueo eximat, pertinet ad Petrum. 413. 3. Et quid ſi fera niteretur ex ſe evadere, & Paulus eam occideret. 414. 5

Fericida quando teneatur ad reſtitutionem. 413. 1

Fericidium ſeu illicita captura animalium quomodo puniatur. 410. 36

Fideles habent jus divinitus ſibi conceſſum recipiendi à Miniſtris Eccleſiæ ſacramenta. 130. 6

Filii hæreticorum, eorumque fautores, & defenſores, quomodo puniantur ab Eccleſia. 207. 1

Filii hæreticorum, ſi catholici ſint, cenſentur capaces ſuccedendi ab inteſtato, aut ex teſtamento. ibid. 2

Filii hæreticorum tam legitimi, quàm ſpurii privantur paterna hæreditate. 207. 2. Filiæ etiam privantur dote ſolvenda ex bonis patris hæretici. ibid.

Filii hæreticorum puniuntur privatione beneficiorum. 208. 5

Filii, & Nepotes hæreticorum relapſorum, quamvis hi pœnitentes deceſſerint, ac reſipuerint, adhuc remanent privati beneficiis. 209. 8

Filii hæreticorum non ſunt ipſo jure privati; imò nec per ſententiam privandi ſunt beneficiis jam obtentis ante lapſum eorundem parentum in hæreſim. 209. 9

Filii occidentes Patrem, vel matrem arcentur per annum ab ingreſſu eccleſiæ. 261. 8

Filii expoſiti quorum parentes ignorantur, nutriuntur à pia matre eccleſia. 265. 2

Filii expoſiti cenſendi ſunt legitimi, & mos fuit ut antiquitùs haberentur legitimi. 267. 1

Filii languidi, & bene valentes quomodo differant. 267. 3

Filii expoſiti bona non pertinent ad parentes, nec conſanguineos, qui deſerverunt filium. 268. 7

Filii quale habeant jus in legitimam portionem. 269 11

Filii, & filiæ an habeant æquale jus in legitimam portionem. ibid. 12

Filiis quomodo debita ſint alimenta. 268. 9

Filios qui occidunt ſunt Parricidæ. 260. 1. & quas incurrant pœnas. ibid. 3. & ſeq.

Filius non tenetur credere matri, ſi ei dicat, quòd natus ſit ex adulterio. 372. 47

Fodinæ metallicæ, auri, & argenti, ac gemmarum, & lapillorum ad quem pertineant. 414. 7

Fœmina ſolemniter baptizans nullam incurrit irregularitatem. 557. 16

Fœminæ prægnanti non eſt licitum dare pharmacum ad procurandum aborſum. 162. 1

Fœ-

Fœminæ raptrices marium non puniuntur pœna ordinaria raptûs ; ſed extraordinaria arbitrio judicis. 364. 1

Forma ſervanda in judiciali inquiſitione. 32. 20

Forma quâ Clericus hæreticus degradatur, antequam tradatur Curiæ ſæculari. 225. 10

Fornicatio ſimplex, ſeu concubitus ſoluti cum ſoluta eſt peccatum lethale. 360. 6

Fornicatio ſimplex hodie pleriſque in locis punitur à Magiſtratu pœna arbitraria juxta locorum conſuetudines. 361. 9

Fornicatio clerici etiam cum ſoluta eſt verum ſacrilegium ratione voti caſtitatis annexi ordinibus ſacris. 361. 13

Fornicator notorius ſcandaloſus & incorrigibilis, ſi ſit clericus deponitur ab officio, & beneficio, imò jure eſt ſuſpenſus. 361. 10

Forum externum differt à foro conſcientiæ, quia in illo pœna imponitur, ut reus ſatisfaciat Reipublicæ ; in hoc ut ſatisfaciat Deo. 378. 22

Fructus beneficii ſi ſeparentur à jure eos percipiendi ſunt quid temporale. 101. 1

Fructus Eccleſiæ locari poſſunt ad certum tempus pro certo annuo cenſu. 146. 6

Fructus collati beneficii poſſunt reſervari, vel ex toto, vel ex parte à Pontifice. 151. 14

Fructus ſive ſponte, ſive caſu oriantur, cedunt Domino, ad quem res frugifera pertinet. 420. 39

Fructus re feudali à Vaſallo oppignorata fiunt Domini directi rei feudalis, idque eſt ſpeciale in feudo. Idque procedit etiam de emphyteuſi; id tamen habetur cum aliqua limitatione. 447. 14

Fructus rei oppignoratæ poſſunt jure canonico in pluribus caſibus percipi citra uſuram. 448. 20

Fur manifeſtus quis cenſeatur? 377. 9

Fur tenetur ſtatim ſine mora rem alienam reſtituere vero Domino 392. 12

Fur ut poſſit promoveri ad ordines eccleſiaſticos quinque requiruntur conditiones. 404. 14

Fur ſi in eccleſia furetur non gaudet immunitate eiusdem. 417. 23

Fur tenetur ad reſtitutionem, ſi res furto ablata caſu pereat. 417. 28

Fur non poteſt ſine peccato occultari ob aurum, quod ab ipſo ſperatur. 421. 44

Fur ut poſſit promoveri ad ordines eccleſiaſticos quinque requiruntur conditiones. 404. 14

Fures ſi occidantur in ipſo actu furandi, an ſit orandum pro ipſis. 430 41

Furta rerum, quæ incrementa ſubeunt, quomodo reſtituenda. 317. 21

Furti tenetur, qui alteri furtum ſuaſit. 57. 10

Furti cauſa efficiens phyſica, & moralis. 309. 1. & ſeq.

Furti conſcius tenetur actione furti, ſi furem non manifeſtet. 391. 7

Furti actione non tenetur, qui urgente fame, & extrema neceſſitate eſculenta ſurripit. 391. 10

Furti objecto accenſeri poſſunt res incorporales per ſe primò, & directè. 303. 19

Furti objecto propriè non accenſetur homo liber. 393. 21

Furti effectus proximus, & remotus. 394. 1. & ſeq.

Furti pœnæ criminales recenſentur, & explicantur. 398. 1. & ſeq.

Furti pœnæ jure canonico inſtitutæ. 403. 1

Furtiva condictio certi, & incerti, quibúſnam competat. 396. 15. & ſeq.

Furtivæ condictionis cauſa efficiens proxima, & remota. 305. 12. Subjectum hujus condictionis eſt duplex activum, & paſſivum. ibid. 13

Furto in re obnoxia tria conſiderantur, proprietas, uſus, poſſeſſio. 392. 16

Furtorum varia genera recenſentur, & explicantur. 405. 1. & ſeq.

Furtum quid ſit, & quotuplex. 387. 1. & ſeq. explicatur eius definitio. ibid.

Furtum ex parte rei, quæ ſurripitur multipliciter dicitur. 389. 24. & ſeq.

Furtum conſideratum moraliter, & philoſophicè. 393. 18

Furtum manifeſtum graviùs punitur, quam non manifeſtum. 395. 8

Furtum arborum furtim cæſarum. 409. 29

Furtum an committat creditor, ſi à ſuo debitore rem aliquam ſurripiat. 415. 10

Furtum ut ſit peccatum grave, quam debeat continere quantitatem. 415. 11. & ſequent. Et an poſſit dari caſus, in quo ultima acceptio rei ablatæ comprehendens materiam notabilem non ſit peccatum lethale. 416. 16

Furtum per quid propriè differat à rapina. 420. 41

Furtum reliquiæ patratum in eccleſia quomodo compenſandum. 417. 26. & an in furto reliquiarum detur parvitas materiæ. 418. 27

Furtum unius partis ſi diſcontinuetur à furto alterius cum aliqua voluntatis retractatione eſt multiplex, non ita ſi tantùm ſit quædam interruptio. 418. 31

Furtum, quo quis hominem furatur, quomodo puniendum. 420. 20

G.

GRæci qui Romani Pontificis imperium recuſant, hodie non ſunt porò Schiſmatici, ſed etiam hæretici. 245. 12

Gradus Academici, ut ſunt Licentiatus, Doctoratus, Magiſterium non ſunt materia ſimoniæ. 155. 2

Gradus Licentiatûs, Doctoratûs, & Magiſterii non ſunt quid ſpirituale. ibid.

Graſſator, ut quis jure civili cenſeatur quatuor requiruntur conditiones. 377. 15

Graſſatores, & Expilatores jure civili diverſimodè puniuntur. ibid. 14

Gratitudo, qua aliquid temporale donatur collatori beneficii quomodo excuſet à ſimonia. 139. 24

H.

HAbitûs religioſi temeraria dimiſſio, quæ dicatur. 143. 14

Hæreſim occultam an poſſint Regulares abſolvere virtute ſuorum privilegiorum. 199. 25

Hæreſis quid ſit, & à quo ſuam deſumat nomenclationem 185. 1. & ſeq.

Hæ-

Hæreſis eſſentialiter conſiſtit in interno judicio erroneo intellectus contra fidem. 189. 3
Hæreſis debet eſſe externa, ut obnoxia ſit animadverſioni eccleſiæ. 192. 4
Hæreſi eſt annexa excommunicatio, à qua non abſolvitur quis niſi à ſummo Pontifice. 194. 1
Hæreſis occulta, an poſſit abſolvi ab Epiſcopo etiam extra ſacramentum. 194. 2. & ſeq.
Hæreſis cauſa poteſt à ſolo Epiſcopo cognoſci ſine conſilio Capituli. 211. 2
Hæreſis cauſa ſede vacante Capitulum non per ſe, ſed tantùm per delegatum ſeu Vicarium cognoſcit. 211. 3
Hæreſis nomine non ſolùm intelliguntur propoſitiones hæreticæ, ſed etiam erroneæ, temerariæ, ſcandaloſæ, offenſivæ piarum aurium, & aliæ id genus 215. 2
Hæreſis eſt crimen Reipublicæ Chriſtianæ pernicioſiſſimum. 220. 9. An verò hoc crimen hæreſis ſufficienter probetur per teſtes ſingulares, non eſt ita exploratum. 221
Hæreſis non admittit parvitatem materiæ. 226. 12
Hæreſis præſupponit pertinaciam, ad quam plura requiruntur, ut ſit quis formaliter hæreticus. 230. 30
Hæreſis eſt eſſentialiter error in intellectu, neque judicatur ex puris verbis, ſed ex ſenſu. 235. 54
Hæreſis purè mentalis quæ conſummatur in corde non ſufficit ad contrahendas pœnas ab eccleſia injunctas contra hæreticos. 237. 63. Hæreticus qui tantùm confeſſario conſilii petendi cauſâ aperit internam ſuam hæreſim, non eſt hæreticus exterior, nec incurrit pœnas. ibid. 65
Hæretica propoſitio poteſt multipliciter proferri abſque eo, quòd eam proferens ſit hæreticus. 226. 11
Hæretici non ſolùm incurrunt excommunicationem, ſed etiam privantur beneficiis eccleſiaſticis. 200. 4
Hæretici incurrunt pœnam infamiæ, & privantur eccleſiaſtica ſepultura. 201. 1 & ſeq.
Hæretici corporaliter puniuntur ab Eccleſia. 206. 31
Hæretici ſunt denunciandi Inquiſitoribus ante præviam correptionem. 127. 14.
Hæretico quis dicatur credere, vel favere. 209. 10
Hæretico negativo damnato ad mortem, an debeat pœnitentia miniſtrari. 771. 24
Hæreticorum pœnæ jure Canonico conſtitutæ, quæ? 191. 1 & ſeq.
Hæreticorum libri prohibentur, quamvis plura contineant proba conſilia. 193. 11
Hæreticorum Filii Fautores, Receptores, & Defenſores puniuntur ab Eccleſia. 207. 1 & ſeq.
Hæreticorum Receptores qui dicantur in jure Canonico. 216. 12
Hæreticorum Defenſores, & Fautores qui dicantur, & quales pœnas incurrant. 210. 13. & ſeq.
Hæreticus formalis quis ſit, & quæ requirantur. 185. 3
Hæreticus materialis quomodo differat ab hæretico formali. 186. 8
Hæreticus non eſt qui joco, vel diſputationis cauſâ externam hæreſim profert, cui non aſſentitur. 187. 13
Hæreticus an cenſendus ſit, qui de objecto fidei ſufficienter ſibi propoſito opinatur. 188 1
Hæreticus non eſt, qui ex ignorantia profert propoſitionem hæreticam. 189. 4
Hæreticus & pertinax cenſendus eſt, qui monitus ab Epiſcopo, vel Inquiſitore de ſua propoſitione hæretica adhuc vult eam purgare. 190. 11
Hæreticus formalis. & non tantùm materialis incurrit pœnas inflictas in hæreticos. 192. 7
Hæreticus in articulo mortis poteſt à quolibet confeſſario abſolvi. 195. 8
Hæreticus ante ſententiam declaratoriam non incurrit pœnam incapacitatis. 204. 20
Hæreticus amittit dominium feudale, & alia id genus jura. 205. 25
Hæreticus ſolo actu externo graviter quidem peccat, non tamen incurrit pœnas. 227. 13
Hæreticus quando poſſit quis eſſe, tametſi nunquam fuerit fidelis. 229. 24
Haſtiludia virtutis, & exercitii cauſâ ſine periculo vitæ hodie permittuntur. 327. 2
Homagium præſtare pro obtinendo beneficio eccleſiaſtico Simoniacum eſt. 84. 20
Homagium continet commodum temporale illius, cui præſtatur. ibid. 23
Homicida ſi ſit Laicus Jure Canonico anathemate percutitur, quia Jus Canonicum non punit gladio phyſico. 284. 2. & 3
Homicida injuſtus ſi ſit Clericus deponitur ab ordine, & officio. 284. 4
Homicida voluntarius quamvis occultus jure novo nullo unquam tempore eſt capax ordinum, & beneficiorum eccleſiaſticorum. 285. 6
Homicida qui cum moderamine inculpatæ tutelæ alium occidit, quomodo ſit puniendus, ſi potuit alteri, & ſibi vitam ſervare. 286. 9
Homicida tenetur reſarcire damna etiam illis, qui ex tali homicidio per ſe, & directè læduntur. 288. 18
Homicida an teneatur ad aliquam reſtitutionem, ſi occiſus careat filiis, aliiſque cognatis intra tertium gradum. 289. 27
Homicida, qui prævidit ex ſuo homicidio damnum tertii, an teneatur illud reſarcire. 290. 28
Homicida ſaltem ex charitate tenetur miſſas offerre, & preces fundere pro occiſo. 291 34
Homicida an ſit, qui venenum ſterilitatis dat puellæ, quam corrumpit. 324. 55. Non tamen qui impedit generationem, vel conceptionem, aut aborſum fœtûs nondum animati contrahit irregularitatem. ibid.
Homicidium dicitur cum homo cæditur, & à cæde ſuam deducit nomenclationem. 276. 1
Homicidium in Jure Canonico quantum ad pœnas contrahendas duplex eſt, voluntarium, & caſuale. ibid. 2
Homicidium voluntarium poteſt eſſe illicitum, & licitum. 276. 3
Homicidium caſuale contingit caſu, & præter intentionem agentis. ibid. 4

Homicidium directè voluntarium, & per inſidias commiſſum ſemper eſt illicitum. 277. 7
Homicidium privata authoritate non licet committi. 277. 8 Hanc tamen authoritatem ſolet Princeps interdum concedere omnibus. ibid. 9
Homicidium inculpabile ratione involuntarii. 278. 1
Homicidium inculpabile eſt, quod in pœnam delinquentium fit à Magiſtratu authoritate publica. 279. 7
Homicidium quo quis injuſtum agreſſorem occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, eſt inculpabile. ibid. 10
Homicidium in cauſa voluntarium non caret culpa. 285 8
Homicidium à pluribus patratum, quomodo puniendum? ibid.
Homicidium neceſſarium quale ſit, & an ex eo contrahatur irregularitas. 298. 1
Homicidium caſuale quale, & quomodo incurratur ob illud irregularitas. 304 1
Homicidium caſuale dupliciter poteſt alicui imputari ad culpam. ibid. 2
Homicidium caſuale contingens præter intentionem imputatur occidenti ſi non adhibuit eam diligentiam, quam debuit. 326. 61. Non tamen imputatur ei, qui non fuit in culpa. 326. 62

I.

IGnorantia etiam craſſa excuſat, ne quis delinquat peccato hæreſis. 189. 2
Ignorantia vincibilis an excuſet ab hæreſi. 231. 34 Ignorantia craſſa, & affectata an poſſit cohærere cum hæreſi 232. 39 Ignorantia excludit cognitionem rerum credendarum fide divina. ibid. 40. Ignorantia affectata, ut quis flocci faciat authoritatem eccleſiæ non excuſat ab hæreſi. ibid. 42
Ignorantia culpabilis an excuſet ab hæreſi. 233. 47 Ignorantia affectata proveniens ex tædio. 234. 50
Ignorantia juris, & facti explicatur. 813. 14. Ignorantia vincibilis, & invincibilis. ibid. Ignorantia antecedens, concomitans, & ſubſequens. ibid.
Ignorantia concomitans non poteſt eſſe cauſa cenſuræ. 814. 17
Ignorantia facti excuſans à culpa excuſat generatim à contrahenda excommunicatione. 814. 18
Ignorantia invincibilis cenſuræ excuſat ab ea incurrenda. 817. 30
Ignorantia vincibilis affectata, ſupina, & craſſa. 816. 28. Et num excuſent à cenſura incurrenda. 817. 30
Impediens ne fœtus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, non incurrit irregularitatem. 162. 5
Impedire electionem indigni, vel minùs digni exhibitâ pe uniâ non eſt per ſe malum. 99. 20
Impuberes ſi ſint mares dicuntur à ſeptimo anno completo uſque ad quartum decimum? ſi fœminæ uſque ad duodecimum completum. 511. 5
Ob delicta impuberes puniuntur, ſed mitiùs. ibid.
Impuberes quomodo puniantur, ſi delinquant. 513. 1
Incendiarii non dicuntur, qui caſu, vel etiam ex negligentia, vel incuria domum aliquam incendunt, quamvis iſti teneantur reſarcire damnum illatum. 379. 2
Incendiarii de jure Imperii puniuntur pœna ignis. 380. 4 Moris tamen hodie eſt, ut damnati flammis priùs occidantur. ibid.
Incendiarii Eccleſiarum, vel piorum locorum ſunt ipſo jure excommunicati. 380. 5
Incendiarii jure Canonico privantur eccleſiaſtica ſepultura. ibid. 7
Incendiarii Laici, & Clerici diverſimodè puniuntur. 381. 10
Incendium ſi ex negligentia contigit tenetur, qui fuit negligens damna reſarcire. 380. 3
Incendium licèt contigerit ex culpa levi, vel leviſſima tenetur, qui fuit in culpa ad reſtitutionem damni illati, ſi ex hujuſmodi culpa tenebatur reſtituere. 380 6
Inceſtus eſt concubitus cum conſanguineis, vel affinibus in gradu prohibito. 362. 15
Incitans alium ad homicidium patrandum minùs punitur, quàm ipſe homicida. 325. 58
Indicia ſufficientia ad inquiſitionem quænam ſint. 32. 19. Indicia plena & ſemiplena quæ. ibid.
Indulgentia non remittit culpam niſi concomitanter. 759. 7
Indulgentia ex parte effectus bipartitur in totalem, & partialem. 756. 8
Indulgentiæ definitio expenſa. 755. 2
Indulgentiæ ut ritè concedantur, requiritur juſta cauſa. 757. 12
Indulgentiæ non conceduntur iis, qui non ſunt de gremio eccleſiæ. 7.8. 13
Indulgentiæ effectus eſt tantùm privativus. 760. 10
Indulgentiæ plenariæ duplex cauſa, & ratio moralis. ibid. 13
Indulgentiæ non tollunt ſemper in eadem menſura pœnam temporalem. 761. 18
Indulgentiarum effectus expenduntur. 759. 1. & ſeq.
Indulgentias ut quis lucretur debet implere opera injuncta. 758. 15
Infamatio qualis ſufficiens ſit ad inquirendum. 29. 7. Infamia deficiente non ſunt recipiendæ probationes, ibid. Et quot teſtes requirantur, ut quis cenſeatur infamatus. 20. 7
Infamia ſufficiens ad inquirendum de veritate criminis non oritur, ex ſola criminis denunciatione. 22. 33
Infamia quomodo probetur juridicè. 23. 39
Infamia qualis eſſe debeat, ut infamato indicatur canonica purgatio. 676. 1
Infamiæ juris, & facti duplex diſcrimen. 404 8
Infans nondum ſeptennis ſi alium occidat, eſt immunis à pœna. 278. 5 Quòd ſi nondum ſeptennis nactus eſſet uſum rationis, homicidium daretur ei culpæ, non tamen fieret irregularis. 278. 5
Infantem expoſitum qui enutrivit quales poſſit expenſas repetere. 267 5
Infantes expoſiti cenſendi ſunt legitimi. 267. 1

Infantes nondum ſeptennes excuſantur à delictis, & eorum pœnis. 511. 4
Infantes ſeptennes an excuſentur ſi ſint doli capaces. 512. 12
Infantes nondum habentes plenum judicium quomodo puniendi. 513. 3
Infantes ultra ſeptennium, ſi ſint infantiæ proximi quomodo puniantur ob delicta ab iisdem patrata. 513. 4
Infantes minores infantiæ proximi ſi committant homicidium quomodo puniendi. 514. 7
Infantes ante ſeptennium, an ſint doli capaces. 514. 8
Infantes ſi dubitetur an habeant plenum rationis uſum ob delicta non incurrunt irregularitatem. 514. 9
Infantes infantiæ proximi, ſi doli ſint capaces, poſſunt anathemate perCuti. 514. 10
Infantia quomodo computanda, & pubertati proximi, qui dicantur. 511. 5
Infantibus expoſitis, quorum parentes ignorantur, ſuccurit pia mater Eccleſia. 265. 2
Infideles non poſſunt compelli à Prælatis eccleſiaſticis ad ſuſcipiendum baptiſmum. 166. 24
Infidelitas an ſufficiat ad bellum indicendum infidelibus. 176. 17
Inimicus non ſolùm excluditur ab accuſatione, verùm etiam ab exceptione voluntaria. 11. 12
Inimicus manifeſtus ex officio Judicis eſt repellendus ab accuſatione. ibid. 14
Inimicus capitalis quis in ſpecie dicendus. 11. 14
Expellitur ab accuſatione; quia vindictæ privatæ causâ non juſtitiæ gratia cenſetur accuſare. ibid.
Initiati prima tonſura pertinent ad collegium eccleſiaſticum. 250. 2
Injuria per generalem inquiſitionem nemini fit. 19. 5
Injuria multipliciter ſumitur. Et quæ ejus pœnæ. 687. 1. & ſeq.
Injuria illata ex famoſo libello punitur pœna capitali. 689. 18
Injuriam paſſus an poſſit in foro externo accuſare offendentem, ſi eidem in foro conſcientiæ omnem injuriam remiſerit. 16. 19
Injuriarum actio civiliter, & criminaliter. 688. 6
Et quando ceſſet. ibid. 8. & ſeq.
Injuriarum tenetur exprobrans alteri vitium naturæ. 700. 1
Innocens pro ſalute patriæ tenetur ſe tradere tyranno. 319. 31
Innocens an puniri poſſit pro nocente. 729. 19
Inquiri de particulari ſpecialiter non debet, niſi præcedat infamatio 19. 6
Inquiri poteſt contra infamatum, ſi hic abſque ſcandalo non poteſt diſſimulari, nec ſine periculo tolerari. 20. 7
Inquiſitio juridica, quæ, & quomodo inſtituenda. 19. 1. & ſeq.
Inquiſitio generalis fit quando crimen eſt notorium, ſed occultus malefactor. ibid. 3
In inquiſitione generali nemo tenetur crimen alterius revelare ibid. 4. Excipiuntur tamen crimina Reipublicæ pernicioſa. ibid.
Inquiſitor generalis non poteſt ad libitum removere alios inferiores inquiſitores. 214. 21
Inquiſitor generalis poteſt corrigere ſententiam ſuam definitivam, ſi erravit in judicando. 222. 21
Inquiſitores habent jus inquirendi in Chriſtianos transeuntes ad Judaiſmum. 177. 17
Inquiſitores debent eſſe Magiſtri in Theologia, vel jure Canonico. 212. 8
Inquiſitores cognoſcunt de cauſa hæreſis, & aliorum, quæ ſapiunt hæreſim. ibid. 11
Inquiſitores ſi diſcrepent quoad pœnas infligendas tenentur adire ſummum Pontificem. 213. 14
Inquiſitores tenentur ſequi vota deciſiva conſultorum. 213. 15. Inquiſitores poſſunt reos capere etiam in alieno territorio ſine litteris ſubſidialibus Dominorum temporalium. 213. 16
Inquiſitores non poſſunt aliis concedere facultatem legendi libros hæreticorum, nec alios prohibitos. 213. 18
Inquiſitores Regulares ſi delinquant non ſunt puniendi à ſuis Regularibus Superioribus. 214. 21
Inquiſitores S. Officii nonniſi in baptizatos ſuam exercent juriſdictionem. 224. 22
Inquiſitores procedunt contra proferentes blaſphemias hæreticales. 215. 6
Inquiſitores jure novo procedunt contra ſortilegos, maleficos, facientes brevia cum characteribus. 216. 18
Inquiſitores procedunt contra ſolicitantes pœnitentes in confeſſione, & tales confeſſarii ſunt ſuſpecti de hæreſi. 217. 15
Inquiſitores procedunt contra falſos teſtes deponentes in cauſa hæreſis, & eorum corruptores. 217. 24
Inquiſitores pœna arbitraria poſſunt punire Apoſtatas. 218. 26
Inquiſitorum juriſdictio, ad quæ crimina ſe extendat. 215. 1
Inſeparabilitas, qua onum eſt annexum alteri, nonnunquam oritur ex natura rei. 140. 27
Inſtrumenta muſicalia nonniſi per accidens nectuntur divino officio. 115. 13
Interdicere poteſt, qui excommunicare. 847. 9
Interdicti cauſa finalis eſt reſipiſcentia delinquentis & emendatio. 848. 10
Interdicti effectus recenſentur, & explicantur. 848. 11. & ſeq.
Interdicto ſpeciali non poteſt Epiſcopus interdicere eccleſias exemptas. 847. 8
Interdictum ut eſt tertia ſpecies cenſuræ eccleſiaſticæ definitur, & explicatur. 846. 1
Interdictum locale, perſonale, & mixtum. 846. 2
Interficiens ſeipſum Jure Canonico privatur eccleſiaſtica ſepultura. 287. 15
Invaſus ab altero ſi cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendens illum occidat, non fit irregularis. 299. 2
Invaſus an poſſit ſe defendere cum periculo mortis alicujus innocentis. 317. 7
Invocatio quælibet Dœmonis ſapit hæreſim manifeſtam. 216. 11
Irregularis an cenſendus quis ſit in caſu dubio. 313. 15. Irregularitas in dubio facti, & juris. 314. 17

Irregularis fit, qui ſe ipſum propriis manibus mutilat. 321. 41
Irregularis ſi abſque diſpenſatione ordines ſuſcipit, an incurrat novam irregularitatem. 570. 1
Irregularis audens ſine prævia diſpenſatione ordinem ſuſcipere, ex jure novo Sixti V. incurrit perpetuam cenſuram ſuſpenſionis. 570. 5
Irregularitas facti tollitur per pœnitentiam, & reſipiſcentiam, non ita irregularitas juris, ſed per ſolam diſpenſationem tollitur. 45. 18
Irregularitas incurritur à damnato per ſententiam judicis. ibid.
Irregularitas non incurritur extra caſus in jure expreſſos. 138. 16
Irregularitas interdum incurritur etiam abſque culpa. 301. 17
Irregularitas, quæ contrahitur ob homicidium voluntariè, & injuſtè patratum. 291. 1
Irregularitas non ſolùm ex homicidio dolo, & lata culpa contrahitur, verùm etiam ex levi, & homicidio licito. 292. 2
Irregularitas interdum contrahitur etiam abſq; ulla culpa. 293. 7
Irregularitas ut contrahatur ex homicidio, vel mutilatione, quæ requirantur. 301. 18
Irregularitas non incurritur niſi à baptizatis. 302 19
Irregularitas quomodo contrahatur ex homicidio caſuali. 304. 1
Irregularitas non incurritur niſi in caſibus jure expreſſis. 305. 5
Irregularitas poteſt etiam incurri ob grave ſcandalum. 306. 9
Irregularitas cur impoſita pro occiſione, quæ fit in bello defenſivo publico; & non pro privata defenſione. 315. 1
Irregularitas incurritur ob mutilationem membrorum. 320. 36. Et quid nomine membri intelligatur. ibid.
Irregularitas non incurritur à Clerico ſuſpenſo, vel excommunicato ignoranter celebrante. 545. 1
Irregularitas ut incurratur ab eo, qui miniſtravit in ordine, quo caruit, plura requiruntur. 556. 10
Irregularitatem contrahit, qui alium lethaliter percuſſit, quamvis dubitet, an ex tali vulnere interierit. 293. 11
Irregularitatem non contrahit, qui interficit homicidio, ſi non percuſſit. 295. 20. Qui verò mandat alium occidi, fit irregularis, ſi mors ſequatur, & punitur pœna ordinaria homicidii. 295. 23
Irregularitatem non incurrit, qui pro tuenda vita & ob neceſſariam defenſionem innocentem occidit. 299. 4
Irregularitatem an contrahat, qui manifeſtat alteri adventum ſui hoſtis, quem intendit occidere. 316. 2
Irregularitatem contrahit, qui mandat amputari alteri membrum. 321. 39
Jubilei annus ſanctus, quid, & quales eo tempore lucretur quis indulgentias. 762. 1 & ſeq.
Jubilei inſtitutio à S. Sylveſtro Papa num ſuam traxerit originem. 763. 7
Jubileum in lege Moſaica remittebat debita antea contracta. 703. 3
Jubileum à ſolo ſummo Pontifice conceditur. ibid. 4
Jubileum priùs centeſimo quoque anno, poſtea quinquageſimo, demum vigeſimo quinto celebratur. 763. 7
Jubileum extra annum ſanctum ſolet à Papa concedi. 764. 9
Jubileum non remittit culpam lethalem, imò neque venialem, ſed pœnam. 764. 12. & ſeq.
Judæi, & Pagani non poſſunt in Chriſtianos publica officia exercere. 166. 3
Judæi commorantes in terris Chriſtianorum prohibentur novas Synagogas erigere, vel erectas ampliare. 166. 8
Judæi ex triplici cauſa erexerunt Synagogas. 167. 9
Judæi ex habitu diſtinguuntur à Chriſtianis per Italiam. 168. 17 Die paraſceve uſque ad Paſcha jubentur manere domi feneſtris clauſis. ibid. 18
Judæi promiſcuè cum Chriſtianis non debent manere. 169. 18 Nolentes, & inviti non coguntur baptizari. ibid. 19
Judæi ſi deliquant poſſunt à Chriſtianis Principibus puniri. 174. 7
Judæi ad fidem converſi, an & quomodo teneantur uſuras reſtituere Chriſtianis. 175. 13
Judæi conjugati commorantes in terris Principis Chriſtiani, ſi agant de divortio conveniuntur coram Judice ſæculari. 373. 54
Judæi poſſunt adigi à Principibus Chriſtianis ad reſtituendas uſuras. 465. 22
Judæis commorantibus in terris Chriſtianorum plura permittuntur Jure Canonico, & civili. 165. 1
Judæis cur permittatur veteres Synagogas retinere, & non conſtruere novas. 167. 12
Et cur permittatur iisdem veteres collabentes Synagogas inſtaurare. 168. 25 & ſeq.
Judæus tenetur Chriſtianum mancipium dimittere, vel juſto pretio libertate donare. 161. 4
Judex poteſt repellere accuſatorem contra quem accuſatus non poteſt excipere. 12. 17
Judex quomodo poſſit nolle accuſationem admittere, & admiſſam reſcindere. 18 12
Judex inferior ex tacita Principis voluntate poteſt accuſationes ab initio non admittere. ibid. 13
Judex in mixta inſtitutione generaliter tantùm inquirit. 21. 29
Judex eccleſiaſticus licèt indiſtinctè ob peccatum proximi poſſit admittere denunciationem evangelicam, non tamen judicialem, niſi in certis caſibus. 26. 17
Judex eccleſiaſticus poteſt per judicialem denunciationem procedere in pluribus caſibus. 28. 27 & ſequent.
Judex inferior ex tacita, & præſumpta voluntate Principis poteſt abolere inchoatam accuſationem. 31. 47
Judex ex ſe tenetur admittere accuſationem ad ſe delatam. 37. 47
Judex competens hæreticorum eſt ſummus Pontifex.

tifex. 210.1 & ſeq.

Judex in pœnis imponendis debet eſſe diſcretus, & maturè procedere conſiderando circumſtantias. 286. 32

Judex eccleſiaſticus tradendo reum brachio ſæculari, quomodo debeat proteſtari, ne fiat irregularis. 303. 26. Sunt tamen plures caſus, in quibus hæc proteſtatio non eſt præmittenda. 304. 29. & ſeq.

Judex quantum temporis teneatur concedere damnato ad mortem, ut ſe ſpiritualiter præparet. 772. 28

Judices eccleſiaſtici tenentur gratis exercere proprium officium judiciarium. 80. 32

Judices eccleſiaſtici poſſunt in Judæos animadvertere, ſi peccent contra divinam legem. 574. 8

Judices cognoſcentes ſuper cauſa hæreſis ſunt Inquiſitores, & alii deputati à Sede Apoſtolica. 211. 4

Judicium quomodo dicatur prærequirere accuſationem ſaltem æquivalentem. 7. 5

Jura Civilia non ſunt cenſenda præjudicialia, vel contraria Sacris Canonibus. 591. 7

Juramenti forma in ſe canonicè purgantibus. 675. 12

Juramentum dandum in inquiſitione qualem exigat formam. 22. 30

Juramentum de non denunciando, aut accuſando, an obliget. 29. 1 & ſeq.

Juramentum fidelitatis præſtatur potiùs dignitati, quàm perſonæ. 84. 22

Juramentum purgationis quomodo deferendum, ut diffamatus ſuam tueatur innocentiam. 673. 25

Jurans in genere ſe facturum aliquid, non intelligitur de homicidio. 324. 54

Juriſdictio eccleſiaſtica in Prælato alia eſt ſpiritualis, & alia temporalis. 88. 33

Juriſdictio eccleſiaſtica prohibetur concedi alteri ſub annuo cenſu. 198. 6

Juriſdictio Ordinariorum in Regulares non extenditur ad extenſionem rationis. 584. 4

Juriſdictio in foro exteriori conceſſa eccleſiæ à Chriſto. 795. 10

Jus percipiendi fructus temporales eſt annexum beneficiis eccleſiaſticis ex primæva eorundem inſtitutione. 81. 7 Et quamvis ſecundùm ſe ſit hoc jus pretio æſtimabile, ac vendibile, prout tamen nectitur cum jure ſpirituali fit materia ſimoniæ. 82. 9

Jus percipiendi fructus temporales ſeparatur in beneficiis eccleſiaſticis à jure officii ſpiritualis. 82. 13. Inſtituere hanc ſeparationem pertinet ad ſolum ſummum Pontificem. ibid. 15

Jus percipiendi fructus beneficii, quia annexum ipſi beneficio eſt quid ſpiritnale. 101. 1

Jus Canonicum, & civile ſe mutuò juvant. 591. 6

Jus denunciandi novum opus competit ei, cujus intereſt non conſtrui ædificium. 592. 12

L.

LAbor annexus intrinſecè rei Spirituali, & pro quo exigitur pretium temporale pro congrua ſuſtentatione miniſtrantium ſpiritualia propriè dici non poteſt venalis. 66. 32

Laicis non eſt licitum diſputare de fide cum hæreticis. 224. 2. Bene tamen ſi Laicus ſit doctus, & neceſſitas urgeat. ibid. 3. Laicis eſt etiam interdictum publicè prædicare. ibid. 4

Laicus ſibi uſurpans miniſteria Clericorum excluditur omnino à Clericatu. 516. 7. Et quid ſi Laicus tantùm per jocum ſibi uſurpet miniſteria Clericorum. 556. 8

Laicus ſibi uſurpans miniſteria Clericorum fit irregularis. 555. 3

Languidi in jure qui dicantur. 265. 2

Leges pœnales quia odioſæ ſunt ſtricti juris. 116. 4

Leges & ſtatuta non extenduntur ultra territorium. 518. 3

Leges civiles obligant tantùm ſubditos, quatenus ſunt ſubditi Legiſlatoris 534. 4

Lex pœnalis non ſortitur ſuum effectum niſi præcedat ſententia declaratoria criminis. 585. 12

Libellus accuſationis ab accuſatore porrigitur Judici, eſtque duplex unus in criminalibus, alter conventionis. 7. 3 In libello conventionali explicantur circumſtantiæ, nomen tamen actionis Jure Canonico non eſt neceſſe, ut verbis exprimatur. 7. 4

Libellus accuſationis non ſemper eſt neceſſarius. 8. 16

Libri hæreticorum ſunt prohibiti, quamvis plura contineant, quæ bona ſunt. 193. 11 & 14

Libri gentilium, cur non ſint prohibiti, ut libri hæreticorum. ibid. 13

Literæ de ſimplici juſtitia, quæ dicantur. 490. 2

Literæ Apoſtolicæ quomodo ſint nullæ ex taciturnitate veri. 491. 3

Literæ impetratæ à Sede Apoſtolica, an in dubio præſumantur falſæ. 490. 1

Loquendi libertas, an permittenda in Republica. 530. 5

Lucrum ceſſans quid ſit, & an mutuatarius ex lucro ceſſante poſſit obligari ad compenſandum damnum. 439. 14

Lucrum ratione periculi, quomodo poſſit accipi licitè. 443. 13

Lucrum, quod ex mutuo percipitur in montibus Pietatis eſt immune à labe uſuræ. 449. 1

Lucrum ceſſans non debet ſtatim tradi cum mutuum recipitur. 473. 7

Lucrum ceſſans ut licitè ex mutuo recipiatur aliquot requiruntur conditiones. 474 8

Lucrum ceſſans, ut in mutuo recipiatur licitè, labor, quem mutuans in eo comparando impendiſſet, non eſt deducendus. 474. 10

Ludi equeſtres tunc tantùm prohibentur, quando vitæ diſcrimini ſunt obnoxii. 329. 11

Ludus ut licitus ſit; debet eſſe inculpatus, & innoxius. 328. 4.

Luxuria ſuam à luxu trahit nomenclationem 359. 1. Ponitur inter opera carnis. ibid.

Luxuria non admittit parvitatem materiæ, adeo ut quævis inchoatio in genere luxuriæ ſit peccatum grave. 359. 2

Luxuria eſt vitium capitale, & fons, è quo ſcaturiunt plura vitia. 359. 3

Luxuriæ filiæ recenſentur octo. 359. 3. Ex his aliæ

ad intellectum, aliæ ad voluntatem pertinent. 360. 4
Luxuriæ ſpecies ſeptem aſſignantur, & cur? 360.5

M.

Magia quid ſit, & quotuplex, & an differat à divinatione. 505.27
Magia ſuperſtitioſa eſt quædam ratio operandi mira per ſigna ope Dæmonum. ibid.29
Magiſter habens beneficium, vel publicatum ſtipendium ſufficiens ad congruam ſuſtentationem non debet ullum ſtipendium à Diſcipulis exigere. 154. 7
Magiſterium Theologiæ præciſè ſumptum eſt quid temporale, & pro eodem accipere pretium temporale, Simoniacum non eſt. 69.22
Magiſtri quomodo conſtituendi in eccleſiis Cathedralibus. 153.1 & ſeq.
Magiſtri in eccleſiis Cathedralibus tenentur gratis docere ſcholares pauperes. 153. 2
Magiſtris in eccleſiis Cathedralibus debetur beneficium pro congrua ſui ſuſtentatione. 153.2
Maledicus conviciis, & maledictis honorem proximi lædit. Maledicere enim eſt male precari, ſicut benedicere bene precari. 529. 1
Maledicus tripliciter poteſt honori, & famæ alterius detrahere. 530.2
Mandans operâ infidelium aſſaſſinorum Chriſtianum interfici perpetuò eſt diffidatus à populo Chriſtiano. 207. 29
Maritus poteſt agere ob injuriam illatam uxori. 701. 5
Materia Simoniaca rerum, quæ ſpiritualibus ſunt annexæ. 70.1 & ſeq.
Materia annexa concomitanter rei ſacræ, cui intrinſecè conjungitur, eſt veluti pars ejuſdem. 73. 25
Materia pœnalis non poteſt ampliari ad ea; quæ non exprimuntur in lege pœnali. 122. 18
Matrimonium ut ſacramentum non poteſt ſub pretium cadere. 62. 14. Quatenus verò eſt contractus poteſt pro ipſo pretium exigi. ibid.
Matrimonium inter raptorem, & raptam Iure Canonico eſt licitum, & validum dummodo fœmina libera à raptore liberè conſentiat. 365.3
Milites non tenentur examinare an cauſa belli indicendi ſit juſta. 343. 16
Militiæ rudimenta nobiles addiſcere non dedignantur. 330. 7
Militibus ſi neceſſitas urgeat licitum eſt pugnare die feſto. 330. 6
Miniſtrantes ſpiritualia poſſunt exigere ſtipendium ſuſtentationis. 114. 5
Miniſtri eccleſiaſtici poſſunt pacificè ſtipendio ſibi debito ex juſtitia pro congrua ſuſtentatione. 113. 4
Miniſtri Epiſcopi conferentis ordines eccleſiaſticos non poſſunt quidquam temporale exigere à Neo-Miſtis ob promotionem ad ſacerdotium. 140. 28
Miniſtri fœneratorum, an teneantur ad reſtituendas uſuras. 468. 40
Minorennes qui expleverunt quartum decimum ætatis annum, ſi graviter delinquant, quomodo puniendi. 515. 14
Minorennes ab anno decimo ſeptimo uſque ad vigeſimum ſi graviter delinquant, puniuntur arbitrio judicis pœnâ ordinaria, vel miriori. ibid. 15
Modi, quibus aperitur Judici via inquirendi ſuper reum. 14. 40. & ſeq.
Modi juridicè procedendi contra reos ex officio Judicis, vel ad inſtantiam partis. 34. 28
Modi plures, quibus pecunia dari poteſt in collatione beneficii ſine Simonia. 141. 31
Modus procedendi per juridicam inquiſitionem. 22. 30
Modus procedendi contra crimen hæreſis. 34.29
Modus juridicè procedendi cum actore, & Reo. 36.39
Modus acquirendi beneficia eccleſiaſtica eſt per interceſſionem alicujus Mediatoris apud collatorem beneficii. 87. 15. & an Simoniacum ſit dare pecuniam pro tali interceſſione, & quo jure. ibid. & ſeq.
Monachi niſi rationabilis cauſa impediat, poſſunt accuſare proprium Abbatem. Neque tenentur priùs petere licentiam 13. 3. Imò poſſunt etiam accuſare quemlibet extraneum dummodo adſit licentia Abbatis; & concurrat utilitas monaſterii ibid. 4 Monachis accuſantibus ſuum Abbatem ſunt expenſæ ſuppeditandæ ex bonis Monaſterii. ibid. 5. Limitatur tamen, niſi Monachus accuſans ſuum Abbatem proprium habeat peculium. ibid.
Monachus accuſans ſuum Abbatem non ſtatim debet judicialiter admitti. 13. 6.
Monetarum falſarii quas pœnas incurrant jure civili, & canonico. 489. 23.& ſeq.
Moniales non ſunt capaces audiendi confeſſiones. 752. 14
Monitio an debeat præcedere accuſationem. 8.13
Monomachia eſt bellum duorum: Jure Canonico prohibetur. 331. 1
Montes qui dicuntur pietatis licitè inſtituuntur ad ſuccurrendas Pauperum indigentias. 449. 1
Montes pietatis quomodo abſque uſuræ labe recipiant aliquod lucrum ſupra ſortem. 451.14
Montes pietatis non poſſunt quidquam exigere à mutuatariis ultra expenſas eorundem. 452.21
Montes pietatis dicuntur etiam annui reditus, qui nonnunquam ex nominibus rerum, ex quibus percipiuntur denominantur. 452. 24
Montes pietatis ſunt vel perpetui, vel temporales. ibid 25
Montes pietatis ut debitam ſervent juſtitiam aliquor requiruntur conditiones. 453. 26
Montes pietatis ut liciti ſint plures deſiderantur conditiones. 453. 31
Monti pietatis an poſſit quis pecunias depoſitare ut accipiat pro quolibet centenario quatuor, vel quinque ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis. 454. 36
Montis pietatis creditores poſſunt reditus, quos ſuis datis pecuniis accipiunt vendere 452. 31
Montibus pietatis accreſcit lucrum, quod ſupereſt ex expenſis. 451.20
Montium pietatis leges producuntur, & explicantur. 450. 2 & ſeq.

Morrui

Digitized by Google

Mortui nōn ſubjiciuntur juriſdictioni eccleſiaſticæ. 204 22
Mulier ob adulterium ſeparata à ſuo marito, ſi probet adulterium etiam ab eodem commiſſum recuperat dotem, & omnia ratione adulterii amiſſa. 353.19
Mulieres ob ſuam verecundiam, & fragilitatem arceantur ab accuſando. 10 6
Mulieri prægnanti nunquam eſt licitum aborſum procurare. 162.4
Munus prout eſt pretium Simoniæ inducit aliquam obligationem. 208. 4
Munus à manu comprehendit pecuniam, & quodlibet aliud comodum remiſſivum debiti.108.6
Munus à lingua comprehendit commendationes, laudes, & preces, quæ pro aliquo interponuntur. 110. 9
Munus ab obſequio eſt onus quod alteri imponitur. 433. 4
Muſica tantùm accidentaliter nectitur divinis officiis. 115. 13
Muſici poſſunt exigere pecunias pro cantu in eccleſia. 143.40
Mutilantes Prælatum eccleſiaſticum, vel Clericum occidentes privantur cum ſuis hæredibus uſq; ad quartam generationem quovis beneficio eccleſiaſtico. 714. 11
Mutilatio in jure accenſetur homicidio. 294.17
Mutuans ut poſſit ratione damni emergentis aliquid ultra ſortem exigere à mutuatario tres requiruntur conditiones. 438.7
Mutuans non obſtante juramento mutuatarii non poteſt ſine peccato uſuras exigere. 466.31
Mutuans non poteſt ſtatim ab initio exigere à mutuatario lucrum occaſione mutui. 473. 6
Mutuare cum pacto ut mutuatarius det aliquid ex gratitudine, an licitum ſit. 477.33
Mutuatarius ſi ſit in mora tenetur compenſare damnum inde ſecutum. 437 5. Non ita ſi mutuatarius abſque omni ſua culpa factus ſit impotens ad ſolvendas pecunias termino præfixo. 438. 6
Mutuatarius non tenetur in foro externo compenſare damnum emerſum mutuatori antequam mutuatarius fuiſſet in mora ſolvendi. Imò neque in foro conſcientiæ. 439. 13
Mutuatarius ſi juravit ſe non repetiturum uſuras poteſt petere abſolutionem juramenti. 466.32
Mutuator in principio contractûs poteſt paciſci cum mutuatario. 437. 3
Mutuator ſi non deduxit in pactum damnum, nec ejus periculum, non tenetur tunc mutuatarius quidquam pro eo ſolvere, quamvis poſtea damnum eveniat. 438. 9
Mutuator ut poſſit aliquid exigere ultra ſortem tres debet celebrare contractus ſocietatis, aſſecurationis, & venditionis lucri incerti pro certo. 441. & ſeq.
Mutuator ratione lucri ceſſantis poteſt aliquid exigere ultra ſortem. 439. 14
Mutuator ratione periculi amittendæ ſortis ex parte mutuatarii quomodo poſſit aliquid ultra ſortem accipere. 442. 3
Mutuator tenetur fructus rei oppignoratæ deductis expenſis in eosdem factis computare in ſortem ad extinguendam ſortem principalem. 446. 7
Mutuator emens pignus ex conditione, ut mutuatarius poſſit illud redimere, poteſt fructus licitè percipere ex re illa empta. 448. 14

N.

NAtura abhorret à vulneribus, membrorum mutilationibus, ac hominum cædibus. 332. 6
Negligentia quanta eſſe debeat, ut quis contrahat irregularitatem ortam ex homicidio caſuali. 306. 13
Negotiorum geſtor, ſeu Procurator poteſt nomine ſui Domini nunciare novum opus. 592.15
Nembroth fuit robuſtus venator coram Domino. 516. 1
Nemo obligatur præcepto ſuperioris antequam ei debito modo imponatur. 45. 16
Notarii ſcribentes inſtrumentum, in quo continentur uſuræ, an teneantur reſtituere. 467 36
Et quid ſi notarius inſtrumentum faciat non in gratiam uſurarii mutuantis, ſed in gratiam mutuatarii petentis mutuas pecunias. ibid. 37. & ſeq.
Notarii poſſunt inſtrumenta conficere in contractibus celebratis cum Judæis toleratis, & permiſſis. 468. 19
Notarius ſi in inſtrumento ponat, quòd pecunia fuerit numerata committit crimen falſi. 494.27
Notarius grave infert præjudicium officio ſuo publico, ſi fidem publicam violet. 494. 28
Novi operis denunciatio debet fieri in re præſenti, ſeu loco ubi ſtruitur novum opus. 592 17
Novo opere denunciato, deſtruendum eſt quod poſt denunciationem fuit ædificatum. 593. 24
Novum opus poteſt nunciari exiſtenti in dignitate. ibid. 22
Nuncians novum opus poteſt oſtendere de ſuo præjudicio probando plateam ad ſe pertinere vel recepta cautione de demoliendo opere permittere ædificationem. 595. 2
Nunciare novum opus poteſt is, cujus intereſt, ne ædicium conſtruatur, ut etiam Feudatarius, Emphyteuta, qui ſervitutem realem habet in fundo, in quo conſtruitur novum ædificium, 592. 12 & ſeq.
Nunciatio novi operis, quæ, & quomodo facienda, & ex quibus cauſis. 590. 1
Nunciatio novi operis fit vel gratia tuendi proprii juris, vel defendendi causâ publici juris, vel ad arcendum damnum. 590.3
Nunciatio novi tribus in caſibus ceſſat. 594.1
Nunciatio novi operis obligat eum, cui fit ad deſiſtendum ab inchoato opere. 596. 13
Nunciatio novi operis ceſſat ex pluribus cauſis, quæ recenſentur. 595. 3. & ſeq.
Nunciatio novi operis poteſt ei fieri, qui licèt ædificet in proprio fundo alteri vicino eſt damno, eò quia lucem adimat. 597. 17
Nunciationis novi operis effectus primarius eſt, ut deſtruatur quidquid ædificatum eſt poſt factam nunciationem. 591. 10

Ob-

O.

Obligatio in inquiſitione Canonica prævertitur, ſi priùs inquiratur de veritate criminis, quàm de prævia infamia. 22. 31
Obligatio ſufficiens inducitur ſpatio decem annorum, 64. 26
Obligatio reſarciendi damnum tertio, an oriatur ex homicidio, ſi tale damnum fuerit præviſum. 290. 28
Obligatio reſtituendi an oriatur ex occiſione facta in duello. 290. 31
Obligatio reſarciendi damna ſecuta ex homicidio regulariter non oritur inter nobiles, & divites. 291. 32
Obligatio in viro dimittendi uxorem adulteram oritur ex præcepto fraternæ correctionis. 350. 31
Obligatio ad intereſſe intrinſecum, an oriatur ex mora inculpabili. 439. 11
Obligatio, quâ quis fide jubet pro mutuatario, ut mutuans ſit ſecurus, eſt aliquid pretio æſtimabile, & poteſt aliquid exigi pro fidejuſſione. 445. 23
Obligatio reſtituendi uſuras qualis ſit, 461. 1. & ſeq.
Obligatio reſtituendi uſuras oritur tam ex uſura reali, quàm mentali. 461. 2
Obligationem antidoralem gratitudinis in pactum deducere an Simoniacum ſit. 108. 3
Occidendi reum Princeps poteſt omnibus facultatem dare, ſi crimen ſit valde enorme. 277. 9
Occidens ſe ipſum jure Canonico privatur eccleſiaſtica ſepultura. 287. 15
Occidens alium ob defenſionem bonorum temporalium contrahit irregularitatem. 300. 11
Occidens baculo aggredientem ſolis calcibus, vel pugnis ſit irregularis. 307. 17
Occidens furem à quo aliter poterat ſe liberare incurrit pœnam homicidii. 324. 52
Occidenti furem nocturnum non imputatur homicidium. 324. 53
Occidere hominem privata authoritate non eſt licitum. 277. 8
Occidere furem diurnum non eſt licitum, ſi telo non ſe defendat. Nocturnum verò licet occidere. 279. 11. Id tamen intelligitur cum moderamine inculpatæ tutelæ. 280. 12
Occidere injuſtum invaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ eſt licitum. 280. 13. & ſeq.
Occidere diurnum furem cur non liceat, cùm licitum ſit nocturnum interimere. 281. 16
Occidere furem fugientem cum bonis ſublatis an licitum ſit ? ibid. 18
Occidere invaſorem fugientem poſt impactam alapam non eſt licitum ad tutandum proprium honorem. 281. 25
Occidere injuſtum invaſorem ad defenſionem propriam, & proximi innocentis vitæ eſt licitum cum moderamine inculpatæ tutelæ. 283. 30
Occidere alium ob defenſionem proprii honoris an ſit licitum. 300. 8
Occidere injuſtum invaſorem an licitum ſit, ſi inde grave detrimentum obveniat Reipubl. 316. 4
Occidere contumelioſum ob ſola convicia non eſt licitum. 317. 9 Hinc Religioſi non poſſunt ſuum honorem defendere occidendo calumniatorem ſpargentem crimina gravia de ſua Religione. 317. 12
Occidere invaſorem ob defenſionem pudicitiæ, an ſit licitum. 318. 19
Occidere innocentem an in aliquo caſu poſſit eſſe licitum. 319. 28
Occiſor non tenetur reſarcire damna per accidens illata familiaribus, & amicis occiſi. 289. 22
Occupans bona occiſi non tenetur de homicidio. 325. 59
Officia procuratoris, Adminiſtratoris rerum temporalium eccleſiæ non habent in ſe quidquam ſpirituale. 85. 26
Officia temporalia eccleſiæ, qui vendit, an teneatur pretium reſtituere. 132. 19
Officium Sacriſtæ non poteſt vendi ſine Simonia. 85. 26
Olla fortunæ quæ? & an licitè poſſit exerceri. 476. 20
Olla fortunæ non continet contractum mutui, & defenditur ab uſura. ibid.
Olla fortunæ non eſt contractus illicitus, nec injuſtus ob inæqualitatem inter pecuniam collatam, & lucrum. 476. 21
Olla fortunæ conſultius videtur prohibenda. 476. 23
Opera, quæ impenduntur in adminiſtratione eccleſiaſticæ juriſdictionis quomodo lucrum poſſint ad ſe trahere. 147. 4
Operarius dignus eſt mercede ſua, quâ congruè ſuſtentetur. 66. 31
Operarius in ſpiritualibus debet pro congrua ſuſtentatione aliquid temporale accipere. 66. 32
Operarius dignus eſt cibo ſuo. 115. 13
Operatio aliqua quomodo cognoſcatur pertinere ad magiam ſuperſtitioſam. 505. 30
Opus novum quis dicatur conſtruere, & quomodo hoc opus debeat nunciari. 590. 1
Opus novum per denunciationem, ſive jure, ſive injuria conſtituatur, debet demoliri. 590. 5
Ordinari per ſaltum quid ſit. 560. 1. & ſeq.
Ordinarii nomine intelliguntur omnes Prælati habentes quaſi epiſcopalem juriſdictionem. 264. 11
Ordinarius an poſſit punire Regulares abutentes ſuis privilegiis. 585. 10
Ordinati ſimoniacè ſuſpenduntur ab executione ſuorum ordinum. 119. 2
Ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, quas pœnas incurrant. 146. 13
Ordinationes factæ ab Epiſcopis ſchiſmaticis an validæ ſint. 241. 1. & ſeq.
Ordinationes factæ à ſchiſmaticis ſunt irritæ quoad exercitium gradûs collati. 242. 3
Ordinatus ab Epiſcopo ſimoniaco quamvis, non recipiat ordines ſimoniacè incurrit ſuſpenſionem. 122. 16
Ordinatus ab Epiſcopo ſimoniaco excommunicato, ſuſpenſo, ſed tolerato, & occulto non incurrit pœnas. 123. 19

Ordinatus prima tonſura an incurrat pœnas contra ſimoniacè promotos ad ordines eccleſiaſticos. 138. 14

Ordinatus ab Epiſcopo, qui renunciavit loco, & dignitati accipit characterem, non uſum ordinis. 546. 5

Ordinatus per ſaltum manet ſuſpenſus ab ordine per ſaltum ſuſcepto. 562. 1

Ordinatus furtivè incurrit excommunicationem. 569. 9

Ordinatus per ſaltum ſi non miniſtret in ſuſcepto ordine incurrit ſuſpenſionem; ſi miniſtret, irregularitatem. 564. 14

Ordinatus ab Epiſcopo irregulari non fit irregularis, ſed privatur executione ordinis. 569. 8

Ordinatus in ordinibus eccleſiaſticis ante ſuſceptom ſacramentum confirmationis non ſit irregularis. ibid. 9

Ordinetos ab Epiſcopo non baptizato, vel non ſacerdote, an fiet irregularis. ibid. 1

Ordinetus ab Epiſcopo græco, ſi ordinatus ſit eccleſiæ latinæ, an fiat irregularis. 570. 15

Ordinatus ab Epiſcopo illiterato, an fiat irregularis. 570. 18

Ordines minores poſſunt exerceri à laicis ex generali conſuetudine. 548. 15

Ordines eccleſiaſtici ſunt gradatim, & ordinatim ſuſcipiendi. 560. 2

Ordines duos ſacros qui ſuſcipit eodem die incurrit excommunicationem, nec poteſt in iiſdem miniſtrare. 569. 13

Ordines duo ſacri, ſi eodem die conferantur, collatio tenet, ſed ordinatus eſt ſuſpenſus. ib. 14

Ordinis poteſtas dupliciter conſiderata in Epiſcopo. 243. 8

Ordo eccleſieſticus quomodo dicatur furtivè à Clerico ſuſcipi. 567. 1. & ſeq.

Oſea Propheta qoomodo juſſus à Deo fuerit accedere ad mulierem fornicariam. 360. 8

P.

PAciſci circa electionem ad beneficia eccleſieſtica eſt prohibitum. 98. 17

Pacta quomodo licitè, vel illicitè adjiciantur contractui mutui. 433. 1

Pactio de lucro ceſſante in motuo, ut licitè fiat, tres deſiderantur conditiones 439. 16

Pactum duobus modis poteſt adjici beneficio, ut præcisè petator aliquid ſpirituale, & ut exigator temporele. 89. 9

Pactom deſtruit naturam electionis. 98. 17

Pactum inter reſignantem beneficium, & reſignatarium inducit ſimoniam. 125. 11

Pactum antechriſeos an licitè procedat in mutuo, vel oleat uſuram. 446. 1. & ſeq.

Papa an poſſit eſſe ſimoniacus ſimonia ſtatuta jure eccleſiaſtico. 137. 13. Non incurrit pœnas ſimoniæ jure eccleſiaſtico ſtatutas. ibid

Papa à nemine in terris judicatur, quia nulli ſubjicitur, niſi Deo. 214. 23

Papa laudabiliter remittit injuriam illatam ſuæ propriæ perſonæ, non ita ſuæ dignitati. 531. 9

Parentes exponentes filios, quos facilè poſſunt alere graviter peccant. 265. 3

Parochi non exigunt pecuniam pro ſacramentorum adminiſtratione, ſed pro propria ſuſtentatione, quæ debetur miniſtrantibus ſpiritualia. 63. 17

Pars tutior in dubio facti citra ſpecialem caſum homicidii, an eligenda. 323. 51

Parricidium quid, & quæ pœnæ à jure infligantur Perricidis. 260. 1. & ſeq. Perricidium antiquitus dicebetur quodvis homicidium. 267. 8

Parvitas materiæ in ſimonia excuſat à culpa gravi, 136. 6. Parvitas materiæ non habet locum in ſimonia, ſive hæc jure divino, vel eccleſiaſtico prohibita ſit. 136. 7

Parvitas materiæ in ſimonia excoſat à culpa gravi in ſoro exteriori 137 8

Pater jure canonico non poteſt occidere filiam deprehenſam in adulterio. 250. 37

Peter oon tenetur ex delicto filii ſui impuberis. 513. 2

Patroni Eccleſiæ ſi ſacrilegè eam invadant, deperdunt jus patronatus. 382. 15

Peccantes ex malitia graviùs puniuntur, quàm peccantes ex paſſione. 5 3. 1

Peccatum contre naturam, ut eſt oltima ſpecies luxuriæ, eſt concubitus inter duos, non ſervato ordine ſexus. 364. 26

Peccatum detentionis rei alienæ formaliter in ſomno non dicitur continuari. 385. 14

Peccatum contra naturam quomodo puniendum. 582 12

Pecunia tripliciter poteſt accipi pro ſacramento. 63. 18

Pecunia an dari poſſit abſque periculo ſimoniæ incurrendæ interceſſori pro beneficio accipiendo. 86 8

Pecunia pluribus modis dari poteſt in collatione beneficii ſine ſimonia. 141. 31

Pecunia an licitè poſſit offerri electoribus ne eligant Epiſcopum ineptum. 14. 46

Pecuniam dare collatori beneficii gratitudinis cauſe non eſt ſimoniacum dummodo nec pactum, nec promiſſio præceſſerint. 87. 11. Secus ſi interceſſerit conventio. 87. 12

Penſio impoſita beneficio eccleſiaſtico non poteſt redimi, neque extingui ſine authoritate Pontificis. 02. 5. Bene tamen ſi authoritate Pontificis extrahator à titulo, & officio ſpirituali. 103. 14

Penſio ſi detur ad officium ſpirituale exercendum, nequit pretio vendi ſine vitio ſimoniæ. 104. 18

Penſio reſervata ſupra pinguios beneficium concurrit ad compenſandos fructus tenuioris beneficii. 104. 28

Penſio non poteſt transferri intuito pecuniæ ſolvendæ ut pretium. 104. 23. & ſeq.

Penſiones, quibus beneficia eccleſiaſtica gravantur, duo continent. 101. 7

Penſiones ſpirituales, temporales, & miſtæ. 107. 11

Penſiones oon comprehenduntur ſub generali nomine beneficiorum in materia odioſa. 106. 5

Perſonæ viles, & indignæ excludendæ ſunt ab eccleſiaſticis dignitatibus. 576 6

Pertinacia quâ quis eſt formaliter hæreticus plura exigit. 230 30. & ſeq.

Pertinacia qualis eſſe debeat, ut quis ſit formaliter

ter

ter hæreticus in foro exteriori. 232. 43
Picturæ parietibus appictæ quomodo reſtituendæ. 420. 37
Piſcatio quando licita, & illicita, & quando piſces dicantur gaudere libertate. 412. 49. ſeq.
Piſcatio clericis non interdicitur, ſed venatio clamoſa. 518. 13
Piſcator poteſt vendere piſces, quos in jactu retis ſperat ſe capturum. 440. 20
Plagium eſt ſpecies furti, quo rapitur liber homo. 407. 16. Plagii pœna quæ? ibid. 17
Plebanus non poteſt conſtitui ad vices agendas Epiſcopi. 148. 1
Pœna talionis jure novo eſt abrogata, in cujus loco ſucceſſit pœna arbitraria. 15. 20
Pœna depoſitionis contra ſimoniacè obtinentem beneficium eccleſiaſticum. 124. 3
Pœna ſuſpenſionis, quæ incurritur propter ſimoniam commiſſam in ordine à ſolo Papa diſpenſatur. 127. 4
Pœna injungitur à Judice delinquenti, ut injuria reipublicæ illata vindicetur. 191. 35
Pœna privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ dupliciter intelligitur. 336. 13
Pœna furti ſacrilegi pro quantitate, & qualitate rei, & modo rapiendi eſt varia. 381. 13
Pœna ſoppoſiti partûs eſt capitalis. 481. 1
Pœna deficientis in purgatione canonia, quæ debeat eſſe. 679. 12
Pœna pecuniaria non eſt injungenda, quando alia in jure canonico eſt ſtatuta. 710. 5
Pœna conventionalis confiſcationis bonorum, & exilii. 718. 1
Pœna exilii, quæ & quotuplex, & quomodo dividatur in deportationem, & relegationem. 721 16
Pœna: pecuniaria determinata ob injuriam clerico irrogatam dividitur, & media pars datur eccleſiæ. 722. 1
Pœna carceris perpetui rarò infligenda eſt à Judice ob deſperationem, quam inducit. 723. 7
Pœna latæ ſententiæ privationis beneficiorum, & inhabilitatis ad alia beneficia obligat in conſcientia. 727. 1
Pœna pecuniaria an imponi poſſit pro homicidio, vel adulterio. 728. 16
Pœna carceris an irroget infamiam. 330. 26
Pœnæ contra ſimoniacos jure ſtatutæ. 116. 1. & ſeq.
Pœnæ, quæ incurruntur ob ſimoniam commiſſam in ordine ſuſcipiendo, beneficio conferendo, & ingreſſu religionis. 119. 1
Pœnæ quas inducit ſimonia commiſſa circa ingreſſum Religionis plures. 123. 19. & ſeq.
Pœnæ plures canonicæ jure in ſimoniacos decretæ. 124. 1
Pœnæ plures contra ſimoniam confidentialem. 129. 9
Pœnæ juris in ſimoniacos non incurruntur, niſi ſimonia ſit completa. 138. 17
Pœnæ jure canonico conſtitutæ in hæreticos recenſentur, & explicantur. 191. 1. & ſeq.
Pœnæ temporales, quas incurrunt hæretici, recenſentur. 202. 14. & ſeq.
Pœnæ conſtitutæ contra Fautores hæreticorum ſunt in duplici genere. 210. 15
Pœnæ conſtitutæ contra Apoſtatas ab ordine clericali, & religione. 250. 1
Pœnæ à jure ſtatutæ contra reiterantes baptiſmum. 254. 2. & ſeq.
Pœnæ à jure injunctæ contra injuſtos homicidas. 284. 1. & ſeq.
Pœnæ ſtatutæ in mandantem homicidium, jure canonico interdum incurruntur, quamvis homicidium non contigerit. 206. 26
Pœnæ jure ſtatutæ in eos, qui ad ſingulare certamen deſcendunt. 333. 10. & ſeq.
Pœnæ adulterio impoſitæ quæ ſint? & quæ cauſæ ab iiſdem excuſent. 351. 1. & ſeq.
Pœnæ quænam incurrantur à raptoribus. 365. 5. & ſeq.
Pœnæ ſtatutæ in falſarios monetæ jure civili plures ſunt. 479 23. Jure Canonico falſarii monetæ anathemate feriuntur. 489. 27
Pœnæ Clericis venatoribus jure impoſitæ ſunt ſuſpenſio, & aliæ arbitrariæ. 518. 14
Pœna in genere, & quæ eius ſpecies. 709. 1. Pœna, & mulcta quomodo differant? ibid. 2.
Pœnæ injunguntur graviores ob majorem frequentiam delicti. 710. 8
Pœnæ canonicæ ad octo reducuntur genera. 711 13
Pœnæ privationis, & depoſitionis. 713. 1. Et ob quæ crimina infligantur. ibid 3. & ſeq.
Pœnæ infeſtantium, vel percutientium ſacræ Romanæ eccleſiæ Cardinales. 325. 19
Pœnarum diſpenſationes, quæ in jure ſtatuuntur contra ſimoniacos. 127. 1
Pœnitentia, eiúſque variæ ſignificationes. 736. 1. & ſeq.
Pœnitentia, quæ injungitur pro peccatis alia eſt privata, alia ſolemnis. 736. 3
Pœnitentia publica, ſeu ſolemnis non eſt amplius in uſu. 736. 5
Pœnitentia privata privatim injungitur, & exercetur. 737. 8
Pœnitentia ut eſt ſacramentum novæ legis definitur. ibid. 9. & ſeq.
Pœnitentia injuncta à Confeſſario Pœnitenti eſt perſonalis. 840. 41
Pœnitentia injungenda ſe defendenti ob exceſſum. 749 2
Pœnitentia injungenda pro delicto oppreſſionis filiorum. 760. 3
Pœnitentia injungenda mulieri partum alienum ſibi ſupponenti. 750 9
Pœnitentiæ ſacramentum miniſtrandum eſt damnatis ad mortem. 752. 15. & ſeq. Non tamen miniſtrandum eſt ſacramentum extremæ unctionis. 753. 18
Pontifex ut ſupremus adminiſtrator, ac diſpenſator omnium bonorum eccleſiaſticorum ſi conſultius viſum fuerit, ex juſta cauſa poteſt ſeparare jus percipiendi reditus temporales à jure officii temporalis, & facta ſeparatione poteſt jus illud vendi. 83. 15
Pontifex poteſt ſeparare jus perciendi fructus temporales à jure ſpirituali exercendi miniſterium ſpiri-

ſpirituale. 87. 13
Pontifex an poſſit condonare Judæo recèns ad fidem converſo eam uſurarum partem, quæ actione lucti ceſſantis, & damni emergentis poſſet illi competere. 176. 15
Pontifex an poſſit fieri ſchiſmaticus, ſi ſe ſeparet à ſuo corpore eccleſiæ. 245. 10
Pontifex poteſt Prædicatores mittere in Provincias infidelium ad promulgandum Evangelium. 341. 2. Quòd ſi ab infidelibus impedirentur, poſſet Pontifex facultatem concedere Principibus fidelibus, ut armis Principes infideles invaderent. ibid.
Pontifex poteſt indulgere Judæis, qui convertuntur ad fidem, ut poſſint licitè partem aliquam uſurarum ſibi retinere. 475. 14
Pontifex poteſt concedere gratiam reſtitutionis in integrum fingendo ſtante æquitate non factum, quod eſt factum. ibid. 15
Poſſeſſor malæ fidei quis? & an teneatur reſtituere fructus perceptos, & qui percipi poterant ex re mala fide poſſeſſa. 419. 35
Poteſtas jurisdictionis eccleſiaſticæ refertur inter ſpiritualia. 148. 7
Poteſtas in compromiſſo conceſſa arbitro de prorogando termino, compromitti deſinit in prima prorogatione. 664. 30
Præbenda poteſt in eccleſia haberi ſine canonicatu. 133. 3
Præceptum ſacramentaliter confitendi quando obliget. 738. 1. & ſeq.
Prædicatores Chriſtiani non debent incedere armati per terras infidelium ad promulgandum Evangelium. 342. 3
Prædici an poſſit aliquid ex motu, volatu, garritu animalium. 501. 7
Prælati criminatio quomodo tractanda. 33. 26
Prælati regulares poſſunt abſolvere ſuos ſubditos ab hæreſi occulta. 199. 17
Prælati eccleſiaſtici, quibus competit jurisdictio temporalis poſſunt delegare aliis jurisdictionem criminalem. 302. 21
Prælati Epiſcopo inferiores pro levibus culpis poſſunt ſuos ſubditos verberare causâ regularis diſciplinæ. 523. 2
Prælati eccleſiaſtici quomodo dicantur excedere in ſubditos Clericos. 575. 1
Prælati eccleſiaſtici non poſſunt irrationabiliter gravare clericos ſubditos. 575. 2
Prælati eccleſiaſtici nequeunt impedire privilegia ſubditorum. 576. 10.
Prælati non poſſunt ultra tenorem Concilii Lateranenſis licitè gravare Clericos inferiores etiam non habentes privilegium. 577. 12
Prælati inferiores ſine conſenſu Epiſcopi non poſſunt unire plures eccleſias. 578. 18
Prælatis Eccleſiaſticis prohibitum eſt ſuam jurisdictionem ſub annuo cenſu concedere. 147. 1. & ſeq.
Prælatus infamatus de aliquo delicto quomodo teneatur ſe purgare. 677. 5
Præſumptiones violentæ, quibus probatur adulterium plures ſunt, & recenſentur. 349. 23
Prævaricari juridicè perinde eſt, ac colludere cum Reo, falſas probationes contra illum admittendo. 42. 5
Preces ludere an licitum ſit, & an ſimoniam redoleat? 130. 22
Pretio redimere vexationem circa beneficia, an ſit ſimonia. 93. 1 & ſeq.
Pretium dare, accipere pro actibus eccleſiaſticæ jurisdictionis contentioſæ eſt ſimonicum. 79. 17
Pretium dare miniſtro eccleſiaſtico, ut ab excommunicatione abſolvat, in quo ſenſu eſt ſimonia 79. 20
Pretium ſimoniacum quid, & quotuplex. 108. 1. & ſeq.
Pretium ſimoniacum inducit aliquam obligationem, ut debitum juſtitiæ commutativæ. 108. 4
Pretium temporale ſub titulo congruæ ſuſtentationis poteſt accipi pro obligatione miniſterii eccleſiaſtici. 113. 3
Pretium injuſtum ex ſimoniaca venditione acceptum reſtitui debet ante Judicis ſententiam. 132. 22
Pretium ſimoniacè acceptum pro collatione ordinum, ac aliorum ſacramentorum, ſi notabiliter excedat id, quod debetur miniſtro pro congrua eius ſuſtentatione reſtituendum eſt ex jure potiùs divino. 134. 32
Pretium poteſt licitè accipi pro labore, qui impenditur in ſcientiis docendis. 156. 4
Pretium exigere temporale pro officio docendi Theologiam non eſt ſimoniacum. 156. 5
Pretium accipere pro licentia docendi prohibitum jure eccleſiaſtico ut inconveniens. 157. 8
Pretium exigere pro conſilio Theologico non eſt ſimoniacum. ibid. 9
Princeps poteſt abolere accuſationem, ſi perſona accuſata cenſeatur neceſſaria bono publico 18. 14
Princeps nonniſi ex benignitate tenetur remittere injurias illatas ſuæ propriæ perſonæ. 531. 9
Princeps ſupremus in aliquibus caſibus poteſt remittere pœnas debitas delictis. 730. 28. & ſeq.
Principes Chriſtiani poſſunt punire Judæos ſi delinquant in ſuis ditionibus. 174. 7.
Principes Chriſtiani poſſunt punire Judæos ſi delinquant in ſuis terris & velint uſuras exigere. 175. 9
Principes Chriſtiani non poſſunt præcipere ſuis ſubditis Chriſtianis, ut ſolvant uſuras Judæis. 432. 33. Poſſunt tamen permittere uſuras impunè à Judæis exerceri. 432. 34.
Principes ſi pecuniis indigeant poſſunt nonnunquam compellere cives mercatores opulentiores, & alios divitiis affluentes ad mutuandum ea lege, ut accipiant quinque, vel ſex pro quolibet centenario. 453. 34
Privatio eccleſiaſticæ ſepulturæ non ſignificat eos eſſe damnatos, qui tali pœna puniuntur. 336. 18
Privilegia plura conceduntur Clericis ſtudentibus SS. Theologiæ, & Juri Canonico. 158. 14
Privilegia non conceduntur niſi ſubditis. 611. 10
Privilegia inſerta corpori juris tranſeunt in jus commune in tribus caſibus. ibid. 12
Privilegia pluribus modis accipiuntur, & recenſentur. 613. 8
Privilegia per viam communicationis, quomodo acquirantur. ibid. 3

Privilegia per viam extentionis tripliciter acquiruntur. 614. 6

Privilegia conceſſa Regularibus extenduntur ed eorundem Novitios, & oblatos. ibid.8

Privilegia quomodo confirmentur, innoventur, & interpretentur. 618. 1. & ſeq.

Privilegia læſiva juris communis ſunt ſtrictè interpretande. 620. 10. & ſeq.

Privilegia non reſtringontur ultra proprietatem verborum. 622. 21

Privilegia conceduntur ſub nonuullis clauſulis, quæ explicantur. 623. 1

Privilegia quomodo communicentur. 6e4. 4

Privilegia Regularium num hodie ſtat in uſu. 628. 4. & ſeq.

Privilegia conceſſa religioſis non ſunt violanda directè. 644. 7

Privilegie quomodo emittantur ex parte cauſæ, & ratione effectus. 648. 1. & ſeq.

Privilegia amittuntur effectivè per revocetionem. 651. 2. Et quomodo in teli revocatione intelligatur clauſula non obſtantibus privilegiis ſub quacunque forma conceſſis. 652. 4

Privilegia pluribus modis amittuntur. 655. 1

Privilegia conceſſa elicui monaſterio ratione ſtrictioris obſervantiæ, an perticipentur è lexioribus. 657. 13

Privilegia quomodo amittantur per non uſum, vel contrarium uſum. ibid. 15

Privilegia non amittuntur per non uſum, quando non uſus non vertitur culpæ privilegiato. ib. 17

Privilegia per viam præſcriptionis acquirontor, & amittuntur. 659 30

Privilegia ſimpliciter conditionata, an ſint perpetua. 661. 15

Privilegie ſpecialia, & exorbitentie cenſentur communicata per generelem com̃unicationem. 663. 25

Privilegiati tempore interdicti celebrant divina officia ſubmiſſa voce januis clauſis excluſis excommunicatis, & interdictis.

Privilegiatorum exceſſus, quid, & quotuplex? 630. 1 & ſeq.

Privilegiatus an debeat eſſe ſubditus privilegiantis? 661. 16

Privilegii confirmetio, ſeu innovetio ſecta in forme communi non tribuit novum jus. 618. 2

Privilegii interpretetio, ut laxè, vel ſtrictè fiat plures ſunt circumſtantiæ attendendæ. 621. 19

Privilegii interpretatio debet fieri in propria verborum ſignificatione. 660. 6

Privilegio nemo compellitur uti, nec obligeri 6e7. 1

Privilegio exemptionis Epiſcopi, & Papæ poteſt quis uti. 66. 21

Privilegiorum interpreratio quomodo facienda? 619. 8. Vitanda eſt redundetio verborum ibid. 9

Privilegium quid ſit, & quæ requirentur ad eius ſubſtantiam. 609 1

Privilegium ut eſt beneficiom conceſſum à Principe ſumitur lexè, & preſſè. 607. 2

Privilegium preſsè ſumptum eſt juris ſpecialis contra jus commune conceſſio ex benevolentia Principis. 609. 3. Non eſt de retione privilegii, ut concedatur in ſcriptis. 610. 6

Privilegium differt à diſpenſatione, & cum ſit contre jus commune, non conceditur ſine cauſe. ibid. 7

Privilegium eſt quædam privete lex, & ab eo tentùm conceditur, qui leges condit. 610. 8

Privilegium aliud eſt intertum corpori juris, & eliud extrevagatur. 611. 11

Privilegium eliud eſt perſonale, & aliud reale. ibid. 13. Aliud locale perſonale, & aliud locale reele, & eliud mixtum. 612. 15. Privilegium perſonale, & collegiele. ibid. 16

Privilegium perſonale non extenditur à perſona expreſſa ad aliem non expreſſam. 614. 9

Privilegium non extenditur, ſed coarctator ad impediendum damuum tertii. 615. 10

Privilegium rei principelis non extenditur ad acceſſorium. ibid. 11

Privilegium quomodo acquiratur per viam relationis. ibid. 12. Privilegium quomodo acquiretur per viam erroris. 616. 13. Et quomodo per viam præſcriptionis. ibid. 17. & quæ requirantur ad præſcriptionem. 617 18

Privilegium probetur per teſtes idoneos, quando inſtrumenta ſunt deperdita. 619. 3

Privilegium ut innovetur, quando inſtrumenta ſunt deperdita, ſunt hæc probanda. ibid 7

Privilegium poteſt interpretari à Principe, à quo fuit conceſſum. 619. 9

Privilegium conceſſum cum clauſola *ad inſtar* quelem vim habeat. 6e3. 1 & ſeq.

Privilegium conceſſum ad inſtantiam explicatur juxta petita. 6e4 6

Privilegium cum clauſola, ex certa ſcientia, quales effectus hebeat. ibid. 7. & ſeq.

Privilegium conceſſum cum clauſula ex plenitudine poteſtatis tribuitur ſupremo Principi. 6e5. 9

Privilegium conceſſum cum clauſula *ſupplentes omnem defectum* quid opsretur. 626. 14

Privilegium quando ſuum conſerat effectum. 627. 2

Privilegium exemptionis à juriſdictione Epiſcopi quid operetur. 636. 1 & ſeq.

Privilegium deperdito inſtrumento quomodò probetur. 637. 7 & ſeq.

Privilegium conceſſum alicui monaſterio convertendi eccleſias ſibi ſubjectas in proprios uſus, intelligitur illi conceſſa adminiſtretio in ſpiritualibus, & temporalibus. 639 19

Privilegium conceſſum Reguleribus celebrandi divina officie tempore interdicti. 641. 1 & ſeq.

Privilegium conceſſum de non ſolvendis decimis novelium, quomodo intelligendum. 645. 15

Privilegium amittitur ob demerita privilegiati. 649. 7

Privilegium ceſſat ceſſente cauſa, ob quam fuit conceſſum. ibid. 8

Privilegium hebens tractum ſucceſſivum quoad ectus futuros, quomodo deperdatur. 650. 11

Privilegium reale conceſſum dignitati non extinguitur cum perſona. ibid. 14

Privilegium quomodo deperdetur retione formæ. 651. 15

Privilegium priùs conceſſum non tollitur per poſterius contrarium, niſi de ipſo fiat expreſſa mentio

Digitized by Google

mentio, 612. 8 Cauſa finalis in revocatione privilegiorum attendenda. 653. 13
Privilegium conceſſum ſubdito per modum contractus oneroſi, vel in remunerationam meritorum non extinguitur. 654. 17 Imò etiam videtur irrevocabile, ſi concedatur ex gratitudine. ibid. 18
Privilagium quomodo dicatur ceſſare ceſſante cauſa. 657. 14
Privilegium oundinarum per non oſum amittitur decennii ſpatio. 656 19
Privilegium ut amittatur per oon uſum plura requiruntur, quæ explicantur. 658. 20 & ſeq.
Privilagium ab una perſona non ſe extendit ad aliam. 659. 1
Privilegium continet modificationem, & reſtrictionem. 660. 6
Privilegium conceſſum ad inſtar alterius, quomodo incrementum ſubeat, & decrementum. ib. 8
Privilegium conventionale, an poſſit eſſe reale, & perſonale. 661. 12
Privilegium competentiæ quid ſit, & quibns coovenial. 662 17
Probationes excipientes ſuper objecto crimine dnbent recipi, & proviſo dn beneficio ſi ſit publicè infamatns ex tali crimine indicitur ſilentium, & ſi criman non probetur, indicenda eſt purgatio in facto, in qua ſi deficiat iterum indicitur ſilentium. 17. 9
Proceſſus judiciarins in cauſa hæreſis qnomodo conficiendns. 219. 1 & ſeq.
Procuratio ſuffragiorum in electiona eſt prohibita. 98. 17
Procurator non poteſt admitti, nt accnſator loco ptincipalis, cujus vices gerit. 16. 20
Procurator io judicio admittitur ad adducendas cauſas abſentiæ ſui principalis Rei ibid. 21
Procurator admitti poteſt etiam in cauſis criminalibus, ſi in ipſis non infligatur pœna capitis. ibid. 22
Procurator in cauſa criminali admitti ſolet in pluribus caſibus, qui recenſentur. 16. 23
Proferens verba hæreticalia per jocum ſine mala intentinne non eſt habendus hæreticus. 235. 54
Profeſſio religioſa Simòniacè facta eſt valida, nec profeſſus poteſt uxorem ducere. 123. 22
Prohibitio eccleſiæ non prævalet contra naturalem obligationem charitatis. 72. 19
Promittens aliqnid pro beneficio obtinendo, an poſſit cum ipſo paciſci. 139. 24
Promittens aliquid temporale loco pio, ut ſibi confaratur beneficinm, an ſit Simoniacus. 141. 30
Promotus per ſaltum in ordinibus eccleſiaſticis incurrit ipſo facto ſuſpenſionem. 64. 10
Promotus per ſaltum ſi miniſtret in ordine ſic ſuſcepto ſit irregnlaris. 564. 13. Sin verò non miniſtret incurrit tantùm ſuſpenſionem. ibid. 14
Promotus per ſaltum ad ſacerdocium omiſſo diaconatu, ſi ſuſcipiat Diaconatum liberatur à ſuſpenſione miniſtrandi. 569. 8
Proteſtatio fidai quomodo excuſat, ne ſit qois formaliter hæreticns. 235. 53
Pubertati proximi graviter delinquentes puniuntur arbitrio Judicis pœna extraordinaria. 515 12
Puer delinquens in tenella ætate eum excuſante à punitione, non poteſt ob idem delictum puniri, cùm primùm pervenerit ad majorem ætatem. 515. 14
Pueri quomodo puniantur ob delicta. 510. 1. & ſeq. Pueri grandiuſculi, qui dicantur, & quomodo puniendi ob patrata delicta. 511. 9
Pueri ſeptennes cenſentur doli capaces. ibid.
Pueri grandiuſculi ob patrata delicta mitiùs puniuntur. 512. 14
Pueri qui nondum attigerunt quartum decimum ætatis annum ob patrata delicta non puniuntur pœna capitis. 515. 11
Purgatio Canonica quid ſit, & quotuplex, quomodo & quando indicenda. 668. 1
Purgatio Canonica debet indici à Judice competente. 669. 5
Purgatio non indicitur niſi in defectn probationum. ibid. 6
Purgatio Canonica per jodicium crucis. 668. 2
Purgatio Canonica interdum iaterdicitur publicè infamato de crimine apud viros probos. 670. 13
Porgatio Canonica non indicitur niſi adſint veriſimiles ſuſpiciones. ibid. 15
Purgatio Canonica non eſt indicenda, quando infamia procedit ab æmulis, vel injuſta cauſa. 671. 19
Purgatio Canonica non indicitur, quando delictum eſt ita manifeſtum, ut celari oon poſſit. 672. 21
Purgatio Canonica qoomodo ſit facienda. 672. 24 & ſeq.
Purgatio Canonica non eſt indicenda obi ſcandalum, & infamia non adeſt. 673. 28
Purgatio Canonica per ſumptionem Euchariſtiæ qualis olim fuerit. 677. 4
Purgatio Canonica non eſt ampliùs indicenda ei, qui ſemel ſe purgavit. 678. 8
Purgatio vulgaris, quæ, & ex qna cauſa prohibita. 680. 1
Purgatio vulgaris an fuerit aliquando in Eccleſia licita. 683. 1
Purgatio volgaris includir deformitatam, qua tentatur Dnus. 634. 3
Purgatio per celebrationem miſſæ, vel ſumptionem Euchariſtiæ, an licita ſit. 684 6
Purgatione Canonica paracta debet infamatns de crimine ſtatim abſolvi. 678. 9
Purgationem Canonicam poteſt Epiſcopua indicere Laico de crimine eccleſiaſtico 669. 7. poteſt taman is, cui hæc purgatio indicitur ex juſta cauſa appellare ad ſupariorem. ibid. 10
Purgationes vulgares tam in cauſis civilibus, quàm criminalibns prohibitæ ſunt. 681. 7
Purgationes vulgares quænam hodie in eccleſia prohibitæ. 683. 2
Purgationis Canonicæ qualis ſit effactus. 677. 7
Purgationis vulgaris per ferrum cadens formula. 681
Purgatus ſemel canonicè non poteſt de eodem crimine iterom accuſari. 678. 10

Q.

Quæ dependent à cauſis liberis nullo modo ex aſtris cognoſci poſſunt. 501. 6

Quæ.

Quæſtores eleemoſynarum quomodo adimtendi. 766.1.& ſeq.

Quando aliquis obtinuit à ſummo Pontifice beneficium, & in executione gratiæ excipitur contra ipſum, quod ſit criminoſus, ſi antea non erat infamatus debat adire poſſeſſionem beneficii. 17. 6

Quatuor diſtinguuntur in functione ſpirituali concomitanter annexa rei ſpirituali. 73.26

Qui per Simoniam conventionalem beneficium obtinuit, non tenetur ſtatim illud dimittere. 17. 10.

Qui commodè poteſt impedire damnum alterius an teneatur ad reſtitutionem ſi illud non impediat. 422. 47

Qui privatim honorem alterius læſit, tantùm privatim tenetur reſarcire honorem. 701. 11

Qui injuria afficitur, an calore iracundiæ correptus poſſit dicere contumelioſo *tu mentiris*. 702.13

Qui habeant privilegium eligendi ſibi confeſſarium. 768. 11

R.

RApina qoid ſit, quompdo accuſetur, & puniatur 375.1. Et quomodo differat à furto, ibid.

Rapina eſt ſpecie diſtincta à furto ſpecie tam Theologica, quàm juridica. 376. 5

Rapina ſi fiat in loco ſacro eſt ſacrilegium, & peccatum grave. 383. 1

Rapinæ effectus proximos, & remotus. 377. 9

Raptor ſi tantùm libidinis explendæ cauſa, & non matrimonii ineundi, fœminam rapiat, non incurrit pœnas raptûs. 366. 8

Raptor in pluribus caſibus non incurrit pœnas à Tridentino inflictas raptui. ibid. 10

Raptor punitur pœna legis Juliæ de vi publica, ſi rapina facta ſit armis. 377. 13

Raptor manifeſtus quis propriè in jure dicatur. 379. 28

Raptores Jure Canonico multipliciter puniuntor. 378.20

Raptores occaſione ruinæ, incendii, naufragii tenentur reſtituere quadruplum edicto prætorio. 382. 17

Raptores in loco ſacro incurrunt excommunicationem latæ ſententiæ ipſo facto, 383.2 Et hæredes tenentur reſarcire damnum illatum tametſi raptor ſacrilegus fuerit abſolutus ab excommunicatione antequam decederet. ibid. 3. & ſequent.

Raptores peccant toto illo tempore, quo cum poſſint, non reſtituunt. 384. 10

Raptoribus quomodo negetur eccleſiaſtica ſepultura niſi reſtituant. 379 31

Raptus ut eſt ſexta ſpecies luxuriæ committitur, quando virgo, vel alia fœmina ſive ligata, ſive ſoluta, dummodo ingenua ſit honeſta, & liberis libidinis cauſa per vim abducitur. 363.19 Et quâ pœna puniatur raptus, ibid.20. Quòd ſi fœmina rapta fuit Monialis bona raptoris applicantur eccleſiæ, vel monaſterio, à quo fuit rapta ibid. 21. Sed raptus debet fieri causâ explendæ libidinis. ibid.22. Plures ad raptum requiruntur conditiones, quæ recenſentur. ibid.

Raptûs cauſa cognoſcitur à Judice eccleſiaſtico. 367. 16

Raſura modica paucarum literarum in reſcriptis Pontificiis, ſi fiat in loco non ſuſpecto non cenſetur falſificare reſcripta. 484. 26. In dubio tamen an raſura facta ſit in loco ſuſpecto falſificat reſcriptum. 485. 29

Receptio in protectionem ſine exemptione quid operetur. 637. 11

Reconventio quid? poteſt fieri ante, vel poſt conteſtationem litis. 31.14

Redimere pretio vexationem circa beneficia, an ſit Simonia. 90.1 & ſeq.

Reditus beneficii eccleſiaſtici locari poſſunt non tamen ultra triennium. 149. 5

Regulæ juris recenſentur, & explicantur. 865. 1 & ſequent.

Regulares Prælati correctionis cauſa poſſunt ſuos ſubditos verberare. 523. 7. Non tamen poſſunt ad id uti miniſterio laicorum. 524.10

Regulares mendicantes ſine licentia Papæ non poſſunt novos conventus conſtruere. 585. 13 Poſſunt tamen per privilegia emanata poſtea à Sede Apoſtolica. 586. 16. Sed requiritur ex Concilio Tridentino licentia Epiſcopi. ibid.

Regulares non poſſunt ædificare eccleſias, vel monaſteria niſi in diſtantia centum quadraginta Cannarum à propriis eccleſiis, vel conventibus. 597. 19

Regularibus conceſſa eſt abſoluta exemptio à juriſdictione Ordinarii. 584. 1

Regularis accuſatus apud ſuum Prælatum, ſi non convincatur, nequit ab eodem puniri. 29. 4 & quid dicendum ſi præceſſerit ſuſpicio. 31.6

Rei à S. Officio non capiuntur niſi adſint ſufficientia indicia ad torturam. 2.9.5

Religionis pro ingreſſu aliquid accipere, ut pretium eſt Simoniacum. 74.28 Conſuetudo tamen hodie inolevit, ut puellæ pro congrua ſua ſuſtentatione exhibeant dotem. ibid. 31

Religioſi an poſſint juridice inquiri ſine prævia infamia. 33. 22

Religioſi detrahentes honori ſui Prælati, quomodo puniendi. 531. 11

Religioſorum exceſſus in ordine ad ſua privilegia. 634. 17

Remedia efficacia contra maleficia. 509. 34

Remiſſio pœnæ temporalis debitæ ob peccata condonata quoad culpam. 754.1 & ſeq.

Repræſaliæ quid, & an licitæ. 698.3. In quibus caſibus peti poſſunt à Magiſtratu. 693.5 & ſeq.

Repræſaliæ, ut legitimè petantur aliquot requiruntur conditiones. 669. 7

Res ſpiritualis quæ pro pretio data eſt, quomodo ſit reſtituenda. 133. 24

Res ſpiritualis non poteſt poni intra ordinem rerum vendibilium. 136.5

Reſcripta conceduntur cum illa conditione, ſi preces veritate nitantur. 403.19

Reſcripta Apoſtolica recipiuntur à Papa, vel ejus Officialibus immediatè, vel mediatè. 484.24

Reſcripta cenſentur falſa, ſi in iis non ſervetur Stylus Curiæ. 485. 31

Reſcriptum quomodo irritetur ex defectu cauſæ motivæ finalis, aut impulſivæ. 491. 12

Reſcriptum an vitietur ex defectu cauſæ porè impulſivæ. 492.16

Re-

Digitized by Google

Reſcriptum an vitietur ex falſa adjectione qualitatis. ibid. 20

Reſtitutio eorum, quæ per Simoniam accepta ſunt, quomodo facienda? 120. 1

Retrotractio pœnarum juris ad tempus ſactæ collationis, an locum habeat etiam in conſcientia 118. 12.

Reus debet citari, ut Judex procedat juridicè. 36. 4

Reus ſi contra actionem emptoris excipiat, dicatque pretium rei à ſe emptæ fuiſſe è venditore ſibi donatum, onus id probandi rejicitur in reum. 36. 41

Reus ſi ſit abſens, & delictum plenè probabile videtur; tunc per edictum citari poteſt ad allegandum, & formandum proceſſum circa omnes illius actus infra terminum. 30. dierum. 220. 6

Reus actore non probante in civilibus abſolvitur; ſed in eccleſia tenetur probare ſuam innocentiam, ſi infamia orta ſit, & ſcandalum datum populo. 663 23

Ruſticus errans in rebus fidei ſi monitus à ſuo Parocho, aliiſque viris doctis non deſiſtat à tali errore, cenſendus eſt pertinax. 234. 52

S.

SAcerdos ſimplex ſi miniſtret in ordine Epiſcopali confirmando, & ordinando fit irregularis. 562. 2

Sacerdos ſimplex defectu juriſdictionis nequit à peccatis abſolvere niſi in articulo mortis. 740. 9 Et an hæc facultas abſolvendi in articulo mortis competat cuilibet Sacerdoti jure divino, vel eccleſiaſtico. 740 13. & ſeq. Et an hæc facultas tolli poſſit à Pontifice. 741. 15

Sacerdos quilibet poteſt ſacramentum pœnitentiæ miniſtrare in mortis articulo. 767. 6

Sacerdos an præſente proprio Parocho poſſit abſolvere in mortis articulo. ibid. 17

Sacerdotes poſſunt caſtris intereſſe, ut ſacra celebrent, ſacramentales confeſſiones audiant, & ſacra militibus miniſtrent. 527. 14

Sacerdotes in bello juſto contra infideles poſſunt hortari milites ad ſtrenuè pugnandum. 527. 14

Sacramenta novæ legis cùm ſint collativa gratiæ debent gratis conferri. Diſpenſantur tamen ab eccleſia Miniſtri, qui à fidelibus debent ſuſtentari. 140. 29

Sacramentum pœnitentiæ quando pueris miniſtrandum. 772. 31

Sacramentum pœnitentiæ exigit, ut peccata aperiantur in ſpecie, niſi urgeat mortis periculum. 773. 35

Sacrilegium generęciè eſt omnis violatio rei ſacræ. Prout eſt ſpecies luxuriæ eſt, quâ violatur corpus perſonæ Deo conſecratæ per votum perpetuæ continentiæ: & definitur ſacrilegus concubitus cum perſona Deo ſacrata. 361. 13

Sacrilegus ſtuprator jure Canonico ſi ſit laicus excommunicatur: ſi Clericus privatur beneficiis, deponitur ab ordine, & detruditur in monaſterium ut perpetuam agat pœnitentiam. 362. 14

Sacrilegium in ratione furti tripliciter poteſt committi. 405. 16

Sagitarii cur in jure prohibeantur contra Chriſtianos. 340. 1 & ſeq.

Saraceni cur ita nuncupati, & eorum origo, quæ fuerit. 160. 1 & ſeq.

Satisfactio injungenda eſt pœnitenti in ſacramentali confeſſione. 747. 30 Opera injungenda à confeſſario debent eſſe pœnalia. ibid. 33

Satisfactio injuncta pœnitenti adimpleri debet. 749. 39. Per ipſum pœnitentem. ibid. 41

Satisfactionis menſura in ſacramentali pœnitentia injungenda, unde deſumenda. 748. 34

Schiſma quid ſit, & quomodo ab hæreſi differat, 238. 1 & ſeq. Schiſma quomodo dicatur in eccleſia contingere. 339. 3

Schiſma ex genere ſuo eſt peccatum lethale. 243. 1

Schiſma opponitur virtuti charitatis, eſtque peccatum grave. 244. 2. Non tamen ex objecto eſt gravius peccatum hæreſi, & infidelitate. 244. 4 Schiſma ex parte materiæ nequit eſſe peccatum veniale. ibid. 5

Schiſmatici hodie ſunt etiam hæretici, & in articulis fidei diſſident ab Eccleſia Romana. 241. 12

Schiſmatici Græci hodie adhærent errori Neſtorii. 241. 12

Schiſmatici Epiſcopi, an validè conferant ordines ſacros. 241. & ſeq.

Schiſmatici Epiſcopi, & ſacerdotes validè Euchariſtiam conſecrant. 243. 9

Schiſmatici ex vi ipſius ſchiſmatis amittunt ipſo facto poteſtatem juriſdictionis. 244. 6

Schiſmaticus generatim eſt à nobis vitandꝰ. 245. 11

Sedes Apoſtol. ibi dicitur eſſe, ubi eſt Papa. 484. 24

Sententia per colluſionem lata nullius eſt valoris 508. 3

Sententia lata ex vulgari probatione, & jure reprobata, ſi ab ipſa fuit appellatum retractari poteſt. 685. 17

Servus dupliciter poteſt eſſe ſub poteſtate alterius. 700. 3

Severitas juris remittenda pro vitando ſcandalo. 593. 23

Significationes verborum juxta regulas juris explicantur. 858. & ſeq.

Simonia eſt peccatum oppoſitum religioni, ſuam trahit nomenclationem à Simone Mago. 59. 1

Simonia eſt ſtudioſa voluntas aliquid ſpirituale vel ſpirituali annexum emendi, vel vendendi pretio temporali. 60. 2

Simonia quo jure ſit prohibita? explicantur res ſpirituales circa quas Simonia committi poteſt. 60. 4

Simonia eſt peccatum lethale grave contra virtutem religionis. 60. 4

Simonia, qua res ſuapte natura ſacræ, cujuſmodi ſunt gratia, ſacramenta, & alia, quæ habent ſanctitatem ex conſecratione, vel benedictione eccleſiæ, venduntur, eſt jure divino prohibita 61. 5

Simonia qua beneficia eccleſiaſtica venduntur, eſt prohibita jure eccleſiaſtico. ibid. 6

Simonia tripartitur in mentalem, conventionalem, & realem. 61. 9 Simonia mentalis non dicitur quaſi conſiſtat in ſolo actu mentali, ſed ulterius requiritur, ut habeat opus externum adnexum, quod nullo ſigno exteriori appareat eſſe Simoniacum. ibid. Simonia mentalis dupliciter ſumitur. 62. 11

Simonia realis habetur, quando pactio ex utraque parte eſt completa, ſaltem inchoativè. ibid. 12

Simonia ut incurratur prærequirit pretium temporale

porale pro re ſpirituali, & pactum, vel contractum vendisionis. 62. 13
Simonia dependet ab effectu, & intentione, quæ debet reſpicere ad ſpirituale trahendum ſub æſtimatione pretii temporalis. 67. 5
Simonia non eſt exhibere alicui pecuniam, ut ſua ipſius merita exponat apud collatorem beneficii. ibid. 7
Simonia ut interveniat debet, qui pecuniem exhibet intendere immediatè aliquid ſpirituale ſibi dandum mediante tali pecunia. 67. 10
Simonia eſt accipere pro ipſis actionibus ſpiritualibus ut ſpirituales ſunt, pretium temporale. 68. 17
Simonia non eſt, moderatam exigere procurationem pro eccleſia conſecranda. 71. 9
Simonia non eſt vendere locum honoratiorem pro ſepultura, ſi præcisè vendatur locus, vel ſitus. 73. 21
Simonia circa actus eccleſiaſticæ jurisdictionis quæ? 76. 1. & ſeq.
Simonia circa beneficia, & officia eccleſiæ quæ? 80. 1
Simonia eſt ſaltem mentalis dare aliquid collatori, ut quis promoveatur ad beneficium. 84. 18
Simonia, quæ committitur in modis accipiendi beneficia. 85. 7
Simonia incurritur per pactum inducens rigoroſam obligationem. 86. 6. Non tamen eſt Simoniacum ſi Epiſcopus conferat beneficium Clerico ex conditione, ut illud reſignet eidem Epiſcopo, cùm primùm aliud pinguius obtinuerit. ib. 4
Simoniae non eſt redimere vexationem, quæ injuſtè infertur habenti jus acquiſitū in beneficio. 90. 2
Simonia non eſt redimere vexationem injuſtam ortam ab eo, qui tantùm poteſt obeſſe, non prodeſſe. 92. 11
Simonia non eſt pretio redimere vexationem, quando Electores ſubornantur precibus, aut muneribus, ſi ſubornantes tantùm obeſſe poſſunt, non prodeſſe. 95. 1
Simonia quæ committitur in electionibus, præſentationibus, & permutationibus beneficiorum. 95. 1
Simonia eſt dare pecuniam etiam pro ſuffragio non neceſſario ad valorem electionis. ibid. 3
Simonia, quæ committitur in penſionibus beneficiorum. 101. 1
Simonia confidentialis, quæ in reſignantibus factis ſpe, & confidentia beneficiorum committitur. 105. 1 Simonia confidentialis committi poteſt in reſignatione cujusvis beneficii eccleſiaſtici cujuscunque ſit ordinis ſive ſimplex ſit, curatum, regulare, vel ſæcolare. 106. 3
Simonia confidentialis tripliciter committi poteſt. 107. 11
Simonia confidentialis eſt obnoxia pœnis quamvis ſit tantùm jure humano prohibita. 119. 17
Simonia in beneficio ſi ſit notoria inducit eo ipſo ſuſpenſionem. 120. 6
Simonia notoria punitur pœna depoſitionis etiam ab ordine. 124. 4
Simonia confidentialis ipſo facto inducit excommunicationem; alias verò pœnas per ſententiam. 125. 10
Simonia conventionalis mixta non inducit pœnas juris. 126. 15
Simonia debet eſſe evidens, & certa, ut injunctæ pœnæ incurrantur. 135. 1
Simonia non admittit parvitatem materiæ. ibid. 3
Simonia ex ſuo objecto formali ſemper eſt gravis. 136. 4
Simonia non eſt promittere aliquid temporale loco pio, ut ſibi conferatur beneficium eccleſiaſticum. 141. 20
Simonia non eſt, ſi pecunia detur ut merita ſolventis manifeſtantur collatori beneficii. 141. 32
Simonia mentalis adhuc eſt vera Simonia. ibid. 33. Non tamen tenetur mentaliter Simoniacus ſuam exteriùs manifeſtare Simoniam. ibid.
Simonia eſt aliquid exigere pro votis, juramentis, & impedimentis matrimonii diſpenſandis. 142. 34.
Simonia eſt exigere pretium temporale pro ferenda excommunicatione, vel alia cenſura 142. 35
Simonia eſt accipere pretium pro omiſſione actus ſpiritualis, cui annexus ſit uſus poteſtatis ſpiritualis. 142. 37
Simonia non eſt aliquid temporale exigere pro muſico cantu in perſolvendis divinis officiis. 143. 40.
Simonia conſtituit Simoniacum incapacem ad alia beneficia. ibid. 41
Simonia juris humani, in quibus dicatur contractibus intervenire. 143. 33
Simonia non eſt conferre beneficium propter timorem. 145. 47
Simoniæ materia eſt omnie actus eccleſiaſticæ jurisdictionis. 78 12
Simoniacè ſcienter profeſſus in religione an dimittatur ab eadem? 123. 21
Simoniaci non ſunt Parochi exigentes pecuniam pro propria ſuſtentatione 63. 17. Tametſi proprium habeant patrimonium. ibid. 19
Simoniaci incurrunt excommunicationem reſervatam Papæ. 119. 2. Etiam ſi ſint Cardinales. ibid.
Simoniacum eſt accipere pretium temporale pro ſacramentis a Chriſto inſtitutis ad gratiam conferendam. 62. 14
Simoniacum eſt vendere, vel emere functiones prodeuntes ex poteſtate Ordinis. 63. 16
Simoniacum non eſt exigere pretium temporale pro labore intrinſecùs adnexo actioni ſacræ pro ſuſtentatione miniſtrantiū res ſacras. 66. 31
Simoniacum quomodo eſſe dicatur parare ſibi viā ad ſpiritualia mediante pretio temporali. 66. 1
Simoniacum non eſt pro publicis orationibus aliquid temporale accipere per modum congruæ ſuſtentationis miniſtrorum, non per modum pretii rei ſpiritualis. 68. 16
Simoniacum non eſt dare pauperibus, vel religioſis pecunias ut orent pro dante. ibid.
Simoniacum eſt aliquid temporale accipere pro Chriſmate. 71. 11
Simoniacum eſt vendere agnos Dei benedictos, idque prohibetur ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ. 73. 25
Simoniacum eſt aliquid temporale exigere tanquam pretium pro ingreſſu in religionē. 74. 28
Simoniacum eſt poſt exemplam confeſſionem extorquere pecuniam pro abſolutione intuitu illius. 76. 2

Simoniacum non eſt aliqoid temporale accipera pro nuda, ac ſimplici omiſſiona actus ſpiritualis.77.8. Secus tamen ſi contractus præceſſerit de aliquo accipiendo, ut pretio. ibid. 9

Simoniacum eſt aliquid tempotala dara, vel accipere pro actibus juriſdictionis ecclaſiaſticæ ſiva voluntariæ, ſive contentioſæ, vel atiam involuntariæ. 79. 21

Simoniacum eſt conſerre beneficium eccleſiaſticum pro munere à manu, lingua, vel obſaquio ſi pactum intaceſſarit. 83. 7

Simoniacum aſt pro ipſa collatione. beneficii aliquid accipere. ibid. 16

Simoniacum eſt præſtara homagium pro beneficio obtinendo. 84. 20

Simoniacum eſt dare pecuniam interceſſori pro beneficio accipiendo. 86. 8

Simnniacum non eſt conſerra beneficium conſanguinao intuitu conſanguinitatis. 111. 14

Simoniacum eſt dare pretium cum pacto inducente obligationem pro re ſpirituali. 113. 8

Simoniacum non aſt commutare reliquias pro aliis, raliquiis. 113. 1

Simoniacus in beneficio amittit omniæ alia beneficia, quæ priùs habebat. 128. 11

Simoniacus jure divino tenetur ad reſtitutionem pratii. 130. 5

Simoniacus dubios non poteſt damnari, nec ſuper ea dubia poteſt proferri ſententia. 135. 2

Sodomiæ pœna jure canonico eſt, ut laicus axcommunicetur: & eccleſiaſticus privetur beneficiis: imò jure novo privatur omni beneficio, & privilegio clericali. 364. 27. Requiritur tamen ut nefandum ſcelus ſit reitatatum, & plures aliæ requiruntur conditiones. ibid. 28

Somnium de pane ſubcinaritio ſignum fuit Gedaoni hoſtium cædandorum. 402. 8

Somnium quomodo dignoſcatus eſſe à Deo. 503. 14

Somnium quo ſpectrum videtur irruere, & hominem dormientem opprimere. ibid. 16

Sortas diviſoriæ, in quibus aventus rei ſubjicitur fortunæ non ſunt illicitæ. 495. 2

Sortes diviſoriæ in bello intar milites ſunt frequentes. 495. 3

Sortes diviſoriæ per accidens poſſunt eſſe illicitæ. 498. 4

Sortes conſultoriæ quando ſint licitæ, vel illicitæ. 498. 10

Sortes divinatoriæ, per quas inquiritur de futuris eventibus ſunt omnino illicitæ. ibid. 12

Sortès in alectiona ad prælaturas, & ad alia beneficia eccleſiaſtica jure canonico prohibentur. 499. 16

Sortes diviſoriæ non ſunt illicitæ in electionibus ad officia civilia ſæcularia. ibid. 18

Sortibus divinatoriis utentas non ſemper graviter peccant. 499. 14

Sortilegia quæ? ſumuntur in jura canonico laxè, & ſtrictè. 495. 8

Sortilegi, & Divinatores jure canonico, & civili quas pœnas incurrant. 500. 2

Sortilegii criminis quis ſit judax competens. 500. 1.

Spiritualia ſine ſimonia non ſubjiciuntur humano contractui. 97. 13

Stuprata puella, quæ per vim, metum, val fraudem conſenſit in ſtuprum, quamvis ſub patria poteſtata poteſt remittare pœnam, & obligationem ſatisfaciandi ſtuptatori. 358. 18

Stuprator jura canonico tanetur virginem ſtupratam dotare, vel ducere in uxorem. 356. 7. Et qui virginam ſeduxit, & corrupit, tenetur ad eam dotandam juxta qualitatem ſuæ perſonæ. 359. 9. Quòd ſi pualla conſtuprata ſit inferioris conditionis debet dotari. 357. 10

Stuprator ſi adigatur ducere in uxorem puellam à ſe ſtupratam, adhuc eam liberè ducit. 357. 12

Stuprator ſi tantum pracibus induxit puellam ad ſtuprum, an teneatur eam ducere. 358. 15. & quid ſi puella precibus principis, vel ſuperioris inducatur ad conſenſum. 358. 16

Stuprator ad quid teneatur, ſi conjugium non promiſit ſtupratæ. 368. 21. Et quid ſi puellam ſtupratam decepit promiſſione matrimonii. ibid. 23

Stuprum propriè quid ſit; & continet malitiam diſtinctam à fornicatione 351. 1. & ſeq. Et an defloratio puallæ conſantientis includat hanc diſtinctam malitiam. ibid. 2

Stuprum quo defloratur virgo conſantieas non continat malitiam injuſtitiæ. 356. 3.

Stuprum jure cæſareo pluribos punitur pœnis. 356 5. Et quid ſi ſervus corrumpat herulam. ibid. 6

Stuprum non imputatur puellæ violenter oppreſſæ, ſi non conſentiat, & faciat, quantum poteſt ad impediendum ſtuprum. 358. 19. Tenetur puella eitiam cum aliquo ſoo incommodo impedira ſtuprum per exteriorem reſiſtentiam. 359. 22

Stuprum atiam à laicis commiſſum eſt mixti fori. 368. 9

Subdiaconus ſi dubitet, an ordines minores ſuſceperit, tenatur eos recipere. 566. 21

Subdiaconus ſibi oſurpans ordines, qoos non habet, debet iiſdam carere. 563. 3

Subdiaconus per ſaltum promotus ad ſacerdotium, ſi miniſtret in omiſſo ordina Diaconatûs, fic irregularis. ibid. 6

Subditi non ſervantes interdictom ſuſpenduntur ab omni juriſdictione. 580 2

Subditi violantes accleſiaſticum interdictum incurrunt irregularitetem. 580. 5

Subditi tenentur Epiſcopum habera ut Dominum. 580. 6

Subditi negantes Epiſcopom eſſe eorum Dominom, ſunt digni pœnâ. 581. 7

Subditorum axceſſus recenſentur, & expendontur. 580. 2

Subditus quilibet admittitur ad excipiendum de crimine contra electum, vel promovendum ad Prælaturam. 28. 23

Subditus non poteſt præſcribere contra obedientiam ſui ſuperioris. 768. 13

Subditus tenetur ad reſtitutionam, ſi feras capiat in locis, ubi jus venandi partinet ad ſolum Principem. 412. 46

Sub-

Subreptio proveniens ex ſimplicitate, vel ignorentia. 492. 15
Supellectili ſecra manente in eadem benedictione non poteſt ſine ſacrilegio quis uti in profanos uſus. 72. 18
Supellex ſaera præſertim calices non poſſunt vendi, neque oppignotari niſi ex cauſa neceſſitetis, & pietatis. ibid. 17
Suſpenſio ut eſt ſecunda ſpecies cenſuræ definitur. 841 Quomodo differat à reliquis cenſuris. ibid. 2. Differt etiem à ſuſpenſione officii, beneficii, & depoſitione. ibid. 3
Suſpenſiones cauſæ recenſentur, & expenduntur. 843 10
Suſpenſiones quæ ipſo jure contrahuntur à Clericis recenſentur. 845. 22
Suſpenſionis effectus recenſentur, & explicantur. 893. 14
Suſpenſio ab officio non amittit beneficium. 842. 4
Suſpenſus à beneficio impeditur, quo minus poſſit percipère fructus eiusdem. 742. 7
Suſpenſus ab ordine non eſt ſuſpenſus à juriſdictione, 842 8. ſuſpenſus tamen ab ordine inferiori cenſetur ſuſpenſus etiam à ſuperiori. ibid. 9
Suſpicio ſola de hæreſi inducit purgationem canonicam. 191. 3

T.

TAciturnitas ætatis requiſitæ ad aliquod beneficium reddit reſcriptum ſubreptitium. 492. 19
Talionis pœne hodie mutate eſt in arbitrariam à Judice injungendam. 7. 2
Taurorum intra circum agitatio, & irritatio ex natura ſue eſt illicita ob pericula vitæ. 330. 8
Temporale ut poſſit ſe habere per modum pretii, tria requiruntor. 111. 17
Temporale ſub titulo congruæ ſuſtentetionis poteſt accipi pro obligetione miniſterii eccleſiaſtici. 113. 3
Temporele non poteſt donari ſub onere, & conditione operis ſpiritualis præſtandi. 114. 9
Temporale poteſt exigi pro labore extrinſeco per accidens annexo actioni ſacræ. 115. 11
Tentatio qua per purgationem canonicam tentatur Deus qualem includat deformitatem. 684. 3. Et quotupliciter poſſit hæc tentatio contingere 684. 4. Et quale ſit peccatum hæc tentatio. 584. 5
Tergiverſari juridicè perinde eſt, ac ab accuſatione reſilire ſine licentia Judicis. 42. 5
Teſtamenta Judæorum, qui ſunt manifeſtè uſurarii, an valida ſint. 474. 11
Teſtes rogati ſuper infamia criminoſi tenentur teſtificari. 20. 8. Limitatur tamen ſi crimen occultum vergeret in perniciem alicujus communitatis. ibid. 9
Teſtes ſingulares qui dicantur, & qui teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa, & diverſificativa. 221. 14
Teſtes ſingulares circa ſubſtantiam facti, vel dicti ſufficienter non probant in cauſa hæreſis. ibid.
Teſtes plures deponentes de eadem ſpecie hæreſie contra aliquem, tametſi ſingulares ſint quoad locum, & tempus, non ſunt ampliùs ſinguleres. 222. 20
Teſtes diſcordantes in verbis propoſitionis hæreticalis ſufficienter probant hæreſim. 223. 22
Teſtes deponentes attenduntur in ordine ad ſubſtantiam rei, de que vocati ſunt. ibid. 24
Teſtes ſingulares ſinguleritate obſtantiva, quando dictum unius repugnet dicto alterius nil probant. 223. 25
Teſtes non poſſunt deponere de hæreſi interne niſi manifeſtetur per actus externos. 228. 20
Teſtes ſinguleres convincunt irregularitatem quamvis deponant de diverſis actibus. 229. 21
Teſtis ratione falſi teſtimonii quando teneatur reſarcire damna illeta. 44. 13. Et an teneatur ad reſtitutionem, ſi nolit teſtari, cum poſſit. 45. 15
Teſtis ſingularis, ſeu unus tantùm non ſufficit ad condemnandum aliquem de hæreſi. 222. 19
Theologia naturalis de Deo poteſt mediante pretio temporali à Magiſtro edoceri. 69. 21. Neque id ſimoniacum eſt. ib. Pretium tamen exigere pro conſiliis Theologicis in ordine ad ſalutem animæ, vel ad excutiendus ſcrupulos, trenquillandem conſcientiam eſt ſimoniacum. ib. 23
Theologus, ſeu Scholaſticus quomodo conſtituendus in cathedrelibus eccleſiis. 155. 10
Theſaurus eccleſiæ, ex quibus conſtituatur bonis, & quomodo diſpenſetur. 755. 3. & ſeq.
Tituli excuſantes ne contrahatur ſimoniaca labes. 113. 1
Torneementa unde ſuam deſumunt nomencletionem, & cur in jure canonico prohibita. 327. 1
Torneamenta cur repetitis legibus ab eccleſie prohibeantur. 328. 5. & 10. Non tamen, ea torneamenta, & certamina gladietoria, quæ ſine vitæ periculo tantùm exercendæ virtutis cauſe fiunt. ibid. 6
Torneamenta exercere in adventu, & quadrageſima ſecluſo ſcandelo non eſt prohibitum. 329. 3
Torneementa licitè inſtituuntur animi relaxandi cauſa, ſi ſint ſine periculo vitæ. ibid. 1
Tranſigi non poteſt de criminibus capitalibus. 508. 10

V.

VAna obſervatio quid ſit, & per quid differat à divinatione. 503. 19
Vanæ obſervationes diſtinguntur in tres ſpecies. 504. 21
Vaſa ſacra licèt ſint adnexa ſpiritualibus non tamen ſunt illis poſteriore; proinde ratione materiæ, qua conſtant, ſunt illis priora. 82. 1
Venatio videtur magis ad Principem pertinere, quàm ad ſubditos. 411. 39
Venatio Clericis eſt interdicta: & quibus pœnis puniantur clerici venatores. 516. 1
Venatio areneria, qua quis pugnat cum beſtiis eſt prohibita: & ſi fiat quæſtûs causâ incurritur infamia. ibid.
Venatio clamoſa, & ſaltuoſa licita eſt omnibus laicis, ſed prohibita Clericis. 517. 2.
Venatio quælibet clericis non eſt prohibita. 517. 3
Venatio interdicta eſt Monachis, & aliis Religioſis. ibid. 4

Vena-

Venatio, & piſcatio quomodo differant,& cur illa, non iſta clericis prohibita. 518.13
Venatio clamoſa, & ſaltuoſa laicis omnibus eſt licita, niſi à Principe prohibeatur. 519.1
Venatio licitè poteſt prohiberi : & an teneatur ad reſtitutionem, qui contra prohibitionem venatur. 519.5
Venatione ſi unus vulneret feram, quam alius capiat; an hæc ſit vulnerantis, vel capientis? 520. 8. Feræ in venatione vulneratæ quando cenſeantur haberi pro derelictis. 521.9. Fera ſi capta ſit in laqueo Titii, & Cajus ſuperveniens eam laqueo eximat,an ſit Caii, vel Titii laqueum parantis? ibid.10
Venationibus hodie clerici, & Presbyteri impunè vacant. 518 16
Venationis jus poteſt Princeps ſuis adimere ſubditis, ſeu prohibere venationem. 411. 38
Venationis cauſa interdum proteruntur ſata, & damna arvis inferuntur, quæ præſcriptione excuſantur à compenſatione ſi nemo querelas depoſuerit. 519.4
Venationum exercitiis, qui occupantur nimis diſtrahuntur, ut vix rebus divinis dent operam. 517.8
Venatores debent cautè procedere, ne tranſeuntes per per aliena prædia damnum inferant. 519. 2
Venditio cenſetur perfecta quando res eſt tradita, quamvis pretium nondum ſit ſolutum. 116.5
Venditor ſi ob dilatam ſolutionem pretii vendat rem pluris, quàm valeat in foro externo non poteſt conveniri tanquam uſurarius. 461.46
Verba generaliter, & indefinitè prolata ab eo, qui potuit excipere, & non excepit, cenſentur omnia comprehendere.644.11.Limitatur tamen niſi diſpoſitio indefinita concernat rem, quæ inferat grave præjudicium. 645.13
Verborum ſignificationes juxta regulas juris expenduntur. 858. & ſeq.
Vexari circa beneficia quomodo quis dicatur.90.1
Vexatio orta ab eo, qui tantùm obeſſe poteſt,quomodo differat ab alia orta ab eo, qui poteſt ſimul obeſſe, & prodeſſe in ordine ad beneficium obtinendum. 92.10
Vexatio an redimi poſſit, quando electores ſubornantur precibus, vel muneribus, ne quis eligatur. 92.16.
Vexatio injuſta redimi poteſt ab eo, cui eſt jus acquiſitum in beneficio etiam pretio pecuniæ.93. 20
Vexatio injuſta, quæ fit in ordine ad turbandum jus acquiſitum alicui poteſt licitè pecuniis redimi. 94. 21
Vexatio injuſta quomodo redimi poſſit ſine ſimonia. 90. 3. & ſeq.
Vexationem redimere circa beneficia eccleſiaſtica, an & quomodo ſit ſimonia. 90. 1. & ſeq.
Vexationem redimere oblata pecunia pro jure nondum acquiſito in beneficio redolet ſimoniam. 91. 8
Vexationem injuſtam exhibita pecunia redimere non eſt ſimonia, ſi qui injuſtè vexat non ſit de numero electorum, & tantùm obeſſe poſſit & non prodeſſe. 91.9
Vexationem redimere mediante pecunia an poſſit, qui nondum habet jus in beneficio. 145. 45
Vexationis redemptio an licita ſit in ordine ad obtinenda beneficia. 144 44
Via ad ſpiritualia quomodo dicatur parari mediante pretio temporali. 66. 1 & ſeq.
Via ad ſpiritualia debet eſſe proxima, ut per pretium temporale committatur ſimonia. 66.4
Vicariatus Epiſcopi non accenſetur beneficiis eccleſiaſticis. 1509
Vicarii eccleſiarum nequeunt perſonatum eccleſiaſticum ſibi uſurpare contra juramentum præſtitum. 581. 11
Vicarius generalis pro ſuo labore temporali accipit ab Epiſcopo mercedem pro congrua ſuſtentatione. 547. 4
Victus in cauſis pecuniariis eſt victori condemnandus in expenſas. 723. 4
Violatores eccleſiarum ſunt, qui rebus ſacris violentiam inferunt. 38. 11
Vir ſciens uxorem ſuam adulterium commiſiſſe, & adhuc perſiſtere, in eodem tenetur eam dimittere. 850. 10
Vir ſi accuſet criminaliter uxorem adulteram in judicio ſæculari,non poteſt tali judicio finito eam accuſare civiliter ad dotis, & reliquorum bonorum amiſſionem. 373. 52
Unitas corporis Myſtici eccleſiæ in quo ſita, & quomodo ſolvatur. 239. 3
Voluntas ſola ſine actu externo non facit Simoniacum. 116. 2
Voluntas ſubditorum poteſt à Principe inhabilitari, ut fiat inepta ad dominium transferendum 411. 41
Uſura dupliciter ſumitur pro contractu uſurario, & pro ipſo lucro.428. 5 Ad rationem uſuræ quatuor ad minimum requiruntur. ibid. 6
Uſura ſumpta pro lucro perpetuo ex vi mutui definitur. 428. 10
Uſura alia mentalis, alia realis, & conventionalis. 429. 13
Uſura conventionalis quæ: 429. 14. Uſurarius animus quomodo cognoſcatur. ibid. 15
Uſura expreſſa, & publicata, ſeu formalis,& virtualis. 429. 16
Uſura pro uſu ſacrorum vaſorum licita eſt, non ita pro pecuniis mutuò datis. 432 31
Uſura eſt quidquid exigitur ultra ſortem mutuò datam. 434 10 & ſeq.
Uſura eſt exigere obligationem mutui in futurum, ut detur mutuum in præſenti. 435 113
Uſura eſt mutuare cum pacto ut mutuatarius condonet injuriam ſibi à mutuante illatam. 433. 16. Neque obſtat, ſi mutuatarius fuerit tantùm læſus in honore, vel fama. 436. 18
Uſura ſeu aliquod lucrum quot annis ſupra ſortem, quomodo licitè poſſit accipi. 472. 1
Uſura eſt ſpecies furti; & opponitur juſtitiæ. 478. 34
Uſuræ nomen derivatur ab uſu, & lucro quod ex mutuo acquiritur. 427. 1. Et expreſsè ex conſuetudine ſumitur pro lucro, quòd exigitur ex mutuo, ex vi mutui. ibid. 4

Uſuræ lucratoriæ ſunt jure divino prohibitæ. 429. 17
Uſuræ an fuerint licitæ Judæis, quia iisdem permiſſæ à Deo. 430. 19
Uſuræ in lege Evangalica ſunt prohibitæ. Imò adverſantur juri naturali. 450. 24
Uſuræ jure civili quomodo permittantur. 431. 26
Uſuræ in contractibus cenſualibus venditionis, & emptionis. 455. 1. & ſeq.
Uſuræ iniquitas non conſiſtit in eo, quòd accipiator aliquid ultra ſortem ex libertate mutuatarii. 461. 3
Uſura peccatum eſt contra juſtitiam. 462. 8
Uſuræ crimen ſapit ſpeciem furti, & rapinæ. 465. 23
Uſuræ crimen eſt mixti fori, & poteſt de eodem cognoſcere uterque Judex eccleſiaſticus, & ſæcularis. 468. 2 Judex tamen eccleſiaſticus in ordine judiciario procedit de plano. 469. 3 Ut autem quis puniatur, ut uſurarius debet priùs uſura probari in judicio. ibid. 4
Uſuræ an poſſint à Pontifice condonari Judæis, qui volunt converti ad fidem Catholicam. 474. 11
Uſurarii hæredes ſi plures ſint tenentur ſinguli reſtituere in ſolidum. 464. 19
Uſurarii infideles ſive Judæi ſint ſive alii poſſunt compelli à Principibus Chriſtianis ad reſtituendas uſuras. 465. 22. & 26
Uſurarii ſi ſint manifeſti, & nullus adſit accuſator, adhuc procedit Judex ex ſuo officio per inquiſitionem. 469. 7 Uſurarii manifeſti convincuntur ex libris rationum. ibid. 8
Uſurariorum pœnæ Jure Canonico plures ſunt, & explicantur. 470. 9. & ſeq.
Uſurarios tenetur uſuras ſolvere ex bonis, quæ, adhuc in ejus ſunt poteſtate. 463. 13
Uſurarius an gaudeat beneficio ceſſionis bonorum, ſicut alii debitores. 463. 14
Uſurarius non ſolùm tenetur reſtituere quidquid per uſuram accepit; ſed etiam omnes fructus perceptos à re fructifera. 464. 17
Uſurarius manifeſtus quis ſit, & quomodo puniendus. 469. 5
Uſurarius ſi ſit Clericus non eſt ſtatim deponendus ab ordine, officio, & beneficio, ſed priùs monendus, ut deſiſtat ab uſuris exercendis. 470. 10
Uſurarius manifeſtus non ſepelitur in loco ſacro, donec fiat reſtitutio. 771. 15
Uſurarius ſi non ſit ſolvendo gratis ab eo accepta debent reſtitui creditoribus. 475. 17
Uſus rerum conſumptibilium poteſt ſeparari ab ipſis rebus conſumptibilibus. 445. 20
Uſus rationis regulariter incipit ſeptennio expleto. 511. 9
Vulnerati in duello ſi uno, vel altero die poſt completum duellum ſupervixerint, & ſacramentaliter confeſſi & abſoluti à cenſuris, deceſſerint in propria domo, non ſunt privandi eccleſiaſtica ſepulturâ. 337. 21
Uxor contra maritum adulterum poteſt agere civiliter ad repetendam dotem. 348. 16
Uxor adultera ſi reſipiſcat, petatque ad virum reverti, quomodo teneatur maritus eam recipere. 350. 31
Uxor non excuſatur ab incurrenda pœna adulterii ſi propter ſummam paupertatem adulterium committat. 354. 17. Et cur in extrema neceſſitate licitum ſit furari, non mœchari. ibid. 28
Uxor non tenetur manifeſtare marito ſuum peccatum. 751. 12. & ſeq.

FINIS.

005672114